
BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
1
D
23
NAPOLI

1. D. 23.


IHS
TRIVMPHVS VERITATIS
ORDINATI
EVANGELII
QVADRIGA
INVECTÆ,
SANCTORVM PATRVM
EXERCITV STIPATÆ,
AVTHORE
R.P. IOANNE DE LA HAYE
Seruo Societatis IESV
Theologo.
Declaratio ſermonum tuorum illuminat. Pſal. 118.
AVGVSTINVS.
Cum gratia
et Priuilegio.
DVACI,
Ex Typographia BALTAZARIS BELLERI,
Suis, & IOANNIS KEERBERGII Bibliopolæ Antuerpienſis ſumptibus.
Anno. 1609.
S. AMBROSIVS
HIERONIMVS.

DEO OPT. MAX.

EIVSQVE VNIGENITO, INCREATÆ, ET INCARNATÆ SAPIENTIÆ.

SAPIENTISSIMAE INTER PVRAS CREATVRAS VIRGINI DEIPARAE.

NON cælum modò, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt; vndique loquuntur nobis, Domine, & clamant vt amemus te, conditorem noſtrum, & omne bonum noſtrum, non alio bono bonum; ſed bonum omnis boni; & ita clamant, vt ſint inexcuſabiles, qui vocem illam tuam, qui clamorem illum tuum, non exaudiunt: Quin imo altius ſemper, filiorum tuorum, quos delegiſti præ terræ filijs, miſertus, diſciplina tuâ, ex nigris lucidos effeciſti; ſiquidem omnem viam diſciplinæ tradidiſti Iacob puero tuo, & Iſrael dilecto tuo, iſto magiſterio tuo; tempora omnia, omnia mundi regna peruagatus. Primum rudi populo, & inter nationes minimo, inſinuaſti te, cui per Angelos, per Prophetas, & Doctores, eloquia tua, miris modis tradidiſti. Donec tandem qui per alios loquebaris, Ecce ades, & in terris viſus es, & cum hominibus conuerſatus. Tunc verè oleum effuſum nomen tuum, & diffuſa eſt gratia in labijs tuis, nobis factus via, veritas, & vita. Non contentus dediſſe te ductorem noſtrum, & Doctorem, niſi & Verbum, ſanguine teſtamenti conſignarēs, niſi, pie Pellicane IESV, Domine, pullos tuos, pretioſi ſan-

guinis effuſione nutrires: Quibus ex eo liquore tantum roboris donatum, vt aquilarum in morem, cum Sole, cuius illæ alites, in mundum vniuerſum peruolarint. Ita Domine placitum eſt ante te, eligere vaſa lutea, ex regione noſtra, in quibus oſtenderes potentiam Verbi tui; vt portent nomen tuum coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſraël, quos rexiſti in virga ferrea, tanquam vas figuli confregiſti eos, contriuiſti Cedros Libani, & potentes de ſede depoſuiſti, vt lingerent terram, quam pedibus tuis conculcaſti. Et ecce à primis illis Conſtantinis, quos ad gloriam Crucis euocaſti, vſque in diem hunc; quot mundi regna, creditum ſibi Euangelij verbum, à priſcis vſque ſæculis conſeruarunt? Quàm latè, etiam iſto ſæculo, perſonuit in nouum orbem Euangelij tuba? Quàm potenter verbum tuum à dæmonum cultu, cui aſſuerant, corda hominum diuellit? Quomodo confundit infatuatam à Deo mundi ſapientiam? Eam tanquam Magorum ſerpentes, à Möſi ſerpente videmus deuorari. Non eſt qui poſſit reſiſtere voci tuæ, Euangelio ſancto tuo. Niſi qui obſurduêre ex incantatione Sirenum, niſi qui ex ventoſo mundi typho euanidi, qui defecti ſtomacho, paſcantur leuiori aura, qui Chameleontis more, alantur ex aëre. Ita videlicet faſtidierat aliquando ſacri eloquij tui ſimplicitatem, Auguſtinus, ſed iunior, ſed mundi diſcipulus, miniſtrans nundinis loquacitatis, diuendens ore ſuo arma furoris, longè à te poſitus, fabellis delinitus, & hominum figmentis. At verò vbi flauit ſpiritus tuus, vbi tu Domine ſagittaueras cor eius, & vbi guſtauit verba tua, transfixa viſceribus, priorem ſuam demiratus vanitatem: illud, inquit, Verbum tuum, quanto humilius, tanto altius alios ſcriptores tranſcendit, non ventoſitate, ſed ſoliditate. Idipſum alius eiuſdem Verbi diſcipulus, vbi poſt tenebras lumen adſpexit, profitetur, cum dolenter queritur, tamdiu ſe immoratum diſciplinæ Sapientiæ illius, quæ à Deo eſſet infatuata, qui ex graui quaſi ſomno expergefactus, reſpexit ad Euangelicæ lumen veritatis: Ductorem, inquit, mihi dari optabam, qui ad pietatis me dogmata introduceret: & ſubdit hunc ſibi fuiſſe Euangelij lectionem. Neque enim immeritò, Beatus Clemens longè meliora vidit in hac ſcriptura inueniri, quàm quæ ex gentilium libris poſſent deſiderari: Quippe quæ te Deum, agnoſcat authorem, & magiſtrum, & quæ eò ſalubriter animas deducat, vnde illæ ſui trahunt originem. Vt non immeritò pro nobiliſſima illa Eccleſiæ

De doctrina christiana lib. 4. c. 6.

Baſil. epiſtol. 79.

Lib. 1. conſtitut. Apoſtol. cap. 7.

Eccleſiæ tuæ poſſeſſione, in ſua conſeruanda integritate, grauiſſima ſemper à filijs tuis, ſint bella ſuſcepta, cùm in eos, qui adulterare conantur Verbum tuum, qui ſenſa ſua illi ſupponere, contra errones infatuatos, magiſtros prurientes auribus, ſeductos, & ſeductores, inſanos aduerſus antidoton quo ſani eſſe debuiſſent, tanta animoſitate in certamen, omni ætate concurritur. Et ſi vllum vnquam fuerit ſæculum huiuſmodi malorum ferax; noſtrum hoc videtur turmatim omnes veterum peſtes, ſimul in Eccleſiam ſubmiſiſſe, cùm tenebriones noſtri, nihil non audent in Euangelium tuum, delumbantes epiſtolas integras Apoſtolorum tuorum, detruncantes, & immutantes quæcunq; lubitum fuerit animo, & modis indignis ludificantes verba tua, nec tamen ceſſas per ſanctos pueros tuos, reſtringuere incendium hoc. Accurritur vndequaque, ab ijs quos ſapientia tua altius erudiuit; nec eſt tuorum quiſquam, qui non propulſare malum hoc aut velit, aut connitatur. Subſidiariam manum, filij tui Societatem vocaſti, & quot in ea prælia Domini ſui decertantes? Vocaſti in eam immerentem me, vt conculcarem præſentis ſæculi ſapientiam, & expeditus fallacibus vmbris, ſynceriùs pro Verbi tui honore depugnarem, dignabaris vocatione nec defuiſti munimine, qui voluntatem dederas, addidiſti & vires, & vtinam quâ par eſt Spiritus contentione, atque conſtantiâ reſpondiſſem. Vtinam omnia ætatis meæ momenta decurſa in familia tua, plenè eſſent, atque ſyncerè pro gloria tua, & corporis tui defenſione expenſa. Quicquid tamen boni attentatum, vel perfectum, eò, vnde illud profectum eſt, lubens remitto, ad fontem bonorum omnium, Deum cordis mei, ad quem ſaltem ſub diei mei veſperam, deſidero manipulos aliquos ex agro tuo deferre, vtinam cum exultatione, quam filijs tuis promiſiſti, vtinam ad mercedem cum fidelibus operarijs tuis. Confido in ſanctorum Patrum auxiliante manu, quorum hic ſpicilegia euangelica in manipulos digeſta, ad aram tuam defero, adijcio ſubinde & ſpicas aliquas à te donatas mihi, quæ niſi à te eſſent bonorum omnium largitore, non eſſent, quibus ſi quid forte paleæ mixtum, illud de meo agnoſco; ſiquidem imperfectum meum viderunt oculi mei, & quid ſub Sole ſit aliud, niſi à tua manu profectum? Purga flatu tuo potenti, ac ſalubri, cola me, meaque omnia, quaſi aurum, & quaſi argentum, vt ſim offerens Domino ſacrificium profectum in iuſtitia, & placeat de munere tuo munus noſtrum,

tandemq; perfectè tua ſint munera, quæ & ſunt opera noſtra; non ab alio Spiritu profecta, quam qui à Patre te, filioque tuo procedens, ſuper faciem abyſſi noſtræ delatus, depellens ſterilitatem, omnem deferat fœcunditatem.

Tu quoque Domina nobiliſſima, vera illa Ruth, fidelis pauperculo filio, deſerto, moribundo; inde promerita ſuſcitare familiam filij tui, fœcundari prole copioſâ, conſequi omnium gentium, atque nationum benedictionem. Adſpice ex gloriæ tuæ throno, oblatas ad aram tuam ſpicas iſtas, ex filij tui agro demeſſas, purpurea ipſius pluuia progenitas, educandis pueris tuis collectas: Impertire illis maternam benedictionem tuam, vt fiat ex illis panis alendis, fouendis, & conſeruandis paruulis tuis; donec manna tuo in cælis, plenâ ſatie, in omnes perfruamur æternitates.

AD LECTOREM ADMONITIO.

§. 1. TRIA de hiſtoriæ Euangelicæ diſpoſitione, ſeu harmonia compendio præmittenda exiſtimaui: vnum, quinam Auctores, & ſcriptores Euangelicæ diſpoſitionis, ſeu concordiæ fuerint; ſecundum, huius Euangelicæ diſpoſitionis ratio, & vtilitas quæ ſit: poſtremo de eiuſdem partitione.

Euangelicæ diſpotionis Auctores.

2. ET quidem ad primum quot attinet, antiqnorum fuit ſcriptorum quorundam ſtudium, vt quatuor Euangeliſtarum dicta in vnum opus compingerent, & ex eiſdem quatuor, vnum compilarent.

3. Primus omnium id conatus eſt Theophilus, Antiochenæ Eccleſiæ ſeptimus à Diuo Hieron. Petro Apoſtolò Epiſcopus, vt Hieronymus (epiſt. 151. ad Algaſiam quæſt. 6.) teſta- notat. 2. cap. 125. tur. Idipſum præſtitit Tatianus Syrus, & tertio loco Ammonius Alexandrinus, quem ſecutus eſt Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, vt habet Hieronymus (epiſt. 123. Hieron. ſeu præfatione in quatuor Euangelia ad Damaſum Papam: Nouum opus, & de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Ammonio.) Hi etiam de conuenientia ipſorum Euangeliſtarum canones quoſdam Græcè ſcripſerunt, quos Hieronymus latinitate donauit.

4. Prædictorum Auctorum meminit Victor Epiſcopus Capuanus (in præfatione, Vict. quam harmoniæ quatuor Euangeliorum Tatiani præfixit.) Iſidorus quoque Hiſpa- Iſid. lenſis Epiſcopus (lib. 6. Originum cap. 14.) dicit canones Euangeliorum ab Ammonio Epiſcopo Alexandrino primum excogitatos, quem poſtea Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus ſecutus eſt. Porro eos ait inuentos, vt per eos inuenire, & ſcire poſſemus, qui reliquorum Euangeliſtarum ſimilia, aut propria dixerint. Caſſiodorus (lib. pri- Caſſiodor. mo inſtitutionum diuinarum lectionum capite ſeptimo) ſcribit Euſebium Cæſarienſem canones Euangelicos compendioſa breuitate collegiſſe, vt in quibus locis communia dicunt Euangeliſtæ, & in quibus propria tangunt, veriſſima diſtinctione monſtraret: vbi quanta eſt plenitudo fidei, tanta foret & diuerſorum tractantium doctrina mirabilis.

5. Tatianus profectò hac in parte laudabilis fuiſſet, niſi vnum volumen ex quatuor Euangeliſtis compingendo, fraudulenter multa reliquiſſet. Auctor etiam eſt Hieronymus (de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Tatiano) eundem fuiſſe hæreticum: de Hieron. hoc verò Tatiani opere, quæ ex Euſebio, Theodoreto, & Nicephoro, alibi notauimus, hic repetenda non exiſtimaui: Illud tantum nunc addam, Theodoreti, ac Euſebij ſententiam Victorem Capuanum latuiſſe, dum quodnam eſſet Tatiani opus,

& quod Ammonij, eodem argumento conſcriptum, ſe dubitaſſe dicit; at poſt longam de ea re habitam diſcuſſionem quod Ammonij erat opus, Tatiano tribuit: & diateſſaron Tatiani Ammonio adſcripſit. Nam opus hæreſiarchæ, abſque Auctoris titulo, ob ſectæ infamiam, deſcriptum fuit. Harmoniæ nomen, non operis Tatiani, ſed Ammonij titulus erat: teſte Euſebio (libro quarto hiſtoriæ capite 27.) & Euſeb. Niceph. (libro quarto hiſtoriæ capite quarto.) Nam inter opus Tatiani, & Ammonij (præter id quod titulis, & inſcriptionibus differant, cùm illud diateſſaron, hoc verò harmonia nominetur) duplex eſt diſcrimen, primo enim Ammonius nihil prætermiſit, quòd ſit ab Euangeliſtis traditum: à Tatiano autem prætermiſſæ ſunt genealogiæ, & alia quæ ad inſinuandam Chriſti generationem ſecundum carnem ſpectant, vt aſſerit Theodoretus (hæreticarum fabularum libro primo.) Secundo, in Theodor. opere Ammonij nihil ponitur authoris, ſed ipſa tantum vt ſe habent in quatuor Euangeliſtarum codicibus, verba; at non ſic à Tatiano factum eſt, dictionis enim & loquendi compoſitionem in vocibus molitus eſt corrigere, vt habet Euſebius (libro 4. hiſtoriæ capite 27.) Ammonium quoque Chriſtianum vſque in finem permanſiſſe, teſtis eſt Hieronymus (in Ammonio de ſcriptoribus Eccleſiaſticis) & Euſebius (libro 6. hiſtor. cap. 13.) Hæc de Græcis antiquioribus.

6. Ex Latinis verò patribus, in hoc ſtudij genere, Auguſtinus plurimum, ac vti- Auguſt. liſſimè libris de conſenſu Euangeliſtarum deſudauit, quamuis enim ibi à falſitatis, & fallaciæ calumnijs Euangelia præcipuè defendat, vt ipſemet ait (libro 2. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 77.) magnam tamen etiam habet rationem ordinis, & diſpoſitionis Euangelicæ hiſtoriæ, atque diligenter admodum quid prius, quídue poſterius dictum, & factum ſit; quídue multis commune ſit, vel ſingulorum proprium, examinat. Quapropter eum nobis in hoc opere communiter ſequendum præ omnibus alijs exiſtimauimus.

7. Cæterum complurium etiam recentiorum in eadem re ſtudium enituit; neque tamen ita confectum opus mihi viſum eſt, vt nihil amplius deſideretur. Quamobrem earum concionum, & lectionum ſacrarum occaſione, quas me tam inter eruditos in ſcholis, quam apud omnis generis homines in templis habere oportuit, nonnihil etiam laboris in eo (ſoli Deo laus, & gloria) poſui.

Huius Euangelicæ diſpoſitionis ratio, & vtilitas.

8. Ad alterum quod attinet; quoniam ſacrarum litterarum enarratoribus, ſiue ij Quid in hac Euangelica diſpoſitione ſit præſtitum, & obſeruandum. ſint paſtores, ſiue profeſſores, ſiue concionatores, prætermittenda non ſunt Euangelia: vt in ijs explicandis neceſſe non eſſet, quæ eadem à diuerſis Euangeliſtis conſcribuntur, iterum, iterumque repetere, & non ſine tædio, moleſtia, & difficultate ea quærere, conferre, ac ſæpius inculcare; vniuerſam Euangelicam hiſtoriam, à quatuor ſanctis Euangeliſtis contextam, in vnum non textum, ſed volumen (quod Euangelica diſpoſitio à nobis appellatum eſt; ab alijs diateſſaron, vel harmonia, ſeu concordia, ſiue conſonantia Euangelica nominatur) ita collegimus, digeſſimus, conſtituimus, ac in certas partes diſtribuimus, vt qui, quótue de hac, aut illa materia Euangeliſtæ ſcripſerint, quid ſingulorum proprium, quídue plurium commune ſit, cuiuis illicò ſub aſpectum cadat, fiatque extemplo manifeſtum.

9. Hiſtoriæ ſiquidem Euangelicæ diſpoſitionem omnium facillimam, & maximè dilucidam,

dilucidam, atque conſpicuam, actorũ Chriſti capitibus vbique adnotatis, tanquam in aperto ſpeculo proponere mihi ſtudium fuit; In qua pro ſanctorum Euangeliſtarum numero, diſtributis areis, quæ eadem ſunt apud diuerſos, & ſimul facta, vel dicta, hæc è regione ſibi mutuo, æquali à ſumma, imaque linea diſtantia, reſponderent. Vbi verò tempore differentia narrantur, priora ſcribentes, priorem quoque locum occuparent, reliquis vacantibus, & dilatis, quouſque vices eorum in narrationis tempore ſuccederent; vt & ſingulorum maneat propria, & continua hiſtoria, & ex omnibus, per proxima ſemper in deſcenſum diuertendo, communis vna colligi poſſit.

10. *Cum enim variæ ſint rationes, ac modi totam Euangelicam hiſtoriam diſponendi, conferendi, ac vniendi, hæc optima nobis ratio, ad noſtram intentionem, viſa eſt, & ad ſacrum Studium maximè perſpicua, facilis, & commoda, & ſine omni confuſione ordinatiſſima, vt nullius Euangeliſtæ textus, cum alio, permiſceatur; ſed per ſe omnes ſeorſim integri, perfectique, nulla prorſus re vel addita, vel adempta, in natiua ſua origine maneant.*

11. *Deinde, vt ita partes è regione collocentur, vt temporum, & locorum differentia, miraculorum, documentorum, diſputationum, & ſententiarum diuerſitas, vel repetitio, apertè velut res præſens ſub oculos adducta, perſpici poſſit; & vt cuique liberum ſit vnum ſolum Euangeliſtam legere, vel duos, aut tres, vel etiam quatuor, ſine vllo metu, vel ſuſpicione textus diſtorti, tranſpoſiti, aucti, imminuti, variati, aut permixti; ſed in genuina puritate, integritateque manentis.*

12. *Qui Euangelium ſic diſpoſitum legent, omni confuſionis errore ſublato, & ſimilia omnium Euangeliſtarum ſcient, & ſingulis ſua quæque attribuent; hac diſtinctione, quæ in Euangeliſtis ſint eadem, aut vicina, vel etiam ſola, cognoſcent.*

13. *Videbatur quoque hæc diſpoſitionis ratio profutura multum, ad veræ Chronologiæ annorum, non ſolum factæ ſementis, ſed etiam totius vitæ Domini noſtri* IESV CHRISTI *cognitionem. Plurimum denique momenti ad Euangelici textus intelligentiam habitura; ſiquidem hæc ipſa diſpoſitio textus Euangelici, ad oculum oſtendit, non ſolum quam pulchrè ipſi Euangeliſtæ inter ſe conſentiant, verum etiam quam bellè ſe mutuo expleant, & explanent.*

14. *Talem ergo Euangelicæ hiſtoriæ concordiam, qualem priuatis meis olim ſtudijs elaboraui: nunc eorum, quibus mihi obtemperandum fuit auctoritate, in publicum exire patior; & ob oculos ad maiorem Dei gloriam, multorumque vtilitatem, propono; cum notationibus ex antiquis Auctoribus deſumptis.*

15. *Sanè multis videtur non eſſe probandum, quatuor Euangeliſtarum dicta ſic in opus vnum conflare, vt ex illis vnus textus fiat: ita enim, vt Hieronymi verbis vtar (epiſt. 123.) miſceri videntur omnia, & confundi; nec ſub nomine Euangelij, quod ita mixtum eſt, commodè citari poteſt.* Hieron.

16. *Cumque Spiritus ſanctus quatuor diuerſos, & ſeparatos Euangelij Chriſti ſcriptores, ſeu quatuor diuerſa ſcripta Euangelia eſſe, & haberi voluerit; quare nos omnes in vnum volumen, ac textum confundere, ac reducere volumus? Quapropter longè melius, & tutius eſt textum cuiuſque Euangeliſtæ vti verè, & naturaliter ſcriptus eſt, ſeorſim, quam vt in quibuſdam harmonijs confuſus, mixtus, diſtortus, & diſtractus eſt, legere.*

17. *Hanc quoque formam in ſingulis Euangeliſtis ſeruauimus, vt ipſorum capitum*

fines

fines, & principia ſignis quibuſdam ſeu notis certis dignoſcantur; & quando à textus Euangeliſtæ ſequela, ob temporis ordinem, quo res, quæ narrantur, contigerunt, nobis deflectendum eſt, id etiam oſtendatur: ne erret, vel hæreat multùm, qui textus Euangelici cohærentiam legendo ſeruare deſiderat.

18. *Explicationem quoque ſi poſitorum in hac Euangelica diſpoſitione quorundam ſignorum deſideres, [ſignificat id, cui præponitur, eſſe initium capitis Euangeliſtæ: id verò, cui poſtponitur, eſſe finem.*

19. *Hi caracteres + T deſignant id quod interiacet, legi, ſecundum Eccleſiæ Romanæ vſum, in ſacro miſſæ officio. Idem verò qui in principio lectionis, ſemper etiam in eiuſdem fine ponitur.*

20. *Notæ numerorum, quibus ſinguli per omnia capita verſiculi ſignantur; denotant primò ordinē, quo res putantur accidiſſe; ſecundò quid cui in Euangeliſtis reſpondeat.*

Diſpoſitionis Euangelicæ partitio.

21. *De tertio nunc dicendum aliquid ſupereſt: In quatuor partes vniuersè totius Euangelij narratio diuidi poteſt: Primo namque in ea deſcribitur Seruatoris in mundum per ſuam incarnationem, & natiuitatem ingreſſus. Secundo eius progreſſus per ſuam diuini verbi enunciationem, & miracula. Tertio eius de hoc mundo per ſuam paſſionem egreſſus. Quarto eius ad Patrem regreſſus per ſuam reſurrectionem, & aſcenſionem. Veruntamen præfatio ante omnia præmittitur.*

22. *Alij verò aliter eam partiuntur. Cæterum commodius facturus exiſtimaui, ſi totam hanc Euangelicæ hiſtoriæ diſpoſitionem in ſeptem partes diuiderem, vt prima pars ea contineat, quæ ad Chriſti pueritiam, & infantiam pertinent; ſecunda verò, ea Chriſti geſta proponat, quæ ab eius baptiſmate, vſque ad ſecundum Paſcha contigerunt. Tertia autem, geſta ſecundi anni concionum Chriſti, nimirum à ſecundo Paſchate, vſque ad tertium explicet: Et quarta verſetur in narrandis Chriſti geſtis, quæ tertio anno prædicationis eius acciderunt, nempe à tertio Paſchate, vſque ad Lazari reſuſcitationem. Quinta deinde ea comprehendat, quæ à ſuſcitatione Lazari, vſque ad Redemptoris paſſionem de Chriſto nobis Euangeliſtæ propoſuerunt: Tādem ſexta, Dominicæ paſſionis, ac ſepulturæ hiſtoriam aperiat. Septima denique, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Chriſti myſteria enarret.*

23. *Singulæ autem partes, capita plura comprehendunt. Porro huius Euangelicæ diſpoſitionis capita bis centum, ad commodiorem Euangelicæ hiſtoriæ partitionem, ac intelligentiam, eſſe placuit. Singula verò capita, in verſus aliquot partiti ſumus: Ipſi autem verſus, aliquando ſunt maiores, quandoque verò minores; pro exigentia videlicet interdum ipſius rei, nonnunquam propter meliorem diſtinctionem Euangeliſtarum, quoque concinniùs deprehendatur, quid in illis ſit commune, & quid proprium, ac diuerſum. Iiſdem ex cauſis capita etiam ipſa, quandoque prolixiora ſunt, interdum verò breuiora.*

24. *Porro, vt finem huius faciamus; in hac parte, quod penes nos fuit, præſtitimus; ſi quid rectius inuenerit alius, & noſtra, qua decet Chriſtianum, humanitate, & modeſtia caſtigauerit, non modo æquanimiter, Deo adiuuante, patiemur; ſed etiam laudabimus, amplectemur, & gratiam habebimus. Potior enim eſt nobis aliunde allata rerum veritas, quam propriarum inuentionum defenſatio.*

De

DE NOTATIONIBVS

In eis quidnam ſit obſeruandum.

Cur adiectæ ſint notationes.

Notationum fructus.

15. *NOTATIONES veluti breues Euangelij commentarios, ad finem cuiuſque capitis, adiecimus. Neque enim iam mihi propoſitum eſt, plenam, ac perfectam Euangeliorum explanationem in lucem edere: ſed rationem diſpoſitionis Euangelicæ, cum opus viſum eſt, adhibitis notationibus, declarare: ac interdum loca difficiliora*
enodare: ſimulque nonnulla ex antiquis patribus in medium adferre; quæ non ſolum 1.
ad illa duo; verùm etiam ad Euangelium intelligendum conducant: & ad ſtabilien- 2. 3.
da fidei, morumque documenta momenti non parum ſint habitura. Hinc etiam quo- 4.
modo veteres Eccleſiæ Doctores Euangelium intellexerint, eoque ſint vſi, cognoſces. 5. 6.
Vt proinde hæ tibi notationes inſtar iuſtæ cuiuſdam bibliothecæ eſſe poſſint. In qui- 7.
bus non ſolum reconditam cæleſtem doctrinam; verum etiam commentandi, docendi, concionandi, & meditandi, ſi animo libuerit, ſegetem peramplam; vel aliam ſpiritualem vtilitatem percipies, ſi qua par eſt diligentia, & attentione ijs vſus fueris.

Cur notationes aliquando ſint maiores.

26. *Cæterum maiores aliquando notationes dedimus, quia ſeparari ab inuicem commodè non poterant ſententiæ. Quoniam verò catenam non necto, non eſt quod patrum ſententias ſibi non ita cohærere mireris. Cui autem gratum eſſe non debeat, quod patres alijs, & alijs verbis idem ſubinde inculcant. Porro non ſemper vbi eſt opinionum varietas, quænam probabilior videatur explico: vt qui proprio id reſeruandum cõmentario, ſi Deus eum abſoluere dederit, putauerim: aut certè quando hæ notationes in lucem prodibunt huberiores, id,* CHRISTO IESV *fauente, non omittam.*

Cur notationes quæ hæreſium obſoletarũ faciunt mentionem, aut ſenſum nõ probandum continent, hic ſint poſita.

27. *Sane in hiſce notationibus agitur etiam, etſi raro, contra hæreſes obſoletas, & vix modò cognitas; neque tamen hoc omnino inutiliter: cum id ad intelligendam vim ſcripturarum conducat: ac inde poſſimus cognoſcere, quomodo, illorum antiquorum patrum exemplo, aduerſus noſtri temporis hæreſes, nobis ſit diuinis vtendum ſcripturis.*

Cur auctor ſuis verbis Patrum ſententias non contraxerit.

28. *Perſpicimus quoque ex his notationibus, dari quandoque à patribus, quorundam locorũ diuinæ ſcripturæ ſenſus non proprios; imo etiam non probandos; aliquem tamen ſemper fructum ſpiritualem legentibus, & audientibus adſerentes: vt diſcamus non mirari, dum quis interdum ad ſpiritualem aliorum vtilitatem, ſacræ ſcripturæ loco, in improprio ſenſu, ac minùs probando, vtitur.*

29. *Ad hæc patrum iudicia, ſententias, & opiniones, ipſorummet verbis, ob eorum auctoritatem, reuerentiam, & honorem, fere ſemper expreſſimus. Quis enim non multo lubentius, quidnam hic, aut ille Doctor, de hoc, aut illo Euangelij loco ſentiat, ipſiuſmet verbis, quam meis intelliget? Siquidem non inſtitui modò proprium in Euangelia commentarium edere: ſed quid veteres, de nonnullis Euangeliorum locis, dixerint, ipſorum verbis ob oculos ponere.*

Quæ ex patribus maximè ſint deſumpta.

30. *Et ea præcipuè conatus ſum ex patribus huc adducere, quæ ſparſim, & in locis alienis, ſeu alia tractantibus continebantur; omittens vt plurimum, quæ ipſi in locis proprijs, ſeu in ſuis ad Euangelia commentarijs adnotarunt: non ſolum ne iuſto ſim longior: verum etiam quod ea cuiuis poſſint eſſe facilius obuia.*

AD MAIOREM DEI GLORIAM, ET CHRISTI FIDELIVM VTILITATEM.

AVTHORES IN HOC OPERE CITATI.

AFRICANVS Hiſtoriographus.
Ambroſius Mediolan. Archiepiſ.
Ammianus.
Ammonius Alexandrinus.
Anaſtaſius Epiſcopus Nicenus.
Anaſtaſius Synaïta Patriarcha Antioch.
Anſelmus Archiepiſc. Cantuarienſis.
Antipater Boſtrenſis Epiſcopus.
Antoninus Florentinus Archiepiſcopus.
Apollinaris Laodicenus.
Athanaſius Alexand. Patriarcha.
Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus.
Baſilius Cæſarienſis Cappadociæ Epiſc.
Baſilius Seleuciæ Epiſcopus.
Beda Monachus, Presbyt.
Bernardinus Ochinus Senenſis.
Bernardus Clareual. Abbas primus.
Bonauentura Cardinalis Epiſ. Albanẽſis.
Brocardus. Burchardus.
Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis.
Cæſarius Nazianz. Frater.
Caſſiodorus.
Cenſorinus. Chalcidius.
Chromatius Epiſcopus Aquileienſis.
Chryſologus Epiſcopus Rauennas.
Chryſoſtomus Epiſco. Conſtantinopol.
Cicero. Clemens Alexandrinus.
Clemens Papa Romanus.
Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis.
Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus.
Cyrillus Epiſcopus Ieroſolymitanus.
Damaſcenus. Damaſus Papa.
Didymus Alexandrinus.
Dionyſius Alexandrinus.
Dionyſius Areopagita.
Dioſcorides. Elias Cretenſis.
Ephrem Syrus.
Epiphanius Epiſcopus Cypri.
Ericus. Eucherius Epiſ. Lugdunenſis.
Euodius.
Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus.
Euſebius Emiſſenus Epiſcopus.
Euthymius.
Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis.
Gaudentius Brixienſis Epiſcopus.
Georgius Cedrenus.
Germanus Conſtantinopolitanus.
Gloſſa ordinaria.
Gregorius Magnus Papa primus.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nyſſenus.
Gregorius Turonenſis.
Heſychius.
Hieronymus Stridonenſis.
Hilarius Epiſcopus Arelatenſis.
Hippolytus Portuenſ. Epiſcopus.
Idacius Clarus.
Ignatius Epiſcopus Antiochenus.
Ioannes Euiratus. Ioſephus Iudæus.
Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis.
Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus.
Iſidorus Peluſiota.
Iuo Carnotenſ. Epiſcopus.
Iuſtinus Martyr. Iuuencus Presbyter.
Lactantius Firmianus.
Leo Papa I. Lucidus.
Macrobius. Marianus Scotus.
Marius Victorinus.
Martyrologium Romanum.
Maximus Taurinenſis Epiſcopus.
Menologium Græcorum.
Methodius Tyri Epiſcopus.
Metaphraſtes.
Nicephorus. Nicetas. Nonnus.
Oecumenius. Optatus Mileuitanus.
Origenes. Oroſius.
Paulinus Nolanus Epiſcopus.
Paulus Diaconus.
Petrus Alexandrinus.
Petrus Caniſius. Petrus Damianus.
Petrus de Natalibus. Philaſtrius.
Philo Iudæus. Plinius.
Polycarpus Epiſco. Smyrnenſis, Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus.
Proſper Epiſcopus Reginenſis.
Prudentius.
Rabbanus.
Remigius Epiſcopus Antiſiodorenſis.
Remigius Epiſcopus Remenſis.
Rufinus. Rupertus Tuitienſis.
Sedulius. Seuerus. Sophronius.
Sulpitius Seuerus.
Tatianus. Tertullianus.
Theodoretus. Theodorus Studites.
Theophilactus. Thomas Aquinas.
Timotheus Presbyter. Ieroſol.
Titus Boſtrenſis. Toſtatus.
Victor Antiochenus. Victorinus.
Vincentius. Vſuardus.
Zeno Veronenſis Epiſcopus.

DISPO-

DISPOSITIONIS EVANGELICÆ HISTORIÆ CAPITVM SERIES,

SEV

CAPITVM HVIVS LIBRI ARGVMENTA;

Prima pars, ea continet, quæ ad CHRISTI pueritiam, & infantiam pertinent.

Procœmiũ.

CAP. 1. EVANGELII *præfatio, qua breuiter exponitur, quo Euangeliſta conſilio ad ſcribendum acceſſerit: Luc.1.*

Duplex Chriſti natiuitas.

2 *Ieſu diuinitas, humanitas, & incarnatio. Io.1.*

Ioannis ortus.

3 *Nunciatur Ioannes naſciturus, & concipitur. Luc.1.*

Chriſti progenitores.

4 *Chriſti genealogia. Matt.1.*

Annũciatio.

5 *Gabriele nuncio, Dei filius in vtero virginis concipitur. Luc.1.*

Viſitatio.

6 *Maria prægnans Elizabetham viſitat, Dominumq́; magnificat. Luc.1.*

Ioſephi hæſitatio.

7 *Ioſeph per quietem ab Angelo de virgineo conceptu inſtruitur. Matt.1.*

Ioannis natiuitas.

8 *Naſcitur, & circunciditur Ioannes: ſolutoq́; linguæ vinculo Zacharias Deum laudat. Luc.1.*

9 *Chriſtus naſcitur, paſtoribus reuelatur, & circunciditur. Luc.2. Matt.1.* — Chriſti natiuitas. Paſtores. Circũciſio.

10 *Magorum aduentus, adoratio, oblatio, & regreſſus. Matt.2.* — Magi.

11 *Oblatus in templo Ieſus, à Simeone, & Anna cognitus prædicatur. Luc.2.* — Purificatio.

12 *Ieſu ducto in Ægyptum, occiduntur innocentes. Matt.2.* — Fuga in Ægyptũ. Infanticidium.

13 *Ex Ægypto Ieſus reducitur. Mat.2. Luc.2.* — Reditus ex Ægypto.

14 *A parentibus in templo Ieſus inuenitur. Luc.2.* — Inuẽtio Ieſu in templo.

15 *Ioannis prædicatio, baptiſmus, veſtitus, & eſca in deſerto, ac primum de Ieſu teſtimonium. Mat. 3. Mar.1. Luc.3.* — Ioannis prædicatio.

16 *Alia publica, & ſpecifica Ioannis de Ieſu teſtimonia: Iudæorumq́; ad Ioannem legatio. Ioan.1.* — Ioãnis teſtimonia.

Secunda pars, ea Chriſti geſta proponit, quæ ab eius baptiſmate, vſque ad ſecundum Paſcha contigerunt.

Ieſus baptizatur.

CAP. 17. *Ieſus à Ioanne baptizatur: & eiuſdem aliqua, de Chriſti facta iam incarnatione, teſtimonia. Mat.3. Mar.1. Luc.3. Ioan.1.*

Chriſti progenitores.

18 *Chriſti genealogia. Luc.3.*

Chriſti ieiunium, & tẽtatio.

19 *Chriſti ieiunium, tentatio. & victoria. Matt. 4. Mar.1. Luc.4.*

Diſcipulos colligit.

20 *Ad Ieſum diſcipuli quidam accedunt. Ioann.1.*

Vini miraculum.

21 *In nuptijs aquam Ieſus in vinum conuertit. Ioan.2.*

Eiectio prima negociatorum. Primum Paſcha.

22 *Ieſus cum ſuis deſcendit Capharnaum, primoq́; Paſchate mercantibus è templo eiectis, mortem ſuam ac reſurrectionem prædicit. Ioan.2.*

Dei Chriſto ãnũciatꝫ. Nicodemus.

23 *Nicodemum Ieſus fidei myſteria docet. Ioann 3.*

Ieſus baptizat. Ioãnis teſtimoniũ.

24 *Deſcendit Chriſtus iuxta Iordanem, vbi plures baptizat, quam Ioannes: qui ſupra hoc aditus, omnem auctoritatem vni Chriſto, vt ſoli vero ſponſo, detulit. Ioan.3.*

25 *Ioannes in vincula conijcitur. Matth.14. Mar.6. Luc 3.* — Ioãnes incarceratur.

26 *Ieſus in Galilæam rediens, Samaritanam, & Sichimitas in itinere conuertit. Matt.4. Mar.1. Luc. 4. Ioan.4.* — Samaritana.

27 *Reguli filius ſanatur. Ioan.4.* — Regulus.

28 *Chriſtus habitationi ſuæ Capharnaum eligit: ac primum in Galilæa prædicat. Matt.4. Mar. 1. Luc.4.* — Chriſti prædicatio in Galilæa.

29 *Ieſus è naui Simonis populum docet: ac poſt acceptam piſcium multitudinem copioſam, diſcipulos vocat. Mat.4. Mar.1. Luc 5.* — Diſcipulorum vocatio.

30 *Ieſus Capharnaum ingreſſus, docet: & obſeſſum à dæmone liberat. Matth.1. Luc. 5.* — Dæmoniacus.

31 *Socrus Petri à febre: & alij à varijs morborum generibus, atque dæmonibus liberantur. Mat.8. Mar.1. Luc.4.* — Petri ſocrus.

32 *Cùm Ieſus in deſertum ſeceſſiſſet, multi eum* — Seceſſus in deſertũ

ſecuti

ſecuti quæſitum, & inuentum retinebant. Mar. 1. Luc. 4.

Prima circuitio Galilææ.
33 *Ieſus docens, & ſanans omnes Galilæam circuit: eiuſq; fama vbique ſpargitur. Matt. 4. Mar. 1. Luc. 4.*

Trium reprehēſio.
34 *Tres à Domino reprahenduntur, quod non vt oportuit eum ſequi vellent. Matt. 8. Luc. 9.*

Sedata maris tēpeſtas.
35 *Ieſus maris tempeſtatem ſedat. Mat. 8. Mar. 4. Luc. 8.*

Legio dæmonum.
36 *Dæmoniacis curatis, porci, quos dæmonum legio ingreſſa erat ſubmergūtur. Mat. 8. Ma. 5. Lu. 8.*

Per tectū paralyticus.
37 *Paralyticus per tectum demiſſus curatur. Matt. 9. Mar. 2. Luc. 5.*

Matthæi vocatio.
38 *Matthæi vocatio Mat. 9. Mar. 2. Luc. 5.*

Filij ſpōſi.
39 *Cur Ieſu diſcipuli non ieiunent. Matt. 9. Mar 2. Luc. 5.*

Iairi filia. Æmorrhoiſſa.
40 *Suſcitatur filia Iairi: & mulier à ſanguinis fluxu liberatur. Mat. 9. Mar. 5. Luc. 8.*

Cæci. Dæmoniū mutum.
41 *Illuminantur cæci, mutumq; dæmonium eijcitur. Matt. 9*

Et hæ quidem res geſtæ, finem primo Dominicæ prædicationis anno impoſuêre.

Tertia pars ſecundi anni concionum Chriſti geſta, nimirum à ſecundo Paſchate, vſque ad tertium, explicat.

Secundū Paſcha. Bethſaida
Cap. 42. *Languidum ſanat Ieſus ad piſcinam. Ioan. 5.*

Diſputatio.
43 *Calumniantibus Iudæis Chriſtus reſpondet. Ioan. 5.*

Spicarum confricatio
44 *Ieſus diſcipulos ſuos, vellentes ſabbato ſpicas, & confricantes, excuſat. Mat. 12. Mar. 2. Luc. 6.*

Manus arida.
45 *Ieſus manū aridam ſanat: Phariſæos redarguit: ſecedit, & dæmonia eijcit. Mat. 12 Mar 3. Luc. 6.*

Apoſtolorum electio.
46 *Duodecim Apoſtolos eligit Chriſtus in mōte. Mat. 5. Mar. 3. Luc. 6.*

Beatitudines.
47 *Docet Chriſtus, in quo beatitudo conſiſtat. Mat. 5. Luc 6.*

Lex Euangelica.
48 *Præcepta viuendi ad normam iuſtitiæ Euāgelicæ, de ſale, luce, iuſtitia, homicidio, ira, adulterio, & periurio. Mat. 5.*

49 *Præcepta Euangelica de vindicta, mutuo, & proximi dilectione. Matt. 5. Luc. 6.*

50 *Præcepta Euangelica de eleemoſyna, oratione, & ieiunio, Matt. 6.*

51 *De theſauro, oculo recto, auaritia, terrenaq; ſollicitudine. Matt. 6.*

52 *Euangelica documenta varia, non temere iudicandum nec omnia omnibus proponenda: exemplum vitæ à multitudine non petendum: falſos doctores cauendos: & actiones ad euangelica præcepta cum auribus accommodandas. Mat. 7. Luc. 6.*

Leproſus.
53 *Leproſus mundatur. Mat. 8. Mar. 1. Luc. 5.*

Seruus Centurionis.
54 *Centurionis puer ſanatur. Mat. 8. Luc. 7.*

Viduæ filius.
55 *Filius viduæ ſuſcitatur. Luc. 7.*

Ioannis legatio.
56 *Ioannis ad Chriſtum legatio: ipſiuſq; Ieſu de Ioanne teſtimonium. Matt. 11. Luc. 7.*

Ad Chriſtum venit Magdalena.
57 *Peccatricis conuerſio. Luc. 7.*

Dæmoniacus cæcus & mutus.
58 *Ieſus curat dæmoniacum mutum, & cæcum: refellit calumniatores: generatio praua ſignum quærit: de immundo ſpiritu, & mulieris exclamatione. Matt. 12. Mar. 3. Luc. 11.*

Mater, & fratres.
59 *Cognatio ſpiritualis carnali præfertur: hoc eſt, matri, & fratribus, diuini verbi cultores præponuntur. Mat. 12. Mar 3. Luc. 8.*

Octo parabolæ. Seminis.
60 *Parabola ſeminantis. Mat. 13. Mar. 4. Lu. 8.*

Zizania.
61 *Parabola zizaniorum. Mat 13.*

Semen.
62 *Parabola ſeminis. Mat. 4.*

Granum ſynapis. Fermētū.
63 *Parabolæ ſynapis, & fermenti. Matt. 13. Mar. 4. Luc. 13.*

Zizania.
64 *Parabolæ zizaniorum expoſitio. Matt. 13.*

Theſaurus. Margarita. Sagena.
65 *Parabolæ theſauri, margaritæ, & ſagenæ. Matt. 13.*

Nazareth.
66 *Ieſus docens in Nazareth, ſuos arguit populares, & ab his male accipitur. Mat. 13. Mar. 6. Luc. 4.*

Secunda Galilææ circuitio.
67 *Dominus iterum circuit prædicans euangelium, & miracula faciens: muliereſq; circunducit. Matt. 9. Mar. 6. Luc. 8.*

Miſſio Apoſtolorū
68 *Apoſtoli, accepta in dæmones & morbos poteſtate, mittuntur ad prædicandum. Matt 10. Mar. 6, Luc. 9.*

Fama Ieſu.
69 *Fama Ieſu apud Herodem, & opinio Herodis de Chriſto. Mat. 14. Mar. 6. Luc. 9.*

Ioannis occiſio.
70 *Mors & ſepultura Ioannis Baptiſtæ. Matt. 14. Mar. 6.*

Quinque panes.
71 *Miraculum quinque panum. Mat. 14. Mar. 6. Luc. 9. Ioan. 6.*

Super mare ambulat.
72 *Ieſus fugit regnum: ſuper mare cum Petro ambulat: multos ſanat. Matth. 14. Marc. 6. Ioann. 6.*

Cœleſtis panis.
73 *De pane cœleſti, eiuſq; manducatione. Ioan. 6.*

Quarta pars verſatur in narrandis Chriſti geſtis, quæ tertio anno prædicationis eius acciderunt: nēpe à tertio Paſchate, vſq; ad Lazari ſuſcitationem.

Tertium Paſcha. Illotæ manus.
Cap. 74. *De lotione manuum, & impijs traditionibus. Mat. 15. Mar. 7 Ioan. 7. (Mar. 7.*

Cananæa.
75 *Filia Cananææ liberatur à dæmonio. Mat 15.*

Multi ſanantur.
76 *Surdus, & mutus, cum alijs multis languidis, curatur. Mat. 15. Mar. 7.*

Septem panes.
77 *Septem panibus turba multa reficitur. Matt. 15. Mar. 8.*

Cœleſte ſignum.
78 *Reprehenduntur ſignum è cœlo quærentes. Matt. 16. Mar. 8.*

Fermētū cauendū.
79 *Fermentum prauæ doctrinæ cauendum. Mat. 16 Mar. 8.*

Cæcus in Bethſaida
80 *Cæcus in Beſaida curatur. Mar. 8.*

Petri fides.
81 *Claues Petro confitenti promittuntur. Matt. 16. Mar. 8. Luc. 9.*

Petrus increpatur.
82 *Chriſti mors, & reſurrectio prædicitur; Petruſq; reprehenditur. Mat. 16. Mar. 8, Luc. 9.*

83 *Qui-*

Chriſtum ſequi. 83 *Quidnam ſit Chriſtum vere ſequi. Matt.16. Mar.8. Luc.9.*

Transfiguratio. 84 *Domini transfiguratio. Matt.17. Mar.9. Luc.9.*

Aduētus Eliæ. 85 *Aduentus Eliæ. Matt.17. Mar.9.*

Lunaticus. 86 *Dæmonium, quod expellere non potuerunt Apoſtoli, eijcitur. Matt.17. Mar.9. Luc.9.*

Chriſti paſſio. 87 *Iterum Chriſti mors, & reſurrectio prædicitur. Matt.17. Mar.9. Luc.9.*

Didrachma. 88 *Didrachma ſoluitur. Matt.17.*

Quis maior. 89 *De primatu, & humilitate: ſeu, de diſputantibus, quis maior: & de puero. Matt.18. Mar.9. Luc.9.*

Bonum facientem nō prohibendus. 90 *In Chriſti nomine ſigna facientem, etſi eum non ſequatur, minime prohibendum. Mar.9. Luc.9.*

Scandalū vitādum. 91 *A paruulorum offenſione cauendum. Matt.18. Mar.9.*

Condonandum. 92 *Frater peccans arguendus: eiq; ignoſcendum. Matt.18.*

Similitudo regis ponentis rationem cū ſeruis. 93 *Parabola regis ponentis rationem cum ſeruis ſuis. Matt.18.*

Receſſus è Galilæa. 94 *Ieſus, Galilæa relicta, Ieroſolymam ad diem feſtum tabernaculorum clam proficiſcitur. Matt.19. Matt.10. Luc.9. Ioan.7.*

Samaritani Ieſum excludūt. 95 *Chriſtus à Samaritanis prohibetur hoſpitio. Luc.9.*

Decem leproſi. 96 *Decem leproſi curantur. Luc.17.*

Scœnopegia. 97 *Ieſus in templo die feſto ſcœnopegiæ docet. Ioan.7.*

Miniſtri ad Ieſum capiendū miſſi. 98 *Chriſtum laudant, qui ad eum comprehendendum miſſi fuerant: & Nicodemus eum defendit. Ioan.7.*

Adultera. 99 *Mulier in adulterio deprehenſa liberatur. Ioan 8.*

Lapidantes. 100 *Ieſum in templo rurſus docentem, Iudæi conuitijs, & lapidibus obruere conantur: ſe vero ille ſubducit. Ioan. 8.*

Cæcus natus. 101 *Cæco nato viſus reſtituitur. Ioan.9.*

Paſtor verus. 102 *De vero paſtore, & ouibus. Ioan.10.*

Diſcipuli 72. 103 *Selectio, & miſſio diſcipulorum ſeptuaginta duorum. Luc.10.*

Exprobratio. 104 *Ieſus quibuſdam ciuitatibus exprobrat. Matt.11. Luc.10.*

Confeſſio. 105 *Diſcipulis ſeptuaginta duobus reuerſis: actiſq; Deo patri gratijs illos prius monitos, Chriſtus felices prædicat. Matt.11. Luc.10.*

Samaritani & vulnerati parabola. 106 *Quæ ſit ratio conſequendi vitam: & parabola de Samaritano vulneratum curante. Luc.10.*

Martha. 107 *Hoſpitio Ieſus à Martha excipitur. Luc.10.*

Orandi modus. 108 *Modum, & vim orandi Ieſus diſcipulis tradit. Luc.11.*

Lucerna. 109 *Parabola de lucerna. Luc.11.*

Væ. Reprehēſiones. 110 *Ieſus ad prandium vocatus, reprehendit præpoſteram religionem Phariſæorum: eiſq; ac Legiſperitis grauiter comminatur. Luc.11.*

111 *Fermentum Phariſæorum cauendum: mortem corporis non timendam: quanta ſit merces cōfeſſionis, & negationis pœna. Luc.12.* Hypocriſis cauēda mors nō timenda.

112 *Auaritiam & ſolicitudinem eorum, quæ ad corpus pertinent, fugiendam. Luc.12.* Terrenorū ſollicitudo vitanda.

113 *Vt ſit Dominus fideli ſeruo expectandus. Luc.12.* Fidelis ſeruus.

114 *Agendam eſſe pœnitentiam. Luc.13.* Pœnitentia.

115 *Mulier contracta ſanatur. Luc.13.* Mulier curuata.

116 *Viam regni cœlorum anguſtam eſſe. Luc.13.* Via cœli anguſta.

117 *Sabbato curatur hydropicus. Luc.14.* Hydropic.

118 *In nuptijs quo loco accumbendum; pauperes ad menſam inuitandos. Luc.14.* Quis locus in nuptijs eligendus: quique inuitandi.

119 *De magna cœna: ad quam venire, qui erant inuitati, renuunt: ſed alij accedunt. Luc.14.* Magna cœna.

120 *Chriſtum alijs omnibus relictis, ſequendum: parentes odio habendos pro Chriſto: crucem eſſe ferendam: de turrim ædificaturo, & rege cum hoſte congreſſuro: omnibus, quæ poſſidentur, renunciandum: de ſale. Luc.14.* Omnibus renunciādum.

121 *Die feſto Encæniorum diſceptat in templo Ieſus cum Iudæis: ac ſe ex eorum manibus eripit. Ioan.10.* Encœnia.

122 *In fines Iudææ trans Iordanem Chriſtus ſeceſſit. Matt.19. Mar.10. Ioan.10.* Ieſus trās Iordanē.

123 *Parabola ouis, & drachmæ perditarum. Luc.15.* De oue, & drachma.

124 *Parabola filij perditi. Luc.15.* De filio prodigo.

125 *Iniqui diſpenſatoris parabola. Luc.16.* De villico infideli.

126 *Eſſe matrimonij vinculum indiſſolubile: atque diuortium, extra cauſam fornicationis, illicitum. Matt.19. Mar.10. Luc.16.* Matrimonium. Cœlibatus.

127 *De diuite epulone, & Lazaro paupere. Luc.16.* Diues epulo, & pauper Lazarus.

128 *Dominus ſuos admonet, vitandum ſcandalum: peccantem arguendum: ignoſcendum reſipiſcenti: fidei quanta ſit efficacia: & obſequium Domino debitum. Luc.17.* Varia documenta.

129 *Dominus quando ad iudicium venturus ſit, docet. Luc.17.* Quando ad iudiciū Dominus.

130 *Parabola de iniquo iudice. Luc.18.* Iudex iniquus.

131 *Parabola de Phariſæo, & Publicano. Luc.18.* Phariſæus & Publicanus.

132 *Ieſus paruulis manus imponit. Mat.19. Mar.10. Luc.18.* Chriſto paruuli offerūtur.

133 *Adoleſcentem diuitem, & ſalutis cupidum, ad perfectiora ſectanda Chriſtus inſtituit. Matt.19. Mar.10. Luc.18.* Diues adoleſcens.

134 *Quod præmium eos maneat, qui, omnibus relictis Chriſtum ſequuntur. Mat.19. Mar.10. Luc.18.* Sequentiū Chriſtum felicitas.

135 *Parabola de operarijs in vineam excolendam conductis. Matt.20.* Operarij.

Quinta pars, ea comprehendit, quę à ſuſcitatione Lazari, vſque ad Redemptoris paſſionem, de Chriſto nobis Euangeliſtæ propoſuerunt.

Lazari ſuſcitatio. CAP. 136. *Reſuſcitatur Lazarus. Ioann. 11.*

Ieſum occidendū. 137 *Iudæorum de Ieſu perdendo concilium. Ioan. 11.*

138 *Mortem, ac reſurrectionem ſuam Ieſus prædicit. Matt.20. Mar.10. Luc.18.* Prædictio paſſionis.

139 *Filijs Zebedæi primatum Chriſtus negat: officioq; miniſterij, non oſtenſione dominij nos* Filiorum Zebedæi ambitio.

deberet eſſe maiores, oſtendit. Matth. 20. Marc. 10.

Cæcus vnus. 140 Cæcus ante ingreſſum Ierico illuminatur. Luc. 18.

Zachæus. 141 Zachæus Ieſum ſuſcipit. Luc. 19.

Decem minæ. 142 Decem minarum parabola. Luc. 19.

Duo cæci. 143 Cæci duo poſt egreſſum Ierico ſanantur. Matt. 20 Mar. 10.

Cœna Bethaniæ. 144 Ieſus Bethaniæ cœnat: eumq́ Maria perfundit vnguento. Matt. 26. Mar. 14. Ioan. 12

Rami palmarum. Ciuitatis ruina. 145 Ieſus aſino inſidens Ieroſolymis honorifice recipitur. Matt. 21. Mar. 11. Luc. 19 Ioan. 12.

Negotiãtium eiectio. 146 In templo negotiantes, eijciuntur: curantur cæci, & claudi: Ieſus à pueris clamantibus laudatur: & ficulnea maledicit. Matt. 21. Mar. 11. Luc. 19.

Gentiles 147 Ieſum videre cupiunt gentiles. Ioan. 12.

Baptiſma Ioannis. 148 De Ioannis baptiſmate quæſtio. Matt. 21. Mar. 11. Luc. 20.

Duo filij. 149 Parabola duorum filiorum diſſimiliter patri obtemperantium. Matt. 21.

Vinitores 150 Parabola de vinitoribus homicidis. Matt. 21. Mar. 12. Luc. 20.

Nuptiæ filij regis. 151 Parabola de nuptijs filij regis, ad quas turbæ inuitatæ ſunt. Matt. 22.

Tributũ ſoluendũ. 152 Quæſtio de tributo Cæſari pendendo. Matt. 22. Mar. 12. Luc. 20.

Sadducæi. 153 De carnis reſurrectione quæſtio. Matt. 22. Mar. 12. Luc. 20.

Primum mandatũ. 154 Quæſtio de primo mandato, & Chriſti patre. Matt. 22. Mar. 12. Luc. 20.

Chriſtus cuius filius. 155 Scribas eſſe audiendos, & cauendos. Matt. 23. Mar. 12. Luc. 20.

In Scribas & Phariſæos væ. 156 Pergit Chriſtus Phariſæorum, & Scribarum vitia depingere, & inſectari. Matt. 23.

Viduæ oblatio extollitur. 157 Pauperis vidua munus exiguum præ cæteris laudatur. Mar. 12. Luc. 21.

Templi deſtructio 158 Templi euerſionem Chriſtus prædicit. Matt. 24. Mar. 13. Luc. 21.

Multa futura prædicit. 159 Chriſtus à diſcipulis ſuis rogatus, de tempore deſtructionis templi, ſuiq́ aduentus, ſignis, mala poſt ſe ventura, falſos prophetas, & Chriſtos, bella, famem, peſtes, & perſecutiones prædicit. Matt. 24. Mar. 13. Luc. 21.

Deſtructio Ieruſalem. 160 De vrbis Ieruſalem euerſione. Matth. 24. Mar. 13. Luc. 21.

In fine mũdi quę prodigia. 161 De vaſtatione Eccleſiæ: vltimo Chriſti aduentu: & ſignis eum præcedentibus. Matt. 24. Mar. 13. Luc. 21.

Ad iudicium præparatio. 162 Vt ad inopinatum iudicijs aduentum præparare nos debeamus: diem Chriſtus in templo, noctem vero in monte tranſigebat. Matt. 24. Mar. 13. Luc. 21.

Decẽ virgines. 163 Parabola de decem virginibus. Mat. 25.

Talenta. 164 Parabola de talentis. Matt. 25.

Futuri iudicij forma. 165 Extremi iudicij deſcriptio. Matt. 25.

Aliud cõſilium Iudæorum de perdẽdo Ieſu. 166 De perdendo Ieſu conſilium ineunt Iudæi. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Iudæ pactio. 167 De perdendo Chriſto Iudas paciſcitur. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Quartum Paſcha. Agnus Paſchalis. 168 Paſchalis agnus præparatur. Matt. 26 Mar. 14. Luc. 22.

Lotio pedum. 169 Pedes Apoſtolorum à Chriſto lauantur. Ioan. 13.

Euchariſtia. 170 Sacroſancta Euchariſtia inſtituitur. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Se prodẽdum à diſcipulo. 171 Chriſtus ab vno ſuorum Apoſtolorum ſe traditum iri dicit. Matt. 26. Mar. 14 Luc. 22. Ioan. 13.

Notatio proditoris. 172 Proditor notatus egreditur. Ioan. 13.

173 Hymno dicto Apoſtolorum de primatu concertatio reprehenditur. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Nouum mãdatum. Imminẽtia mala. 174 Diſceſſurus Chriſtus, nouum dilectionis mandatum ſuis commendat: ſcandalum, negationem aliaq́ imminentia mala prædicit. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 13.

Sermo poſt cœnã. 175 Sermonis Domini poſt cœnam, quo triſtes, ac timentes Apoſtolos conſolatur, inſtruit, & confirmat, pars prima: in qua docetur Chriſti diuinitas: quod vita æterna per Chriſtum: quod Chriſtus via, veritas & vita ſit: quod Pater, & Filius vnum, ac idem ſint: fides, & opera: petendum in Chriſti nomine: dilectio, & opera: quod Spiritus ſanctus conſolator ſit, & doctor: Chriſti pax, & gaudium: princeps huius mundi eijciendus. Ioan 14.

176 Sermonis eiuſdem pars ſecunda, de vite, agricola: palmite: opera: fides: oratio: fructus: dilectio mutua: Chriſti amici ſerui, electio: afflictiones propter Chriſtum: Spiritus ſanctus promittitur: eius officium Ioan. 15.

177 Eiuſdem ſermonis pars tertia, cur manifeſtauerit perſecutiones Apoſtolorum, & prædixerit aduentum Spiritus ſancti ad teſtificandum: triſtitia: Spiritus ſanctus: peccatum: iuſtitia: iudicium: Spiritus ſanctus doctor: Chriſti mors, reſurrectio, & aſcenſio: afflictiones in prædicando euangelio. mulier pariens: quomodo petendum: dilectio: fides: pax: perſecutiones. Ioan. 16.

Chriſti oratio. 178 Ieſu ad Patrem oratio, pro ſua clarificatione, diſcipulorum cuſtodia, & futurorum omnium fidelium conuerſione. Ioan. 17.

Sexta pars, Dominicæ Paſſionis, ac ſepulturæ hiſtoriam aperit.

Hortus. 179 In ſanguineum ſudorem Ieſus præ triſtitia ſolutus, ter Patrem orat: Iudaq́ oſculo proditus, comprehenditur. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

Caiphas. 180 Ieſus ante Annam ſiſtitur: deinde apud Caipham examinatur, iudicatur illuditur, negatur.

Negatio Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

Pilatus. 181 Chriſtus apud Caipham ſecundo examinatus, & damnatus, Pilato traditur. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 22. & 23. Ioan. 18.

Iudæ mors. 182 Iuda mortuo, ager figuli emitur. Matth. 27.

Pilati examen. 183 Coram Pilato Ieſus accuſatur, & examinatur. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 18.

Miſſio ad Herodem. 184 Ieſum ad ſe miſſum Herodes contemnit, Pilatus innocentem declarat. Luc. 23.

Barabbas. 185 Secundum petitionem Iudæorum, Barabba

Flagellatio. Coronatio. Condemnatio. Crucem portat. Mulieres flentes. Crucifixio.

rabba dimiſſo, flagellatus, & coronatus Chriſtus traditur crucifigendus. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 18. & 19.

186. Ieſus portans crucem ad locum ſupplicij ducitur. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

187. Ieſus mulieres admonet. Luc. 23.

188 De Chriſti Ieſu inter latrones crucifixione, crucis inſcriptione, veſtibus, tunica, ſeptem vltimis verbis, morte, & mirabilibus, quæ ſtatim ab eius morte contigerunt. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

189 Chriſti mortui latus aperitur. Ioan. 19. — Chriſti latus.

190 Chriſti corpus à cruce depoſitum ſepelitur. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19. — Sepultura.

191 Chriſti ſepulchrum cuſtoditur. Matt. 27. — Cuſtodia ſepulchri.

Septima pars ea proponit, quæ de Chriſto narrant Euangeliſtæ ab eius Reſurrectione, vſque ad Aſcenſionem: ſeu Reſurrectionis, & Aſcenſionis Chriſti myſteria enarrat.

Chriſti reſurrectionē Angeli nunciant.

CAP. 192. *Reſurrectio Chriſti manifeſtatur per Angelos mulieribus ſepulchrum viſitantibus. Matt. 28. Mar. 16. Luc. 24. Ioan. 20.*

Ieſus a reſurrectione mulieribus apparet. Milites.

193 *Angelorum viſione, & colloquio iterum Magdalena fruitur: Ieſus oſtendit ſe mulieribus: & cuſtodes cum nunciaſſent, quæ geſta erant, pecunia corrupti, Ieſu corpus à diſcipulis nocte ſublatum mentiuntur. Matt. 28. Mar. 16. Ioan. 20.*

Emaus.

194 *Ieſus diſcipulis Emaus euntibus apparet, Mar. 16. Luc. 24.*

Apoſtolis ſe Chriſtus oſtendit.

195 *Abſente Thoma ſe Ieſus Apoſtolis videndum, & contrectandum exhibet: incredulitatem exprobrat manducat: ſenſum aperit: remittendi, retinendiq; peccata poteſtatem confert. Mar. 16. Luc. 24 Ioan. 20.*

196 *Apoſtoli ſe, viſo Ieſu Thoma præſente, in Galilæam recipiunt. Matt. 28. Ioan. 20.* — Thomæ Ieſus apparet.

197 *Ieſus ad mare diſcipulis ſeptem apparet: poſt grandem piſcium capturam, & prandium: Simoni ter interrogato oues commendat: genus ei mortis prædicit: eum de cruce præmonitum, & ſequi iuſſum, de futuro Ioannis ſtatu perquirere vetat. Ioan. 21.* — Apparitio ad mare.

198 *Oſtendit ſe Chriſtus in monte Galileæ diſcipulis: quibus, dato eundi, prædicandi, baptizandiq; mandato, ſignorum gloriam, ac ſe perpetuo eis adfuturum promittit. Matt. 28. Mar. 16.* — In monte Galilææ viſus adoratur.

199 *Spiritum ſanctum Chriſtus promittit; & in cœlum aſcendit. Mar. 16. Luc. 24.* — Vltima Chriſti apparitio, & aſcenſio.

200 *Euangelicæ hiſtoriæ concluſio, alia innumerabilia Ieſum feciſſe inſinuans. Ioan. 21.* — Cõcluſio.

BREVIS EVANGELICÆ HISTORIÆ COMPREHENSIO.

SEV

EVANGELICA HISTORIA SVMMATIM ORDINE COLLECTA.

Prima pars ea continet, quæ ad CHRISTI *pueritiam, & infantiam pertinent.*

Proœmiũ.

CAP. 1. EVANGELII præfatio, qua breuiter exponitur, quo Euangeliſta conſilio ad ſcribendum acceſſerit. *Luc. 1.*

Æternum Dei verbũ caro factũ. Omnia condita ... ioannis annunciatio. & conceptio.

2. Verbum ab æterno Deus, per quod omnia facta ſunt vita, & lux hominum miſſo Ioanne, ac tandem aſſumpta carne, venit, & habitauit cum hominibus. *Ioan. 1.*

3. Sacerdoti Zachariæ per Angelum apud aram prędicitur, ex Elizabetha vxore ſterili, & anu filius, qui Ioannes ſit vocãdus, naſciturus: ac ipſum vſque dum eueniat, ob incredulitatem, mutum permanſurum. Poſt quę mox Elizabetha concipit *Luc. 1.*

4. Nobile Chriſtus ex Abraham per Dauid habens exordium, nouo naſcendi modo, nimirum ex virgine Maria, Ioſepho nuptui tradita, generatur. *Matt. 1.* — *Chriſti genealogia.*

5. Sexto menſe ab Eliſabethę conceptu, Marię, paranymphus Gabriel, Ieſum ex ipſa, eius illęſa virginitate, naſciturum; ac Elizabetham concepiſſe perfert: ipſáque hoc cœleſti nuntio grauidatur. *Luc. 1.* — *Chriſti annũciatio, & incarnatio.*

6. Ad Marię præſentiam, Elizabetha, quam illa ſalutandi cauſa prægnans inuiſit, & fœtus ſpiritu afflantur: lætitiæque ſigna edunt. Vnde virgo ad magnificandum Deum carmine celebri commouetur: ac tres fere menſes apud cognatam hęſit. *Luc. 1.* — *Viſitatio. Mariæ cãticum.*

Ioſephi hæſitatio.

7. Ioſephus, virginis maritus, ſacramenti neſcius, coniugem grauidam, à ſe tamen non cognitam, animaduertens, in admirationem, & animi fluctuationem trahitur: eámque deſerere animo ſtatuit: & ſine dubio conſilium hoc impleſſet, niſi diuino fuiſſet edoctus oraculo, eam ſibi, quæ à Spiritu ſancto conceperat, deſerendam non eſſe. Hoc igitur propoſitum, Angeli monitu in ſomnis confirmatus, deſerit. *Matt.* 1.

Generationis Chriſti modus.

Ioannis natiuitas. & circuncisio. Zachariæ canticum.

8. Elizabetha filium peperit: cui octauo die circunciſo, nomen Ioannes, alijs fruſtra renitentibus, impoſitum eſt: & Zacharias, loquela recepta, Dei recens beneficium humano generi præſtitum cecinit. *Luc.* 1.

9. Cenſi omnes tum capite ſunt Octauij Auguſti edicto, qui Romano patebant imperio: cum ergo huius edicti Cæſarei occaſione, Ioſephus in Bethleem, quæ ciuitas erat Dauid, ad quem genus referebat, ſimul cum virgine, aſcendiſſet; ibi hæc, ſoluta partu, Chriſtum enixa eſt: quem pannis inuolutum in præſepio collocauit. Aderat mox Angelus è cœlo delapſus præco, agmine cœleſtium ſpirituum longo ſtipatus: qui paſtoribus eo loci excubias noctu circa ſuum gregem agentibus, natum hominibus Seruatorem nũtiaret. Hi ergo illum primi, eius monitu, inuiſerunt. Infans octauo die, ipſis calendis Ianuarij, eodem in quo natus eſt, loco circũciditur: noménque IESVS, quod ab Angelo fuerat prænunciatum, eidem eſt inditum. *Matt.* 1. *Luc.* 2.

Chriſti natiuitas, paſtores, circuncisio.

Magi Chriſtum adorant.

10. Neque latuit Magos, ad ſolis ortum, longis terrarũ ſpatijs, diſſitos, ea Chriſti natiuitas: quippe ſexto Ianuarij, ſeu tertio decimo poſt natiuitatem die, Hieroſolimam ipſi nouæ ſtellæ ortu exciti, eádemque duce, venientes, natum Regem Iudæorum prædicant. Et communicato cum Herode Rege, & Scribis conſilio, ac de loco natiuitatis inſtructi, eiuſdem ſtellæ ductu, in Bethleem delati ſunt. Ibique puerum inuentum adorant, & muneribus venerantur. Poſtea ne ad Herodem redirẽt, in ſomnis oraculo moniti, alia via in patriam reuerterunt. *Matt.* 2.

Simeon & Anna. Purificatio. In templo Chriſtus offertur.

11. Sed & iuſtus ille Simeon, & Anna prophetico afflati ſpiritu oblatum, die quadrageſimo à natiuitate, ipſo nimirum die purificationis puerperæ, Februarij die ſecunda, in templo Chriſtum, ceu primogenitum, lętis prædicationibus terris fauſta ominantes, agnouerunt, immo etiam exceperunt. *Luc.* 2.

Ieſus perimitur in Ægyptum. Infanticidium.

12. Iniquo hęc animo tulit Herodes, natúmq; recens puellum conatur extinguere. Ea propter Ioſeph monetur ab Angelo, vt fuga in Ægyptum infantis vitę conſulat; idq; in tempore. Quoniam non multo poſt, ira ſuccenſus Rex, bimulos omnes, ac natu minores Bethleemiticos è medio ſuſtulit. *Matt.* 2.

Chriſtus ex Ægypto reducitur.

13. Vſque ad Herodis interitum, in Ægypto Chriſtus cum ſuis parentibus egit: quem vbi cœlitus per quietem Ioſephus didicit, ſeſe tum reducem terræ Iſrael protinus exhibuit: relictáque, metu Archelai filij Herodis extincti, Iudęa, oraculo ſeceſſit in Nazareth Galilææ: vnde puer Nazaręi nomen accepit. Hic interea creſcebat, & confortabatur plenus ſapientia, & gratia. *Matt.* 2. *Luc.* 2.

In templo Ieſus moratur.

14. Quum Dominus ætatis ſuæ annum duodecimum ageret, & à parentibus ſacrorum gratia duceretur ex more Ieroſolymam, ad diem feſtum Paſchatis, neſcientibus illis remanſit Ieroſolymis, patris cœleſtis negotium agens: ac triduo quęſitus ab eis, diuinę legis doctorum cœtui permixtus in templo, repertus eſt. Diuinam quoque voluntatem cauſatus, quia ſe paululum ſubduxerat, & à parentibus declinauerat; cum ipſis domum rediit: eiſdemque morigerus in omnibus, ætate, ſapientia, & gratia profecit apud Deum, & homines. *Luc.* 2.

Ioannis baptiſmus, prædicatio, veſtitus, & eſca.

15. Quum virilem iam ætatem Ioannes; & Ieſus attigiſſent: tempuſque eſſet prędicandi per ipſos Euangelij; prior Ioannes Zacharię filius, Chriſtique pręambulo, auſteritate loci, habitus, ac victus, populo venerabilis afflatus diuino ſpiritu, verbo, ac baptiſmo ad pœnitentiam inuitare cœpit: & fuit prędicationis munere clarus, Prędicationi verò pœnitentiæ, iuncto baptiſmo, tanta vitæ ſanctimonia, cultúſque auſteritas acceſſit, vt à Iudęis, num eſſet Meſſias, dubitatum ſit. Verum ſe non, vt putabatur, Chriſtum eſſe, ſed alium, conteſtatus eſt. *Matt.* 3. *Mar.* 1. *Luc.* 3.

Ioannis de Ieſu teſtimonia.

Iudæorum ad Ioãnem legatio.

16. His quædam Ioannis de Chriſto ſucceſſere teſtimonia. Eius enim tanta erat etiam apud Iudęorum primores opinio, vt Chriſtum eſſe putarent, in id legatione, ad ſciſcitandum veritatem, decreta. Ille porro Iudęorum legatis reſpondit, ſe non eum eſſe, quem putabant: ſed alium iam veniſſe, qui is eſſet: & faſſus plane quod erat, Eſaiæ de ſe vaticinium, quo clarius delegata ſibi à Deo prouincia intelligeretur, in medium attulit. *Ioan.* 1.

Secunda pars, ea Chriſti geſta proponit, quæ ab eius baptiſmate, vſque ad ſecundum Paſcha contigerunt.

Ieſus baptizatur.

CAP. 17. ET ecce, die quodam promiſſus Chriſtus inter alios Ioannem adijt baptiſmi gratia: quem Ioannes digito pręſentem oſtẽdens, ipſum eſſe quem promiſerat, & qui ab omnibus expectabatur, denunciauit. Et à Ioanne, multum primo reluctante, quaſi prępoſterum illud eſſet officium, lauacro tinctus, Patris cœleſtis voce, ac ſancti Spiritus in ſpecie columbę deſcenſu, ipſiúſque Ioannis teſtimonio, declaratus eſt verus eſſe filius Dei. *Matt.* 3. *Mar.* 1. *Luc.* 3. *Ioan.* 1.

Chriſti genealogia.

18. Tunc autem IESVS triginta ętatis annos plus minus habebat, filiúſque Ioſephi putabatur eſſe, per quem genus humanum ad Deum reduci oportebat: vt qui filius Dei cum eſſet, homo factus eſt, quo homines Dei filios redderet. *Luc.* 3.

Chriſti ieiunium, & tentatio.

19. Suſcepto Ioannis baptiſmate, Chriſtus mox in deſertum ſubductus eſt. Vbi poſt dierum quadraginta ieiunium ſine omni cibo peractum, tandem famis occaſione, ſuſtinuit varias tentatoris graſſantis inſidias. Quo in omnibus ſuperato, ſancti Angeli miniſterium ei debitum obtulerunt. *Matt.* 4. *Mar.* 1. *Luc.* 4.

Ad Ieſum diſcipuli venire incipiunt.

20. Rurſum alia die Ioannes, viſo IESV, hunc diſcipulis ſuis monſtrat, cum Dei agnum eſſe teſtatus, qui totius mundi noxas auferat. Atque huius teſtimonij occaſione, illũ quinq; diſcipuli non tantũ agnoſcere, ſed etiam ſequi cœperunt. *Ioan.* 1.

In nuptijs vinum ex aqua fit.

21. Tertio ab hinc die, vocatus ad nuptias, videntibus diſcipulis, virtutem ſuam diuinam, aqua in vinum per matris ſollicitationem commutata, prodidit: hoc ſuorum miraculorum primo, Cana vicum Galilęæ cohoneſtans; ac ſe tandem quis eſſet, poſt aliorum teſtimonia declarans. *Ioan.* 2.

It Ieſus in Ieruſalem.

22. Poſt hęc ſeipſum magis palam facturus, è Capharnaum, vbi aliquot diebus cum ſuis manſerat, ob inſtans Paſcha Iudęorum, aſcendit Hieroſoly-

E templo mercatores ejicit.

ſolymam: ibíque mercatores è templo abegit. Quærentes vero ſignum vendicatæ auctoritatis, & audaciæ huius caſtigationis, audiunt fore, myſtico ſermone, vt templum ab eis diruendum, ſua virtute triduo reſtauraretur. Multiſque tunc eò loci patratis miraculis, non paucos ad credendum in ſe pertraxit. *Ioan.* 2.

Primum Paſcha.

A Chriſto Nicodemus docetur.

23. Quorum è numero Nicodemus, congreſſu nocturno, arcana cœleſtis regenerationis, per aquam, & Spiritum, ab ipſo didicit: crucis item; ac fidei vim: cauſámque Dominici Aduentus, & imminentis iam exitij, vt videlicet omnis qui credit in IESVM, non pereat: ſed habeat vitam æternam. *Ioan.* 3.

Ieſus tardat in Iudæa, baptizat.

24. Denunciata neceſſitate regenerationis, ex Hieruſalèm in Iudæam terram IESVS cum diſcipulis ſuis migrat: & ibi cum eis, qui ad illud vſque tempus Galilæam incoluerat, morari, & baptizare cœpit, cum Ioannes idem adhuc faceret. Quæ res materiam orti poſt liuoris ſuppeditauit. Diſcipuli namque Ioannis expoſtulant, & queruntur apud ipſum, quod plures ad baptiſmum Chriſti properarent. Qua occaſione idem Ioannes iterum, egregium de IESV, quod ipſe Chriſtus vere eſſet, conteſtionem inſtituit: eum ſe longe ſuperiorem clare teſtatus eſt: de illius exultatione, ſui vero humiliatione prædicit: multáq; alia in ipſius commendationem, deque rebus eiuſdem felicius promouendis, eſt locutus. *Ioan.* 3.

Poſtremum Ioannes de Ieſu teſtimonium.

Mittitur Ioannes in carcerem.

25. Atque ſic futurum, euentus breui indicauit; dum Ioannes ſub idem tempus, quaſi officio ſuo defunctus, Chriſto ſuam auſpicante legationem, ab Herode, quod illum admonuiſſet errati, coniectus eſt in vincula. *Matt.* 14 *Mar.* 6. *Luc.* 3.

Per Samariam Ieſus è Iudæa in Galilæam reuertitur.

26. Huius captiuitatem, ac ſimul Phariſæorum contra ſe: ob populi ad ſuum baptiſma confluxũ, inuidiam intelligens Dominus, relicta Iudæa, vbi moras longiores traxerat, Galilæam ſuam repetit. In quo itinere, cum interiacentem Samariam neceſſario pertranſiret, vbi ad fontem Iacob peruenit, aquæ, illius occaſione, quam fatigatus petijt, mulieri cuidam Samaritanæ, poſt longum cum illa ſermonem habitum, tandem quod eſſet Meſſias innoteſcit: ac per eam cum id palam fateretur, multis Samaritanorum: apud quos eum benigne habẽtes, duos dies rogatus peregit. Poſt quos inde recedens, abijt in Galilæam: diuertitque à Nazareth, in qua nutritus, ad hoc vſque tempus habitauerat: à cæteris vero Galilæis humaniſſimè exceptus eſt. Quippe qui viderant, quæ feciſſet Hieroſolymis. *Matt.* 4. *Mar.* 1. *Luc.* 4. *Ioan.* 4.

27. Rurſum Chriſtus vel in tranſitu, Canam Galilææ, prius à ſe miraculo primo nobilitatam, inuiſens; regij cuiuſdam viri filiũ in Capharnaum ex febri periclitantem, atque moribundum, à patre ſerio requiſitus, abſens, verbo, inter eundum ſanitati reſtituens, ea hora, qua ille ſalutem petebat, viuere prædicauit. Fuitque id ſecundum iam miraculum ab ipſo in Galilæa editum. *Ioan.* 4.

Reguli ſanatur filius

Habitationi Capharnaum eligit.

Initiũ prædicationis Chriſti in Galilæa.

28. Capharnaum nobile emporium Galilææ, veluti commodam ſuæ prædicationis ſedem, ſibi Dominus pro manſione delegit: in qua, & ex qua deinceps poſt Ioannem, palam, & clare aduentum regni Dei, ad pœnitentiam, & fidem prouocando, annunciauit. *Matt.* 4. *Mar.* 1. *Luc.* 4.

29. Cum autem opus illi eſſet perpetuis quibuſdam ſuorum operum, ac doctrinæ teſtibus, & coadiutoribus; mox à prædicationis exordio, cum iuxta mare Galilææ eſſet, è mari duo paria fratrum piſcatorum ad ſequendum ſe, prius miraculo capturæ piſcium copioſę, cum vano labore totam noctem conſumpſiſſent, in ſui admirationem raptos, euocat: qui mox omnibus relictis, conſtantes illi iam adhæſerunt. *Matt.* 4. *Mar.* 1. *Luc.* 5.

A mari Galilææ ſuos diſcipulos vocat.

Capharnaũ docet curatq; dæmoniacum.

30. Sub idem tempus, cum his Capharnaum ingreſſus, in ſynagoga, die ſabbati, poſtquam docuiſſet populum, à cacodæmone vexatum reſtituit; multis ob id ipſius poteſtatem, atque doctrinam admirantibus. *Matt.* 1. *Luc.* 4.

Socrũ Petri curat, aliosq; omnes ægrotos ac dæmoniacos.

31. De ſynagoga cum eiſdem diſcipulis, in domum Petri veniens, febricitantem eius ſocrum imperio ſuo curat. Quarum rerum fama increbreſcente, ad veſperam eius diei, domus à multis languidis, & dęmoniacis eo adductis, obſeſſa eſt, quos omnes impoſitis manibus curauit: nec teſtimonia dęmonum admittebat. *Matt.* 8. *Mar.* 1. *Luc.* 4.

Chriſtus in deſertum ſecedit.

32. Egreſſus poſtero die ſummo mane, ſolus orandi cauſa deſertum petijt: vbi primum à Simone, cum ſuis ſocijs, ipſum requirente; deinde & à turbis repertus eſt. Eum vero turbę requirentes cum inueniſſent, à ſe magis recedere nõ ſinebant. Quibus ille teſtatus eſt; à ſe alijs etiam oportere Dei regnum prędicari. *Mar.* 1. *Luc.* 4.

Prima Galilææ circuitio.

33. Quum ſuam Dominus prędicationem, vniuerſam Galilęam peragrans, longè lateque ſpargeret; atque morborum curationibus illuſtraret; per totam Syriam factum eſt celebre nomen eius, ita vt ad eum vndique cum ęgris plerique confluerent: ac omnes corpore affecti, quos fama de IESV diſperſa coegerat, bonę valetudini reducerentur. *Matt.* 4. *Mar.* 1. *Luc.* 4.

Tres reprehenduntur.

34. Videns ſe Chriſtus à turba tum multitudine circunſeptum, iuſſit diſcipulos transfretare. Multos ibi tunc illum ſequendi cupido inceſſerat: verum affectus terrenarum rerum obſtitit, nonnulli proinde, volentes eum ſequi, reijciuntur. Strepitum ſibi fortunę vnus ex Scribis, cum ſe ſub eius diſciplina profeſſurum iactaret, pollicetur: ſed audit filium hominis ne tantillum quidem habere ditionis, vbi caput reponat; quum alitibus nidi ſint, & ſuæ ſpecus vulpibus. Alteri, funeris paterni curationem IESV contubernio pręferenti, vt ſequeretur ſe, imperauit: nec retardari ſepultura patris voluit. Alius domeſticorum, ac neceſſariorum curam, vt non protinus ſequeretur, prætexuit: quẽ aranti ſimilem facit, vultu in tergum verſo: nec domum reuerti permittit. *Matt.* 8. *Luc.* 9.

Sedat amarũ tempeſtas.

35. Cum dimiſſis turbis, nauim aſcendiſſet cum diſcipulis (nam lacus, petituro Geraſęnorum regionem, traijciendus erat) & ea dum vehitur ſumno ſe, quia ſero erat, dediſſet; magna tempeſtas interim coorta, diſcipulis metum iniecit: à quibus excitatus, poſt increpatam illorum diffidentiam, imperio ſuo vẽtos compeſcuit; & mare, cum omnium, qui aderant, ſtupore, tranquillum reddidit. *Matt.* 8. *Mar.* 4. *Luc.* 8.

In porcos dæmonum legio.

36. Nauigio delatus in regionem Geraſænorum Galilęę oppoſitam, duos immundis ſpiritibus obnoxios, præter modum ſæuientes, liberat: dęmones vero ipſius permiſſu in porcos ſe immittentes, eos in mare præcipites dederunt. Quam ob cauſam ab incolis, timore perculſis, rogatus vt diſcederet, eo rurſus, vnde venerat, tranſfretauit: & nauim egreſſus, benigne à turba confluente excipitur. *Matt.* 8. *Mar.* 5. *Luc.* 8.

Depoſitus paralyticus per tectum curatur.

37. Inde reuerſus in Galilæam, quarto ingreditur Capharnaum: vbi vna dierum in domo docẽs, paralyticum, per tegulas ob turbam ad ſe demiſſum, alienæ fidei reſpectu, poſt remiſſionem peccatorum, ſanat, reprehenſis ante Phariſæis de his, quę in ipſum corde meditabantur. *Matt.* 9. *Mar.* 2. *Luc.* 5.

Matthæ. vocat.

38. Poſt hæc rurſum egreſſus ad mare, in via Matthæum ad telonium ſedentem vocans, ſequi ſe iuſſit. A quo inſigni conuiuio cum Publicanis exceptus, ſecutam ob id Phariſæorum murmurationem repreſſit. *Matt.* 9. *Mar.* 2. *Luc.* 5.

39. Chriſtus aliam eorundem Phariſæorum, & diſci-

Diſceptatio de ieiunio. diſcipulorum Ioannis murmurationem, ob neglectum à diſcipulis ipſius ieiunium, confutat. Vitio enim his vertebat, quod ſe non ad Pharisæorum morem ieiunijs macerarent. Et audiunt iniquum videri, vt filij, præſente ſponſo, lugeant; viuendique nouum inſtitutum permixtione veterum confundatur. Perinde ac in communi rerum vſu deſipere dicitur, qui veteri veſtimento particulam noui panni aſſuat, nouúmque vinum vtribus annoſis audeat committere. *Matt.9. Marc.2. Luc. 5.*

40. Cùm Dominus illi diſputationi Phariſæorum, & diſcipulorum Ioannis adhuc intentus eſſet, rogatus eſt a Iairo ſynagogæ præfecto, vt duodenni filiæ ſuæ, in extremis laboranti, ſuccurreret. *Hæmorroiſſa.* Ad quam dum pergit curandam, Hæmorroiſſam duodennem in via tactu fimbriarum veſtimenti ſanat: quæ quod fecerat, & quod à Chriſto acceperat, palam confeſſa eſt. Mox de morte archiſynagogi filiæ nuncij venerunt: at nihilominus poſtea Iairi domum ingreſſus, ac de puellæ morte luctum ingentem excitatum, tibicineſque, vt lugubre canerent, vocatos, reperiens, cum paucis ingreſſus, mortuam iam eius filiam vitæ reddidit. *Iairi filia.* *Matt.9. Mar.5. Luc.8.*

41 IESVM à Iairi domo Capharnai egreſſum, cæci duo ſequentes, viſum precibus impetrant: *Cæci duo illuminãtur.* mutúſque dæmoniacus, immundo ſpiritu eiecto, loquitur; ita vt turbam non mediocris inſolitæ rei admiratio caperet. Verum dona Dei nō agnoſcentes Phariſæi, Beelzebub dæmoniorum principi opera Chriſti accepta referunt. *Dæmoniacus mutus curatur.* *Matt.9.*

Et hæc quidem res geſtæ, finem primo Dominicæ prædicationis anno impoſuere.

Tertia pars, ſecundi anni concionum Chriſti geſta, nimirum à ſecundo Paſchate, vſque ad tertium, explicat.

Secundum Paſcha. Triginta octo annorũ languidus curatur. CAP. 42. QVVM rurſum Dominus, ob ſecundum Paſcha Iudæorum, è Galilæa Hieroſolymam ſe contuliſſet; ad probaticam piſcinam, quæ Bethſaida vocabatur, expoſitum, & excubantem duo de quadraginta annorum languidum, ſanum facit, grabbatúmque ſuum tollere iubet, idq; ſabbatho. *Ioan.5.*

Chriſti apologia. 43. Hinc Iudæorum inſectationi obnoxius, turbis in eum per Phariſæos, mirum in modum ſæuientes, excitatis, cauſam reddit; ſe videlicet in omni ſua functione, patrē cœleſtem, qui Deus eſt, cooperatorem habere. Qui ſermo illorum animos magis, atque magis in IESVM prouocauit: adeò vt de ipſo interficiendo cogitarent: non ſolùm quia ſabbatum non ſeruabat: ſed etiam quia Deo ſe patri æqualem faciebat. Verùm ipſe, de rebus à ſe bene geſtis apud eos inſignem apologiam inſtituens de ſua cum patre cœleſti operatione, ac de poteſtate mortuos etiam ſuſcitandi, & iudicandi omnes, prolixe diſſerit. Quin etiam in confirmationem à ſe dictorum; & factorum, Ioannis, patris, operum ſuorum, Moſis, & omnium ſcripturarum teſtimonia profert. *Ioan.5.*

Diſcipulos, quod ſpicas manibus cõfricarent, accuſatos, Chriſtus propugnat. 44. Iter flectebat IESVS forte ſabbato per ſegetes: & famem ſpicis manu conuulſis eius diſcipuli ſolabantur: quod opus à ſuperſtitioſulis Phariſæis velut impium carpebatur. At Chriſtus exemplo Dauidis, & ſcripturæ diuinæ permiſſum, & innoxios eſſe diſcipulos, oſtendit: ſeque, tanquam ſabbato ſuperiorem, eius legibus haud quaquam adſtringi. *Matt.12. Mar.2. Luc.6.*

Hominis aridam manum ſanitati reddit. 45. Quum proximo dein ſabbato, è Hieruſalem in Galilæam reuerſus, arentem hominis dexteram ad vigorem in ſynagoga reducens, tacite ſe Phariſæos criminari ſentiret; illis probe ſatisfecit, veritum vtique non eſſe ſabbato conteſtans, vt beneficus exiſtas: quando in puteum collapſam pecudem impune extraxeris: vt nefas quoque videri poſſit, tunc hominis ſalutem negligere. At quum inde nihilo meliores efficerentur: immo de IESV perdendo conſilium eius æmuli caperent; *Infirmos cũ dæmoniacis curat.* ille, ad tempus cedens improborum malitiæ, ad mare ſeceſſit, multa eum ſequente turba, ex varijs collecta regionibus: cuius ægros, & dæmoniacos omnes curauit. *Matt.12. Mar.3. Luc.6.*

46. Quum turbis relictis orandi cauſa Dominus montem conſcendiſſet: in eóq; ſolidam illam noctem precibus vacaſſet; ex omnibus diſcipulis ad ſe vocatis, duodecim elegit, quos & Apoſtolos nominauit; poteſtate ipſis facta prædicandi, curandi morbos, dæmonéſque pellendi. *Duodecim Apoſtoli eliguntur.* *Matt.5. Mar.3. Luc. 6.*

In monte ſermo Domini. 47. Cùm diſcipulis Chriſtus è monte deſcendens in planitiem, coràm immenſa hominum multitudine inſignem ſermonem, quo ſummam Euangelicæ vitæ: & perfectionis complexus eſt, habuit. Primum quidem, agens de beatitudine, *Octo beatitudines.* quibus in rebus vere, contra hominum ſententiam, ſita ſit felicitas: & in quibus infelicitas hominum verſetur, edocuit: & quaſdam beatitudinis formulas, longe diuerſas ab his, quas vulgus hominum ſectatur, propoſuit: armáque definiuit, quibus doctrinæ cœleſtis præcones inſtructos eſſe voluit. *Matt.5. Luc.6.*

48. Suos etiam diſcipulos terræ ſalem, & mundi lucem eſſe dixit: ijs verbis quales eſſe deberent; *Sal. Lux.* inſinuans. Deinde præceptorum comparationes ſequuntur: veterem enim legem perfectioribus *Abũdãtior iuſtitia. Homicidiũ Ira. Adulterium, repudium, periurium.* mandatis, per quorum obſeruationem Phariſæorum iuſtitia ſuperanda ſit, adimplet: iracundiam cum homicidio prohibet, adeo vt ad altare munus relinqui velit; adulterium, repudium, & iuramentum. *Matt.5.*

Vindicta, mutuum, dilectio proximi. 49. Mandata perfectiora dare pergit, de vindicta, mutuo, & proximi dilectione. *Matt.5. Luc.6.*

50. De abſolutiſſima Chriſtianæ legis perfectione, multa cum ſeruator inculcaſſet; aliter etiam à nobis faciendam eleemoſynam, orandum, & ieiunandum, quam à Phariſæis, docet. *Eleemoſyna. Oratio. Ieiunium.* Quia enim ab illorum faſtu ſuos quam maxime alienos eſſe cupit; ne quid faciant, quo videantur ab hominibus, admonet. Ac ne aſſimilentur Ethnicis, qui ſe in multiloquio exaudiri putant, compendioſam eis precandi formulam tradit. *Matt.6.*

Vbi theſaurizandum. Oculus rectus. 51. Longiorem deinceps orationem protrahēs. eo demum, vbi theſaurizandum ſit, rectumque ſemper oculum, ac ſimplicem habeant, admonet: ab auaritia quoque, & nimia rerum terrenarum, vt de eſca, & indumento, ſolicitudine, auocat. *Auaritia. Terrena ſeu vana ſolicitudo.* *Matt. 6.*

Non temere iudicandũ. Inſtandum orationi. 52. Multas ſalutares monitiones ſuis impartiens, ijs quæ dicta ſunt, non temere iudicandum, vel docendum: inſtādum orationi: à falſis prophetis cauendum, atque huic doctrinæ firmiter inhæren-

hæren-

hærendum, adijcit. *Matt. 7. Luc. 6.*

Falſi prophetæ cauendi.

53 Doctrinam ſecuta ſunt miracula, aut ſi quis malit appellare, varia in miſeros collata beneficia. Poſtquam enim relicto monte, in late patentes campos Chriſtus deſcenderat, lepra vitiatum corpus ſuæ puritati reſtituit, mundato iubens, ad ſacerdotem iret, quodque debebat munus, offerret. *Matt. 8. Mar. 1. Luc. 5.*

Leproſi mundatio.

54. Rurſus Capharnaum reuerſus, centurionis, ob raram fidem inſigniter commendati, famulum paralyſi laborantem ſanitati abſens reſtituit. *Matt. 8. Luc. 7.*

Seruus centurionis paralyticus conſolidatur.

55. Poſtmodum viduæ natus vnicus, qui defunctus ad ſepulchrum efferebatur, à morte ad vitam, iuxta portam ciuitatis Naim, reuocat. *Luc. 7.*

Viduæ filius reſuſcitatur.

56. Interim Ioannes detentus in vinculis, cum opera tam inſignia, & præclara Chriſti audiſſet, duos ex diſcipulis ſuis è carcere legauit ad IESVM, vt ab eo percunctarentur, an ipſe Meſſias ille expectatus eſſet. Qui nullam aliam dedit reſponſionem, nisi vt de ijs, quæ audierant, & viderant à ſe dicta, vel facta, Ioannem redderent certiorem. Illis vero cum reſponſo remiſſis, Dominus ad populum, qui aderat, conuerſus, præclarum de Ioanne teſtimonium dans, eiúſque dignitatem oſtendens, magna, & mirifica, tantóque viro digniſſima prædicauit: multaque in Phariſæos, & alios, qui nec per illum, nec per ſe, ad reſipiſcẽtiam fuiſſent commoti, locutus eſt. *Matt. 11. Luc. 7.*

Chriſti facta Ioanni nunciantur.

Ad quæſtionem Ioannis reſponſio.

57. Nec his contentus beneficijs corporalibus, mulierem in Phariſæi conuiuio, male actæ vitæ conſcientia ægram, ob ſingularem doloris, & amoris ſignificationem, à peccatis abſoluit: eámque Simoni frigidè amanti, & parum humili, prætulit. *Luc. 7.*

Magdalena conuerſa. Simonem Ieſus increpat.

58. Quum poſt longum per diuerſa loca circuitum, ſeſe domum IESVS aliquādo recepiſſet; confeſtim rurſum à turba circundatus, oblatum ſibi dæmoniacum cæcum, & mutum, ſimul à malis omnibus liberat. Quod, quum admirantibus turbis, quidam iterum, tanquam opera dæmonis factum, calumniarentur, & cœleſte ſignum alij potius requirerẽt; Dominus primum efficacibus rationibus oſtendit, nequaquam illud debere videri alia virtute, quā diuina, factum: & hac in re tam atrox ab illis piaculum admiſſum eſſe, vt nec hic, nec in futuro ſeculo dilui queat. Deinde, ait nihil eſſe cur miremur natura improbos in maledicta prorupere: quod vir bonus de bono theſauro bona proferat: malignus vero pernicioſa: verúmque ſit quod dicitur, ex arbore fructum dignoſci. Atqui proſpiciendum erat, ne lingua peccaremus, de quocunque otioſo verbo coram Deo iudice exactam rationem reddituri. Tum illis ſignum e cœlo minime dandum ait, quale volebant; ſed e terra potius, quod eos maxime condemnaturum ſit. Et reportant aptum malignitati ſuæ reſponſum: in filios videlicet degeneres, & ſceleratos, Ionæ ſignum recte competere, aluo piſcis olim triduo incluſi: cuius monitis Niniuitæ, etiam deploratæ improbitatis homines, reſipuerint, atque ea ratione damnationem incredulos manere. Subiecit mox Reginæ Auſtri exemplum, quam Salomonis ſapientia ab vltimis terrarum oris attraxerat. Quando, quod ad veritatis prędicationem attinet, Ionas, & Salomon multis partibus ſe inferiores eſſent. Et, quod omnium aptiſſime quadrabat, impuri ſpiritus, ad hominem, vnde paulo ante exierit, reditum longe infeliciſſimum. Necdum ſermonem inſtitutum finierat, & mulier quædam è medio turbæ, hac eius audita mirabili diſputatione, matrem tanti magiſtri felicem eſſe proclamauit. Sed ille, quod potius eſſet, magiſque ex re noſtra, malebat expendi: beatos videlicet haud dubie futuros, qui verbum Dei animo conciperent, & bene factis generarent. *Matt. 12. Mar. 3. Luc. 11.*

Dæmoniacus cæcus, & mutus curatur.

Diuinum hoc Ieſu factum maleuoli calumniantes refelluntur.

Exclamatio mulieris.

Mater & fratres Ieſu quærunt eū loqui.

59. Denique in prædicationis Euangelicæ negotio, quemadmodum abeſſe debeat cognationis, & alterius cuiuſuis neceſſitudinis affectus, matre, ac fratribus ſe quærentibus, diffiniuit; dum illos repudiat, & diuinæ voluntati morigeros, parentes, & fratres ſuos agnoſcit. *Matt. 12. Mar. 3. Luc. 8.*

60. Eodem die rurſum, domo egreſſus, mare adijt: ibique verbi cœleſtis eminentiam, dignitatem, & fructum, è naui, ad plebem in littore collectam, expoſuit: parabolis in eam rem varijs, atque adeo aptiſſimis in medium adductis. Ac primo quidem ſeminantis; cuius ſemen partim in iter publicum, petram, & ſpinas: partim in fertile ſolum inciderat, euentu quadriformi ſeminis, verbi diuini variam in hominibus operationem iudicans, quemadmodum ſeorſim Apoſtolis ſuis expoſuit. *Matt. 13. Mar. 4. Luc. 8.*

Parabola ſeminantis.

61. Subiungit aliam parabolam de ſeminante zizaniam in agrum. *Matt. 13.*

Parabola zizaniorū.

62. Alias tres parabolas, modum, ac vim incrementi Euangelicæ doctrinæ ſignificantes, adijcit: vnam ſcilicet de ſemine, quod in terram iactum ſenſim creſcit. *Matt. 4.*

Parabola ſeminis.

63. Aliam de grano ſynapis quod, cum ſit minimum, creſcit in arborem. Cui tertia, de fermento: quod tribus commixtum farinæ ſatis, totum fermentat. Plebéque dimiſſa, in ædium penetralibus, parabolarum ſuperiorum, quas apud populum habuit, myſteria diſcipulis explicat. *Matt. 13. Mar. 4. Luc. 13.*

Parabola grani ſynapis.

Parabola fermenti.

64. Parabola zizaniorum bono ſemini permixtorum, quæ paterfamilias ad conſummationem vſque ſeculi creſcere voluit, in regno etiam Euāgelico ſemper aliquos fore malos ſignificari, Dominus ipſe Apoſtolis ſuis ſeorſum declarat. *Matt. 13.*

Parabola zizaniorū expoſitio.

65. Addit inſuper apud eoſdem priuatim alias, puta de theſauro in agro reperto: ac negociatore Margaritas pulchras quærente: quæ vtraque non niſi diuenditis omnibus potuerint acquiri: latenter indicans cœleſtis verbi ſublimitatem, Euangelicæque doctrinæ pretium. Ac ne quis hoſtium eius vernaculus inſidias, defectionem meditetur: aut de tollendis à medio improbis cogitet: eóque differat ſuum in Euāgelica re ſtudium; protinus verriculo in mare iacto, piſcibuſque extractis, pro eo quod boni fuerint, aut vitioſi, retentis, aut abiectis, tolerandum hoc tædium, quam diu viuas, oſtendit: iterúmque malorum, & bonorum in Eccleſia permixtionem inſinuat. *Matt. 13.*

Parabola theſauri.

Parabola margaritæ.

Parabola ſagenæ.

66. Dictis parabolis, egreſſus in patriam ſuam Nazareth, in ſynagoga die ſabbati obuium Iſaiæ locum: Spiritus Domini ſuper me, cum his quæ ſequuntur, in ſe completum expoſuit, & palam ſuæ functioni cōgruere indicauit. Porro frequentia, & familiaritas prorſus contemptibilem reddidère, vt diceret ſibi commune eſſe cum Prophetis, qui in patria duntaxat expertes gloriæ fuiſſent. Heliæ exemplum, ac Heliſęi non abſurdè huc trahebatur: quorum neutèr in gentem ſuam impendio beneficus extitiſſet. Cæterùm hic ſermo quantum exagitauerit municipes IESV, euentus plane docuit. Conati enim ſunt illum ex edito vrbis loco præcipitare: erantque dictis parum creduli, vt nullo illic prodito miraculo, è manibus illorum diuina virtute laberetur. *Matt. 13. Mar. 6, Luc. 4.*

Nazareth Ieſus in ſynagoga librum Iſaiæ legit.

Contra Ieſum ciues indignantur.

67. Deinceps vicos, & ciuitates omnes circumiens cum Apoſtolis, & mulieribus aliquot ei miniſtrantibus, prædicat, miracula edit, ac turbarum, quod bonis paſtoribus deſtitutæ eſſent, miſeretur. *Matt. 9. Mar. 6. Luc. 8.*

Secunda circuitio Galilææ. Alia Ieſu poſt Ioannis necem.

68. Duodecim Apoſtolos à ſe pridem electos,

IESVS

Apoſtolorũ miſsio.

IESVS cum certis legibus, docere, & curare omnes infirmitates mittit: prædicens eis mala, quæ ipſis, ob Euangelicam prædicationem, imminebant: illóſque aduerſus eadem confirmans: Quos Dominus ablegatos, officióque ſuo fungentes, per ciuitates docens ſecutus eſt. *Matt.10.& 11.Mar.6. Luc.9.*

Fama Ieſu ac de ipſo Herodis opinio.

69. Interim dum hæc agerentur, Herodes Antipas, tetrarcha Galilææ, fama nominis, & miraculorum IESV, quæ per omnem finitimam regionem dimanabat, audita; num Ioannes prius à ſe necatus, reuixiſſet, ſuſpicari cœpit, videndique illius deſiderio teneri. *Matt.14.Mar.6.Luc.9.*

Ioannis decollatio.

70. Paulo ſiquidem ante, nimirum prope celebritatem Paſchalem, idem Herodes die ſuo natalitio, Ioãnem Baptiſtam, a ſe nuper incarceratum, propter Herodiadem, ad eius filiæ ſaltantis petitionem, in carcere truncari capite, quod in diſco puellæ traditum eſt, iuſſit. *Matt.14. Mar.6.*

Apoſtoli ad Ieſum de prædicatione reuertũtur.

71. Interim IESVS, quod nuncium de nece Ioãnis accepiſſet, fraudemque agnouiſſet: ac intelligeret, quam de ſe ſuſpicionem Herodes haberet: & ſimul quia, peractis mandatis, Apoſtoli, qui ad prędicandum Euangelium miſſi fuerant, ad ipſum, narrantes quæ feciſſent, redierant; tum inuidiæ declinandæ, tum quietis cauſa, ſeceſſit cum ſuis: & conſcendens nauiculam, trans mare Galilææ in deſertum locum ſeſe recepit. Vbi cum iterum, immenſa multitudo hominum nihilominus ad ipſum conflueret, poſt doctrinam, & morborum curationes, atq; iam deficiente commeatu, quinque milia virorum, quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus, modo quodam admirando multiplicatis, abunde ſatiauit: duodecim cophinis fragmentorum poſt refectionem collectis. Quod inſtante iam alio Iudæorum Paſchate accidit. *Matt.14.Mar.6.Luc.6.Ioan.6.*

Miraculũ quinque panum.

Paſcha tertium.

72. Quo beneficio IESVS adeo ſibi multitudinis animos conciliauit, vt dignum principatu iudicarent. Ob hoc igitur miraculum ſe à turba rapiendum in regem aduertens, diſcipulis ſe trans mare præcedere iuſſis, in montem ſolus, ab omni ambitione alienus clanculum fugit. Ibiq; noctem in precibus ad quartam vſque vigiliam traduxit. In ſummo tum erant diſcipuli marinæ tempeſtatis diſcrimine, ventis præter modum ſæuientibus, & nauim, qua vehebantur, in diuerſum agitantibus: cumque IESVS in vndis, perinde atque in ſolida terra, pedibus, nocturno tempore, deambularet; illi nouitate rei deterriti, quod viderãt, inane ſpectrum eſſe putabant: verum Dominus præſentia ſua, mœſtos, & conſternatos ſolatur, & confirmat. Deinde IESV loquente Petrus fide in Chriſtum ſuper aquas ambulat: incredulitate mergitur. Ventus autem illico, vt nauim Dominus ingreſſus eſt, conquieuit. In petitam ripam traiecit: vbi varijs languoribus affectos vndique collectos fimbriæ veſtis ſuę contactu ſanauit. *Matt.14.Mar. 6. Ioan. 6.*

Super mare Ieſus cum Petro ambulat.

Petrum mergentem liberat.

Transfretantes venerunt in terra Geneſar: & turba ſecuta ſunt eum trãs mare

De pane cæleſti.

73. Poſtero die inuentus Capharnai ab his, quos in ſolitudine pauit; & cauſam intelligens cur ſe longis ambagibus quęſiſſent, cibum nempe corporalem; ad cœleſtem potius alimoniam comparandam longo ſermone cohortatus, ipſum quoque manna, longo illo cibo eſſe inferius edocuit. Ac prolixe de cœleſti hoc pane diſſerens, quem iam pater miſiſſet in mundum, & quem ipſe daturus erat pro mundi vita; eum non tantum panem, & cibum nominat; ſed etiam carnem, & ſanguinem; ſe dicens panem eſſe vitæ, & carnem ſuam eſſe cibum, quem oporteat manducare: & ſanguinem ſuum eſſe potum, quem oporteat bibere. Quo Domini ſermone diſcipulorum complures offenſi, & horrore rei perperam intellectæ concepto, à Chriſto deſciuẽre; illumque, Apoſtolis cum eo permanentibus, deſeruerunt. *Ioan.6.*

Quarta pars verſatur in narrandis Chriſti geſtis, quæ tertio anno prædicationis eius acciderunt: nempe à tertio Paſchate, vſque ad Lazari ſuſcitationem.

Illotis manibus.

Traditiones impiæ damnantur.

CAP. 74. POST HÆC autem accidit, vt cum Dominus non in Iudæa, quoniam in perniciem eius conſpirauerant Iudæi; ſed in Galilæa conuerſaretur, quidam Phariſæorum, & Scribarum ad ipſum è Ieroſolymis deſcenderent. Quibus offenſis, & expoſtulantibus cum eo, quod manus ante cibum diſcipuli eius non abluerent; ſed manibus contra ſeniorum traditionem illotis manducarent, ipſe viciſſim neglectum mandatorum Dei obijcit, docens hominem ab his minime condemnari, quæ per os immitterentur, nec ea mentem polluere: ſed quæ in cordis officina clam concepta magno malo in publicum foras prodirent. *Matt.15.Mar.7.Ioan.7.*

Cananæa liberari filia à dæmonio impetrat.

75. Inde IESVS in oras finitimas Tyri, & Sydonis perrexit. Vnde Canançea quędam mulier egreſſa, fidei magnitudine, iugique precum inſtantia, filiæ à dæmone vehementer afflictæ ſalutem impetrauit. *Matt.15.Mar.7.*

Surdus, & mutus, alijq; multi curantur.

76. Illico Tyri finibus relictis, ad mare Galilææ reuerſus, & oras Decapoleos peragrans, ſurdo, mutóque, digitis in aures miſſis, & lingua ſputo contacta, loquendi, ac audiendi officia reddidit: permultóſq; alios in monte cæcos, claudos, & quoſuis imbecilles, ac valetudinarios ad pedes eius proiectos, ſanitati reſtituit. Magnáque hinc populum cœpit admiratio, ita vt, etiam Domino prohibente, acclamarent. *Matt.15.Mar.7.*

Miraculũ 7. panum.

77. Multitudinis rurſum, quæ ipſum triduo ſecuta fuerat, miſertus; eam in ſolitudine panibus ſeptem, & piſciculis paucis ita cibauit; vt quaternis millibus virorum ſaturatis, præter paruulos, & mulieres, ſeptem ſportæ fragmentis plenæ ſupereſſent. Quo peracto miraculo, ſtatim inde digreſſus, nauigio in oras Dalmanutha venit. *Matt.15. Mar.8.*

Cæleſte ſignũ petites arguũtur.

78. Accedentes ad eum Phariſæi, & Sadducæi, rurſum, tentantes, cœleſte ſignum ab ipſo quæſierunt. IESVS vero iterum eis tale non eſſe dandum: ſed è terra potius, reſpondit. *Matt.16.Mar.8.*

Cauendum à fermento Phariſæorum.

79. A Phariſæis, & Sadducæis laceſſitus, illis dimiſſis, nauique aſcenſa, transfretauit: illorúmque fermentum prorſus cauendum accurate docuit. Cumque de panibus ſolliciti eſſent Apoſtoli, duo ſuperiora mutiplicationis panum miracula reducens in memoriam, eos diffidentiæ coarguit. *Matt.16.Mar.8.*

Cæcus in Bethſaida.

80. Cúmque veniſſet Bethſaidam, cæco ad ſe adducto viſum reſtituit: prius quidem imperfecte, vt homines arborum ſpecie incedentes, videret: deinde vero perfecte. *Mar.8.*

Ieſus Apoſtolos, quid homines de ſe ſentiant, interrogat.

81. Illinc mox in partes Cæſareæ Philippi digreſſus, poſtquam de ſe hominum ſententias rogaſſet, diuerſáſque multorum opiniones ab alijs

indicatas

Claues regni cœleſtis Petro Chriſtus promittit.

iudicatas audiſſet, veram Petri confeſſionem de ſe recipiens, illum ob id beatum pronunciauit; Eccleſiæque ſuæ regimen ei ſingulare promiſit; ita ſuam Eccleſiam ſtabiliendo, vt portæ inferorum nihil virium aduerſus eam habituræ ſint. *Matt.16. Mar 8. Luc.9.*

Petrus increpatur.

82. Petrum ſeuerè Dominus redarguit, cum de ſubeunda paſſione ſubijciens, ipſum reluctantem audiret. *Matt.16. Mar.8. Luc.9.*

Vt ſequi ſe Dominus præcipiat.

83. Omnibus, qui ſalui eſſe volunt, crucem poſt ſe tollendam, addit; ac illius gloriæ ſuæ, quæ crucem ſequutura erat, ſpecimen aliquod edere promittit. *Matt.16. Mar.8. Luc.9.*

Transfiguratio.

In monte Chriſtus coram tribus transformatur.

84. Octauo poſt illa die, plane hæc promiſſio contigit, præſentibus in monte quodam excelſo Petro, Iacobo, & Ioanne diſcipulis; qui luce mirabili coruſcum, ſermones cum Moſe, & Helia miſcentem, patre cœleſti tum denuo, filium hunc eſſe ſe dilectum, teſtante, viderunt. Atque hæc viſio tam grata fuit Apoſtolis, vt de conſtituendis illic ſedibus cogitarint. Placuit enim ab hoc immenſo gaudio nunquam diuelli. Suis vero in deſcenſu montis Dominus viſionem ad tempus ſilentio tegendam iuſſit. *Matt.17. Mar.9. Luc.9.*

Aduentus Eliæ.

85. Cum ijſdem Apoſtolis tribus de aduentu Heliæ tractat. *Mat.17. Mar.9.*

Lunaticum ieiunio pulſo dæmone curat.

86. Poſtera die cum deſcendiſſet è monte, puerum à dæmone arreptum liberat, quem Apoſtoli ob imperfectionem fidei, eijcere non potuerant. Fidem ſummo præconio extollit: huiuſmodique dæmonium in oratione, & ieiunio pellẽdum conteſtatur. *Matt.17. Mar.9. Luc.9.*

Secundo mortem prædicit.

87. Inde profectus, cum adhuc in Galilæa diuerſaretur, omnibus admirandus, iterum de imminente ſibi paſſione, morte, ac reſurrectione diſcipulis, apertis quidem verbis, ſed tamen ab eis necdum intellectis, patefecit. *Matt.17. Mar.9. Luc.9.*

Didrachma.

88. Rurſum poſt longam profectionem, Capharnaum reuerſus, ne quempiam ſcandalizaret, pro ſe, ac Petro didrachma, ex ore piſcis reperto ſtatere, dari exactoribus tributi præcepit: etiamſi oſtenderet ſe tanquam terræ Dominum ad hoc minime teneri. *Matt.17.*

89 Diſcipulos ex viſis miraculis, & auditis de regno cœlorum ſermonibus, partim liuor inuaſerat, quo ægre ferebat quiſque alterum ſibi præferri: partim ambitio, qua honores, ijs, qui in terris ſunt, ſimiles animo conceperant. Sed præceptor vtrunque damnans, accerſito puello, regnum cœleſte ad illos duntaxat pertinere dixit, qui prorſus in aliũ hominem mutati, ſeſe ad paruuli modum ſcirent demittere. *Matt.18. Mar.9. Luc.9.*

De quodam eijciente dæmones, qui Ieſum non ſequebatur.

90. Eos, qui ſigna in IESV nomine faciunt, prohiberi non debere, quamuis eum non ſequantur. *Mar.9. Luc.9.*

Cauendum ſcandalum ſeu offendiculum.

91. Mox, ſtudioſè cauendum, ne quis ſcandalum aut faciat (puſillis potiſſimum) aut aliunde patiatur, ſubijcit. *Matt.18. Mar.9.*

Vnum de puſillis non contemnendum.

In ſe peccanti fratri et quoties ignoſcendũ.

92. Quia fieri non poteſt, quin aliquando ſcandala, & offenſiones oriantur; fratrem peccantem admonendum; & quo id ordine faciendum; & quomodo eidem indulgendum ſit, docet. Ratum deinde, ac firmum ſe in cœlis habiturum, quicquid in terris illi ſuo nomine collecti ſtatuerint. Cæterum in errato condonando limites, ac terminos præſcribere noluit. *Matt.18.*

De rege debitũ ſemel condonatum repetente.

93. Vt clarius intelligatur, ob noſtram inclementiam, non ſolum à Deo nobis delicta non remitti; ſed etiam ea quodammodo redire, quæ ſemel remiſſa ſunt; de rege parabolam adhibet, qui debitum ſemel remiſſum ſui ſerui repetijt: qui parem benignitatem conſeruo non impertierat; ſed potius immiſericors erga eum fuerat. *Matt.18.*

Vltimus Chriſti è Galilæa receſſus.

94. Poſtquam vero ita viſum eſt illi, vt mortem ſuſciperet, deſeruit latibula; & quandoquidem in propinquo tum erat Scœnopegiæ celebritas, quæ ſeptimo menſe obſeruabatur, in totum à Galilæa migrans, iter flexit Ieroſolymam, vbi ſe paſſurum dixerat. Priuſquam tamen eam profectionem inſtitueret, cognatis monentibus, vt ob inſtãtem tabernaculorum feſtiuitatem in Iudæam tranſiret, non acquieuit; nec eo prius aſcendit, quam illi præceſſiſſent. *Mat.19. Mar.10. Ioan.7.*

Ieſus à conſanguineis in Iudæam ire monetur.

Iniuriam Ieſus, quòd receptus nõ eſt à Samaritanis, vindicare noluit.

95. Cùm ergo Ieruſalem pergeret, cum Samaritani quidam inter eundum ciuitate excludentes auerſati ſunt. Noluit tamen, Iacobo, & Ioanne vindictam expetentibus, vt flamma cœleſtis contumaces abſorberet, ad eum modum, quo Helia orante contigit, iniuriam vindicari: ſed in iram concitatos increpuit; cœleſtem, & vere Apoſtolicum ſpiritum, eſſe ſpiritum lenitatis, manſuetudinis, & patientiæ indicans: ſeque haud quaquam veniſſe vt perdat animas; ſed vt ſeruet. Deinde cum ſuis in alium pagum abijt. *Luc.9.*

Ieſus decem leproſos mũdat.

96. Immo nec ob id in Samaria benefacere deſiit. Cum enim per mediam Samariam, & Galilæam eundum illi eſſet, quendam Samariæ vicum ingreſſus, obuios decem viros à lepra mundauit: è quibus vnus duntaxat, & ille Samaritanus, rediẽs à ſacerdotibus, gratias de accepto beneficio egit. *Luc.17.*

Dominus in media ſcænopegiæ feſtiuitate Ieruſalem ingreſſus, in templo docet.

97. Subijcitur hic ſeminarium odij, & maleuolentiæ Iudæorum, Domino illorum operum malignitati teſtimonium perhibente. Ingreſſus namque Ieruſalem in media ſcœnopegiæ ſolennitate, poſt longam Iudæorum expectationem, ac de ſe vulgi diuerſam opinionem, in templo docere cœpit. Mirabãtur qui audiebant illum, quomodo litteras probè caleret, quas nunquam didiciſſet. Rationem vero Dominus operum ſuorum, & doctrinæ ſuæ contra illorum calumnias reddit; ſecreta cordium ipſorum prodens, quod pertinaci propoſito eſſent, ſupplicium de ſe ſumendi: nec ſuum agere ſe negotium; ſed Patris, qui ſe miſiſſet, indicans. Protractóque in longum ſermone, adeo efficaciter diſſeruit, vt cum eum nonnulli comprehendere vellent, nemo illi manus iniecerit. *Ioan. 7.*

Miſſi ad Ieſum capiendum, audita eius doctrina, eum collaudant.

98. Protinus miſſi ſunt ab æmulis miniſtri, qui captum adducerent: ſed illos deterruit ſermo, cui parem nunquam audiſſent: atque varius in plebe rumor de Chriſto ſubortus eſt. Nicodemus quoq; IESVM defendens malè à Phariſæis accipitur. *Ioan.7.*

Deprehenſa in adulterio mulier abſoluitur.

99. IESVS è templo in montem Oliueti perrexit. Vnde ad templum vbi diluxiſſet rediens, iteratò populum docet. Scribæ autem, & Phariſæi adulteram in opere nefario deprehenſam producunt, quærentes ab eo captioſè, quid fieri ſtatueret. Porrò ita reſponſum temperauit, vt accuſatoribus deficientibus, & pudore affectis, neque illam abſoluens Moſis legem abrogare; neque condemnans, in tanta peccantium multitudine, vindictam à ſola hac paupercula expetere videretur. *Ioan. 8.*

Ieſus quid ſit, & volẽtes ſe lapidare vitat.

100. Exorſus mox alium ſermonem, & populum in templo docere pergens, quis eſſet oſtendit, & Iudæos ab auitis moribus degenerare probat: quandoquidem Abraham factis non referentes, diabolum imitarentur; cuius vere eſſent filij. Longa vero illi contentione, Samaritanum, & dæmoniacum appellantes, perniciem ei tanquam blaſphemo lapidum iactu allaturi erant, niſi abiens, & ſe ab eorum aſpectu ſubducens, ipſe ſibi proſpexiſſet. *Ioan. 8.*

Luto cæcus natus illuminatur.

101. Noua mox ſecuta eſt calumnia, ob quendam, ex eo tempore, quo natus fuerat, cæcum, omnibus mendicitate cognitum: quem tum forte

præteriens

præteriens Dominus in ſabbato videndi facultate donauit, iuſſum prius lutum oculis à ſe impoſitum in Siloe abluere. Vnde cum cæcus eum contra Phariſæos (quos ea res multum vrebat) defendere pergeret: atque ob id ab eis eijceretur, a Chriſto receptus eſt, & in fide plenius inſtructus. *Ioan.* 9.

Paſtor verus.

102 Poſtea Chriſtus de veri paſtoris, & mercenarij conditionibus diſſerit, veri paſtoris conditiones ſibi competere aſtruens: Iudæorum verò principes eſſe mercenarios inſinuans. & multa cum Iudæis contendit. *Ioan.* 10.

Diſcipuli 72. mittuntur.

103. Alios diſcipulos ſeptuaginta duos ſelegit, quos in meſſem Euangelici negotij, tum impendio copioſam, ante ambulones præmitteret: quique aliorum duodecim inſtar, ipſum bini ad quęuis loca præcederent: eadem illis mandata, quæ nuper alijs duodecim præſcribens; & nihil omittens præceptorum ſalubrium, quæ ad Apoſtolicam integritatem venandam his conducerēt. Pręceptis verò dotes additæ ſunt curādorum languorum, & eijciendorum dæmonum. *Luc.* 10.

Exprobrat ciuitatibus.

104 Præcipuis ciuitatibus non reſipiſcentibus, apud quas non ſolum prædicauerat Euangelium, ſed etiam egregia miracula operatus erat, immenſa mala ventura prædicit. *Matt.* 11. *Luc.* 10.

Chriſti confeſſio.

105. Cœptis felix ſucceſſus non defuit, atque inde in arrogantiam lapſi diſcipuli, reuerſi, cùm gaudio referunt, quod ipſis dæmonia ſubijcerentur: de quo illos Dominus reprimit, & ad modeſtiam reuocat: ac lætitia geſtiens patris ſui cœleſtis benignitatem, quæ magnates Euangelij ſacramēta celaſſet, & infimæ ſortis hominibus eadem aperuiſſet, commendat: quin etiam ſuam diſcipulis felicitatem prædicit. *Matt.* 11. *Luc.* 10.

Ratio vitam conſequendi.

Samaritani parabola.

106. Cum turgidus quidam Legiſperitus tentandi gratia de conſequendæ vitæ æternæ commoda ratione Dominum aliquando rogaret; eiuſque iuſſu ambo dilectionis mandata protuliſſet, & quiſnam eſſet proximus inquireret, arrepta hinc occaſione Chriſtus, parabolam de Samaritano in medium adfert, qui hominis à latronibus vulnerati, a Sacerdote autē & Leuita prętereūtibus neglecti, ſolicitam curā habuit, & cuius ille pietatem ſenſit: notans contemptos Samaritanos in dilectionis negotio Iudæis præcellere: & exemplum hoc aptum eſſe, quod alieni à charitate imitentur. *Luc.* 10.

Coloſ. 2.

107. Quoniam Chriſtus Dominus, vtpote qui theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditos in ſe habebat, venit, vt tam actiuę vitę, quam contemplatiuæ inſtituta doceret; nunc factum quoddam ipſius deſcribitur, in quo paucis verbis vtriuſque vitæ diſcrimen oſtenditur. Siue ergo in Hieruſalem iter faciens, ſiue Hieroſolymis diſcedens, & in oppidulum quoddam ingreſſus, apud Martham diuertit, quæ dum ſedulo in apparando conuiuio occupata, ſororem Mariam ab ore Domini pendentem incuſaret, eiuſque ſanctum otium interpellaret, mox ab eo cohibita, diſcit ſe negotijs, non quidem negligendis, ſed fluxis tamen incumbere; ſorore interim, vtpote quæ ſūnt potiora complectente, magis laudata. *Luc.* 10.

Martha Ieſum domi recipit.

De orando Deum modū Ieſus diſcipulos admonet.

108. Quodam tempore, cùm ab oratione ceſſaſſet, orationis modū, à diſcipulis rogatus, & precandi formulam breuem, illis tradidit: & efficacem orationis perſeuerantis vim oſtendit, parabola de illo introducta, qui panes importunitate ſua ab amico nocte impetrauit. *Luc.* 11.

Lucerna.

109. Parabolam de lucerna proponit. *Luc.* 11.

Phariſæos libere Ieſus, & ſcribas reprehendit.

110. Cum inter loquendum vocatus ad Phariſæi cuiuſdam prandium, neglecto lauacro diſcubuiſſet, & is plurimum eo fuiſſet offenſus, ſtultos vocat, qui nimium anxiè maiorum traditiones obſeruarent, iudicio Dei, & charitate interim omiſſis. Decimabant illi mentam, rutam, & olus quoduis: In vaſis quoque mundandis, quæ ad victum pertinebant, plus iuſto erant curioſi. Cæterum ambitioſi in affectandis primis in ſynagoga cathedris, hypocritæ in cultu extrinſeco, vereque ſepulchra foris dealbata. Libere igitur Phariſæorum, & Scribarum præpoſteram religionem, in externa ſolum munditie poſitam; quin etiam ſuperbiam, hypocriſim, & homicidalem animum, taxat. *Luc.* 11.

Hypocriſis cauenda. *Mors non timenda.*

111. Ab eorundem hypocriſi cauendum, præſentibus multis, ſuos diſcipulos Chriſtus admonet. Quos etiam à timore hominum corpus occidentium auocat: & ad confeſſionem ſui nominis excitat: *Luc.* 12.

Terrenorū ſolicitudo vitanda.

112. IESVM acceſſit quidam incuſans fratrem ſuum cupiditatis, quod hæreditatem ſecum non partiretur. Ille vero ad ſe iudicium forenſe minime pertinere ait. Occaſione tamen ab eo ſumpta, modis omnibus auaritiam, rerumque temporalium ſolicitudinem fugiendam eſſe admonet: & ab eo vitio animos abducit: propoſita in hoc diuitis parabola, cuius opes magnis ſudoribus per improbitatem partæ, ad incertum veniſſent hæredem, ſtulti illius anima, noctu, dum minime ita fore cogitaſſet, ablatâ. *Luc.* 12.

Fidelis ſerui.

113. Fidelis ſerui officium erga venturum Dominum ſubijcit, docens ob ſui aduentus incertitudinem, ſemper eſſe debere ſuos ad ipſum excipiendum paratos. *Luc.* 12.

Occiſi à Pilato.

114. Dum hæc loquitur, audit Pilatum præſidem extrema crudelitate in quoſdam Galilæos animaduertiſſe, adeò vt ſanguinem quoque necatorum cum ſacrificijs miſceret. Inde acceptâ occaſione, ad reſipiſcentiam, agendámque pœnitentiam omnes cohortatur, ſi ab interitu velint ſeſe vindicare. Ad pauciores enim plerumque pœnam pertingere. Veluti illis quoque contigiſſet, quos duo de viginti, turris olim in Siloe ruina compreſſerat: cum multo plures culpæ fuiſſent obnoxij. Et vt tenacius memoriæ inſideret, quod maxime omnium vellet, parabolam ſubiecit, de arbore fici, cui ſucceſionem comminatur paterfamilias, quod de ſe fructum non ediderat: atque ſic feciſſet, niſi vinitor ſuaſiſſet dilationem, ſpe quadam de frugibus etiam num concepta. *Luc.* 13.

Agenda pœnitentia.

Sabbato Ieſus mulierē curuatam ſanat.

115. Cum ſabbato in ſynagoga docens, & verba miraculis comprobans, mulierem dæmonis malitia contractam ſanaſſet, idque ſibi vitio princeps ſynagogæ verteret, Chriſtus reddita ratione illum ægre hoc ferentem, & ea de cauſa murmurantem repreſſit: & pudore cum alijs, populo interim gaudente, ſuffudit. *Luc.* 13.

Si pauci ſaluentur. Via cœli anguſta.

116. Cum aliquando per ciuitates, ac vicos docens, iter faceret in Ieruſalem, rogatus num ſint pauci, qui ſalui fiant; reſpondit contendendum ingredi in regnum cœlorum per anguſtam portam: cuius oſtiū ſemel clauſum ingredi nemo poterit: quodque exteros, familiaritatem prætendentibus plerique excluſis, recipiet. Eodem tempore Phariſæi huic felici ſucceſſui inuidentes Euangelici negotij, ſummouere loco Dominū conati; abi hinc, aiunt, quò necem, cui te Herodes deſtinauit, euadas. Ipſe vero cognita fraude, in Ieruſalem, eius ciuitatis obſtinatam incredulitatem, & ſecuturam vindictam deplorans, ſibi moriendum reſpondit. *Luc.* 13.

Herodem fugere monetur.

Sanatur hydropicus.

117 Sabbato ingreſſus ædes cuiuſdam inter Phariſæos magni, vt cibū caperet, ante ſe collocatum ſtudio Hydropicum ſanat, efficaci ratione Phariſæorum tacitè reprehenſioni ſatisfaciens. *Luc.* 14.

Humilitas ad menſam ſeruanda.

118. Eodem conuiuio mox docuit inuitatos, quam

quam ſeruare humilitatem in diligendo mēſæ loco debeant; & perperam agere, qui ad conuiuium inuitati curioſè primos accubitus ambirēt. Optimates vere eſſe, ac aliorum anteſignanos, qui animo ſeſe dimittere ſcirent. Inuitanti etiam dixit, quos maxime inuitare conueniat. In conuiuijs enim apparandis, inopum rationem haberi voluit: qui ad reddendum vices quanquam eſſent impotentes; illis tamen præmij, quod ſperandum ſit in reſurrectione iuſtorum, certa videretur occaſio. *Luc.* 14.

Humilitas ... ſeruanda.

Qui ad ... vocare in conuiuia.

119. Cum à quodam ingereretur mentio de manducando pane in Dei regno; Christus aſſumpta parabola de homine, qui ad cœnam paratam inuitatis ſeſe excuſantibus, iuſſit pauperes vndecunque collectos introduci, latenter ſignificauit ſuperbis Iudæis excluſis, qui toties inuitati, obſtinato animo varias cauſas errori prætexuerunt, ad cæleſte conuiuium humiles, ac gentiles, admittendos. *Luc.* 14.

Magna cœna.

120. Cum turbæ multæ cum ipſo irent, docuit eum, qui verus eſſe diſcipulus eius vellet, debere omnibus terrenis affectibus ſuperiorem eſſe; crucemque ipſi baiulandam. Proinde quemque apud ſe expendere debere, num his par ſit: parabolam idcirco adiungit turrim ædificantis, & regis prælium adornantis. *Luc.* 14.

121. Cum Dominus iterum, ob Encœniorum feſtiuitatem, quæ in fine menſis noni celebrabatur, Ieroſolymam aſcendiſſet, atq; in templo ambularet, à Iudæis interrogatus ipſum cingentibus; vt manifeſte, & palam ediceret, num ipſe eſſet Christus; ex operibus facile iudicandum quis eſſet reſpondit: ſed per hæc illos ad fidem non adduci, quod ex ſuis ouibus non eſſent. Procedente autem eo ſermone, vt ſe patri æquaret, & vnum ſe cum eo eſſe confiteretur, Iudęi rurſum lapidare ipſum, & lapidibus obruere adorti ſunt. Quorum conatum verbis cùm irrationabilem oſtendiſſet; ſubtraxit ſe tandem manibus quærentium eum apprehendere. *Ioann.* 10.

Encænia.

122. Seceſſit igitur in fines Iudææ, in vlteriorem Iordanis ripam, in locum Ioannis baptiſmo inſignem. Nec ibi tamen latere potuit, quin ad ipſum plurimi conuenirent: quos pro more docuit, & curauit. *Mat.* 19. *Mar.* 10. *Ioan.* 10.

123. Scribis, & Phariſæis Christi familiaritatem cum Publicanis, & peccatoribus moleſtè ferentibus; illiſque de IESV, quod peccatores reciperet, murmurantibus; tribus parabolis oſtendit, quam Deo, & ſanctis grata ſit, & iucunda peccatorum conuerſio. Prima eſt ouis centeſimæ, quam amiſſam reperiens, humeris lætus imponit, amicis ad epulum, eius rei gratia vocatis. Secunda huic eſt conſimilis, quam de drachma perdita recenſet, magno cum gaudio inuenta. *Luc.* 15.

124. Tertia ſimilitudo, qua oſtenditur qualiter Deus erga nos ſit affectus, & quæ omnium maxime indulgentem in nos patrem cœleſtem, primumque, modo reſipiſcamus, expreſſit; eſt de filio, qui patris ſubſtantiam deuorauit: cui parens obuiam vadēs, in illius cupidè ruit amplexus. Adhęc priori ſtola, ſimul cum annulo, & crepidis afferri iuſſis, mox opiparum conuiuium apparauit. *Luc.* 15.

125. Aliam parabolam diſcipulis de iniquo diſpenſatore propoſuit, qui ſuam in rem dominica bona cautus prouiderat: latenter indicans nihil hic noſtrum eſſe, ſed Domini: qui tamen prudentiam laudat miniſtri, ex bonis alienis in egentes benefici: vnde illum viciſſitudo quædam officij maneat. Inſinuans amicos bonis temporalibus parandos, per quos nobis poſtea bene ſit: ac eleemoſynis inſiſtendum; auaris Phariſæis hæc irridentibus. *Luc.* 16.

126. Rogantibus Phariſæis de indiſſolubilitate matrimonij Chriſtus diſſerit. Eis enim mos erat in deteriorem omnia torquere partem. Ideo captioſè ſciſcitantur, num liceat marito ex quauis cauſa vxorem abijcere, futurum rati, vt ſi permitteret, ſecum pugnare videretur, qui repudium vetuiſſet: ſin negaret, in legem Moſaicam delinqueret. Verum Chriſtus matrimonij omnimodam indiſſolubilitatem oſtendit, reſpondens Moyſen ad duritiem Iudæorum reſpexiſſe, tum diuortijs frena laxauit. Cæterū diligētius expendenda erat, vel ex Geneſeos libro diuina in hac re voluntas. Inde cùm difficultatem, quæ incidit in re vxoria, diſcipuli attenderent, de cœlibatu differens; eum coniugio prætulit; ſed quem non omnibus contingit præeligere: eunuchos eſſe nonnullos teſtatus, qui ſe regni cælorum gratia caſtrarent. Verum id negotij ad pauciſſimos, quibus conceſſum ſit, pertinere. *Matt.* 19. *Mar.* 10. *Luc.* 16.

De diuortio.

Indiſſolubile eſſe matrimonium.

Si liceat vxorē quacunque ex cauſa dimittere.

De cœlibatu.

127. Deinde Phariſæorum auaritiam, & luxum notaturus, minime ridiculum exemplum affert de Lazaro in ſolum Deum ſpem omnem collocante; qui ex fame, & ſqualore ereptus, in ſinum Abrahæ, cuius verè filius erat, recipitur: & de quodam epulone diuite, qui quod omnes vitę delitias ſectatus, Lazarum prædictum non alimonia, & nè micis quidē panis dignatus eſſet, in tartara deiectus eſt, vbi perpetuo pœnas acerbiſſimas, ac penitus intolerabiles dabit: Et qui cum hic felix pauperi miſericordiam nullam exhibuiſſet; in alio ſeculo infelix nullam viciſſim à Lazaro felici conſecutus eſt. *Luc.* 16.

Diues epulo, & pauper Lazarus.

128. De ſcandalo vitando; ac de fratre monendo, & in gratiam recipiendo, ſermonem rurſum Chriſtus apud diſcipulos inſert. De fidei etiam virtute, quanta nimirum ſit eius vis; deque exhibenda humilitate poſt opera multa bona præſtita, diſſerit. *Luc.* 17.

Varia documenta. Scandalū vitandum. Peccantē monēdus. Ignoſcendū reſipiſcenti. Fidei efficacitas. Domino vt ſeruiendum.

129. IESVS à Phariſæis interrogatus, quando regnum Dei veniat; quomodo ſe habituri ſint homines; cum Dominus ad iudicium veniet: Dominique aduentum plane inopinatum fore, quodque dies iudicij veniet ſubito, ceu fulgur è cœlo coruſcans, oſtendit; ac diem iudicij temporibus Noe, & Loth aſſimulauit. Præcipit ergo et diem iudicij ſollicite expectemus: in quo non minus periculū, quā olim diluuio, & Sodomis, imminet. *Luc.* 17.

Dominus ad iudiciū quando veniet.

130. Vt ad inopinatum iudicis aduentum rectè nos præparemus, addit iuſtas quoq; preces, & tenaci propoſito fixas eſſe oportere: parabolam de iniquo, ac duro iudice afferens, quem alioquin in rebus agēdis remiſſū, vrgētibus vidua precibus ad ius ſibi dicendū induxit. Vnde & apparet hominis eſſe deſperati, ne tantillū quidē de Deo præſumere. *Luc.* 18.

Iudex iniquus.

131. Mox docendę multitudini intentus, fiduciā; ſuperbiā, elationē, & arrogantia Phariſaicā damnat; qua pleriq; nimiū ſibi tribuentes, alios ſpernebant: & de ſuis benefactis prēſumebāt, omnibus præ ſe alijs contēptis. Seruiebat huic negotio parabola Phariſęi, & Publicani, tēplum orationis gratia ſimul ingredientiū: prioris bona ſua iactantis: & poſterioris nihil horum agnoſcentis; ſed totum quod boni aſſequi poſſit, diuino beneficio tribuētis. Quorum ille per ſuperbiam iuſtitiā excidit: quam hic per humilitatem adeptus eſt, à Deo iuſtitiæ dotes accipiens. Hic enim præ illo iuſtificatus à templo deſcendit. *Luc.* 18.

De Phariſæo & Publicano exemplum.

132. Subita occaſione idoneum puritatis, & abſolutæ modeſtiæ exemplum affertur: loquente IESV, importunitate matrum, infantes ad eum vt impoſitione manuum benedicerentur, adducti ſunt,

Paruuli a ... non ...

†††

Chriſtus paruulis manus imponit.

cti ſunt, Apoſtolis impendiò prohibentibus, atque indignantibus. Quibus increpatis, paruulos ad ſe vocans, ſuſcipiens, complexans, exoſculans, & benedicens, talium eſſe regnum cœlorum comprobat; rurſumque docet paruulorum ſimplicitatem, & humilitatem imitandam ei, qui ſaluus eſſe volet. *Matt.*19.*Mar.*10.*Luc.*18.

Diuitem adoleſcentem Chriſtus ad perfectionē inuitat: quo triſti abeūte, & conditionem abnuēte, docet quam difficile ſit diuitem ſaluari.

133. Poſthæc Dominus, cum inde abijſſet, in via diuiti cuidam adoleſcenti, ſempiternę vitę conſequendę cupido, non ſolum mandata Dei ſeruāda: ſed conſilia etiam legis Euangelicæ proponit exequenda. Primò enim illi, pręceptorum Dei obſeruationē cōmendat. ita tamen vt meritis proprijs diffideret: quod non ſit bonus, niſi vnus, nempe Deus. Verum iuuene arrogātius ſeſe iactāte, quod diuinis iuſſibus ſedulo paruiſſet; Chriſtus, quem nihil latebat, intuitus cor eius aliquanto æris appetentius, ad vendēda omnia, quæ mox eroget in pauperes, ſeque ſequendum, inuitat. Verum cum ille in diuerſum ſe torqueret: eo quod hoc durum ei videretur, triſtis abijt. Quamobrem diſſeruit Ieſus de difficultate, quam diuitiæ hominibus afferunt, ad regnum Dei obtinendum: rectéque dixit ex ijs moribus cōſequi facilius camelum per acus foramen, quam diuitem cœleſte regnum, ingredi. *Matth.* 19. *Marc.* 10. *Luc.* 18.

Mercetem eorum, qui relictis omnibus Chriſtū ſequuntur.

134. Tunc Petrus cui res Chriſti amore dimiſſæ, fiduciam ſperandæ mercedis fecerant, cum vt caput, & ex perſona omnium Apoſtolorum, interrogaſſet, quodnam illos maneret præmium, qui relictis propter Chriſtum omnibus, eum ſequuti ſunt: eorum felicitatem, & quam ampla mercede remunerādi ſint, protinus audit: nimirum in maieſtate Domini, proximas ſedes ſui ſimiles habituros: denique centuplum ſimul cum gloria cœleſti recepturos. *Mat.*19.*Mar.*10.*Luc.*18.

De operarijs in vineā conductis.

Quando & cur dicta ſit hæc parabola.

135. Cùm Dominus ſententiam illam protuliſſet, quod paradoxum videretur, qua dixit: Multi erunt primi nouiſſimi: & nouiſſimi primi; quo eius rei facilior ſenſus eſſet, mox aliam ſuperioribus connexuit parabolam patrisfamilias, qui varijs diei horis operarios in vineam ſuam, mercede pacta, conduxit; quibus eādem veſperi mercedem reddi voluit, imparem laborem pari præmio remunerans: poſtremo ſic fore nouiſſimos primos, & primos nouiſſimos concludit: quo ſignificari voluit, iam olim futurum, vt gentes fide Iudæos anteuerterent. *Mat.*20.

Quinta pars ea comprehendit, quæ à ſuſcitatione Lazari, vſque ad redemptoris paſſionem, de Chriſto nobis Euangeliſtæ propoſuerunt.

Lazarum Ieſus à mortuis reſuſcitat.

Cap. 136. PROXIME aduentante Paſchali tempore, cum Ieſus Dominus noſter, adhuc eſſet in illis Iudææ finibus, in quos, Iudæorum perſecutionem fugiens, ſeceſſerat; vbi & ſuperiora geſta ſunt; Marthæ, & Mariæ ſororum nuntio accerſitur, vt Lazaro fratri Bethaniæ morbo languenti opem ferret: Sed conſulto moras nectens, Apoſtolis hominem dormire ſignificat, qui iam fato conceſſerat. Præbuit ea mors repetendæ Iudææ occaſionem, etiam ſi diſcipuli cauendam Domino eam regionem, ob necem, quam illi Iudæi machinarentur, apertè prædicerent. Venit igitur Bethaniam, quarto die ex quo Lazarus in monumētum reconditus fuerat: & deploratum iam, penitúſque deſperatum, ſe reuocaturum ad vitam pollicetur. Et quid mirum ſi Lazaro præſtaret, quod omnes in illo expectamus? nec mora, dicto certa fides adfuit. Poſt fiduciam ſororibus ingeſtam; poſt turbationem, & lachrymas in ſe prouocatas, à mortuis in Bethania Lazarum excitauit: ac è monumento prodijt, qui quartum iam diem mortuus fuerat. Qua re permoti ex Iudęis complures, qui ſpectabant, colla fidei Chriſti ſubdiderunt. *Ioann.* 11.

De Ieſu perdendo Iudæi conſultant.

137. Pontifices, & Phariſæi, vbi hæc reſciuere irritati, conſilio aduerſus Chriſtum inito, in foribus eſſe periculum, niſi vnus Ieſus multorum vice pereat, Caiphæ præſidis ſententia, cognoſcunt. Itaque mox decernitur: quo celerius fieri poſſit, quoque commodius à medio tollatur; ac præcipitur, vt ſi quis ſciat vbi ſit, indicet, quo eum comprehendant. Quapropter eorum ceſſit furori Dominus, ſe ſubtrahens, & publicum fugiens; indéque recedens, cum diſcipulis ſuis, Efrem profectus eſt, quæ vrbs non longe à vaſta ſolitudine aberat: vbi cum diſcipulis ſuis in tuto manſit, donec tempus Paſchatis proprius eſſet. *Ioan.*11.

Iudæorum cōſilio occidendum Ieſum decernitur.

Ieſus in Ephrem ſeceſſit.

Ieſus paſſionem ſuam diſcipulis iterum indicat.

138. Paulo poſt cum iam tempus appeteret in Paſchate proximo ſubeundæ paſſionis, Dominus è ſuo illo receſſu Ieroſolymam verſus iter aggreſſus, in via duodecim diſcipulis ſeorſum acceptis, apertè iam omnia tertiò prædicit, quæ de ſua paſſione, morte, & reſurrectione obuentura erant, nec tamen intellexerunt quæ dicebantur. Hoc igitur caput, Domini vaticinio abſoluitur, quo proficiſcens Hieroſolymam Apoſtolis prædicit imminere paſſionem ſuam acerbam: eiúſque pręcipuas partes, ac circunſtantias, & felicem eiuſdem exitum, prænunciat; diſcipulis tantum hoc myſterium non aſſequētibus. *Mat.*20.*Ma.*10.*Luc.*18

Mater pro filijs ambit.

139. Diſcipuli verbis illis in ſpem erecti, futuri cuiuſdam regni, cuius nunc tempus adeſſe putabant, ditionem affectabant: ac primi omnium filij Zebedæi, ſimul cum matre, prima loca Dominici regni ambiebant; at IESVS hanc mentis elationem paucis verbis confutans, imprudentémque ipſorum eſſe petitionem oſtendens, eis primatum, quem affectabant, denegat. Denique aliorum ſubortentem ex ea indignationem repreſſit; monens principatum, cuius quidem inter Ethnicos reſpectus habeatur, non cogitent. Verum ſuo exemplo, qui aliorum neceſſitatibus inſeruiturus aduenerit, rectius facturos, ſi animi faſtum deponant: quoniam in regno Dei humilitas prima, & maximi haberi debet. *Mat.*20.*Mar.*10.

Cæco mendicanti appropinquās Ierico viſum largitur.

140 Cùm Dominus in itinere conſtitutus, ciuitati Ierico (quæ petenti Ieruſalem erat obuia, nec longe diſtabat ab Efrem) proximus iam eſſet, mendicanti cæco, ac vehementi clamore miſericordiam conſtanter imploranti, à turba licet prohiberetur, viſum donat. *Luc.*18.

Zachæi conuerſio.

Hoſpitio Chriſtus à Zachæo excipitur.

141. Ingreſſus Ierico Dominus, nanum illum Zachæum Publicanorum Principem, ſe videndi cupidum, ex arbore, vt ſe hoſpitio reciperet, vocat: atque, ab eo ſuſceptus, poſtquam cœleſtium amore concepto, res per nefas aliquando partas quadruplo redderet, dimidio nihilominus in pauperes diſpenſato, ſalutem eo die ipſius domui contigiſſe ait: veréque ipſum Abrahæ filium eſſe: quippe quem benefactis referret. *Luc.*19.

Parabola proculcūtes ad accipiēdum regnū, & pecuniā ſeruis ad negotiandum partientis.

142. Ibidem eos, qui aderant, docens, addit mox parabolam de nobili homine, qui traditis decem ſeruis ſuis totidem minis, profectus in regionem longinquam, poſt reditum, cum ijs rationem inijt, ſeruis frugi collaudatis, inutili autem reprobato: ac hoſtibus ſuis interfectis: ſignificans in regno ſuo, quod iam inſtare exiſtimabant, ſimilia euentura. *Luc.*19.

143. Cùm

De cæcis illuminandis.

143. Cùm Ieroſolymam Chriſtus ex Ierico pergeret, cæcos duos in via repertos, quorum alteri nomen erat Bartimæus, non longe digreſſus ab vrbe, viſu orbatos, poſt conſtantes illorum preces, liberauit: ſciſcitatus tamen prius num id gratum haberent, quòd inſtar cæcutiant, qui tamen lucem per Ieſus exectant. *Mat.*20.*Mar.*10.

Vnguento preciosi a Maria perfunditur.

144. Coeptum iter proſecutus, ante Paſcha die ſexto veniens Bethaniam, in ædes Simonis cuiuſdam, cognomento leproſi, diuertit: ac inibi honorifica cœna exceptus, cum Lazaro, & alijs conuiuantibus, Martham habuit miniſtram, & Mariam eius ſororem plus ſolito officioſam, pretioſo enim vnguento recumbentem Dominum perfudit. Quam ob rem cum diſcipuli quidam indignarentur, ac præcipuè Iudas oblatraret, & malè id eos haberet, qui diuendi tum vnguentum maluiſſent, & inopia laborantium precio conſultum; Dominus ab eorum calumnia mulierem vindicauit, & pro ea defenſionem habuit, conteſtans factum bonum fuiſſe, & in ſe factum, & fore vt nunquam deſint pauperes, quos ſoueamus, nec ſolum opus mulieris laudat; ſed & in poſterum celebrandum per orbem vniuerſum prædicit. Cumq; frequens populus Bethaniam confluxeret, non tantum Ieſu cauſa; ſed etiam vt Lazarum à mortuis rediuiuum cerneret: eo iurati ſunt principes ſacerdotum, vt etiam Lazarum cogitarent interficere: quod eius cauſa multi Iudæorum in Ieſum crederent. *Mat.*26.*Mar.*14.*Ioan.*12.

Multi propter Lazarum in Ieſum credebant.

145. Poſtridie, qui numeratur quintus ante diē feſtum Paſchæ, vicinus Ieruſalem Dominus, nouā aduentus ſui pompam inſtruit. Miſſos enim à Bethphage ad oppidum, quod è regione ſitum erat diſcipulos iubet aſinam ſimul cum pullo adducere, quibus inſideat. Et ſic iumentorum vectus tergis, ſterni viam ſibi veſtibus, ac arborum frondibus paſſus eſt; & à promiſcua multitudine acclamari lætis gratulationibus: Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael. Cæterum propius intuitus ciuitatem ante ingreſſum, defleuit illius cladem omnium miſerrimam, quam à Romanis principibus Tito, & Veſpaſiano eſſet acceptura. Denique intra vrbis mœnia erat, cùm ſubitus omnes occupat motus, quo nouarum rerum cupidi ſcire geſtiebant, quis ouationibus vſque adeo inſolitis Ieroſolymam ingrederetur. *Mat.*21.*Mar.*11.*Luc.*19.*Ioan.*12.

Hieruſalem gloriose Chriſtus ingreditur.

Deplorat ruinam et vrbis.

146. Ac protinus templum inuiſens, primum ſtudium paternæ domui ſceleſtis negociatoribus purgandæ adhibuit: proximum, cæcis, & claudis eorum integritati reſtituendis: à pueris acclamantibus eſt laudatus: Principibus, & Scribis grauiter, ob ea quæ videbant, & audiebant, indignantibus, contabeſcentibus, ac turbatis. Appetebat veſpera, & poſt ſalutares admonitiones ciuitatem egreſſus cum ſuis in Bethaniam conceſſit. Vnde cum ſequenti mane, qui dies erat quartus ante feſtum Paſchæ, famelicus Ieroſolymam reuerteretur, ficulneæ carenti fructibus, in via maledicit, imprecatus vt perpetuo ſterilis permaneret, atque ſic aridam fecit. Eodie cum aduesperaceret Bethaniam rediit. Cumq; alio mane reuerteretur in ciuitatem diſcipuli vidētes ficum execratam à Domino aruiſſe, trahuntur in admirationem. Verum Ieſus fidei pertinaci maiora tribuit, preces parum efficaces eſſe prædicans, quæ fide careant. *Matth.*21. *Mar.*11.*Luc.*19

Ficulnea maledicitur.

147. [illegible] Ethnici quidam aduenæ, qui ad diem feſtum [illegible] uenerant, deſiderio videndi Ieſum accē[illegible] videndo apud Philippum agunt. Id cum illi renunciatum eſſet, de fructu ſuę paſſionis multa locutus eſt & cum Patrem oraret, cœleſti voce claritas eius declarata eſt. *Ioan.*12.

148. Templo gratia docendi repetito, ſubdole multis quæſtionibus à Phariſæis, & Sadducęis impetitus; ipſe viciſſim eos varijs quęſtionibus, parabolíſq; notauit. Imprimis à ſacerdotū antesignanis, & plebis ſenioribus interrogatus, qua auctoritate ageret quę faciebat; hāc viciſſim quęſtionem altera retudit de baptiſmo Ioannis, vnde eſſet, nū è cœlo, an ex hominibus. *Mat.*21.*Mar.*11.*Luc.*20.

De ſua poteſtate Ieſus examinatur.

De baptiſmo Ioannis.

149. Parabola de duobus filijs, in vineam à patre, ad eam colendam miſſis, quorum patris voluntatem is peregit, qui ante recuſauerat: alter neglexit qui promiſerat. Hic patri verbo, & non re obtemperat: ille autem re, & nō verbo. Nam qui operam erat pollicitus, ceſſator fuit: qui vero illam negauerat, reſipiſcens tandem præſtitit. Vnde Chriſtus infert peccatores ipſis incredulis, coram Deo fore priores: quod Ioanni obſequentes reſipuerint. *Matt.*21.

Duo filij.

150. Proximā huic parabola eſt, de patrefamilias colonis vineam locante, qui miniſtros ſimul cum herili filio fructus poſcentes trucidarunt. Quam adduxit vt ſententiam rogati ſeipſos dānarent, qui pari ſcelere cum illis colonis notarentur. Verum quo meritas ob id pœnas intelligerent euidentius, lapidem ſe eſſe reprobatum ab ędificantibus teſtatus, cuius Propheta meminit: In quem aut impingenti, aut ab eodem illiſo, haud dubie ſit pereundum. Per hæc autem ſe ab eis, quibus loquebatur, poſt Prophetas, occidendum ſignificat, ac Dei regnum ab ipſis transferendum ad gentes. His tamen ſe principes, Phariſæi, & Scribæ notatos intelligentes, populi metu vim inferre non audent. *Mat.*21.*Mar.*12.*Luc.*20.

Vinitores homicidæ.

151. Huc etiam pertinebat & illa tertia parabola, quam de rege nuptias filio apparante recenſuit. Nam ad nuptiale conuiuium recuſantibus venire inuitatis, ac etiam vocantes occidentibus, recepti ſunt alij prius non inuitati: gentes pariū indicans pro Iudæis ad gratiā Euangelicā admittēdas. Sic eoſdem magis, magiſque perſtrinxit. *Mat.*22.

Ad nuptias inuitati.

152. Inito Phariſæi cōſilio, nouam artem excogitant: & coniuncti cum Herodianis, vt Ieſum caperent in ſermone, quęſtionem ei per ſubornatos, de cenſu ſoluendo Cæſari, proponunt: quam, detecta palam illorum fraude, prudenter ſoluit. *Matt.*22.*Mar.*12.*Luc.*20.

Ex tripartita ſeſſione Chriſto parantur inſidiæ.

153. Verum dum nunc nihil victoriæ Phariſæis, hoc Domini ſermone victis, acceſſerat, venientes quoque Sadducæi, de muliere ſeptem fratribus nupta, ſeu de reſurrectione mortuorum, quam non credebant, quæſtionem inferentes, nouum certamen ineunt. Sed hac ſapienter etiam diſcuſſa, fidem reſurrectionis, eoſdem inſcitiæ ſcripturarum arguens, comprobat. *Mat.*22.*Mar.*12.*Luc.*20.

De muliere 7. fratribus nupta.

154. Illis quoque deuictis, iterum Phariſæi pugnam repetunt, alium ſubornātes legis doctorem, qui de primo, ſeu magno legis mandato quærat. Et reſponſum ſuore, odio, & maleuolentiæ iſtorum non indignum, de proximo videlicet poſt Deum diligendo, accipit. Cum ergo dilectionis mandata duo Chriſtus reſpondiſſet, eúmque deſinerent interrogare, illos in vnum collectos accedens, ſubiturit & ipſe viciſſim quæſtionem de Chriſto, cuius tandem filium eſſe crederent. Et cum incunctanter reſpondiſſent, Dauid; nec tamen poſſent expedire, quomodo Dauid eum Dominum appellet, qui illi ſit filius; ea occaſione de diuinitate Chriſti diſſerens, clam notauit impiam illorum opinionem de ipſo: quippe qui hominem confitebātur, Deum ignorarent. Niſi enim Deus ſit, abſurdum videri, quod Dauid eum Dominum vocet. *Matt.*22.*Mar.*12.*Luc.* 20.

Maximum legis mandatum.

Cuius filius ſit Meſsias.

155. Illis ergo tacentibus, & confuſis, Dominus plebem intuitus, aduerſum hypocriſim Phariſæorum, & Scribarum permulta locutus eſt: atque docebat,

Phariſæi & Scribæ audiendi, ſed non imitandi.

††† 2

cebat ſanam doctrinam, quam auctore Deo à Moyſe recepiſſent, patientes à Scribis, & Pharisæis in cathedra Moyſi conſidentibus recipiendam: etiam ſi vita ipſoru, eo quod eſſet turpiſſima, minime ſit imitanda, & vt eam ſequantur haud quaquam proponenda. Eorûque vitia, vt & alias, apertè depingit, & inſectatur. *Matt.23. Mar.12. Luc.20.*

Eoſdem reprehendit.

156. Pergit eorundem vitia depingere, & inſectari. *Matth.23.*

Vidua pauperis munus cæteris præfertur oblationibus.

157. Superiora cum Ieſus peroraſſet, ac ſedens è regione gazophylacij, mittentes in illud munera inſpiceret, laudauit præ cæteris pauperem viduam, quæ duo æris minuta, id eſt, quadrantem iniecerat, cum illi nihil eſſet reliqui. *Mar. Luc.21.*

Templi euerſio prædicitur.

158. Templo egreſſus poſt hæc Dominus, diſcipulis in magnificam, præclaram, ſumptuoſam, & nobilem eius ſam ſtructuram oculos conuertentibus; eamque cum admiratione quadam oſtendentibus, integram illius deſtructionē prędixit, mentibus vanitatem eximens. *Mat.24. Mar.13. Luc.21.*

159. Mox Ieroſolymis egreſſus, cum ad motem Oliueti perueniſſet, vrbem intuitus, paulisper in eo conſedit. Vbi ſecreto accedetes diſcipuli, initia cladis huius futuræ codiſcunt; videlicet antichriſtos, bella, ſeditiones, terræ motus, peſtilentiam, famem, terrifica de cœlo ſigna, & perſecutiones. *Matth.24. Mar.13. Luc.21.*

160. Euerſionem vrbis Ieruſalem prædicit. *Matth.24. Mar.13. Luc.21.*

Signa diem iudicij præcurſura.

161. Poſt hæc ſe tandem in maieſtate vēturum aperte ad iudicium prædicit, ſignis terrificis præcedentibus; quæ impios conturbent: pijs vero ſpē redēptionis prębeant. *Mat.24. Mar.13. Luc.21.*

Ad indiciū vt nos præparare debeamus.

162. Suos admonet vt ad hunc inopinatum aduentum ſeſe parent ſobrietate, vigilantia, & oratione. *Matt.24. Mar.13. Luc.21.*

Diligenter vigilandū. Decem virginum parabola.

163. In eam ſententiam, quo nempe ſuos magis ad vigilantiam, & diligentiam prouocet, duas adiecit parabolas: vnam de decē virginibus, ex quibus tantum quinq; prudētes in thalamū nuptialē cum ſponſo, & ſponſa receptæ ſunt: alijs quinque fatuis ob oſcitātiā, & olei carentiā excluſis. *Ma.25.*

De talentis diſtributis parabola.

164. In eundem finem alteram ſubiungit parabolam de talentis a Domino, qui pergere proficiſcebatur, in ſeruos diſtributis: quorum qui lucrum fecerut laudati ſunt, & honorati: inutilis qui fuit, non tātum vituperatus eſt, ſed in tenebras etiam exteriores eiectus. *Matt.25.*

Modum iudicandi aperit.

165. Denique modum in nouiſſimo die iudicādi proſequitur: quomodo ſcilicet filius hominis magna in maieſtate aduenìens, ſeparatione bonorum a malis facta, illos ad vitam æternam, ob præſtita miſericordiæ opera, vocabit; hos ob neglectū eorundem operum execrabiles igni, & cruciatibus nunquam finiendis tradet. *Mat.25.*

Ultimum Iudæorum de capiendo Ieſu conſilium.

166. Cæterum hos ſermones cum Ieſus cōſummaſſet, ſe poſt biduum in Paſchate crucifigendum ſubiecit: atque Bethaniam, vbi diem ſequentem egit, eſt profectus. Et vt quod diuinitus conſtitutum erat adimpleretur, diabolo facta poteſtate interea collecti ſacerdotum antiſtites, & ſcribæ in atrio Caiphæ, de Ieſu per inſidias capiendo, & occidendo concilium ineunt: omnemque comprehendendi eum ac tollendi è medio captant occaſionem. *Matth.26. Mar.14. Luc.22.*

Iudæ pactio.

167. Inuentus eſt huic negotio idoneus Iudas offenſus, qui abiens, & ad eos conſultantes ingreſſus, paciſcitur cum illis de prodendo Ieſu triginta argenteis. *Matth.26. Mar.14. Luc.22.*

Quartum Feria.

Agnus Paſchalis.

168. Poſtridie cum prima dies azymorum, hoc eſt, earum, quibus à fermento Iudæi abſtinebant, iam adeſſet, Petro, & Ioanne pręmiſſis, agnum Paſchalem veſperi edendum Ieſus parari iuſſit in Ieruſalem, in domo eis nouo ſigno demonſtrata. Ipſe hora opportuna ſecutus cum reliquis Apoſtolis, vna diſcubuit, & agnum Paſchalem cœnās comedit. *Matt.26. Mar.14. Luc.22.*

Pedum lotio.

169. Poſt agni typici eſum, ante inſtitutionē Euchariſtiæ, vt ex eo ſatis intelligitur, quod Ieſus pedes loturus à cæna ſurrexerit, & poſt lotionē iteru recubuerit, diſcipulis ſuis, Petro licet aliquamdiu reſiſtente, pedes lauit, in exemplum ſimul, & myſterium. Tanto enim exēplo ad veram animi humilitatem, demiſſionem, modeſtiam, & charitatē illos inuitat. immo etiam puritatē Euchariſtiam ſumpturis neceſſariam docet. De humilitate ergo ſeruanda eoſdem admonet. *Ioan.13.*

Euchariſtiæ inſtitutio.

170. Accepto mox pane, deinde vini calice, corpus eſſe ſuum, ac ſanguinem teſtatus, manducare illos iuſſit, & bibere: quod ea ſit futuræ calamitatis ſuæ, mortiſque memoria. Idemque impoſterum eis in memoriam eius faciendum præcepit. *Matth.26. Mar.14. Luc.22*

Se prodendum à diſcipulo.

171. Ex eo cœtu, quē tanto ardore dilexerat, quēdā eſſe, qui ſe Iudęis proditurus eſſet, omnibus perplexis, indicat. *Mat.26. Mar.14. Luc.22. Ioan.13.*

Notatio proditoris.

172. Ioanni roganti, quis Dominum proditurus eſſet, intincto pane, Ieſus demonſtrat: quo ſumpto Iudas Chriſti iuſſu egreſſus eſt. *Ioan.13.*

Contentio. Vindicatio.

173. Cum Iudas receſſiſſet, ac hymno gratiarum actionis dicto, ſecuta eſt mox rurſum pro primatu inter Apoſtolos contentio. quā non ſolum vt olim ſedauit humilitatis exemplo; ſed & communis honoris promiſſo. *Matt.26. Mar.14. Luc.22.*

Mādatum nouum.

174. Protinus ſermonē de ſuo diſceſſu inferens, nouū illud mutuæ dilectionis mandatū ſuis commendat; ſymbolum id eſſe ſignificās, quo diſcipuli ſui ab exteris dignoſcantur: eoſque omnes ipſa nocte ſcandalū in ſe paſſuros: ac Petrū qui ſibi euē turum id fortiter negauit, ter ſe ante ſecundū gallicinū negaturum, aliáq; imminentia ipſis mala prædicit. *Matth.26. Mar.14. Luc.22. Ioann.13.*

Prædictio ſcandali, negationis & aliorum.

Sermo Domini poſt cœnam.

175. Mox ad conſolationē mœſtorum diſcipulorum conuerſus, prolixo ſermone varijs modis eorum deiectos animos erigit, & contra imminentia eos mala præmunit. Ad proxima ergo pericula eorum inſtruens animos, iubet mœrorē, ac metū omnē deponere, vt cor ipſorum non paueſcat: iturum ſe præparatum ſuis locum, quo illos ad ſe recipiat: & planè ſe viā eſſe, veritatē, ac vitā declarat: argumentum præterea videri quod ſe magiſtrum ament, ſi præceptis ſint morigeri: nunquam ſe cōmiſſurum, vt deſertos omni ſolatio relinquat, quando ſpiritum cœleſtem conſolatorem in hoc illis mittendum deſtinarit: pacem interea ſuam impartiens. *Ioann.14.*

176 Deinde vt omnē ſpem ſalutis non in alio, ſed in ſe duntaxat collocent, vitē ſe eſſe prædicat, à qua ſemotus palmes ſterilis redatur, & mox in flāmas poſtquam aruerit, videatur conijciendus. Non ſe itē electum ab eis fuiſſe; ſed cū delectu a ſe electos fuiſſe Apoſtolos. Magiſtro proinde mundum hunc tendere inſidias, vt Prophetæ oraculo continetur. Itaq; non mirum videri, ſi diſcipulis idē accidat, qui dignitate cenſeantur inferiores. *Ioan.15.*

177 Adhæc Spiritum conſolatorē, cuius paulo ante meminit, ſuo aduentu incredulū hunc mundum de peccato condēnaturum: breuē eſſe triſtitiam, & parientis fœminæ ſimillimam. Vt enim hanc ingens finit gaudium in-fantis recēs nati: ita diſcipulorum corda poſt mœrorē præſentem, lætitia perpetua exhilarabit. Denique pacē Ieſus diſcipulis in ſeſe habituros ſpondet, modo ſuo exemplo animentur, qui mundum vicerit. *Ioan.16.*

Se, diſcipulos, & omnes credētes.

178. Illo ſermone cōpleto, fixis in cœlum oculis, patrem orat, vt ſe mundo clarū reddat; per operum ſuorum manifeſtationē, & exaltationem: diſcipulos, ve-

[illegible] verò, & eos, qui verbo illorum in ipſum crediderint, à malo ſeruet; in fide confirmet; vnum per dilectionem faciat; ac in fine glorificet. *Ioann.* 17.

Sexta pars, Dominicæ paſſionis, ac ſepulturæ hiſtoriam aperit.

CAP. 179. EGRESSVS Dominus ciuitate cum ſuis in [illegible] quendam à ſe orationis gratia frequentari ſolitum, angorem animi ſui ob inſtantē [illegible] primum delectis à ſe tribus Apoſtolis [illegible], deinde patri in oratione, qua ter mortem deprecatus eſt, aperuit. Poſt quod ab Angelo confortatus, vltro ſe hoſtibus, Iuda prodente, capiendum tradidit, Petrum ab inferenda vi prohibens. Interea diſcipuli omnes fuga ſibi conſuluere. *Mat.* 26. *Mar.* 14. *Luc.* 22. *Ioann.* 18.

180. [illegible] & vinctus poſt Annam Caiphę preſentatur, apud quem poſt acceptam, ob liberum reſponſum, alapam, poſt auditos falſos teſtes, ſed reiectos, tanquam blaſphemus condēnatur, & illuditur. Quę dum geruntur, Petrus in eiſdē ædibus, [illegible] Dominum negauit: ipſumque Domino [illegible] ad ſecundum gallicinium, facinus [illegible] egreſſus foras amarè fleuit. *Mat.* 26. *Mar.* 14. *Luc.* 22. *Ioann.* 18.

181. Mane facto, Iudæorum principes Dominū [illegible] ob veritatis confeſſionem condemnatum præſidi Pilato vinctum tradiderunt. *Matt.* 27. *Mar.* 15. *Luc.* 22. *Ioann.* 18.

182. Iudas illis [illegible], pœnitentia ductus, ſe laqueo ſuſpendit, proiectis prius in templo argenteis quibus deinde concilij decreto, ager in ſepulturam peregrinorum emptus eſt. *Matth.* 27.

183. Oblatus Pilato Chriſtus de varijs accuſatur à Iudæis, quæ cum parum probabilia iudex exiſtimaret, innocentem ipſum iudicauit. *Matth.* 27. *Mar.* 15. *Luc.* 23. *Ioan.* 18.

184. Audita Galilæa, præſes IESVM eſſe Galilæum edoctus, ad Herodem Galilęæ tetrarcham, qui tum Ieroſolymis forte agebat, eum miſit: vbi, expectatus vt portenta ederet, conticuit. Itaque [illegible] veſte alba ludibrio habetur: atque ad Pilatum remittitur. Cui Herodes, ob honorem per hæc ſibi exhibitum reconciliatus eſt: Præſes vero de innocentia rei ſatis apud ſe perſuaſus, atque [illegible] perplexus, varijs modis illum abſoluere pergit, & innocuū liberare pro virili admititur. *Lu.* 23.

185. Primum tentat Pilatus, num occaſione ſeſti IESVS populi furore dimitti poſſit. Cùm id non ſucce[illegible]et, illis peſſimum, IESV cruci affixo, [illegible] eximi deſiderantibus; præſes lenire illorum ſæuitiam volens, eundem grauiter flagellatum, & corona ex ſpinis impreſſa ceruici, veſtéque purpurea illuſum, Iudæis videndum exhibet, quo ad commiſerationem eos commoueret. At cum [illegible] eius necem requirerent, ac metum Pilato inijcerent, manibus aqua lotis, poſt innocētiam frequenter à ſe teſtatam, quam vxor quoq; palam de illo prędicabat cruciſigendum tradidit. *Mat.* 27. *Mar.* 15. *Luc.* 23. *Ioan.* 19. *Cōdēnatur ad crucem.*

186. Lata hac mortis ſententia, eductus ad locum ſupplicij Dominus, crucem ipſe ſibi geſtare cogitur. Sed & Simonem quendam ad opem in ea re ferendam adigunt. *Mat.* 27. *Mar.* 15. *Luc.* 23. *Io.* 19. *Ad mortē eundo crucē portat.*

187. Inter eundum flentes mulieres deplorare non ipſius mortem; ſed imminens ſibi excidium, iubet. *Luc.* 23. *Plorantes mulieres Chriſto cōpatiuntur.*

188. Dehinc ad montem Caluariæ, cum duobus latronibus, progreſſus; vino myrrhato felle mixto potatur: cruci affixus cū titulo, inter duos latrones medius pendebat, omnium iniurijs, & probris expoſitus. Et ne tunc ille quidem ſolitę in omnes beneuolentiæ poterat obliuiſci primo enim Patrem cœleſtem orat, crucifigentium vt errori veniam daret: etiam ſi coram cerneret milites veſtimenta ſua diuidentes; & omnes audiret ſibi conuitiantes, ac illudentes. Quod cum vnus latronum itidem faceret; alter, eo reprehenſo, poſt fidei plenam orationem, æternæ vitæ promiſſionem obtinuit. Mariam deinde genitricem Ioanni commendat. A Patre ſe derelictum queritur. Siti ſeſe affici clamans, aceto potatur. Eueniſſe tum omnia dixit, quæ oraculis olim vates futura de Chriſto præcinuiſſent. Itaque demiſſo in pectus capite, Patrem affatus: In manus, inquit, tuas commendo ſpiritum meum. Quæ vox illi vitam linquenti extrema fuit. Moritur circa horam nonam cum ante ſextam fixus in cruce fuiſſet. Mortem extemplo ſequuta ſunt prodigia; ex quibus turba cum centurione, innocentiam eius intellexit. Fidem enim illa de Chriſto faciebant. *Matt.* 27. *Mar.* 15. *Luc* 23. *Ioan.* 19. *Cruciſixio.* *Septē vltima Chriſti verba.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Chriſti mors. Signa.*

189. Protinus Iudæi Pilatum rogabant, vt corpora condemnatorum eo die, obſequens ſabbatum, pateretur auferri: quoque celerius extinguerentur, latronibus crura comminuta ſunt: Chriſto iam exanimi latus cuſpide confoſſum, cruoris & aquæ vbertim riuos edidit. *Ioan.* 19. *Chriſti latus apertum.*

190. Veſperi decurionis Ioſephi precibus à Pilato conceſſum corpus Dominicū honorificè ſepelitur; obſeruato Iudęorum in vngendo ritu: qua in re Nicodemus ſuo nō defuit officio. pijs mulieribus id obſeruantibus. *Mat.* 27. *Mar.* 15. *Luc.* 23. *Io.* 19. *Ioſeph petit corpus Ieſu à Pilato, & honorifice vna cum Nicodemo ſepelit.*

191. Poſterò die Iudæi, ne corpus Domini clam à diſcipulis auferretur veriti, à prǽſide ſepulchro adhiberi Dominico excubias impetrant. In muniendo itaq; ſepulchro magna lapidis mole, conſignandóque oſtio nihil prætermiſſum. *Mat.* 27. *Cuſtodia ſepulchri. & Monumētum ſignatur.*

Septima pars ea proponit, quæ de Chriſto narrant Euangeliſtæ, ab eius Reſurrectione, vſque ad Aſcenſionem: ſeu Reſurrectionis, & Aſcenſionis Chriſti myſteria enarrat.

CAP. 192. Sed quid ad Deum humana conſilia? [illegible] Sanctæ mulieres emptis ac præparatis aromatibus, diluculo eius diei, quæ poſt ſabbatum, [illegible] primi erat; ſepulchrum, vt IESVM [illegible] vngerent adeunt. Interea fit ingens terræ motus: lapis ab oſtio monumenti remouetur: & cuſtodes metu coruſcantis Angeli conſternantur. At vero mulieres ab eodem Angelo confortatæ, Dominum reſurrexiſſe docentur. Quod cum eiſdem Angeli iuſſu diſcipulis nunciaſſent, hi eis non credunt. Petrus tamen & Ioannes ad monumentum, ſequentibus eos mulieribus, excurrunt. Sed Domini non inuento corpore Ieroſolymam regrediuntur. *Matt.* 28. *Mar.* 16. *Luc.* 24. *Ioan.* 20. *ſurrectio.* *Curſus Apoſtolorum.*

193. Diſcipulis & mulieribus à ſepulchro abeuntibus, cum Maria Magdalena illic ſola flens perſiſteret, poſt Angelorum viſionem, & colloquium, prima Dominum à morte reſuſcitatum videre meruit ac poſtea multæ ſimul deuotæ mulieres; quibus in via Dominus occurrens, id eis diſcipulis nunciare miſit. Hi vero mulieribus, *Chriſti & Angelorū apparitiones.* *Ieſus occurrit mulieribus*

 quæ

quæ Dominum rediuiuum conſpexerant, eandem Chriſti reſurrectionem prædicantibus, non crediderunt. Monumenti cuſtodes cum ſatis ex Angelorum verbis Domini reſurrectionem cognoſcerent, eam principibus ſacerdotum nunciant: ſed ab ijs pecunia corrupti, mentito diſcipulorum furto, eam texerunt. *Matt.* 28. *Mar.* 16. *Io.* 20.

Milites Christi resurrectionem nunciant.

194. Mox eodem die rus ab Ieruſalem duobus diſcipulis proficiſcentibus in aliena ſpecie iunctus, poſt diuturnum cum eis colloquium, in fractione panis agnitus eſt. In Hieruſalem illi veſpera eadem reuerſi, apud vndecim Apoſtolos, & alios Diſcipulos, Dominum ſibi viſum narrant: & viciſſim Petro etiam eſſe viſum audiunt. *Mar.* 16. *Luc.* 24.

Duobus rus euntibus in specie aliena apparet Iesus.

195. Dum hæc illi tractant, in medio eorum, abſente Thoma, per ianuas clauſas Dominus aſſiſtens videndum ſe, ac palpandum omnibus præbet: ſidémque, edendo cum ipſis, confirmat: incredulitatem exprobrat: ac deinde poſt ſcripturarum explanationem, poteſtatem remittendi, retinendíque peccata eis tradit. Thomas vero ad condiſcipulos reuerſus, eorum de hac re teſtificationi non acquieſcit. *Mar.* 16. *Luc.* 24. *Ioann.* 20.

Iesus discipulis apparet. Scripturarum intelligentia. Potestas remittendi peccata. Thomæ incredulitas.

196. Dominus octauo poſt die, oſtio rurſum clauſo ad diſcipulos ingreſſus, eos ſolito pacis ſymbolo conſalutat. Mox Thomæ pertinacem de ſe dubitationem caſtigans, eum videndo, & palpando ad fidem adducit: ſéque poſtea in Galilæam diſcipuli recipiunt. *Matt.* 28. *Ioan.* 20.

Thomæ Iesus apparet.

197. Poſthæc Apoſtolis quatuor, tribúſque diſcipulis in mari Galilææ piſcantibus, cum eius, licet incogniti, iuſſu, immenſam piſcium vim concluſiſſent, tandem ſe manifeſtum reddidit. Ibique poſt communem cum illis menſam, Petro amorem ter confitenti, ſuas oues paſcendas concredidit; ſub quodam verborum inuolucro, quis illum pro ſuo nomine, vitæ maneret exitus, adijciens: ac ſe vt ſequeretur, excuſſa quid Ioanni accideret cura, præcepit. *Ioan.* 21.

Ad mare discipulis apparet. Christi oues Petro committuntur. Finis vitæ Petri. & Ioannis.

198. Adhæc iterum in Galilæa viſendum ſe Dominus præbuit in monte, quem ad hoc deſtinarat, confluentibus eo diſcipulis, & adorantibus: vbi traditam ſibi mox indicat omnium, quæ cœlo, terráque continentur, ditionem. Deinde conteſtatus eam eſſe veræ, & ſalutaris doctrinæ formulam, quam auribus ſe doctore hauſiſſent; eis negotium euangelizandi, baptizandique iniungit; promittens non defutura miracula; & ſuo negotio ſe præſto ſemper aſſuturum. *Matth.* 28. *Mar.* 16.

Discipulis se Dominus in monte Galilææ ostendit.

199. Dehinc, poſt Spiritus ſancti promiſſionem, quem in Ieruſalem diſcipulos expectare iuſſit; cum ſuos foras in Bethaniam eduxiſſet, è monte Oliueti receptus eſt in cœlum. Vbi ſedet ad dexteram Patris. Diſcipuli vero dominicis obtemperantes iuſſibus, cœleſtem doctrinam in orbem vniuerſum diuulgarunt: & dominicam opem ſemper circa ſe, ad eum modum, quo prædixerat ille, præſentem ſenſerunt. *Mar.* 16. *Luc.* 24.

Dominus in cælum coram discipulis ascendit.

200. Alia multa IESV facta ſunt. *Ioan.* 21.

Conclusio

Index Euangelicarum lectionum, quæ Dominicis, Feſtis, & alijs diebus in ſacro Miſſæ officio leguntur, iuxta Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem:

Dom. 1. Aduent.
Erunt ſigna in Sole. cap. 161.
Dom. 2. Aduent.
Cùm audiſſet Ioannes. cap. 56.
Dom. 3. Aduent.
Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis. cap. 16.
Fer. 4. quat. temp. Aduent.
Miſſus eſt Angelus Gabriel. cap. 5.
Fer. 6. quat. temp. Aduent.
Exurgens Maria abijt in montana. cap. 6.
Sabb. quat. temp. Adu. & Dom. 4. Adu.
Anno quintodecimo Imperij. cap. 15.
In Vig. Natiuit. Dom.
Cùm eſſet deſponſata. cap. 7.
In nocte Natiuit. Dom.
Exijt edictum à Cæſare. cap. 9.
In aurora Natiuit. Dom.
Paſtores loquebantur ad inuicem. cap. 9.
In die Natiuit. Dom.
In principio erat verbum. cap. 2.
In feſto S. Stephani Prot.
Ecce, ego mitto ad vos. cap. 156.
In feſto S. Ioannis Euang.
Dixit Ieſus Petro: Sequere me. cap. 197.
In feſto SS. Innocent.
Angelus Domini apparuit. cap. 12.
Dom. inf. oct. Nat.
Erant Ioſeph, & Maria mater Ieſu. cap. 11.
In feſt. Circumc. Domin.
Poſtquam conſummati ſunt dies octo. cap. 9.
In Vig. Epiph.
Defuncto Herode. cap. 13.
In feſ. Epiph.
Cùm natus eſſet Ieſus. cap. 10.
Dom. inf. oct. Epiph.
Cùm factus eſſet. cap. 14.
In oct. Epiph.
Vidit Ioannes Ieſum. cap. 17.
Dom. 2. poſt Epiph.
Nuptiæ factæ ſunt. cap. 2.
Dom. 3. poſt Epiph.
Cùm deſcendiſſet. cap. 53.
Dom. 4. poſt Epiph.
Aſcendente Ieſu in nauiculam. cap. 35.
Dom. 5. poſt Epiph.
Simile factum eſt. cap. 61.
Dom. 6. poſt. Epiph.
Simile eſt regnum. cap. 63.
Dom. in Septuag.
Simile eſt regnum. cap. 135.
Dom. in Sexag.
Cùm turba plurima. cap. 60.
Dom. in Quinq.
Aſſumpſit Ieſus duodecim. cap. 138.
Fer. 4. Cinerum.
Cùm ieiunatis. cap. 50.
Fer. 5. poſt Cineres.
Cùm introiſſet. cap. 54.
Fer. 6 poſt. Cin.
Audiſtis, quia dictum eſt. cap. 49.
Sabbat. poſt Cin.
Cùm ſero eſſet factum. cap. 72.
Dom. 1. Quad.
Ductus eſt Ieſus in deſertum. cap. 19.
Fer. 2.
Cùm venerit filius hominis. cap 165.
Fer. 3.
Cùm intraſſet. cap. 145.
Fer. 4.
Acceſſerunt ad Ieſum Scribæ. cap. 58.
Fer. 5.
Egreſſus Ieſus ſeceſſit. cap. 75.
Fer. 6.
Erat dies feſtus Iudæorum. cap. 42.
Sabbat. & Dom. 2. Quad.
Aſſumpſit Ieſus Petrum. cap 84.
Fer. 2.
Ego vado, & quæretis. cap. 100.

Fer. 3.
Super cathedram Moyſi. cap. 155.
Fer. 4.
Aſcendens Ieſus Ieroſolymam. cap. 138.
Fer. 5.
Homo quidam erat diues. cap. 127.
Fer. 6.
Homo erat paterfamilias. cap. 150.
Sabbato.
Homo quidam habuit duos filios. cap. 124.
Dom. 3. Quad.
Erat Ieſus eijciens dæmonium. cap. 58.
Fer. 2.
Vtique dicetis mihi hanc. cap. 66.
Fer. 3.
Si peccauerit in te. cap: 92.
Fer. 4.
Acceſſerunt ad Ieſum ab. cap. 74.
Fer. 5.
Surgens Ieſus de Synagoga. cap. 31.
Fer. 6.
Venit Ieſus in ciuitatem. cap. 26.
Sabbato.
Perrexit Ieſus in montem. cap. 99.
Dom. 4. Quad.
Abijt Ieſus trans mare. cap. 71.
Fer. 2.
Propè erat Paſcha. cap. 22.
Fer. 3.
Iam die feſto mediante. cap. 97.
Fer. 4.
Præteriens Ieſus, vidit hominem. cap. 101.
Fer. 5.
Ibat Ieſus in ciuitatem. cap. 55.
Fer. 6.
Erat quidam languens. cap. 136.
Sabbato.
Ego ſum lux mundi. cap. 100.
Dom. de Paſſione.
Quis ex vobis arguet. cap. 100.
Fer. 2.
Miſerunt principes, & Phariſæi. cap. 98.
Fer. 3.
Ambulabat Ieſus in Galilæam. cap. 74.
Fer. 4.
Facta ſunt Encænia. cap. 121.
Fer. 5.
Rogabat Ieſum quidam. cap. 57.
Fer. 6.
Collegerunt Pontifices, & Phariſæi. cap. 137.
Sabbato.
Cogitauerunt Principes Sacerdotum. cap. 145.
Dom. in Palmis.
Cùm appropinquaſſet Ieſus. cap. 145.
Scitis quia poſt biduum. cap. 166.
Fer. 2. maioris hebdomadæ.
Ante ſex dies Paſchæ. cap. 144.
Fer. 3.
Erat Paſcha, & azyma. cap. 144.
Fer. 4.
Appropinquabat dies feſtus. cap. 167.
Fer. 5. in cœna Domini.
Ante diem feſtum Paſchæ. cap. 169.
Fer. 6. in Paraſceue.
Egreſſus eſt Ieſus, cum. cap. 179.
Sabbato ſancto.
Veſpere autem Sabbati. cap. 592.
Dom. Reſurrectionis Dom.
Maria Magdalene, & Maria. cap. 192.
Fer. 2.
Duo ex Diſcipuli Ieſu. cap. 194.
Fer. 3.
Stetit Ieſus in medio. cap. 195.
Fer. 4.
Manifeſtauit ſe iterum Ieſus. cap. 197.
Fer. 5.
Maria ſtabat ad monumentum. cap. 193.
Fer. 6.
Vndecim diſcipuli abierunt. cap. 198.

Sabbato in Albis.
Vna ſabbati Maria Magdalene. cap. 192.
Dom. in Albis in oct. Paſchæ.
Cùm eſſet ſero die illa. cap. 195.
Domin. 2. poſt Paſc.
Ego ſum paſtor bonus. cap. 102.
Dom. 3.
Modicum, & iam non. cap. 177.
Dom. 4.
Vado ad eum, qui. cap. 177.
Dom. 5.
Amen, amen dico vobis. cap. 177.
In litanijs maioribus, & minoribus.
Quis veſtrum habebit amicum. cap. 108.
In Vig. Aſcenſ.
Subleuatis Ieſus oculis, cap. 178.
In die Aſcenſ. Domini.
Recumbentibus vndecim diſcipulis. cap. 19[illegible].
Domin. infra. oct. Aſcenſ.
Cùm venerit Paraclitus. cap. 176.
Sabbat. in Vig. Pentec.
Si diligitis me, mandata. cap. 175.
In Dom. Pentec.
Si quis diligit me. cap. 175.
Fer. 2.
Sic Deus dilexit mundum. cap. 23.
Fer. 3.
Amen, amen dico vobis. cap. 102.
Fer. 4. quat. temp. Pent.
Nemo poteſt venire ad me. cap. 73.
Fer. 5.
Conuocatis Ieſus duodecim. cap. 68.
Fer. 6. quat. temp. Penteco.
Factum eſt in vna dierum. cap. 37.
Sabbat. quat. temp. Pent.
Surgens Ieſus de ſynagoga. cap. 31.
In feſto SS. Trinit.
Data eſt mihi omnis. cap. 198.
Dom. 1. poſt Penteco.
Eſtote miſericordes, ſicut. cap. 49.
In ſolennit. corp. Chriſti.
Caro mea verè eſt cibus. cap. 73.
Dom. 2. poſt Pentec.
Homo quidam fecit cœnam. cap. 119.
Dom. 3.
Erant appropinquantes ad Ieſum. cap. 123.
Dom. 4.
Cùm turbæ irruerent. cap. 29.
Dom. 5.
Amen dico vobis, niſi abundauerit. cap. 48.
Dom. 6.
Cùm turba multa eſſet. cap. 77.
Dom. 7.
Attendite à falſis prophetis. cap. 52.
Dom. 8.
Homo quidam erat diues. cap. 125.
Dom. 9.
Cùm appropinquaret Ieſus. cap. 145.
Dom. 10.
Dixit Ieſus ad quoſdam. cap. 131.
Dom. 11.
Exiens Ieſus de finibus. cap. 76.
Dom. 12.
Beati oculi, qui vident. cap. 105.
Dom. 13.
Dum iret Ieſus in Ieruſalem. cap. 96.
Dom. 14.
Nemo poteſt duobus dominis. cap. 51.
Dom. 15.
Ibat Ieſus in ciuitatem, cap. 55.
Dom. 16.
Cùm intraret Ieſus in domum. cap. 117.
Dom. 17.
Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi. cap. 154.
Fer. 4. quat. temp. Sept.
Reſpondens vnus de turba. cap. 86.
Fer. 6. quat. temp. Sept.
Rogabat Ieſum quidam Phariſæus. cap. 57.
Sabbat. quat. temp. Sept.

Arborem

Index Euangelicarum lectionum.

Arborem fici habebat quidam. cap. 114.

Dom. 18. poſt Pentec.

Aſcendens Ieſus in nauiculam. cap. 36.

Dom. 19.

Simile factum eſt regnum. cap. 151.

Dom. 20.

Erat quidam regulus. cap. 27.

Dom. 21.

Simile eſt regnum cœlorum. cap. 93

Dom. 22.

Abeuntes Phariſæi conſilium. cap. 152.

Dom. 23.

Loquente Ieſu ad turbas. cap. 40.

Dom. 24.

Cùm videritis abominationem. cap. 160.

In vig. S. Andreæ Apoſt.

Stabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo. cap. 20.

In feſto S. Andreæ Apoſt.

Ambulans Ieſus iuxta mare. cap. 29.

In Concept. B. Mariæ Vir.

Liber generationis Ieſu Chriſti. cap. 4.

In feſto S. Thomæ Apoſt.

Thomas vnus de duodecim. cap. 195.

In feſto S. Pauli primi Eremitæ.

Reſpondens Ieſus, dixit: Confiteor. cap. 105.

In feſto Cathedræ S. Petri.

Venit Ieſus in partes Cæſareæ. cap. 81.

In conuerſ. S. Pauli Apoſt.

Dixit Simon Petrus ad Ieſum. cap. 134.

In feſto Purif. B. Mariæ Vir.

Poſtquam impleti ſunt dies. cap. 11.

In feſto S. Agathæ.

Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi, tentantes eum, & dicentes: Si licet homini. cap. 126.

In feſto S. Mathiæ Apoſt.

Reſpondens Ieſus, dixit: Confiteor. cap. 105.

In feſto S. Ioſeph Confeſ.

Cùm eſſet deſpouſata. cap. 7.

In feſto Annunciat. B. Mariæ V.

Miſſus eſt Angelus Gabriel. cap. 5.

In feſto S. Marci Euang.

Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos. cap. 103.

In feſto SS. Apoſt. Philippi, & Iacobi.

Non turbetur cor veſtrum. cap. 175.

In feſto S. Athanaſij.

Cùm perſequentur vos in ciuitate iſta. cap. 68.

In feſto Inuent. S. Crucis.

Erat homo ex Phariſæis, Nicodemus. cap. 23.

In appari. S. Michaelis.

Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes. cap. 86.

In feſto S. Barnabæ Apo.

Ecce, ego mitto vos, ſicut oues. cap. 68.

In vig. S. Ioan. Ba.

Fuit in diebus Herodis Regis. cap. 3.

In Nat. S. Ioan. Ba.

Elizabeth impletum eſt tempus. cap. 8.

In vig. SS. Apoſt. Petri, & Pauli.

Dixit Ieſus Simoni Petro: Simon Ioannis. cap. 197.

In feſto SS. Apoſt. Petri, & Pauli.

Venit Ieſus in partes Cæſareæ. cap. 81.

In commem. S. Pauli. A.

Ecce, ego mitto vos, ſicut oues. cap. 68.

In feſto Viſit. B. Mariæ V.

Exurgens Maria, abijt in montana. cap. 6.

In f. oct. SS. Apoſt. Petri, & Pauli.

Dixit Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus. c. 134.

In oct. SS. Apoſt. Petri, & Pauli.

Iuſsit Ieſus diſcipulos ſuos aſcendere. cap. 72.

In feſto ſeptem Fratr.

Loquente Ieſu ad turbas, ecce mater. cap. 59.

In feſto S. Mariæ Ma.

Rogabat Ieſum quidam Phariſæus. cap. 57.

In feſt. S. Apollinar Epiſ. & Mar.

Facta eſt contentio inter diſcipulos. cap. 173.

In feſto S. Iacobi Apoſt.

Acceſsit ad Ieſum mater filiorum. cap. 139.

In feſto Transf. Dom.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum. cap. 84.

In feſto S. Laurentij.

Amen, amen dico vobis, niſi granum. cap. 147.

In Vig. Aſſumpt. B. Mariæ Vir.

Loquente Ieſu ad turbas, extollens vocem. cap. 58.

In Aſſumpt. B. Mariæ. Vir.

Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum. cap. 107.

In feſto S. Barthol. Apoſt.

Exijt Ieſus in montem orare. cap. 46.

In decollat. S. Ioannis Baptiſt.

Miſit Herodes, ac tenuit Ioan. cap. 85.

In Nat. B. Mariæ Vir.

Liber generationis Ieſu Chriſti. cap. 4.

In feſto Exalt. S. Crucis.

Nunc iudicium eſt mundi. cap. 147.

In vig. S. Matthæi Apoſt. & Euan.

Vidit Ieſus Publicanum. cap. 53.

In feſto S. Matthæi Apoſt. & Euan.

Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio. cap. 38.

In feſt. dedicat. S. Mich. Arch.

Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum. cap. 89.

In feſto S. Lucæ Euang.

Deſignauit Dominus & alios. cap. 103.

In vig. SS. Apoſt. Simonis, & Iudæ.

Ego ſum vitis. cap. 176.

In feſto SS. Apoſtol. Simonis, & Iudæ.

Hæc mando vobis, vt diligatis. cap. 176.

In vigil. omnium Sanct.

Deſcendens cum. cap. 47.

In feſto omnium Sanct.

Videns Ieſus turbas, aſcendit. cap. 46.

In feſto S. Martini Epiſc. & Confeſ.

Nemo accendit lucernam. cap. 109.

In feſto S. Greg. Thaumaturgi.

Habete fidem Dei. cap. 146.

In vig. vnius Apoſt.

Hoc eſt præceptum meum. cap. 176.

In comm. Mart.

Si quis venit ad me. cap. 120.

Si quis vult venire poſt me. cap. 83.

Nolite arbitrari, quia venerim pacem. cap. 68.

Nihil opertum, quod non reueletur. cap. 68.

Amen, amen dico vobis, niſi granum. cap. 147.

Ego ſum vitis vera. cap. 176.

Ego ſum vitis, vos palmites. cap. 176.

Amen, amen dico vobis, quia plorabitis. cap. 177.

Cùm audieritis prælia. cap. 159.

Deſcendens Ieſus de monte, ſtetit. cap. 47.

Sedente Ieſu ſuper montem Oliueti. cap. 158.

Videns Ieſus turbas, aſcendit. cap. 46.

Reſpondens Ieſus, dixit: Confiteor. cap. 105.

Væ vobis, qui ædificatis. cap. 110.

Qui vos audit, me audit. cap. 103.

Attendite à fermento Phariſæorum. cap. 111.

In comm. Conf.

Homo quidam peregrè proficiſcens. cap. 164.

Vigilate, quia neſcitis, qua hora. cap. 162.

Nemo accendit lucernam. cap. 109.

Videte, vigilate, & orate. cap. 162.

Vos eſtis ſal terræ. cap. 48.

Sint lumbi veſtri præcincti. cap. 113.

Nolite timere puſillus grex. cap. 112.

Homo quidam nobilis abijt. cap. 142.

Dixit Simō Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus. c. 134.

In comm. Virg.

Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus. c. 163.

Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito. c. 65.

In anniuerſ. dedic.

Ingreſſus Ieſus perambulabat Ierico. cap. 141.

De Angelis

Vidit Ieſus Nathanael venientem. cap. 20.

De Paſſ. Dom.

Sciens Ieſus, quia iam omnia. cap. 188.

De S. Maria tempore Paſchali.

Stabant iuxta crucem Ieſu. cap. 188.

EVANGELISTARVM QVATERNIO, SEV EVANGELICAE HISTORIAE DISPOSITIO;

In qua res Domini noſtri IESV CHRISTI, eo ordine, quo geſtæ ſunt, ipſis Euangeliſtarum verbis, ſic diſtribuuntur, vt quid ſingulorum proprium, quidue plurium commune ſit, ilico fiat Lectori exploratum:

Cum Notationibus ex antiquis Patribus deſumptis.

Sanctum IESV CHRISTI *Euangelium ſecundum Matthæum.*	*Sanctum* IESV CHRISTI *Euangelium ſecundum Marcum.*	*Sanctum* IESV CHRISTI *Euangelium ſecundum Lucam.*	*Sanctum* IESV CHRISTI *Euangelium ſecundum Ioannem.*

Prima pars, ea continet, quæ ad CHRISTI pueritiam, & infantiam pertinent.

CAPVT I. *Euangelii præfatio, qua breuiter exponitur, quo Euangeliſta conſilio ad ſcribendum acceſſerit.*

Matt.	*Mar.*	*Lucæ 1.*	*Ioan.*
		1 [QVONIAM quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt rerum. 2 Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. 3 Viſum eſt & mihi aſſecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile: 4 Vt cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.	

Notatio prima.

Ammo. Cur hæc præfatio toti etiam Euangelicæ diſpoſitioni præfigatur.

HOc procœmium, quod ſanctus Lucas Euangelio ſuo præpoſuit, etiam recte toti Euangelicæ diſpoſitioni, ab Ammonio, & alijs præmittitur. Siquidem non minus quatuor ſanctorum Euangeliſtarum codici, quam libro ipſius Diui Lucæ proprio, conuenit. Quamuis enim non exiſtimem Sanctos Euangeliſtas Matthæum, & Marcum, ea de cauſa ſe impulſos ad ſcribendum Euangelium potuiſſe dicere, qua ſanctus Lucas; quod ſcilicet multi conati fuiſſent ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt rerum: etenim id nulli ante ipſos tentauerant. Nihilominus in hoc etiam totius Euangelicæ hiſtoriæ organo, ea omnia, quæ de IESV CHRISTI Dei, ac Domini noſtri verbis, & factis miniſtri ſermonis tradiderunt, accurrate, & ex ordine deſcribuntur, & quidem in eum finem, vt quicunque in Dei eſſe vult dilectione, certam eorum, quæ de filio Dei didicerit, cognoſcat veritatem.

Not. 2. ver. 2.

Traditionis Apoſtolicæ vtilitas.

Ex ſecundo verſu diſcimus, Apoſtolicam traditionem pleniſſimę de Chriſto cognitionis, certiſſimæque fidei, & firmitatis Chriſtianæ religionis, originem eſſe.

Amb.

Amb. lib. 1. in Lucam: Gemina virtus eſt in homine perfecto, vt & intentio ſit, & actio. Vtramque igitur virtutem ſanctus Euangeliſta Apoſtolis defert. Non ſolum enim viderunt, inquit, ſed etiam miniſtri verbi fuerunt. Intentio viſionis, actionis eſt miniſterium: finis autem intentionis eſt actio: principium actionis intentio. Atque, vt proprio Apoſtolorum vtamur exemplo, intentio eſt quod Petrus, & Andreas, audita Domini voce, dicentis: Faciam vos fieri piſcatores hominum: ſine vlla comperendinatione, reliquerunt ſcalmum, verbum ſecuti ſunt. Sed non ſtatim in intentione actio. Ibi quidem adhuc non actio, ſed intentio, vbi dicit Petrus: Domine, quare non poſſum te ſequi modo? animam pro te ponam. Erat enim intentio paſſionis, ſed nondum erat actio: licet in ieiunijs iam eſſet actio, eſſet in vigilijs, eſſet in contemptu corporalium voluptatum. Hæc enim eſt actio Chriſtiani. Neque enim in omnibus rebus ſimul & intentio, & actio eſt: ſed cum ſit rei alterius actio: alterius adhuc intentio eſt. Nam & ipſe Petrus cum multa Apoſtolica virtute perpeti peregiſſet, poſtea tamen quando dixit ei Dominus: Tu me ſequere, tulit crucem ſuam, & ſequutus eſt verbum, atque actionem ſubijt paſſionis.

Apoſtolis intentio cum actione tribuitur.

Matt. 4.

Ioan. 13.

Ioan. 21.

Sed fuerat in Petro, Andrea, Ioanne, & cæteris Apoſtolis, & intentionis, & actionis æqualitas. Eſt autem nonnunquam plus in intentione, quam in actione; aut plus in actione, quam in intentione: vt in Euangelio cernimus inter ſanctam Mariam, & Martham fuiſſe diſtantiam. Alia enim verbum audiebat, alia feſtinabat circa miniſterium, quæ ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ, &c. Ergo in altera intentionis ſtudium, in altera actionis miniſterium redundabat; vtrique tamen vtriuſque virtutis ſtudium ſuppetebat. Siquidem & Martha, niſi audiſſet verbum miniſterium non ſubijſſet: cuius actio, intentionis indicium eſt. Et Maria tantum gratiæ de vtriuſque retulit perfectione virtutis, vt vngeret pedes Ieſu, & tergeret capillis, & totam domum ſuæ fidei odore compleret. Eſt etiam nonnunquam maxima intentio, caſſa actio: vt ſi medicinæ animum aliquis intendat, & cum omnia medendi præcepta cognouerit, non exequatur officia: atque ita fit, vt quia caſſa actio, caſſa etiam intentio ſit. Eſt etiam in nonnullis vberior aliquando actio, exilior intentio; vt ſi aliquis baptiſmi ſalutaris ſacramenta percipiat, & cognoſcendis variarum virtutum præceptis animum nolit intendere, fit plerumque vt per intentionis incuriam fructum actionis amittat. Ideo ergo vtriuſque virtutis plenitudo quærenda eſt, quam conſequi potuerunt Apoſtoli. De quibus dicit: Qui ab initio viderunt, & miniſtri fuerunt: vt per id quod viderunt, diuinæ cognitionis intelligatur intentio: per id quod miniſtri fuerunt, eorum actio declaretur.

Marthæ, & Mariæ diſcrimen.

Luc. 10.

Not. 3. ver. 3.

Quomodo Lucas ordine ſcripſerit.

Cum ſe, verſu tertio, dicit Lucas ordine ſcripturum, non vult ſignificare, quod omnium, quæ narraturus eſt, ordinem, quo euenerunt, ſeruaturus ſit; & quod eodem prorſus ordine, quo res geſtæ fuerunt, ſit eas ſcripturus. Nullus enim Euangeliſtarum, præter Ioannem, id præſtitit: nam alij quandoque in recenſendis Chriſti factis, ordinem hunc, iuſtis licet de cauſis, inuerterunt.

Expoſitio reijcienda.

Solus Ioannes ordinem vbique ſeruat.

1. expoſitio bona.

Verum ſignificat ſe Lucas, poſt inquiſitionem factam, & cognitionem adeptam, tunc deinceps ſcripturum. Eſt enim Græc. cathexis, quod potius deinceps, ſeu conſequenter, quam, ex ordine, ſignificat, & in noſtra lectione vulgatâ, ex ordine, pro deinceps, ſeu conſequenter, accipi poteſt, vt nomine ordinis, non intelligatur hic ſignificari ordo narrandorum; ſed ordo hiſtoriographis ſeruandus; quo prius rerum geſtarum diligentem, exactamque inquiſitionem facere debent; ac deinde animum ad ſcribendum accommodare.

Epiph.

Et ita Epiph. latine redditus, hæreſi 51. videtur accepiſſe, cum præſentem locum ita recitat: Viſum eſt & mihi conſequenter ſcribere tibi; vbi pro, ex ordine, ponit, conſequenter. Vult ergo hic dicere Lucas, ſe poſt diligentem rerum perueſtigationem, ita conſequenter aggreſſum eſſe ſcribere. Denique hunc Lucæ ſenſum eſſe dici poteſt, quod ordinem ſeruaturus ſit inter ea, quæ in Euangelica narratione præcipua ſunt, vt hic tradat ſe, quamuis non ſingulis in rebus, in tota tamen ſerie hiſtorica, ordinem proſecuturum: quod videlicet prius acturus ſit de conceptione Ioannis, quam Chriſti: quia prior fuit; prius etiam ob eandem cauſam de conceptione Chriſti, quam de ipſius natiuitate: prius de hac, quam de circunciſione: prius de illa; quam de purificatione: prius de hac, quam de educatione: prius de iſta, quam de baptiſmo: prius de hoc, quam de prædicatione, atque miraculis: & de his prius, quam de paſſione, & morte: & prius de iſtis, quam de reſurrectione, & aſcenſione. Sic omnia Lucas ordine ſuo contexuit.

2. ſenſus etiam bonus.

Not. 4.

Aug.

Aug. lib. 4. de conſ. cap. 8: Sic ergo incipit Lucas: Quoniam quidem multi conati ſunt, &c. hoc principium ad Euangelij narrationem nondum pertinet. Admonuit autem vt nouerimus eundem Lucam etiam illum librum ſcripſiſſe, qui Actus Apoſtolorum vocatur: non ſolum quia Theophyli nomen etiam illic ineſt: nam poſſet fieri, vt & alius aliquis Theophylus eſſet; & ſi idem ipſe eſſet, ab alio ad illum aliquid

Hæc præfatio ad Euangelii narrationem non pertinet. ver. 3.

Lucas duos libros ſcripſit.

aliquid ſcriberetur; ſicut à Luca Euangelium: ſed quia & ibi ita exorſus eſt, vt diceret: Primum quidem ſermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit IESVS facere, & docere, &c. dedit intelligi quod iam ſcripſerit Euangelij librum vnum ex quatuor. Quorum eſt in Eccleſia ſublimis auctoritas. Nec ideo, quia dixit de omnibus ſe feciſſe ſermonem, &c. putari debet omnia ſcripſiſſe in Euangelio ſuo, quæ IESVS, cum Apoſtolis in terra verſatus, fecit, & dixit, ne ſit contrarium Ioanni, qui ait: Multa alia feciſſe IESVM, quæ ſi ſcriberentur, mundum totum non potuiſſe capere illos libros: cum etiam conſtet ab alijs Euangeliſtis non pauca narrata, quæ Lucas ipſe narrando non attigit. De omnibus ergo fecit ſermonem, eligendo de omnibus vnde faceret ſermonem: quæ iudicauit apta, & congrua ſufficere officio diſpenſationis ſuæ.

Act. 1. — *Quatuor Euangeliorum Auctoritas.* — *Vt ſermonem Lucas de omnibus fecerit.* — *Ioan. 21.*

Qui ſint conati.

Et quod dicit, multos conatos ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt rerum: videtur ſignificare nonnullos, qui non potuerint hoc ſuſceptum munus implere. Ideo autem dicit ſibi viſum eſſe ex ordine diligenter ſcribere, quoniam multi conati ſunt: ſed eos debemus accipere quorum in Eccleſia nulla extat auctoritas. Quia id quod conati ſunt, implere minime potuerunt. Iſte autem non ſolum vſque ad Reſurrectionem, Aſcenſionemque Domini perduxit narrationem ſuam, vt in quatuor auctoribus Euangelicæ ſcripturæ dignum labore ſuo haberet locum: verum etiam deinceps, quæ per Apoſtolos geſta ſunt, quæ ſufficere credidit ad ædificandam fidem legentium, vel audientium, ita ſcripſit, vt ſolus eius liber fide dignus haberetur in Eccleſia de Apoſtolorum Actibus narrandis, reprobatis omnibus, qui non ea fide, qua oportuit, facta, dictaque Apoſtolorum auſi ſunt ſcribere.

ver. 1 — *Quatuor Euangeliſtæ.*

CAP. 2. IESV *diuinitas, humanitas, & incarnatio.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 1.*

In die Natiuitatis Domini.

1 + [IN principio erat verbum.
2 Et verbum erat apud Deum.
3 Et Deus erat verbum.
4 Hoc erat in principio apud Deum.
5 Omnia per ipſum facta ſunt.
6 Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.
7 In ipſo vita erat.
8 Et vita erat lux hominum.
9 Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.
10 Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.
11 Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.
12 Non erat ille lux; ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.
13 Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
14 In mundo erat; & mundus per ipſum factus eſt; & mundus eum non cognouit.
15 In propria venit, & ſui eum non receperunt.
16 Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.
17 Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; ſed ex Deo nati ſunt.
18 Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.
19 Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre,
20 Plenum gratiæ, & veritatis. +

Notatio prima.

Cur iſtud caput ſit initio poſitum. — *Ammo. Tatia.* — *Ratio 1.*

HOC Euangelij ſecundum Ioannem principium, recte initio totius Euangelicæ hiſtoriæ ab Ammonio, Tatiano, & alijs collocatur. Primo quidem, vt nouum teſtamentum idem cum veteri exordium habeat. Id enim valde conueniens eſſe videtur. Moyſes autem ſuam hiſtoriam, in qua mundi creatio, & progreſſio deſcripta eſt, hoc modo inchoauit: In principio; Ergo etiam Euangelica hiſtoria, quæ mundi renouationem continet, non inepte idem habet initium. Secundo, quia congruum erat, eam Euangelicæ hiſtoriæ partem, in qua de æterna Chriſti natura, ſubſtantia, & generatione agitur, initio collocari, quod ſit prior, antiquior, dignior, & potior. Tertio, quoniam hoc præſens caput, eſt quaſi totius Euangelicæ hiſtoriæ argumentum.

Ratio 2. — *Ratio 3.*

Not. 2. ver. 1. & ſequent.

Hilar. Quam ſit hęc doctrina ſublimis.

HILAR. lib. 1. de Trin: Proficit mens vltra naturalis ſenſus intelligentiam; & plus de Deo, quam opinabatur, edocetur. Creatorem enim ſuum, Deum ex Deo diſcit: verbum Deum, & apud Deum, in principio eſſe audit: mundi lumen in mundo manens, & à mundo non recognitum intelligit; venientem quoque in ſua, à ſuis non receptum. Recipientes autem, ſub fidei ſuæ merito, in Dei filios profeciſſe cognoſcit, non ex complexu carnis, neque ex conceptu ſanguinis, neque ex corporum voluntate, ſed ex Deo natos. Deinde verbum carnem factum, & habitaſſe in nobis, & gloriam conſpectam eius, quæ tanquam vnici à patre ſit perfecta, cum gratia, & veritate. Hic iam mens trepida, & anxia, plus ſpei inuenit, quam expectabat. Ac primum ad cognitionem Dei patris imbuitur, & quod antea de creatoris ſui æternitate, & infinitate, & ſpecie, naturali ſenſu opinabatur; hoc nunc proprium eſſe etiam vnigenito Deo accipit: non in Deos fidem laxans; quia ex Deo Deum audit: non ad naturæ diuerſitatem in Deum ex Deo decedens; quia plenum gratia, & veritate Deum ex Deo diſcit: neque præpoſterum ex Deo Deum ſentiens; quia in principio apud Deum eſſe Deum comperit. Rariſſimam deinde huius ſalutaris cognitionis fidem eſſe; ſed maximum præmium noſcit: quia & ſui non receperunt, & recipientes in filios Dei aucti ſunt; non ortu carnis, ſed fidei: eſſe autem filios Dei non neceſſitatem eſſe, ſed poteſtatem: quia propoſito vniuerſis Dei munere, non natura gignentium afferatur; ſed voluntas præmium conſequatur. Ac ne idipſum, quod vnicuique eſſe Dei filium, à Deo filio fit poteſtas, in aliquo infirmitatem fidei trepidæ impediret: quæ per ſui difficultatem ægerrimè ſperatur, quod & magis optatur, & minus creditur, verbum Deus caro factum eſt, vt per Deum verbum carnem factum, caro proficeret in Deum verbum. Ac ne verbum caro factum, aut aliquid aliud eſſet, quam Deus verbum, aut non noſtri corporis caro eſſet, habitauit in nobis, vt dum habitat, non aliud quam Deus maneret; Dum autem habitat in nobis, non aliud quam noſtræ carnis Deus caro factus eſſet, per dignationem aſſumptæ carnis, non inops ſuorum, quia tanquam vnigenitus à patre plenus gratiæ, & veritatis, & ipſius perfectus ſit, & verus in noſtris. Hanc itaque diuini ſacramenti doctrinam mens læta ſuſcepit, in Deum proficiens per carnem, & in nouam natiuitatem per fidem vocata, & ad cæleſtem regenerationem obtinendam poteſtati ſuæ permiſſa, curam in ſe parentis ſui, creatoriſque cognoſcens, non in nihilum redigendam ſe per eum exiſtimans, per quem in hoc ipſum quod eſt, ex nihilo ſubſtitiſſet.

Hilar.

Et lib. 2. de Trinitate: Supereſt de inenarrabili generatione filij adhuc aliquid; imo aliquid illud adhuc totum eſt. Æſtuo, differor, hebeſco, & vnde incipiam, neſcio. Neſcio enim quando natus ſit filius, & nefas eſt mihi neſcire quod natus ſit. Quem imprecer? quem implorem? ex quibus libris ad tantarum difficultatum enarrationem verba præſumam? Euoluam omnem græciæ ſcholam? ſed legi; vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſeculi? In hoc ergo ſophiſtæ mundi, & ſapientes ſeculi muti ſunt. Sapientiam enim Dei reprobauerunt. Scribam ergo legis conſulam? ſed ignorat: quia ei crux Chriſti ſcandalum eſt. Hortabor forte vos conniuere, & tacere; quia ad venerationem ſatis ſit eius, qui prædicatur, leproſos emundatos fuiſſe, ſurdos audiſſe, claudos cucurriſſe, paralyticos conſtitiſſe, cæcos lumen recepiſſe, cæcum ab vtero oculos conſecutum, dæmones fugatos, ægrotos reualuiſſe, mortuos reuixiſſe. Sed hæc hæretici confitentur, & pereunt. Expectate itaque, nihil minus claudorum curſu, cæcorum viſu, fuga dæmonum, vita mortuorum. Conſiſtit enim mecum in patrocinium æditarum ſuperius difficultatum, piſcator, egens, ignotus, indoctus, manibus lino occupatis, veſte vuida, pedibus limo oblitis, totus e naui. Quærite, & intelligite, circumſpicite verum mirabilius fuerit, mortuos excitaſſe, an imperito ſcientiam doctrinæ iſtius intimaſſe? Ait enim: In principio erat. Tranſeuntur tempora, tranſmittuntur ſecula, tolluntur ætates. Pone aliquid quod voles tua principium opinione, non tenes tempore, erat enim vnde tractatur. Reſpice ergo ad mundum, & intellige quid de eo ſcriptum ſit: In principio fecit Deus cælum, & terram. Fit ergo in principio, quod creatur; & ætatem continet, quod & principio continetur, vt fieret. Meus autem piſcator, illiteratus, indoctus, libera tempore eſt, ſolutus à ſeculis, vicit omne principium; erat enim quod eſt, neque in tempore aliquo concluditur, vt cæperit, quod erat potius in principio, quam fiebat: Sed excidiſſe fortaſſe ab ordine propoſitæ diſtributionis piſcatorem noſtrum deprehendemus. Verbum enim tempore liberauit, & ſumit ſibi quod liberum, & ſolitarium, & obtemperans nemini eſt. Aures arrigamus ad cætera, ait enim: Et verbum erat apud Deum. Iam ſine principio eſt apud Deum, quod erat ante principium. Eſt ergo, qui erat, apud Deum, & qui abeſt à tempore, non abeſt ab auctore. Piſcator noſter euaſit. Sed fortaſſe hærebit in cæteris. Dices enim: Verbum ſonus vocis eſt, & enunciatio negotiorum, & elocutio cogitationum: Hoc apud Deum erat, & in principio erat. In principio erat: quia ſermo cogitationis æternus eſt, cum qui cogitat ſit æternus. Reſpondebo tibi interim pro piſcatore meo paucis, dum videbimus quomodo ruſticitatem ſuam ipſe defendat. Sermo in natura habet, vt eſſe poſſit; ſequens autem ei eſt, vt fuerit: eſt vero tantum cum auditur. Et quomodo in principio erat, quod neque ante tempus, neque poſt tempus eſt? &

Margin (right column): Eſa. 33. — 1 Cor. 1. — Verbum eſſe quando cœpe- rit. — Magnum miraculũ ſcientia Ioannis. — Principiũ imagina- tionis. — Gen. 1. — Verbum vbi ſit. — An pater ſit auctor filij. — Verbum quid ſit.

eſt? & neſcio an vel ipſum poſſit eſſe in tempore. Loquentium enim ſermo, neque eſt antequam loquuntur, & cum locuti erunt, non erit: In eo autem ipſo quod loquuntur dum finiunt, iam non erit id, vnde cœperunt. Hæc à me vt ab vno ex cæteris. Sed piſcator meus aliter pro ſe; & obiurgabit te prius, cur negligenter audieris. Nam etſi ſententiam primum rudis auditor amiſeras; In principio erat verbum; de ſequenti quid quæreris; & verbum erat apud Deum? Nunquid audieras; in Deo, vt ſermonem reconditæ cogitationis acciperes? aut fefellerat ruſticum, quid eſſet, inter eſſe, & inter ineſſe, & inter adeſſe, momenti? Id enim quod in principio erat, non in altero prædicatur eſſe, ſed cum altero. Sed de ſuperioribus nihil ſumo, conſequentia ſibi adſint, ſtatum verbi, & nomen expecta: Adijcit namque: Et

Verbum quid ſit.

Deus erat verbum. Ceſſat ſonus vocis, & cogitationis eloquium. Verbum hoc res eſt, non ſonus: natura, non ſermo; Deus, non inanitas eſt. Sed trepido in dicto, & inſolens ſermo me commouet. Audio; & Deus erat verbum; cum vnum Deum Prophetæ nunciauerint. Sed ne quo vltra trepidatio mea progredi poſſit: Reddit ſacramenti tanti piſcator meus diſpenſationem, & refert ad vnum omnia, ſine contumelia, ſine abolitione, ſine tempore. Ait enim: Hoc erat in principio apud Deum. Cum hoc erat in principio, non tenetur in tempore: cum Deus eſt, non refertur ad vocem. Cum eſt apud Deum, nihil nec confunditur, nec confertur: nam nec abolétur in alterum, & apud vnum ingenitum Deum, ex quo ipſe vnus vnigenitus eſt, Deus prædicatur.

Fulg.

Fulg. lib. ad Donat. cap. 18: Vnus quippe Chriſtus eſt, qui in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Qui etiam verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Hinc Sabellianus vincitur, quia in eo, quod verbum erat apud Deum, oſtenditur altera patris, altera filij eſſe perſona. Hinc etiam Arrianus ſuperatur, quia in eo, quod Deus erat verbum, oſtenditur, vna eſſe patris, filijque natura. Ad oſtendendam proprietatem perſonæ, valet, quod ſolus filius verbum dicitur. Ad oſtendendam huius naturæ communionem pertinet, quod ſicut Deus Pater dicitur, etiam Filius Deus nuncupatur. Hinc etiam & Manichæus ſimul confunditur, & Photinus, in eo quod dicitur: Et verbum caro factum eſt. In nomine quippe verbi, diuinitas vera cognoſcitur: & in nomine carnis, vera humanitas inuenitur: vt Chriſtus Filius Dei, & verus Deus, & verus homo, in vtriuſque nominis naturali veritate cognoſcatur. Ac ſic nec Manichæus in eo falſam prædicare audeat carnem, nec Photinus ei naturalem valeat adimere deitatem.

Omnes hinc conuincuntur hæreſes. Sabellij. ver. 2. Arij. ver. 3. Verbum dicitur ſolus filius. Manichæi. Photini. ver. 11.

Not. 3. ver. 1.

Hier. Logos varia ſignificat.

HIERON. epiſt. 103. ad Paulinum cap. 4: Logos Græcè multa ſignificat. Nam & verbum eſt, & ratio, & ſupputatio, & cauſa vniuſcuiuſque rei, per quam ſunt ſingula, quæ ſubſiſtunt. Quæ vniuerſa rectè intelligimus in Chriſto.

Aug.

Aug. quæſt. 63. lib. 83. quæſt: In principio erat verbum. Quod Græcè Logos dicitur, Latine & rationem, & verbum ſignificat. Sed hoc loco melius verbum interpretamur, vt ſignificetur, non ſolum ad patrem reſpectus: ſed ad illa etiam, quæ per verbum facta ſunt operatiua potentia. Ratio autem, etſi nihil per illam fiat, rectè ratio dicitur. Et tract. 1. in Ioan: Quale ergo verbum, quod & dicitur, & non tranſit? Intendat charitas veſtra, magna res eſt. Quotidie dicendo verba viluerunt nobis, quia ſonando verba, & tranſeundo viluerunt, & nihil aliud videntur, quam verba. Eſt verbum & in ipſo homine, quod manet intus; nam ſonus ex ore procedit. Eſt verbum quod verè ſpiritaliter dicitur, illud quod intelligitur de ſono, non ipſe ſonus. Ecce verbum dico, cum dico; Deus. Quam breue eſt, quod dixi, quatuor litteras, & duas ſyllabas: Nunquidnam hoc totum eſt Deus, quatuor litteræ, & duæ ſyllabæ? an quantum hoc vile eſt, tantum charum eſt, quod in eis intelligitur? quid factum eſt in corde tuo, cum audiſſes; Deus? quid factum eſt in corde meo, cum dicerem, Deus? magna, & ſumma quædam ſubſtantia cogitata eſt, quæ tranſcendit omnem mutabilem creaturam carnalem, & animalem. Et ſi dicam tibi; Deus commutabilis eſt, an incommutabilis? Reſpondebis mihi ſtatim; Abſit, vt ego vel credam, vel ſentiam commutabilem Deum: incommutabilis ergo eſt Deus. Anima tua quamuis parua, quamuis, forte, adhuc carnalis, non mihi potuit reſpondere, niſi incommutabilem Deum: omnis autem creatura mutabilis. Quomodo ergo potuiſti ſcintillare in illud, quod eſt ſuper omnem creaturam, vt certus mihi reſponderes incommutabilem Deum? Quid eſt ergo illud in corde tuo, quando cogitas quandam ſubſtantiam viuam, perpetuam, omnipotentem, infinitam, vbique præſentem, vbique totam, nuſquam incluſam? Quando iſta cogitas, hoc eſt verbum de Deo in corde tuo. Nunquid autem hoc eſt ſonus ille, qui quatuor litteris conſtat, & duabus ſyllabis? ergo quæcumque dicuntur, & tranſeunt, ſoni ſunt, litteræ ſunt, ſyllabæ ſunt. Hoc verbum tranſit, ſonat. Quod autem ſignificauit ſonus, & in cogitante eſt, qui dixit, & in intelligente eſt, qui audiuit, manet hoc, tranſeuntibus ſonis. Refer animum ad illud verbum. Si tu potes habere verbum in corde tuo, tanquam conſilium natum in mente tua, vt mens tua pariat tibi conſilium, & inſit conſilium quaſi proles mentis tuæ, quaſi filius cordis tui: prius enim cor generat conſilium, vt aliquam fabricam conſtruas, aliquid amplum in terra moliaris, iam natum eſt conſilium, & opus nondum completum eſt. Vides tu quid facturus es, ſed alius non miratur niſi cum feceris, & conſtruxeris molem, & fabricam illam ad exculptionem, perfectionemque perduxeris, &c.

Cur hic melius ponatur verbum, quàm ratio. Aug. Verbum internum, & externum. Quid ſit verbum noſtrum internum.

 Iſidor.

Iſidor.

Iſidor. Peluſ. lib. 3. ep. 141: Filius merito verbum appellatur, non quod verbum ſolum ſit, ac patris interpres, vt quibuſdam placet, verum quia dicto citius operatur, ac citra perpeſſionem vllam genitus eſt. Verbum autem cum ſit, ſubſiſtens quiddam eſt, ac peculiarem proprietatem habet. Nam quod hypoſtaſi minime careat, hinc liquet, quod ipſummet verbum ſe verba habere dicat, his verbis vtens: qui audit verba mea, & facit ea, &c. Quocirca cum verbum verba habeat, profecto hypoſtaſi minime caret. Verum cum hypoſtaſim habeat, propterea verbum nuncupatur, quia citra vllam perpeſſionem à patre prodijt.

Fulg.

Fulg. lib. 1. ad Traſ. cap. 16: Illud vtique verbum carnem factum aſſerit, quod Deum eſſe ſuperius memorauit: vt oſtenderet eundem verum Deum ex patre, qui eſt homo verus ex homine. Oſtẽdit præterea, in quo naturaliter ſempiternum credamus ex Deo patre, & in quo temporaliter ex homine factum hominem debeamus accipere: Aliud in exordio, aliud in

Verbi æternitas.

ſubſequentibus monſtrans. Æternitas igitur filij Dei aſſeritur, dum verbum Deus in principio prædicatur. Ibi verbum non dicit factum, quod ex patre nouerat genitum. Ibi non eſt temporis nomen, vbi ſempiternitas, nec initium poteſt habere, nec finem. Cum autem venitur ad carnis vocabulum, tunc verbum caro dicitur factum: vt agnoſcamus eum, qui factus non erat, ſed natus de patre ſemper erat; tunc fieri voluiſſe, quando, quod fecerat, factus opus

Fulg. Cur dicitur, in principio, & non, ante principiũ erat verbum.

ſuum, dignatus eſt reparare. Et lib. 2. cap. 5: An forte, quia: In principio erat, audiuimus dictum, aliquod filio exiſtendi audebimus aſſignare principium? & ideo ſine initio natus eſſe non creditur, quia Ioannes non eum ante principium; ſed in principio fuiſſe teſtatur? Abſit vt hæc inſulſa cogitatio cuiuſquam mentem ſapientis attingat: Abſit vt hæc in quolibet læthalis perfidiæ contagio, puritatem Chriſtianæ

Cur Chriſtus dicatur principium. Principiũ imaginationis.

religionis inficiat: Quis enim non conſideret, illud dignè principium dici, quod nullo potuit principio præueniri? Nam quidquid ante quodlibet principium cogitare volueris, hoc neceſſe eſt, verum principium fatearis, & quoniam ſemper cogitando principium, nullus inuenit terminum, propterea illud eſt dicẽdum verè principium, quod eſt eſſentialiter ſempiternum. Hinc eſt profecto, quod ipſe filius volens Iudæis immenſitatem ſempiternitatis ſuæ certa prorſus manifeſtatione monſtrare, interrogantibus quis eſſet, reſpondit: Principium, quod

Ioann. 8

& loquor vobis. Sed forſitan eo, quod eſt principium dictus, magis putabitur initio exiſtendi ſubiectus. Quod ſi ex hoc vocabulo quiſquam molitur præiudicium ſtruere veritati, vt quem principij cognoſcit vocari nomine, quoddam principium natiuitatis exiſtimet habuiſſe, dabit profecto etiam patri (quod nefas eſt) aliquod exiſtendi principium, quem cum filio principium cognoſcimus nominatum. Sicut

Pſal. 109.

ipſe dicit: Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genui te. Quid autem reſpondebit, qui de principij nomine aſſerit filium natiuitatis habere principium? quod ſi quis pro eo quod principium dicitur, natiuitatem filij habere credit initium, conſequens eſt, vt ipſum filium, pro eo quod filius dicitur, finem quoque aſſerat habiturum. Nam ipſe Dominus interrogantibus Iudæis, principium ſe eſſe firmauit, dicens: Principium, quod & loquor vobis. Paulus vero Chriſtum finem nominat, dicens: Finis enim legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti. Ipſe quoque de ſe Dominus: Ego ſum Alpha, & Omega; initium, & finis. Quod ſi pro eo quod principium dicitur, aſſeritur cæptus, etiam pro eo, quod finis dicitur putetur eſſe finiendus.

Chriſtus principiũ, & finis.

Ioan. 8.

Rom. 10.

Apoc. 1.

Fulg. Verbum Dei genitum non factum.

Et ſer. 2: Eſt hoc verbum, non quod deſinit prolatum, ſed quod permanet natum; non tranſitorium, ſed æternum; non factum à Deo patre, ſed genitum; nec ſolum genitum, ſed etiam vnigenitum.

Amb. Erat, quater dicitur.

Amb. lib. 1. de Fide cap. 5: Erat, erat, erat, erat. Ecce quater erat. Vbi impius inuenit, quod non erat? Alibi quoque Ioannes in epiſtola ſua dicit: quod erat in principio: Indefinitè tenditur, erat. Quidquid excogitaueris, erat filius. Omnes autem hæreſes hoc capitulo breui piſcator noſter excluſit, quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio præuenitur. Ergo Arius conticeſcat. Quod autem erat apud Deum, non commixtione confunditur: Sed manentis verbi apud patrem ſolida perfectione diſtinguitur, vt Sabellius obmuteſcat. Et Deus erat verbum. Non ergo in prolatione ſermonis hoc verbum eſt, ſed in illa cæleſtis deſignatione virtutis, vt cõfutetur Photinus. Quod vero erat in principio apud Deum, ſempiternæ diuinitatis in patre, & filio inſeparabilis vnitas edocetur, vt erubeſcat Eudoxius, & Eunomius. Poſtremo cum omnia per ipſum facta dicantur, ipſe conditor noui vtique teſtamenti, & veteris deſignatur, vt Manichæus locum tentationis habere non poſſit. Ita piſcator bonus intra vnum omnes rete concluſit, vt faceret inhabiles fraudi, quamuis eſſent inutiles captioni.

1 Ioan. 1.

Principiũ imaginationis.

Hic omnes hęreſes excluduntur.

ver. 1. Arrij.

ver. 2. Sabellij.

ver. 3. Quale verbum ſit filius. Photini.

ver. 4. Eudoxij. Eunomij.

ver. 5. Manichæi.

Amb. Filius æternus.

Et lib. de Incarn. Dom. ſacram. cap. 3: Plenus Spiritu ſancto, qui ſciret principium non temporis eſſe, ſed ſupra tempora, reliquit ſecula, & aſcendens Spiritu ſuper omne principium, ait: In principio erat verbum, hoc eſt, remaneat cælum. Nondum enim erat, quando in principio erat verbum. Nam & ſi cælum habet principium, Deus non habet. Denique, in principio fecit Deus cælum, & terram. Aliud eſt, fecit; aliud eſt, erat. Quod fit, incipit: quod erat, principium non accepit, ſed præuenit. Remaneant etiam tempora; quia poſt cælum tempora. Remaneant etiam Angeli, & Archangeli; & ſi principium eorum non inuenio, erat tamen quando non erant. Non erant enim, qui aliquando cæperunt. Si ergo principium eorum inuenire non poſſum, quos certum eſt habere principium, quomodo poſſum verbi inuenire principium, à quo omne principium, non ſolum creaturarum, ſed etiam cogitationum noſtrarum

Gen. 1.

Erat.

Dubitat quando Angeli ſiat creati.

Principiũ imaginationis.

ſtrarum omnium præuenitur? Aperte itaque ſempiternam diuinitatem eius expreſſerat.

Quale verbum ſit filius. ver. 1.

Non te ſonus capiat, ſimilitudoque ſermonis. Aliud verbum eſt, quod tempora habet, quod ſyllabis colligitur, literiſque componitur; non tale verbum filius; quia non talis eſt pater verbi. Cauendum ergo, ne & illi quæſtionem vocis corporalis videamur ingerere; incorporeus eſt Deus. Vocem vtique incorporeus corporalem non habet. Si vox corporalis non eſt in patre, nec filius verbum eſt corporale. Si corpus in patre non eſt; nec tempus in patre eſt. Si tempus in patre non eſt, vtique nec in verbo eſt. Quod ſi nullum principij tempus in verbo, nec numerus vtique, nec gradus verbi eſt. Quia ſi numerus in verbo: ergo multa verba. Si multa verba, multi & filij. Sed vnum verbum eſt, quod & gradum excludit, & numerum, vnum ſecundum naturam.

Athan. Verbum quomodo à Sabellianis deſcriptum.

Athan. contra Sabell. gregales: Deo verbum tale aſcribunt, quale homines in ſua mente concipiunt: & ſapientiam talem, qualis ea, quæ noſtri animi eſt, attribuunt. Ideoque vnam perſonam Deum cum verbo aſſeuerant: quemadmodum hominem vnum dicimus, cum ſua ratione, verborumque in animo conceptu, nihilo plus, quam Iudæi, ſentientes, qui Euangeliſtam non recipiunt ſtatim ab initio clamantem:

Quale verbum in Deo ſit.

In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Si enim Deus verbum in mente habeat: non autem reuera ex ipſo genitum, vt Deum ex Deo, quomodo eſſe poterit apud Deum verbū? aut quomodo Deus

Vt Dei verbum à noſtro differat.

fuerit? non enim verbum in mente hominis conceptum, homo eſt apud hominem, cum nec viuat, nec ſubſiſtat. Sed viui duntaxat, & ſubſiſtentis pectoris motus ſit; quod mox vt enunciatum eſt, non ſubſiſtit: & ſæpe vocatum, nequaquam permanet; quum contra Pſalmiſta vociferetur; Dei verbum in æternum permanere, & in ea re illi ſuffragator, & conſonus, Euangeliſta eſt; cum verbum Deum eſſe profitetur, & manifeſtatum eum annunciat, & aduenisse indicat, & incarnatum prædicat, non comprehendens vna cum verbi incarnatione, ipſum patrem: verbum enim, inquit, caro factum eſt, &c. Vnigenitum igitur verbum in mundo vides manifeſtatum, & in hominibus habitantem, gloriamque illi attribui, vt vnigeniti à patre, non quod ipſe pater ſit, aut pater vna cum verbo ſeſe manifeſtauerit, quemadmodum homo ſuiipſius verbo manifeſtatur, quod nulla ratione apparere poteſt, niſi is, qui illud loquitur, in præſentia adſit. Et orat. 2. contra Arrianos: Scriptura de Domino ſempiternè eum, æternaliterque cum patre coexiſtere pronunciat, dum dicit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et in Apocal. hæc dicit: Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. Huic autem ſententiæ: Qui eſt, & qui erat, quiſnam adimeret æternitatem? Non eſt ænigma; ſed myſterium diuinum: In principio erat verbum. Et ſer. 3. contra Arrianos: Ioannes de filio theologicans, agnoſ-

Psal. 11. — Luc. 2. Ioan. 1. — Athan. Chriſtus non incœpit eſſe, ſed eſt ab æterno. — Apoc. 1. — Athan. ver. 1.

Cur dicitur, erat; potius quā factum eſt. — Filius æternus.

cenſque vocum diſcrimina, non dixit: In principio factus eſt, aut conditus eſt; Sed: In principio erat verbum; vt per geniti naturam hæc vox (erat) ſubaudiretur: id cauens, ne quis interuallum temporis interceſſiſſe cogitaret, ſed ſemper, & æternaliter filium exiſtere crederet. Et ſer. 15. de ſanctiſſima Deipara: filium vt verbum genitum, cumque emiſſum cenſeas, in tempore, quod placuit paternæ voluntati, non quidem vt vox, quæ effertur ad tempus, momentumque aliquod, & pro vſu rerum datur; ſed vt verbum ſubſtantiale, ſolidum, & re ipſa ita conſiſtens, vt genitum eſt: poſtquam enim ſemel à patre prodijt, hypoſtaſis eſt, ſubſtantia eſt, ſtatum indiſſolubilem, ex quo genitum eſt, poſſidens. Nam hypoſtaſis ſua interpretatione deſignat id, quod ſubſiſtit, hoc eſt, quaſi ſecundo ordine conſiſtit: ſiquidem pater quatenus eſt author geniti, filium vt genitum ſub ſe habet. Quapropter Euangeliſta loco huius præpoſitionis hypo, quod eſt, ſub, præpoſitionem, apud, in Euangelio repoſuit. In principio, inquiens, erat verbum, & verbū erat apud Deum. Æquiualentia igitur ſunt, & eodem ſignificatu, vltro, citroque recurrunt hæ voces hypo, & pros, additæ nomini, hypoſtaſis, ergo eſt filius, vt ſub aliquo ſtatum ſuum, id eſt, ſub patre, habens, & non à patre ſegregatus; ſed apud patrem ſemper exiſtens; neque aliam voluntatem ſeorſum à patre ſuo poſſidens, neque aliam poteſtatem, neque aliam operationem, imo nec diuerſam ſubſtantiam obtinet. Sed quæcumque poſſidet pater, filius quoque vna poſſidens, conſubſtantialis, & Patri, & Spiritu ſancto rectè perhibetur.

Athan. — Quale verbum ſit filius. — Hypoſtaſis quid ſit. — ver. 2. — ὑπὸ, & πρὸς idē ſignificāt.

Chryſoſt. hom. 1. in Mar: Ioannes fuit, Deus noſter erat. Quod fuit, eſſe deſijt: & antequam eſſet, non fuit. Qui erat, ante erat, & ſemper erat, & erit; nec habet aliquando principium. Et hom. 16. in Matt. Bene oſtendit Ioannem Euangeliſtam plura de Chriſto dixiſſe, quam ipſemet Chriſtus vnquam de ſe dixerit.

Chryſoſt.

Elias ad orat. 4. Naz: appellatur autem filius Dei ſermo, propterea quod ſine vllis affectionibus ex mente prodierit, totumque ipſe commonſtret illum, à quo eſt genitus, non qui partem aliquam ab ipſo acceperit, quique ſecundum ſe perfectus ſit. Præterea, quod quemadmodum noſter ſermo è mente proueniens, neque in vniuerſum idem ſit quod mens, neque prorſus aliud. Nam quatenus exiſtit è mente, diuerſum quid eſt ab ea: Quatenus vero mentem ipſam in apertum profert, non omnino à mente differt: ſed ratione naturæ, vnum quiddam exiſtens cum mente, ſubiecto diuerſus eſt. Sic & Dei ſermo (vt aliquid per obſcuram quandam imaginem dicamus) in eo differt ab illo, à quo exiſtentiam ſuam habet, quod per ſe ſubſiſtat: quatenus vero illa in ſe commonſtrat, quæ in Deo conſpiciuntur, idem eſt cum eo, ratione naturæ. Nam vt patri omnium perfectionem tribuimus, ſic etiam illi, qui ex ipſo genitus. Ex eodem Euangelio ſumpta eſt vox, in principio. Sic enim in eo perſcriptum

Elias. — Cur verbū dicatur filius. — In quo verbum Dei ſit noſtro ſimile.

eſt: In principio erat ille ſermo. Ac per has certe voces indicatur, generationem illam, expertem adfectionis eſſe, & filium eſſe patri coæternum.

Filius coæternus.

Quod expers ſit affectionis generatio, quia filium appellat ſermonem, vti modo dicebamus; coæternitatem, quod ait cum fuiſſe in principio.

Eunomii ratio.

Per eadem, Eunomij Problema illud, impietatis plenum, illuſtri ratione euertitur, videlicet hoc: Filium vel exiſtentem genuit pater, vel non exiſtentem. Nam qui locum hæc habere poſſint in coæternis? nec enim principio quidquam antiquius aſſequi cogitando poſſumus: quippe quod non amplius principium foret, ſi quid haberet vlterius.

Principiū imaginationis.

Neque verbum, erat, prætergreſſi ratiocinando, proſpicere vlterius poſſumus, quando non erat. Nam cogitatio temporis, quo non erat, hoc ipſum, erat, euertit. Etenim ſi eſſet principium relatum, vt ſunt, exempli cauſa, principium ſapientiæ, principium viæ bonæ, item: In principio creauit Deus: Fortaſſe poſſemus vltra illius, qui de tali principio extitiſſet, generationem cogitando progredi.

Principiū varie ſumitur.

Vt principium hic ſumatur.

Sed quia ſignificatum hoc principij abſolutum eſt, & relationis expers, ſummamque naturam denotat; quî non ridiculus fuerit, ſi quis vlteriora cogitando, extra principium hoc inquirit, vel ratiocinando illud excedere conetur?

Vox, erat, expenditur.

Etiam verbum, erat, extenditur vna cum infinitate principij huius. Non enim certe ſignificat exiſtentiam quandam temporariam, vt in his verbis: Erat vir quidam in Auſitide terra. Item: Erat vir quidam ex Ramathaim. Item: Terra vero inanis erat.

Iob 1. 1 Reg. 1. Gen. 1. Apoc. 1.

Sed ipſe auctor Euangelij huius alio in commentario nobis verbi, erat, ſignificatum oſtendit, cum ait: Qui eſt, & qui erat, & qui omnipotens; nam quale eſt ὁ ὤν, ſiue, qui eſt, tale eſt etiam illud; erat; nimirum æque ſempiternum, ac temporis expers. At illum, qui in principio erat, non exiſtentem vocare, nec eius eſt, qui notionem principij ſeruare velit, nec qui cum ipſo principio vnigenæ Dei filij exiſtentiam coniungat.

Principiū imaginationis.

Nam nequit excogitari quicquam antiquius principio, à quo Dei ſermonis eſſentia ſeparari non poteſt. Quo fit, vt quouſque tandem mentis tuæ curioſitate procurras, excedere tamen illud, erat, atque vltra hoc ipſum progredi cogitando nullo modo poſſis.

Elias.

Et ad orat. 10: Hoc autem nomen vnigenæ illi filio tribuitur, non eo tantum quod abſque duorum coniunctione, citra omnem ſeparationem, & omnes affectiones, ex patre ſit genitus, quemadmodum ſermo noſter ex mente (vt obſcura quadam ex rebus noſtris petita imagine declarem id, quod ſupra nos eſt poſitum) ſed etiam propterea quod ſermonem, mentem, ſapientiam nobis ſuppeditet, ac nos brutis ab affectionibus liberet.

Baſ.

Baſ. hom. 16: Quiſnam dignè, quæ ſunt circa principia, cognoſcet? quænam verborum virtus inueniatur, quæ poſſit cognitum pro ipſius dignitate oſtendere? Ipſe Ioannes de filij Dei Theologia tractaturus, nullum aliud exordium orationis aptius, quam principium omnium prætulit. Præuidebat iam tum Spiritus ſanctus futuros eſſe, qui ſophiſmata in audientium euerſionem machinarentur. Quoniam ſi genitus eſt, non erat; & antequam generaretur non erat. Et, ex his, quæ non ſunt, hypoſtaſim accepit. Talia enim linguæ loquuntur ad perſuadendum apta, ac ſuper omnem gladium ancipitem penetrabiles, & acutæ. Ne igitur alicui huiuſcemodi rendiculas vſurpare liceat, Spiritus ſanctus occurrit per Euangelium loquens: In principio erat verbum. Si hanc vocem rectè tenueris, nihil à viris contentioſis, & captioſis graue patieris. Si enim ille dixerit, ſi genitus eſt, non erat: Tu dic: In principio erat. Sed, inquit, priuſquam genitus eſſet, quomodo erat?

Principiū varie accipitur.

Tu ne dimittas illud: erat; non item relinquas: In principio; principij namque ſummitas nequaquam deprehenditur. Quod autem extra principium ſit, non inuenitur. Ne quis te decipiat variæ dictionis ſignificatione: Multa enim ſunt principia diuerſarum rerum in hac vita: verū vnum eſt principium, quod omnia præcedit. Principium bonæ vitæ dixit prouerbium: ſed viæ quidem principium, primus motus, vnde iter incipimus: cui quod eſt retro, inueniri poteſt: &, principium ſapientiæ timor Domini. Artium namque comprehenſionem elementaria inſtitutio præcedit: primum itaque elementum ſapientiæ eſt timor Domini. Sed hoc principio eſt aliquod antiquius: videlicet animæ conſtitutio, nondum factæ ſapientis, nec Domini timorem adeptæ. Principia dicuntur ciuiles quoque potentatus dignitate præcellentes. Sed iſta principia aliquorum ſunt principia, & quodlibet illorum aliquo refertur. Principium enim lineæ punctum: & principium ſuperficiei linea: & principium corporis, ſuperficies: & orationis principia, elementa. Illud autem de quo dicimus principium, non tale eſt: nulli alligatur, nulli ſeruit, cum nullo conſideratur: ſed liberum eſt ſine Domino, ſolutū omni ad alterum coniunctione, cogitatione indeprehenſibile, vltra quod aliquid inuenire nō eſt.

Principiū imaginatum.

Si enim phantaſia mentis contenderis principium præterire, inueniet ipſum te præteriens, & tuas omnino decipiet cogitationes. Dimitte tuam mentem quantum ipſa cupit percurrere, & ad ſuperiora conſcendere: Deinde ipſam reperies in infinitum errantem, ac per multa vacua ſpatiantem, rurſus vero ad ſuiipſius vnitatem redeuntem: Quoniam antiquius ſeipſa principium reperire nequeat. Idcirco principium ſemper omni cognito exterius, ac ſuperius inuenitur. Igitur, In principio erat verbum.

Vox, erat, expenditur.

O rem mirabilem, quomodo cunctæ inter ſe voces congruè ſunt coniunctæ! nam erat idem valet, ac vox hæc, In principio. Vbi blaſphemus? vbi lingua Chriſto aduerſaria, dicens: Erat aliquando quando non erat? Audi Euangelium: In principio erat. Si autem in principio erat, quando non erat? Impietatem eorum ne ploro, an ignorantiam abominor? Sed antequam factum eſſet, non erat. Noſti quando ſit genitus, vt quod prius eſt tempore poſſis inferre? Illud enim antea, temporalis eſt vox,

eſt vox, aliud alij vetuſtatis gratia præponens. Temporis autem conditorem, quomodo congruum eſt generationis temporalis appellatione eſſe ſubiectũ? In principio igitur erat. Quod ſi ab hoc verbo, erat, non deficies, aut te alienaueris nullum blaſphemiæ dabis aditum. Sicut enim per mare euntes, quando inter duas anchoras fluctuant, tempeſtatem deſpiciunt: Sic & tu hanc prauam tempeſtatem, quam ſpiritus malitiæ in vitam inferunt mortaliũ, multorumque fidem concutiunt, ridebis; ſi horum verborum ſecuritate, animam confirmatam, munitamque habueris.

Quale verbum ſit filius

Quærit mens noſtra quodnam hoc in principio verbum ſit. Humanumne verbum, an Angelorum, quoniam inuenire nobis Apoſtolus videtur, Angelos propriam habere linquam, dicens: Si linguis hominum loquar, & Angelorum. Sed, & verbi duplex eſt ſenſus: vno modo per vocem prolatus, & aërem verberans, ſtatimque periens: alio modo intra nos poſitum, & noſtris cognitum cordibus. Logos inſuper artificioſa eſt oratio. Vide itaque, ne vocis huius æquiuocatio te forte decipiat. Quomodo enim erat in principio humanum verbum, cum homo initium generationis poſtremo acceperit? Nam ante homines, & beſtiæ, & volucres, & ſerpentes, omnia denique terreſtria, aquatilia, volatilia, aſtra, ſol, luna, herbæ, terra, mare, cælum. Non igitur in principio humanum erat verbum, ſed neque Angelorum eſſe poteſt. Omnis namque creatio inferior æuo eſt, principium à creatore accipiens: verbum autem intrinſecus cordibus naſcens, & ipſum eſt illis, quæ intelliguntur, poſterius. Sed audi verbum hoc, ita vt Deo condignum eſt. Nam de vnigenito diſſerens, verbum ipſum appellauit. Quemadmodum igitur illum paulo poſt & lucem, & vitam, & reſurrectionem vocat. Cum vero lucem audis, non hanc ſenſibilem, oculiſque viſibilem exiſtimabis. Neque cum vitam audiueris, hanc communem putaueris; qua & bruta viuunt. Similiter & verbum audiens, caue mentis imbecillitate ad humiles terrenaſque ſententias deprimaris; ſed verbi poteſtatem, ac ſenſum diligentius inueſtiga. Cur verbum? vt quod ex mente procedit oſtendatur. Cur, inquam, verbum? quoniam ſine motu genitum eſt. Cur verbum? Quoniam imago eſt genitoris, totum in ſe monſtrans genitorem, nullam inde partem diducens, & perfecta in ſe exiſtẽs: Quemadmodum fere verbum noſtrum quod totius noſtræ cogitationis imaginem refert. Quæ enim ſecundum cor nouimus, hæc verbo proferimus. Et quod loquimur exemplar habet eius, quod corde cogitamus. Ex cordis enim abundantia verbum pronunciatur. Nam cor noſtrum veluti fons eſt quidam, verbum vero emiſſum veluti riuus ex fonte profluens. Tantum igitur profluens eſt, quantum id inde profluit, ac quale opertum, tale item, apparens extat. Verbum itaque dixit vt impaſſibilem patris generationem oſtendat, & perfectam filij ſubſtantiam theologizet, & coniunctionem ſine tempore filij ad patrem per hæc oſtendat. Nam & verbum noſtrum mentis generatio, ſine paſſione generatur. Neque enim ſcinditur, neu diuiditur, neque fluit, ſed manens tota mens in proprio ſtatu verbum totum, & continuum emittit, ac procedens verbum, omnem generantis mentis virtutem in ſeipſo complectitur. Tu igitur tantam ex verbi voce vnigeniti theologiam accipe, quantum pietas permittit. Quod quidem obſcurum verbum, & inconditum, ac inconcinnum apparens inueneris, hoc vitabis, & omnino præteribis. In principio erat verbum. Si dixiſſet: In principio erat filius, appellatione filij cogitatio de paſſione generationis ſubijſſet. Quoniam apud nos genita & tempore, & paſſione generantur. Idcirco de induſtria verbum dixit, vanis hominum ſuſpicionibus occurrens, vt tuam animam incolumem conſeruaret.

Verbum eſt multiplex

1 Cor. 13.

Filius cur dictus verbum.

Not. 4. ver. 2.

Amb.

AMBR. lib. de Incarn. Domin. ſacr. cap. 3: Ne quis à patre diuideret verbi æternitatem: vt eandem crederemus verbi eſſe, quæ patris eſt, Bonus ille piſcator adiunxit: & verbum erat apud Deum, hoc eſt, quod dixerat: Sic æſtimandum eſt. Erat verbũ quomodo erat pater, quoniam cum patre erat, & in patre erat, & apud patrem erat ſemper. Nempe quomodo de patre legimus, erat: ita & de verbo legimus, erat. Quid diſcernis intellectum, qui non diſcernis auditum? verbi eſſe apud patrem eſt, patris eſſe cum verbo eſt. Legimus enim, quia verbum erat apud Deum. Itaque ſi, ſecundum tuam opinionem, aliquando non erat: ergo ſecundum tuam opinionem, & is in principio non erat, apud quem erat verbum. Per verbum enim audio, per verbum intelligo, quia Deus erat; Nam ſi ſempiternum verbum eſſe credidero, quod credo, non poſſum de patris æternitate dubitare, cuius æternus eſt filius. Si temporalem generationem eius exiſtimo, incipit communitatem habere nobiſcum, vt videatur pater eſſe cæpiſſe. Vide eundem Ambroſium ad cap. 198. Amb.

Greg. lib. 8. Moral. cap. 20: Verbum Ioannes abſconditum inſinuat, dum ſubiungit: & verbum erat apud Deum. Greg.

Baſ. hom. 16: Rurſus erat. Propter impios, qui blaſphemant, dicentes, quoniam non erat. Vbi ergo erat verbum? non in loco. Non enim in loco, quæ ſunt incircumſcripta, continentur. Sed vbi? Apud Deum. Neque enim pater in loco, nec filius in circumſepto aliquo, aut circumſcriptione certa deprehenditur. Sed infinitus pater, infinitus filius. Totum quodcumque noueris, & quocumque ſpiritu tuo penetraueris, Deo plenum, ſimul & hypoſtaſim filij coniunctam inuenies. Admirare cuiuſlibet vocis virtutem. Non enim in Deo verbum erat; ſed apud Deum: vt hypoſtaſeos proprietas conſiſtat. Non dixit in Deo, ne auferendæ hypoſtaſeos occaſionem daret. Etenim peruerſa eſt, & illorum blaſphemia, qui omnia commiſcere, & vnum ſubiectum ſtatuere: Patris vero, ac Filij, ac Spi- Baſ.

ac Spiritus ſancti differentes appellationes vni rei adaptatas eſſe aſſerere conantur. Impietas hæc peſſima, fugiendaque, non minus, quam ſimilem eſſe ſecundum ſubſtantiam filium Dei à Deo patre blaſphemantium. Vide Athan. not. 3.

Ath.

Not. 5. ver 3.

Fulg.

FVLG. lib. 1. ad Traſ. cap. 6: Verbum ſecundum diuinam, quam habet ex patre, ſubſtantiam. In principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat. Quibus tribus Euangeliſtę ſententijs, & ſempiterna verbi natiuitas, & perſonalis inconfuſa proprietas, & indiſcreta ſubſtantialis vnitas patris, filijque monſtratur: vt in verbo caro facto, & habitante in nobis, quod in principio erat, ſempiternitatis agnitio, ſuſpicionem cæptæ natiuitatis auferret: Quod apud Deum erat, perſonæ vtriuſque inconfuſa proprietas, vnionem Sabelliani erroris excluderet: Quod autem Deus erat eſſentialis nominis veritas, vnitatem ſubſtantiæ genitoris, genitique monſtraret. Non enim dixit Ioannes: Deus dictus eſt verbum; ſed: Deus erat verbum, vt dum in Deo verbo eſſentiæ diuinæ veritas naturalis agnoſcitur, conſequenter, non nuncupatiui; ſed naturalis nominis veritas probaretur. Veritas enim naturæ, nunquam priuatur nominis veritate. Ac ſic illa verbi non prolatiui, ſed ſubſtantialis vera incarnatio tunc ſalubriter creditur, ſi æternum verbum, quod carnem ſuſcepit ex tempore, non initio exiſtendi ſubditum, non perſona cum patre confuſum, non aliud natura credamus eſſe, quam Deum.

Deus erat verbũ naturaliter, non nuncupatiuè ſolum.

Verbum duplex.

Amb.

Ambr. lib. de Incarn. Domin. ſacr. cap. 3: Si de patre non ambigis, quia incipere eſſe Dei non eſt, quia Dei eſt ſempiternam habere perfectionem: ne forte vſu ſermonis labereris humani, dum verbum dicis, & filium: Ideo addidit: Et Deus erat verbum. Habes vtique quod pater, quia Deus erat. Quomodo huius negas æternitatem, cui vnum cum patre Dei nomen eſt?

Hilar. Chriſtus 5. modis eſt Deus.

Hilar. lib. 7. de Trin: Deum igitur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum his modis nouimus, nomine, natiuitate, natura, poteſtate, profeſſione. Sed de nomine nihil puto ambiguitatis remanſiſſe; legimus enim: Et Deus erat verbum. Quid calumniæ eſt, cur non ſit, quod nuncupatur? aut nunquid nomen non naturæ ſignificatio eſt? & quia contradictio omnis ex cauſa eſt, nunc hic negandi Dei quæro cauſam. Simplex namque nuncupatio eſt, & caret offendiculo adiectionis alienæ. Verbum enim, quod caro factum eſt, non aliud, quam Deus eſt. Non eſt hic deputatæ, aut aſſumptæ nuncupationis relicta ſuſpicio: vt ei, quod Deus eſt, non ex natura ſit nomen. Reſpice ad cæteras, aut deputatiuas, aut aſſumptiuas appellationes. Ad Moyſen dictum eſt; Dedi te Deum Pharaonis. Sed nunquid non adiecta nominis cauſa eſt, cum dicitur: Deum Pharaonis? aut nunquid Dei naturam ei intulit, & non potius in eum, qui metueret terrorem, cum dracones magicos draco Moyſi, mox virga manens, deuorat: Cum cynomijam, quam immiſerat, abigit: cum grandinem poteſtate, qua euocauerat, auertit: cum locuſtas, ea virtute, qua inuexerat, repulit: cum in operationibus eius magi confitentur digitum Dei eſſe? Sic Moyſes Pharaoni Deus datus eſt, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur: & aliud eſt Deum dari, aliud eſt Deum eſſe. In Pharaonem enim Deus datus eſt. Cæterum non ei eſt & natura, & nomen vt Deus ſit. Memini quoque & alterius nuncupationis, vbi dicitur: Ego dixi, Dij eſtis. Sed in eo indulti nominis ſignificatio eſt. Et vbi refertur: Ego dixi, loquentis eſt potius ſermo, quam rei nomen, intelligentiam rei affert: Cæterum voluntas appellationis ex alio eſt. Et vbi ſe nuncupationis auctor oſtendit, ibi per ſermonem auctoris eſt nuncupatio non naturale nomen in genere; at vero hic, verbum Deus eſt, res exiſtit in verbo, verbi res enunciatur in nomine.

Exod. 10.

Pſal. 81.

Baſ. hom. 16: Poſtquam verbi voce vſus eſt, ad exprimendam generationis Chriſti impaſſibilitatem, id quod in eo verbo nocere nobis poterat, moderatur, & veluti blaſphemantium ſycophantiæ eripit, qui dicunt: Quid eſt verbum? Dum ſubiungit, dicens: Deus erat verbum. Ne callide quorundam verborum differentias mihi afferas, neue ex arte aſtuta tua aliquam doctrinę ſpiritus blaſphemiam incutias. Habes ſententiam. Subditus eſto Domino. Deus erat verbum.

Baſ.

Aug. tract. 1. in Ioan: Ne vile aliquid putares, &c. vt lect. 9. die 25. Decemb.

Aug.

Not. 6. ver. 4.

Baſ.

BASIL. hom. 16: Rurſus ſummans, paucis verbis omnem ſuam de vnigenito theologiam nobis Euangeliſta tradit. Hoc, quod hoc verbum? Deus. Poſtquam enim mentem tuam de illo correxit, & quaſi animæ tuæ inſculpſit, quæ ignorabas, per doctrinam, & verbum cordi tuo indidit. Hoc, inquit. Quod hoc? ne extra per vocem demonſtratiuam reſpice, oſtenſumque tibi veſtigia, ſed in animæ tuæ occulta, penetraliaque ingredere, & qualem didiceris Deum vt in principio exiſtentem, vt verbum procedentem, vt apud Deum exiſtentem, hunc Dominum tuum obſerua, cole, adora, ac demum per inſitam tibi doctrinam intellige: quod hic erat in principio, hoc eſt, ſemper, apud Deum eius patrem. Has mihi paucas voces ſeruate, quaſi ſignaculum illas memorijs veſtris imprimentes. Ipſæ namque contra inſidiantium incurſus tanquam firmiſſimum munimentum erant. Ipſæ, inquam, propugnaculum, & cuſtodia fuerint animarum, ſalutaris defenſio ipſas tuentibus. Si quis autem tibi dixerit, cum non eſſet, genitus eſt. Si enim erat, quomodo genitus eſt? Hanc vt dæmonum vocem, ac contra vnigeniti gloriam blaſphemam repelle: Tu vero inſurgens ad Euangelij voces accurre: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.

Erat quater dicitur.

verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Quartum dic erat, & blaſphemiam illorum cōfutabis, qui dicunt, non erat. Hæ itaque voces tanquam fidei fundamenta immobiles perſiſtant.

Not. 7. ver. 3.

Hilar. HILAR. lib. 2. de Trinit: Expectamus à te adhuc piſcator plenitudinem verbi. Erat quidem in principio, ſed potuit non eſſe ante principium. Etiam hic tibi aliquid pro piſcatore meo profero. Quod erat non potuit non fuiſſe. Erat enim non habet in tempore non fuiſſe. Sed quid pro ſe ille? omnia per ipſum facta ſunt. Ergo nihil ſine illo eſt, per quem vniuerſa cæperunt: & in infinitum eſt, per quem quod eſt omne ſit factum. Tempus enim eſt ſpatij, non in loco, ſed in ætate manentis ſignificata moderatio. Et cum ab eo ſint omnia, res nulla non ab eo: Idcirco & tempus ab eo eſt. Sed dicitur tibi ab aliquo piſcator meus; nimium facilis, & promiſcuus hic fuiſti; omnia per ipſum facta ſunt: non habet modum. Eſt ingenitus, qui à nemine factus eſt. Eſt & ipſe genitus ab innato. Sine exceptione ſunt omnia, & nihil quod extra ſit derelinquunt. Sed dum nihil vltra dicere audemus, aut forte dum dicere molimur, occurrit, occurrit plane: & ſine eo factum eſt nihil. Piſcator reddidiſti auctorem, cum ſocium profeſſus es. Cum enim nihil ſine eo, intelligo non ſolum, quia alius eſt per quem, & alius ſine quo: vtroque diſcernitur ſignificatio & interuenientis, & agentis. Sed ſolicitor de auctore, qui vnus ingenitus eſt, ne in eo quod omnia diceres nihil eſſet exceptum: Soluiſti metum dicendo: & ſine eo factum eſt nihil. Verum confundor, & turbor in eo, quod ſine eo factum eſt nihil. Eſt ergo aliquid per alterum factum, quod tamen non ſit ſine eo factum: & ſi aliquid per alterum, licet non ſine eo, iam non per eum omnia. Quia aliud eſt feciſſe, aliud interueniſſe facienti. Non habeo hic piſcator meus, vt in cæteris, quod ex meo proferam: è tuo ſtatim reſpondendum eſt: omnia per ipſum facta ſunt.
Col. 1. Sentio. Apoſtolus enim Paulus docuit viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo. Cū ergo omnia per ipſum. Subueni, & enarra, quid non ſine eo factum ſit, quod factum ſit. Quod factum eſt in eo vita erat. Hoc igitur non ſine eo, quod in eo factum eſt: nam & id quod in eo factum eſt, etiam per eum factum eſt. Omnia enim per ipſum, & in ipſo creata ſunt: In ipſo autem creata, quia naſcebatur creator Deus. Sed etiam ex hoc ſine eo nihil factum eſt, quod in eo factum eſt, quia naſcens Deus vita erat: & quia vita erat, non poſteaquam eſt natus, effectus eſt vita. Non enim in eo aliud eſt, quod natus eſt, & aliud eſt, quod natus accepit. Non habent inter ſe tempus & natiuitas, & profectus. Sed nihil ſine eo fiebat, ex eis, quæ in eo fiebant: Quia vita eſt, in eo quo fiebant. Et Deus, qui à Deo natus eſt, non poſteaquam natus eſt, ſed naſcendo Deus extitit. Naſcens enim à viuente viuus, à vero verus, à perfecto perfectus: non ſine poteſtate natiuitatis ſuæ natus eſt, natiuitatem ſcilicet ſuam non poſtea ſentiens; ſed ſe Deum in eo ipſo, quod Deus ex Deo naſcebatur, intelligens: hoc vnigenitus ab ingenito; Hoc: Ego, & Pater vnum ſumus; hoc, in confeſſione Patris, & Filij Ioan. 14.
Deus vnus: Hoc Pater in Filio, & Filius in Patre; Ioan. 18.
hinc: Qui me videt, videt & Patrem; hinc: Omnia quæ habet pater, dedit filio; hinc: Sicut habet pater vitam in ſemetipſo, ita dedit filio vitam habere in ſemetipſo; hinc: Nemo nouit filium, niſi pater, neque patrem, niſi filius; hinc: In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Hæc vita eſt, hæc lux tenebras illuminans: Et vt impoſſibilitatem generationis eius enarrandæ, ſecundum Prophetam piſcator conſolaretur adiecit: Et tenebræ eam non comprehenderunt. Ceſſit ſermo naturæ, & non habet, quo excurrat; & tamen hoc piſcator iſte, recubans in Dominicum pectus, accepit. Ioan. 8. Matt. 11. Col. 2.

Ambr. ſer. 20. in Pſ. 118: Quid ſine ſapientia facit, qui omnia in ſapientia fecit? vt lectum eſt: Omnia in ſapientia feciſti. Denique Sapientia dixit: Cum faceret cælos, cum illo eram, & ego eram cui applaudebat. Et Euangeliſta ait: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil; vt doceret non ſolum operatorem omnium filium; ſed etiam paternæ operationis conſortem eſſe. Ego tamen arbitror, quod hic locus ad iudicij formam videatur eſſe referendus. Euangelium etenim non ſolum fidei doctrina; ſed etiam morum eſt magiſterium, & ſpeculum iuſtæ conuerſationis. Amb. Pſ. 103. Prou. 8.

Et ſer. 14. in Pſal. 118: Myſticum illud etiam moraliter accipi poteſt: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Et tu imitator eſto Dei. Quomodo imitator? nunquid cælum potes facere, aut terram, aut mare? non vtique; ſed vt omnia per verbum facias, nihil ſine verbo; omnia cum ratione; nihil ſine ratione. Quia non es irrationabilis, ô homo, ſed rationabilis. Amb.

Et lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 2: Solent enim dicere hæretici, ideo inter omnia Spiritum ſanctum eſſe numerandum, quia ſcriptum eſt de Dei filio: Omnia per ipſum facta ſunt. Quam male confunditur actio, quæ non tenet veritatem, & præpoſtero ordine aſſertionis inuoluitur. Hoc enim tunc valeret, vt inter omnia dicerent eſſe Spiritum ſanctum, ſi factum probarent. Namque omnia per filium ſcriptura dicit eſſe, quæ facta ſunt. Cum autem factus non doceatur Spiritus ſanctus, vtique nec inter omnia, probari poteſt, qui neque factus eſt, ſicut omnia, nec creatus. Mihi igitur ad vtrumque hoc proficit teſtimonium, vt & ſuper omnia probetur eſſe, qui factus non eſt: & quia ſuper omnia eſt, non videatur factus eſſe, nec inter ea, quæ ſunt facta numerandus. Quod ſi quis, quia omnia facta per verbum Euangeliſta poſuit, non excipit Spiritum ſanctum, quanquam in Ioanne locutus Spiritus Dei, omnia per ipſum facta ſunt, dixerit; non omnia facti ſumus. Amb.

Cum

Cum vtique loqui in Euangeliſtis Spiritum Dei
Matt. 10. ipſe Dominus oſtenderit, dicens: Non enim vos eſtis loquentes, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Tamen ſi quis vt dixi, hoc loco, non excipit Spiritum ſanctum, ſed inter omnia numerat, nec ibi ergo excipit Dei
1 Cor. 8. filium, vbi Apoſtolus dixit: Nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illum. Sed vt ſciat quia inter omnia non eſt filius, legat ſequentia. Nam cum dicit: Et vnus Dominus Ieſus, per quem omnia: Ab omnibus vtique excepit Dei filium, quia excepit & patrem.

Fulg. Fulg. ſer. 2: In hoc autem, quod per illud verbum Deus pater omnia fecit, oſtenditur, quia hoc verbum genuit ipſe, non fecit. Illud igitur verbum de Deo Deus eſt, de creatore creator eſt. Vnde hoc in ſe naturaliter habet eſſe, quod pater eſt. Natus eſt itaque de patre Deo filius Deus: alter in perſona, non alius in natura. Semper apud patrem, ſemper cum patre, ſemper de patre, ſemper in patre. Semper apud patrem, cum quo illi eſt vna naturalis immenſitas; ſemper cum patre, cum quo illi vna eſt naturalis æternitas: Semper de patre, de quo illi eſt naturaliter æterna natiuitas; ſemper in patre, cum quo illi eſt vna naturaliter, æqualiſque diuinitas. Et alter quidem ille, qui pater eſt; alter ille, qui filius eſt: Neuter tamen alter Deus, quia pater, & filius vnus eſt Deus. Quapropter quando de patre Deo, & filio Deo naſcitur ſermo, digne dicimus alterum eſſe patrem, & alterum filium; & nihilominus dignè dicimus vnum Deum eſſe patrem, & filium. Cum enim dicimus alterum eſſe patrem, alterum filium, diſcretas perſonas genitoris, genitique monſtramus. Cum vero dicimus vnum Deum eſſe patrem, & filium, ipſam vnam naturam indiſcretæ diuinitatis oſtendimus. Altera eſt enim perſona genitoris, & geniti; ſed vna eſt natura genitoris, & geniti.

Vna natura diuina verbi cum patre.

Naz. Nazianz. orat. 6. de Spiritu ſancto: Ne id quidem metuam, quod omnia per filium facta eſſe dicantur: quaſi ſanctus etiam Spiritus ex omnibus illis vnus ſit. Dicitur enim: Omnia quæ facta ſunt; non ſimpliciter omnia. Nam nec pater hoc in numero eſt, nec quæcumque facta non ſunt. Quapropter vbi demonſtraueris Spiritum ſanctum eſſe factum, tum deinde filio ipſum tribue, atque inter creata recenſeto. Donec autem hoc non demonſtraueris, nihil ad impietatem adiumenti de voce cuncta comprehendente habebis. Nam ſi factus eſt, omnino per Chriſtum factus eſt, id quod nec ipſe inficiabor. Sin factus non eſt, quo pacto vel vnus eſt ex iſtis omnibus, vel per Chriſtum?

Elias. Elias in eundem locum: Macedoniani, qui ne ſanam de filio ſententiam amplecterentur, eumque faterentur eiuſdem eſſe cum patre eſſentiæ; verum impiè de Spiritu ſancto ſentirent, quem creaturam dicerent: Hi ergo ad probandum eſſe illum creatum, etiam dictum illud Euangelij proferebant, non integrum tamen, ſed mutilatum, quo traditur; omnia per filium eſſe facta. Sic enim colligebant: Si omnia per ipſum facta ſunt, etiam ſpiritus. Itaque ſpiritum cenſebant vnum eſſe de ijs, quæ orta, creataue ſunt. Quibus ſe magnus hic vir opponens: Ne illud quidem (inquit) formidabo, quod omnia per filium facta ſunt: quaſi Spiritus etiam ſanctus in omnium illorum numero ſit. Nam illum eſſe ſupra creaturam omnem, etiam ipſe auctor Euangelicæ hiſtoriæ per id declarauit, quod adiecit. Dum enim infert, abſque ipſo nihil factum eſt, & adiecit, quod factum eſt, & ſpiritum eximit, & quæ mentis intelligentia percipimus comprehendit. Omnia denique abſurda, quæ ſuboriri poſſent, correctione hac ſuſtulit. Nam ne quis diceret: Si per ipſum omnia, etiam Spiritus ſanctus per ipſum factus eſt: hoc ipſo additamento opus erat. Ego, inquit, dixi per filium factum eſſe quidquid ortum habuerit: etiamſi vel inadſpectabile ſit, vel expers corporis; Spiritus autem ortus expers eſt. Itaque non ſimpliciter Euangeliſta dixit: Omnia per filium eſſe facta. Nam nec pater per ipſum factus eſt, nec quæcumque ſimpliciter facta non ſunt. Ergo ne ſanctus quidem Spiritus. Prius igitur oſtendito, pneumatomache, Spiritum ſanctum factum eſſe; ac tum deinde filio cum tribue tanquam creatum aliquod, & inter creata recenſeto. Id ſi demonſtrare non potes, nihil ex oratione illa cuncta complectente, qua dicuntur omnia per filium facta eſſe, adiumenti habes ad impietatem contra Spiritum ſanctum tuam, vt illum creaturam appelles. Ne de rerum omnium, quæ factæ ſunt, numero exemptus eſt: vt qui ortus non ſit, ſed æternum cum patre, ac filio fuerit. Nam ſi factus eſt, quia per Chriſtum omnia facta ſunt, per eundem hunc quoque factum eſſe fatebor, non negabo. At ſi factus non eſt, ſed ſemper cum patre, ac filio exiſtit: quo pacto, vel erit vnum de creatis à Chriſto factis, vel per Chriſtum factus dici poterit? quidquid enim vel mentis intelligentia comprehenditur, vel eſt ſenſibile, per Chriſtum factum eſſe dicitur. At ſpiritus ortum nullum habuit. Quapropter per filium ille factus non eſt, ſed ſemper cum illo erat.

Explicatio dicti Euangelici.

Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 8: Sic omnia per ipſum facta ſunt, omnia per ipſum condita ſunt, non quod inſtrumentali quodam, ac ſeruili miniſterio fungatur: ſed quod tanquam conditor paternam implet voluntatem. Baſ.

Not 8. ver. 6. 7.

AMBR. lib. 3. de Fide cap. 3: Nec illud verendum eſt, quod ſolent Arriani ſæua interpretatione componere, dicentes factum eſſe Dei verbum: quia ſcriptum eſt, inquiunt: Quod factum eſt in ipſo, vita erat. Primum intelligant, ſi ad ſubſtantiam diuinam referant, quod factum eſt, Manichæorum ſe quæſtionibus implicari. Obijciunt enim Manichæi: Si quod in ipſo factum eſt, vita eſt: eſt ergo aliquid quod in ipſo factum non ſit, & mors ſit, vt duo impie inducant principia. Sed hoc damnat Eccleſia. Deinde vnde poſſunt docere ſic pronunciaſſe Varia lectio. Ambr.

Euange-

Euangeliſtam? Pleriquе enim docti, & fideles ſic pronunciant: Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Alij ſic: ſine ipſo factum eſt nihil. Deinde, quod factum eſt, pronunciant: & ſubiungunt: In ipſo, hoc eſt, quidquid autem factum eſt, eſt in ipſo. Quid eſt in ipſo? Apoſtolus docet, dicens: (Act. 17.) In ipſo ſumus, & viuimus, & mouemur. Tamen etiamſi quemadmodum velint pronuncient, non poſſunt hinc calumniari Dei verbo, ſi ad ſubſtãtiam eius velint referre, quod factum eſt, quin calumnientur, & patri Deo, de quo ſcriptum eſt: (Ioan. 3.) Qui autem facit veritatem, venit ad lucem; vt manifeſtentur opera eius, quod in Deo ſunt facta. Ecce hic opera hominis in Deo facta legimus. Et ad ſubſtantiam tamen diuinam referre non poſſumus. (Amb.) Et in Pſal. 36. Alexandrini quidem, & Ægyptij legunt: Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Et interpoſita diſtinctione ſubijciunt: In ipſo vita eſt. Salua ſit fidelibus iſta diſtinctio: Ego non vereor legere: Quod factum eſt in ipſo, vita eſt. Et nihil habet quod teneat Arrianus. Quia non illius venena conſidero, ſed lectionis ſacræ conſuetudinem recognoſco. In ipſo, inquit, factum eſt; non Dei verbum factum eſt. Aut ſi hoc mouet te ad calumniam, quia dixit: In ipſo factum eſt: Nunquid & Deo patri calumniaris, quia Dei filius dixit: (Ioan. 3.) Qui autem facit veritatem, venit ad lucem; vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta? Quod factum eſt ergo in ipſo vita eſt. Caro facta eſt in ipſo, vita eſt. Infantia facta eſt in ipſo, vita eſt. Iudicium factum eſt in ipſo, vita eſt. Mors facta eſt in ipſo, vita eſt. Remiſſio peccatorum facta eſt in ipſo, vita eſt. Vulnus factum eſt in ipſo, vita eſt. Illuſio facta eſt in ipſo, vita eſt. Diuiſio facta eſt in ipſo, vita eſt. Sepultura facta eſt in ipſo, vita eſt. Reſurrectio facta eſt in ipſo, vita eſt. Vide quanta in ipſo facta ſunt, quibus vitæ noſtrę facta cõuerſio eſt. Vt quæ perierat redderetur. Ad poſtremum venditio facta eſt in ipſo, vita eſt. Redemptio facta eſt in ipſo, vita eſt. Ad mortem venditus eſt à Iuda, emptus à Iudæis ad mortem, vt precioſo eius ſanguine nos redimeremur ad vitam. Hæc eſt vita, quæ facta eſt, hæc eſt vita, quæ apparuit, hæc eſt vita, quam audiuimus, hæc eſt vita, quæ erat apud patrem. Quia ipſe, qui erat in principio, ipſe poſtea eſt natus ex virgine, vt eſſet vita morituris. Vide Baſ. not. 3. (Baſ.)

Not. 9. ver. 10.

(Quando Ioannes miſſus fuerit.) IOANNES Baptiſta, paulo antequam prædicare inciperet, miſſus à Deo fuit. Ideo forte Ammonius in Harmonia ſua Euangelica, & (Amino. Aug.) Auguſt. lib. 2. de conſenſu cap. 6. & alij quidam eum ſecuti, verſum decimum, & multa, (Diſpoſitionis ratio.) quæ in eodem Euangeliſta conſequenter poſita ſunt, cum Ioannis prædicatione concinnarunt. Sed quoniam ab hoc loco, ad finem vſq; huius capitis, ſummatim, ac breuiter duntaxat mentio fit miſſi à Deo Præcurſoris ad teſtificandum; & incarnari pro nobis filij Dei: Ea vero quomodo geſta ſint, poſtea diſtincte, ac fusè ab alijs diuinis Euangeliſtis explicatur; illud totum cum Tatiano hic ponendum cenſui. (Tatia.)

Not. 10. ver. 11.

HIERON. Eſa. 63: (Hier.) Voluit Deus ſaluare cupientes, & prouocauit ad ſalutem: vt voluntas haberet præmium: ſed illi credere noluerunt. Alioqui & de Ioanne ſcriptum eſt: Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit vt præberet teſtimonium luci, vt omnes crederent per eum. Nec ſtatim in culpa eſt, ſi plures credere noluerunt. Sed voluntas venientis hæc fuit, vt omnes crederent, & ſaluarentur.

Not. 11. ver. 13.

AMBR. in Pſal. 36: (Amb.) Ipſe illuminat omnem hominem veniẽtem in hunc mundum, hoc eſt, illum, qui ad imaginem, & ſimilitudinem Dei viuit. Illum, qui ſe hominem eſſe cognoſcit, vt refugiat equorum libidinem adhinnientem, ferarum rabiem, lepuſculorum formidinem, vulpium fraudem, rapinam luporum. Illum hominem, qui ſic agit, quaſi in hunc mundum ſuperuenerit. Qui non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis; ſed ex Deo natus ſit. Veniſti, ergo noli remanere: noli hærere terrenis.

Not. 12. ver. 16.

CHRYSOST. hom. 9. in Ioannem: (Chryſoſt.) Quid non dicis nobis, Ioannes, eorum etiam ſupplicium, qui eum non receperunt: ſed tãtùm quod ſui erant, & in propria veniens, à ſuis minime receptus eſt? quod autem ex hoc eis ſupplicium maneat, ſilentio prætérijſti. Ita enim maiorem in modum eos perterrere, & duritiem illam ingratitudinis mollire poteras. Quãnam igitur gratia id ſubticuiſti? Et quodnam maius ſupplicium eſſe poſſet, quam ſi in eorum ponatur arbitrio, filios Dei fieri, & nolint; ſed ſponte ſua, tanta ſe nobilitate, tanto honore, indignos efficiant? Verùm enim verò, nõn in hac duntaxat vita cruciabuntur, cùm nihil acceperint, ſed in ignem etiam damnabuntur perpetuum, vt in ſequentibus patebit. (Innuit ab Euãgeliſta hoc adiectum, vt grauiſſimã pœnam, atque ſupplicium declararet, quod ipſũ non recipientes incurrunt.) Hoc autem in loco, cum recipientium immenſa bona breui enarrat. Quotquot autem receperunt eum, inquit, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Siue ſerui ſint, ſiue liberi; ſiue Græci, ſiue barbari; ſiue ſapientes, ſiue inſipientes, ſiue viri, ſiue mulieres; ſiue pueri, ſiue ſenes; ſiue nobiles, ſiue ignobiles; ſiue diuites, ſiue pauperes; ſiue principes, ſiue priuati; omnes, inquit, eodem dignati ſunt honore. (Idem habẽt Theophylac. & Beda, verbis tamen paucioribus.) Fides enim, & Spiritus ſancti gratia, mortalium omnium diuerſitatem comprehendens, in vnam redigit formam, & vno regio charactêre imprimit. Quid huic humanitati par? Rex, qui ex eodem, quo nos, luto formatus eſt, conſeruos, qui eandem cum ipſo naturam communicãt, & nonnunquam melioribus præditi ſunt moribus, non dignatur in

exercitum ſuum adſcribere, ſi ſeruili ſint conditione. Vnigenitus autem Dei filius, neque publicanos, neque magos, neque ſeruos, & his etiam deſpicatiores, & pauperiores homines nonnullos etiam manco, diſtorto, & ſordido corpore, in filios accipere non dedignatur. Tanta fidei vis, tanta gratiæ exuberantia. Et quemadmodum ignis, ſi metallorum terram attigerit, eam quamprimum aurum reddit: ſic & longe magis, pro luteis aureos eos baptiſma facit, quos ablueriṭ; cùm Spiritus ſanctus tãquam ignis illa ipſa hora animos noſtros ingrediatur, & terrena abſumpta ſimilitudine, cœleſtem illam nouam, & claram tanquam ex fornace fulgentem referat. Et cur non dixit: Fecit eos filios Dei fieri? Vt oſtenderet multa nobis opus eſſe diligentia, vt adoptionis nobis per baptiſma impreſſam imaginem puram ſeruemus, atque intactam. Præterea quod nemo hanc nobis poteſt auferre poteſtatem, niſi primum nobiſipſis abſtulerimus. Si enim qui ab hominibus auctoritatem aliquam accipiunt, tantum ferè poſſunt, quantum qui dederint: longè magis nos, qui hunc à Deo honorem aſſecuti ſumus, ſi nihil hac indignum fecerimus poteſtate, omnium erimus potentiſſimi: cùm qui hoc nos honore dignatur, inter omnes maximus ſit; & præſtantiſſimus. Simul autem declarare voluit, gratiam non temerè, neque ſine labore noſtro in nos infundi, ſed cùm ipſi volumus, cum eam inquirimus. In noſtra enim poteſtate eſt filios Dei fieri. Quippe niſi primùm ad eam accipiẽdam promptum animum exhibeamus, neque diuinum ad nos munus accedit, neque quicquam in nobis operatur. Vbique igitur non violentum, non coactum, ſed voluntarium penitus, & liberum nobis oſtendit arbitrium, quod in hoc loco ſignificauit. In ipſis enim arcanis, & ſupernis bonis, Dei quidem eſt, dare gratiam: hominis autem, fidem exhibere. Præterea in ſubſequenti tempore non parua opus eſt diligentia. Siquidem ad animæ puritatem ſeruandam, non ſatis eſt baptizari duntaxat, & credere: ſed ſi perpetuò ea frui mundicia, & pulchritudine volumus, dignam ſe vitam exhibere oportet. Hoc autem in nobis effecit ipſe Deus. Quod enim per myſticam generationem, omni priori crimine abluamur, per baptiſma nobis largitus eſt. Quòd autem in puritate mentis in poſterum perſtemus, neque vllis amplius ſordibus vitam coinquinemus, noſtræ virtutis eſt, & diligentiæ.

Simile.

Liberum arbitrium.

Theophylac. Ioan. 1: Cuius gratia non dixit, quod fecerit eos filios Dei; ſed quòd poteſtatem dederit eis, filios Dei fieri: Cuius gratia? audi: Quia non ſufficit, ad cuſtodiam puritatis, baptizari; ſed & multo ſtudio eſt opus, vt imago adoptionis in filium Dei, figurata in baptiſmate, incontaminata ſeruetur: idcirco multi quidem in baptiſmo gratiam receperunt adoptionis; per ignauiam autem non fuerunt filij Dei vſque ad finem. Fortaſſis autem quis etiam hoc dixerit, quod multi recipiunt eum, per hoc, quod ſolum credunt; quales ſunt, qui dicuntur catechumeni; nondum autem facti ſunt filij Dei; poteſtatem autem tunc habent, quum voluerint baptizari, & hanc gratiam conſequi, adoptionem, inquam, in filios. Dicet autem quis & hoc: Quamuis in baptiſmo adoptionis beneficium accipiamus, tamen quod perfectum eſt, in reſurrectione accepturi ſumus, & perfectiſſimam adoptionem tunc recepturos nos ſperamus: ſicut & Paulus inquit: Quia adoptionem filiorum accipimus. Quapropter & hic Euangeliſta non dixit: Quotquot receperunt eum, fecit eos filios Dei: ſed, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, hoc eſt, dedit vt in futuro ſeculo gratiam illam ſuſcipiant.

Theoph. Cur ait dediſſe poteſtatem fieri, non autem feciſſe.

Gal. 4. Rom. 8.

Euthym. Ioann. 1: Quotquot receperunt eum, ſuſcipiendo doctrinam ipſius: dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: non ſtatim fecit eos Dei filios; ne per ignauiam perdant gratiam: ſed dedit ipſis poteſtatem fieri, quo diligentiores reddantur. Quid ergo? nonne omnes poteſtatem habent, vt filij Dei fiant? Non omnes; ſed hi tantum, quibus datum eſt: ſolum autem datum eſt credẽtibus in ipſum. Ideo quoque manifeſtans quibus dederit, ſubdit: Credentibus in nomen eius, hoc eſt, in ipſum. Itaque ipſius quidem eſt dare poteſtatem; illorum verò, vti ea. Aliud eſt autem per baptiſmum aliquem à Deo adoptari, & aliud per Euangelicorum præceptorum obſeruantiam filium Dei fieri: nam illud principium eſt; hoc autem finis: & illud ſanè Dei donum eſt; hoc verò ſtudij facinus egregium.

Euth.

Cyril. Alexand. lib. 1. in Ioan. cap. 13: Æquo certe iudicio, Deoque digno, primogenitus eijcitur Iſraël. Non enim voluit in affinitate Dei permanere, non recepit filium Dei ad ſua venientem, nobilitatis largitorem reprobauit, autorem gratiæ repulit, quem gentes fide receperunt. Quare iure huius temeritatis colligit fructum, flebitque detrimentum huiuſmodi, quo ab adoptione filiorum Dei depellitur: fruentur autem gentes bonis fidei, præmia obedientiæ non parua inuenient, ad locum illorum tranſplantabuntur, ab oleaſtro ſecundum naturam abſciſſi, & fœcundæ naturæ oliuæ inſerti. Et Iſraël audiet: Væ gens peccatrix, populus peccatorum plenus, ſemen prauum; iniqui filij, dereliquiſtis Dominum, & ſanctum Iſraël irritaſtis. Gentes autem longè aliter illud ab Apoſtolis, aut eorum aliquo audient: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutem eius annuncietis, qui vos à tenebris ad lucem ſuam inuitauit. Nam quoniam gentes filium per fidem receperunt, poteſtatem etiam accipiunt, vt filij Dei fiant. Accipiunt autem à filio, cui ſoli naturaliter hoc ineſt, atque ideo poteſt in commune hoc proponere in ſignum miſericordiæ ſuæ, atque charitatis. Non enim erat poſſibile aliter terreſtris imaginem hominis corruptionem ſcilicet, quam peccato induimus, effugere, niſi cœleſtis hominis imago, & pulchritudo eius, vocatione adoptionis

Cyril.

Rom. 11. Eſa. 1.

1 Pet. 2.

ptionis nobis impreſſa eſſet. Participes enim
ipſius facti per ſpiritum, & ſuo ſignati ſigillo,
ad ſimilitudinem eius, & in primitiuam imagi-
nis figuram conſcendimus, ad quam fuiſſe
Geneſ. 1. creatos diuina ſcriptura teſtatur. Sic enim tan-
dem priſcam naturæ pulchritudinem recupe-
rantes, & ad diuinam illam naturam confor-
mati, ea mala ſuperabimus, quæ maxima
tranſgreſſionis vitio nobis acciderunt. Aſcen-
damus igitur ad ſupernaturalem dignitatem
per Chriſtum: non tamen vt propriè, ſicut il-
le, ſed vt ſimilitudine ipſius per gratiam filij
Dei ſimus. Verus enim ille filius Dei patris eſt,
nos verò miſericordia eius adoptati per gra-
Pſal. 81. tiam, audiuimus: Ego dixi, Dij eſtis. Creatura
autem cùm ſerua ſit, nutu ſolum, & voluntate
patris, ad ſupernaturalia vocatur: filius autem
& Deus, & Dominus, non ſolum quia pater
voluit, Deus filius, ac Dominus eſt: ſed quum
ab ipſa ſubſtantia patris effulſerit; proprium
eius bonum ſecundum naturam contraxit:
quem verum eſſe filium, comparatione quo-
que noſtri, cognoſcimus. Alia enim naturæ ra-
tio, alia adoptionis: & alia veri filij, alia ado-
ptati, qui ſimilitudine, atque imitatione filij,
filius dicitur. Sumus autem nos filij Dei ado-
ptione. Verè igitur, ac naturaliter ille filius
eſt, per quem nos in filiationem adoptati, fi-
liationis vocabulo contra diſtinguimur. Filius
enim, aut natura, vt ipſe eſt, aut adoptione,
vt nos, gratiæ bonum pro naturali dignitate
conſequuti.

Bed. Conſidera gratuitas bonitas. Beda Ioan. 1: Conſideremus, fratres chariſ-
ſimi, quanta gratia Redemptoris noſtri, quam
magna ſit multitudo dulcedinis eius. Vnicus
ex patre natus eſt, & noluit remanere vnus.
Fratres Chriſtus ſibi quæſiuit. Manere diuinitatis ad. Deſcendit ad terram, vbi fratres ſibi, quibus
regnum patris ſui dare poſſet, acquireret; Deus
ex Deo natus eſt, & noluit Dei tantum filius
manere; hominis quoque filius fieri dignatus
eſt, non amittens quod erat, ſed aſſumens quod
non erat: vt per hoc homines in Dei filios
transferret, gloriæque ſuæ faceret cohæredes,
qui, quod ipſe ſemper habebat per naturam,
acciperent per gratiam. Conſideremus
Fidei virtus. quanta virtus eſt fidei, cuius merito poteſtas
datur hominibus filios Dei fieri. Vnde bene
Abac. 2. ſcriptum eſt: Quia iuſtus ex fide viuit. Viuit
enim iuſtus ex fide; non illa, quæ labiorum
tantum confeſſione profertur; ſed ea quæ per
Iac. 2. dilectionem operatur. Alioqui fides ſi non ha-
beat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Nullus
ſeipſum deſpiciat, nullus de ſua ſalute deſpe-
ret. Curemus omnes, curemus ſinguli, vt qui
eramus longe, mereamur fieri prope in ſangui-
ne Chriſti. Videamus quod dicitur: Quotquot
receperunt eum, dedit illis poteſtatem filios
Dei fieri. Quotquot (inquit) receperunt eum.
Act. 10. Perſonarũ acceptor non eſt Deus. Non eſt enim perſonarum acceptor Deus, ſed
in omni gente qui timet Deum, & operatur iu-
ſtitiam acceptus eſt illi.

Amb. Amb. lib. 4. de Fide cap. 4: Ego oſtendam
& Chriſtum habere filios, quos quotidie gene-
rat: ſed ea generatione, vel potius regenera-
tione, quæ poteſtatis eſt, non naturæ. Adoptio
enim poteſtatis eſt, generatio proprietatis.
Quod ipſa ſcriptura nos docuit. Dicit enim
Ioannes: Quotquot autem receperunt eum,
dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui cre-
dunt in nomine eius. Didicimus itaque pote-
ſtatis eſſe, quod nos filios Dei fecit: proprieta-
tis autem generationem eſſe oracula diuina de-
clarant. Dicit enim Sapientia Dei: Ex ore Al- Eccli. 24.
tiſſimi prodiui, hoc eſt, non coacta, ſed libera:
non poteſtati obnoxia, ſed nata generationis
arcano, priuilegio dominationis, & iure pote-
ſtatis. Denique de eadem ſapientia, hoc eſt,
de Domino Ieſu, alibi pater dicit: Ex vtero Pſ. 109.
ante luciferum genui te. Quod vtique ideo
dixit, non vt corporalem aluum declararet;
ſed vt proprietatem veræ generationis oſten-
deret.

Not. 13. ver. 18.

FVLG. lib. 1. ad Traſ. cap. 18: In eo quod Fulg. Totum hominem à verbo ſuſceptum.
Deus totum hominem ſuſcepit pro nobis: Ver-
bum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ver-
bum vtique caro factum eſt, in eo quod eſt vna
in Chriſto, Dei, hominiſque perſona. Habitauit
autem in nobis, quia in Chriſto, vera totaque
permanet diuina, humanaque ſubſtantia. Ver-
bum enim habitans in homine, non eſt muta-
tum in hominem. Vbi autem maximè verbum
potuit habitare, quam in illa ſubſtantia, quam
ad ſuam imaginem fecit, hoc eſt, in anima illius
hominis, quem ſuſcepit? Quod prophetice per
Salomonem ſpiritali gratia cernimus intima-
tum, cum dicitur: Anima iuſti, ſedes eſt Sapien- Sap. 7.
tiæ. Nam vt oſtendatur Chriſtus in animæ ſub-
ſtantia ſpecialiter habitare, Paulus nobis por-
rigit ſuæ atteſtationis in veritate ſubſidium, qui
dicit: Huius rei gratia, flecto genua mea ad pa- Epheſ. 3.
trem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo om-
nis paternitas in cœlis, & in terra nominatur:
vt det vobis, ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, vir-
tutem corroborari per Spiritum eius, in inte-
riore homine, habitare Chriſtum per fidem in
cordibus veſtris. Ecce & animam nominat, &
cor appellat, vbi Chriſtum habitare confirmat.
Vnde liquidò cognoſcitur, verbum Deum, to-
tum hominem ſuſcepiſſe, cùm probetur habi-
tionem filij Dei, in anima magis, quàm in car-
ne monſtrari. Vide eundem cap. 8. Fulg.

Hilar. lib. 11. de Trin: Verbum, quod caro Hilar.
factum eſt, & habitauit in nobis, neq; dum ha-
bitat, non verè verbum eſt, neque dum verbum
caro eſt, non verè Deus homo eſt: quia & habi-
tare eius neceſſe ſit eſſe, qui maneat, & carnem
fieri, eius intelligendum ſit eſſe, qui naſcitur. Et
quod in nobis habitat, noſtræ carnis aſſumptio
eſt. Quia per id in nobis habitat verbũ caro fa-
ctum, dum Deus eſt in noſtri corporis veritate.

Amb. lib. de Incarn. Dom. ſacr. cap. 6: Et hos Amb.
igitur, qui in phantaſmate veniſſe Ieſum prædi-
cant; & illos condemnare debemus, qui aduer-
ſa erroris linea, non vnum, eundemque filium
Dei dicunt: ſed alium eſſe, qui ex Deo patre na-

tus ſit; alium, qui ſit generatus ex virgine: cum Euangeliſta dicat: Verbum caro factum eſt, vt vnum Dominum Ieſum, non duos crederes. Non eſt verbi natura, in carnis conuerſa naturam. Habitauit in nobis, hoc eſt, illud verbum, quod carnem ſuſcepit, hoc habitauit in nobis, hoc eſt, in carne habitauit humana. Hoc ergo verbum caro factum eſt, pro eo quod eſt, homo factus eſt. Et in cap. 2. prior. ad Cor: Verbum carō factum eſt, id eſt, Dei filius incarnatus homo factus eſt.

Amb.

Greg.

Greg. ep. 61. lib. 9: Verbum carnem dicimus factum, non immutando quod erat; ſed ſuſcipiendo quod non erat. Incarnationis enim ſuæ myſterio, vnigenitus patris noſtra auxit, ſua non minuit. Vna itaque perſona eſt verbum, & caro. Non autem prius in vtero virginis caro concepta eſt, & poſtmodum diuinitas venit in carnem: ſed mox vt verbum venit in vterō, mox verbum, ſeruata propriæ virtute naturæ, factum eſt caro, & perfectus homo, id eſt, in veritate carnis, & animæ rationalis, natus eſt per vterum Virginis vnigenitus filius Dei.

Not. 14. ver. 19.

Hier.

Vt intelligendum ſit illud: quaſi vnigeniti.

HIERON. ad Epheſ. 5: De Saluatore ſcriptum eſt: Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti. Non quo ipſe Saluator gloriam habuerit, ad comparationem alterius vnigeniti: Ipſe eſt enim vnigenitus. Et vnigenitus, ſi & alter fuerit, vnigenitus non poteſt appellari. Vnde alterius vnigeniti non indigebat exemplo; ſed quaſi vnigenitum, hoc eſt, vt ſemetipſum decebat gloriam habere, poſſedit.

Amb.

Amb. ſer. 18. in Pſ. 118: Nunquid quiā dixit; quaſi vnigeniti, ſimilitudinem magis vnigeniti, quam veritatem voluit æſtimari?

Baſ.

Io. 16.

Baſil. hom. 15: Manens igitur in eſſentia filius, omnia eſt, quæ pater eſt. Secundum ipſius Domini vocem, dicentis: Cuncta, quę habet pater, mea ſunt. Reuera namque imaginis ſunt omnia, quæ in prototypo, ſiue exemplari exiſtunt: Vidimus, inquit Euangelium, gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, hoc eſt, non ex munere, aut ex gratia, hæc ei miranda data ſunt: ſed ex naturali communitate patriæ diuinitatis dignitatem obtinente filiō. Accipere namque, commune quiddam cum creatione eſt: habere autem ex natura, proprium geniti. Vt ergo filius, naturaliter ea, quæ ſunt patris, poſſidet: vt autem vnigenitus, omnia in ſeipſo comprehendit, nihil cum altero diuidens.

Aliud eſt accipere, quam habere.

Qua ratione filius, & vnigenitus differant.

Iſidor.

Iſidor. Peluſ. epiſt. 473. lib. 2: Si Dei filium hoc argumento imminui exiſtimant homines male feriati, quod de eo ab Euangeliſta dictum eſt: gloriam tāquam vnigeniti à patre; Dei quoque bonitatem, propterea imminui exiſtiment, quod Dauid his verbis vtatur: Quam bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde? quod ſi hoc loco, hæc verba: Quam bonus: per amplificationem dicta ſunt: illic quoq; hæc verba, tanquam vnigeniti, per confirmationem, ac ſimilitudinem ſcripta ſunt.

Pſal. 72.

C A P. 3. *Nunciatur Ioannes naſciturus, & concipitur.*

Matt.	*Mar.*	*Luc. 1.*	*Ioan.*
		In vig. S. Ioannis Baptiſtæ.	

1 ✠ FVIT in diebus Herodis, Regis Iudææ, Sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron; & nomen eius Elizabeth.
2 Erant autem iuſti ambo, ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini, ſine querela.
3 Et non erat illis filius; eo quod eſſet Elizabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis.
4 Factum eſt autem, cum ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundum conſuetudinem ſacerdotij, ſorte exijt vt incenſum poneret ingreſſus in templum Domini.
5 Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi.
6 Apparuit autem illi Angelus Domini, ſtans à dextris altaris incenſi.
7 Et Zacharias turbatus eſt videns; & timor irruit ſuper eum.
8 Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua.
9 Et vxor tua Elizabeth pariet tibi filium: & vocabis nomen eius Ioannem.
10 Et erit gaudium tibi, & exultatio; & multi in natiuitate eius gaudebunt.
11 Erit enim magnus coram Domino.
12 Et vinum, & ſiceram non bibet.
13 Et Spiritu ſancto replebitur, adhuc ex vtero matris ſuæ.

Et multos

Matt.	*Mar.*	*Luc. 1.*	*Ioan.*
		14 Et multos filiorum Iſraël conuertet ad Dominum Deum ipſorum.	
		15 Et ipſe pręcedet ante illum, in ſpiritu, & virtute Eliæ.	
		16 Vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam. +	
		17 Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc ſciam? ego enim ſum ſenex; & vxor mea proceſſit in diebus ſuis.	
		18 Et reſpondens Angelus, dixit ei: Ego ſum Gabriël, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hęc tibi euāgelizare.	
		19 Et ecce, eris tacens, & non poteris loqui, vſque in diem, quo hæc fiant: pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo.	
		20 Et erat plebs expectans Zachariam; & mirabantur quod tardaret ipſe in templo.	
		21 Egreſſus autem non poterat loqui ad illos: & cognouerunt quod viſionem vidiſſet in templo.	
		22 Et ipſe erat innuens illis; & permanſit mutus.	
		23 Et factum eſt, vt impleti ſunt dies officij eius, abijt in domum ſuam.	
		24 Poſt hos autem dies, concepit Elizabeth vxor eius, & occultabat ſe menſibus quinque, dicens: Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.	

Notatio 1.

Ammo. AMMON. tertio etiam loco hanc rem geſtam, de Zachariæ ſacerdotio, poſuit. Probat idem Auguſtinus lib. 2. de conſ. c. 5. Et lib. 4. de conſ. c. 9, aſſerit Euangelium ſecūdum Lucam, ab initio, vſque ad eum locum, vbi ait: Laxate retia veſtra in capturam, non habere vllam repugnantiæ quæſtionem.

Aug. Diſpoſitio eius ratio. *cap. 29.*

Not. 2. ver. 1.

Euſeb. EVSEB. lib. 1. hiſtor. cap. 6: Cùm Herodes primus, extero quodam, & peregrino genere ortus, Iudaicæ gentis regnum obtinuiſſet, prædictio Prophetica, per Moyſen antiquitus prolata, videbatur finem conſecuta, quæ ait: Non deficiet Princeps de Iuda, neque Dux de fœmoribus eius, donec veniat, cui regnum reſeruatum ſit. Quem etiam expectationem gentium fore commonſtrat. Tantiſper enim prædictionis Moſaïcæ euenta minimè abſoluta, & perfecta ſunt, dum ſub principibus ex ea gente prognatis vitæ degendæ poteſtas eſſet: qui quidem initium Imperij altius ab ipſo Moyſe ductum capientes, vſque ad Auguſti regnum durauerunt: ſub cuius Imperio Herodes primus externæ gentis ſtirpe procreatus, Iudæorum principatum à Romanis adeptus eſt.

Herodes alienigena, Iudæorum Rex. *Gen. 49.* *Principes ex Iſrael à Moyſe vſque ad Octauianum durarunt.* *Herodis genus.*

Qui, vt tradit Ioſephus, paternum genus ex Idumæis, maternum autem ex Arabum familia ducebat. Verùm (vt Africanus, ſcriptor haud quaquam vulgaris, memorat) eius genus qui accuratè perueſtigant, Antipatro ſatum ferunt. Hunc autem Herodis cuiuſdam Aſcalonitæ filium fuiſſe, qui ex Æditiuis (ſic enim appellati ſunt hi, qui templo Apollinis inſeruiebant) originem traxit. Qui quidem Antipater, cum adhuc puer eſſet, captus ab Idumæis latronibus, cum illis quod reliquum erat vitæ, propterea traduxit, quòd patri eius, qui in magna egeſtate verſabatur, ad eum redimendum non ſatis ſuppetebat pecuniæ. Ei verò moribus illorum, & vitæ inſtitutis educato, poſtea cum Hircano, ſummo Iudæorum ſacerdote, magna interceſſit familiaritas. Huius filius erat Herodes ille, qui Seruatoris noſtri tempore vixit. Cum igitur Iudæorum regnum ad Herodem, hominem peregrinum, tandem perueniſſet, pro foribus iam aderat, ſecundum Prophetæ oraculum, gētium expectatio. Quippe ex illo tempore Principes, ac Duces, qui, ſucceſſione ab ipſo Moyſe deriuata, Iudæorum potirentur Imperio, deficere, & prorſus euaneſcere videbantur. Nam ante illorum captiuitatem, & demigrationem in Babylonem, à Saule, & Dauide exorſi, regum ditioni ſubijciebantur. Ante Reges autem, Magiſtratus, qui Iudices nominati ſunt, illorum rempub. procurabant: qui quidem proximè poſt Moyſen, & eius ſucceſſorem Ieſum, regnum illorum capeſſere cœperunt. At poſtquam Babylone denuò in patriam reuertebantur, eam reipub. formā perpetuò tenuerunt, quæ erat partim optimatum, partim paucorum prudentia, & conſilio gubernata. Summi enim ſacerdotes ſummam rerum vſque eò adminiſtrabant: quà ad Pompeius Romanorum dux eò aduentans, Hieruſalem acri, & violenta obſidione expugnaſſet: atq; ad templi adita progreſſus, res ſacras nefario ſcelere polluiſſet. Eum verò, qui auita ſucceſſione rex ſimul, & ſummus ſacerdos ad id temporis perſeueraſſet (cui nomen erat Ariſtobulus) vinculis conſtrictum, vnà cum liberis Romam miſit, atque Hircano eius fratri ſummi ſacerdotij munus tradidit. Poſt illud tempus vniuerſa Iudæorum gens facta eſt Romanis vectigalis.

Afric. Æditui. Antipater capitur. Fit Hircano familiaris. Iudæorum Reges ex Moyſis ſucceſſione. Iudices. Sacerdotes Ioſeph. li. 14. c. 8. de Antiq. Ariſtobulus.

 At non

At non longo interuallo interiecto, cum Hircanus (in quem vltimum ſummorum ſacerdotum erat deuoluta ſucceſſio) à Parthis captiuus ducebatur, primus (vt ſuprà dixi) Herodes externa ſtirpe editus, Iudaicæ gentis imperium Senatus Romani, & Auguſti Imperatoris auctoritate obtinuit. Cuius temporibus cum Chriſti aduentus euidenter, & pro certo inſtaret, ſalus etiam gentium, quæ tam diu expectabatur, expleta eſt: earundemque vocatio, iuxta Prophetarum oracula, maturè inſecuta. Et cap. 7: Qui Seruatori noſtro ſecũdum carnem cognati ſunt, vel ſtirpis ſuæ inſigniter illuſtrandæ, vel hiſtoriæ ſimpliciter docendæ ſtudio inducti, etiam iſta nobis verè tradunt: Latrones Idumęos, irruptione facta in ciuitatem quandam Paleſtinę, nomine, Aſcalonem, ex Apollinis delubro, quod erat in vrbis mœnibus collocatum, Antipatrum Herodis cuiuſdam Æditui filium, cum alijs ſpolijs captiuum abduxiſſe. Ac cum pro filio redimẽdo ſacerdos precium perſoluere non poſſet, Antipatrum Idumæorum moribus, & inſtitutis educatum, paulò pòſt cum Hircano Iudæo ſummo ſacerdote familiaritatem conflaſſe: eumque, cum pro Hircano legationem ad Pompeium obiret, & illi regnum ab Ariſtobulo fratre ereptum, liberum, & integrum reſtituiſſet, Paleſtinę curatorem deſignatum, in magna proſperitate vitam degiſſe. Antipatro autem, qui propter inuidiam, proſperum, & fortunatum ſuarum rerum curſum comitantem, ex inſidijs è medio tollebatur, Herodem eius filium ſucceſſiſſe: & pòſtea ab Antonio, & Auguſto, ex Senatus decreto, ad regnum Iudæorum capeſſendum delectum eſſe. Eiuſque filios fuiſſe, Herodem, & alios Principes, qui Tetrarchæ appellabantur.

Herodes regnum obtinet. — *Euſeb.* — *Antipater quo modo Paleſtinæ curator deſignatus.* — *Herodes Antipatri filius & ſucceſſor. Tetrarchę.*

Chryſol.

Chryſol. ſerm. 89: Tempus memorat Regis nephandi, qui ſacrum ſacerdotij violauit morem, confudit ordinem, ſtatutum ſoluit, abſtulit inſtitutum. Et hoc accedit ad meritum Zachariæ, quod cum in omnes penè Herodes auſus ſuæ temeritatis èxtenderit, auſus ſit nihil in iſto, virtutibus ſit huius oppreſſus, vt ſacerdotis immaculata ſucceſſio ad gloriam germinis ſeruaretur. Et ſer. 86: Dum dicitur ſub quo Rege quis ſacerdos ſit, temperantur mala: adeſt ſemper in mœrore ſolatium, nec conſolator deeſt, cui imminet perſecutor. Vſque ad Herodem Iudaicæ genti ſacerdotalis ſanctitas, ſenum grauitas, patrum pietas præſidebat: ius erat lex diuina, ambitio nil ibi, nil temeritas, præſumptio nil valebat: quia gerebatur totum diuino ordine, non humano: ſed Herodes veniens ex gente aliena, inuaſit regnum, violauit ſacerdotium, confudit ordinem, mutauit mores, ſpreuit ſenes, infecit iuuenes, tribus miſcuit, deleuit ſtemmata, corrupit genus, tulit quidquid erat, & diuinæ, & humanæ funditus diſciplinæ. Sed hoc quid ad Zachariam ſanctum? Ne quid ergo tale & in ipſo Zacharia crederetur admiſſum: Euangeliſta cogitur ſic referre: Fuit in diebus Herodis, &c. Quia vſque ad ipſum ab atauis, auis, patribus, transfuſum genus manſit ſacerdotij: tempus legis, ſacrificij omnis ſeruata eſt diſciplina, eo quod impietatem regis, iniquitatem temporis, ambitionis rabiem, temeritatis furorem, ſacerdotis & meritum ſuperauit, & vita. Et ſer. 92: Ita vni templo aſtabat tribus tota: parebant milia ſacerdotum: propter quod ipſa obſeruatio pontificalis officij erat diuiſa per plurimos, diſpenſata per tempora, diſtributa per vices, ne aut ordinem ſacerdotij multitudo confuſa turbaret: aut alter agendo iugiter alteri debitum negaret officium. Et ſer. 89: Aaron primus pontifex in lege fuit ſacerdotij origo; propterea merito prætermiſſis omnibus, eius filia dicitur, cuius in ſe memoria prætulit ſanctitatem, quam tanti generis pia cuſtos glorioſiſſimè transfudit in filium.

Chryſol. — *Chryſol.* — *Chryſol.* — *Cur dicitur filia Aaron.*

Paulinus epiſt. 10. ad Seuerum: Opinor autem & hoc ad cumulum diuinæ gratiæ pertinere, quod ſanctitatem laudandam de laudibus generis prædicare ordior: ſed hunc ordinem non à rhetoricis inſtitutis magis, quàm de Euangelicis exemplis, vſurpari, doctiſſimus Lucas mihi teſtis eſt, qui baptiſtæ beati meritum ab originis claritate detexuit: & ne tantùm hiſtoriæ gratia eum commemoraſſe exiſtimes, nobilem Dominici Præcurſoris parentem: veneranda priſcæ nobilitatis inſignia, & ſuum cuique ſtemma connectit, dicens: Sacerdotem Zachariam de vice Abia: credo vt ex eo ipſo dignitatem meriti eius oſtenderet, adijciens nomen ex infulis, quòd procul dubio in Hebræis eſſet inſigne; de cuius vice, honoratum ſortitus ſacerdotium fungeretur. Denique addidit: Et vxor illius de filiabus Aaron. vides Euangeliſtam de commemoratione natalium ſancti, dictionem feciſſe meritorum; vt ijs quos erat de proprijs meritis prædicaturus, nomina auita præferret. Et vxor, inquit, illi erat de filiabus Aaron: auxit meritum ſacerdotis, commemorata nobilitate coniugij: & laudaturus vitam, genus antè laudauit; vt venerabilior exiſteret, qui ſanctis parentibus reſponderet ſanctitate ingenita quaſi quadam iuſtitiæ hæreditate: qui illud principale, in ſacerdotibus, nomen Aaron; & honoris in munere, & generis in vxore, ſucceſſor referret; atque illa quæ concors in itinere iugum veritatis cum marito trahebat, ad pariendum eligenda per Angelum, de quo ſcriptum eſt: Ecce mittam Angelum ante faciem tuam; dignior & viro ſacerdote, & filio, Prophetis præferendo, exiſteret; quam diuinis idoneam dotibus, non ſolum vita iuſtitiæ, ſed familiæ prærogatiua feciſſet. Vide Amb. lect. 1. & 2. die 23. Iunij.

Paul. Hominum laudes a generis nobilitate, etiã Euangelicis exemplis vſurpãtur Lucas doctiſſimus. — *Luc. 1.* — *Malac. 3. Mar. 1.* — *Amb.*

Not. 3. ver. 2.

Chryſol. ſer. 89: Oratores magni, & excellentes ingenio, quoties illuſtrium virorum parant narrare virtutes, auos, atauoſque commemorant, vt ad honorem præſentium, accedat dignitas antiquorum; & laus patrum, filiorum redundet ad gloriam. Maior eſt innata gloria,

Chryſol. Cur parẽtes Ioãnis laudentur.

gloria, quam quæſita; præcedit, quod venit ab origine, quod ſequitur ex labore; gloriam beatius eſt habere, quam quærere: hinc eſt quod Euangeliſta; vt extollat Ioannis gloriam, Zachariæ patris, Elizabeth matris genus dicit, auos memorat, ſcribit merita, loquitur titulos, gradus digerit, vitam pandit, dilatat inſignia, prædicat ſanctitatem. Incedit qui non ſtat in triuijs peccatorum: qui peregrinum ſe hoc ſentit in ſæculo: qui aſperas virtutum intrat intrepidus manſiones: qui montes iuſtificationum, mandatorum colles indefeſſus viator aſcendit: vt præſentia parentis Dei, patriæ cæleſtis beatitudine perfruatur.

Quinam incedant.

Greg. lib. 35. Moral. cap. 4: Et quidem quantum ad humana iudicia, in verbis ſuis amici Iob multa illo rectius dixiſſe crederentur; ſed veritas aliam ex occulto regulam proferens, ait: Non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob. Coram me, ait, id eſt, intus: vbi ſæpe multorum vita diſplicet, quæ etiam foris hominibus placet. Vnde caute nimis, in laudem iuſtorum coniugum dictum eſt: erant iuſti ambo ante Deum. Non enim ſecura laus eſt, iuſtos ante homines apparere. Sæpe enim humana ſententia velut in Deo magnum quempiam approbat, ſed hunc omnipotens Deus, qui quaſi ex ſe approbatur, ignorat. Hinc eſt enim quod Pſalmiſta vigilanter exorat, dicens: Dirige in conſpectu tuo viam meam: nimirum quia plerumq; in conſpectu hominum recta via creditur, etiam quæ à veritatis itinere deprauatur.

Greg. Iob 42. Ante Deũ q. intus. Pſ. 5.

Aug. lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 13: Quia quidquid in eis erat iuſtitiæ, non erat ad homines ſimulatum, ideo dictum eſt, ante Deum, hoc eſt, coram Deo, ſeu teſte Deo, qui omnia nouit. Et ſerm. 22. de Sanctis: Beati igitur, fratres, quos in ſeculo iſto aliqua culpa non percutit, nullum vulnerat crimen. Beati planè iſti, quos vlla non potuit aliquando tangere, querela. Incedentes, inquit, in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini, ſine querela. Si pueritia, ſi adoleſcentia, ſi iuuentus eorum extitit ſine querela, vbi tamen maximè ſolet eſſe querela: qualis eſſe potuit eorum ſenectus? Si tale fuit initium, qualis eſſe potuit finis?

Aug. Quid ſit ante Deũ. Aug.

Et lib. de natura, & gratia, cap. 14: Aliquotiens in ſcripturis inuenitur homines dictos eſſe ſine querela, non inuenitur, qui ſit dictus ſine peccato, niſi vnus ſolus, de quo apertè dictum eſt: eum qui non nouerat peccatum. Et lib. de perfectione iuſtitiæ: legitur ſanè: Homo ſine crimine; legitur: Sine querela: at non legitur: Sine peccato, niſi filius hominis vnus, idemque Dei filius vnicus. Item ſibi oppoſuit teſtimonium ſanctarum ſcripturarum, quod eis dici ſolet: Quia non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Et quaſi reſpondit alijs teſtimonijs, quia Dominus de ſancto Iob, ait: Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob? Non enim eſt ei ſimilis quiſquam in terris, homo ſine querela, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo. Vnde iam ſuperius diſſeruimus. Nec tamen ipſe oſtendit nobis, quomodo & Iob, ſi hæc verba ita intelligenda ſunt, ſine vllo peccato fuerit in terra, & verum ſit, quod ſcriptum eſſe dixit: Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Item dicunt, inquit, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Et huic teſtimonio quaſi reſpondit ad nihil aliud, niſi vt ſcripturæ ſanctæ inter ſe litigare videantur, quarum concordiam nos debemus oſtendere. Ait enim quibus reſpondendum eſt, quod de ſancto Zacharia Euangeliſta teſtatur, dicens: Erant autem Zacharias, & Elizabeth vxor eius, iuſti ambo in conſpectu Domini, & in omnibus mandatis incedentes, & iuſtificationibus Domini, ſine querela. Qui iuſti ambo, vtique legerant inter ipſa mandata, quemadmodum ſua peccata mundarent: nam Zacharias, quod de omni ſacerdote ex hominibus accepto in epiſtola ad Hebræos dicitur, etiam pro ſuis peccatis vtique hoſtias offerebat. Quomodo ergo intelligendum ſit, quod dicitur, ſine querela, iam ſupra ſatis, quantum opinor, oſtendimus.

Aug. Eccl. 7. Iob 1. Pſ. 142. Scripturæ ſacræ inter ſe conſentiunt. Luc. 1. Heb. 5.

Et lib. 1. de gratia Chriſti cap. 48: Illud autem, propter quod ſic laudauit ſanctũ Ambroſium, quia ſcilicet in ſcriptis eius inuenit ex laudibus Zachariæ, & Elizabeth, poſſe hominem in hac vita eſſe ſine peccato: quanquam negandum non ſit, ſi hoc velit Deus, apud quem ſunt omnia poſſibilia; conſideret tamen diligentius quemadmodum dictum ſit. Dictum enim eſt, quantum mihi videtur, ſecundum quandam inter homines conuerſationem probabilem, atque laudabilem, quam nullus hominum iuſtè poſſet in accuſationis, & criminationis querelam vocare. Quam propterea in Dei conſpectu Zacharias, & eius vxor habuiſſe referuntur; quia in ea homines nulla diſſimulatione fallebant, ſed vt apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Non autem dictum eſt hoc, ſecundum illam perfectionem iuſtitiæ, in qua verè, atque omnino immaculati, perfectique viuemus: nam & Apoſtolus Paulus dixit, ſecundum iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſe fuiſſe ſine querela: in qua lege etiam Zacharias, ſine querela conuerſabatur. Sed hanc Apoſtolus iuſtitiam, in ſtercoribus, & detrimentis deputauit in comparatione iuſtitiæ, quam ſperamus, & quam nunc eſurire, ac ſitire debemus, vt ea quandoque ſaturemur in ſpecie, quæ nunc eſt in fide, quamdiu iuſtus ex fide viuit. De hac re plura idem Auguſtinus ſerm. 15. de verbis Apoſtoli. Vide Amb. lect. 2. & 3. die 23. Iunij.

Aug. Quomodo hic eſſe poſſit homo ſine peccato. Quid ſit, eſſe ſine querela. Quid ſit, ante Deũ. Quomodo illi non erant. Phil. 3. Aug. Amb.

Not. 4. ver. 3.

THEODORVS Studites: Hæc ſterilitas non erat pœna maledicti, ſed magni myſterij ſignificatio.

Theod.

Chryſol. ſer. 87: Sterilitas ſenectute exaggeratur extrema: & ab ſpe generandi totum ſubducitur quidquid eſt corporis, & naturæ: & ne vel cogitatio ſobolis vlla remaneret, ad id peruentum eſt temporis, & ætatis, quo, tranſacto calore vitali, mortale frigus ſterilis iam viſcera poſſi-

Chryſol.

poſſidebat: vt genitor ipſe cognoſceret, inde iam per hominem non poſſe naſci hominem, vnde abſceſſerant res humanæ. Sic, ſic fratres, duris hominum præcordijs credulitas aſſeritur, & inſeritur fides: & tunc totum diuinum creditur, cum fuerit nil humanum.

Chryſol.

Et ſer. 89: Sterilitas iſta non erat maledicta, ſed myſtica, in qua partus non ablatus eſt, ſed dilatus; neque erat pignori clauſa, ſed tempori: colebatur tempore, virtute ſerebatur, maturabatur ætate, ſenectute creſcebat, vt in filio ſingulari tota fœcunditas penſaretur, quando in vno naſcebatur numeroſitas congeſta virtutum. Beata ſterilitas, quæ vnum ſeruabatur ad partum: & expectabat Ioannem, cui quia prima omnia debebantur, primogeniti dignitas non periret. Proceſſerant, non deceſſerant: vixit in ſanctis ætas, non defecit, ſed proceſſit. Aut quid illis deficit, quibus accedunt ſemper incrementa virtutum? Ergo in Zacharia, & Elizabeth ſtupet ſexus, frigeſcit caro, membra ſopiuntur, tempus præterit, ætas tranſit, aboleſcit totum quidquid eſt & humani ordinis, & negotij coniugalis, vt diuino munere, non partu, ex hominibus angelus naſceretur.

Aug.

Aug. ſer. 22. de Sanctis: Non dixit: non erant illis filij; ſed non erat illis filius: quia ſingularis futurus erat, qui erat de talibus naſciturus. Audi Dominum dicentem: Non eſt maior inter natos mulierum Ioanne Baptiſta.

Matt. 11.

Erat quidem ſterilis corpore, ſed fœcunda virtutibus. Tarda ſoboli, ſed non tarda Deo. Non germine clauſa, ſed tempore, non negata pignoribus, ſed ſeruata myſterio. Fratres, Elizabeth ſanctæ partus non ablatus eſt, ſed dilatus, donec pertranſiret tempus carnis, paſſio corporis, coniugij neceſſitas, voluptatis cauſa, cupiditatis ſenſus, & totum quod humanam confundit, grauat, onerat conſcientiam. Mundabatur enim longo tempore ſacrificij domus, ſanctitatis hoſpitium, metatum metatoris Chriſti, Angeli domicilium, aula Spiritus ſancti, Dei templum. Dei templum eſtis, inquit Apoſtolus, & Spiritus Dei habitat in vobis. Denique vbi tota corporis ſedata eſt querela, & in toto facti ſunt ſine querela, vox ſterilitatis fugit, reuiuiſcit ſenectus, fides concipit, parit caſtitas, naſcitur maior homine, par Angelis, tuba cœli, præco Chriſti, arcanum patris, filij nuncius, ſignifer ſuperni Regis, peccatorum venia, Iudæorum correctio, vocatio Gentium: eſt, vt propriè dicam, legis, & gratiæ fibula, quæ diploidem ſummi ſacerdotis ſancto patri iungebat in corpore. Euangeliſta ergo virtutes patris, matriſque deſcribit, vt generantium meritis dignitas germinis noſceretur, & probaretur maior homine, qui ortu ſuo excedebat leges natiuitatis humanæ.

1 Cor. 3.

Ioànes eſt legis, & gratiæ fibula.

Not. 5. ver. 4.

Atha.

ATHAN. ſer. de ſanctiſſima Deipara: Significamus igitur tempore beneplaciti paternæ voluntatis, ſub plenitudinem ſeptuaginta hebdomadarum Prophetæ Danielis ab ædificatione Hieruſalem, poſt remigrationem captiuitatis Iudææ ex Babylone, per Salathiel, & filium Ioſedech, ſummos id temporis ſacerdotes, & ad impletionem trecĕtorum nonaginta annorum, ſecundum vices ſui ſacrificij ingreſſum eſſe Zachariam in templum Domini, ad incenſum offerendum.

Dan. 9.

Chryſol. ſer. 87: Bene dixit: Ingreſſus in templum; non, ingreſſus templum: quia ipſe erat Dei familiarius templum, portans in ſui pectoris puritate tota legis arcana: & apponens non tam thuris, quam puræ ſupplicationis incenſum. Gratius namque Deus in ſuo, quam in hominis opere requieſcit: & non tam libenter odoratur Arabicæ arboris guttam, quam ſinceri cordis, & pectoris ſanctitatem.

Chryſol.

Not 6. ver. 6.

ANTIPATER Boſtrorum Epiſc. orat. de Ioanne: Quod is, qui videtur, ſit ſatelles cœleſtis, & non Deus, ſtatio indicat: Eſaias enim vidit Dominum ſedĕtem: Ezechiel ſupra thronum aſpexit incorporeum: Daniel ſimiliter antiquum dierum ſedentem. Hic autem ſtat implens miniſterium, captis partibus altaris magis honorabilibus.

Antip. De Angeli apparitione. Cur ſtet. Eſa. 6. Ezech. 1. Dan. 7.

Chryſol. ſer. 87: Dicere ſuffecerat: Apparuit ei Angelus; Quid magnopere, à dextris altaris? Vt eſſe in ſanctis Angelis auditor intelligas nil ſiniſtrum, dicente ſcriptura: Vias, quæ à dextris ſunt, nouit Dominus.

Chryſol. Cur ad dextram. pro 4 iuxta 70.

Chryſoſt. hom. 61. ad Antioch: Hic myſticus ſanguis dæmonas quidem expellit, & procul eſſe facit: ad nos autem Angelos vocat, & Angelorum Dominum. Vbi namque Dominicum viderint ſanguinem, dæmones quidem fugiunt, concurrũt autem Angeli. Huius ſanguinis, participes cum Angelis, & Archangelis, & ſupernis manent virtutibus, ipſam Chriſti regiam induti ſtolam, & arma gerentes ſpiritualia. Sed nondum quicquam dixi: Ipſum enim induti ſunt regem. Dum profertur ſacrificium, & Chriſtus immolatur, & ouis Dominica: cum audieris, oremus omnes communiter: cum vela videris retrahi, tunc ſupernè cœlum aperiri cogita, & Angelos deſcendere.

Chryſoſt.

Adſunt Angeli ſacrificantibus, etiam ſi non appareant.

Et hom. de Eccleſia Dei: Cogita, prope quem aſtiteris, ô homo, in ſacro illo, & horrendo ſacrificio, cum quibus Deum ſis inuocaturus: cum Cherubim, cum Seraphim, & cum alijs cœleſtibus Virtutibus. Reputa, quóſnam gregales, & canendi ſocios habeas. Sufficit hoc tibi, ad attentionem animi excitandam, cùm perpenderis, te corpore circumſeptum, & carni implicatum, vt cum incorporeis virtutibus communem omnium Dominum concelebres, aſſecutum eſſe. Diuinæ enim communionis tempore, fratres, non ſoli homines maximè horrendum illum clamorem vociferantur, ſed & Angeli procumbunt Domino, & Archangeli canunt. Nacti ſunt enim tempus opportunum, & oblationem ſibi auxiliantem. Et quemadmodum homines ramos

Chryſoſt.

Quid reddat orantem attentum.

mos olearum receiſos regibus protendunt, per ſtirpem illam, miſericordiæ, & humanitatis ipſos admonentes: ita ſanè & Angeli tunc, pro ramis olearum ipſum corpus Domini protendentes, Dominum pro natura humana precantur, tantum non dicentes: Pro his rogamus, quos tu ipſe prior ita dilexiſti, vt animam tuam dares: pro his ſupplices preces profundimus, pro quibus ipſe ſanguinem profudiſti: pro his precamur, pro quibus corpus hoc hoſtiam obtuliſti.

Angeli pro nobis orant.

Amb. Ambr. lib. 1. in Luc: Vtinam nobis quoque adolentibus altaria, ſacrificium deferentibus, aſſiſtat Angelus, imò prębeat ſe videndum. Non enim dubites aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, Chriſtus immolatur. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Et 1. orat. ad Miſſam præparante: Quanta reuerentia, & tremore; quanta corporis caſtitate, & animæ puritate; iſtud diuinum, & cœleſte ſacrificium eſt celebrandum; vbi caro tua in veritate ſumitur; vbi ſanguis tuus in veritate bibitur; vbi ſummis ima coniunguntur: vbi adeſt ſanctorum præſentia Angelorum.

Sacrificantibus adſunt Angeli. 1 Cor. 5. Amb. Sacrificantibus adſunt Angeli.

Theod. Theodorus Studites oratione de natali Ioannis Baptiſtæ: Viſus eſt ei, inquit, Angelus Domini. Quid ad hæc nobis dicunt ſemichriſtiani, qui non admittunt imagines? Si ab homine viſus eſt Angelus, omninò habuit imaginem, & non aliam, quàm in qua viſus eſt. Viſus eſt autem in ea forma, in qua Moyſi prius in monte Sina in figura oſtenſa ſunt Cherubin, quæ erant circa propitiatorium. Si autem id, quod eſt incorporeum, & quod caret figura, ea, quæ fuit oſtenſa figura, circumſcribitur, quomodo id, quod eſt corporeum, & figuratum, & quod colori, & tactui ſubijcitur, & tres ſuſcipit dimenſiones, imagine non repręſentabimus, ad euidentem demonſtrationem ab eo ſuſceptæ carnis, quæ viſione non poteſt apprehendi? Neque verò putent ſtulti, nos diuinitatem in hoc circumſcribere, quæ neque verbis exprimi, neque comprehendi poteſt, cuius nulla eſt poſitura, nulla figura, nullus locus, nulla quantitas, nulla qualitas, non aliquid aliud ex ijs, quæ ſunt intra fines circumſcriptionis, proptereà quod ſit infinita; & non poteſt comprehendi. Nam hic quoque eius, qui eſt homo, ſolummodò effingentes imaginem, non materiæ expertem, & informem animam vnà omninò effingimus: non enim contingit; ſed vtrique conuenienter attribuimus ea, quæ ſunt eius propria: ei quod circumſcribi non poteſt, id, quod non poteſt circumſcribi: & ei quod poteſt circumſcribi, id, quod circumſcribi poteſt: ſicut verbum oſtendit veritatis.

Contra Iconomachos. Exod. 25.

Nu. 7. ver. 7.

Chryſol. CHRYSOL. ſer. 86: Non eſt mirum ſi turbatur ſacerdos, ſi ſtupet doctor, ſi paueſcit antiſtes, ſi tacet minima, cum videt maxima: ſi deſerit verba, cum ſigna conſpicit. Et ne ſolus Zacharias timuiſſe videatur: audi alium Prophetam, dicentem: Domine, audiui auditum tuum, & timui; conſideraui opera tua, & expaui. Et ſer. 88: Si de iudicis poteſtate ſolicitus eſt, qui ſemper de apparitoris turbatur, & contremiſcit aduentu: & mandati meritum de perſona venientis æſtimat, & metitur: &, quamuis benè conſcius, pauet, donec cauſas venientis agnoſcat, & intelligat qualitatem: quid faciet, quo pauore trepidabit, cum poteſtatem ſupernam ſenſerit hominis imbecilla natura, cum reſpexerit homo Angelum, & diuinæ ſedis miniſtrum viderit? Caro nunquam de ſua conſcientia eſt ſecura: ſicut Zacharias ipſe, de quo loquimur nunc, comprobauit: qui in ipſo tempore placationis offendit: qui dum credit, dubitat, dicente Angelo, quia non credidiſti verbis meis: dum poſtulata promeretur, incurrit, condemnatur, munera ipſa cum ſuſcipit: qui vocem, cum vocem percipit, tunc amittit?

Abac. 3. Chryſol.

Antip. Antipater Boſtrorum Epiſcopus, oratione de Ioanne Baptiſta: cum Zacharias fuiſſet intra velum, viſus eſt ei Angelus Domini, ſtans à dextris aræ incenſi. Conturbatus eſt autem Zacharias, & non potuit vlterà progredi, propter Angeli adſpectum retrocedens: diu autem manſit attonitus, hæc apud ſe, dicens: Quid ſit hoc, quod videtur, dubito. Alius ad altare incenſi fungitur munere ſacerdotali, ego autem quomodo imponam igni incenſum? vnum ſolum lex iubet fungi munere ſacerdotali. Eſt Angelus, non homo, qui videtur. Neque ſic tamen in templum patet aditus. Non enim didicimus vnà miniſtrare cum Angelis. Quid igitur de me fiet? quid agam? quemnam accipiam conſiliarium? Sanctóne cedam Sanctis? ſalutabo, & accedens dabo incenſum: nunquid me accipiet ſocium? Num venit ſermocinaturus cum miniſtris Sanctorum? Video terribilem, & lætum: Venítne bonum afferens nuncium, famémne, an bellum minitans? Hei mihi, num propter meum peccatum etiam à populo rationem exiget? Num magnitudo honoris, erit mihi occaſio maioris ſupplicij? Hæc ratiocinans conturbabatur Zacharias.

Theod. Theodorus Studites oratione de natali Ioannis Baptiſtæ: Quam eſt terribilis etiam viſio Angelica, & quam in loco terribili apparuit? Quam terribilis, inquit, eſt locus iſte? nihil eſt hoc niſi domus Dei. Nec eſt mirum, ſi cum eſſet iuſtus ſacerdos, conturbatus eſt, & timor irruit ſuper ipſum: cum Daniel quoque vir deſideriorum, cum vidiſſet, ſtupore eſt affectus, & in faciem cecidit, & ore hianti manſit attonitus propter Angelicæ excellentiæ ſplendorem incomparabilem. Dan. 10.

Chryſoſt. Chryſoſt. Encomio natalis Præcurſoris: Meritò ergò fuit conturbatus. Erat enim homo ſeruiens mutationi, etiamſi eſſet præditus dignitate ſacerdotali. Deinde etiam apud ſe cogitabat, quænam eſſet aliena, & admirabilis viri viſio: quiſnam is eſſet, qui audaci pede in ſacrum templum aſcendebat: quis is eſſet, qui à dextris altaris ſuffitus adſtaret, tanquam qui nulli eſſet peccato affinis. Quis hic eſt, aiebat, qui alienis, & diuerſis formis circumcircà coruſcat,

ruſcat, & metu meam comprimit animam? Nunquam enim ego vidi rem tam admirabilem: hominémne alatum, an volucrem humana forma præditam? Quid hoc ſit, dubito. Mei enim ſiſtitus videtur eſſe aliquis ſpeculator, & meæ interceſſioni eſſe impedimento: Populi multitudo me foris orans expectat, tanquam ſcribam cœleſtis regis, & hic me intùs retinet. Per me Regi preces offerunt, veniam petentes delictorum: & incertus ſum, an poſſim explere populi deſiderium, & meo ſatisfacere officio: & hic conſtitit nouum mihi afferens nuncium. Ceſſa deinceps tu, qui me terres. Si enim eſſes à Deo miſſus Angelus, ad ea, quæ ſunt mihi vſui, adiumento fuiſſes, & miſertus eſſes eorum, qui foris lachrymantur: affligereris vna cum ijs, qui affliguntur. Recede hinc qui me terres.

Cæſar. Cæſarius Nazian. frater Dialogo primo: Blaſphemiæ igitur, & ſtultitiæ eſt, putare quòd Angeli fœminas deperea nt. Neque enim de his, inquit Scriptura ſacra, quod ingreſſi ſint filij Dei Gen. 6. ad filias hominum: ſed filij Sethi, & Enoſi per illas corrupti ſunt. Rectè igitur filij Sethi, & Enoſi filij Dei intelligendi ſunt, qui per libidinem capti, ad filias Caini ingreſſi ſunt; ex quorum mutua contaminatione nuptiali in vitam editi ſunt gigantes, propter iuſtitiam quidem robuſti, propter Cainum autem mali. Et verò quonam pacto mulieres cum Angelis dormire poterant, quando viri ad illorum adſpectum obſtupuerunt, ijque non vulgares, ſed virtute Dan. 10. præſtantes? Hac enim de cauſa Danielus Gabrieli adſpectum non ſuſtinens, mox in terram cadebat, & præ metu tantum non colliqueſcebat. Luc. 1. Sed & Zacharias illum horruit, & ad primùm adſpectum mutus factus, timore palpitabat, linguæ vſu carens vſque ad Ioannis natiuitatem, nutibus tantum voluntatis placita ſignificans. Præterea & mulierculæ ad Seruatoris ſepulchrum cum feſtinatione contendentes, illorum Angelorum adſpectu obſtupuerunt, & timore perculſæ, non annunciarunt Apoſtolis, quæ ſibi erant iniuncta. Inuaſerat enim ipſas Mat. 16. tremor, & ſtupor, vt nihil cuiquam dicerent, inquit Diuus Euangeliſta. Si igitur ne Angelorum quidem demiſſionem viri magni ſuſtinere potuerunt, quomodo teneræ mulieres illorum contrectationem, aut concubitum ferre poſſent.

Amb. Amb. lib. 1. in Luc: Nec verearis, ne turbetur cor tuum Angeli viſione. Idem enim Angelus, qui occurrerit nobis, confirmare nos poterit, ſicut turbatum ante Zachariam firmauit animo, dicens: Ne timeas.

Not. 8. ver. 8.

Atha. Turbati Zachariæ confirmatio. Bonorum, & malorũ ſpirituum, diſcretio. ATHAN. in vita ſancti Antonij: Non eſt autem difficilis bonorum ſpirituum, malorumque diſcretio, quæ ſic, Deo tribuente, panditur. Sanctorum Angelorum amabilis, & tranquillus aſpectus eſt; quia non contendunt, neque clamant, neque audiet aliquis vocem eorum; verum tacitè, leniterque properantes, gaudium, exultationem, fiduciam pectoribus infundunt, ſiquidem cum illis eſt Dominus, qui eſt fons, & origo lætitiæ. Tunc mens noſtra non turbida, ſed lenis, & placida Angelorum luce radiatur; tunc anima cœleſtium præmiorum auiditate flagrans, effracto (ſi poſſet) humani corporis domicilio, & membris exonerata mortalibus, cum his, quos videt abire, feſtinat ad cœlum. Horum tanta benignitas eſt, vt ſi quis, pro conditione fragilitatis humanæ, miro fuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuo, ex corde auferant metum. Ita Gabriel, cum Zachariæ loqueretur in templo, & Angeli, cum diuinum Virginis partum paſtoribus nunciarent, & qui Dominici corporis agebant excubias, ſecuris cap. 19. videntium ſe mentibus oſtendentes, ne metuerent, imperabant. Metus enim non tantum ex Vnde metus oritur. pauore animi, quantum ex magnarum rerum ſæpe incutitur aſpectu. Peſſimorum verò vultus truces, ſonitus horridi, ſordidi cogitatus, Peſſimorũ ſpirituum vultus qualis. plauſus, motusque indiſciplinatorũ adoleſcentum, vel latronum; è quibus confeſtim timor animæ, ſenſibus ſtupor incutitur, odium Chriſtianorum, monachorum mœror, tædiumque ſuorum, recordatio, & metus mortis, cupido nequitiæ, laſſitudo virtutis, cordis hebetatio. Si igitur poſt timorem, horrore concepto, ſucceſſerit gaudium, & ad Deum fiducia, atque ineffabilis charitas, veniſſe ſciamus auxilium, quia ſecuritas animæ præſentis maieſtatis indicium eſt. Sic namque & Abraham Patriarcha videns Deum gauiſus eſt, & Ioannes cum Mariam ſuperueniſſe ſentiret, quæ in ſacri ventris hoſpitio vniuerſitatis geſtabat parentem, exultauit, necdum natus, in gaudium. Si autem incuſſa formido permanſerit, hoſtis eſt, qui videtur; quoniam nec refouere nouit: vt Gabriel patientem Virginem, ne timeat, iubet, & ſicuti paſto- Luc. 2. res nuncio conſolati ſunt; quinimo pauorem duplicat, & vſque ad profundam impietatis foueam, vt ſibi homines proſternantur, impellit. Exinde miſera gentilitas, Dominicæ interdictionis ignara, falsò dæmones Deos opinata eſt.

Chryſol. Chryſol. ſer. 88: Angelus antequam mandata pandat, dona tradat, referat impetrata, metum diſcutit, fugat timorem, confortat animos ancipiti cogitatione turbatos, vt mens quæ migrauerat à ſe nimio pauoris exceſſu, in ſemetipſum reuerſa beneficiorum tantam ſentiret, & caperet largitatem.

Antip. Antipater Boſtrenſis oratione de Ioanne Baptiſta: Non latuit Angelum Gabrielem ſacerdotis conturbatio. Quocirca ei ſtatim placidam vocem dedit, tanquam dexteram, clamans: Ne timeas, Zacharia. Prius eius compreſſit timorem, & tunc bonum narrauit nuncium: vt non perturbato animo acciperet Zacharias, id quod ei ſignificabatur. Ne timeas, tibi gratus affertur nuncius.

Chryſoſt. Chryſoſt. Encomio de natali Præcurſoris: Eijcit metum, & eius loco inijcit deſiderium. Nam cum dixiſſet: Ne timeas, non tacuit, ſed etiam

etiam precationis lucrum ſignificauit. Exaudita eſt enim, inquit, deprecatio tua. Quodnam? Leuiticæ tribus augmentum. Et ſerm. de natiuitate Ioannis Baptiſtæ: Chriſti aduentum Zacharias precatus eſt. Quoniam nec temerè hoc dicimus, quòd ex reſponſis Gabrielis Angeli inuenimus eum, & deprecatum fuiſſe. Ait enim ei Gabriel Angelus: Zacharia, exauditæ ſunt preces tuæ. Cuius vtique preces exaudiuntur: vtique exauditur quod precatur, aut deſiderat. Tribuet enim petentibus ſe, quod quis deſiderat, aut poſtulat ab eo, dicente Chriſto Saluatore noſtro: Quis eſt enim ex vobis, inquit, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porrigit ei? &c.

Chryſoſt. — Quid Zacharias petierit. — Matt. 7.

Theophylac. Luc. 1: Angelus confeſtim turbationem ſedat. Vbique enim hoc indicio diſcernuntur viſiones, quæ à Deo, & quæ à diabolo. Nam ſi mens primum turbetur, & ſtatim timor ſoluatur, & iterum quieſcat, reuera diuina eſt viſio. Si autem timor, ac turbatio magis, atque magis creſcant, dæmoniaca eſt viſio.

Theoph. — Viſiones quando diuinæ, & quando diabolicæ.

Amb. ſer. 63: Vnde intelligimus, quod Ioannem Zachariæ iuſtitia, magis orando genuerit, quam Elizabeth ſenectus procurando ſuſceperit. Hinc, inquam, intelligimus, quod Ioannem obſecratio creauerit, non voluptas. Cùm enim materni vteri viſcera ætatis ſenectute frigeſcerent, & feſſi corporis membra, fœcunditatis gratiam perdidiſſent, contra impoſſibilitatem corporis, contra ſterilitatem viſcerum, Zachariæ precibus Elizabeth vterus intumeſcit, & concipit Ioannem, non natura, ſed gratia. Vnde neceſſe erat ſanctum naſci filium, quæ non tam complexibus, quam orationibus gignerentur. Minus autem mirari debemus, quod tantam Ioannes gratiam in naſcendo meruerit. Debuit enim Præcurſor, & præuius Chriſti aliquid ſimile habere natiuitati Domini Saluatoris. Siquidem Dominus de Virgine gignitur: Ioannes de ſterili procreatur. Ille de adoleſcentula: iſte de iam feſſa generatur. Habet ergo & huius natiuitas aliquid gloriæ, atque miraculi. Quamuis enim vilior partus mulieris videatur eſſe, quam virginis: tamen ſicut Mariam ſuſpicimus, quod virgo peperit: ità in Elizabeth miramur, quod anicula procreauerit. Quod quidem factum, myſterium aliquod arbitror continere: vt Ioannes, qui veteris teſtamenti figuram gerebat, ſenis mulierculæ, frigido ſanguine naſceretur. Dominus autem, qui regni cœleſtis Euangelium prædicaret, feruentis iuuenculæ flore progrederetur.

Amb. — Ioannes cur ex ſterili naſcitur. — Cur Ioannes ex anicula, & Chriſtus ex iuuencula ſit natus.

Not. 9. ver. 9.

CHRYSOL. ſer. 88: Putáſne ſacerdos tantus, ſic eſt populi, ſic vniuerſitatis oblitus, vt de conceptu veteranæ coniugis, de partu deſperatæ ſterilis rogaret, vt ſibi ſoli legatus omnium tunc adeſſet, vt aduocatus omnium pro ſe ſingulariter oraret, vt tantum pótificatus officium intra domeſticas arctaret curas, inter familiares clauderet, & occuparet anguſtias; & incenſum totius plebis, in ſolum deſiderium proprij pignoris addiceret, veteranus Antiſtes, ac tali deſiderio grandæuus, & ipſum tempus iam reſpiciens, ad partum ſuccenderetur intempeſtiuum? Abſit, fratres, abſit, vt hoc de ſancto Zacharia fidelis anima ſuſpicetur. Et quidem Angelus in hoc fuiſſe refert totius ſupplicationis effectum, dicens: Exaudita eſt deprecatio tua: & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium. Si Angelus ad petita reſpondit, Sacerdos pro ſolo pignore ſupplicauit; ſi pro omnibus egit ſupplicatio Sacerdotis, cur Angelus de ſolo pignore retulit impetrata? Quid tenemus, quid diu ſuſpendimus animos auditorum? quam non ſibi ſoli, ſed omnibus affuerit iſte, venerandus Antiſtes, quàm reſponderit Angelus vniuerſis, quàm Deus proſpexerit in vno iſto germine ſacerdotis, quem genitoribus vtique, & ipſi ob hoc delegerat naturæ, vt cum daret vniuerſitati, largiretur ſæculis, populis condonaret, & fieret Sacramenti filius inter ſacraria delatus, inter ſacramenta conceſſus, eſſet Antiſtes de venerando generatus Antiſtite, eſſet Angelus ore Angeli ſancta dilatatus in viſcera; eſſet vox Chriſti: Ego vox clamantis in deſerto; eſſet vox Chriſti, ad Chriſtum ſua reſeruatus ad tempora; eſſet præco, iudicis præſentiam clamaturus, eſſet pœnitentia populos Chriſti vocaturus ad veniam: quàm ſacerdos ergo iſte iam ſui neſcius, iam ſibi mortuus, extraneus coniugi, ſoboli iam negatus, egerit omnibus, omnibus impetrarit, mox Angelo referente diſcamus: Et multi, inquit, in natiuitate eius gaudebunt.

Chryſol. — Quid Zacharias petierit. — Ioan. 1.

Theophylac. Luc. 1: Quare Angelus dicit: Et vxor tua Elizabeth pariet tibi? Nam Zacharias non pro filio precatus eſt, ſed pro peccatis populi. Dicunt igitur quidam, quòd quoniam pro peccatis populi orabat, futurum autem quòd generaret filium, qui clamaret: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi: meritò dicit ad illum Angelus: Quoniam exaudita eſt deprecatio tua, pro remiſſione peccatorum populi. Filium enim generabis, per quem remiſſio erit peccatorum. Alij autem ſic intelligunt: Quoniam exaudita eſt deprecatio tua Zacharia, & remiſit Deus peccata populo. Deinde quaſi ille dixiſſet Angelo: Vnde hoc manifeſtum? Dicit Angelus, hoc tibi ſignum do, quòd pariet tibi filium Elizabeth, & ita per puerperium Elizabeth credibile tibi ſit remiſſa eſſe peccata populo.

Theoph. — Quid Zacharias petierit. — Ioan. 1.

Auguſt. lib. 2. quæſt. Euangel. cap. 1: Quod Zacharias orans pro populo, audiuit ab Angelo: Exaudita eſt oratio tua; ecce Elizabeth vxor tua concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Ioannem. Primò hoc attendendum eſt, quàm non eſt veriſimile, vt cum pro populi peccatis, vel ſalute, vel redemptione ille offerret, ſiquidem populus eum expectabat offerentem, quòd potuerit relictis publicis votis homo iuſtus, & ſenex, vxorem habens anum, pro accipiendis filijs orare: præſertim quia nemo orat accipere, quod ſe accepturum eſſe deſperat. Vſque adeo autem ille iam ſe habiturum

Aug. — Luc. 1. — Quid Zacharias petierit.

rum

rum filios deſperabat, vt hoc Angelo promittenti non crederet. Ergo quod ei dicitur: Exaudita eſt oratio tua: pro populo intelligendum eſt: cuius populi quoniam ſalus, & redemptio, & peccatorum abolitio, per Chriſtum futura erat, ad hoc nunciabatur Zachariæ filius naſciturus, quia præcurſor Chriſti deſtinabatur.

Theod. Theodorus Studites oratione de natali Ioannis Baptiſtæ: O deſideratum, qui à Deo præbetur iuſſum. O valde optandam, quæ affertur ab Angelo, promiſſionem. Aſſecutus eſt id, quod optauerat: obtinuit id, quod rogabat: inuenit id, quod quærebat, vt tolleretur ſterilitas, & pulchram haberet prolem, non conſequentia naturæ, ſed precibus. Nam cum Zacharias eſſet frequentibus ad Deum intentus precibus, vt ſolueretur ſterilitas, arbitror eum fortaſſè hæc audiuiſſe: Nondum eſt perfectum tempus, nondum venerunt dies aduentus. Tunc, ô Zacharia, ſpera fore, vt liberos ſuſcipias, quando venerit expectatio gentium. Tunc expecta ſterilitatem, quando venerit ſpes omnium finium terræ. Poſtquam autem venit tempus: Accipe, inquit, id quod eſt tibi cordi, per Gabriëlis prædictionem: renouare tanquam aquila iuuentute. Cognoſce, inquit, coniugem: exaudita eſt enim tua deprecatio: & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. Cognoſce etiam nomen, quo vocabitur, vel ex ipſa etymologia tibi procedere ex alto.

Pia opinio, ſed minus probabilis.

Dicēs Angelus: Pariet tibi, ſeu ex te, nō ex alio concipiet, indicat quod eam cognoſcere debeat.

Aug. Aug. hom. 44: Angelus Gabriel nunciat Ioannem: idem ipſe Angelus Gabriel nunciat Dominum Ieſum Chriſtum. Aug. Et ſer. 20. de Sanctis: Iam illud quantæ gloriæ eſt, quod Zachariæ ſacerdoti ſeni, & Elizabeth ſterili, à Gabriele, id eſt, ab illo Angelo promittitur, à quo Mariæ natiuitas Domini nunciatur: & quaſi ex aliquo ſimilis Domini præmittitur filius ſterilis, ante filium Virginis, neſcio quod maius miraculum ipſa natiuitate declarans. Inſperata prole ſterilitas muneratur: quia nouo partu erat muneranda, & ditanda virginitas.

Antip. Antipater oratione de Ioanne Baptiſta: Ad te enim veni de cœlo, non ſolum portans filium, ſed etiam veni, cum ex libro ſuperno, didiciſſem nomen eius, qui naſcitur. In ciuium cœleſtium numerum cum aſcripſit Deus, non talem mortalis produxit vterus.

Not. 10. ver. 10.

Bern. Bern. ſer. in natiu. Ioan. Bapt: Verum id quidem, multi in natiuitate eius gaudent: & paganis ipſis (vt audiuimus) læta eſt, & ſolemnis. Illi celebrant quod ignorant, ſed non ita debuerant Chriſtiani. Nunc verò & ipſi in hac beati Ioannis Baptiſtæ natiuitate gaudent: ſed vtinam de natiuitate, non de vanitate.

Chryſol. Chryſol. ſer. 88: Non eſt vnigenitus, qui eſt cunctorum creatus ad gaudium.

Antip. Antipat. Boſtr. Epiſc. orat. de Ioanne Baptiſta: Multi in natiuitate eius gaudebunt. Eſt enim tuus quidem filius, tuum germen; fructus autem communis. Tu pater: qui autem naſcitur, eſt lucerna omnium.

Not. 11. ver. 15.

Greg. Greg. lib. 3. Moral. c. 4: Non ſine grauiſſima admiratione perpendo, quòd ille prophetiæ ſpiritu intra matris vterum impletus: atque vt ita dixerim, priuſquam naſceretur renatus, &c. vt cap. 70.

Ioannes in matris vtero prophetię ſpiritu fuit impletus: & ante renatus, quā natus.

Ber. Bern. epiſt. 174: Accepi ſanè ab Eccleſia illum diem cum ſumma veneratione colendum, quo aſſumpta de ſeculo nequam, cœlis quoque intulit celeberrimorum feſta gaudiorum. Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Eccleſia, & ab Eccleſia indubitanter habere feſtiuum, atque ſanctū, firmiſſimè cum Eccleſia ſentiens in vtero eam accepiſſe, vt ſancta prodiret. Et de Hieremia ſiquidem lego, quòd priuſquam de ventre exiret, ſanctificatus ſit. Et de Ioanne Baptiſta non ſecus ſentio, qui ex vtero Dominum in vtero ſenſit. Videris etiam tu, an & de ſancto Dauid idipſum liceat opinari, pro eo quòd dicebat Deo: In te (ait) confirmatus ſum, ex vtero: de ventre matris meæ tu es protector meus. Item: De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me. Et Hieremiæ quidem ſic dictum eſt: Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, ſanctificaui te. Quam pulchrè inter figurationem in vtero, & parturitionem ex vtero diuinum diſtinxit oraculum, vt illam tantum præcognitam, iſtam & ſanctitatis munere præornatam oſtenderet, ne quis prophetæ prærogatiuam de ſola præſcientia, ſeu prædeſtinatione putauerit æſtimandam. Eſto tamen, vt hoc de Hieremia concedamus. Quid reſpondebitur de Ioanne Baptiſta, quem Angelus prænunciauit Spiritu ſancto repletum iri adhuc in vtero matris ſuæ? Prorſus hoc ad prædeſtinationem præſcientiamue referri poſſe non arbitror. Verba nempe Angeli (ſicut ipſe prædixit) completa abſque dubio ſunt in tempore ſuo: & quem prælocutus eſt Spiritu ſancto replendum, non eſt phas credere non repletum: idque loco, & tempore, quo prædixit. Certiſſimè autem ſanctus Spiritus, quem repleuit, ſanctificauit.

Aſſūptio, & natiuitas Mariæ feſtiua.

Natiuitas Mariæ, Ioānis, & Ieremiæ ſancta fuit.

Ierem. 1.

Luc. 1.

An etiam Dauid ſit in vtero ſanctificatus.

Pſal. 70.

Pſal. 21.

Ierem. 1.

Bernardus non totū probat quod habet Aug. ep. 57.

Cæterum quatenus aduerſus originale peccatum hæc ipſa ſanctificatio valuerit, ſiue pro iſto, ſiue pro illo Propheta, vel ſi quis alius ſimili præuentus gratia fuerit, non temerè dixerim. Sanctificatos tamen non dubitauerim dicere, quos Deus ſanctificauit, & cum eadem ſanctificatione prodiiſſe ex vtero, quam acceperunt in vtero, nec reatum quem in conceptione traxerunt valuiſſe vllatenus horum natali iam donatam præpedire, ſeu præripere benedictionem. Attamen quis dicat Spiritu ſancto repletum, manere adhuc filium nihilominus iræ: & ſi mori in vtero contigiſſet cum hac plenitudine ſpiritus, pœnas luiturum damnationis? Durum eſt. Minimè tamen auſim hinc quippiam mea ſententia diffinire. Sed quidquid de hoc ſit, meritò Eccleſia, quæ cæterorum

De ſanctificationis huius effectu.

non

non natiuitatem, ſed mortem ſanctorum iudicat, & prędicat precioſam, ſingulari quadam exceptione feſtis præfert gaudijs, veneraturque illius natalem, de quo nunciante Angelo ſingulariter legit: Et multi in natiuitate eius gaudebunt. Cur enim non ſit illius exitus ſanctus, ac proinde feſtiuus, ac lætus, qui potuit exultare & in vtero? Quod itaque vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, plus certe non eſt ſuſpicari tantæ Virgini eſſe negatum, per quam omnis mortalitas emerſit ad vitam. Fuit proculdubio & mater Domini ante ſancta, quàm nata. Nec fallitur omnino ſancta Eccleſia, ſanctum reputans ipſum natiuitatis eius diem; & omni anno cum exultatione vniuerſæ terræ votiua celebrare ſuſcipiens. Ego puto quod & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius non ſolum ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem; quod nemini alteri, in natis quidem mulierum, creditur eſſe donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum, ſingularis priuilegio ſanctitatis, abſque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati, mortiſque pareret peremptorem, munus vitæ, & iuſtitiæ omnibus obtineret. Sanctus igitur ortus, quoniam immenſa prodiens ex vtero ſanctitas, ſanctum fecit illum.

Mariæ natiuitas eſt ſancta, & celebris. — *Sanctificationis huius effectus.*

Tho. Thom. par. 3. quæſt. 27. art. 6: Auguſtinus in epiſtola 57. ad Dardanum, dubie videtur loqui de Ieremiæ, & Ioannis ſanctificatione in vtero. Sed quia expreſſe in Euangelio dicitur de Ioanne, quod Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ: & de Ieremia expreſſe dicitur: Antequàm exires de vulua ſanctificaui te; aſſerendum videtur eos ſanctificatos in vtero.

Not. 12. ver. 15.

Quæ hic ſint conſideranda. HOC loco tria præcipue conſideranda ſunt: primum, quis præcurſor futurus erat, ſeu quis id officij habiturus. Secundum, quem erat præceſſurus, ſeu quis futurus erat Meſſias. Tertium, quomodo præire debebat. Nulli dubium eſſe poteſt, quin hoc verſu, & eo, qui immediate præceſſit, Chriſtus Ieſus nominetur Dominus Deus Iſraël. *Chriſtum eſſe Deū.* Aliò enim referri non poteſt pronomen relatiuum, illum, quam ad Dominum Deum ipſorum. Is ergo, ad quem Ioannes multos conuerſurus erat, & ante quem erat præceſſurus, indubie erat Dominus Deus Iſraël. Hunc autem ipſum eſſe Chriſtum Ieſum, Meſſiam, & Saluatorem noſtrum, conſtat ex Euangelio Io. 1. Matt. 11. Luc. 3. & ex ipſius Diui Pauli interpretatione Act. 13. dicentis: Deus eduxit Iſraëli Saluatorem Ieſum, prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius, baptiſmum pœnitentiæ, omni populo Iſraël. Cum impleret autem curſum ſuum, dicebat: Quem me arbitramini eſſe, non ſum ego, ſed ecce venit poſt me, cuius non ſum dignus calceamenta pedum ſoluere. Patres etiam hunc locum intellexerunt de Chriſto, vt Iren. lib. 3. cap. 11. Chryſoſt. in encomio Ioannis Baptiſtæ: Chryſol. ſer. 88. Beda, & Euthym. in hunc locum, & plures alij. *Iren. Chryſoſt. Chryſol. Bed. Eut.* Hæc igitur ſcriptura, ijs addi poteſt, quibus probatur Chriſtus, ſeu Meſſias eſſe verus Deus, Patri conſubſtantialis, coæternus, & coæqualis. Ideoque hoc loco rectè vtitur Cyril. ad id ipſum probandum, lib. de recta fide ad Reginas. *Cyr.* Obſeruat etiam Beda hoc Angeli teſtimonio tres hæreſes confutari. *Bed.* Præterea, cum Angelus dicit: Præcedet ante illum, non ſolum docet Chriſtum eſſe verum Deum, ſed etiam hominem, Ioanne poſteriorem, quod etiam Beda obſeruaſſe videtur, cuius hæc ſunt verba: *Hic tres hæreſes confutantur.* Cum Ioannes, qui, Chriſto teſtimonium perhibens, in eius fide populos baptizabat, dicitur filios Iſraël ad Dominum Deum ipſorum conuertiſſe; Patet profecto Chriſtum eſſe Dominum Deum Iſrael. Si autem Chriſtus eſt, imo quia Chriſtus eſt Dominus Deus Iſrael, deſinant Ariani Chriſtum Dominum Deum eſſe negare: Erubeſcant Fotiniani Chriſto ex Virgine principium dare: Ceſſent Manichæi alium populi Iſrael, atq; alium Chriſtianorum Deum credere. *Quomodo Chriſtus ſit æternus, & Ioanne poſterior.* Et quia Ioannes præcedere ante illum dicitur, videant æternum ante ſæcula Deum, poſt hominem in ſæculis natum. Ideoque à ſuo præcurſore, modo virum poſt ſe venturum, modo Dei filium eſſe nominatum.

Greg. Greg. ho. 7. in Euan: Idcirco venturus in ſpiritu, & virtute, &c. vt lect. 9. Dom. 3. Aduent.

Not. 13. ver. 17.

Antip. ANTIP. orat. de Ioanne Baptiſta: Hæc cum audiſſet Zacharias, euaſit ſimul lætus, & curioſus. Curioſa certe cogitatione cùm accepiſſet id, quod ei ſignificabat Gabriel, reſpondit non cùm ſatis magna fide: Vnde hoc ſciam?

Aug. Aug. hom. 44: Non credit Zacharias. Quomodo non credidit? quæſiuit ab Angelo, per quid cognoſceret, quod promittebat.

Ver. 18.

Amb. AMB. ſer. 63: Illud autem quam mirandum, quod idem Gabriel Archangelus, vtriuſque natiuitatis officium repræſentat. Vide Aug. not. 9.

Not. 14. ver. 19.

Tit. TITVS Luc. 1: Quod Zachariæ hæſitanti Angelus non ignouerit, non eſt mirum: habebat is enim aliarum ſterilium mulierum, quæ ante illius ætatem pepererant, ex diuinis ſcripturis exemplum non vnum: virgo autem nullum penitus.

Aug. Silētij Zachariæ myſterium. Aug. lib. 2. quæſt. Euan. cap. 1: Quod autem ei non credenti Angelo, ab eodem Angelo dicitur: Et ecce, eris tacens, donec impleantur hæc in tempore ſuo: intelligendum eſt ſignificaſſe, quòd prophetia vſque ad Ioannem, tanquam à ſono ſileret intelligibili: quia non eſt intellecta, donec in Domino compleretur.

Chryſoſt.

Chryſoſt. ſerm. de natiuit. Ioannis Baptiſtæ: Ideo Zacharias pater eius, ſacerdos Iudæorum obmutuit: quia iam ceſſare, & obmuteſcere oportebat ſacrificia eorum, quæ, pro peccatis populi, offerebantur. Veniebat enim ſolus ſacerdos, qui agno ſolo immaculato ſacrificium Deo pro peccatis omnium offerret. Et ideo demonſtrauit eum Ioannes Iudæis: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. (Ioan. 1.) Nam pleniſſime conſtat, ideo obmutuiſſe Zachariam ſacerdotem Iudæorum, quia ſacrificia ſecundum legem, & prophetiam offerebat. Significabat enim quod ſacrificia iam adueniente Chriſto, lex, & Prophetæ adimpleri tacerent: (Matt. 11.) & ideo lex, & Prophetæ, vſque ad Ioannem ſunt, quæ ad conceptionem eius curſum tenuerunt.

Iſidor. Zachariæ ſilentium quid ſignificet.

Iſidor. Peluſ. ep. 131. lib. 1: Quod Zacharias obmutuerit, non ſtupore factum eſt, vt exiſtimas. Siquidem ſacerdos ille, vt qui puro animo diuinis myſterijs operam daret, diuinos proſpectus, atque Angelicas viſiones familiares habebat. Verum ſilentij ipſius typo legis ſilentium indicabatur. Quid autem, quod à ſilentio, & ſterilitate, ac ſenectute vox procreata ſit? Hinc videlicet illud ſignificari arbitror, ex ſcripta lege, ob eorum, qui eam acceperant, inobedientiam, & contumaciam, ſenio, ac vetuſtate confecta, vaticinia de Chriſto prodijſſe: hincque etiam ipſius matrem vna veniſſe. Et lib. 1. ep. 257: (Iſidor. Silentij Zachariæ myſteriũ.) Exoriente luce matutina, lux abſcedit. Claro ſole oriente, ſiderum chorus obſcuratur. Cum purus, ac liquidus dies illuxit, auroræ vmbræ finem accipiunt. Cum Euangelij ſapientia effulſit, legis puerilis inſtitutio munus ſuum exercere deſijt. Hic nempe vocis vſum amittit Zacharias, poſteaquam nouæ, atque admirandæ ſalutationis lætum nuncium audiuit.

Not. 15. ver. 24.

Chryſoſt.

CHRYSOST. ſerm. de natiuit. Ioannis Baptiſtæ: Celat ergo ſe Elizabeth per menſes quinque conceptionis, ſtupens quidnam ei Dominus voluiſſet in ſuprema ætate, vt pareret ſterilis.

Amb. Cur ſe occultet.

Amb. ſer. 63: Maria conſcia virginitatis, miratur fœtum viſceribus inuolutum: Elizabeth autem conſcia ſenectutis erubeſcit partum vtero prægrauato. (Amb. Ioannis conceptio plena myſteriis.) Et ſer. 12: Cum autem Ioannes concipitur, Zacharias obmuteſcit, ſolennis conceditur ſacerdos, Elizabeth mater abſconditur: ſignificans poſt ortum ſuum legis ſilentium, amiſſionem ſacerdotij, latebras ſynagogæ.

Chryſol. Cur ſe occultet.

Chryſol. ſer. 42: Occultabat ſe, quia etſi erat diuini muneris, ſui tamen temporis non erat quod habebat. Erubeſcit anus fœta, verecundatur vetula primi partus, & puerperam ſenectus abſcondit extrema: ne ſterilitatis opprobrium riſus fœcundæ ſenectutis augeret. Quod autem riſui ſubiacet ſenilis, & veterana (Gen. 18.) conceptio, perſimilis huius ſterilitatis, & ætatis Sara probat: quæ ſibi cum reddi partum, donari filium, cui iam vita prope deerat, Domino promittente cognoſceret, & ipſa de ſuo partu riſit. Et quod riſui poſſet eſſe omnibus prægnans, & onerata canicies, ipſius germinis teſtatur ex nomine, dicente ſcriptura: Et (Gen. 21.) vocauit nomen filij ſui, Iſaac. Quod interpretari riſum docuit, adijciens: Riſum mihi fecit Dominus. Hinc eſt quod Elizabeth, ſacrum vult celare myſterium, dicendo: quia ſic mihi fecit Dominus: vt modo conceptus fatigaret verecundia, quam diu negati partus ærumna afflixit. Pater tacet ex pœna, ex verecundia mater celat. O quanto ſilentio vox naſcitur? O quanta taciturnitate tuba ſæculis inclamatura generatur? O quod ſecretum diuini iudicis dat præconem? bene totum feciſſe Dominum confitetur, (Fecit Dominus.) quæ ſibi collatum per hominem nihil videbat. Honor coniugij, matrimonij dignitas, eſt procreatio dulcium liberorum: (Opprobrium.) ſatis enim graue eſt, & ſatis triſte, & virginitatis carere præmio, & filiorum ſolatia non habere; ſuſtinere onera matrimonij, & ad fructum matrimonij non venire. Hinc eſt quod gaudet à ſe ablatum ſterilitatis opprobrium. Inter homines: (Inter homines.) quia hoc apud homines miſerum computatur: apud Deum vero reatus nullus eſt, vbi parentis culpa nulla eſt; ſed iudicium denegantis. Certe ſi hoc affert aliqua corporalis infirmitas, neceſſitas in cauſa eſt, non voluntas.

Greg. Bona noſtra, cur occultanda ſint, & ſcienda.

Greg. cap. 4. lib. 4. in lib. 1. Reg: Ipſa bona noſtra, & ignorare ſapienter, & ſcire aliquando vtiliter debemus. Ignoranda quidem ſunt, ne infirmis nobis elationem præbeant: ſed à perfectioribus ſcienda ſunt, vt per deuotionem creſcant. Vnde & benè in Euangelio de Elizabeth prægnante dicitur: Et occultabat ſe menſibus quinque. Qui enim ſpirituales, ac fortes (Quid ſignificet quinarius.) eſſe nequeunt adhuc, per quinarium numerum deſignantur. Quæ autem nouiter concepit, quinque ſe menſibus cęlat: quia per ſenſus corporis bona agit: ſed quia ſpiritualis, ac fortis in hoc bono opere nondum eſt, ea quæ agit, ſapienter abſcondit.

CAP. 4. CHRISTI *genealogia.*

Matthæi 1.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*
In Conceptione, & Natiuitate beatæ MARIÆ *Virginis.* 1 [✠ LIber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham.			

Abraham

Matthæi 1.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*

2 Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius.
3 Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.
4 Phares autem genuit Eſron, Eſron autem genuit Aram, Aram autem genuit Aminadab.
5 Aminadab autem genuit Naaſſon, Naaſſon autem genuit Salmon.
6 Salmon autem genuit Booz de Rahab.
7 Booz autem genuit Obed ex Ruth.
8 Obed autem genuit Ieſſe, Ieſſe autem genuit Dauid Regem.
9 Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.
10 Salomon autem genuit Roboam, Roboam autem genuit Abiam, Abias autem genuit Aſa.
11 Aſa autem genuit Ioſaphat, Ioſaphat autem genuit Ioram, Ioram autem genuit Oziam.
12 Ozias autem genuit Ioatham, Ioatham autem genuit Achaz, Achaz autem genuit Ezechiam.
13 Ezechias autem genuit Manaſſen, Manaſſes autem genuit Amon, Amon autem genuit Ioſiam.
14 Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Babylonis.
15 Et poſt tranſmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel.
16 Salathiel autem genuit Zorobabel, Zorobabel autem genuit Abiud, Abiud autem genuit Eliachim.
17 Eliachim autem genuit Azor, Azor autem genuit Sadoch, Sadoch autem genuit Achim.
18 Achim autem genuit Eliud, Eliud autem genuit Eleazar, Eleazar autem genuit Mathan.
19 Mathan autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioſeph, virum Mariæ.
20 De qua natus eſt IESVS, qui vocatur CHRISTVS. ✠
21 Omnes itaque generationes ab Abraham, vſque ad Dauid, generationes quatuordecim.
22 Et à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim.
23 Et à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim.
24 Chriſti autem generatio ſic erat.

Notatio 1.

Aug. Diſpoſitionis ratio.

AVGVST. lib. 2. de conſen. capitibus, quatuor primis Chriſti genealogiam ponit, non ſolum ante Annunciationem beatæ Virgini factam; ſed etiam ante illam, quam Zacharias accepit. Nos autem Ammonium ſecuti, hanc Domini genealogiam, annunciationi Ioannis poſtpoſuimus, & Ieſu incarnationi, Tatiano, & Auguſtino in hoc ſubſcribentes, præmiſimus. Siquidem ipſe Auguſt. lib. 2. de conſen. cap. 5. etiam quod in fine huius genealogiæ refertur: Chriſti autem generatio ſic erat: ante annunciationem filij Dei collocauit. Tatianus vero etiam illud, quod in hac genealogia continetur, Verbum carnem factum, nouo naſcendi modo ex Virgine Maria, Ioſepho cuidam nuptui tradita, ponit ante Gabrielis ad Virginem nuncium. Ratio huius ordinis eſt, quod Chriſtus Mariæ annunciatus ſit menſe ſexto, à Ioannis conceptione, vt capite 5. ver. 10. dicitur. Atqui Ioſeph, tamdiu non fuit vir Mariæ, ante Redemptoris conceptionem, vt probabiliter colligitur ex tempore, quo Maria in templo vixit, poſtea nupſit, & filium peperit: Angelus enim ei locutus videtur, non diu poſtquam Ioſepho tradita fuiſſet. Ergo genealogiam hanc Domini, in qua dicitur: Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ; poſt Ioannis conceptionem, non immerito ponimus: nam ante eandem conceptionem, Ioſeph Mariæ vir non erat. Dicens verſu 1. Filij Dauid, filij Abraham: Chriſtum corporaliter ex ſemine Patriarcharum, & Regum deſcendiſſe ſignificat, ſicut promiſſum erat in Prophetis per Spiritum ſanctum, inquit Iſidor. lib. 6. Originum cap. 2. & Aug. l. 2. de conſ. c. 1. & Hilar. can. 1. in Matt. & Pauli. ep. 10. & alij.

Ammo. Aug. Tatia. Chriſtus ex quibus ſit ortus. Iſidor. Aug. Hilar. Paul.

Chriſti generatio duplex. Eſaiæ 53.

Duas generationes Chriſtus habuit, vnam ſecundum diuinitatem, & æternam; de qua Eſaiæ 53: Generationem eius quis enarrabit? Et Pſal. 2: Ego hodie genui te. Et Pſal. 109: Ex vtero ante luciferum genui te. Aliam ſecundum humanitatem: quam ſolum deſcribit Matthęus: propterea dixit in ſingulari: Generationis; non pluraliter: Generationum. Generationis, ſubaudi, temporalis, & ſecundum carnem. Liber generationis, hoc eſt, catalogus eorum, à quibus genealogia Chriſti proceſſit. Modum conceptionis Chriſti, eo quod ineffabilis ſit, Matthæus non explicat, ſed Patres duntaxat eius carnales enumerat. Filij Dauid, filij Abraham. Ad Chriſtum poteſt vtrumque referri, vt Chriſtus & Abrahæ, & Dauidis filius intelligatur. Sic etiam intelligi poteſt, vt Chriſtus Dauidis filius, & ipſe Dauid Abrahæ filius cenſeatur. Quod qui aſſerit, Chriſtum & Dauidis, & Abrahæ filium nominat. Iſtud pertinet ad prophetiam, de qua dictum eſt (Gen. 22:) Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. Et Pſal. 131: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Et Ezech. 34: Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid. Vbi nomine Dauid non ipſius Dauidis Regis perſona intelligitur, ſed eius ſemen, nempe Chriſtus. Hic ſe de carnali generatione Ieſu loqui Matthæus explicat. Secundum hanc enim, non ſecundum aliam, eſt Dauidis filius.

Quam generationē Chriſti Matt. exponat.

Cur modū generationis non declaret.

Chriſtus Dauidis filius quam Abrahæ cur ſæpius dicatur.

Chriſtus Dauidis filius dictus eſt, & in principio Euangelij ſecundum Matthæum, & plerumque in Euangelij contextu: quia promiſſus ei multum eſt Chriſtus, eumque Dominus ex animi ſui ſententia inuenit. Duorum igitur maxime filius dicitur Chriſtus, Abrahæ nimirum, & Dauidis, quoniam iſtis ſæpius, ac diſert magis, quam cæteris eſt promiſſus. Eo autem conſilio Matthæus Chriſtum Dauidis, & Abrahæ filium eſſe dixit, vt qui ad Hebræos ſcriberet, ſecundum carnem Chriſtum expectantes, eum iam veniſſe, & ex Abraham ſtirpe, & ſemine Dauid exortum in primis eſſe monſtraret. Fauſtus Manichæus hinc probabat Chriſtum non eſſe filium Dauid, quod non eſſet conceptus ex Ioſeph; Euangeliſtæ autem Chriſti generationem à Dauid ad Ioſeph vſque producunt, non ad Mariam: ſed reſpondet Auguſt. lib. 23. contra Fauſtum à cap. 3. vſque ad 8. Mariam fuiſſe de cognatione Dauid, ſicut etiam omnes alij Patres teſtantur. Vnde ad Rom. 1: Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Cur ergo in hac generatione virgo tacetur, & Ioſeph memoratur? Primo vt morem cuſtodiret, inquit Chryſoſt. inuidiamque nouitatis effugeret. Secundo, quia adhuc nolebat noui illius partus myſterium Iudæis manifeſtare. Pertinebat tamen virgo Maria etiam ad tribum Leui, ſuperno enim nutu contigit, vt regium genus, ſtirpi ſacerdotali iungeretur, de quo Auguſt. lib. 23. contra Fauſt. cap. 9. & Greg. Naz.

Cur horū duorum Chriſtus maxime filius dicatur.

Fauſti error.

Aug.

Cur Ioſephi non Mariæ genealogia narretur.

Chryſoſt.

Ad tribum Iuda, & Leui Maria pertinebat.

Aug.

Naz.

Atha.

Athan. hom. de ſemente: Fuit olim apud Priſcos, Rex quidam Dauid, principio quidem paſtor, poſtmodum Rex, non quod regnum per vim arripuerit; ſed ſtatim quidem poſt peccatum Saulis, eiuſque reiectionem, à Samuele ad regnum inunctus; verum qui non ſtatim ad regnum peruenerit, vt qui multis interim annis ſeruierit Sauli. Ac tum demum, quum Deo viſum eſſet, regnum attigit. Patiebatur igitur ille inſidias Saulis, multis à ſe beneficijs affecti; paſſusque eſt idem inſidias Abſalonis filij ſui. Et hæc quidem verè acciderunt Dauidi, ac proinde ille nonnullas aduentus Chriſti imagines, ſpeciemque præ ſe fert. Congruum ſiquidem erat proauum ſui nepotis aliquas ſimilitudines in ſe præferre, atque hinc eſt iſtud: Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid. Sunt ergo rerum ſimilitudines, ſed non inter ſe perſonarum dignitate pares. Fit enim ſeruus ſimilis Domino ſuo, ſed neutiquam par. Da-

Dicitur filius Dauid, quia in multis rebus eſt ei ſimilis.

Chriſti cū Dauide collatio.

uid igitur paſtor, paſtor & Chriſtus: de ſe e- 1
nim inquit: Ego ſum paſtor bonus; ſed ille
paſtor pecudum, iſte animarum. Similitudo
quidem in rebus eſt, ſed tamen magna diuerſitas in dignitate. Vnxit Dauidem in Regem
ſacerdos Samuel; baptizauit noſtrum Salua-
torem Ioannes vt ſacerdos. Similitudo hic rur- 2
ſum in Actis, ſed in ſubiectis perſonis ingens
diſcrimen. Porro Dauid vnctus in Regem, 3
non ſtatim arripuit regnum, ſed ſuſtinuit in
longum tempus ſeruire Sauli. Noſter item Seruator Rex genitus ante ſecula, nec temporarium regnum poſſidens, ſed ante ſecula, Rex ex Rege Deo genitus, & ipſe quoque ſeruire ſuſtinuit. Non enim rapinam arbitratus eſt, ſe æqualem eſſe Deo, ſed ipſe exinaniuit ſeipſum, ſerui formam accipiens, vt abſolueret quod de
eo diſpoſitum erat. Perſecutus eſt Dauidem 4
Saul, perſecutus eſt Chriſtum Herodes: ſed 5
neque Saul perſequens Dauidi nocuit; nec
Herodes perſequens Chriſtum læſit. Inſurre-
xit aduerſus Dauidem Abſalon ſuus filius, in- 6
ſurrexit & aduerſus Chriſtum Iudas, & ipſe quoque filius. Diſcipulos enim ſuos ſolebat Chriſtus appellare filios, dicens: Ecce ego, & filioli mei, quos dediſti mihi: & rurſus idem alloquens diſcipulos, eos filios nominat. Lo-
cus autem vbi ſublatus eſt Abſalon, manus 7
Abſalon in hodiernum diem nuncupatur. En quam exactè imagines iſtarum rerum inter ſe congruunt: ſiquidem locus ille non vocatus eſt pes Abſalonis, ſed manus Abſalonis: neque item caput Abſalonis. Prior enim fuit capite manus, quæ proditionem exercuit, ſecundum exemplar iſtius rei; ac proinde quaſi negocio manu geſto, per vocabulum manus Abſalonis, id quod futurum erat, oblique ſignificauit. Multæque res Dauidis ſimilitudine congruunt cum Saluatore.

Ioan. 10.

An Samuel fuerit ſacerdos.

Phil. 2.

Cæſar. dial. 1: Eſt autem frequens mos ſacræ ſcripturæ, ea, quæ nobis propiora ſunt, indicare primum, & deinceps antiquiora. Sic enim facit & Diuus Matthæus, ex propinquioribus ordiens annunciare nobis Euangelium de Chriſto; Liber, inquiens, generationis Ieſu

Cæſar.

Dauid cur Abrahæ præponatur.

Chriſti,

Ratio 2. Chriſti, filij Dauidis, filij Abrahami: partim quidem Iudæos alliciens, filios Abrahami ſeſe falſo prædicantes, & vane ſe iactantes propter viros Ratio 3. ſanctos, quorum vitæ rationem non imitabantur: partim verò rudiores per propinquiora in diuinam cognitionem ducens, & in Euangelio deinde progrediens, orditur diuina prædicare de Christo, quaſi per ſcalam aliquam ſubducens ad diuiniora noſtrum intellectum.

Hier. Hieron. in cap. 3. epiſtolæ ad Titum: Audiui Matth. & Lucas in genealogia Domini concordant. ego, quendam de Hebræis, qui ſe Romæ in Chriſtum crediditſſe ſimulabat, de genealogiis Domini noſtri Ieſu, quæ ſcriptæ ſunt in Matth. & Luca facere quæſtionem, quod videlicet à Salomone vſque ad Ioſeph, nec numero ſibi, nec vocabulorum æqualitate conſentiant; qui cum corda ſimplicium peruertiſſet, quaſi ex aditis, & oraculo deſerebat quaſdam, vt ſibi videbatur, ſolutiones; cum magis debuerit iuſtitiam, & miſericordiam, & dilectionem Dei quærere; & poſt illa, ſi forte occurriſſet, de nominibus, Hier. & numeris diſputare. Et lib. de Scriptor. Eccleſiaſticis in Iulio Africano: Extat, eius nempe Iulij Africani, ad Ariſtidem altera epiſtola, in qua ſuper diaphonia, quæ videtur eſſe in genealogia Saluatoris apud Matt. & Lucam, pleniſſime diſputat. Hier. Et epiſt. ad Pammachium, aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani: Miraris ſi de infantibus, & ſenibus, in perfecti viri 4. modi generationis hominis. ætatem reſurrectio fiat; cum de limo terræ, abſque vllis ætatum incrementis, conſummatus homo factus ſit? Coſta mutatur in fœminam; & tertio humanæ conditionis modo, vilia, & pudenda noſtræ natiuitatis elementa, mutantur in carnes, ligantur membris, diſcurrunt in venas, in oſſa durantur. Vis & quartum genus humanæ generationis audire? Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Propterea quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Aliter Adam, aliter Eua, aliter Abel, aliter homo Ieſus Chriſtus. Et in omnibus diuerſis exordijs, vna hominis natura non differt.

Leo. Leo epiſt. 13. ad Pulcheriam Auguſtam: Et quantum Neſtorius à veritate excidit, dum Chriſtum de matre ſolum hominem aſſerit natum; tantùm etiam hic à Catholico tramite deuiat, qui de eadem Virgine, non noſtram credit æditam eſſe ſubſtantiam: volens vtique eam ſolius deitatis intelligi, vt quod formam ſerui geſſit, & quod noſtri ſimilis fuit, atque conformis, quædam noſtræ naturæ fuerit imago, non veritas. Nihil autem prodeſt, Dominum noſtrum beatæ Mariæ Virginis filium, verum, perfectumque hominem dicere; ſi non illius generis homo creditur, cuius in Euangelio prædicatur. Dicit enim Matthæus: Liber generatio- Matt. 1. nis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham; & ità humanæ originis ordinem ſequitur, vt generationum lineas vſque ad Ioſeph, cui mater Do- Luc. 1. mini erat deſponſata, deducat. Lucas verò re- Cur Lucas ad Adam vſque aſcendat. trorſum ſucceſſionum gradus relegens, ad ipſum humani generis principem redijt, vt Adam primum, & Adam nouiſſimum eiuſdem oſtendat eſſe naturæ. Potuerat quippe omnipotentia filij Dei, ſic ad docendos, iuſtificandosque homines apparere, quomodo & Patriarchis, & Chriſtus patriarchis apparuit. Gen. 32. Prophetis in ſpecie carnis apparuit, cum aut luctamen inijt, aut ſermonem conſeruit, cumue officia hoſpitalitatis non abnuit, vel etiam ap- Gen. 18. poſitum cibum ſumpſit. Sed illæ imagines huius hominis erant indicia, cuius veritatem ex præcedentium patrum ſtirpe ſumendam ſignificationes myſticæ nunciabant.

Paulinus epiſt. 10. ad Sulpitium Seuerum: Sed Paul. Duplex Chriſti generatio. & ipſius Domini ortum, præter illum à fonte diuino fluentem, etiam iſtum, quo filius hominis eſſe dignatus eſt; Euangeliſtæ duo, numera- Quam generationē Chriſti, Euangeliſtæ deſcribãt. tis ab initio maioribus, ordiuntur; diuerſam, vtroque ſcriptore, corporei ſanguinis venam, pari fide, & dignitate referentes; quia dignum erat, vt vnigenitus Dei, & primogenitus totius Chriſtus eſt vnigenitus, & primogenitus. creaturæ, atque vniuerſi corporis caput, etiam in generis corporei dignitate primatum teneret; vt vnus in cœlo Dei filius ante ſæcula ineffabili natus exordio, etiam in terris illuſtrium titulorum ſibi apices vendicaret; regum pariter & ſacerdotum, vt duo teſtantur auctores; clara progenies.

Bern. ſer. 53. in paruis: De Chriſto duo ſunt, Bern. Chriſti generatio duplex. vnum nobis incognitum, ſcilicet generatio diuina: de qua ſcriptum eſt: Generationem eius Eſaiæ 53. quis enarrabit? Alterum cognitum, vt generatio, vel opera humana.

Tertull. lib. de carne Chriſti cap. 22: Mat- Tert. Cur Matt. à Chriſti generatione incipit. thæus non aliam ob cauſam, quam vt nos originis Chriſti carnis compotes faceret, ita exorſus eſt: Liber generationis, &c.

Aug. lib. 1. de conſ. cap. 3. Chriſtus Dauidis, Aug. Chriſtus Dauidis filius quam Abrahæ cur ſæpius dicitur. inquit, nõ fruſtra crebrius filius dictus eſt, quam Abrahæ. Cauſam huius indicat, quod perſonam Chriſti, & regiam, & ſacerdotalem figurauerit. Hier. Hieron. in hunc locum, habet duas eſſe Chriſti generationes: & Euangeliſtam humanam tantum enarrare: & quam ob cauſam. Item cur Saluator prius Dauidis, quam Abrahæ filius dicatur: & cur alijs prætermiſſis, horum tantum duorum fiat mentio. Vide hæc omnia lect. 7. & 8. die 8. Sept. Aug. lib. 2. de conſ. cap. 1. Aug. Ponit duas Chriſti generationes: & Euangeliſtam non niſi humanam enarrare, vt videbis lect. 7. & 8. die 13. Sept. Auguſt. lib. 16. Aug. Chriſtus maxime Dauidis filius dicitur. de Ciuit. cap. 43: Dauidis maxime Chriſtus dictus eſt filius: in quo articulus quidam factus eſt, & exordium quodam modo iuuentutis populi Dei: cuius generis quædam velut a- Populi Dei iuuentus, adoleſcentia, pueritia, & infantia. doleſcentia ducebatur ab Abraham, vſque ad hunc Dauid. Neque enim fruſtra Matthæus Euangeliſta ſic generationes commemorauit, vt hoc primum interuallum quatuordecim generationibus commendaret, ab Abraham, ſcilicet, vſque ad Dauid. Ab adoleſcentia quippe incipit homo poſſe generare. Propterea generationũ ſeries ab Abraham ſumpſit exordium, Cur ab Abraham generationum ordo incipit. qui etiam pater multarum gentium conſtitutus eſt, quando mutatum nomen accepit. Ante hunc ergo velut pueritia fuit huius generis populi Dei, à Noe vſque ad ipſum Abraham. Gen. 17.

 Et ideo

Lingua prima quæ ſit. Infantes dicuntur quod fari nequeunt. Gen. 7.

Et ideo prima lingua inuenta eſt, id eſt, Hebræa (vt nempe fari poſſet.) A pueritia namque homo incipit loqui poſt infantiam: quæ hinc appellata eſt, quia fari non poteſt. Quam profecto ætatem primam demergit obliuio; ſicut ætas prima generis humani eſt deleta diluuio. Quotus enim quiſque eſt, qui ſuam recordetur infantiam.

Chryſoſt.

Chryſoſt. hom. 2. in Matt. dicit cur Saluator, filius eſſe voluerit hominis, & quidem ſerui, vt habes lect. 7. & 8. die 15. Sept.

Amb. Matth. & Lucas in Chriſti genealogia cóſenuiút, & ſi pugnare videantur.

Ambr. lib. 3. in Lucam: De generationibus dicturi, quarum nonnullam videmus in Euangelio ſecundum Matthæum, vel in hoc, cuius interpretationem habemus in manibus, eſſe diſtantiam, quoniam non eſt credibile, aduerſantia ſibi ſanctos viros potuiſſe dicere, de generationibus præſertim Domini Saluatoris; quanto ſtudio poſſumus, non dixiſſe eos diſcrepantia, demonſtremus. Cur ſanctus Matthæus cùm ab Abraham cœperit generationis ordinem, non ita poſuerit; Liber generationis Abrahæ: ſed, Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Et cur hos duos potiſſimum nominauerit, nequaquam prætereundum puto.

Cur Dauidis, & Abrahæ filius dicatur. Ratio 1.

Non enim ocioſe fideliſſimi authores generis eliguntur, vt intelligamus quòd in ipſa generatione carnis, ſpiritalis magis ſucceſſio requiratur.

Ratio 2.

Duo ſunt enim iſti viri, in quos manauerunt promiſſa diuina. Prior Abraham, qui ante Moyſi legem, & ante populum Iudæorum propria derelinquens, & cognoſcens Deũ, meruit fidei teſtimonium, quia credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam: qui etiam à Deo accepit oraculum, dicente ſibi: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram, quam tibi monſtrabo; & faciam te in gentem magnam, & benedicam te, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus, & benedicam benedicentes te, & maledicam maledicentes te, & benedicentur in te omnes tribus terræ. Vides igitur congregationes gentium, & ſacroſanctum Eccleſiæ cœtum, oraculo diuino huic eſſe primo promiſſum. Et ideo his author generis debuit deſignari, qui inſtaurandæ Eccleſiæ ſponſionem primus emeruit. Dauid quoq; meritò & ipſe author generis declaratur, quia cum iureiurando reſpõſum, quòd ex ipſo ſecundum carnem Chriſtus futurus eſſet; accepit. Sic enim ſcriptum eſt: Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non pœnitebit eum, de fructu ventris tui, ponam ſuper ſedẽ meam. Et alibi: Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mẽtiar; ſemen eius in æternum manebit, & ſedes eius ſicut ſol in conſpectu meo. Et in Paralipomenon: Et erit, cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de ventre tuo; & parabo regnum eius: ipſe mihi ædificabit domum, & erigam ſedem eius in ſeculum. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium, & miſericordiam meam non diſpergam ab eo, ſicut diſperſi ab ijs, qui ante te fuerunt. Per Eſaiam quoque idem Dominus Deus generationem Domini reuelauit, dicens: Exiet virga de radice Ieſſe, & flos ex radice eius aſcẽdet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & Intellectus. Et erit radix Ieſſe, & qui exurget imperare gentibus: in ipſo gentes ſperabunt. Et alibi: Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, cuius principium ſuper humeros eius, & vocabitur nomen eius, magni conſilij Angelus. Adducam enim pacem ſuper principes, & ſalutem: & magna poteſtas eius, & pacis eius non erit finis, in ſede Dauid, & in regno eius. In quo iuxta Aquilæ quoque interpretationem, non quaſi de homine, ſed de eo, qui vltra hominem eſſet, vidimus extitiſſe promiſſum. Idem enim interpretatus eſt: Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & facta eſt menſura in humero eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, conſiliarius, conſiliarius meus fortis, potens, pater ſeculi, princeps pacis. Eius impleta eſt diſciplina, & pacis eius non eſt finis, ſupra ſedem Dauid, & ſupra regnum eius.

Gen. 15. — Gen. 12. — Pſal. 131. — Pſal. 88. — 1 Par. 17. — Eſa. 11. — Eſa. 9.

De Chriſto Dauidi factæ promiſſiones non poſſunt conuenire Salomoni.

Omnia conuenire de Chriſto, euidentibus ſignatur oraculis, nec poſſe diuinæ fructum potentiæ ad Salomonis gratiam deriuari, qui Dauid filius fuit, cuius finis haud dubiè cognoſcitur. Finis enim fuit regni Salomonis, & pacis, vt Regnorum lectionibus demonſtratur. Vnus eſt Chriſtus, cuius regnum non habet finem. Deinde nullis Salomon gentibus imperauit, Chriſtus verò Eccleſiam de nationibus congregauit. Poſtremò viuente Dauid & natus eſt Salomon, & regnum eſt conſecutus. Hic autem qui promittitur, poſt mortem Dauid ſurrecturus eſſe monſtratur, ſicut habes: Quia cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo de ſemine tuo, qui erit ex ventre tuo, & parabo regnum eius: ipſe mihi ædificabit domum, & erigam ſedem eius in ſeculum. Nunquid in ſeculum regnauit Salomon, qui annis tantummodo quadraginta regnauit? Ego ero, inquit, ei in patrem, & ille mihi in filium. Quis eſt iſte proprius Dei filius, niſi cui dictum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et miſericordiam meam non diſpergam ab eo, & fidelem eum ſeruabo in domo mea, & regnum eius in ſeculum.

1 Reg. 7. — Salomon annis 40. regnauit. — Pſal. 2.

Cur Salomon errare grauiter ſit permiſſus.

At verò Salomonem erraſſe ideo fortaſſe tam grauiter, ne errarent homines, & ad ipſum crederetur manaſſe promiſſum, diuinarum ſerie cognouimus lectionum. Ædificauit enim templum Aſtartæ idolo propter amorem mulieris, & indignatus eſt Dominus in Salomonem. Si igitur viuente Dauid regnare cœpit (ſic enim habes, quòd cum eſſet nunciatum Dauid regnare Salomonem, adorauit Rex Dauid in cubiculo ſuo, & dixit: Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui dedit mihi hodie de ſemine meo ſedentem in throno meo, & oculi mei vident) ſi errauit, ſi offendit, vides quoniam promiſſi ſeries Chriſtum ſpopondit.

3 Reg. 1.

Cur Dauidis prius quam Abrahæ filius dicatur. Ratio 4.

Et ideo iſtos duos generis authores Euangeliſta delegit. Vnum qui promiſſum accepit de congregatione populorum: alterum qui de generatione Chriſti oraculum conſecutus eſt. Et ideo licet ordine ſit ſucceſſionis poſterior, prior tamen

quàm

quàm Abraham in Domini generatione deſcribitur, quia plus eſt promiſſũ accepiſſe de Chriſto, quàm de Eccleſia: quoniam Eccleſia ipſa per Chriſtum. Ergo vnus princeps generis ſecundum carnem, alter princeps generis ſecundum ſpiritum: alter ſecundum ſeminis gratiam, alter ſecundum populorum fidem. Potior enim qui ſaluat, eo qui ſaluatur. Et ideo Dauid filius dicitur. Eius enim primo loco debuit filius dici, cui clarè filius eſt promiſſus: licet Apoſtolus etiam Abrahæ Chriſtum dicat eſſe promiſſum. Abrahæ enim dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dicit: Et ſeminibus tanquam in multis, ſed ſicut in vno: & ſemini tuo, quod eſt Chriſtus: vt alteri proprietas generationis, principatus alteri deferatur. Illi delatum eſt, vt Ieſus eius filius diceretur: huic quaſi principi familiæ, gentiumque, prærogatiua ſeruatur, vt ab Abraham generationis Dominicæ manaret exordium. Qui enim fidei author eſt, ipſum aſſerere ſcriptura quoque debuit diuinæ generationis authorem.

Gal. 3.

Not. 2. ver. 2.

Cur fratrũ Iſaac, & Iacob nõ fiat mentio.

Gen. 21.

Chryſoſt.

SOLIVS Iſaac Matthæus, inter Abrahæ filios, meminit; excluſis ab hac genealogia Iſmaele, & cæteris eius fratribus; iuxta verbum Domini (Gen. 21:) In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Fratrum Iſaac, & Iacob non facit mentionem, ait Chryſoſt. quia nil cum genere Iſraëlitarum commune habebant. Cum Iſaac figura eſſet Chriſti, vt figura veritati reſponderet, vtriuſque conceptionem, & natiuitatem miraculoſam eſſe decuit. Matthæus Chriſti generationem deſcendendo narrat: quia de humanitate agit, in qua Chriſtus ad nos venit: & infirmitatem noſtram à Deo aſſumptam eſſe oſtendit. Vnde incipit ab Abraham, vt modum, quo in mundum venit, oſtendat. Lucas autem aſcendendo eam deſcribit: quia filios gratiæ per Chriſtum aſcendere in cœlum, vult oſtendere: & quomodo ad Deum natura humana reducatur, deſcribit. Vnde à baptiſmo, in quo gratiæ filij efficimur, incipit. Matthæus Chriſti generationem ſolum ad Abraham reducit: quia Deum impleſſe promiſſiones Dauidi, & Abrahæ factas, vult oſtendere. At verò Lucas ad Adam vſque deduxit: quoniam veniſſe Chriſtum, non vt Iudæos tantum ſaluaret, ac redimeret; ſed etiam omnes homines vſque ad Adam, à quo omnis gens incœpit, oſtendere voluit. Genuit Iacob) excluditur Eſau, qui eodem partu congenitus eſt. Scriptum eſt enim (Gen 26:) Maior ſeruiet minori. Et Mal. 1: Iacob dilexi: Eſau autem odio habui. Iſmael, & Eſau non commemorantur: eo quod à Dei populo ſeparati fuerunt. Iudam.) Hic primogenitus non fuit: ſed eius ſtirps, de qua naſceretur Chriſtus, à Deo electa eſt; iuxta illud Pſ. 78: ſed elegit tribum Iuda. Et fratres eius.) Non ſolus Iudas ponitur, qui ad genealogiam ſufficiebat: ſed etiam fratrum Iudæ meminit, ad differentiam fratrum Iſaac, & Iacob; qui populi

Cur Matt. deſcendat, & Lucas aſcendat.

Cur Matt. ad Abraham, & Lucas ad Adam.

Cur Iudas [illegible] fratribus nominetur.

Dei patres non fuerunt; ſicut iſti. Fratres ergo Iudæ commemorat, primo, vt eos omnes ad populum Dei pertinere oſtendat; ſeu, quia omnes Patriarchæ fuerunt, & Principes tribuum; qui fideles ſecundum carnem genuerunt; ſicut Apoſtoli ſecundum ſpiritum; & Dei populus ex ijs propagatur. Secundo, ad excludendam de nobilitate ſuperbiam; & vt Iudæos, de nobilitate progenitorum gloriantes, humilaret. Multi ſiquidem eorum ex ancillis nati ſunt, tamen differentia parentum, non fecit differentiam filiorum. Et hæc æqualitas priuilegium Eccleſiæ deſignabat.

Auguſt. ſerm. 15. de verb. Dom. habet cur deſcendendo Matthæus, generationes Chriſti numeret: Lucas vero aſcendendo: vt videre licet cap. 92. ad ver. 10. Idem habet Amb. not. 13.

Aug. Cur Matt. deſcendat, Luc. vero aſcendat. Amb.

Auguſt. lib. 15. de Ciuit. cap. 15: Euangeliſta Matthæus generationem Dominicæ carnis per ſeriem parentum volens commendare memoriæ, ordiens à Patre Abraham, atque ad Dauid primitus, vt perueniret intendens, Abraham, inquit, genuit Iſaac: cur non dixit Iſmael, quem primitus genuit? Iſaac autem, inquit, genuit Iacob: cur non dixit Eſau, qui eius primogenitus fuit? quia ſcilicet per illos ad Dauid peruenire non poſſet. Deinde ſequitur: Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius; nunquid Iudas primogenitus fuit? Iudas, inquit, genuit Phares, & Zaram; nec iſtorum geminorum aliquis fuit primogenitus Iudæ; ſed ante illos iam tres genuerat. Eos itaque tenuit in ordine generationum, per quos ad Dauid, atque inde quo intenderat, perueniret.

Aug. Cur alij quam primogeniti numerentur.

Not. 3. ver. 3.

AMBR. lib. 3. in Lucam: Plerique etiam mirantur cur Thamar mulieris famoſæ, vt illis videtur, Matthæus commemorationem in Dominica generatione contexendam putauerit: cur etiam Ruth: cur eius quoque mulieris, quæ Vriæ vxor fuit, & occiſo marito in Dauid nuptias commigrauit: cum præſertim Saræ, & Rebeccæ, & Rachel ſanctarum fœminarum nuſquam fecerit mentionem. Non ocioſè vtique huius mulieris Euangeliſta nomen inſeruit, de qua diuiſe interim tractandum videtur. Primum enim, ſi veris intendas animum, non hæc mulier tam famoſa, quàm iuſta. Non enim temporalis vſum libidinis requiſiuit, ſed ſucceſſionis gratiam concupiuit. Erat enim deforme liberos non habere: quod etiam legum ciuilium fuit authoritate mulctatum. Promiſerat eam filio ſuo Iudas, ſed diu pactarum fœdera diſtulerat nuptiarum, per moram promiſſi defunctus eſt ſponſus. Nondum virginitatis, nondum viduitatis ante Chriſti aduentum vernabat gratia. Dolens ſe ſine filijs remanſiſſe, dolum ſtudio generationis commenta eſt, & Iudam conſilio præuertit, vt ſe eidem offerret ornatam, poſteaquam defunctam eius cognouit vxorem. Vides vbique mulieris vitam probari, quòd non alienum præripuit thorum, non meretricio

Amb. De conceptu Thamar, & geminis eius.

Matthæus, cur Thamar meminit.

Thamar excuſatur.

retricio ſtudio quaſi meretrix adornata eſt. Nõ enim vagam captauit libidinem, ſed diu ſoceri fraudata promiſſis, ex ea familia quã delegerat, conuerſo dolo fructum voluit ſucceſſionis adipiſci. Quis itaque caſtior, illa, quæ tam diu expectauit promiſſum, an ille, qui amorem ferre non potuit oblatum? Illa, quæ ſponſi familiam nõ refugit, an iſte, qui meretricem putauit? illa, quæ oram ſui corporis volentibus non permiſit ad copulam, an iſte, qui quod ſtudio cœpit erroris, ad ſucceſſionis gratiam caſtitate mulieris conſummauit? Illa, quæ filios non habebat, & tempus conceptionis mora coniugij timebat excludi, illa, quæ grauitatem maturioris elegit: an iſte, qui ætatem adoleſcentioris adamauit? Denique ipſe confeſſus eſt, dicens: Iuſtificata eſt Thamar magis quàm ego, propter quod

Gen. 38.

non dedi eam Selon filio meo. Itaque illa experiri exactorem ipſum ſuæ voluit caſtitatis. Denique nunquam poſtea virum experta eſt, amictum viduitatis ſumpſit à coitu. Ille vnius horæ impatiens, qui annos à puella exegerat caſtitatis, luctum expulit, veſtem mutauit, comam totondit, rogum deſeruit, thorum amator aſcendit.

Iudas etiã excuſatur.

Sed non ita iſtam defendimus, vt illum accuſemus, imò vtrumque excuſemus. Non autem nos, ſed myſterium quod copulæ illius fructus expreſſit. Generauit enim mulier Phares, & Zaram filios, generauit geminos. Vnde non ocioſè Matthæus vtrumque ſignauit, cum Phares tantummodo commemorationem cauſa depoſceret. Cur autem cùm Iſaac duos generauerit, Iacob plures, ſingulorum tantummodo quos ſucceſſionis Dominicæ cauſa poſcebat, fecit ſcripturæ ſeries mentionem, horum autem vtrumque memorauit: niſi quia hic in vtroque myſterium eſt?

Myſteriũ Phares, & Zaram.

Cur vterq. hic potius nominetur, quam alias. Commemorato Phares, per quem deſcẽdit Chriſtus, Zaræ quoque mẽtio fit, ad deſignadũ myſteriorum figuram.

Tractauimus moralem locum, quia non opera meretricis exercuit, ſed munera fœcunditatis elegit. Tractemus hiſtoricum, & myſticum ventilemus. Neque enim ſine myſterio poteſt eſſe, quod annulum, & monile accepit, & virgam. Non vilis perſona, quæ meretur accipere ornamentum, ſignaculum, poteſtatem: factorum ſignaculum, pectoris ornamentum, regiæ libertatis inſigne. Ergo vt ordiamur hiſtoriam, cùm generaret Thamar, legiſti quia vnus de vtero eius præmiſit manum: quam apprehendens obſtetrix, coccum in eam ligauit, dicens: Hic exiet prior. Vt autẽ reuocauit manum puer in matris vterum, ſtatim exiuit frater eius. Dixit autem obſtetrix: Quid inciſa eſt per te ſepes? Et vocauit nomen eius Phares. Et poſt ipſum exiuit frater eius, in cuius manu erat coccum, & vocauit nomen eius Zaram. Vides quanta ænigmata myſterium prodant? Manus præmiſſa, coccum ligatum, reducta manus, vox obſtetricis gemina, quod prior alter exiret, ſepem alter iacideret.

Phares, & Zaram figurant geminam vitam duorum populorum.

Cur autem alter manum præmiſit ex vtero, alter genitali præceſſit exortu, niſi quia per geminorum myſterium gemina deſcribitur vita populorum: vna ſecundum legem, altera ſecundum fidem: vna ſecundum literam, altera ſecundum gratiam? Prior gratia, quam lex, prior fides, quam litera. Et ideo gratiæ typus manum ante præmiſit, quia gratiæ actus ante præceſſit, qui fuit in Iob, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, & Iacob, qui per fidem ſine lege viuebant. Credidit enim Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Melchiſedech quoque ſancti gratiam præcedens ſacrificij figura monſtrauit. Præuenientes enim legem Patriarchæ ſancti, præſcriptorum vinculis abſoluti, libera, & conſimili nobis Euangelij gratia refulſerunt. Iunior horum frater, ſecundus ordo pietatis. Primus ergo in Patriarchis, ſecundus in Regibus & Sacerdotibus eſt. Vtraque enim vita ſecundũ Deum, quia illi quoque, qui ſecundum legem Moyſi religioſam, & piam militiam militabant, non ſunt gratiæ, & honoris exortes, ſed prior pietatis fructus in authoribus, quã hæredibus. Prior enim Zara, qui interpretatione ſignificatur Oriens. Lux enim pietatis, viri ſplendor Orientis eſt, illius vtique qui dixit: Oriens nomen eſt mihi: cuius in Patriarchis primitus radius lucis illuxit. Hi enim primæ vitæ ſuæ actum in hoc ſeculo præmiſerunt, in quorum manu noſtri quoque actus tanquam plenioris corporis, qui adhuc naturæ quodam generantis vtero tenebamur, figura præceſſit. Sed media tanquam ſepes obiecta legis eſt obſeruatio, & quodammodo vita maiorum videtur inciſa, de qua in typo illa obſtetrix, fortaſſe iuſtitia, quæ nos emiſſos aluo naturæ matris excepit, dixiſſe proditur: hic exiet prior. Et reuera mirabilis ille erat ordo pietatis, non à Moyſe, nec ab aliquo homine, nec per hominem, ſed munere quodam ſapientiæ ſponte ſe infundentis impreſſus. Prima igitur diſciplina pietatis ſecũdum Euangelium, quia per crucem & ſanguinẽ credimus Chriſti: cuius Abraham diem vidit, & gauiſus eſt: cuius Noë gratiam in typo Eccleſiæ figuratam, ſpiritali cognitione præſenſit: cuius Iſaac vicem in ſacrificio non recuſauit: quem Iacob cum vinceret adorauit: cuius Eſaias ruborem vidit veſtimentorum. Nam ſecundum Euangelium vita etiam Prophetarum eſt: in cuius ſanguine inter excidia mundi publicæ futurum ſalutis inſigne.

Patriarchæ vitam egerunt Chriſtianam.

Gen. 15.

Ioan. 8.

Raab illa typo meretrix, myſterio Eccleſia, figurauit: quæ multorum conuenarum copulam non recuſat: & quò coniunctior pluribus, eò caſtior, immaculata virgo ſine ruga, pudore integra, amore repleta, caſta meretrix, vidua ſterilis, virgo fœcunda. Meretrix quia à pluribus amatoribus frequentatur, cum dilectionis illecebra, & ſine colluuione delicti. Qui enim adhæret meretrici, vnum corpus eſt. Vidua ſterilis, quæ viro parere non norit abſente. Venit vir, & hunc populum, plebemque generauit. Virgo fœcunda, quæ hanc genuit multitudinem cum fructu amoris, ſine vſu libidinis. Sed, vt ad hiſtoriam reuertamur, quid ſibi volunt obſtetricis eloquia dicẽtis: Hic exiet prior: niſi quia eius typum gerebat, qui ortu corporis poſterior, virtute & veritate primus exiſtens, principatum ſibi omnium vendicauit? Inde & Ioannes: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt. Quid ſibi vult quod coccum in manu eius ligauit,

Ver. 6. Raab quid figurat.

1 Cor. 6.

Gen. 38. Zaram Chriſtum figurat.

Ioan. 1.

ligauit, niſi quia typus eius erat, qui crucis indicio ſuæ, & ſanguinis fuſione actum illuſtrauit humanum? Itaque poſteaquam manum reduxit, quaſi inciſione facta ſepis, exiuit frater eius, quem quaſi medium parietem ſepis, vel maceriæ Apoſtolus nominauit, atque ipſe de inciſione nomen accepit. Phares enim diuiſio eſt. Vnde & Phariſæi nuncupati, eò quod à multorum ſe coniunctionibus ſepararent. Beatius autem & multò melius fuiſſet non inciſiſſe ſepem, ſed vnam, eádem, & indiuiduam permanere. Quod fieri potuit ſi ei vitæ, quæ prior manum miſit, hoc eſt actum oſtendit ſuum, conſequens fuiſſet eius vitæ militia, quæ ſecuta eſt. Multo enim melius, ſi circumciſus populus vitam maiorum voluiſſet imitari. Sic enim fuiſſet vna ſepes, vna maceria, vna ędificatio priorum, ac ſequētium. Sed quia primum illum vitæ actum poſterioris infirmitas non potuit implere, inciſione ſine dubio facta ſepis ejus, ſiue maceriæ, quæ ſecundum Deum ædificata erat, tanquam medius paries interiectus eſt, vt illa ſepes, hoc eſt, perpetua, atque continua bonorum morum ædificatio rumperetur. Sepes enim eſt qua ager circundatur fructuoſus, furis remouetur incurſus, quæ culta concludit, deſerta ſecernit. Maceria quoque domum claudit. Hæc ſi maneat, domus tuta eſt. Denique auferam, inquit, maceriam eius, & erit in direptionem. (*Eſa. 5.*) Optemus vt hæc integra ſit maceria domus noſtræ, domus ſpiritalis, quæ in nobis eſt. Non enim ab homine exædificari poteſt, ſed à Deo viuo, qui ait: Et maceriam circundedi. Perdiderunt igitur ſalutem, qui maceriam perdiderunt. Maneat ergo maceria, maneat hæc ſepes. (*Eccli 28.*) Vis ſcire quam ſit vtilis ſepes? Sepi aures tuas ſpinis, & tribulis, & noli audire linguam nequam. Sepes enim iſta te defendit à culpa. Ergo Dominus Ieſus, qui poſtea ſecundum carnem venit in lucem, veteris illius munitionem ſepis inſtaurans, in maiorum nos actuum, & antiquam ſimplicitatem fidei reformauit. (*Eſa. 58.*) Vnde de eo & Propheta dixit: Vocaberis ædificator ſepis. Tulit enim illum obicem, qui vnitatem mentis, & corporis, ſeriemque vitæ ſimplicis diuidebat, atque ipſe factus eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem ſepis ſoluens. Quem parietem exponit (*Ephes. 2.*) Apoſtolus inimicitias eſſe in carne. Has ergo inimicitias tulit Dominus, & pacem refudit, legemque mandatorum in decretis euacuauit, vt duos conderet in vno nouo homine: in quo non ſolum exteriorem, & interiorem; ſed etiam Iudæum ſignificat, & Græcum, vt eſſet omnia, & in omnibus Chriſtus. Dominus enim ſabbathi, ſuperſtitionem tulit ſabbathi corporalis, & quaſi medium ſoluit legis parietem, qui nos ab ea pietate, quæ ſecundum Deum eſt, decretorū difficultate prohibebat, eo quod iuxta Moyſi legem, non erat facilè, atque poſſibile gentibus militare Deo, cum inanis ſuperſtitio Iudæorum purum affectum gentium à ſubeunda obſeruatione reuocaret. Quid ergo? Lex inutilis? Abſit, ſed vtilis incredulis, infirmis neceſſaria, quæ lubricos, & errantes præcepti ſalutaris auſteritate cohiberet, & obſeruationum attentione concluderet. Bona autem lex eſt, quia ſpiritalis. Ei autem non bona, qui non putat ſpiritalem, qui mente exiguus, humiliſque factus, eam, quæ ſuper legem eſt, maieſtatem ſcilicet Chriſti, videre non potuit. Quem vtique tanquam ſupra illum parietem reſpiciens ille mente ſublimis Eſaias, gloriam Dei vidit, quæ videtur in montibus, non in collibus. Docuit itaque nos Eccleſia in Canticis Canticorum, quòd iſte paries Domino noſtro Ieſu Chriſto obſtare nō potuit, vel ei, qui ſecutus eſt Chriſtum, dicens: Vox fratris mei: ecce hic venit ſaliens ſuper montes, & tranſiliens ſuper colles: ſimilis frater meus capreæ, vel hinnulo ceruorum in montibus Bethel. (*Cant. 2.*) Ecce hic retro poſt parietem noſtrum, proſpiciens per feneſtras, proſpiciens per retia. Reſpondit frater meus, & dixit mihi: Surge, veni proxima mea, ſpecioſa mea, columba mea: quoniam ecce hyems tranſiuit, pluuia abijt, diſceſſit, flores viſi ſunt in terra, tempus ſecandi aduenit, vox turturis audita eſt. Flores Apoſtoli, tempus meſſis, fructus eſt Chriſtus, vox turturis, vox Eccleſiæ. Iure igitur Dei filius poſteaquam terrēnos homines, nec gradientes ad ſuperna, & corporalibus inſpexit anguſtiis coarctatos. (Non enim erat qui faceret bonum, non erat vſque ad vnum) (*Pſal. 13.*) deſcendere in terras ipſe dignatus eſt, vt parietem illum legis, hoc eſt, molem quandam, & ſuperſtitionem intellectus corporalis auferret, quæ quaſi premeret, & obumbraret corda populorum. Melior igitur maceria, quàm paries. Denique non bonus paries dealbatus. Quod non otioſè dictum eſt principi ſacerdotum, (*Act. 23.*) eò quòd medij parietis impedimenta ſeruabat, quem Dominus Ieſus abſtulit, quaſi duram militiam, quo clariorem obſeruātiam religionis infunderet, vt iam non vnum Iudæorum genus quaſi corporalis quodam perſcripto legis incluſum, ſed omnes gentes ad Dei cultum per Euangelium vocarentur. Duo igitur gemini, duæ geminæ vitæ, duæ geminæ ſunt militiæ, ita vt prior melior ſit ſequente. Et ideo quod eſt melius, reformatum eſt. (*Legi præſtat Euangelium.*) Quis autem neget Euangelium præſtare legi? Bona tamen lex, ſi ſupra literam mentem erigas. Litera enim occidit. (*2 Cor. 3.*) Quid autem haberet hæc hiſtoria gratiæ, niſi lucem tanti myſterij videremus? Docuit enim nos Apoſtolus ſanctus in ſimplicitate hiſtoriæ ſecretum quærere veritatis, & in quaſdam non intelligibiles ſecundum literam diſputationes ſenſum referre, ſcribens: Dicite mihi, ſub lege volentes eſſe: legem non audiſtis? Scriptum enim eſt, quia Abraham duos filios habuit, vnum ex ancilla, & vnum de libera: ſed qui ex ancilla, ſecundum carnem natus eſt: qui autem de libera, ſecundum promiſſionem. Quæ ſunt, inquit, per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta. Et infra: Quæ autem (*Gal. 4.*) ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt. Ad illam igitur, quam medius paries incidere, & diuidere non potuit, mentis ſublimitate tendamus. Solutus eſt enim ſecundum intellectum corporalem, veteris ille paries teſtamenti: expulſa eſt ancilla,

ancilla, tenetur libera. Ex libera ſimus liberi. Libera eſt enim Eccleſia, expulſa ſynagoga eſt. Seruiebat enim populus Iudæorum, remotum eſt ſeruitutis iugum, quod noſtræ animæ quædam colla reprimebat, ne vltra parietem vitæ prioris poſſimus aſpicere. Habemus iugum bonum, ac leue, quod habenis pacis, & gratiæ vinculis magis erigat, quàm deprimat copulates. Hic eſt Dominus, cuius in Zara typus ant: præceſſit, eò quod ex tribu, & ex ſemine illius Zaræ Dominus Ieſus ſecundum carnem, non ſolum à fœmina, ſed etiam ſub lege generatus eſt, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret precio ſui ſanguinis. Cuius figura ideo in manu illius Zaræ præceſſit, vt promitteret nobis, quia venturus erat, qui veteris vitæ reuocaret vſum, & libertatem, quam tribuerat primo illi Adam, in Adam nouiſſimo reformaret, vt iam genus hominum ſine lege eſſet ſeruitutis.

Gal. 4.

Hier. Cur malæ tantum hic r:n teres ponantur.

Hieron. in hunc locum rationem habet, cur nulla ſanctarum mulierum, in genealogia Chriſti aſſumatur: ſed illæ tantum, quas ſcriptura reprehendit, vt videre eſt lect. 8. die 8. Sept.

Hier. Gen. 38.

Et in cap. 3. ad Gal: Illud etiam quod in eodem libro de Thamar, & duobus eius paruulis legitur; quod ſcilicet primus, qui dicitur Zara, miſerit manum ſuam, & obſtetrix ligauerit ei coccinum, & dehinc illo manum intrinſecus retrahente, manum poſterior, qui Phares vocatur, porrexit; præſenti loco congruit; quod oſtenderit Iſraël in legis opere manum ſuam, & eam Prophetarum, & ipſius Saluatoris pollutam cruore contraxerit. Poſtea verò porrexerit populus gentium; propter quem dicitur ſeps eſſe deſtructa, & medius paries, qui inter Iudæos, & Gentiles fuerat, diſſipatus, vt fieret vnus grex, & vnus paſtor, & eſſet gloria, & honor, & pax, omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco.

Filij Thamar quid ſignificēt.

Hier. Iudæ ad Thamar ingreſſus quid ſignificet.

Et epiſt. ad Pammachium, ſeu proemio in Oſee Prophetam: Intelligimus enim quis ſit Iudas Patriarcha electus in Regem, nec miramur, cur ad Thamar, quaſi ad meretricem, vir ſanctus introierit. Quare Samſon, qui interpretatur Sol, Dalilam amauerit, quæ transfertur in pauperem, & propter eam irriſus, & mortuus, aduerſariorum milia trucidarit. Cur Salmon virum iuſtum Booz, de Raab meretrice generarit; qui Ruth Moabitem prima pallij ſui operiens, & iacentem ad pedes, ad caput Euangelij tranſtulit. Quid cauſæ ſit, vt cum Dauid tot habuerit vxores, nullum alium regni ſui fecerit ſucceſſorem, niſi eum, qui de Bethſabee procreatus eſt; vt non ſolum meretrices, ſed etiam adulteræ Deo placere videantur. Vnde & in hoc ipſo Propheta legimus, quod iunctus primum meretrici, ſecundo adulteræ, copuletur, &c. Hæc eſt mulier meretrix, & adultera, quæ in Euangelio pedes Domini lachrymis lauit, &c. Hæc eſt meretrix, de qua loquitur Dominus ad Iudæos: Amen dico vobis, meretrices, & publicani præcedent vos in regno Dei, &c.

Hier. Coccineum quid ſignificet.

Et epiſt. ad Nepotianum, de vita Clericorum: Sunamitis in lingua noſtra, coccinea dicitur, vt ſignificet calere ſapientiam, & diuina lectione feruere; quod licet Dominici ſanguinis indicet ſacramentum, tamen & feruorem oſtendit ſapientiæ. Vnde & obſtetrix illa in Geneſi, coccinum ligat in manu Phares, qui ab eo quod parietem diuiſerat, duos ante populos ſeparantem, diuiſoris, id eſt, Phares, ſortitus eſt nomen. Et Raab meretrix, in typo Eccleſiæ, reſticulam myſterium ſanguinis continentem, vt, Hiericho pereunte, domus eius ſaluaretur, appendit, &c.

Phares vnde dicatur.

Hier.

Et in cap. 2. Mich: Aſcende per diuiſionem: præſens locus quaſi proprium habet exordium, & apoſtrophen eloquij prophetalis, ad eum, qui ſaluari cœpit, cui imperatur, vt aſcendat per diuiſionem. Quod quidem manifeſtius fiet, ſi de Geneſi ſumpſerimus exemplum, vbi naſcuntur gemini de Thamar, cum qua Iudas Patriarcha concubuit. Factum eſt (inquit) cum pareret, &c. Phares interpretatur diuiſio. Zara, in lingua noſtra, dicitur ſemen, vel oriens. Oſtendit ergo ſenior populus, in quo erat ortus, & ſemen, antequam de gentibus Eccleſia naſceretur, manum ſuam in operibus, & poſtea contraxit eam; audiens per Eſaiam: Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Cumque ille contraxiſſet manum, & à iuſtitiæ ceſſaret operibus, frater eius egreſſus eſt, gentium populus: Et propter ipſum, diuiſa eſt ſepes; & deſtruxit Dominus, atque Saluator, vt ille poſſet incedere, parietem, qui erat in medio, & maceriam duos populos ſeparantem; & fecit vnum gregem, & duos creauit in ſemetipſo in vno nouo homine, faciens pacem. Vnde & obſtetrix prophetice loquens, dicit ad Phares populum iuniorem: Vt quid diuiſa, &c. Si intellexiſtis exemplum de Gen. aſcende qui ſaluari cupis, nequaquam per veterem populum, qui manum contractam habet: ſed per nouum, in quo via Chriſtus eſt, in quo porta Ieſus, per quem ad patrem incedimus. Ipſe enim ſoluit medium parietem, id eſt, obſcuritatem veterum Prophetarum, & omnia antiquæ legis aperuit ſacramenta, & diſſipata incedendi difficultate, viam oculis omnium reuelauit. Vt qui vult pergere, nullo irretiatur obice, nec obſcuritatis caligine terreatur.

Gen. 38.

Iſa. 1.

Myſteria hiſtoriæ Thamar pandit etiam Chryſoſt. hom. 3. in Matt.

Chryſoſt.

Auct. Cur Dominus ex peccatoribus naſci voluerit.

Conſiderandum hic eſt, quales Domini progenitores fuerint: quia de exiguis, & peccatoribus naſci non eſt dedignatus: nec in progenitoribus gloriari voluit. Neque enim in his, neque (quod amplius eſt) in virtutibus, & bonis operibus gloriandum eſt: ne horum mercedem in aliquo minuamus, vel in toto perdamus: ſicut late hic docet Chryſoſt. Apud homines id maximè exprobratur, quod quis infamē quempiam in ſuo genere habeat, hoc tamen Chriſtus ſuſcepit. Itaque mali, & malæ in hac genealogia nominantur, & generationis Chriſti miſeria notatur: primo, ad manifeſtandam Chriſti, & Mariæ humilitatem; cuius nobis exemplum relinquere voluerunt. Quis enim habere vellet parentes adulteros, inceſtuoſos, idololatras? vel ſi tales haberet, quis vellet inde gloriari? Si quem ex talibus naſci contingat, id ei expro-

Chryſoſt.

Cur hic mali ponantur.

x

ei exprobrandum non eſt. Et ſi nobis obijcia-
tur, quod huiuſmodi parentes habeamus, non
2 propterea ſtatim iraſci debemus. Secundò, ad
oſtendendum quod Chriſtus ſit verus, & ſolus
Redemptor, & Saluator Iudæorum, & Gen-
Hier. tium, bonorum, & malorum. Sic Hieron. Vn-
de Matth. 9: Non veni vocare iuſtos, ſed pec-
catores. Et Luc. 19: Venit filius hominis quæ-
rere, & ſaluum facere quod perierat. Et 1. Ti-
moth. 1: Fidelis ſermo, & omni acceptione di-
gnus; quia venit Ieſus in hunc mundum, pec-
3 catores ſaluos facere. Tertio, vt oſtenderet ve-
ram virtutem non conſiſtere, niſi in meritis
proprijs, & perſonalibus; vt eleganter tractat
Baſ. Baſil. de ſancto Mamante martyre hom. 26. &
mirum eſt, quod homines in parentum nobili-
tate glorientur, & non in ſua. Tertius hic
verſus habetur etiam 1 Par. 2. Ruth 4. & Num.
26. Cum omni lege, ſcortari vetitum ſit, dica-
turque (Gen. 38:) Fornicata eſt Thamar: nec eam
poſtea Iudas in vxorem cœperit, vel cognoue-
Thamar peccauit. rit, non videtur poſſe à peccato excuſari. Ipſa
ergo ſine dubio peccauit, Dei quidem proui-
dentia, vt ex Iuda Chriſtus oriretur, hoc factum
eſt: non tamen ideo, ex inſtinctu Spiritus ſan-
cti, factum id eſſe, credendum eſt. Quia etiam
ex adultera Berſabee Chriſtus naſci voluit. Tha-
mar itaque de inceſtuoſo, & ſocerino concubi-
Cur Lucas malos tacuit. tu reprehenditur. Lucas malarum mulierum
non facit mentionem: quia Chriſtum vt pecca-
torum expiatorem deſignare intendit.

Not. 4. ver. 6.

RVTH 4. & 1 Par. 2. ſextus hic verſus ha-
betur: Raab dicitur meretrix. Ioſ. 2. & 6. Iac. 2.
Heb. 11. Eiuſdem fit mentio Pſa. 86. Non ta-
Vbi, & cur Raab dicatur meretrix. men ſub nomine meretricis. Porro vbi Raab
dicitur meretrix, Hebræi vocabulum habent,
quod ſignificat, quæ vendit cibum, vt mulier
cauponaria fuerit, meritoriam tabernam exer-
cens; non ſcortum, aut meretrix. Sed quia, teſte
Hieron. in genealogia Chriſti, nulla ſanctarum
mulierum ponitur; credo illam dictionem He-
braicam, etiam ſcortum, meretricem, ſeu for-
nicariam ſignificare. Ex Gentilibus autem
Chriſtus cur naſci ex Gentilibus, & peccatoribus voluerit. naſci Chriſtus voluit, vt oſtenderet ſe etiam ad
ſaluandos Gentiles veniſſe, modo fidelibus ſa-
na fide iungi vellent. Ex Raab quidem, pro-
pter miſericordiam, & humilitatem. Ex Ruth
verò, propter beneuolentiam, & pietatem erga
ſocrum. Item ex alijs peccatoribus, vt ſe non
dedignari peccatores, qui ad meliorem frugem
Cur Matt. peccatores non tacuit. reuertuntur, oſtenderet. Matthæus pec-
catores non tacuit: vt Chriſtum ad peccata no-
ſtra delenda veniſſe diſcamus. Meretricum e-
tiam intulit mentionem: quia ſicut illi coniu-
ges accepêre meretrices; ita Chriſtus fornicatri-
cem hominum naturam ſibi copulauit. Quem-
admodum Booz ob paupertatem, Ruth non
deſpexit; nec ob gentis impietatem exhorruit:
Ita Chriſtus alienam Eccleſiam ſuſcipiens, &
magnorum egeſtate bonorum oppreſſam, con-
ſortio ſuo copulauit. Et ſicut Ruth, niſi prius
cognatos, parentes, gentem, & patriam con-
tempſiſſet, nunquam tali coniugio nobilitata
fuiſſet. Sic Eccleſia non ante fit ſponſo amabi-
lis, quam priorem conuerſationem relinquat.
Ruth Eccleſiæ typum gerens, mater regum ef-
fecta eſt.

Hier. ad Pammachium proœmio in Oſee: Iſta Hier.
meretrix exploratores meos duos fortiſſimos
iuuenes, quorum alterum in circumciſionẽ mi-
ſi, alterum ad gentes, humanitate ſuſcepit, ab-
ſcondit ſtudio, leuauit in tectum, operuit lini
ſtipula. Quæ cæſa perſecutionibus, & lota in
baptiſmate, immutat colorem, & de tetro in
album vertitur.

Not. 5. ver. 7.

AMBR. lib. 3. in Luc: Si igitur Thamar co- Amb.
gnouimus propter myſterium inter Dominicas
generationes eſſe deſcriptam; Ruth quoque ſi-
ne dubio pari ratione minimè prætermiſſam
æſtimare debemus, de qua ſenſiſſe videtur A-
poſtolus ſanctus, cum alienigenarum vocatio-
nem Gentium ſpiritu præuideret per Euange-
lium eſſe celebrandam, dicens quod lex non 1 Tim 1.
ſit iuſtis poſita, ſed iniuſtis. Quomodo enim
Ruth, cùm eſſet alienigena, Iudæo nupſit? Et Vt Iudæo Ruth nupſerit.
qua ratione in Chriſti generatione eius putauit
Euangeliſta copulæ commemorationem eſſe
faciendam, quæ legis ſerie vetabatur? Non er-
go, quod non ex legitima Saluator generatione
manauit, videtur eſſe deforme, niſi ad Apoſto-
licam ſententiam reuertaris, quia lex non eſt
iuſtis poſita, ſed iniuſtis. Hæc enim cum ſit alie-
nigena, & Moabitis, præſertim cùm lex Moyſi
prohiberet has nuptias, Moabitaſque exclude-
ret ab Eccleſia, (Sic enim ſcriptum eſt: Moabi- Deut. 23.
tæ non intrabunt in Eccleſiam Domini, vſque
ad tertiam, & quartam generationem, & vſque
in ſeculum) quomodo intrauit in Eccleſiam,
niſi quia ſancta, & immaculata moribus ſupra
legem facta eſt? Si enim lex impijs, & peccato-
ribus poſita eſt, vtique Ruth, quæ definitionem
legis exceſſit, & intrauit in Eccleſiam, & facta
eſt Iſraëlitis, & meruit inter maiores Dominici Quid Ruth ſignificet.
generis computari, propter cognationem men-
tis electa, non corporis: magnum nobis exem-
plum eſt, quia in illa noſtrum omnium, qui col-
lecti ex gentibus ſumus, ingrediendi in Eccle-
ſiam Domini figura præceſſit. Hanc igitur Ruth in quibus nobis imitanda ſit.
emulemur, vt quia hæc moribus hanc prærroga-
tiuam meruit aſciſcendæ ſocietatis ſuæ, ſicut hi-
ſtoria docet: nos quoque propter morum ele-
ctionem in Eccleſiam Domini meritis ſuffra-
gantibus adlegamur. Etenim cum Iſraëlitas in
diebus Iudicum ſuperioribus fames tempori-
bus vrgeret, à Bethleem ciuitate Iudæ, in qua
natus eſt Chriſtus, abijt vir colere in agro Moab, Ex libro Ruth.
cum vxore, & duobus filijs: Elimelech viro no-
men, mulieri Noëmi. Filij eius acceperunt ſibi
vxores Moabitidas, nomen vni Orpha, & no-
men ſecundæ Ruth: & habitauerunt illic quaſi
decem annis, & mortui ſunt. Sed derelicta mu-
lier à duobus filijs, & viro proprio deſtituta,
cognito

cognito quòd Deus viſitaret Iſraël, regredi domum parans, cœpit ſuadere vt domum propriam repeterent vxores filiorum ſuorum. Vna conceſſit, Ruth verò cum ſocru manſit. Cui cum diceret ſocrus: Ecce iam conſponſata tua ad populum ſuum regreſſa eſt, & ad Deos ſuos, & tu reuertere pariter cum conſponſata tua. Reſpondit Ruth: Non contingat mihi dimittere te, & redire ad Deos meos: quia quocunque tu ieris, ibo tecum: & vbi habitaueris, habitabo: populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus: & vbi mortua fueris, moriar: & vbi ſepulta fueris, ſepeliar. Atque ita duæ peruenerunt in Bethleem. Hos igitur mores, atque hanc ſanctitatem erga ſocrum, pietatem erga defunctum, religionem erga Deum, cum cognouiſſet Booz proauus Dauid, iuxta legem Moyſi, vt ſemen defuncti proximi ſuſcitaret, eam ſibi elegit vxorem. Refert autem aduertere, quòd & in agro pleno meſſis reperta, manipulos (ſicut ſcriptum eſt) colligens, & ſocrui fructus reſeruans, non poſt iuuenem abijt, ſed virum perfectum ſecuta eſt, vnde & meruit audire: quia mulier virtutis es tu, & quia benè feciſti miſericordiam tuam nouiſſimam, plus quàm primam. Nouiſſima enim miſericordia Eccleſiæ congregatæ præſtat priori. Quod breuius hic comprehendi, quia plenius in libris digeſſimus quos de fide ſcripſi. Appropinquauit enim qui longè erat, quia elongauit qui proximus erat; & calceamentum proximi muliere acquiſiuit accepta. Mos enim erat, vt qui proximus erat, ſi nollet accipere in coniugium propinquam ſuam, calceamentum ſuum ſolueret, & alij cederet. In quo non mediocre myſterium, eò quòd is, qui alienigenam in typo ſumpſit, euangelizandi accepit facultatem.

Quid Booz, vt in coniugé Ruth acciperet, mouerit.

Amb. libros de fide ſcripſit.

Calceamẽtum ſoluere, & alij cedere, quid indicet.

Denique in typo has fuiſſe nuptias, teſtatur benedictio ſeniorum dicentium: Det Deus mulierem, quæ intret domum tuam, ſicut Rachel, & ſicut Lia, quæ ædificauerunt vtræque domum Iſraël, & facere virtutem in Effrata, & ſit nomen in Bethleem, & fiat domus tua, ſicut domus Phares, quem peperit Thamar Iudæ. De ſemine tuo det tibi Dominus ex hac puella. Et accepit Booz Ruth, & facta eſt ei in matrimonium, & peperit Obeth patrem Ieſſe, auum Dauid. Rectè igitur ſanctus Matthæus per Euangelium Gentes ad Eccleſiam vocaturus, authorem ipſum Dominum Gentilitiæ congregationis alienigenarum generationem ſecundum carnem aſſumpſiſſe memorauit: vt iam tunc eſſet indicium, quòd illa generatio ederet Gentium vocatorem, quem ſequeremur omnes ex alienigenis congregati, relinquẽtes paternam domum, & dicentes ei, qui nos ad Dei cultum vocaret, verbi gratia Paulo, aut cuicunque Epiſcoporum: Populus tuus, populus meus: & Deus tuus, Deus meus. Ergo Ruth ſicut Lia, & Rachel oblita populum, & domum patris ſui, ſoluens vinculum legis, ingreſſa eſt in Eccleſiam. Soluit autem calceamentum, qui non accepit Eccleſiam. Et Moyſi dicitur: Solue calceamentum pedum tuorum: ne ipſe ſponſus Eccleſiæ crederetur. Solus ille non ſoluit, qui verus eſt ſponſus. Et ideo dicit Ioannes: Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius. Ergo & hic typus eſt eò quòd ædificaret domũ Iſraël. Quod verò cõmemoratio eius Dominicæ proſapiæ fuerit inſerenda, declarat myſterij altioris expreſſio, qua Prophetatum eſt ex genere eius in Effrata Chriſtum eſſe generandum, cum dicitur: Det tibi Dominus facere virtutem in Effrata, & ſit nomen in Bethleem. Quæ eſt enim virtus, niſi quæ per Chriſtum gentium populos congregauit? Quod autem nomen, niſi illud quod Bethleem patria Domini ſecundum carnem naſcentis eſt facta? Vnde per Prophetam dictum eſt: Et tu Bethleem Iudæ, non es minima inter principes Iuda. Ex te enim exiet princeps, qui regat populum meum Iſraël. Videmus igitur mulierum commemorationi hiſtoriam, moribus myſterium conuenire.

Matt. cur Gentiles non taceat.

Exod. 3.

Mat. 1.

Mich. 5.

Neque tamen abnuo, cùm Thamar, & Ruth defendo, peccatores, quoque inter maiores Dominici generis computatos: quorum commemorationem ſanctus Lucas declinare deſiderans, alium quendam ſucceſſionum ordinem tenuit. Neque enim Achab, neque Iechoniam, neque poſtremo Vriæ vxorem nominandos putauit, vt immaculatam ſacerdotalis generis ſeriem declararet. Sed vt illi talis conſilij ſui ratio ſubſiſtit, ita etiam ſancti Matthæi conſilium à ratione iuſtitiæ non abhorret. Nam cùm euangelizaret Dominum ſecundum carnem de Zara eſſe generatum, qui omnium peccata ſuſciperet: ſubiectum iniurijs, ſubditum paſſioni: ne huius quidem putauit exortem aſſerendum eſſe pietatis, vt maculatæ quoque originis non recuſaret iniuriam: ſimul ne puderet Eccleſiam de peccatoribus congregari, cùm Dominus de peccatoribus naſceretur. Poſtremò vt beneficium redemptionis etiam à ſuis maioribus inchoaret, ne quis putaret originis maculam impedimento poſſe eſſe virtuti: nec ſe inſolens de ſui generis nobilitate iactaret, neue parentum crimina verecundior erubeſceret, cui obumbrandæ originis facultas daretur, flore virtutis.

Peccatores in Chriſti genealogia ponuntur.

Cur Lucas peccatores omittat.

Matt. cur etiam malos ponat.

Verſus iſte 7. habetur Ruth 4. & 1 Par. 2. Hier. ad Pammachium proœmio in Prophetam Oſee dicit cur Ruth trãſlata ſit à pedibus ad caput. De eadem Ruth habet etiam ep. ad Pauli. & Eſa. 16.

Hiere.

Not. 6. ver 8.

AVGVST. lib. 1. de conſen. cap. 3: Dauidem communiter tenuerunt Matthæus, & Lucas; ille à quo per Salomonem deſcenderet; iſte ad quem, per Nathan aſcenderet: Dauid quanquam apertè Rex fuit, figurauit tamen & ſacerdotis perſonam, quãdo panes propoſitionis manducauit, quos non licebat manducare, niſi ſolis ſacerdotibus.

Auge.

Luc. 3.

1 Reg. 21.

Matt. 12.

Not. 7. ver. 9.

AMBROS. lib. 5. in Luc: Hic quoque aliqui ſolent

Amb.

ſolent ſerere quæſtiones, quod Matthæus ab Abraham vſque ad Chriſtum quadraginta duas generationes enumerauerit, Lucas verò quinquaginta: & quod per aliquas perſonas Matthæus, per alias Lucas generationem manaſſe deſcripſerit: in quo iam illud poteſt probari, quod diximus, quia cùm alios Matthæus maiores Dominici generis, alios verò Lucas in ordine generationis texuerit: ab Abraham tamen, & Dauid reliquos authores generis vterque ſignauit. Quod verò per Salomonem Mattheus generationem deriuandam putauit, Lucas verò per Nathan, alteram regalem, alteram ſacerdotalem Christi familiam videtur oſtendere. Quod non ita accipere debemus, quod alterum altero verius, ſed alter alteri pari fide, & veritate concorder. Fuit enim verè, & ſecundum carnem regalis, & ſacerdotalis familiæ. Rex ex regibus, ſacerdos ex ſacerdotibus: licet oraculum non de carnalibus, ſed de cœleſtibus exprimatur: quoniam & rex in Dei virtute lætatur, cui iudicium à patre Rege defertur, & ſacerdos eſt in æternum, ſecundum quod ſcriptum eſt: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Bene igitur vterque tenuit fidem, vt Matthæus per Reges ductam originem comprobaret, & Lucas per ſacerdotes à Deo tranſmiſſam in Chriſtum ſeriem generis deducendo ſanctiorem ipſam originem declararet. Simul in hoc quoque vituli figura ſignatur, quòd vbique ſacerdotale myſterium putat eſſe ſeruandum. Nec mireris ſi ab Abraham plures ſecundum Lucam ſucceſſiones vſque ad Chriſtum ſunt, pauciores ſecundum Matthæum, cùm per alias perſonas generationem fatearis eſſe decurſam. Poteſt enim fieri vt alij longæuam tranſegerint vitam, alterius verò generationis viri immatura ætate diſceſſerint: cum videamus complures ſenes cum ſuis nepotibus viuere, alios verò viros ſtatim filijs obire ſuſceptis.

Cur Matt. per Salomonem, & Lucas per Nathan.

Habet etiã Aug. l. 2. de conſ. ca. 2. & 3. vtram que dignitatem, regiam, & ſacerdotalẽ, Chriſto conuenire.

Pſal. 109

Lucæ cur vitulus aſſignetur.

Cur plures ſint Chriſti progenitores in Luc. quam Matt.

An verò ſanctus Dauid, licet multa eius in myſterium figurentur, non eò præcelſior, quod hominem ſe eſſe cognouit, & commiſſum ſuper abrepta Vriæ vxore peccatum pœnitentiæ putauit lachrymis abluendum, oſtendens nobis neminem virtuti propriæ debere confidere? habemus enim aduerſarium magnum, qui vinci à nobis ſine Dei fauore non poſſit. Et plerumque illuſtribus, & beatis viris grauia peccata fuiſſe reperies, vt quaſi homines tentationi patuiſſe cognoſcas, ne virtutibus egregijs plus quam homines crederentur. Si enim Dauid, qui præſumptione virtutis elatus dixerat: Si reddidi retribuentibus mala mihi. Et alibi: Ego autem dixi in mea abundantia, non mouebor in æternum: ſtatim inſolentiæ huius pœnam ſe ſubiſſe memorauit, dicens: Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus: ſi ipſe Dominici generis author inſolentiæ excepit offenſam, quantò magis nos cæteri peccatores, quibus nulla ſuffragatur prærogatiua meritorum, inſolentiæ ſcopulum timere debemus, in quo naufragium ſit bonorum: præſertim cum tantus vir nobis, & magiſterij author ſit, & exempli, qui quaſi palinodiam quandam ad repropitiandum Dominum in poſterioribus canendam putauit, dicens: Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Et: Dominus à dextris meis, ne commouear. Sciuit enim quando ſe ſibi credidit, eſſe lapſum. Denique nihil aliud eſſe in homine deſignauit, niſi quia Deum nouit. Sic enim habes: Quid eſt homo quod innotuiſti ei, aut filius hominis, quia computas eum? Si ergo Dauid inſolentiam damnat, humilitatem induit, rectè in hiſtoria vxoris Vriæ magiſterium iſtud affectandæ humilitatis adſciſcitur. Et tamen ſi ex ea natus eſt ille pacificus Salomon, videamus ne fortè myſterium ſit quòd ſublato eo de medio, qui antè coniugio ſuo plebem gentium vindicabat, alij Eccleſia viro nupſerit vero Dauid. Dauid enim vocatus eſt Chriſtus, in parentis nomen adſcitus: iuxta quod ſcriptum eſt: Inueni Dauid ſeruum meum cui nupſit Eccleſia, quæ verbi ſemine, & ſpiritu Dei plena, Chriſti corpus effudit, populum ſcilicet Chriſtianum. Eſt ergo mulier, quæ viuente viro alligata eſt legi: & ideo mortuus eſt vir eius, vt non eſſet adultera ſi eſſet cum alio viro. Myſterium igitur in figura, peccatum in hiſtoria; culpa per hominem, ſacramentum per verbum. De qua hiſtoria quoniam alibi plenius diximus, hic tranſcurrendum videtur. Meritoque ſanctus Dauid de hac hiſtoria myſticum pſalmum quinquageſimum ſcripſit propter Bethſabeæ nuptias, dicens: In plurimum laua me ab iniuſtitia mea, & à delicto meo munda me. Si iniquitatem ſuam Dei amicus cognoſcit, & meritis ſuis obſtare delictum, ſi denique Deo ſe peccaſſe confitetur: cur tu de confeſſione criminis erubeſcas, cùm criminis commentum, non confeſſio ſit pudori? Ergo cum Dauid Bethſabeæ hiſtoriam non prætermiſerit in ſuis pſalmis, vt in ea vel myſterium, vel actum perfectæ pœnitentiæ nos doceret, iure videmus etiam in generationibus Dominicis non prætermiſſam: quia & ipſe Dauid, qui eam accepit in vxorem ſibi, generationis Dominicæ ſecundum carnem præceſſor aſſeritur. Cuius ſpeciale (vt diximus) meritum fuit, vt Eccleſiæ in hoc myſterio videret exortum, & acciperet oraculum, quod ex ſuo Chriſtus genere naſceretur. Alterum enim ad Eccleſiam pertinet, quod dixit: Ecce audiuimus eam in Effrata, inuenimus eam in campis ſyluæ. Alterum ſpecialiter ad Dominici corporis ſuſceptionem: quod oraculo maniſeſtiſſimo reuelatur, cum dicitur: Ex fructu ventris tui ponam ſuper ſedem meam. Noli tamen tanto negligens eſſe promiſſo: non enim ſine definitione datum eſt; Sed ſi cuſtodieris teſtamentum, & teſtimonia ſeruaueris Domini, quæ in Euangelio ſe pollicetur eſſe dicturum: tibi quoque copia ſedis patebit æternæ. Hæc de vxore Vriæ.

De peccato Dauidis.

Pſal. 7

Pſal. 29

Pſal. 130

Pſal. 15

Pſal. 143

Pſal. 88

Pſal. 50

Peccatũ confitendũ.

Quæ in hiſtoria Bethſabeæ conſiderãda ſint.

Pſal. 131

Ibidem

Greg. lib. 3. Moral. cap. 21: Sic plerumque res quælibet per hiſtoriam virtus eſt, per ſignificationem

Greg.

ficationem culpa; ſicut aliquando res geſta in facto cauſa damnationis eſt, in ſcripto autem prophetia virtutis. Quod verum citius oſtendimus, ſi vnum ſacræ ſcripturæ teſtimonium ad vtraque probanda proferamus. Quis namque audiens non ſolum fidelium, ſed ipſorum quoque infidelium non omnimodo deteſtetur, quod Dauid in ſolario deambulans, Berſabeæ Vriæ concupiſcit vxorem? &c.

Dauidis peccatum eſt prophetia.

Berſabeę proprio nomine nō ponitur, ſed ex viri nomine deſignatur: primo, ob eius peccatum: fuit enim adultera, & forte homicidij conſcia. Secundo, vt nominato viro, vtrumque Dauidis peccatum ad memoriam reuocaretur.

Nomen Vriæ cur potius quā Berſabeæ exprimatur.

Tho.in cate.Matt.1.ex Remig.& Raba: Quærendum eſt autem, quare Euangeliſta Berſabeæ proprio nomine non nominauit, ſicut cæteras mulieres? quod ideo eſt, quia cæteræ mulieres quamuis reprehenſibiles fuiſſent; tamen laudabiles erant virtutibus. Berſabeæ vero non ſolum fuit conſcia adulterij, ſed etiam homicidij mariti ſui: Et ideo proprio nomine eam non nominauit in genealogia Domini. Et ex Gloſſa: Tacet etiam nomen Berſabeæ, vt nominando Vriam reducat ad memoriam illud maximum ſcelus, quod in eum fecit Dauid.

Tho. Remi. Rab.

Gloſ.

Not. 8. ver. 11.

Hiero. Matt.1: In quarto Regum volumine legimus, de Ioram, Ochoziam fuiſſe generatum; quo mortuo, Ioſabeth filia regis Ioram, ſoror Ochoziæ, tulit Ioas filium fratris ſui, & eum internecioni, quæ exercebatur ab Athalia, ſubtraxit. Cui ſucceſſit in regnum filius eius Amaſias. Poſt quem regnauit filius eius Azarias, qui appellatur & Ozias, cui ſucceſſit Ioatham filius eius. Cernis ergo quod ſecundum fidem hiſtoriæ, tres Reges in medio fuerint, quos hic Euangeliſta prætermiſit. Ioram quippe non genuit Oziam, ſed Ochoziam, & reliquos quos enumerauimus. Verum quia Euangeliſtæ propoſitum erat tres teſſaradecades in diuerſo temporum ſtatu ponere, & Ioram generi ſe miſcuerat impijſſimæ Iezabel, idcirco vſque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in ſanctæ natiuitatis ordine poneretur.

Hier.

Cur tres Reges omittantur.

Idem habet Hilar. can. 1. in Matt. vt videre licet 8. & 9. lectione die 12. Sept. & Chryſoſt. Ioram genuit Oziam, non quidem immediate: ſed intermedijs tribus omiſſis; nimirum Ochoſia, Ioas, & Amaſia. Eo quod impijſſimæ alienigenæ ſanguini adhæſiſſent. Ioram enim genuit Ochoſiam ex Athalia peſſima muliere, filia Achab, & Iezabel. Pergit ergo Matth. in narratione, tribus illis omiſſis. Ozias fuit etiam appellatus Azarias, vt notat Epiph. hære. 8. & Hiero. hac not. De his vide lib. 4. Reg. cap. 8. 11. 13. 14. 15. & lib. 2 Paral. cap. 21. 1 Par. 3. Aliqui dicunt tres hic Reges omiſſos, quod eorum impietas continuata fuerit, & perſeuerans: Thom. par. 3. quæſtion. 31. artic. 3. ad 4. addit alios Reges fuiſſe quidem malos; ſed in impietate non perſeueraſſe. Tamen Aug. ſuper tit. Pſ. 126. dicit Salomonem eſſe reprobatum. Quorundam opinio eſt, in Ochozia defeciſſe lineam Salomonis; & hic Matthæum ad lineam Nathan diuertiſſe.

Hilar. Chryſoſt.

Cur tres Reges omittantur.

Oziæ nomina Epiph. Hier.

Tho.

Aug.

Salomon an ſit reprobatus.

Not. 9. ver. 12.

Epiph. hære. 8: In temporibus autem Ezechiæ, & Achaz, captiuæ ductæ ſunt tribus ex Iſrael, in fines Medorum.

Epiph. Quo, & quando decem tribus ſint abductæ.

Ver. 13.

De Ioſia pio Rege, 4. Reg. 21. 22. 23. 2. Par. 33. 34. 35. eius natiuitas prædicta eſt 3. Reg. 13. legis librum legit, Paſcha celebrat. A ſagittarijs vulneratus moritur. Lugetur. Ioachaz ei ſuccedit. Deo placuit. Ioſias tres filios habuit, nempe Ioachaz, Eliacim, & Matthaniam. Patri mortuo ſucceſſit Ioachaz: qui valde parum regnauit: quoniam à Pharaone in Ægyptum abductus eſt. Cuius loco Eliacim, ab eodem Ægypti Rege, Rex ordinatus eſt; & Ioacim vocatus: quem Euangeliſta Iechoniam appellat. Eo mortuo regnauit Ioachin filius eius: quem Iechoniam ſecundo loco Matth. nominat. Hunc Nabuchodonoſor in Babylonem abduxit, & pro eo Mathaniam eius patruum Regem conſtituit.

De Ioſia.

Hiero. in cap. 1. Sopho: Extremum regnum duarum tribuum, quæ vocabantur Iuda, & Beniamin, ſub Ioſia fuiſſe, nulli dubium eſt. Illo enim interfecto, filij eius, qui poſtea regnauerunt, & nepotes, non tam regnaſſe credendi ſunt, quam ludibrio habiti fuiſſe ab Ægyptio Rege, & Chaldæis; & varijs captiuitatibus, mortibuſque cruciati.

Hier. Vt regnum in Ioſia defecerit.

Not. 10. ver. 14.

Iechonias dictus eſt Eliacim, & Ioacim: & poſt patrem ſecundo loco regnauit. Fratres Iechoniæ Matthæus ponit, vel quia omnes diuerſis temporibus regnauerunt; quod in alijs regibus non acciderat: vel quia eorum & iniquitas, & miſeria ſimilis fuit. Thom. par. 3. quæſt. 31. ar. 3. ad 5. vel quia ſucceſſio non eſt nata ex eo, qui primo fuit Rex; ſed ex ſecūdo. 4. Reg. 23. 24. 25. In tranſmigratione, id eſt, ipſa imminente. Hæc enim tranſmigratio, nec viuente Ioſia, nec viuente Ioacim ſecundo eius filio, contigit: verum ſub Ioachin, filio Ioacim, & nepote Ioſiæ, facta eſt. Proinde ante hanc tranſmigrationem, ea tamen imminente, filios ſuos, & Ioſias, & Ioacim genuerat.

Iechoniæ prioris nomina. Cur Iechoniæ fratres nominentur.

Tho.

Quomodo intelligatur, in tranſmigratione.

Epipha. hæreſi 8: Genuit Ioſias Iechoniam, qui & Zelum appellatur, itemque Amaſias dicebatur. Hic verò Iechonias genuit Iechoniam appellatum Sedechiam, & Ioacim. Et nemo de hoc ambigat: imo potius miretur exactam rationem hoc loco vtiliter ſtudioſis expoſitā, qui Chriſtianæ doctrinæ gratia, ſincera exemplaria contingere volunt. Qui ſanè ſtatim cum vtilitate beneuoli eſſe cogentur, vbi lucrati fuerint dictum hoc, quod à quibuſdam indoctis rerum Euangelicarum ad ambiguitatem, velut emendandi gratia, deletū eſt. Nam cùm ſanctus

Epiph. Iechoniæ prioris nomina.

Vt aliquē textus Matt. hic ſint corrupti.

Matthæus

Matthæus trifariam enumeret generationes, & ab Abraham, vſque ad Dauid recenſeat quatuordecim generationes: duo priores numeri, clari reperiuntur, nullum defectum habentes: ad Iechoniam enim tempora continent. Verum tertius numerus non item quatuordecim generationum reperitur, vt iuxta ſucceſſionem, nominum complementum habeat: ſed decem, & trium. Nam aliqui Iechoniam cũ altero Iechonia reperientes, numerum duplicatum eſſe putauerunt. Non erat autem duplicatio; ſed numerus clarus. Ex nomine enim patris, filius nominatus fuit Iechonias Iechoniæ. Itaque detracto, pro pietatis ſtudio, vno nomine, ex ignorantia huc delati, defectuoſum fecerunt propoſitum argumentum, iuxta numeri quatuordecim nominum promiſſionem, & multi experimenti habitum corruperunt. Fit itaque hinc à tempore Iechoniæ captiuitas in Babylonem.

Duo ſunt Iechoniæ.

Tranſmigratio Babylonica ſub ſecundo fit Iechonia.

Euthym. Matt. 1: Et quidem hos ante Iudæorum in Babyloniam tráſmigrationem Ioſias genuerat. Reliquum eſt ergo, vt; in tranſmigratione; capiatur pro eo quod eſt, circa tempus tranſmigrationis. Meminit quoque fratrum eius: eo quod omnes ipſi ſimiliter regnauerunt, & pariter à Nabuchodonoſor captiui in Babylonem tranſlati ſunt.

Eut.

Thom. in catec. Matth. 1. ex Remig: Quæri poteſt quare dicat Euangeliſta eos natos in tranſmigratione, cum nati fuiſſent antequam tranſmigratio fuerit facta? Ideo autem dicit hoc, quia ad hoc nati ſunt, vt de regno totius populi, pro ſuis, & aliorum peccatis captiui ducerentur: & quia præſcius erat Deus eos eſſe ducendos captiuos, idcirco dixit eos natos in tranſmigratione.

Tho. Remi.

Not. 11. ver. 15.

Iechoniæ ſecũdi nomina, & quomodo ſterilis fecit.

IECHONIAS dictus eſt etiam Ioachim, & filius erat Ioacim, ſeu Ioakim, nepos Ioſiæ; qui poſt patrem regnauit, & captiuus in Babylonem ductus eſt. Hic Hier. 22. vocatur Iechonias, & ſterilis; & dicitur quod nemo de ſemine ipſius, honore ſeculari amplius regnabit. Prophetia autem illa Hier. 22. naſcituros ex Iechonia poſteros, minimè negat: nam ex eo Chriſtum, & Mariam, cum alijs, eſſe natos, patres aliqui teſtantur: ſed tantum quod filij eius temporaliter non regnarent. Chriſti verò regnum, de hoc mundo non erat. Iſte Iechonias prioris Iechoniæ filius erat: duo enim ſunt. Cur ergo non dicitur etiam; Iechonias autem genuit Iechoniam: Quemadmodum reliqui omnes, inter Abraham, & Ioſeph medij, & geniti, & genuiſſe dicuntur?

Duo Iechoniæ.

Aug. lib. 2. de conſ. cap. 4. dicit vnum, & eundem eſſe Iechoniam, qui ponitur in fine ſecundi quaterdenarij, & in principio tertij: ad ſignificandum, quod in Iechonia facta ſit quædam deflexio ad gentes extraneas, cum in Babyloniam tranſmigratum eſt. Quod præfigurabat Chriſtum à circũciſione migraturum ad præputium. Idem ſentire videtur Greg. paulo inferius.

Aug.

Duo Iechoniæ.

Greg.

Hiero. autem duos fuiſſe dicit, patrem, & filium. Sic etiam Epiph. & alij. Idque melius.

Hier. Epiph.

Hiero. Matth. 1: Si voluerimus Iechoniam in fine primæ teſſaradecadis ponere, in ſequenti non erunt 14. ſed 13. Sciamus igitur Iechoniam priorem, ipſum eſſe, quem & Ioakim: ſecundum autem filium, non patrem; quorum prior per k. & m. ſequens per ch. & n. ſcribitur; quod ſcriptorum vitio, & longitudine temporum, apud Græcos, Latinosq́; confuſum eſt. Et in cap. 22. Hiere: oritur quæſtio, quomodo ſtare poſſit prophetia, de ſtirpe eius nullũ eſſe generatum, qui ſederit ſuper thronum Dauid, nec princeps fuerit vltra in Iuda, cum Dominus, atque Saluator de huius natus ſit ſemine, ſuper cuius ortu loquitur Gabriel ad Mariam: Ecce concipies in vtero, &c? poſſumus ergo hoc dicere, quoniam illud, quod deeſt in 70. videlicet: in diebus eius non proſperabitur, ſiue non creſcet; ignorantibus fecerit quæſtionem, &c. Reſpondeamus igitur quod in diebus Iechoniæ nõ ſucceſſerit ei vir, qui ſederit ſuper thronum eius; ſed multo poſt tempore, de ſemine eius natus ſit, qui ſolium eius obtinuerit. Poteſt autem & ſic ſolui; non ſedebit quidem ſuper thronum Dauid vir, & homo; ſed ſedebit Deus; regnumq́ue eius non erit terrenum, & breue, vt fuit Dauid, ſed perpetuum, atque cœleſte, dicente Scriptura: Regnabit ſuper domum Iacob in æternum, &c. Natus eſt ergo de Ioakim Iechonias, de Iechonia Salatiel, de Salatiel Zorobabel, & per ordinem venitur ad Chriſtum, &c. Et in cap. 1. Dan: Nemo putet eũdem in Daniel. principio eſſe Ioakim, qui in Ezechielis exordio Ioachin ſcribitur. Iſte enim extremam ſyllabam, kim, habet: ille, chin. Et ob hanc cauſam in Euangelio ſecundum Matt. vna videtur deeſſe generatio, quia ſecunda theſſaradecas in Ioakim deſinit filio Ioſiæ, & tertia incipit à Ioachin filio Ioakim. Quod ignorans Porphyrius calumniam ſtruit Eccleſiæ, ſuam oſtendens imperitiam, dum Euangeliſtæ Matthæi arguere nititur falſitatem.

Hier.

Duo ſunt Iechoniæ.

Hier.

Luc. 1.

Hier.

Duo ſunt Iechoniæ.

Greg. lib. 28. Moral. cap. 5: Huius lapidis (angularis) typum Iechonias Rex tenuit, quem Matthæus dum quaterdenas generationes deſcriberet, ſecundo numerauit. Quem enim fini ſecundæ, ipſum rurſum initio tertiæ generationis inſeruit. Ipſe namque in Babyloniam cum Iſraelitica plebe migratus eſt, qui dum ab alijs ad alia ducitur, pro vtriuſque parietis latere, non immerito ſecundo numeratur. Cuius migrationis flexu angularem lapidem deſignat. Vbi enim ordo à rectitudine flectitur, vt eat in diuerſum, tanquam angulum facit. Rectè ergo numerari bis potuit, quia per vtrumque parietem quaſi duo in ſe latera oſtendit. Vnde & eius benè imaginem tenuit, qui in Iudæa ortus, gentilitatem colligens, quaſi ab Hieroſolymis Babyloniam venit; atque hanc in ſemetipſo fidei fabricam prius diſcordiæ ſtudio ſciſſam, arte caritatis intexuit.

Greg.

Iechonias eſt typus lapidis angularis.

Cur bis Iechonias ponatur.

Amb. lib. 3. in Luc: De Iechonia ſatis idoneus author eſt Hieremias maximi reum eſſe delicti:

Amb.

In Iechonia regnũ Iudæorũ defecit. Hier. 22.

cui etiam quod habuit, nomen eripuit. Et ideo qui Ioachim in Regnorum libris dicitur, Iechonias ab Hieremia eſt nominatus, dicente eo: Abiectus eſt Iechonias vt vas, non eſt vſus in eo, propter quod proiectus eſt ipſe, & ſemen eius. Terra, terra, audi verbum Domini, ſcribe virum iſtum abdicatum, quia non exurget ex ſemine eius ſedens in throno Dauid princeps adhuc in Iuda. Eo enim regnante Iudæam Babylonij vaſtauerunt. Neque poſtea vnquam de ſemine eius regnum quiſquam in Iudæa potuit obtinere. Poſtea enim populus de captiuitate dimiſſus, ſub Sacerdotibus, & Tetrarchis fuit. Vnde etiam vſque ad Chriſti generationem manſere Tetrarchæ, ne ipſi quidem, quantum hiſtoria docet, regalis dignitatem generis reſeruantes. Fertur enim ab his, qui ſiue argumentati, ſiue ſimpliciter docentes, ſiue verè aſtruentes tradiderunt nobis: quia Idumæi latrones Aſcalonem vrbem Paleſtinæ ingreſſi, de fano Apollinis quod vicinum muris erat, Antipatrum Herodis cuiuſdam Hieroduli filium inter alios abduxere captiuum, quem pater redimere propter paupertatem nequiuit. Is igitur imbutus diſciplinis, & myſterijs Iudæorum, Hircano Iudææ Regi amicitia copulatur, quem pro ſe ad Pompeium Hircanus legatum direxit: & quia legationis fructu potitus eſt, per eam gratiam partem regni affectauit. Occiſo autem Antipatra propter felicitatis inuidiam, filius eius Herodes poſtea ſub Antonio ſenatuſconſulto Iudæis regnare præceptus eſt. Cuius Herodes filius, & alij Tetrarchæ. Quod ideo ex Græcorum hiſtorijs putauimus transferendum, vt clareat Herodem nullo affinem generi Iudæorum, regnum adulterina fraude quæſiſſe. Denique conſcius ignobilitatis ſuæ, ne qua poſteris ſuis, vel de præſcripto veteri quæſtio moueretur, ſcripturas eorum incendit: exiſtimans quòd ſi indicia de publico ſuſtuliſſet, nullis alijs teſtimonijs clarere poſſet, quin de Patriarcharum, vel proſelytorum veterum genere emanaret. Sed, vt pleraque curæ humanæ ſunt, cognitioni hoc, & indagini veritatis præiudicare non potuit. Ne nobis tamen poſſit præiudicare, videamus, qui veri, regaliſque generis dicimus Chriſtum, & per veros, & nobiles Reges actum Domini genus. Sed vbi adulterina regnum affectauit propago, ſucceſſionem nobilitatis ſuæ, non potentiæ, ſed generationis ordo ſeruauit. Tamen ipſum Regem ſecundum honorem ſeculi non accipimus Chriſtum. Quomodo ergo ex fructu ventris tui ponam ſuper ſedem meam? Quomodo & Angelus de eo dicit, quòd dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum? Quomodo ergo regnare promittitur, nec oſtenditur? Aut quomodo ex ſemine Iechoniæ nullus regnaturus dicitur per Prophetam? Si enim Chriſtus regnauit, ex ſemine autem Iechoniæ Chriſtus eſt, Propheta mentitus eſt, mentita ſunt & oracula. Sed illic futuros ex ſemine Iechoniæ poſteros non negatur, & ideo de ſemine eius eſt Chriſtus: & quod regnauit Chriſtus, non contra prophetiam eſt. Non enim ſeculari honore regnauit, nec in Iechoniæ ſedibus ſedit, ſed regnauit in ſede Dauid. Verum cùm ipſe Iechonias Dauid ſederit ſedem, quẽadmodum ſoluitur quod dictũ eſt, quia Dauid ſedem Iechoniæ poſteri non ſederunt, cùm eadem ſedes fuiſſe videatur amborum? Itaque & nos ſedem Dauid fuiſſe negare non poſſumus: non eandem tamen Regis Dauid ſedem Chriſtus, quam Iechonias ſedit: imò nec quiſquam alius ex genere Dauid ſedem eius potuit ſedere, quam Chriſtus: quia nec in aliquo alio ſemen eius æternum eſt, ſed in Chriſto, ſicut Deus ipſe reſeruauit, dicẽs: Semel iuraui in Chriſto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit, & ſedes eius ſicut ſol in conſpectu meo. Quem igitur dicit hic? Non Salomonem vtique, non Roboam, non Nathan, ſed illum de quo ſolo poteſt dicere: Ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. Ipſe inuocabit me, Pater meus es tu, & ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cœli. Non vtique hunc thronum Salomon ſedit, non Roboam, nec Iechonias. Vis ſcire qui ſederit? Is eſt de quo dicit Angelus ad Mariam: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum: Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius nõ erit finis. Si Angelo non credis, ipſi ſaltem Domino crede dicenti: Tu dicis, quia ego Rex ſum.

Herodis regnũ non fuit legitimum.

Pſal. 88.

Ibidem.

Ioan. 18.

Not 12. ver. 19.

Damaſci Ioſeph eſſe Dauidis filium.

DAMASC. lib. 4. de Fide c. 15: Quod Ioſeph ex Dauidica tribu originem duxerit, ſanctiſſimi Euangeliſtæ Matthæus, & Lucas liquido demonſtrarunt. Verum hoc inter eos diſcriminis eſt, quòd Matthæus ex Dauide per Salomonem Ioſephum deducit: Lucas autem per Nathan. At verò ſanctæ Virginis ortum, vterque ſilentio prætterijt. Quocirca ſcire operæpretium eſt, nec apud Hebræos, nec apud ſcripturam ſacram, hoc in more poſitum fuiſſe, vt mulierum genus recenſeretur. Verùm hoc demum lege cautum erat, ne tribus vlla vxores ex altera tribu acceerſeret. Ac proinde Ioſeph, qui ex tribu Dauidica ortum trahebat, iuſtitiamq; colebat (hanc enim laudem ei tribuit diuinum Euangelium) ſanctam Virginem haudquaquam præter legis præſcriptum deſpondiſſet, niſi ex eodem ſceptro genus duxiſſet. Ob idque ſatis habuit Euangeliſta demonſtraſſe, vnde Ioſeph ortum traxerit. Quin illud quoque ſciendum eſt, quod lege ſancitum erat, vt ſi quiſpiam ſine liberis è vita deceſſiſſet, ipſius frater vxorem mortui in matrimonium acciperet, ac fratri ſemen excitaret. Ita, quod in lucem edebatur, natura quidem ſecundi erat, hoc eſt, eius, qui genuerat: ſi autem legem ſpectes, eius, qui mortem obierat. Igitur ex ſtirpe Nathan, filij Dauid, Leui genuit Melchi, & Pantherem. Pantherautem genuit Barpantherem (nam ita vocabatur.)

Quomodo Ioſeph ex Dauide per Salomonem, & Nathan deſcendat.

Mulierum genus in Scriptura recenſeri non ſolet.

ca. 7. ver. 2.

Ioſeph, & Maria ex eadẽ tribu, & familia orti ſunt.

Vt Ioſeph filius Iacob, & Helĩ fuerit.

Genealogia Ioachim.

Lucas tamẽ ait Leui fuiſſe filiũ Melchi. An Dam. poſuiſſet Melchi pro Mathat?

cabatur.) Barpanther rurſus genuit Ioachim, Ioachim denique genuit ſanctam Dei genitricem. Rurſus ex ſtirpe Salomonis filij Dauid, Mathan, ex vxore ſua, genuit Iacob. Mortuo autem Mathan, Melchi ex tribu Nathan, filius Leui, ac frater Pātheris, vxorem ipſius Mathan, quæ etiam Iacobi mater erat, matrimonio ſibi copulauit, atque ex ea genuit Heli. Ita vterini fratres erant Iacob, & Heli, ille nimirum ex tribu Salomonis, hic ex tribu Nathan oriundus. Porrò Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis liberis ſuſceptis è vita migrauit: eaque de cauſa Iacob ipſius frater, qui ex tribu Salomonis fluxerat, ipſius vxorem accepit, fratrique ſuo ſemen excitauit, ac Ioſephum progenuit. Ioſeph itaque natura quidem filius Iacob erat, à Salomone oriundus: Legis autem ratione, patrem habebat Heli, ex Nathan oriundum. Quæ cum ita ſint, Ioachim lectiſſimam illam, ac ſummis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio ſibi copulauit.

Ioachim de ſtirpe Nathan pater Deiparæ.

Anna vxor Ioachim.

Euſeb. Matthæi, & Lucæ de Chriſti genealogia conſonantia.

Euſeb. lib. 1. hiſtoriæ cap. 7: Quoniam autem Matthæus, & Lucas, in ſuis Euangelijs Chriſti genealogiam varia ratione, & modo nobis tradiderunt, & ob eam cauſſam à pleriſque plurimum inter ſe diſſidere putantur (in quorum locorum explanationem, fidelium quiſque veritatis ignoratione adductus, ſuo marte aliquid commentari magnopere elaborauit) de his hiſtoriam ad noſtram vſque ætatem ductam in medio ponamus. Quam quidem Aphricanus (cuius paulò antè mentio facta eſt) in epiſtola ad Ariſtidem, de Euangeliorum conſenſu ſcripta, dilucidè commemorat: reliquorum opiniones non modò tanquam vim veritati inferentes, verum etiam falsò conſictas eſſe commonſtrat: hiſtoriam autem, quam ipſe acceperat, his ipſis verbis refert. Quoniam generū, & familiarum nomina inter Iſraelitas, aut natura, aut lege enumerari ſolent: natura, cum proles ex germano parentum ſemine orta ſuccedit: lege autem, cū alter filium procreat in nomen fratris ſui, qui abſque liberis exceſſerit è vita (nam quia nondum certa, & indubitata reſurrectionis ſpes eorum animis penitus inſidebat, idcirco futuram reſurrectionis promiſſionem in hac mortali, & caduca reſurrectionis ſpecie, imitatione quadam adumbrarunt, quo nomen eius, qui vitam cum morte commutauerat, non prorſus ex omni memoria deleretur) & quoniam etiam illorum, qui in iſta genealogia introducuntur, alij vere, & ingenuè ſucceſſerūt, vt filius patri: alij ab alijs procreati, aliorum nomen adepti ſunt: idcirco vtrorumque fit mentio; & illorum, qui verè genuerunt, & horum, qui quodammodo eos genuiſſe dicuntur. Et ob eam cauſam neutrum ex Euangelijs eſt ementitum, cum alterum naturam, alterum legem percenſeat. Genera enim, tum quæ à Salomone, tum quæ à Nathan ducta ſunt, in ſobole ſuſcitanda pro his, qui liberis caruerunt (quód quidem ſecundis nuptijs, & renouatione ſeminis fit) ita confunduntur, vt non ſine cauſa ijdem liberi interdum diuerſorum patrum putentur: tum horum, qui opinione; tum illorum, qui verè patres extiterunt. Ita efficitur, vt vtraque genealogię declaratio, re ipſa, & propriè vera cùm ſit, licet varia quidem, & diuerſa, accurata tamē, & exquiſita ratione gradatim deſcendat. Verum vt quòd oratione propoſueram, planius fiat, & apertius, ipſam generum, & familiarum ſeriem perſequar.

Afric.

Genealogiarum explicatio.

Ratio legis de ſuſcitando fratri ſemine.

Quomodo Ioſeph fratrum duorum ſit filius.

Generum, & familiarum ſeries.

A Dauide per Salomonem dum Matthæus generationes numerat, tertius à fine reperitur Matthan, qui genuit Iacob, patrem Ioſeph. A Nathan autem per Dauid, vt Lucas numerat, ſimiliter tertius à fine reperitur Melchi: cuius filius erat Heli, pater Ioſeph. Ioſeph enim filius fuit Heli, qui ex Melchi prognatus fuerat. Cum igitur Ioſeph nobis ſit propoſitus, quem inueſtigemus: explicandum videtur, quo pacto & Iacob, & Heli ſuum genus, alter ex Salomone, alter ex Nathan deducens, vterque illius pater eſſe dicatur. Ac primum qua ratione iſti duo Iacob, & Heli probentur fratres fuiſſe: deinde, quomodo iſtorum patres Matthan, & Melchi (qui diuerſo orti ſunt genere) aui Ioſeph oſtendantur. Sic igitur res ſe habet. Matthan, & Melchi viciſſim eandem duxerunt vxorem, & fratres ex eodem vtero progenuerunt: cum lex minimè obſtaret, quo minus vidua, vel libello repudij dimiſſa, vel viri morte vinculis matrimonij ſoluta, alteri nuberet. Ab Eſtha quidem (hoc enim nomine fuiſſe mulier illa traditur) primus Matthan, qui à Salomone ducebat genus, ſuſcepit Iacob. Ac ſimulatque Matthan è vita migrauit, Melchi, originem generis ſui ad Nathan vſque referens (cum ex eadem quidem tribu, ſed ex diuerſo genere ortus eſſet) Eſtham, vt ſuprà diximus, viduam duxit vxorē: ex qua filium Heli procreauit. Ita factum eſt, vt Iacob, & Heli ex diuerſis generibus ſatos, vterinos quidem fratres reperiamus. Quorum alter, nempe Iacob, vbi frater ipſius Heli abſque prole occubuerat, vxorem eius in matrimonium aſſumens, ex illa Ioſeph, & natura, & ratione ſibi filium tertium produxit. Quapropter ſcriptum eſt: Iacob genuit Ioſeph; qui ſecundum legem filius erat Heli. Nam cum Iacob frater eſſet illius, ei ſemen ſuſcitauit. Quocirca neque hæc, quæ de eo apud Matthæum Euangeliſtam citatur genealogia, Iacob genuit Ioſeph: neque rurſus illa, quæ apud Lucam eſt, Ieſus qui, vt putabatur (nam hoc etiam addit) filius fuit Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Melchi, inanis irritáue exiſtimari debet. Atque iſta generandi ratio, quæ ex lege ducta eſt, non poterat ſignificantius, aut magis propriè exprimi. Idcirco iſtud vocabulum, genuit, in tali liberorum procreandorum ratione, dū familias ad Adam vſque, qui à Deo creatus eſt, gradatim aſcendendo repetit, ad finem vſque ſilentio omnino prætcrijt. Et poſt aliqua: At dubium non eſt, quin Euangelium omninò verè loquatur. In extrema etiam illa epiſtola, iſta adnectit: Matthan à Salomone prognatus, genuit Iacob. Quo mortuo, Melchi à ſtirpe Nathan profectus, ab ea, quæ vxor erat Matthan, procreauit Heli. Vterini ergo fratres erant Heli, & Iacob. Heli abſque prole occumbente,

Melchi eſt in Luca quintus, nō tertius à fine. An Afric. aliter quā nos legerit. Lucas ponit duas generationes inter Melchi, & Heli.

Vt Iacob, & Heli fratres fuerint.

Mathan. Melchi.

Eſtha. Iacob. Heli.

Si Melchi genuit Heli, quomodo duas generationes Lucas inter eos ponit.

Cur Lucas non vtatur vocabulo, genuit.

Vt Ioſeph, Iacob, & Heli ſit filius.

bente, Iacob illi ſemen ſuſcitauit, & genuit Ioſeph: qui natura filius eius erat, lege verò Heli. Ita vtriuſque filius erat Ioſeph. Hæc Africanus.

Ioſeph, & Maria ſunt eiuſdẽ tribus, & familiæ.

Porrò autem cum genealogia Ioſeph hoc modo deducatur, conſtat Mariam verè ex eadem tribu ortam. Siquidem à Moyſe lege ſancitum erat, non licere diuerſas tribus inter ſe matrimonium iungere. Præcipitur enim, vt vni eorum, qui ſunt ex eadem tribu, & familia, mulier quæque nubat, ne hæreditas generis à tribu in tribum transferatur.

Greg. Naz. in carmine de CHRISTI genealogia:

Naz. Vt Ioſeph duorum fratrum ſit filius.

AT quonam pacto duplici patre fluxit Ioſeph?
Lex ea Moſis erat, ſi quem mors atra tuliſſet,
Hebræa de gente ſatum, natiſq; carentem;
Protinus vt frater, vel ſanguinitate propinquus,
Vxorem extincti capiens, cenſumq;, domumq;,
Funderet huic ſobolem; ne nulla prole relicta,
Obrueret totum tumulus cum corpore nomen.
Quare de CHRISTO *arcanum mihi tale repertum eſt.*
Mathanus eximia Salomonis ſtirpe creatus,
Eſthæ iunctus erat: quo cæca morte perempto,
Duxit eam Melchi, Nathanæo ſanguine cretus.
Mathanus hac genuit Iacobum, Melchius Elim,
Quem rapuit nulla mors aſpera prole relicta.
Ergo domum illius capit, vxoremq; ſuperſtes
Iacobus frater tantum maternus, eique
Ioſephum genuit. Sic Ioſeph filius eius
Verus erat: tamen hunc tribuit lex optima fratri.
Atque ita Matthæus naturam ſcribere CHRISTI
Inſtituens, veram ſeriem numerauit auorum:
At Lucas populi legem, ritumq; notauit.
Quare ne verbis concordia ſcripta laceſſe.

Iſidor.

Iſidor. Peluſ. ep. 7. lib. 1: Sacroſanctus Euangeliorum codex, Chriſti genealogiam in Ioſephum, genus ex Dauide trahentem, deducens, ſatis habuit per eum demonſtraſſe virginẽ quoque ex eadem, qua Dauid, tribu ortum duxiſſe: propterea quod lege ſanciretur, vt matrimonia ex eadem tribu exiſterent. (Num. 36.) Ar verò diuinorum dogmatum interpres, magnus ille Apoſtolus Paulus, veritatem explanat, cum Dominum ex Iuda ortum traxiſſe teſtatur. (Hebr. 7.)

Niceph.

Idem habet Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 11. Africano, Hieronymus, Auguſtinus, Hilarius, Nazianzenus, Euſebius, Iuſtinus quæſt. 131. 132. 133. à gent. poſit. Titus, Euthym. Theophyl. Bed. Ambroſius, Damaſcenus, ac cæteri antiquorum Patrum mira conſenſione adſtipulati ſunt. Tamen Beda, & Euthym. & quidam alij, putant ipſi Mathat aſcribendum, quod Melchi Africanus tribuit.

Hier.

Fratrum duorum quomodo Ioſeph ſit filius: & vir Mariæ, & cur eius nõ Mariæ genealogia narretur.

Hieron. Matt. 1: Hunc locum obiecit nobis Iulianus Auguſtus, &c. vt lect. 7. die 9. Sept. vbi declarat quomodo Ioſeph duorũ fratrum Heli, & Iacob ſit filius: & quomodo vocetur vir Mariæ. Dicit etiam lect. 8. die 9. Sept. cur generationis ordo ductus ſit ad Ioſeph, cum is pater Chriſti non ſit. Et lib. 1. aduer. Heluid. (Hier.) Habet Ioſephum fuiſſe Mariæ ſponſum, & maritum, & cuſtodem; Item, cur ei Maria fuerit deſponſata; Item, quomodo dicatur pater Chriſti. Et ait Ioſephum fuiſſe virginem per Mariam. Et lib. de Scriptor. Eccleſ. in Iacobo, (Hier.) non probat eos, qui dicunt Ioſeph habuiſſe aliã vxorem. Sicut idem improbat in cap. 12. Matt. Alibi vero, nempe in cap. 14. Matt. habet quomodo Ioſeph ſit pater Domini.

Amb.

Cur Ioſephi, non Mariæ genealogia deſcribatur.

Amb. lib. 3. in Luc: Cur autem Ioſeph magis, quam Mariæ generatio deſcribatur, cum Maria de Spiritu ſancto generauerit Chriſtum, & Ioſeph à generatione Domini videatur alienus, dubitare poſſemus, niſi conſuetudo nos inſtrueret ſcripturarum, quæ ſemper viri originẽ quærit. (Ratio 1.) Sic enim habes: Phares fuit filius Iudæ principis tribus, hic generauit Eſrom, & Eſrom generauit Aram, &c. (ver. 4.) viri enim perſona quæritur, qui etiam in ſenatu, & reliquis curijs ciuitatum, generis aſſerit dignitatem. Quam deforme autem ſi relicta viri origine, origo fœminæ quæreretur, vt videretur patrem non habuiſſe ille totius mundi populis prædicandus. (Ratio 2.) Et nonnullis interiectis: Sed etiam alibi diuerſo ordine generationem doceamus eſſe decurſam, ne hic quoque Euangeliſtæ diſcrepare videantur, qui veterem ordinem ſunt ſecuti. (Cur vnus deſcendit, alter aſcẽdit.) Sic enim habes: Fuit homo ex Arath, & nomẽ eius Helcana, &c. (1 Reg. 1.) Vides & à patribus ad filios, & à filijs ad patres originis deſcriptionem veteri more contextam: vides vbique familiam per virorum generationes eſſe decurſam. Noli mirari ſi Matt. ab Abraham vſque ad Ioſeph: Lucas à Ioſeph vſque ad Adam, & ad Deum generationũ ordinem percurrit. Noli mirari quod Ioſeph origo deſcripta eſt. Etenim ſecundum carnem natus, vſum debuit ſequi carnis, (Ratio 3.) & qui in ſeculum venit, ſeculi debuit more deſcribi, maximè cum in Ioſeph origine, etiam origo ſit Mariæ. (Ratio 4.) Nam cum vir iuſtus fuerit Ioſeph, vtique ex tribu ſua, & ex pa-

Ioſeph, & Maria ſũt eiuſdem familiæ.

tria

tria ſua accepit vxorem, nec potuit iuſtus facere contra id, quod lege præſcriptum eſt. Sic enim habes: quia vnuſquiſque in hæreditate tribus ſuæ patriæ adhærebunt filij Iſrael, nec de tribu ad tribum tranſibunt; & omnis filia, quæ habet hæreditatem tribuum filiorum Iſrael, vni ex populo, & ex tribu patris ſui erit vxor. Itaque & cenſus tempore aſcendit Ioſeph de domo, & de patria Dauid, vt profiteretur cum Maria vxore ſua. Quæ ex eadem domo, & ex eadem patria profeſſionem defert, vtique eiuſdem tribus, & eiuſdem patriæ ſe eſſe deſignat. Certum eſt igitur Mariam etiam de Dauid generatione manaſſe. Simul etiam dicimus nihil referre quo ordine generationis ſeries exprimatur, cum iter hinc, atque inde ſit peruium. Et poſt multa: Illud quoque aduertimus, quod ſanctus Matt. Iacob, qui fuit pater Ioſeph, filium Mathan eſſe memorauit: Lucas verò, Ioſeph, cui deſponſata erat Maria, filium Heli; Heli autem filium Melchi eſſe deſcripſerit. Quomodo vnius duo patres, id eſt, Heli, & Iacob? quomodo etiam duo paterni aui, Mathan, & Melchi? Sed ſi requiris, inuenies quod iuxta præſcriptum legis veteris duo fratres diuerſos filios vterinos ex vna vxore generauerint. Traditur enim Mathan, qui à Salomone genus duxit, Iacob generaſſe filium, & vxore ſuperſtite deceſſiſſe, quam poſtea Melchi accepit vxorem, ex qua generatus eſt Heli. Rurſus Heli fratre ſine liberis decedente, copulatus eſt Iacob fratris vxori, & generauit filiũ Ioſeph, qui iuxta legem Heli filius dicitur; quoniam ſemen fratris defuncti, frater iuxta legis veteris ſeriem ſuſcitabat. Ita duorum filius dictus eſt, non ab vtroque generatus; ſed quia alterius ſecundum generationem, alterius ſecundum legem factus eſt filius. In quo præſcripto legis, futuram perpetuitatem defunctorum ſeminis nobis eſſe promiſſam non intellexit populus Iudæorum, ſed ſecundum literam accipiens, gratiam corrupit oraculi: alius enim erat frater, qui defunctorum fratrum ſemen reſuſcitaret, non frater ſecundum carnis germanitatem, ſed ſecundum gratiæ puritatem. Et ideo fortaſſe frater non redimit, redimet homo; quia non germanus frater ille, ſed Dominus, & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, reſurrectionis gratiam propagauit.

Num. 36. | Vt Ioſeph duorum fratrum ſit filius. | An pro Melchi ſit ponendus Mathan. | Pro Iacob hic legendum Heli. | Ratio legis de ſuſcitando fratris ſemine. | Pſal. 48. | 1 Tim. 2.

Euthym. Matt. 1: Ad Ioſeph deueniens, non in hoc verbo ſeriem terminauit; ſed addidit: virum Mariæ, docens nos, quod ob hanc ipſam, generationis ordinem contexuit: Quia enim moris non erat mulierum genealogias ponere, ſtuduit, vt & morem ſeruaret, & alio modo Chriſtum demonſtraret ex genere Abraham, & Dauid deſcendere. Ideo ſponſi matris Dei genealogiam contexuit: & per hunc, quod intendebat, demonſtrauit. Ex quo enim Ioſeph de genere illorum eſſe demonſtratus eſt, manifeſtum quoque eſt, Dei matrem inde deſcendere. Nam aliunde ſponſam ducere non licebat, niſi quæ ex eadem eſſet tribu, eademque familia, & ita conſanguinea.

Euth. Cum ait, Virũ Mariæ, ſignificat propter Mariã, generationem cata[illegible] Cur Ioſe[illegible] non [illegible] ge[illegible] de[illegible] tur [illegible] in eadẽ tribu & familia contrahi debant. Num. 36. Deut. 25.

Tho. 3. p. q. 31. ar. 3. ad 2: Ad hanc obiectionem, quam mouit Iulianus Apoſtata, diuerſimode ab aliquibus reſpondetur. Quidam enim (vt Greg. Nazia. dicit) dicunt eoſdem eſſe, quos vterque Euangeliſta enumerat: ſed ſub diuerſis nominibus, quaſi binomios. Sed hoc ſtare non poteſt: quia Matth. ponit vnum filiorum Dauid, ſcilicet Salomonem: Lucas autem ponit alium, ſcilicet Nathan: quos, ſecundum hiſtoriam libri Regum, conſtat fratres fuiſſe. Vnde alij dixerũt, quòd Matthæus veram genealogiã Chriſti tradidit: Lucas verò putatiuam. Vnde incepit: vt putabatur filius Ioſeph. Erant enim aliqui ex Iudæis, qui, propter peccata Regum Iuda, credebant Chriſtum ex Dauid, non per Reges, ſed per aliam eius ſtirpem hominum priuatorum, eſſe naſciturum. Alij verò dixerunt, quòd Matthæus poſuit patres carnales: Lucas verò poſuit patres ſpirituales, ſcilicet iuſtos viros, qui dicuntur patres propter ſimilitudinem honeſtatis. In lib. verò de Quæſtionibus veteris, & noui teſtamenti reſpondetur, quòd non eſt intelligẽdum, quod Ioſeph à Luca dicatur eſſe filius Heli; ſed quòd Heli, & Ioſeph fuerunt patres Chriſti diuerſimode à Dauid deſcendentes. Vnde de Chriſto dicitur, quòd putabatur filius Ioſeph, & quòd ipſe etiam Chriſtus fuit Heli filius: quaſi diceret, quòd Chriſtus ea ratione, qua dicitur filius Ioſeph, poteſt dici filius Heli, & omnium eorum, qui ex ſtirpe Dauid deſcenderunt: ſicut Apoſt. dicit Rom. 9: Ex quibus, ſcilicet Iudæis, Chriſtus eſt ſecundum carnem.

Vt Ioſeph ſit filius Heli, & Iacob. | Naz. 1. ſol. non bona. | 2. ſolut. | 3. ſolut. | 4 ſol. | Lib. quæſt. ex no. teſt. q. 56. & in alio lib. q. 6.

Auguſt. verò in lib. de Quæſt. Euang. tripliciter ſoluit, dicens: Tres cauſæ occurrunt: quarum aliquam Euangeliſta ſecutus eſt. Aut enim vnus Euangeliſta patrem Ioſeph, à quo genitus eſt, nominauit: alter verò vel auum maternum, vel aliquẽ de cognatis maioribus poſuit. Aut vnus erat Ioſeph naturalis pater, & alter eum adoptauerat. Aut more Iudæorum, cum ſine filijs vnus deceſſiſſet, eius vxorem propinquus accipiens, filium, quem genuit, propinquo mortuo deputauit. Quod etiam quoddam genus adoptionis legalis eſt, vt ipſe Aug. dicit in 2. de conſ. Euang. Et hæc vltima cauſa eſt verior, quam & Hier. ſuper Matt. ponit. Et Euſeb. Cæſarienſis in Eccleſiaſtica hiſtoria ab Africano hiſtoriographo traditã aſſerit. Dicunt enim, quod Mathan, & Melchi diuerſis temporibus de vna, eademq; vxore Ieſca nomine ſingulos filios procreauerũt: quia Mathan, qui per Salomonem deſcendit, vxorem eam primum cœperat, & relicto filio vno Iacob nomine, defunctus eſt: poſt cuius obitum (quoniam lex viduam alij viro non vetat nubere) Melchi, qui per Nathan genus ducit, cum eſſet ex eadem tribu, ſed non ex eodem genere, relictam Mathan accepit vxorẽ: ex qua etiam ipſe ſuſcepit filium nomine Heli. Et ſic ex diuerſo patrum genere efficiuntur Iacob, & Heli vterini fratres: quorum alter, id eſt, Iacob fratris ſui Heli ſine liberis defuncti, ex mandato legis accipiens vxorem, genuit Ioſeph: natura quidem generis ſuum filium, ſecundum verò legis præceptum Heli efficitur filius. Et ideo Matthæus dicit; Iacob genuit Ioſeph: ſed Lucas, quia

Aug. lib. 2. cap. 5 | 5 ſol. | 6 ſol. | 7 ſol. bona | Aug. cap. 3. | Hier. | Euſeb. | Afric. | Idem habent Amb. Hil. & alij. | Vt Iacob, & Heli ſint fratres.

Cur Matt. non Lucas vtatur nomine, genuit.

quia legalem generationem deſcribit, nullum nominat aliquem genuiſſe. Et quamuis Dam. dicat, quod beata virgo Maria Ioſeph attinebat ſecundum illam originem, qua pater eius dicitur Heli, quia dicit eam ex Melchi deſcendiſſe: tamen credendum eſt, quod etiam ex Salomone originem duxerit ſecundum aliquem modum per illos Patres, quos enumerat Matthęus, qui carnalem Chriſti generationem dicitur enarrare, præſertim cum Ambr. dicat Chriſtum de ſemine Iechoniæ deſcendiſſe.

Damaſc. l. 4. de fid. cap. 5. Maria deſcendit ex Nathan, & Salomone.

Amb. l. 3. in Luc. Ieſus eſt Iechoniæ filius.

Matt. 1. dicitur, Iacob genuit Ioſeph: Et Luc. 3. Idem Ioſeph fuiſſe Heli filius dicitur; qui tamen Iacob, & Heli fratres vterini erant. Conciliat hæc duo loca apparenter pugnantia Aug. lib. 2. retractationum cap. 7. 12. 16. & 55. vbi citat, & ſequitur Africanum, & ait ſic duos patres habuiſſe Ioſeph, vt ex vno ſit natus, & ab alio, vel potius alteri, adoptatus. Ponit etiam duplex adoptionis genus: nam vna eſt volũtaria, ſeu propriæ voluntatis: alia vero legalis. Adoptat enim aliquis viuens; & lex adoptat mortuis. Eadem probat lib. 3. contra Fauſtum cap. 3. & 5. Et lib. 28. cont. Fauſt. c. 3. Et lib. Quęſt. ſuper Deut. c. 46. Et lib. 2. Quæſt. Euang. c. 5. Et lib. 2. de conſ. c. 3.

Aug.

Vt Ioſeph Iacob, & Heli fratrum ſit filius.

Aug.

Aug. lib. 2. de conſ. c. 1. Habet Ioſephi, & Mariæ exemplo, inſinuari fidelibus coniugatis etiam ſeruata pari conſenſu continentia, poſſe permanere, vocariq; coniugium. Ibidem habet, quòd etiam Maria ſit de ſtirpe Dauidis, & firmiſſimè tenendum carnem Chriſti ex vtroque genere, ſcilicet Regum, & Sacerdotum propagatam, vt videre potes lectione 8. & 9. die 15. Sept. habet etiam eodem cap. quare vſque ad Ioſeph generatores Domini commemorentur, cum natus non ſit de illius ſemine. Et cap. 2. Oſtendit quomodo Chriſtus ſit filius Dauid, etiã ſi ex Ioſeph natus non fuerit. Lib. 1. de conſ. cap. 2. ſic dicit: Matthęus per Salomonem Regem deſcendens, cæteros etiam Reges ex ordine proſecutus eſt, ſeruans in eis, de quo poſtea loquemur, myſticum numerum. Porro de myſterio numeri agit Aug. lib. 2. de conſ. cap. 4.

Aug.

Aug.

Aug.

Hilar. can. 1. in Matt. habet Mariam, & Ioſeph eiuſdem fuiſſe tribus, & quomodo Ioſeph duorum fratrum fuerit filius, & cur tres Reges ſunt omiſſi: vt eſt lect. 7. & 8. die 11. & 12. Sept.

Hilar.

Genealogia Chriſti ad Ioſeph refertur; non quod ipſe Ioſeph legitimus, & naturalis Chriſti pater fuerit: ſed quia Ioſeph, & Maria ex eadem tribu, & cognatione deſcendunt. Deſcendentia autem genealogiæ apud Iudæos per maſculinam, non fœmininam lineam conſtitui ſolebat. Quia Matthæus ſemper dicit; genuit; quorum ſit filius naturalis indicat: Lucas vero non ſic. Lucid. de emend. temp. & plures eum ſecuti, putant Heli eſſe Ioachim, patrem virginis Mariæ, Ioſephique ſocerum, & patrem: quod teſte Philone generi loco filiorum haberentur. Idem quoque Philo aſſerit Heli, Heliachim, & Ioachim, apud Aſſyrios, & Ægyptios eſſe ſynonima.

Chriſti genealogia cur ad Ioſeph refeatur.

Not. 13. ver. 20.

Amb.

AMBR. lib. de bened. Patriar. cap. 3: Ex tribu Leui Dominus Ieſus videtur ſecundum corporis ſuſceptionẽ genus ducere. Ex qua tribu ſunt ſacerdotes Leui, & Nathan, quos ſanctus Lucas in Euangelij libro, quem ipſe ſcripſit, inter maiores Domini computauit.

An ad tribum Leui Chriſtus pertineat.

Quod ad humanitatem Ieſu attinet, natus eſt ex Maria virgine, prognata de ſtirpe Regia Dauid, quod iuxta diuinæ prouidentiæ rationem neceſſarium fuit. Ex ea enim familia naſci Chriſtum oportebat, ſecundum Prophetias (Pſal. 88. & 2 Regum 7.) De qua, non ait, de quibus, ſignificans Chriſtum ex Maria duntaxat Virgine natum, & ſolius Mariæ filium, & ſubſtantiam eſſe, contra Heluid. qui Mariæ virginitatem negabat. Porro beata Maria Domini mater licet ratione patris ſui Ioachim, ex familia Dauidis, & tribu Iuda deſcenderet; tamen ſi matrem eius cõſideremus, cum ſacerdotali etiam genere cognationem, & affinitatem contraxit. Anna ſiquidem Dei genitricis mater filia erat cuiuſdam ſacerdotis, teſte Hippolyto, vt videre eſt cap. 18. not. 3. Et germanus Conſtantinopolitanus ſic nobis Annam Chriſti auiam depingit, vt ramus quidam fuerit ex genere ſacerdotali, & tribu Aaronica.

Chriſtum ex Dauide naſci oportuit.

Cur ait: De qua.

Not. 14. ver. 21.

AMBR. lib. 3. in Luc: Non abſurdum autem videtur, quòd geminato myſtico numero quaternaſdenas generationes diuidendas ſanctus Matth. putauit, ab Abraham vſque ad Dauid, à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum; in quo vices mutationum pariter deſignauit. Ab Abraham enim, vſque ad Dauid tempora, ſine Regibus fuit populus Iudæorũ. Regnum enim iuſtum à Dauid cœpit, deinde per Reges actum genus omne eſt Iudæorum; & intemerata vſque ad tranſmigrationem eorum regna manſerunt. Poſt tranſmigrationem verò in occaſum degenerantis populi nobilitas circunciſa vergebat. De quinquaginta verò generationibus quas ab Abraham Lucas contexendas putauit, numeri myſtici ſeruata gratia ſatis claret. Nam & decimus, & ſeptimus numerus myſticus eſt, & tertio vterque repetitus myſterium ſignat. Et Pentecoſte, cuius Lucas, & Teſſeracoſte, cuius Matt. ſecutus eſt gratiam, ſatis ſuperq; numerum myſticum prodiderunt.

Ambr.

In prima Teſſaradecade regnum Abrahæ promiſſum expectabatur; in ſecunda, idem in Dauide cœptum floruit; in tertia, idem collapſum nouo modo per Chriſtum reſtaurandum expectabatur. Omnem generationum ſeriem ab Abraham, vſque ad Chriſtum, in tres partes Matthæus diuidit; oſtendens, quod nec commutatis diſciplinæ modis, populus ille vnquam ſit melior effectus; quod quia ad virtutis ſtudium non acceſſerit, nec cum ducum, nec cum regum, nec cum ſacerdotum poteſtate regeretur: ſed in eadem prauitate motum permanſerit. Ab Abraham) incluſiuè. Ad Dauid) incluſiuè.

Not. 15.

Not. 15. ver. 22.

Amb.

AMBR. lib. 3. in Luc: Illud quoque non prætermittendum putamus, quod à Dauid temporibus vſque ad Iechoniam, hoc eſt, vſque ad captiuitatem, cum decem & ſeptem fuerint Reges Iudææ, quatuordecim generationes ſanctus Matthæus poſuerit: & rurſus à Iechonia vſque ad Ioſeph cum virium generationes duodecim computentur, poſtea quatuordecim generationes deſcriptas eſſe memorauerit. Sic enim habes: Omnes generationes ab Abraham vſque ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, & à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum generationes quatuordecim. Et primũ oportet cognoſcere, quod ante iam diximus, poſſe plures eſſe ſucceſſiones, pauciores generationes. Poſſunt enim diutius viuere aliqui, & ſerius generare, aut certè penitus exortes generationis exiſtere. Itaque non eęque regum, eadem generationum tempora. Vnde & Matthæus eos quos ad generationem non putauit pertinere, prætcrijt. Nam ſi propoſitum eſſet ei ſucceſſiones deſcribere, rationabiliter moueremur cur cum in regnorũ libris & Paral. conueniat, quod poſt Ioram Ochozias regnauerit, & Ioas, & Amaſias, Amaſiæ autem ſucceſſerit Ozias: ſanctus Matthæus tres illos Reges prætericrit, Ochoziam, Ioas, & Amaſiam, & poſt Ioram Oziam ſubiecerit. Sed nõ eum in regum ſucceſſione, ſed in generatione ſubiecit: Deniq; generationum relatorem fuiſſe memorauit, potuit autem fieri, vt & Ioram tardius generauerit, & Ioſaphat ſerius perceperit regnum, atque ita Ioram patri ſuo, cui in poteſtate non ſucceſſit, in generatione ſucceſſerit. Quod verò poſt Iechoniam duodecim generationes enumeraſſe videtur Euangeliſta, ſi diligenter aduertas, hic quoq; quatuordecim generationum poteris inuenire rationem. Duodecim enim vſque ad Ioſeph numerantur, non vſque ad Chriſtum. Tertiuſdecimus eſt Chriſtus, ſed nihil refert vtrum in duabus generationibus, an vna mendacium ſit. Tamen ne hic quidem cæcum aliquem ſcopulum, aut naufragiũ inuenias veritatis, duos Ioachim, hoc eſt, duos Iechonias fuiſſe hiſtoria indicat: vnum ante tranſmigrationem, alterum in ipſa tranſmigratione genetatum, id eſt, patrem & filium. Ergo pater inter generationes ſuperiores eſt computatus, qui ſucceſſit Ioſiæ: filius inter poſteriores, qui ſucceſſit patri, id eſt, nepos Ioſiæ. Duos autẽ fuiſſe Regnorum libri indicant. Sic enim ſcriptum eſt: Et imperauit Pharao ſuper Iſrael, Ioachim filio Ioſiæ regnante in Iudęa pro Ioſia patre ſuo, & cõuertit nomen Ioachim in regnãdo, & vndecim annos regnauit in Hieruſalem. Quibus ſubiecit: Et reliqua verborum Ioachim, & omnia quæ fecit, nonne ſcripta ſunt in libro verborum Regum, & in diebus eorum, quibus regnauerunt in Iudæa? Et dormiuit Ioachim cum patribus ſuis, & regnauit Ioachim filius eius pro eo. Filius decem & octo annorum erat Ioachim: & cùm regnaret, tribus menſibus regnauit in Hieruſalem, nomen matris eius Meſola: & omnia quæ fecit ſub oculis Domini pater eius, & ipſe fecit: & in diebus eius aſcendit Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Hieruſalem. Vides igitur quod alius fuit Ioſiæ filius, alius nepos: filius ille, cui Hieremias nomen impoſuit: nepos iſte, qui patris vocatus eſt nomine. Et bene ſanctus Matt. à Propheta noluit diſcrepare: vt non Ioachim, ſed Iechoniam nominaret. Simul, vt ſupra diximus, maiorem fructum Dominicæ pietatis aſtruxit, ſi generis nobilitatem non in omnibus Dominus requiſiuit: ſed de captiuis, & peccatoribus congruè naſci voluit, qui remiſſionem veniebat prædicare captiuis. Non igitur ſuppreſſit alterum Euangeliſta, ſed vtrumque ſignauit, quòd vterque Iechonias dictus ſit. Ita addito iuniore Iechonia, generationes quatuordecim computantur.

Vt ab Iechonia vſque ad Ioſeph duodecim generationes ſcriptæ ſint, & quatuordecim computentur.

4. Reg. 23.

4. Reg. 24.

A Dauid, ſubaudi excluſiuè: quia priorem partem concludit, ac terminat. Vſque ad tranſmigrationem Babylonis, hoc eſt, vſque ad priorem Iechoniam incluſiuè.

Not. 16. ver. 23.

Euth. Cur omnes generationes in tres partes diuidantur.

EVTHYM. Matt. 1: Omnes generationes trifariam diuiſit, & merito. Tres enim fuerunt gubernationis modi. Siquidem ab Abraham poſt Moſen, & Ieſum Naue, vſq; ad Dauid, ſub Iudicibus gubernabantur. A Dauid vſque ad tranſmigrationẽ Babylonicam ſub Regibus: à tranſmigratione verò Babylonica, vſq; ad Chriſtum, ſub Pontificibus. Veniente autem Chriſto vero Iudice, Rege, ac Pontifice, ceſſauerunt dictę politiæ. Æquum eſt autem quærere, quo modo in tertia parte, vbi duodecim tantum ponit perſonas, quatuordecim dicat eſſe generationes? Ideo videlicet, quia ipſum tranſmigrationis tempus in ordine generationis poſuit: & ſimiliter ipſum Chriſtum, ſicut magnus docuit Chryſoſt.

Quomodo in tertia parte ſint 14 generationes. An tranſmigratio vnã faciat generationem.

Theoph. cur omnes generationes in tres partes diuidantur.

Theophyl. Matt. 1: In tres ordines diſtribuit generationes, vt monſtraret, quod Iudæi, ſiue à Iudicibus gubernarentur, vt qui vſq; ad Dauid: ſiue à Regibus, vt qui vſque ad tranſmigrationem: ſiue à Sacerdotibus, vt qui vſque ad Chriſtum. Nihil tamen in virtutem profecerunt. Et quod opus habuerint vero & Iudice, & Rege, ac Sacerdote, qui eſt Chriſtus. Nam poſtquam defecerunt Reges, venit Chriſtus ſecundum prophetiam Iacob. Vbi autem ſunt à demigratione Babylonica vſque ad Chriſtum generationes quatuordecim, cum tredecim tantum perſonæ reperiantur? Siquidem in genealogia mulier tenſeretur, poſſemus & Mariam connnumerare, & complere numerum: nunc autem mulierem diximus, ad genealogiam non pertinere, quomodo igitur ſoluitur hoc? Dicunt quidam, quòd & demigrationem poſuerit, ceu perſonæ ordinem occupantem.

ἄρχοντες principes gubernatores.

Quomodo quatuordecim generationes, vbi tãtum tredecim perſonæ.

Hier.

Hieron. Matt. 1. dicit tertiam partem numerandam à Iechonia poſteriore incluſiuè vſq; ad Chriſtum incluſiuè, vt eſt lect. 8. die 9. Sept.

Hier.

Et Ezech. 43. ſic habet: Illud latenter oſtendit, quod

quod Dominus noſter, qui verè propitiatorium dicitur, non ſolum pro peccatis noſtris, ſed pro omni mundo per 14. generationes venerit ab Abraham vſque ad Dauid, & rurſum per alias 14. vſque ad captiuitatem Iechoniæ, & eiuſdem numeri ſacramento ad terrena deſcenderit, vt in tertia teſſaradecade, & diuini numeri ſacramento, ſaluaret quatuor angulos mūdi, de quibus ſcriptum eſt: Multi ab Oriente, & Occidēte, & ab Aquilone, & Meridie venient, &c.

Quid generationū teſſaradecades ſignificent.

Matt 8.

Hier. Generationes tot ſunt quot manſiones.

Et epiſt. ad Fabiolam: Manſiones à prima vſque ad vltimam numerantur, ſimul quadraginta duæ; de quibus Matt. loquitur: Ab Abrahā vſq; ad Dauid generationes quatuordecim, &c. id eſt, ſimul generationes quadraginta duæ. Per has currit verus Hebræus, qui de terra tranſire feſtinat ad cælum: & Ægypto ſeculi derelicta, terram repromiſſionis ingreditur. Nec mirum ſi in illo numeri ſacramento perueniamus ad regna cælorum, ſub quo Dominus, atq; Saluator à primo Patriarcha peruenit ad Virginē, quaſi ad Iordanem; quæ pleno gurgite fluens, Spiritus ſancti gratijs redundabat. Idem verbotenus habet Iſidor. Hiſpal. cap. 1. in Numeros.

Iſidor.

A tranſmigra. Babyl. id eſt, à poſteriore Iechonia incluſiuè. Ad Chriſtum.) incluſiuè. Vt hunc numerum 14. inueniamus, reſpicere ad perſonas numeratas oportet: non ad verbum genuit: quia ſolum triginta nouem vicibus ponitur. Euangeliſta numerum hunc ſtudioſè notauit, & laborioſè quæſiuit propter myſterium. Ter enim quatuordecim ſunt 42. Hic ergo conſiderandi ſunt hi numeri 10. 4. 40. & 2. denarius ad Decalogum referri poteſt: & quaternarius ad hanc vitam: in qua per decem præcepta in nobis Chriſtus regnat. Numerus quadragenarius, vitæ huius labores, tempus, ac decurſum ſignificat: in qua duo præcepta charitatis, per binarium deſignata, obſeruanda ſunt: vt ſic in nobis Chriſtus regnet. Per hunc ergo numerum duo Matthæus indicat, nempe Chriſtum in has miſerias deſcendiſſe: & quomodo in nobis debeat regnare: vt habet Aug. lib. 2. de conſ. cap. 4. Hunc numerum adeo curauit Euangeliſta, vt tres propter eum generationes omiſerit. Hic ponuntur 39. qui genuiſſe dicuntur, nam de priore Iechonia, de Ioſeph, & de Chriſto, quod genuerint, non exprimitur. Toties autem ponitur, genuit, quot perſonæ dicuntur genuiſſe.

Aug.

CAP. 5. *Gabriele nuncio Dei Filius in vtero Virginis concipitur.*

Matt. — *Mar.* — *Luc. 1.* — *Ioan.*

In Annunciatione B. MARIÆ *Virginis.*

Fer. 4. quat. temp. Aduent.

1 IN menſe autem ſexto ✠ miſſus eſt Angelus Gabriel,
à Deo, in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad
Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria.
2 Et ingreſſus Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.
3 Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.
4 Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria; inueniſti enim gratiam apud Deum.
5 Ecce, concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM.
6 Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus, ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.
7 Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?
8 Et reſpondens Angelus, dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.
9 Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.
10 Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua, & hic menſis ſextus eſt illi: quæ vocatur ſterilis: quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.
11 Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. ✠
12 Et diſceſſit ab illa Angelus.

Not. 1.

Not. 1. ver. 1.

Bern. Cur tot circunſtantiæ deſcribantur.

BERNARD. ſerm. 1. ſuper Miſſus: Quid ſibi voluit Euangeliſta, tot propria nomina rerum, in hoc loco, tam ſignanter exprimere? Credo quia noluit nos negligēter audire, quod tam diligenter ſtuduit enarrare. Nominat ſiquidem nuncium, qui mittitur; Dominum, à quo mittitur; Virginem, ad quam mittitur; ſponſum quoque virginis, amborumq; genus, ciuitatem, ac regionem proprijs deſignat nominibus. Vt quid hoc? putaſne aliquid horum ſuperuacuè poſitum ſit? nequaquam. Si enim nec folium de arbore ſine cauſa, nec vnus ex paſſeribus ſine patre cœleſti cadit ſuper terram; putem ego de ore ſancti Euangeliſtæ ſuperfluum diffluere verbum, præſertim in ſacra hiſtoria verbi? non puto. Plena quippe ſunt omnia ſupernis myſterijs, ac cœleſti ſingula dulcedine redundantia; ſi tamen diligentem habeant inſpectorem, qui nouerit ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.

Matt. 10. Luc. 12. Deut. 32.

Chryſol.

Chryſol. ſer. 140: Locum, tempus, perſonam ſanctus Euangeliſta deſignat, vt relationis veritas manifeſtis ipſarum rerum comprobetur indicijs.

Baſ. Cur virgo deſpōſata ſit electa.

Baſil. hom. 25: Et virgo erat, & viro deſponſata, & apta coniugali officio obeundo putata: vt & virginitas in honore ante omnia haberetur, & matrimonium non propterea improbaretur. Virginitas enim vt apta; proximaque ſanctitati electa eſt. Per deſponſationem verò nuptiarum initia expreſſa ſunt. Simul autem vt & Ioſeph domeſticus puritatis Mariæ teſtis eſſet: & ne propterea calumniatoribus illa foret obnoxia, vt virginitatem commaculans, ſponſum habuit, vitæ ſanctæ cuſtodem. Sed poſſum & aliam huic rei rationem reddere, priore non admodum inferiorem, videlicet, quod aptum ad incarnationem Dominicam tempus, iam diu inde à mundi conſtitutione prouiſum, atq; ordinatum tunc venerat: ex quo Spiritū ſanctum, & altiſſimi virtutem, Deiparam illam conſtituere carnem oportebat. Quoniam verò ea tempeſtate, nulla puritate par Mariæ virginitas, inter homines, ad effectum ſancti Spiritus excipiendum, eſt reperta, & illa iam deſponſatione erat occupata, electa eſt beata virgo, ita vt nihil detrimenti ex deſponſatione acceſſerit virginitati.

Ignatium citat.

Affertur & alia ratio à quodam ex antiquis: vt Mariæ virginitas, ſeculi huius principem diabolum lateret, nupta Ioſeph fuit: vt nuptiarum nomine ſuſpēſus facilè deciperetur. Virgines namque in primis obſeruabat, è quarum vnam parituram ex Propheta cognouerat, dicente: Ecce virgo cōcipiet, & pariet filium. Virginitatis igitur inſidiator, obſeruatorque, ſub matrimonij ſpecie factus ignorans, à malignitate abſtinuit. Sciebat enim ſuum imperium ob Dominicam carnis generationem perditum iri.

Eſa. 7.

Atha. Deſponſata cur Maria fuerit.

Athan. ep. ad Epicthetum: Neq; ſimpliciter ad quamuis virginem legatur; ſed virginem deſponſatam viro: vt ex ſponſo oſtēderet Mariam verè hominem eſſe. Et ſer. de ſanctiſ. Deipara: Menſe 6. ex quo pręgnans erat Elizabeth.

Atha.

Sophro.

Sophron. ſer. de Aſſumpt. B. Mariæ, ad Paulam, & Euſtochium, apud Hiero: Profecto cum nec ſanctitas, vel facūdia ſuppeditet, vt beatam, & glorioſam virginem Mariam dignè laudare queam: quoniam (vt verum fatear) quidquid humanis dici poteſt verbis, minus eſt à laude cæli: quia diuinis eſt, & angelicis excellentius prædicata, & laudata præconijs. A Prophetis quidem prænunciata, à Patriarchis figuris, & ænigmatibus pręſignata, ab Euangeliſtis exhibita, & monſtrata. Et bene Angelus ad virginem Mariam mittitur: quia ſemper eſt Angelis cognata virginitas. Profectò in carne, præter carnem viuere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis. Vnde in carne Angelicam vitā acquirere, maius eſt meritum, quàm habere. Eſſe enim Angelum, felicitatis eſt: eſſe verò virginem, virtutis: dum hoc obtinere viribus Virgo nititur cum gratia, quod habet Angelus ex natura. Vtrumq; tamen & eſſe Virginem, & Angelum, diuini muneris eſt officium, non humani.

Ad virginem cur Angelus mittatur.

Amb. Maria cur deſponſata fuerit, & virgo.

Ambr. lib. 2. in Luc. Poſt ea, quæ habentur lect. 1. feriæ 4. quat. temp. Aduent. vbi docet cur ex deſponſata Chriſtus naſci voluerit, ita ſubdit: Bene vtrumque poſuit ſcriptura, vt & deſponſata eſſet, & virgo. Virgo, vt expers virilis conſortij videretur: Deſponſata, ne temeratæ Virginitatis aduretur infamia, cui grauis aluus corruptelæ videretur inſigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos de ſui ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram eſſe Virginis verecūdiam, & lubricam famam pudoris; nec putauit ortus ſui fidē matris iniurijs aſtruendam. Seruatur itaque ſanctæ Mariæ ſicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione Virginitas. Oportet enim ſanctos, & ab ijs teſtimonium habere, qui foris ſunt. Nec decuit ſiniſtra Virginibus opinione viuentibus velamen excuſationis relinqui, quod infamata mater quoque Domini videretur. Quid autē Iudæis, quid Herodi poſſet aſſcribi, ſi natum viderētur ex adulterio perſecuti? Quemadmodū autem ipſe diceret: Non veni legem ſoluere, ſed adimplere: ſi videretur cœpiſſe à legis iniuria, cum partus innuptæ lege damnetur? Quin etiam locupletior teſtis pudoris maritus adhibetur, qui poſſet & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, ſi nō agnoſceret ſacramentum. Quid, quod etiam fides Mariæ verbis maior adſciſcitur, & mēdacij cauſa remouetur? Videretur enim culpam obumbrare voluiſſe mēdacio innupta pręgnans. Cauſam autem mentiendi indeſponſata habuit, deſponſata non habuit: cùm coniugij præmium, & gratia nuptiarum, partus ſit fœminarum.

Matt. 5.

Non mediocris quoque cauſa eſt, vt virginitas Mariæ falleret principem mundi: qui cum deſpōſatam viro cerneret, partum non potuit habere ſuſpectum. Fallendi autem (vt dixi) principem mundi fuiſſe conſilium, ipſius Domini verba declarant, cùm Apoſtoli iubentur tacere de Chriſto, cum ſanati prohibentur gloriari de remedio, cum dæmones præcipiuntur ſilere de

Dæmonibus cur ſilentium ſit impoſitum.

Dei

Dei filio. Fallendi (vt dixi) principem mundi fuiſſe conſilium etiam Apoſtolus declarauit, dicens: Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio abſconditam, quam nemo principum iſtius ſeculi cognouit. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum maieſtatis crucifixiſſent: hoc eſt, nunquam me redimi Domini morte feciſſent. Feſellit ergo pro nobis, feſellit vt vinceret: feſellit diabolum cùm tentaretur, cum rogaretur, cum Dei filius diceretur, vt nuſquam diuinitatis proprietatem fateretur. Sed tamen magis feſellit principem ſeculi. Diabolus enim etſi aliquando dubitauit, cum diceret: Si Filius Dei es, mitte te deorſum: tamen vel ſero cognouit, & diſceſſit ab eo. Cognouerunt & dæmones, qui dicebant: Nouimus te, quia es Ieſus Dei filius: quid veniſti ante tempus torquere nos? Et ideo veniſſe cognouerunt; quia præcognitum habebant eſſe venturum. Principes autem ſeculi non cognouiſſe, quo maiore poſſumus quam Apoſtolicæ ſententiæ probare documento? Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum maieſtatis crucifixiſſent. Dæmonum enim malitia facilè etiam occulta deprehendit. At verò qui ſecularibus vanitatibus occupantur, ſcire diuina non poſſunt. Sed & ipſe ſanctus Lucas virginem declarauit, dicens: Et nomen Virginis Maria. Et Propheta edocuit, qui ait: Ecce virgo in vtero concipiet. Et Ioſeph deſignauit, qui quoniam prægnantem videbat, quam non cognouerat, dimittere geſtiebat. Verè deſponſata, ſed virgo; quia eſt Eccleſiæ typus, quæ eſt immaculata, ſed nupta. Concepit nos virgo de Spiritu, parit nos virgo ſine gemitu. Et ideo fortaſſe ſancta Maria alij nupta, ab alio repleta, quia & ſingulæ Eccleſiæ Spiritu quidem replentur, & gratia, iunguntur tamen ad temporalis ſpeciem ſacerdotis.

1 Cor. 2 — Matt. 4 — Matt. 8 — Eſaiæ 7 — Cur virgo deſpõſata.

Hieron. aduer. Heluid: Tu dicis Mariam virginem non permanſiſſe: ego mihi plus vendico, etiam ipſum Ioſeph virginem fuiſſe per Mariam: vt ex virginali coniugio virgo filius naſceretur.

Hier.

Not. 2. ver. 2.

Atha.

ATHAN. ſer. de ſanctiſ. Deipara: Etiam hîc animaduertimus, vocem illam ſalutationis, Angeli eſſe vocem, quæ pro ſono ſuo, quo efferebatur, ſignificationem habuit: verũ eam ipſam nequaquam fuiſſe filij hypoſtaſin, aut carnem eſſe factam, ſed pro ſuo ſono, loquendiq; ratione diuerſam fuiſſe à verbo Dei, quod in vterum Virginis pariter deſcẽdit, prorſuſq; blaſphemias dicunt, qui autumant vocem Angeli fuiſſe materiam, ſubſtãtiamq; verbi: nobis ergo ob iſtam execrabilem blaſphemiam, viſum eſt locũ præſentem annotare. Quum igitur diuerſa ſit à voce Archãgeli, hypoſtaſis verbi, & filij Dei, ſimul ac aperirentur aures Virginis per Angelicum ſonum, introgreſſa eſt in eam diuina filij eſſentia, adeo, vt nec ipſa Virgo hæc cognouerit; cognouerit autem Dei filius, quo pacto introierit.

Angeli vox nõ eſt ſubſtantia verbi.

Et ſub finem, dicit eam appellatam gratia plenam, vtpote quæ omni gratia abundaret; idque per ſuperuentum in ſe Spiritus ſancti. Et ſer. cont. omnes hæreſes: Dominum appellat communem omnium herum, agnoſcens commercium ſeruitutis.

Gratia plena cur dicatur. — Atha. Dominus tecum.

Fulg. ſer. 2: Attendite medicinalis gratiæ lineas, diuina nobis benignitate mõſtratas. Tunc ad Euam Angelus malus acceſſit, vt per eam homo, quem Deus fecerat, à Deo ſepararetur: nũc autẽ ad Mariam bonus Angelus venit, vt in ea, humanæ naturæ Deus vnigenitus vniretur. Venit ad Euam diabolus, vt vitam nobis malignus auferret: venit ad Mariam Gabriel, vt vitam reddendam hominibus nunciaret. Et ſer. 3: Facta eſt Maria reſtauratio fœminarum: quia per ipſam à ruina primæ maledictionis probantur eſſe ſubtractæ. Tria denique mala Euæ, à tribus bonis Mariæ probantur excluſa. Nam Euæ dictum eſt: In doloribus, & in triſtitia paries; & ad virum conuerſatio tua; & ipſe dominabitur tui. Tribus ergo his malis, ſe ſubiungant fœminæ, quę Mariam non ſequuntur, dolori, triſtitię, ſeruituti. Maria autem è contrario, quam præclariſſimis tribus bonis ſublimetur auſculta, ſalutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Sic enim eam legitur ſalutaſſe: Aue Maria, gratia plena, benedicta tu inter mulieres. Cum dixit: Aue, ſalutationem illi cœleſtem exhibuit. Cum dixit: Gratia plena, oſtendit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ, & plenam benedictionis gratiam reſtitutam. Cum dixit: Benedicta tu inter mulieres, virginitatis eius benedictum fructum expreſſit, vt ex eo benedicta dicatur inter mulieres, quæcunque perſeuerauerit virgo. Maledicta enim Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeaſſe.

Fulg. — Fulg. — Tria bona Marię cõtra tria mala Euæ.

Venite Virgines ad Virginem, & lætamini, ponite maledictionem præuaricationis, & benedictionem reſtaurationis aſſumite. Proijcite dolores, quos Eua per ſerpentem accepit, & quos per Angelum Maria ſuſcepit honores, aſſumite. Pellite triſtitiam concipientes, gemitus parturientes abijcite, vt ſolus vobis iſte Virginis filius dominetur. Venite Virgines ad Virginem, venite concipientes ad concipientem, venite parturientes ad parturientem, venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, venite iuuenculæ ad iuuenculam. Ideo omnes iſtos curſus naturæ Virgo Maria, in Domino noſtro Ieſu Chriſto ſuſcepit, vt omnibus ad ſe confugientibus fœminis ſubueniret, & ſic reſtauraret omne genus fœminarum ad ſe venientium, noua Eua ſeruando virginitatem, ſicut omne genus virorum Adam nouus recuperaret Dominus Ieſus Chriſtus.

Maria refugium, & reſtauratrix fœminarum.

Ambr. lib. 2. in Luc: Ijs, quæ habentur lect. 2. feriæ 4: quat. temp. Aduent. vbi habet qualem Angelus Mariã inuenerit, iſta ſubijcit: Soli Mariæ hęc ſalutatio ſeruabatur. Bene enim ſola gratia plena dicitur, quæ ſola gratiam, quam nulla alia meruerat, conſecuta eſt, vt gratiæ repleretur authore.

Ambr. Qualis Maria inuenta ſit ab Angelo. Gratia plena cur dicatur.

Sophro. ſer. de Aſſumpt. B. Mariæ ad Paulam, & Euſto-

Sophro.

& Euſtochium, apud Hiero: Ab Angelo venerabiliter, atque officioſiſſimè ſalutata, qualis, & quanta eſſet, ab eodem diuinitus declaratur, cum dicitur: Aue, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Talibus namque decebat Virginem oppignorari muneribus, vt eſſet gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Dominum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus diſciplinam. Et bene plena, quia cæteris per partes præſtatur. Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ. Hoc quippe eſt quod Dauid canit: Deſcendet ſicut pluuia in vellus. Vellus itaque cum ſit de corpore, neſcit corporis paſſionem. Sic & virginitas cum ſit in carne, neſcit vitia carnis. Cœleſtis planè imber in virginum vellus, placido ſe infudit illapſu: & tota diuinitatis vnda ſe contulit in carnem, quando Verbum caro factum eſt: ac deinde per crucis patibulum expreſſum terris omnibus ſalutis pluuiam effudit, & ſtillicidia gratiæ, humanis præſtitit mentibus. Dominus, inquit, tecum. Mira res, & iam cum Virgine erat, qui ad virginem mittebat Angelum: & præceſſit nuncium ſuum Deus, ſed à Deo, non receſſit, nec teneri potuit locis, qui omnibus habetur in locis: & totus vbique eſt, ſine quo nihil totum. Ergo Verbum patris nunquam à patre diſcedens, homo pro nobis fieri dignatus eſt, ſecreto ſuo myſterio, quod ipſe nouit: qui quoniam totum ſuſcepit quod eſt hominis, homo totus eſt: & totum retinens quod Dei eſt, omnino aliud, quam Deus (qui natus eſt ex Maria) eſſe non potuit. Scit enim Deus omnia, & poteſt. Propterea quia ita eſt, ſciuit ſe, ac potuit in vtero Virginis, ſine ſui corruptione miſcere, atq; vnire, vt vnus eſſet Chriſtus Deus, & homo, vna perſona, vnaque ſubſtantia. Ob quod Dei genitrix electa, & prælecta, iure ab Angelo ſalutatur, & prædicatur gratia plena. Verè plena, per quam largo ſancti Spiritus imbre ſuperfuſa eſt omnis creatura. Et ſatis eã deuotiſſimè primum Angelus veneratur, & ſalutat. Miratur itaque, & ipſe qualis, aut quanta ſit, quam ſalutat: non enim ſimplex, fateor, vel conſueta fuit iſta ſalutatio, ſed omni admiratione digna. Siquidem venerationis fuit, delatio, oblatio muneris, famulatus, obſequij. Quia etſi in ſanctis Patribus, & Prophetis gratia fuiſſe creditur, non tamen eatenus plena. In Mariam verò totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit, quanquam aliter. Et ideo, inquit: Benedicta tu in mulieribus, id eſt, plus benedicta, quàm omnes mulieres. Ac per hoc, quidquid maledictionis infuſum eſt per Euam, totum abſtulit benedictio Mariæ. Inſuper gratiam refudit Chriſti ortus, quam non habuit prius omnis mundus. Igitur quod natura non habuit, vſus neſciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cœlum, ſtupet terra, creatura omnis, etiam cœleſtis miratur, hoc totum eſt, quod per Gabrielem Mariæ diuinitus nunciatur, & per Chriſtum adimpletur.

Cur plena gratia dicatur. *Pſal. 71.* *Dominus tecum.* *Cur plena gratia dicatur.*

Not. 3. ver. 3.

AMBR. lib. 2. in Luc: Diſce virgo verborum vitare laſciuiam. Maria etiam ſalutationem Angeli verebatur. Erat enim, inquit, cogitans qualis eſſet hæc ſalutatio. Et ideo cum verecundia: quia pauebat: cum prudentia, quia benedictionis nouam formulam mirabatur, quę nuſquam lecta eſt, nuſquam ante comperta. Erubeſcebat ergo Maria, erubeſcebat etiam Elizabeth. Et ideo cognoſcamus quid interſit inter mulieris, & virginis verecundiam. Illa de cauſa erubeſcebat: hæc pro verecundia. In muliere modus pudoris adhibetur, in virgine pudoris augetur gratia. *Amb. Cur ſit turbata.*

Eucher: Turbata eſt, non in vultu, ſed in ſermone eius. Non enim Angelum, ſed verbum Angeli attendebat, & quid illa tam officioſa ſalutatio ſibi prætenderet, cogitabat. *Eucher. Quid Mariam turbauerit.*

Euthym: Timuit, ne forte dolus eſſet. Qualis, vtrum diuina, an à dæmone. *Euth.*

Bern. hom. 4. ſuper Miſſus: Primo prudenter tacuit, cum adhuc dubia cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio, malens nimirum humiliter non reſpondere, quam temerè loqui quod neſciret. *Ber.*

Athan. ſer. de ſanct. Deip: Vt ignara de euentu myſterij conturbata eſt ſuper verbis Angeli. *Atha.*

Not. 4. ver. 4.

ATHAN. ep. ad Marcellinum de interpretatione pſalmorum: Gabriel quidem ſuo nomine eam Mariam vocat: vtpote genere alienus. Dauid autem illam ipſam, vt ex ſuo ſemine oriundam, filiam nominat. Pſal. 44. *Atha.*

Theophylact: Primum, timorem à corde ipſius repellit, vt in quiete conſtituta, diuinum reſponſum accipiat. Neque enim fieri poteſt, vt turbata diligenter audiat, quæ euentura ſunt. Quod ſupra dixit gratioſa, quaſi interpretans dicit: Inueniſti enim gratiam coram Domino. Hoc enim eſt gratioſam eſſe, vel gratificatam, quod inuenerit gratiam apud Deum, hoc eſt, placuerit Deo. Verum hoc commune habet cum multis. Multæ enim & alię inuenerunt gratiam coram Deo: non autem id quod infertur. *Theoph.*

Antipat: Inueniſti gratiam, quam perdidit, quæ primum fuit creata fœmina. Illa ſola ſuſcepit deceptionem: tu autem ſola attuliſti ſolutionem deceptionis. *Antip.*

Not. 5. ver. 5.

ATHA: ſer. de ſanctiſſ. Deip: Per hoc aduerbium: Ecce, quod demonſtrandi vim habet, quaſi de tempore iam inſtanti loquitur. *Atha. Ecce. Quando Chriſtus ſit conceptus.*

Apud Hier. epiſt. de viro perfecto: Denique rem nouam plenam miraculi, nouo verbo propheta dum promittit, exequitur: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium. Quotidie certè de procreandi neceſſitate mulierum conceptus & cernimus, & audimus; de nulla tamen *Hier.*

Vt Maria ſit prima, & ſola, quæ in vtero concepit.

dicitur: In vtero concipit: quoniam ſubſtantia futuri hominis, fuſa per virum, coaleſcit in fœmina: vteruſque mulieris non principium eſt naſcituri hominis, ſed depoſiti nutrimentum. Maria autem non tam prima, quam ſola in vtero concipit: cuius pudoris illibatio conceptum vteri ſine damno virginitatis expreſſit, quæ ſola nobis peperit, quod non accepit ex nobis; dicente Domino: Vos de inferioribus eſtis, ego de ſuperioribus ſum. Quæ mater eſt filio, cum virgo ſit marito: cuius conceptionem ignorante virginitate partus agnouit: quæ ſola mulier dicta eſt, non concipiendo, ſed pariendo. Ex hac ergo ſemen promiſſum eſt mulieris, quod ſecundum hominem Dominus Deus noſter eſt: qui non infuſus eſt in vtero, ſed inuentus, Euangeliſta confirmante, cum dicit de Maria: Inuenta eſt in vtero habens. Ecce & ab ipſo præcedente Prophetæ ſermone non deuiat, quod fuerat nunciatum: Virgo in vtero concipiet: ſed in myſterij nouitate, ſermonis etiam parilitate concordat: eoque ſtilo facti hiſtoria deſignatur, quo faciendum denunciat. Et Propheta ait Eſaias: Virgo in vtero concipiet: Matthæus refert: Inuenta eſt in vtero habens. Verbo ipſo promiſſionis reſpondet effectus, quod non aliter loquitur Euangeliſta quam vates; nec ad exprimendam operis nouitatem inuentæ elocutionis difficultate confunditur.

Eſa. 7. Matth. 1.

Theoph. Quando Chriſtus ſit incarnatus.

Theophylact. Luc: 2: Obſerua autem quod non ſtatim, vt dixit Angelus, concipies filium, conceptus eſt Dominus: ſed poſtea, quando voluit. Vide enim quid dicat, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Et hoc verbo oſtenditur id quod diximus. Non enim dixit: Ecce concipis; ſed: Ecce concipies. Atque ex his animaduertere licet, quod hora quidem illa conceptus fuerit Dominus: non autem illo momento, quo Angelus dixit: ſed forte poſteaquam compleuit ſermones. Hæc autem non dixerimus definitiue.

Not 6. ver. 6.

Atha. Sedes Dauid.

ATHAN. ſer. de ſanctiſſ. Deip: Accipit autem in his verbis thronum Dauidis corporaliter, ex ratione proſapiæ, qua pater illi Dauid fuit. Attende quæſo ſententiam, & dogma, quod hac interpretatione conſtituitur. Rimantur enim omnia hæretici, ſeſe inuicem adhortantes, & fallacioſè quærunt, an acceperit thronum Dauidis patris ſui, & regnauerit ſuper domum Iacob in æternum? & num iſta ſubſecuta ſint poſt incarnationem eius? quibus ita reſpondemus, non obiter; ſed cum quadam obſeruatione verba iſta attendenda eſſe, cum Angelus dicit: Et dabit illi Dominus ſedem Dauidis; neque enim addidit, vt conformaret, aut corroboraret; ſed ſimpliciter locutus eſt; dabit. Et iam hinc, ex vi eorum, quæ ex hoc verbo colliguntur, quærenda dubij iſtius ſolutio eſt; eò quod, dabit, pronunciauerit, vt transferret hunc thronum. Quemadmodum & ipſe

An Deus Chriſto dederit ſedē Dauidis.

Chriſtus interpretatur, ad Iudæos loquens: Idcirco auferetur regnum à vobis, & dabitur genti facienti fructus eius. Ergo capiens Chriſtus thronum Dauidis, tranſtulit illum, & dedit ſanctis Chriſtianorum regibus, vt conuerteret eos ad domum Iacob, qua tradita in opprobrium, & direptionem, regnabit in Chriſtianis in æternum, & regni eius non erit finis. Non enim populo vlli alij reſidui ſunt Prophetæ, ſecundum viſiones Danielis, ſed hũc ſolum Meſſiam eſſe prædicant, & regem agnoſcunt, perſeuerantem vſque ad ſecundum ſuum ipſius aduentum: quo tempore cum venerit, manebit Rex in ſecula, & regni eius non erit finis. Siquidem genitus ex virgine, & conſummatis omnibus, quæ ad negotium mortis, & crucis pertinebant, poſt reſurrectionem ad ſuos aiebat: Data eſt mihi omnis poteſtas, in cœlo, & in terra. Ecce iam inde regnare incepit, & prædicatur Chriſtianorum Rex, quemadmodum in exordio precum ſuarum ſe inuicem adhortantes, atque in cœtum conuocantes clamare ſolent: Venite, adoremus, & procidamus coram Chriſto Rege noſtro: & illud itidem: Is, qui venturus eſt in magno ſuo, & illuſtri aduentu, permanebit regnans in æternum, & regni eius non erit finis.

Chriſtus in æternũ manebit Rex. Matt. 28

Eut. Quomodo erit magnus.

Euthym: Magnus, propter magnitudinem operum, ac ſermonum ſuorum. Erat quidem filius Altiſſimi: ita autem poſtea etiam vocatus eſt ab his, qui in ipſum crediderunt. Thronum, ſiue regnum, & poteſtatem ſuper Hebræos. Populus Dei, quandoque Iſrael vocatur, interdum verò Iacob. Vnus enim, idemq; homo, & Iſrael, & Iacob erat. Et natura quidem Iacob vetus erat populus, vtpote à Iacob per ſanguinis cognationem deſcendens; adoptione verò Iſrael, nouus erat populus. Nam pro veteri inductus eſt nouus populus. Super hunc itaque nouum populum, regnabit in æternum, id eſt, ſemper, qui videlicet ex operibus, ac ſermonibus ipſum agnouit, ſeſeque illi voluntariè ſubdidit. Chriſtus ſiquidem & in quantum Deus Rex erat: Regnum, inquit, meum, non eſt ex hoc mundo; & in quantum homo; habebat enim regis opera, puta ſubditis leges condere, dirigere, excolere, ac pro eis morti ſeſe exponere. Nam hæc potiſſimum eum, qui rex eſt, inſigniunt.

Thronus Dauid. Domus Iacob.

In æternũ

Chriſtus etiã vt homo eſt rex Ioan 19

Regis officium.

Amb. Quomodo ſit magnus

Amb. lib. 2. in Luc. Fusè oſtendit hunc aliter fuiſſe magnum, quam Ioannes.

Not. 7. ver 7.

Atha.

ATHAN. ſerm. de ſanctiſſ. Deipara: Et hîc hæſitat virgo, vtpote ad naturam reſpiciens: & de Ioſeph cogitans, cui nupta erat, ad Angelum tale reſponſum dedit: Quoniam virum non cognoſco, quomodo iſtud fiet, ignoro: Sed dic mihi, atque interpretare, quomodo iſtud fieri poſſit. Et orat. quod vnus ſit Chriſtus: Ipſa virgo, nuncio tam læto accepto, admirata eſt iſtam procreandi Saluatoris rationem: Quomodo fiet, inquit. Quo tempore indicatum illi fuit, diuinum hunc eſſe naſcendi modum ſub ſpecie carnea.

Atha.

Amb.

Amb. Amb. ep. 81. lib. 10: Dixerat: Quomodo fiet iſtud? non de fide generationis interrogans.

Amb. Et lib. 2. de Abraham Patriarcha cap. 8: Qui quærit quomodo ſciat, non dubitat manifeſtante Deo cognoſcere ſe poſſe: ſed formam vult acquirendæ cognitionis aduertere. Nam & in Euangelio, Maria cum audiſſet ab Angelo, quod virgo paritura eſſet filium, reſpondit: Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoui. Et iure reſpondit, hoc eſt, cum id, quod naturæ eſt, non ſuppetat: quia non ſolet parere virgo, quæ viro non fuerit copulata; quęro, quomodo præter inſtituta naturæ poſſim generare.

Amb. Et lib. 2: in Luc: Videtur hic non credidiſſe Maria, niſi diligenter aduertas. Neque enim fas eſt, vt electa ad generandum vnigenitum Dei filium fuiſſe videatur incredula. Quo autem modo fieri poſſet, licet ſalua prærogatiua ſit matris, cui profecto fuit amplius deferendum. Sed vt prærogatiua maior, maior etiam fides ei debuit reſeruari. Quo ergo fieri modo poſſet, vt Zacharias, qui non crediderat, ſilentio condemnaretur: Maria autem ſi non credidiſſet, Spiritus ſancti infuſione exaltaretur? Sed neque non credere Maria, neque tam temere debuit vſurpare, non credere Angelo, vſurpare diuina. Neque enim facile erat ſcire myſterium abſconditum à ſeculis in Deo, quod nec ſuperiores poteſtates ſcire potuerunt. Et tamen non fidem renuit, non officium refutauit; ſed accommodauit affectum, ſpopondit obſequium. Etenim cum dixit: Quomodo fiet iſtud? non de effectu dubitauit: ſed qualitatem ipſius quæſiuit effectus. Quanto temperantior iſta reſponſio, quam verba ſunt ſacerdotis? hæc ait: Quomodo fiet iſtud? Ille reſpondit: Vnde hoc ſciam? hæc iam de negotio tractat: ille adhuc de nuncio dubitat. Negat ille ſe credere, qui negat ſcire; & quaſi fidei adhuc alium quærit auctorem: iſta ſe facere profitetur, nec dubitat eſſe faciendum, quod quomodo fieri poſſit, inquirit. Incredibilis, & inaudita generatio ante audiri debuit, vt crederetur. Virginem parere, diuini eſt ſignum myſterij, non humani. Denique

Eſa. 7. accipe, inquit, ſignum tibi: ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium. Legerat hoc Maria: Ideo credidit futurum: ſed quomodo fieret, ante non legerat. Non enim quemadmodum fieret, vel Prophetæ tanto fuerat reuelatum. Tantum enim mandari myſterium, non hominis fuit, ſed Angeli ore promendum. Et paulo inferius: Maria autem cum dicit: Quomodo fiet iſtud: quoniam virum non cognoui? non videtur dubitaſſe de facto; ſed de facti qualitate quęſiſſe. Liquet enim quia faciendum eſſe crediderit, quæ quomodo fieret interrogauit. Vnde & meruit audire: Beata, quę credidiſti. Et vere beata, quæ ſacerdote præſtantior, cum ſacerdos negaſſet, virgo correxit errorem. Nec mirum ſi Dominus redempturus mūdum, diuinam operationem ſuam inchoauit à matre, vt per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum ſalutis hauriret ex pignore. Et bene quæſiuit quomodo fieret. Legerat enim, quia virgo conciperet: non legerat, quomodo virgo generaret. Legerat, vt dixi: Ecce virgo in vtero accipiet: Eſa. 7. quomodo autem acciperet, in Euangelio primum Angelus eſt locutus.

Aug. Aug. etiam ho. 44. Fuſe oſtendit Zachariam fuiſſe incredulum, non autem Mariam. Sic etiam Amb. ſer. 63.

Aug. Aug. lib. de ſancta virg. cap. 4: Ipſa quoque virginitas eius gratior, & acceptior: quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quam conſeruaret ipſe præripuit: ſed priuſquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit: Quomodo, inquit, fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Quod profecto non diceret, niſi Deo virginem ſe ante vouiſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro iuſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa iam vouerat.

Aug. Bern. Amb. Anſel. Bed. Nyſſ. Vide etiam ſerm. 18. de temp. & Bern. ſer. 4. de Aſſumpt. & hom. 4. ſuper Miſſus. & Amb. lib. 2. in Luc. & Anſel. hom. in illud Euangelium: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum. Et lib. de Excellentia Virginis cap. 4. & Bed. Luc. 1. & Nyſſen. hom. de Chriſti Natiuit.

Not. 8. ver 8.

Hier. Apud Hieron. epiſt. de viro perfecto: Angelus non infidelitatem redarguit, vt in Zacharia: ſed inſtituit de diuinæ operationis nouitate.

Ruff. Ruffin. in ſymbol. apud Hieron: Vide ergo cooperantem ſibi inuicem Trinitatem. Spiritus ſanctus venire dicitur ſuper virginem, & virtus Altiſſimi obumbrare ei. Quæ eſt autem virtus Altiſſimi, niſi ipſe Chriſtus, qui eſt Dei virtus, & Dei ſapientia? Cuius autem hæc virtus eſt? Altiſſimi, inquit. Adeſt ergo Altiſſimus, adeſt & virtus Altiſſimi, adeſt & Spiritus ſanctus. Hæc eſt Trinitas, vbique latens, & vbique apparens, vocabulis, perſoniſque diſcreta, inſeparabilis vero ſubſtantia deitatis. Et quamuis ſolus filius naſcatur ex virgine, adeſt tamen & Altiſſimus, adeſt & Spiritus ſanctus, vt & conceptus virginis ſanctificetur, & partus.

Atha. Athan. ſer. de ſanctiſſ. Deip: Atque hæc eſt, inquit, concipiendi ratio. Quibus iterum neceſſario eſt inſiſtendum, conſiderandumque Cur hoc dicatur. qua ratione ad Virginem dictum ſit: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi te obumbrabit: Nunquid itidem, vt ad Apoſtolos dixit Chriſtus: Vos autem ſedete Hieroſolymis, donec induamini virtute ex alto, adueniente in vos Spiritu ſancto? Act. 1. Idem enim genus promittendi, & eadem ratione intelligi poteſt: cum & hic virtutem ab Altiſſimo superuenturam in Apoſtolos, & Spiritus ſancti acceſſum denunciet. Quid igitur? num vt Apoſtolis Spiritus, & virtus Altiſſimi promittitur; ita & virgini quoq; promittitur? Quod ſi eadē ratione huic, vt Apoſtolis, promiſſio facta eſt; itidemq; An Apoſtolis, vt Mariæ ſpiritus ſit promiſſus.

 virtus

virtus altiſſimi, & Spiritus ſanctus in eam deſcenderit, ſequitur, vt cum in Apoſtolis ea ipſa virtus, & Spiritus ſanctus incarnationem non fecerit, neque in virgine virtutem altiſſimi, aut obumbrationem ſancti Spiritus incarnationem operatam fuiſſe, nec hominem eſſe factum, quanquam etiam alius ſecundum eam conſuetudinem, quæ in ſacris ſcripturis eſt, virtus Altiſſimi appellatur. Enimuero, vt in Apoſtolos virtus iſta ideo deſcendit, vt contra omnem aduerſariam virtutem vigerent: ideoque Spiritus ſuperuenit eſſentialiter, cum omnibus ſuis dotibus, vt efficaciam acciperent omnibus ſignis, prodigijs, & portentis, ad confirmandam, certamque, & indubitatam reddendam promiſſionem Chriſti: ita quoque Spiritus ſanctus in virginem deſcendit, cum omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus, quæ illi per rationem diuini principatus adſunt, imbuens eam in gratia, vt in omnibus gratioſa eſſet, atque idcirco gratia plena cognominata eſt: eo quod adimpletione Spiritus ſancti omnibus gratijs abundaret, & virtute Altiſſimi obumbraretur. Quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuiſſe confido, & poſt conceptum etiam retinuiſſe. Neque enim id temporarium in virgine accidiſſe opinor: ſed per omnia tempora hoc illi datum fuiſſe. Quemadmodum & nunc in præſentia, & in æternum vſque habet hæc virgo ſibi obumbrantem virtutem Altiſſimi, & ſuperuenientem Spiritus ſancti, & virtutem Altiſſimi, vt ſit gratia plena. Ita enim iſthic opinamur omnia illi per gratificationem Spiritus ſancti, & virtutem Altiſſimi donata fuiſſe: & nequaquam ſicuti hæretici dicunt, vim ſcilicet quandam, energiamque ſpiritus inditam eſſe virgini, vt incarnatio perficeretur. Nam tam etſi ſine ſeminio id factum credimus, tamen non ita loquimur, quòd ſecundum eam diuiſionem gratiarum, qua ſpiritus ſingulis diuidit prout vult, caro iſta formata ſit, citra interuentum propriæ eſſentiæ filij Dei, abſit. Ea enim eſt mens Pauli Samoſatenſis, & reliquorum hæreticorum: verum ita loquimur ſecundum orthodoxorum dogmatum rectitudinem, virtute, & ſpiritu eſſe impletam virginem, tum vt corpus eius ſanctificaretur, tum vt ſalutarem illum fœtum concipere poſſet. Atque ita deinceps diuina verbi natura ibi ſuum tabernaculum eligens, in ea incarnationem aſſumpſit, & homo factus eſt: non ita quidem vt potentiam aliquam operandi vim illi indderet, ſed vt in ea naturaliter ſecundum vniuerſam integritatem deitatis, perſona filij ab initio Deus, & vlterior initio, carnem, & hominis conditionem indueret. Declaratum enim ſuperius eſt, virtutem, regnumque, atque alia omnia iſtius generis, de quibus in ſacris literis mentio fit, non ita de vnoquoque ex Trinitate eſſe intelligenda, quaſi ſingula eorum perſonam propriam denotent, ſed ita accipi debere, quaſi ea non ſubſtantiam ſignificent, ſed ſubſtantiæ proprietates, atque ita energiam, & virtutem circa perſonam eſſentialiter referri, & in commune quidem ea de vnaquaque perſonarum diuinarum prædicari, proprie tamen ſolum ad perſonam filij incarnatam, & hominem factam pertinere. Superuenit igitur Spiritus ſanctus ſuper eam, & ſanctificauit ipſam, vt in Pſalmis Spiritus dicit: Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus: & obumbrauit virtus altiſſimi, corroborans eam, & diuinæ vmbræ imaginem induxit, vt inde lineamentis collectis, videre poſſet, quatenus poſſibile eſt, Deum formæ expertem in ſe concipi. Non enim ſuſpicandum eſt, quod ſecundum ſimplicem naturæ ſuę proprietatem, virgo in ſe habitantem Deum videre potuerit, aut quod ipſa animata rationaliſque, & intellectualis incarnatio cõſpicere valuerit: ſed quatenus poſſibile fuit, vtpote obumbrante illam virtute altiſſimi, & vmbras lineamentaque quaſi faciente, vt videret, quatenus fieri poterat, Deum in ſe habitantem. Et vt nos ipſi animam inhabitantem in carne noſtra poſſidemus, nec tamen quomodo, qualiſue ea ſit, conſpicere poſſumus: ſed quaſi vmbram eius, & lineamenta ex virtutibus eius, & internis efficacijs colligimus. Tale quiddam tum virgo, tum ipſa rationalis, & intelligens anima contueri poterat, atque etiam nunc poteſt ex potentijs, operationibusque inde prodeuntibus.

Cur, & quomodo ſpiritus in Apoſtolos deſcendit.

Vt ſpiritus in Mariam venerit.

Vt gratia plena ſit cognominata.

Gratia Mariæ data eſt in æternum

Incarnatio facta non eſt ſine verbi eſſentia.

Pſal. 45.

Vt Maria Deum in ſe habitantem viderit.

Greg. lib. 18. Moral. cap. 11: Pro vrtica igitur creſcit myrthus, cum iuſtorum mentes à prurigine, & ardore vitiorum, ad cogitationum temperiem, tranquillitatemque perueniunt: dum iam terrena non appetunt; dum flammas carnis, deſiderijs cœleſtibus extingunt. Et cap. 12: Propter hoc quoque mentis refrigerium cœlitus datum Mariæ dicitur: Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Quamuis hac in re per obumbrationis vocabulum, incarnandi Dei vtraque potuit natura ſignari. Vmbra enim à lumine formatur, & corpore. Dominus autem per diuinitatem lumen eſt, qui mediante anima, in eius vtero fieri dignatus eſt per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in eius erat vtero corporandum, ei quæ incorporeum concepit ad corpus dicitur: Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, id eſt, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen diuinitatis. Et lib. 33. cap. 3: Obumbratio in ſacro eloquio, aliquando incarnatio Domini ponitur: vel mentis refrigerium à feruore carnalium cogitationum: vnde appellatione vmbræ ex ſuperna protectione hoc ipſum refrigerium cordis inſinuari ſolet. Aliquando vero vmbra, recedente charitate torpor frigidæ mentis accipitur. Nam quod Dominica incarnatio, ſeruata veritate hiſtoriæ, obumbrationis appellatione ſignetur, Angelicus ſermo teſtatur, qui ad Mariam ait: Virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Quia enim vmbra non aliter exprimitur, niſi per lumen, & corpus virtus ei altiſſimi obumbrabit: quia in eius vtero lux incorporea corpus ſumpſit. Ex qua videlicet obumbratione omne in ſe refrigerium mentis accepit.

Greg.

Obumbratio Mariæ quid ſit.

Greg.

Vt Mariæ virtus altiſſimi obumbrauerit.

Amb.

Amb. Amb. lib. 1. in Luc: Tanti mandati myſterium, non hominis fuit; ſed Angeli ore promendum. Hodie primum auditur: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Et auditur, & creditur.

Tit. Angelus Trinitatis myſterium virgini aperit. Titus Luc. 1: Obumbrabit tibi, hoc eſt, vndiquaque circundabit te, induet te, circumuallabit te, complectetur te. Obſeruare hic autem licet, quomodo, dum Spiritum ſanctum, virtutemque, & altiſſimum nominat, totam ſanctiſſimam Trinitatem virgini patefaciat:

Not: 9. ver. 9.

Atha. Cur ex te sit potius quam in te. ATHAN. epiſt. ad Epict: Gabriel circunſpecte, & cum bona cautione euangelizauit, non ſimpliciter dicens: Id quod natum fuerit in te: ne forinſecus introductum in eam corpus exiſtimari poſſit; ſed: Quod ex te, inquit, naſcetur: quo ex eius natura, eum primogenitum eſſe agnoſcere liceret. Liquido hoc ipſum natura demonſtrante, impoſſibile eſſe virginem lac habere citra partum: impoſſibile item eſſe lacte nutriri corpus, & faſcijs conſtringi, quod non prius naturaliter editum eſſet. Atha. Et in declaratione Leuitici: Manifeſtius autem, & indubitatius colloquium inter Mariam, & Archangelum habitum, vnitionem Dei & hominis declarauerit. Ait enim: Spiritus ſanctus ſuperuenier in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: Ideoque quod natum erit ſanctum, vocabitur filius Dei. Stulte igitur Samoſateſes verbum ſeparant, quod conſtat coniunctum eſſe cum homine ex Maria genito. Atha. Et in diſputatione cõtra Arium: num igitur quia Angelus Mariam ſic affatus eſt, vt non de ipſa, ſed ex ipſa gignendum diceret filium: Gal. 4. & quia Apoſtolus ex muliere, non de muliere natum aſſeruit filium, ob hoc in Chriſto veri hominis natiuitatem nequaquam profitebimur, aut extrinſecus, & non propriæ, virginali credemus vtero proceſſiſſe? Atha. Et ſer. cont. omnes hæreſes: Conuertam igitur verba noſtra ad Marcionem, & Valentinum, & Baſilidem, aſſerentes Dominum, veluti aquam per canalem; penetraſſe per impollutam Deiparam virginem. Quid? an non auditis; quid Archangelus Gabriel virgini loquatur: Aue gratia plena, &c. quod ex te naſcetur, ſanctum vocabitur? Si igitur dixiſſet: Per te; veriſimile aliquid haberet iſta impudentia: cæterum cum dicat: Ex te; clare demonſtrat, Deum verbum aſſumpſiſſe ex ea humanum templum.

Elias. Elias Crete. ad orat. 5. Naz: Nota mihi hoc loco, Gabrielum ſaltem vnum Emmanuelem agnoſcere, qui pariendus eſſet ſecundum carnem è ſancta illa virgine. Appellatur is ſanctus, non quod inhabitatorem filium Dei habiturus; perque communicationem ſanctificandus eſſet: ſed quod à natura ſanctus, idemque Dei filius, & filius hominis, & de vtroque vnum eſſer, de natura ſcilicet diuina, & humana: quod denique non ſolum propter vnionem hypoſtaticam idem & Dei filius, & filius hominis tam eſſet, quam diceretur: ſed etiam propter nominum inter ſe permutationem; cum ſæpe Deus homo, viceque verſa homo Deus appelletur, ob ſummam vnionem, & complexum quaſi mutuum.

Amb. lib. de Incarn. Dom. ſacram. cap. 6: Ex te, inquit, vt ſecundum hominem, quod ex ipſa naſceretur aduerteres. Ex ſe enim generauit Maria, vt quod generatur ex ipſa, in eo, ſalua generationis Dominicæ prærogatiua, corporis eſſet vera natura. Amb.

Fulg. lib. de Incarn. & gratia cap. 3: Ex hoc loco, & alijs probat verbum carnem eſſe factum non ſolum in virgine, ſed etiam ex virgine. Fulg.

Bern. hom. 4. ſuper Miſſus: Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Bern.
Quod eſt dicere; quoniam non eſt de homine, ſed de Spiritu ſancto, quod concipies, concipies autem Altiſſimi virtutem, hoc eſt, filium Dei: ideoque & quod naſceretur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei, id eſt, non ſolum, qui de ſinu patris in vterum tuum veniens obumbrabit tibi: ſed etiam id, quod de tua ſubſtantia ſociabit ſibi, ex hoc iam vocabitur filius Dei: quemadmodum & is, qui à patre eſt ante ſecula genitus, tuus quoque amodo reputabitur filius. Sic autem & quod natum eſt ex ipſo patre, erit tuus: & quod naſcetur ex te erit eius: vt tamen non ſint duo filij, ſed vnus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo ſit; iam non tamen cuiuſq; ſuus: ſed vnus vtriuſque erit filius. Attende quæſo, quam reuerenter dixerit: Quod naſcetur ex te ſanctum. Vt quid enim ita ſimpliciter, ſanctum, & abſque additamento? Credo, quia non habuit quid proprie, digneue nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reuerendum, quod de puriſſima videlicet virginis carne, cum ſua anima, vnico patris erat vniendum. Si diceret, ſancta caro, vel ſanctus homo, vel ſanctus infans, quicquid tale poneret, parum ſibi dixiſſe videretur. Poſuit ergo indefinite ſanctum: quia quicquid illud ſit, quod virgo genuit ſanctum proculdubio, ac ſingulariter ſanctum fuit, & per Spiritus ſanctificationem, & per Verbi aſſumptionem.

Greg. lib. 18. Moral. cap. 35: Sed ne acceptis quiſquam virtutibus extollatur, à ſancto viro nunc dicitur: non adæquabitur ei topazium de Æthiopia: ac ſi aperte dicat: nullus ſanctorum quibuſlibet virtutibus plenus, ex iſta tamen nigredine mundi collectus, æquari ei poteſt, de quo ſcriptum eſt: Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Nos quippe etſi ſancti efficimur: non tamen ſancti naſcimur. Quia ipſa naturæ corruptibilis conditione cõſtringimur; vt cum Propheta dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis peperit me mater mea. Ille autem ſolus veraciter ſanctus natus eſt, qui vt ipſam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non eſt. Greg. Iob 28. Pſa. 50. Solus Chriſtus natus eſt ſanctus.

Anſel. lib. 2. cur Deus homo. cap. 16: Boſo: Placeret mihi multum quod dicis, niſi cum ipſe debeat à ſeipſo habere munditiam à peccato, videtur eam habere à matre; & per ſe mundus non eſſe: ſed per illam. Anſ. non ita eſt. Sed Anſel.

quoniam matris munditia, per quam mundus eſt, non fuit niſi ab illo, ipſe quoque per ſeipſum, & à ſe mundus fuit. Boſo. Bene eſt de hoc.

Tit. Titus Luc.1: Non dicit Angelus ad Virginem, quod natum eſt, ſimpliciter: ne quis corpus, quod ex ea prodijt, aliunde petitum exiſtimet: Cur ait, ex te. ſed addit, Ex te; quo nimirum, quod naſcebatur, ſecundum naturam ortum ex illa ducere, adeoque naturalem illius fœtum eſſe, certo perſuadeat. Hæc duo monoſyllaba, Ex te, ex textu non ſunt auferenda. Leguntur enim in vetuſtiſſimis etiam Biblijs: & manifeſtum eſt antiquos Patres ea legiſſe. Ita etiam legunt tam antiqua, quam noua Miſſalia, & Breuiaria, ſiue Romana, ſiue alia. Proinde dubitari non debet, quin ad textus integritatem, & litteram veterem, ea pertineant.

Not. 10. ver. 16.

Amb. AMB. lib. 3. in Luc: Cognata quoque Mariæ inducitur Elizabeth: primo quod omnes Iudæi cognati, quemadmodum & Apoſtolus docuit, Rom. 9. dicens: Optabam enim anathema eſſe ipſe, pro fratribus meis, cognatis ſecundum carnem, qui Vt Elizabeth Mariæ cognata fuerit. ſunt Iſraëlitæ. Cognatæ ergo, quia ambæ Iſraëlitæ erant: ſimul & cognatæ; quia ambæ erant ex tribu Iuda. Didiciſti ex tribu Iuda Mariam, diſce & Elizabeth. Simul quam pulchrum, vt cum illa prænuncium Chriſti, Chriſtum illa generauerit; & altera de Spiritu ſancto conceperit, altera ſancto repleta Spiritu prophetauerit, ſecundum carnem quoque videantur fuiſſe cognatæ, quæ ſecundum Deum, ſpiritalis cognationis conſortio non carebant. Vide eundem Amb. lect. 1. fer. 6. quat. temp. Aduent.

Aug. Apud Aug. ſer. 25. ad Frat. in Eremo: Elizabeth filia fuit ſanctæ Iſmaræ: quæ quidem Iſmara ſoror fuit carnalis ſanctæ Annæ, matris Aug. Dominæ noſtræ. Et cap. 47. lib. Quæſt. in lib. Iudic: Solebant enim nubere fœminæ de alijs tribubus, in alijs tribubus. Vnde & Saul, cum eſſet de tribu Beniamin, dedit filiam ſuam Dauid, homini de tribu Iuda. Et ſacerdos Ioiade, vtique homo de tribu Leui, duxit filiam Ioram Regis, hominis de tribu Iuda. Hinc factum eſt, vt Elizabeth, & Mariam cognatas in Euangelio legamus, cum fuerit Elizabeth de filiabus Aaron. Ex quo intelligitur de tribu Leui, & filiabus Aaron aliquam nupſiſſe in tribum Iuda, vnde ita fieret inter ambas illas cognatio; vt Domini caro non ſolum de regia, verum etiam de Aug. ſacerdotali ſtirpe propagaretur. Et quæſt. 61. lib. 83. quæſt: Alia enim erat origo ſacerdotalis, quæ per vnum ex filijs Dauid, ſicuti aſſolet de tribu ſacerdotali patrimonium ſortientem effecerat: vt Maria de vtraque tribu, id eſt, de regia, & ſacerdotali, cognationē duceret. Nam & quando cenſiti ſunt Ioſeph, & Maria, ſcriptum eſt eos fuiſſe de domo, id eſt, de genere Dauid. Et Elizabeth, quæ nihilominus cognata Mariæ ſcribitur, erat de tribu ſacerdotali.

Niceph. Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 3. ex diuino Hippolyto Portuenſi Epiſcopo: Salome filia fuit Aggæi, fratris Zachariæ Prophetę, eiuſdemq; Ioannis Baptiſtæ patris: Zacharias vero & Aggæus filij erant Barachiæ ſacerdotis: ita vt Salome ipſa, & Ioannes Baptiſta, duorum fratrum liberi fuerint. Salomen porro dico, non illam in Bethleem obſtetricem. Illa enim Bethleemitica, conſobrina Elizabetæ erat, & item ſanctæ virginis Mariæ, vt hoc ſacrum Lucæ Euangelium indicat. Siquidem tres fuêre ſorores Bethleemiticæ, filiæ Matthan ſacerdotis, & Mariæ coniugis eius, ſub Cleopatræ, & Caſoparis Perſæ regno, ante Herodis Antipatri filij regnum. Primæ Mariæ, ſecundæ Sobæ, tertiæ Annæ nomen erat. Nupſit prima in Bethleem Maria, & peperit Salomen obſtetricem. Nupſit quoque ſecunda itidem in Bethleem Sobæ, & genuit Elizabetam. Nupſit poſtremo & tertia Anna in terra Galilæa, & protulit Mariam Dei genitricem. Ita vt Salome iſta obſtetrix, & Elizabet, & Dei mater, trium ſororum reperiantur filiæ. Proinde Ioannes Baptiſta, & Ieſus verus Deus noſter, conſobrini eſſe dicuntur.

Zacharias Barachiæ filius. Vt Elizabeth Mariæ ſit cognata.

Quomodo Elizabeth Mariæ cognata fuerit, cū illa ſit de tribu Leui; hæc vero de tribu Iuda; varijs modis oſtenditur. Sane ex diuina ſcriptura perſpicuum eſt, domum Dauid, cum domo Aaron fuiſſe permixtam. Certa ergo inter has familias eſt cognatio. Atque ita manifeſtum eſt Mariam, & Elizabetam eſſe cognatas. Verum quomodo in particulari ſint cognatæ, non ita certo conſtat, niſi earum genealogiæ, ſecundum vtrumque ſexum, probe cognoſcantur. Aliqui putant Elizabetam fuiſſe neptem Annæ Chriſti auiæ: vtpote filiam ſororis Annæ, quæ dicebatur Iſmara, & erat de tribu Iuda. Itaque beata virgo Maria, & Elizabeth, duarum erant ſororum filiæ, nimirum Annæ, & Iſmaræ: Et ſic propriſſime erant cognatæ. Cæterum Elizabeth de filiabus Aaron fuiſſe dicitur, ex parte ſui genitoris, non matris: vt maritus Iſmaræ de tribu Aaron fuerit. Ita cognatio Elizabetæ cum Maria explicatu eſt facilis. Verum quomodocumque iſta cognatio explicetur, ſaluum eſſe debet illud Apoſtoli ad Heb. 7: In quo hæc dicuntur, inquit, de alia tribu eſt, de qua nullus altario præſto fuit. Manifeſtum eſt enim, quod ex tribu Iuda ortus ſit Dominus noſter: in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt. Ioachimus, & Anna de tribu Iuda orti ſunt. Igitur Maria virgo de tribu Iuda duntaxat eſt nata. De qua tribu venturum Meſſiam diuinæ ſcripturæ dixerunt Gen. 49. & Pſ. 131. Errant ergo, qui Elizabetæ, & Mariæ cognationem explicantes, hanc etiam de domo Aaron fuiſſe aſſerunt.

Ad tribum Leui Chriſtus, & Maria non pertinent.

Vnde ſic habet Aug. quæſt. 61. lib. 83. quæſt: A Dauid enim in duas familias, regiam, & ſacerdotalem, origo illa diſtributa eſt: quarum duarum familiarum, ſicut dictum eſt, regiam deſcendens Matthæus, ſacerdotalem aſcendens Lucas ſecutus eſt: vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, rex, & ſacerdos noſter, & cognationem duceret de ſtirpe ſacerdotali: & non eſſet tamen de tribu ſacerdotali, hoc eſt, de tribu Leui: ſed Aug.

eſſet

eſſet de tribu Iuda, hoc eſt, de tribu Dauid, ex qua tribu nemo intendit altari. Ideo & filius Dauid maxime dicitur ſecundum carnem: quia & Lucas aſcendens, & Matthæus deſcendens, in Dauid ſibi obuiā facti ſunt. Oportebat enim vt euacuaturus ſacrificia, quæ ſecundum ordinem Aaron, in Leuitico ſacerdotio fiebant, non eſſet de tribu Leui: ne ad ipſam tribum, & ad ipſum ſacerdotium, quod temporaliter vmbra erat futuri, pertinere videretur mundatio peccatorum. Quam Dominus oblatione holocauſti ſui, quod in veteri ſacerdotio figurabatur, impleuit: Et holocauſti eius imaginem, ad memoriam paſſionis ſuæ, in Eccleſia celebrandam dedit: vt eſſet ſacerdos in æternum, non ſecundum ordinem Aaron: ſed ſecundum ordinem Melchiſedech.

Non de tribu Leui eſſe Chriſtus non debebat.

Ber. Cur Elizabethæ conceptus Mariæ nunciatur.

Bern. homil. 4. ſuper Miſſus: Quid fuit neceſſe, etiam huius ſterilis, virgini nunciare conceptum? Nunquid forte dubiam adhuc, & incredulam oraculo, recentiori voluit confirmare miraculo? abſit. Legimus & Zachariæ incredulitatem ab hoc ipſo Angelo fuiſſe caſtigatam: Mariam autem in aliquo reprehenſam non legimus: quin potius fidem ipſius, Elizabeth prophetante, laudatam agnouimus: Beata es, inquit, quæ credidiſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi, à Domino.

Zacharias fuit incredulus, non Maria.

Ratio 1. Sed ideo ſterilis cognatæ conceptus, virgini nunciatur, vt dum miraculum miraculo additur, gaudiū gaudio cumuletur. Porro neceſſe erat, non modico lætitiæ, & amoris præueniente inflammari incendio, quæ filium paternæ dilectionis, cum gaudio Spiritus ſancti, mox fuerat conceptura. Neque enim niſi in deuotiſſimo corde, atque hilariſſimo, tanta ſe capere poterat dulcedinis, & alacritatis affluentia.

Ratio 2. Vel ideo conceptus Elizabeth nunciatur Mariæ, quia profecto decebat, vt verbum mox diuulgandum vbique, prius ſciret virgo per Angelum, quam audiret ab homine: ne mater videlicet Dei, à conſilijs filij videretur amota, ſi eorum, quæ in terris tam prope gererentur, remanſiſſet ignara.

Ratio 3. Vel ideo potius conceptus Elizabeth Mariæ nunciatus eſt, vt dum nunc Saluatoris, nunc Præcurſoris edocetur aduentum, rerum tempus, & ordinem tenens, ipſa melius poſtmodum ſcriptoribus, ac prædicatoribus Euangelij referret veritatem, quæ & plene de omnibus à principio cœlitus fuerit inſtructa myſterijs.

Euangeliſtas Maria docuit.

Ratio 4. Vel ideo adhuc nunciatur Mariæ, conceptus Elizabeth, vt audiens cognatam vetulam, & grauidam cogitet iuuencula de obſequio: ſicque illa properante ad viſitandum, paruulo Prophetæ, locus, & occaſio detur, quo minori adhuc Domino, ſui officij valeat exhibere primitias: & dum ad ſe inuicem occurrit matrum, infantumq́; ab alterutro excitata deuotio, mirabilius fiat miraculum de miraculo.

A quo iſta mira ſint perficienda.

Vide autem ne hæc tam magnifica, quæ ab Angelo audis prænunciata, ab ipſo ſperes perficienda. A quo ergo ſi quæris, ipſum audi Angelum: Quia non erit, inquit, impoſſibile apud Deum omne verbum, tanquam diceret, hæc quæ ego tam fideliter promitto, non de mea, ſed de illius qui me miſit, virtute præſumo: quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Quale enim illi verbum impoſſibile poterit eſſe, qui omnia fecit in verbo? Monet me & hoc in verbis Angelicis, quod ſignanter non ait: Quia non erit impoſſibile apud Deum omne factum: ſed, omne verbum. An idcirco poſuit verbum, quia quam facile poſſunt homines loqui, quod volunt, etiam quod nullatenus facere poſſunt, tam facile, imo incomparabiliter facilius, valet Deus opere implere, quicquid illi verbo valent exprimere? Dicam apertius. Si hominibus tam facile eſſet facere, quam dicere quod volunt: & ipſis quoque non eſſet impoſſibile omne verbum. Nunc autem quoniam vulgaris, & verus ſermo eſt, multum intereſſe inter loqui, & facere; ſed apud homines, non apud Deum. Soli Deo quia idē eſt facere, quod loqui, idem loqui quod velle, merito non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Verbi gratia, potuerunt præuidere, & prædicere Prophetæ virginem, vel ſterilem concepturam, ac parituram: ſed nunquid facere vt conciperent, & parerent? Deus autē, qui dedit eis poſſe præuidere, quam facile potuit tunc quod voluit per illos prædicere tam facile potuit, nunc quando voluit per ſeipſum, quod promiſit implere. Siquidem apud Deum, nec verbum diſſidet ab intentione; quia veritas eſt: nec factum à verbo, quia virtus eſt: nec modus à facto, quia ſapientia eſt: ac per hoc non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.

Vt nullum Deo verbum ſit impoſſibile.

Cur potius ait: Omne verbum, quam omne factum.

Not. 11. ver. 11.

Atha. ATHAN. ſer. de ſanctiſſ. Deip: Illa vero etiam num hæſitans, ſed tamen optans: Fiat mihi, inquit, ſecundum verbum tuum.

Eut. Euthym. Luc. 1: Iam non ſolum credidit, ſed etiam optabat, vt ſibi contingeret, ſicut dixerat Angelus.

Bern. Bern. hom. 4. ſuper Miſſus: Audiſti virgo factum, audiſti & modum: vtrumque mirum, vtrumque iucundum. Iucundare filia Sion, & exulta ſatis filia Hieruſalem. (Zach. 2.) Et quoniam auditui tuo datum eſt gaudium, & lætitia: audiamus & nos à te reſponſum lætitiæ, quod deſideramus, vt iam exultent oſſa humiliata. Audiſti, inquam, factum, & credidiſti; crede & de modo quod audiſti. Audiſti quia concipies, & paries filium: audiſti quod non per hominem, ſed per Spiritum ſanctum. Expectat Angelus reſponſum: tempus eſt enim, vt reuertatur ad Deum, qui miſit illum. Expectamus & nos, ô Domina, verbum miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis. Et ecce, offertur tibi precium ſalutis noſtræ: ſtatim liberabimur ſi conſentis. In ſempiterno Dei verbo facti ſumus omnes, & ecce morimur: in tuo breui reſponſo ſumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur: hoc ſupplicat à te, ô pia virgo, flebilis Adam, cum miſera ſobole ſua, exul de paradiſo: hoc Abraham, hoc Dauid: hoc cæteri flagitant ſancti Patres, Patres ſcilicet tui, qui & ipſi habitant in

regione vmbræ mortis. Hoc totus mundus tuus genubus pronolutus expectat. Nec immerito, quando ex ore tuo pendet conſolatio miſerorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum: ſalus denique vniuerſorum filiorum Adam totius generis tui. Da virgo reſponſum feſtinanter. O Domina, reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & ſuperi. Ipſe quoque omnium rex, & Dominus quantum concupiuit decorem tuum; tantum deſiderat & reſponſionis aſſenſum: in qua nimirum propoſuit ſaluare mundum. Et cui placuiſti in ſilentio, iam magis placebis ex verbo: cum ipſe tibi clamet è cœlo: O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo terrenum facias audire vocem tuam; ipſe te faciet videre ſalutem noſtram. Nunquid non hoc eſt quod quærebas, quod gemebas, quod diebus, & noctibus orando ſuſpirabas? quid igitur? Tu es, cui hoc promiſſum eſt: an aliam expectamus? Imo tu ipſa, non alia. Tu, inquam, illa promiſſa, illa expectata, illa deſiderata, ex qua ſãctus pater tuus Iacobus, iam morti appropinquans, vitam ſperabat æternam, cum dicebat: Expectabo ſalu-
Gen. 49. tare tuum Domine. In qua deniq; & per quam Deus ipſe Rex noſter ante ſecula diſpoſuit operari ſalutem in medio terræ. Quid ab alia ſperas, quod tibi offertur? Quid per aliam expectas, quod per te mox exhibebitur, dummodo præbeas aſſenſum, reſpõdeas verbum? Reſponde itaque citius Angelo, imo per Angelum Domino. Reſponde verbum, & ſuſcipe verbum. Profer tuum, & concipe diuinum. Emitte tranſitorium, & amplectere ſempiternum. Quid tardas? quid trepidas? crede, confitere, & ſuſcipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenus conuenit nunc, vt virginalis ſimplicitas obliuiſcatur prudentiam. In hac ſola te, ne timeat prudens virgo præſumptionem: quia etſi grata in ſilentio verecundia; magis tamen nunc in verbo pietas neceſſaria. Aperi Virgo beata cor fidei, labia confeſſioni, viſcera creatori. Ecce deſideratus cunctis gentibus, foris pulſat ad oſtium. O ſi te morante pertranſierit, & rurſus incipias dolens quærere, quem diligit anima tua. Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per deuotionem, aperi per confeſſionem. Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Amb. Mariæ humilitas & deuotio. Cur ſe dicat ancillam.

Ambr. lib. 2. in Luc: Vide humilitatem, vide deuotionem. Ancillam ſe dicit Domini, quæ mater eligitur: nec repentino exaltata promiſſo eſt. Simul ancillam dicendo, nullam ſibi prærogatiuam tantæ gratiæ vindicauit, quæ faceret quod iuberetur. Mitem enim humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipſa præferre: habes obſequium, vides votum. Ecce enim ancilla Domini, apparatus officij eſt. Contingat mihi ſecundum verbum tuum, conceptus eſt voti. Quam cito ergo etiam de impari conceptione credidit Maria. Quid enim tam impar, quam Spiritus ſanctus, & corpus? quid tam inauditum, quam virgo prægnans contra legem, contra conſuetudinem, contra pudorem, cuius

Maria cito credidit, non ita Zacharias.

carior cura eſt virgini? Zacharias autem non de impari conditione; ſed de ſenili ætate non credidit: nam conditio congruebat. Ex viro, & fœmina ſolennis eſt partus; nec incredibile debet videri, vbi natura concordat. Cum enim ætas naturæ ſit, non natura ætatis, fit plerumq; vt ætas impediat naturam: non eſt tamen irrationabile, vt minor cedat cauſa maiori, & potior prærogatiua naturæ, vſum inferioris excludat ætatis. Huc accedit quod Abraham, & Sara filium in ſenectute ſuſceperant: & Ioſeph filius ſenectutis eſt. Quod ſi qua riſit Sara, reprehenditur: iuſtius condemnatur, qui nec oraculo credidit, nec exemplo.

Greg. Greg. lib. 18. Mor. cap. 36: Mediator quippe Dei, atq; hominum, homo Chriſtus Ieſus, non, ſicut iſte hæreticus deſipit, alter in humanitate, alter in deitate eſt. Non purus homo cõceptus, atque editus, poſt per meritum, vt Deus eſſet, accepit: ſed nunciante Angelo, & adueniente Spiritu, mox verbum in vtero, mox intra vterum verbum caro, & manente incommutabili eſſentia, quę ei eſt cum Patre, & cum ſancto Spiritu coæterna, aſſumpſit intra virginea viſcera, vnde & impaſſibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante ſecula, temporalis poſſet eſſe in fine ſeculorum: vt per ineffabile ſacramentum, conceptu ſancto, & partu inuiolabili, ſecundum veritatem vtriuſque naturæ, eadem virgo & ancilla Domini eſſet, & mater. Sic quippe ei ab Elizabeth dicitur: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me: Et ipſa virgo concipiens dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et quamuis ipſe aliud ex patre, aliud ex virgine; non tamen alius ex patre, alius ex virgine: ſed ipſe eſt æternus ex patre, ipſe temporalis ex matre: ipſe qui fecit, ipſe qui factus eſt: ipſe ſpecioſus forma præ filijs hominum, per diuinitatem; & ipſe de quo dictum eſt: Vidimus eum, & non erat aſpectus, & non eſt ſpecies ei, neque decor, per humanitatem. Ipſe ante ſecula de patre, ſine matre: ipſe in fine ſeculorum de matre, ſine patre. Ipſe conditoris templum, ipſe conditor templi: ipſe auctor operis, ipſe opus auctoris: manens vnus ex vtraque, & in vtraque natura; nec naturarum copulatione confuſus; nec naturarum diſtinctione geminatus.

Modus incarnationis verbi.

Vt Maria ſit mater, & ancilla Domini.

Quando Maria concepit.

Eſa. 53.

Greg. Et epiſt. 61. lib. 9: Cum hunc verum Deum ſancta virgo conceptura eſſet, & loquentem ad ſe Angelum audiret, ait: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſicut dicis. Quæ cum eum concepiſſet; & ad Elizabeth cognatam ſuam pergeret, ab eadem Elizabeth protinus audiuit: Vnde ego digna, vt mater Domini mei veniat ad me: Ecce eadem virgo, & ancilla Domini dicitur, & mater. Ancilla enim Domini: quia verbum ante ſecula vnigenitus æqualis eſt patri mater vero, quia in eius viſceribus, ex ſancto Spiritu, eiuſq; carne, factus eſt homo. Nec alterius ancilla, alterius mater: quia dum vnigenitus Dei exiſtens ante ſecula, ex eius vtero natus eſt homo, inueſtigabili miraculo facta eſt ancilla hominis, per diuinitatem, & mater Dei per carnem.

Not. 12.

Not. 12. ver. 12.

Atha.

A T H A N. ſer. de ſanctiſſ. Deip: Significat Euangeliſta Angelum ab ea digreſſum eſſe, ne occaſionem relinqueret dicere volentibus, eum ipſum Angelum incolam Virginis incarnatum fuiſſe; aut verbum, quod ille inſonuit, aut prolocutus eſt, hominis naturam condidiſſe. Diſceſſit, viſibili nimirum præſentia; non autem famulitio; magna cum reuerentia valedicens, peracto iam negotio, & filio Dei concepto, ceu incarnato, ad eum, à quo miſſus erat, rediens, ac lætum cæli ciuibus nuncium referens, reſtaurandam in proximo ruinam.

C A P. 6. M A R I A *pregnans Elizabetham viſitat; Dominumq́, magnificat.*

Matt.	*Mar.*	*Luc. 1.*	*Ioan.*

In Viſitatione B. M A R I Æ *Virginis.*

Fer. 6 quat. temp. Aduent.

1 ✠ EXurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana, cum feſtinatione, in ciuitatem Iuda.
2 Et intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth.
3 Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius.
4 Et repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth, & exclamauit voce magna, & dixit:
5 Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.
6 Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?
7 Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.
8 Et beata, quæ credidiſti; quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.
9 Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.
10 Et exultauit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo. ✠
11 Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
12 Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.
13 Et miſericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum.
14 Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.
15 Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.
16 Eſurientes impleuit bonis: & diuites dimiſit inanes.
17 Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.
18 Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini eius in ſecula.
19 Manſit autem Maria cum illa, quaſi menſibus tribus; & reuerſa eſt in domum ſuam.

Notatio 1.

Diſpoſitionis ratio. Tatia. Ammo. Aug.

H Æ C duo capita, quintum videlicet, ac ſextum, eodem ordine, quo nos conſtituerunt Tatianus, Ammonius, Auguſtinus lib. 2. de conſ. cap. 5. & alij.

Ver. 1.

Amb.

D E hoc verſu 1. vide Amb. lect. 1. & 2. ſer. 6. quat. temp. Aduent.

Bern.

Maria caruit moleſtiſſimo tædio, quo grauidæ laborant.

Ber. ſer. de verb. Apo: Iure etiam illud moleſtiſſimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noſcuntur, ſola non ſenſit, quæ ſola ſine libidinoſa voluptate concepit. Vnde & in ipſo ſuæ conceptionis initio, quando potiſſimum cæteræ mulieres miſerabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conſcendit, vt Elizabeth miniſtraret. Et ſer. de aquæ ductu: Plane montana conſcendit, cuius iuſtitia, ſicut montes Dei. Tertius enim hic aſcenſus virginis fuit: vt funiculus triplex difficile rumperetur. Feruebat ſiquidem in quærenda gratia charitas; ſplendebat in carne virginitas; humilitas in obſequio eminebat. Etenim ſi omnis, qui ſe humiliat exaltabitur, quid hac humilitate ſublimius?

Maria ſine faſtidio grauida, cognatam alacris viſitat. Cut abiit. In montana. Mariæ tres aſcenſus. Luc. 18. Humilitas Mariæ ſublimis.

Ver. 2.

D E hoc verſu Amb. lect. 3. ſer. 6. quat. temp. Aduent.

Amb.

Not. 2.

Not. 2. ver 3.

Ber. BERN. ſerm. in nat. S. Ioan. Bapt: Singulariter Apoſtolis, & Apoſtolicis viris dicitur: Luceat lux veſtra coram hominibus (Matt. 5.): nimirum tãquam accenſis, & vehementer accenſis, & quibus non timeatur à flatu quolibet, aut impulſione ventorum. Dictum eſt & Ioanni. Sed illi in aure audiunt: Ioannes in ſpiritu, tanquam Angelus, eruditur. (*Ioannem quis docuit, & quomodo.*) Nimirum tanto propinquior Deo, quãto vox verbo vicina: cui nulla voce alia media, quod foris ſonet oporteat intimari. Neque enim Ioannem prædicatio, ſed inſpiratio docuit, quem repleuit ſpiritus, in vtero matris ſuæ. Vere ardens, & vehementer accenſus, quem ſic præoccupauit flamma cœleſtis, vt iam Chriſti ſentiret aduentum, qui necdum ſentire poterat, vel ſeipſum. (*Ioannes in vtero Chriſtum nouit.*) Nimirum nouus ille ignis, qui recens illapſus è cœlo per os Gabrielis in aurem intrauerat virginis, & per matris aurem, introiuit ad paruulum: vt ab ea hora vas electionis ſuæ Spiritus ſanctus impleret, & lucernam Chriſto Domino pararet. Fuit ergo iam tunc ardens lucerna, ſed interim adhuc ſub modio, donec ſuper candelabrum poneretur, & luceret omnibus, qui erant in domo Domini. Illo enim in tempore, ſolum adhuc potuit illuminare modium ſuum: Soli interim lucere matri, magnum ei pietatis ſacramentum reuelans, ipſo motu nouæ exultationis. Vnde hoc mihi, inquit, vt veniat mater Domini mei ad me? Quis enim tibi indicauit matrem Domini, mulier ſancta? vnde me noſti? Vt facta eſt, inquit, vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Illuminauit ergo iam tunc modium ſuum, ſub quo latebat: ſed quem non latebat ardens lucerna ſub modio, totum paulo poſt mundum nouis illuſtratura fulgoribus.

Leo. (*Ioannes in vtero eſt propheta. Deiparam oſtendit.*) Leo ſer. 10. in Nat. Dom. cap. 4: Præcurſor Chriſti futurus Ioannes, ſpiritum propheticum intra viſcera matris acceperat: & nondum æditus puer, genitricem Domini ſigno clauſæ exultationis oſtenderat. Leo. Et ſer. 5. in Epiph. Dom. cap. 1: Ad ſalutationem ipſius Mariæ, in vtero Elizabeth nõdum natus Ioannes prophetica exultatione commotus eſt, quaſi etiam intra matris viſcera iam clamaret: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. (*Ioannis exultatio eſt prophetica.*)

Chryſol. Chryſol. ſer. 87: Merito Ioannes in vtero exultat, qui originis ſuæ libertatem ante noſſe, quam eſſe meruit: ante meruit ſentire, quam viuere. In hora incenſi, per Angelum aperitur ſterilitas, conceptus iubetur, promittitur partus, & inter ſacraria, natiuitas ſacra procuratur. Hinc eſt, quod adhuc in vtero cum membrorum compage pene concepta in Ioanne eſt prophetia: ante nutu Dei loquitur, quam perueniat ad vocis officium. Chryſol. Et ſer: 88: Beatus Ioannes, qui ante Dei ſpiritum intonaret, quam hominis vagiret in fletu: Beatus, qui ante diuina poſſidere meruit, quam ſortiretur humana: beatus, qui ante meruit cœlum ſcire, quam terram: beatus, qui antequam videret præſentia, futura meruit nuntiare: beatus, qui ante Deum capere potuit, quam ſuo ipſe caperetur à corpore: beatus, & ſingulariter eſt beatus, qui antequam ſaperet quærere, meritum conquiſiuit: beatus, qui non peruenit ad gratiam per laborem, ſed ad labores ipſius gratiæ dignatione deſcendit. Et ſer. 91: Videtis, quemadmodum Ioannes ante peruenit ad cœlum, quam tangeret terram: ante accepit diuinũ ſpiritum, quam haberet humanum: ante ſuſcepit diuina munera, quam corporis membra: ante cœpit viuere Deo, quàm ſibi. Sexto menſe ſuæ matris exultat in vtero, & in vterum virginis veniſſe nuntiat Chriſtum. Feruens nuntius, qui ante geſtiuit nuntiare, quam viuere: impatiens dux, qui antequam perueniret ad corpus, peruenit ad regem: ante rapuit arma, quam membra: ante aciem petijt, quam lucem: & vt vinceret mundum, vicit ante naturam. Chryſol.

Cyrill. catech. 3: Solus Ioannes in vtero exiſtens, exultauit in gaudio: & corporis oculis nihil videns, ſpiritu Dominum cognouit. Cyr.

Eccleſia in hymno Pauli diaconi canit: ventris abſtruſo recubans cubili, ſenſeras regem thalamo manentem. Paul.

Quod Ioannes Dominũ præſentẽ cognouerit, indicat etiam Chryſoſt. lect. 4. 5. & 6. die. 2. Iul. (*Ioannes Dominũ præſentem cognouit.*)

Chryſoſt. hom. 3. oper. imperf: Ioannes dum in matris adhuc vtero exiſteret, diuini introitus ſcientiam matri donauit: & maternum os in confeſſionis verba aperuit, vt cuius non videbat perſonam, cognoſceret illa dignitatem. Chryſoſt.

Origen. hom. 10. in Luc: Si adhuc in ventre matris concluſus audit Ieſum, & audiens exiliuit, atque lætatus eſt: quare non credas eum iam genitum prophetiam patris audire, atque intelligere potuiſſe? Orige.

Maximus ſer. 1. in Nat. Ioan. Bapt: Vere hic omnium beatiſſimus paruulorum, qui intra viſcera adhuc materna concluſus, adeſſe Saluatorem mundi, quia necdum ſermone poterat, prophetico gaudio reuelauit. Nullus ignorat omnem paruulum materno ab vtero prodeuntem, inter ipſa lucis exordia mœſtis concrepare vagitibus. Solus baptiſta Domini vltra legem naſcentium, natiuitatem ſuam lætitię exultatione præuenit. Maxi.

Habet quoque ſimilia multa Antipater Boſtrorum Epiſcop. orat. de S. Ioanne. Antipa. Petrus Damianus ſer. de S. Ioanne Bapt. Dam. Chryſoſt. orat. de natali Præcurſoris. Chryſoſt. Amb. lect. 7. die 2. Iul. & cap. 7. inſtit. Virg: Ad vocem Mariæ exultauit infantulus, obſecutus antequam genitus. Amb. Plura habet ſer. 63.

Aug. ep. 57: Hinc iam oportet etiam illam, quam poſt epiſtolæ tuæ ſubſcriptionem addidiſti, pertractare quæſtionem: Si adhuc ignorant paruuli Deum, quomodo Ioannes etiam antequam naſceretur, ad aduentum, & præſentiam matris Domini, in ſuæ matris vtero potuit exultare? Cum enim commemoraſſes te legiſſe librum meum de baptiſmo paruulorum, addidiſti, & aiſti: De prægnantibus, quid ſentias, opto Aug. (*Scripſit Auguſt. librum de baptiſmo paruulorũ.*)

cogno-

cognoſcere, cum credulitatis fidem pro puero mater Ioannis Baptiſtæ reſponderit. Hæc ſunt

Ver. 5. 6. 7. legit fere vt nos.

certe verba Elizabeth matris Ioannis: Beata tu inter mulieres, & beatus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim, vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in

Vt Elizabeth cognouerit quid filij exultatio indicaret.

vtero meo. Hoc autem vt diceret, ſicut Euangeliſta prælocutus eſt, repleta eſt Spiritu ſancto, quo proculdubio reuelante cognouit, quid illa exultatio ſignificaſſet infantis, id eſt, illius veniſſe matrem, cuius Præcurſor ipſe, & demon-

An Ioãnis exultatio ex cognitione proceſſerit.

ſtrator eſſet futurus. Potuit ergo eſſe iſta ſignificatio rei tantæ à maioribus cognoſcendæ, non à paruulo cognitæ. Nam neque cum hoc ante in Euangelio narraretur, dictum eſt: Credidit infans in vtero eius; ſed: Exultauit. Neque ipſa dixit: Exultauit in fide infans in vtero meo; ſed:

Vnde prouenit exultatio.

Exultauit in gaudio. Videmus autem exultationem non ſolum paruulorum, ſed etiam pecorum, non vtique de aliqua fide, vel religione, vel quacumque rationali cognitione venien-

Qualis fit exultatio Ioannis.

tem. Sed hæc plane inuſitata, & noua extitit: quia in vtero, & ad eius aduentum, quæ hominum ſaluatorem fuerat paritura. Ideo mira, i-

Ioannes Mariam reſalutauit.

deo in magnis ſignis deputanda. Ideo hæc exultatio, & tanquam matri Domini reddita reſalutatio, ſicut ſolent miracula fieri, facta eſt diuinitus in infante, nõ humanitus ab infante. Quan-

Rationis vſum in Ioanne acceleratum Aug. admittit.

quam etiam ſi vſque adeo eſt in illo puero acceleratus vſus rationis, & voluntatis, vt intra viſcera materna iam poſſet agnoſcere, credere, cõſentire, quod in alijs paruulis ætas expectatur vt poſſint, etiam hoc in miraculum habendum diuinæ potentiæ; non ad humanæ trahendum eſt exemplar naturæ. Nam quando Deus voluit,

Num. 22

etiam iumentum mutum rationabiliter eſt locutum. Nec ideo ſunt admoniti homines, in deliberationibus ſuis etiam aſinina expectare conſilia. Quocirca nec quod factum eſt in Ioanne contemno, nec inde regulam, quid ſentiendum ſit de paruulis, figo. Imo id in illo propterea mirabiliter prædico, quia in alijs non inuenio. Habet quidem aliquid ſimile etiam illa in

Gen. 25

Rebeccæ vtero lucta geminorum. Verum & hoc vſq; adeo prodigium fuit, vt diuinum propterea mulier oraculum quæreret, & audiret, duobus illis infantulis, duos populos fuiſſe figuratos. Neſcire autem diuina paruulos, qui nec humana adhuc nouerint, ſi verbis velimus oſtendere, vereor ne ipſis ſenſibus noſtris facere videamur iniuriam, quando id loquendo ſuademus, vbi omnes vires, officiumque ſermonis, facillime ſuperat euidentia veritatis.

Aug.

Et ſer. 22. de Sanctis: Videtis quemadmodum Ioannes ante peruenit ad cœlum, quam tangeret terram, ante accepit diuinum ſpiritũ, quam humanum: ante ſuſcepit diuina munera, quam humana corporis membra: ante cœpit viuere Deo, quam ſibi: imo ante vixit ille Domino, quam Deus viueret illi: iuxta illud Apoſtoli: Iam non ego viuo; ſed viuit in me Chriſtus. Sex-

Gal. 2.

to, inquit, menſe ſuæ matris exultat in vtero: & in vtero virginis veniſſe nunciat Chriſtum. Feruens nuncius, qui ante geſtiuit nunciare, quam viuere. Impatiens dux, qui antequam perueniret ad corpus, peruenit ad regem: ante rapuit arma, quam membra: ante aciem petit, quam lucem: & vt vinceret mundum, vicit ante naturam. Ipſe enim ſine viſceribus, viſcera matris exuſcitat: Et quia tardabat corpus, ſolo ſpiritu implet euangelizantis officium.

Not. 3. ver. 4.

Euth. Chriſtus Ioanni reuelatus eſt.

EVTHYM. Luc. 1: Chriſto reuelato ei, qui in vtero Elizabeth impletus erat Spiritu ſancto, impletur & ipſa.

Theop.

Theophylact. Luc. 1: Cum exultaſſet puer in vtero, tunc impleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth. Niſi enim puer exultaſſet, non propheraſſet illa. Itaque ſicut dicunt Prophetas primum men-

Ioannes per os matris prophetauit.

te excedere, & diuinum quid pati, ac tum denique prophetizare: ita & Ioannes forte prius ſaltauit, vt diuinum quiddam patiens: poſtea per os matris prophetizauit.

Amb. Elizabeth poſt filium Spiritu ſãcto repletur. Spiritu ſãcto matrẽ Ioannes repleuit.

Amb. lib. 2. in Luc: Duplici miraculo prophetant matres ſpiritu paruulorum. Exultauit infans, repleta mater eſt. Non prius mater repleta, quam filius: ſed cum filius eſſet repletus Spiritu ſancto, repleuit & matrem. Exultante Ioanne, repletur Elizabeth. Hæc poſt conceptum repletur, Maria ante conceptum.

Amb.

Et lib. 4. de Fide cap. 4: Elizabeth filij ſpiritu replebatur: Maria filij ſpiritu ſanctificabatur. Sic enim habes, quod exultauit, &c. Vide ſingulorum verborum proprietates. Vocem quidem prior Elizabeth audiuit: ſed Ioannes prior Domini gratiam ſenſit. Pulchre ſibi conueniunt oracula oraculis, fœmina mulieri, & pignus pignori. Iſtæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatiſque myſterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo, licet honore diuerſo, prophetant matres ſpiritu paruulorum. Quis igitur auctor huius miraculi? nonne Dei filius, qui fecit eſſe non natos?

Hymnus: Hinc parens nati meritis vterque abdita pandit.

Eucher. Elizabeth poſt, & per filium Spiritu ſancto repletur.

Eucher. hom. fer. 6. quat. temp. Aduent: Prius filius, deinde mater per filium repletur Spiritu ſancto. Filius intus latens docet, quid mater exterius, agere debeat. Quaſi enim ma-

Cur clamet.

gna vi Elizabeth interius commota, non ſolum virginem reſalutauit, verum & voce magna clamauit.

Orige.

Orige. hom. 7. in Luc: Non eſt dubium, quin quæ tunc repleta eſt Spiritu ſancto, propter filium ſit repleta. Neque enim mater primum Spiritum ſanctum meruit, ſed cum Ioannes adhuc clauſus in vtero Spiritum ſanctum recepiſſet, tunc & illa, poſt ſanctificationem filij, repleta eſt Spiritu ſancto.

Quomodo repleta ſit Elizabeth Spiritu ſancto, cum ſpiritus nondum eſſet datus, vt dicitur Ioan. 7. expoſitum inuenies cap. 98. ver. 8.

Not. 12.

Not 4. ver. 5 6. 8.

Greg. De præterito, præſenti, & futuro Elizabeth prophetat.

GREG. hom. 1. in Ezech: Aliquando autem ex præterito, & ex præſenti, atque ex futuro pariter animus tangitur prophetantis. Sicut Elizabeth veniẽ ad ſe Mariam conſpiciens, quia incarnatum verbum geſtaret in vtero, agnouit: eamque iam Domini ſui matrem vocauit, dicens: Beata, quæ credidiſti, aperte indicat, quia verba Angeli, quæ dicta ad Mariam fuerant, per Spiritum agnouit. Atque ſubiungens: perficientur ea, quæ ſunt dicta tibi à Domino, quæ eam in futuro ſequerentur, præuidit. Simul ergo de præterito, & præſenti, atque ex futuro, per prophetiæ ſpiritum tacta eſt, quæ & eam promiſſionibus Angeli credidiſſe cognouit: & matrem nominans, quia Redemptorem humani generis in vtero portaret, intellexit: & cum omnia perficienda prædiceret, quid etiam de futuro ſequeretur, aſpexit.

Tert.

Tertul. lib. de carne Chriſti cap. 21: Si contenderit hoc competiſſe nouitati, vt quemadmodum non ex viri ſemine, ita nec ex virginis carne caro fieret Dei verbum, &c. tacebit igitur & Elizabeth prophetam portans, iam Domini ſui conſcium infantem, & inſuper Spiritu ſancto adimpleta. Sine cauſa enim dicit: Et vnde mihi, vt mater Domini mei ad me veniat? Si Maria non filium, ſed hoſpitem in vtero geſtabat Ieſum, quomodo dicit: Benedictus fructus vteri tui? Quis hic fructus vteri, qui non ex vtero germinauit, qui non in vtero radicem egit, qui non eius eſt, cuius eſt vterus? Et qui vtique fructus vteri? Chriſtus.

Chriſtum ex Maria carnem ſumpſiſſe.

Bern. Quid Elizabeth miretur. Matt. 20

Bern. ſer. de aquæ ductu: Veniſſe eam miratur Elizabeth: ſed iam magis miretur, quod, inſtar vtique filij, & ipſa non miniſtrari venerit, ſed miniſtrare. Et ſer. de verb. Apoc: Miratur perſonam venientis. Et ſer. in natiu. Ioan. Bapt: Quis tibi indicauit matrem Domini, mulier ſancta? vnde me noſti?

Bern.

Aug.

Aug. ſuper Magnificat: Quam ſe indignam eius viſitatione iudicaret, aperit. Et lib. 8. de Ciuit. cap. 23: Conceptum eſſe Ieſum Dei filium Elizabeth in ſpiritu agnouit.

Amb.

Amb. lib. 2. in Luc: Non quaſi ignorans dicit: Scit enim eſſe Spiritus ſancti gratiam, & operationem, vt mater Prophetæ, à matre Domini, ad profectum ſui pignoris, ſalutetur. Sed quaſi non humanæ, ſed diuinæ gratiæ munus eſſe cognoſcat, ita dicit: Vnde hoc mihi? hoc eſt, quantum bonum mihi accidit, vt mater Domini mei veniat ad me: non cognoſco meum. Vnde hoc mihi? qua iuſtitia? quibus factis? pro quibus meritis? non vſitata hæc officia fœminarum ſunt, vt veniat mater Domini mei ad me. Miraculum ſentio, cognoſco myſterium, mater Domini verbo fœta, Deo plena eſt.

Orige. Elizabeth hoc non dicit ignorans.

Orige. hom. 7. in Luc: Quod ait: Vnde mihi hoc: non ignorans dicit, & maxime Spiritu ſancto plena, quaſi neſciat, quod iuxta Dei voluntatem, mater Domini venerit ad eam: ſed iſto ſenſu loquitur: quid boni feci? quæ opera mea tanta ſunt, vt mater Domini ad me veniat? per quam iuſtitiam, ex quibus bonis, de qua fidelitate mentis hoc merui, vt mater Domini mei veniat ad me?

Iſidor.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 363: Qui baptiſtæ effictionem in Elizabeth poſuerat, ac præcurſorem, priuſquam ex vtero exiret, prophetam conſecrarat, myſterij huius declarationem intus ipſi præbuit. Quoniam autem temporis immaturitas ijs, qui adhuc in materno vtero ſunt, hoc minime dedit, vt loqui poſſint, idcirco baptiſtæ redemptorem prædicare maturanti, oris organum mater commodauit.

Not. 5. ver. 7.

Bern.

BERN. ſer. de verb. Apoc: Commendat vocem ſalutantis.

Amb.

Amb. lib. 4. de Fide cap. 4: De Ioanne mater religioſa teſtatur, quod, intra materna ſitus adhuc viſcera, præſentiam Domini ſpiritu cognouit, exultatione ſignauit. Erat igitur qui prophetabat, an non erat? at certe erat. Erat enim qui venerabatur auctorem, erat qui loquebatur in matre.

Aug.

Aug. ſer. 13. de temp. cap. 3: O omnipotentia naſcentis, ô magnificentia de cœlo ad terram deſcendentis. Adhuc in vtero portabatur, & ex vtero matris à Ioanne Baptiſta ſalutabatur. Salutauit Ioannes ex vtero in vtero ſaluatorem.

Proſp.

Proſp. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 11: Ioannes prius ſentit initia gratiæ, quam naturæ.

Not. 6. ver. 9.

Bern.

BERN. ſer. de verb. Apoc: Magna quidem præconia; ſed deuota humilitas nihil ſibi paſſa retinere, in eum magis vniuerſa refudit, cuius in ſe beneficia laudabantur. Tu, inquit, magnificas matrem Domini: ſed magnificat anima mea Dominum.

Baſ. Quid ſit magnificare Deum.

Baſ. in Pſ. 33: Magnificat Dominum is, qui magno mentis propoſito, celſoque animo, & erecto, pro pietate tentationes tolerat. Deinde vero is etiam, qui nec mediocri intellectu, & ſublimiore animi ſpeculatione, rerum conditarum multimodam magnitudinem conſiderat, vt ex earum magnitudine, iuxta ac pulchritudine, tantarum rerum opificem contemplemur. Quanto enim magis in ſublimitatem rationum, quibus omnia conſtant, & omnia reguntur, ſeſe attollet, tanto magis Dei magnificentiam conſpiciet, & quantum in ſe virium habet, is magnificat Dominum.

Aug.

Aug. in Pſ. 71: Omnes gentes magnificabunt eum; non ipſi faciendo vt magnus ſit, qui per ſeipſum magnus eſt: ſed laudando, & magnum fatendo. Sic enim magnificamus Deum. Sic etiam dicimus: Sanctificetur nomen tuum; quod ſemper vtique ſanctum eſt. Et ſer. 35. de Sanctis: Primo igitur in hoc loco quærendum eſt, quid ſit magnificare Dominum: neque enim magnus fit à creatura creator. Sed ſciendum nobis eſt, duobus modis dici magnificari, id eſt,

Matt. 6.

Aug.

id eſt, aut magnum facere; aut magnum adorare, magnum admirari. Magnificatur enim Deus à nobis, cum magnificari dignatur à nobis.

Not. 7. ver. 10.

Bern. BERN. ſerm. de verb. Apocal: In voce mea filium perhibes exultaſſe in gaudio: ſed exultauit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo: & ipſe
Ioan. 3. quoque, tanquam amicus ſponſi, gaudet ad vocem ſponſi.

Orig. Orige. hom. 8. in Luc: Anima Mariæ primum magnificat Dominum, & poſtea exultat in Deo: niſi enim antea crederemus, exultare non poſſemus.

Bed. Beda hom. fer. 6. quat. temp. Aduent: Eius ſpiritus in Deo ſalutari ſuo exultat, quem nihil in terrenis libet, nulla caducarum rerum affluentia emollit, nulla aduerſitas frangit; ſed ſola illius, à quo ſalus ſperatur æterna, ſui conditoris memoria delectat. Quæ cum omnibus perfectis verba recta conueniant; maxime tamen ea beatam Dei genitricem proferre decebat, quæ meriti priuilegio ſingularis, ſpirituali ipſius dilectione flagrabat, cuius corporali conceptione gaudebat. Quæ iure in Ieſu; id eſt, Saluatore ſuo, ſpeciali præ cæteris ſanctis gaudio potuit exultare: quia quem perpetuum ſalutis auctorem nouerat, hunc ipſum temporali ortu de carne ſua naſciturum eſſe ſciebat, quatenus in vna, eademque perſona veraciter, & ſuus filius eſſet, & Dominus.

Aug. Auguſt. ſerm. 35. de Sanctis: Signanter addidit: In Deo ſalutari meo: ac ſi diceret: Anima mea, quæ magnificat Dominum, non in quolibet alio; ſed in illo tamen exultat, quem amando magnificat. Nouerat enim eſſe aliam vituperabilem exultationem, quâ mundus gaudere dicitur tendens ad luctum, & de qualibus
Prou. 2. Salomon ait: Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.

Not. 8. ver. 11.

ANTIQVORVM Patrum ſententiæ aduerſantur, qui negant hunc locum de virtute humilitatis poſſe intelligi.

Hier. Hieron. lib. 1. aduerſ. Pelag. cap. 6: Conſcientia in ſe habitantis Dei; libere proclamat: Ecce enim ex hoc beatam me dicent, &c. In quo animaduerte, quod beatam ſe eſſe dicat, non proprio merito, atque virtute: ſed Dei in ſe habitantis clementia.

Vt Maria ſe dicat beatam.

Ber. Bern. ſerm. de verb. Apocal: Beatam eſſe dicis, quæ credidiſſet: ſed credulitatis, & beatitudinis cauſa, reſpectus eſt ſupernæ pietatis, vt ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes: quia ancillam humilem, & exiguam reſpexit Deus. Veruntamen, nunquid putamus Elizabeth ſanctam, in eo, quod per ſpiritum vtique loquebatur, erraſſe? abſit. Beata plane, quam reſpexit Deus, & beata, quæ credidit. Hic enim magnus diuinæ reſpectionis extitit fructus. Ineffabili ſiquidem artificio ſpiritus, ſuperueniens tantæ humilitati magnanimitas, tanta in ſecretario virginei cordis acceſſit, vt (quemadmodum de integritate, & fœcunditate prædiximus, hæ quoque nihilominus ſunt ſtellæ ex reſpectu mutuo clariores) quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem: ſed cum in ſua æſtimatione tam humilis eſſet; nihilominus & in promiſſionis credulitate magnanimis, vt quæ nihil aliud, quam exiguam ſeſe reputabat ancillam, ad incomprehenſibile hoc myſterium, & admirabile commercium, ad inſcrutabile ſacramentum nullatenus ſe dubitaret electam, & veram Dei, & hominis genitricem crederet mox futuram. Agit hoc nimirum in cordibus electorum gratiæ prærogatiua diuinæ, vt eos nec humilitas puſillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes; magis autem cooperentur ſibi: vt non ſolum nulla ex magnanimitate ſubintret elatio; ſed hinc maxime prouehatur humilitas: vt inueniantur eo amplius timorati, & largitori munerum non ingrati: ac viciſſim ex occaſione humilitatis puſillanimitas nulla ſurrepat; ſed quo minus de ſua quiſque vel in minimis præſumere conſueuit, eo amplius etiam in magnis quibuſque de diuina virtute confidat.

Maria Elizabetham non reprehendit.

Magna Mariæ humilitas, & magnanimitas.

Et ſerm. 42. in Cant: Nullius mihi meriti conſcia ſum, ad tantam dignationem; niſi quod reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ. Bern.

Et ſerm. 45. in Cant: Dicit humilitatem cum innocentia admirandam, vt in Maria, quæ ſanctimoniam non amiſit, & humilitate non caruit. Bern.

Et ſer. 2. in die Pentec: Ad illam, ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſeculorum, reſpiciunt & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cœlo, vt reſarciantur; & qui in inferno, vt eripiantur; & qui præceſſerunt, vt Prophetæ fideles inueniantur: qui ſequuntur, vt glorificentur. Eo beatam te dicunt omnes generationes, genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli. Omnes, inquam, generationes. Sunt enim generationes cœli, & terræ. Pater ſpirituum, ait Apoſtolus, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam, & gloriam genuiſti. In te enim Angeli lætitiam, iuſti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum. Merito in te reſpiciunt oculi totius creaturæ: quia in te, & per te, & de te, benigna manus omnipotentis, quicquid creauerat, recreauit. Bern. *Omnes generationes.* Epheſ. 3.

Et hom. 1. ſuper Miſſus: Vt de Spiritu ſancto conciperet, ſicut ipſa perhibet, reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ Deus, potius quam virginitatem. Etſi placuit ex virginitate: tamen ex humilitate concepit. Vnde conſtat quia etiam vt placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit. Quid dicis virgo ſuperbe? Maria virginem ſe oblita, Bern.

 gloria-

gloriatur de humilitate: & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate? Reſpexit, illa ait, humilitatem ancillæ ſuæ. Quæ illa? virgo vtique ſancta, virgo ſobria, virgo deuota. Nunquid tu caſtior illa? nunquid deuotior? aut nunquid tua forte pudicitia gratior caſtitate Mariæ? vt tu ſcilicet ſine humilitate placere ſufficias ex tua, quod illa non potuit ex ſua? Denique quanto honorabilior es ex ſingulari munere caſtimoniæ, tanto tibi tu maiorem iniuriam facis, quod eius in te decorem fœdas permixtione ſuperbiæ. Alioquin expedit tibi virginem non eſſe, quam de virginitate inſoleſcere. Non omnium quidem eſt virginitas: multo tamen pauciorum eſt cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes niſi mirari, ſtude humilitatem imitari, & ſufficit tibi. Quod ſi & virgo, & humilis es; quiſquis es, magnus es.

Aug. Aug. ſerm. 35. de Sanctis: O vere beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, mundum purificauit, paradiſum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit. O, inquam, vere glorioſa Mariæ humilitas, quæ porta paradiſi efficitur, ſcala cœli conſtituitur. Facta eſt certe humilitas Mariæ ſcala cœleſtis, per quam deſcendit Deus ad terras. Et quid eſt dicere, reſpexit, niſi comprobauit, placuit ei humilitas mea? Vnde per Prophetam Dominus dixit: Ad quem Iſa. 66. reſpiciam, niſi ad pauperculum, & humilem, & trementem ſermones meos? Hinc Dauid Do- Pſal. 30. mino dicit: Quia reſpexiſti humilitatem meam, ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam. Multi ſiquidem videntur in conſpectu hominum humiles eſſe, vt ab eis beatificentur: ſed eorum humilitas à Domino non reſpicitur: quia falſo, & non vere, de humilitate gloriantur. Si enim veraciter humiles eſſent, Deum ab omnibus, & non ſe vellent laudari.

Not. 9. ver. 12.

Aug. AVGVST. ſerm. 35. de Sanctis: Quæ tibi magna fecit, Domina? quæ, glorioſa virgo, vt dici beata merearis? Puto enim, imo veraciter credo, vt creatura ederes creatorem, famula Dominum generares, vt per te Deus mundum redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reduceret. Hucuſque, virgo beata, de teipſa, quæ nos ad amorem Dei accenderent, fideliter protuliſti: ea vero, quæ ſequuntur, humano generi propheraſti.

Not. 10. ver. 15.

Greg. GREG. cap. 2. lib. 6. in lib. 1. Reg: Libet ergo intueri, quanta per inobedientiam ſuperbis pereant; humiles quanta lucrentur. Illi dum implere propriæ voluntatis arbitrium gaudent, Deo magnos operum labores exhibent, & laborum præmia nulla habent. Iſti dum ſe deſerunt, dum alienæ voluntatis arbitrium ſequuntur, æternæ ſublimitatis gloriam promerentur. Vnde & per beatiſſimam Mariam Domini Redemptoris noſtri genitricem dicitur: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Potentes quidem de ſede Dominus deponit, cum inobedientes ſuperbos abijcit: & humiles exaltat: quia æterna gloria obedientes glorificat.

Not. 11. ver. 16.

AVG. hom. 44: Qui ſunt eſurientes? humiles, indigentes. Qui ſunt diuites? ſuperbi, & inflati. Non vos longe mitto. Oſtendo vobis in vno templo diuites de his, qui dimittuntur inanes; & pauperes de illis, qui implentur bonis. Aſcenderunt duo in templum, vt orarent, &c. Attende diuitem indigeſta ructantem, crapula exultantem, ſed ſuperbiæ, non iuſtitiæ. Vade nunc, & ventila diuitias tuas, iacta te, & dic: Diues ſum. Quam diues? Si volo iuſtus ſum, ſi volo iuſtus non ſum: in poteſtate habeo iuſtum eſſe, & iuſtum non eſſe. Non audis in Pſalmo: Qui confidunt in virtute ſua. Ergo Deus tibi carnem, Deus tibi ſenſum, Deus tibi animam, Deus tibi mentem, Deus tibi intelligentiam dedit: tu das tibi ipſi iuſtitiam? Quid eſt caro, quid ſunt ſenſus, quid eſt anima, quid eſt mens, quid eſt intelligentia ſine iuſtitia? nonne omnia iſta ſi iuſtitia careant, ad pœnam valebunt? Ergo tam diues es, vt cum Deus tibi dederit inferiora, des tibi potiora? Male diues, exinaniend e diues, ſi tamē habes, quod te dixiſti habere. Quid habes, quod non accepiſti?

(Aug. — Luc. 18. — Pſal. 48. — 1 Cor. 4.)

Not. 12. ver. 19.

AMB. lib. 2. in Luc: Manſit apud cognatam ſuam tribus menſibus. Etenim quæ propter officium venerat, inhærebat officio. Manſit etiam menſibus tribus: non quod domus eam delectaret aliena: ſed quia frequentius videri in publico diſplicebat. Bene inducitur ſancta, &c. vt lect. 8. die 2. Iul. Et cap. 7. inſtit. virg: Nec immerito manſit integer corpore, quem in tribus menſibus oleo quodam ſuæ præſentiæ, & integritatis vnguento Domini mater exercuit.

(Amb. — Sine, quaſi, legit Amb. longioris moræ cauſa. — Amb.)

Petrus Damian. ſer. de S. Ioanne Bapt: Tanto tempore manet cum Elizabeth virginalis integritas: & nunc dulciori colloquio, nunc amplexu feliciori Ioannem puerum conſecrat, & inſignit. Et fortaſſis vſque in diem natiuitatis eius glorioſa virgo cum cognata ſua morata eſt, donec puerum natum, ſinu beatiſſimo confoueret, & vno pariete remoto, propinquiorem redderet præſentiæ creatoris.

(Damia. — An Maria cognatæ parienti adfuerit.)

Orige. hom. 10. in Luc: Ioannes, tribus menſibus Maria iuxta Elizabeth commorante, fuſus eſt in terram.

(Orige.)

Petrus Caniſ. cap. 6. lib. 4. de Maria: Falluntur centuriatores, de Maria fabulantes, quod coram in domo Zachariæ ſpectauerit miracula, cum anus Ioannem peperit, & Zacharias vſum linguæ recepit: quodque poſtea ruſus ſe ad Zachariam contulerit. Quod ſi Euangelicis verbis

(Caniſ. — Natiuitati Ioannis Mariā non interfuiſſe)

verbis eſſent contenti, Mariam cum ſua cognata menſes tres manſiſſe dicerent, aliaque non aſſuerent, quæ Lucas prætermiſit: ſacram nempe virginem cognatæ parienti ad fuiſſe, & octauo etiam poſt partum die, quando Zachariæ lingua reſtituta eſt, in eiſdem ædibus perſeueraſſe. Hoc ſolum Lucas affirmat, ſexto iam menſe grauidam fuiſſe cognatam, cum primum virgo illam accederet, quæ vix menſibus tribus integris illic hæſit, ad ſuos Nazarenos procul dubio reuerſa, antequam Elizabethæ tempus partus appeteret, vt Ioannes in lucem ederetur. Vnde cum dixiſſet Euangeliſta: Reuerſa eſt in domum ſuam; hæc verba ſubiecit: Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium; poſt nonum ſcilicet menſem, cum Maria digreſſa, domum iam repetiuiſſet. Hac de re monere viſum eſt, tum ob centuriatores, ne quis nimium illis fidat: tum ad maiorem beatæ virginis commendationem: tum ad tuendam quorundam veterum auctoritatem, qui decuiſſe putant, vt Maria cognatæ partui non adeſſet. Sic Theophylactus, Euthymius, & Rupertus Tuitienſis lib. 1. in Cant. Qui non ſolum ex Euangelicis verbis colligit, Mariam in partu cognatæ non adfuiſſe: ſed etiam ſingulari conſilio factum eſſe dicit, vt illa tanti gaudij, tantæque exultationis tempus, quod Ioannis natalis attulit, non expectaret: at ſe potius mature ſubduceret, antequam cognati, vicini, & amici concurrerent, nouæque puerperæ, poſt natum filium, ex more, gratularentur. Nihil vero dubium, quæcunque optimis, & integerrimis virginibus maxime congruebant, nullam diligentius ac illam matrem, principem, ſpeculum, & reginam virginum obſeruaſſe.

Lucas bis ter ter inſinuat Mariam ante partum Elizabeth receſſiſſe.

Veteres quidã tradunt Mariam ante partum cognatæ, domũ reuerſam: idque ad eius honorẽ pertinere.

Auct. 1. opinio minus probabilis.

Quidam opinantur Mariam apud cognatam manſiſſe vſque ad natiuitatem, & circunciſionem Ioannis incluſiue: cumque naſcentem ex vtero matris primum à virgine ſuſceptum. Putant enim quod Maria cognatam in tali neceſſitate non reliquiſſet: & quod Elizabeth citius eam abire non permiſiſſet: quin potius filium ſuum Ioannem, cum naſceretur, in Mariæ gremio poni vellet, in quo geri debebat mundi Saluator, vt maiora gratiarum munera perciperet. Ipſis quoque videtur in Maria fuiſſe deſiderium videndi præcurſorem Domini. Adhæc poſtquam Elizabeth peperit, ad eam venerunt vicini, & cognati: eique congratulabantur: quidni ergo Maria apud eam manſiſſet, vt etiam parienti congratularetur? Tenent hanc opinionem Beda, Gloſſa interlinia. Et Lyran. in hunc locum: Petrus Damian. ſer. de ſancto Ioanne Baptiſta. Vincent. lib. 6. Speculi hiſtorialis cap. 85. & 86. Orige. & Hieron. natalis in die viſitationis. Fauere huic etiam videtur ſententiæ Ambroſ. dum ait lib. 2. in Luc: Tam diu manſit Maria, quamdiu Elizabeth pariendi tempus impleret. Verum hoc inde non efficitur, cum aliud ſit implere, aliud impletum eſſe.

Ratio 1. *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *5. ratio ab auctoritate.*

2. opinio veriſimilior.

Dicunt tamen alij non pauci doctores, quod imminente partu Elizabethæ, Maria receſſerit: tum quia indecens parumque honeſtum erat, pudoratam virginem adeſſe parienti, & cum obſtetricantibus verſari. Ideoque virgines partui mulierum intereſſe non ſolebant. Tum quia mulieres aliæ plures, ad imminentem Elizabethæ partum, iam venerant. Vnde fiebat, quod Mariæ obſequium vltra cognatæ neceſſarium non eſſet: quia per alias mulieres exhiberi poterat. Tum propter tumultum partus, & perturbationem puerperam viſitantium: hæc enim virgini minime conueniebant. Ideoque multitudinem eorum, qui ad partum venturi erant, fugiebat. Ergo probabile eſt Mariam domum ſuam, ante partum Elizabethæ, reuerſam. Ad quod indicandum, videtur Lucas addidiſſe: quaſi, ſeu fere, menſibus tribus: vt virginem ſignificaret ante natum Ioannem receſſiſſe. Nam cum ab Euangeliſta ſexto menſe ad viſitandam Elizabetham veniſſe dicatur, & apud eam non tribus integris menſibus permanſiſſe, profecto ante finem noni menſis abijſſe ſignificatur. Ponit enim Lucas tempus, quo beatiſſima virgo apud cognatam ſuam manſit. Sex fere menſium à conceptu erat infans, quando Maria ſalutauit Elizabeth. Quia dixerat paulo ante Angelus: Hic menſis eſt ſextus; quibus verbis indicatur, quod ſextus menſis tunc ageretur, & nondum eſſet expletus. Manſit autem virgo apud Elizabetham quaſi, ceu fere menſibus tribus. Porro fere ſex, & fere tres, nouem non excedunt, imo non explent. Tempus vero naturalis partus, ad initium vſque menſis decimi pertingit. Hoc ipſum quoque Lucas inſinuat, cum virginis receſſum ante Ioannis natiuitatem collocat. Nam ſi Maria Præcurſoris natiuitati, & circunciſioni præſens adfuiſſet, diſceſſum eius etiam poſt illa beatus Lucas enarrare potuiſſet, maxime cum id factu eſſet facillimum, & commodiſſimum. Siquidem hæc Euangeliſtæ ſententia, de mora, & receſſu virginis, adeo arcta non eſt, vt ad narrationis rationem, anticipationem requirat. Poterat enim poſt Ioannis circunciſionem, & canticum Zachariæ poni. Cum vero Lucas id non fecerit, perſpicuum eſt eum hiſtoriæ contexturam obſeruaſſe, & prius virginem ab Elizabethæ domo receſſiſſe, quàm anus illa pareret. Præterea, ſi virgo Elizabethæ partui adfuiſſet, Lucas faciens mentionem lætitiæ cognatorum, & vicinorum, inter eos potuiſſet virginem connumerare: quod cum non fecerit eam prius abijſſe indicat. Ex his enim, & alijs veriſimile fit, vt Lucas videatur inſinuaſſe, Mariam citra tempus pariendi Elizabethæ, inſtante tamen eius partu, diſceſſiſſe. Ita ſentiunt Theophylactus, Euthymius, & Titus in Lucam: Nicephor. lib. 1. hiſt. cap. 8. Græcus, & Theophylus in catena Thomæ: Rupert. lib. 1. in Cant. Metaphraſtes orat. de vita, & dormitione ſanctæ Mariæ, Thomas Aquinas in catena, Petrus Caniſius, & plures alij. Lyranus ſententiam hanc etiam refert. Et ſane merito negatur, virgo manſiſſe apud cognatam, vſque poſt eius partum,

Ratio 1. *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4. Mariam receſſiſſe ante partum Elizabetæ Lucas indicat.* *Ratio 5.* *Ratio 6.* *Ratio 7. ab auctoritate.*

Cur Maria cognatæ partui non interfuerit.

partum, ob virginis pudorem, & multitudinem tunc confluentem, ſeu tumultum, ac indecentiam. Hæc enim officia, non ſunt committenda virginibus: neque puerperio adeſſe permitti debent. Tanto minus id decuiſſet virginem illam eminentiſſimam, quæ omnes alias, tam præcedentes, & præſentes, quam futuras longe præcellebat. Neque etiam obſtetricandi, verum ſanctificandi fœtus cauſa, illam vt eo iret ſpiritus impulerat.

Ratio 8.

Figura.

Pulchra huius rei figura, quam etiam Bonauentura notauit, habetur 2. Reg. 6. vbi ſic dicitur: Habitauit arca Domini in domo Obededom tribus menſibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius. Nunciatumque eſt regi Dauid, quod benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia eius, propter arcam Dei. Dixitq; Dauid: Reducam arcam cum benedictione in domum meam.

Documenta.

Maria ſic nos etiam adiuuat, vt à nobis, quamdiu eius auxilio indigemus, non recedat. Sic nos debemus ad externa opera extendere, vt ad domum cordis, & conſcientiæ reuertamur, & illius noſtræ domus curam non negligamus.

CAP. 7. *Ioſeph per quietem ab Angelo de virgineo conceptu inſtruitur.*

Matthæi 1. In vig. Nat. Domini. In feſto S. Ioſeph.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*
1 ✠ Cvm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.			
2 Ioſeph autem vir eius, cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.			
3 Hæc autem eo cogitante, ecce, Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens:			
4 Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.			
5 Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.			
6 Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum.			
7 Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum, à peccatis eorum. ✠			
8 Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino, per Prophetam dicentem:			
9 Ecce, virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel; quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus.			
10 Exurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit, ſicut præcepit ei Angelus Domini.			
11 Et accepit coniugem ſuam, & non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.			

Notatio 1.

Aug. Diſpoſitionis ratio.

Tatia. Ammo. Metap.

AVG. lib. 2. de conſen. cap. 5. Ioſephi dubitationem poſt Mariæ viſitationem, ante natiuitatem Ioannis ordinat. Sic etiam Tatianus, Ammonius, Metaphraſtes, & alij; quos ſequimur. Ex quo etiam illorum opinio confirmatur, qui dicunt Mariam ante partum Elizabethæ domum eſſe reuerſam. Nam ſi apud cognatam vſque ad natiuitatem; & circuncifionem præcurſoris manſiſſet, poſt eandem quoque Ioſephi dubium accidiſſet. Atq; ita poſtponi, non præponi deberet.

Ver. 1.

Quod verſu 1. dicitur: In vtero habens de Spiritu ſancto; quemadmodum ſit factum, prætermiſit Matthæus: ſed Lucas expoſuit ſuperius cap. 5. Nec contrarium eſt, quia Lucas id expoſuit, quod Matthæus prætermiſit: cum de Spiritu ſancto Mariam concepiſſe vterque teſtetur. Sicut non eſt contrarium, quia Matthæus deinceps connectit, quod Lucas prætermittit. Ita Aug. lib. 2. de conſ. cap. 5.

Aug.

Atha. Vt Maria de Spiritu ſancto ſit grauida.

Athan. ſub finem diſput. cont. Arium: Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto; non quod Saluatoris noſtri pater dicendus eſt Spiritus ſanctus, vt duo credantur patres: ſed quod cum Patre, & Filio, idem Spiritus ſanctus cooperarius, & vnius poteſtatis eſt.

Baſ. Ioſeph nouit Mariã de Spiritu ſancto cõcepiſſe.

Baſil. hom. 25. de humana Chriſti generatione: Priuſquam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Vtrumque Ioſeph reperit, & conceptionem, & cauſam è Spiritu ſancto. Quamobrem hoc ignorans ab initio, talis nominari vxoris maritus metuens, voluit eam occulte dimittere, verens patefacere, quæ circa

ver. 2.

Cur Ioſeph occulte Mariam dimittere volat. circa ipſam acta fuerant. Verum quoniam vir iuſtus erat, ex Deo myſteria noſſe meruit. Nec illud cogites, quomodo abſurdis ſuſpicionibus peccatum obſcures: eſt enim iuſtus appellatus. Viro iuſto non competit ſilentio facinora obtegere.

Hier. Hieron. lib. aduerſ. Heluid. cap. 1: Ecce, inquit, habes deſponſatam, non commendatam, vt dicis. Et vtique non ob aliud deſponſatam, niſi quandoque nupturam. Neque enim de non conuenturis Euangeliſta dixiſſet: Priuſquam conuenirent: quia nemo de non pranſuro dicit: Antequam pranderet. Curramus per ſingula, & impietatem eiſdem, quibus ingreſſa eſt, veſtigijs perſequentes, pugnantia inter ſe dixiſſe doceamus. Deſponſatam confitetur; & ſtatim vxorem vult eſſe, quam confeſſus eſt ſponſam. Ruſum, quam vxorem nominat, dicit non ob aliud deſponſatam, niſi quandoque nupturam. Et ne parum hoc arbitremur: Habes, inquit, deſponſatam, non commendatam, id eſt, necdum vxorem, necdum maritali vinculo copulatam. In eo vero quod ait: Neque enim de non conuenturis Euangeliſta dixiſſet: Priuſquam conuenirent: quia nemo de non pranſuro dicit: Antequam pranderet. Dolcamne, an rideam, neſcio: imperitiæ arguam, an temeritatis accuſem? Quaſi ſi quis dixerit: Antequam in portu pranderem, ad Africam nauigaui: non poſſit ſtare ſententia, niſi in eo portu prãdendum quandoque ſit. Aut ſi velimus dicere: Paulus Apoſtolus antequam ad Hiſpanias pergeret, Romæ in vincula coniectus eſt: aut certe illud: Heluidius antequam pœnitentiam ageret, morte præuentus eſt; ſtatim, aut paulo poſt vincula, ad Hiſpanias ſit eundum: aut Heluidio pœnitentia agenda poſt mortem; cum ſcriptura dicat: In inferno autem quis confitebitur tibi? ac non potius ſit intelligendum, quod, ante, præpoſitio, licet ſæpe conſequentiam indicet, tamen nonnunquam ea tantum, quæ prius cogitabantur, oſtendat. Vnde nec neceſſe ſit, vt cogitata fiant, cum aliud ideo interuenerit, ne ea, quæ cogitata ſunt, fierent. Igitur cum Euangeliſta dicat: Priuſquam conuenirent; proximum nuptiarum tempus oſtendit: & in eo iam rem fuiſſe, vt quæ prius ſponſa fuerat, eſſe vxor inciperet. Quaſi dixerit: Antequam oſcula, amplexuſque miſcerent, antequam rem agerent nuptiarum, inuenta eſt habens in vtero. Inuenta eſt autem à nullo, niſi à Ioſeph, qui ſponſæ vterum tumentem, pene iam licentia maritali, & curioſis oculis, deprehendit. Non tamen ſequitur, vt prioribus docuimus exemplis, eum cum Maria conueniſſe poſt partum, cuius conueniendi deſiderium, vteri conceptione ſublatum eſt. Et cap. 2: Si cui autem ſcrupulus commouetur, quare deſponſata, & non potius ſine ſponſo, ſine, vt ſcriptura appellat, marito, virgo conceperit; ſciat triplicem fuiſſe rationem. Primo, vt per genealogiam Ioſeph, cui Maria cognata erat, origo quoque Mariæ monſtraretur. Secundo, ne iuxta legem Moyſi, vt adultera lapidaretur à populo. Tertio, vt in Ægyptum fugiens, haberet ſolatium, cuſtodis potius, quam mariti. Quis enim in tempore illo credidiſſet virgini, de ſancto eam Spiritu concepiſſe, veniſſe ad eam Angelum Gabrielem, Dei detuliſſe mandatum: ac non magis quaſi adulteram, iuxta exemplum Suſannæ, ſententiæ omnium condemnaſſent: cum hodie, toto iam credente mundo, argutentur Iudæi, Eſaia docente de Maria, & virginitate eius: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium; In Hebræo iuuenculam ſcriptum eſſe, non virginem, id eſt, alma non Bethula? Aduerſus quos in alio loco competentius diſſeremus. Hæc eadem habet Hieron. Matt. 1. vt videre poteris lect. 1. & 2. die 24. Decemb. Et Amb. inſtit. virg. cap. 5. & 6.

Margin notes (left column): Reſ[illegible] Heluidij. — Antequã conueni[illegible] examinatur. — H[illegible] hypo[illegible]ſo. — Pſal. 6. Iſa. 38. — Quid ſit, antequam conuenirẽt. — A quo inuenta. — Maria cur deſponſata [illegible]. — Ratio 1. — Ratio 2. — Ratio 3. (right column): Hier. — Amb.

Bern. Cur ait. Habens in vtero. Bernardi: Merito dicitur habere in vtero: quia ab extra in vterum materiale ſemen non traxit: ſed operatione Spiritus ſancti concepit.

Theop. Maria cur ſit deſponſata. Theophylact. Matt. 1: Quare Deus permiſit, vt ipſa deſponſaretur, & omnino ſuſpicionem daret hominibus, quaſi cognoſceret eam Ioſeph? vt haberet in aduerſis curatorem. Nam hic in fuga in Ægyptum, curam eius habuit, & ſeruauit eam. Eſt & alia cauſa, vt lateret diabolum, propterea deſponſata eſt. Diabolus enim cum audiſſet, quod virgo vterum gereret, obſeruauit virgines. Vt igitur deceptor decipiatur, deſponſat ſemper virginem Mariam. Et figura quidem fit coniugij: non autem res ipſa. Conuenire hic ſignificat congreſſum. Priuſquam enim congrederentur, concepit. Vnde & Euangeliſta obſtupeſcit, & clamat: Inuenta eſt; quaſi de re quadam admirabili dicens. Cõuenire eſt coire.

Not. 2. ver. 2.

Baſ. Hier. 1. opinio. 2. opinio. VIDE Baſ. not. 1. Hieron. lib. aduerſ. Heluid. cap. 2: Cogitabat occulte dimittere eam, in tantum ſuum non eſſe, qui conceptus fuerat, confidebat. De hoc loco vide Hieron. lect. 3. die 24. Decemb.

Chryſol. Chryſol. ſerm. 175: Ioſeph ille maritus ſolo nomine, conſcientia ſponſus, prægnantem ſponſam fluctuans, & anxius intuetur: quia neque accuſare innocentem, neque prægnantem poterat excuſare: tacere tutum non erat, erat loqui periculum. Admittit, non prodit crimina accuſator inſontis. Erat ipſe teſtimonium caſtitatis, erat cuſtos pudoris: aliud nouerat, aliud intuebatur, confundebat virginis fides: actus, & vita in biuio, mens iuſta, & ſanctus animus ancipiti cogitatione torquetur: ſentit, ſed tantum non poteſt penetrare ſacramentum: quia nec accuſare poterat, & defenſare penes homines non valebat. Merito mox occurrit Angelus: merito reſponſum ſubuenit mox diuinum, cui, humano deficiente conſilio, iuſtitia non deficit. Opinio ſecunda.

Fulg. Fulg. lib. de incarn. & gratia Ieſu cap. 3: Maria virum non ad concubitum, corruptelamque carnis: ſed ad teſtimonium, cuſtodiamque ſacræ virginitatis, & caſtiſſimæ fœcunditatis habuit.

Amb. 3. opinio. Amb. lib. 2. in Luc: Pulchre autem docuit ſanctus Matthæus Euangeliſta, quid facere debeat iuſtus, qui probrum coniugis deprehenderit; vt incruentum ab homicidio, caſtum ab adulterio, præſtare ſe debeat. Qui enim iungitur 1 Cor. 6. meretrici, vnum corpus eſt. Ergo vbique in Ioſeph iuſti gratia, & perſona ſeruatur, vt teſtis ornetur. Os enim iuſti mendacium neſcit, & lingua eius loquitur iudicium. Iudicium enim loquitur veritatem. Quam non accepit, nemo dimittit. Et ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.

Amb. Et lib. de inſtit. virg. c. 5: Quid autem præiudicat Mariæ, ſi cœleſtis conſilij myſterium Ioſeph non intellexit, & putauit virginem non eſſe, quam prægnantem videret? Quomodo homo potuit diuinum ſcire ſecretum, quod Angeli neſciebant? hoc autem opinatus eſt, quod traduceret eam, quaſi ream, antequam ab Angelo moneretur. Poſtea autem quaſi fidelis, nec dubius, virginitatis eius ſeruauit oraculum.

Amb. Et ſer. 7. in Pſ. 118. ver. 5: Liquet igitur his magiſterijs doctrinæ cœleſtis, quod iuſtus ſe accuſare malit, quam alium deformare. Denique de Ioſeph, cui deſponſata erat Maria, mater Domini, ſcriptum eſt, quod cum eam grauem vtero vidiſſet, cum eſſet iuſtus, noluit eam traducere: & vtique nullum adhuc audierat oraculum. Ita non ſolum ab vltionis atrocitate: ſed etiam ab accuſationis ſeueritate, iuſti aliena perſona eſt: potiuſque ducit ſuam remiſſionem accuſari, quod non indicauerit, quam alienum crimen arguere.

Theoph. Vt Ioſeph Mariam dimittere volens, iuſtus fuerit. Theophylact. Matt. 1: Quomodo erat iuſtus Ioſeph, cum lex præceperit adulteram traducere, hoc eſt, denunciare, & punire: ipſe autem adumbraturus peccatum, & præuaricaturus legem, eam dimittere voluerit? Soluitur autem 1. reſp. hoc, primum quidem, quod propter hoc ipſum iuſtus erat. Nolebat enim crudelis eſſe: ſed præ multa benignitate, miſericordia eam proſequebatur, oſtendens ſe ſuperiorem lege, etiam ſuper legalia mandata viuentem. 2. reſp. Ioſeph Mariam de Spiritu ſancto conceptiſſe cognouit. 2. opinio. Deinde, quia & ipſe cognouit de Spiritu ſancto eam concepiſſe, propterea noluit traducere, & affligere eam, quæ de Spiritu ſancto, non ex adulterio, conceperat. Vide enim quid dicat: Quoniam inuenta eſt in vtero habens. A quo inuenta eſt? à viro, hoc eſt, innotuit quod ex Spiritu ſancto concepit. Vnde clam voluit eam dimittere, & non audebat habere vxorem, quæ tantam habebat gratiam.

Ber. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus: Bene, cum eſſet Cum eſſet iuſtus. iuſtus, noluit eam traducere. Quia ſicut nequaquam iuſtus eſſet, ſi cognitam ream conſenſiſſet: ſic nihilominus iuſtus non eſſet, ſi probatam Cur Mariã Ioſeph dimittere voluit? 1. opinio. innoxiam condemnaſſet. Quare voluit dimittere eam? accipe & in hoc, non meam, ſed patrum ſententiam. Propter hoc Ioſeph, voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum à ſe repellebat, dicens: Exi à me Domi- Luc. 5. ne, quia homo peccator ſum: propter quod & Centurio à domo ſua eum prohibebat, cum diceret: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub Matt. 8. tectum meum. Ita ergo & Ioſeph indignum, & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe, à tali, & à tanta non debere ſibi vltra familiare præſtari contubernium, cuius ſupra ſe mirabilem expaueſcebat dignitatem. Videbat, & horrebat diuinæ præſentiæ certiſſimum geſtantem inſigne: & quia myſterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem; expauit Centurio præſentiæ maieſtatem; exhorruit nimirum & Ioſeph ſicut homo, huius tanti miraculi nouitatem, myſterij profunditatem. Et ideo occulte voluit dimittere eam. Miraris quod Ioſeph prægnantis ſeſe conſortio virginis iudicabat indignum, cum audias & ſanctam Elizabeth eius non poſſe ferre præſentiam, niſi cum tremore quodam, & reuerentia? ait namque: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ideo itaque Ioſeph voluit dimittere eam. Sed quare Cur occulte. occulte, & non palam? ne videlicet diuortij cauſa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir iuſtus reſponderet populo duræ ceruicis, populo non credenti, & contradicenti? Si diceret quod ſentiebat, quod de illius puritate comprobauerat, nonne mox increduli, & crudeles Iudæi ſubſannarent illum, lapidarent illam? Quando namque veritati crederent tacenti in vtero, quam poſtea contempſerunt clamantem in templo? Quid facerent needum apparenti, cui poſtmodum impias manus miſerunt etiam miraculis coruſcanti? merito ergo vir iuſtus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occulte dimittere eam. Sin vero a- 1. opinio. liter quis ſentiat, & Ioſeph ſicut hominem dubitaſſe contendat; ſed quia iuſtus erat, noluiſſe quidem habitare cum ea, propter ſuſpicionem, nec tamen, quia pius erat, traducere voluiſſe ſuſpectam; & ideo voluerit occulte dimittere eam: breuiter reſpondeo, etiam ſic dubitationem illam Ioſeph fuiſſe neceſſariam, quæ diuino meruit certificari oraculo. Sic quippe ſcriptum eſt: Hæc autem eo cogitante, &c.

Aug. epiſt. 54. ad Macedonium: Ioſeph, cui Aug. 3. opinio. virgo Maria Domini mater fuerat deſponſata, Cur Mariã cum eam comperiſſet eſſe prægnantem, cui ſe Ioſeph dimittere nouerat non eſſe commiſtum: & ob hoc nihil voluit? aliud, quam adulteram credidiſſet, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitij fuit. Nam hæc voluntas eius etiam iuſtitiæ deputatur. Ita quippe de illo ſcriptum eſt: Et cum eſſet homo iuſtus, & nollet eam diuulgare, ſtatuit eam occulte dimittere. Idem habet ſer. 16. Aug. de verb. Dom. vt videre licet cap. 92. not. 1.

Circa hoc Ioſephi dubium, triplex eſt opinio: Auct. vna eſt, quod Ioſeph intellexerit Mariam de Triplex opinio de dubitatione Ioſephi. Spiritu ſancto, non ex adulterio, concepiſſe: 1. opinio. ac ideo ſe indignum eſſe reputauerit, qui habitaret cum illa: nec eam voluiſſe reijcere: ſed occulte dimittere, ac relinquere. Ita ſentiunt Bern. Bern. Theoph. Baſ. Theophylact. Baſil. & alij.

Secunda opinio eſt, quod Ioſeph cognouerit 2. opinio. Mariam eſſe grauidam, ſuſpicatuſque fuerit, non eam eſſe fornicatam; ſed magnum aliquod, ſeu diuinum ſubeſſe myſterium. Quocirca eam voluiſſe relinquere. Hæc eſt ſententia Hieron. Hier. Matt. 1.

Orige.

Matt.1. & Orige.hom. 1.in diuerſos,& aliorum.

3 opinio.

Tertia opinio eſt, quod Ioſeph ſuſpicatus fuerit, Mariam eſſe fornicatam, & adulterium patraſſe; ac proinde malam eſſe. Propterea volebat eam dimittere: ne apud ſe in domo adulteram retinendo, conſentire peccato videretur.

Chryſoſt. Iuſtin. Amb. Aug. Niceph.

Huius opinionis ſunt Chryſoſt.hom.4. in Matt. Iuſtinus in dialogo cum Triphone, Amb. Aug. Niceph. l.1.hiſt.cap.8.& alij.

Occulte voluit eam dimittere:ne diffamaret. Secundum legem Deut. 22. Adultera lapidari debebat. Cur ergo Ioſeph cum eſſet iuſtus,eam non accuſauit? Lex non præcipiebat, vt homines adulteram accuſarent: ſed vt accuſatam, & conuictam interficerent.

Mirum videri non debet, ſi beata Maria reputata ſit mala, cum ipſius etiam filius,pro malo ſit habitus: & in vtero ſuæ matris exiſtens incipere pati voluit. Aliquando mulieres,quæ verè ſunt adulteræ, ab hominibus caſtæ reputantur: ſed quandoque Deus eas detegit, ſicut Samaritanæ contigit, Ioan. 4. Interdum vero quæ ſunt caſtiſſimæ,dicuntur,& habentur adulteræ: vt Maria, quam Deus ab ea ſuſpicione per Angelum liberat. Aliquæ mulieres habent carnalem viri copulam, ſine coniugio, ſeu matrimonio; ſicut illa Samaritana, cui Dominus ait, Ioan.4: Quem habes non eſt tuus vir. Aliæ vero habent virum per matrimonium,ſine carnali copula: vt Maria. Beatiſſima virgo Maria, nihil de ſua innocentia, & conceptione dicere voluit: ſed totum hoc Deo reliquit; à quo ſe defendi poſſe, ſi quidem opus eſſet, cognouit: nec ſe ijs immiſcere negotijs voluit,quæ ad Deum ſpectabant: diſſimulauit crimen, quod ſibi falſo impingebatur. In his vide prudentiam, humilitatem, & patientiam eius; Dei vero prouidentiam.

Coniugati, quibus miſera hæc ſors vxoris adulteræ contigit, ſplendidiſſimum habent exemplum, quid ſint in ea calamitate facturi: videlicet vt potius ad clementiam, quam ad crudelitatem confugiant. Habent etiam ſpeculum viri omnes ſpirituales,vbi vitam ſuam aſpiciant. Quis vnquam crediſſet,tam Ioſephum à Mariæ ſuſpicione vexatum? Imo quis perſuadere ſibi potuiſſet,tam lætam Mariæ conceptionem, & imprægnationem tam dulcem, tam amaro temperari felle, & condiri? Videbat Maria Ioſeph cogitabundum,triſtem, ſuſpicioſum. Ioſephi amarus erat Mariæ conſpectus. Mariam Ioſeph prægnantem, triſtemque videbat: quod illi fel, & abſinthium erat. Cui vnquam veniſſet in mentem,in tam dulci conſortio,tantum potuiſſe fellis cadere? nulla profecto in terris eſt tam læta feſtiuitas, nulla tam dulcis, & grata ſocietas,quæ fellis,& amaritudinis labem euadere poſſit. Quid? non modo ab extraneis vexaberis: imo ipſi domeſtici tui, qui tecum edunt quotidie, ac tibi conſentientes in domo Dei ambulant, magnificabunt ſuper te ſupplantationem.

Matt. 7. Pſal. 40.

Not. 3. ver. 3.

Auct. Bern. Gabriel Ioſephū inſtruxit.

RECTE Bernardus hom.1.ſuper Miſſus,indicat eundem fuiſſe Angelum,qui nunc,& poſtea Ioſepho apparuit; quique virgini Mariæ filium nunciauit. Quia totum illud, erat veluti vnum myſterium ad eundem proximum finem ordinatum.

Aug.

Aug. ep. 54: Apparuit illi Angelus,qui doceret eſſe numinis, quod ille putauerat criminis.

Aug.

Et ſer. 16. de verb. Dom: Indicauit quid eſſet; quia non violauit viri thorum.

Not. 4. ver. 4.

Amb.

AMBR. lib. 2. in Lucam: Nec te moueat, quod frequenter ſcriptura cōiugem dicit:Non enim virginitatis ereptio; ſed coniugij teſtificatio, nuptiarum celebratio declaratur.

Amb.

Et lib. de inſtitut. virginis cap. 6: Deſponſata viro coniugis nomen accepit. Cum enim initiatur coniugium, tunc coniugij nomen adſciſcitur. Non enim defloratio virginitatis facit coniugium; ſed pactio coniugalis. Deniq; cum iungitur puella, coniugium eſt; non cum virili admixtione cognoſcitur.

Hier. Spōſæ vocātur vxores. Cur Angelus blande loquatur. Filius Dauid cur dicatur.

Hiero. Matt. 1: Iam & ſupra diximus, ſponſas vxores appellari, quod plenius liber aduerſus Heluidium docet. Et blandientis affectu ei per ſomnium Angelus loquitur, vt iuſtitiam ſilentij comprobaret.Simulque notandum,quod Ioſeph filius eſſe dicatur Dauid, vt Maria quoque, de ſtirpe Dauid monſtraretur.

Hier.

Et lib.aduerſ.Heluid: Deinde ab Angelo vxorē appellatam, & coniunctam. Quod autem in ſomnis dicitur ad Ioſeph: Ne timeas accipere Mariam vxorem tuam. Et rurſum: Exurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit vxorem ſuam: nullum mouere debet, quaſi ex eo quod vxor eſt appellata, ſponſa eſſe deſierit. Cum hanc eſſe ſcripturæ diuinæ conſuetudinem nouerimus,vt ſponſas appellet vxores. Sicut in ſequentibus Deuteronomij teſtimonijs approbatur.Si quis, inquit,inuenerit virginem deſponſatam viro in campo, & vim faciens dormierit cum ea, moriatur: quia humiliauit vxorem proximi ſui. Et in alio loco: Si autem fuerit adoleſcentula deſponſata viro,& inuenerit homo eam in ciuitate, & dormierit cum ea, educetis vtrumque ad portas ciuitatis illius, & lapidabuntur lapidibus, & morientur. Adoleſcētula quidem, quia non proclamauit,cum eſſet in ciuitate: vir autem, quia humiliauit vxorem proximi ſui: & eradicabitis malum ex vobiſmetipſis. Necnon & alibi: Et quis eſt ille homo,cui deſponſata eſt vxor,& non accepit eam? vadat,& reuertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & forte homo alius accipiat eam: prohibitum ei fuerat,ne relinqueret,ne adulteram exiſtimaret vxorem. Nunquid & à congreſſu coniugis ſeparatus fuerat, cum vtrique ne ſepararetur magis fuiſſet admonitus?

Deut. 22.

Deut. 20.

Baſ. Baſil. hom. 25. de humana Chriſti generatione: Ne metuas accipere Mariam coniugem tuam: Oſtendit, quod illam non ſit abominatus, nec moleſte tulerit: ſed quod eam metuerit, vt Spiritu ſancto plenam.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. de ſancta Suſanna: Qui ergo liberauit Suſannam mulierem caſtam, coniugem fidelem, à falſo teſtimonio ſeniorum; ipſe liberauit & virginem Mariam, à falſa ſuſpicione. Inuenta eſt ergo & virgo illa prægnans, ad quam vir non acceſſerat. Vterus quidem fœtu tumuerat, & virginalis integritas manſerat. Seminatorem fidei fide conceperat, Dominum in ſuum corpus aſſumpſerat, non eius corpus violari permiſerat. Merito tamen tanquam homini venit in ſuſpicionem. Aliunde eſſe credebat, quod de ſe non eſſe ſciebat, & ipſum alium de adulterio ſuſpicabatur. Quare dignus fuit ab Angelo corrigi: quia nonnulla erat maleuola ſuſpicio. Maleuolæ ſuſpiciones ſunt calumniantium; beneuolæ ſuſpiciones ſunt gubernãtium. Licuit cuiquam de filio male ſuſpicari, ſed filio non licet calumniari. Vtique ſuſpicaris malum, ſed optas inuenire bonum. Qui beneuole ſuſpicatur, vinci cupit. Tunc enim bene lætatur, quando falſum inuentum fuerit, quo male ſuſpicabatur. Talis erat Ioſeph circa coniugem ſuam, cui corpore non erat mixtus: ſed tamen fide iam fuerat copulatus. Venit ergo & virgo in falſam ſuſpicionem. Sed ſicut pro Suſanna affuit in Daniele ſpiritus; ſic pro Maria Domini fuit Angelus. Ad Ioſeph, inquit Angelus: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim de illa natum fuerit, de Spiritu ſancto eſt. Gaudebant paulo ante coniugatæ ad Suſannam; gaudent virgines ad Mariam. Vtræque teneant caſtitatem: illæ coniugalem, iſtæ virginalem: vtraque enim caſtitas habet apud Dominum meritum.

Aug. Aug. lib. 1. de nupt. & concup. cap. 11: Coniunx vocatur ex prima fide deſpõſationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manſerat coniugis appellatio; vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnis permixtio. Erat quippe illa virgo: ideo & ſanctius, & mirabilius iocunda ſuo viro: quia etiam fœcunda ſine viro; prole diſpar, fide compar. Propter quod fidele coniugium parentes Chriſti vocari ambo meruerunt: & non ſolum illa mater, verum etiam ille pater eius, ſicut coniunx matris eius: vtrumque mente, non carne. Omne itaque nuptiarum bonum implerum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides, ſacramẽtum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Ieſum: fidem, quia nullum adulterium: ſacramentum, quia nullum diuortium.

Tria nuptiarum bona.

Aug. Eadem fuſius proſequitur lib. 5. cont. Iulian. cap. 9.

Chryſol. Chryſol. ſerm. 175: Qui nihil fecerat, quid timebat? Timebat, quia etſi nullus in facto reatus, erat in cauſa maximus pauor. Sanctus animus, quicquid non aſſequitur, expaueſcit.

Not 5. ver. 5.

NATVS, pro conceptus hoc loco ponitur, vt inquit Aug. epiſt. 57. loquitur enim hic Angelus de Chriſti generatione in vtero. Nec dubium eſt, quin ea, quæ Matthæus iam narrat, contigerint paulo ante partum Elizabethæ, ſcilicet poſt reditum virginis à cognata. Ideoque neque hoc, neque præcedens caput alibi collocari debuit. Ex his Angeli verbis apparet, quod Ioſeph antea neſciuerit, Mariam de Spiritu ſancto concepiſſe. Aug.

Baſil. hom. 25. de humana Chriſti generatione: Hinc deprehendi licet, quod non ſecundum communem modum carnis conſtitutio Domino fuit. Conceptum namque illico perfectum fuit, non per interualla paulatim formatum, vt plane verba declarant. Non enim dicit: Quod in ea conceptum eſt; ſed: Quod in ea natum eſt. In ſanctitate namque caro conglutinata, digna quidem vnigeniti diuinitati coniungi fuit. Baſ.

Not. 6. ver. 6.

ISIDOR. Hiſpal. lib. 7. origi. cap. 2: Ieſus Hebraicè, Græcè Sothir, Latinè autem Saluraris, ſiue Saluator interpretatur: pro eo quod cũctis Gentibus ſalutifer venit. Etymologiam enim nominis huius etiam Euangeliſta ſignificat, dicens: Vocabitur nomen eius Ieſus, id eſt, Saluator: quia ipſe ſaluũ faciet populum ſuum. Sicut enim Chriſtus ſignificat regem: ita Ieſus ſignificat Saluatorem. Non itaque nos ſaluos facit quicunque Rex, ſed Rex Saluator. Iſidor.

Hieron. Matt. 1: Ieſus Hebræo ſermone Saluator dicitur. Etymologiam ergo nominis eius Euangeliſta ſignauit, dicens: Vocabis nomen eius Ieſum: quia ipſe ſaluum faciet populum ſuum. Hiero.

Not. 7. ver. 9.

HIERON. Matt. 1: Pro eo, quod Euangeliſta Matthæus dicit: In vtero habebit; in Propheta ſcriptum eſt: In vtero accipiet. Sed Propheta quia futura prædicit, ſignificat quid futurum ſit, & ſcribit: Accipiet: Euangeliſta quia non de futuro, ſed de præterito narrat hiſtoriam, mutauit, accipiet: & poſuit, habebit. Qui enim habet, nequaquam accepturus eſt. Tale quid & in pſalmis legimus: Aſcendens in excelſum captiuam duxit captiuitatem, accipiet dona in hominibus. Hoc teſtimonium Apoſtolus ponens, non dixit: Accipiet, ſed, dedit. Quia ibi de futuro ſignificatum eſt, quod accepturus eſſet: hic de eo narrat hiſtoria, qui iam dederat, quod acceperat. Et epiſt. 101. ad Pammac. de opt. gene. interpr. cap. 3: Idem Matthæus loquitur: hoc autem totum factum eſt, vt compleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel. Quod ſeptuaginta tranſtulerunt: Ecce virgo

Hier. Cur dicat, habebit, potius quam accipiet. — Pſal. 67. — Epheſ. 4. — Hiero.

virgo in vtero accipiet, & pariet filium: & vocabitis nomen eius Emanuel. Si verba calumniantur, vtique non eſt idem, habebit, & accipiet: neque, vocabunt, & vocabitis. Porro in Hebræo legimus ita ſcriptum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit nomen eius Emanuel. Non Achaz, qui arguebatur infidelitatis; non Iudæi, qui erant Dominum negaturi: ſed vocabit, inquit, ipſa, quæ concipiet; ipſa virgo, quæ pariet.

Not. 8. ver. 11.

Baſil. Primogenitus quis dicatur. BASIL. hom. 25. de humana Chriſti generatione: Primogenitus non omnino ad ſuccedentem prolem comparationem habet. Omne adaperiens primum vuluam, primogenitum vocatur.

Hier. Hiero. Matt. 1: Ex hoc loco quidam peruerſiſſime ſuſpicantur, & alios filios habuiſſe Mariam, dicentes: Primogenitum non dici niſi qui habeat & fratres: cum hic mos ſit diuinarum ſcripturarum, vt primogenitum non eum vocent, quem fratres ſequantur: ſed eum, qui primus natus ſit. Lege ſupradictum libellum aduerſus Heluidium. Et lib. aduerſ. Heluid: De eo quidem quod ſcriptum eſt, cognoſcebat, ad coitum eſſe referendum, ipſe diſſeruit: nullo dubitante, quin ad ſcientiam ſæpe referatur, vt ibi: remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. Iuxta quod & illud intelligitur de Ioſeph, Euangeliſtam id indicaſſe, de quo ſcandalum poterat moueri, non eam cognitam eſſe à viro ſuo vſque ad partum: vt multo magis intelligeremus cognitam non fuiſſe poſt partum, à qua tunc ſe abſtinuit, cum adhuc de viſione poterat fluctuare. Ibidem plura de hac re. Nititur approbare Heluidius, primogenitum non poſſe dici, niſi eum, qui habeat & fratres; ſicut vnigenitus ille vocatur, qui parentibus ſolus ſit filius. Nos autem ita definimus: omnis vnigenitus, & primogenitus: non omnis primogenitus, & vnigenitus. Primogenitus eſt non tantum poſt quem & alij, ſed ante quem nullus. Omne, inquit Dominus ad Aaron, quod aperit vuluam, ab omni carne, quæ offertur Domino, ab homine vſque ad pecus, tibi erunt: tantummodo precijs redimant primogenita hominum, & primogenita pecorum immundorum. Definiuit ſermo Dei quid ſit primogenitum: omne, inquit, quod aperit vuluam. Alioqui ſi non eſt primogenitus, niſi is tantum, quem ſequuntur fratres, tamdiu ſacerdotibus primogenita non debentur, quamdiu & alia fuerint procreata, ne forte partu poſtea non ſequente, vnigenitus ſit, & non primogenitus. Redemptio, inquit, eius erit ab vno menſe, &c. Sic etiam Eucher. cap. 9. not. 5. ver. 8.

(Margin: Hier. Cognoſcere duo ſignificat. — Quis primogenitus, quis vnigenitus. — Eucher.)

Amb. Amb. lib. 2. in Luc: Mouere non debet, quod ait Euangeliſta: Non cognouit, donec peperit filium. Illud enim velut idioma ſcripturæ eſt. Sicut habes alibi: Et donec ſeneſcatis, ego ſum: nunquid poſt illorum ſenectutem, Deus eſſe deſinit? Et in Pſalmo: Dixit Dominus Domino (Pſal. 109.) meo, ſede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. Nunquid poſtea non ſedebit? vel quia qui cauſam agit, ſatis putat quod cauſæ eſt dicere, redundantia non requirit. Satis enim eſt ei, vt cauſam ſuſceptam aſtruat, incidentem differat. Et ideo qui incarnationis incorruptum ſuſceperat probare mysterium, non putauit vberius proſequendum virginitatis Mariæ teſtimonium: ne defenſor magis virginis, quam aſſertor myſterij crederetur. Certe quando iuſtum docuit Ioſeph, ſatis declarauit, quod ſancti Spiritus templum, matrem Domini, vterum myſterij violare non potuit. Et lib. de Noe, & Arca cap. 17: Conſiderandum etiam, quare non regreſſum dixerit coruum, donec ſiccaret aqua à terra: quaſi vero poſtea ſit regreſſus. Sed hæc locutio familiaris eſt ſcripturæ diuinæ. Siquidem & in Euangelio habes ſcriptum de ſancta Maria, quod nõ cognouerit eam Ioſeph, donec peperit filium: cum vtiq; nec poſtea cognouerit. Vide eundem lib. inſtit. virg. cap. 5. & 8. Et lib. 1. de Fide cap. 5. & in Præf. Pſ. 35. & ſer. 7. in Pſ. 118. Amb.

Greg. lib. 8. Moral. cap. 40: Per Euangelium, de Mariæ ſponſo dicitur: & non cognouit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum: non quod hanc poſt natiuitatem Dei cognouerit: ſed quod nequaquam illam contigit, etiam cum conditoris ſui matrem eſſe neſciuit. Nam quia eam contingere nequaquam valuit, poſtquam redemptionis noſtræ, ex eius vtero celebrari myſterium agnouit; de illo profecto tempore, neceſſe erat vt Euangeliſta teſtimonium ferret, de quo propter Ioſeph ignorantiam dubitari potuiſſet. Greg.

Iſidor. Peluſ. epiſt. 18. lib. 1: Quandoquidem exiſtimare te dixiſti, offenſioni Iudæis id eſſe, quod in diuinis oraculis dictum eſt; Non cognouit eam, donec peperit filium ſuum, tanquam, ſcilicet, poſtea ſponſus cum virgine congreſſus ſit: noſcat contumelioſus, & ingratus populus, vocem hanc, Donec, pro perpetuo in diuina ſcriptura ſæpe poſitam reperiri: Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum: Et hoc pro in perpetuum: Et: Non reuerſa eſt colomba ad Noe, donec ſiccarentur aquæ. Prorſus enim non reuerſa eſt. Et: Donec ſeneſcitis ego ſum, ait Dominus. Atqui eſt perpetuo. Atque alia per multa eiuſdem generis ſparſim in diuina ſcriptura reperiuntur. Diuina, porro mens, ô Iudæi, peruerſam veſtram ſententiam corrigens (qui Dominum ex ſtupro ortum eſſe exiſtimaſtis, ac pronunciaſtis:) his verbis illud demonſtrare ſtuduit, quod intactus adorandus partus; ac libidinis, & concubitus expers fuerit, diuinitatique conſentaneus, atque eiuſmodi, qui humanæ rationis captum excedat. Nam ne poſtea ij inter ſe coirent, quibus fornicatio per calumniam obiecta eſt, Angeli quoque viſio prohibebat, qui eum, qui in virginis vtero carnem aſſumebat, ex Spiritu ſancto extitiſſe dixerat: & miraculorum in partu editorum maieſtas, atque amplitudo vetabat, & virginitas, quæ partum ſecuta eſt, & Angelorum cãtus, & oblatum à

(Margin: Iſidor. — Matth. 1. — Donec. — Pſal. 109. — Gene. 8. — Iſa. 46. — Matt. 1.)

Matt. 2. Luc. 2. tum à Magis munus, & ſtella prælucens, & deductio in Ægyptum, & ſimulachrorum captiuitas, & illorum ipſorum iuſtitia ſcripturæ ſanctæ teſtimonio confirmata. Quin iſtud, quoque poſtremum Domini teſtamentum liquido demonſtrat, qui, quo tempore in cruce erat, ac viuifica morte fungebatur, Ioanni virgini, genitricem Dei commendauit, atque amborum virginitates computauit. Ioan. 19.

CAP. 8. *Naſcitur, & circumciditur Ioannes; ſolutoq́ linguæ vinculo, Zacharias Deum laudat.*

Matt.	*Mar.*	*Luc. 1.*	*Ioan.*

In nat. Ioannis Bapt.

1 ✠ ELizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium.
2 Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit
Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulaban-
tur ei.
3 Et factum eſt, in die octauo venerunt circumcidere pue-
rum: Et vocabant eum nomine patris ſui, Zachariam.
4 Et reſpondens mater eius, dixit: Nequaquam; ſed voca-
bitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cogna-
tione tua, qui vocetur hoc nomine.
5 Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum. Et
poſtulans pugillarem, ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomen e-
ius. Et mirati ſunt vniuerſi.
6 Apertum eſt autem ilico os eius, & lingua eius; & loqueba-
tur benedicens Deum. Et factus eſt timor ſuper omnes vici-
nos eorum, & ſuper omnia montana Iudææ diuulgabantur
omnia verba hæc. Et poſuerunt omnes, qui audierant, in
corde ſuo, dicentes: Quis putas puer iſte erit? Etenim manus
Domini erat cum illo.
7 Et Zacharias pater eius repletus eſt Spiritu ſancto, & pro-
phetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſi-
tauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. ✠
8 Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui.
9 Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt, pro-
phetarum eius.
10 Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui o-
derunt nos.
11 Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & me-
morari teſtamenti ſui ſancti.
12 Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum,
daturum ſe nobis.
13 Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati,
ſeruiamus illi.
14 In ſanctitate, & iuſtitia corã ipſo, omnibus diebus noſtris.
15 Et tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim an-
te faciem Domini parare vias eius.
16 Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem
peccatorum eorum.
17 Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit
nos oriens ex alto.
18 Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent,
ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.
19 Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu.
20 Et erat in deſertis, vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſ-
rael.]

Notatio 1.

Diſpoſitionis ratio. Aug. Ammo. Metap. AVGVST. lib. 2. de conſ. cap. 5. Ioannis natiuitatem, & circunciſionem, Ioſeph dubitationi proxime ſubijcit: Ammonius vero præmittit. Prius nos cum Simeone Metaphraſte ſequendum putamus. Aug. Aug. ſer. 20. de Sanctis: Poſt illum ſacroſanctum Domini natalis diem, nullius hominum natiuitatem legimus celebrari, niſi ſolius Ioannis Baptiſtæ. In alijs

Sanctis, & electis Dei, nouimus illum diem cœli, quo illos poſt conſummationem laborum, & deuictum, triumphatumq; mundum, in perpetuas æternitates, præſens hæc vita parturijt. In alijs conſummata vltimi diei merita celebrantur. In hoc etiam prima dies, & ipſa etiam hominis initia conſecrantur: pro hac abſque dubio cauſa: quia per hunc Dominus aduentum ſuum, ne ſubito homines inſperatum non
Aug. agnoſcerent, voluit eſſe teſtatum. Et ſer. 21: Natalem ſancti Ioannis, hodie celebramus: quod nulli vnquam ſanctorum legimus fuiſſe conceſſum. Solius enim Domini, & beati Ioannis dies natiuitatis in vniuerſo mundo celebra-
Aug. tur, & colitur. Et ſer. 23: Præcurſor Ioannes eſt natus, cuius natiuitatis dies hodiernus traditur, hodie celebratur. Hoc maiorum traditione ſuſcepimus, hoc ad poſteros imitanda deuotione tranſmittimus. Ioannis ergo non Euangeliſtæ, ſed Baptiſtæ natalem hodie celebramus. Qua prima re poſita, occurrit quæſtio non prætereunda; quare natalem, quo eſt natus ex vtero Ioannes, potius celebramus, quam cuiuſlibet Apoſtoli, vel Martyris, vel Prophetæ, vel Patriarchæ? Si interrogemur, quid reſpondebimus? Quantum mihi videtur, quantum meatum virium mediocritati occurrit, eſt cauſa hæc. Diſcipuli Domini nati ſunt, & per ætatis acceſſum, ad annos capaciores perducti, in diſcipulatum aſſumpti ſunt. Illorum poſtea fides Domino adhæſit: ſed nullius illorum natiuitas Domino militauit. Recordemur & Prophetas; recolamus Patriarchas: nati ſunt homines: ætatis acceſſu, pleni Spiritu ſancto, Chriſtum prophetauerunt. Nati ſunt, vt poſtea prophetarent. Ioannis autem Dominum Chriſtum ipſa natiuitas prophetauit, quem conceptum ex vtero ſalutauit.

Ver. 1.

Orige. ORIGE. hom. 12. in Gen: Hic ſermo, id eſt, impleti ſunt dies eius, vt pareret, nunquam fere, niſi de ſanctis mulieribus ſcribitur. De hac
Gen. 25. namque Rebecca dictum eſt hoc, & de Eliza-
Luc. 1. 3. beth matre Ioannis, & de Maria matre Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Amb. Ambroſ. lib. 2. in Luc: Quod ſi diligenter aduertas, inuenies hoc nuſquam poſitum, niſi in generatione iuſtorum. Denique impleti ſunt dies, vt pareret Maria; impletum eſt tempus, vt pareret Elizabeth; impletum eſt vitæ tempus, cum ſancti viri ex hoc vitæ curriculo demigrarent. Plenitudinem iuſti vita habet: inanes autem dies ſunt impiorum.

Not. 2. ver. 2. & ſequent.

DE verſu 2. & ſequentibus vide Amb. lect. 7. 8. & 9. die 24. Iunij.

Amb. Ambroſ. ſerm. 64: Si enim pater Zacharias, cum eum nominauit, vocem recepit: quanto magis nos cum laudemus illum, eloquium promeremur? Etſi illius os, cum in ſeculo naſceretur, aperuit: quanto magis, cum pro Chriſto patitur, ora noſtra fœcundat? Cum enim Zacharias pater eius, propter incredulitatem natiuitatis illius, ab Angelo Gabriele ſilentij eſſet taciturnitate mulctatus, etiam diu mutus verborum diſpendio mentis ſecreta velaret, ſubito nato Ioanne filio, cum apud proximos eſſet contentio, quo nomine vocaretur, offeruntur patri tabulæ, vt vocabulum eius pro ſui arbitrio ipſe deſcriberet, & quod ſermone non poterat, literis loqueretur. Tunc mirum in modum acceptis pugillaribus vt ſtylum figeret, linguam reſoluit, ac literas ſermone præuenit: & Ioannem non teſtatus eſt, ſed locutus. Videte igitur ſancti Baptiſtæ meritum, vocem patri reddidit, ſacerdoti eloquentiam reparauit. Videte, inquam, meritum: os, quod Angelus alligauerat, Ioannes abſoluit: quod Gabriel obſtruxerat, paruulus reſerauit. Reſpicite igitur Ioannem, quanta vis ſit eius vocabuli, cuius nuncupatio reddidit muto vocem, patri pietatem, populo ſacerdotem. Prius enim erat tacens lingua, ſterilis filio, priuatus officio: at vbi Ioannes naſcitur, fit repente pater, Propheta, vel Pontifex, loquela vſum recipit, prolem affectio ſuſcipit, ſacerdotem functio recognoſcit.

Nazianz. orat. 8: Zachariæ ſilentium Ioannes in lucem editus ſoluit. Non enim conueniebat, vt vocis pater taceret, poſteaquam ea prodierat. Sed quemadmodum haud credita linguam, ceu vinculo quodam adſtrinxerat: ita par erat vt patefacta patri loquendi libertatem concederet, cui & lętum nuncium allatum fuerat, & ipſa vox nata, ipſa ſermonis lucerna, ipſe lucis præcurſor. Naz.

Not. 3. ver. 6.

CHRYSOST. encomio de natali Præcurſoris: Certe infans naſcitur, & vox patris reuertitur. Qui non credidit verbis Angeli, nunc neceſſe habuit ſcriptis prædicare viſionem. Qui tunc auditione non acceperat ea, quæ dicta fuerant: nunc ea, quæ fiunt, manu conſtituit. O nouum, & alienum miraculum! Nomen ſcribitur, & os patris, quod loqui non poterat, aperitur. Ioannes vocatur, & eius, qui vocat, lingua componitur, ac concinnatur. Ecce ipſum iuſti nomen, & os aperit ſilentij, & excitat linguam ad mouendum difficilem. Sic enim oſtenditur vox clamans Ioannis: quoniam ipſum quoque nomen, fit vocis operatio. Ego enim, inquit, ſum vox clamantis, &c. Chryſoſt.

Amb. lib. 2. in Luc: Ideo fortaſſe & Zacharias vocem recepit: quia vocem locutus eſt. Amb.

Not. 4. ver 7.

ORIGE. hom. 10. in Luc: Plenus Spiritu ſancto Zacharias, duas prophetias generaliter nunciat: primam de Chriſto, alteram de Ioanne. Quod manifeſte de verbis ipſius approbatur, in quibus quaſi de præſentia, & qui verſaretur in mundo, loquitur Saluatoris: ac deinde de Ioanne. Orige. Zacharias duo prophetat.

Chryſoſt.

Chryſoſt. Chryſoſt. encomio de natali Præcurſoris: O res admirabiles, quid dicit Zacharias? primam vocem poſt reſurrectionem exclamauit: Benedictus Dominus. Quid ergo? mortuus eſt Zacharias, quod ſurrexit: non mortuus eſt: ſed quiddam mortis inſtar ſuſtinuit. Tanquam enim ſepulchrum tenuit ſilentium: & faſcijs alligatus fuit, hoc eſt, linguæ vinculis. Hanc ergo primam exclamauit vocem poſt figuratam reſurrectionem. Ergo nos quoque hanc vocem conſequentes, bonum Deum noſtrum benedicentes, eum glorificemus, & per bonos mores, & bona opera eum colamus, vt bona quoque æterna conſequamur.

Not. 5. ver 15.

Orige. ORIGE. hom. 10. in Luc: Apud memetipſum quærens rationem, quare non quaſi de Ioanne, ſed ad Ioannem ipſum dicat: Et tu puer, Propheta, & reliqua. Superfluum enim fuit, ad non audientem loqui, & ad paruulum, atque lactantem apoſtropham facere: hanc puto poſſe me reperire: quod quomodo mirabiliter Ioannes natus, & Angelo prædicante venit in mundum: ſic etiam cuncta, quæ ſuper eo ſcripta ſunt, mirabiliter facta referuntur. Quod ſi dubitas, ſtatim de vtero matris effuſum, poſſe verba patris audire, & ſcire quid ſit hoc, quod ad ſe dicitur: Et tu puer, &c. conſidera multo fuiſſe mirabilius, quod præceſſit. Ecce, vt facta eſt vox ſalutationis, &c. Si enim adhuc in ventre matris concluſus audijt Ieſum, & audiens exiliuit, atque lætatus eſt: quare non credas eum iam genitum prophetiam patris ad ſe dictam, audire, & intelligere potuiſſe? Ideo reor Zachariam feſtinaſſe, vt loqueretur ad paruulum: quia ſciebat eum poſt paululum in eremo moraturum, nec ſe eius poſſe præſentiam habere. Prophetantem patrem, ſtatim vt natus eſt, audire potuit, & intelligere. Et hom. 11: Ad Ioannem velut audientem Zachariæ prophetantis ſermo conuertitur. Orige.

Not. 6. ver. 16.

Bern. BERN. ſer. in nat. Ioan. Bapt: Ad dandam, inquit, non ſalutem: neque enim ille lux; ſed ſcientiam ſalutis, vt teſtimonium perhiberet de lumine. Scientiam, inquit, ſalutis, in remiſſionem peccatorum. Num ſalutis ſcientiam ſapiens paruipendere poteſt? Ponamus tamen necdum veniſſe Ioannem, necdum ſignificaſſe de Chriſto. Vbi ſalutem quæremus? Peccaui peccatum grande, quod ſanguine vitulorum, vel hircorum deleri non poteſt: quia non holocauſtis delectatur altiſſimus. Memoria mea infecta eſt fece huius amurcæ, non eſt nouacula, quę membranam hanc radere poſſit: quia tota totam imbibit fecem. Si peccati mei oblitus fuero, ſtultus ſum, & ingratus. Si in memoria mea permanet, arguet me in æternum? Quid igitur faciam? Ibo ad Ioannem, & audiam vocem lætitiæ, miſericordiæ vocem, ſermonem gratiæ, verbum remiſſionis, & pacis: Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et alibi: Qui habet ſponſam, inquit, ſponſus eſt. Oſtendit igitur quia venit Deus, quia ſponſus, quia agnus. Quia Deus, certum eſt quod peccata remittere poſſit. Sed vtrū velit, adhuc in quæſtione eſt. Vult profecto, quia ſponſus eſt, quia amabilis eſt. Et Ioannes amicus ſponſi eſt: quia ſponſus niſi amicos habere non nouit. Et licet velit glorioſam ſponſam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiuſmodi; non tamen quærit talem. Vbi enim illam inueniret? Sed talem potius ipſe facit: talem ſibi exhibet ipſe. Audi denique quid dicat per Prophetam: Vulgo dicitur: Nunquid mulier, ſi dormierit cum altero viro, reuertetur ad virū ſuum priorem? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: reuertere tamen ad me, & ego ſuſcipiam te. Ecce quod poſſit, ecce quod velit. Sed tu fortaſſis timeas eam, quam facere venit delictorum purgationem, ne vſtione & ſciſſione oſſa, & medullas oſſium collidat, ne dolorem inferat morte grauiorem. Audi, agnus eſt, in manſuetudine venit cum lana, & lacte, ſolo verbo iuſtificans impium. Quid enim, iuxta comicum, facilius dictu? Tantum, inquit, dic verbo, & ſanabitur puer meus. Vt quid ergo deinceps hæſitemus fratres, & non omni fiducia ad thronum gloriæ aſcendamus? Agamus Ioanni gratias, & eo mediante tranſeamus ad Chriſtum.

Ioan. 1. 3. Iere. 3. Matt. 8.

Not. 7. ver. 18.

Greg. GREG. lib. 4. Mor. cap. 20: In ſcriptura enim ſacra vmbra mortis aliquando obliuio mentis accipitur: aliquando imitatio diaboli: aliquando mors carnis. Vmbra enim mortis, obliuio mentis accipitur: quia, vt & ſuperius diximus, ſicut mors hoc quod interficit, agit vt non ſit in vita: ita & obliuio hoc quod intercipit, agit vt non ſit in memoria. Vnde & recte quia Ioannes Hebræorum populo eum, cuius obliti fuerant, Deum prædicare veniebat, per Zachariam dicitur: Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent. In vmbra enim mortis ſedere, eſt à diuini amoris notitia in obliuione lateſcere. Et hom. 33. in Euang: Tunc enim greſſus noſtros in viam pacis dirigimus, quando per illud actionum iter pergimus, in quo ab auctoris noſtri gratia non diſcordamus. Greg.

Proſp. Proſp. lib. 1. de vocat. Gent. cap. 19: Et vt breuiſſime pateat, qualis ſit natura humana, ſine gratia, dicat Iudas Apoſtolus, &c. Dicat etiam ſub verbis Zachariæ Euangeliſta Lucas, ante illuminationem gratiæ, in qua humanum genus nocte verſetur, &c. Et cap. 20: Hæc autem viſcera miſericordiæ, Dominus non ad vnius tantum populi redemptionem; ſed ad omnium nationum impendit ſalutem, &c.

Not. 8. ver 22.

Orige. ORIGE. hom. 11. in Luc: Digne igitur, qui ſic conceptus fuerat, & natus, non expectauit vt à patre nutriretur vſq; ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael: ſed receſſit, fugiēs tumultum vrbium, populi

Ioannes ſtatim ad eremum tranſijt.

populi frequentiam, viciniam ciuitatum : & abijt in deſerta, vbi purior aer erat, & cœlum apertius, & familiarior Deus: vt quia necdum ſacramentum baptiſmi, nec prædicationis tempus aduenerat, vacaret orationibus, & cum Angelis conuerſaretur, appellaretque Dominum, & illum audiret reſpondentem, atque dicentem: Ecce adſum. Sicut enim Moyſes loquebatur, & Deus reſpōdebat ei: Sic puto quod Ioannes locutus fuerit in deſerto, & Dominus reſponderit ei. Hoc arbitror, certa de ſcripturis ratione commotus. Si enim maior in natis

Matt. 11. mulierum Ioanne Baptiſta fuit nemo, Moyſi autem reſpondit Deus, conſequenter reſpondit & Ioanni, qui maior Moyſe fuit, qui eſt nutritus in eremo, cuius natiuitatem idem Archangelus, qui & Domini, nunciauit: cuius pater, qui cum naſci non credebat, obmutuit.

Orige. Et hom. 10: Et Moyſes in deſertis moratus eſt:

Exod. 2. ſed poſt, & expletis iam ætatis ſuæ annis, fugit ex Ægypto: & per alios annos pecora custodiuit. Ioannes vero ſtatim vt natus eſt, tranſijt ad deſerta.

Dam. Petrus Damian. ſer. de S. Ioanne Bapt: Intra teneritudinem annorum, beatus iſte puer ad eremum ſpiritu ducente deductus eſt: nec obſtitit ætatis infirmitas, quam maieſtas Domini fœcundabat. Spiritus enim ſanctus non attendit differentiam ſexuum, fragilitatem corporum, temporum annoſitatem: ſed quemcumque, & quandocumque, & quomodo vult, dignantiſſima replet benignitate. Relinquit Ioannes mundum, homines fugit, neſcit patriam, parentes aſpernatur, & in ſolius diuinitatis apicem beatæ contemplationis figit obtutus. Mira rerum conuerſio, hominem vix mundum ingreſſum, mundi fugere gloriam, & ſeculi cupiditates non ſolum obliuiſci, ſed & neſcire, perpetuumq; cum diuinitate habere conſortium. Receſſus montium, ſiluarum anfractus, & vallium ſubteriacens vaſtitas, puero Patriarchæ domicilia præbuerunt.

Niceph. Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 14: Filius autem Zachariæ Ioannes, in cuius natiuitate, patris vox ſoluta eſt, cum prius ab illo Ioannis nomen in tabula fuiſſet exaratum, vna cum matre Elizabetha in ſpelunca quadam ad regionem montanam, ſaluus conſeruabatur, fortaſſe Herodis ſanguinariam effugiens manum. Atque inde in ſolis locis libenter verſari ſolitus, Angeloque duce vſus, in remotiores ſiluarum receſſus ſeceſſit.

Pet. Petrus Alexand. can. 13. ſerm. de pœnitentia: Cum quibus, innocentibus, & alium prius natum infantem, cum interfecturus quæſiuiſſet, & non inueniſſet, patrem eius Zachariam interfecit inter templum, & altare, cum effugiſſet filius cum matre Elizabeth. Vnde nec vllo modo reprehenduntur.

CAP. 9. CHRISTVS *naſcitur, paſtoribus reuelatur, & circunciditur.*

Matt.	*Mar.*	*Luc. 2.*	*Ioan.*
		In nocte Nat. Domini.	

1 [FActum eſt autem in diebus illis, ✠ Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.
2 Hæc deſcriptio prima, facta eſt à præſide Syriæ Cyrino.
3 Et ibant omnes, vt profiterentur, ſinguli in ſuam ciuitatem.
4 Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa, de ciuitate Nazareth, in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem.
5 Eo quod eſſet de domo, & familia Dauid.
6 Vt profiteretur cum Maria, deſponſata ſibi vxore, prægnante.
7 Factum eſt autem, cum eſſent ibi, impleti ſunt dies, vt pareret.
8 Et peperit filium ſuum primogenitum.
9 Et pannis eum inuoluit.
10 Et reclinauit eum in præſepio.
11 Quia non erat eis locus in diuerſorio.
12 Et paſtores erant in regione eadem, vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.
13 Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos; & timuerunt timore magno.
14 Et dixit illis Angelus: Nolite timere, ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.
15 Quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid.
16 Et hoc vobis ſignum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.

Matt. 1.	Mar.	Luc. 2.	Ioan.
		17 Et ſubito facta eſt cum Angelo, multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium:	
		18 Gloria in Altiſſimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. +	
		In Aurora Natiuitatis Domini.	
		In oct. Nat. Domini.	
		19 ET factum eſt, vt diſceſſerunt ab eis Angeli in cœlum: + Paſtores loquebantur ad inuicem:	
		20 Tranſeamus vſq; Bethleem, & videamus hoc verbum quod factũ eſt, quod Dominus oſtendit nobis.	
		21 Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio.	
		22 Videntes autem, cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis, de puero hoc.	
		23 Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt, & de his, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos.	
		24 Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.	
		25 Et reuerſi ſunt paſtores, glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, ſicut dictum eſt ad illos. +	
		In die Circumciſionis.	
		26 ET + poſtquàm conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer;	
27 Et vocauit nomen eius IESVM.]		27 Vocatum eſt nomen eius IESVS.	
		28 Quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. +	

Not. 1. ver. 1.

Greg. GREG. hom.8. in Euang: Quid eſt quod naſcituro Domino mundus deſcribitur, &c. vt lect. 7. die 25. Decemb.

Eucher. Eucher: Quod mundus vniuerſus deſcribitur, & ſub vnius poteſtatis tributum redigitur, magnæ pacis indicium eſt. Si enim mundus adhuc repugnaret, & cõtra Romanum imperium dimicaret, nequaquam eius edictõ deſcribi, & ſub tributum redigi potuiſſet. De hac enim pace Propheta prædixerat: Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Et Pſalmiſta: Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis. Quia enim princeps pacis oriebatur, pacem vtique fieri oportebat.

Eſa. 1.

Pſal. 71.

Tert. Tertullianus frequenter cenſus Auguſti, ſeu Cæſaris commemorat, vt lib. de carne Chriſti cap. 2: Aufer hinc nempe ex Euangelio Lucæ, moleſtos ſemper Cæſaris cenſus. Et lib. 4. aduerſus Marcionem cap. 7: De cenſu denique Auguſti, quem teſtem fideliſſimum Dominicæ natiuitatis Romana archiua cuſtodiunt. Et cap. 19: Sed & cenſus conſtat actos ſub Auguſto nunc in Iudæam per Sentium Saturninum, apud quos genus eius inquirere potuiſſent. Et ca. 36: Vt nemo facile ignorare de genere potuiſſet, vel de recentibus Auguſtianis cenſibus, tunc adhuc forte pendentibus.

Not. 2. ver. 2.

EVSEB. lib. 1. hiſt. cap. 5: Hunc quidem cenſum, Cyrenij temporibus factum, Flauius Ioſephus memoriæ prodidit. Ioſephus porro, quem ſupra citauimus, in decimo octauo libro Antiquitatis, hæc ad verbum tradit: Cyrenius, vnus ex ſenatorum Romanorum numero, cum eſſet reliquis Magiſtratibus perfunctus, omneſque prope honorum gradus percurriſſet, conſul tandem factus, alijſque dignitatis inſignibus eximie ornatus, exiguis cum copijs in Syriam aduentauit. Quippe eo à Cæſare miſſus erat, vti non modo genti illi ius diceret, vt prætor: ſed opum cuiuſque, & facultatum, vt cenſor, æſtimationem faceret. Contra hanc deſcriptionem, magna & vrgens eſt illa obiectio, quæ ſumitur ex Ioſepho lib. 17. Antiqu. cap. vlt. & lib. 18. cap. 1. & lib. 2. de Bello cap. 7. vbi ait deſcriptionem factam ſub Quirino præſide, non Herodis tempore, quo ab Euangeliſta ponitur: imo nec ſub regno filij eius Archelai: ſed poſt illum exactum, hoc eſt, nouem aut decem annis ab Herodis interitu, contigiſſe. Verum Ioſephus de alio cenſu loquitur, de quo Act. cap. 5. Non de quo Lucas hic agit. Proinde errat, Euſeb. dum ad confirmandam hanc Euangelicam veritatem de cenſu acto ſub Quirino citat Ioſephum: quem in his, quæ ſpectant ad tempus deſcriptionis, manifeſtum eſt Euangelio non conſentire.

Euſeb. Ioſeph.

Menor gradus.

Sub

Sub nomine Syriæ comprehenditur etiam Iudæa. Hunc Cyrinum, Ioſephus, Iuſtinus, Euſebius, & alij: Cyrenium, ſeu Quirinum appellant. Aliqui omittunt, a, legentes duntaxat: Hæc deſcriptio prima facta eſt præſide Syriæ Cyrino. Hoc eſt, cum ille præſidem ageret. Verum Romani correctores omittendum a, non exiſtimant. Veriſimile eſt Sentium Saturninum Cyrino collegam adiunctum, ſolumque Cyrinum ab Euangeliſta nominatum, quod & præſes,& notior eſſet. Huius porro nobiliſſimi cenſus memoriam in Romana non extare hiſtoria, mirum non eſt; cum Liuij, & Dionis eius temporis hiſtoria interciderit; Tacitus annales inchoet à Tiberio; Suetonius carpens multa tranſiliat. Sed omnino extitiſſe eius cenſus tabulas in archiuo Romano teſtantur Iuſtinus Martyr orat. ad Anton. Et Tertull. cont. Marcion. lib. 4. cap. 7.

[illegible] Cum Lucas ait, prima, indicat non ſemel tantum, ſed iterum actum eſſe ſub eodem præſide cenſum. Nemo autem intelligat tunc primum cenſos fuiſſe Iudæos, atque redactos ſub tributo, factosque populo Romano vectigales. Siquidem longe antea ſub conſulatu Ciceronis, & Antonij, Pompeius eos domuit,& tributum ab eis exegit. *Cicer.* Idque Cicero teſtatur orat. pro Flacco, & Ioſeph. lib. 14. Antiqu. cap. 8. *Ioſeph.* Et lib. 1. de Bel. Iudaico cap. 5. Et Ammian. lib. 14. & Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 45. & Hieron. Dan. 9. *Iudæi ſæpe cenſi fuerunt.* Neque id ſemel, duntaxat factum eſt: nam eundem Pompeium tempore belli ciuilis à Regibus, dinaſtis, & Tetrarchis Aſiæ totius,& Syriæ, ſub qua continebatur Paleſtina, conſtat ingentes pecunias corraſiſſe, vt ait Cæſar. in comm. de Bel. ciuil. lib. 3. *Cæſar. Ioſeph.* & Ioſeph. lib. 14. Antiqu. cap. 17. Scimus & Gabinium Syriæ præſidem tributum Iudęis imperaſſe, vt teſtatur Dio. hiſt. Roma. lib. 39. hoc ipſum & Caſſium, & cæteros factitaſſe, qui poſt ſucceſſerunt præſides Syriæ, certum eſt: ac 29. annis Iudæos Romanis tributa pendiſſe, antequam Antipater Herodis pater Iudæę procurator à Romanis inſtitueretur; nec poſtea vnquam ceſſaſſe, tradit Epiph. hære. 51. Et licet Iudææ prouincia Herodi, & alijs Regibus conceſſa eſſet à Romanis; non deſijt tamen aliquando tributum ſoluere, vt teſtatur Euangelium: & perſeuerauit vſque ad Veſpaſiani tempora eiuſdem cenſus penſitatio, teſte Epiphan. hære. 51. & Ioſeph. lib. 20. Antiqu. cap. 9. & de Bello Iuda. lib. 2. cap. 14. Quod igitur ea deſcriptio prima facta dicitur ſub Cyrino, non ſic eſt accipiendum, vt tunc primum Iudæi deſcripti fuerint, atque cenſi: ſed primam dixit reſpectu ſecundæ factæ ſub eodem pręſide, more Romano quolibet luſtro populum cenſendo. Atque tam diu fuit in prouincia Quirinus, ſeu Cyrinus: Nam Quintilius Varus eandem diutius adminiſtrauit, vt colligitur ex Ioſepho; & Valerius gratus in eadem functione vndecim annos exegit; & Pilatus annos decem. Ergo non eſt improbabile tam diu Cyrinum præfuiſſe.

Not 3. ver. 3.

EVCHER: His verbis aperte monſtratur, quod hæc deſcriptio ſecundum familias facta fuerat. Vnde ad proprias ciuitates, atque familias, vbicunque eſſent, ſingulos redire oportebat: quatenus communicato conſilio, omnes ſimul tributum dare promitterent, & facta deſcriptione, ſecundum vnamquamque familiam totius tributi ſummam colligerent. *Eucher.*

Ver. 6.

CHRYSOL. ſer. 175: Edicto Cæſaris,& pagani Dominus obtemperaturus occurrit: & decreto beati Petri, decreto Principis Chriſtiani, ſeruus adhuc aliquis irreuerenter obſiſtit? *Chryſol. Exemplũ obedientiæ.*

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 48: Deſcriptus eſt Dominus, cum vtero geſtaretur, & cenſum Cęſari pependit: hinc videlicet velut lata lege nobis indicens, vt ei, qui imperium tenet obediamus, modò nihil ad pietatem detrimenti afferat. Quæ igitur ipſe Deus noſter, ſubita per diſpenſationem & conſilium paupertate, docuit, candido animo imitemur, nec pauperum obtentu tributum pendere detrectemus. *Iſidor. Matt. 17.*

Not. 4. ver. 7.

EVSEB. lib. 1. hiſt. cap. 5: Secundus igitur & quadrageſimus regni Auguſti agebatur annus; octauus autem & vigeſimus ab Ægypto ſubiugata, & Antonij Cleopatræque morte (in quam Ptolemæorum in Ægypto dominatus, ac regnum poſtremo deſijt) cum Seruator, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſub primo cenſu Cyrenij, id temporis præfecti Syriæ, congruenter ſecundum Prophetarum vaticinationes de illo æditas, in Bethleem Iudæ natus eſt. *Euſeb. Chriſtus quo anno ſit natus.*

Eucher: Ibi enim Chriſtum naſci oportebat: quia ſic per Prophetam nunciatum fuerat: Et tu Bethleem terra Iuda, non eris minima in Principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael. *Eucher. Cur in Bethleem naſcitur. Mich. 5.*

Greg. hom. 8. in Euang: Qui bene etiam in Bethleem naſcitur, &c. vt lect. 7. die 25. Decemb. *Greg.*

Chryſol. ſer. 175: Neceſſario via generatur in via. Ego ſum, inquit, via: vt omnis aditus excluderetur erroris,& viator tandem cœlum peteret, qui terreni itineris incaſſum diu ſudores pertulerat, & labores. *Chryſol. Chriſtus cur in via.*

Tertull. lib. 5. aduerſ. Marcion. cap. 9: Fortaſſe an & myſtice factum ſit, vt nocte Chriſtus naſceretur, lux veritatis futurus ignorantiæ tenebris. *Tert. Cur in nocte.*

Thom. par. 3. quæſt. 35. ar. 7. ad 2: Chriſtus in Bethleem voluit quaſi peregre naſci: quia, vt Greg. dicit, per humanitatem, quam aſſumpſerat, quaſi in alieno naſcebatur: non ſecundum poteſtatem, ſed ſecundum naturam. *Tho. Cur in via. hom. 8. in Euang.*

Not 5. ver. 8.

Eucher. Quis ſit primogenitus.

EVCHER: Primogenitus autem ſecundum legem filius dicitur, qui primus de matris vtero procedit; ſiue alij ſequantur, ſiue non ſequantur. Cum enim lex ſtatim poſt vnum menſem omne primogenitum Domino offerri præcipiat, quis non intelligat, ſine alicuius relatione primogenitum dici, cum nihil adhuc genitum ſit, cui hoc primogenitum referri poſſit? Quid enim ſi mater ilico mortua fuerit, vel ſi vlterius filium non genuerit? nunquid idcirco primogenitus ille non erit, qui ex ea iam natus, & poſt vnum menſem Deo oblatus, ab ipſa lege primogenitus eſt vocatus? Igitur aut lex mentitur; aut primogenitus aliquando ſine relatione dicitur. Sic etiam Baſil. & Hieron.

Baſ. Hier.

Mariæ puerperium ſingulare.

Maria peperit ſine dolore, & ruptura, violatione, ſeu apertura clauſtri virginalis; ſine laſſitudine, & ſordibus partum ſequentibus; nec obſtetrice indiguit. Ita Cypr. de oper. cardinal. in natiu. Chriſti, Zeno Epiſc. Veronen. ſer. 6. de natiu. Dom. Athan. ſerm. de natiu. Chriſti. Miraculum quod Zeno refert circa obſtetricis manum contigiſſe, ex apocryphis mutuatum videtur. Maria eſt virgo etiam in partu, & poſt partum. Vnde in Eccleſia cognomentum perpetuæ virginitatis conſecuta eſt: neque ſolet nominari, ſine virginis cognomine ſuperaddito, vt habet Epipha. hære. 78.

Cypr. Zen. Atha. Perpetua Mariæ virginitas. Epiph.

Bed. Chriſtus quo mũdi anno ſit natus.

Quo mundi anno ex Bedæ ſententia Chriſtus ſit natus, hoc diſticho exprimitur:

Vnum tolle datis ad millia quinque ducentis:
Naſcenti Domino tot Beda dat à protoplaſto.

Ver. 9.

De cultu faſciarum germa. Eut.

De honore ſacroſanctis illis faſcijs, & pannis exhibito, vide Germanum, & Euthymium in orat. de faſcijs Domini apud Lipoma. tom. 6. die 31. Aug.

Hier.

Hieron. aduerſ. Heluid: Nulla ibi obſtetrix, nulla muliercularum ſedulitas intercesſit: ipſa pannis inuoluit infantem, ipſa & mater, & obſtetrix fuit. Quæ ſententia, & apocryphorum deliramenta conuincit, dum Maria ipſa pannis inuoluit infantem.

Not. 6. ver 10 11.

Greg. Eſa. 40. Ioan. 12.

GREG. hom. 8. in Euang: Et quia per Prophetam dicitur: Omnis caro fœnum: factus homo, fœnum noſtrum vertit in frumentum, qui de ſemetipſo ait: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Vnde natus, in præſepio reclinatur, vt fideles omnes, videlicet ſancta animalia, carnis ſuæ frumento reficeret: ne ab æternæ intelligentiæ pabulo ieiuna remanerent.

Aug.

Aug. ſer. 20. de tempore: In præſepi dignatus eſt poni, vt eſſet piorum cibaria iumentorum. Idem habet Naz. orat. 38.

Naz. Atha.

Athan. in illud: Profecti in pagum, &c: Et fortaſſe ob iſtum pullum, hominem, Ieſus in præſepe reclinatus fuit. Alioqui veriſimile non eſt, Ioſephum virum nobilem, & è regia ſtirpe oriundum, qui filius Dauidis appellatus eſt, locum in diuerſorio, aut alibi manſionem obtinere non potuiſſe.

Eucher.

Eucher. in hom: O pietas immenſa, ô humilitas ineffabilis, ô ſacramentum inenarrabile! Deus homo ſit; æternus temporalis; immenſus localis; immortalis paſſibilis; paruis pannis inuoluitur, qui cœli ambitu pro magnitudine non continetur: Quis audiuit vnquam tale? Quis vidit huic ſimile? Reclinatur in præſepio; & panis viuus, qui de cœlo deſcendit, non hominibus, ſed pecoribus anteponitur, id eſt, non Iudæis, ſed Gentibus. Tunc cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Sed quid dicam, quod cœli, terræque creator, quod Rex Regum, & Dominus Dominantium non habuit locum in diuerſorio? Sic enim Apoſtolus ait: Quia cum omnium diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt.

Eſa. 1. 2 Cor. 8.

Bern.

Bern. ſer. 4. in vig. natalis Dom: Nunquid dabitur ſanctum canibus? &c. abſcondatur theſaurus noſter, &c. pecunia in ſacculo reponatur. Operiatur conceptus ſine ſemine, matris deſponſatione: partus ſine dolore, vagitibus paruuli, & mœrore: abſcondatur infantis innocentia, ſolita circunciſione. Abſconde Maria noui ſolis fulgorem, pone in præſepio. Inuolue pannis infantem, &c. glorioſius hoc præſepe, auratis Regum ſolijs: ditior Chriſti paupertas, cunctis opibus, cunctiſque theſauris ſeculi. Quid enim humilitate ditius, quid pretioſius inuenitur, qua nimirum cœlorum regnum emitur, & diuina gratia acquiritur?

Thom.

Tho. par. 3. quæſt. 35. ar. 7. ad 2: Vt Beda dicit in diuerſorio loco egebat, vt nobis multas manſiones in domo patris ſui præpararet.

De loco natiuitatis Ieſu. Qui de ſpelunca teſtentur.

Locus vbi Chriſtus natus eſt, erat ſpelunca in agro ſuburbano foris poſita: de quo Orige. lib. 1. cont. Celſ. Euſeb. lib. 7. demonſtra. Euang. cap. 5. Iuſtin. mart. in dial. cum Trypho. Hiero. ep. 18. ad Marcel. Athan. ſerm. de natiu. Chriſti. Damaſce. in carmine de natiu. Chriſti. Burchar. in deſcriptione terræ ſanctæ par. 1. c. 7. §. 39. Epiph. hære. 51. Qui loca illa ignorarunt, nihil de ſpelunca dicentes, ruſticæ alicuius domunculæ ſtabulum eſſe putarunt; vt Cypr. de operib. cardinal. in natiu. Chriſti. Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 12. fuerunt illic bos, & aſinus ad præſepe alligati, Abac. 3. ſecundum 70. Hiero. ep. 27. ad Euſtoch. Naz. orat. 38. de Chriſti natiu. Nyſſe. de Chriſti gener. Pauli. epiſt. 11. ad Seuerum. Cyrill. cate. 12. Damaſc. in carmi. de natiu. Chriſti, & alij permulti. Tunc in eadem ſpelunca ad vſus quotidianos è petra fluxit aqua, quæ non poſſet exhauriri, teſte Beda de locis ſanctis cap. 8. locus ille in magna veneratione, & cultu ſemper eſt habitus; vt teſtatur Pauli. ep. 11. ad Seuerum, Orige. lib. 1. cont. Celſ. & Chryſoſt. hom. de natiu. Dom. vbi dicit præſepe argento fuiſſe tectum. Ipſum vero præſepe ligneum erat, quod iam Roma poſſidet. Dum Chryſoſt. ait hoc præſepe fuiſſe luteum, de exigua fortaſſe ſtructura lateritia,

De boue, & aſino. Aquæ miraculum. Illius loci cultus. Præſepe eſt ligneum.

lætitia, quæ ipſum præſepe continebat, non de ipſo vaſe, in quo repoſitus fuit Chriſtus, loquitur. Hiero. in epitaph. Paulæ ep. 27: Digna ſum iudicata, deoſculari præſepe, in quo Dominus paruulus vagijt. Præſepe ſcripturam ſacram deſignare docet Greg. lib. 31. Moral. cap. 2. & Amb. lib. 10. ep. 83.

Not. 7. ver. 12. 13.

Amb. AMBR. lib. 2. in Luc: Videte Eccleſiæ ſurgentis exordium, &c. vt lect. 8. die 25. Decemb.

Amb. Et ſer. 13: Quod tunc ad illos ſuper gregem ſuum vigilias obſeruantes nocte intempeſta locuti ſunt, huius temporis myſterium deſignabant: Nam illo facto, hoc vtrque monſtrabatur, gregem populum, noctem ſeculum, ſacerdotes eſſe paſtores, qui iugi ſuper plebem ſolicitudine vigilantes propter Chriſtum, ab Angelis minime deſeruntur.

Eucher. Eucher. in hom: Quantum ad literam, ea cauſa eſſe videtur, vt prius paſtoribus hęc verba Angelus nunciaret, ne quaſi incauti ſtabulum intrarent, & in præſepe adire tentarent, in quo puer poſitus erat. Spiritualiter autem ſtabulum, Eccleſia; præſepe, ſcriptura diuina; Paſtores vero, Epiſcopi, & Doctores intelliguntur. Stabulum enim vocatur Eccleſia, ad quam Dei animalia vndique fluunt, ibique ſtant, & morantur in ea. Vnde ſcriptum eſt: Animalia tua

Pſal. 67. Domine inhabitabunt in ea. Hæc autem animalia, quaſi in præſepio, in diuina ſcriptura, cibis ſpiritualibus nutriuntur. Ibi poſitum inueniunt Chriſtum: ibique comedunt panem viuum. Beati, qui huius præſepis cibis aluntur, & de delicijs ibi poſitis reficiuntur. Vos autem Eccleſiæ Paſtores, vos Epiſcopi, & Sacerdotes, audite, & intelligite: vobis Angelus loquitur, vobis hoc gaudium magnum euangelizat. Quia vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei; vobis datum eſt noſſe, & intelligere ſecreta cœli. Nunciate ergo quod audiſtis, prædicate quod vidiſtis, nolite celare quod cognouiſtis. Toties enim Chriſtus in ſtabulo oritur, toties vt paruulus in præſepio ponitur, quoties virginis partum, & Chriſti natiuitatem alijs nunciatis. Inde enim hodierna feſtiuitas, natiuitas Domini vocatur, non quod hodie Dominus naſcatur; non quod Dominus iterum de virgine oriatur: ſed quod eius natiuitatis memoria hodie innouatur, & in illius commemoratione celebratur, & prædicatur.

Cur hoc feſtum, Chriſti natiuitas vocatur.

Greg. Paſtores vigiles ſublimia videre merentur.

Greg. hom. 8. in Euang: Quid autem eſt, quod vigilantibus paſtoribus Angelus apparet, eoſque Dei claritas circumfulget, niſi quod illi præ cæteris videre ſublimia merentur, qui fidelibus gregibus præeſſe ſollicite ſciunt? Dumque ipſi pie ſuper gregem vigilant, diuina ſuper eos gratia largius coruſcat.

Quo in loco viſitentur ab Angelo paſtores.

Locus, in quo erant paſtores, dum ad eos venit Angelus, eſt turris Ader, ait Hieron. ep. 27. de qua etiam Mich. 4. De eadem turri, Bed. de locis ſanct. cap. 8.

Bern. Bern. ſentent. 12: Paſtorum eſt vigilare ſuper gregem, propter tria neceſſaria, videlicet ad diſciplinam, ad cuſtodiam, ad preces. Ad diſciplinam, propter morum correctionem, ne grex commiſſus, propria moleſtia deficiat. Ad cuſtodiam, propter diabolicam ſuggeſtionem; ne hoſtili ſeducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum inſtantiam; ne vincatur à puſillanimitate. In diſciplina, rigor iuſtitiæ: in cuſtodia, ſpiritus conſilij: in prece, affectus compaſſionis. Et ſerm. 3. in natali Dom: Sane accedit ad conſolationem ipſa quoque, quæ paſtoribus vigilantibus exhibita eſt, viſitatio, & allocutio Angelorum. Væ vobis diuites, qui habetis conſolationem veſtram, vt iam non mereamini habere cœleſtem. Quam multi enim nobiles ſecundum carnem, quam multi potentes, quam multi ſapientes huius ſeculi, hora illa in ſtratis mollibus quieſcebant: & nemo eorum dignus habitus eſt, nouam videre lucem, ſcire magnum illud gaudium, Angelos audire cantantes: Gloria in excelſis Deo. Agnoſcant igitur homines, quia qui in labore hominum non ſunt, viſitari ab Angelis non merentur. Agnoſcant quam placeat ſupernis ciuibus labor, cuius ſpiritualis intentio eſt: quandoquidem & eos, qui pro victu corporis corporali vrgente neceſſitate laborant, ſuo dignantur alloquio, & alloquio tam felici, nimirum humanam in eis agnoſcunt ordinationem.

Cur paſtores vigilent.

Bern. Quos Angeli viſitent.

Not. 8. ver. 15.

BERN. ſerm. 5. in natali Dom: Hodie vtique, non in hac nocte. Siquidem nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Et ſer. 6. in vigilia natalis Dom: Vide ſi non euidentius hæc tria ad paſtores loquens Angelus commendauit, gaudium magnum, quod euangelizabat, exponens: Quia, inquit, natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus. Exultemus igitur, fratres, in hac natiuitate, & multipliciter gratulemur in ea, quam & ſalutis vtilitas, & vnctionis ſuauitas, & filij Dei maieſtas tam eleganter illuſtrat, vt nihil deſit ex omnibus, quæ deſiderantur, nec commodum, nec iucundum, nec honeſtum, &c. Bern.

Ver. 16.

BERN. ſer. 2. in Cant: Fœlices illi in ſua pernoctatione paſtores, qui ſigni huius viſione digni habiti ſunt. Iam tunc ſe abſcondebat à ſapientibus, & prudentibus, & reuelabat paruulis. Et Herodes videre voluit: ſed quia non bona voluntate, non meruit. Pacis ſiquidem ſignum erat datum tantum hominibus bonæ voluntatis. Herodi vero, & ſimilibus eius, non dabitur niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Porro ad paſtores, & hoc, ait Angelus, vobis ſignum: vobis humilibus, vobis obedientibus, vobis non alta ſapientibus, vobis vigilantibus, & in lege Dei meditantibus die, ac nocte. Hoc, inquit, vobis ſignum. Quod? quod Angeli promittebant, quod populi Bern.

populi requirebant, quod Prophetæ prædixerant,hoc fecit Dominus nunc,& oſtendit vobis: in quo recipiant increduli fidem, puſillanimes ſpem, perfecti ſecuritatem. Hoc ergo vobis ſignum. Cuius rei ſignum? indulgentiæ, gratiæ, pacis,& pacis,cuius non erit finis, &c. Hoc ſi-
Iſa. 7. gnum pacis Propheta quondam regi Achaz proponebat petendum à Domino Deo,&c.

Ver. 17.

SICVT natali Domini lætati ſunt Angeli, & ſacrum hymnum cecinerunt: ita mali dæmones perterriti, atque turbati, de nato puero Hebræo, qui ſuas ipſorum vires eneruaret, atque contereret,licet inuiti,reſponſa dederunt. Quæ cum innotuiſſent Auguſto, qui & ex ſibyllinis verſibus de eodem complura perceperat,debitæ religionis obſequia perſoluit; cum antea Iudæorum cultui eſſet valde infenſus, eorumque religionem, vt peregrinas ſuperſtitiones abominaretur, & contemneret: & in capitolio erexit aram hac notatam inſcriptione: àra primogeniti Dei, &c.

Not. 9. ver 18.

Bern. BERN. ſerm.2.in Cant: Chriſtus eſt pax hominibus bonæ voluntatis: maleuolis autem petra ſcandali, & lapis offenſionis. Et ſer. 1.
Bern. in annunciat. Domi: Venturum regem miſericordia, & veritas præuenerunt, ſicut ſcriptum
Pſal. 84. eſt: Miſericordia, & veritas præcedent faciem tuam. Iuſtitia thronum præparat, ſecundum illud: Iuſtitia, & iudicium præparatio ſedis tuæ. Pax cum Rege venit, vt Propheta fidelis inueniretur, qui dixerat:Pax erit in terra noſtra cum venerit. Inde eſt quod nato Domino, Angelorum chorus canebat: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Sed & tunc iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt, quæ non modice videbantur ha-
Ber. ctenus diſſidere. Et ſerm. 2. de annunciat. Dom: Chriſtus Ieſus mediator fidelis, ſicut in perſona vna, Dei, hominiſque ſubſtantiam copulauit ineffabili ſacramento: ſic & in ipſa reconciliatione, conſilio vſus altiſſimo, mediam non deſeruit æquitatem,vtriſque tribuens quod oportebat; honorem Deo,homini miſerationem. Hæc enim optima inter offenſum Dominum, & reum ſeruum forma compoſitionis, vt nec honorandi Domini zelo ſeruus opprimatur auſteriori ſententia: nec rurſum dum huic immoderatius condeſcenditur,ille debito fraudetur honore. Audi igitur, & diligenter obſerua Angelicam in huius mediatoris ortu diſtributionem. Gloria, inquit, in Altiſſimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.Huius denique gratia obſeruationis, fideli reconciliatori Chriſto, nec timoris ſpiritus defuit, quo patri ſemper reuerentiam exhiberet, ſemper ei deferret, ſemper gloriam eius quæreret: nec ſpiritus pietatis, quo miſericorditer compateretur hominibus.Vnde & neceſſarium habuit ſpiritum quoque ſcientiæ, per quem timoris pariter & pietatis diſtributio fieret inconfuſa.

Et ſer. 5. in feſto omnium Sanct: Non tantummodo ſocietas, ſed & felicitas nobis eſt optanda ſanctorum,vt quorum deſideramus præſentiam,gloriam quoque feruentiſſimis ſtudijs ambiamus. Neque enim pernicioſa hæc ambitio; aut illius affectatio gloriæ, vllatenus periculoſa eſt. Nam quod dicimus: Non nobis Domine Pſal. 113. non nobis, &c. Huius temporis vox eſt, quando & ipſi Angeli clamāt:Gloria in excelſis Deo, &c. Vnde & in hymno hodie nos canimus: Des pacem famulis,nos quoq; gloriā per cuncta tibi ſecula:iuxta Angelicam ſcilicet diſtributionem. Quia enim tentatio eſt vita hominis ſuper terram,merito in terra homini non gloria; ſed pax eſt quærenda: pax cum Deo,pax cum proximo, pax cum ſeipſo. O cuſtos hominum, quare me Iob 7. poſuiſti contrarium tibi,& factus ſum mihimetipſi grauis? vicina nimirum lucta,& inteſtina ſeditio, bellum non ciuile, ſed domeſticum; ſpiritus aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum concupiſcens. Vnde hoc,niſi quia poſuiſti me contrarium tibi? Et ſer. de conuerſ. ad Bern. clericos cap. 17: Cæterum ſic declinemus à malo,vt faciamus bonum;inquiramus pacem,non gloriam proſequamur. Illa enim Dei eſt,& eam Eſa. 42. alteri non dabit: Gloriam, inquit, meam alteri non dabo. Et dicebat homo ſecundum cor Dei: Non nobis Domine, &c. Recordemur etiam Pſal. 113. ſcripturæ dicentis: Si recte offeras,& non recte diuidas, peccaſti. Recta eſt, fratres, illa noſtra diuiſio: nemo detractet. Alioquin ſi cui forſitan minus placet, ſciat non noſtram eſſe, ſed Angelorum. Priores enim Angeli cecinerunt: Gloria in excelſis Deo, &c. De hac Angelorum Auct. diuiſione, agit etiam Ber. ſer. 13. in Cant. vbi ſic Bern. inter alia dicit:Goliath proſtrato,lætatus eſt populus, pace recepta; ſed Dauid ſingulariter extitit glorioſus. Ioſue, Iepthe, Gedeon, Samſon, Iudith,glorioſe in diebus ſuis triumpharunt de hoſtibus: ſed pace,cum gaudio fruentibus cæteris, nemo eis communicauit in gloria. At Iudas Machabæus, multis & ipſe inclitus victorijs, &c. Quid minus ab his omnibus conditor omnium fecit, quo minus & ipſe debeat gloriari ſingulariter? &c. Torcular calcaui ſolus, &c. Impudentiſſime mihi arrogo vel gloriam abſ- Eſa. 63. que victoria,vel victoriam ſine pugna:ſed ſuſcipite montes pacem populo: & pacem ſuſcipite nobis, non gloriam: ipſi ſoli eam ſeruantes,qui ſolus & pugnauit,& vicit. Ita quæſo,ita ſit: Glo- Pſal. 71. ria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. At vero non bonæ, ſed plane iniquæ voluntatis eſt, qui nequaquam pace contentus, &c. nec pacem proinde retinens, nec gloriam apprehendens. Quis credat parieti, ſi ſe dicat parturire radium, quem ſuſcipit per feneſtram? aut ſi glorientur nubes, quod imbres genuerint, quis non irrideat? Et epiſt. 126: Quænam vero, putas, eſt tanti cau- Bern. ſa furoris? non alia ſane, niſi quod diſplicet mortalibus, Angelica illa partitio, qua gloria Deo, pax hominibus nunciatur: Et dum gloriam vſurpant, turbant pacem. Solus gloriam

meretur,

meretur, qui facit mirabilia ſolus; ſicut dicit A-
1 Tim. 1. poſtolus: Soli Deo honor, & gloria. Porro autem cum noſtro genere bene agitur, ſi datur frui pace Dei, pace cum Deo, &c.

Naz. Naz. orat. 42: Gloria in altiſſimis Deo: & in terra pax hominibus bona voluntas.

Nice. Nicet. ad eandem: Quemadmodum Angeli ordinem ſibi attributum ſeruantes, cum Deo pacem habent: ita nos miſeri poſtquam concupiſcentias noſtras Dei voluntati oppoſuimus, in hoſtium numero, atque ordine apud eum haberi cœpimus. Verum hoc per Chriſtum ſublatum eſt. Ipſe enim nobis & pax, & bona voluntas factus eſt, iniquitatem videlicet inimicitiæ parentem de medio tollens, atque eos prope vocans, qui procul remoti erant, Deoque, & patri per ſe coniungens, ac ſuperiora cum inferioribus connectens, bonamque voluntatem patris implens, quæ quidem nihil eſt aliud, quam fracti, & conquaſſati Adami inſtauratio.

Greg. Greg. hom. 8. in Euang: Prius quippe quam Redemptor noſter naſceretur per carnem, diſcordiam cum Angelis habuimus, à quorum claritate, atque munditia, per primæ culpæ meritum, per quotidiana delicta longe diſtabamus. Quia enim peccando extranei eramus à Deo, extraneos nos à ſuo conſortio deputabāt Angeli, ciues Dei. Sed quia nos cognouimus regem noſtrum, recognouerunt nos Angeli ciues ſuos. Quia enim cœli rex terram noſtræ carnis aſſumpſit, infirmitatem noſtram illa iam Angelica celſitudo non deſpicit. Ad pacem noſtram Angeli redeunt, intentionem prioris diſcordiæ poſtponunt, & quos prius infirmos, abiectosq; deſpexerant, iam ſocios venerantur. Hinc eſt
Gen. 19. Ioſ. 5. enim quod Loth, & Ioſue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur: Ioannes vero
Apoc. 22. in Apocalypſi ſua adorare Angelum voluit: ſed tamen idem hunc Angelus ne ſe debeat adorare compeſcuit, dicens: Vide ne feceris: conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum. Quid
Cur Angeli antea ſe adorari ab hominibus paciebantur, nō poſtea. eſt, quod ante Redemptoris aduentum, Angeli ab hominibus adorantur, & tacent; poſtmodum vero adorari refugiunt, niſi quod naturam noſtram, quam prius deſpexerant, poſtquam hanc ſuper ſe aſſumptam conſpiciunt, proſtratam ſibi videre pertimeſcunt? nec iam ſub ſe velut infirmam contemnere auſi ſunt, quam ſuper ſe videlicet in cœli rege venerantur. Nec habere dedignantur hominem ſocium, qui ſuper ſe adorant hominem Deum. Curemus ergo fratres chariſſimi, ne qua nos immunditia polluat, qui in æterna præſcientia, & Dei ciues, & Angelis eius æquales ſumus. Vendicemus moribus dignitatem noſtram, nulla nos luxuria inquinet, nulla nos turpis cogitatio accuſet, non malitia mentem mordeat, non inuidiæ rubigo conſumat, non elatio inflet, non ambitio per terrena oblectamenta dilaniet, non ira inflammet.

Amb. Amb. ſer. 13: Digna plane, & iuſta ſententia, quæ in natiuitate Chriſti, & Deo honorem repræſentat in cœlis, & hominibus pacem præſentat in terris. Ante Saluatoris enim ortum, nec cœleſtia reuerentiam deferebant, nec terrena requiem poſſidebant. Sed videte quid dicat ipſa ſententia: pax in hominibus bonæ voluntatis. Non in quibuſcunque hominibus, ſed bonæ voluntatis hominibus: vt intelligas pacem Chriſti, non debiti eſſe, ſed meriti. Non enim eam meriti Angeli, in ea nocte, qua paſtores naſcentem Dominum ſuper gregem ſuum vigilias obſeruantes primi præ omnibus didicerunt. Ipſi enim primi ortum Saluatoris ante omnes homines intimantibus Angelis cognouerunt. Vnde mirum eſt, quod prius redemptionem ſeculi potuerunt ſcire, quam principes. Non enim Angeli annunciauerunt Regibus, non Iudicibus, ſed hominibus ruſticanis. Non ergo iam mirandum eſt, ſi Chriſti gratiam ante ſcire meruerit innocentia, quam poteſtas; & prius cognoſcere veritatem ſimplex ruſticatio, quam ſuperba dominatio. Quod enim cognouerunt paſtores, principes cognoſcere nequiuerunt. Vnde & beatus Apoſtolus ait: Quem nemo 1 Cor. 2.
principum ſeculi huius cognouit.

Not. 10. ver. 21.

BEDA de locis Sanctis cap. 8. tres habet fuiſſe paſtores. Bed. Tres paſtores.

Bern. ſer. 4. in natali Domini: Quid eſt, quod ſola ab Angelo commendari videtur humilitas; nec tamen ſola à paſtoribus inueniri? forte ſpecialius commendat Angelus humilitatem, quia ruentibus cæteris per ſuperbiam, ipſe in humilitate ſtetiſſet, aut propterea certe cœlitus annunciatur humilitas, quod hæc quaſi propria virtus diuinæ exhibenda ſit maieſtati. Sola tamen non potuit inueniri: quia ſemper gratia datur humilibus. Inuenerunt ergo Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Sicut enim Saluatoris infantia, manifeſtam prætendit humilitatem: ſic per virginem, continentia; iuſtitia per Ioſeph virum iuſtum, cuius laus eſt in Euangelio, non incongrue deſignatur. Sane continentiam deberi carni, quis neſciat? Iuſtitia vero virtus eſt, quod ſuum eſt cuique tribuens. Et hæc erga proximos eſt neceſſaria. Porro humilitas Deo nos reconciliat, Deo facit eſſe ſubiectos, Deo placet in nobis, ſicut ait virgo beata: Reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ. Itaque qui fornicatur, peccat in corpus ſuum: qui iniurioſus eſt, in proximum: qui extollitur, & inflatur, in Deum. Fornicator ſemetipſum dehoneſtat, iniurioſus moleſtat proximum; elatus, quod in ſe eſt, Deum inhonorat. Gloriam meā, Dominus ait, alteri non dabo. Et ſuperbus: Ego, inquit, mihi eam, licet non dederis, vſurpabo. Nec enim placet ei Angelica diſtributio, dans gloriam Deo, pacem hominibus. Non ergo colit Deum; ſed aduerſus eum extollitur, impius plane, & infidelis. Quæ eſt enim pietas, niſi cultus Dei? Quis vero Deum colit, niſi qui voluntarie ei ſubiectus eſt; & ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ſic oculi cordis eius ad Dominum Deum ſuum? Vt ergo inueniatur in nobis ſemper Maria, & Ioſeph, &

Bern. Cur Angelus humilitatem ſpecialius cōmendet.

Tres ſunt à paſtoribus inuenti.

Iuſtitia quid ſit.

Eſa. 42.

Angelica diſtributio.

infans poſitus in præſepio, ſobrie, & iuſte, & pie viuamus in hoc ſeculo. Propter hoc enim apparuit gratia Dei erudiens nos; & per hoc quoque illius gloria apparebit. Sic enim habes: Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie, & iuſte, & pie viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei. Apparuit in paruulo gratia ad eruditionem. Sed hic erit magnus, ſicut de eo Gabriel locutus eſt: & quos paruulus erudierit ad humilitatem cordis, & manſuetudinem, magnificabit poſtmodum, & glorificabit magnus, & glorioſus adueniens.

Tit. 2.

Luc. 1.

Not. 11. ver. 26.

Amb. AMBR. lib. 2. in Luc: Circunciditur itaque puer, &c. vt lect. 7. die 1. Ianu. De hac circunciſione vide eundem Amb. lib. 2. de Abraham cap. 11. & ſer. 13. in Pſal. 118. & ep. 39. lib. 6. & ep. 77. lib. 9. & in cap. 15. ad Roma.

Bern. Bern. ſer. 1. in circunc. Dom: Abbreuiatum enim in carne, amplius abbreuiatur ſuſcepta etiam carnis circunciſione. Minoratus paulominus ab Angelis Dei filius humanam naturam induit, ſed iam nec ipſum reſpuens remedium humanæ corruptionis, plane multo minoratus ab eis. Habes igitur hic magnum fidei documẽtum; habes & manifeſtum humilitatis exemplum. Ad quid enim tibi circunciſio neceſſaria, qui peccatum non commiſiſti, nec contraxiſti? quod ipſe non feceris, ætas manifeſtat: quod non contraxeris, multo certius probat patris diuinitas, integritas matris. Summus ſacerdos es, quem nec ſuper patre, nec ſuper matre contaminandũ in lege prophetatum eſt, potius quam mandatum. Eſt enim tibi pater ab æterno, ſed Deus eſt, in quem peccatum non cadit. Eſt & mater ex tempore, ſed virgo; nec parere potuit incorruptio corruptelam. Super hæc omnia, circunciditur puer, agnus ſine macula. Et ſi non eguit, tamen voluit circuncidi. Nec veſtigium quidem vllum vulneris habẽs, alligaturam non refugit vulneris. Non ſic impij, non ſic, non ſic agit peruerſitas elationis humanæ. Erubeſcimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo poteſt arguere de peccato, ipſe peccati remedium, & verecundum, pariter & auſterum, ſine vlla neceſſitate, ſuſcepit. Nec repulit cultrum lapideum, in quo ſolo, vetus illa, quæ raderetur, rubigo non fuit. Nos è contra inuerecundi ad obſcœnitatem culpæ; erubeſcimus agere pœnitentiam, quod extremæ dementiæ eſt, male proni in vulnera, peius in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus eſt ſe peccatorem reputari: nos & eſſe volumus, & nolumus æſtimari. Itane ſano opus eſt medicina, & non potius male habentibus? Imo vero, itane eget medicamine, non æger, ſed medicus? Quis hominum tantæ ſibi, non dicam gloriæ, ſed vel innocentiæ conſcius, æquanimiter circuncidentis manum admitteret? Chriſtus vero patienter, quæ non rapuit, exoluit, qui venerat purgationem facere, non ſuſcipere, delictorum. Sed dicas: quidni ſuſciperet paruulus? imo vero, quidni ſuſciperet humilis, & manſuetus? Quidni obmuteſceret coram circuncidente, qui coram tundente obmutuit, coram crucifigente ſiluit? Alioquin non erat illi difficile carnem ſuam integram conſeruare, ne ſcinderetur, qui fecerat, ne virginalis vteri porta, in exitu ſuo, aperiretur. Non erat difficile paruulo prohibere, ne caro illa circuncideretur; quando nec mortuo fuit difficile cuſtodire ne corrumperetur.

Epiph. Circuncisionis Chriſti cauſæ.

Epipha. hære. 30: Propter multas cauſas circunciſus eſt: & primum, vt oſtenderet ſeipſum in veritate carnem aſſumpſiſſe; propter Manichæum, & eos, qui dicunt, in ſpecie ipſum apparuiſſe. 1
Deinde vt oſtenderet quod non eſſet coeſſentiale corpus deitati; velut Apollinarius 2
inquit: ſed neque ipſum ex ſupernis detuliſſet; 3
ſicut dicit Valentinus. Et vt confirmaret circunciſionem, quam olim dederat, iuſte inſeruiſſe 4
vſque ad ſuum aduentum. Et vt non haberent 5
Iudæi excuſationem. Si enim non fuiſſet circunciſus, poterant dicere: Non potuimus Chriſtum ſuſcipere. Et alias oportebat ipſum, qui præce- 6
perat Abraham, vt circuncideretur, ſignaculi apparentis gratia, dati vero ad figuram veri, ac inuiſibilis, nunc circuncidi, & hoc ſignaculum confirmare. Fiebat enim apparens illa circunciſio, propter hæſitationem ipſius Abraham, quãdo ſanctus, & iuſtus ille in dubitatione dixit: Num centum annos nato filius gignetur? Et: Num Sara anicula gignet filium? Et ſtatim Dominus: Accipe mihi arietem triennem, & capram, & vaccam, & cætera. Et circa ſolis occaſum, vbi vidit faces ignis, & clibanum, & alia, dixit ipſi Deus per increpationem: ſemen tuum inquilinum erit in terra aliena, & in ſeruitutem adigent ipſum per annos trecentos, certitudinis gratia propter hæſitationem ob quam dixiſti: Num centum annos nato filius gignetur? At vt ne ſeruitute preſſum ſemen ab idololatris, ac incredulis Ægyptijs obliuiſcatur Dei patrum ipſius, impoſuit ipſi, & ipſis circunciſionem carnalem, vt videntes recordentur, ac reuereantur, & non negent ipſum. Et durauit hæc vſque ad Chriſtum. Et hac de cauſa etiam ipſe circuncidi voluit: & homo factus eſt in veritate ex ſupernis progreſſus ex patre Deus verbum. Et non depoſuit deitatem, ſed carnem geſtauit in veritate, perfectamque incarnationem habuit, ac circunciſus eſt, omnia diſponens in veritate, vt 5
& Iudæi, velut dixi, excuſationem non habẽrent, & Manichæi, atque alij redarguerentur. Et 7
vt circunciſus rationabiliter circunciſionem diſſolueret, & aliam maiorem oſtenderet, non velut qui non haberet, & ſibi ipſi conſtitueret: ſed qui haberet quidem, oſtenderet autem quod hac non amplius eſſet opus, ſed maiore.

An Abraham hæſitauerit.

Tit. Chriſtum vere circũciſum qui negent.

Tit. Luc. 2: Cum igitur ſcripturæ diuinitus inſpiratæ, Chriſtum vere circunciſum diſerte aſſerant; quis eorum temeritatem ferat, qui veram illum circunciſionem pertuliſſe negare audent? Atque iſtuc, inter cæteros, haudquaquam obſcure

obſcure inficiantur, qui Chriſtum non vere, ſed imaginario tantum incarnatum mentiuntur. De Circ. præpu. Illos porro, qui de circuncisi præputio quæſtionem mouent, anxieque, & curioſe, quid de eo factum ſit, diſputant; veluti qui circa incerta, planeque inacceſſa occupentur, miſſos hic facimus: ſiquidem ſacris literis nihil ea de re proditum extat. Qui diceret, vt crucis tempore, immaculatus illius ſanguis, vna cum aqua, in terram defluens, terram, in quam dimanabat, ſanctificauit: ita præputium per circunciſionem ablatum, terram, in quam ferebatur, contactu ſuo ſanctificaſſe, is meo iudicio à veritatis ſcopo haud procul aberraret. Vtcumque res habet, certum eſt, qui ſponte ſe circuncidi paſſus eſt, cum modis, & rationibus, quas ipſe compertas habet, totum illud, quod per circunciſionem à corpore deceſſerat, ita conſeruaſſe, vt reſurrectionis tempore, nihil eorum omnium, quæ ad perfecti corporis conſtitutionem deponuntur, omnino deſideratum fuerit: adeoque vt integer, omniſque prorſus vitij, etiam quod ad hanc partem attinet, expers, è mortuis in vitam redierit. Theop. Idem habet Theophylac. Luc. 2.

Not. 12. ver. 27.

Hoc, quod ex Matthæo verſu 27. retulimus, & vocauit nomen eius Ieſum; Ammo. Ammonius in Harmonia, & alij plures, ante hiſtoriam Natiuitatis Chriſti poſuerunt; ſed cum idem ſit cum eo, quod Lucas expreſſit, hic melius conſtitui, manifeſtum eſt. Aug. Neque Auguſtinus de conſ. lib. 2. cap. 5. Matthæum tacere dixit, quod nomen Dominus acceperit: ſed quo die nomen ei ſit impoſitum. Habet enim Matthæus, ſicut & Lucas, nomen eius vocatum eſſe Ieſum: ſed quando, & quo die id factum ſit, non Matthæus, ſed Lucas expreſſit. Ideoque Auguſtinus ante hiſtoriam Circunciſionis Domini, non poſuit, quod nomen eius vocatum ſit Ieſus.

Bern. Bern. ſer. 1. in Circunciſione Dom: Magnum, & mirabile ſacramentum. Circunciditur puer, & vocatur Ieſus. Quid ſibi vult iſta connexio? Circunciſio nempe magis ſaluandi, quam Saluatoris eſſe videtur: & Saluatorem circuncidere decet, magis quam circuncidi. Sed agnoſce mediatorem Dei, & hominum, qui ab ipſo natiuitatis ſuæ exordio diuinis humana ſociat, ima ſummis. Naſcitur ex muliere, ſed cui fœcunditatis fructus ſic accedat, vt non decidat flos virginitatis. Pannis inuoluitur, ſed panni ipſi Angelicis laudibus honorantur. Abſconditur in præſepio: ſed proditur radiante ſtella de cœlo. Sic & circunciſio veritatem ſuſceptæ probat humanitatis: & nomen, quod eſt ſuper omne nomen, gloriam indicat maieſtatis. Circunciditur tanquam verus Abrahæ filius: Ieſus vocatur tanquam filius Dei. Neque enim ad inſtar priorum, meus iſte Ieſus, nomen vacuum, aut inane portat. Non eſt in eo magni nominis vmbra, ſed veritas. Cœlitus ſiquidem inditum nomen Euangeliſta teſtatur: Quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Et attende verbi profunditatem: poſtquam natus eſt Ieſus, Ieſus vocatur ab hominibus, qui vocatus eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Idem quippe & Angeli Saluator, & hominis: ſed hominis ab incarnatione: Angeli ab initio creaturæ. Vocatum eſt, ait, nomen eius Ieſus. Quod vocatum eſt ab Angelo. In ore Matt. 18. ergo duorum, vel trium teſtium, ſtat omne verbum: & ipſum quod in Propheta abbreuiatum, manifeſtius in Euangelio legitur caro factum. Nos, fratres mei, nos reſpicit hæc parabola. Chriſtus enim nec Angelico eguit teſtimonio, nec humano: ſed, vt ſcriptum eſt, omnia pro- 2 Tim. 2. pter electos. Triplex proinde quærendum nobis ſalutis propriæ teſtimonium, ne forte videamur aſſumpſiſſe nomen Dei noſtri in vanum. Et nos enim fratres circuncidi neceſſe eſt; & ſic nomen ſalutis accipere. Circuncidi ſane non litera, ſed ſpiritu, & veritate. Circuncidi, non vno membro, ſed toto corpore ſimul. Licet enim magis in ea parte, in qua mandata eſt Iudæis circunciſio, regnet additamentum Leuiathan, quod à malo eſt, & amputari debet; vniuerſam tamen occupat carnem. A planta pedis, vſque ad verticem, non eſt in nobis ſanitas, nec eſt aliqua pars, quæ non tabida ſit hoc veneno. Propterea ſicut paruulus adhuc in fide, & dilectione populus, congruum ſibi mandatum, exiguæ circunciſionis accepit: Sic vbi creuit in virum perfectiorem, toto iubetur corpore baptizari, quæ totius eſt hominis integra circunciſio. Hinc eſt quod Saluator noſter, & circuncidi octauo die, & poſt annum trigeſimum dignatus eſt crucifigi: vbi in pœnam corpus omne diſtenſum eſt. Cuius ſimilitudini mortis complantamur, & nos, vt ſcribit Apoſtolus, nimirum quod nouiſſime traditum eſt obſeruantes. Quæ eſt ergo moralis circunciſio noſtra, niſi quam commendat idem Apoſtolus: Victum, inquiẽs, 1 Tim. 6. & veſtitum habentes, his contenti ſimus? Optime prorſus circuncidit nos, & ſuperflua reſecat vniuerſa, voluntaria paupertas, pœnitentiæ labor, regularis obſeruatio diſciplinæ. Cæterum in hac circunciſione, triplex nobis quærendum eſt ſalutis noſtræ teſtimonium, ab Angelo, & Maria, & Ioſeph. Oportet, inquam, vt ante omnia nobis magni conſilij Angelus ſalutis nomen imponat. Dehinc & ipſius quoque congregationis neceſſaria eſt atteſtatio, quæ tanquam mater eſt ſingulorum. Mater, inquam, virgo, tanquam ea, quam deſpondit Apoſtolus, vni viro 2 Cor. 11. virginem caſtam exhibere Chriſto. Sed nec ipſius miniſtri contemnendum eſt teſtimonium ei, qui imitari quærit Saluatoris exemplum. Hic eſt Ioſeph, locum quidem obtinens ſponſi, re autem vera ſeruus, & diſpenſator, qui ſane pater vocatur, magis autem nutritius eſt. Sed dico eadem manifeſtius. Et ab his, qui foris ſunt, fratres mei, & ab eo, qui intus eſt, habere oportet teſtimonium bonum. Cuius enim omnibus grata, nemini oneroſa eſt conuerſatio, huic ſine dubio propria de ſalute vniuerſa fratrum congregatio atteſtatur. Fruſtra plane ſuper his duntaxat, quæ ſunt in manifeſto, nequiſſimus ille

fratrum

frattum accuſator trahit in cauſam, quem excuſat vniuerſitas fratrum. Habet & à Prælatis teſtimonium, quiſquis & peccata ſecularis vitæ, & Iac. 3 huius quoque temporis negligentias, quoniam in multis offendimus omnes, niſi forte ſanctiores nos arbitramur diſcipulo, quem dilexit Ieſus, humili eis, & pura confeſſione iudicanda ſemper exponit, & eorum ſatisfacere ſtudet arbitrio. Iam ne in his quidem peſſimi illius timenda eſt accuſatio: quoniam non iudicabit Dominus bis in idipſum. At forte criminari volet intētionem, & in ea parte calumniam ſtrueré machinabitur, in qua nec fratrum, nec ipſius patris teſtimonium ſatis efficax videatur. Neceſſe eſt ergo vt in hac parte opituletur nobis teſtis internus, qui magis cor, quam faciem intuetur. A quo ſane & incipiendum eſt, vt non prius quicquam concipiatur in animo, quam ab eo ſalutis nomen acceperit. Vbi vero in opus proceſſerit manifeſtum, expedit iam exteriora quoque ſibi teſtimonia conciliare, ſicut ait Apoſtolus: Prouidentes bona, non tantum coram Deo: ſed etiam coram hominibus. Col. 2

CAP. 10. *Magorum aduentus, adoratio, oblatio, & regreſſus.*

Matthæi 2. In Epiphania Domini.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*
1 [✠ CVm ergo natus eſſet Ieſus, in Bethleem Iuda, in diebus Herodis Regis; ecce, Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam,			
2 Dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.			
3 Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo.			
4 Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.			
5 At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudæ: Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam:			
6 Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael.			
7 Tunc Herodes clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis.			
8 Et mittens illos in Bethleem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens, adorem eum.			
9 Qui cùm audiſſent Regem, abierunt. Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſuprà, vbi erat puer.			
10 Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde.			
11 Et intrantes domum, inuenerunt puerum, cum Maria matre eius; & procidentes adorauerunt eum.			
1 Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.			
13 Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. ✠			
14 Qui cùm receſſiſſent.			

Notatio 1.

DVAS hiſtorias, nempe Magorum, & purificationis, Ammonius in harmonia ſua tranſpoſuit. Purificationi ſiquidem Magorum adorationem ex ſua opinione poſtpoſuit. Sed illam adoratione Magorum tempore non eſſe priorem, clarum eſt. Hæc enim die decimo tertio: illa vero die quadrageſimo à Chriſti Natiuitate, contigit. Quapropter Auguſtinum lib. 2. de conſ. cap. 5. Tatianum, & alios magis hac infre probamus.

Ammo. Diſpoſitionis ratio.

Aug.

Tatia.

Amb. Amb, lib. 2. in Luc: Docuit nos ſanctus Matthæus non mediocre myſterium, quod ſanctus Lucas, quia plene iam erat expoſitum, ſilendum putauit, ſatis ſe diuitem fore credens, ſi præſepe ſibi Domini ex omnibus vendicaſſet.

Cum vero Matthæus, qui primus omniū ſcripſit Euangelium, hoc argumentum adeo diligenter, & copioſe fuerit proſecutus; inde accidit vt cæteri, qui poſt eum Euangelicam hiſtoriam ſcriptis mandarunt Euangeliſtæ, idem referre prætermiſerint. Ioſephus etiam hoc, ſicut & alia multa, ſilentio prætenjt. Si quis teſtimonium quærat ab externis, habet Macrobium, hominem, alioqui rebus Chriſtianorum infenſiſſimum,

Cur tres Euangeliſtæ nihil de hac re dixerint.

Ioſep. hoc præterit.

Hoc Macro. recitat.

ſiſſimum, dum loquitur de Herodis infanticidio lib. 2. Saturnal. eiuſdem veritatis æquum aſtipulatorem. Hæc dixerim contra recentiores Anabaptiſtas, qui eo inſaniæ peruenerunt, vt hiſtoriæ præſenti aduerſantes, impietate ſuperarint Manichæos. Hi namque aduerſus Matthæi Euangelium mira contradicendi libidine inſanientes, nullam tamen de Magorum hiſtoria mouere controuerſiam ſunt auſi, teſte Auguſtino contra Fauſtum lib. 17. 18. 19. & 23. ſicut neque cæteri eiuſdem impietatis alumni, vt Celſus, Porphyrius, Iulianus, & ſimiles, qui omnem mouerunt lapidem, ſi quo modo notam inurere veritati Euangelicæ potuiſſent.

Aug.

Chryſoſt. hom. 6. in Matt: Multa nobis opus eſt vigilantia, multis precibus, vt præſentis difficultatem loci poſſimus abſoluere: & diſcere quinam iſti ſint Magi; & vnde venerint: & quonam modo, quoue ſuadente: quænam etiam illa fuerit ſtella, quæ Magos ad Chriſtum vſque perduxerit.

Not 2. ver. 1.

Diſpoſ.

QVAMVIS inter Chriſti natiuitatem, & Magorum adorationem multa contigerint, vt quæ Lucas narrat de paſtoribus, Angelis, Circumciſione, ac nominis impoſitione: recte tamen hoc verſu 1. eadem Chriſti natiuitas, nõ quidem vt præſens, quemadmodum præcedenti capite; ſed tanquam præterita exprimitur; non ſolum quoniam ea, ſtatim atque facta eſt, Magis, qui ad Solis ortum erant, innotuit; verum etiam quoniam, teſte Auguſtino, Euangeliſtæ ſic ea, quæ dicere volunt, enarrant, tanquam ipſa, nullis interpoſitis, ſequantur. Circa illud, quod verſu 1. dicitur: In Bethleem Iudæ, ſic Auguſtinus lib. 2. de conſen. cap. 5: De ciuitate Bethleem, Matthæus, Lucaſque conſentiunt: ſed quomodo, & qua de cauſa, ad eam venerint Ioſeph, & Maria; Lucas exponit, Matthæus prætermittit. Contra de Magis ab Oriente venientibus, Lucas tacet; Matthæus dicit, hoc totum Lucas prætermittit: ſicut Matthæus non narrauit, quod Lucas narrat, in præſepi poſitum Dominum: & quod paſtoribus eum natum Angelus nunciauerit, & quod multitudo militiæ cœleſtis facta eſt cum Angelo laudantium Deum: & quod venerunt paſtores, & viderunt verum eſſe, quod eis Angelus nunciauerat: & quod die circunciſionis ſuæ nomen acceperit: & quæ poſt impletos dies purgationis Mariæ idem Lucas narrat, quod attulerint eum in Hieruſalem: & de Simeone, & Anna, quæ dixerunt de illo in templo, poſteaquam cognouerunt eum, impleti Spiritu ſancto. Omnia hæc tacet Matthæus. Sic ibi Auguſt.

Aug.

Aug.

Hos porro Magos, Reges fuiſſe, & quidem numero tres, pia traditio perhibet. Quos alij ex Perſide aduenisse, alij ex Orientali Arabia, alij ex Chaldæa, ſuis quique non improbabilibus coniecturis, opinantur. Inter alios, qui hos Magos Chaldæos fuiſſe dixerunt, Chalcidius Platonicus fuit: qui hæc in ſuis, ad Platonis Timæum, commentarijs habet, ſane notanda: Eſt, inquit, alia ſanctior, & venerabilior hiſtoria, quæ perhibet de ortu ſtellæ cuiuſdam, non morbos, morteſque denunciãtis: ſed aſſenſum Dei venerabilis, ad humanæ conuerſationis, rerumque mortalium gratiam. Quam ſtellam, cum nocturno itinere perſpexiſſent Chaldæorum profecto ſapientes viri, & conſideratione rerum cœleſtium ſatis exercitati, quæſiſſe dicuntur recentem Dei ortum: repertaque illa maieſtate puerili, venerati eſſe, & vota Deo tanto conuenientia nuncupaſſe.

Orige.

Orige. hom. 13. in Num: Ex Balaam fertur Magorũ genus, & inſtitutio, in partibus Orientis vigere: qui deſcripta habentes apud ſe omnia, quæ prophetauerat Balaam, etiam hoc habuerunt ſcriptum, quod orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael. Hæc ſcripta habebant Magi apud ſemetipſos. Et ideo quando natus eſt Ieſus, agnouerunt ſtellam, & intellexerunt adimpleri prophetiam, magis ipſi, quam populus Iſrael, qui ſanctorum Prophetarum audire verba contempſit. Illi ergo ex ijs tantum, quæ Balaam ſcripta reliquerat, agnoſcentes adeſſe tempus, venerunt, & requirentes eum, ſtatim adorauerunt: & vt fidem ſuam magnam eſſe declararent, paruum puerum quaſi Regem venerati ſunt.

Baſ. Magi qui fuerunt.

Baſil. hom. 25. de humana Chriſti generatione: Genus Perſicum Magi, incantationibus, & Magicis, & naturalibus quibuſdam affectibus, aſtronomiæque, & rebus ſublimibus vacabant. Eiuſdem fere Magicæ, Balaam ille videtur fuiſſe, qui à Balaac miſſus, vt verbis quibuſdam populo Iſrael malediceret. Qui & in quarta parabola, talia de Domino dicit: Homo videns, & audiens verba Domini, qui nouit altiſſimi doctrinam, & viſiones omnipotentis vidit, qui dormit apertos habens oculos: videbo eum, ſed non modò: intuebor illum, ſed non prope. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget homo ex Iſrael. Quoniam igitur aſtrum ortum, naturæ prodigium habuerunt, ſciſcitari magi decreuerunt, quinam homo ex Iſrael exurgeret. Quamobrem Iudææ locum veſtigantes, ex antiquo vaticinio in ciuitatem venerunt, interrogantes: Vbinam eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? forſan & per aduentum Domini, aduerſariam poteſtatem iam debilitatam, irritata ſua energia, ſentientes; magnæ virtutis teſtimonium nato attulerunt. Ex quo puerum tandem inuentum cum donis adorauerunt.

Balaam de Chriſto prophetat.

Hic contemplator, vt Magi, alienum à Deo genus, & à teſtamentis gens peregrina, primum adoratione dignati ſunt, quod ex inimicis teſtimonia longe præſtantiora, fide dignioraque eſſent. Si enim Iudæi primum adoraſſent, ſuum ipſorum genus ornaſſe, extuliſſeque forſan putarentur. Nunc autem alieni, vt Deum prius honorauere: vt iuſto in eos animaduerteretur iudicio, qui illum cruci affixerunt, quem alieni adorauerunt. Sed quando motibus cœleſtibus ſtudebant, non fruſtra inter cœleſtes obſeruationes prodigium ſunt contemplati, ſtellam videlicet

Magi cur primi Chriſtum adorauerunt.

licet nouam, ac minime conſuetam, in Dominico natali effulgentem. Cuius ſane ortum, nemo in Aſtrologiæ rationem, computationemque trahat. Qui enim ex aſtris iam exiſtentibus Geneſim inſpiciunt, aliquam talem cœli figuram horoſcopantem, cauſam cuique euentuum eſſe affirmant. Hic vero nulla ſtella, ex his, quæ iam ſunt, Dominicam natiuitatem ſignificauit. Neque enim iſta ex aliarum numero fuit. Nam quæ ab initio orbis ortæ ſunt omnino immobiles exiſtunt, aut certe continuo mouentur. Quæ & ſtat, & mouetur, vtrumq; habere videtur. In illis quæ ſunt, aliæ obfirmatæ nunquam mouentur, aliæ vero errantes nunquam conſiſtunt. Hæc vero de qua loquimur, vtrumque habuiſſe palam eſt, & motum, & quietem. Ex quo nullam cum cæteris habuiſſe rationem, aut naturam apparet. Mota in primis eſt ex Oriente in Bethleem: conſtitit autem ſupra, vbi erat puer. Idcirco ex Oriente Magi excitati, ſtellam ſunt ducem ſecuti.

Magorum ſtella qualis fuerit.

Venientes autem Hieroſolymam totam vrbem aduentu ſuo turbarunt, & Regi Iudæorum metum addiderunt, de Iudæorum Rege nuper nato percunctando. Quem tandem reperientes, donis honorauerunt, auro, thure, & myrrha. Nimirum Balaam vaticinium ſequi ſunt viſi, qui de Chriſto talia viſus eſt dicere: Accumbens dormiuit vt leo, & quaſi pullus leonis: quis ſuſcitabit eum? Qui benedixerit tibi, erit benedictus: & qui maledixerit, in maledictione reputabitur. Per leonem enim eius imperium ſermo demonſtrat. Per accubitum vero ſupplicium. Per benedictionis virtutem eius diuinitatem. Igitur vaticinium hoc ſequentes, vt Regi aurum, vt morituro myrrham, vt Deo thus obtulerunt.

Quid Magorum dona ſignificent.

Neque item illud ſuperuacaneum fuerit contra eos dicere, qui affirmant hoc aſtrum cœlo apparens, cometis ſimile fuiſſe, qui Regum ſucceſſiones, & imperia noua portendere videntur. Verum cometæ immobiles continuo ſiunt, & in vna tantum cœli accenſi parte circumſcripti. Præterea cometarum diuerſa genera, & appellationes: trabeales, bothyni. Figuræ autem diuerſæ, & cuique ſua appellatio eſt. Omnium vero generationis eadem eſt cauſa. Cum inundans circa terram aer, in ſerenam cœli partem diffunditur, quaſi materiam quandam igni cœleſti præbens, ſordium videlicet, & humorum terreſtrium craſſitudinẽ, ad ſuperiora tractam, atque inflammatam, talis ſideris criniti apparentiam facit. Hoc vero ſidus vbi Magos ad inquirendam Domini Geneſim permouit, rurſus diſparuit, donec ipſis dubitantibus, ac ſuſpenſis, iterum in Iudæa ſe manifeſtauit. Ex quo ſatis oſtenditur, alicuius gratia ſeparatim hoc aſtrum eſſe factum, ac vt alicui ſeruiret, famularetúrque. Quod ſane ex re ipſa deprendimus. Stetit, inquit, ſupra, vbi erat puer. Magi vero videntes, gauiſi ſunt gaudio magno. Nos etiam in cordibus noſtris item gaudium ſuſcipiamus. Cum Magis adoremus. Vide Euſeb. lib. 1. hiſt. cap. 8. Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 13. Chryſoſt. ho. 6. 7. & 8. in Matt. & hom. 2. oper. imperf.

Cometarũ generatio.

Euſeb. Nicep. Chryſoſt.

Chryſol. ſer. 156: Bethleem Hebraice, domus panis vocatur. His ergo vocabulis, Iudæ ſignatur domus, genus vocatur, vt promiſſionis, vt prophetiæ veritas impleatur, dicente Iacob: Iuda te laudabunt fratres tui, &c. ab Oriente ad Orientem veniunt Magi: vt ſuſciperet venientes ipſe, qui iuſſerat vt venirent: Quando enim Deum Magus, niſi Deo iubente perquireret? quando Regem cœli, niſi reuelante Deo Aſtrologus inueniſſet? quando vnum Deum ſine Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cœlo Dijs totidem, quot ſideribus ſeruiebat? Plus cœleſte de Magis, quam de ſtella ſignum eſt, quod Iudææ Regem, quod legis auctorem Magus ſcit, neſcit Iudæus: Chaldæa defert, non defert Iudæa: Hieroſolyma auerſatur, & refugit; Syria ſequitur, & adorat. Quid eſt quod tempore Regis nefandi, Deus deſcendit ad terras, miſcetur diuinitas carni, fit terreno corpori cœleſte commercium? quid eſt, & quando non verus Rex expulſurus tyrannũ, vindicaturus patriam, inſtauraturus orbem, libertatem redditurus aduentat? Herodes refuga, gentis Iudaicæ inuaſit regnum, libertatem ſuſtulit, prophanauit ſancta, confudit ordinem: quicquid diſciplinæ, quicquid cultus eſt, aboleuit: merito ergo genti ſanctæ, quia humana deſunt, diuina ſuccurrunt: & adeſt Deus ipſe, cui homo non erat qui adeſſet: Sic iterum Chriſtus veniet, vt Antichriſtum ſubruat, liberetur orbis, paradiſi patria reddatur, mũdi perpetuetur libertas, ſeculi ſeruitus tota tollatur.

Chryſol. Gen. 49.

De tempore, quo Magi Bethleem venerunt, Doctores inter ſe diſſentiunt. Quidam putant eos veniſſe poſt biennium à Chriſto nato: vt Euſeb. in Chronico; Et Epiphan. hæreſi 20. & 30. & 51. & alij hos ſecuti. Nonnulli vero dicunt Magos die decimo tertio à Domini natiuitate Bethleem aduenisse: verum biennio ante Chriſtum natum illis ſtellam apparuiſſe, ac in viam ſe dediſſe. Sic Aug. ſerm. 35. de temp. & ſerm. 1. in additis, qui eſt de Epiphan. Vtramque hanc opinionem refert Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 13. ac in priorem magis propendet. Ratio vtriuſque opinionis eſt, quod Herodes occidi iuſſit pueros à bimatu, & infra, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis, vt cap. 2. Matt. dicitur. Verum vt ab his diſſentiamus, aliqua perſuadent. Primum, quia ſtatim vt ſtellam inſpexerunt, eos eſſe profectos, Euangeliſta non obſcure inſinuat. Alioquin ſe ſuſpectos feciſſent poſteris ignauiæ nomine, ſi tam inſolito ſigno admoniti, adhuc annum, & aliquot menſes oſcitanter moras egiſſent. Si vero confeſtim vt ſtella in cœlo viſa eſt, iter arripuerunt, quidnam cauſæ fuit, vt in itinere biennij tempus inſumpſerint: cum, non dico ſi è Perſide, aut Babylone; ſed etſi ab extremis Indis Orientalibus profecti fuiſſent, illud quamuis lõgiſſimum itineris ſpatium, ſex menſibus conficere potuerint. Præterea ſi Magi poſt biennium aduenerunt, quomodo Chriſtum in Bethleem inuenerunt? Nec id vero recte colligi ex eo, quod Euangeliſta dixerit, Herodem occidi iuſſiſſe infantes omnes à bimatu, & infra, ſecundum

Quando Magi venerint. Euſeb. Epiph. Aug. Niceph. cap. 2. ver. 7.

ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis, perſpicuum fiet duodecimo capite. Itaque ſententia probabilior eſt, Magos tunc ſtatim, cum natus eſt Chriſtus, vidiſſe ſtellam: & mox Iudæam verſus iter ſuſcepiſſe: ac Hieroſolymam acceſſiſſe: deque nato puero interrogaſſe: totumque itineris ſpatium termino dierum tredecim confeciſſe: atque Bethleem eo die, quo Eccleſia tantam ſolemnitatem anniuerſaria memoria celebrare conſueuit, perueniſſe. Nec id mirum videri debet: cum ex Arabia Iudææ adiacente venerint: &, vt prædixerat Eſaias cap. 60. ad celeritatem itineris dromedarijs vſi fuerint. Quos ad curſum equis Nyſſęis velociores eſſe tradit Ariſtoteles libro nono, & vltimo hiſtoriæ animalium.

Quando Magi receſſerunt.

Vt Magi tam breui tempore venerint.

Not. 2. ver. 3.

Greg. GREG. hom. 10. in Euang: Sed quærendum nobis eſt, &c. lect. 7. 8. & 9. die 6. Ianu.

Hier. Hieron. Matt. 2: Ad confuſionem Iudæorum, &c. lect. 7. die quinta infra octau. Epiph.

Fulg. Luc. 12. 13. 14. Fulg. ſerm. 5: Nam quia ipſe eſt Deus, qui ſibi in veteri teſtamento primitias offerri mandauit: idem Deus homo natus, Gentium primitias ſuo cultui dedicauit. Paſtores fuerunt primitiæ Iudæorum: Magi facti ſunt primitiæ Gentium. Illi de proximo adducti: iſti de longinquo reducti. Prope enim erant Iudæi, qui Deum colebant: longe erant Gentes, quæ idolis ſeruiebant. Hoc vtique ſignificabant paſtores, qui naſcente Chriſto prope ſunt inuenti; & Magi, qui ſunt de longinquis Orientis partibus adducti. Qui tamen venientes, cum ipſi Iudæi non eſſent, Regem Iudæorum ſe quærere profeſſi ſunt: & ad ipſum adorandum ſe veniſſe dixerunt. Quid eſt, dulciſſimi fratres, vt iſti Magi Regem Iudæorum adorandum quęrerent, cum ipſi Iudæi nō eſſent? Et quem Regem? vtique non Herodem; ſed Chriſtum. Volunt adorare Regem nuper natum: nec adorant Regem ante annos aliquot ordinatum. Adorare cupiunt infantem lactentem: non adorant Regem populis imperantem. Nam & de Herode Rege Iudæorum filij iam fuerant nati, qui erant patre mortuo regnaturi. Mortuo enim iſto Herode Archelaus in Iudæa regnauit, & Galilææ principatū iunior Herodes obtinuit. Archelaus natus eſt in palatio: Chriſtus in diuerſorio. Archelaus natus eſt in lecto argēteo poſitus: Chriſtus autem natus, in præſepio eſt breuiſſimo collocatus. Ille forſitan pretioſis inuolutus eſt ſericis: iſte viliſſimis inuolutus eſt pannis. Et tamen ille, natus in palatio, contemnitur: iſte, natus in diuerſorio, quæritur. Ille à Magis nullatenus nominatur: iſte inuentus ſuppliciter adoratur. Omnino ſpernitur primogenitus Regis: & muneribus honoratur primogenitus pauperculæ mulieris. Quis eſt iſte Rex Iudæorum? pauper, & diues: humilis, & ſublimis. Quis eſt iſte Rex Iudæorum qui portatur vt paruulus, adoratur vt Deus? paruulus in præſepio, immenſus in cœlo: vilis in pannis, pretioſus in ſtellis. Si neſcis veram huius pueri deitatem, attende ſtellam in cœlo fulgentem, Mages præcedentem, & iter ignorantibus oſtendentem. Hæc ſtella nunquam ante apparuit: quia nunc eam puer iſte creauit, & Magis ad ſe venientibus præuiam deputauit. Iſte puer in præſepi quidem paruulus collocatur: ſed magnus in cœlo mirabiliter operatur. Permittit ſe manibus in terra portari; ſed præcipit ſibi cœleſtia famulari. Quid eſt ergo, quod infantilem attendis ætatem, & eius diuinam non intelligis poteſtatem? Sic fuit veraciter intimanda pueri huius naturalis diuinitas, & naturalis humanitas, vtraque naturaliter vera, vtraque vnita, nec in ſe inuicem confuſa, nec à ſe inuicem ſeparata. Ipſum enim habuit Maria filium de ſe natum, cui ſtella debitæ ſeruituris exhibuit famulatum. Ipſum, eundemque Maria in Bethleem Dominum hominem peperit, quem ſtella Magis in Oriente poſitis nunciauit.

Qui quē quærebant.

Chriſti, & Archelai collatio.

Stella eſt ſignū deitatis Chriſti.

Amb. lib. 2. in Luc: Iſtum igitur paruulum, quem tu quaſi vilem, qui infidelis es, arbitraris, Magi ex Oriente venientes, tam longo ſpatio ſequebantur, & procidentes adorant, & Regem appellant, & reſurrecturum fatentur, offerentes de theſauris ſuis aurum, thus, & myrrham. Sed tamen qui ſunt iſti Magi, niſi qui, vt hiſtoria quædam docet, à Balaam genus ducunt, à quo prophetatum eſt: Orietur ſtella ex Iacob? Iſti ergo ſunt non minus fidei, quam ſucceſſionis hæredes. Ille ſtellam vidit in ſpiritu: iſti viderunt oculis, & crediderunt. Viderūt nouam ſtellam, quæ non erat viſa à creatura mundi. Viderunt nouam creaturam, & non ſolum in terra, ſed etiam in cœlo gratiam noui hominis requirebant, ſecundum quod Moyſes prophetice poſuit, quia orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael. Et cognouerunt hanc eſſe ſtellam, quæ hominem, Deumque ſignabat: & adorauerunt paruulum. Vtiq; non adoraſſent, ſi paruulum tantummodo crediſſent. Magus ergo intelligit ſuas ceſſare artes: tu non intelligis tua dona veniſſe? Ille fatetur alienum: tu non agnoſcis promiſſum? Ille contra ſe credit: tu pro te non putas eſſe credendum? Ambr.

Num. 24

Chryſol. ſerm. 156: Dicendo, vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? non interrogant, ſed inſultant. Quando ſcientes interrogant, neſcientes non ignorant; ſed negligentes arguunt, increpant deſides, malos produnt, contumaces verberant, ſeruum Domino non occurriſſe cauſantur. Nam quid ab hominibus quærunt, qui per Deum nouerant, quod quærebant? Vt quid illis ad hoc humanæ demonſtrationis officium, quibus ad hoc cœli ſidera ſeruiebāt? Quo illis lucerna templi, quibus cœli ſidus mirabile perlucebat? Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? hoc eſt dicere: Cur Rex Iudæorum in præſepe iacet, & non decumbit in templo? Cur non fulget in purpura, ſed ſquallet in pannis? cur latet in ſpecu, & manifeſtus in ſanctuario non habetur? Receperunt iumenta in præſepi, quem in domo ſua recipere vos ſpreuiſtis. Chryſol.

Agnouit, ſicut ſcriptum eſt, bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: tu autem Iſrael tuum Dominum non quæſiſti. Quid eſt, quod videtur? vere, ſicut dixit Apoſtolus, cum eſſet diues, pauper factus eſt: cum eſſet in deitate ſua diues, noſtra fit pauper in carne: & habere cœpit ſtellam vnam, totam qui fecit, habet, & continet creaturam. Stellam eius, qui habet ſtellam, non habetur à ſtella: nec ipſe agitur curſu terræ, ſed ipſe ſtellæ agit curſum: cuius per cœlum ſic curſum dirigit, ſic moderatur inceſſum, ſic viam temperat, vt Magorum ſeruiat, & mittatur ad greſſum. Nam ambulante Mago, ſtella ambulat: ſedente Mago, ſtat ſtella: Mago dormiente, excubat ſtella. Sic ſentit Magus, vt quibus viandi par conditio eſt, par ſit neceſſitas ſeruiendi: & ſtellam iam non Deum credit; ſed indicat eſſe conſeruam, quam cernit taliter ſuis obſequijs mancipatam. Et ſer. 157: Vidimus ſtellam eius. Et quid non eius? ſtella eius eſt, non ille ſtellæ, ſtellam eius, quæ accepit eſſe, ſed non dedit ſtellam, cuius ortum tenebat auctor, non quæ ortum tenebat auctoris, &c.

1. Cor. 8. — Chryſol.

Not. 4. ver. 3.

Greg. GREG. hom. 10. in Euang: Sicut ex lectione Euangelica, fratres chariſſimi, audiſtis, cœli Rege nato, Rex terræ turbatus eſt: quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum altitudo cœleſtis aperitur.

Fulg. *In turbatum Herodem apoſtrophe pro Chriſto.* Fulgent. ſerm. 5: Quid eſt quod ſic turbaris Herodes? quoniam natum Regem Iudæorum audiſti, turbaris, ſuſpicionibus agitaris, inuidiæ ſtimulis inflammaris: & ob hoc natum Regem occidere conaris. Inanis eſt iſta turbatio tua, & vana prorſus cogitatio tua. Rex iſte, qui natus eſt, non venit Reges pugnando ſuperare: ſed moriendo mirabiliter ſubiugare. Nec ideo natus eſt, vt tibi ſuccedat; ſed vt in eum mundus fideliter credat. Venit ergo, non vt pugnet viuus: ſed vt triumphet occiſus. Nec vt ſibi de alijs Gentibus auro exercitum quærat; ſed vt pro ſaluandis Gentibus, pretioſum ſanguinem fundat. Inaniter inuidendo timuiſti ſucceſſorem, quem credendo debuiſti quærere Saluatorem. Quia ſi in eum crederes, cum eo regnares. Et ſicut ab illo accepiſti temporale regnum, acciperes etiam ſempiternum. Huius enim pueri regnum non eſt de hoc mundo, ſed per ipſum regnatur in mundo. Ipſe eſt enim Sapientia Dei, quæ dicit in Prouerbijs: Per me Reges regnant. Puer iſte verbum Dei eſt. Puer iſte virtus, & Sapientia Dei eſt. Si potes contra Dei ſapientiam, cogita. In tuam perniciem verſaris, & neſcis. Tu enim regnum nullatenus habuiſſes, niſi ab iſto puero, qui tunc natus eſt, accepiſſes. Puer, qui nunc à Magis dicitur Rex Iudæorum, idem Creator eſt, & Dominus Angelorum. Quapropter cuius times infantiam naſcẽtis, Magis timere debes omnipotentiam indicantis. Noli ergo eum timere regni tui ſucceſſorem: ſed time infidelitatis tuæ iuſtiſſimum damnatorem.

Prou. 8.

Amb. Ambroſ. in cap. 4. Apocal: Ipſe etiam Matthæus, tempore natiuitatis Chriſti, ſtellam apparuiſſe dicit, quæ eum Regem cœli, & terræ, Angelorum, hominumque fuiſſe demonſtrauit. Magos etiam veluti Regem mundi ad adorandum eum ab Oriente perduxit. Sed & Regem terræ, id eſt, Herodem, tempore natiuitatis eius, cum omnibus miniſtris ſuis, turbatum fuiſſe dicit. Quia ſicut quilibet Rex, qui paruæ potentiæ eſt, alterum Regem, qui magnæ potentiæ eſt, contra ſe, vt regnum eius inuadat, venire cognouerit, contremiſcit, & conturbatur. Ita & Chriſto in carne veniente, qui Rex futurus erat mundi, Herodes turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. De hoc verſu vide Chryſol. ſerm. 158. Chryſol.

Ver. 4.

Amb. AMBR. lib. 2. in Luc: Magi tantummodo Regem nunciant: Herodes Chriſtum requirit. Ipſum igitur Regem, de quo interrogat, confitetur. Deinde cum vbi naſci haberet inquiritur, vtique prænunciatus oſtenditur, neque enim quæri poterat, qui non erat nunciatus.

Not. 5. ver. 5. & 6.

Hier. HIERON. Matt. 2: Librariorum hic error eſt, &c. lect. 8. die quinta infra octau. Epiph.

Hier. Et epiſt. 101. ad Pammach. de optimo genere interpre. cap. 5: In eodem Euangeliſta Matthæo legimus, Herodem ad aduentum Magorum fuiſſe turbatum: Scribiſque, & Sacerdotibus congregatis, ſciſcitatum ab eis, vbi Chriſtus naſceretur; illoſque reſpondiſſe: In Bethleem Iudæ: Sic enim ſcriptum eſt in Propheta: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Ducibus Iuda. Ex te enim egredietur Dux, qui regat populum meum Iſrael. Hoc exemplum in vulgata editione ſic fertur: Et tu Bethleem domus Ephrata, modicus es, vt ſis in milibus Iuda. De te mihi egredietur, vt ſit princeps in Iſrael. Quanta ſit inter Matthæum, & ſeptuaginta verborum, ordiniſque diſcordia, ſic Magis admiraberis, ſi Hebraicum videas, in quo ita ſcriptum eſt: Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in milibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael. Conſidera gradatim, quæ ab Euangeliſta ſint poſita: Et tu Bethleem terra Iuda. Pro terra Iuda, in Hebraico habet, Ephrata; in ſeptuaginta, domus Ephrata. Et pro, nequaquam minima es in Ducibus Iuda; in ſeptuaginta legitur: Modicus es, vt ſis in milibus Iuda; in Hebræo: Paruulus es in milibus Iuda. Senſuſque contrarius eſt, ſeptuaginta ſibi in hoc duntaxat loco, & Hebraico concordante. Euangeliſta enim dixit, quod non ſit paruulus in Ducibus Iuda; cum è regione ſit poſitum, paruulus quidem es, & modicus: ſed tamen de te mihi paruulo, & modico, egredietur Dux in Iſrael: ſecundum illud Apoſtoli: Elegit infirma mundi Deus, vt confundat fortia. Porro quod ſequitur: Qui regat, vel qui paſcat populum meum Iſrael: aliter in Propheta eſſe, perſpicuum eſt,

Hæc replico, non vt Euangeliſtas arguam falſitatis. Hoc quippe impiorum eſt, Celſi, Porphyrij, Iuliani; ſed vt reprehenſores meos arguam imperitiæ, & impetrem ab eis veniam, vt concedant mihi in ſimplici epiſtola, quod in ſcripturis ſanctis, velint, nolint, Apoſtolis conceſſuri ſunt. Et Mich. 5: In Euangelio ſecundum Matthæum, cum Magi de Oriente veniſſent, & Herodes à Scribis quæreret, vbinam Chriſtus Dominus naſceretur, reſpondiſſe narrantur: in Bethleem terra Iuda: qui Prophetæ teſtimonium addentes dixerunt: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Ducibus Iuda. Ex te enim egredietur Dux, qui regat populum meum Iſrael. Quod teſtimonium nec Hebraico, nec ſeptuaginta Interpretibus conuenire, me quoque tacente perſpicuum eſt. Et arbitror Matthæum volentem arguere Scribarum, & Sacerdotum, erga diuinæ ſcripturæ lectionem, negligentiam, ſic etiam poſuiſſe, vt ab eis dictum eſt. Sunt autem qui aſſerant, in omnibus pene teſtimonijs, quæ de veteri teſtamento ſumuntur, iſtiuſmodi eſſe errorem, vt aut ordo mutetur, aut verba; & interdum ſenſus quoque ipſe diuerſus ſit: vel Apoſtolis, vel Euangeliſtis non ex libro carpentibus teſtimonia, ſed memoriæ credētibus, quæ nonnunquam fallitur. Exponamus ergo Hebraicum: Et tu Bethleem, id eſt, domus panis, quæ vocaris Ephrata; minima quidem es, in ciuitatibus Iuda: & tantis milibus comparata, vix paruus es viculus; ſed ex hoc paruo viculo egredietur Chriſtus, qui eſt dominator in Iſrael. Quod autem Bethleem ipſa ſit Ephrata, liber Geneſeos oſtendit, in quo ſcriptura commemorat: Mortua eſt Rachel, & ſepulta in via Ephrata. Hæc eſt Bethleem. Et in vtroque nomine ſignificat ſacramentum. Domus enim panis dicitur, propter panem viuum, qui de cœlo deſcendit. Et Ephrata, quod interpretatur furorem, propter Herodis inſaniam. Legimus iuxta ſeptuaginta duntaxat interpretes in Ieſu Naue, vbi tribus Iudæ vrbes, & oppida deſcribuntur, inter cætera etiam hoc ſcriptum: Theco, & Ephrata, hæc eſt Bethleem. Nihilominus & de libro Iudicum hoc ipſum poſſumus approbare, quod Bethleem in tribu Iuda ſit; ſcriptum eſt enim: Et fuit vir Leuites habitans in lateribus domus Ephraim, & accepit ſibi mulierem concubinam de Bethleem Iuda, &c. Pulchrè autem dicitur: In Bethleem Iuda: ad diſtinctionem eius Bethleem, quæ in Galilæa ſita eſt: ſicut in eodem Ieſu volumine reperi. Poteſt Ephrata in lingua noſtra ſonare vberem, atque frugiferam: & idipſum oſtendere in myſterio, quod & domus panis.

Ea. — Gen. 35. — Ioſ. 15. — Iud. 19.

Amb. Amb. lib. 2. in Luc: O amentes Iudæi, veniſſe non creditis, quem videtis? veniſſe non creditis, quem dicitis eſſe venturum? Amb. Et lib. 2. de Iacob cap. 7: Reſponſum diuinum eſt datum: exurgens aſcende in locum Bethel, hoc eſt, in domum panis, vbi natus eſt Chriſtus: ſicut Michæas Propheta teſtatus eſt, dicens: Et tu Bethleem domus Ephrata, non es minima, vt ſis inter principes Iuda. Vere domus panis, quę domus Chriſti eſt, qui nobis panis ſalutaris aduenit è cœlo, vt iam nullus eſuriat, cibum ſibi immortalitatis acquirens.

Gen. 35. — Mich. 5.

De verſu 7. vide Chryſol. ſer. 158. Chryſol.

Not. 6. ver. 8.

GREG. hom. 10. in Euang: Herodes natiuitate Regis noſtri cognita, &c. lect. 7. die 2. infra octauam Epiph. Greg.

Fulg. ſer. 5: Vtinam eum Magis adorantibus etiam tu pariter adorares, & non ad eum Magos fraudulenta calliditate mandares. O calliditas ficta, &c. lect. 6. die 6. infra oct. Epiph. Fulg.

Amb. lib. 2. in Luc: Inſidiatur quidem Herodes; ſed Deum non negat, quem memorat adorandum. Vide Chryſol. ſer. 158. Amb. Chryſol.

Ver. 9.

GREG. hom. 10. in Euang: Sciendum eſt quod Priſcillianiſtæ, &c. lect. 8. & 9. die 2. infra octa. Epiph. Greg.

Amb. lib. 2. in Luc: Vultis ſcire quam bonum meritum, &c. lect. 8. die 6. inf. oct. Epiph. Amb.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 378: Hoc quod in diuino libro de ſtella habetur: veniens ſtetit ſupra, vbi erat puer; perſpicue tibi oſtendet, ſtellam illam, quæ lætum diuini partus nuncium afferebat, iter illud, quod aſtris conſuetum, atque vſitatum eſt, non tenuiſſe. Neque enim altitudinis diſtantia id afferebat, vt facile inueniri poſſet, quod quærebatur: verum nouus, atque inuſitatus curſus, tum antrum illud, tum dominiferum, ac venerandum præſepe, quod in eo ſitum erat, tanquam digito demonſtrabat. Iſidor.

Et ep. 377. lib. 1: Stella, quæ iter Magis præmonſtrauit, non vſitata via vſa eſt: verum miro modo nouum curſum tenuit. Ac propterea ſapientes illos Magos, huiuſmodi rerum peritos, admiratione perculit, ipſiſque, vt longum iter ſuſciperent, perſuaſit.

Ver. 11.

Sophro. apud Hiero. tom. 9. ep. 10: Quod ſtella duce à Magis adoratur, deitatis eſt. Sophro.

Conſtans eſt Patrum ſententia Magos Bethleem aduenientes, Chriſtum Dominum eo in loco, vbi natus eſt, reperiſſe. Sic teſtatur Chryſoſt. hom. 6. & 7. in Matt. Hieron. ep. 17. ad Marcellam, & 18. ad eandem. & 27. in fine, ad Euſtoch. Epitaph. Paulæ. Aug. ſer. 30. de temp. Fulg. ſer. 5. & alij. Nec his aduerſatur, quod Matthæus dicat eos intraſſe domum. Phraſis enim diuinæ ſcripturæ ſatis frequens eſt, quemlibet locum ad habitandum accommodatum, quātumlibet exiguum, appellare domum: cum & nidum auium, domum quoque nominet. Pſ. 83: Paſſer inuenit ſibi domum, id eſt, nidum. & 103: Herodij domus. Hinc Eut. Matt. 2: Domum hic tugurium vocat.

Vbi Magi Chriſtum inuenerint. — Chryſoſt. Hier. Aug. Fulg. — Domus quid ſit. — Eut.

Not. 7. ver. 12.

Fulg. FVLGENT. ſer. 5: Attende quid obtulerunt: & agnoſce quid crediderunt. Per iſta tria munerum genera, in vno, eodemque Chriſto, & diuina maieſtas, & regia poteſtas, & humana mortalitas intimatur. Thus enim ad ſacrificium, aurum pertinet ad tributum, myrrha ad ſepulturam pertinet mortuorum. Omnia hæc ſancta fides Chriſto veraciter offerre non deſinit: dum vnum, eundemque verum Deum, verum Regem, verumque hominem credit, vt vere pro nobis mortuum veraciter recognoſcat. In oblatione thuris, confunditur Arianus, qui ſoli patri ſacrificium offerri debere contendit. In oblatione myrrhæ, confunditur Manichæus, qui Chriſtum vere mortuum pro noſtra ſalute non credit. In auro vero, ſimul vterque confunditur: quia & Manichæus de ſemine Dauid ſecundum carnem natum non credit regem: & Arianus Deo vnigenito naturalem aſſignare nititur ſeruitutem. Proinde vterque non experietur regem, à quo per fidem regatur: ſed à quo pro infidelitatis crimine puniatur. Quia ab vno diuinitatis, ab altero carnis veritas denegatur. In iiſdem muneribus confunditur etiam Neſtorius, qui nititur Chriſtum in duas perſonas diuidere: cum videat Magos, non alia Deo, & alia homini: ſed vni Deo homini eadem munera obtuliſſe ſuppliciter. Non ergo diuidatur in perſonis, qui non inuenitur diuiſus in donis. Propterea quippe vnus, idemque iſtis muneribus honoratur: vt vnus, idemque Deus, & homo cognoſcatur. Iſta Magorum oblatio confundit etiam Eutychetis inſaniam: qui non vult in Chriſto vtramque veram prædicare naturam. Veritatem quippe iſtorum munerum tollit, dum in Chriſto vnam naturam prædicare contendit. Nos itaque, dilectiſſimi fratres, offeramus Chriſto indubitanter in fide, quod Magi obtuliſſe cognoſcuntur in munere: vt veræ diuinitatis, humanitatiſque confeſſio, ipſa ſit apud Chriſtum noſtra fidelis oblatio. Hæc munera cum Magis vnanimiter offeramus.

Hæreſes per hæc munera conuictæ.

Vt Magi nobis imitandi ſunt.

Hier. Iuuen. Hieron. Matt. 2: Pulcherrime munerum ſacramenta Iuuencus presbyter vno verſiculo comprehendit: Aurum, thus, myrrham, Regique, hominique, Deoque dona ferunt.

Greg. Greg. hom. 10. in Euang: Magi vero aurum, &c. lect. 7. 8. 9. die 3. inf. oct. Epiph.

Amb. Amb. lib. 2. in Luc: Quæ ſunt iſta veræ fidei munera? &c. lect. 7. die 6. inf. oct. Epiph. Et lib. de viduis: Theſaurus tuus ſapientia, theſaurus tuus caſtitas, atque iuſtitia eſt, theſaurus tuus intellectus bonus. Qualis ille theſaurus fuit, de quo Magorum viri aurum, thus, & myrrham, cum adorarent Dominum, protulerunt, auro Regis potentiam declarantes, Deum thure venerantes, myrrha reſurrectionem corporis confitentes. Habes & tu theſaurum hunc, ſi in te requiras. Habemus etenim theſaurum in vaſis fictilibus. Habes aurum quod conferas. Non enim renitentis metalli pretium de te Deus exigit: ſed illud aurum, quod iudicij die nequeat ignis exurere. Nec dona precioſa depoſcit: ſed odorem fidei, quem altaria tui cordis exhalent, & religioſæ mentis ſpiret affectus. Ex hoc igitur theſauro, non ſolum Magorum tria munera, ſed etiam duo viduæ æra promuntur, in quibus integra cæleſtis imago regis effulgeat, ſplendor gloriæ eius, & imago ſubſtantiæ. (2 Cor. 4.)

Amb. Et lib. 1. de Fide cap. 2: Vnum Deum Magi crediderunt, & aurum, thus, & myrrham ſupplices ad Chriſti cunabula detulerunt. Auro Regem fatentes, vt Deum thure venerantes. Theſaurus enim regni, ſacrificium Dei, myrrha eſt ſepulturæ. Quid igitur voluerunt ſibi myſtica munera inter abiecta præſepia, niſi vt intelligeremus in Chriſto differentiam diuinitatis, & carnis? Vt homo cernitur, vt Dominus adoratur: iacet in pannis, ſed fulget in ſtellis. Cunæ naſcentem indicant, & ſtellæ dominantem. Caro eſt quæ inuoluitur: diuinitas cui ab Angelis miniſtratur. Ita nec dignitas naturalis maieſtatis amittitur: & aſſumptæ carnis veritas comprobatur. Hæc eſt fides noſtra. Et in cap. 4. Apocal: Munera, quæ Magos Chriſto obtuliſſe narrat Matthæus, eum Regem, & Dominum eſſe omnium creaturarum demonſtrant. Amb.

Sedul. Pulchre Sedulius de horum muneribus canit: Aurea naſcenti fuderunt munera Regi: thura dedere Deo; myrrham tribuere ſepulto.

Nyſſ. Nyſſe. orat. de ſancta Chriſti Natiuitate: Illi tanquam Deo thus offerunt: ac regiam dignitatem auro colunt, atque excipiunt: eamque, quæ circa paſſionem, certa ratione diſpoſita eſt, ordinationem, atque adminiſtrationem prophetica quadam gratia per myrrham denunciant, atque præſignificant.

Quid Magorum dona ſignificent.

Naz. Naz. orat. 38: Cum ſtella curre: cum Magis dona offer, aurum, thus, & myrrham: vt Regi, vt Deo, & vt ſalutis tuæ cauſa mortuo.

Iren. Iren. lib. 3. cap. 10: Matthæus autem Magos ab Oriente venientes, deductoſque à ſtella in domum Iacob ad Emmanuel, ait per ea, quæ obtulerunt munera, oſtendiſſe quid erat, qui adorabatur. Myrrha quidem, quod ipſe erat, qui pro mortali humano genere moreretur, & ſepeliretur. Aurum vero, quoniam Rex, cuius regni finis non eſt. Thus vero, quoniam Deus, qui & notus in Iudæa factus eſt, & manifeſtus eis, qui non quærebant eum.

Quid Magorum munera [illegible] ſignificant.

Pet. Petrus Alexand. can. 13. ſerm. de pœnitentia: Magi ergo infantem humiliter, & ſuppliciter adorant, ſuos theſauros aperientes, & ei offerentes maxime opportuna, & magnifica dona, aurum, & thus, & myrrham: vt Regi, & Deo, & homini. Sic etiam Chryſol. ſer. 158. 159. & 160. Et Hiero. epiſt. 27. Epitaph. Paulæ ad Euſtoch. in fine. Et Baſil. not. 2.

Mirum in modum hæc myſtica donorum intelligentia patribus vniuerſis placuit, Iuſtino, Tertulliano, Cypriano, Origeni, ac cæteris.

Not. 8.

Not. 8. ver. 13.

FVLGENT. ſer. 5: Ad regionem ſanctorum toto cordis deuotione tēdamus. Nec teneamus viam veteris vitæ: ſed diuinis mandatis humiliter obſequentes, viam mutemus, & in qua præiuit Dominus ambulemus, vt ad patriam peruenire valeamus, vbi ſine fine cum ipſo Domino gaudeamus. Via enim hominis eſt vita eius. Qui male viuit, viam tenet erroris: qui bene viuit, per viam graditur veritatis. Quapropter qui ambulabat viam fornicationis, viam teneat caſtitatis: qui viam tenebat auaritiæ, teneat viam miſericordiæ: qui ambulabat per viam fictionis: viam teneat nunc puritatis. Ambulemus bene per fidem, vt perueniamus ad ſpeciem, vbi plenum erit gaudium noſtrum: quia implebitur in nobis deſiderium noſtrum.

Amb. lib. 2. in Luc: Accipe aliud documentum, &c. lect. 9. die 6. inf. oct. Epiph. Et inferius: Caueamus igitur Herodem, mundanæ ad tempus præſulem poteſtatis, vt patriæ cœleſtis æternum conſequamur habitaculum. Non electis tantum præmia iſta propoſita ſunt: ſed etiam omnibus. Quoniā omnia, & in omnibus Chriſtus. Vides enim quia non ocioſe, vel de Chaldæis, qui peritiores in numeris habentur, Abraham Deo credidit; vel Magi, qui licet Magicis artibus conciliandæ ſibi ſtudium diuinitatis impendunt, ortum in terris Domini crediderunt. Non, inquam, ocioſe, ſed vt ex aduerſarijs gentibus ſanctæ religionis teſtimonium ſumeretur, & diuini timoris exemplum.

Hieron. Matt. 2: Qui munera obtulerant Domino, conſequenter reſponſum accipiunt. Reſponſum autem, quod Græce dicitur chrimatiſthentes, non per Angelum fit: ſed per ipſum Dominnm; vt meritorum Ioſeph priuilegium demonſtraretur. Reuertuntur autem per aliam viam: quia infidelitati miſcendi non erant Iudæorum. Hier.

Greg. hom. 10. in Euang: Magnum vero nobis aliquid, &c. lect. 7. 8. 9. die 4. inf. oct. Epiph. Vide Chryſol. ſer. 158. & 159. Greg. Chryſol.

Ver. 14.

Illa verſus 14. verba: Qui cum receſſiſſent: hîc recte, quod receſſus Magorum ante purificationem contigerit; multaque inter eum, & fugam in Ægyptum, acciderint, ac tempus vtcūque longum intercesſerit, ponuntur. Ita Aug. lib. 2. de conſen. cap. 5. & Thomas Aquinas in Matthæum, quos hac in re ſequimur. Diſpoſitionis ratio. Aug.

CAP. 11. *Oblatus in templo* IESVS, *à Simeone, & Anna cognitus prædicatur.*

Matt.	*Mar.*	*Luc. 2.*	*Ioan.*
		In Purificatione B. MARIÆ *Virginis.*	
		1 ET ✠ poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius, ſecundum legem Moyſi; tulerunt illum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum Domino.	
		2 Sicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens vuluam, Sanctum Domino vocabitur.	
		3 Et vt darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini: Par turturum, aut duos pullos columbarum.	
		4 Et ecce homo erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon; & homo iſte iuſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo.	
		5 Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. Et venit in Spiritu in templum.	
		6 Et cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo; & ipſe accepit eum in vlnas ſuas: & benedixit Deum, & dixit:	
		7 Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace.	
		8 Quia viderunt oculi mei Salutare tuum.	
		9 Quod paraſti ante faciem omnium populorum.	
		10 Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. ✠	
		Dom. inf. oct. Natiu. Domini.	
		11 ET ✠ erat pater eius, & mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo.	
		12 Et benedixit illis Simeon; & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur.	

Matt.	Mar.	Luc 2.	Ioan.
		13 Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.	
		14 Et erat Anna Propheteſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer; hæc proceſſerat in diebus multis.	
		15 Et vixerat cum viro ſuo annis ſeptem, à virginitate ſua; & hæc vidua vſque ad annos octoginta quatuor.	
		16 Quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte, ac die.	
		17 Et hæc ipſa hora ſuperueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.	
		18 Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini.	

Notatio 1.

Vbi Matthæus ait, ſomnio admonitos Magos, ne redirent ad Herodem, per aliam viam regreſſos in regionem ſuam; illic prætermiſiſſe, quæ Lucas narrauit, geſta circa Dominum in templo, & dicta à Simeone, & Anna, intelligitur; ſic enim ait Auguſtinus lib. 2. de conſ. cap. 5. (Aug.) Quæ poſt impletos dies purgationis Mariæ idem Lucas narrat, quod attulerint eum ad Hieruſalem, & de Simeone, vel Anna, quæ dixerint de illo in templo, poſteaquam cognouerunt eum, impleti Spiritu ſancto: omnia hæc tacet Matthæus. Idem Anſel. Matt. 2. teſtatur. (Anſel.)

Not. 2. ver. 1.

Græci codices hic variant. Quidam habent, αὐτοῦ, vt ad Chriſtum referatur: alij verò legunt, αὐτῆς, vt de Maria intelligatur: denique ponunt aliqui, αὐτῶν, eorum, in plurali: vt nempe vtrumque ſcilicet & matrem, & filium comprehendat. Origenes de matre, & filio: Euthymius vero de matre, filio, & patre interpretatur. Aptior eſt lectio in ſingulari, eius: vt ad matrem duntaxat referatur. Quia Leu. cap. 12. de matris purificatione, non fœtus, aut patris, agitur.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius, id eſt, cum Maria fuiſſet à partu ſuo diebus ſeptem ab hominum conſortio ſeparata; & alijs triginta tribus diebus immediatè ſequentibus ab ingreſſu templi, & tactu ſacrorum diuiſa; iamque dies à partu virginis quadrageſimus adeſſet, ac menſis Februarij ſecundus.

Purgatio, ſeu purificatio hic ſumitur, quemadmodum alibi clarificatio, & ſanctificatio: Ioan. 17: Pater, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Et Matt. 6: Sanctificetur nomen tuum: non quod ſanctificatione Deus egeat: Eſt enim ſemper ſanctus: ſed quia vult ſemper, & vbique ſanctus prædicari. Hic Maria purgatione non indigebat: immunda quippe non erat. Proinde nec lege ad purgationem tenebatur.

(Bern.) Ber. ſer. 7. in paruis: Quid eſt quod dicimus Mariam purificari, Ieſum circuncidi? Tam non indiguit illa purificatione, quam nec ille circunciſione. Nobis ergo & hic circunciditur, & illa purificatur; præbentes exemplum pœnitentibus: vt à vitijs continentes, primum per ipſam continentiam circuncidamur: deinde à commiſſis per pœnitentiam purificemur. Titus, & Theophylact. Luc. 2: Rectè ab Euangeliſta ſubiungitur; ſecundum legem Moyſi: nam ſecundum rem, & veritatem, ſacroſancta virgo mater nulla prorſus egebat purificatione: adeoque vt purificationis dies, qui, ſi id, quod pepererat, maſculus erat, quadraginta habebantur, moroſe expectaret, nullum operæpretium erat. Nam quod non ex viri ſemine, ſed ex Spiritus ſancti virtute concepiſſet, neque ſecundum legem, neque ſecundum arcanam legis ſignificationem, immunda erat. (Tit. Theop.)

(Ambr.) Amb. lib. 2. in Luc: Quid ſit autem in Hieruſalem ſiſti Domino, &c. lect. 7. die 1. Ianu.

Tulerunt, Ioſeph, & Maria: De Bethleem, non de Nazareth. Illum puerum Ieſum: Vt ſiſterent, id eſt, offerrent, ſeu offerendo præſentarent. Hæc præſentatio Mal. 3. & Pſ. 47. prædicitur. Domino, ſed in templo. Primo quo Chriſtus Hieroſolymam intrauit, ſtatim ad patris ſui domum ire, illumque ſalutare voluit. Iam præſentatur Deus Deo, Dominus Domino, & filius patri. Offertur iam in Hieruſalem Chriſtus, qui poſtmodum extra Hieruſalem fuit immolatus. In vlnis Simeonis iam recipitur, qui poſtea inter brachia crucis pro mundi ſalute recipiendus erat.

(Anſel.) Anſel. Matt. 2: Quamuis timerent Herodem: tamen non ſunt auſi tranſgredi legem, quin ad templum puerum deferrent. Vbi Simeon accepit eum in vlnis ſuis: & Anna de eo multa prophetauit.

(Aug. Quomodo potuerint ferre Ieſū in Hieruſalem propter Herodem.) Aug. lib. 2. de conſ. cap. 11: Hinc etiam illa ſoluitur quæſtio, ſi aliquem mouet: Cum iam ſolicitus eſſet Herodes ille maior, perculſus Magorum nuncio, quod Rex Iudæorum natus fuiſſet: quomodo potuerunt, completis diebus purgationis matris eius, tuto cum illo aſcendere in templum, vt fierent circa eum, ſecundum legem Domini, quæ Lucas commemorat? Quis enim non videat etiam illum vnum diem, Regem multis occupatum latere potuiſſe? (reſp. 2.) Si autem illud veriſimile non videtur, quod Herodes, qui valde ſolicitus expectabat, quid ſibi Magi de puero renunciarent, poſt iam multos dies ſe ſenſit illuſum, vt tranſacto tempore purgationis

gationis matris eius, & peracta circa infantem ſolennitate primogenitorum in templo Hieruſalem, poſt etiam protectionem eorum in Ægyptum in mentem illi venerit, quærere animam a ſeq. pueri, & necare tot paruulos. Si hoc ergo mouet, omitto dicere quot, & quantis occupationibus regia cura diſtendi potuerit, & per plurimos dies ab illa intentione, vel auerti omnino, vel impediri. Neque enim ennmerari poſſunt cauſæ, quibus hoc potuerit accidere: quas tamen multas, & magnas eſſe potuiſſe, nemo ita rerum humanarnm inexpertus eſt, vt aut neget, aut dubitet, &c.

Eucher. Eucher. hom. de Innocentib: Adhuc omnia quieta erant: adhuc Herodes Magos expectans, nondum ſui cordis malitiam reuelabat. Vnde & ſecure vadunt in Hieruſalem, vt legis mandata perficiant.

Not. 3. ver. 2.

Hier. Quis ſit vuluam aperire. APERIENS vuluam, id eſt, matricem. Hic ponitur deſcriptio primogeniti, teſte Hieron. not. 9. cap. 7. Primogenitus enim eſt maſculus vuluam, ſeu matricem aperiens. Simpliciter aperire vuluam, Hebraica phraſi dicitur is, qui primus ex vtero matris naſcitur. Vnde brutorum quoque primogenitis Exo. 13. id attributum eſt. Vt primogenitum dicatur ſanctum. Sanctum, hic non accipitur pro eo, quod immune eſt ab omni vitio: ſed pro eo, quod à rebus prophanis ſeparatum eſt, & Domino conſecratum, ac dicatum: à cuius tamen ſeruitute pręſtanda in templo, pretio redimebatur primogenitus hominis. Iudæis hanc Deus legem dederat: vt haberent in memoria, quomodo in eorum ex Ægypto migratione, omne primogenitum Ægyptiorum occiſum eſſet, tam in beſtijs, quam hominibus. Cur Deo maſculus tantum conſecratur. Solum primogenita maſculini ſexus conſecrari ſibi Dominus voluit, propter ſexus perfectionem: myſtico nos typo docens, eos ſibi animos eſſe gratiſſimos, ſuoque dignos conſpectu, qui maſculo ſpiritus robore, carnis effœminatæ cupiditates euincunt.

Amb. Amb. lib. 2. in Luc: Verbis enim legis promittebatur, &c. lect. 8. & 9. die 1. Ian. Sic etiam ibi legitur: Non enim virilis coitus vuluæ virginalis ſecreta reſerauit: ſed immaculatum ſemen inuiolabili vtero Spiritus ſanctus infudit. Hic ergo ſolus aperuit ſibi vuluam. Nec mirum: qui enim dixerat per Prophetam: Hier. 1. Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & in vulua matris ſanctificaui te: qui ergo vuluam ſanctificauit alienam, vt naſceretur Propheta, hic eſt, qui aperuit matris ſuæ vuluam, vt immaculatus exiret.

Hier. Apud Hieron. epiſt. 7. de viro perfecto: Vulua quando aperiatur. Quod eſt iſtud maſculinum, quod aperit vuluam: cum omnium fœminarum vuluas aperiat, non puerperij neceſſitas; ſed maritalis agnitio? Hier. Hiero. lib. 2. aduerſ. Pelagia: De Chriſto ſcriptũ Exod. 13. eſt: Omnis qui aperit vuluam, ſanctus Domino vocabitur. Omnes hæretici errauerunt, non intelligentes myſterium natiuitatis eius: magiſq; ad ſpecialem natiuitatem Saluatoris, quam ad omnium hominum, referri poteſt hoc, quod dicitur: Qui aperit vuluam, ſanctus vocabitur Domino. Solus enim Chriſtus clauſas portas vuluæ virginalis aperuit, quæ tamen clauſæ iugiter permanſerunt. Hæc eſt porta Orientalis clauſa, Ezech. 44. per quam ſolus pontifex ingreditur, & egreditur, & nihilominus ſemper clauſa eſt.

Theophylact. Luc. 2: Quod autem dicit: Theop. Omne adaperiẽs vuluam: proprie ad Chriſtum ſolum pertinet. Ipſe enim aperuit vuluam virginis: cum alijs vir aperiat vuluam.

Euthym. Luc. 2: Omne maſculinum adaperiens vuluam: Eut. primum videlicet, hoc eſt, primogenitum: Sanctum Domino vocabitur, ſiue ſeparatum. Cõſecrabantur autem Hebræorum primogenita Deo: quia olim primogenita Ægyptiorum morti tradidit, pro libertate Hebræorum. Sed hæc quidem primogenita, iam apertam adaperiunt vuluam. Aperitur enim in viri congreſſu, quando ſemen infundit. Solus autem Chriſtus nondum apertam ſupernaturaliter aperuit: & clauſam naturaliter ſeruauit: quia etiam ſolus hic proprie ſanctus eſt Domino, & ſecundum diuinitatem: quia filius eius: & ſecundum humanitatem, vtpote vnitus filio eius. Itaque licet propter dictam cauſam de omnibus primogenitis præſens verbum ſtatutum eſt: ſolum tamen Chriſtum directe reſpicit.

Origen. hom. 14. in Luc: Maſculina, quæ ex Orige. eo, quod vuluam matris aperuerunt, ſancta erant, offerebantur ante altare Domini. Omne, inquit, maſculinum, quod aperit vuluam: ſacratum quippiam ſonat. Quemcumque enim de vtero effuſum marem dixeris, non ſic aperit vuluam matris ſuæ, vt Dominus Ieſus. Quia omnium mulierum non partus infantis; ſed viri coitus vuluam reſerat. Matris vero Domini eo tempore vulua reſerata eſt, quo & partus editus: quia ſanctum vterum, & omni dignatione venerationis venerandum, ante natiuitatem Chriſti, maſculus omnino non tetigit. Audeo quid loqui, quia & in eo, quod ſcriptum eſt: Spiritus Dei veniet ſuper te, & virtus Altiſſimi obumbrabit te, principium ſeminis, & conceptus fuerit, & ſine vuluæ reſeratione nouus in vtero fœtus adoleuerit. Vnde & Saluator loquitur: Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium Pſal. 21. hominum, & abiectio plebis. Videbat in matris Chriſtus cur vermis, & non homo, dicatur. vtero immunditiam corporum, viſceribus eius hinc inde vallatus, terrenæ fecis patiebatur anguſtias. Vnde aſſimilat ſe vermi, & dicit: Ego ſum vermis, & non homo. Ex mare quippe, ac fœmina homo naſci ſolet: ego vero non ex maſculo, & fœmina, ſecundum ritum humanum, atque naturam: ſed in exemplum vermis natus ſum: cuius non eſt aliunde ſemen: ſed in ipſis, & ex ipſis, in quibus coaleſcit corporibus, origo eſt.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 23: Id quod in ſacra Iſidor. ſcriptura dictum eſt: Omne primogenitum ad- Exod. 13. aperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur. Non de omni primogenito dictum eſt (ne hoc imperiti homines exiſtiment) verum de vno

illo, ac ſolo, qui in partu vuluam aperuit. Etenim omnem quidem vuluam concubitus, ac venereus complexus aperit: at eam, quæ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum peperit, ipſe ſine ſemine conceptus, prodiens aperuit; ac rurſum clauſam, & obſignatam reliquit: vere nimirum homo effectus, ac vere item Deus exiſtens, vnus, idemque in duabus naturis adorandus.

Auct.

Eam de offerendo primogenito legem, quidam ad Chriſtum non pertinuiſſe dixerunt: eo quod matris ſuæ vuluam non aperuerit: ſed in mundum clauſo matris vtero prodierit; vt clauſo ſepulchro reſurrexit: Et quemadmodum ſolis radius per vitrum illæſum, ita Chriſtus miraculoſe per matris vterum tranſierit.

Alij vero eandem legem proprie ad Chriſtum pertinere aſſerunt: vtpote qui ſolus matris ſuæ vuluam aperuerit: alijs enim vir vterum aperit. Hæc eſt ſententia Theophylacti, Euthymij, Origenis, Ambroſij, Iſidori, & aliorum.

Porro vt Chriſto proprium eſt, ſecũdum iſtos, matris vuluam aperire; ita etiam quod in eodẽ præcepto ſequitur, ſanctum vocari Domino. Nam ſolus ipſe eſt vere ſanctus inter primogenitos: aliorum vero multi fuere ſceleratiſſimi.

Iſta lex vt ad Chriſtum pertinebat.

Negandum ſane non videtur, Chriſtum ſuæ matris vuluam aperuiſſe. Siquidem Lucas hanc legem ſic adduxit, quaſi etiam ad Ieſum pertineret. Nihilominus tamen etiam aſſerendum eſt, eum clauſo matris vtero natum eſſe. Quippe qui ſic per naturalia generationis membra ſit egreſſus, vt naſcendo, virginalis pudicitiæ clauſtra minime conuelleret, nec dolorem parienti afferret, quem eſſe neceſſe eſt in ea vteri apertione, cum qua reliqui naſcuntur. Etiam ſi Chriſtus vt Deus nulli ſubiectus legi fuerit; hæc tamen ad eum quoque, quatenus homo erat, pertinuit. Sed nec dicendum eſt proprie hanc legem ad ipſum ſolum pertinuiſſe: nam reliqua primogenita ſuæ matris vuluam, magis quam Dominus, adaperiunt. Aliqua tamen conſideratione, matris aperire vterum, ei proprium fuiſſe, patres eleganter dixerunt; quamuis præter Lucæ, ac Moyſis intentionem. Eſt enim Hebraiſmus. Nam hoc, adaperiens vuluam, pro primogenito eſt poſitum. Ibi etiam, ſanctum Domino vocabitur, eſt Hebraiſmus: nihil enim id aliud ſignificat, quam, conſecrabitur Domino.

Not 4. ver 3.

Orige. Cur Maria turtures, aut columbas non agnum obtulerit.

ORIGE. hom. 8. in Leuit: Mirum videtur, quod oblatio Mariæ non habuerit hoſtiam primam, id eſt, agnum anniculum; ſed ſecundam: tanquã cuius manus non ſuffecerit ad primam. Sed & in hoc oſtenditur verum eſſe illud, quod

2 Cor. 8.

ſcriptum eſt, quia Chriſtus Ieſus cum diues eſſet, pauper factus eſt. Ideo ergo & matrem, de qua naſceretur, elegit pauperem: & patriam

Mich 5. Orige.

pauperem, de qua dicitur: Et tu Bethleem minima es in millibus Iuda. Et hom. 2. in Cant: Non ſine cauſa in ſacrificio aſſumitur par turturum, aut duo pulli columbarum: nam idem valent: & nunquam dictum eſt ſeparatim, par tantummodo columbarum: ſed par turturum, & duos pullos columbarum. Columba Spiritus ſanctus eſt. Spiritus autem ſanctus quando de magnis, & occultioribus ſacramentis, & quæ multi capere non poſſunt, loquitur, in turturis appellatione ſignatur, id eſt, in auis eius, quæ ſemper in montium iugis, & arborum verticibus commoratur: In vallibus autem, & his, quæ ad homines vſque perueniunt, columba aſſumitur. Denique Saluator quia hominem eſt dignatus aſſumere, & venit ad terras, multique tunc circa Iordanem peccatores erant: idcirco Spiritus ſanctus non in turturem vertitur: ſed columba fit. Inter nos propter hominum multitudinem, auis manſuetior conuerſatur. Turtur autem videtur, verbi gratia, Moyſen, & vnum quemlibet intelligere Prophetarum, recedentium in montes, & deſerta, & ibi accipientium ſermones Dei.

Turtur alte habitat.

Columba eſt manſueta, & familiaris. Turtur eſt ſolitarius.

Origo.

Et hom. 2. in Leuit: Offert etiam par turturum, cum non fuerit ſolus: ſed mẽtem ſuam, verbo Dei velut viro coniugi ſociauerit: ſicut hoc genus auium, vnum dicitur, & caſtum ſeruare coniugium. Offert etiam & duos pullos columbarum, cum & ipſe intellexerit myſterium, quo oculi ſponſæ ſicut columbæ dicuntur ad plenitudines aquarum, & collum eius ſicut turturis. Idem ad verbum habet Cyr. lib. 2. in Leu.

Orig. Turtur eſt caſtus.

Et hom. 2. in Cant: Turturum ferunt huiuſmodi naturam eſſe, vt neque maſculus præter vnam fœminam adeat aliam: nec fœmina pluſquam vnum patiatur: ita vt ſi accidat altero intercepto, ſupereſſe alterum, pariter cum coniuge extinctus ſit ei concubitus amor.

Orige. Turtur eſt ſolitarius.

Et hom. 4. in Cant: Turtur in ſecretioribus, & remotis à multitudine locis vitam tranſigit, aut deſerta montium diligens, aut ſecreta ſiluarum, procul ſemper à multitudine poſita, & à turbis aliena. Vide eundem hom. 14. in Luc.

Amb. Columba gratiam ſpiritualem ſignificat: Turtur eſt caſtus. Cur turtures, & columbæ.

Ambr. lib. 2. de Abraham Patriarcha cap. 8: Par turturum, aut duos pullos columbarum: eo quod in columba ſpiritalis gratia ſit: in turture incorruptæ generationis natura, vel immaculati corporis caſtimonia. Merito ergo ad ſacrificium iubentur poſt arietem turtur, & columba ſumi: vt verbo adhærere intelligas incorruptam caſtimoniam, & ſpiritalem gratiam. Et hoc ipſo quidem, quod aues poſuit, intelligere poſſumus cœleſtium meritorum volatus.

Amb. Turtur caſtus.

Et ſer. 19. in Pſ. 118: Vnde turturi ſtudium pudicitiæ, quæ compare amiſſo, concubitu indulgere non nouit: quod homines ſeruare non poſſunt?

Amb. Turtur caſtæ hoſtiæ munus. Leu. 12.

Et lib. 5. Hexam. cap. 19: Veniamus ad turturem, quam lex Dei, velut caſtæ hoſtiæ munus, elegit. Cum Dominus circunciderctur, oblata eſt: quia ſcriptum eſt in lege Domini, vt darent hoſtiam par turturum, aut duos pullos columbarum. Hoc eſt enim verum Chriſti ſacrificium, pudicitia corporalis, & gratia ſpiritalis. Pudicitia ad turturem refertur, ad columbam gratia. Fertur etenim turtur, vbi iugalis proprij fuerit amiſſione viduata, pertæſum thalamos, & nomen habere coniugij: eo quod primus amor fefellerit eam,

Turturis fides, caſtitas, viduitas, amor,

eam dilecti morte deceptam. Quoniam & infidelis ad perpetuitatem fuit, & amarus ad gratiam: qui plus doloris ex morte, quam ſuauitatis ex charitate generauerit. Itaque iterare coniunctionem recuſat. Nec pudoris iura, aut complaciti viri reſoluit fœdera, illi ſoli ſuam charitatem reſeruat, illi cuſtodit nomen vxoris. Diſcite mulieres, quanta ſit viduitatis gratia, quæ etiam in auibus prædicatur. Quis igitur has leges turturi dedit? Si hominem quæro, non inuenio. Homo enim nullus eſt auſus, quando nec Paulus auſus eſt leges tenendæ viduitatis præſcribere. Denique ipſe ait: Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare aduerſario. Et alibi:

1. Cor. 7.

Bonum eſt illis, ſi ſic permaneant: quod ſi ſe non continent, nubant. Melius eſt enim nubere, quam vri. Optat Paulus in mulieribus, quod in turturibus perſeuerat. Et alibi iuniores hortatur vt nubant: quia mulieres noſtræ turturum pudicitiam implere vix poſſunt. Ergo turturibus Deus hunc infudit affectum, hanc virtutem continentiæ dedit, qui ſolus poteſt præſcribere, quos omnes ſequantur. Turtur non vritur flore iuuentutis, non tentatur occaſionis illecebra. Turtur neſcit primam fidem irritam: quia nouit teſtimonium ſeruare, prima connubij ſorte prætermiſſa.

Amb.

Et lib. 6. Hexame. cap. 4: Turtur in nido ſuo, ne pullos ſuos incurſet lupus, ſquillæ folia ſuperiacit. Nouit enim quod huiuſmodi folia lupi fugere conſueuerint. Nouit quomodo poſteritatem ſuam foueat: & tu ignoras, tu negligis quomodo aduerſum lupos nequitiæ ſpiritalis poſteritatem vitæ huius habeas tutiorem?

Amb.

Et orat. inuectiua in Auxentium, quæ eſt epiſt. 32. lib. 5. Quid ſunt columbæ, niſi ſimplices mentes, vel animæ fidem candidam, & puram ſequentes?

Amb.

Et ſer. 21: Columbam ipſum Dominum dixerim: quia eſt alacer, mitis, & ſimplex: quia ſanctos ſuos eſſe præcipit vt columbas: quia Propheta dicit ex perſona ipſius, deſcribens eius reditum in cœlum: quis dabit mihi pennas? &c.

Et ſer. 70: Volare non poteſt, niſi quod purum, leue, atque ſubtile eſt, &c. Vnde puto etiam in ipſis auibus, ideo velocius colūbam pene præ omnibus volitare, quod alacritatem, & innocentiam comitetur. Dauid cum puritate mentis volare concupiſceret, non alterius animantis, niſi columbæ optauit alas.

Chryſoſt. ſer. de continentia Ioſeph: Columbæ ſæpe viſa vna auolante, ſtatim ſequuntur omnes, &c.

Et hom. 26. in Gen: Emittit columbam, auem mitem, & familiarem: quæ miram præ ſe fert ſapientiam: & non niſi ſeminibus paſci ſolet: ex puris enim eſt auibus. Extenta manu accepit illam. Vidiſti quanta auis gratitudo: quomodo rediens iuſtum docuit, vt aliquantiſper adhuc longanimitatem habeat? animal eſt mite, & noſtra familiaritate gaudēs. Et idcirco rediȷt, & ſurculo oliuæ multum ſolatij iuſto attulit.

Et ſer. de Spiritu ſancto in Pentecoſte inter alia ſic habet: Columba enim animal eſt, quod præ omnibus volatilibus cœli homines amat, & contubernale eſt, ac manſuetum, innocenſque, & fœcundum, & domeſticum: quod verſatur, quieſcit, & habitat in domibus noſtris.

Turtur ſolitaria, gemit, alte habitat.

Et hom. de turture: Turtur amatrix eremi, quando in deſertis degit locis: delectabilibus blandimentis accerſit comparem vocis ſuæ, conuallia penetrans, & ſuum maſculum in amæna, & nemoroſa paſcentem conuocat: & hinc auolare prouocans, hortatur aſcenſionem ſui celerem facere.

Pullos prouocat.

Vnanimi autem mente ad inculta, & prærupta rupium cubile fundantes, exinde ſuos ſine timore volare prouocant pullos. Aſſeuerant quidam turturem caſtam, & amatricem comparis eſſe: ita vt ſi quando euenerit eius maſculum ab aquila, ſiue aucupe capi, non ſe commiſceri alteri; ſed ipſum cupere, & ipſius præſtolari aduentum, & in amore eius expectatione pendere. Idcirco audite mulieres, quæ caſtitas in volucribus reperiatur, &c. Talis eſt Eccleſia, &c.

Caſta.

Epiph. Colūbæ qualitates.

Epipha. hære. 35: Eccleſia appellatur columba, propter innocentiam, & manſuetudinem, ac puriſſimam vitam: neque venenum habens, neque loquacitatem, neque aculeos. Vide cap. 68. ver. 23.

Baſ. Turtur caſtus.

Baſ. hom. 8. Hexame: Turturem aſſerunt ſeiugatam à coniuge, nunquam ſocietatem inire cum alio: ſed ſine coniuge vitam cœlibem degere, recordatione amiſſi conſortis, coniugium alterius abnuentem. Columbæ copia libidinis gaudent.

Columba libidinoſa, innocens.

Et in Pſ. 28: Sanctus dicitur columba propter innocentiam.

Et epiſt. 175. Iulittæ liberæ: ars quædam eſt aucupandi columbas, videlicet talis: Vbi vnam cœperunt, qui capiendis illis ſtudent, cicurem illam reddunt, & ad humanum conuictum aſſuefaciunt.

Familiaris

Deinde vnguento alas illius perungunt, ſinuntque coniungi agreſtibus. Illa vero per vnguenti fragrantiam, agreſtem illum, ac liberi paſtus gregem ad poſſeſſionem transfert eius, cuius ipſa eſt domeſtica.

Gregalis.

Bene olentes namque ſequuntur & reliquæ: atque ita in poteſtatem columbarij veniunt.

Bene olentē ſequitur.

Nice. Pſal. 54.

Nicet. ad orat. Naz. in ſanctum baptiſma: Dauid pennas columbæ quærit: quia leuiores, ac perniciores. Talis eſt quiſquis iuſtitiam colit.

Aug. Turturis, & colūbæ proprietates.

Aug. lib. 16. ciuit. cap. 24. non dubitat homines ſpirituales per turtures, & columbas figurari: ſiue à negocioſis conuerſationibus hominum ſe remoueant, ſicut turtur: ſiue inter illas degant, ſicut columba. Vtraque auis eſt ſimplex, & innoxia. Idem habet hom. 33. & ſer. 54. de temp. vbi addit turturem eſſe caſtum. Ser. 218. de temp. turtures vocat caſtiſſimos: & ad modum, inquit, turturum, & columbarum, quæ oua ſua non ſinunt refrigerari, ne fructum illorum perdant: nos permittere non debemus, vt ſemen verbi Dei in nobis congeleſcat.

Et tract. 7. in primam Ioannis epiſtolam: Fel columba non habet: tamen roſtro, & pennis pro nido pugnat: ſine amaritudine ſæuit. Ideo columba ſignificat charitatem. Hoc facit & pater, quando filium caſtigat.

Aug. Paupertas Mariæ.

Et lib. quæſt. ſuper Leuit. cap. 40: Sane aduertendum eſt, quam pauper

pauper Dominus naſci voluerit, vt non pro illo offerretur agnus; ſed par turturum, &c.

Greg.
Guttur ſecatur, non abſcinditur.

Greg. lib. 6. Moral. cap. 13: Per legem turturi, & columbæ ſecari guttur præcipitur; at non penitus: vt poſt mortem caput corpori inhæreat, &c. Et hom. 7. in Ezech: In lege ſcriptum eſt, vt turturis, qui pro peccato offertur, caput retorqueatur ad pennulas: ita vt collo inhæreat, & non penitus abrumpatur. In quibus verbis, dubiis legentibus ſenſus hiſtoricus non eſt. Sed ſi hæc intelligere moraliter requiras, agitur rota dum ad moralem intelligentiam ducitur ſacri verbi ſententia. Nos enim ipſi in omnipotentis Dei ſacrificium eſſe turtur debemus, ita vt caput noſtrum retorqueatur ad pennulas, id eſt, animus ad virtutes. Non enim immerito per caput mentem intelligimus. Quia ſicut caput corpus; ita mens actiones regit. Caput ad pennulas retorqueri præcipitur: vt ea, quæ dicis, facias: & os ad opera coniungas. Nec ita caput abſcindendum eſt, vt à corpore diuidatur: ſed ex parte deciſum, corpori ſuo iubetur inhærere. Quia mens noſtra à carnali delectatione incidenda eſt; ſed à carnis cura neceſſaria, incidenda non eſt. Hinc enim ſcriptum eſt: Carnis curam ne feceritis, &c. Poſtea dicit caput turturis eſſe Chriſtum. Et lib. 32. Moral. cap. 2: Columbarum pulli, vel turtures pro cantu gemitus habent. Quid ergo per duos columbarum pullos, vel duos turtures, niſi duplex pœnitentiæ noſtræ gemitus deſignatur? Vt cum ad offerenda bona opera non aſſurgimus, noſmetipſos dupliciter defleamus: quia & recta nō fecimus; & praua operati ſumus. Vnde & vnus turtur pro peccato, alter vero offerri in holocauſtum iubetur. Holocauſtum namque totum incenſum dicitur. Vnum ergo turturem pro peccato offerimus, cum pro culpa gemitum damus: de altero vero holocauſtum facimus, cum pro eo, quod bona neglexinus noſmetipſos funditus ſuccendentes, igne doloris ardemus. Quia igitur duplex in pœnitentia gemitus debetur, &c.

Caput ad pennulas retorquetur.

Caput cur nō abſcindatur.

Rom 13

Greg.

Quid ſit holocauſtum.

Greg.
Turtur caſtus, gemit

Et Cant. 1: Turtur amiſſo ſemel ſuo pari, nunquam alteri ſe iungit: ſed ſemper ſolitarie habitans, in gemitu perſeuerat: quia quem diligebat non inueniens quærit. Sic ſancta anima, dum à ſponſo ſuo abſens eſt, ab eius amore non recedit: ſed in eius deſiderium ſemper anhelat, & gemit: Et dum illum, quem valde diligit, non inuenit, quia ab alieno amore ſe retrahit, quaſi in genarum verecundia caſtitatem cordis ipſo habitu, & actu exteriori oſtendit. Columba in amore pro cantu gemit: reprobi in amore mundi garriunt, & lætantur: mens electa in cœleſti deſiderio atteritur: quia timet ne amittat quod diligit, dum differtur. Hom. 5. in Euang: Columba ſimplex eſt animal: atque à malitia fellis alienum. Quaſi columbæ ad feneſtras ſuas ſunt, qui nihil in hoc mundo concupiſcunt: qui omnia ſimpliciter aſpiciunt: & in hæc, quæ vident, rapacitatis ſtudio non trahuntur: at contra Miluus, &c.

Columba gemit.

Greg.
Columba ſimplex, ſine felle. ſtat ad feneſtras.

Cypr.

Cypr. lib. de vnit. Eccleſ. cap. 6: Columba ſimplex animal eſt, & lætum, non felle amarum, non morſibus ſæuum, non vnguium laceratione violentum: hoſpitia humana diligere: vnius domus conſortium noſſe: cum generant, ſimul filios edere: cum commeant, volatilibus inuicem cohærere: communi conuerſatione vitam ſuam degere: oris oſculo concordiam pacis agnoſcere: legem circa omnia vnanimitatis implere. Hæc eſt in Eccleſia noſcenda ſimplicitas, hæc charitas obtinenda, &c. vt manſuetudo, & lenitas, &c. Quid facit in pectore Chriſtiano luporum feritas, canum rabies, venenum ſerpentum, ſæuitia beſtiarum, &c.

Columba propria.

Hieron. lib. 1. aduer ſ. Iouinian. Turtur auis pudiciſſima, ſemper habitans in ſublimibus. Legamus phyſiologos, & reperiemus turturis hanc eſſe naturam, vt ſi parem perdiderit, alteri non iungatur. Et in Pſal. 83: Turtur eſt animal caſtitatis: non habitat in humilibus; ſed ſemper facit nidos ſibi in excelſis arboribus.

Hier.
Turturis propria caſtus alte habitat.

Bernar. ſerm. 40. in Cant: Turtur pudica auicula eſt: & conuerſatio eius non cum multis: ſed ſolo degere fertur contenta compare: ita vt, ſi illum amiſerit, alterum non requirat; ſed ſola deinceps conuerſetur, &c. Et ſerm. 59. in Cant: Turturis vox gementi, quam canenti ſimilior, peregrinationis noſtræ nos admonet. Illius doctoris libenter audio vocem, qui non ſibi plauſum, ſed mihi planctum moueat, &c. Quidni moueat mihi crebras lachrymas, & gemitus quotidianos Chriſti abſentia? &c. Nec ſoli commendant turturem gemitus: commendat & caſtitas. Huius merito digna fuit dari hoſtia pro virgineo partu, &c. Et licet alias quidem per columbam Spiritus ſanctus ſoleat deſignari: tamen quia libidinoſa auis eſt, non decuit offerri eam in ſacrificium Domini, niſi ea ſane ætate, qua neſciret libidinem. At turturis non deſignatur ætas: quoniam agnoſcitur caſtitas in quacunque ætate. Denique compare vno contenta eſt, quo amiſſo, alterum iam non admittit: numeroſitatem in hominibus nuptiarum redarguens. Nam etſi forſitan culpa propter incontinentiam venialis eſt: ipſa tamen tanta incontinentia turpis eſt. Pudet ad negotium honeſtatis, rationem non poſſe in homine, quod natura poſſit in volucre. Cernere enim eſt turturem tempore ſuæ viduitatis, ſanctæ viduitatis opus ſtrenue, atque infatigabiliter exequentem. Videas vbique ſingularem, vbique gementem audias: nec vnquam in viridi ramo reſidentem proſpicies: vt tu ab eo diſcas voluptatum virentia velut virulenta vitare. Adde quod in iugis montium, & in ſummitatibus arborum frequentior illi conuerſatio eſt, vt, quod vel maxime propoſitum pudicitiæ decet, doceat nos terrena deſpicere, & amare cœleſtia. Vide eundem ſer. 1. in Epiph. Dom.

Bern.
Caſtus, ſolitarius.

Bern.

Gemit.

Caſtus.

Columbæ propria.

Columbæ, non turturis ætas deſignatur.

Bern.

Eucher. Lugdu. hom. Dom. infra oct. Natiu: Talem igitur hoſtiam offerre debuit virgo Maria, per quam caſtitas, & humilitas figuratur, quæ inter omnes mulieres & caſtior ſemper, & humilior extitit. Et bene quidem non ſingula, ſed paria obtulit, quæ non corpore tantum, ſed corpore, & anima caſta, & humilis erat. Qualiter autem

Eucher.

autem hæc animalia offerri debeant, in Leuitico aperitur.

Not 5. ver. 4.

Amb. AMBR. lib.2.in Luc: Et bene iuſtus,qui non ſuam, ſed populi gratiam requirebat.

Cypr. Cypr. lib.de mortalit.cap.1: Simeon vere iuſtus fuit, qui fide plena Dei præcepta ſeruauit.

Bern. Bern.ſerm. 67.in Cant: An potius iuſtus,qui expectat: & qui iam tenet beatus. Denique expectatio iuſtorum lætitia, &c. Ideo iuſtus erat Simeon,quia expectabat,& adorabat iam Chriſtum in ſpiritu, quem necdum in carne adorabat. Et beatus in expectatione ſua: quia per odorem expectationis peruenit ad guſtum contemplationis.

Nyſſ. Nyſſe. orat. de occurſu: Iuſtus, & prius.Quid eſt.expectans conſolationem Iſrael? hoc eſt,expectans dum fieret manifeſta veritas, & populus Iſraeliticus ab vmbra legis ad eam tranſiret. Propterea quod mittens eſſe ſub mundi elementis, accederet inſtituendus ad ludum veritatis, & perficeretur eius perfectione. Neque enim potuerit quis dicere,quod cum Iudæi grauia perpeterentur, & captiuitate aliqua detinerentur, expectabant vt ab his recrearentur: & ad lætum, ac priſtinum ſtatum reuerterentur: cum omnis antiqua conſuetudo eis rite procederet, & templum ſtaret, & offerrentur in eo ſacrificia: & omnis alia viuendi ratio, eorum generi peculiaris, rite obſeruaretur. Sin autem obijciatur,eos fuiſſe ſub Romanis,& Herodem conſtitutum fuiſſe Regem Iudææ, qui erat genere alienigena: ſciat is,quod ratio vitæ ex lege agendæ ex eo nihil lædebatur, quod Iſraeli Rex eſſet alienigena, vt de eo conſolationem iuſtus ſenex expectaret. Etenim diuerſis modis contigit, perinde ac filium quempiam ſeditioſum, à patre alicui tradi auſtero pedagogo, ad hoc vt caſtigetur. Ita Iſraelem ſæpe fuiſſe ſub Rege alienigena,&c. Non ergo ad mundanam gloriam, & iactantiam, Iſraelis conſolationem ſapiens expectabat Simeon: ſed eam,quæ eſt vere, traductionem ad veritatis pulchritudinem, &c. Expectabat fore vt ſpiritualiter cum eo Chriſto Domini, appareret populi conſolatio.

Theop. Theophylact. Luc. 2: Expectans quando veniat Deus conſolaturis Hebræos, & liberaturus à ſeruitute peccati: forte & ea,qua Romanis,& Herodi ſeruiebant. Nam qui Chriſto credit, liber eſt re vera, & dignior regibus, ac hominibus omnibus. Vide Apoſtolos: non fuerunt ſerui Romanorum: ſed nunc venerantur eos Romanorum Reges. Itaque hos,cum eſſent Iſraelitæ,conſolatus eſt Chriſtus.

Prima virtus perſonam Simeonis commendans, eſt quod iuſtus fuerit: ſecunda, quod timoratus, aut, vt quidam habent, pius, ac religioſus. Videtur autem eum dicere iuſtum reſpectu proximi, cum quo iuſte conuerſabatur, & recte ſe habebat: timoratum vero, & pium, quo ad ipſum Deum,quem pie, & religioſe venerans offendere metuebat. Iuſtitia eſt ſpecialis virtus cardinalis, qua datur cuique ſuum:vel eſt virtus generalis. Vt melius intelligas, quiſnam homo iuſtus vocetur,conſidera quem calceum merito iuſtum dixeris. Iuſti quidam in præſumptionem declinant: quia nimis de ſua iuſtitia præſumunt. Ideo Lucas dicit quod Simeon etiam timoratus erat. Siquidem iuſtitiam timor conſeruat, vt cinis ignem. Eccleſiaſtici 1: Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari. 25: Nihil melius quam timere Deum. Pſal. 36: Timete Deum omnes ſancti eius. Nemo hic igitur de ſuis viribus, aut ſanctitate præſumat: occulta Dei iudicia nobis formidanda ſunt: Memento Dauidis, Salomonis, Petri, Iudæ, Origenis, & aliorum: State in timore, & videte ne cadatis. Vt autem quiſque ſanctus in aliqua magis virtute reſplenduit: ſic has virtutes Euangeliſta ſpecialiter in Simeone commendat. Tertia viri conditio eſt, quod expectabat conſolationem Iſrael, tanquam iam imminentem. Quo notatur quanta in eo & fidei rectitudo,& ſalutis publicæ auiditas fuerit. Expectabat autem poriſſimum,non temporalem Iſraelis cōſolationem, vt à dominatu Romanorum, Herodiſque alienigenæ tyrannide liberationem: ſed pius ſenex optabat, vt Iſraeliticus populus in Chriſtum crederet: & credendo liberationem à diabolo, & peccato inueniret. Siquidem intelligebat ex hebdomadibus Danielis, ex prophetia Iacob, & aliorum, adeſſe tempus Meſſiæ,qui liberaturus eſſet Iſraelem à dura peccati,atque diaboli ſeruitute. Hunc etenim ſenem, cum Spiritu ſancto plenus fuerit, veriſimile eſt intellexiſſe, ſpiritualem fore per Meſſiam redemptionem præſtandam: ſicut ex cantico ipſius ſatis apparet. Ergo bonum commune ſanctorum erat, quod hic iuſtus expectabat: non proprium. Ex eo quod aliter faciamus,omnia reipublicæ mala proueniunt. 1.Cor. 10. Phil. 2. Commune bonum quærebat Moyſes, Exo. 32: Dimitte illis, aut dele me, &c. Et Paulus Rom. 9. 2.Cor. 11. 1.Cor. 10. Rom. 15. Phil. 1. Gal. 6. 2.Tim. 3. Amor itaque proprius cauſa eſt malorum omnium: quia iudicium peruertit. Quarta conditio eſt,quod fuerit in eo Spiritus ſanctus,quantum ad gratiæ plenitudinem. Quia non ſolum habuit gratiam iuſtificantem, prout habetur communiter à ſanctis; ſed etiam quantum ad illuminationes, & conſolationes diuinas ſpeciales, vt ſequens verſus declarat. Hoc enim omnino de ſpiritu prophetiæ intelligendum videtur. Nam ſi de inhabitatione Spiritus ſancti omnibus iuſtis communi Euangeliſta loquitur, quid opus erat dicere, Spiritum ſanctum in eo fuiſſe, cum prius eum iuſtum, & timoratum eſſe dixiſſet? Ex his ergo patet Simeonis vitæ ſanctitas. In eo itaque Spiritus ſanctus erat, non ſolum per eſſentiam, potentiam, & præſentiam; vt eſt in omni creatura: nec ſolum per charitatem, & gratiam qualemcumque; ſed etiam per gratiam ſpecialem, & eminentem: atque per charitatem ardentem: vt eſt in ſanctis heroicis, & perfectis. Sic Lucas hunc laudat: quia Chriſtum benedicturus erat, & laudes eius

Vt Spiritus ſanctus in eo fuerit.

ius decantatur: immo etiam in manibus, & brachij: eum ſumpturus. Vide à quibus velit Deus laudari, ſumi, & portari.

Eut. Simeō ſacerdos non erat. Euth. Luc. 2: Simeon non erat ſacerdos, vt mihi videtur; alias enim & hoc omnino manifeſtaſſet Euangeliſta, tanquam magnam viri dignitatem.

Theop. Theophylact. Luc. 2. idem habet.

Epiph. Epiphanius autem libro de vita, & interitu Prophetarum, dicit eum fuiſſe ſacerdotem.

Not. 6. ver. 5.

Amb. Mors cur differtur. AMBR. ſer. 20. in Pſal. 118: Alius propter diuitias viuere cupit; alius propter filios: hic propter verbum Dei viuificari petit: ſicut Simeon Domini expectauit aduentum. Vnde & Dominum accipiens in templo, ait: Nunc dimittis, &c. aſſerens viuendi ſibi cupiditatem aliam non fuiſſe, niſi vt Chriſtum videret. Vidit, & vinculis ſolui corporis poſtulauit.

Aug. Aug. ſerm. 3. de verb. Apoſt: Pro iſto ſalutari oramus in Pſ. oſtende nobis Domine miſericordiam, &c. Deſiderabant hoc antiqui iuſti ſalutare: de quibus Dominus dicebat diſcipulis: Multi voluerunt videre, &c. In hoc deſiderio erat ille ſanctus ſenex Simeon, de Deo bene meritus. Sine dubio & ipſe dicebat: Oſtende nobis Domine, &c. In hoc deſiderio, & talibus precibus, reſponſum accepit, &c. natus eſt Chriſtus: veniebat ille, ille ibat: ſed donec veniret, ille ire nolebat. Iam ſenectus matura excludebat; ſed ſincera pietas detinebat. Et ſer. 20. de temp: Simeon ille ſenex diu vixerat, & audierat reſponſum, quod non videret, &c. Intelligite quantum deſiderium habebant antiqui ſancti videndi Chriſtum. Sciebant illum eſſe venturum: & omnes qui pie viuebant, dicebant: O ſi hic me inueniat illa natiuitas! O ſi quod credo in ſcripturis, videam oculis meis! Nouerant per ſcripturas virginem parituram. Vt noueritis quantum deſiderium habebant ſancti, eoſque optaſſe videre, quod ſeni Simeoni conceſſum eſt, Dominus ipſe ait: Multi voluerunt videre, &c. Multum ſenex iſte fuit ad audiendum ſerus; ſed ad videndum maturus. Non expectauit vt Chriſtum audiret loquentem: quoniam agnouit infantem. Et hoc illi conceſſum erat iam decrepito, quaſi deſideranti, & ſuſpiranti, & dicenti quotidie in orationibus ſuis: Quando veniet? quādo naſcetur? quando videbo? putas durabo? putas hic me inueniet? putas iſti oculi videbunt, per quem cordis oculi reuelantur? Dicebat iſta in orationibus ſuis. Et pro deſiderio ſuo accepit reſponſum, quod non guſtaret, &c. Et ſer. 13. de temp: In iſto ſeculo diu eſſe nolebat: & Chriſtum in hoc ſeculo videre cupiebat, cantans cum Propheta: Oſtende nobis Domine, &c. Vt noueritis ita eſſe, iſtius lætitiam cōcluſit, dicens: Nunc dimittis, &c.

Pſal. 84. Luc. 10. Aug. Matt. 13. Aug.

Greg. Greg. lib. 7. Moral. cap. 3: Naſcente Domino, Simeone in Spiritu in templum veniente, didicimus quanto deſiderio ex plebe Iſraelitica ſancti viri incarnationis eius myſterium videre cupierunt. Vnde & per eundem Redemptorem diſcipulis dicitur: Multi iuſti, & Prophetæ, &c. Luc. 10.

Cypr. Cypr. lib. de mortalit. cap. 1. Pro, à Spiritu ſancto, habet, diuinitus.

Euth. Euth. Luc. 2: Niſi videret, oculis corporeis, Dominum intelligit nunc patrem.

5. laus Simeonis. Quid ſit mortem videre. Bed. Pſal. 15. Hæc eſt quinta conditio perſonæ Simeonis commedans. Mortem videre, phraſi Hebraica, idem eſt, quod experiri, ſeu guſtare mortem, aut mori, vt inquit Bed. Luc. 2. Vnde Pſal. 15: Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem, id eſt, ſentire corruptionem, ſeu corrumpi. Quanquam etiam alij, vtpote Iſraelis Reges, & Sacerdotes, dicantur Chriſti Domini; proprie tamen hoc Saluatori noſtro conuenit: qui à patre ſolo per Spiritum ſanctum, non ab homine, in Regem, & Sacerdotem vnctus eſt.

Quis Chriſtus Domini.

Aug. Aug. lib. 8. de ciuit. cap. 23: Trimegiſtus, quia tempus venturum ſciebat, quo idola auferrentur, dolebat; ſed tam impudēter dolebat, quam impudenter ſciebat. Non enim hoc ei reuelauerat Spiritus ſanctus, ſicut Prophetis ſanctis, qui hæc præuidentes, cum exultatione dicebant: Si faciet homo Deos? &c. Et in alio loco: Exterminabo nomina ſimulachrorum à terra, &c. Ex quo genere & illi erant, qui gaudebant, quia ſciebant venturum veniſſe: qualis Simeon, Anna, qui mox natum Ieſum; qualis Elizabeth, quæ etiam conceptum in ſpiritu agnouit: qualis Petrus, reuelante Patre dicens, &c.

Hier. 2. Zach. 1. Luc. 2. Luc. 1. Matt. 16

Cypr. Cypr. lib. de mortalit. cap. 1: Agnouit in ſpiritu natum iam eſſe Chriſtum, de quo ſibi fuerat ante prædictum.

Timot. Timotheus presb. Hieroſ. orat. de Simeone: Simeone domi ſedente, & apud ſe orante, reſponſum venit ad affectum. Solum cogitauit Ioſeph, & virgo introducere puerum Ieſum in templum, vt facerent ſecundum morem legis; & ſtatim excitauit ſpiritus Simeonem, dicens: Expergiſcere, &c. venit tempus reſponſi: vade cito: venit enim qui te ſoluit Emmanuel, &c.

Chryſoſt. Chryſoſt. de occurſu Domini: Venit in ſpiritu in templum illa hora, qua parentes obtulerunt puerum. Nam ſæpe quidem veniebat; ſed ſuo propoſito: tunc vero à ſancto Spiritu deductus venit opportune ad implendum promiſſum.

Venit, & aſcendit in templum, actus, ſeu motus à Spiritu ſancto; non ab homine aliquo excitatus, vel admonitus: ſed per reuelationem Spiritus ſancti: vt Chriſtum videret, quemadmodum ei promiſſum fuerat. Eadem Spiritus ſancti gratia, qua olim venturum præcognouerat, nunc venientem cognouit.

Orig. Origen. hom. 15. in Luc: Et tu ſi vis tenere Ieſum, & amplexari manibus, omni labore nitere, vt ducem habeas ſpiritum, veniaſq; ad templum Dei.

Not. 7. ver. 6.

Aug. AVGVST. ſerm. 13. de temp: O omnipotentia naſcentis, &c. vt lect. 4. 5. & 6. die 2. Febr.

Et

Et lib. 17. Ciuit. cap. 4: Simeon ſenex amplectens paruulum, agnoſcens magnum: Nunc dimittis, inquit, &c. Et ſerm. 3. de verb. Apoſtoli: Vbi venit, vbi natus eſt, vbi eum portari matris manibus vidit; & diuinam infantiam pia ſenectus agnouit: Accepit eum in manus ſuas, &c. Impletum eſt deſiderium ſenis, mundi ipſius ſenectute vergente. Ipſe ad ſenem hominem venit: quia mundum veterem inuenit, &c. Et ſerm. 20. de temp: Geſtabat Maria infantem, vidit ille, & agnouit. Vbi nouerat quod agnouit? an intus eſt reuelatus, qui foris eſt natus? Agnouit Simeon infantem tacentem; & occiderunt Iudæi iuuenem mirabilia facientem. Cum ergo cognouiſſet, accepit in vlnas ſuas, id eſt, in brachia ſua amplexatus eſt eum. Portabat à quo portabatur. Ipſe enim eſt ſapientia Dei attingens à fine, &c. (Sap. 8.) Quantus ibi erat, & quam magnus, quam paruus factus erat. Paruus factus, paruos quærebat. Quid eſt paruos quærebat? non ſuperbos, ſed humiles colligebat. Habetis ergo pueri puerum Ieſum; ſancti ſenes ſenem Simeonem. In manus ſuas Simeon infirmitatem accepit: ſed maieſtatem intus agnouit.

Bern. Bern. ſerm. 8. in Paruis: Quid eſt quod Maria portat Ieſum in vtero; Ioſeph in humero, in Ægyptum ſcilicet iens, & inde rediens; Simeon portat in brachijs? Significant iſti tres, (Chriſtus vt portetur.) tres electorum ordines, Maria prædicatores; Ioſeph pœnitentes; Simeon bonos operatores. Qui enim alijs euangelizat, quaſi Ieſum in vtero portat; vt eum alijs, vel potius alios ei pariat. De talibus erat beatus Paulus, qui dicebat: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis. (Gal. 4.) Qui vero pro Chriſto laboribus fatigantur, qui perſecutiones patiuntur, qui nulli mala inferunt, ſed ab alijs illata patienter ferunt, merito iſti portare eum in humeris dicuntur. Quibus & ab ipſa veritate dicitur: Qui vult venire poſt, &c. (Luc. 9.) Si quis autem eſt, qui porrigat panem eſurienti, potum ſitienti, cæteraque miſericordiæ opera ſolicite impendat egenti, nonne iſte recte videtur eum portare in brachijs? huiuſmodi enim dicturus eſt in iudicio Dominus: Quandiu feciſtis vni ex minimis, &c. (Matt. 25.)

Bonau. Bonauent. Luc. 2: Conſolatus eſt eum filius per dulcem amplexum. Dulciſſimum enim filium amplexatus eſt, quando ipſum accepit in vlnas. (Duo animæ brachia.) Sic nos accipere debemus in duobus brachijs animæ, videlicet timoris, & amoris, &c. Magis autem ſtringendus eſt brachio amoris, quam timoris, &c.

Damia. Petrus Damian: Non capitur cœlis, Simeon quem ſtringit in vlnis.

Not. 8. ver. 7.

Amb. Amb. lib. 2. in Luc: Vide iuſtum, velut, &c. vt lect. 8. & 9. die 2. Febr. Et lib. de bono mort. cap. 2: Dixit: Nunc dimittis, Domine, (Non vt boni operatur.) ſeruum tuum in pace: quaſi neceſſitate quadam teneretur in hac vita, non voluntate: Ita dimitti petit, quaſi à vinculis quibuſdam ad libertatem feſtinaret. Sunt enim velut vincula quædam corporis huius: & quod eſt grauius, vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad iniuriam captiuitatis adſtringunt quadam lege peccati.

Cypr. lib. de mortal. cap. 11 Viſo Domino ſciuit ſe cito eſſe moriturum. Lætus itaque de morte iam proxima, & de vicina acceſſitione ſecurus, dixit: Nunc dimittis, &c. probans ſcilicet, atque conteſtans tunc eſſe ſeruis Dei pacem liberam, tranquillam quietem, quando de iſtis mundi turbinibus extracti, ſedis, & ſecuritatis æternæ portum petimus: quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa eſt enim noſtra pax, fida tranquillitas, ſtabilis, firma, & perpetua ſecuritas. Et lib. 3. ad Quirinum cap. 58. ad probandum morte neminem debere contriſtari; cum ſit in viuendo labor, & periculum; in moriendo pax, & reſurgendi ſecuritas; adducit hunc locum Nunc dimittis ſeruum, &c. Cypr.

Aug. ſerm. 20. de temp: Dimittis in pace: quia video pacem. Aug.

Tit. Boſtr. Luc. 2: Nunc dimittis; de dimiſſione ex caduca hac, mortalique vita hæc accipe. Secundum verbum tuum; hoc dicit propter oraculum, quo edoctus fuerat, non prius è viuis ſe exceſſurum, quam Chriſtum Dominum in carne præſentem oculis conſpexiſſet. Tit.

Theophylact. Luc. 2: Dicere: Nunc dimittis, &c. confitentis eſt quod ipſe ſit Dominus vitæ, ac mortis. Vide autem quomodo ſancti pro vinculo corpus habent. Idcirco dicit, nunc abſoluis, quaſi à vinculo. Secundum verbum tuum, propter oraculum quod acceperat, quod non eſſet moriturus, donec videret Chriſtum. In pace, id eſt, quiete. Nam homo quo ad viuit turbatur; ſicut & Dauid dicit: Mortuus vero pacem habet. Vel aliter intellige; in pace, id eſt, ſpei conſecutione. Priuſquam, inquit, vidiſſem Dominum, non pacata mente eram, expectans illum, & ſemper ſolicitus quando veniat: nunc autem ipſo viſo, & pacem conſecutus, & ſolicitudine liberatus, vt ſic dicam, abſoluor. Theop. (Corpus eſt vinculum.)

Ver. 8.

Basil. hom. in Pſal. 61: Salutare mos eſt ſcripturæ nominare Chriſtum Dei. Baſ.

Aug. ſerm. 20. de temp: Salutare Dei, Dominus Ieſus Chriſtus. Annunciate diem ex die ſalutare eius. Aug. Pſal. 95.

Theophylact. Luc. 2: Salutare, incarnatio vnigeniti eſt. Theop.

Ver. 9.

Theophylact. Luc. 2: Iſtam ſalutem, ſeu incarnationem vnigeniti, ante ſecula omnia Deus præparauit, vt ſaluaret mundum; & vt omnibus liquida fiat, cuius gratia & incarnatus eſt. Theoph.

Ver. 10.

Ver. 10.

Theop. [illegible]

Theophylact. Luc. 2: Salutare hoc, lumen eſt ad illuſtrationem Gentium obtenebratarum, & ad gloriam Iſraelitarum. Chriſtus enim gloria eſt populi, qui vere Iſrael eſt, ſecundum quod ex illo ortus eſt: & in hoc ornantur, qui ſapiunt, & intelligunt.

Tit.

Tit. Boſtr. Luc. 2: Quandoquidem gentes in tenebris, hoc eſt, in terra veritatis ignoratione degebant, cultumque, qui ſoli Deo debetur, dæmonibus impendebant; Chriſtus autem lux eſt, quæ verum illis Deum, hoc eſt, ſeipſum, & patrem, & Spiritum ſanctum patefecit, propterea lumen ad reuelationem dicitur. Idem ille Chriſtus, Iſraeli quoque ceſſit in gloriam: nam & ortum ſecundum carnem ex illis ducit: & multos præterea ex illorum genere, propter fidem in ipſum, ad cœleſtem gloriam euexit.

Cyr. — Quod Chriſtus ſit Deus.

Cyril. lib. 3. de recta fide ad Reginas: Simeon Ieſu in vlnas accepto, talia de eo dixit: Nunc dimittis ſeruum, &c. quomodo igitur eſt ſalutare? quomodo lumen ad reuelationem Gentium, niſi Deus ſit vere, & ſolus filius, natura quidem ex patre verbum: ex virgine autem idem ſecundum carnem? Qualis reuelatio facta eſt Gentibus? nonne in ipſo agnouerunt quod Deus ſit, & ſeruiendo ei liberati ſunt à crimine, quod non ſeruiant Deo alteri, quam vni, qui natura, & vere Deus eſt?

Not 9. ver. 11.

Hier. — Huius loci vera lectio

HIERON. aduerſ. Heluid. cap. 4: Ac ne impudenter neges iſta ignoraſſe Ioſeph: Et erant, inquit Lucas, pater illius, & mater admirantes ſuper his, quæ dicebantur de eo. Licet tu mira impudētia hæc in Græcis codicibus falſata contendas: quæ non ſolum omnes penè Græciæ tractatores in ſuis voluminibus reliquerunt: ſed nonnulli quoque è Latinis, ita vt in Græcis habentur, aſſumpſerunt.

Aug. — Vt Ioſeph Chriſti pater ſit.

Aug. lib. 2. de conſen. cap. 1: Neque enim propterea non erat appellandus Ioſeph pater Chriſti, quia non eum concumbendo genuerat: quandoquidem recte pater eſſet etiam eius, quem, non ex ſua coniuge procreatum, aliunde adoptaſſet. Putabatur quidem Chriſtus etiam aliter filius Ioſeph, tanquam ex eius omnino carne progenitus: ſed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat virginitas. Nam Lucas ait: (Luc. 3.) Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph. Qui tamen Lucas non eius parentem ſolam Mariam, ſed ambos parentes eius appellare minime dubitauit, vbi ait: Puer autem creſcebat, & confortabatur plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo: & ibant parentes eius per omnes annos in Hieruſalem, in die ſolemni Paſchæ. Sed ne quiſquam hic parentes conſanguineos potius Mariæ cum ipſa matre eius intelligendos putet, quid ad illud reſpondebit, quod ipſe item Lucas ſuperius dixit: Et erant pater eius, & mater mirantes ſuper ijs, quæ dicebantur de illo? Cum igitur ipſe narret, non ex concubitu Ioſeph, ſed ex Maria virgine natum Chriſtum, vnde eum patrem eius appellat, niſi quia & virum Mariæ recte intelligimus, ſine commixtione carnis, ipſa copulatione coniugij: & ob hoc etiam Chriſti patrem multo coniunctius, qui ex eius coniuge natus ſit, quam ſi ei eſſet aliunde adoptatus? His verbis indicat Auguſtinus, rationibus quatuor aliquem dici patrem: videlicet ob carnalem generationem aut veram; aut ab omnibus fere exiſtimatam; tertio propter coniugium; denique per adoptionem: Ioſephum autem, Chriſti patrem vocari ratione coniugij, quia matris vere maritus erat: & quia verus genitor eius putabatur ab omnibus, exceptis ijs, quibus Spiritus ſanctus myſterium incarnationis reuelauerat: parentem quoque appellari quempiam ijſdem ex cauſis, ac etiam ratione conſanguinitatis.

Pater aliquis dicatur. — Ioſeph cur pater Chriſti vocetur. — Parentes quinā ſint.

Orige. — Chriſti pater cur Ioſeph dicatur.

Origen. hom. 16. in Luc: Pater appellatus eſt Ioſeph, quia nutritius. Et hom. 17. in Luc: Quæ igitur cauſa extitit, vt eum, qui pater non fuit, patrem eſſe memoraret? Qui ſimplici expoſitione contentus eſt, dicet: honorauit eum Spiritus ſanctus patris vocabulo, quia nutrierat Saluatorem. Qui autem altius aliquid inquirit, poteſt dicere; quoniam generationis ordo à Dauid ad Ioſeph vſque deducitur, ne videretur Ioſeph fruſtra nominari, quia pater non fuerat Saluatoris, vt generationis ordo haberet locum, pater appellatus eſt Domini.

Ver. 12.

Hier. — Quomodo in ruinam, & reſurrectionem Chriſtus ſit poſitus. 2 ſenſ.

HIERON. epiſt. 46. ad Ruſticum cap. 4: In ruinam, videlicet peccatorum; & in reſurrectionem, eorum, qui agunt pœnitentiam.

Naz.

Naz. orat. 18: Ad ruinam quidem incredulis; ad reſurrectionem vero credentibus.

Amb.

Amb. in Pſal. 36: Chriſtus in ruinam venit, & in reſurrectionem: vt ruina ſit perfidorum; iuſtorum autem, & fidelium reſurrectio. Et lib. 2. in Luc: Vides vberem in omnes, &c. vt lect. 7. Dom. infra oct. Natiu.

Fulgē.

Fulg. lib. 1. ad Traſim. cap. 4: Paulo poſt, hoc de ipſo teſtatur; ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum. Ibi ergo male credentibus ruinam perfidia generat, vbi recta credulitas fideles exaltat.

Paul. 2 ſenſ.

Paulin. epiſt. 8. ad Sener: Vtinam compleatur in me verbum illud Euangelici Simeonis; vt fiat mihi Chriſtus in ruinam, & reſurrectionem. Ruina exteriori meo; & interiori reſurrectio: vt cadat in me peccatum, quod, anima cadente, conſiſtit; & exurgat ille immortalis, qui cecidit, exurgente peccato. Exterioris enim ſtatus, interioris caſus eſt. Et ideo quando infirmatur exterior, qui intus eſt renouatur de die in diem. Quo genere perfectus magiſter ait: (2 Cor. 12.) quando infirmor, tunc potens ſum.

Tit.

Tit. Luc. 2: Quod Dominus in ruinam, & reſur-

reſurrectionem multorum poſitus dicitur, id non ita accipiendum eſt, quaſi alijs auctor ſit, vt cadant; alijs neceſſaria cauſa, vt reſurgant. Nulli enim ruinæ cauſam offert: nec vllum rurſus, vt exurgat, compellit. Quicumque enim cadunt, à gradu vtique, vel ordine, in quo ante conſiſtebant, decidunt: pagani autem humi perpetuo reptantes, nunquam cõſtiterunt. Rectius proinde dicitur, per Chriſti aduentum effectum, vt is, qui ante in peccato immotus perſtabat, peccato per pœnitentiam cadat, ipſique moriatur: quo iuſtitiæ deinceps viuat, perque fidem in Chriſtum conſurgat. Vt enim meliora exurgant, peiora ruant oportet. Niſi enim ſcortatio, & impudicitia cadant, pudicitia, & caſtitas, nunquam exurgent. Sic quoq; niſi beluinus ſenſus ruat, rationis vis, quæ in nobis eſt, non facile ſurget. Hoc igitur ſenſu in ruinam, & reſurrectionem multorum poſitus intelligatur.

Chriſtus non eſt cauſa ruinæ. Qui cadunt, à gradu cadunt. Vt ſurgat virtus, peccatum cadat oportet.

Theop. — Theophylact. Luc. 2: Ruinam quidem dicit (1 ſenſ.) eorum, qui non crediderunt: reſurrectionem autem eorum, qui crediderunt. Vel etiam aliter; (2 ſenſ.) In ruinam poſitus eſt Dominus malorum, quæ in animabus noſtris: in reſurrectionem vero bonorum. Cadit fornicatio, ſurgit continentia. Vel aliter quoque intelligi poteſt: (3 ſenſ.) poſitus eſt enim Dominus in ruinam, hoc eſt, ipſe paſſurus eſt, & caſurus eſt in mortem: & cum ceciderit ipſe, reſurgent multi. Punctum autem pone cum dixeris, in ruinam. Deinde incipe, & reſurrectionem multorum. Signum autẽ crux, (Signũ contradictionis.) cui vſque in hoc tempus contradicitur, hoc eſt, non recipitur ab incredulis. Dicitur & incarnatio ſignum, & mirabile ſignum. Deus enim homo fuit; & virgo mater. Huic autem ſigno, incarnationi, inquam, contradicitur. Quidam enim dicunt carnem ex homine, quidam vero apparenter, quidam autem aliud quidam nugantur.

Tit. — Titus Luc. 2: Sacris literis edocti, per ſignum, ſalutarem, viuificamque crucem accipimus: Moyſes enim, vt tradunt illæ, fecit ſerpentem (Num. 21.) æneum, & poſuit eum in ſigno, hoc eſt, in cruce. Quia ergo non deſunt vnquam, qui de Chriſti Domini noſtri incarnatione verboſe digladientur, eãdemque varie oppugnent (alij namque Dei verbum corpus ſumpſiſſe; alij abſque vlla corporea concretione ad nos deſcendiſſe aiunt: alij rurſum corpus, quo indutus erat, vere patibile extitiſſe; alij externa tantum corporis ſpecie œconomiæ opus expleuiſſe definiunt: alij item terrenum; alij cœleſte corpus habuiſſe aſſerunt: alij tandem ab æterno extitiſſe; alij ab immaculata virgine Maria primam originem traxiſſe contendunt) merito Chriſtus Dominus in ſignum, cui contradicitur, poſitus perhibetur.

Ver. 13.

Sophro. — SOPHRON. apud Hieron. tom. 9. epiſt. 10: Recte igitur beata Dei genitrix, & martyr, & virgo fuit; quamuis in pace vitam finierit. Hinc quoque quod vere paſſa ſit, teſtatur Simeõ propheta, loquens ad eam: Et tuam, inquit, ipſius animam pertranſibit gladius. Ex quo conſtat quod ſupra martyrem fuerit. Alij namque ſancti, etſi paſſi ſunt pro Chriſto in carne, tamen in anima, quia immortalis eſt, pati non potuerunt. Beata vero Dei genitrix, quia in ea parte paſſa eſt, quæ impaſſibilis habetur: ideo, vt ita fatear, quia ſpiritualiter, & atrocius paſſa eſt gladio paſſionis Chriſti, plus quam martyr fuit. Vnde conſtat, quia plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit, in tantum vt animam eius totam pertranſiret, & poſſideret vis doloris, ad teſtimonium eximiæ dilectionis. Quæ quia mente paſſa eſt, plus quam martyr fuit. Nimirum & (Can. 8.) eius dilectio amplius fortis, quam mors fuit: quia mortem Chriſti ſuam fecit.

Amb. — Amb. lib. 2. in Luc: Nec littera, nec hiſtoria, &c. vt lect. 8. Dom. infra octa. Nat.

Bern. — Bern. ſer. 29. in Cant: Eſt etiam ſagitta electa amor Chriſti, quæ Mariæ animam non modo confixit; ſed etiam pertranſiuit, vt nullam in (Amor eſt gladius, pertranſiuit dupliciter.) pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret, ſed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & eſſet gratia plena, aut certe pertranſiuit eam, vt veniret vſque ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus, & fieret mater charitatis, cuius pater eſt charitas Deus. Et illa quidem in tota ſe grande, & ſuaue amoris vulnus accepit: Ego vero me felicem putauerim, ſi ſumma ſaltem quaſi cuſpide huius gladij pungi interdum me ſenſero: vt vel modico accepto amoris vulnere, dicat etiam anima mea: vulnerata charitate ego ſum.

Aug. — Aug. ep. 59. ad 9. quæſt. Paulini: De verbis Simeonis, vbi ait virgini matri Domini: Et tuam ipſius animam pertranſibit framea; in alia epiſtola, cuius exemplum etiam modo miſi, dixi quid mihi videatur, quod etiam tibi inter cætera viſum eſt. Tribulationem igitur, gladij nomine ſignificatam eſſe, credibile eſt, quo materna anima vulnerata eſt doloris affectu. Ipſe fuit gladius in ore perſecutorum, de quibus in Pſalmo dicitur: Et gladius in ore eorum. Ipſi (Pſal. 58.) enim erant filij hominum, quorum dentes arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Nam & ferrum, quod pertranſijt animam Ioſeph, pro dura tribulatione poſitum mihi videtur. Aperte quippe dicitur: Ferrum pertranſijt (Pſal. 56.) animam eius, donec veniret verbum eius; id eſt, tam diu fuit in dura tribulatione, donec fieret quod prædixit.

Tho. — Thom. par. 3. quæſt. 27. ar. 4. ad 2: Illud verbum Simeonis, Origenes hom. 17. in Luc. & quidam alij doctores, exponunt de dolore, quem paſſa eſt in Chriſti paſſione. Ambroſius autem per gladium dicit ſignificari prudentiam Marię, non ignaram myſterij cœleſtis: viuum eſt enim verbum Dei, & validum, & acutius omni gladio acutiſſimo. Quidam vero per gladiũ, dubitationem intelligunt. Quæ tamen non eſt intelligenda dubitatio infidelitatis, ſed admirationis, & diſcuſſionis. Dicit enim Baſilius in epiſtola ad Optimum, quod beata virgo aſſiſtens cruci, & aſpi-

aſpiciens ſingula, poſt teſtimonium Gabrielis, poſt ineffabilem diuinę conceptionis notitiam, poſt ingentem miraculorum oſtenſionem, animo fluctuabat: ex vna ſcilicet parte videns eum pati abiecta; & ex alia parte conſiderans eius mirifica.

Orige. Origen. hom. 17. in Luc: Nulla docet hiſtoria, beatam Mariam ex hac vita gladij occiſione migraſſe, præſertim cum non anima, ſed corpus ſoleat ferro interfici. Vnde rėſtat intelligi gladium illum, de quo dicitur: Et gladius eſt in Pſal. 63 labijs eorum, hoc eſt, dolorem Dominicæ paſſionis, eius animam pertranſijſſe. Quæ etſi Chriſtum, vtpote Dei filium, ſponte propria mori, mortemque ipſam non dubitaret eſſe deuicturum; ex ſua tamen carne procreatum, non ſine doloris affectu, videre potuit crucifigi. Nam & ferrum, quod animam Ioſeph pertranſiſſe canitur, nullum melius, quam dura tribulatio mentis intelligitur. Pſal. 104. Gladius doloris.

Aug. Aug. ep. 59. ſub finem: Et quod adiunxit; vt denudentur multorum cordium cogitationes; hoc intelligendum puto, quia per Domini paſſionem, & inſidiæ Iudæorum, & diſcipulorum infirmitas patuit.

Orig. Origen. hom. 17. in Luc: Cogitationes erant malæ in hominibus, quæ propterea reuelatæ ſunt, vt prolatæ in medium perderentur, & interfectæ, atque emortuæ eſſe deſinerent, & occideret eas ille, qui pro nobis mortuus eſt. Quamdiu enim abſconditæ erant cogitationes, nec prolatæ in medium, impoſſibile erat eas penitus interfici. Vnde & nos ſi peccauerimus, debemus dicere: Peccatum meum notum tibi feci, & iniquitatem meam non abſcondi. Dixi: Annunciabo iniuſtitiam meam Domino. Si enim hoc fecerimus, & reuelauerimus peccata noſtra, non ſolum Deo, ſed & his, qui poſſunt mederi vulneribus noſtris, atque peccatis, delebuntur peccata noſtra ab eo, qui ait: Ecce delebo vt nubem iniquitates tuas, & ſicut caliginem peccata tua. Confitẽda peccata. Eſa. 44.

Eucher. Eucher. Lugdun. hom. Dom. infra octa. Nat: Gladius vtique ſpiritus, qui eſt verbum Dei: vt tibi ex multis cordibus reuelentur cogitationes; quas nemo niſi Spiritu ſancto reuelante cognoſcere poteſt. Vt enim de alijs taceamus ipſas filij ſui cogitationes eam cognouiſſe ex eo intelligere poſſumus, quod ad nuptias vocata, hoc quod ille facere diſponebat, ipſa vt faceret admonebat, dicens: Vinum non habent. Cui cum ille reſponderet: Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea: ipſa gladio ſpiritus per eam tranſeunte futura prænoſcens, ait miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Hoc enim illa non dixiſſet, ſi cogitationes eius non cognouiſſet. Tale igitur hoc fuit, ac ſi beatæ Mariæ virgini dixiſſet Simeon: Ecce dixi tibi, quæ mihi de filio tuo reuelata fuerant, non à meipſo locutus ſum. Spiritus enim me docuit, gladius ipſius per me tranſiuit, & mea viſcera penetrauit, qui per te quoque tranſiturus eſt: vt legis, & Prophetarum conſilia, & occulta myſteria te cognoſcere faciat. Poſſumus autem, & per hunc gladium, quo non corpus, ſed anima vulneratur, immenſum illum dolorem intelligere, quo virgo beatiſſima de morte vnigeniti filij ſui vulnerata, & percuſſa eſt. Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Chriſti namque paſſio multorum cordium cogitationes, & ſecreta myſteria reuelauit. Quoniam Prophetarum dicta, cogitationes, & ſcripta ibi reuelata, & conſummata ſunt. Quis enim, niſi Chriſtus paſſus eſſet, intelligere poſſet, quid propheta cogitaſſet, cum diceret: Foderunt manus Pſal. 21. meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia oſſa mea? Itemque: Ego dormiui, & ſomnum cœpi, & reſurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me. Pſal. 3. Sunt autem & alia multa nobis quidem reuelata, quæ ideo Iudæi intelligere non poſſunt, quia ſuper Chriſto dicta non credunt. Vnde in Apocalypſi, cum beatus Ioannes omnium Prophetarum librum ſignatum vidiſſet, Apoc 5. multumque fleret, quod nemo eum aperire potuiſſet, dictum eſt ei: Noli flere: ecce, vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librũ, & ſoluere ſeptem ſignacula eius. Qua in re manifeſtum eſt, omnium Prophetarum cogitationes, & occulta myſteria Chriſti paſſione reuelata eſſe. Et hoc quidem velum templi ſignificauit, quod eo moriente ſciſſum eſt, vt omnibus apparerent Sancta Sanctorum.

Not. 10. ver. 14.

Amb. Amb. lib. 2. in Luc: Prophetauit itaque Simeon, &c. vt lect. 9. Dom. infra octa. Nat. Ab vtroque ſexu teſtimonium habere voluit, qui vtrumque ſexum ſaluaturus venerat. Huius Annæ pater de tribu Aſer patriarchæ fuit.

Origa. Origen. hom. 17. in Luc: Poſt Simeonis prophetiam, quia neceſſe erat vt mulieres etiam ſaluarentur, venit Propheti ſſa mulier. Quam pulcher ordo, non venit ante virum mulier: ſed prius venit Simeon, qui apprehendit infantem, & tenuit in brachijs ſuis: deinde mulier.

Euchea. Eucher. Lugdun. hom: Hæc igitur mulier venerabilis, cuius nobilitas extollitur, continentia laudatur, ætas commendatur, religio prædicatur, idonea valde, & digna erat, quæ Dei filio teſtimonium perhiberet. Tales enim non minus quam viri, in teſtimonium ſuſcipiuntur.

Ver. 15. 16.

Orige. ORIGEN. hom. 17. in Luc: Et iuſte ſancta mulier ſpiritum prophetandi meruit accipere, quia longa caſtitate, longiſque ieiunijs ad hoc culmen aſcenderat. Videte mulieres teſtimonium Annæ, & imitamini illud, ſi quando vobis euenerit, vt perdatis viros: conſiderate quid de ea ſcriptum ſit: ſeptem annis vixit, &c. propterea prophetes fuit. Neque enim vtilibet, & fortuito Spiritus ſanctus habitauit in ea. Bonum eſt, & primum, ſi qua poteſt virginitatis gratiam

[..]riam poſſidere. Si autem hoc non potuerit, ſed euenerit ei, vt perdat virum, vidua perſeueret. Quod quidem non ſolum poſt mortem viri, ſed etiam dum viuit ille, debet habere in animo, vt etiam ſi non euenerit, voluntas ipſius, & propoſitum à Deo coronetur: & dicat; Votum caſtitatis. Hoc voueo, atque promitto, ſi mihi humanum aliquid (quod non opto) contigerit, nihil aliud faciam, quam incontaminata, & vidua perſeuerem.

Bed. Bed. Luc. 2: Iuxta hiſtoriam deuotæ conuerſationis, & venerandæ pariter ætatis, dignaque per omnia, quæ Domino incarnato teſtimonium ferret, Anna fuiſſe docetur. Iuxta intellectum vero myſticum, quia Eccleſiam ſignificat, quæ in præſenti quaſi ſponſi, Dominique ſui eſt morte viduata; numerus etiam annorum viduitatis eius, tempus Eccleſiæ deſignat, quo in corpore conſtituta, peregrinatur à Domino, magnæque deuotionis affectu cœleſtis templi limina ſeruans, quotidianum illum Domini præſtolatur aduentum, de quo dicit: Veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Septies quippe duodeni, Octoginta quatuor. octoginta quatuor faciunt. Et ſeptem quidem ad huius ſeculi curſum, qui diebus ſeptem voluitur: duodecim vero ad perfectionem doctrinæ Apoſtolicæ pertinent. Ideoque ſiue vniuerſalis Eccleſia, ſiue quælibet anima fidelis, quæ totum vitæ ſuæ tempus Apoſtolicis mancipare curat inſtitutis, quaſi ſeptem per duodecim multiplicare, & typis octoginta quatuor annis Domino ſeruire laudatur. Sicut etiam tempus ſeptem annorum, quo cum viro ſuo manſerat, Dominicæ incarnationis tempori decentiſſime congruit. Septenario namque, vt dixi, numero, perfecto ſolet temporis indicari. Sed ibi propter Dominicæ priuilegium maieſtatis, quo in carne verſatus docuit, ſimplex ſeptem annorum numerus eſt expreſſus. Hic ob Apoſtolicæ culmen dignitatis, ſeptem anni per duodecim multiplicantur. Arridet autem Eccleſiæ myſterijs, quod Anna & gratia eius interpretatur, & filia eſt Phanuel, qui facies Dei dicitur, cum Pſalmographo decantans: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine; & de tribu Aſer, hoc eſt, beati, deſcendit: qui inter Patriarchas duodecim, ordine naſcendi eſt octauus. De quo numero, quia nouo teſtamento ſit ſacer, crebrius eſt inculcatum.

Cypr. Cypr. lib. de oratione Dominica cap. 15: Qui autem in Chriſto, hoc eſt, in lumine, ſemper ſumus, nec noctibus ab oratione ceſſemus. Quibus Deum promereamur Luc. 2. Sic Anna vidua ſine intermiſſione rogans ſemper, & vigilans perſeuerabat in promerendo Deo, ſicut in Euangelio ſcriptum eſt: Non recedebat, inquit, de templo, ieiunijs, & orationibus ſeruiens nocte, ac die. Et epiſt. 8: Admoneo tamen etiam ipſe religioſam ſollicitudinem veſtram, Quibus Deum exoremus & placemus. vt ad placandum, atq; exorandum Dominum nō voce ſola; ſed & ieiunijs, & lacrymis, & omni genere deprecationis ingemiſcamus. Et epiſt. 57. ad Cornelium Papam: Hortamur plane quantum poſſumus, frater chariſſime, pro charitate mutua, qua nobis inuicem cohæremus; vt quoniam prouidentia Domini monentis inſtruimur, & diuinæ miſericordiæ conſilijs ſalubribus admonemur, appropinquare iam certaminis, & agonis noſtri diem, ieiunijs, vigilijs, orationibus inſiſtere cum omni plebe non deſinamus: incumbamus gemitibus aſſiduis, & deprecationibus crebris. Hæc ſunt enim nobis arma cœleſtia, quæ ſtare, & perſeuerare fortiter faciunt. Hæc ſunt munimenta ſpiritalia, & tela diuina, quæ protegunt.

Chryſoſt. hom. 42. ad Antioch: Tandem excitemur quandoque, vt & animæ multam gerentes curam, & virtutem arripientes, æterna conſequi bona poſſimus. Namque non propter hoc eſt facta & nox, vt ſemper dormiamus, & ceſſemus. Et hoc teſtantur manuales operarij, agaſones, mercatores, Dei Eccleſia medijs conſurgens noctibus: ſurge & tu. Vide ſtellarum choream, altum ſilentium, multam quietem, Dominique tui diſpenſationem admirare. Anima tunc eſt purior, leuior, & ſubtilior, magis ſublimis, & agilis. Ipſę tenebræ, multumque ſilentium ad compunctionem inducere poſſunt. Si vero cœlum reſpexeris, ſideribus tanquam innumeris quibuſdam oculis diſtinctum, ſi cogitaueris quod interdiu clamantes, ridentes, laſciuientes, ſalientes, inferentes iniuriam, opprimentes, minantes, intentantes innumera mala, nunc hi nihil à mortuis differunt, omnem humanam damnabis inſolentiam. Subrepſit ſomnus, & naturam redarguit, mortis eſt imago. Si proſpexeris in vicum, nec vnam quidem audies vocem. Si domum reſpexeris, omnes tanquam in ſepulchro videbis iacentes. Hæc omnia poſſunt animam excitare, & in conſummationis cogitationem inducere. Hic mihi ſermo & ad viros, & ad mulieres. Flecte genua, geme, Dominum tuum ora tibi fieri propitium. Plus nocturnis placatur orationibus, cum quietis tempus tu luctuum tempus facis. Regis memento, qualia verba dicebat: Labo- Pſal. 6. raui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Quantumcumque ſis delicatus, non es illo delicatior: quantumcumque ſis diues, non es ditior Dauide, qui rurſum dicebat: Media Pſal. 118. nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ. Tunc inanis gloria interrumpit. Qualiter enim omnibus dormientibus, non cernentibus? Tunc torpor, & oſcitatio non premit. Nam quomodo, cum anima tot rebus excitetur? Poſt tales pernoctationes ſomni ſuaues, & miræ reuelationes. Hoc fac tu quoque vir, nedum mulier. Eccleſia ſit domus ex viris, & mulieribus conſtituta: non enim quod tu ſolus ſis vir, neque quod hæc ſola ſit mulier, obſtaculum eſſe putes. Ait enim: Vbi Matt. 18. ſunt duo in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum. Vbi Chriſtus eſt medius, ibi magna multitudo. Vbi Chriſtus, ibi neceſſarium eſt & Angelos eſſe, neceſſarium & Archangelos, & alias virtutes. Non igitur eſtis ſoli, omnium habentes Dominum. Et rurſus audi Prophetam,

[Chryſoſt. / Nocte orandum. — right margin notes]

Eccli 16. phetam, dicentem: Melior vnus faciens voluntatem Domini, quam decem millia iniquorum. Nihil imbecillius multis peccatoribus: nihil vno ſecundum Dei legem viuente fortius. Si tibi ſint & filij, per omnes in nocte fiat Eccleſia. Si vero molles ſint, vigiliam non ferent; vſque ad vnam orationem, vel alteram excita, & colloca. Tantum excitare, tantum in conſuetudine temetipſum inſtitue. Nihil illo melius penu tales orationes ſuſcipiente. Audi Prophetam dicentem: Pſal. 62. Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te. At, inquies, laboraui per diem multum, & non poſſum. Prætextus, & occaſio ſunt iſta. Nam quantumcumque laboraueris, non laborabis quantum ærarius malleum tam grauem, ex tanta demittens altitudine, ſcintillas, & fumum toto ſuſcipiens corpore; & tamen maiorem noctis partem in hoc abſumit. Scitis & mulieres, ſi quando vobis in agrum ire fuit neceſſe, vel ad pernoctationem procedere, quomodo per totam noctem vigilantes? Igitur & tibi ſit æraria ſpiritualis, non vt ollas facias, aut lebetes; ſed vt tuam perficias animam, quod & ærario, & aurifice multo melius eſt. Factam peccatis vetuſtam, age in fornacem confeſſionis, ex multa altitudine malleum infer, hoc eſt, verborum damnationem; ſpiritus ignem accende; multo maiorem habes artem. Non aurea vaſa componis, ſed animam omni auro precioſiorem, ſicut vas conflat ærarius. Non corporale vas aliquod conflas; ſed animam ab omni liberas ſeculari vanitate. Apponatur tibi lucerna, non iſta, quæ ardet; ait enim. Pſal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Accende per orationem animam. Si ſe bene videris habentem, educ eam in quacunque velis forma. Crede mihi, non ita rubiginem ignis excoquere ſolet, ſicut oratio nocturna noſtrorum rubiginem peccatorum. Reuereamur, ſi nihil aliud, nocturnos cuſtodes. Illi propter humanam legem in gelu circumeunt vehementer clamantes, & per vicos ambulantes, madidi frequentes, glaciati propter te, tuamque ſalutem, & tuarum pecuniarum cuſtodiam. Ille vero pro pecunijs tuis tantam gerit curam; tu neque pro anima tua? Et te quidem ipſe ſub dio circumire non cogo, ſicut ille: neque vociferari, & diſrumpi; ſed in ipſa permanens cella, in ipſo cubiculo flecte genua, Dominum ora. Luc. 6. Quare Chriſtus ipſe in monte pernoctabat? nõne vt nobis norma fieret? Tunc plantæ reſpirant, in nocte dico, tunc & anima maxime rorem & plus illis ſuſcipit. Quæ per diem ſol exuſſit, hæc nocte refrigerantur. Omni rore magis noctis lachrymæ contra concupiſcentias, & aduerſus omnem ardorem, & æſtum demittuntur, nec aliquid tale pati permittunt.

Eut. Euthym. Luc. 2: Ob hoc enim prophetica etiam gratia dotata fuit, quia non diſcedebat de templo, ieiunijs, & obſecrationibus Deo ſeruiens, nocte, ac die.

Ver. 17.

Fulg. FVLGENT. ep. 2. cap. 15: Iſtæ duæ viduæ (Iudith, & Anna) licet tempore fuerint diuerſo, vnius tamen fidei ſeruierunt ambe myſterio: quia Chriſtum, quem Anna cognouit in carne natum, ipſum Iudith nouerat naſciturum. Quam Iudith, & Annæ comparatio. vero multum Deus in vtraque vidua continentiam ſibi placitam demonſtrauit. Nam Iudith ſpiritalibus armis accincta, caput laſciui prædonis abſcidit: Anna vero ipſum caput Eccleſiæ, Spiritu ſancto repleta, cognouit. Datus eſt Iudith Holofernis interitus: Annæ reuelatus eſt Saluatoris aduentus. Illi Deus dedit à populo repellere peſtilentiam: huic tribuit humani generis agnoſcere medicinam. Et quia ſanctimoniam Viduæ ſunt virginibus inferiores. virginalem vidualis continentia, gradu inferiore ſubſequitur: idcirco poſtquam de virgine natus eſt filius Dei, vidualis linguæ dignatus eſt officio prædicari. Nec tamen de illo locuta eſt vidua, delitijs dedita, quæ viuens mortua eſt; A quali vidua Chriſtus laudari voluit. ſed quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte, ac die.

Tit. Tit. Boſtr. Luc. 2: Anna hæc, quæ tam illuſtri Euangeliſtæ teſtimonio commendatur, mundi, Cur, & quo modo Anna Domino confitebatur. Iſraeliſque ſalutem pro foribus iam adeſſe cernens, confitebatur Domino, hoc eſt, gratias illi ex animo agebat. Quid loquebatur? hic, in- Oratio Annæ de Chriſto. quiebat, eſt mundi Redemptor, hic hominum eſt Seruator, hic ille eſt, qui noſtram mœſtitiam, animique deiectionem, in gaudium, & lætitiam conuertet. Habent idem Theophylact. & Euthym. Luc. 2.

Orig. Orige. hom. 17. in Luc: Huius quidem non ſunt verba digeſta, ſed generaliter dictum eſt, quod confeſſa ſit Domino, & locuta de eo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.

Aug. Confeſſio laudantis, & gementis. Aug. in Pſal. 94: Confeſſio quidem duobus modis accipitur in ſcripturis. Eſt confeſſio laudantis, & eſt confeſſio gementis. Confeſſio laudantis ad honorem pertinet eius, qui laudatur. Confeſſio gementis, ad pœnitentiam pertinet eius, qui confitetur. Confitentur enim homines cum laudant Deum: confitentur cum accuſant ſe. Et nihil dignius facit lingua. Confiteamur itaque laudantes. Nam ſi ſemper confeſſio pœnitentis eſſet, non diceretur in Euangelio de ipſo Domino: In illa hora exultauit Ieſus in Spiritu ſancto, & ait: Confiteor tibi Pater, Matt. 11. Luc. 10. Domine cœli, & terræ. Nunquid quia confitebatur, pœnitens erat? Illum nihil pœnitere poterat: quia nihil culpabiliter fecerat: ſed confitebatur in laude patris. Et in Pſal. 137: Aug. Confeſſio duplex, laudis, & peccatorũ. Prius commemoro vobis confeſſionem in ſcripturis, cum confitemur Deo, duobus modis dici ſolere, vel peccatorum, vel laudis. Sed confeſſionem peccatorum omnes nouerunt; laudis autem confeſſionem pauci aduertunt. Nam ita nota eſt confeſſio peccatorum, vt in quocunque ſcripturarum loco auditum fuerit: Confitebor tibi Domine: aut; Confitebimur tibi; continuo iam conſuetudo ſit intelligendi, vt manus currant ad pectus tundendum; vſque adeo non ſolent homines intelligere confeſſionem niſi peccatorum. Sed nunquid & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus peccator fuit, qui ait in Euangelio: Confiteor tibi Domine, Pater cœli, & Matt. 11.

terer? Sequutus enim ait quid confiteretur, vt intelligeremus confeſſionem laudis eius, non iniquitatis. Confiteor tibi,inquit,Pater,Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Laudauit Patrem,laudauit Deum,quia non deſpicit humiles, ſed deſpicit ſuperbos. Et in Pſal. 29. enar. 2. Confeſſio gemina eſt, aut peccati, aut laudis. Quando nobis male eſt, in tribulationibus confiteamur peccata noſtra:quando nobis bene eſt,in exultatione iuſtitiæ confiteamur laude Deo, ſine confeſſione non ſimus.

Ver. 18.

Euth. E V T H Y M. Luc. 2: Omnia, quæ erant circa pueri præſentationem, ac circa hoſtias de quibus iubebat lex.

Aug. Quod hoc verſu continetur,ponit etiam Auguſtinus lib. 2. de conſen. cap. 5. ante fugam in Ægyptum: quoniam ante contigit. Hic autem melius,quàm initio capitis duodecimi,propter eiuſdem Euangeliſtæ contextum,id refertur.

C A P. 12. I E S V *ducto in Ægyptum, occiduntur innocentes.*

Matthæi 2.[1] *In feſto ſanctorum Innocentium.*	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*
13 ECce, ✠ Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum; & eſto ibi,vſque dum dicam tibi.			
2 Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum, ad perdendum eum.			
3 Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & receſſit in Ægyptum: & erat ibi, vſque ad obitum Herodis.			
4 Vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino, per Prophetam,dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum.			
5 Tunc Herodes videns,quoniam illuſus eſſet à Magis,iratus eſt valde.			
6 Et mittens occidit omnes pueros,qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infra: ſecundum tempus,quod exquiſierat à Magis.			
7 Tunc impletum eſt,quod dictum eſt, per Ieremiam Prophetam,dicentem: Vox in Rama audita eſt,ploratus,& vlulatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt. ✠			

Notatio 1.

De fuga in Ægyptum, & nece infantium, ſicut de reditu ex Ægypto,Lucas tacet. Porro, quæ de Angelo,& fuga hîc dicuntur,non ſtatim à receſſu Magorum acciderunt; ſed poſt, euoluto aliquanto tempore. Interim ſiquidem expleti ſunt dies purificationis Mariæ,& Chriſtus oblatus eſt in templo. Sic Auguſtinus lib. 2. de Aug. conſ. cap. 5. Quando autem, & vbi hæc apparitio contigerit, & vnde Ioſeph cum puero, & eius matre,in Ægyptum fugerit; ſequentis capitis notatione 5. dicitur.

Eucher. Lugdu. hom. Dom. infra octa. Natiuitatis. Multa hoc in loco ſcribit Matthæus Euangeliſta, quæ Lucas prætermiſit: ſicut è contra omnia hæc, quæ hucuſque Lucas narrauit,prætermiſit Matthæus. Admonitus enim in ſomnis Ioſeph, vt Matthæus ait, ſeceſſit cum puero in Ægyptum, & erat ibi vſque ad obitum Herodis. Defuncto autem Herode, rediit in Galilæam, &, ſicut ſcribitur, habitauit in ciuitate Nazareth.

Orig. Origenes hom. 17. in Luc: Prætermiſit hoc loco Lucas, quæ à Matthæo ſatis expoſita nouerat: Dominum videlicet poſthæc, ne ab Herode necandus inueniretur, in Ægyptum à parentibus eſſe delatum: defunctoque Herode, ſic demum Galilæam reuerſum, Nazareth ciuitatem ſuam inhabitare cœpiſſe.Solent enim Euangeliſtæ ſinguli ſic omittere quædam,quæ vel ab alijs cōmemorata viderint, vel ab alijs commemoranda in ſpiritu præuiderint,vt continua narrationis ſerie , quaſi nulla prætermiſiſſe videantur: quæ tamen, alterius Euangeliſtæ conſiderata ſcriptura, quo loco tranſilita fuerint, diligens lector inueniat. Ordinis ratio.

Eucher. Eucher.ho.de Innocentib: Dubitari quidem poteſt,quomodo completis diebus purificationis, in Hieruſalem Chriſtus in templo offerri potuit, ſi ſtatim vt Magi receſſerunt, in Ægyptum fugiens abijt,aut fortaſſe tam diu Magi in Bethleem morati ſunt, donec ſimul cum puero, & matre eius Ioſeph de Hieruſalem poſt purificationem reuerteretur. Sed melius mihi videtur eſſe, vt ſic dicatur: Qui cum receſſiſſent, Diſpoſitionis ratio. aliquanto poſt tempore euoluto, & omnibus, quæ ſecundum legem debebantur,expletis, ecce Ange-

 ce Ange-

ce Angelus Domini apparuit, &c.

Not. 2. ver. 1.

Eucher. EVCHER. hom. de Innocent: In Ægyptum fugere iubentur, vbi Abraham, & Iacob, & filij Iſrael peregrinati ſunt. Hoc enim Propheta

Eſa. 19. prædixerat, dicens: Ecce, Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.

Nubes leuis Maria. Nubes enim leuis, & nullius corruptionis ponderę grauis, eſt virgo Maria, quæ in Ægyptum Chriſtum portauit: vt lux in tenebris luceret: & populus, qui ſedebat in tenebris, lucem magnam videret.

Chryſol. Chryſol. ſerm. 150: Dauid perſequente Saul ad Iudæam confugit, recepit vicinia, domus vnius viduæ Eliæ ſufficit ad latebras: Chriſto fugienti locus deeſt, prouincia deficit, non ſubuenit patria. Dum migrat, non vicinæ gentes, non finitimæ ſufficiunt regiones: ſed Ægypti triſtem locum, extorrem habitu, lingua, moribus barbarum procuratur exilium. Si rerum refugium fugit, auxilium lateſcit omnium. Si formidat fortitudo cunctorum, ſi ſe vniuerſorum defenſio non defenſat, quare humana notatur fuga, arguitur trepidatio, formido culpatur?

Matt. 26 Mar. 14. Quare vocatur in crimen Petrus qui negat, Ioannes qui expaueſcit & fugit: diſcipuli omnes quia deſerunt per pauorem? Et iſta fratres, eſto facta ſint, quare litteris mandantur, quare referuntur in libris, quare recitantur ſæculis, quare quotidianis lectionibus innoteſcunt, quare omnes panduntur in gentes, nunquid vt diuinum timorem lingua, locus, ætas, tempus vniuerſa cognoſcant? Sicut enim cum virtutes leguntur animos erigunt ad profectum: ita deponunt animos cum recitantur infirma. Quid ſibi vult ergo Euangeliſta quod hæc ſcribit ad memoriam æternam? Deuoti militis eſt Regis ſui tacere fugam, referre conſtantiam, virtutes loqui, timores ſilere: aperire fortia, infirma reticere: aduerſa delere, prędicare victorias, quo & hoſtium frangere auſus poſſit, & ſociorum excitare virtutem, Euangeliſta igitur referendo talia, videtur excitaſſe hæreticorum latratus, & defenſionem fidelibus ſuſtuliſſe. Tolle, ait, puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum. Mandatur fuga non profectio: imponitur neceſſitas non voluntas: inducit Angelus latentem peregrinationem, non liberum commeatum, vt via quæ eſt per ſe moleſta ſemper, eſſet moleſtior per timorem. Ergo ob quam cauſam hæc nobis ſcripta ſint iam tempus eſt vt quæramus. Tolle puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum. Bellicoſus quod in bello fugit artis eſt non timoris. Deus quando fugit hominem ſacramenti eſt, non pauoris: potens quando ſe ſubducit infirmo, inſequentem non pauet, ſed foris producit: Vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoſte victoriam: occultum ſe non patitur inire conflictum, qui mandare ſuum ſæculis vult triumphum. Secreta victoria virtuſque latens exemplum poſteris non relinquunt. Hinc eſt, quod Chriſtus fugit vt cedat tempori non Herodi: neque enim mortem fugit qui venerat de hoſte reportare victoriam, neq; humanas inſidias expaueſcit, qui totas venerat diabolicæ fraudis aperire verſutias: neque tunc timuit quando infans & ſecundum hominem timere neſciuit, & ſecūdum Deum potuit non timere. Chriſtus fratres ſi mactatus in illo grege lactentium fuiſſet tunc, mors ei caſus fuerat, non voluntas: non virtus fuerat, ſed infirmitas: neceſſitas fuerat non poteſtas; & innocentię fuiſſet præmium maieſtatis gloria non fuiſſet, certe vbi eſſet quod à Deo dictum eſt: non coques agnum in lacte matris ſuæ.

Not. 3. ver. 3.

EVCHER. hom. de Innocent: Sunt autem qui etiam ad litteram intelligere velint, vt Chriſto Domino Ægyptum ingreſſo, mox omnia phana, & ſimulachra omnia corruiſſent. Hanc autem Chriſti perſecutionem, & Moyſes in ſe- ipſo ſignificauerat. Multa enim ſunt, in quibus Moyſes Chriſtum ſignificat. Sicut enim Moyſes à Pharaone, ita & Chriſtus ab Herode perſecutionem paſſus eſt: Et ſicut infantes propter Chriſtum in Iudæa occiſi ſunt; ita in Ægypto propter Moyſen in flumine necati ſunt. Narrat autem Ioſephus quendam ſacerdotem, & Magum Ægyptiorum prophetaſſe, quod de Hebræorum gente talis homo naſciturus eſſet, qui totam terram illam perdere debuiſſet. Vnde & Pharaoni conſilium dedit, vt omnes Hebræorum infantes interficeret. Præcepit igitur Pharao, vt Hebræorum maſculos interficerent, & fœminas reſeruarent. Hoc autem ideo faciebat, vt ille vnus, qui quærebatur, vel ſic inter alios occidi potuiſſet. Eadem autem intentio fuit & Herodis, qui quoniam Chriſtum inuenire non poterat, tot milia puerorum interfici iuſſit. Illis autem diebus natus eſt Moyſes, de quo longa hiſtoria ſcribitur, quomodo à parentibus occultatus, quomodo in flumen miſſus, quomodo à filia Pharaonis de aqua ſuſceptus, & in filium adoptatus fuerit: quomodo etiam puella de manibus illius impij ſacerdotis, qui eum occidere conatus fuerat, eum liberauerit, quando, vt prædictus hiſtoriographus narrat, de capite Pharaonis ludens in infantia coronam eiecit. Hæc autem Moyſes ideo fortaſſe prætermiſit; ne ſuum præconium ſcribere videretur. Verum poſtea in Pharaone, & in exercitu eius completum vidit, quod tunc in illis, quæ infans, & inſcius agebat, ſignificabatur.

(Right-hand margin notes for this passage: Eucher. — Typus Chriſti & Moyſes. — Lib. 2. antiq. cap. 9.)

Euſeb. Euſeb. lib. 1. hiſt. cap. 8: Cæterum puer à parentibus, per Angeli viſionem, quid eſſet futurum præſcientibus, in Ægyptum deportatus, inſidias illius Herodis præuertit. Iſta etiam ſacra Euangelij doctrina perſpicue commonſtrat.

Niceph. Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 14: Ioſeph in ſomnis oraculo diuino admonitus eſt, vt citra moram, & cunctationem, matre, & puero receptis, quo

Chriſti exilium in Ægypto. tyranni cædem euitaret, celeriter in Ægyptum profugeret: ibique tam diu moraretur, donec, qui pueri animæ inſidiaretur, ipſe animam exhalaret,

halaret. Et Ioſeph quidem id facit, trienniјque apud Ægyptios exilium tolerat. Nec multo poſt Herodes turpiter vitam finit.

Hier. Hieron. Matt. 2: Quando tollit puerum, &c. vt lect. 7. in feſto Innocentium.

Sophro. Sophron. apud Hieron. to. 9. epiſt. 10: Humanitatis eſt, cum in Ægyptum per fugam, ne capiatur, abducitur.

Fulg. Fulg. ſerm. 5: Vnus enim, idemq; eſt Dominus omnipotens, qui paruulus vagiens, vnus, idemque eſt, qui tuam crudelitatem dignatus eſt fugere; cuius maieſtatem non potes effugere. Fugit enim, non formidine humana: ſed diſpenſatione diuina. Fugit, non neceſſitate: ſed poteſtate. Ideo autem dignatus eſt in Ægyptum fugere, vt poſtea crucem dignaretur aſcendere. Et illa poteſtate puer latuit in Ægypto, qua poteſtate iuuenis pependit in ligno.

Chriſti fuga in Ægyptum.

Epiph. Epiph. hære. 78: In triceſimotertio anno primi Herodis filij Antipatri naſcitur Saluator in Bethleem Iudçæ, qui erat quadrageſimus ſecundus Auguſti Regis: & perfectis duobus annis abducitur à Ioſeph in Ægyptum, propter ea, quæ Herodi à Magis dicta erant, Herode quærente puerum. Deſcendit autem in Ægyptum, & perficit iſthic alios duos annos, & moritur Herodes Rex anno trigeſimo ſeptimo. Succedit autem huic Archelaus filius ipſius per annos nouem.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 8. in Matt: Quæ cum audiſſet Ioſeph, &c. vt lect. 7. 8. & 9. in octaua Innocent.

Bed. Bed. hom. in natali SS. Innocentium: Quod Dominus ipſe ne occideretur ab Herode ſublatus eſt à parentibus in Ægyptum, ſignificat electos ſæpius malorum improbitate ſuis effugandos ſedibus, vel etiam exilio damnandos. Vbi ſimul exemplum datur fidelibus ne dubitent rabiem perſequentium vbi opportunum fuerit declinare fugiendo, cum hoc Deum, ac Dominum ſuum feciſſe meminerint. Siquidem ipſe qui erat ſuis præcepturus: Cum vos perſecuti fuerint in ciuitate iſta, fugite in aliam, prius Matt. 10. fecit, quod præcepit fugiendo hominem, quaſi homo in terra, quem Magis paulo ante monſtrauit ſtella de cœlo.

Iuſtin. Iuſtinus Philoſophus Martyr in Dialogo cum Tryphone: Hoc, ſpes mea es ex eo tempore cum mammas matris ſugebam, ſimul atq; Bethleem natus eſt, euenit. Herodes enim Rex cum ex Magis didiciſſet ea, quæ eum attingebant, eum conatus eſt ex inſidijs, & dolo interficere. Quod ne fieret, Ioſephus præcepto Dei parens, eum cum Maria, accepit, & in Ægyptum profectus eſt.

Auct. His verbis duo inter alia Iuſtinus indicat, nempe Chriſtum in Ægyptum fugiſſe ex Bethleem, & id quidem non diu poſt natiuitatem.

Chryſol. Chryſol. ſer. 150: Si pietatis eſſe diximus quod natus eſt Chriſtus, Chriſtus quod fugiſſe legitur, quid dicemus? forte ſicut natum diximus, vt repararet naturam; dicamus, vt fugaces reuocaret aufugit. Et reuera ſi vt reuocet errantem ouem, in montibus ipſe errat, quomodo ipſe non fugit fugientes populos vt reducat?

Not. 4. ver 4.

Hier. Hieron. Matt. 2: Reſpondeant, qui Hebræorum voluminum denegant veritatem, vbi hoc in 70. legatur interpretibus, quod cum non inuenerint, nos eis dicemus in Oſee Propheta ſcriptum: Sicut & exemplaria probare Oſee 11. poſſunt, quæ nuper edidimus. Poſſumus autem locum iſtum & aliter conſolari, propter contentioſos: quorum conſuetudinem Paulus Apoſtolus habere ſe denegat, & Eccleſiam Chriſti: & teſtimonium proferimus ex numeris, dicente Balaam: Deus ex Ægypto vocauit eum: gloria eius ſicut vnicornis. 1 Cor. 11. Num. 23.

Hier. Et Oſee 11: Pro eo quod nos diximus: Ex Ægypto vocaui filium meum: ſeptuaginta tranſtulerunt: Ex Ægypto vocaui filios eius: quod in Hebraico non habetur: nulliq́ue dubium eſt, Matthæum de hoc loco ſumpſiſſe teſtimonium iuxta Hebraicam veritatem. Ergo qui detrahunt noſtræ tranſlationi, videant ſcripturam, de qua Euangeliſta hoc teſtimonium ſumpſerit, & interpretatus eſt in Domino Saluatore, quando de Ægypto reductus eſt in terram Iſrael: Et cum inuenerint, deſinant rugare frõtem, adducere ſupercilium, criſpare nares, digitis concrepare. Hunc locum in ſeptimo volumine Iulianus Auguſtus, quod aduerſum nos, id eſt, Chriſtianos, euomuit, calumniatur, & dicit: quod de Iſrael ſcriptum eſt, Matthæus Euangeliſta ad Chriſtum tranſtulit: vt ſimplicitati eorum, qui de gentibus crediderant, illuderet. Cui nos breuiter reſpondebimus, primum, Matthęum Euangelium Hebræis litteris ediſiſſe: quod non poterant legere, niſi hi, qui ex Hebræis erant. Ergo non propterea fecit, vt illuderet Ethnicis. Sin autem Hebræis illudere voluit, aut ſtultus, aut imperitus fuit: ſtultus, ſi apertum finxit mendacium: imperitus, ſi non intellexerit, de quo hæc dicerentur. Stultitiam ipſam volumen excuſat, quod prudenter, ordinateq́ue compoſitum eſt. Imperitum non poſſumus dicere, quem ex alijs teſtimonijs ſcripturarum ſcientiam legis habuiſſe cognoſcimus. Super eſt vt illud dicamus, quod ea, quæ typicos præcedunt in alijs, iuxta veritatem, & adimpletionem referãtur ad Chriſtum: quod Apoſtolum in duobus montibus Sina, & Sion; & in Sara, & Agar feciſſe cognouimus. Neq; enim non eſt Sina mons, & non eſt Sion: non fuit Sara, & non fuit Agar: quia hæc Apoſtolus Paulus ad duo retulit teſtamenta. Sic igitur hoc quod ſcriptum eſt: Paruulus Iſrael, & dilexi eum: &, ex Ægypto vocaui filium meum: dicitur quidem de populo Iſrael, qui vocatur ex Ægypto, qui diligitur: qui eo tempore poſt errorem idololatriæ, quaſi infans, & paruulus eſt vocatus: ſed perfecte refertur ad Chriſtum. Nam & Iſaac in typo Chriſti fuit: quod futuræ mortis ligna ſibijpſi portauerit: & Iacob, quia Liam dolentem oculos, & Rachel pulchram habuerit vxorem. In Lia, quæ maior erat, cæcitatem intelligimus ſynagogæ: in Rachel, pulchritu- Gal. 4.

chritudinem Eccleſiæ: & tamen qui ex parte typi fuerunt Domini Saluatoris, non omnia, quæ feciſſe narrantur, in typo eius feciſſe credendi ſunt. Typus enim partem indicat: quod ſi totum præcedat in typo, iam non eſt typus; ſed hiſtoriæ veritas appellanda eſt.

Hier. Et epiſt. 101. ad Pammach. de optimo genere interpretandi: Scribit ſupradictus Euangeliſta Matthæus, ad Angeli monitum, tuliſſe Ioſeph paruulum, & matrem eius, & intraſſe in Ægyptum, ibique manſiſſe vſque ad obitum Herodis: vt impleretur quod dictum à Domino per Prophetam: Ex Ægypto vocaui filium meum. Hoc noſtri codices non habent; ſed in Oſee Propheta iuxta Hebraicam ſcribitur veritatem: quia puer Iſrael eſt, & dilexi eum, & ex Ægypto vocaui filium meum. Pro quo & in eodem loco ſeptuaginta tranſtulerunt: quia paruulus eſt Iſrael, & dilexi eum, & ex Ægypto vocaui filios eius. Num omnino repudiandi ſunt, quia iſtum locum, qui ad Chriſti maxime pertinet ſacramentum, aliter tranſtulerunt? an danda potius venia, vt hominibus? &c.

Chryſol. Chryſol. ſer. 150: Denique fugam eius non de periculi metu, ſed de prophetiæ veniſſe myſterio Euangeliſta aſſerit, ſic dicendo: Vt impleretur, &c. Chriſtus ergo fugit, vt ſtaret legis veritas, prophetiæ fides, Pſalmiſtæ teſtimonium, dicente ipſo Domino: neceſſe erat impleri om-
Luc. 24. nia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Chriſtus fugit nobis, non ſibi: Chriſtus fugit, vt diſpenſata temporibus ſacramenta ſeruaret: Chriſtus fugit, vt futuris virtutibus, & perfidis materiam tolleret excuſandi, & credituris fidei fiduciam largiretur: quia in perſecutione melius eſt fugere, quam negare. Petrus quia fugere noluit, abnegauit: Ioannes ne abnegaret, aufugit.

Not. 5. ver. 5. & 6.

Bed. BED. Matt. 2: Veriſimile eſt, quod poſtquam Magi nihil renunciauerunt Herodi, cum putaſſe illos fallacis ſtellæ viſione deceptos, ad ſe, non inuento Rege nato, erubuiſſe reuerti: & ita, timore depulſo, aliquod temporis quieuiſſe de perſequendo puero. Sed poſt, rebus diuulgatis, quæ in templo factæ, dictæque fuerant à Simeone, & Anna, ſenſiſſe ſe à Magis illuſum, ac deinde ad necem Chriſti cupiens peruenire, non ſolum in Bethleem, verum in omnibus circa finibus, ſicut modum in nullo tenuit, omnes, à filio vnius noctis, vſque ad filium duorum annorum, occidit; Secundũ tempus quod exquiſierat à Magis, tractans iniquus Rex, quod poſſibile eſſet Regi Deo naſcenti, cui famulabantur ſidera cœli, in inualidiore ætate anni vnius, vel duorum, puer apparere oculis hominum: & rurſus ſi vellet paruitate corporis celare ætatem naturæ. Verum poſt annum natiuitatis Domini, an duos, hanc necem confecerit, non apparet: niſi forte dicamus, quod poſt annum euolutum, & quatuor dies ſequentis anni Infantes iuſſerit occidi, vbi dies paſſionis eorum à catholica veneratur Eccleſia.

Aug. lib. 2. de conſenſu cap. 11: Illud dico; po- Aug.
ſteaquam nihil Herodi Magi renunciauerunt, Cur infanticidium Herodes diſtulerit.
eum credere potuiſſe, illos fallaci ſtellæ viſione deceptos, poſteaquam non inuenerunt, quem natum putauerant, erubuiſſe ad ſe redire: atque ita eum, timore depulſo, ab inquirendo, ac perſequendo puero quieuiſſe. Cum ergo poſt purgationem matris eius, in Hieruſalem cum illo veniſſent, & ea geſta eſſent in templo, quæ à Luca narrantur: quia verba Simeonis, & Annæ de illo prophetantium, cum cœpiſſent ab eis, qui audierant, prædicari, ad priſtinam intentionem reuocatura erant animum Regis; admonitus per ſomnium Ioſeph, cum infante, & matre ejus fugit in Ægyptum. Deinde vulgatis rebus, quæ in templo factæ, dictæque fuerant, Herodes ſe à Magis ſenſit illuſum: ac deinde ad Chriſti mortem cupiens peruenire, multos infantes, ſicut Matthæus narrat, occidit.

Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 14: Herodes cum voto ſuo excidiſſet, cœptumque ei conſilium minus ſucceſſiſſet, cum vindictæ in Magos cupiditate, à quibus ſibi illuſum eſſe putabat, incenſus, tum periculo regni amittendi concitatus, contra infantes, qui nihil ei iniuriæ intuliſſent, indignationem, iramque omnem euomit, & aduerſus naturam omnem inſurgit. Bethleemiticos enim pueros vniuerſos, qui bimuli, teneriores ue eſſent, edicto interficiendos ſancit: in communi, & vniuerſali innocentium cæde ſimul occiſurum ſe eſſe eum, cui per emulationem inſidias ſtruebat, exiſtimans: & lugere, eiulareque omnes alios (proh hominem ab omni miſericordiæ, humanitatiſque ſenſu alienum) volens, vt ipſe modo metu omni leuaretur. Obſeruauerat is certo ſtellæ exortum, quod eam biennio ante à ſe in Perſide viſam Magi dixiſſent: atque inde coniectura accepta, extra ſenſum affectionemque omnem poſitus, infantes contrucidauit. Filius autem Zachariæ Ioannes, vna cum matre Elizabetha in ſpelunca quadam ad regionem mõtanam ſaluus conſeruabatur, fortaſſe Herodis ſanguinariam effugiens manum. Atque inde in ſolis locis libenter verſari ſolitus, Angeloque duce vſus, in remotiores ſiluarum receſſus receſſit. Sicut Iſmaeli à matre proiecto adſtitit Angelus: ſic non eſt improbabile Ioannis curam, poſt matris præſertim obitum, ab Angelo ſuſceptam in deſerto.

Vt Ioãnes tunc necẽ euaſit. Idẽ habes Cedren in compen hiſto. & Metaphraſt. de S Ioan. Auguſti 29 Gen. 21.

Euſeb. lib. 1. hiſt. cap. 8: Vt autem Micheæ prophetiam, quæ illum in Bethleem natum fore prædixerat, agnouit, vno edicto omnes pueros adhuc vberum lac ſugentes, non in Bethleem ſolum, ſed in vniuerſis eius finibus, à bimatu, & infra, ſecundum tempus, quo accurate fuiſſet à Magis ſciſcitatus, neci dari mandat. Omnino enim Ieſum eiuſdem cum æqualibus calamitatis, vt erat veriſimile, participem fore arbitrabatur. Euſeb.

Fulg. ſer. 5: Et tamen non ſolum iſtum puerum non inueniſti, ſed nec illis pueris aliquid nocuiſti: imo inſcius, quod illis proderat, hoc egiſti. Fulg.

Innocentes cur per mitti occiſi. egiſti. Per ſæuitiam quippe tuam facti ſunt martyres, qui per infantiam ſuam fuerant innocentes: quando per gratiam huius pueri pro eo meruerunt mori, priuſquam eum poſſent coram hominibus confiteri. Iſte itaque puer, qui mundum creauit, qui mundũ regit, qui omnia quæcunque vult facit, qui cuncta mirabili, atque inſuperabili ordine diſponit, hoc ordinauit, hoc egit, vt per tuam inuidiam furioſam, illi pueri mortem ſuſciperent pretioſam. Et quod eis ad ſalutem ſuam præſtare non poſſes amicus, hoc ad damnationem tuam faceres inimicus. Ad hoc ergo te permiſit infantes occidere, vt illos de te faceret triumphare. Te ergo permiſit ad nequitiam, illos perduxit ad palmam. Iſte itaque puer, qui natus eſt, ideo non inuenitur in numero paruulorum morientium: quia ipſe eſt expectatio gentium. Sanguis huius pueri propterea nõ cum iſtorum ſanguine funditur puerorum; quia ſolus in remiſſionem fundendus eſt peccatorũ. Et illi omnes pueri inaniter morerentur, niſi huius ſanguine ſaluarentur. Et iſte quidem puer certiſſime morietur: quia ſi mori nollet, nullatenus naſceretur. Morietur autem, non vt impleat ſæuitiam tuam: ſed vt perficiat manſuetudinem ſuam. Faciet enim eum mori benignitas propria, non malignitas aliena. Morietur, non vt tu infidelis regnes in ſeculo: ſed vt ſecum regnare faciat fideles in cœlo. Morietur, non vt regnum amittat: ſed vt regnaturos adquirat. Morietur, non vt perdat breuem vitam: ſed vt conferat ſempiternam. Morietur, non vt ſeruus iniquitatis: ſed vt Dominus maieſtatis. Morietur, non vinculo neceſſitatis: ſed propoſito volũtatis. Morietur mirabiliter, morietur miſericorditer, morietur ſingulariter, morietur per propriam poteſtatem, vt ſuam in omnibus adimpleat voluntatem. Ad hoc enim miſericorditer morietur, vt reſurgens cunctis gentibus dominetur.

Chriſtus cum alijs cur non occidatur.

Bed. Bed. hom. in natali SS. Innocentium: Quod in Bethleem, & in omnibus finibus eius occiſi ſunt, oſtendit non ſolum in Iudæa, vnde Eccleſiæ cœpit origo: ſed & in omnibus eiuſdem Eccleſiæ finibus, quacunque per orbem diffuſa eſt, perſecutionem ſæuituram perfidorum, & piorum patientiam eſſe coronandam. Qui à bimatu occiſi ſunt, doctrina, & operatione perfectos indicant: qui vero infra, ſimplices, vel idiotas fidei, tamen non fictæ, conſtantia fortes, æque denunciant. Quod illi quidem occiſi ſunt, ſed Chriſtus, qui quærebatur, viuens euaſit, inſinuat corpora quidem ab impijs poſſe perimi: ſed Chriſtum, pro quo perſecutio tota ſæuit, nullatenus eis vel viuentibus, vel occiſis poſſe auferri: ſed eos veraciter conteſtari, quia ſiue viuimus, Domino viuimus; ſiue morimur, Domino morimur. Siue enim viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Rom. 14

Chriſtus cum aliis cur non occidatur.

Pet. Petrus Archiepiſcopus Alexandrinus, & Martyr can. 13. in ſermone de pœnitentia: Nec eos qui omnia reliquerunt propter ſalutem animæ, & ſeceſſerunt licet accuſare, tanquam alijs propter ipſos detentis. Nam & Epheſi pro Paulo Caium, & Ariſtarchum in theatro, &c. Petrus quoque Apoſtolorum Princeps, eis in mentem reuocetur, qui iam in cuſtodiam erat coniectus, &c. Sicut & omnes infantes qui erant in Bethlem, &c. Cum vidiſſet cruoris ſitiens ſanguinolentus Herodes, ſe à Magis illuſum, valde fuit commotus, & mittens interfecit omnes, &c. Cum quibus & alium prius natum infantem, cum interfecturus quęſiuiſſet, & non inueniſſet, patrem eius Zachariam interfecit inter templum & altare, cum effugiſſet filius cum matre Elizabeth; vnde nec vllo modo reprehenduntur. Hæc Petrus. Igitur qui tempore perſecutionis fuga ſibi conſulunt, ne detenti forte in periculum vocentur, non culpantur, etiamſi alij propterea capti ſunt, & puniti. Exemplo ſunt Paulus, Petrus, Loth, Chriſtus, & Ioannes, pro quibus alij puniti ſunt. Act. 19 Act. 12 Matt. 2. Vt Ioãnes tunc necẽ euaſit. Quis Zacharias inter templum, & altare occiſus. Gen. 19.

Eucher. Eucher. Lugdun. hom. de Innoc: Quoniam Herodes prophetarum oraculo in Bethleem naſciturũ Chriſtum audierat, ideo omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, occidit: vt quia vnum inuenire non poterat, vnum ſimul cum cæteris interficeret. Quare à bimatu, & infra? Quia ſecundum Magorum reſponſionem, Chriſtum huius ætatis eſſe, ſciebat. Præoccupatus enim alijs negotijs, cum iam pene duo anni tranſiſſent, & Magi ad eum non reuerterentur, ſe illuſum eſſe intelligens, valde iratus omnes pueros occidi iuſſit.

Tho. Tho. par. 3. quæſt. 36. ar. 2. ad 3: Quod autem pueri ab Herode ſunt interfecti, non ceſſit in eorum detrimentum: ſed in eorum profectum. Dicit enim Auguſtinus in ſermone quodam de Epiphania: Abſit, vt ad liberandos homines Chriſtus veniens, de illorum præmio, qui pro eo interficiuntur, nihil egerit, qui pendens in ligno, pro eis, à quibus interficiebatur, orauit. Et art. 6. ad 3: De apparitione ſtellæ, quæ apparuit Magis, eſt duplex opinio. Chryſoſt. enim ſuper Matt. & Aug. in ſer. Epiph. dicunt quod ſtella Magis apparuit per biennium ante Chriſti natiuitatem: & tunc præmeditantes, & ſe ad iter præparantes, à remotiſſimis partibus orientis peruenerunt ad Chriſtum tertia decima die à ſua natiuitate. Vnde & Herodes ſtatim poſt receſſum Magorum, videns ſe ab eis illuſum, mandauit occidi pueros à bimatu, & infra, dubitans ne tunc Chriſtus natus eſſet, quando ſtella apparuit, ſecundum quod à Magis audierat. Alij vero dicunt ſtellam apparuiſſe primo, cum Chriſtus natus eſt: & ſtatim Magi viſa ſtella iter arripientes, longiſſimum iter in tredecim diebus peregerunt, partim quidem adiuti diuina virtute, partim autem Dromedariorum velocitate. Et hoc dico, ſi venerũt ex extremis partibus Orientis. Quidam tamen dicunt eos veniſſe de regione propinqua, vnde fuerat Balaam, cuius doctrinæ ſectatores fuerunt. Dicuntur autem ab Oriente veniſſe: quia terra illa eſt ad Orientalem partem terrę Iudęorum. Et ſecundum hoc Herodes non ſtatim recedentibus Magis, ſed poſt biennium pueros inter- Tho. Hom. 6. in Matt.

interfecit: vel quia dicitur interim accuſatus Romam iuiſſe: vel aliquorum periculorum terroribus agitatus, à cura interficiendi puerum interim deſtitiſſe: vel quia potuit credere Magos fallacis ſtellæ viſione deceptos, poſtquam non inuenerunt, quem natum putauerunt, erubuiſſe ad ſe redire, vt Auguſt. dicit in lib. de conſen. Euang. (Lib. 2. c. 11.) Ideo autem non ſolum bimos pueros interfecit, ſed etiam infra: quia, vt Aug. dicit in quodam ſermone Innocentium, timebat ne puer, cui ſidera famulantur, ſpeciem ſuam paulo ſupra ætatem, vel infra, transformaret. Et ſec. ſec. quæſt. 124. art. 1. ad 1:

Tho. Quidam dixerunt, quod Innocentibus acceleratus eſt miraculoſe liberi arbitrij vſus, ita quod etiam voluntarie martyrium paſſi ſunt. Sed quia hoc per auctoritatem ſcripturæ non comprobatur, ideo melius dicendum eſt, quod martyrij gloriam, quam in alijs propria voluntas meretur, illi paruuli occiſi per Dei gratiam ſunt aſſecuti. Nam effuſio ſanguinis propter Chriſtum, vicem gerit baptiſmatis. Vnde ſicut in pueris baptizatis per gratiam baptiſmalem meritum Chriſti operatur ad gloriam obtinēdam; ita & in occiſis propter Chriſtum, meritum martyrij operatur ad palmam martyrij conſequendam. Vnde Auguſtinus dicit, in quodam ſermone de Epiphania, quaſi eos alloquens: Ille de veſtra corona dubitabit in paſſione pro Chriſto, qui etiam paruulis baptiſmum prodeſſe non æſtimat Chriſti. Non habebatis ætatem, qua in paſſurum Chriſtum crederetis; ſed habebatis carnem, in qua pro Chriſto paſſuro paſſionem ſuſtineretis.

Leo. Leo ſer. 5. de Epiph: Herodes quoque in diabolo fremit, & auferri ſibi iniquitatis ſuæ regnum in ijs, qui ad Chriſtum tranſeunt, ingemiſcit. Vnde ſi paruulos interficiat, Ieſum ſibi videtur occidere. Quod vtique facere ſine ceſſatione molitur, dum primordijs renatorum Spiritum ſanctum eripere, & quandam teneræ fidei velut infantiam tentat extinguere.

Not. 6. ver. 7.

Niceph. NICEPH. lib. 1. hiſt. cap. 14: Eam infantium cædem Hieremias etiam multis antea temporibus vidit, & prædixit: Rachelem inducens deplorantem liberos ſuos, minimeque conſolationem vllam, propter immanitatem facinoris tragici, admittentem. Deus autem cum inhibere facile poſſet, ineffabili tamen ratione, & conſilio, per bonitatem ſuam id permiſit.

Hier. Hieron. Matt. 2: De Rachel natus eſt Beniamin, &c. vt lect. 9. in feſto Innocentium. Quibus addit: Per occaſionem Bethleem, intelligimus multos etiam de Beniamin fuiſſe cæſos. Plorat autem filios ſuos, & non recipit conſolationem, ſecundum duplicem intelligentiam: ſiue quod eos in æternum mortuos æſtimaret: ſiue quod conſolari ſe nollet de his, quos ſciret eſſe victuros. Quod autem dicitur, in Rama, non putemus nomen loci eſſe iuxta Gabaa: ſed Rama excelſum interpretatur: vt ſit ſenſus; vox in excelſo audita eſt, id eſt, longe, lateque diſperſa. Et Hiere. 31: Nec iuxta Hebraicum, Hier. nec iuxta 70. Matthæus ſumpſit teſtimonium. Legimus enim in eo poſt deſcriptionem infantium necis: tunc impletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam Prophetam, dicentem: Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus, Rachel flentis filios ſuos: & noluit conſolari: quia non ſunt. Ex quo perſpicuum eſt, Euangeliſtas, & Apoſtolos nequaquam ex Hebræo interpretationem alicuius ſecutos: ſed quaſi Hebræos ex Hebræis, quod legebant Hebraice, ſuis ſermonibus expreſſiſſe. Rachel mater Ioſeph cum veniret Bethleem, ſubito, partus dolore correpta, peperit filium: quem obſtetrix, quia moriebatur pariens, vocauit, Benoni, hoc eſt, filius doloris mei: pater autem Iacob mutauit vocabulum, vocauit eum Beniamin, hoc eſt, filius dextræ. Gen. 35. Quæritur itaque quomodo Matthæus Euangeliſta teſtimonium Prophetæ ad interfectionem tranſtulerit paruulorum, cum perſpicue de decem tribubus ſcriptum ſit, quarum princeps fuit Ephrata, & nequaquam ſit in tribu Ephraim, ſed in tribu Iuda. Ipſa eſt enim & Bethleem dionimos. Vnde & nomina vtriuſque concordant. Bethleem vocatur domus panis: Ephrata marpophoria, quam nos vbertatem poſſumus dicere. Quia igitur Rachel in Ephrata, hoc eſt, in Bethleem condita eſt, ſicut & ſcriptura ſancta, & titulus ſepulchri eius hodieque teſtantur, flere dicitur pueros, qui iuxta ſe, & in ſuis regionibus interfecti ſunt. Quidam Iudæorum hunc locum ſic interpretantur, quod capta Hieruſalem ſub Veſpaſiano, per hanc viam Gazam, & Alexandriam infinita milia captiuorum Romam directa ſint. Alij vero quod vltima captiuitate, ſub Adriano, quando & vrbs Hieruſalem ſubuerſa eſt, innumerabilis populus diuerſæ ætatis, & vtriuſque ſexus in mercato Terebinti venundatus ſit. Et idcirco execrabile eſſe Iudæis mercatum celeberrimum viſere. Dicant illi quod volunt: nos recte teſtimonium ſumpſiſſe dicemus Euangeliſtam Matthæum, pro loco in quo Rachel condita eſt, & vicinarum in circuitu villarum filios quaſi ſuos fleuerit.

Bed. hom. in natali SS. Innocentium: Quod iuxta vaticinium Hieremiæ vox in Rama, id eſt, in excelſo, audita eſt ploratus, & vlulatus, manifeſte denunciat luctum ſanctæ Eccleſiæ, quæ de iniuſta membrorum ſuorum nece gemit, non, vt hoſtes garriunt, in vacuum cedere: ſed vſque ad ſolium aſcendere ſuperni iudicis: & ſicut protomartyr Abel, ita etiam ſanguinem cæterorum martyrum de terra clamare ad Dominum, iuxta illud viri Sapientis: Non deſpicies preces pupilli, nec viduam, ſi effundat loquelam gemitus. Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas? à maxilla enim aſcendunt vſque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis. Quod Rachel ploraſſe dicitur filios ſuos, nec voluiſſe conſolari, quia non ſunt, ſignificat Eccleſiam plorare quidem ſanctorum de hoc

(Bed. Gal. 4. Gen. 4. Eccli 35.)

de hoc ſeculo ablationem; ſed non ita velle conſolari, vt qui ſeculum morte vicerunt, rurſus ad ſeculi certamina ſecum toleranda redeant: quia nimirum non ſunt vltra reuocandi in mundum, de cuius ærumnis ſemel euaſerunt coronandi ad Chriſtum. Rachel namque, quæ ouis, aut videns Deum dicitur, Eccleſiam figurate demonſtrat, cuius tota intentio, vt videre Deum mereatur, inuigilat. Quæritur autem iuxta literam, quomodo Rachel ploraſſe dicitur filios ſuos, cum tribus Iuda, quæ Bethleem tenebat, non de Rachel, ſed de ſorore eius Lia fuerat orta. Vbi tamen facilis patet reſponſio, quia non tantum in Bethleem, verum etiam in omnibus finibus eius, pueri ſunt omnes trucidati. Tribus autem Beniamin, quæ de Rachel orta eſt, proxima fuit tribui Iudæ. Vnde merito credi debet, quod plaga crudeliſſimæ necis non paucos etiam Beniamineæ ſtirpis pueros inuoluerit, quos progenies Rachel, elata in excelſum voce, plorauerit. Poteſt & aliter intelligi, quia Rachel iuxta Bethleem ſepulta eſt, ſicut titulus monumenti eius, manens vſque hodie, teſtatur, ad occidentem ciuitatis, vltra viam, quæ ducit Hebron, quod ea, quæ in loco eodem agebantur, ipſa egiſſe prophetico locutionis modo recte dicatur, cuius corpore, & nomine locus ipſe fuerat inſignitus. Gen. 35.

Cap. 13. *Ex Ægypto* Iesvs *reducitur.*

Matt. 2.	*Mar.*	*Luc. 2.*	*Ioan.*
In vig. Epiph. Domini. 1 ✠ Defuncto autem Herode, ecce, Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius: & vade in terram Iſrael. 2 Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri. 3 Qui conſurgens, accepit puerum, & matrem eius: & venit in terram Iſrael. 4 Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa, pro Herode patre ſuo, timuit illo ire. Et admonitus in ſomnis,			
5 Seceſſit in partes Galilææ; & veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth.		5 Reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth.	
6 Vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur. ✠]			
		7 Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo. ✠	

Not. 1. ver. 1.

Euſeb. Evseb. lib. 1. hiſt. cap. 8: Verum deinceps, quæ merces crudele Herodis facinus, contra Chriſtum, & pueros eius æquales admiſſum, ſubſecuta ſit, & quo pacto ſtatim, poſt nulla vel minima quidem dilatione interpoſita, diuina vltio illum, dum adhuc in vita manebat, exagitauerit, & quaſi procemia rerum ei poſt diſceſſum è vita obuenturarum euidenter oſtenderit, operæ precium eſt intelligere. Qua autem ratione proſperum, & florentem regni ſui ſtatum, quo ſe tum frui putabat, domeſticis calamitatibus, quarum aliæ ex alijs ortæ ſunt, ipſe obſcurauerit, dum vxorem, & liberos, dumque reliquos, quibus cum propter propinquitatem generis, & amoris coniunctionem, maxima ei intercesſit neceſſitudo, nefariâ cæde afficeret, in præſentia commode oratione explicare non poſſumus, præſertim cum iſtarum rerum argumentum, omnem illam crudelitatem, quæ à Poëtis in Tragœdijs deſcribi ſolet, longe ſuperet. Quod quidem ſi quis ſcire deſiderat, legat Ioſephi hiſtoriam, qui idem vberrime, pleniſſimeque perſequitur. Cæterum quo modo ſtatim poſt inſidias Seruatori noſtro, & alijs infantibus factas, cœlitus inuecta plaga illum ad extremum vſque ſpiritum afflictarit, non erit alienum, vocibus auctorijs ad verbum citatis, attentè auſcultare: qui quidem in decimoſeptimo Iudaicæ antiquitatis libro, vitæ illius exitum accurate ſcribit ad hunc modum. Herodem acerbior in dies excruciabat morbus, dum Deus pro nefarijs ſceleribus,

Lib. 17. ant. c. 8.

Plagæ, & morbi diuinitus immiſſi Herodi.

bus, quibus ſe contaminauerat in vita, graue de eo ſupplicium ſumeret. Ardor erat aliquando lentior, ac remiſſior, qui non tantum feruores illos, qui cum manibus contrectabant, exeruit extrinſecus, quantam cruciatus interioris eius, & viſceribus inuſſit. Nihil plane erat, quod inexplebilem eius alimenti capeſſendi auiditatem omnino poſſet ſaturare. Aſpera viſcerum vlcera, acutiſſima laxioris inteſtini tormina, humor purulentus, ac præ tumore pellucens, qui per pedes ſerpebat, grauiſſime illum diuexauit. Afflictatio item ſiminen occupauit non diſſimilis. Quin etiam tabida membri genitalis putredo vermes progenuit. Accedebat his ardua ſpiritus, & animæ intentio, eaque tum propter difficultatem expirandi, tum propter anhelitus crebritatem peracerba. Neruorum præterea contractio per omnia membra peruaſit: quæ quidem vim, & acrimoniam inflixit ei plane intolerabilem.

Dicebatur igitur ab his, qui diuinandi arte multum pollebant, quique in ſapientia, ac ſcientia rerum eiuſmodi interpretandarum omne ſuum ſtudium collocabant, Deum has pœnas à Rege, ob variam ſuam, & multiplicem impietatem, expetiuiſſe. Iſta ergo Ioſephus, quem ſupra dixi, in libro citato commemorat. In primo quoque hiſtoriarum, ſiue de Iudæorum expugnatione, ſeu captiuitate, non diuerſam ab his tradit de illo ſententiam.

Lib. 1. de bello c. 21

Sic enim ſcribit: Hinc corpus eius vniuerſum morbo correptum, varijs perturbationum, & moleſtiarum tormentis diſtrahebatur. Febris quædam tepidior, pruritus non ferendus, per totius cuticulæ extremitatem pererrans, laxioris inteſtini continua cruciamenta, inflatus pedum tumor inſtar hydropici, ardens ſuminis æſtus illum exagitauit. Putrida membri virilis ſanies vermiculos ex ſe edidit. Adde his crebritatem halitus, & ſpirandi difficultatem, neruorum contractiones per omnia membra peruadentes: ita vt vates, & Arioli iſtos membrorum ſtimulos, quibus ſic perfodiebatur, pœnam pro maleficijs ſuis cœlitus irrogatam aſſererent. At ille, licet cum eiuſmodi cruciatibus luctaretur, adhuc tamen vitæ teneri cupiditate, ſpem ſalutis animo capere, de curatione denique cogitare cœpit. Itaque traiecto Iordane, balneis, quæ prope Callirrhoen ſita ſunt (iſta quanquam in lacum Aſphaltitum dilabuntur, ſunt tamen præ dulcedine ad bibendum valde accommodata) vti cœpit. Ibi medicis viſum eſt, vt tepido oleo totum corpus foueret: quo quidem in ſolium plenum olei ſenſim demiſſo, oculi præ imbecillitate ei deficere, & more hominis iam iam morituri reuolui videbantur. Tandem ſeruorum ſtrepitu, quos circa ſe tumultuantes habebat, excitatus, tam etſi aliquantum reſpirauit, de cætero tamen in vitæ, & ſalutis ſuæ deſperationem venit: ac propterea ſingulis militibus quinquaginta drachmas diſtribui, ducibus etiam & amicis grandem pecuniæ ſummam diſpertiri mandauit. Ad extremum inde reuerſus, Hierico ſe contulit: ac iam inſana quadam bile, & furore incenſus, etiam morti ipſi pene interminatus eſt, inque cogitationem nefandi cuiuſdam ſceleris edendi impetu præceps ruit.

Multos egregios viros cædi poſt mortem ſuam iubet.

Nam ex ſingulis vicis viros inſignes, & totius Iudææ facile principes ſimul coactos, in locum quendam, qui hippodromus appellabatur, concludi iuſſit. Accerſitis tandem ad ſe Salome ſorore, & viro illius Alexandro: Noui, inquit, Iudæos de mea morte præ nimia quadam lætitia triumphos, & feſtos dies celebraturos: verum per alios quoſdam perfacile poſſum efficere, modo vos iuſſa mea exequi volueritis, vt non ſolum lachrimis, & mœrore defleat magnopere, verum etiam funus ſplendidum, & inſigne aſſequar: viros illos, quos in cuſtodia ſeruandos imperaui, ſimul ac ego animam efflauero, abſque mora militibus vndique circumiectis interficite: vt cum vniuerſa Iudæa, tum ſingulæ ædes etiam inuitæ meam mortem acerbe lugeant.

Atque idem auctor paulo poſt ſubiungit: rurſus partim inedia, & cibi auiditate, partim ardua, & anhela tuſſi ita diſtinebatur, vt dolorum magnitudine ſuperatus, ſati tempus anteuertere in animum induceret. Pomo igitur primum in manum accepto (conſueuit enim id generis fructum, extremo putamine amputato, libenter comedere) poſcebat & cultrum: deinde oculis vndique circumſpiciens, ne quis ſibi in eo facinore eſſet impedimento, dexteram quaſi iam ſeipſum confoſſurus leuabat.

Manus ſibi afferre voluit.

Idem ſcriptor præterea narrat, illum ante extremum vitæ ſuæ exitum, alterum filium ſuum ingenuum è medio ſuſtuliſſe: ac duobus illis, quos antea interemiſſet, cum iam tertium adieciſſe. Exiguo autem temporis momento interpoſito, non abſque maximo dolore, & afflictatione ſtamina vitæ abrupiſſe. Atque hoc exitu vita Herodis concluſa eſt: qui quidem pro pueris, quos in confinijs Bethleem nefarie, & crudeliter, vti Seruatori noſtro vitam per inſidias adimeret, enecauiſſet, debita perſoluit ſupplicia. Eadem habet Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 15.

Fuit is Antipater, quem ei adhuc priuato Doris coniunx genuerat.

Herodis obitus.

Niceph.

Euth. Matt. 2: Mortem acerbam habuit Herodes. Febre enim, diſſenteria, ſcabie, podagra, ac verendorum putredine, generatione vermium, ſpirandi difficultate, ac tremore membrorum, malam ſoluit animam.

Eut. Herodes vt ſit mortuus.

Quod ad morbum attinet, ærumnæ illæ Herodi alio tempore, paulo nempe ſerius, acciderunt. Deceptus eſt enim Euſeb. quod infanticidium poſt biennium à Chriſto nato perpetratum eſſe putauerit. Deinde Euſeb. ſexto ætatis Chriſti anno Herodis obitum, atque ſeptimo inſtitutionem Archelai recenſet: vno tamen, eodemque anno & Herodes defunctus, & in regno Archelaus ab Auguſto Imperatore confirmatus eſt, anno ſcilicet Chriſti octauo, vſque ad illum enim annum vixit Herodes: cuius regni anno 29. inchoato natus ſit. Et ſic ea, cuius hic mentio eſt apparitio, facta recte putatur anno Chriſti octauo, imperij Auguſti 49. Herodes

Euſeb. Quando, & quomodo Herodes obijt.

itaquo

itaque anno regni ſui 37. inchoato, prope tempus Paſchale, annum ætatis ſuæ agens 67. vltione diuina eum perurgente; & pœnas, non tam nequiſſimorum flagitiorum, & inhumanitatis in domeſticos, & alios, quam infanticidij expetente; aqua intercute, & ebullitione vermium, præter alios acerbiſſimos dolores, extinguitur. Ioſeph. Vide Ioſeph. lib. 14. antiq. cap. 15. 16. 17. & lib. 17. cap. 8.

Surge, & accipe puerum, id eſt, ſurge; & cum ſurrexeris, accipe puellum. Puer Ieſus in terram Iſrael reportari iubetur.

Eut. Euth. Matt. 2: Terram Iſrael ſimpliciter dixit Paleſtinam.

Theop. Theophylact. Matt. 2: Non dicit: Fuge; ſed vade: timor enim iam nullus erat.

Not. 2. ver. 2.

Tho. THO. 1. ſ. quæſt. 82. art. 2. ad 1: Hoc pluraliter dicitur, ſecundum illum morem diuinæ ſcripturæ, quo frequenter ponitur pluralis numerus pro ſingulari.

Haymo. Haymo. hom. in vigilia Epiph: Quia non dixit: Defunctus; ſed, defuncti: ex his Angeli verbis intelligimus multos principes Iudæorũ cum Herode in necem Domini conſenſiſſe. Ideoque diuina vltione actum eſt, vt multi ex his cum illo perirent, cum quo in nece Domini conſenſerant. Spiritaliter autem obitus Herodis terminum ſignificat inuidioſæ contentionis, qua nunc Eccleſia contra Iudæam ſæuit.

Euth. Euth. Matt. 2: Quærentes animam pueri, vt eam auferrent, & à corpore ſepararent, dicit eos, qui Herodem contingebant.

Hier. Hiero. Matt. 2: Ex hoc loco intelligimus, non ſolum Herodem; ſed & ſacerdotes, & ſcribas eodem tẽpore necem Domini fuiſſe meditatos. Hos cum alijs per Salomen, & Alexandrum Herodes in hyppodromo iuſſit occidi: ne in obitu ſuo lætitia in vrbe fieret.

Bed. Bed. hom. de Innocent: Quod occiſis pro Domino pueris Herodes non longe poſt obijt: & Ioſeph, monente Angelo, Dominum cum matre in terram Iſrael reduxit, ſignificat omnes perſecutiones, quæ contra Eccleſiam mouendæ, ipſorum perſecutorum morte vindicandas: eiſdemque mulctatis perſecutoribus, pacem Eccleſiæ denuo reddendam: & ſanctos, qui latuerant, ad ſua loca fuiſſe reuerſuros. Obitus quippe Herodis terminum intentionis malitioſæ, quæ nunc contra Eccleſiam in Iudæis ſæuit, inſinuat.

Quærebant animam, hoc eſt, vitæ inſidiabantur, & occiſum volebant.

Theoph. Theophylact. Matt. 2: Vbi Apollinaris eſt, qui dicebat Dominum non accepiſſe animam? hinc enim arguitur.

Atha. Athanaſ. ſerm. contra omnes hæreſ: En tibi teſtimonium in ſacris literis, vbi verbum Dei integrum hominem, mente, & anima præditum, aſſumpſiſſe deprehendis, vt integer homo liberaretur.

Not. 3. ver. 3.

HIERON. Matt. 2: Non dixit: Accepit filium ſuum, & vxorem ſuam; ſed, puerum, & matrem eius; quaſi nutritius, non maritus. Hier.

Haymo. hom. in vigilia Epiph: Quod poſt obitum Herodis puer Ieſus ad terram Iſrael reuerſus eſt, ſignificat quia circa finem ſeculi ad ſynagogam eſt reuerſurus; cum per prædicationem Enoch, & Eliæ in eum crediderint. Vnde cum in Ægyptum deferri iubetur, & fugere; hoc in nocte præcipitur. Cum vero ad terram Iſrael reuertitur, nec noctis fit mentio: quia quos nunc propter incredulitatem in tenebris perfidiæ deſerit, circa finem ſeculi credentes in lucem fidei recipiet. Haymo.

Quamdiu Ioſephus in Ægypto fuerit, & quando inde redierit, diuerſæ ſunt opiniones. Epipha. hære. 58. & lib. 1. paua. to. 1. cap. 21. biennio tantum in Ægypto Chriſtum manſiſſe teſtatur. Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 14. triennio: nonnulli quinquennio: aliqui ſexennio: quidam vix anno vno. Martyrologia omnia, nempe Romanum, Vſuardi, Bedæ, Adonis, & aliorum Ianuarij die ſeptimo Chriſti ex Ægypto reditum contigiſſe teſtantur. Proinde id factum non videtur anno Chriſti octauo: ſed initio ſequentis. Quoniam anno Chriſti octauo, prope celebritatem paſchatis, vt vero ſimile eſt, animam Herodes efflauit. Anno igitur Chriſti nono ineunte, cum anno ſuperiori, octauo ſcilicet, ab Angelo Ioſeph monitus ex Ægypto receſſiſſet, Ieſus die Ianuarij ſeptima in Paleſtinam reductus, & in Galilæam perductus, Nazarethi habitauit: eaque dies antiquitus in Eccleſia, vt ex Martyrologijs patet, memorabilis fuit. Itaque in terram Iſrael venit, cum apud impios, infideles, idololatras, barbaros, & ignotos Ægyptios annis ſeptem exulauiſſent; pluresque difficultates eundo, redeundo, & manendo ibi deuoraſſent. Quãdiu in Ægypto fuerit.

Iuuencus presbyter lib. 1. de hiſtoria Euangelica: ad patriam læti repedant, puerumque reportant. Iuuen.

Not 4. ver. 4.

HIERON. Matt. 2: Multi labuntur errore, propter ignorantiam hiſtoriæ; putantes eundem eſſe Herodem, à quo in paſſione ſua Dominus irridetur, & qui nunc mortuus eſſe refertur. Ergo Herodes ille, qui cum Pilato poſtea amicitias fecit, huius Herodis filius eſt, frater Archelai. Quem & ipſum Tyberius Cæſar Lugdunum, quæ Galliarum eſt ciuitas, relegauit: fratremque eius Herodem ſucceſſorem regni fecit. Lege Ioſephi hiſtoriam. Hier. Duo Herodes, vnus Aſcalonita filius Antipatri; alter Antipa, fuit alius Agrippa, de quo Act. 12. Lib. 17. ant. c. 10.

Aug. lib. 2. de conſ. cap. 7: Sed plane de Herode ſolet mouere nonnullos, quod Lucas narrauit, in diebus baptiſmi Ioannis, Herodem fuiſſe tetrarcham Galilææ, quando etiam Dominus iuuenis baptizatus eſt. Matthæus autem mortuo Herode dicit puerum Ieſum ab Ægy- Aug. Luc. 3.

Duo Herodes.

pto remeaſſe. Quod vtrumque verum eſſe non poteſt, niſi duo fuiſſe intelligantur Herodes. Quod cum fieri potuiſſe nemo neſciat, qua cæcitate inſaniunt, qui procliuiores ſunt ad calumniandum Euangelicæ veritati, quam paululum conſideratiores, vt duos homines eodem vocabulo appellatos intelligant, cuius rei exemplis plena ſunt omnia. Nam iſte poſterior Herodes prioris Herodis filius fuiſſe perhibetur: ſicut Archelaus, quem Matthæus in Iudææ regnum patri mortuo ſucceſſiſſe commemorat: ſicut Philippus, quem fratrem tetrarchæ Herodis, & ipſum Ituręæ tetrarcham Lucas inſinuat. Rex enim fuit Herodes ille, qui quærebat animam pueri Chriſti: Herodes autem alius filius eius, non Rex, ſed tetrarcha dictus eſt: quod nomen Græcum à parte regni quarta inditum reſonat.

Matt. 2. *Tetrarcha vnde dicatur.* *Cur minus in Galilæam ire timuerit, quam Iudæam.*

Et cap. 8: Niſi forte hinc rurſus quiſpiam moueatur cum Matthæus dixerit ideo timuiſſe Ioſeph cum puero redeuntem ire in Iudæam: quia pro patre ſuo Herode Archelaus filius eius ibi regnabat: quomodo potuerit ire in Galilæam, vbi alius filius eius Herodes tetrarcha erat, ſicut Lucas teſtatur. Quaſi vero ipſa ſint tempora, quibus tunc puero timebatur, quæ nunc Lucas commemorauit: quæ vſque adeo mutata erant, vt in ipſa Iudæa, non iam Rex eſſet Archelaus; ſed Pontius Pilatus: qui non Rex Iudæorum, ſed præſes erat. Cuius temporibus agentes ſub Tiberio Cæſare filij maioris Herodis, non regnum habebant, ſed tetrarchiam. Quod vtique nondum factum erat, quando Ioſeph timens Archelaum in Iudæa regnantem, ſe in Galilęam cum puero contulit, vbi & ciuitas eius erat Nazareth.

Luc. 3. *Tunc nondum erant in Iudæa conſtituti præſides.* *Cur in Galilæam potius quam Iudæam iuerit.* *Nazareth ciuitas erat Ioſephi* *Luc. 2.*

Et cap. 9: An forte & hoc monet, quomodo dicat Matthæus propterea cum puero Ieſu parentes eius iſſe in Galilæam, quia metu Archelai in Iudæam ire noluerunt: cum propterea magis iſſe in Galilæam videantur, quia ciuitas eorum erat Nazareth Galilææ, ſicut Lucas non tacuit. Sed intelligendum eſt, vbi Angelus in ſomnis in Ægypto dixit ad Ioſeph: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Iſrael: ſic intellectum eſſe primo à Ioſeph, vt putaret iuſſum ſe eſſe pergere in Iudæam. Ipſa enim primitus intelligi potuit terra Iſrael. Porro autem poſteaquam comperit illic regnare filium Herodis Archelaum, noluit obijcere ſe illi periculo, cum poſſet terra Iſrael etiam ſic intelligi, vt & Galilæa illic deputaretur: quia & ipſam populus Iſrael incolebat. Quanquam & alio modo ſolui poſſit hæc quæſtio; quia potuit videri parentibus Chriſti cum puero, de quo talia per Angelica reſponſa didicerant, non eſſe habitandum niſi in Hieruſalem, vbi erat templum Domini: & propterea redeuntes ex Ægypto, illuc eos ituros fuiſſe, & illic habitaturos, niſi Archelai præſentia terrerentur. Neque enim diuinitus iubebantur ibi habitare, vt de Archelao quod timebant deberent contemnere.

Quid ſit terra Iſrael *Cur in Iudæam ire primo cogitauerit. Ratio 1.* *Ratio 2.*

Archelaus ex teſtamento Herodis patris, & Auguſti confirmatione ſuccedit in Iudææ regnum, quod nouem annis obtinet; ſed nomine tetrarchæ. Petentibus enim Iudæis ne ſubeſſent regibus, eum tetrarcham, non Regem Auguſtus appellat: dimidia ditionis parte, quæ Herodis fuerat, ei permiſſa; & altera dimidia inter Philippum, & Antipam fratres diuiſa. Ioſeph. lib. 17. antiq. cap. 11. 12. & 13.

Ioſeph.

Euſeb. lib. 1. hiſt. cap. 9: Archelaum ad regnum Iudææ poſt mortem Herodis delectum fuiſſe, teſtatur etiam hiſtoricus ille, quem ſupra demonſtrauimus: modumq; concinne præſcribit, quo tum ex Herodis patris teſtamento, tum rata Cæſaris Auguſti deciſione in illud regnum, & præfecturam ſucceſſerit. Atque adeo qua ratione, cum poſt decem annorum ſpatium eſſet eo munere abdicatus, fratres eius Philippus, & Herodes iunior, ſimul cum Lyſania, ſuas ipſorum tetrarchias, id eſt, quadripartitas Iudææ præfecturas, obtinuerint.

Euſeb. Ioſeph. li. 1. bel. c. 19 & l. 17. ant. cap. 11. 17 *Quid ſit tetrarcha.*

Euth. Matt. 2: Volebat quidem habitare in partibus Iudææ: ſiquidem Iudæa, & Galilæa Paleſtinæ regiones erant. Verum propter Archelaum timuit illo ire: ne forte & ipſe patrem imitaretur. Neque enim determinate ſignificauerat Angelus habitationis locum, vt fiduciam habere poſſet. Scire autem oportet, quod mortuo puerorum interfectore Herode, quatuor filijs eius electis, diuiſit Cæſar Auguſtum regnum ipſius. Archelao quidem Iudææ regionem diſtribuit: alijs vero partes alias, ſicut dicit Lucas. Eos autem Reges tetrarchas nominauit: quoniam quiſque eorum quartæ partis principatum tenebat. Quod ſi Lucas Pontium Pilatum Iudææ præſidem ſcripſit, nihil mirum. Poſtmodum enim Archelao è regno propter accuſationes eiecto, in poſterum nemo Rex, ſed procurator dicebatur. Itaque Pilatus in præſidem Iudęæ ſub Tiberio Cęſare à Romæ iuſſus eſt.

Eut. *Luc. 3.*

Not. 5. ver. 5.

Hoc loco id ponendum fuit: ſiquidem fuga in Ægyptum, priuſquam Ioſeph in Galilæam rediret, contigit. Hactenus enim à Chriſti natiuitate, nec ipſe Dominus fuerat in Galilæa, nec parentes eius. Quippe qui putarent ſibi manendum in Iudæa, non admodum procul à templo. Nam puer Ieſus ante perlatus eſt è Iudæa in Ægyptum, quam in Galilæam. Quia propter Herodis perſecutionem deſcẽdit in Ægyptum: & propter Archelai timorem, ex Ægypto reuerſus, in partes Galilææ ſeceſſit. Reditus porro in Galilæam, & in Nazareth; de quo Lucas hoc verſu agit, idem eſt cum eo, de quo Matthæus loquitur, & nunc vterque in idem conſpirat: ea enim reditio, quam Lucas hîc deſcripſit, non immediate, verum diu poſt Mariæ purificationem, quin etiam poſt Ægypti latebras facta eſt. Etſi vero Lucas dicat eos in Galilæam reuerſos, vt legalia perfecerunt: tamen ex cauſa fugæ; & Ioſephi metu, quo ſibi ab Archelao timuit; & ex alijs, hunc non è Iudæa reditum ante fugam; ſed ex Ægypto factum

ctum eſſe longe probabilius videtur. Nam ſæpe quippiam narratur, quaſi mox poſt aliud contigerit, cum tamen multa intercesſerint. Et quamuis Lucas videatur indicare, non aliam eis in Iudæa manendi cauſam fuiſſe, quam obſeruationem legalium: non tamen id ſignificat. Sic Bonauent. & Bed. Luc. 2. Eucher. Lugdun. hom. Dom. infra octau. Natiu. Aug. lib. 2. de conſ. cap. 5. 8. & 9. & alij plures.

Vnde Ioſephus Ægyptum fugerit. Ipſa vero apparitio Angelica, cuius initio duodecimi capitis fit mentio; facta putatur à quibuſdam in Nazareth, quaſi eo reuerſi ſint expleta purificatione Ioſeph, & Maria, cum puero: ac inde in Ægyptum, Angeli monitu profugerint. Huius opinionis ſunt Tatianus in quatuor Euangeliorum narratione cap. 1. Anſelmus, Toſtatus, Haymo. Theophylact. Matt. 2. & Chryſoſt. hom. 9. in Matt. pro hac ſententia nonnulli citant etiam alios ex veteribus; vt Iuuencum Presbyterum, Origenem, & Euthymium; ſed fruſtra. Nihil enim plus illi, de hac re, quam Lucas Euangeliſta, dixerunt. Cæterum hæc opinio non eſt omnino improbabilis; alia tamen, vt probabilior, huic mihi præferenda videtur. Ioſeph ergo non diu poſt Chriſti oblationem, in templo factam, in Bethleem Iudæ, non in Nazareth Galilææ, ab Angelo in Ægyptum fugiendi mandatum accepit: ac etiam inde, non è Galilæa, fugit. Ita docet Bonauentura, & Beda Luc. 2. Auguſtinus lib. 2. de conſ. cap. 5. 8. 9. & alibi. Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionem c. 8. & Iuſtinus Philoſophus Martyr in dialogo cum Tryphone.

(Tatia. Anſel. Toſta. Haymo. Theop. Chryſoſt.)

Præcipua ſententiæ huius firmamenta ſunt; primo auctoritas tot, tantorumque Patrum. Deinde quod vnus Euangeliſta prætermittere ſoleat, vt, inquit Auguſt. quæ ſatis ab alio explicata fuerunt, atque ita quæ narrat coniungere, quaſi nihil eſſet eorum, quæ in medio geſta ſunt, omiſſum. (Aug.) Tertio. Hoc ipſum ex cauſa fugæ probatur, quam Angelus verbis illis declarauit: Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum, ad perdendum eum: Occiſi autem ſunt infantes pro Chriſto, in Bethleem Iudæ, & finibus eius; non in Nazareth Galilææ. Si vero à purificatione ſe Nazarethum parentes cum puero contuliſſent, non erat ea fugiendi cauſa, & neceſſitas: neque enim ibi grasſata eſt illa perſecutio. Quarto. Exiſtimaſſe videtur Ioſeph ſibi, cum tali puero, circa Hieruſalem fuiſſe manendum: propterea enim ex Ægypto rediens, primo de Iudæa, non de Galilæa cogitabat; vt Auguſtinus, & alij plures obſeruarunt. (Aug.) Itaque veriſimilius eſt eum, expleta coniugis purificatione, eo rediſſe, vbi habitandum ſibi opinabatur. Si enim ex Galilæa, vbi domũ poſſidebat, in Ægyptum fuiſſet profectus, redire iuſſus, recta iter Galilæam verſus, non in Iudæam, in qua domo carebat, inſtituiſſet. Cum igitur Ioſeph ex Ægypto rediens, in Iudæam ſibi proficiſcendũ exiſtimarit, veriſimile eſt eum ex Iudæa, non ex Galilæa, in Ægyptum fugiſſe. Quod ergo dicit Lucas: Reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth: intelligendum eſt poſtquam ex Ægypto venerunt. Nam quæ inter Purificationem, & hanc reuerſionem in Nazareth, facta ſunt; nempe quod oraculo diuino Ieſus in Ægyptum, ne ab Herode occideretur, ſit delatus, & inde poſtea reductus; quodque innocentes necati ſint; Lucas omiſit: quoniam ſufficienter à Matthæo ſcripta nouerat. Denique Matthæus aperte verſu 6. Docet, in hoc ex Ægypto reditu, adimpletum fuiſſe, quod dictum eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur. Ergo prius Nazarethi Chriſtus non fuerat, alioqui prius ei appellatio Nazaræi conueniſſet. Matthæus autẽ vult eam tũc ei primum competiuiſſe, cum ex Ægypto rediens metu Archelai Nazarethum ſe contulit, vt doctè, ſimul & acutè Tertul. obſeruauit. Anno autem Chriſti nono, imperij vero Auguſti quinquageſimo, Ianuarij die ſeptima, Ieſus in Paleſtinam relatus, ob Archelai Herodis filij, & regni ſucceſſoris metum, in partes Galilææ ſecedit, & in Nazareth viculo habitat. (Quando Ieſus in Paleſtinã ſit reductus.)

Bonauent. Luc. 2: Aperte has duas ſententias Matthæi, & Lucæ coniungit, & poſtea ſic ait: nota quod ſecundum Auguſtinum in libro ſecundo de conſenſu Euangeliſtarum, puer Ieſus ante perlatus eſt à Iudæa in Ægyptum, quam deſcenderet in Galilæam: quia propter perſecutionem Herodis deſcenderunt in Ægyptum, & propter timorem Archelai ſeceſſit in partes Galilææ rediens de Ægypto. (Bonau. Auct.)

Bed. Luc. 2: Prætermiſit hoc loco Lucas, quæ à Matthæo ſatis expoſita nouerat; Dominum videlicet poſthæc, ne ab Herode necandus inueniretur, Ægyptum à parentibus eſſe delatum, defunctoque Herode ſic demum Galilæam reuerſum, Nazareth ciuitatem ſuam inhabitare cœpiſſe. (Bed.)

Aug. lib. 2. de conſ. cap. 5: Lucas prætermittens profectionem in Ægyptum, quam narrat Matthæus, tanquam continuam (hiſtoriæ purificationis) contexuit regreſſionem ad ciuitatem Nazareth. (Aug.)

Euth. Matt. 2: Atqui ſi in Iudæam ire metuebat propter Archelaum, oportebat & Galilæam timere, propter fratrem eius Herodem, qui in ea tetrarcha erat, ſicut dicit Lucas. Verum Bethleem ſita in Iudæa, ſuſpecta erat. (Euth. Cur minus in Galilæã iræ timuerit, quam Iudæam. Luc. 3.)

Theophylact. Luc. 2: Erat quidem & Bethleem ciuitas ipſorum, ſed vt patria: Nazareth vero vt habitationis locus. (Theoph.)

Titus Boſtren. Luc. 2: Etſi natiua illorum ciuitas eſſet Bethleem: attamen quod fixum annos iam aliquot domicilium in Nazareth obtinerent, vulgo ciuitatis Nazareth ciues habebantur, & dicebantur. (Tit. Vt Nazareth parẽtum ſit Chriſti ciuitas.)

Not. 6. ver. 6.

TERTVLL. lib. 4. aduerſ. Marcion. cap. 8: Chriſto autem appellatio Nazaræi competitura erat ex infantiæ latebris, ad quas apud Nazareth deſcendit vitando Archelaum filium Herodis. (Tert. Nazaræus dicitur à ciuitate Nazareth.)

Eut. Matt. 2: Et vbinam hoc Prophetæ dixerunt? ne quæras: neque enim inuenies. Plurima enim propheticorum voluminum perierunt: (Eut. 2. ſolut. Vt quidam ſacri libri perierunt.)

partim quidem per frequentes captiuitates: partim autem propter Hebræorum negligentiam: nonnulla quoque propter malitiam.

Theop. Theophylact. Matt. 2: Et quis Propheta hoc dixit? non inuenitur nunc. Per negligentiam e- 1. ſolut. nim Iudæorum multi libri deſiderantur; & ob 2. ſolut. continuas captiuitates. Fortaſſis abſque ſcriptura hoc dicebatur apud Iudæos. Significat autem 3. ſolut. Nazaræus, ſanctificatus. Igitur quoniam ſanctus Chriſtus, rectè dicitur Nazaræus. Sanctus enim Iſraelis à multis prophetis vocatur Dominus. Chryſoſt. Idem habet Chryſoſt. hom. 9. in Matt.

Hiet. Hieron. Matt. 2: Si fixum de ſcripturis poſuiſſet exemplum, nunquam diceret: Quod dictum eſt per Prophetas: ſed ſimpliciter: Quod dictum eſt per Prophetam. Nunc autem pluraliter Prophetas vocans, oſtendit ſe non verba 3 ſol. de ſcripturis ſumpſiſſe, ſed ſenſum. Nazaræus ſanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum, omnis ſcriptura commemorat. Poteſt hoc ad Eſaiam referri. Poſſumus & aliter dicere, quod etiam eiſdem 4 ſol. verbis iuxta Hebraicam veritatem in Eſaia ſcri- Eſa. 11. ptum ſit: Exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice eius conſcendet. Hier. Et ep. 101. ad Pammach. de optimo genere interpretandi cap. 3: Illud vero, quod in eodem Euangeliſta (Matthæo) ſcribitur: Et veniens habitauit in ciuitate, quæ dicitur Nazareth: Vt impleretur quod dictum eſt per Prophetas, quia Nazaræus vocabitur. Reſpondeant Logodardali, & faſtidioſi æſtimatores omnium tractatorum, vbi le- 4 ſol. gerint; diſcantque in Eſaia poſitum. Nam in eo loco, vbi nos legimus, atque tranſtulimus: Eſa. 11. Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: in Hebręo, iuxta linguæ illius idioma, ita ſcriptum eſt: Exiet virga de radice Ieſſe, Ita quoſdam interpretatos monet Hieron. ad Eſa. ca. 11. & Nazaræus de radice eius creſcet. Cur hoc omiſerunt ſeptuaginta, ſi non licet transferre verbum pro verbo? Sacrilegium eſt vel celaſſe, vel ignoraſſe myſterium.

Tho. Thom. par. 3. quæſt. 35. art. 7. ad 2: Matt. 2. 4 ſolut. dicitur ſcriptum eſſe de Chriſto, quod Nazarenus vocabitur: quod ſumitur ex eo, quod ſcribitur Iſa. 11: Flos de radice eius aſcendet. Nazareth enim flos interpretatur. Chriſtus florere Nazaræus dicitur à ciuitate, quam inhabitauit. voluit ſecundum virtuoſam conuerſationem, non ſecundum carnis originem. Et ideo in ciuitate Nazareth educari voluit, & nutriri.

Auct. In nullo prophetarum expreſſe legitur, quod Chriſtus Nazaræus vocatus ſit: ſed vel flos, aut germen, ſeu virgultum, quæ ſonant Hebræis Nazaræum: Eſa. 4. 11. Iere. 23. Zach. 6. Nazaræus autem cum ſanctum, Deo conſecratum, ac ſeparatum, aut floridum ſignificet, rectè non ab vno: ſed à multis prophetis Nazaræus, id eſt, ſanctus, & eximia ſanctitate ſegregatus ab alijs, dictus eſt. Aliqui putant Chriſtum in Samſone figura ſua dici Nazaræum, Iudic. 13. frequens eſt etiam numerum pro numero ponere. Quanquam autem vere, ac ſolus ſanctus, verus flos, verum germen Chriſtus extiterit; ipſi tamen ab educatione, quæ in Nazareth fuit, hoc nomen inditum veriſimile eſt, euentu reſpondente ipſius nominis ſignificationi. Et ſic alluſio eſt ad Nazareth.

Not 7. ver. 7.

Euth. Evth. Luc. 2: Quo ad humanitatem hæc omnia intellige. Tanquam puer enim creſcebat ætate: corroborabatur autem aduerſus malitiam ſpiritu, ſiue vnita ſibi diuinitate. Nam ſpiritus vocatur & diuinitas. Implebatur vero ſapientia tãquam diuinitati vnitus. Gratia quoque vniti ſibi Dei erat ſuper illum, quæ ipſum moderabatur, regebat, & componebat. Vel etiam alio modo. Corroboratur ſpiritu, videlicet ſancto: gratia autem Dei, ſiue patris erat ſuper illum. Sicut enim incarnatus eſt ex patris beneplacito, ac ſuperueniente Spiritu ſancto: ita etiam conuerſabatur, ac operabatur per beneplacitum patris, & cooperationem Spiritus ſancti.

Theophylact. Luc. 2: Ieſus vero quantum ad Theoph. corpus creuit; quamuis potuiſſet ex vtero matris in ſtatura viri perfecti procedere: viſum tamen fuiſſet phantaſma: & propterea paulatim creſcit. Cum autem creſceret, emicuit Dei verbi ſapientia. Non enim ſapiens fuit proficiendo, abſit: ſed paulatim declarauit inſitam ſapientiam: & iuxta corporis ſtaturam dicitur proficere, & corroborari ſpiritu. Si enim quandiu breuis fuiſſet ſtatura, oſtendiſſet omnem ſapientiam, viſus fuiſſet prodigioſus. Nunc autem iuxta rationem ſtaturæ, ſeipſum pro ipſius capacitate oſtendens, diſpenſationem implebat, non aſſumens ſapientiam: Quid enim perfectius eo, qui ab initio fuit perfectus? verum paulatim illam denudat.

Tit. Boſtren. Luc. 2: Quandoquidem Euan- Tit. geliſta Deum verbum, non nudum, ſed vera carne indutum inducit, propterea ſcribit: Puer autem creſcebat, & confortabatur. Sunt enim iſthæc ad aſſumptam carnem referenda. Secundum corpus namque creſcebat, & confortabatur; membrorum nimirum robore, vna cum ipſa corporis mole ſenſim gliſcente, & adoleſcente.

Cap. 14. *A parentibus in templo* Iesvs *inuenitur.*

Matt.	*Mar.*	*Luc. 2.*	*Ioan.*
		1 Et ibant parentes eius per omnes annos in Hieruſalem, in die ſolemni Paſchæ.	
		Dom. inf. octa. Epiphaniæ.	
		2 Et ✠ cum factus eſſet annorum duodecim, aſcenden-	

Matt.	*Mar.*	*Luc 2.*	*Ioan.*
		tibus illis Hieroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatisque diebus, cum redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem.	
		3 Et non cognouerunt parentes eius, exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos; & non inuenientes, regreſſi ſunt in Hieruſalem, requirentes eum.	
		4 Et factum eſt poſt triduum, inuenerunt illum in templo; ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.	
		5 Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia, & reſponſis eius.	
		6 Et videntes admirati ſunt; & dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus, & ego dolentes, quærebamus te.	
		7 Et ait ad illos: Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?	
		8 Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos. Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis. Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.	
		9 Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia, apud Deum, & homines.] ✠	

Not. 1. ver. 1.

Aug. AVG. lib. 2. de conſ. cap. 10: Quo modo, ſicut Lucas narrat, ibant parentes eius, per omnes annos pueritiæ Chriſti in Hieruſalem, ſi Archelai timore prohibebantur accedere? Hoc mihi diſſoluere, non eſſet difficile, nec ſi aliquis Euangeliſtarum expreſſiſſet, quamdiu ibi regnarit Archelaus. (Reſpon. 1.) Fieri enim poterat, vt per diem feſtum inter tam ingentem turbam, latenter aſcenderent, mox reuerſuri; vbi tamen alijs diebus habitare metuerent: vt nec ſolemnitate, prætermiſſa eſſent irreligioſi; nec continua manſione conſpicui. (Reſpon. 2.) Cum vero etiam de regno Archelai, quam fuerit diuturnum, omnes tacuerint, iſte quoque intellectus patet: vt quod Lucas dicit per omnes annos eos aſcendere ſolitos in Hieruſalem, tunc accipiamus factitatū, cum iam non timeretur Archelaus. Quod ſi Archelai regnum aliquanto diuturnius, vlla præter Euangelium hiſtoria prodit, cui fides adhibenda videatur; (Reſpon. 3.) illud quod ſuperius dixi ſuffecerit; quod ita timebant parentes pueri habitationem in Hieruſalem, vt tamen propter timorem, feſtiuitatem ſolemnem non prætermitterent, in qua latere facillime poſſent: neque enim incredibile eſt captis temporibus opportunis, vel dierum, vel horarum, accedere homines ad ea loca, in quibus eſſe formidant.

Hier. ver. 4. Hieron. epiſt. 103. Paulino, cap. 4: Duodecim annos Saluator impleuerat, & in templo prudenter interrogans docet ſenes, de quæſtionibus legis interrogans, magis docet, dum prudenter interrogat.

Euchꝫ. Eucher. Hom. de hac Euangelica lect: Religioſi parentes per annos ſingulos ibant in Hieruſalem, vt legem audirent, ſacrificijs participarent, ſolemnitatibus intereſſent: & eius adhuc vmbræ ſeruiebant, cuius iam tenebant veritatem. Tota enim illa ſolemnitas, Chriſti paſſionem, & reſurrectionem, & cætera, quæ de eo ſcripta ſunt, ſignificabat. (Paſcha typus erat Chriſti.) Erat igitur ſimul cum cæteris Ieſus in ſolemnitate, qui totius erat cauſa ſolemnitatis. Permixtus turbis videbatur ab omnibus, qui in lege, & prophetis prædicabatur, in ſacrificijs ſignificabatur, & à nemine cognoſcebatur: quia duplici velamine tegebatur; inde velamine litteræ, hinc carnis pariete. Vnde ſcriptum eſt: en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, (Can. 2.) reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Ipſe iugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnibus ſacrificijs offerebatur. Mater quoque eius, multa ibi in lege, & prophetis cantari audiebat, quæ de ipſa dici intelligebat, & in ſe iam completa eſſe ſciebat: qualia ſunt: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, (Eſa. 7.) & vocabitur nomen eius Emmanuel. Itemque: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: (Eſa. 11.) & multa alia. Merito igitur per annos ſingulos illuc veniebant, vbi ſuas laudes ab omni populo prædicari audiebant.

Bed. Beda Hom. de hac lect: Quod ergo Dominus per omnes annos cum parentibus in Paſcha Hieroſolymam venit, humanæ nimirum eſt humilitatis indicium. Hominis eſt namque ad offerenda Deo ſacrificiorum ſpiritalium vota cōcurrere, & auctorem ſuum orationibus, lachrymiſque ſibi conciliare profuſis. Fecit ergo Dominus inter homines homo natus, quod faciendū hominibus per Angelos imperauerat Deus. Seruauit ipſe legem, quam dedit: vt nobis, qui puri homines ſumus, ſeruandum per omnia quicquid Deus iubet, oſtenderet. Sequamur iter humanæ conuerſationis eius, ſi Deitatis eius gloriam delectamur intueri; ſi optamus habitare in domo eius æterna in cœlis omnibus

diebus vitæ noſtræ; ſi iuuat videre voluntatem Domini, & protegi à templo ſancto eius. Et ne vlla in æternum malorum aura pulſemur, meminerimus præſentis Eccleſiæ domum neceſſarijs precum mundarum frequentare muneribus.

Not. 2. ver 2.

Niceph. NICEPH. lib. 1. hiſt. cap. 14: Cum autem duodecimum iam ageret annum, aſcendit ſimul cum matre, & Ioſeph Hieroſolyma, feſtum ibi Paſchæ celebraturus. Quod vbi peractum eſt, illi quidem reuerti; Ieſus autem latenter in templo manere.

Aug. Aug. ſer. 63. de diuerſis cap. 10: Cum eſſet duodecim annorum Dominus Ieſus Chriſtus ſecundum hominem: quia ſecundum Deum eſt ante tempora, & ſine tempore.

Amb. Amb. lib. 2. in Luc: A duodecimo anno, &c. vt lect. 7. Dom. inf. octa. Epiph.

Eucher. Eucher: In Hieruſalem, quæ viſio pacis interpretatur: per quam ſanctam Eccleſiam intelligimus, vnde & dicitur: & factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.

Ver. 3.

Aug. AVG. ſer. 63. de diuerſis cap. 10: Quæſierunt illum in comitatu ſuo, inter eos ſcilicet, qui ſecum ambulabant.

Eucher. Eucher. hom: Hoc autem parentes eius, id eſt, ſynagoga, & Iudæorum populus non cognouerunt; ſed eum in comitatu eſſe æſtimantes, & ſecum adhuc maneret & habitare putantes, venerunt iter diei. Magnus erit iſte dies, hic enim dies finem non habebit, niſi prius Iudæi ad fidem conuertantur. Stulti Iudæi, qui ſecum adhuc eum eſſe putabant, quem iam occiderant, & dicentem audierant: Ecce relinquetur

Matt. 23. Pſal. 54 vobis domus veſtra deſerta. Et in Pſalmis: Ecce, elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Vſque hodie namque Iudæi, qui per Ioſeph, & Mariam ſignificantur, inter cognatos, & notos, id eſt, in lege, & Prophetis, quærunt Ieſum: ſed quia carnaliter quærunt, eum inuenire non poſſunt. Si igitur eum inuenire deſiderant, redeant in Hieruſalem, veniant ad templum, & ad Eccleſiam: ibi enim eſt, & ibi eum inuenient. Hoc enim tunc ſpiritualiter completum eſt, quando poſt Chriſti paſſionem quidam Iudæorum corde compuncti, venientes ad Apoſtolos (hoc enim fuit Chriſtum quærere, & re-

Act. 2. dire in Hieruſalem) dixerunt: Quid faciemus viri fratres? Quibus Apoſtolus Petrus: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. Hos igitur, & cæteros qui tunc temporis crediderunt, ſignificabant parentes Ieſu: quoniam ſicut illi ignoranter eum perdiderant: ita & iſti ignoranter eum occiderant. Vnde &

Act. 3. beatus Petrus: Et nunc fratres, inquit, ſcimus quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri. Merito autem parentes Ieſu hoc in loco ſynagogam, & Iudæos ſignificant, quo eum in Hieruſalem duxiſſe narrantur: vt ea in ſignificatione iam fieri videret, quæ poſtea in cruce paſſurus erat.

Not. 3. ver. 4.

NICEPH. lib. 1. hiſt. cap. 14: Sic eis ille totum triduum inuiſus fuit. Poſtea autem ſe eis admodum fatigatis, & dolentibus, exhibuit in templo ſedens, & cum Doctoribus legit diſputans. Nice.

Greg. paſtoral. curæ part. 3. admo. 26: Vigilanti itaque conſideratione penſandum eſt, quod cum Ieſus annorum 12. dicitur in medio Doctorum ſedens: non docens, ſed interrogans inuenitur. Quo exemplo ſcilicet oſtenditur, ne infirmus docere quis audeat, ſi ille puer doceri interrogando voluit, qui per diuinitatis potentiam verbum ſcientiæ ipſis ſuis Doctoribus miniſtrauit. Et hom. 2. in Ezech: Hoc autem quod dicitur, quia in trigeſimo anno ſpiritum prophetiæ acceperit, indicat aliquid nobis conſiderandum: videlicet, quia iuxta rationis vſum, doctrinæ ſermo non ſuppetit, niſi in ætate perfecta. Vnde & ipſe Dominus anno duodecimo ætatis ſuæ in medio Doctorum in templo ſedens, non docens; ſed interrogans voluit inueniri. Greg. Nimis cito nullus alios doceat. Chriſtus doceri voluit. Greg.

Aug. ſer. 63. de diuerſis cap. 10: Sed quid mirum? verbum Dei nunquam tacet: ſed non ſemper auditur. Aug.

Beda hom. de hac lect: Quod ipſe duodennis in templo ſedit in medio Doctorum, audiens, & interrogans illos, humanæ eſt humilitatis indicium, imo etiam eximium diſcendæ humilitatis exemplum. Dei quippe virtus, & Dei ſapientia, æternaque diuinitas loquitur: Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Meum eſt conſilium, & æquitas, mea prudentia, mea eſt fortitudo: per me reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt. Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Ipſa homine induta, ad audiendos homines aduenire dignata eſt: vt nimirum hominibus, quamuis ſummo ingenio præditis, neceſſariam diſcendi verbi formam prærogaret: ne ſi qui diſcipuli veritatis fieri refugerent, magiſtri efficerentur erroris. Et bene, qui iuuenis erat Doctoris ſubiturus officium, puerulus adhuc ſeniores audit, & interrogat: vt videlicet eorum, prouida diſpenſatione, compeſcat audaciam, qui non ſolum indocti; ſed etiam impubes ad docendum prorumpere magis, quam ad diſcendum volunt ſubmitti. Sequamur iter eius humanitatis, ſi nos manſio diuinæ delectat viſionis, memores ſemper illius præcepti: Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Per auditum quippe diſciplinæ paternæ, ac per obſeruantiam maternæ legis, gratia capiti noſtro, & collo torques additur: quia quanto quis diuinis intentus fuerit auſcultare præceptis, quanto ea, quæ didicerit, Bed. Cur Doctores audierit. Prou. 8. Prou. 1.

in vnitate matris Eccleſiæ diligentius obſeruare ſtuduerit, tanto & nunc dignius ad honorem prædicandi, & in futuro ſublimius aſcendet ad beatitudinem cum Chriſto ſine fine regnandi. Verum ne quis autumet Dominum Saluatorem ob imperitiæ neceſſitatem adijſſe, audijſſeque, & interrogaſſe magiſtros, videamus quid ſequitur: ſtupebant autem omnes, &c.

Eucher. Quando & vbi Chriſtus Inueniatur. Eucher. hom. de eadem lect: Poſt triduum in templo inuenitur Ieſus: quia poſt reſurrectionem, quæ in die tertia facta eſt, ab his, qui quærunt eum in Eccleſia reperitur. Ante triduum quidem non inueniebatur: quia non Deus, ſed homo tantum ab hominibus putabatur. Sed vbi inuenitur? In templo, in Eccleſia, in conuentu fidelium, in medio Doctorum, & in cœtu Epiſcoporum. Qui igitur quæris Ieſum, veni ad templum, veni ad Eccleſiam, veni ad Epiſcopos, & Sacerdotes, audi quid ipſi dicunt. Ibi enim videbis Ieſum, ibi ſedet in medio Doctorum, id eſt, in cordibus eorum. Ibi enim audiens docet, & interrogans inſtruit: ibi omnes actus noſtri, & cogitationes reſpondent. Nihil ei abſconditur: omnia videt, & cuncta ei loquuntur. Vide Hieron. not. 1.

Ver. 5.

Niceph. NICEPH. lib. 1. cap. 14: Quibus ille, cum propter quæſtiones, quas nouas inueniebat; tum quod obſcura, & abdita loca ſcripturæ declararet, admirationi fuit.

Eucher. Eucher: Ipſe igitur interrogabat, ipſe reſpondebat, ipſe & ſuas, & illorum quæſtiones ſoluebat, morem agens peritiſſimi magiſtri, qui nunc interrogando, nunc reſpondendo diſcipulos inſtruit.

Bed. Bed: Qui enim idem verus homo, & verus erat Deus, ad oſtendendum quia homo erat, homines magiſtros humiliter audiebat: ad comprobandum quia Deus erat, eiſdem loquentibus ſublimiter reſpondebat.

Baſ. Baſil. hom. 22. quæ eſt de humilitate: Interrogando admirabilem declarabat ſapientiam.

Auct. Ex hoc verſu patet Chriſtum audiuiſſe, & interrogauiſſe, vt viciſſim interrogatus reſpondendo erudiret, non vt diſceret. Stupebant omnes, non ſolum extranei; ſed etiam parentes eius Maria, & Ioſeph: quia domi forte non audierant eum ſic diſputantem, & talia reſponſa dantem.

Not. 4. ver. 6.

Niceph. NICEPH. lib. 10. hiſt. cap. 14: Ad eum porro mater ex affectu eo, quo vnice eum proſequebatur, dixit: Cur hoc ſic, fili, feciſti, vt tantum parentibus dolorem conciliares? Sic enim illa ſimul eius, qui putabatur eſſe, patris meminit.

Anto. Res bene prius examinanda eſt, quam damnada. Antoni. par. 4. ſum. tit. 15. cap. 37: Contingit aliquando quod videns aliquis, vel audiens aliquem defectum apparenter alterius, non bene informatus de veritate, reprehendit talis dure, & contumeliatur, vt puniatur: ſed cum, diſcuſſa cauſa, percipit illum innoxium, remanet confuſus; & ille grauatus iniuſte ab eo. Sicut accidit de patrono Ioſeph: qui quia nimis credulus fuit verbis ſuæ vxoris inique accuſantis eum, de turpitudine adulterij intentati mendaciter, non examinato negotio, dure tractauit eum, carceri deputando iniuſte. Non ſic fecit beata Maria: ſed inuento filio, quem cum dolore quæſierat, ait: Filij, quid feciſti nobis ſic? non reprehendit, non clamat, non blaſphemat; ſed cauſam huius rei interrogat. Ex quibus verbis poteſt formari triplex interrogatio circa ipſum factum: quid feciſti nobis ſic; vt ſcilicet à nobis, & propinquorum conſortio te abſentares? quæ huius eſt ratio? quid feciſti nobis ſic; vt in Hieroſolymorum templo latitares? quid feciſti nobis ſic; vt in Doctorum medio te collocares? ad quæ tria filius vt ſapientiſſimus vnica ſententia plene reſpondit, dicens: Quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe. Gen. 39.

Damaſ. Damaſ. Papa epiſt. 6: Per ſapientiam Salomonis dicitur: Antequam ſcruteris non reprehendas: intellige prius, & tunc increpa: antequam audias non reprehendas. Habetur apud Gratianum 11. quæſt. 3. cap. 73. Eorum.

Bern. Maria quia Dei mater, dignior eſt Angelis. Bern. hom. 1. ſuper Miſſus eſt: Quod ſi & cuius mater attendas, quo te tua ſuper eius mirabili celſitudine ducet admiratio? nonne ad hoc, vt te videas nec ſatis poſſe mirari? nonne tuo, imo veritatis iudicio, illa, quæ Deum habuit filium, ſuper omnes etiam choros exaltabitur Angelorum? an non Deum, & Dominum Angelorum Maria ſuum audacter appellat filium, dicens: Filij, quid feciſti nobis ſic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, & pro magno habent, quod cum ſint ſpiritus ex conditione, ex gratia facti ſunt, & vocati Angeli, teſtante Dauid: Qui facit, inquit, Angelos ſuos ſpiritus. Pſal. 103 Maria vero matrem ſe agnoſcens, maieſtatem illam, cui illi cum reuerentia ſeruiunt, cum fiducia ſuum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod eſſe dignatus eſt. Nam paulo poſt ſubdit Euangeliſta: Et erat, inquiens, ſubditus illis. Chriſti humilitas.

Hier. Hieron. aduerſ. Heluid: Denique excepto Ioſeph, & Elizabeth, & ipſa Maria, paucisque admodum, ſi quos ab his audiſſe poſſumus exiſtimare, omnes Ieſum filium exiſtimabant Ioſeph; in tantum vt etiam Euangeliſtæ opinionem vulgi exprimentes, quæ vera hiſtoriæ lex eſt, patrem eum dixerint Saluatoris. Vt ibi: Et cum inducerent puerum Ieſum parentes eius. Et alibi: Et erant pater illius, & mater admirantes. Et rurſum: Et ibant parentes eius per annum in Hieruſalem in ſolemni die Paſchæ. Ac deinde: Et non cognouerunt parentes eius. Ipſa quoque Maria, quæ ad Gabrielem reſponderat, dicens: Quomodo fiet hoc? quia virum non cognoui: quid de Ioſeph loquitur, auſculta: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quęrebamus te. Non enim hæc Iudæorum, vt plerique argumentantur, non illudentium vox eſt. Euangeliſtæ patrem

Ioſeph

Ioſeph dicunt: patrem Maria confitetur. Non quod, vt ſuperius indicaui, vere pater Ioſeph fuerit Saluatoris; ſed quod, ad famam Mariæ conſeruandam, pater ſit ab omnibus exiſtima-
Hier. tus. Et Matt. 14: Conſuetudinis ſcripturarum eſt, vt opinionem multorum ſic narret hiſtoricus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Ioſeph ab ipſa quoque Maria appellabatur pater Ieſu: ita & nunc Herodes dicitur contriſtatus.

Aug. Aug. ſer. 63. de diuerſ. cap. 10: Filius hominis ex tempore natus de virgine, ſine ſemine maritali, parentem tamen habebat vtrumque. Vnde hoc probamus? Iam dixit Maria: Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Et
Mariæ humilitas. cap. 11: Primo non eſt prætermittenda, fratres, maxime propter diſciplinam ſororum noſtrarum, tam ſancta modeſtia Virginis Mariæ. Chriſtum pepererat, Angelus ad eam venerat, & dixerat ei: Ecce concipies in vtero, & paries filiũ, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur. Meruerat parere filium Altiſſimi, & erat humillima; nec ſe marito, nec in ordine nominis, præferebat, vt diceret: Ego, & pater tuus; ſed: Pater tuus, inquit, & ego. Non attendit ſui vteri dignitatem; ſed attendit
Maria ſibi Ioſephum præponit. ordinem coniugalem. Non enim humilis Chriſtus matrem ſuam ſuperbire docuiſſet. Pater tuus, inquit, & ego: quia caput mulieris vir. Quanto minus debent ſuperbire cæteræ fœminæ? nam & ipſa Maria mulier dicta eſt; non corrupta virginitate; ſed appellatione propria gentis ſuæ. Dixit enim de Domino Ieſu Chriſto &
Gal. 4. Apoſtolus: Factum ex muliere. Non tamen interrupit ordinem, & textum fidei noſtræ, qua confitemur natum de Spiritu ſancto, & Maria virgine. Illa enim virgo concepit, virgo peperit, virgo permanſit. Sed mulieres omnes fœminas illi appellauerunt proprietate linguæ Hebrææ. Audi euidentiſſimum exemplum. Prima fœmina, quam fecit Deus ſumptam de latere viri, antequam cum viro concumberet, quod poſteaquam de paradiſo exierunt ſcribitur factum: tamen mulier iam vocabatur, dicente ſcriptura:
Gen. 2. Formauit eam in mulierem.

Eucher. Eucher. hom: Admirati, inquit, ſunt parentes eius, cum eum in medio Doctorum ſedere vidiſſent. Admirantur vſque hodie Iudæi, quicunque ad Eccleſiam veniunt, & ad fidem conuertuntur: dum ibi Chriſtum vident, quem ipſi Meſſiam vocant, quem in ſynagoga, & inter cognatos, & notos, nulla illorum expoſitione videre, vel intelligere potuerunt. Diximus iam per matrem Domini ſynagogam ſignificari, de qua Dominus ſecundum carnem originem duxit. Hæc autem quocunque tempore ad Eccleſiam veniens, ibiq; veritatem intelligens, ſuam ignorantiam, & Chriſti abſentiam admiratur, & admirando dicit: Fili, quid feciſti nobis ſic? Cur nos reliquiſti, & ad Gentium Eccleſiam pertranſiſti? Ecce pater tuus populus Iudaicus, & ego dolentes quærebamus te. Hoc eſt enim,
Rom. 10. quod Apoſtolus ait: Teſtimonium illis perhibeo, quia zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Quærunt Ieſum, & non inueniunt: quia nondum ad templum, & ad Eccleſiam peruenerunt.

Not. 5. ver. 7.

Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 14: Ille natiuum, germanumque patrem ſenſim demonſtrans, oportere ſe reſpondit verbis, operibusque patris vacare, & incumbere: atque in illis potius, quam alijs locis verſari. Nihil quippe illius in terris templo eſſe præſtantius. Niceph.

Eucher: Quid eſt, quod me in comitatu infidelium, & extra Eccleſiam eſſe putabatis: hic eram; hic me quærat, qui quærere vult. In his, quæ patris mei ſunt, inter illos, qui patris mei voluntatem faciunt. Eucher.

Bed. in hom: Quod matri reſpondit, diuinæ maieſtatis indicium fuit, de qua alibi dicit: Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt, atque ideo rectiſſime templum, nõ minus ad ſe quam ad Patrem pertinere teſtatur. Inuentus quippe in templo dicit: Quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe: quia nimirum quorum vna eſt maieſtas & gloria, horum etiam vna ſedes ac domus eſt. Nec ſolum materialis Deo domus eſt, quæ ad adorandum eum temporaliter fieri ſolet, ſed etiam domus intellectualis, quæ ad laudandum eum in æternum conſtituitur, æquè Patri & Filio, imo etiam Spiritu ſancto conſtat eſſe communis. Denique idem filius qui de ſe ac Patre dilectori ſuo promittit, veniemus ad eum & manſionem apud eum faciemus, dicit de Spiritu ſancto. Et ego rogabo Patrẽ & alium Paracletum dabit vobis vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis qui apud vos manebit, & in vobis erit, quia videlicet eiuſdem ſanctæ Trinitatis, cuius vna, atque indiuiſibilis natura diuinitatis eſt, manſio in cordibus electorum diſpar eſſe non poteſt. Ergo quod Dominus in templo ſedens dicit: In his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe, declaratio eſt conſempiternæ Deo Patri poteſtatis & gloriæ. Bed. Ioan. 16. Ioan. 14.

Leo epiſt. 4. cap. 2: Significat eius ſe eſſe filium, cuius eſſet & templum. Leo.

Amb. lib. 2. in Lucam: Duæ ſunt in Chriſto, &c. vt lect. 8. Dom. inf. oct. Epiph. Amb.

Cyr. lib. 1. de recta fide ad Reginas: Vide quomodo proprium ſuum patrem appellat eum, qui in cœlis eſt. Sed ſi quidem eſſet homo ſeorſim, & talis quiſpiam intelligeretur eſſe, vt nos ſumus, quomodo non oportebat potius dicere: neſciebatis quod in his, quæ omnium patris, eſſe me oportebat? Sed proprium ſuum facit. Solus enim ex illo natus eſt ſecundum naturam diuino more. Idem autem & homo factus, proprium habet, ac natura patrem Deum. Cyr.

Epipha. hære. 30: Dixit: Quid eſt, quod me, &c. ſignificans quod templum in nomen Dei, hoc eſt, patris ipſius ædificatum eſt. Si itaque à puero nouit templum, & patrem, non profecto nudus homo genitus eſt. Epiph.

Aug. ſerm. 63. de diuerſis cap. 10: Hoc propterea dixit, quia filius Dei erat in templo Dei: templum Aug.

templum enim illud non erat Ioſeph; ſed Dei. Ecce,inquit aliquis,non ſe conceſſit eſſe filium Ioſeph. Attendite,&c. Non ſic ſe volebat eſſe filium illorum, vt non intelligeretur filius Dei. Filius enim Dei, ſemper filius Dei, creans illos ipſos. Et cap.11 Non hic [illegible] patrem Deum, vt neget patrem Ioſeph,&c. Videtis quod non [illegible] dixerit: Oportet me in his,&c. vt intelligeremus quaſi diceret: Vos non eſtis parentes mei: ſed parentes illi temporaliter; pater ille ſempiterne parentes illi filij hominis; pater ille verbi, & ſapientiæ ſuæ, &c.

Not 6. ver. 8.

Niceph. NICEPH. lib. 1. cap. 14. Ille tum abijt, perſectam expectans ætatem: parentibus, quæ decebat [illegible], & competentem illis filium ſe o[illegible], vt [illegible] ut [illegible], [illegible] nihil tamen quæ [illegible], ſed [illegible], edens miraculum, donec [illegible] expleret annum.

Euthym. Euthym. Quod non intellexerunt, quoniam [illegible] explicabant, qui nondum ſpiritualem intelligentiam habebant. Audiant hoc ſubditi, & ſubditi eſſe non dedignentur. Siquidem omnibus prælatus, ſubditus fieri non eſt dedignatus. Prælati quoque non ſuperbiant: & in Ioſeph [illegible]to, & in Chriſto ſubdito intelligant, quod ſæpe fit, vt maioris meriti ſint ſubditi, quam prælati.

Chriſtus obediens & ſubditus exemplum.

Bern. Bern. hom. 1. ſuper Miſſus eſt: Erat ſubditus illis, quis: quibus? Deus hominibus. Deus, inquam, cui Angeli ſubditi ſunt: cui Principatus, & Poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ. Nec tantum Mariæ; ſed etiam Ioſeph propter Mariam. Mirare ergo vtrumlibet, & elige quid amplius mireris, ſiue filij benignißimam dignationem, ſiue matris excellentißimam dignitatem. Vtrinque ſtupor, vtrinque miraculum. Et quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo: & quod Deo fœmina principetur, ſublimitas ſine ſocio. In laudibus virginum ſingulariter canitur, quod ſequuntur agnum quocunque ierit. Quibus ergo laudibus [illegible] [illegible], quæ etiam præit. Diſce homo obedire, diſce terra ſubdi, diſce puluis obtemperare. [illegible] loquens Euangeliſta: Et erat, inquit, ſubditus illis: haud dubium quin Mariæ, & Ioſeph. Erubeſce ſuperbe cinis. Deus ſe humiliat, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu [illegible] geſtiens hominibus, tuo te præponis auctori: Vtinam mihi aliquando [illegible] cogitanti, Deus reſpondere dignetur [illegible] reſpondit Apoſtolo [illegible] inquit, poſt me Sathana; quia non ſapis ea quæ Dei ſunt. Quotiens enim hominibus præeſſe deſidero, totiens Deum meum præire contendo: & tunc vere non ſapio ea, quæ Dei ſunt. De ipſo namque dictum eſt: Et erat ſubditus illis. Si [illegible], ô homo, [illegible] dedignaris exemplum, [illegible] non erit tibi indignum ſequi auctorem tuum. Si non potes fortiam ſequi eum quocunque ierit, dignare vel ſequi quo

Maria virginis dignitas. Apoc. 14.

Matt. 16.

tibi condeſcendit. Et ſerm. 3. in circunciſione Domini: Eligat abiectus eſſe in domo Dei ſui, & ſubiectus eſſe magiſtro, ſub quo frangatur eius voluntas, & obedientiæ freno concupiſcentia reprimatur: ſitque quod ait Propheta: Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra, nec dedignandum ſerno, quod præceſſit in Domino. Siquidem non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Ille enim cum iam creuiſſet ætate, & ſapientia, & gratia apud Deum, & homines; cum iam duodecim annorum eſſet, & remanſiſſet in Hieruſalem, inuentus à beata virgine, & Ioſeph, cuius filius putabatur, in medio Doctorum, audiens illos, & interrogans: tamen deſcendit cum illis, & erat ſubditus illis. Et tu ergo iſto ſubditus propter illum. Et ſerm. 3. de Reſurrect. Dom: Attende quid fecerit magni conſilij Angelus, quomodo conſilium ſuum poſtpoſuerit conſilio, vel magis voluntati mulieris vnius (beatam virginem loquor,) & fabri pauperis, ipſe eſt Ioſeph. Inuentus enim in medio Doctorum, audiens eos, & interrogans, quodammodo increpatus à matre eſt: Fili, quid feciſti nobis ſic? At ille: Quid erat, inquit, quod me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? At illi non intellexerunt verbum. Et quid fecit verbum? non capiebatur in ſe, deſcendit ita vt eſſet etiam ſubditus illis. Quis iam non erubeſcat obſtinatus eſſe in conſilio ſuo, quando ſuum ſapientia ipſa deſeruit? Sic mutauit conſilium ſuum, vt quod iam tunc cœperat, ex tunc vſque ad trigeſimum ætatis ſuæ annum prorſus dimiſerit. Nihil enim ab hoc duodecimo anno, de eius doctrina, vel operibus inuenis vſque ad annos triginta. Sed forte quærendum ab ipſo eſt, quomodo voluntatem, conſiliumque reliquerit. O Domine, voluntas, de qua dixiſti, vt non fieret; ſi bona non erat, quomodo tua erat: ſi bona erat, quare derelicta eſt? Sic & conſilium, ſi non bonum, quomodo tuum: ſi bonum, quomodo relinquendum. Et bona erant, & eius erant, neque minus tamen relinquenda: ob hoc, videlicet, vt fierent meliora. Neque enim oportebat propria præiudicare communibus, &c.

Et ſer. 19. ſuper Cant. Non legiſtis in Euangelio, quam formam obediendi puer Ieſus pueris ſanctis tradiderit? Nam cum remanſiſſet in Hieruſalem, & dixiſſet in his, quæ patris ſui erant oportere ſe eſſe, non acquieſcentibus parentibus eius, ſequi illos in Nazareth non deſpexit, magiſter diſcipulos; Deus homines; verbum, & ſapientia fabrum, & fœminam. Quid etiam addit ſacra hiſtoria: Et erat, inquit, ſubditus illis. Quouſque vos ſapientes eſtis in oculis veſtris? Deus ſe mortalibus credit, & ſubdit: & vos in vijs veſtris adhuc ambulatis? &c.

Bed. hom. de eadem lectio: Quod autem rediens Nazareth, erat ſubditus parentibus, humanæ eſt veritatis indicium, ſimulque humilitatis exemplum. In ea namque natura ſubditus erat hominibus, in qua minor eſt Patre: vnde & ipſe dicit: Vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt. In qua etiam minoratus eſt paulo minus ab Angelis.

Bern. Pſal. 65. Chriſtus obediētiæ exemplū. Ioan. 13. Bern. Ber. Bed. Ioan. 14. Pſal. 8.

Angelis. In illa autẽ, in qua ipſe & Pater vnum
Ioan.10. ſunt, in qua non ex tempore vadit ad Patrem, ſed ſemper in ipſo eſt omnia per ipſum facta ſunt, & ipſe eſt ante omnes. Cuius multum eſt miranda magnæ diſpenſatio pietatis, qui dum parentes ſuos myſterium diuinæ ſuæ maieſtatis necdum capere vidiſſet, exhibuit eis humanæ ſubiectionem humilitatis, vt per hanc eos paulatim ad agnitionẽ diuinitatis inſtrueret. Cum enim dixiſſet: Quid eſt quod me quærebatis? an neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? & ipſi non intellexerũt verbum quod locutus eſt ad illos, ſicut Euangeliſta conſequenter inſinuat, Deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis. Dicebat ergo arcanum ſuæ diuinæ virtutis parentibus humanæ ſuæ fragilitatis, matri ſuæ, ſcilicet veræ ſuæ carnis, & caſtiſſimo tutori caſtitatis illius, qui per id temporis necdum prolata luce Euangelica, ab omnibus penè qui eos noſſe poterant, carnali coniunctione vir eius, carnali adminiſtratione Pater æſtimabatur ſimul & vocabatur ipſius Domini Saluatoris. Dicebat, inquam his, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe. Qui cum arcem tanti myſterij aſcendere intelligendo non poſſunt, neque aliter eum in his, quæ vere eius Patris eſſent, manere decernerent, niſi vt comprehendere noſſent, deſcendit ipſe cum ipſis ad inferiora conuerſationis eorum, cœpitque manere in his, quæ illorum erant, & erat eis pia diſpenſatione ſubiectus, donec proficiente humilitatis magiſterio quantum omnibus creaturis eſſet præferendus agnoſcerent. Quid pro his noſtra agat ſuperbia, obſecro paucis attendamus. Certe cum ea quæ non æternaliter nouimus, ſed donante Domino ex tempore didicimus arcana ſcripturarum ſimpliciores quoſque fratres, nobis loquentibus intelligere non poſſe ſentimus, ſtatim extolli conſueuimus, eiſque deſpectis, de noſtra nos quaſi ſingulari ac perplurima eruditione iactamus, quaſi non ſint perplures etiam nobis multo doctiores, & qui à doctioribus nolumus deſpici, ipſi indoctiores nobis deſpicere, imo etiam irridere gaudemus: neque reminiſci curamus, quia non eis qui vel myſteria fidei, vel ſui præcepta conditoris tantum meditando percipiunt, ſed his potius qui ea quæ diſcere potuerunt operando exerceant regni aditus patet. Inſuper etiam ſcienti bonum facere, & non facienti peccatum eſt illi. Et ſicut Dominus teſtatur: Omni cui multum eſt datum multum quæretur ab
Iacq. 3. Luc. 12. eo. Ne nos ergo ſcientia inflet, ſed charitas potius ædificet, ſequamur exemplum apparentis in homine filij Dei, qui eis quos ſe ad ſublimia diſcenda ſequi necdum valere conſpexit, ſeipſum benigna humilitate ſubiecit: cuius exemplo imbutos eorum animos cœleſti gratia dignos, cœleſtis arcani redderet eſſe capaces. Omnia quæ de Domino, vel à Domino dicta, ſiue acta cognouerat mater virgo, diligentius in corde retinebat, ſolicite cuncta memoriæ commendabat: vt cum demum tempus prædicandæ, ſiue ſcribendæ incarnationis eius adueniret, ſufficienter vniuerſa, pro vt eſſent geſta, poſſet explicare quærentibus. Imitemur & nos, fratres mei, piam Domini matrem, ipſi quoque omnia verba, & facta Domini, ac Saluatoris noſtri fixè in corde conſeruando; horum meditatione diurna, & nocturna importunos inanium, nocentiumque cogitationum repellamus incurſus: horum crebra collatione & nos, & proximos noſtros à fabulis ſuperuacuis, & male dulcoratis detractionum colloquijs caſtigare, atque ad diuinæ frequentiam laudis accendere curemus.

Amb. lib. 2. in Luc: Quid enim magiſter, &c. vt lect. 9. Dom. 1. poſt Epiph. Amb.

Aug. ſer. 63. de diuer. cap. 11: Non dixit: Erat ſubditus matri, aut erat ſubditus ei: ſed, erat, inquit, ſubditus eis. Quibus ſubditus erat? nonne parentibus? ambo parentes erant, quibus ille ſubditus erat, ea dignatione, qua filius hominis erat. Iam dudum præcepta fœminæ accipiebant: nunc pueri accipiant, vt obſequantur parentibus, eiſque ſint ſubditi. Chriſto mundus ſubditus: Chriſtus parentibus ſubditus. Aug. Superioribus obediendum. Et lib. 3. cont. Maximi. cap. 18: Proinde ſi admittit ratio veritatis, vt æquali patri, filius obſequatur æqualis, non negamus obſequium. Si autem per obſequium minorem natũ vultis credere, prohibemus. Nullo modo enim Deus pater, vt habere vnici filij poſſet obſequium, vellet degenerare naturam. Parentibus autem vt eſſet ſubditus Chriſtus, non diuinæ maieſtatis fuit; ſed ætatis humanæ. Fruſtra itaque dixiſti: Si parentibus fuit ſubditus, quos creauit, quanto magis ſuo genitori, qui eum talem, ac tantum genuit? Reſpondetur enim tibi: Si parentibus fuit ſubditus propter pueritiam; quanto magis Deo propter ipſam hominis formam? quam formam cum immortalem fecerit, non morte perdiderit, quid miraris, ſi etiam poſt huius ſeculi finem ſubiectus erit in ea illi, qui ei ſubiecit omnia? Tu autem non propter formam ſerui dicis filium patri eſſe ſubiectum; ſed quia eum talem, ac tantum genuit, id eſt, magnum Deum, quamuis patre ipſo minorem. Vbi & Patri derogas, qui filium ſibi vnicum, aut non potuit, aut non voluit gignere æqualem: & ipſi filio, qui vnicus patri non eſt generatus æqualis: Et ideo perfectus eſt natus, ne vnquam vel creſcendo fieret, quod non potuit eſſe naſcendo. Aug.

Sophro. apud Hieron. to. 9. ep. 10: De matre vero Euangeliſta, cum rediret veniens, ait: Nazareth, erat ſubditus illis. Sed alia eſt natura, qua Deus pater ſecundum ſe honoratur: alia qua idem parentibus ſubditur. In vtraque tamen vnus, idemque Chriſtus recte creditur: eo quod verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, vnus Emanuel, quod eſt, nobiſcũ Deus. Hanc quippe vnionem diuinitatis, atque humanitatis inconfuſam, atque indiuiſam, fides catholica ſeruat, &c. Sophro.

Nyſſen. orat. in illud: Quando ſibi ſubiecerit omnia, &c. Poſtquam oſtendit in ſcriptura ſacra, ſubijci, multis accipi modis; ſic tandem ait: Quod ſi etiam addendum eſt illud genus ſubie- Nyſſ.

ſubiectionis, quod dicit euangelium ſecundum Lucam, nempe quod ſubiectus fuerit parentibus ad duodecimum annum procedens Dominus, ne illud quidem conuenerit in Deo vero, & qui eſt ante ſecula, vt vero ſuo patri dicatur eſſe ſubiectus. Nam ille quidem, qui tentatus fuit per omnia ad ſimilitudinem noſtram abſque peccato, voluit etiam procedere per ætates noſtræ naturæ. Et quomodo cum eſſet infans, infantilem accepit ætatem, butyrum, & mel comedens: ita etiam cum proceſſiſſet ad adoleſcentiam, non recuſauit id, quod huic ætati erat congruens, ac conueniens, futurus vitæ exemplum moderationis, &c.

Chriſtus cur parentibus fuerit ſubiectus.

Baſ. Baſ. hom. 22. de humilitate: Vniuerſa Domini diſpenſatio ad humilitatem nos inſtruit. Et conſtitu. monaſticar. cap. 5. habet Chriſtum in perferendis laboribus cum ſuis parentibus morigeram obedientiam declaraſſe.

Not. 7. ver. 9.

Euchet. Vt Chriſtus profecerit. EVCHER: Proficiebat, non ſecundum diuinitatem, quæ quidem in nullo vel creſcere, vel minui poteſt: ſed ſecundum humanitatem, qua nobis ſimilis factus eſt.

Bed. Bed. hom: Naturam veræ humanitatis indicat in qua proficere ad tempus voluit, qui in diuinitate idem eſt, & anni eius non deficient. Iuxta hominis quippe naturam proficiebat ſapientia, non quidem ipſe ſapientior ex tempore exiſtendo, qui à prima conceptionis hora ſpiritu ſapientiæ plenus permanebat, ſed eandem qua plenus erat ſapientiam, cæteris ex tempore paulatim demonſtrando. Iuxta hominis naturam proficiebat ætate, quia de infantia ad pueritiam, de pueritia ad iuuentutem, conſueto hominibus creſcendi ordine peruenit. Iuxta hominis naturam proficiebat gratia, non ipſe per acceſſum temporis accipiendo quod non habebat, ſed pandendo donum gratiæ quod habebat. Et bene cum dictum eſſet, quia Ieſus proficiebat ſapientia, ætate, & gratia, adiunctum eſt: apud Deum, & homines: quia quantum proficiente ætate hominibus ſapientiæ, & gratiæ, quæ ſibi inerat, dona patefaciebat, tantum eos ad laudem Dei Patris ſemper excitare curabat, peragens ipſe quod cæteris agendum præcepit: Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Atque ideo non ſolum apud homines gratia, & ſapientia proficere dicitur, in quantum ipſi eius ſapientiam, gratiamque potuêre cognoſcere, ſed etiam apud Deum in quantum ad eius laudem, gloriamque, ſapientiam, ac gratiam, quam in eo cognouêre retulerunt.

Ieſus proficiebat ſapientia, — Ætate. — Gratia. — Matt. 5.

Bern. Vt Chriſtus ab initio vir erat. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus: Vir igitur erat Ieſus necdum etiam natus; ſed ſapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate ſenſuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit ſapientiæ, vel potius non minus fuit ſapientia Ieſus conceptus, quam natus; paruus, quam magnus. Siue ergo latens in vtero, ſiue vagiens in præſepio, ſiue iam grandiuſculus interrogans Doctores in templo, ſiue iam perfectæ ætatis docens in populo, æque profecto plenus fuit Spiritu ſancto. Nec fuit hora in quacunque ætate ſua, qua de plenitudine illa, quam in ſui conceptione accepit in vtero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adijceretur; ſed à principio perfectus, à principio, inquam, plenus fuit ſpiritu ſapientiæ, & intellectus; ſpiritu conſilij, & fortitudinis; ſpiritu ſcientiæ, & pietatis; & ſpiritu timoris Domini. Nec te moueat quod de illo legis in alio loco: Ieſus autem proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia, apud Deum, & homines. Nam quod de ſapientia, & gratia hic dictum eſt, non ſecundum quod erat, ſed ſecundum quod apparebat, intelligendum eſt: non quia, videlicet, aliquid ei nouum accideret, quod ante non haberet: ſed quod accidere videretur, quando volebat ipſe vt videretur. Tu homo cum proficis, non quando, nec quantum vis proficis; ſed te neſciente tuus moderatur profectus, tua vita diſponitur. At vero puer Ieſus, qui diſponit tuam, ipſe diſponebat & ſuam; & quando volebat, & quibus volebat ſapiens apparebat, quando, & quibus volebat ſapientior, quando, & quibus volebat ſapientiſſimus; quanquam in ſe nunquam eſſet, niſi ſapientiſſimus. Similiter & cum ſemper omni gratia plenus fuiſſet, ſiue quam apud Deum, ſiue quam apud homines habere deberet; pro ſuo tamen arbitrio eam nunc plus, nunc minus oſtendebat, prout cernentium vel meritis congruere, vel ſaluti expedire ſciebat.

Plenus gratia, & ſapientia. — Luc. 2. — Eſa. 11. — Vt ſapientia, & gratia proficiebat. — Chriſtus aliter quã nos proficiebat.

Fulg. Fulg. lib. 1. ad Traſim. cap. 8: Sicut carnis eſt ætate proficere: ſic eſt animæ, ſapientia, & gratia profeciſſe.

Amb. Amb. lib. de incarn. Domin. ſacram. cap. 7: Quomodo proficiebat ſapientia Dei? doceat te ordo verborum. Profectus ætatis, & profectus ſapientiæ, ſed humanæ eſt. Ideo ætatem ante præmiſit: vt ſecundum hominem crederes dictum. Ætas enim non diuinitatis, ſed corporis eſt. Ergo ſi proficiebat ætate hominis, proficiebat ſapientia hominis. Sapientia autem ſenſu proficit: quia à ſenſu ſapientia. Ieſus autem proficiebat ætate, & ſapientia. Quis ſenſus proficiebat? Si humanus, ergo & ipſe ſuſceptus eſt. Si diuinus, ergo mutabilis per profectum. Quod enim proficit, vtique mutatur in melius. Sed quod diuinum eſt, non mutatur. Quod ergo mutatur, non vtique diuinum. Senſus igitur proficiebat humanus. Senſum ergo ſuſcepit humanum. Et vt ſciamus quia ſecundum hominem loquebatur, præmiſit, dicens: Puer autem confortabatur, & creſcebat, & implebatur ſapientia, & gratia Dei erat cum illo. Et puer noſtræ nomen ætatis eſt, nec confortari virtus poterat Dei, nec creſcere Deus, nec altitudo ſapientiæ Dei, nec plenitudo diuinitatis impleri. Quæ igitur implebatur, erat non Dei, ſed noſtra ſapientia. Nam quomodo implebatur, qui vt omnia impleret, deſcendit?

Naz. Naz. orat. 30: Ille vt ætate, ita etiam ſapientia, & gratia proficiebat: non quod hæc in illo incrementum caperent: quid enim eo, quod in principio perfectum eſt, perfectius eſſe poſſit? ſed quod paulatim patefierent, & elucerent. Naz. Et tract. 49. ad Cledo: Neque enim id, quod cœpit, aut progreditur, aut perficitur, Deus eſt; tametſi hæc de eo idcirco dicantur, quod paulatim hominibus inclaruerit. Vide Cæſarium dialogo 1. Cæſar. Cyrillum Alexandrinum lib. 10. theſa. cap. 7. & lib. 2. de recta fide ad Reginas. Et lib. 1. in Ioan. cap. 17. Et lib. de incarnatione vnigeniti cap. 27. & in apologet. anathemariſmo 4. Cyr. Origen. hom. 1. in Hierem. hom. 19. & 20. in Lucam. Orige. Thom. par. 3. quæſt. 7. ar. 2. 3. 12. & quæſt. 15. ar. 8. Thom. & Athan. ſerm. 4. cont. Arianos. Athan.

CAP. 15. *Ioannis prædicatio, baptiſmus, veſtitus, eſca in deſerto, ac primum de* IESV *teſtimonium.*

Matth. 3.	*Mar. 1.*	*Luc. 3.*	*Ioan.*
	1 [INitium euangelij IESV CHRISTI filij Dei.	*Domin. 4. Aduent. Sabbato quat. temporum Aduent.*	
2 [IN diebus autem illis:	5 Sicut ſcriptum eſt in Iſaia propheta: Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.	2 [✠ ANno autem quinto-decimo Imperij Tyberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autẽ fratre eius Tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ Tetratcha, ſub principibus ſacerdotum Anna, & Caipha:	
		3 Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium, in deſerto.	
4 Venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.	4 Fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum.	4 Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum.	
5 Hic eſt enim qui dictus eſt per Iſaiam prophetam, dicentem: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.	5 Suprà.	5 Sicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ prophetæ: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.	
		6 Omnis vallis implebitur; & omnis mons, & collis humiliabitur; & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas; & videbit omnis caro ſalutare Dei. ✠	
	8 Et egrediebatur ad eum omnis Iudææ Regio, & Hieroſolymitæ vniuerſi: & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata ſua.		

Matth. 3.

7 Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceã circa lumbos ſuos, eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſylueſtre.

8 Tunc exibat ad eum Hieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis Regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua.

9 Videns autem multos Phariſæorum, & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira?

10 Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, & ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham.

11 Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.

12 Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt; omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Mar. 1.

7 Et erát Ioannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locuſtas, & mel ſylueſtre edebat.

8 Supra.

Luc. 3.

9 Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant, vt baptizarentur ab ipſo: Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?

10 Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham.

11 Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.

12 Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt; omnis ergo arbor, non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

13 Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? Reſpondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.

14 Venerunt autem & Publicani, vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magiſter, quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quã quod conſtitutũ eſt vobis, faciatis.

15 Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis; neque calumniã faciatis; & contẽti eſtote ſtipẽdijs veſtris.

16 Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne forte ipſe

Ioan.

Matth. 3.	*Mar. 1.*	*Luc. 3.*	*Ioan.*
		eſſet Chriſtus;	
	17 Et prædicabat, dicens:	17 Reſpondit Ioannes, dicens omnibus:	
18 Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt: cuius non ſum dignus calceamenta portare: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni.	18 Venit fortior me, poſt me: cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamentorum eius: ego baptizaui vos aqua: ille vero baptizabit vos Spiritu ſancto.	18 Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me: cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni.	
19 Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum ſuum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili.		19 Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream ſuam: & congregabit triticum in horreum ſuum; paleas autem comburet igni inextinguibili.	
		20 Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.	
		(Herodes autem Tetrarcha, &c. cap. 25.	

Notatio 1.

Diſpoſitionis ratio. Aug. Tatia. Ammo.

Hoc præcedentibus immediate ſubijcit Auguſtinus lib. 2. de conſen. cap. 6. & eundem hunc ordinem ſeruat. Sic etiam Tatianus, Ammonius, & alij.

Aug. De Ioãnis prædicatione omnes Euangeliſtæ loquantur. Eſa. 11.

Aug. lib. 2. de conſen. cap. 6: Iam hinc de prædicatione Ioannis narrari incipit: quam omnes quatuor commemorant. Nam & Matthæus poſt illa verba, quæ vltima eius poſui, vbi commemorauit ex propheta teſtimonium: quoniam Nazaræus vocabitur; ſequitur, & adiungit: In diebus autem illis, venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, &c. Et Marcus, qui nihil de natiuitate, vel infantia, vel pueritia Domini narrauit, hinc euangelij ſumpſit initium, id eſt, à Ioannis prædicatione. Sic enim exorſus eſt: Initium euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta: Ecce, mitto Angelum meum, &c. Et Lucas, poſt verba, vbi ait: Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia, apud Deum, & homines: de Ioannis prædicatione iam ſequitur, dicens: Anno autem quinto-decimo imperij Tyberij Cæſaris, &c. Ioannes quoque Apoſtolus, in Euangeliſtis quatuor eminentiſſimus, poſteaquam dixit de verbo Dei, qui eſt ipſe filius ante ante omnia ſecula: quia omnia per ipſum facta ſunt; intulit continuo de Ioannis prædicatione, ac teſtimonio, dicens: Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Vnde iam videndum eſt, de ipſo Ioanne quatuor Euangeliſtarum narrationes, quemadmodum inter ſe non diſcordent. Non vt hoc à nobis per omnia requiratur, aut exigatur, quod modo fecimus de primordijs nati ex Maria Chriſti, quemadmodum inter ſe Matthæus, Lucaſque conſentiant, vt ex vtriuſque narratione vnam faceremus: demonſtrantes tardioribus quemlibet eorum, commemorando quod alter tacet, vel tacendo quod alter commemorat, non impedire intellectum veracis narrationis alterius: vt hoc exemplo, ſiue vt à me factum eſt, ſiue alio modo commodius fieri poſſit, videat vnuſquiſque & in cæteris talibus locis fieri poſſe, quod hic factum eſſe perſpexerit. Iam ergo, vt dixi, videamus quatuor Euangeliſtarum, de Baptiſta Ioanne, conſenſum.

Eſa. 40. Ioannes Euangeliſtarum eminentiſſimus. Ioan. 1.

Not. 2. ver. 1.

Aug.

Avg. lib. 4. de conſ. cap. 1: Sic ergo incipit Marcus: Initium euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta, &c. vſque ad illud, vbi ait: Et ingrediuntur Capernaum: & ſtatim ſabbatis ingreſſus ſynagogam docebat eos. In hac tota contexione, omnia ſuperiora cum Matthæo conſiderata ſunt.

Orig.

Origen. lib. 2. cont. Celſ: Quid autem abſurdum eſt, legem eſſe initium noſtri dogmatis, id eſt, Euangelij? Cum ipſe Ieſus Dominus noſter dicat ad nolentes ſibi credere: ſi crederetis Moyſi, mihi crederetis: nam de me ille ſcripſit. Quod ſi literis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis? Sed & vnus Euangeliſtarum Marcus inquit: Initium euãgelij Ieſu Chriſti; ſicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta: Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciẽ tuam, qui parabit viam tuam ante te; oſtendens initium euangelij pendere à ſcriptis Iudaicis.

Ioan. 5. Euangeliũ pendet à lege.

Not. 3.

Not. 3 ver. 2.

Aug. Ioannis prædicatio quando narrata.

AVG. lib. 2. de conſ.cap.6:Matthæus ita ſequitur: In diebus autem illis, venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ. Marcus non dixit: In diebus illis: quia nullam ſeriem rerum ante præmiſerat, in quarum rerum diebus intelligeretur dicere, ſi diceret: In illis diebus. Lucas autem per poteſtates terrenas ſignantius ipſa tempora expreſſit prædicationis, vel baptiſmi Ioannis, dicens: Anno autem quinto-decimo Imperij Tyberij Cæſaris, &c. Nec tamen intelligere debemus hos dies, id eſt, hoc tempus harum poteſtatum ſignificaſſe Matthæum,

In illis diebus.

cum diceret: In diebus illis: ſed in multo longioris temporis ſpatio voluiſſe accipi quod ait: In diebus illis. Mox enim vt narrauit reuerſum de Ægypto Christum mortuo Herode (quod vtique tempore infantiæ, vel pueritiæ eius factum eſt: vt poſſit conſtare quod Lucas de illo, cum duodecim annorum eſſet, geſtum narrauit in templo Hieruſalem) Cum ergo infantem, vel puerum ex Ægypto reuocatum commemoraſſet Matthæus, continuo intulit: In diebus autem illis, venit Ioannes Baptiſta: non vtique tantummodo pueritiæ illius dies inſinuans: ſed omnes dies ab eius natiuitate, vſque ad tempus, quo prædicare, ac baptizare cœpit Ioannes. Quo iam tempore, Christi ætas iuuenilis inuenitur. Quia coæui erant ipſe, & Ioannes: & triginta ferme annorum narratur fuiſſe, cum ab illo baptizatus eſſet. Vide cap. 7. & 8. vt ſunt citata ad ver. 5. cap. 13.

Greg.

Greg. hom. 20. in Euang: Redemptoris noſtri præcurſor, &c. vt lect. 1. & 2. ſab. quat. tép. Adu.

Euſeb. Ioſeph. cap. 2.

Euſeb. lib. 1. hiſt. cap. 9: Idemque ſcriptor in decimo octauo Antiquitatis libro, anno regni Tyberij duodecimo (hunc enim in totius reipublicæ rectionem, cum iam Auguſtus ſeptem, & quinquaginta annis imperium adminiſtraſſet, ſuffectũ eſſe conſtat.) Pontium Pilatum Iudææ regnum obtinuiſſe: atq; eundem decem annos continuos, ad Tyberij fere occaſum, ibidem

Acta, quæ olim Pilati nomine aduerſus Christum extabant, ficta.

commoratum enarrat. Quocirca commentum eorũ, qui heri prope, & nudiuſtertius commentarios contra Seruatorem noſtrum ediderunt, perſpicue refutatur. In quibus primo omnium temporis ipſius ratio falſo ab illis obſeruata, mendacium eorum, qui talia commenti ſunt, euidenter, & aperte coarguit. Nam ad quartum conſulatum Tyberij Cæſaris, qui fuit anno regni eius ſeptimo, facinora à Iudæis in ſalutari Seruatoris paſſione admiſſa fuiſſe, iſti commentarij complectuntur. Quo quidem tempore ſatis liquet, Pilatum nondum ad Iudææ præfecturam gerendam aduentaſſe, ſi Ioſephi teſtimonio fidem adhibere velimus, qui in libro eius ſupra poſito, ſic plane declarat, Pilatum à Tyberio, anno regni eius duodecimo, Iudææ præfectum fuiſſe deſignatum. Eadem habet Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 16.

Niceph. Euſeb.

Euſeb. cap. 6: Simul ac principes, & duces ex Iuda, hoc eſt, ex Iudæorum familia, ac gente prognati, rempublicam illam regere deſiſtebant; ſeries etiam ſummi ſacerdotij, quod ſecundum generis propinquitatem, & auitam ſucceſſionem rato, ac certo ordine ſolebat cuique deferri, extemplo confuſione quadam (neque id ſine cauſa) labefactata eſt. Quarum rerum teſtem locupletem habes Ioſephum, qui narrat Herodem, cum à Romanis eſſet regno donatus, non amplius pontifices, & ſummos ſacerdotes ex antiquo creauiſſe genere: ſed abiectis quibuſdam, & ignobilibus illum honoris gradum detuliſſe. Eandem item rationem in deſignandis ſummis ſacerdotibus Archelaum filium eius, & Romanos etiam, qui poſt illum Iudæorum regnum adepti ſunt, cum Herode obſeruaſſe. Idem ſcriptor porro declarat, Herodem primum ſacram ſummi ſacerdotis ſtolam priuatim apud ſe tenuiſſe, proprio ſigillo occluſam: & ſummis ſacerdotibus deinceps illius apud ſe retinendæ poteſtatem non omnino permiſiſſe. Idemque eo mortuo feciſſe Archelaum, reliquoſque Romanos. Atque iſta ſint à nobis explicata, ad declarationem alterius propheriæ, quæ in Seruatoris noſtri Ieſu Christi aduentu plene completa fuit.

Euſeb. lib. 1. hiſt. cap. 10: Eodem tempore, vt ſcribit Euangeliſta, cum iam Tyberius Cæſar decimum quintum imperij ſui annum, & Pontius Pilatus quartum ſuæ præfecturæ ageret, reliquaque Iudæa ab Herode, Lyſania, & Philippo Tetrarchis regeretur, Seruator & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, id eſt, vnctus Dei, quando iam trigeſimum ætatis ſuæ annum agere incipiebat, ad Ioannem, vt lauacro baptiſmatis tingeretur, ſe contulit: eodemque tempore prædicandi Euangelij fecit initium. Iam vero ſacra ſcriptura aſſerit, eum omne tempus doctrinæ & prædicationis ſuæ ſub Anna, & Caipha, principibus ſacerdotum confeciſſe. Quo argumento oſtendere vult, vniuerſum tempus quo ſalutarem Euangelij cognitionem quibuſq; clemens enunciarit, eo annorum ſpatio quod inter horum miniſterium intercedebat omnino fuiſſe expletum: quandoquidem hoc ipſum prædicandi munus ordiebatur, Anna ſummo ſacerdotio fungente: idemque ad Caiphæ procurationem continuabat. Quod quidem temporis ſpacium vix integrum quadriennium efficit. Nam cum poſt illud tempus legis inſtituta iam quodammodo deleta eſſent: deleta eſt vna ſummorum ſacerdotum ſucceſſio: qui quidem propter maiorum genus & ſtirpem, in illud ſummi ſacerdotij munus ſuccedere, & totum vitæ ſuæ curſum in eo obeundo terere conſueuerunt. Cumque etiam ea, quæ ad verum Dei cultum ſpectabant, nullo ordine adminiſtrarentur, ſed à præfectis, qui pop. Rom. auctoritate delecti Iudææ præerant, modò hic modò ille ad ſummi ſacerdotij functionem deſignaretur, non amplius vno anno vnus eo deinceps miniſterio perfunctus eſt. Narrat porro Ioſephus, quatuor ſummos ſacerdotes ordine alterum alteri ſuccedentes inter Annã, & Caipham interfuiſſe: vt eſt in libro ſuo qui de Antiquitate inſcribitur. Sic enim refert: Valerius Gratus,

Annæ ſummi ſacerdotij munere adempto, Iſmaelem, filium Baphi, ſummum ſacerdotem deſignat. Ac non longo tempore poſt, illo ipſo de hoc dignitatis gradu deiecto, Eleazarum filium Annæ, qui princeps ſacerdotum antea fuerat, ſummum ſacerdotem declarat. Anno item interiecto, cum iſtum eo abdicaſſet officio, Simonem, filium Camithi, illo ſummi ſacerdotij honore donauit. Atque non amplius vnius anni ſpatio hinc illud amplitudinis munus exequenti; Ioſephus, qui etiam Caiphas nominatus eſt, ſucceſſor extitit. Perſpicuum eſt igitur, vniuerſum tempus, quo Seruator noſter ſacroſanctam ſuam, & Euangelicam doctrinam in finibus Iudææ diſſeminauerit, non quatuor omnino annos integros complexum eſſe: qua quidem temporis intercapedine, quatuor ſummos ſacerdotes ab Anna vſque ad deſignatum Caipham, annuum miniſterium obijſſe conſtat. Caipham item anni illius, quo Seruator noſter pro ſalute vniuerſi generis humani mortem in cruce perpeſſus ſit, ſummum reuera ſacerdotem fuiſſe, ſacra & diuina Euangelij eloquia docent. Vnde tempus quo Chriſti doctrina diuulgata eſt, ab illa obſeruatione quam ſuprà adnotauimus, nulla ex parte diſſidere, ſatis liquidò conſtat. Euſeb. in his verbis videtur mihi errare multipliciter, primo in eodem capite ſibi ipſi contradicit; nam in principio ait Chriſtum præfecturæ Pilati anno quarto ſuam prædicationem inchoaſſe: poſtea verò id ipſum negat ſaltem implicitè, ac virtute dum inſinuat initium, & progreſſum prædicationis Chriſti factum eſſe ſub Valerio Grato, Scribit enim Chriſtum ſub Anna Pontifice ſuam prædicationem incœpiſſe; eandem verò continuaſſe ſub Iſmaele, Eleazaro, & Simeone Pontificibus; & eam ipſam terminaſſe ſub initium Pontificatus Caiphæ. Hi autem omnes ſub Valerio Grato Pontificatum geſſerunt, vt poſt Ioſephum aſſerit Euſebius. Quomodò ergo iſta conſentiunt Chriſtum incœpiſſe prædicare anno quarto Pilati, & prædicauiſſe ſub Anna, Iſmaele, Eleazaro, Simeone, & Caipha, qui omnes fuerunt pontifices ante Pilati tempora? Secundus error, Euſebius ibi Ioſephum citat, vt ex eo doceat quamdiu Chriſti prædicatio durauerit, nempe non integrum quadriennium: ad hoc autem probandum locus ille Ioſephi non pertinet, quia in veritate non niſi ſub Caipha Pontifice, & Pilato præſide Chriſtus prędicauit. Male ergo citat locum illum Ioſephi, qui nihil ad hoc Euſebij propoſitum conducit. Tertius error, hic Euſebius illa verba Lucæ 3. cap. videtur intelligere, vt Euangeliſta dicere voluerit, quod ſub finem pontificatus Annæ Chriſtus officium ſuum exercere cœperit, & finire circa initium Pontificatus Caiphæ; ideoque Lucam illos duos nominaſſe. Verum id non voluit Euangeliſta; ſed intendit ſolum oſtendere quando Ioãnes munus ſuum ſit exorſus: vt inde ſciamus quando Chriſtus ſe pro Meſſia gerere incœperit; ait enim Lucas: Anno quinto decimo Tyberij, &c. ſub principibus ſacerdotum, &c. Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem. Quartus error, ſi Chriſtus prædicationem ſuam abſoluit circa initium Pontificatus Caiphæ, præſide Pilato, euangelizare non potuit; tantum abeſt vt quarto Pilati anno ſuam functionem inchoauerit; Caiphas enim Grato adhuc præſide, ante Pilati tempora ſummum ſacerdotium adminiſtrabat. Atqui manifeſtum eſt ex Euangelio Chriſtum vtcumque diu prædicauiſſe ſub Pilato: Ita namque, Lucæ 13. habetur: Aderant autem quidam ipſo in tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificijs eorum. Iamque diu Iudææ præfuerat. Et Luc. 23: Facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die. Nam antea inimici erant ad inuicem. Quibus verbis indicat Euangeliſta inimicitiam eorum non fuiſſe admodum recentem, nec antequam præfecturam gereret Pilatus, extitiſſe. Quintus error, ait Pontificiam dignitatem fuiſſe annuam, tamen eam Annas ad ſocietatem, Ioſepho teſte, habuit, & Caiphas à Grato eam accepit, ſub Pilato retinuit, & ſub Vitellio reliquit: Cæterum communiter ſingulis annis põtifices mutabantur. Iſtud propter eos, qui hunc Euſebij locum vt verum citauit, viſum eſt adnotare.

Not. 4. ver. 3.

AMBR. lib. 2. in Luc: Congregaturus Eccleſiam Dei filius, ante operatur in ſeruulo. Et ideo bene poſuit ſanctus Lucas, factum eſſe Dei verbum ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto: vt Eccleſia non ab homine cœperit; ſed à verbo. Ipſa enim eſt deſertum: quia plures filij deſertæ magis quam eius, quæ habet virum. Denique ipſi dicitur: Lætare ſterilis, & exulta deſertum: quia nullis adhuc conuenæ plebis operibus colebatur: neque vllum adhuc arbores illæ, quæ fructum ferre non poterant, meritorum ſuorum verticem proferebant: nondum venerat, qui diceret: Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Domini. Nondum vitis illa cœleſtes fructus palmitibus ſuis, verborum quadam ſuorum traduce, miniſtrabat. Factum eſt ergo verbum: vt quæ erat ante deſerta, fructum nobis terra generaret. Factum eſt verbum: vox ſecuta eſt. Verbum enim prius intus operatur: ſequitur vocis officium. Vnde & Dauid dicit: Credidi propter quod locutus ſum. Prius credidit, vt loqui poſſet. Bene itaque ſanctus Lucas compendio vſus eſt, vt Ioannem declararet prophetam, dicens: Factum eſſe ſuper eum verbum Dei: alia non adderet. Nullus enim eget iudicio ſui, qui verbo Dei abundat. Vnum itaque dixit, & omnia declarauit.

Amb. Verbũ Domini ſuper Ioannem.

Eſa. 54.

Pſa. 52.

Pſal 115.

Not. 5. ver. 4.

HIERON. Matt. 3: Primus Baptiſta Ioannes regnum cœlorum prædicat: vt præcurſor Domini hoc priuilegio honoretur.

Hiero.

Greg. hom. 20. in Euang: Cunctis legentibus, &c. vt lect. 3. ſabb. quat. temp. Aduent.

Greg.

Et in

Et in cap. 13. lib. 1. Reg: Velut enim trans Iordanem habitant, qui per peccandi vſum malis peiores fiunt. Ab hoc deſcenſu culpæ erigere peccatores venerat ille, de quo ſcriptum eſt: Venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Qui de omnibus culpis prædicare pœnitentiam venerat, in omnes vtique deſcenſus regionis veniſſe prædicatur.

Amb. Cur verbũ Domini factum ſit ſuper Ioannem. Ioannes legem cur ſignificet.

Amb. lib. 2. in Luc: Factum eſt autem verbum, vt ſanctus Baptiſta Ioannes pœnitentiam prædicaret. Et ideo plerique ſancto Ioanni typum legis imponunt: eo quod lex peccatum denunciare potuit, donare non potuit. Lex enim vnumquemque, qui viam gentium ſequebatur, reuocat ab errore, reſtringit à crimine, pœnitentiam ſuadet, vt gratiam conſequatur. Lex enim, & Prophetæ vſq; ad Ioannem. (Matt. 16.) Ioannes autem prænuncius Chriſti: Ita lex Eccleſiæ prænuncia, & gratiæ pœnitentia eſt.

Vict. Ioann. quod regnum annunciabat.

Victor Antioch. Mar. 1. ad illa verba: Ad hoc enim veni.) Ioannes quando: pœnitentiam agite: appropinquat enim regnum cœlorum: in deſerto prædicabat, ad vnum hoc myſterium (incarnationis Dei) ſpectabat. Nec enim aliud ille regnum cœlorum annunciabat, quam verbum caro factum, hoc eſt, Chriſtum.

Niceph.

Niceph. lib. 1. hiſt. cap. 14: Iſraeli ſe exhibuit, clara, efficacique voce pœnitentiam prædicans, & per baptiſmum homines quaſi manu ducens ad Chriſtum.

Aug. Vt baptizatis à Ioanne peccata remittebantur.

Aug. lib. 5. de bapt. cont. Donat. c. 10: Quanquam ita credam baptizaſſe Ioannem in aqua pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum, vt ab eo baptizatis in ſpe remitterentur peccata; re ipſa vero in Domini baptiſmo id fieret: ſicut reſurrectio, quæ expectatur in finem, ſpe in nobis facta eſt, ſicut dicit idem Apoſtolus, &c. (Epheſ. 2.)

Nos. 6. ver. 5.

Aug.

AVG. lib. 2. de conſ. cap. 12: Matthæus, Marcus quoque, & Lucas conſentiunt, hoc Eſaiæ teſtimonium eſſe de Ioanne. Nam plura verba etiam conſequentia ex eodem propheta Lucas commemorauit, cum de Baptiſta Ioanne narraret. Ioannes autem Euangeliſta, ipſum Ioannem Baptiſtam de ſeipſo idem teſtimonium Eſaiæ (Ioan. 1.) protuliſſe commemorat, ſicut nunc Matthæus dixit quædam Ioannis verba, quæ alij non dixerunt: Prædicans, inquit, in deſerto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. Hæc verba Ioannis alij prætermiſerunt. Iam vero quod ſequitur Matthæus, & adiungit: Hic eſt enim qui dictus eſt per Prophetam Eſaiam dicentem: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius; ambigue poſitum eſt, nec elucet vtrum ex perſona ſua idem Matthæus hoc commemorauerit, an adhuc verba eiuſdem Ioannis ſequutus adiũxerit: vt totum hoc Ioannes dixiſſe intelligatur: pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Hic eſt enim, qui dictus eſt per Eſaiam prophetam, &c.

An hæc verba Ioannes protulerit. Hoc dubiũ non eſt in Marco, & Luca.

Neque enim hoc mouere debet, quia non ait: Ego ſum enim, qui dictus ſum per Eſaiam prophetam; ſed ait: Hic eſt enim, qui dictus eſt. Solet quippe eſſe quaſi de alijs locutio & ipſorum Euangeliſtarum Matthæi, & Ioannis. Nam & Matthæus dixit: Inuenit hominem ſedentem in telonio: (Matt. 9.) nec dixit: Inuenit me: Et Ioannes: Hic eſt, inquit, diſcipulus, (Ioan. 21.) qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius. Non dixit: Ego ſum: aut: Verum eſt teſtimonium meum. Dominus autem ſæpiſſime ipſe dicit, filius hominis, aut filius Dei: (Matt. 16.) & non dicit: Ego. Et: Oportebat, inquit, Chriſtum pati, (Luc. 24.) & reſurgere tertio die: non dixit: Oportebat me pati. Potuit ergo & Ioannes Baptiſta, cum dixiſſet: Agite pœnitentiam: appropinquabit enim regnum cœlorum: de ſeipſo adiungere, quæ ſequuntur: Hic eſt enim, qui dictus eſt per Eſaiam prophetam, &c. vt poſt verba eius, Matthæus ita narrationem contexat: ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, &c. Quod ſi ita eſt, non mirum, ſi & interrogatus quid diceret de ſeipſo, ſicut narrat Ioannes Euangeliſta: Ego, ait, vox (Ioan. 1.) clamantis in deſerto: ſicut iam dixerat, præcipiens vt agerent pœnitentiam.

Hier.

Hieron. Matt. 3: Animas credentium præparabat, in quibus ambulaturus erat Dominus: vt purus in vijs puriſſimis ambularet, dicens: Habitabo in eis, & inambulabo: & ero Deus ipſorum; (Leu. 26.) & ipſi erunt mihi populus. Porphyrius iſtum locum, Marci Euangeliſtę principio comparat, in quo ſcriptum eſt: Initium euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, (Mal. 3.) qui præparabit viam tuam. Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas (Eſa. 40.) facite ſemitas eius. Cum enim teſtimonium de Malachia, Eſaiaque contextum ſit, quærit quomodo velut ab vno Eſaia exemplum putemus aſſumptum. Cui Eccleſiaſtici viri pleniſſime reſponderunt. Nos autem nomen Eſaiæ putamus additum ſcriptorum vitio: quod & in alijs locis probare poſſumus: aut certe de diuerſis teſtimonijs ſcripturarum, vnum corpus effectum. Lege decimum tertium pſalmum, & de hoc idem reperies. Et epiſt. 101. ad Pammach. de optimo genere interpretandi cap. 3: Marcus diſcipulus Petri ita ſuum orditur euangelium: principium euãgelij Ieſu Chriſti, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Hoc exemplum ex duobus prophetis compoſitum eſt; de Malachia videlicet, & Eſaia. Nam primum quod dicit: Ecce ego mitto Angelum (Mal. 3.) meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te; in Malachiæ fine ſcriptum eſt. Sequens autem quod infertur: Vox clamantis (Eſa. 40.) in deſerto, &c. in Eſaia legimus. Et quomodo Marcus ſtatim in principio voluminis ſui poſuit: ſicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta: Ecce ego mitto Angelum meum; quod non ſcribitur

Quomodo Eſaiæ tribuitur, quod ſolũ eſt in Malachia.

An ſit legendum, Eſaia.

Quomodo Eſaiæ tribuitur, quod ſolũ eſt in Malachia.

in Eſaia, vt diximus; ſed in Malachia nouiſſimo duodecim prophetarum. Soluat hanc quæſtiunculam imperita præſumptio: & ego erroris veniam deprecabor. Et Mal. 3: Marcus quoque Euangeliſta duo teſtimonia Malachiæ, & Eſaiæ ſub vnius prophetæ ſermone contexens, ita exorſus eſt: Initium euangelij Ieſu Chriſti, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta: Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Hoc, licet verbis alijs, in Malachia legimus. Quod autem ſequitur: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius; ab Eſaia propheta dicitur: ſtatimque vtrumque teſtimonium, de quo dicatur exponens: Fuit, inquit, Ioannes in deſerto, baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum. Sed & Euangeliſtæ vaticinium prophetarum ſuper Ioanne interpretati ſunt: cumque in ſenſu conſentiant, in verbis diſcrepant. Pro eo enim quod ſeptuaginta tranſtulerunt: rectas facite ſemitas Dei noſtri; Marcus, Lucaſque dixerunt: Rectas facite ſemitas eius: Ioannes autem: Dirigite, ait, viam Domini. Ex quo perſpicuum eſt, Apoſtolos, & Euangeliſtas, & ipſum Dominum Saluatorem, non ſeptuaginta interpretum auctoritatem ſequi, qua, Hebrææ linguæ habentes ſcientiam, non indigent: ſed ex Hebræo transferre quod legerint, non curantes de ſyllabis, punctiſque verborum, dummodo ſententiarum veritas transferatur. Hoc ergo quod dicitur: Ecce, ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam; ex perſona Chriſti dicitur, quod Ioannem miſerit in deſerto Iudææ prædicare baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Alij vero hoc quod dicitur: Ecce, ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam; ex perſona patris dictum putant. Præparat autem viam Ioannes, & rectas facit ſemitas Dei noſtri in cordibus credentium, in quibus propter prauitatem, & incredulitatem prius Deus ambulare non poterat.

Hier.

Atha. Athan. in vita ſancti Antonij: Hoc eſt rectam eſſe animam, cum eius principalis integritas nulla vitiorum labe maculatur: ſi naturam mutauerit, peruerſa tunc dicitur: ſi conditio ſeruetur virtus eſt.

Amb. Amb. ſerm. 65: Parare ergo iubemur viam Domini, ſcilicet non aggerem itineris, ſed fidei puritatem. Dominus enim non terrenam ſemitam carpit: ſed per ſecreta mentis incedit. Si quid igitur in hac via fuerit moribus aſperum, crudelitate durum, conuerſatione pollutum, iubemur mundare, exæquare, componere, vt ſuperueniens Dominus non offendat in nobis; ſed magis reperiat viam caſtitate puram, procliuem fide, eleemoſynis eminentem. Quod autem tali itinere incedere ſoleat Dominus, propheta deſcribit, dicens: Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen eſt ei. Sed videam[illegible]e Ioannes qui parare viam Domino iube[illegible]am ipſe viam parauerit Saluatori. Per omnia plane adueniente Chriſto tramitem

Pſa. 67.

vitæ ſuæ compoſuit, & direxit. Nam fuit vtique ieiunus, humilis, parcus, & virgo. Omnes enim has virtutes eius, Euangeliſta deſcribens, ait: Ipſe autem Ioannes veſtitum habebat de pilis camelorum: & zona pellicea circa lumbos eius: eſca autem eius, erant locuſtæ, & mel ſiluestre, &c.

Iſidor. Hiſpal. lib. 6. origi. cap. 2: Marcus initium à ſpiritu prophetali fecit, dicens: Vox clamantis in deſerto, & reliqua: vt oſtéderet Chriſtum poſt aſſumptionem carnis euãgelium prædicaſſe in mundo. Ipſe enim Chriſtus & propheta dictus eſt, ſicut ſcriptum eſt: & prophetam in gentibus poſui te. Iſidor.

Greg. lib. 19. Moral. cap. 3: Via eius non inconuenienter accipitur hoc ipſum quod venit ad cor, ſeſeque nobis intrinſecus infundit: locus vero eius fit cor, ad quod veniens permanet. De hac quippe via illius dicitur: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domino, id eſt, in corde veſtro venienti ſapientiæ aditum reſerate. Greg.

Aug. quæſt. 67. lib. Quæſtion. ex veteri, & nouo teſtamento: Quis eſt hoc, vt cum in Malachia propheta ſcriptum ſit: Ecce, mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparet viam tuam ante te; Marcus hoc Euangeliſta in Eſaia propheta ſcriptum aſſerit? non potuit latere Marcum, quid ſcriberet: Nec enim expers erat lectionis, qui ab infantia diuinis literis imbutus, & exercitatus erat in lege, maxime cum Apoſtolos ſit ſecutus. Sciens autem omnia ad auctorem referenda, dicta hæc ad Eſaiam reuocauit, qui ſenſum iſtum prior intimauerat, dicens: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domino, rectas facite ſemitas Dei noſtri. Denique poſt verba Malachiæ ſtatim ſubiecit Euangeliſta, dicens: Vox clamantis in deſerto: vt iungeret verba vtriuſque prophetæ ad vnum ſenſum pertinentia ſub prioris prophetæ perſona. Aug.

Aug. ſer. 20. de Sanct: Videamus in quo deſerto, id eſt, in gentilium populo. Vacua enim timore Dei pectora, & Spiritu ſancto carentia, deſerto ſqualentis eremi comparantur. Deſertus enim erat hic mundus ab omni cultura fidei, & timoris Dei; & peccatorum ſpinis obſitus ſqualebat tanquam ager incultus, & nullam penitus bonorum operum fœcunditatem attulerat, nullum imbrem gratiæ ſpiritalis acceperat. Mittitur beatus Ioannes, qui eum per propheticam, atque Apoſtolicam prædicationem, annunciando pœnitentiam, quaſi rudem campum proſcinderet, fœcundaret, & excoleret, diuini verbi ſeminibus impleret, & ad maturam frugem, id eſt, ad regenerationis gratiam præpararet. Aug.

Origen. hom. 10. in Luc: Recte Angelus dicitur, qui miſſus fuerat coram Domino, & prophetantem patrem, ſtatim vt natus eſt, audire potuit, & intelligere. Orig. Ioannes cur Angelus dicatur.

Not. 7.

Not 7. ver 6.

Aug. Valles, & montes qui ſunt.

AVG. ſer. 36. de Sanct: Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur; hoc eſt ergo quod alijs verbis Euangeliſta commemorat: qui ſe humiliat, exaltabitur, &c.

Greg.

Greg. hom. 20. in Euang: Quid hoc loco vallium nomine, niſi humiles? quid montium, & collium, niſi ſuperbi homines deſignantur? In aduetu ergo Redemptoris valles impletæ, montes vero, & colles humiliati ſunt: quia iuxta eius vocem: Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur; & omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur. *Luc. 18.* Vallis etenim impleta creſcit; mons autem, & collis humiliatus decreſcit. Quia nimirum in fide mediatoris Dei, & hominum hominis Chriſti Ieſu & gentilitas plenitudinem gratiæ accepit; & Iudæa per errorem perfidiæ hoc, vnde timebat, perdidit. Omnis enim vallis implebitur: quia corda humilium ſacræ doctrinæ eloquio virtutum gratia replebuntur: iuxta hoc quod ſcriptum eſt: Qui emittit fontes in conuallibus. *Psal. 103.* Et vnde rurſum dicitur: Et conualles abundabunt frumento. *Psal. 64.* A montibus namque aqua dilabitur: quia ſuperbas mentes veritatis doctrina deſerit. Sed fontes in conuallibus ſurgunt: quia mentes humilium verbum prædicationis accipiunt. Iam videmus, iam conualles frumento abundare conſpicimus: quia illorum ora pabulo veritatis impleta ſunt, qui mites, & ſimplices huic mundo deſpicabiles eſſe videbãtur. Ipſum quoque Ioannem Baptiſtam, quem mira ſanctitate præditum populus viderat, illum hunc eſſe ſingulariter celſum, ac ſolidum montem credebat, de quo ſcriptum eſt: In nouiſſimo dierũ erit mons domus Domini præparatus in vertice montium. *Mich. 4.* Nam hunc eſſe Chriſtum putabat; ſicut per euangelium dicitur: Æſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne; ne forte ipſe eſſet Chriſtus: *Luc. 3.* quem & requirebant, dicentes: Nunquid Chriſtus es? *Ioan. 1.* Sed niſi idem Ioannes apud ſe vallis eſſet, repletus gratiæ ſpiritu non fuiſſet. Igitur quoniam & idem Ioannes ideo in ſanctitate perſtitit: quia in cordis humilitate perdurauit: Et multi idcirco ceciderunt: quia apud ſemetipſos elata cogitatione tumuerunt, dicitur recte: Omnis vallis implebitur; & omnis mons, & collis humiliabitur: quia donum humiles accipiunt, quod à ſe corda ſuperbientium repellunt. Praua directa fiunt, cum malorum corda per iniuſtitiam detorta, ad iuſtitiæ regulam diriguntur. Et aſpera in vias planas immutantur, cum immites, atque iracundæ mentes, per infuſionem ſupernæ gratiæ ad lenitatem manſuetudinis redeunt. Quando enim verbum veritatis ab iracunda mente non recipitur, quaſi aſperitas itineris greſſum pergentis repellet. Sed cum mens iracunda per acceptam manſuetudinis gratiam, correptionis, vel exhortationis verbum recipit, ibi planam viam prædicator inuenit, vbi prius præ aſperitate itineris pergere, id eſt, prædicationis greſſum ponere non valebat. Quia omnis caro accipitur omnis homo, ſalutare Dei, videlicet Chriſtum in hac vita omnis homo videre non potuit. Vbi ergo in hac ſententia, propheta prophetiæ oculum, niſi ad extremi iudicij diem, tetendit? *Quando omnes Christum videbunt.* vbi cum apertis cœlis, miniſtrantibus, conſedentibus Apoſtolis, in ſede maieſtatis ſuæ Chriſtus apparuerit; omnes hunc & electi, & reprobi pariter videbunt: vt & iuſti de munere retributionis ſine fine gaudeant; & iniuſti in vltione ſupplicij in perpetuum gemant.

Not. 8. ver 7.

Ioannis victus, ac veſtitus.

MARCVS narrat prius concurſum, deinde veſtitum, & eſcam, Matthęus vero è diuerſo.

Aug.

Aug. lib. 2. de conſ. cap. 12: De veſtimento vero eius, & victu, ita Matthæus ſequitur, dicens: Ipſe autem Ioannes, &c. hoc & Marcus dicit pene totidem verbis: Cæteri autem duo tacent.

Niceph.

Nicephor. lib. 1. hiſtor. cap. 14: Teneriotibus arborum, frondiumque ſummitatibus pro cibo; cameli pilis pro tegumento; pelliceaque inſuper zona vtebatur.

Hier.

Hieron. Matt. 3: De pilis, inquit, habebat; non de lana. Aliud auſteræ veſtis indicium eſt, aliud luxuriæ mollioris. Zona autem pellicea, qua accinctus fuit & Helias, mortificationis cingulum eſt. Habitori ſolitudinis congruum eſt, non delicias ciborum, ſed neceſſitatem humanæ carnis explere.

Amb.

Amb. lib. 2. in Luc: Matthæus, & Marcus, & veſtitu, & cinctu, & cibo prophetam declarare voluerunt: eo quod veſtitum de pilis camelorum habuit, & zonam pelliceam ſuper lumbos ſuos: locuſtas autem, & mel ſilueſtre edebat. Prænuncius enim Chriſti non patiebatur immundarum perire exuuias beſtiarum: ipſo quoque veſtitus indicio deſignans Chriſtum eſſe venturum, qui beluinis induuijs, quæ contextæ ſunt per noſtrorum deformitatem meritorum, gentilitatis immundæ peccata ſuſcipiens, in illo trophæo crucis, amictu quodam ſe noſtræ carnis exueret. Quid autem ſibi vult, cinctus zonæ pelliceæ, niſi quod caro iſta, quæ mentem prius grauare conſueuerat, eã, poſt aduentum Domini, non impedimento cœpit eſſe, ſed cingulo? Eo quod & iuxta Dauid, in ſalicibus organa noſtra ſuſpendimus. *Psal. 136.* Et iuxta Apoſtolum, confidentiam non habemus in carne; *Phil. 3.* & cõfidentiam habemus in corpore: non habemus in voluptatibus; habemus in paſſionibus: quo ſpiritu feruens vigeat affectus, & ad omne accingamur obſequium cœleſtium præceptorum, deuotione mentis intenti, atque apparatu corporis expediti. Cibus quoque propheticus index officij, nunciuſque myſterij eſt: Quid enim tam ocioſum ad hominis officium, quam locuſtas quærere; & quid tam plenum ad varis myſterium? Nam quo magis ad fructum inutiles, ad vſum laboris inertes, ad tactum fugaces, vagæ ſaltu, ore ſtridulæ ſunt locuſtæ; eo conuenientius his, populi figura gentilis aptatur, qui nullo vſu

lo vſu laboris, nullo operis ſui fructu, ſine grauitate, ſine voce ſonum querelæ ederet, verbum vitæ ignoraret. Hic igitur populus cibus eſt prophetarum. Nam quo numeroſior populus congregatur, eo vberior prophetici eius vſus augetur. Eccleſiæ quoque gratia præfiguratur in melle ſilueſtri, modo intra aluearium legis plebis Iudaicæ fœtu reperta; ſed in campis, & folijs ſiluæ gentilium errore diffuſa; iuxta quod ſcriptum eſt: Inuenimus eam in campis ſiluæ. Et
Pſa. 131. hic quidem mel ſilueſtre edebat, annuncians
Pſa. 80. populos de petra melle ſaturandos; ſicut ſcriptum eſt: Et de petra melle ſaturauit eos. Sic etiam Heliam corui cibo aduentitio, & lucratiuo potu inter deſerta pauerunt: vt indicio foret, populos nationum retro ſqualentes colore meritorum, qui ante cibum fœtidis in cadaueribus requirebant, nunc de ſe aduentitiam prophetis alimoniam præbituros. Cibus enim prophetarum, diuinæ voluntatis effectus eſt: ſicut ipſe Dominus declarauit, dicens: Meus cibus eſt, vt
Ioan. 4 faciam voluntatem eius, qui me miſit.

Iſidor. — Ioannis cibus, & veſtitus. — Locuſtæ.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 5: Si cibos, & veſtitum monaſticæ vitæ, iuxta Deum, perfectæ, omnibusque numeris abſolutæ, in Ioanne Baptiſta didicimus; pilis, ſi fieri poteſt, ad obtegendum corpus contenti erimus: herbarum autem, ac foliorum ſummitatibus, ad exiguam, minimeque redundantem alimoniam, ac vires.

Iſidor. — Locuſtæ. — Mel ſilueſtre.

Et epiſt. 132: Locuſtæ, quibus Ioannes alebatur, non animantia ſunt, vt quidam imperitę putant, ſcarabæis ſimilia (abſit:) verum herbarum, aut plantarum ſummitates. Eodemque modo rurſum non herba quædam eſt mel ſilueſtre: verum mel montanum, quod ab agreſtibus apibus conficitur, ſummeque amarum eſt, & guſtatui omni infeſtum, atque inimicum. Quibus ex rebus ſingularem quandam, ac pene incredibilem corporis afflictationem Ioannes præ ſe ferebat: vt qui non inedia duntaxat, verum etiam victus aſperitate omnem corporis appetitionem amarem redderet.

Orige. — Mel ſilueſtre. — Locuſtæ.

Origen. hom. 11. in Luc: Ioannes nutriebatur nouo, & extra naturam humanam modo, idipſum Matthæo memorante: Cibus autem eius erant locuſtæ, & mel ſilueſtre. Quia enim miniſter fuit primi Saluatoris aduentus, & tantummodo de diſpenſatione carnis Dominicæ loquebatur; ac prophetia illius eum, qui natus fuerat ex virgine, præcinebat, non habuit domeſticum, & humana diligentia percolatum; ſed ſilueſtre mel; & volucre non grande, non in ſublime ſe eleuans: verum volucre paruum, & vix à terra conſurgens, & ſaliens potius, quam volans. Quid plura? manifeſtiſſime dicitur, quod locuſtæ fuerint cibus eius, paruulum animal, & mundum. Conſiderate ergo, fratres chariſſimi, quod qui noue natus fuerat, noue nutritus eſt.

Orige. Et hom. 10. in Luc: Qui maior fuit inter natos mulierum, maiori nutrimento dignus apparuit.

Greg. — Locuſtæ. — Mel ſilueſtre. — Locuſtæ.

Greg. lib. 31. Moral. cap. 19: Locuſtarum nomine aliquando Iudaicus populus; aliquando conuerſa gentilitas: aliquando adulantium lingua; aliquando vero per comparationem reſurrectio Dominica, vel prædicatorum vita ſignatur. Quia enim Iudæorum populum locuſtæ exprimant, vita Ioannis ſignat, de quo ſcriptum eſt: Locuſtas, & mel ſilueſtre edebat. Ioannes quippe eum, quem prophetiæ auctoritate pronunciat, etiam ſpecie ciborum clamat. In ſemetipſo enim deſignauit Dominum, quem præuenit. Qui nimirum in redemptionem noſtram veniens, quia infructuoſæ gentilitatis dulcedinem ſumpſit, mel ſilueſtre edit. Quia vero Iudæorum plebem in ſuo corpore ex parte conuertit, in cibo locuſtas accepit. Ipſos namque locuſtę ſignificant ſubitos ſaltus dantes, ſed protinus ad terram cadentes. Saltus enim dabant, cum pręcepta Domini ſe implere promitterent: ſed citius ad terram cadebant, cum per praua opera hæc ſe audiſſe denegarent. Videamus in eis quaſi quendam locuſtarum ſaltum: omnia verba, quæ locutus eſt Dominus, & faciemus,
Exod 24. & audiemus. Videamus autem quomodo citius
Num. 14. ad terram ruunt: vtinam mortui eſſemus in Ægypto, & non in hac vaſta ſolitudine. Vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram iſtam. Locuſtæ ergo erant: quia habebant ſaltum per vocem, & caſum per actionem.

Paul. Paulinus conſularis in carmine de Ioanne Baptiſta in collecta. Poetar. Chriſtia: Veſtis erat curui ſetis conſerta cameli: contra luxuriem molles duraret vt artus: arceretque graues, compuncto corpore, ſomnos.

Aug. Aug. lib. 10. Conf. cap. 31: Scio Ioannem mirabili abſtinentia præditum, animalibus, hoc eſt locuſtis in eſcam cedentibus, non fuiſſe pollutum.

Hier. Hieron. lib. 2. aduerſ. Iouinia: Rurſum Orientales, & Libyæ populos, quia per deſertum, & calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſt. Hoc verum eſſe Ioannes quoq; Baptiſta probat. Compelle Phrygem, & Ponticum, vt locuſtam comedat, nefas putabit.

Locuſtas in Paleſtina genus fuiſſe animalium ad cibi vſum diuina ſcriptura demonſtrat Leu. cap. 11. ver. 22. Strabo lib. 16. auctor eſt genus quoddam Æthiopum locuſtas in cibum habere. Plin. natur. hiſt. lib. 2. cap. 9. de Parthis eadem tradit. Clem. Alex. pedag. lib. 2. cap. 1. credit Ioannem non fuiſſe vſum baccis, ſeminibus, vel oleribus.

Euth. Euth. Matt. 3: Locuſtas vero quidam herbarum eſſe virgulta dixerunt: Quidam autem herbam dictam locuſtam: alij vero ipſum inſecti genus. Dicunt enim vſque ad hodiernum diem in illis partibus pleroſque illud edere fumo ſiccatum: & ipſum inter animalia munda legiſlatorem annumeraſſe: habere autem grauem odorem, malumque guſtum. Primum tamen potius tenendum eſt. Mel quoque ſilueſtre in petrarum ſciſſuris, ab agreſtibus apibus conficitur: ſed amarum eſt, ac inſuaue.

Ioannes vſus eſt pellicea zona ad comparandam ſibi corporis afflictionem, vt aſſerit Hiero. ep. 8. ad Demetriadem. Ioannem hoc vitæ genere

nere

nere fundamenta vitæ monaſticæ ieciſſe dicit Iſidor. Peluſ. & plures alij catholici Doctores. Ea de cauſa Chryſoſt. hom. 1. in Mar. & hom. de Ioanne Bapt. & Hieron. epiſt. 22. ad Euſtochium vocant Ioannem monachorum, & anachoretarum principem. Vide Pauli. Epiſc. Nola. ep. 10. ad Seuer. Bed. de locis Sanctis cap. 14.

Aug.

Aug. ſer. 65. de temp: Ioannes quoque præcurſor Domini locuſtis in eremo, & agreſti melle nutritur; non animalium carnibus, non volucrum ſuauitatibus paſcitur. Poterat vtique iuxta Iordanem poſitus, piſcium ſibi exhibere delitias; ſed pœnitentiam prædicaturus, rigorem ieiunij exemplo ſuo magis debuit, & factis oſtendere, quam voce.

Ioannes victus non eſt piſcibus.

Iſidor.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 162: Ad numeros omnes religioſæ vitæ abſoluendos, Ioannis cibus, ac potus, & cubile minime ſufficit: verum ad perfectionem adipiſcendam Ioannis quoque animus requiritur. Quocirca ſi frugalitatem noſtram, ac victus tenuitatem laudas, lenitatem conſequi ſtude: quæ improbitatem omnem vincat.

Ad piam vitā quid requiratur.

Not. 9. ver. 9.

Greg.

Greg. hom. 20. in Euang: Ventura enim ira, &c. vt lect. 7. Dom. 4. Adu.

Aug.

Aug. lib. 2. de conſ. cap. 12: Sequitur ergo Matthæus, & dicit: Videns autem multos, &c. Hæc omnia dicit & Lucas, eadem pene verba Ioannis exprimens. Et vbi aliquid varium eſt in verbis, ab eadem tamen ſententia non receditur.

Iſidor.

Iſidor. Peluſ. ep. 105: Viperarum progeniem Ioannes Iudæos appellauit, vt improborum parentum improbiores fœtus. Aiunt enim hanc feram maternum ventrem, cum in lucem editur, abrodere. Quoniam igitur Deum, qui eos genuit, dereliquerunt, atque omnem ſibi conceſſam gratiam extinxerunt, ea videlicet in irritum redacta, merito proinde venenatis animantibus eos confert, per ingratitudinem accepta beneficia obliterantibus, ne dicam corrodentibus.

Cur Iudæi ſint viperæ.

Fulg.

Fulg. lib. 2. de remiſ. peccat. cap. 9: Iniquos, & malos propter imitationem ſerpentium, hoc eſt, diabolici operis, viperarum genimina nuncupabat.

Hilar.

Hilar. in Pſal. 2: Pœna patientis, ira eſſe creditur decernentis: atque ita iraſcitur Deus, cum per pœnæ dolorem iram decreti in ſe ſentiant eſſe puniti: quæ non per demutationem naturæ in iram ex placabilitate commota eſt; ſed ex conſtitutione pœnæ ira ſit puniendis. Hanc autem pœnæ conſtitutionem iram nuncupari, atque eſſe, Ioannes in euangelio oſtendit, dicens: Natio viperarum, quis monſtrauit vobis fugere à futura ira? Cum enim debitum illis eſſet, ob impietatem ſuam, pœnæ conſtitutione puniri: iram tamen hanc futuram pœnitentiæ confeſſione fugiebant.

Ira duplex.

Not. 10. ver. 10.

Greg.

Greg. hom. 20. in Euang: Sed quia iam peccauimus, &c. vt lect. 8. & 9. Dom. 4. Adu.

Baſ.

Baſil. regula 1. moralium ſententiarum cap. 4. ex hoc loco docet, quod pœnitentibus illud ſatis non ſit ad ſalutem, ſi tantummodo receſſerint à peccatis; ſed opus eſſe ipſis, vt fructus pœnitentiæ dignos ferant.

A malo declinare non ſufficit.

Fulg.

Fulg. lib. 2. de remiſſione peccatorum cap. 9: Malis oſtendit quid in hoc ſeculo facerent, quid etiam in futuro iudicio formidarent. Præcipiens enim vt facerent fructus dignos pœnitentiæ, oſtendit hic mutari poſſe homines, & à ſupplicij merito, ad meritum regni, pœnitentis animi conuerſione, tranſire.

Greg.

Greg. cap. 2. lib. 6. in lib. 1. Regum: Confeſſionem quidem peccati non honor, aut gloria; ſed vtilitas, & contemptus ſequi debet. Quid enim prodeſt confiteri flagitia, ſi confeſſionis vocem non ſequitur afflictio pœnitentiæ? Tria quippe in vno quoque conſideranda ſunt veraciter pœnitente: videlicet, conuerſio mentis, confeſſio oris, & vindicta peccati. Nam qui corde non conuertitur, quid prodeſt ei, ſi peccata confiteatur? peccatum, quod diligitur, confitendo minime deletur. Nonnulli quidem ſunt, qui peccata confitendo aperiunt; ſed non conuertendo, nequaquam deteſtantur. Hi profecto confitendo nihil agunt: quia quod loquendo eijciunt, amando introducunt. Vnde & ſalubriter confiteri volentibus, ſcriptura inſinuat, dicens: Corde creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Quid eſt corde credere ad iuſtitiam, niſi voluntatem dirigere ad fidem, per dilectionem operantem? Cum ergo quis cordis intentionem ad iuſtitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis fructum habet bonæ conuerſionis. Hic certe iam ad ſalutem confitetur: quia plus loquendo de vulnere eijcit, quam conuerſione compunxit. Tertia ergo ſpecies, id eſt, vindicta, quaſi medicina, neceſſaria eſt: vt apoſtema reatus, quod conuerſione compungitur, confitendo purgetur, afflictioniſque medicina ſanetur. Ergo qui corde ad iuſtitiam non credit, confeſſionem ad ſalutem nequaquam facit: quia velut malæ arboris folia oſtendit, cuius altas radices figit in corde. Signum ergo veræ confeſſionis non eſt in oris confeſſione; ſed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque bene conuerſum peccatorem cernimus; cum digna afflictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Vnde Ioannes Baptiſta male conuerſos Iudæos ad ſe confluentes increpans, ait: Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ. In fructu ergo, non in folijs, aut ramis pœnitentia cognoſcenda eſt. Quaſi arbor quippe bona voluntas eſt. Confeſſionis ergo verba, quid ſunt aliud, niſi folia? non ergo nobis folia propter ſeipſa, ſed propter fructum expetenda ſunt: quia idcirco omnis confeſſio peccatorum recipitur,

Tres partes pœnitentiæ.

Rom. 10.

vt fru-

Mat. 11. vt fructus pœnitentię ſubſequatur. Vnde & Dominus arborem folijs decoram, fructu ſterilem, maledixit: quia confeſſionis ornatum non recipit, ſine fructu afflictionis. Saul ergo, qui confitetur, & honorari vult, non affligi, & humiliari, quid deſignat, niſi eos, qui confeſſionem ſterilem habent, & fructum non habent? qui decorem confeſſionis verbis humilibus præferunt; ſed verborum virorem, non humilitatem pœnitentiæ ſequuntur? Sed quid antiquos attendimus, cum nunc tantam lapſorum regum multitudinem videamus? Cateruatim namque nunc in flagitia corruunt, non ſolum ſubiecti debiles; ſed etiam prælati, & ſacerdotes negligentes. Lubrica peccando agunt, qui ordine miniſterij ſacramentis cœleſtibus deputati ſunt. Sed plerique illorum dum quodammodo ad cor redeunt, ſe erraſſe confitentur. Qui tamen ſic volunt contra ſe peccata proferre, vt velint adhuc de officio ſacri ordinis honorari. Turpes in ſecreto ſe proferunt: ſed foris præter ordinis celſitudinem videri humiles erubeſcunt, &c.

Aug. Aug. lib. de vera, & falſa pœnit. cap. 2: Dixit: Fructus facite dignos pœnitentiæ; oſtendens pœnitentiam non ſterilem, ſed digne fructificare.

Not. 11. ver. 11.

Orig. ORIGEN. hom. 14. in Hiere: Lapides eſſe
Qui ſint lapides. nos ſignificat: quia ad ſimilitudinem lapidum obdurantes corda noſtra renuimus veritatem.

Greg. Greg. lib. 18. Moral. cap. 20: In ſcriptura ſacra aliquando lapides in malo; aliquando vero in bono accipi ſolent. Nam cum lapis pro inſenſibilitate ponitur, dura per lapides corda ſignantur. Vnde & per Ioannem dicitur: Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ: qui videlicet nomine lapidum, corda gentilium deſignat, dura tunc, atque inſenſibilia per infidelitatem. Et per Prophetam Dominus
Ezech. 11 pollicetur, dicens: Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.

Greg. Et lib. 29. cap. 21: Ioannes Iudæos aſpiciens ſe de ſtemmate generationis extollere; & gentiles præuidens ad Abrahæ prolem fidei cognitione tranſire, ait: Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ: lapides vtique duros perfidia gentiles vocans.

Hier. Hieron. epiſt. 140. ad principiam virginem: De lapidibus iſtis, hoc eſt, de duro corde gentilium. Et Matt. 3: Lapides Ethnicos vocat, propter cordis duritiam. Lege Ezechiel: Auferam, inquit, à vobis cor lapideum, & dabo cor carneum. In lapide, duritia: in carne, mollitia monſtratur. Siue ſimpliciter indicat Dei potentiam, quod qui de nihilo cuncta fecerit, poſſit & de ſaxis duriſſimis populum procreare.

Auct. Tunc de lapidibus ſuſcitat filios Abrahæ quando cor lapideum in molle conuertit. Pſ. 147: Mittit criſtallum ſuam ſicut buccellas, ſupple, panis. Dei enim ſolius eſt obſtinatorum conuerſio.

Not. 12: ver. 12.

ATHAN. quæſt. 43: Radix eſt fides; arbor vero eſt homo; & ſecuris eſt finis hominis. Athan.

Hieron. Matt. 3: Prædicatio ſermonis Euangelici, qui ex vtraque parte acutus eſt gladius, ſecuris appellatur, iuxta Hieremiam Prophetam, qui verbum Domini ſecuri comparat cædenti petram. Hier. Hier. 4.

Gregor. Paſtoral. curæ parte 3. admo. 22: Admonendi ſunt tenaces, vt nouerint quod hanc primam iniuriam faciunt Deo: quia danti ſibi omnia, nullam miſericordiæ hoſtiam reddunt. Hinc etenim Pſalmiſta ait: Non dabit Deo placationem ſuam: nec precium redemptionis animæ ſuæ. Precium namque redemptionis dare, eſt opus bonum præuenienti nos gratiæ reddere. Hinc Ioannes exclamat, dicens: Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Qui ergo ſe innoxios, quia aliena non rapiunt, æſtimant; ictum ſecuris vicinæ præuideant, & torporem improuidæ ſecuritatis amittant: ne cum ferre fructum boni operis negligunt, à præſenti vita funditus, quaſi ex viriditate radicis exſecentur. Greg. Pſal. 48.

Cæſarius dial. 4: Quomodo intelligitur, cuius meminit euangelium, ſecuris infrugiferas arbores exſcindens? Infrugiferum Iudæorum cernens voluntatis propoſitum Ioannes, infrugiferis arboribus ipſos aſſimilauit, ad radicem illorum poſitam ſecurim denuncians, breuem, & acutam viuentis verbi diſcretionem, qua omnis arbor non faciens fructum bonum exſcinditur, & in ignem proijcitur. Cæſar. Quid ſec. cur.

Iſidor. Peluſ. epiſt. 64. lib. 1: Sterilem Iudæorum voluntatem, atque animi inſtitutum Ioannes perſpiciens, infrugiferis arboribus eos comparauit, ad eorum radicem ſecurim poſitam eſſe pronuncians, hoc eſt, acutam, & compendioſam euangelij diuiſionem; qua omnis arbor, non faciens fructum bonum, exſcinditur, non autem foditur. Siquidem id quod ex radicibus pullulauit, hoc eſt, lex, relinquitur: cui populus nouus inſeritur. Iſidor.

Chryſoſt. hom. in Pſal. 7: Et quid miraris, ſi ſic in veteri dictũ eſt, cum etiam in nouo Ioannes cum Iudæis tale quid dicit: iam autem ad radicem arboris ſecuris poſita eſt? quid ergo? lignicidamne Deus imitatur ſecuri ligna ſcindentem? & hic & ſecuris accipienda eſt, & ligna? abſit, quemadmodum nec paleæ, nec frumentum, quando dicit: Cuius ventilabrum in manu eius, & mundabit aream ſuam: paleam autem comburet igne inextinguibili. Quæ eſt ergo ſecuris? punitio, ſupplicium. Quæ vero ſunt arbores? homines. Quænam vero paleæ? mali. Quod vero frumentum? boni. Quid autem ventilabrum? diſcretio. Chryſoſt. ver. 12.

Fulgent. lib. 2. de remiſſ. peccat. cap. 9: Tempus prænunciauit futuri iudicij, quo malis vſq; in finem criminoſam ducentibus vitam, ſicut infructuoſis arboribus, non remiſſio peccatorum miſe- Fulg.

rum miſericorditer donabitur: ſed æterna combuſtio iuſte reddetur.

Aug. Aug. ſerm. 61. de temp: Aliud eſt conſilium,
1 Cor. 7. aliud præceptum. Conſilium datur, vt virginitas conſeruetur, vt à vino, & à carnibus abſti-
Rom 14 Luc. 14. neatur; vt vendantur omnia, & pauperibus erogentur. Præceptum vero datur, vt iuſtitia cuſto-
Pſal. 33. diatur; vt omnis homo diuertat à malo, & fa-
1 Pet. 3. Matt. 19 ciat bonum. Denique de virginitate dicitur: Qui poteſt capere capiat. De iuſtitia vero non dicitur: Qui poteſt facere faciat; ſed: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Conſilium qui libenter audierit, & fecerit, maiorem habebit gloriam. Præceptum qui non impleuerit, niſi pœnitentia ſubuenerit, pœnam euadere non poterit. Et hom. 16: Hæc ſententia euidenter oſtendit, quia non ſolum malum feciſſe, ſed etiam bonum non egiſſe, damnabile erit.

Not. 13. ver. 13.

Aug. AVG. lib. 2. de conſ. cap. 12: Lucas interponit interrogationem turbarum, quid facerent; & eis reſpondentem Ioannem de bonis operibus, tanquam de fructibus pœnitentiæ: quod Matthæus omiſit.

Hier. Hieron. epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 1: Au-
2 Cor. 8. di igitur Apoſtolum commonentem: Non vt alijs refrigerium, vobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate, veſtra abundantia illorum ſuſtentet inopiam: vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum. Vnde, inquit Dominus: Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti. Quid ſi Scythiæ frigora ſint, & Alpinæ niues; quæ non duabus, & tribus tunicis; ſed vix pecudum pellibus repelluntur? Quicquid ergo corpori noſtro ſufficere poteſt, & humanæ ſuccurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hoc vna appellanda eſt tunica. Et quicquid in præſentibus alimentis neceſſarium eſt, hoc vnius diei victus appellatur. Vnde præceptum eſt: Non cogitetis de craſtino, hoc eſt, de futuro tempore. Et Apoſtolus: Habentes, inquit, victum, & veſtitum, his contenti ſumus. Si plus habes, quam tibi ad victum, veſtitumque neceſſarium eſt, illud eroga, & in illo debitricem eſſe
Hier. te noueris. Et Eſaiæ 58: Non vnam iuſſit ſcindi, & diuidi, quod multi, popularis auræ cauſa, faciunt; ſed alteram non ſeruari.

Iac. 2. Iac. 2: Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides ſaluare eum? Si autem frater, & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis illis: ite in pace, calefacimini, & ſaturamini: non dederitis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit? 1. Ioa. 3: Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?

Not. 14. ver. 14.

Amb. AMBR. ſerm. 7: Honeſta plane Publicanorum interrogatio, ac ſancti prophetæ iuſta reſponſio. Illi enim ſolicite interrogant, ne aut ignorantes plus exigẽdo in peccatum incidant, aut ceſſantes, Publicani decipiant functionem. Hic autem moderate præcipit, vt & iniquitas locum non habeat, & conſtitutum habeat vectigal effectum. Non enim dixit: Nihil exigatis; ſed nihil amplius exigatis. Vnde intelligimus quod apud Deum non tam exactio, quam exactio iniqua damnetur. Dicit enim ipſe Dominus: Reddite, quæ Dei ſunt, Deo: & quæ Cæ- Matt. 22.
ſaris, Cæſari. Igitur quod Cæſar præcipit, ferendum eſt: quod Imperator indicit tolerandum eſt. Sed fit intolerabile dum illud præda exactionis accumulat, &c. Idem ad verbum eſt apud Aug. ſer. 19. de verbis Domini. Aug.

Not. 15. ver. 15.

AMBR. ſerm. 7: Dicit autem ſanctum Euangelium: Interrogauerunt illum & milites: Quid faciemus & nos? Ait illis Ioannes: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: ſed contenti eſtote ſtipendijs veſtris. Hic iam cognoſcere ſe debet omnis homo, qui militat. Non enim tantum de ijs militantibus ſcriptura loquitur, qui armata militia detinentur: ſed quiſquis militiæ ſuæ cingulo vtitur, dignitatis ſuæ miles adſcribitur. Atque ideo hæc ſententia poteſt dici, verbi gratia, militibus, protectoribus, cunctiſque rectoribus, & cuicunque, qui ſtipendia publice ſibi decreta conſequitur. Si amplius quærit, tanquam calumniator, & concuſſor Ioannis ſententia condemnatur, &c. verbotenus idem eſt apud Aug. ſerm. Aug.
19. de verbis Domini. Amb.

Naz. orat. 23: Hoc mecum vobis faciendum Naz.
præſcribit magnus ille veritatis præco Ioannes, vox illa verbi præuia. Stipendij porro nomi- Stipendium.
ne regiam annonam ſignificat, muneraque ea, quæ ijs, qui dignitatibus excellunt, lege conſtituta ſunt.

Not. 16. ver 16.

GREG. hom. 20. in Euang: Recte ex hoc Greg.
loco docet, quod Iudæi Ioannem eſſe Chriſtum putauerint.

Iſidor. Hiſpal. in lib. Ruth: Hunc ergo Chri- Iſidor.
ſtum exiſtimabant: quia Chriſtum in die viſitationis veniſſe non intelligebant eſſe Eccleſiæ ſponſum, qui propheticis eſſet vocibus ante promiſſus.

Not. 17. ver. 18.

AVG. lib. 2. de conſ. cap. 12: Deinde in cor- Aug.
dibus ſuis cogitantibus de illo, vtrum ipſe eſſet Chriſtus; eum dicit (Lucas) reſpondiſſe: Ego quidem aqua, &c. Item Matthæus, &c. Quod & Marcus dicit cum cætera taceat. De calceamentis hoc à Luca diſtat, quod addit, procumbens. De baptiſmo autem hoc ab vtroque: quia non dixit: & igni; ſed tantum: Spiritu ſancto.

Sicut enim Matthæus, ita & Lucas dixit, & eodem ordine; niſi quod Lucas non addidit: Sancto. His tribus atteſtatur Ioannes Euangeliſta, cum dicit: Ioannes teſtimonium perhibet de ipſo,& clamat,dicens: Hic erat quem dixi, qui poſt me venit, ante me factus eſt: quia prior me erat. Sic enim oſtendit tunc eum hoc dixiſſe, quando eum illi dixiſſe commemorant. Repetiſſe autem, & cõmemoraſſe quod iam dixiſſet, cum ait: Hic erat,quem dixi,&c. Si ergo quæritur, quæ verba potius Ioannes Baptiſta dixerit, vtrum quæ Matthæus,an quę Lucas eum dixiſſe commemorat; an quæ Marcus in ipſis paucis, quæ illum dixiſſe poſuit,tacẽs cætera:nullo modo hinc laborandum eſſe iudicat,qui prudenter intelligit, ipſas ſententias eſſe neceſſarias cognoſcendæ veritati, quibuſlibet verbis fuerint explicatæ. Quod enim alius alium verborum ordinem tenet, non eſt vtique contrarium. Neque illud contrarium eſt, ſi alius dicit, quod alius prætermittit. Vt enim quiſque meminerat, & vt cuique cordi erat, vel breuius, vel prolixius,eandem tamen explicare ſententiam, ita eos explicaſſe manifeſtum eſt. Et in hoc ſatis apparet, quod ad rem maxime pertinet, quoniam veritas Euangelij, verbo Dei, quod ſupra omnem creaturam æternum,atq; incommutabile permanet, per creaturam temporalibus ſignis,& linguis hominum diſpenſato,ſummum culmen auctoritatis obtinuit, non nos debere arbitrari mentiri quemquam, ſi pluribus rem, quam audierunt, vel viderunt reminiſcentibus, non eodem modo, atque eiſdem verbis, eadem tamen res fuerit explicata; vt ſiue mutetur ordo verborum, ſiue alia pro alijs, quæ tamen idem valeant verba proferantur: ſiue aliquid, vel quod recordanti non occurrit, vel quod ex alijs, quæ dicuntur, poſſit intelligi, minus dicatur; ſiue aliorum;quæ magis dicere ſtatuit narrandorum gratia, vt congruus temporis modus ſufficiat, aliquid ſibi non totum explicandum, ſed ex parte tangendum quiſque ſuſcipiat: ſiue ad illuminandam, declarandamque ſententiam, nihil quidem rerum, verborum tamen aliquid addat, cui auctoritas narrandi conceſſa eſt: ſiue rem bene tenens non aſſequatur, quamuis id conetur, memoriter etiam verba, quæ audiuit ad integrum enunciare. Quiſquis autem dicit, Euangeliſtis certe per Spiritus ſancti potentiam id debuiſſe concedi, vt nec in genere verborum, nec in ordine, nec in numero diſcreparent; non intelligit quanto amplius Euangeliſtarum excellit auctoritas, tanto magis per eos fuiſſe firmandam cæterorum hominum vera loquentium ſecuritatem: vt pluribus eandem rem forte narrantibus, nullo modo quiſquam eorum de mendacio recte arguatur, ſi ab altero ita diſcrepauerit, vt poſſit etiam Euangeliſtarum exemplo præcedente defendi. Cum enim fas non ſit, Euangeliſtarum aliquem mentitum fuiſſe, vel exiſtimare, vel dicere: ſic apparebit nec eum fuiſſe mentitum, cui recordanti tale aliquid acciderit, quale illis accidiſſe monſtratur. Et quanto magis ad mores optimos pertinet cauere mendacium, tanto magis tam eminenti auctoritate regi debeamus, ne putaremus eſſe mendacia, cum ſic inter ſe variare aliquorum narrationes inueniremus, vt inter Euangeliſtas variatæ ſunt. Simul etiam quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, intelligeremus, non tam verborum, quam rerum quærendam, vel amplectendam eſſe veritatem, quando eos, qui non eadem locutione vtuntur, cum rebus, ſententijſque non diſcrepant, in eadem veritate conſtitiſſe approbamus. Quid ergo in his, quæ de narrationibus Euangeliſtarum collata propoſui, putandum eſt eſſe contrarium?an quod alius dixit: Cuius non ſum dignus calceamenta portare: alij vero: Corrigiam calceamenti ſoluere? Non enim verbis, aut verborum ordine, aut aliquo genere locutionis; ſed etiam reipſa videtur aliud eſſe, calceamenta portare, aliud, corrigiam calceamenti ſoluere. Merito ergo quæri poteſt,quid Ioannes dixerit non ſe dignum eſſe, vtrum calceamenta portare, an corrigiam calceamenti ſoluere? Si enim alterum horum dixit,ille verum videtur narraſſe, qui hoc potuit narrare, quod dixit. Qui autem aliud & ſi non eſt mentitus, certe vel oblitus, aliud pro alio dixiſſe putabitur. Omnem autem falſitatem abeſſe ab Euangeliſtis decet, non ſolum eam, quæ mentiendo promitur: ſed etiam eam, quæ obliuiſcendo. Itaque ſi ad rem pertinet aliquid aliud intelligere ex eo quod dictum eſt, calceamenta portare: aliquid aliud ex eo quod dictum eſt, corrigiam calceamenti ſoluere, quid aliud accipiendum recte exiſtimaueris, niſi Ioannem vtrumque dixiſſe, ſiue aliud alio tempore, ſiue contextim? Potuit enim ſic dicere: Cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere, nec calceamenta portare: vt vnus Euangeliſtarum hinc aliud; alij vero aliud; omnes tamen verum narrauerint. Si autem nihil intendit Ioannes, cum de calceamentis Domini diceret, niſi excellentiam eius, & humilitatem ſuam, quodlibet horum dixerit,ſiue de ſoluenda corrigia calceamentorum, ſiue de portandis calceamentis, eandem tamen ſententiam tenuit, quiſquis etiam verbis ſuis per calceamentorum commemorationem eandem ſignificationem humilitatis expreſſit; vnde ab eadem voluntate non aberrauit. Vtilis ergo modus,& memorię maxime commendandus,cum de conuenientia dicimus Euangeliſtarum, non eſſe mendacium, cum quiſque etiam dicens aliquid aliud quod etiam ille non dixit, de quo aliquid narrat, voluntatem tamen eius hanc explicat, quam etiam ille, qui eius verba commemorat. Ita enim ſalubriter diſcimus, nihil aliud eſſe quærendum, quam quid velit ille, qui loquitur.

Greg. hom. 20. in Euang: Ecce, cum pro mira operatione virtutum talis eſſet, vt Chriſtus eſſe crederetur; non ſolum Chriſtum ſe non eſſe reſpondit: ſed etiam corrigiam calceamenti eius ſoluere, id eſt, incarnationis eius myſte-

Margin notes: cap. 16. ver. 1. — Idem habet lib. 3. cont Fau. cap. 5. — Euangelium cul men ſummum auctoritate obtinet. — Narratio abſque mendacio variat. — Dubium. — Quid ſit corrigiam calceamẽti ſoluere. 1 ſenſ. 2 ſenſ. 1. Reſpon. 2. Reſpon. — 3. Reſp. — Greg. Quid ſit corrigiam calceamẽti ſoluere.

1 ſenſ. myſterium perſcrutati, non ſe dignum eſſe perhibuit.

Hier. Hieron. Matt. 3: In alio Euangelio: Cuius, 4 ſenſ. ait, non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti. Hic humilitas; ibi myſterium demonſtratur, quod Chriſtus ſponſus ſit, & Ioannes non mereatur ſponſi corrigiam ſoluere, ne voDeut. 25. cetur domus eius, iuxta legem Moſi, & exemplum Ruth, domus diſcalceati. Ipſe vos baptizabit, &c. ſiue quia ignis eſt ſpiritus, vt Acta Act. 2. Apoſtolorum docent: quo deſcendente ſedit quaſi ignis ſuper linguas credentium: & impletus eſt ſermo Domini dicentis: Ignem veni mittere ſuper terram, & quam volo vt ardeat: ſiue quia in præſenti, ſpiritu baptizamur; & in 1 Cor. 3. futuro, igne: Apoſtolo quoque huic ſenſui congruente: vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit. Et Eſaiæ 4: Nota quod ſordes filiaHier. rum Sion, lauerit ſpiritu iudicij: ſanguinem autem Hieruſalem, ſpiritu combuſtionis. Quod enim leue eſt, lauatur: quod grauius, exuritur. De quo iudicij ſpiritu, & ſpiritu combuſtionis, Ioannes Baptiſta in Euangelio loquebatur: Ego baptizo vos in aqua: qui autem poſt me venit, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne. Ex quo diſcimus, quod homo tantum aquam tribuat: Deus autem ſpiritum, quo ſordes abluuntur, & ſanguinis peccata purgantur.

Amb. Amb. ſerm. 17. in Pſal. 118: Vtamur ergo corpore tanquam calceamento ad inferioris opera virtutis: ad miniſterium, non ad præcipitium: ad obſequium, non ad delectationem: ad obedientiam, non ad diſſenſionem: & in via ſapientiæ veſtigium collocemus, ne greſſus noſtros vis torrentis aliqua concludat. Ideo ad Moyſem dictum eſt: Solue calceamentum. Dictum eſt & ad Ieſum Naue. De Chriſto autem dictum non eſt: ſed magis ſcriptum eſt, dicente Baptiſta: Poſt me venit vir, cuius non ſum dignus calceamenta portare. Quia illi bene admonentur, vt ſoluant calceamentum ſuum, qui ſine peccato eſſe non poterant. Hic autem non ſolum calceamentum non ſoluit: ſed etiam calceamenta aliorum abſoluit: quia non ſolum corpus ſuum à peccatis immune ſeruauit; ſed etiam omnium dedit indulgentiam peccatorum.

Leo. Leo ep. 4. cap. 6: Ioannes profitebatur, quod Chriſtus baptizaturus eſſet in Spiritu ſancto, & igni; qui duplici poteſtate & vitam redderet, & peccata conſumeret.

Cyr. Cyril. lib. 2. theſau. cap. 4: Quomodo ergo æqualis, aut minor Ioanne Dominus ſecundum ipſos fuit: aut cuius gratia aqua ſe ſolummodo baptizare prædicabat, & Chriſtum ſpiritus datorem affirmabat? nonne vides, quia vt ſeruus, nec calceamentorum quidem corrigiam tangere audet?

Not. 18. ver. 19.

Fulg. FVLGENT. lib. 2. de remiſſ. peccator. cap. 9: Informat omnem Chriſtianum tenore Euangelicæ lectionis, vt diſcretione habita conſideret quid in primo Saluatoris aduentu fuerit vnicuique pijſſima largitate donatum; quid etiam ſingulis expectetur in ſecundo, iuſta retributione reddendum. Quando mali a bonis ſint omnino ſeparandi. Et lib. de Fide ad Fulg. Petrum cap. 43: In fine vero ſeculi bonos à malis etiam corpore ſeparandos, quando veniet Chriſtus habens ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igne inextinguibili.

Naz. orat. 39: Quid ventilabrum ſignificat? Naz. Ventilabrũ. purgationem. Quid ignis? leuitatis conſumptionem, & ſpiritus feruorem. Quid ſecuris? Ignis Securis. inſanabilis animi etiam poſt adhibitum ſinium exciſionem.

Cæſar. dialo. 4: Ventilabrum mihi videtur Cæſar. Ventilabrũ. incorruptum Dei iudicium, vnum quemlibet, quaſi per legem Dei, ad congruentem ſibi, ſecundum geſta vitæ, locum ſecernens. Aream Area. autem intelligo vniuerſorum populorũ in terrarum orbe Eccleſiam, & ex mortuis vniuerſorum hominum reſurrectionem; in qua eos quidem, qui ſunt inſtar paleæ, & inſtabiles, quouis Paleæ. vento peccati iactati, & leues, & infrugiferi fuerunt, inſtar ventilabri decretum diuinum in ignem eleuat ad æternum incendium. Qui vero velut triticum nutritores proximorum fuerunt, Triticum. & recte virtutem perfecerunt, illos in horreum comportat conueniens.

Iſidor. Peluſ. ep. 65: lib. 1: Significaſti per li- Iſidor. teras te ſcire cupere, quænam ventilabri illius, quod Dominus ad areæ ſuæ purgationem ſumit, vis, ac facultas ſit. Hic igitur, ni me opinio fallit, ſenſus eſt. Areæ nomine vniuerſam orbis Area. terrarum Eccleſiam intelligit; in qua omnem humanæ naturæ meſſem cogit. Ventilabri au- Ventilabrũ. tem vocabulo iuſtum iudicium appellat: quod quidem eum, qui cuique aptus ſit, gradum diſtinguens, ac definiens, paleares quidem, vt ita Paleæ. dicam, ac diſſolutos homines, quique ad omnem peccati ventum huc, illucque iactantur, Triticum. flammis addicit: eos autem, qui operum puritate, ac pœnitentiæ fructibus abundarunt, in Horreum. horreum congregari iuſtus iudex ait, hoc eſt, pijs, ſeque dignis operarijs, atque agricolis, con- Ioan. 14. gruens domicilium. Quam etiam ſalutarem Heb. 13. manſionem nuncupat.

Baſil. in regul. breuior. inter. 257: Qui ſunt Baſ. illi, de quibus dicitur: Paleas autem comburet Paleæ. igne inextinguibili? Ij nimirum, qui eo modo vtiles ſunt ijs, qui digni ſunt regno cœlorum, quemadmodum paleæ tritico; neque id ex vllo charitatis inſtinctu aduerſus Deum, proximumue faciunt, ſiue in donis ſpiritus, ſiue in corporis officijs: atque ita imperfectos ſeipſos deſerunt.

Cyrill. lib. 2. theſau. cap. 4: Nec perſpicis Cyr. Chriſtum areæ Dominum eſſe? hoc enim ſignificatur, quãdo dicitur: Et purgabit aream ſuam. Iudicem etiam eſſe oſtendit, qui iuſtos, & bonos, tanquam triticum, in cœleſtia inducet horrea: iniuſtos vero, quaſi paleam, igni tradet.

CAP. 16. *Alia publica, & ſpecifica Ioannis de IESV teſtimonia: Iudæorumq; ad Ioannem legatio.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 1.*
			1 IOannes teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat, dicens: Hic erat, quem dixi: Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt: quia prior me erat. 2 Et de plenitudine eius nos omnes accepimus: & gratiam pro gratia. 3 Quia lex per Moyſen data eſt: gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. 4 Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. *Dom, 3. Adu.* 5 Et hoc eſt teſtimonium Ioannis, quando ✠ miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum: Tu quis es? 6 Et confeſſus eſt, & non negauit; & confeſſus eſt: quia non ſum ego Chriſtus. 7 Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non ſum. 8 Propheta es tu? Et reſpondit: Non. 9 Dixerunt ergo ei: Quis es? Vt reſponſum demus his, qui miſerunt nos; quid dicis de teipſo? 10 Ait: Ego vox clamantis in deſerto: dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta. 11 Et qui miſſi fuerant erant ex Phariſæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? 12 Reſpondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua. Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis, ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti 13 Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans. ✠

Notatio 1.

Diſpoſitionis ratio. HÆc teſtimonia, non poſt Chriſti baptiſmum, & ieiunium, ſed potius ante videntur collocanda. Dicit enim hic verſu 12. Ioannes: Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Quod poſt baptiſmum non dixiſſet; quia tunc per vocem Patris, & Ioannis teſtimonium innotuerat. Idem confirmatur ex attenta lectione cap. 17. & 18. Hunc eundem ordinem ſecuti ſunt etiam Tatianus, Ammonius, Auguſtiuus, & alij. Tatia. Ammo. Aug.

Not. 2. ver. 1.

HIc ſecundum Ioannis de Chriſto teſtimonium inducitur. Vide Aug. cap. 15. ver. 18. not. 17. Nam alij Euangeliſtæ primum cap. 15. expreſſerunt. Vnde Ioannes Baptiſta in hoc teſtimonio ait: Hic erat, quem dixi; quibus verbis aliud teſtimonium à ſe datum præceſſiſſe indicat. Hoc tamen eſt primum ſpecificum, quod ab Euangeliſta Ioanne deſcribitur: & ſic Origen. tom. 5. & 6. in Ioan. primum vocat: tamen veriſimile eſt Ioannem hæc ſæpius, etiam antequam Dominus ad baptiſmum veniret, dixiſſe. Tota hæc oratio ab illis verbis: Hic erat, quem dixi; vſque ad illa: ipſe enarraui.; ex Baptiſtæ perſona teſtantis de Chriſto, dicta eſt: nec recte opinantur, qui exiſtimant totum ab illis verbis: De plenitudine eius; ex Ioannis Euangeliſtæ perſona dictum fuiſſe. Sic Origen. tom. 5. in Ioan. Irenæus lib. 3. cap. 11. colligit ex hoc loco, Dei filium à Ioanne fuiſſe cognitum. Aug. Orige. Iren.

Amb. lib. 2. in Luc: Qui poſt me venit, ante me factus eſt: quia vox præcedit inferior; verbum ſequitur, quod præcellit. Amb.

Not. 3. ver. 2.

GREG. cap. 4. lib. 4. in lib. 1. Reg: Bonus doctor, dum dulciter, quæ dicit, in deuotionem mentis accipit; ſe, & eos, qui audiunt, ſimul paſcit. Quo contra Doctores reprobi: quia quæ dicunt, non amant, cum alios verbo paſcunt, ieiunant. Greg.

inhiant. Nam cum animæ refectionem verbum Dei eſſe Dominus dixerit; verbum vero Dei in mente plena ſit eruditio, plena deuotio, verbo Dei non paſcuntur, qui deuote, quod loquuntur, non audiunt. Apoſtolus quidem quaſi iam
Duplex eſt plenitudo. illa verbi dulcedine repletus, ait: De plenitudine eius omnes accepimus. Alia eſt plenitudo
Qui accipiant de eius plenitudine. verbi, alia libri. De plenitudine verbi accipere non niſi electi poſſunt: de plenitudine vero ſcripturæ poſſunt & reprobi.

Bern. Bern. ſerm. 5. de Aſſumptione B. Mariæ: Hæc eſt enim illa gratia, quam nobis commendat beatus Ioannes Euangeliſta, dicens: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Ex quibus ſcilicet verbis
Gratia triplex. innuitur, quod triplicem gratiam diuinitus accepimus: vnam, qua conuertimur: aliam, qua in tentationibus adiuuamur: tertiam, qua probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam vocamur: ſecunda prouehit, qua iuſtificamur: tertia conſummat, qua glorificamur. Et prima quidem beneplacitum eſt, ſecunda meritum, tertia præmium. De prima dictum eſt: Et de plenitudine eius omnes accepimus: de duabus reliquis dictum eſt: & gratiam pro gratia, id eſt, munera gloriæ æternæ, pro merito temporalis militiæ.

Not. 4. ver. 3.

Aug. AVG. cont. Fauſt. lib. 22. cap. 6: Gratia ſcilicet, vt data indulgentia peccatorum, quod præceptum erat, ex Dei dono cuſtodiretur: veritas autem, vt ablata obſeruatione vmbrarum, quod promiſſum erat, ex Dei fide præſentare-
Aug. tur. Et lib. 17. cap. 6: Gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad propheriarum impletionem.

Amb. Amb. ſerm. 18. in Pſal. 118: Sicut omnis veritas in nouo eſt teſtamento; ita & lex per Moyſen data, figura eſt legis veræ. Ergo illa lex veritatis exemplar eſt. In exemplari enim agni ſanguis effunditur: in veritate Chriſtus immolatur. Meritoque Apoſtolus cum præmiſiſſet vitulorum immolationem ſecundum legem, adiecit: neceſſarium itaque eſt exemplaria cæleſtium his mundari. Nam ipſa cæleſtia melioribus hoſtijs. Non enim in manu facta ſancta intrauit Chriſtus exemplaria virorum; ſed in ipſum cœlum: & nunc apparet vultui Dei pro nobis. Vt cognoſcamus autem quia legem nouam dedit Dominus Ieſus, habes dicentem ſpiritum: hoc autem eſt teſtamentum, quod teſtabor ad eos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, & in ſenſibus eorum ſcribam eas: & peccati, & iniuſtitiæ eorum non ero memor. Vbi ergo remiſſio, iam non oblatio pro peccatis. Quo euidenter oſtenditur omnem veritatem Euangelio contineri: quia lex Dei in ſenſibus hominum, & in cordibus ſcribitur: non in tabulis lapideis. Qui ergo præcepta Dei non habent in cordibus ſuis, non habent legem: ſiue quia inueteratur in Iudæis, renouatur in nobis: vmbra eſt, non veritas; vt cum fiat oblatio pro peccatis ſecūdum legem, non fiat remiſſio peccatorum. Impoſſibile eſt enim ſanguine taurorum, & hircorum peccata mundari. Mendax ergo erat illa remiſſio, donec remiſſionis veritas adueniret. Quid inde manifeſtius, quam Ioannis Euangeliſtæ ſententia, qui ait: Quia lex per Moyſen data eſt: gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt?

Not. 5. ver. 4.

AMBR. lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 1: Illud Amb.
quod lectum eſt in Euangelio: Quia Deum nemo vidit vnquam, niſi, &c. ad exceptionem pertinet Spiritus ſancti. Quomodo enim Deum non videt, qui ſcrutatur etiam alta Dei? Quomodo Deum non videt, qui cognouit quæ Dei ſunt? Ergo cum ita poſitum ſit: quia Deum nemo vidit vnquam; vidit autem ſpiritus: vtique
exceptus eſt ſpiritus. Et lib. 1. in Luc: Quid Amb.
de hominibus loquimur, cum etiam de ipſis cæleſtibus virtutibus, & poteſtatibus legerimus: quia Deum nemo vidit vnquam? & addidit quod vltra militiæ cæleſtis eſt poteſtates: niſi vnigenitus filius, &c. aut acquieſcatur igitur neceſſe eſt, ſi Deum Patrem nemo vidit vnquam, filium viſum eſſe in veteri teſtamento, &c. Ideo Deum nemo vidit vnquam: quia eam, quæ in Deo habitat plenitudinem diuinitatis, nemo conſpexit, nemo mente, aut oculis comprehendit. Vidit, ergo ad vtrumque referendum eſt. Cum additur: Vnigenitus filius ipſe enarrauit; mentium magis, quam oculorum viſio declaratur. Species enim videtur: virtus vero narratur: illa oculis, hæc mente comprehenditur.

Elias Creten. ad orat. 4. Naz: Hoc autem no- Elias.
men, vnigena, filium Dei clare ſegregat ab omni natura genita, & creata; tametſi hoc Euno-
mio non videatur. Nam vocabulum, filius, ho- Vnigena.
minibus quoque tribuitur; verum (vt aureus orator ille loquitur) abuſiue: cum illi proprie competat. Appellatio autem vnigenæ, ipſi ſoli peculiaris eſt, nec alij cuiquam vel abuſiue tribui poteſt. Quamobrem vt de appellatione alij nulli, quam ipſi ſoli competente ſtatuas, etiam alteram illam cum multis communem proprie ipſi deberi: propterea prius dixit: vni-
gena, deinde: filius. Nam vnigena dicitur, vt a- Vnigena
libi magnus hic vir inquit, non quod ſolus ex quid ſit.
ſolo, & quidem ſolummodo: ſed etiam quod Filius quid
monotrópos, hoc eſt, ſolus ſolo quodammodo ſit.
genitus ſit, non vti gignuntur corpora: filius au-
tem, quod idem cum patre ſit, eſſentiam quod Pater quid
attinet: neque tantum hoc; ſed etiam quod de ſit.
patre exiſtat. Nam pater eſt, vt iam pridem indicauimus, qui alteri in natura ſibi conſimili principium exiſtendi præbuit: filius vero, qui per generationem exiſtendi principium ab alio habuit. Hæc eſt vocis vnigenæ vis, ac ſignificatio. Quod autem Ioannes ait: Ho on, qui eſt; æternitatem filij probat. Quod ipſum ita eſſe vt credas, audi quo pacto Moſes patrem loquentem faciat: Ego ſum ho on, qui eſt. Quod

verbum ſignificat ſemper eſſe, & eſſe in principio, & eſſe proprie. Atque hoc ipſo Ioannes etiam vſus eſt, cum ait: Ho on, qui eſt in ſinu patris; indicare nimirum volens, filium in patre ab æterno eſſe. Ne autem hunc quoque putes vnum quendam eſſe de numero illorum, qui ex gratia filij ſunt, per communicationem nominis; primum quidem articulum adiecit, quo ipſum à gratiæ filijs ſecerneret. Id vero ſi tibi non ſatisfacit; ſed adhuc deorſum ſpectas, audi quod hoc magis eſt proprium, nimirum appellationem vnigenæ. Quod ſi poſt id quoque deorſum adhuc demittis oculos, non grauabor, inquit Ioannes, etiam vocem quandam humanam de Deo proferre, ſinus videlicet appellationem. Tantum ne humile quiddam animo conceperis. Quid enim aliud ſignificat, in ſinu, quam filij genuinam ex patre procreationem? Quod ſi filius non dicitur vnigena propter generationem ex patre; ſed quod ſit incomparabilis, quemadmodum voluit Eunomius: etiam pater erit vnigena: quippe qui comparari cum nemine poſſit: etiam creatum quoduis, quod alij ſimile non eſt, vnigenitum erit. De quo ſequetur, multos eſſe vnigenas, non vnum, qui Dei filius eſt.

Orige. Origen. tom. 6. in Ioan: At vero non recte Heracleon ſuſpicatur verba illa: Nullus Deum vidit vnquam, & quæ ſequuntur, dicta fuiſſe, non à Baptiſta, ſed à diſcipulo.

Auct. Nullus hic Deum, vt in cœlo videtur, conſpexit. Diſputarunt olim, atque nunc etiam i quirunt multi, an Moyſes, & Paulus, cum hic adhuc peregrinarentur, viderint Deum more beatorum, id eſt, facie ad faciem ſicuti eſt: quod Iren. lib. 3. cap. 11. diſerte negat. Nec ſolus Ireneus Moyſen, vel Paulum hic degentes inſtar beatarum mentium non vidiſſe Deum aſſerit: verum idem quoque ſentiunt Dionyſ. Areop. lib. cœleſt. Hierar. cap. 4. & epiſt. ad Caium. Origen. hom. 1. in Eſa. Naz. ora. 2. Chryſoſt. hom. 14. in Ioan. Cyrill. Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 22. Hieron. dial. 3. aduer. Pelagia. Greg. lib. 18. Moral. cap. 36. & 37. alijque permulti. (Areop. Orige. Naz. Chryſoſt. Cyr. Hier. Greg.) Ad ſcripturas autem, quæ in contrarium adferuntur, dici poteſt, illas de ſpeciali quadam, & illuſtriori viſione intelligendas eſſe; non de beatifica, qua nunc in cœlo cum Angelis illi ſancti potiuntur. Aug. lib. 12. de gen. ad litte. cap. 27. & 28. ſcribit eos vidiſſe Deum, non aliqua naturæ corporalis ſimilitudine, vel imagine: ſed in ea ſubiecti natura, & eſſentia, qua Deus eſt, quantum poteſt eam capere homo ſeuocatus ab omni ſenſu corporis. Idem confirmat ep. 112. cap. 12. & 13. hoc ipſum lib. 2. de Trin. cap. 17. & 18. exponit, aſſirmãs illos ſolo mentis oculo Deum ad tempus vidiſſe, quantum fas eſt homini: non autem corporeis oculis. Contendit enim lib. 22. de Ciuit. cap. 29. neque etiam beatos poſt iudicium, Deum corporeis oculis, quantumuis glorificatis, aſpecturos eſſe; obſeruans beatum Iob dixiſſe quidem: In carne mea videbo Deũ; ſed non per carnem. (Aug.)

Auct. Origo filij. Qui eſt in ſinu patris: Hic denotatur origo: nemo enim dicere audebit, patrem eſſe in ſinu vnigeniti. Quod indicio eſt, eſſe in ſinu, ſignificare originem exiſtentis in ſinu, ab eo, vbi exiſtit. Apud nos, quod in ſinu gerimus, quadam ratione originem ab illo habet. Indicatur etiam diſtinctio contenti in ſinu, à continente: quia nullus dicitur ſeipſum in ſinu ſuo continere. Iiſdem verbis, coniunctio, & vnitas, vt clarum eſt, inſinuatur. Vnde Iren. lib. 3. cap. 11. dicit filium extra patrem non eſſe: verum in ſinu patris exiſtere. Vult ergo Iren. coniunctionem hic indicari. (Diſtinctio Patris, & Filij vnitas.)

Not. 6. ver. 5.

Hoc tertium eſt Ioannis de Chriſto teſtimonium: & ſecundum, quod ab Euangeliſta Ioanne tractatur, vt Origen. ait, tom. 5. & 6. in Ioan. In hac Euangelica lectione Ioannes ad quinque ſibi propoſitas quæſtiones reſpondet. Accidit vero hæc legatio, cum Ioannes populum quotidie magno concurſu baptizaret; antequam Dominus prædicare incœpiſſet; immo etiam priuſquam eſſet à Ioanne baptizatus, vt ex Euangelij contextu apparet. Ioannes enim ver. 12. legatis ait: Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis; Si autem facta poſt baptiſmum fuiſſet, eum plures tunc nouiſſent. Inde ſiquidem populo manifeſtari cœpit. (Auct. Diſpoſitionis ratio.)

Bern. Bern. lib. 2. de conſider: A te tua conſideratio inchoet, ne fruſtra extendaris in alia, te neglecto. Quid tibi prodeſt, ſi vniuerſum mundum lucreris, te vnum perdens? (Matt. 16.) Et ſi ſapiens ſis, deeſt tibi ad ſapientiam, ſi tibi non fueris. Quantum vero? vt quidem ſenſerim ego, totum. Noueris licet omnia myſteria, noueris lata terræ, alta cœli, profunda maris: ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento; ruinam, non ſtructuram faciens. Quicquid extruxeris extra te, erit inſtar congeſti pulueris, ventis obnoxium. Non ergo ſapiens, qui ſibi non eſt. Sapiens, ſibi ſapiens erit; & bibet de fonte putei ſui primus ipſe. A te proinde incipiat tua conſideratio: non ſolum autem, ſed & in te finiatur. Quocunque euagetur, ad te reuocaueris eam cum ſalutis fructu. Tu primus tibi, tu vltimus. Sume exemplum de ſummo omnium patre, verbum ſuum & emittente, & retinente. Verbum tuum conſideratio tua. Quod ſi procedat, non recedat. Sic progrediatur, vt non egrediatur. Sic exeat, vt non deſerat. In acquiſitione ſalutis, nemo tibi germanior, vnico matris tuæ. Contra ſalutem propriam cogites nihil. Minus dixi, contra: præter, dixiſſe debueram. Quicquid ſe conſiderationi offerat, quod non quoquo modo ad tuam ipſius ſalutem pertineat, reſpuendum. Et hæc tui conſideratio in tria quædam diuiditur, ſi conſideres, quid, quis, & qualis ſis. Quid in natura, quis in perſona, qualis in moribus, &c.

Not. 7. ver. 6.

Iſidor. Figura. Isidor. Hiſpal. in lib. Ruth: Quod ille cognatus confitetur ſe eidem nubere non poſſe, hoc

hoc loco Ioannis Baptiſtæ figuram oſtendi æſtimamus; qui cum ipſe à populo Iſrael Chriſtus putaretur, & interrogaretur quis eſſet, non negauit, ſed confeſſus eſt, dicens Chriſtum ſe non eſſe. Sicut ille propinquus negauit, & poſtea Ruth iungitur Booz: ita Chriſtus, qui vere ſponſus Eccleſiæ eſt, quem omnium prophetarum oracula cecinerant, dignatus eſt Eccleſiam aſſumere, & ex omnibus gentibus per totum orbem terrarum Deo patri innumeros populos offerre. *Ruth 4.*

Aug. Aug. ſerm. 23. de Sanctis: Quod enim eſt maius teſtimonium veritatis, quam ſe humiliando eum agnoſcere, cui æmulando potuit inuidere? Putari Chriſtus potuit, & noluit: exiſtimari Chriſtus potuit, & noluit. Dixerunt homines, cum fallerentur in eo: num forte hic eſt Chriſtus? Reſpondit ille quod non erat, vt maneret quod erat. Inde quippe Adam lapſus perdidit quod erat: quia quod non erat vſurpauit. Recolebat hoc iſte magnus, ſed in paruo Chriſto minimus. Nouerat hoc, recolebat hoc, & tenebat: quia recipere, quod perdiderat, cogitabat. Homo ergo iſte, vt dixi, magnus Ioannes, cui Dominus tale perhibuit teſtimonium, quē ſic veritas commēdauit, vt diceret: In natis mulierum, non exſurrexit maior Ioanne Bāptiſta; potuit credi Chriſtus: imo iam ab eis, qui eius magnitudinis gratia fallebantur, credebatur Chriſtus, vt illo morerentur, niſi ab illo confitente corrigerentur. Reſpondit ergo putantibus, & ait: Non ſum ego Chriſtus: tanquam diceret: certe in honorem meum ita fallimini: & certe mihi, hoc putando, magnam additis laudem; ſed debeo cognoſcere, vt vobis errantibus ille poſſit cognoſcere. Si enim quod non erat fallaciter putaretur, ab illo, qui erat veraciter, amputaretur. *Matt. 11.*

Greg. Greg. hom. 7. in Euang: Ex huius nobis lectionis verbis, &c. vt lect. 7. Dom. 3. Aduen. & hom. 20. in Euang. oſtendit ex hoc loco, Iudæorum fuiſſe opinionem, quod Ioannes eſſet Chriſtus.

Not. 8. ver. 7.

Greg. GREG. hom. 7. in Euang: Sed cum ex lectione alia, &c. vt lect. 8. & 9. Dom. 3. Aduent.

Ver. 8.

Greg. GREG. hom. 5. in Euang: Qui ſe pluſquam prophetam nouerat, eſſe ſe prophetā negabat.

Ver. 9.

PETAMVS quotidie à nobiſipſis: Quid dicis de teipſo?

Not 9. ver. 10.

Amb. AMBR. ſer. 64: Videte quid dixerit: Non enim ait tantum: Ego ſum vox; ſed & clamantis vox; ſcilicet vt ad fidem conſequendam, vox aures penetret, clamor corda concutiat, vox regnum prædicet, clamor iudicium cōminetur. *Vox clamantis.*

Aug. Aug. ſerm. 20. de Sanctis: Præmittitur vox ante verbum: & ideo de ſe dicit: Ego vox clamantis in deſerto. Quid eſt quod beatus Ioannes vocem ſe eſſe dixit? id eſt, quia verbi annunciator, & prædicator erat. Hic iam ſolicite requiramus, quid inter verbum ſit, & vocem. Scripturæ ſanctæ verbum eſſe definiunt, quod intra animi ſilentium mente concipimus. Verbum eſſe definiunt ipſam cogitationem, quæ adhuc intra conſcientiæ ſecreta retinetur: vocem vero, per quam verbum profertur in medium. Vox ſonus eſt, index cogitationis: verbum vero ipſa cogitatio. Sicut enim quando verbum corde concipimus, neceſſaria eſt vox, quaſi quoddam vehiculum verbi: & quamlibet verbum ipſum per oris ſonum ad alium transferamus; tamen illud integrum etiam intra nos, id eſt, clauſum à loquente transfertur, vt tamen in ſua ſede teneatur. Ita & omnipotens pater innoteſcere nobis volens ſapientiam, & verbum illud, quod in principio erat Deus apud Deum, ſicut ipſe teſtatur: Eructauit cor meum verbum bonum; beatum Ioānnem, quaſi vocem, per quam ad nos verbum ſuum proferret, aſſumpſit. Quod quidem verbum de illa ſede ita ad nos deſcendit, vt in ſinu, id eſt, in profundo paterni pectoris permaneret: terrena viſitans, & cæleſtia non relinquens. *Cur ſit vox verbi, vocis que diſcrimen.* *Verbum quid ſit.* *Vox quid ſit.* *Pſal. 44.*

Aug. Cur ſit vox. Et ſerm. 36. de Sanctis: Ego vox clamantis in deſerto, hoc eſt dicere, non ſum ego verbum, quod erat in principio Deus apud Deum; ſed vox potius, id eſt, miniſter ſum verbi; vt per me ad auditus hominum, ſenſuſque perueniat. Vnde euangelico ipſe beatus Ioannes alloquio corda noſtra pulſat ſalutifero, dicens: Ego vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri. Si teneamus in nobis verbum veritatis, affectum iuſtitiæ, erit in nobis illa via, per quam humanum pectus Chriſtus adeat. Vox præconis iudicem loquitur: Clamor iudicium comminatur. *Via Domini.*

Greg. Greg. hom. 20. in Euang: Idem vero Ioannes Baptiſta requiſitus quis eſſet, reſpondit, dicens: Ego vox clamantis in deſerto. Qui, ſicut ante pēr nos dictum eſt (hom. 7. in Euang.) ideo vox à Propheta vocatus eſt; quia verbum præibat. Quid autem clamaret, aperitur cum ſubditur: Parate viam Domini. Omnis qui fidem rectam, & bona opera prædicat, quid aliud, quam venienti Domino ad corda audientium, viam parat? vt hæc, vis gratiæ penetret, lumen veritatis illuſtret, vt rectas Deo ſemitas faciat, dum immundas in animo cogitationes per ſermonem bonæ prædicationis format.

Not. 10. ver. 11.

QVIDAM hoc ab Euangeliſta poſitum aſſerunt, ad innuendum, quod hi maleuolè, ac inſidioſè Baptiſtam interrogauerint: alij vero, & fortaſſe melius, putant hoc ab Euangeliſta dictum eſſe, vt nunciorum dignitatem, ſolennitatem, ac idoneitatem oſtenderet.

Ver. 12.

Amb. AMBR. in Pſ.47: Medius veſtrum ſtat, quem vos neſcitis, hoc eſt, in medio veſtri eſt, & non videtur. Amb. Et lib. 3. de Fide cap. 5: Dixit: Cuius non ſum dignus calceamenta portare: Præſtantiam vtique dignitatis, non æternitatem diuinæ generationis exponens. Quod eo vſque ad incarnationem pertinet, vt typum in hominibus myſticè calceamenta ante præmiſerit. Lege enim proximo defuncti, vel fratri copula deferebatur eius vxoris, vt ſemen fratris, vel proximi reſuſcitaret. Ruth 4. Vnde quod Ruth, licet illa alienigena, tamen quia maritum habuerat ex Iudæis, qui reliquerat ſuperſtitem proximum eamque colligentem manipulos ſuę meſſis, quibus alebat & ſocrum, Booz vidit, & amauit, non aliter eam accepit vxorem, niſi calceamentum eius ante ſoluiſſet, cui vxor debebatur ex lege. Hiſtoria ſimplex, ſed alta myſteria: aliud enim gerebatur, aliud figurabatur. Nam ſi ſecundum litteram ſenſum torqueamus, prope quidam pudor eſt; & horror in verbo eſt, ſi ad commixtionis corporeæ conſuetudinem ſententiam, intellectumq; referamus. Deſignabatur autem futurus ex Iudæis, ex quibus Chriſtus ſecũdum carnem, qui proximi ſui, hoc eſt, populi mortui ſemen, doctrinæ cœleſtis ſemine reſuſcitaret, cui calceamentum nuptiale Eccleſiæ copulandæ præſcripta legis ſpiritalia deferebant. Exo. 3. Non Moyſes ſponſus: Illi enim dicitur: Solue calceamentum pedum tuorum, vt Domino ſuo cedat. Ioſ. 5. Non Ieſus Naue filius ſponſus: Nam & ipſi dicitur: Solue calceamentum pedum tuorum; ne ex ſimilitudine nominis ſponſus Eccleſiæ crederetur. Non alius ſponſus; ſed ſolus Io. 3. Chriſtus eſt ſponſus, de quo dixit Ioannes: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Illis igitur calceamentum ſoluitur; huic ſolui non poteſt, ſicut dixit Ioannes: Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius. Solus ergo Chriſtus eſt ſponſus, cui illa veniens ex gentibus ſponſa, ante inops, atque ieiuna, ſed iam Chriſti meſſe diues, nubat: quæ manipulos fœcundæ ſegetis, verbique reliquias gremio legat mentis interno, vt exhauſtam illam viduam morte filij, atq; inopem defuncti populi matrem nouis paſcat alimentis, non relinquens deſtitutam viduam, & nouos quærens. Solus ergo Chriſtus eſt ſponſus, qui nec ſynagogæ ipſi manipulos ſuæ meſſis inuidebat. Vtinam ſeipſam non excluderet. Habuit quos per ſe colligeret, ſed quia ſponſus eius eſt mortuus, quaſi filio egena defuncto per Eccleſiam manipulos, quibus viueret colligebat, quos venientes in exultatione portabunt, ſicut ſcriptum eſt. Pſal 125. Amb. Et lib. de inſtitutione virginis cap. 14: Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius, id eſt, non ſum dignus incarnationis myſterium comprehendere anguſtijs mentis humanæ, atque inopis vilitate ſermonis abſoluere. Vnde & Eſaias dixit: Generationem eius quis enarrabit?

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 3. in Matt: Itaque ſi bona tua magna vis facere, noli ea magna putare: aliter enim magna eſſe non poſſunt. Sic enim Centurio dixit: Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: cap. 14. & propterea dignus effectus eſt: ſupraque omnes Iudæos iure mirabilis. Sic etiam Paulus ait: Non ſum dignus vocari Apoſtolus: 1 Cor. 15. ideo omnium primus inuentus eſt. Sic & Ioannes: Non ſum, inquit, idoneus ſoluere corrigiam calceamenti eius: & idcirco amicus factus eſt ſponſi: & manum, quam indignam calceamentis eſſe dicebat, eam Chriſtus ad caput ſuum ſubleuauit. cap. 17. Sic etiam Petrus ait: Exi à me Domine: quia homo peccator ſum: cap. 19. & propterea factus eſt Eccleſiæ fundamentum. Nihil enim ſic eſt amicum Deo, quam ſi quis ſe minimis annumeret. Petrus Eccleſiæ fundamentũ. Hoc eſt enim caput totius philoſophiæ, atque faſtigium.

CAP. 17. IESVS *à Ioanne baptizatur: & eiuſdem aliqua de Chriſti facta iam incarnatione teſtimonia.*

Matth. 3.	*Mar. 1.*	*Luc.*	*Ioan. 1.* *In octaua Epiph.*
1 TVnc venit Ieſus, à Galilæa in Iordanẽ ad Ioannem; vt baptizaretur ab eo.	1 ET factum eſt in diebus illis, venit Ieſus à Nazareth Galilææ.		1 ALtera die, ✠ vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait:
			2 Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mũdi.
			3 Hic eſt de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat.
			4 Et ego neſciebã eum, ſed vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans.
5 Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?			

Reſpondens

Matt. 3.

6 Reſpondens autẽ Ieſus, dixit ei: Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Tũc dimiſit eum.

7 Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aqua; & ecce aperti ſunt ei cœli: & vidit Spiritum Dei deſcẽdentem ſicut columbã, & venientem ſuper ſe.

8 Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.]

Mar. 1.

7 Et baptizatus eſt à Ioanne in Iordane: & ſtatim aſcendens de aqua, vidit cœlos apertos, & Spiritum tãquam columbam deſcendentem, & manentem in ipſo.

8 Et vox facta eſt de cœlis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui.

Luc. 3.

7 cap.25.) Factum eſt autem, cum baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum.

8 Et vox de cœlo facta eſt: Tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi.

Ioan. 1.

9 Et teſtimoniũ perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentẽ, quaſi columbam, de cœlo; & manſit ſuper eum.

10 Et ego neſciebam eum; ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendẽtem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.

11 Et ego vidi, & teſtimoniũ perhibui: quia hic eſt filius Dei. ✠

Not. 1.

Diſpoſitionis ratio. Ammo. Tatia. Aug.

QVÆ iſto capite recenſentur, eodem, quo nos ordine, conſtituunt Ammonius, Tatianus, & Auguſtinus lib. 2. de conſ. cap. 13. Ex quibus illud quoque eſt euidens, hîc etiam ex Ioanne locandum, quod huc retulimus. Dicit enim Auguſtinus eodem capite omnes quatuor Euangeliſtas, de hoc aduentu Chriſti ad Ioannem loqui, his verbis: Atteſtantur, inquit Matthæus, & cæteri, veniſſe Ieſum ad Ioánem: nam & Lucas id etiam habet: non quidem expreſſe, verum implicite, cum dicit eum fuiſſe baptizatum: & cap. 15. lib. 2. de conſ. Auguſtinus, illud Ioannis: Et ego neſciebam eum, etiam poſt baptiſmum Chriſti, & ante ieiunium eius, collocat. His conſentit Origenes in caput primum Ioannis, cum ait, vnde Saluator ad Baptiſtam venerit, non dici à Ioanne, ſed ex Matthæo colligi.

Aug. Orige.

Ver. 1.

EVSEB. lib. 1. hiſt. cap. 10: Eodem tempore, vt ſcribit Euangeliſta, cum iam Tiberius Cæſar decimum quintum imperij ſui annum; & Pontius Pilatus quartum ſuæ præfecturæ ageret; reliquaque Iudæa ab Herode, Lyſania, & Philippo Tetrarchis regeretur; Seruator, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, id eſt, vnctus Dei, quando iam trigeſimum ætatis ſuæ annum agere incipiebat, ad Ioannem, vt lauacro baptiſmatis tingeretur, ſe contulit: eodemque tempore prædicandi euangelij fecit initium.

Euſeb. Chriſtus quando ſit baptizatus.

Amb. lib. 2. in Luc: Ideo & à Ioanne baptizari voluit: quia in hominibus verbum conſecratur voce doctoris.

Amb.

Altera die, hoc eſt, poſtridie legationis Iudæorum ad Ioannem: tunc enim iſtud contigiſſe videtur. Nunc primum Ioannes Chriſtum videt corporaliter, quem afflatu ſpiritus etiam ante

Aug.

baptiſ-

baptiſmum agnouit; & ſtatim poſt baptiſmum etiam publico ſigno propter populum. Tunc enim ſecreta reuelatione cognouit, quem publica Dei reuelatione mox ſecutura cognoſcere, deinde publice oſtendere debebat.

Hier. Cur à Ioanne Chriſtus baptizari voluit. Hieron. Matt. 3: Triplicem ob cauſam Saluator à Ioanne accepit baptiſmum. Primum, vt quia homo natus erat, omnem iuſtitiam, & humilitatem legis impleret. Secundo, vt baptiſmate ſuo, Ioannis baptiſma comprobaret. Tertio, vt Iordanis aquas ſanctificans per deſcenſionem columbæ, Spiritus ſancti in lauacro credentium monſtraret aduentum.

Not. 2. ver. 2.

Hoc eſt quartum Ioannis de Chriſto teſtimonium, quo paſſionem eius deſcribit.

Greg. Greg. hom. 1. in Ezech: Ex præſenti enim prophetiæ ſpiritu tactus fuerat, qui humanitatem mediatoris videns, & diuinitatem eius intelligens, confitebatur agnum, qui peccata mundi tolleret.

Legendum ſingulariter eſſe, peccatum mundi, placet Irenęo lib. 3. cap. 11. Origen. hom. 10. in Nume. Cypria. lib. de duplici martyrio, Auguſtino lib. 10. cont. Fauſt. cap. 30. Theophylac. ac Euthym. in Ioan. Amb. lib. 3. de Fide cap. 5. & alijs.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 17. in Ioan: Prophetæ, & Apoſtoli omnes abſentem Chriſtum prædicauerunt: illi quidem ante incarnationem; hi vero poſt aſſumptionem: Ioannes autem ſolus præſentem. Neque voce tantum; ſed & oculis Chriſtum teſtatus eſt, & admiratus, & incredibili gaudio exultauit. Neque iam exhortatur; ſed admiratur, & obſtupeſcit præſentem: & Dei donum, quod annunciaturus venerat, & purgationis modum manifeſtat. Agnus enim vtrumque ſignificat. Neque dixit: qui tollet; aut: tulit: ſed tollit peccata mundi: vt quotidie ea tollere intelligatur. Non enim cum paſſus eſt ſolum, noſtra abſtulit peccata: ſed ex illo hactenus tollit. Non ſemper crucifigitur. Vnum namque pro peccatis noſtris tulit ſacrificium: ſed ſemper per illud nos purgat.

Not 3. ver. 3.

Hier. Hieron. Ioel. 1: Hæc ſtricta ſint breuiter, vt recte verbum Dei, quod erat in principio apud Deum, factum eſſe narretur, Baptiſta Ioanne referente: qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt. Porro factum eſſe ſermonem, ad meritum eius refert, cui fit: non ad conditionem illius, qui fieri dicitur: vt alibi legimus: Dominus mihi factus eſt in ſalutem. Pſal. 117. Hier. Et in cap. 4. epiſt. ad Epheſ: ita vt Chriſtus non ex parte ſit, ſed totus in nobis: & relictis initijs paruulorum, creuerimus in eum virum, de quo Propheta dicit: Zach. 6. Ecce vir, Oriens nomen illi. Et Ioannes Baptiſta commemorat: Poſt me venit vir, &c. Hier. Et in cap. 12. Pro: Viros vocare ſcriptura ſolet eos, qui virtutibus præditi ſunt diuinis. Vnde Apoſtolus: Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite. 1 Cor. 16.

Amb. Amb. lib. 3. de Fide cap. 5: Sed ſcriptum eſt: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat. Vnde dicunt: Ecce qui erat, factus eſt. Ipſa verba perpendamus: Poſt me, inquit, venit vir. Vir ergo eſt, qui venit, ipſe qui factus eſt: vir autem nomen eſt ſexus. Sexus autem non vtique diuinitati: ſed naturæ deputatur humanæ. Poſſem ergo dicere: erat in præcognitione quidem corporis, ſed æternitate virtutis. Nam & Eccleſia erat, & ſancti erant prædeſtinati ante ſecula. Sed non id loco hoc dico: ſed illud aſſero, factum eſſe; non ad diuinitatem, ſed ad incarnationis pertinere naturam: ſicut ipſe Ioannes dixit: Hic eſt de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: Itaque cum geminam, ſicut ſupra dixi, in Chriſto ſubſtantiam propoſuiſſet, vt vtramque intelligas & diuinitatis, & carnis, hoc loco cœpit à carne. Eſt enim ſcripturis promiſcua conſuetudo diuinis, vt interdum à diuinitate Chriſti incipiant, & ad incarnationis ſacramenta deſcendant: interdum ab humilitate incarnationis exordium ſumant; & ad gloriam diuinitatis aſſurgant, vt in Prophetis, Euangeliſtis, frequenter & in Paulo. Ergo & hic iuxta memoratam conſuetudinem ab incarnatione Domini cœpit de eius diuinitate dicturus; non vt confunderet humana, atque diuina: ſed vt diſtingueret. Verum Arriani, velut Iudaici caupones, miſcent aquam cum vino: quia diuinam generationem, humanamque confundunt, ad diuinitatem referentes, quod de carne ſit dictum. Nec metuo quod obiecturi videntur, quod in ſuperioribus non habet virum. Sic enim habet: Qui poſt me venit. Sed vide ante ibi quid præmiſerit: Verbum, inquit, caro factum eſt. Et ideo non addidit virum: quia carnem dixerat. Per carnem autem virum intelligimus: & per virum carnem. Ergo quod dixerat: Verbum caro factum eſt, virum hoc loco nominare ſuperfluum fuit, quem iam carnis expreſſione ſignificauerat. Quo exemplo in poſterioribus quoque & agnum præmi[illegible]t, qui tolleret peccatum mundi. Et vt incarnatum intelligeres, quem ante memorauit, ait: Hic eſt de quo ante dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, hoc eſt, virum dixi, non Deum factum. Sed vt ipſum incarnatum declararet eſſe, qui ante ſecula erat, ne duos filios crederemus, ait: Quia prior me erat. Nam ſi factus eſt, ad diuinam generationem retuliſſet, quid opus fuerat, vt adhuc adderet tertium, atque iteraret quod ſupra dixerat? Sed quia ante de incarnatione tantum dixerat: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt; ideo addidit: Quia prior me erat. Quoniam diuinitatis æternitas fuerat exprimenda. Et hæc eſt cauſa prælationis, vt merito antelatus videatur, qui proprij patris ſempiterna virtus eſt. Dat tamen intellectus ſpiritalis vbertas, vt excurrere, & euagari ad concludendos libeat Arrianos, qui volunt factum hoc loco non ad virum, ſed ad diuinitatem referre. Quid eſt enim tenere quod poſſint, cum dixerit Baptiſta: Poſt me venit, qui ante me factus eſt, hoc eſt, ſupra meritum

tum meum factus, ſupra meam gratiam: tempore carnis poſterior, diuinitatis honore venerabilis. Poſt me enim venit, temporis eſt: prior me erat, æternitatis. Ante me factus eſt, honoris eſt: quia etiam incarnationis myſterium ſupra humanam eſt gratiam. Claret igitur hinc & virum, & typum ad incarnationis ſpectare myſterium, non ad ſubſtantiam diuinitatis: ſed ad incarnationem. In ſequentibus ex multis ſcripturis oſtendit Ambroſius quod, factus, ad incarnationem, non ad diuinitatem, referatur.

Epiph. Epiph. hære. *69*: Deinde rurſus meminit alterius dicti, quod Ioannes ſtans in deſerto, & conſpicatus ipſum venientem dixit: Hic eſt de quo dixi vobis, quod poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat. Et primum quidem ipſas dictiones, velut capite grauati, alterant in ſententia, & dicunt: Quomodo hoc impletur in aduentu in carne, cum non fuerit ante Ioannem in vtero Mariæ conceptus? Sed velut Euangeliſta dicit: In ſexto menſe miſſus eſt Angelus Gabriel in ciuitatem Galilææ, &c. Ecce concipies in vtero, &c. Et ecce cognata tua Elizabeth concepit filium, &c. Et hic menſis ſextus illi eſt, &c. Et vides, inquiunt, quod ſex menſibus, antequam bonum nuncium afferretur Mariæ, iam præextitit Ioannes? quomodo igitur hoc, ante me factus eſt, in aduentu Chriſti in carne implebitur? Quis vero ex ſimplicibus, & non in ſententia probe firmatis, hoc dicto audito non turbabitur? Dicit enim, quæ neceſſaria ſunt, & ſimplicia, & vitalia in diuina ſcriptura, ea his, qui ſibi praua attrahunt, magis nociua apparent, cum dicta penitus ſint in Spiritu ſancto illuminata. Quid enim relictum eſt à dicto ad ſecuram certitudinem? Ecce enim dicit, hic eſt, viſibilem ſignificans, ac oſtendens videntibus. De quo dixi vobis, quod poſt me venit. Et quis venit, niſi vir? nemo autem prudentia præditus, virum nudum putauerit Dominum noſtrum, quam hæreſes, ſupra à me relatæ, Cerinthiani, & Merinthiani, ac Ebionitæ: ſed cum hoc quod vir eſt, omnino certo etiam Dominum ipſum ſciunt veri fideles, &c. hominem ſignificet, quem etiam Baptiſta Ioannes dixit: Quod poſt me venit vir, &c. Sic etiam hic mihi intellige hoc: Hic eſt, de quo dixi vobis, quod poſt me venit vir; vt aduentum in carne ſignificet: quia prior me erat; vt deitatem oſtenderet. Quoniam ante me factus eſt: In mundo enim erat, inquit Euangelium, & mundus per ipſum factus eſt. Si autem in mundo erat, antequam Ioannes gigneretur, ac conciperetur, ante ipſum fuit in mundo, non de creatione, non de factura ſignificat; ſed iuxta vſum conſuetum, quo æquiuoce homines dicere ſolent, fui in Hieroſolymis, fui in Babylone, fui in Æthiopia, fui in Alexandria, non creationem hic ſignificat: ſed acceſſum, & aduentum. Fui enim in Babylone, aut altero loco, quando veni. Ante me igitur fuit, aut factus eſt (vtrumque enim Græca voce ſignificatur) inquit, vt oſtendat verbi in terra ſemper acceſſum. Et hoc, prior me erat, vt oſtendat deitatem ſemper exiſtentem. Illud vero, poſt me venit, vt indicet conceptionem poſt Ioannem.

Not. 4. ver. 4.

Ego neſciebam eum.) non quin ſtatim venientem ad baptiſmum agnouerit; ſed quoniam eadem hora ſignum publicum accepit; quo intelligebat eum populo annunciandum. Simile quid habetur Exo. 3: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui. Exod. 3.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. *16*. in Ioan: Nam ſi antea notus fuiſſet, non vtique dixiſſet: vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni baptizans. Hinc conſtat ſigna illa, & miracula, quæ in Chriſti pueritia feruntur, vera non eſſe. Nam ſi à pueris miracula facere, cœpiſſet, non ſane eum Ioannes ignoraſſet, nec reliqua multitudo indiguiſſet magiſtro, qui ipſum monſtraret. Nunc autem, inquit: propter hoc veni, vt manifeſtetur in Iſrael.

Euth. Euthym. Ioann. 1: Ne putarent, quod illum iam olim cognoſcens talia de eo ferret teſtimonia, gratiam illi præſtans tanquam cognato, ait: Ego ignorabam eum, priuſquam ad Iordanem veniret: vtpote ſemper in deſerto verſatus. Atqui, cum adhuc in matris eſſet vtero, cognouit eum, & præ gaudio exultauit, quemadmodum ſcripſit Lucas. Verum id non fuit naturaliter; ſed ſupernaturaliter tunc eum cognouit, & quomodo nullus omnino hominum cognouit. Nunc autem triplici cognitione cognouit: puta per viſum, per auditum, perque propheticam notitiam, quarum nulla Chriſtum cognoſcebat, priuſquam ad Iordanem veniret. Deinde autem triplici hoc modo cognouit eum. Siquidem prophetice ei reuelata ſunt, quæ de ipſo erant: ideo & dixit: Qui poſt me venturus eſt, ante me fuit. Vidit quoque eum: illum namque prohibebat dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Audiuit præterea vocem de illo dicentem: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, ſicut alij Euangeliſtæ docuerunt.

Theophyl. Miracula pueritiæ Chriſti ſunt conficta. Theophylact. Ioan. 1: Hoc autem loco diſcimus, quod miracula pueritiæ Chriſti conficta ſint, & mendacia compoſita ab his, qui deridere voluerunt myſterium. Nam ſi fuiſſent vera, quomodo ignotus fuiſſet Dominus, qui hæc faciebat? neutiquam enim veriſimile fuerit, non fuiſſe celebrem eum, qui talia faciebat miracula. Verum non ita eſt. Non enim, antequam baptizaretur, ſigna fecit, neque cognitus erat.

Not. 5. ver. 5. 6.

Qvod Matthæus ait, dixiſſe Domino Ioannem, vel Ioanni Dominum reſpondiſſe, cæteri tres Euangeliſtæ tacent, inquit Auguſtinus lib. 2. de conſ. cap. 13. Cyrillus lib. 2. Theſaur. cap. 4. his Chriſti verbis, Sine modo, neceſſariũ Ioanni baptiſmum, per diſpenſationem in aliud tempus differendum ſignificari aſſerit.

Amb.

Amb. Amb. lib. 1. in Luc: Vt ſanctificaret baptiſmum Ioannis, Dominus venit ad baptiſmum. Amb. Et ſerm. 14. in Pſal. 118: Omnem iuſtitiam, qua Amb. peccatum minuitur, culpa laxatur. Et ſer. 41: Conſtat Ieſum non ſui cauſa baptizatum eſſe, ſed noſtri. Faciamus ergo ipſi pro nobis, quod Deum videmus feciſſe pro nobis. Faciamus circa nos, quod fieri circa ſe Ioannes optauit. Quanto magis peccatores nos humiles, & ignari gratiam hanc debemus ambire? videte miſericordiam Saluatoris. Hoc nobis ſponte defertur, quod Propheta poſtulans non meretur accipere. Quid autem cauſæ ſit, quod Ioannes petierit Chriſti baptiſmum, & non acceperit, debemus aduertere. Ait enim illi Dominus poſtulanti: ſine modo: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Scimus autem quod Ioannes Baptiſta typum legis gerebat: iuſtum ergo erat, vt ipſe baptizaret Dominum, ſcilicet vt quemadmodum ſecundum carnem de Iudæis Saluator eſt genitus; ita & ſecundum ſpiritum de lege Euangelium naſceretur. Vt vnde ſucceſſionem ducebat originis, exinde & traditionem conſecrationis acciperet. Hoc eſt igitur quod ait: Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Iuſtum enim erat vt mandata legis, quæ ipſe condiderat, ipſe compleret: ſicut alibi dicit: Non Matt. 5. veni legem ſoluere, ſed adimplere.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. in Pſa. 49: Chriſtus dixit Ioanni eum reuelare incipienti: ſine modo, hoc eſt, tace nunc: neque enim tempus eſt, vt reueletur arcanum carnis ſuſceptæ conſilium: volo adhuc latere diabolum: tace ergo: ita enim nos Aug. decet. Vide Aug. not. 7. num. 4.

Hier. Hieron. Matt. 3: Pulchre dixit: ſine modo; vt oſtenderet Chriſtum in aqua, Ioannem à Chriſto in ſpiritu baptizandum. Siue aliter: ſine modo, vt qui ſerui formam aſſumpſi, expleam & humilitatem eius. Alioquin ſcito in die iudicij meo te eſſe baptiſmate baptizandum. Sine modo, dicit Dominus Ieſus, habeo & aliud baptiſma, quo baptizandus ſum. Tu me baptizas in aqua, vt ego te baptizem pro me in ſanguine tuo. Non addidit; iuſtitiam legis, ſiue naturæ: vt nos vtrumque intelligamus: vt ſi Deus ab homine accepit baptiſma; nullus à conſeruo dedignetur accipere.

Iſidor. Iſidor. lib. 1. epiſt. 66: Iuſtus ille iudex, quod cuique tempori conuenit, attribuens; ſine modò, ad Ioannem dicebat, ipſius baptizandi mu-Matt. 3. nus recuſantem. Nam cum ille, vt Domino venerationem exhibens, diuinum caput attrectare minimè auderet; ſine modò, audiuit. Nunc, inquit, paupertatis tempus eſt, demiſſionis lex eius cauſa, ob quem humanitatem aſſumpſi, baptiſmum accipio, vt eum à maledicto expiem. Nunc Dominica potentia opus non eſt, verum ſeruili deiectione ac vilitate. Sine modo commiſerationem expleri, ne hominum ſalus impediatur. Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Hoc enim iuſtitiæ munus poſtulat, vt qui hominum affectiones ſuſcepit, verè baptiſmum quoque pro ipſis ſuſcipiat, qui & ipſorum peccata ſoluat, & eorum in me ſtatum ab omni corruptione alienum ſignificet.

Not 6. ver. 7.

CHRISTVM bapizatum, non Ioannes; ſed alij tres Euangeliſtæ commemorant; vt notat Auguſtinus lib. 2. de conſ. cap. 13. & 14. & lib. Aug. 4. cap. 10. pulchre autem in iis, quæ à cæteris dicta ſunt, Lucas Euangeliſta compendium ſumpſit, & intelligendum magis quod à Ioanne Dominus baptizatus eſt, quam expreſſum reliquit, vt auctor eſt Ambr. lib. 2. in Lucam. Amb. Quod in Matthæo ſequitur: Cōfeſtim aſcendit de aqua, &c. hoc & alij duo Marcus, & Lucas ſimiliter narrant, vt habet Auguſtinus lib. 2. de Aug. conſ. cap. 14.

Amb. lib. de benedictionibus Patriarcharum Amb. cap. 4: Deſcendit Spiritus ſanctus ſicut columba, & manſit ſuper eum. Quo ſignificatur, quod plenitudo Spiritus ſancti indiuidua in eo fuerit, nec receſſerit. Vnde & Euangeliſta ait: Quia plenus Spiritu ſancto Dominus Ieſus, regreſſus cap. 14. ver. 1 eſt ab Iordane. Et ſerm. 21: Nonnulli te- Amb. ſtantur in lauacri eius gratia interfuiſſe loquendo Deum patrem, ſanctum quoque Spiritum deſcendiſſe. Nec mirum ſi in Domini lauacro myſterium non defuit Trinitatis, cum noſtrum lauacrum Trinitatis compleat ſacramentum. Neque enim poterat Dominus non primum circa ſe exhibere, quod erat poſtea humano generi præcepturus; cum omnia non ſui cauſa, ſed noſtræ gratia ſalutis efficeret. Aut nunquid propter ſe baptizari voluit, cum peccatum non haberet, ſicut dicit Propheta: Qui peccatum Eſa. 53 non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius? 1 Pet. 2 Sed propter nos vtique, qui multorum criminum peccatis obnoxij opus habeamus, vt in Chriſti baptiſmo purgaremur. Atque ideo venit Dominus ad lauacrum, non vt purificetur ipſe aquis: ſed vt nobis aquarum fluenta purificet. Ex quo enim ille in aquis ſe merſit, ex eo omnium credentium peccata deleuit. Neceſſe eſt autem vt omnium peccata deleuerit, qui omnium peccata ſuſcepit, ſicut ait Euangeliſta: Hic eſt agnus Dei, hic eſt qui tollit peccatum mundi. Mirum ergo in modum vnus mergitur, & ſalus omnium reparatur. Adeſt ergo Deus pater, cum baptizatur Dominus; adeſt Spiritus ſanctus. Videte Saluatoris beneuolentiam: qui ſolus ſe in paſſione contumelijs ſubdidit; in lauacro ſolus gratiam non quæſiuit, vult participes eſſe gloriæ. Adeſt ergo, ſicut dixi, pater, adeſt & Spiritus ſanctus. Et quia Deus videri non poteſt, ſpiritus in columba, pater deſcendit in voce: quodque ſolum ad aſtruendam fidem hominibus neceſſarium erat, exhibet Saluatorem, fides enim noſtra niſi auditu non conſtat, & viſu. Ideo ſe ſpiritus in columba oculis ſubdit, pater in voce ſe auribus ſubminiſtrat. Nam niſi propter noſtram credulitatem iſta fieri oportuiſſet, potuit pater, & ſpiritus tanquam inuiſibilis Deus ad verbum filium inuiſibili prolapſione deſcendere. Igitur propter noſtram fidem aperto cœlo ſpiritus ad Chriſtum, pater ad filium,

lium, vox deſcendit ad verbum. Verbum enim
Cap. 1 ver. 1. Chriſtus eſt, de quo ſcribitur: In principio erat verbum. Bene, inquam, pater vox, & filius verbum dicitur: quia verbum non niſi de voce procedit. Conueniunt itaque ſibi vox, & verbum, & ſaluti hominum prouident ſocietate myſterij. Qua autem ratione Spiritus ſanctus ad Chriſtum in ſpecie columbæ deſcenderit, videamus vtrum ſit aliqua ſimilitudo columbæ, vel Domini, ſicut eſt vocis, & verbi. Et plane non parua. Columbam enim etiam ipſum Dominum dixerim: quia eſt alacer, mitis, & ſimplex. Columba eſt: quia ſanctos ſuos eſſe
Matt. 10. præcipit vt columbas, dicens: Eſtote ſimplices ſicut columbæ. Quod autem columba Chriſtus ſit, propheta dicit ex perſona ipſius, deſcribens poſt paſſionem reditum eius ad cœlum:
Pſal. 54 Quis dabit mihi pennas ſicut columbę, & volabo, & requieſcam? Cum ergo Chriſtus Dominus initiaret Eccleſię ſacramenta, cœlo ſuperuenit columba. Intelligo myſterium, agnoſco etiam ſacramentum. Columba enim ipſa eſt, quæ nunc ad Eccleſiam Chriſti in baptiſmo venit, quæ quondam ad arcam Noe in diluuio properauit, tunc illi ſecuritatem annuncians oliuæ ramo, modo huic æternitatem conferens diuinitatis indicio. Tunc ſignum pacis ore afferens; modo ipſa pacem Chriſtum ſui ſubſtantia ſuperfundens. In Iordane igitur baptizatus eſt Dominus. Multa mirabilia in hoc flumine ſæpius facta eſſe ſcriptura commemorat, inter cæ-
Pſal. 113. tera dicens: Et Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Puto autem eſſe mirabilius, quod Domino Ieſu Chriſto ibi poſito factum eſt. Ante enim retrorſum aquæ conuerſæ fuerant: modo retrorſum peccata conuerſa ſunt. Et ſicut tunc impetus fluminis alueum ſui curſus perdidit: ita & nunc impetus peccatorum dominium ſui erroris amiſit. Quod quidem in propheta Helia
4 Reg. 2. iam illo in tempore factum puto. Sicut enim Helias in Iordane diuiſionem fecit vndarum: ita & ſpiritus Domini in eodem Iordane ſeparationem operatus eſt peccatorum. Ille ſtare fluenta præcepit: hic crimina. Et ſicut ſub Helia fluctus primordia fontium, de quibus exierant, petiuerunt: ita & ſub Chriſto Domino homines ad originis ſuæ infantiam, de qua fuerant exorti, ſunt reuerſi.

Chryſol. Chryſol. ſer. 157: Per Epiphaniam Chriſtus Iordanis alueum, baptiſma noſtrum conſecraturus, intrauit: vt quos naſcendo in terra ſuſceperat, hos renaſcendo releuaret in cœlum: in ſe haberet liberos, quos præter ſe viderat eſſe captiuos: faceret vitales ipſe, quos culpa fecerat eſſe mortales: perpetuos redderet, quos mors dederat temporales: & quos diabolus exules fecerat terrenorum, hos ipſe in cœleſtibus ſibi faceret eſſe conſortes. Hinc eſt, fratres, quod Spiritus ſanctus tunc toto ſe fudit illapſu, quando pater de cœleſtibus clamat: Hic eſt filius meus dilectus: vt quibus in creandis nobis operatio fuerat vna cum filio, vna fieret de noſtra reparatione dignatio: Sicque Chriſtus diuerſo tempore, vno, eodemque die, Magorum munere, aquæ mutatione atque patris voce Deus trino teſtimonio noſceretur: fieretque de trina oſtenſione Chriſti, Epiphaniæ vna, & ſacrata ſolemnitas.

Greg. hom. 30. in Euang: In columba ſpiritus ſanctus, & in igne monſtratus eſt: quia omnes, quos repleuerit, ſimplices, & ardentes facit: ſimplices puritate, ardentes ęmulatione. Neque enim placere Deo aut ſimplicitas ſine zelo, aut zelus ſine ſimplicitate poteſt. Quia ergo & rectitudinem docet iſte ſpiritus, & ſimplicitatem, & in igne monſtrari debuit, & in columba: quatenus omne cor, quod eius gratia tangitur, & manſuetudinis lenitate tranquillum, & zelo iuſtitiæ accenſum fiat. Ad extremum vero quærendum eſt, cur in ipſo Redemptore noſtro, mediatore Dei, & hominum, per columbam apparuit: in diſcipulis vero per ignem? Certe vnigenitus Dei filius, iudex eſt generis humani. Sed quis eius iuſtitiam ferret, ſi priuſquam nos per manſuetudinem colligeret, culpas noſtras per zelum rectitudinis examinare voluiſſet? homo ergo pro hominibus factus, mitem ſe hominibus præbuit. Nouit peccatores ferire, ſed colligere. Prius voluit manſuete corripere, vt haberet quos poſtmodum in iudicio ſaluaret. In columba ergo ſuper eum apparere debuit ſpiritus, qui non veniebat, vt peccata iam per zelum percuteret; ſed adhuc per manſuetudinem toleraret. At contra ſuper diſcipulos in igne debuit Spiritus ſanctus demonſtrari, vt hi, qui erant ſimpliciter homines, atque ideo peccatores, eos contra ſemetipſos ſpiritalis feruor accenderet; & peccata, quibus Deus per manſuetudinem parceret, ipſi in ſe per pœnitentiam punirent. In igne venit in hominibus; in columba vero apparuit in Domino: quia peccata noſtra, quæ pie Dominus per manſuetudinem tolerat, nos per zelum rectitudinis debemus cautè conſpicere, & ardore ſemper pœnitentiæ cremare. Igitur per columbam, ſpiritus in Redemptore monſtratus eſt; per ignem vero in hominibus: quia quanto nobis noſtri iudicis facta eſt ſeueritas temperata, tanto erga ſe debet fieri noſtra infirmitas accenſa.

Greg. — Spiritus ſanctus quos replet, facit ſimplices, & ardentes. — Cur Spiritus ſanctus in columba ſuper Chriſtum, & in igne ſuper diſcipulos deſcendit.

Ieſus eſt baptizatus, ſicut vnus de populo: voluit enim per omnia fratribus aſſimilari. Cœli apertio, hunc eum eſſe, qui cœlum electis aperiret, ſignificat. Deſcendit Spiritus ſanctus per nouam operationem: ſicut ad nos venire cenſetur, cum nos gubernare incipit.

Hieron. Matt. 3: Myſterium Trinitatis in baptiſmate demonſtratur: Dominus baptizatur: Spiritus deſcendit in ſpecie columbæ: Patris vox, teſtimonium filio perhibentis, auditur. Aperiuntur autem cœli, non reſeratione elementorum; ſed ſpiritualibus oculis: quibus & Ezechiel in principio voluminis ſui apertos eos eſſe commemorat. Sedit quoque columba ſuper caput Ieſu, ne quis putaret vocem patris ad Ioannem factam, non ad Dominum. Hier.

De loco baptizati Domini. Ipſe locus fluminis, in quo Dominus baptizari voluit, poſteris memoria perpetua celebris remanſit, & virtute miraculorum conſpicuus; vt habet Greg. Turonen. de gloria Martyrum cap. 1. & 17. & Beda de locis ſanctis cap. 13.

Not. 7. ver. 8.

Aug. De voce, quæ de cœlo ſuper Chriſtum baptizatũ eſt. AVG. lib. 2. de conſ. cap. 14: De verbis vocis, quæ de cœlo facta eſt, variant Euangeliſtæ locutionem, ſalua tamen ſententia. Quod enim Matthæus ait dictum: Hic eſt filius meus dilectus: & alij duo dicunt: Tu es filius meus dilectus: ad eandem ſententiam explicandam valet. Vox enim cœleſtis vnum horum dixit: ſed Euangeliſta oſtendere voluit ad id valere quod dictum eſt: Hic eſt filius meus; vt illis potius, qui audiebant, indicaretur, quod ipſe eſſet filius Dei: atque ita dictum referre voluit. Tu es filius meus; ac ſi diceretur illis: Hic eſt filius meus. Non enim Chriſto indicabatur, quod ſciebat: ſed audiebant, qui aderant; propter quos etiam ipſa vox facta eſt. Iam vero, quod alius Euangeliſta dicit: In quo mihi complacui: alius: In te complacuit mihi: ſi quæris quid horum in illa voce ſonuerit, quodlibet accipio, dummodo intelligas eos, qui non eandem locutionem retulerunt, eandem retuliſſe ſententiam. Quæ diuerſitas locutionum ad hoc etiam vtilis eſt, ne vno modo dictum minus intelligatur, & aliter quam ſe res habet interpretetur. Quod enim dictum eſt: In quo mihi complacui, ſi velit quis ita intelligere, vt Deus in filio ſibi placuiſſe videatur; admonetur ex eo, quod dictum eſt: In te complacui. Si rurſus ex hoc vno intelligat quiſquam, in filio, patrem placuiſſe hominibus; admonetur eo quod dictum eſt: In te complacuit mihi. Ex quo ſatis apparet, quod quilibet Euangeliſtarum, cœleſtis vocis etiam verba tenuerit; alios ad eandem ſententiam familiarius explicandam verba variaſſe; vt intelligatur hoc dictum eſſe ab omnibus, tanquam diceretur: In te placitum meum conſtitui, hoc eſt, per te gerere quod mihi placet.

Pſal. 2. Illud vero, quod nonnulli codices habent ſecundum Lucam, hoc illa voce ſonuiſſe, quod in Pſalmo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te: quanquam in antiquioribus codicibus Græcis non inueniri perhibeatur; tamen ſi aliquibus fide dignis exemplaribus confirmari poſſit, quid aliud, quam vtrumque intelligendum eſt quolibet verborum ordine de cœlo ſonuiſſe?

Aug. Et ſer. 63. de verb. Dom: Tanquam propoſito diuino ſpeculo contuemur apud flumen Iordanem cõmendari nobis Deum noſtrum in Trinitate. Cum baptizatus eſſet Dominus à ſeruo, quod fecit ad humilitatis exemplum:

ver. 6. in ipſa quippe humilitate oſtendit impleri iuſtitiam, quando dicente ſibi Ioanne, &c. habemus ergo diſtinctam Trinitatem, &c.

Cæſar. Cæſar. dial. 1: Pater è ſupernis acclamat: Ecce filius meus dilectus, quo delector. Quibus in verbis intelligit vnicum illum ex ſe, & ex perpetua virgine natum nobis filium Deum, ſibi, & nobis conſubſtantialem: ipſi quidem diuinitate; nobis vero ratione carnis aſſumptæ.

Hilar. Hilar. lib. 6. de Trinit: Quid ſibi vult, non cognominum, ſed pronominum fides: Cognomina enim nominibus adduntur: pronomina vero obtinent in ſe nominum virtutem. Proprietatis autem ſignificatio eſt, vbi & hic eſt, dictum eſſe auditur, & meus eſt. Et intellige quæ ſit veritas, & ratio dictorum. Legeras: filios genui, & exaltaui; ſed non legeras: filios meos. Genuerat enim eos ſibi per diuiſionem gentium, & plebem hæreditatis in filios. Ne igitur per communionem adoptiuæ hæreditatis cognomentum filij vnigenito Deo adderetur, naturæ veritas per ſignificationem proprietatis oſtenſa eſt. Aſſignetur ſane hoc communionis in Chriſto nomen, vt filius ſit, ſi de quoquam dictum reperietur: Hic eſt filius meus. Sin vero proprium, ac ſingulare ei eſt: Hic eſt filius meus; quid calumniam Deo patri profeſſæ de filio proprietatis afferimus? anne tibi in eo quod dicitur: Hic eſt; non hoc ſignificare videtur, alios quidem cognominatos ab eo in filios: ſed hic filius meus eſt? Donaui adoptionis plurimis nomen: ſed iſte mihi filius eſt. Ne quæras alium: ne non hunc eſſe credas. Hunc ergo tanquam indice digito, ac verbi ſignificatione contingo: quia dico: & meus eſt, & hic eſt, & filius eſt. Quid poſt hæc intelligentiæ poterit eſſe, ne non eſſe credatur?

Pronomina dicunt proprietatem.

Eſa. 1.

Cur vox patris facta ſit. Et hæc quidem paternæ vocis ſignificatio eo fuit, ne qui ad implẽdam omnem iuſtitiam baptizãdus eſſet, quid eſſet ignoraretur. Quo vt qui ad ſacramentum ſalutis noſtræ homo cernebatur, Dei voce noſceretur Dei filius: & quia in fidei huius confeſſione, credentium vita eſſet. Non enim alia æternitatis vna eſt, niſi vt Ieſum Chriſtum vnigenitum Deum ſciamus eſſe Dei filium.

Aug. Tu es filius meus, &c. quaſi dicat, alij ſunt filij iræ, & diaboli: per te autem ſolum volo mundum renouare. Hoc ergo dictum eſt, ad aliorum filiorum diſtinctionem, de quibus merito dixiſſet: Pœnitet me feciſſe hominem.

Iſidor. Matt. 3. Iſidor. lib. 1. ep. 67: Hic eſt filius meus dilectus, Deus ac pater è cœlis alta voce de filio teſtatus eſt, vt & genuinum ac naturalem filium eſſe oſtenderet, de quo dubitabatur; num inter eos, qui per adoptionem ac dignitatem filij appellantur, numerandus eſſet, & diuinam atque adorandam diuinitatis Trinitatem declararet, in proprijs perſonis agnoſcendam: & denique Montano ac Sabellio peruerſam impietatem occluderet. Nam cum filius baptizaretur, pater teſtimonium dixit: Et Spiritus ſanctus deuelans eum, qui tingebatur, eiuſdem ſecum & cum patre ſubſtantiæ eſſe oſtendebat.

Not. 8. ver. 9.

SATIS ex huius clauſulę verbis conſtat, hoc teſtimonium poſt Chriſti baptiſmum contigiſſe: ijs tamen non aſſentior, qui hoc poſt Chriſti ieiunium reijciunt. Neque enim exiſtimo Ioannem

nem tam diu diſtuliſſe id populo ſignificare.

Baſ. Baſil. lib. 5. cont. Eunom: Spiritus manſit ſuper ipſum: vt cum manſionem audias, naturæ ipſius libertatem intelligas. Manſit.

Hier. Hieron. Ezech. 35: Si ſemper in prophetis eſſet ſermo Dei, & iuge in pectore eorum haberet hoſpitium, nunquam tam crebro Ezechiel poneret: Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Sed quia ob humanam fragilitatem, & vitæ huius neceſſitates, interdum recedebat ab eis, propterea Ioannes Baptiſta loquitur: Qui miſit me baptizare, ipſe dixit mihi: Super quem videris Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ deſcendentem, & manentem in eo, ipſe eſt. Nũquam enim proprium eſſet in Chriſto, quod additur: & manentem in eo; niſi ab alijs nonnunquam recederet. Alioquin & ad Moyſen loquitur Deus: Auferam de ſpiritu, qui eſt in te; quam vtique non haberet, niſi ad eum à Domino deſcendiſſet. Num. 11.

Not. 9. ver. 10.

Quomodo Ioannes Chriſtum ante colũbæ deſcenſum, non ſciebat.

QVOD ſecundum Ioannem de columba dicitur, non quando factum eſt narratur; ſed verba Ioannis Baptiſtæ referũntur commemorantis quid viderit. In quo quæritur, quemadmodum dictum ſit: Et ego non noueram eum; ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi, &c. Si enim tunc eum cognouit, cum columbam vidit deſcendentem ſuper eum, quærendum eſt, quomodo dixerit venienti, vt baptizaretur: Ego magis à te debeo baptizari? Hoc enim ei dixit, antequam columba deſcenderet. Ex quo apparet, quamuis eum iam noſſet; nam & in vtero matris exultauit, cum ad Elizabeth Maria veniſſet: aliquid tamen in eo, quod nondum nouerat, columbę deſcenſione didiciſſe; quod ipſe ſcilicet baptizaret in Spiritu ſancto propria quadam, & diuina poteſtate: vt nullus homo, qui accepiſſet à Deo baptiſmum etiamſi aliquem baptizaret, poſſet dicere ſuum eſſe quod traderet, vel à ſe dari Spiritum ſanctum. Aug. Hactenus Aug. lib. 2. de conſ. cap. 15. in quam rem plura tract. 4. & 5. & 6. in Ioan. Euang. & lect. 7. 8. & 9. in oct. Epiph.

Iſidor. Iſidor. Hiſpal. lib. 2. de offic. Eccle. cap. 23: Nec vnum trinitatis baptiſma, quod nefas eſt, iteratur: neque pro diuerſitate tradentium miniſtrorum ſingulis putetur quibuſque conferri; ſed à Deo ſingulari poteſtate donari. De quo dictum legimus: Super quem videris, &c.

Amb. Amb. cap. 3. lib. de Noe, & Arca: Hic ergo ſpiritus datur hominibus; ſed non permanet. Qua autem ratione non permanet, cauſa proditur: quia caro ſunt. Carnis autem natura diſciplinæ repugnat: quia voluptati obtemperat. Denique de ſolo Domino Ieſu ſcriptum eſt: Super quem videris, &c. In eo manebat, quem nulla corruptelæ carnalis impedimenta reuocabant, quo minus incorruptæ, & impermixtæ ordinem diſciplinæ teneret; cuius caro non vidit corruptionem. Cur in homine, ſicut in Chriſto, ſpiritus non maneat. Act. 2.

Hier. Hieron. in Pſ. 67: In nullo enim alio inhabitabit iugiter Spiritus ſanctus, niſi in Saluatore Ioanne dicente: In quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem in eo, &c.

Greg. Greg. lib. 2. Moral. cap. 41: Et ſi prophetiæ ſpiritus prophetis ſemper adeſſet, David Regi de templi ſe conſtructione conſulenti, nequaquam Nathan Propheta concederet, quod poſt paululum negaret. Vnde bene & in Euangelio ſcriptum eſt: Super quem videris Spiritum, &c. In cunctis namque fidelibus Spiritus venit, ſed in ſolo mediatore ſemper ſingulariter permanet: quia eius humanitatem nunquam deſeruit, ex cuius diuinitate procedit. In illo igitur manet, qui ſolus & omnia, & ſemper poteſt. Nam fideles qui hunc accipiunt, cum ſignorum dona ſemper habere, vt volunt, non poſſint; hunc ſe accepiſſe quaſi in tranſitus oſtenſione teſtantur. Sed cum rurſum de eodem Spiritu veritatis ore diſcipulis dicitur: Apud vos manebit, & in vobis erit; quid eſt quod diuina voce mediatoris ſignum hoc eadem ſancti Spiritus manſio declaratur, cum dicitur: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum? Si igitur iuxta magiſtri vocem, & in diſcipulis manet: quomodo iam ſingulare ſignum erit, quod in mediatore permanet? Quod tamen citius cognoſcimus, ſi dona eiuſdem Spiritus diſcernamus. Et cap. 42: Alia namque ſunt dona illius, ſine quibus ad vitam nequaquam pertingitur: alia quibus vitæ ſanctitas pro aliorum vtilitate declaratur. Manſuetudo namque, humilitas, patientia, fides, ſpes, charitas, dona eius ſunt, ſed ea ſine quibus, ad vitam homines peruenire nequaquam poſſunt. Prophetiæ autem, virtus curationum, genera linguarum, interpretatio ſermonum, dona eius ſunt: ſed quæ virtutis eius præſentiam pro correctione intuentium oſtendunt. In his igitur donis ſine quibus ad vitam perueniri non poteſt, Spiritus ſanctus, ſiue in prædicatoribus ſuis, ſiue in electis omnibus ſemper manet: in illis autem quibus per oſtenſionem illius non noſtra vita ſeruatur; ſed aliorum quæritur: nequaquam ſemper in prædicatoribus permanet, quia ſemper quidem eorum cordi ad bene viuendum præſidet, nec tamen per eos virtutum ſigna ſemper oſtendit; ſed aliquando ſe eis à ſignorum oſtenſionibus ſubtrahit, vt eo humilius virtutes eius habeantur, quo habitæ teneri non poſſunt. Mediator autem Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus: in cunctis eum & ſemper & continue habet præſentem: quia ex illo idem ſpiritus per ſubſtantiam profertur. Rectè ergo cum in ſanctis prædicatoribus maneat, in mediatore ſingulariter manere perhibetur: quia in iſtis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per ſubſtantiam manet ad cuncta. Sicut enim corpus noſtrum ſenſum tantummodo tactus agnoſcit, caput autem corporis, vſum ſimul omnium quinq; ſenſuum poſſidet: vt videat, audiat, guſtet, odoretur, & tangat: ita membra ſuperni capitis in quibuſdam virtutibus emicant: ipſum verò caput in cunctis vir-

2. Reg. 7. — Ioan. 14. — Duplicia ſunt dona Spiritus.

cutibus flagrati diſſimiliter ergo ſpiritus in illo manet cui ſe ad votum ſubſtantialiter exhibet, & à quo per naturam nunquam recedit. Dona vero eius quibus ad vitam tenditur ſine periculo amitti non poſſunt: dona autem quibus vitæ ſanctitas demonſtratur, plęrumque vt dictum eſt, ſine diſpendio ſubtrahuntur. Illa ergo pro noſtra eruditione tenenda ſunt, hęc pro alienis profectibus exquirenda. In illis nos terreat formido, ne pereant: in iſtis vero ad tempus aliquando ſublatis conſoletur humilitas, quia ad elationem mentem fortaſſe ſubleuant. Cum igitur conceſſa nobis virtutum ſigna ſubtrahuntur dicamus rectè: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Tunc enim verè oſtendimus, quia accepta rectè tenuimus: cum profectò æquanimiter ad momentum ſublata toleramus.

CAP. 18. CHRISTI *genealogia.*

Matt. | *Mar.* | *Luc 3.* | *Ioan.*

1 ET ipſe IESVS erat incipiens quaſi annorum triginta.

2 Vt putabatur filius Ioſeph.

3 Qui fuit Eli, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit
Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioſeph, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Heſli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Matathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iuda, qui fuit Iohanna, qui fuit Reſa.

4 Qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,
qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſam, qui fuit Helmadam, qui fuit Her, qui fuit Ieſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iona, qui fuit Eliacim, qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Mathata, qui fuit Nathan.

5 Qui fuit Dauid, qui fuit Ieſſe, qui fuit Obed, qui fuit
Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ.

6 Qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Saruch, qui
fuit Ragau, qui fuit Phalec, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem.

7 Qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathuſale,
qui fuit Henoch, qui fuit Iaredt, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.]

Not. 1. ver. 1.

Quando baptizatus ſit Chriſtus LVCAS adijcit qua Dominus eſſet ætate, cum baptizatus eſt, quod alij tacent; fuiſſe nimirum ferme annorum triginta: Et ex hoc loco multi colligunt baptizatum fuiſſe Dominum circa ſolſtitium hyemale, hoc eſt, circa tempus *Quo anno.* ſuæ natiuitatis. Cæterum de tempore, quo Chriſtus eſt baptizatus, diuerſæ ſunt an- *1. opinio.* tiquorum ſententiæ. Quidam enim baptizatum eſſe dicunt menſe Ianuario, cum annum trigeſimum agere inciperet, hoc eſt, cum iam ætatis ſuæ annos viginti nouem, & dies tre- *Orig.* decim haberet: vt Orige. ho. 1. in Ezech. Euſeb. *Euſeb. Hier.* not. 1. cap. 17. Hieron. in cap. 1. Ezech. & alij. *2. opinio. Epiph.* Ab his diſcrepat Epiph. hære. 51. Vbi dicit Chriſtum fuiſſe baptizatũ, cum annum trigeſimum ferme impleſſet, hoc eſt, cum iam haberet annos viginti nouem cum decem menſibus. Duos enim tantum menſes ad anni trigeſimi plenitudinem defuiſſe opinatur. Diſſentit Ignatius *3. opinio. Ignat.* epiſt. 5. ad Trallianos dicens Chriſtum plenos, cum baptizaretur, habuiſſe annos triginta. Sequuntur etiam hanc ſententiam Chryſoſt. Iren. Euth. Theophylact. & alij complures, & Eccleſia Romana.

Baptizatum eſſe Chriſtum die ſexto Ianua- *Quo menſe, & die.* rij, & communi, & antiqua traditione dicit Euſeb. ad Marinum, & alij omnes, qui de hac re agunt, excepto Epiphanio.

Ignat. Ignat. ep. 5. ad Trallianos: Expletis tribus annorum decadibus, vere baptizatus eſt à Ioanne; non autem opinione hominum, aut phantaſia. Verum alia Ignatij verſio exemplari Gręco reſpon-

reſpondens, ita habet: annos agens triginta Dominus baptizatus eſt à Ioanne vere, ac non opinione. Vnde inferri poteſt, quod Dominus tunc annum trigeſimum eſſet ingreſſus: non autem quod eum expleuiſſet.

Iren. Iren. lib. 2. cap. 39: Triginta quidem annorum exiſtens cum veniret ad baptiſmum. Inferius ex gnoſticorum ſententia ponit: ad baptiſmum venit nondum qui triginta annos ſuppleuerat; ſed qui inciperet eſſe tanquam triginta annorum. Ita enim, qui eius annos ſignificauit, Lucas poſuit: Ieſus autem erat quaſi incipiens triginta annorum, cum veniret ad baptiſmum.

Orige. Orige. hom. 1. in Ezech: Secus fluuium ergo Chobar Ezechiel, cum triginta eſſet annorum, apertos vidit cœlos. Et Dominus Ieſus Chriſtus incipiens erat quaſi triginta annorum ſecus fluuium Iordanem, & aperti ſunt cœli.

Theop. Theophylact. Luc. 3: Et ipſe Ieſus incipiebat eſſe ferme annorum triginta. Cum triginta annorum eſſet Dominus, baptizatus eſt: eo quod ætas illa perfectiſſima eſt: & illa homo vel probus, vel improbus cognoſcitur.

Euth. Euth. Matt. 3: Cum iam triginta eſſet Ieſus annorum. Et quare poſt trigeſimum annum venit Chriſtus ad baptiſma? quia ætas hæc ſolidę, atque perfectæ prudentiæ eſt, &c. Idem Chryſoſt. hom. 10. in Matt. Chryſoſt.

Tit. Tit. Luc. 3: Chriſtus triginta plus minus annos natus, accedit ad baptiſma. Siquidem communi mortalium conſenſu, illa ætas perfecta haberi ſolet.

Hier. Hieron. in cap. 1. Ezech: Secundum anagogen vero præfiguratur Dominus, atque Saluator, qui triginta annos natus, venit ad baptiſmum, quæ in homine perfecta ætas eſt. Vnde & in Numerorum volumine iuxta Hebræos, non vt in ſeptuaginta continetur, à vigeſimo quinto ætatis anno, ſed à trigeſimo incipiunt ſacerdotes in tabernaculo miniſtrare. Num. 4. Quando ſacerdotes incipiebãt miniſtrare

Epiph. Epiphan. hære. 51: Primum quidem baptizato ipſo menſis Athyr ſecundum Ægyptios, id eſt, Nouembris duodecima, ante ſextum iduum Nouemb. hoc eſt, ante ſexaginta dies plenæ diei aduentus, quæ eſt dies natiuitatis ipſius ſecundum carnem, velut habet teſtimonium Euangelij ſecundum Lucam: erat autem Ieſus incipiens eſſe annorum ferme triginta. Erat enim re vera annorum viginti nouem, & menſium decem, quando ad baptiſmum venit. Triginta quidem annorum, ſed non plenus. Quapropter dicit: Incipiens eſſe annorum ferme triginta. Nato enim ipſo circa Ianuarium menſem, hoc eſt, ante octauum iduum Ianuarij, quæ eſt quinta Ianuarij menſis ſecundum Romanos, &c. pertranſijt prædictos conſulatus viginti nouem plenos. In trigeſimo vero conſulatu, circa decimum menſem venit ad Ioannem, & baptizatus eſt in Iordane fluuio, trigeſimo anno natiuitatis in carne, hoc eſt, ſecundum Ægyptios Athyr menſis duodecima, ante ſextum iduum Nouemb. &c. quemadmodum teſtimonium præbet mihi Euangelium ſecundum Lucam, ſic dicens: Erat Ieſus incipiens eſſe annorum ferme triginta. Chriſtus vi. idus Nouemb. baptizatus eſt. Quinto Ianuarii Chriſtus eſt natus.

Not. 2. ver. 2.

AMBR. lib. 3. in Luc: Bene, putabatur: quia natura non erat. Sed ideo putabatur, quia cum Maria, quæ Ioſeph viro ſuo erat deſponſata, generauerat. Sic enim habes: Nónne hic eſt filius Ioſeph fabri? Amb. cap 66. ver. 12

Epiphan. hæreſi 30: In eo quod dicit: Velut putabatur, oſtendit ipſum non eſſe filium ipſius: ſed putari. Epiph.

Aug. lib. 2. de conſ. cap. 1: Putabatur Chriſtus filius Ioſeph, tanquam ex eius omnino carne progenitus; ſed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat virginitas. Manifeſtum eſt illud quod ait: Vt putabatur filius Ioſeph; propter illos dixiſſe, qui eum ex Ioſeph, ſicut alij homines naſcuntur, natum arbitrantur. Lucas ſubiungit quod Ieſus putaretur eſſe filius Ioſeph, idque ſecundum naturam, & carnalem generationem. Putabatur ergo, ſed falſo, quod non erat. Vere quidem, propter matrimonium Ioſephi Chriſtus erat filius: putabatur autem eſſe ſecundum carnem, quaſi vere Chriſtum genuiſſet. Euangeliſtæ Ioſephum patrem Domini vocauerunt: nec re tamen ipſa vulgi falſam opinionem ſecuti ſunt, quamuis vt vulgus ſint locuti. Pater enim Chriſti Ioſeph ſine mendacio dicebatur: vtpote qui & nutritius illius, & matris eius vir eſſet. Nam vtrique patres recte vocari ſolent. Putabatur ergo Ieſus eſſe Ioſephi ſecundum generationem filius; ſed ab ijs hoc putabatur, quod abditum incarnationis myſterium latebat. Lucas autem hic Ioſephi meminit, vt alio prorſus ordine quam Matthæus genealogiam Domini texeret, incipiendo à Ioſeph putatiuo Chriſti patre, & finiendo in Deo illius vero, & naturali genitore. Aliqui putant illis verbis: Vt putabatur filius Ioſeph; indicari Lucam hic non tam Ioſephi, quam Mariæ genealogiam deſcribere. Aug. Aug. vt. nos legit. Vt Ioſeph Chriſti pater fuerit, & non fuerit.

Not. 3. ver. 3.

MATTHÆVS dicit Iacob genuiſſe Ioſeph: quomodo ergo Lucas ait Ioſeph Heli filium? Duo ſunt modi, quibus hæc difficultas expeditur. Vnus eſt antiquorum patrum; vtrumq; ſcilicet eſſe verum, & recte dici. Nam cum Eli mortuus eſſet, nulla prole ex ſua vxore ſuſcepta; Iacob eius frater eandem accepit vxorem, de qua Ioſeph Mariæ virum genuit. Ioſeph ergo apud Matthæum dicitur filius Iacob ſecundum carnem; vtpote quem Iacob genuit, non ſibi, ſed fratri ſuo Eli. Ideoque Ioſeph etiam recte apud Lucam dicitur filius Eli, non ſecundum naturam, at ſecundum legis adoptionem. Proinde Matthæus propagationem ſecundum carnem enumerat, quippe qui generationes recenſeat: Lucas vero ſecundum adoptionem. Verum dicet fortaſſe quiſpiam, quomodo Iacob, & Eli Genealogia Chriſti ſecundum Lucam. Vt Ioſeph filius Iacob, & Eli fuerit.

fratres eſſe potuerunt, cum vnus per lineam Abiud, & alter per lineam Reſa deſcenderit à Zorobabel: ideoque valde diſtantes fuerint? Reſpondent ad hoc veteres, eos fuiſſe tantum vterinos fratres, ex eadem quidem matre, ſed ex diuerſis patribus genitos. Porro hos patres diuerſos non vno, eodemque modo ſcriptores antiqui aſſignant, plures enim dicunt Mathan ex vxore ſua Eſtha genuiſſe Iacob: defuncto autem Mathan, vxorem eius Eſtham accepiſſe Melchi, & ex illa filium Eli ſuſcepiſſe: atque ita Iacob, & Eli fuiſſe diuerſorum patrum, matris vero eiuſdem filios. At vero ex hac opinione, difficultas noua oritur, Lucas enim inter Melchi, & Eli generationes duas interſerit, & Melchi non tertio à fine loco, ſed quinto conſtituit. Quomodo igitur Melchi, ex Eſtha vxore Mathan relicta, Eli gignere potuit? Difficultatem hanc obſeruaſſe videntur Beda, & Euthymius Luc. 3. & ſolutionem indicare, dicentes Matthat, quem Lucas tertio à fine loco numerat, ex Eſtha, quæ vxor etiam Mathan fuit, Eli genuiſſe: quod diuo Lucæ non repugnat an in Africano, quem ſecuti ſunt alij veteres, pro Matthat, errore aliquo poſitum eſſet Melchi; vel Matthat etiam Melchi ſit vocatus?

Alter modus reſpondendi, eſt recẽtiorum quorundam, & probatorum auctorum, qui multo facilior eſt priore: nec ab Eccleſiæ doctrina, vel Euangelio diſſentit: vt Eli pater Deiparæ virginis fuerit: ipſius vero Ioſephi gener, vt qui vir eſſet beatiſſimæ virginis. Pater ſiquidem noſtræ Dominæ, vt binomius erat, ſicut alij permulti, vocabatur Ioachim, & Eliachim: per abbreuiationem vero Eli. Ioſeph ergo vir Mariæ, filius erat Iacob ſecundum naturam; & gener ipſius Eli, ſeu Ioachim patris Mariæ. Proinde Lucas Euangeliſta naturalem beatiſſimæ virginis lineam non prætermiſit: hic enim eſſe videtur continua Mariæ genealogia ex poſteritate Nathan. Verum neque hæc omnino certa videntur, vt conſtat ex Damaſce. & alijs. In hac profecto genealogia, nonnullæ difficultates occurrunt, è quibus nos vix extricare poſſumus: adeo vt nos multa ignorare fateri cogamur.

Niceph. Niceph. lib. 2. hiſt. cap. 3: Non importunum equidem, vt puto, fuerit præſenti inſerere hiſtoriæ, quæ diuinus Hippolytus Portuenſis Epiſcopus, de Iacobo fratre Domini memoriæ mandato reliquit: Ioſeph, inquiens, faber ex vxore ſua Salome (quæ quidem filia fuit Aggæi, fratris Zachariæ prophetæ, eiuſdemque Ioannis Baptiſtæ patris: Zacharias vero, & Aggæus filij erant Barachiæ ſacerdotis) quatuor ſuſcepit filios, Iacobum, Simeonem, Iudam, & Ioſen: & item filias duas, Eſther, & Thamar: ita vt Salome ipſa, & Ioannes Baptiſta, duorum fratrum liberi fuerint. Etenim Aggæus filius quidem eſt Barachiæ; patruus autem Ioannis. Similiter & Zacharias, frater quidem Aggæi, patruus autem Salome Ioſephi coniugis. Salomen porro dico, non illam in Bethleem obſtetricem (illa enim Bethleemitica, conſobrina Elizabetæ erat, & item ſanctæ virginis Mariæ, vt hoc ſacrum Lucæ Euangelium indicat) ſiquidem tres fuere ſorores Bethleemiticæ, filiæ Matthan ſacerdotis, & Mariæ coniugis eius, ſub Cleopatræ, & Caſoparis Perſæ regno, ante Herodis Antipatri filij regnum. Primæ Mariæ, ſecundæ Sobe, tertiæ Annæ nomen erat. Nupſit prima in Bethleem Maria, & peperit Salomen obſtetricem. Nupſit quoq; ſecunda itidem in Bethleem Sobe, & genuit Elizabetam. Nupſit poſtremo & tertia Anna in terra Galilæa, & protulit Mariam Dei genitricem: ex qua nobis exortus eſt Chriſtus, ipſa veritas. Ita vt Salome iſta obſtetrix, & Elizabeth, & Dei mater trium ſororum reperiantur filiæ. Proinde Ioannes Baptiſta, & Ieſus verus Deus noſter, conſobrini eſſe dicuntur. Ioſephi vero filius Chriſtus eſſe dicitur, quod filiorum eius frater eſſet, propter conuerſationem familiarem, & cognationem Aggæi fratris Sacerdotis. Atque hæc quidem Hippolytus.

Hippo. — Ioſephum habuiſſe proles non eſt probabile. — Quis ſit Zacharias filius Barachiæ. — Cognatio Mariæ virginis. — Conſobrinæ virginis Mariæ. — Ioannes Baptiſta Chriſti conſobrinus. — Vt filius Ioſephi Chriſtus dicatur.

Epiph. Epipha. hære. 78: Hic equidem Ioſeph frater fuit Clopæ. Erat autem filius Iacob, qui Panther cognominabatur. Hi ambo à Panthere appellato gignuntur.

Qui fuit Eli. Male quidam hic adijciunt dictionem, filius: cum ea vox ad textum non pertineat, nec ſit in antiquis exemplaribus: ſubauditur tamen vbique, præterquam vltimo loco, in quo ſubintelligitur creatura. Dominus itaque à Dauide ſic deſcendit, vt etiam ſecundum carnalem propagationem, ex linea, ſucceſſioneue tam Salomonis, quam Nathan, ipſi regnum, quod Dauid tenuit, deberetur. Proinde non videtur Euangelio conſentaneum, Ioſepho alias fuiſſe proles: cuius etſi Dominus filius carnali propagatione non fuerit; ſic tamen fuit eius filius, vt ad eum hæreditas, & ius regni Dauidis pertineret.

Dauidis regnum Chriſto ſoli debebatur. — Ioſeph proles non habuit.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 1. in Matt: Ille quidem (Matthæus) ſtatim ab ipſa generatione Chriſti ſumit exordium: nihil enim magis delectare Iudæum poterat, quam ſi Chriſtum Abrahæ, & Dauidis nepotem eſſe diceret. Hic vero (Lucas) diuerſe: nam prius multa commemorat, & tunc demum generationum catalogum texit.

Aug. Aug. lib. 2. de conſ. cap. 4: Ad iſtam mortalitatem nobiſcum participandam, quia deſcendentem voluit ſignificare Matthæus, ideo & ipſas generationes, ab Abraham, vſque ad Ioſeph, & vſque ad ipſius Chriſti natiuitatem, deſcendendo commemorauit, ab initio Euangelij ſui; Lucas autem non ab initio Euangelij ſui; ſed à baptiſmo Chriſti generationes narrat: nec deſcendendo, ſed aſcendendo, tanquam ſacerdotem in expiandis peccatis magis aſſignans.

Aug. Cur Lucas alios domini patris, quam Matthæus, ponat. Et cap. 3. oſtendit cur Matthæus alios Chriſti progenitores infra Dauidem enumeret, alios vero Lucas: & cur ille vtatur verbo genuit, non iſte cum vterque illo vti potuerit. Refert etiam Euſebius ex Africano cur Lucas non vtatur verbo genuit: ſicut videre licet cap. 4. not. 13.

Cur Lucas verbo, genuit, non vtatur.

Amb. Cur Lucas poſt baptiſmũ, non à princi- Amb. lib. 3. in Luc: Non à primo generationem eius cœpit deſcribere: ſed poſteaquam baptiſmum eius explicuit: auctorem omnium Deum per baptiſmum cupiens demonſtrare.

Chriſtum

pro Christi generationem deſcribat. Chriſtum quoque à Deo ordine Manaſſe ſucceſſionis aſſeruit, vniuerſa contexens, vt & ſecundum naturam, & ſecundum gratiam, & ſecundũ carnem Dei filium demonſtraret. Quod autem euidentius diuinæ generationis indicium, quam quod de generatione dicturus, ipſum patrem præmiſit loquentem: Hic eſt filius meus dilectus, in quo complacui.

Hunc Ioannem, qui à diuo Luca inter Chriſti maiores recenſetur, Ioſephus, vt apparet, Ioannem Hircanum vocat. Is fuit vltimus princeps de domo Iechoniæ; & ſub initium regni Antiochi Epiphanis ſe interemit, non ferens à Syriæ regibus oppreſſam ſuæ familiæ, gentisque libertatem. Eius opes ſibi Epiphanes addixit: atq; hinc familiæ Chriſti forte paupertas. Tempora Machabæorum attigiſſe videtur. Vide Ioſephum lib. 12. Anti. cap. 5. (Ioſeph.)

An ille Ioſeph, à ſancto Luca inter maiores Chriſti repoſitus, fuerit Thobiæ, & filiæ Oniæ ſacerdotis filius, princeps populi, de domo Dauid, qui Ptolomęum Euergetem placauit, de quo Ioſephus lib. 12. Antiq. cap. 4. (Ioſeph.)

Not. 4. ver. 4.

(Eut.) Euthym. Luc. 3: Salathiel Matthæus filium Iechoniæ nominauit, vtpote naturalem eius filium: Lucas vero nunc filium Neri, tanquam legalem. Reducunt autem & hi genus, Neri quidem ad Nathan filium Dauid; Iechonias vero ad Salomonem filium ſimiliter Dauid; & rurſus vterque ad Dauid.

Her, cuius Euangeliſta hoc loco meminit, aliqui putant fuiſſe impium Manaſſem Regem Iuda, filium Ezechiæ: ſed hoc eſt incertum.

Nathan, quem Euangeliſta hic nominat, non eſt ille Propheta, qui Dauidem peccatorum ſuorum admonuit, vt notat Aug. lib. 1. retract. cap. 26. & lib. 2. cap. 16. & lib. Quæſtionum veteris, & noui teſtamenti quæſt. 56. De hoc Nathan, filio ſcilicet Dauidis, & fratre Salomonis ex Berſabee, habes 2. Reg. 5. 1. Par. 3. & 14. Porro ex linea huius Nathan, Lucas à Matthæo diuertens, genealogiam ſequitur: quoniam ad poſteritatem eius regnum ex decreto Dauidis, vt nonnulli aſſerunt, pertinebat, ſi quando ſtirps Salomonis defeciſſet: Matthæus vero ſecutus eſt lineam Salomonis. Omnes autem fere perſonæ à Ioſeph, vſque ad Dauid, in genealogia Lucæ, ab ijs diuerſæ ſunt, quas Matthæus recenſet. (Aug.)

Zorobabel duos genuit filios, nempe Rheſa, & Abiud: Lucas ſequitur lineam Rheſa; ponitque omnes generationes ſecundum lineam Nathan. Matthæus vero lineam Abiud ſequitur.

Not. 5. ver. 6.

(Bed. vt Cainan à Luca numeretur.) BEDA prologo in expoſitionem Actuum: Lucas magis teſtimonijs Græcis vtitur, quam Hebræis: ex quo accidit, quod maxime miror, & propter ingenij tarditatem vehementiſſimo ſtupore perculſus neſcio perſcrutari, qua ratione cum in Hebraica veritate à diluuio vſque ad Abraham, decem generationes inueniantur, ipſe Lucas, qui Spiritu ſancto calamum regente nullatenus falſum ſcribere potuit vndecim generationes, iuxta ſeptuaginta interpretes, adiecto Cainam, in Euangelio ponere maluerit.

Et Luc. 3: Nomen, & generatio Cainan, iuxta Hebraicam veritatem, neque in Geneſi, neque in verbis dierum inuenitur: ſed Arfaxat Sela, vel Sale filium nullo interpoſito, genuiſſe perhibetur. Sic enim habes: Porro Arfaxat vixit triginta annos, & genuit Sale. Itemque in Paralipomenon: Arfaxat autem genuit Sala, qui & ipſe genuit Heber. Scito ergo beatum Lucam hanc generationem de ſeptuaginta interpretum editione ſumpſiſſe, vbi ſcriptum eſt, quod Arfaxat centum triginta quinque annorum genuit Cainan, & ipſe Cainan cum centum triginta fuerit annorum, genuerit Sela. Sed quid horum ſit verius, aut ſi vtrumque verum eſſe poſſit, Deus nouerit. Nos ſimpliciter admonemus lectorem, tantam inter vtroſque codices in ſerie temporum eſſe diſcrepantiam, vt à diluuio vſque ad natiuitatem Abrahæ in Hebraica veritate anni ducenti nonaginta duo; in ſeptuaginta interpretum tranſlatione mille ſeptuaginta ſeptem reperiantur eſſe comprehenſi. Et quod quidam chronographi, medij horum incedentes, ablata tantum Cainan generatione, nec cæteris annis ad Hebræum exemplar emendatis, nongentos quadraginta duos annos eiuſdem deſcribant ætatis. (Bed.)

Aduertendum eſt, nec in Hebræo textu, nec in Chaldæo, nec apud Hieronymum, nec apud vulgatum interpretem, haberi Cainan inter Sale, & Arphaxad; ſed ſolum Arphaxad genuiſſe Sale, vt patet Gen. 11. & 1. Paral. 1. Quibus Philonis, & Ioſephi Antiquitates Iudaicæ conſonant. Septuaginta vero interpretes, quos Lucas ſecutus eſt, eam generationem numerant. Quid ergo facturi ſumus? Si namque veteris inſtrumenti verſionem, qua Eccleſia vtitur, aſſerere, & vindicare nitimur, arguimus non ſolum ſeptuaginta duos interpretes commenti; ſed etiam erroris Euangeliſtam. Sin Lucam defendere, tuerique volumus, verſionem ſcripturæ ſacræ, vſu Eccleſiæ, decretoque probatam improbamus. Quidam recentiores huius difficultatis nodum ita ſoluunt, vt Cainan fuerit pater legalis Sale; Arphaxad vero pater naturalis: In Hebræo autem, & vulgato ſolus pater naturalis habetur. Verum hęc ſolutio nulla eſt. Nam Euangelium dicit Sale fuiſſe filium Cainan; & Cainam Arphaxad. Medius igitur extitit Cainan inter Sale, & Arphaxad. Alij etiam recentiores dicunt Sale fuiſſe binomium: eſſeque appellatum Sale, & Cainam. Vnde ſic legendum putant: Sale, qui & Cainan. Hæc autem ſolutio non eſt vllo modo probanda: cum textum receptiſſimum corrumpat. Omnia enim exemplaria, & interpretes cuncti habent: Sale, qui fuit Cainan. Et Aug. lib. 16. de Ciuit. cap. 10. præſupponit duos fuiſſe viros. Et in editione ſe- (1. Reſpon. non bona.) (2. Reſpon. non bona.) (Aug.)

ptuaginta duorum interpretum, eundem fuiſſe Sale, & Cainan, ne fingi quidem poteſt. Præterea eſt argumentum contra vtramque ſolutionem manifeſtum: Nam ſeptuaginta duo interpretes, in ordine generationum naturalium collocant Cainan inter Sale, & Arphaxad, & numerum vitæ eius deſcribunt, Gen. 11. ſicut & cæterorum. Minus etiam eſt probandum, quod quidam dicunt, generationem hanc irrepſiſſe in Lucam, quaſi ex ſeptuaginta duobus ab aliquo ſumptam, & Euangelio inſertam. Id enim vanum eſt; cum in omnibus exemplaribus habeatur. Quidam alij etiam ex recentioribus aiunt Lucam ſecutum eſſe ſeptuaginta duos interpretes: quia tunc temporis eorum verſio maximæ auctoritatis erat, præſertim apud Græcos, & alias nationes: at re vera ſuperfluam eſſe talem generationem. Hæc autem reſponſio probanda non eſt, nec defendi poteſt: nam admittendum non eſt Euangeliſtam erraſſe, falſumque in Euangelio contineri. Quomodo autem ab errore Lucam excuſabimus dicentem, Sale fuiſſe filium Cainan, hunc vero filium Arphaxad, ſi re vera ſic non fuit? Dicere ſiquidem quod errantes ſeptuaginta duos ſecutus ſit, nihil ad rem facit: nam Euangeliſta nullius errorem confirmare poteſt. Adde quod fatendum eſſet, Doctores antiquos, qui ſeptuaginta ſeptem numerant generationes, & myſteria in eo numero conſiderant, fuiſſe deceptos. Nobis illud in primis vitandum eſt, ne Lucam Euangeliſtam, & Chriſti Euangelium ſua, hoc eſt, diuina auctoritate, fraudemus. Tueamur itaque illam in genealogia Chriſti generationem, quam Lucas ex ſeptuaginta duorum interpretum editione poſuit. Etenim hanc quoque editionem Eccleſia ſuo vſu probauit. Scriptores Græci omnes hanc generationem, cum ſeptuaginta duobus interpretibus, agnoſcunt: Et Auguſt. lib. 16. de Ciuit. cap. 10. Nec vero ſimile fit ſeptuaginta duos interpretes, viros probos, vane, frigideque generationem illam vnam confinxiſſe: immo (vt Origenes ait apud Euſeb. lib. 6. hiſt. cap. 23.) hoc pro vero habendum eſt in ſcripturis diuinis, quod ſeptuaginta duo interpretes tranſtulerunt: nam auctoritate id Apoſtolica confirmatum eſt. Igitur noſtra teſtamenti veteris editio imminuta eſt; & exemplaria quæ nactus eſt Hieronymus, non fuerunt integra. Itaque ſine culpa, & errore potuit vnam generationem omittere. Nam & Euangeliſta Matthæus plures omiſit ſine errore, cum Ieſu Chriſti genealogiam texeret. Alioqui noſtram editionem à falſitate quidem omni; ſed non ab omni imperfectione vindicamus. Itaque potius dicendum eſt in Hebræo deeſſe illam generationem, quæ re vera quandoque legebatur, & à ſeptuaginta duobus conuerſa eſt in Græcum. Non enim eſt credibile ſeptuaginta duos interpretes numeraturos fuiſſe, non ſolum Cainan, ſed etiam eius vitæ annos, ſi non legiſſent in Hebræo. Legerunt ergo: & exemplaria illa ita habebant. Nec eſt nouum illos alia etiam tunc legiſſe, quæ nunc vitio ſcriptorum non habentur. Quod etiam in vulgato dicendum eſt. Credere namque debemus Euangeliſtæ id affirmanti: minuſque periculum eſt dicere exemplaria Hebraica ea in parte non haberi perfecta; quam aſſerere in Euangelio errorem, ſeu falſitatem vel minimam reperiri. Dici etiam fortaſſe poteſt, exemplaria Hebraica vera, & emendata non habuiſſe quidem illam generationem Cainan; ſed à ſeptuaginta duobus interpretibus adiectam fuiſſe, non tamen falſo: quoniam vel ex maiorum traditione, vel ex hiſtorijs fide dignis habitum eſt, Arphaxad genuiſſe Cainan: Cainan vero genuiſſe Sale. Igitur ſeptuaginta duo interpretes, non ſolum vere, ſed etiam prudenter illam generationẽ poſuerunt: metuentes videlicet ne Ethnici Hebræorum antiquas traditiones, aut ſacras literas falſitatis arguerent, ſi in his legerent, Arphaxad genuiſſe Sale; ex illis acciperent, non Arphaxad, ſed Cainan Sale genuiſſe. Spiritus autem Dei, occulta nobis ratione, Moyſis mentem, manumque permouit, vt in patrum ſerie, vnam illam generationem præteriret: quemadmodum diuino conſilio Matthęus plures etiam in Chriſti genealogia prætermiſit. Eandem vero cauſam Moyſi, Matthæoque fuiſſe, non abſurde hac coniectura aſſequemur. Matthęus vbi primum Chriſti maiores recenſuit: Omnes, inquit, generationes ab Abraham, &c. ne quis ſuſpicaretur aliquem ex maioribus memoriæ lapſu, & non potius de induſtria, ſilentio fuiſſe præteritum. Et quamuis multas rei huius fortaſſe cauſas Euangeliſta poſſet reddere: eam tamen in epilogo præ ſe ferre magis videtur, quę teſſara decadis commendationem habet. Ob id quippe tres generationum ordines numero æquales eſſe voluit, vt numerus quartus decimus ter etiam in Domini ſtemmate conſecraretur. Quod Moyſes vt fecerit, ſubeſt omnino cauſa eadem. Ab Adam enim ad Noe decem generationes attexuit. A Noe autem ad Abraham decem item alteras: vt in denario numero, in quem maiorum vtramque ſeriem redegerat, myſterium aliquod ſubeſſe intelligeremus. Cur autem numerus quartus decimus ad legem Euangelicam; decimus vero ad naturæ legem referatur, non eſt huius loci diſſerere. Tantum dicimus, nec ſine cauſa ſeptuaginta duos interpretes, Cainan addidiſſe; nec Moyſen abſq; myſterio eandem generationem prętermittere potuiſſe: vtrumque & vere, & prudenter fieri potuiſſe: alterum & vere, & prudenter ſecutum eſſe Lucam.

3 Reſpon. non bona. — 4 Reſpon. non bona — Reſp. bona. — Aug. — Orige. — Euſeb. — cap. 1.

Nat. 6. ver. 7.

Leo.

Leo ſerm. 10. de Nat. Dom. cap. 7: Lucas quoque Euangeliſta, ab ipſo Domini ortu, ſeriem generis ſui ſurſum verſus retexuit, vt etiam illa ſecula, quæ diluuium prǫuenerunt, & huic ſacramento doceret fuiſſe connexa: omneſque ab initio ſucceſſionum gradus, ad eum, in quo vno erat ſalus omnium, tetendiſſe. Idem Leo epiſt. 13. habet cur Lucas ad Adam vſque aſcendat, vt

Cur Lucas ad Adam vſque aſcendat.

dat, vt videre licet cap. 4. not. 1. ver. 1.

Amb. Cur Lucas ad Deum vſque aſcendat.

Amb. lib. 3. in Luc: Lucas ad Deum putauit originem eius, Chriſti, eſſe referendam, quod verus Chriſti generator Deus ſit, vel ſecundum veram generationem pater, vel ſecundum lauacri regenerationem myſtici author muneris.

Iren. Ex Chriſti genealogia, eum vere hominem, & omnium hominum redẽptorẽ oſtendit. Cur Lucas ad Adam vſque generationẽ Chriſti reducat.

Iren. lib. 3. cap. 33: Propter hoc Lucas genealogiam, quæ eſt à generatione Domini noſtri, vſque ad Adam, ſeptuaginta duas generationes habere oſtendit, finem coniungens initio, & ſignificans, quoniam ipſe eſt, qui omnes gentes exinde ab Adam diſperſas, & vniuerſas linguas, & generationem hominum cum ipſo Adam in ſemetipſo recapitulatus eſt. Vnde & à Paulo typus futuri dictus eſt ipſe Adam: quoniam futuram circa filium Dei humani generis diſpoſitionem, in ſemetipſum fabricator omnium verbum præformauerat, prædeſtinante Deo primum animalem hominem, videlicet, vt à ſpiritali ſaluaretur. Cum præexiſteret ſaluans, oportebat & quod ſaluaretur fieri: vti non vacuum ſit ſaluans. Et quibuſdam interpoſitis: Primogenitus enim mortuorum natus Dominus, & in ſinum ſuum recipiens priſtinos patres, regenerauit eos in vitam Dei. Ipſe initium viuentium factus: quoniam Adam initium morientium factus eſt. Propter hoc & Lucas initium generationis à Domino inchoans, in Adam retulit, ſignificans, quoniam non illi hunc, ſed hic illos in Euangelium vitæ regenerauit.

Rom. 5. Col. 1. 1. Cor. 15.

Chryſoſt. Cur Lucas potius quã Matthæus ad Adam vſque generationẽ reducat.

Chryſoſt. hom. 1. in Matt: Matthæus quidem, vtpote Iudæis ſcribens, nihil amplius ſtuduit oſtendere, quam quod ex Abrahæ, & Dauid Chriſtus ſtirpe deſcenderat. Lucas vero, quippe qui omnibus in commune loqueretur, ſermonem ſuperius extendit, ad ipſum vſque Adam generationes retrorſum numerãdo perueniens.

Epiph. Cur vſque ad Adam.

Epiph. hære. 51: Tranſcendit autem Noe, & venit ad Adam: vt eum, qui primus formatus eſt, quæri indicaret, per eum, qui de maſſa ipſius venit, hoc eſt, de ſancta virgine Maria. Venit enim propter illum olim formatum, & propter eos, qui ab ipſo geniti ſunt, volentes vitam æternam poſſidere. Tranſgreſſus autem ipſum Adam, dicit: Qui fuit Dei. Hinc ergo manifeſtatio facta eſt, quod Dei quidem filius erat; verum per ſemen Adam iuxta ſucceſſionem in carne acceſſit.

Cur vſque ad Deum.

Euth.

Euth. Luc. 3: Qui fuit Dei, ipſius Adam, qui fuit à Deo. Neque enim ipſi Adam fuit pater homo; ſed Deus formauit eum. Vide autem quod à Chriſti inchoans humanitate, ſermonem reduxit ad eius diuinitatem: demonſtrans vt hominem quidem incœpiſſe; vt Deum vero carere principio. A nouo Adam incipiens, aſcendit, generationem texendo, vſque ad veterem.

Aug.

Aug. ſer. 15. de verb. Dom. & lib. 2. de conſ. cap. 4. habet cur Lucas generationes ſeptuaginta ſeptem Chriſti numeret, vt videre licet cap. 92. ad ver. 10.

Hier. Cur 77 generationes

Hieron. ep. 125. ad Damaſum quæſt. 1: Nunc illud quod non interrogaueras, dum aliud agimus, irrepſit; quæ ſint ſeptuaginta ſeptem vindictæ, quæ in Lamech exoluendæ ſunt. Aiunt ab Adam vſque ad Chriſtum generationes ſeptuaginta ſeptem. Lege Lucam Euangeliſtam, & inuenies ita eſſe, vt dicimus. Peccatum totius mundi, Chriſti ſoluetur aduentu, qui tulit mundi peccata, &c.

Baſ.

Baſil. hom. 11. Hexam: Septuageſima ſeptima generatione ab Adam, ſe conſpicuum mundo exhibuit, ac viſendum Chriſtus.

Auct.

In fine huius genealogię ſubaudiendum non eſt, filius, quaſi Adam filius Dei naturalis fuerit: cum tantum eſſet eius creatura. Generationem vero Chriſti merito ad Deum retulit: quia pura omnino remanſit.

Noe præco iuſtitiæ octauus.

2. Pet. 2: Originali mundo non pepercit: ſed octauum Noe iuſtitiæ præconem cuſtodiuit, diluuium mundo impiorum inducens.

Enoch ab Adam ſeptimus.

Iudas Apoſtolus in Epiſtola ſua Catholica: prophetauit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch.

Quinque mundi ætatum generationes.

Ætatis primæ iuxta Lucam, inuerſo tamen ordine.

1. Adam.
2. Seth.
3. Enos.
4. Cainan.
5. Malaleel.
6. Iared.
7. Enoch.
8. Mathuſalem.
9. Lamech.
10. Noe.

Secundæ ætatis ex Luca.

11. Sem.
12. Arphaxad.
13. Cainan.
14. Sale.
15. Heber.
16. Phalech.
17. Rheu.
18. Saruch.
19. Nachor.
20. Thare.

Ætatis

Ætatis tertiæ ex Luca, & Matthæo.

21.	Abraham.	1.	28.	Aminadab.	8.
22.	Iſaac.	2.	29.	Naaſon.	9.
23.	Iacob.	3.	30.	Salmon.	10.
24.	Iudas.	4.	31.	Booz.	11.
25.	Phares.	5.	32.	Obeth.	12.
26.	Eſron.	6.	33.	Ieſſe, ſiue Iſai.	13.
27.	Aram.	7.	34.	Dauid.	14.

Ab Abraham vſque ad Dauid incluſiue, Matthæus, & Lucas plane conueniunt.

Ætatis quartæ ſecundum Lucam.

35.	Nathan.
36.	Mathat.
37.	Menna.
38.	Melcha.
39.	Heliachin.
40.	Ionas.
41.	Ioſeph.
42.	Iudas.
43.	Simeon.
44.	Leui.
45.	Mathat.
46.	Iorim.
47.	Eliezer.
48.	Ieſus.
49.	Her.
50.	Helmadam.
51.	Thoſan.
52.	Addi.
53.	Melchi.
54.	Neri.
55.	Salatiel.

Ætatis quartæ ſecundum Matthæum.

15.	Salomon.	1.
16.	Roboam.	2.
17.	Abias.	3.
18.	Aſa.	4.
19.	Ioſaphat.	5.
20.	Ioram.	6.
21.	Ozias.	7.
22.	Ioatham.	8.
23.	Achaz.	9.
24.	Ezechias.	10.
25.	Manaſſes.	11.
26.	Amon.	12.
27.	Ioſias.	13.
28.29.	Iechonias.	14. 1.
30.	Salatiel.	2.

Ætatis quintæ ex Luca.

56.	Zorobabel.
57.	Rheſa.
58.	Ioanna.
59.	Iudas.
60.	Ioſeph.
61.	Semei.
62.	Mathathias.
63.	Maat.
64.	Nagge.
65.	Heli.
66.	Naum.
67.	Amos.
68.	Mathathias.
69.	Ioſeph.
70.	Ioanne.
71.	Melchi.
72.	Leui.
73.	Mathat.
74.	Eli.
75.	Ioſeph.
76.	Ieſus.

Ætatis quintæ ex Matthæo.

31.	Zorobabel.	3.
32.	Abiud.	4.
33.	Eliachim.	5.
34.	Azor.	6.
35.	Sadoch.	7.
36.	Achim.	8.
37.	Eliud.	9.
38.	Eleazar.	10.
39.	Matham.	11.
40.	Iacob.	12.
41.	Ioſeph.	13.
42.	Ieſus.	14.

CAP. 19.

CAP. 19. CHRISTI *ieiunium, tentatio, & victoria.*

Matth. 4.

Domin. 1. Quadr.

2 [Tunc ✠ Iesvs ductus eſt in deſertum à ſpiritu.

3 Vt tentaretur à diabolo.

8 Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt.

9 Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.

10 Qui reſpondens, dixit: Scriptum eſt, non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

11 Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi: Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorſum.

12 Scriptum eſt enim: quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

13 Ait illi Ieſus: Rurſum ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deũ tuũ.

14 Iterum aſſumpſit eum diabolus, in montem excelſum valde: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.

15 Tunc dicit ei Ieſus: Vade Satana: Scriptum

Mar. 1.

2 Et ſtatim ſpiritus expulit eum in deſertum.

4 Et erat in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

5 Et tentabatur à Sathana.

6 Eratque cum beſtijs.

Luc. 4.

1 [Iesvs autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane.

4 Et agebatur à ſpiritu in deſertum, diebus quadraginta.

5 Et tentabatur à diabolo.

7 Et nihil manducauit in diebus illis.

8 Et conſummatis illis eſurijt.

9 Dixit autem illi diabolus: Si filius Dei es, dic lapidi huic, vt panis fiat.

10 Et reſpondit ad illum Ieſus: Scriptum eſt: quia non in ſolo pane viuit homo; ſed in omni verbo Dei.

11 Infra.

12 Infra.

13 Infra.

14 Et duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ, in momento temporis, & ait illi: Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam illorum: quia mihi tradita ſunt, & cui volo do illa. Tu ergo ſi adoraueris coram me, erunt tua omnia.

15 Et reſpondens Ieſus, dixit illi: Scriptum eſt:

Ioan.

Matth. 4.	*Mar. 1.*	*Luc. 4.*	*Ioan.*
eſt enim: Dominũ Deũ tuum adorabis,& illi ſoli ſeruies.		Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.	
		11 Et duxit illum in Hieruſalem, & ſtatuit eum ſuper pinnam templi: Et dixit illi: Si filius Dei es, mitte te hinc deorſum.	
		12 Scriptum eſt enim, quod Angelis ſuis mandauit de te, vt conſeruent te; & quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.	
		13 Et reſpondens Ieſus, ait illi: Dictum eſt: Non tentabis Dominum Deũ tuum.	
16 Tunc reliquit eum diabolus.		16 Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo, vſque ad tempus.	
17 Et ecce, Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. ✠	17 Et Angeli miniſtrabant illi.	(Et regreſſus eſt Ieſus. cap. 26.	
(Cum autem audiſſet. cap. 26.	(Poſtquam autem traditus. cap. 26.		

Not. 1.

Diſpoſitionis ratio.

STATIM à baptiſmo Chriſtus in deſertum ductus, ieiunans quadraginta diebus, tentatur à diabolo.

Ver. 2.

Hoc ſtatim à baptiſmo contigit. Tatia. Amino. Aug. Aug. Chryſoſt.

SECVNDO verſu Marcus dicens: Statim ſpiritus expulit eum, ſatis indicat, nihil inter baptiſmum, & ieiunium rei narrandæ, vel ſpatij temporis, interceſſiſſe. Recte igitur hoc loco iſtud à Tatiano, Ammonio, Auguſtino, & alijs, quos hac in parte ſecuti ſumus, locatur. Aug. lib. 2. de conſ. cap. 16: Ioannes vero totum iſtum locum prætermiſit. Chryſoſt. hom. 16. in Ioan: Ioannes profectionem quidem in deſertum tacuit: vtpote à Matthæo narratam.

Orig. Cur Ioannes de hac re nihil habeat.

Scripturæ ſenſum diligenter euentilans, ait Origenes Homil. 29. in Lucam, reor inuenire me cauſam, quare Ioannes tentationem Domini non deſcripſerit; ſed tantum Matthæus, Lucas, & Marcus. Ioannes enim, qui à Deo exordium fecerat, dicens: In principio erat verbum, &c. nec poterat diuinæ generationis ordinem texere, ſed tantummodo quod ex Deo, & cum Deo eſſet expreſſerat, adiecit: Et verbum caro factum eſt. Porro quia Deus tentari non poteſt, de quo ei erat ſermo; ideo tentari eum à diabolo non introduxit. Quia vero liber generationis Ieſu Chriſti, de eo in Matthæi Euangelio narratur, & in Luca generatio eius deſcribitur, & in Marco: Et homo eſt, qui tentatur. Ideo Matthæus, Lucas, & Marcus Domini tentationem deſcripſerunt. Idem habet tract. 35. in Matth.

Greg. Conuerſio parit ſecuritatem. Securitas mater eſt negligentiæ. Eccle. 2

Greg. lib. 24. Moral. cap. 12: Conuerſio ſecuritatem parit: mater autem negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas. Ne ergo ſecuritas negligentiam generet, ſcriptum eſt: Filij accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Non enim ait: Ad requiem; ſed: Ad tentationem. Quia hoſtis noſter adhuc in hac vita nos poſitos, quanto magis nos ſibi rebellare conſpicit, tantò amplius expugnare contendit. Eos enim pulſare negligit, quos quieto iure poſſidere ſe ſentit. Contra nos vero, eo vehementius incitatur quo ex corde noſtro, quaſi ex iure propriæ habitationis expellitur, hoc enim in ſeipſo Dominus ſub quadam diſpenſatione figurauit: qui diabolum non niſi poſt baptiſma ſe tentare permiſit: vt ſignum nobis quoddam futuræ conuerſionis innueret, quod membra eius poſtquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum inſidias tolerarent.

Dæmon quos magis tentet. Cur ſtatim à baptiſmo tentatus ſit Dominus.

Chryſoſt. A quo ductus ſit ſpiritu.

Chryſoſt. hom. 2. de Spiritu ſancto: Ducta eſt, & quaſi pædagogum habuit caro Spiritum ſanctum. Quare ductus eſt? vt nobis figuram daret; quod ſicut caro mea non ducitur concupiſcentijs, ſed ducitur ſpiritu: ſic & vos debetis. Propterea & Paulus: Si autem ſpiritu Dei ducimini, non iam eſtis in carne. Et: Quicunque Spiritu Dei ducuntur, non ſunt ſub lege. Ducitur caro Chriſti, ducamur & nos. Propterea enim omnia in ſeipſum aſſumit, vt nobis exemplum relinquat. Ductus eſt à ſpiritu vt tentaretur; & vicit diabolum; non deitas. Contumelia fuerit

Gal. 5. Rom. 8.

Caro ducitur, tentatur, & vincit, non deitas.

fuerit deitati dicere, vici. Deus enim nunquam vincitur, neque vincit: ſed ſemper præualet, & dominatur. Nam ſi omnino vinceret, poſſibile eſſet, & ipſum vinci. Atqui ſemper dominatur, & præualet in omnibus omnipotens; & neque obtumultuantur ei ſubditi, neque ei negotium faciunt. Si igitur caro Dominica, & Dominicum figmentum, nouus homo cœleſtis, nouum germen, quod nouo partu floruit, accipit Spiritum ſanctum, habeas teſtimonia, quod aduenit Spiritus de cœlo: & duxit eum ſpiritus, vt vinceret diabolum. Imago Adam, quę in principio ſeducta, vt homo poſtea vinceret, noua ingreditur comitata virtute Spiritus. Propterea ſicut dixit, ductus eſt à ſpiritu in deſertum, vt tentaretur: ſic quando reuertitur vt victor, dicit: Ieſus autem reuerſus eſt in virtute ſpiritus à deſerto. Vide Greg. hom. 16. in Euang. cuius pars habetur lect. 7. 8. & 9. Dom. 1. Quad. Greg.

Iſidor. Iſidor. lib. 1. ep. 75: Cùm Chriſtus, qui Deus erat, atque noſtra cauſa humanitatem induerat, in deſertum, vt tentaretur, ductus fuerit, quid miraris, te in ſolitudine degentem, tentationibus, vt inquis, conflictari? Ad ſolam igitur Chriſti victoriam legitimè partam animum adijce. Inanis enim gloria calcata eſt, extincta ſuperbia, oppreſſa auaritia, pudoreque ſuffuſus aduerſarius, vt qui nulla ſagittarum ſuarum ipſius pectus traijcere potuiſſet. Ad eundem igitur modum, ſi tu quoque eam, quam par eſt, animi magnitudinem præſtiteris, gladijſque, quibus anima conuulnerarur, ſuperatis, te in animi tranquillitatem aſſerueris, Angeli tibi poſt victoriam miniſtrabunt: non quidem ſeruilem in modum miniſtrantes: (quandoquidem hoc ſoli Deo debebatur) verùm victorię in morem caput tuum corona cingentes. Hanc enim mercedem habet, qui in præſenti certamine ſtrenuè ſe gerit. Matt. 4

Not. 2. ver. 3.

Leo. LEO ſerm. 1. de Quad. cap. 3: Ob hoc Dominus ſe tentari à tentatore permiſit, vt cuius munimur auxilio, eiuſdem erudiremur exemplo.

Greg. Greg. lib. 3. Moral. cap. 13: Animam illius ſeruare præcipitur, non quod hanc tentare prohibeatur, ſed quod hanc ſuperare non poſſe conuincitur. Neque enim ſicut nos qui puri homines ſumus, irruente ſæpe tentatione concutimur: ita redemptoris noſtri anima tentationis eſt neceſſitate turbata. Hoſtis namque noſter, etſi in excelſum montem eum, quem permiſſus aſſumpſit duxit, ſi daturum ſe regna mundi perhibuit: ſi quaſi in panes vertendos lapides oſtendit: mentem tamen mediatoris Dei, & hominum tentatione quaſſare non valuit. Sic enim dignatus eſt hæc exterius cuncta ſuſcipere: vt tamen mens eius interius diuinitati ſuæ inhærens inconcuſſa permaneret. Chriſtus aliter quàm nos eſt tentatus.

Not. 3. ver. 8.

Chryſol. PETRVS Chryſologus ſerm. 11: Cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: Videtis, fratres, quia quod quadrageſimam ieiunamus, non eſt humana inuentio; auctoritas eſt diuina, & eſt myſticum non præſumptum: nec eſt de terreno vſu, ſed de cœleſtibus eſt ſecretis. Quadrageſima quatuor decades, quadratam fidei continet diſciplinam: quia ſemper eſt quadrata perfectio. Quadrageſimæ ieiunium.

Auguſtinus ſerm. 64. de temp. habet ſeruandam quadrageſimam, quod ſit exẽplo Moyſis, Eliæ, & Chriſti conſecrata. Serm. 62. de temp. ſic habet: In quadrageſima nõ ieiunare peccatum eſt: in quadrageſima, qui non ieiunat, ſentiet pœnam. Et ſer. 77. de temp. totum, ait, quadrageſimæ ieiunium non obſeruare, ſacrilegium eſt: ex parte autem violare, peccatum eſt. In Pſ. 110. & ep. 119. cap. 15. ſignificat Auguſtin. quadrageſimam auctoritate, ac præcepto vtriuſq; teſtamẽti ſeruandam eſſe, ac etiam per concilia Patrum. Aug. Quadrageſimæ ieiunium.

Eſurijt.) Dedit enim naturæ, inquit Damaſcenus lib. 3. de Fide cap. 15. quando placuit, vt muneribus ſuis fungeretur. Et Petrus Chryſologus ſerm. 11. Homo Deus in te ieiunat, in te eſurit: imo ieiunat tibi, tibi eſurit, qui ſibi ſicut neſcit manducare, ſic non poteſt eſurire. Ergo cùm propter te ieiunat Chriſtus, te eſurit. Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, &c. Hoc non eſt infirmitatis ſignum, ſed eſt inſigne virtutis: quia cum dicit: Poſtea eſurijt, probat quadraginta diebus, & quadraginta noctibus eſuriem in eo non fuiſſe. Eſuriem ſentire, & vincere eſt laboris humani, diuinæ virtutis eſt eſuriem non habere. Ergo Chriſtus non ieiunio laceſſit: non eſurit fame, ſed eſurit Chriſtus, vt tentandi materiam diabolus inueniret. Ad ieiunium non audebat accedere, quia ſic ieiunantem, Deum, non hominem ſentiebat: Tunc ſenſit hominem, tunc mortalem credidit, tunc eum putauit poſſe tentari, quando eum eſurire callidus explorator inſpexit. Dam. Chriſtus eſurijt. Chryſol.

Et ſerm. 12: Quadrageſimæ ieiunium, fratres, vetuſtas diaboli prodidit, & patefecit inſidias. Diabolus namque, qui manducantem contempſerat Chriſtum, bibentem velut hominem computarat; vbi ieiunantem vidit, ſuſpicatur Deum, Dei filium confitetur. Chryſol.

Et Leo ſerm. 11. de Quadrag: Appropinquante feſtiuitate Paſchali, adeſt maximum, ſacratiſſimumq; ieiunium, quod obſeruantiam ſui vniuerſis fidelibus ſine exceptione denuntiat. Leo. Quadrageſimæ ieiunium.

Ad Chriſti exemplum Quadrageſimale ieiunium ab Apoſtolis inſtitutum, in Eccleſia ſeruatur. can. Apoſt. 68. Conſtit. apud Clem. lib. 5. cap. 13. Ignatius epiſt. 5. ad Philippenſes, & cæteri. Vide Greg. cap. 2. lib. 3. in lib. 1. Reg. & cap. 1. lib. 5. eiuſdem expoſitionis. & epiſt. 24. lib. 7. & Chryſoſt. hom. 1. in Gen. Chriſtus cur eſurierit habet Amb. ſerm. 35. & Aug. lib. 3. de mirabilib. ſacræ ſcript. cap. 6. Clem. Ignat. Greg. Chryſoſt. Amb. Aug.

Not. 4. ver. 9.

CHRYSOST. hom. 1. de lapſu primi hominis: Chriſtus cum eſuriret diabolus acceſſit tentare

 cum,

Dæmon de Chriſto dubitabat. eum, æſtimans quod ſicuti primi hominis rudimenta deceperat, ita Chriſtum dejiceret. Nam qui tentat, ad perfectum neſcit quid ſit verum. Credo, apud ſe dicebat inueteratus: Iſte quis eſt, qui venit non per regionem meam? ego cupiditatem in amplexu maris, & fœminæ niſi, iſtum video naſci quo modo nullus hominum natus eſt. An fortè ipſe eſt Chriſtus, de quo ita prophetarum in toto mundo clamitarunt? Accedo, tento eum, aut iſte eſt vt primus homo, & decipio eum: aut ſi ipſe eſt Chriſtus, confuſus recedo. In tantum dubius erat quis eſſet, vt diceret: Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Et hom. in Pſal. 49: Ipſum quoque diabolum latuit. Neque enim ſi ſciuiſſet, tanto poſt tempore in monte eum interrogaſſet, an eſſet Dei filius: neque id ſemel, & bis & tertio hoc feciſſet.

Chryſoſt.

Greg. Greg. lib. 2. Moral. cap. 23: Antiquus hoſtis cùm hunc paſſibilem cerneret, & poſſe mortalia perpeti humanitatis videret: omne quod de eius diuinitate ſuſpicatus eſt, ei faſtu ſuperbiæ ſuæ in dubium venit. Nihil quippe niſi ſuperbum ſapiens, dum eſſe hunc humilem conſpicit, Deum eſſe dubitauit. Vnde & ad tentationum ſe argumenta conuertit, dicens: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Quia igitur paſſibilem vidit, non Deum natum, ſed Dei gratia cuſtoditum credidit. Eundem conſule lib. 5. Moral. cap. 17. & lib. 33. cap. 12. & Amb. epiſt. 82. lib. 10. & ſer. 35.

Greg. Amb.

Leo. Leo ſerm. 2. de Quad. cap. 3. Cùm Saluator noſter, qui erat verus Deus, vt verum ſe hominem etiam demonſtraret, & impias opiniones totius erroris excluderet, poſt quadraginta dierum, noctiumque ieiunium, infirmitatis noſtræ in ſe recepiſſet eſuriem; gauiſus diabolus ſignum ſe in eo paſſibilis, atque mortalis inueniſſe naturæ; vt exploraret potentiam, quam timebat: Si filius Dei, inquit, es, dic vt lapides iſti panes fiant. Et ſerm. 3. de Quad. cap. 2: Nemo igitur ſe fallat, dilectiſſimi, nemo ſe decipiat: neque ita quiſquam de cordis ſui puritate confidat, vt putet ſe nullis tentationum periculis ſubiacere: cùm peruigil ille tentator eos acrioribus pulſet inſidijs, quos maximè viderit abſtinere à peccaris. Nam à quo dolos ſuos contineat, qui ipſum quoque Dominum maieſtatis auſus eſt calliditatis ſuæ fraude tentare? viderat ſuperbiam baptizati Domini Ieſu humilitate calcatam, intellexerat quadraginta dierum ieiunio omnem cupiditatem carnis excluſam, & tamen non deſperauit de artibus ſuæ malitiæ ſpiritalis improbitas; tantumque ſibi de naturæ noſtræ mutabilitate promiſit, vt quem verum experiebatur hominem, præſumeret poſſe fieri peccatorem. Si ergo ab ipſo Domino, & Saluatore noſtro, deceptionum ſuarum diabolus non reuocauit inſidias, quantò magis fragilitatem noſtram impugnare præſumit, quos exinde vehementiore odio, & inuidia ſeueriore perſequitur, ex quo ei in baptiſmo renunciauimus, & ab illa, cui dominabatur origine, in nouam creaturam diuina regeneratione tranſiuimus. Et ſermone 4. de Quadrag. cap. 5: Cuius verò ille hoſtis nequiſſimus non audeat impugnare propoſitum, cuius non appetat violare ieiunium; quando verſutias ſuas ſicut Euangelica lectione patefactum eſt, nec ab ipſo mundi Saluatore, continuit? Expaueſcens enim in illo quadraginta dierum, noctiumque ieiunium, explorare callidè voluit, vtrum hanc continentiam donatam haberet, an propriam: vt non metueret deceptionum ſuarum opera ſoluenda, ſi Chriſtus eius eſſet conditionis, cuius eſt corporis. Primo itaque dolò ſcrutatus eſt, an ipſe eſſet ſubſtantiarum creator, qui rerum corporearum poſſet in quæ vellet mutare naturas. Secundo, an ſub humanæ carnis ſpecie diuinitas obumbrata tegeretur, cui facilè eſſet peruium ſibi aerem facere, & terrena per vacuum membra librare. Sed cùm illi Dominus iuſtitiam maluiſſet opponere veri hominis, quam potentiam manifeſtare deitatis: ad hoc conuertit tertiæ fraudis ingenium, vt eum in quo diuinæ poteſtatis ſigna, ceſſauerant, dominandi cupiditate tentaret, & ad venerationem ſui, regna mundi pollicendo, traduceret. Sed prudentiam diaboli ſtultam fecit ſapientia Dei.

Leo.

Amb. Amb. lib. 1. de Cain, & Abel cap. 5: Eleuat enim, & extollit mentem ſuaſorijs verbis: oſtendit omnia regna terræ, dicens: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me. Ibi tu caue ne capiaris præterlabentibus; & non manentibus in quibus magna tentatio eſt. Docuit te certè Dominus Ieſus, quemadmodum aduerſus huiuſmodi tentationes reſiſtas. Tetenderat diabolus primum laqueum gulæ, dicens: Si Filius Dei es, dic huic lapidi, vt panis fiat. Reſpondit Dominus, non in pane ſolo viuit homo: ſed in omni verbo Dei. Laqueum ſoluit hoc dicto. Poſuit iterum diabolus ſecũdum iactantiæ laqueum, qui etiam bonam mentem proſperis currentem ſemitis ſolet ſtrangulare. Et duxit illum, inquit, in Hieruſalem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi, & dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te hinc. Scriptum eſt enim, quod Angelis ſuis mandauit de te, vt conſeruent te: quia in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Itaque cum poſſet ſine vllo periculo mittere ſe Dominus Ieſus, cui ſuppeterent ſpirituales volatus: tamen ne iactantiæ genus eſſet, reſpondit diabolo: Non tentabis Dominum Deum tuum. Simul docuit nos cauere ne faciamus voluntatem diaboli. Si ergo vera iactantia declinanda eſt; quanto magis nemo debet falſa iactare pro veris? Tertius ſupereſt laqueus auaritiæ, atque ambitionis. Oſtendit in monte poſito, omnia regna terræ in momento temporis. Bene in momento: quia diuturna eſſe nequeunt. Paulum expecta, & cito tranſeunt. Itaque qui ſequuntur ea, in monte ſibi eſſe videntur, ſed non ſunt perpetui, ſicut habes ſcriptum: Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſuper cedros Libani: & tranſiui, & ecce non erat. Sed qui maximi

Cur ait, in momento.

Vt ſint in monte qui terrenis afficiũtur.

Pſal. 36.

maximi ea facit, adorare videtur diabolum, cui Deus venter eſt, & in pudendis gloria. Tu autem in Deo gloriam quære, qui tibi ait: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies; à quo æterna accipias non temporalia. Tamen ſi quem etiam iſta delectet, ab eo moderatius petuntur, qui verus omnium fons eſt. Nam & ipſa peculiaria, quæ poſſidere ſibi videtur diabolus, aliena ſunt, ſicut ipſe dixit: Tibi dabo poteſtatem hãc vniuerſam, & gloriam eorum: quia mihi tradita ſunt. Ab eo ergo ſpera; licet breuis vitæ non ſit longum viaticum requirendum: tamen ab eo ſpera, qui vniuerſam creaturam condidit, qui diabolo ea ad tempus tradidit, non vt poſſideat, ſed vt tentet. Non enim poterat corona eſſe, ſine certamine. Probandi erant dubij, vt iuſti coronarentur. Dedit itaque diabolo ea: quia in his ipſis pœna accipientis eſt, ſi vti neſciat. Quid eſt enim theſaurus luxurioſo, niſi ſumptus luxuriæ? Sed non luxurioſus, ſed frugi probatur. Et ideo vtere quaſi frugi ijs, quæ tibi apponuntur: vt non cum manducas multum odibilis fias. Vigiliæ enim & tormenta viro edaci.

Eccle. 31.

Baſ. Baſil. hom. 1. de laudibus ieiunij: Dominus noſter non prius in carne, quam pro nobis aſſumpſerat, diaboli inſultus excepit, quam eam ieiunio communiſſet: ſimul & nos erudiens, vt noſmet aduerſus tentationis conflictus, exemplo paleſtritarum vngamus, & exerceamus. Et in reg. breu. inter. 75: vtitur Satan adiutricibus ſecum naturalibus motionibus, ſicut in Domino facere tentauit, quando eſurientem illum animaduertens, dixit: Si Filius Dei es, &c.

Iſidor. Iſidorus Peluſ. lib. 3. ep. 385: Non ſimpliciter adoritur callidus ille prædo eos, qui hoc tempeſtatis plenum mare nauigant: verùm exploratis prius, atque cognitis animæ propenſionibus & appetitionibus, ita demum aggreditur, ac machinas ſuas inſtruit. Quid enim eſt, quamobrem Iudam non ad libidinem, ſed ad proditionem impulerit? nimirum quia partem illam præſidijs firmatam videbat: eam autem, quæ ad auaritiam pertinebat, infirmam & imbecillam. Ex crumenæ enim furto, in ſpem venit, vt ipſe ad proditionem quoque facile ſe conferret. Quocirca vniuſcuiuſque appetitiones, atque inclinationes, & aſſenſus inquirens, nec tempus vllum, aut horam prætermittens, ita denique materias externè ſubminiſtrat, atque in ea parte, ad quam eum propenſionem habere ſentit, vulnus infert. Ac propterea eum, qui laudem, & gloriam conſequi cupit, omni ex parte munitum, ac obſeptum eſſe oportet. Sæpenumero enim hominis vitam non ſecus ac ciuitatem quandam inexpugnabilibus muris circundatam per nutantem, & imbecillam partem ditioni ſuæ ſubiecit, atque inanem & inutilem reliquorum murorum firmitatem reddidit. Et lib. 1. epiſt. 76: Lapides à Christo in panes minimè conuerſi ſunt, non idcirco factum eſt, quod edendorum miraculorum tempus nondum adeſſet, quemadmodum malè feriati homines garriunt: ſed quia petitio vana erat, & petitore digna. Deus enim omnia cum pondere, ac menſura, & neceſſitate largitur. Vbi autem quod quæritur ſuperuacaneum eſt, illic quoque miracula edere prorſus intempeſtiuum eſt. Sap. 11.

Aug. Chriſtum cur dæmõ tentauit, & ſe tentari Chriſtus cur permiſit. Aug. lib. 9. de Ciuit. cap. 21: Dubitauit de illo dæmonum princeps, eumque tentauit, an Chriſtus eſſet explorans, quantum ſe tentari ipſe permiſit: vt hominem quem gerebat, ad noſtræ imitationis temperaret exemplum.

Aug. Chriſtum cur dæmon tentauit. Dæmon cum homines tentat, hoc laborat tantum, vt peccent: cùm vero Chriſtum tentabat, non admodum erat de illius peccato ſolicitus. Sanctiorem enim illum ſciebat, quam qui facilè induci poſſet vt malè faceret: cognoſcere tantum auebat, an lateret Deus ſub humana forma. Se porrò tentari Chriſtus permiſit, ne veteri hominum conditioni videretur exemptus, quod ſolus abiret intentatus: neu poſt illum alij, qui eum venerarentur, indignè ferrent tentari ſe, qui ſcirent inuidentiſſimum illum, & confidentiſſimum humani hoſtem generis, ne à Chriſto quidem temperaſſe. Hæc duo ibi docet Aug. Tētari cur ſe Chriſtus permiſit.

Not. 3. ver. 10.

Greg. Gregor. cap. 4. lib. 4. in 1. lib. Reg.: Quando prædicatores ſancti cœleſtia loquuntur, electorum ſuorum auditorum corda reficiunt. Teſtante etenim veritate, quam cibus animæ eſt verbum Dei, non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Panis namque alimentum corporis eſt, verbum mentis. Qui verò corpus ſine mente reficiunt, mente mortui ſunt, carne viui. In ſolo ergo pane homo non viuit: quia cum ex anima, & corpore, conſtet homo, ſicut aliter per animam, aliter per corpus viuit: ita & neceſſe eſt, vt alimentis diuerſis ſingula nutriantur.

Leo. Leo ſerm. 2. de Quad. cap. 3: Poterat itaque iſtud omnipotens: & facilè erat, vt ad creatoris imperium, in quam iuberetur ſpeciem cuiuſlibet generis creatura tranſiret: ſicut cùm voluit in conuiuio nuptiali, aquam mutauit in vinum. Sed hoc magis ſalutiferis diſpenſationibus congruebat; vt nequiſſimi hoſtis aſtutia, non potentia deitatis, ſed humilitatis myſterio vinceretur.

Iſidor. Iſidor. Peluſio. lib. 3. epiſt. 341: Quoniam Hebræi, cùm quadraginta annorum ſpatio manna alerentur (quod ſi humanam rationem ſpectes, ad robur corporibus adferendum, parum idoneum erat) in eadem fortitudine ac robore perſtabant: ac fortaſſe maiorem etiam vim conſequebantur: (non enim alimonia, ſed diuinum decretum animas & corpora conſeruabat) idcirco legiſlator dixit: Non in ſolo pane viuit homo: ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Quod etiam Chriſtus, diabolicam machinam propulſans oppoſuit: atque hac ratione tentatoris vires concuſſit ac perfregit.

Amb. Amb.epiſt.82.lib.10: Noluit facere cum poſſet: vt magis lectionis ſtudio, quam voluptatis intendere nos, ſalutari præcepto doceret. Eundem conſule ſer.35. & Hieron.Eſa. 5. Hier.

Aug. Aug. ſerm.41.de verb.Dom: Reſpondet tentatori, docens te reſpondere tentatori. Ad hoc enim pugnat Imperator, vt milites diſcant, &c. Non fecit de lapidibus panes, qui vtique ſic potuit facere, ſicut de aqua vinum, &c. Non fecit: vt voluntatem contemneret tentatoris. Aliter enim tentator non vincitur, niſi contemnatur.

Not. 6. ver. 11.

Aug. Matthæus, & Lucas ordine tentationum differunt.

MATTHÆVS dicit, inquit Auguſtinus lib. 2. de conſ. cap.16: Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu, &c. Totum hoc ſimiliter Lucas narrat, etſi non eodem ordine. Vnde incertum eſt, quid prius factum ſit, vtrum regna terræ prius demonſtrata ſint ei, & poſtea in pinnam templi leuatus ſit: an hoc prius, & illud poſtea. Nihil tamen ad rem, dum omnia facta eſſe manifeſtum ſit. Et quod alijs verbis eaſdem ſententias Lucas explicat, non ſemper commendandum eſt, cum nihil depereat veritati. Marcus autem atteſtatur quidem eum in deſerto à diabolo eſſe tentatum, quadraginta diebus, & noctibus: ſed tacet quid ei dictum ſit, quidue reſponderit. Eam tentationem, quæ in monte facta eſt, ſecundam; illam verò, quæ in pinna templi contigit, Chryſoſtomus in Pſal. 90. Lucam ſecutus, tertiam appellat. Sic etiam in homelia de lapſu primi hominis. Poſteriores duæ tentationes, ordine apud Lucam inuerſo leguntur Matthæus enim ſatis ordinem ſe tentationum ſeruaſſe inſinuat, cum verſu 11. ait: Tunc aſſumpſit eum: & verſu 14: Iterum aſſumpſit eum: & verſu 16: Tunc reliquit eum. Quibus verbis, & ordo inter ipſas tentationes indicatur, & ea tentatio, quæ in excelſo monte facta eſt, fuiſſe vltima ſignificatur. Vnde Chriſtus in hac dæmonem abire iuſſit; Et Matthæus in eadem Chriſtum à dæmone relictum enarrauit. Diuerſum tamen ordinem tenuiſſe videntur Euangeliſtæ in his duabus poſtremis tentationibus: quia nonnunquam ex inani gloria venitur ad cupiditatem; quandoque vero è conuerſo: vt Aquinas par.3.q.41.a.4.ad 5.docuit; & ante ipſum diu Maximus; quem ad cap. Lucæ 4. in catena citat his verbis: Ob hoc autem Euangeliſtarum hanc iſte tentationem; illam vero ille præmittit; quia inanis gloria, & auaritia ad inuicem ſeſe gignunt. Vide Aug.lib. 2. ad Simplician. quæſt. 3.

Tres hoc narrant. — Chryſoſt. — Verus ordo tentationum. — Cur eundē tentationum ordinem Euangeliſtæ nō ſeruant. — Tho. — Max. — Aug.

Aug. Aug.lib. 2. cont. litter. Petal. cap.51: Hoc enim eſt illud, quod paulò ante dixi, verba legis dicitis, ſed in quos dicatis non attenditis. Sicut diabolus verba legis dicebat, ſed cui diceret, non agnoſcebat. Ille caput noſtrum ſurſum aſcenſurum, deorſum volebat deijcere: vos autem corpus eiuſdem capitis, quod per totam terram diffuſum eſt, ad exiguam partem vultis redigere.

Hæretici diabolum citando ſcripturas imitantur.

Not. 7. ver. 12.

Iſidor. ISIDOR. Peluſ. lib.1.ep.180: Non verborum enunciatio, verum rerum adminiſtratio, diuinæ doctrinæ conſectatorem hominem reddit. Nam neque vetus ille rebellis, propterea quod diuina oracula memoria tenebat, cùm Dominum tentaret, ob eorum cognitionem tandem merebatur: verùm contra abijciendus ac deteſtandus erat, quod cùm ſcientia præditus eſſet, actionem inficiaretur, ac reſpueret. Quare niſi leuis haberi vis, vtpote in lingua ſola eruditionem ſitam habens, fac eam reipſa oſtendas. Nam nec Goliath ex armis externis quicquam commodi tulit: quoniam internorum auxiliorum imbecillitate laborabat. Vide Amb. ſerm.26.

Fatum eſt tantum lingua eruditum eſſe. — 1 Reg. 17. — Amb.

Auct. Dæmon hic ſe litteratum oſtendere voluit: ſed in multis deficit, vt qui malignè, impiè, & deprauatè ſcripturam in medium adducat. Primo, eam, quæ de quouis pro homine dicta eſt, proprie ad Chriſtum pertinere interpretatur. Ad quem tamen propriè non pertinere, vel ipſius dæmonis verbo ſatis indicabant. Nam ſi Dei filius erat, Angelorum opera non egebat, per quos à nocumento, & læſione cuſtodiretur. Tamen Chryſoſt.hom. in Pſ.90. etiam de filio Dei hunc locum intelligit. Secundo, ea ſcriptura, qua in Deum confidentibus, ſecuritas ab omni malo promittitur, ad perſuadendum impietatem, tentationem videlicet Dei, & malorum ſpontaneam aduocationem, eſt abuſus. Tertio, non huc pertinebat ea ſcripturæ auctoritas: nec enim ait: in omnibus præcipitijs; ſed: in omnibus vijs: Quarto, ſcripturam hanc deprauauit. Quinto, truncauit eandem, reticendo quæ ſequuntur. Sic hæretici faciunt, & qui alio verbi Dei ſenſum detorquent.

Dæmon citat male ſcripturas. — Chryſoſt.

Ver. 14.

Chryſoſt. CHRYSOST. hom. de lapſu primi hominis: hæc tentatio dicitur concupiſcentia oculorum. Tertia in elatione, quod eſt eſſe vt Deus, eſt ambitio ſæculi: leuauit eum ſimiliter in pinnam templi, &c. Ecce trinam tentationem iſtam vicit Saluator mundi, vbi primus homo peruerſa ſuaſione malè deceptus erat. Nam quomodo ille deceptus eſt qui ſuaue lignum ad eſcam oſtendit: ſic Chriſtus vicit, dicens: Non in pane ſolo viuit homo, &c. Ille ſpecioſum putauit oculis ad videndum: Chriſtus regna mundi, & diuitias contemnens, vicit, in quo ille victus eſt. Quod illi perſuaſit eſſe vt Deus, hoc iſti dictum eſt: Angelis ſuis mandauit de te, &c. Iſta omnia facta ſunt in primo homine decepto, vt impleretur quod ait Apoſtolus: Vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia. Et hom. in Pſal. 2. Quando Chriſtus aſcendit in montem vt tentaretur à diabolo; tunc archidæmon in puncto temporis, omnia regna mundi, & gloriam eorum coegit, & cum omnibus viſus eſt, vt cum omnibus euaneſceret: & de omnibus contendebat, vt in omnibus

Rom. 5. — Chryſoſt.

omnibus caderet, & vinceretur. Faciebat enim quod neſciebat, & paſſus eſt, quod ignorabat. Et qui prius quærebat adorari, retro eijciebatur audiens: Vade poſt me Satana. Vide Greg. lib. 3. Moral. cap. 12. & 13. Greg.

Ver. 15.

Auct. QVIDAM hic legunt: Vade retro Satana; alij ſic: Vade retro me Satana; Aug. in Pſal. 9. ſic habet: Redi retro Satana. Sed nihil tale adijciendum eſt. Fortaſſis hoc fuit à memori ſcriba ex cap. 16. Matt. vel potius 8. Mar. huc translatum. Nec Lucæ textui addendum eſt; Vade Satana; quia veriſimile non eſt, Lucam ſubiecturum fuiſſe aliam Satanæ tẽtationem, poſtquam eum à Chriſto repulſum narraſſet. Vlciſcendæ ſunt iniuriæ Dei: noſtræ vero minime. Pſal. 138: Nonne qui oderunt te Domine oderam? & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Vide Aug. lib. 1. de Trin. cap. 6. & lib. cont. ſerm. Arrianor. cap. 29. Sic habetur lib. de ſalut. document. cap. 54: Chriſtus, ne aurum diligeremus, oblata munera contemnere docuit. Aug.

Ver. 16.

Greg. GREG. lib. 2. Mor. cap. 22. habet quod ab Adam, vſque ad Chriſti aduentum, nullus plane reſtiterit Satanæ.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. in Pſal. 2: Scriptum eſt diabolum ab ipſo ad tempus abſceſſiſſe, obſeruantem tempus crucis.

Hilar. Hilar. can. 16. in Matt: Poſt prædicationem paſſionis, accipiens diabolus facultatem, vſque ad tempus enim ab eo ſeceſſerat, quia incredibile ſatis Apoſtolis videretur, eum, in quo Deus erat, eſſe paſſibilem, ſumens hanc humanæ infidelitatis occaſionem, opinionis iſtius Petro inſinuauit affectum.

Not. 8. ver. 17.

Leo. LEO ſerm. 2. de Quad. cap. 3: Acceſſerunt ad Dominum Angeli, & miniſtrabant ei: vt veri hominis, & veri Dei, & apud doloſas interrogationes inuiolata eſſet humanitas, & apud ſancta obſequia manifeſta diuinitas.

Greg. Greg. hom. 8. in Ezech: Humani generis Redemptor, humanitatem quam deſcendendo ſub Angelis aſſumpſit aſcendendo ſuper Angelos exaltauit. Sic verò factum eum ſub Angelis dicimus, ſicut factum ſub lege prædicante Apoſtolo audiuimus. Aſſumptam ergo humanitatem ſub Angelis accipimus pro ea minoratione, in qua dignatus eſt apparere. Nam mox vt verbum caro factum eſt, mox Deus homo poteſtate ſuper Angelos fuit. De ipſo quippe ante paſſionem ſcriptum eſt: Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Sed tamen vt humanitatis eius infirmitas monſtraretur, ruſum de eo ſcriptum eſt: Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum. Indumento ergo vtriuſque naturæ huic & Angeli miniſtrare, hunc & Angelus confortare deſcribitur. Vnus quippe in vtraque natura. Quoniam qui Deus ante ſæcula extitit, homo factus eſt in fine ſæculorum. Cui tamen ante paſſionem ſuam, & Angeli miniſtrant, & hunc Angelus confortat. Poſt paſſionem verò, atque reſurrectionem eius, huic Angeli miniſtrare poſſunt: ſed iam hunc confortare non poſſunt. Et hom. 16. in Euangelia: Ex qua re quid aliud, quam vnius perſonæ vtraque natura oſtenditur? quia & homo eſt, quem diabolus tentat: & idem ipſe Deus eſt, cui ab Angelis miniſtratur. Gal. 3. Luc. 22. Greg.

Aug. lib. 2. de conſ. cap. 16: Item quod Lucas prætermiſit, Marcus non tacuit, quod Angeli miniſtrabant illi. Et lib. 9. de ciuitate cap. 21: Poſt illam vero tentationem, cùm Angeli ſicut ſcriptum eſt, miniſtrarent ei, boni vtique, & ſancti, ac per hoc ſpiritibus immundis metuendi, & tremendi, magis magiſque innoteſcebat dæmonibus, quantus eſſet vt ei iubenti, quamuis in illo contemptibilis videretur carnis infirmitas reſiſtere nullus auderet. Aug. Aug.

Quo modo, ait Aug. carnis infirmitatem in Chriſto viſam eſſe contemptibilem? quia inops, nudus, humili loco natus, ſine oſtentatione humanæ ſapientiæ, & ſimili cohorte hominum comitatus. Auct.

Baſil. cont. Eunom. lib. 5: Angeli deſcendentes miniſtrabant: vt ſeruitutem oſtenderent. Baſ.

Victo Satana, Angeli, qui fuerant ſpectatores, cibos ei vel à virgine Maria, vel aliunde, afferunt. Humanæ naturæ dignitatem hic attende: homo accumbit, & cœli cohortes ei miniſtrant.

CAP. 20. *Ad* IESVM *diſcipuli quidam accedunt.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 1.*
			In vig. S. Andreæ. 1 ALTERA die iterum ✠ ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo; & reſpiciens Ieſum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei. 2 Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum. 3 Conuerſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæritis?

Matt.	Mar.	Luc.	Ioan. 1.

4 Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum Magiſter) vbi habitas?
5 Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt vbi maneret; & apud eum manſerunt die illo. Hora autem erat quaſi decima.
6 Erat autem Andreas, frater Simonis Petri, vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum.
7 Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſſiam (quod eſt interpretatum Chriſtus) & adduxit eum ad Ieſum.
8 Intuitus autem eum Ieſus, dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.
9 In craſtinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum; dicit ei Ieſus: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethſaïda, ciuitate Andreæ, & Petri.
10 Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth.
11 Et dixit ei Nathanael: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni, & vide.

De Angelis.

12 T. VIDIT IESVS Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt. Dicit ei Nathánael: Vnde me noſti?
13 Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te.
14 Reſpondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael.
15 Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Quia dixi tibi, vidi te ſub ficu, credis: maius his videbis.
16 Et dicit ei: Amen, amen dico vobis: videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis. ✠. T.].

Not. 1.

Aug. AVG. lib. 2. de conſ. cap. 17. quæ præſenti capite ab Euangeliſta Ioanne ſcribuntur, cæteros Euangeliſtas prætermiſiſſe adnotauit.

Ver. 1. 2.

NON ſatis habuit Ioannes Baptiſta, ſuperiori atteſtatione facta de Chriſto cap. 15. 16. & 17. omnes Iudæos admonuiſſe: ſed iterum data ſibi occaſione, illum eſſe Meſſiam, omnibus palam aperuit. Quo audito ex diſcipulis eius duo, ſequi Ieſum cœperunt. (Primordia Eccleſiæ Chriſti.) Hæc primordia ſunt Eccleſiæ Chriſti Ieſu iam coaleſcere incipientis. (Chryſoſt.) Vnde Chryſoſt. Hom. 17. in Ioannem: Iterum inſtat Ioannes, & dicit: Ecce agnus Dei. Nihil Chriſtus, ſed ille omnia loquitur. Ita & ſponſus nihil ad ſponſam primo loquitur; ſed ſilet: alij ipſum oſtendunt; alij ſponſam accipiunt, quæ tantum monſtratur: neque à ſeipſo eam, ſed alio tradente accipit ſponſus. Cum vero traditam acceperit, ita ei afficitur, ita eam afficit, & talem reddit, vt minime amplius deſpondentium reminiſcatur. Ita Chriſtus venit, vt Eccleſiam componeret, ac ſibi coniungeret. Nullum ipſe verbum fecit; tantum præſto fuit: amicus eius Ioannes dexteram impoſuit ſponſæ, ipſe verba habuit, & hominum animas Chriſto tradidit. Quibus acceptis, ita formauit eas, vt non amplius ad Ioannem eſſet redeundum. Intuere hoc etiam loco, quod neque cum præcurſor Domini dixit: Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt. Neque cum: Non ſum dignus ſoluere eius corrigiam calceamenti; quenquam lucratus eſt. Verum cum de Chriſti generatione verba facere, & in humiliorem ſermonem deſcendere cœpit, tunc ſecuti ſunt diſcipuli. Vnde animaduertendum eſt, quod non tam multi ad Chriſtum ſectandum adducuntur, quando magnum aliquid, & altum de Deo dicitur; ſicut cum ad humiliora, & ad auditorum ſaluti accommodatiora deſcenditur. Tantum Chryſoſt.

Not. 2. ver. 5.

ETSI verſu 5. dicantur apud Ieſum diſcipuli duo manſiſſe; non ſic tamen Domino videntur modo adhæſiſſe, vt ad ſua poſtmodum non redierint: quia ſtatim ſequitur, Simonem ab Andrea inuentum, & adductum ad Redemptorem. Cæterum in Ieſu familiam, & perpetuum comitatum iam fuiſſe aſſumptos, inde videtur colligi, quod hic abſoluta ſit Philippi vocatio,

catio,& aſſumptio:& ex Ioannis narratione appareat Dominum ex nunc diſcipulos continuo habuiſſe; & inter eos fuiſſe etiam ipſum Ioannem,& Iacobum: quamuis nec ſe; nec fratrem hic nominet. Perſpicuum eſt enim ex ſermone, quem Petrus Act. 1. cap. habuit, Dominum à Ioannis baptiſmate multos habuiſſe diſcipulos. Nec dubium eſt, quin hi, de quibus iſto capite agitur, & primi, & maxime fuerint perſeuerantes, quique Dominum ſemper comitati ſint; ac omnia viderint, etiam quæ primo anno geſta ſunt: & Ioannes non niſi à ſe viſa miracula narrat: ſeque id, quod capite 22. verſu 6. dicitur: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud; cum alijs audiuiſſe indicat. Vnde Chryſoſt. hom. 17. in Ioannem dicit hos diſcipulos, cum vno tantum veſpere Chriſtum audiſſent, ei ſic affixos fuiſſe, vt non amplius ad Ioannem reuerterint. Chryſoſt.

Not. 3. ver. 8.

Simoni quando nomẽ Petri ſit inditum. Aug.

Hoc loco Simon à Domino Petri nomen accepit: non Matt. 16. Mar. 3. aut Luc. 6. Sic enim habet Aug. lib. 2. de conſ. cap. 17. Sigillatim à Chriſto nomen,& primus,& ſolus Petrus accepit. Nam filios Zebedæi non ſigillatim: ſed ſimul ambos, appellauit filios Tonitrui. Non eſt autem contrarium ei loco, vbi Matthæus narrat Dominum dixiſſe Petro: Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: neque enim hoc nomen tunc accepiſſe intelligendus eſt: ſed tunc potius, quando Ioannes ei dictum eſſe commemorat: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus: Vt cum hoc nomine appellaret poſtea Dominus,dicens: Tu es Petrus: non enim ait: Tu vocaberis Petrus; ſed: Tu es Petrus: quod ei iam dictum erat antea: Tu vocaberis. Et cap. 53: iam etiam ipſe me recolo dixiſſe, ne quis arbitretur, quod Petrus ibi nomen accepit, vbi Dominus illi ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Non enim accepit hoc nomen, niſi vbi Ioannes commemorat ei dictum eſſe: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Vnde nec illo loco, vbi Marcus duodecim diſcipulos nominatim commemorans, dixit appellatos Iacobum, & Ioannem filios Tonitrui, arbitrandum eſt, nomen accepiſſe Petrum: quia dixit illic, quod impoſuerit ei nomen, vt vocaretur Petrus. Hoc enim recolendo dixit: non quod tunc factum ſit. Et lib. 4. cap. 3: De nominibus diſcipulorum iam & antea me locutum ſcio, & hic rurſus admoneo, ne quiſquam putet accepiſſe nomen in Marco Simonem, vt Petrus vocaretur, & ſit contrarium Ioanni, qui longe ante illi dictum eſſe commemorat: Tu vocaberis Cephas,quod interpretatur Petrus. Ipſa enim verba Domini commemorauit, quibus ei nomen impoſuit. Marcus autem id recapitulando commemorauit, cum ait: Et impoſuit Simoni nomen Petrus. Cum enim vellet nomina duodecim Apoſtolorum enumerare, & neceſſe haberet Petrum dicere, Aug. Aug.

breuiter inſinuare voluit, quod non hoc antea vocaretur; ſed hoc Dominus nomen impoſuerit, non tunc, ſed quando Ioannes ipſa verba Domini poſuit. Hactenus Aug.

Not. 4. ver. 9.

Hic, de quo verſu nono agitur, primus eſt Chriſti reditus, ex Iudæa in Galilæam, à ſuo baptiſmate: cuius Euangeliſtarum nullus meminit, præter Ioannem, vt notat Auguſtinus lib. 2. de conſ. cap. 18. & Aquinas ex Remig. in cate. Matt. 4. Aug. Tho. Rem.

Ver. 10.

Rvpertvs, & quidam alij putant Nathanaelem, de quo verſu 10. & alijs ſequentibus fit mentio,eundem eſſe cum Bartholomæo: ſed Auguſtino tutius aſſentimur tractatu 7. in Ioannem, & in Pſ. 65. vbi cenſet,quod eſſet legis doctor, non fuiſſe aſcitum inter Apoſtolos. Rup. Nathanael non eſt Bartholomæus. Aug.

Ver. 11.

Hieron. Eſa. 65: Vt nequaquam feſtinent abſque ratione credere: ſed imitantur Nathanael, qui Domini voce laudatus eſt. Qui Chriſtum auctoritate ſcripturarum quærebat, & de prophetis cupiebat agnoſcere, dicens: De Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Et eſt ſenſus: Quo modo mihi Meſſiam adducitis de Galilæa,& Nazareth, quem ego de Bethleem Iuda ſcio eſſe promiſſum? Apoſtoli igitur,& Apoſtolici viri, ita filios generabunt, vt de ſcripturis ſanctis inſtruant,vt non imitentur maledictionem Iudæorum. Hier.

Ver. 12.

Hieron. in cap. 2. ep. ad Epheſ: Nathanaelis occultum Iudaiſmum Dominus intuens, ait: Ecce vere Iſraelites,in quo dolus non eſt. Hier.

Ver. 13.

Hieron. Ioel. 1: Ficus elanguit, ſub qua fuit,antequam crederet, Nathanael. Hier.
Intelligendum eſt, dies aliquot interceſſiſſe, quibus illa de diſcipulis geſta ſunt, quæ hic à Ioanne interponuntur, ſi Auguſtino lib. 2. de conſ. cap. 17. credimus. Aug.

Not. 5. ver. 16.

Fvlg. lib. 1. ad Traſim. cap. 18: Ieſus, vt plenum pietatis ſuæ myſterium demonſtraret, non ſolum id, quod de patre naturaliter ſemper eſt, libenter audiuit: ſed etiam quod ex muliere miſericorditer factus eſt, euidentiſſime prædicauit, dicens: Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis. Fulg.

CAP. 21. *In nuptiis aquam* IESVS *in vinum conuertit.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 2.*
			Dom. 2 poſt Epiph.

Ioan. 2.

Dom. 2 poſt Epiph.

1 [ET die tertia ✠ nuptiæ factæ ſunt, in Cana Galilææ.
Et erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, &
diſcipuli eius ad nuptias.
2 Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non
habent.
3 Et dicit ei Ieſus: Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum
venit hora mea.
4 Dicit mater eius miniſtris: Quodcunque dixerit vobis, fa-
cite.
5 Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum
purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas bi-
nas, vel ternas.
6 Dicit eis Ieſus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas
vſque ad ſummum. Et dicit eis Ieſus: Haurite nunc, & ferte
Architriclino. Et tulerunt.
7 Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factam,
& non ſciebat vnde eſſet. Miniſtri autem ſciebant, qui hau-
ſerant aquam, vocat ſponſum Architriclinus, & dicit ei:
8 Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum ine-
briati fuerint, tunc id, quod deterius eſt: tu autem ſeruaſti
bonum vinum vſque adhuc.
9 Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ. Et
manifeſtauit gloriam ſuam. Et crediderunt in eum diſcipu-
li eius. ✠

Not. 1.

Diſpoſitionis ratio. POST recenſitam de Nathanaele hiſtoriam, quid ſubinde tertio die à Chriſto, in Galilæa exiſtente, actum ſit, Euangeliſta Ioannes hic enarrat. Hoc autem miraculum, quo vocatus ad nuptias, diuinam virtutem, aqua in vinum commutata, Ieſus prodidit, eodem quo nos ordine collocarit *Aug.* Auguſtinus lib. 2. de conſ. cap. 17. *Tatia.* Tatianus, & alij: Euangeliſtasque cæteros illud prætermiſiſſe notat ibidem *Aug.* Auguſtinus.

Porro ſua præſentia, & primo miraculo, nuptiarum ſacramentum conſecrat. Id factum die 6. Ianuarij ſcribit *Epiph.* Epiph. hæreſi 51. quod etiam Eccleſia anniuerſaria celebritate confirmat. *Aug.* Auguſtinus dominicum diem fuiſſe aſſerit ſerm. 154. de temp. Hic ea pars Euangelicæ hiſtoriæ incipit, in qua teſtimonio Chriſtus, quod per ſeipſum fecit, manifeſtatur. Prius enim de verbi declaratione, per teſtimonium, quod ab alio datum eſt, agitur. Et quamuis diuinum ſit humano præſtantius; ideoque præmittendum videatur: tamen quoad nos, & noſtram ad verbum inductionem, prius eſt teſtimonium alterius proprio. Sicut enim per lucernam venitur ad lucem: ita per Ioannem ad Chriſtum, & hunc ordinem Euangeliſta ſecutus eſt, ſicut docet *Aug.* Auguſt. initio ſerm. 43. de verbis Domini.

Cyr. Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 22. Opportunè iam ad ſignorum initium accedit. Nam honeſtè celebratis nuptijs, tam mater, quam ipſe, cum diſcipulis inuitatus adeſt; miraculi potius, quod acturus erat, quam conuiuij gratia profectus. *Cur nuptiis Chriſtus interfuit.* Et ad hæc vt natiuitatis noſtræ principium, quantum ad carnem attinet, ſanctificaret. Oportebat certe, quoniam totam naturam hominis ad melius reſtaurabat non ſolum natis iam hominibus benedicere; verum etiam naſcituris gratiam præparare; & aditum illorum ad hanc vitam auctoritate miraculi, & præſentia ſua ſanctum efficere. Præterea in doloribus parere filios, ad mulierem propter peccatum dictum fuit. Quomodo igitur aliter hæc depellenda maledictio erat, ne cōdemnata nuptiarum ſanctimonia videretur, quam Saluatoris præſentia? Qui cum ſit verum gaudium, priſcum nuptiarum mœrorem, præſentia ſui depulit.

Et cap. 26: Multa, & magna eodem ſigno peragebantur: ſanctificabantur nuptiæ: maledictio mulierum, initio noſtri ortus benedicto, deſtruebatur; gloria Saluatoris, quaſi ſolis radius, effulgebat: Diſcipulorum denique fides roborabatur.

Max. Maximus hom. 1. in Epipha. Dom: Ad illud præcipuum Chriſti miraculum veniamus, quo, pro documento deitatis ſuæ, aquas vertit in vinum. Inuitatus itaque Dominus, perrexit ad nuptias: ſed vt dignaretur hoc virginis filius, noſtræ eruditionis eſt ratio: vt hoc docti exemplo, legittimarum illum nuptiarum non negemus auctorem. Vadit ergo ad nuptias Dei filius, vt quas dudum poteſtate conſtituit, nunc præſentiæ ſuæ benedictione ſanctificet. Vadit ad nuptias veteris inſtituti, nouam ſibi perpetuæ

tuæ virginitatis ſponſam, gentium de conuerſione, facturus. Vadit ad nuptias, quem nuptiæ non cicarunt. Vadit ad nuptias, non vtique vt conuiuijs delectetur; ſed vt mirabilibus innoteſcat. Vadit ad nuptias, non ſumpturus pocula, ſed daturus.

Aug.

Aug. lib. 2. de conſ. cap. 17: Si tunc in eum crediderunt diſcipuli, nondum erant diſcipuli cum ad nuptias vocati ſunt. Sed illo more locutionis hoc dictum eſt, quo loquimur cum dicimus Apoſtolum Paulum in Tarſo Ciliciæ natum. (Act. 22.) Neque enim tunc iam erat Apoſtolus. Ita diſcipulos Chriſti inuitatos ad nuptias cum audimus, non tam diſcipulos, ſed qui futuri erant diſcipuli, intelligere debemus. Iam enim vtique diſcipuli Chriſti erant, quando iſta narrata, atque conſcripta ſunt. Et ideo ſic de illis locutus eſt temporum præteritorum narrator. (Diſcipuli Chriſti qui fuere) Sane animaduertendum eſt, quod ſcriptura Euangelica, & Apoſtolica, non ſolum illos duodecim appellat diſcipulos eius, ſed omnes qui in eum credentes, magiſterio eius ad regnum cœlorum erudiebantur. Ex quorum multitudine elegit duodecim, quos & Apoſtolos nominauit, ſicut Lucas commemorat. (Luc. 6.) Ipſe quippe paulo poſt ait: Et deſcendens cum illis ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius, & multitudo copioſa plebis. Non vtique diceret turbam diſcipulorum homines duodecim. Alijs quoque ſcripturarum locis hoc euidenter apparet, diſcipulos eius omnes appellatos, qui ab eo diſcerent, quod ad æternam vitam pertineret. Vide eundem tract. 9. in Ioan. & lect. 7. 8. 9. Dom. 2. poſt Epiph. (Aug.) Tamen non male dicitur Chriſtus iam aliquos habuiſſe diſcipulos, etſi non diu ante: inter quos probabile eſt fuiſſe Ioannem, Iacobum, Petrum, Andream, Philippum, Nathanaelem, & forte alios. Nec videtur Ieſus cum ſuis diſcipulis ex præmeditato inuitatus ad nuptias; ſed cum ipſo die nuptiarum adeſſe intelligeretur, ad eas cum ſuis diſcipulis vocatus eſt.

Hier. Cana.

Hiero. lib. de locis Hebraicis tradit eſſe oppidum Galilææ gentium, hoc primo Chriſti miraculo nobilitatum.

Greg.

(Nuptiæ ſpirituales à luctu incipiunt, & in lætitia terminantur: contra vero carnales.) Greg. lib. 4. Dialog. cap. 13: Galla nobiliſſima puella dum feruente mundi copia ad iterandum thalamum, & opes, & ætas vocaret, elegit magis ſpiritalibus nuptijs copulari Deo, in quibus à luctu incipitur, ſed ad gaudia æterna peruenitur, quam carnalibus nuptijs ſubijci, quæ à lætitia ſemper incipiunt, & ad finem cum luctu tendunt.

Chryſoſt.

Chryſoſt. hom. 1. in Pſal. 50: Nuptijs ipſe Dominus interfuit, & pietatis ſuæ largitus munera, aquam commutans in vinum figuraliter oſtendebat, vt interceſſu virginitatis, nuptiæ, quę quaſi generales, & licitæ ſunt, nutu Dei palmam abſtinentiæ mererentur. Et hom. 42. in Acta Apoſt: Si volueritis, domus duas depingemus, vnam habentium nuptias; alteram in luctu agentium. Ingrediamur conſideratione vtramque; videamus vtra melior. Inuenietur enim lugentis domus plena philoſophiæ: domus autem nuptiarum, referta fœditate. Vide enim turpia illic verba, riſum incompoſitum, ſeſſiones magis incompoſitas; veſtem & greſſum plenum turpitudine, & geſtus ſtultitiam, & inſipientiam præ ſe ferentes; omnia illic riſum, & ridicula, non ipſas nuptias dico, abſit; ſed ea, quæ in nuptijs fiunt. Inſanit tunc natura præſentes pro hominibus bruta fiunt, & alij quidem vt equi hinniunt, alij verò vt aſini calcitrant. Magna diffuſio, magna diſſolutio; nihil maturum, nihil generoſum. Magna ibi diaboli pompa, cymbala, tibiæ, & cantica plena ſcortationum, ac adulteriorum.

Hiero. Hieron. lib. 1. aduerſ. Iouinian: Cum cæteris, antequam pateretur, Iudaicam conſuetudinem comprobat, ne illis occaſionem, iuſtè ſe interficiendi, tribuere videretur, quaſi legem deſtruens, damnanſque naturam.

Auct. (Cuius fuerint hæ nuptiæ, ſponſum fuiſſe Chriſti cognatum, ſponſum non fuiſſe Ioannem Euangeliſtam.) Porro veriſimili coniectura creditũ eſt, eiuſmodi nuptias fuiſſe alicuius, qui Chriſto eſſet aliqua cognatione cõiunctus. Proditum eſt à nonnullis, has fuiſſe nuptias Ioannis Euangeliſtæ, qui cum duxiſſet vxorem, & nuptias celebraſſet, viſo miraculo de aqua in vinum per Chriſtum mutata, coniugem dimiſerit, ac Chriſtum ſecutus fuerit. Verùm hæc ſunt commentitia, & nuper excogitata: cum penes antiquos patres nulla prorſus de his mentio habeatur. Si hæc ſciſſent veteres, quantum putas negotij feciſſet Iouinianus hæreſiarcha Hieronymo? (Hiero. l. 1. cont. Iou.) qui tam pertinaci animo, Ioannem Apoſtolum virginem fuiſſe negabat, ſi quoquo modo, vel per coniecturam ſaltem, has nuptias fuiſſe Ioannis dicere potuiſſet? Nunquid adieciſſet, quis ſecreta thalami ſcrutari valuit, vt Ioannem adhuc poſt nuptias virginem permanſiſſe dicat? quomodo & Manichæi, qui & apocrypha quæcunque aduerſus nuptias congerere ſoliti ſunt, tam optata non ſunt vſi occaſione, (Aug. cont. Fauſt l. 30. c. 4.) vt ex direpto Ioannis coniugio, Chriſtum odiſſe nuptias affirmarent: qui & Paulum in exemplum adducerent, quod ſua prædicatione Theclam ſponſo oppignoratam, è nuptijs terrenis diuulſerit? Certè tantum abeſt vt hæc de Ioannis nuptijs illi vel ſaltem meditarentur, vel à patribus qualibet alia occaſione eadem dicerentur, vt potius ex iiſdem nuptijs, quibus Saluator ſui auguſtiſſimam præſentiam exhibuit, contrarium prorſus aſtruerent atque firmarent: nimirum Chriſtum probaſſe nuptiarum ſacramentum ac ſuamet prę̄ſentia conſecraſſe. Quod igitur vulgo fertur, Ioannem fuiſſe ſponſum in his nuptijs, veteribus incognitum fuiſſe videtur. Cæterum de cœlibatu Ioannis, (Ioannem fuiſſe virginem.) quod nunquam contraxerit nuptias, ſed virgo ſemper fuerit, non tantum Hieron. cont. Iou. lib. 1. agens, ſed & Ignatius ep. ad Philad. aſſertor eſt. Idipſum vero non tantum de Ioanne, ſed etiam de Iacobo Epipha. hære. 58. teſtatur, dicens ambos Zebedęi filios in virginitate manſiſſe. Quibus Auguſtinum in Ioannem tract. 124. conſentire nemo ſanę mentis non viderit, dum ait, ea de cauſa Ioannem à Chriſto plus cæteris amatum, quod neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia caſtiſſimus

mus vixerit. Et lib.de bono coniugali cap.21. Ioannem ait nuptias expertum non eſſe, & continentiam in opere,& non tantum in habitu habuiſſe. Quod ſi apocryphis interdum vti licet, apud Abdiam habetur eundem Ioannem Chriſti perſuaſione nunquam coniugium appetiſſe. Ambroſ. quoque de inſtit.virg.cap.7. dicit Ioannē Apoſtolum neſciuiſſe coniugium. Verum vnde commentum illud de Ioannis nuptijs eſt deductum? Auguſtinus præfatione in Ioannis Euangelium, dicit Ioannem à Domino de fluctiuaga nuptiarum tempeſtate vocatum; quod in eum ſenſum accipiunt iſti: quaſi Ioannes obligatus nuptijs à Chriſto vocatus fuerit: non animaduertentes ſic Auguſtinum dixiſſe vocatum à nuptijs, non quod cum vxorem duxiſſet, ſeu coniugio ſe obligaſſet, eam relinqueret; ſed quod eam prorſus non acceperit: prout idem Auguſtinus in fine eiuſdem operis apertè teſtatur. Nec aliud ab his de Ioanne Auguſtinum ſenſiſſe, exploratiſſimum eſt, nam hunc locum de nuptijs explicans (quod in primis dicendum fuiſſet) nullam prorſus mentionem de Ioanne habuit. Qua in re potius Nicephoro lib. 8. hiſt. cap.30. aſtipulamur, affirmanti, fuiſſe eiuſmodi nuptias Simonis Cananæi, qui vnus ex duodenario Apoſtolorum numero Zelotes eſt dictus.

Erroris huius occaſio.

Niceph.

Simon fuit ſponſus.

Not. 2. ver. 2.

Cypr.

CYPR. ep. 63: Quia apud Iudæos defecerat gratia ſpiritualis, defecit & vinum.

Dignum hoc in loco quæſitu eſt, vnde in mentem Matri venerit, magnum aliquid de filio coniectari: nullum enim adhuc ſignum fecerat. Hoc enim fecit, inquit, initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ. Quod ſi quis diceret, non idoneum hoc argumentum, quod primum ſignum fuerit; quoniam additum ſit: in Cana Galilææ: ac ſi diceret, non omnium primum; ſed eorum, quæ illic fecerat. Ad hoc reſpondebimus, quod ſuperius, inquit Ioannes: Ego neſciebam eum: ſed vt manifeſtetur Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans. Nam ſi antea miracula feciſſet, non indiguiſſet Iſrael, qui ipſum manifeſtaret. Vir enim factus, miraculorum multitudine, non Iudæis modo, ſed & Syris, & longinquiora incolentibus, cognitus eſt, tribus annis duntaxat, imo ne tribus quidem indiguit: ſed quam primum nomen eius in omnes diffuſum eſt. Qui igitur tam breui miraculis claruit, longe magis à prima infantia, ſi ea feciſſet: fuiſſet enim maiori admirationi, vtpote puer, quam vir; neque tam diu in obſcuro latuiſſet: ſed nihil à pueris operatus eſt. Vnum autem duntaxat Lucas teſtatur: quod annorum duodecim ſediſſet in templo medius Doctorum, & audiens, & interrogans, fuiſſetque ſummæ omnibus admirationi. Nec immeritò à teneris annis Ieſus à miraculis abſtinuit: arbitrati enim eſſent ſe præſtigia videre. Nam ſi annorum acceſſu, & ætate maturo, multi id ſuſpicati ſunt, quid de puero credidiſſent? præterea magis turius eum propter inuidiam crucifixiſſent; & generatio eius non fuiſſet credita. Vnde igitur Matri venit in mentem, aliquid magnum excogitare de filio? Manifeſtari iam cœperat & Ioannis teſtimonio, & ex his quæ diſcipulis prædixerat, & ante hæc omnia, ipſa natiuitas, & quæ eo tempore euenerant, maximam de puero opinionem concitarant. Audiebat enim, inquit, omnia de puero, & conſeruabat ea in corde ſuo. Sed quid, antea nihil huiuſmodi dixit? Quoniam, vt dixi, iam manifeſtationis tempus aduentabat. Antea enim cum tanquam ex medio vulgo aliquis conuerſatus eſſet, nihil adhuc tale Mater auſa fuerat. Verum cum Ioannem ad perhibendum de eo teſtimonium veniſſe audiſſet, ac teſtimonium perhibuiſſe, & diſcipulos iam videret, cœpit audere. Et deficiente vino dicit: Vinum non habent. Ita Chryſoſt. hom. 2. in Ioan. & Theophylact. & Euth. Ioan. 2.

Chryſoſt. Theop. Eut.

Amb. ſerm. 16. in Pſal. 118: Illa rogabat pro nobis, illa feſtinabat, dicens: Vinum non habent.

Aug.

Bern. ſerm. 1. Dom. 1. poſt octa. Epiph: Compaſſa eſt eorum verecundiæ, ſicut miſericors, ſicut benigniſſima. Et de gradib. humilitatis: Diſce & in matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere: in magna fide verecundiam retinere. Diſce verecundia decorare fidem, reprimere præſumptionem. Vinum, inquit, non habent. Quam breuiter, quam reuerenter ſuggeſſit, vnde pie fuit ſollicita. Et vt diſcas in huiuſmodi magis piè gemere, quam petere præſumptuoſè, pietatis æſtum pudoris vmbra conceptum precis fiduciam verecundè ſuppreſſit. Non frontosè acceſſit, non palam locuta eſt, vt audacter coram omnibus diceret: Obſecro fili, deficit vinum, contriſtantur conuiuæ, confunditur ſponſus, oſtende quid poſſis. Sed licet hæc, aut multo plura pectus æſtuans, ferueus loqueretur affectus: priuatim tamen potentem pia filium Mater adijt, non potentiam tentans, ſed voluntatem explorans. Vinum, inquit, non habent. Quid modeſtius, quid fidelius? Non defuit pietati fides, voci grauitas, efficacia voto. Si ergo illa cum Mater ſit, ſe Matrem oblita, non audet petere miraculum vini: Ego vile mancipium, &c. Et ſer. de verb. Apoc. Signum magnum, &c: Pudibunda fuit Maria: ex Euangelio id probamus: vbi enim aliquando loquax, vbi præſumptuoſa fuiſſe videtur? Foris ſtabat, quærens loqui filio, nec materna auctoritate, aut ſermonem interrupit, aut in habitationem irruit, in qua filius loquebatur. In omni denique textu quatuor Euangeliorum (ſi bene meminimus) non niſi quater Maria loquens auditur. Primo quidem ad Angelum; ſed cum iam ſemel, atque iterum allocutus eam fuiſſet. Secundo ad Elizabeth, quando vox ſalutationis eius Ioannem exultare fecit in vtero: & ea magnificante Mariam, ipſa magis Dominum magnificare curauit. Tertio ad filium, cum iam eſſet annorum duodecim, quod ipſa, & pater eius dolentes quæſiſſent eum. Quarto in nuptijs ad filium, & miniſtros. Et is quidem

Bern.

Bern.

Bern.

cap. 5.

Maria quater locuta inuenitur.

Mariæ ſei-[illegible] qualis [illegible].

quidem ſermo, certiſſimus index ingenitę manſuetudinis, & virginalis verecundiæ fuit: aliorum quippe verecundiam, ſuam reputans, ſuſtinere non potuit: non potuit vini diſſimulare defectum. Vbi ſane increpata à filio, tanquam mitis, & humilis corde, nec illi reſpondit, nec tamen deſperauit, miniſtros admonens facere, quod diceret eis.

Metaph.

Simeon Metaphraſtes in orat. de vita B. Virginis: Vide hic quoque Dei Matris inſignem moderationem, & prudentiam: nec enim iubet audacter, tanquam Mater filio, vt faciat miraculum; ſed eum ſolummodo admonet, idque cum magna quadam reuerentia, & ſubmiſſione: Vinum non habent. Nam etſi ea illum eſſe ſuum cognoſcebat filium, non tamē ignorabat eſſe ſuum quoque creatorem.

Not. 3. ver. 3.

Greg.

GREG. epiſt. 42. lib. 8: Neque enim Ieſus, Angelorum Dominus, horæ ſubiectus erat, qui inter cuncta quæ creauerat, horas & tempora fecerat. Sed quia mater virgo, cùm vinum defuit, per eum miraculum fieri volebat, ſtatim ei reſponſum eſt: quid mihi, & tibi mulier? ac ſi apertè diceret: vnde facere miraculum poſſum hoc mihi ex patre, non ex matre eſt. Ex matre enim mori poterat, qui ex natura patris miracula faciebat. Vnde & in cruce poſitus eandem matrem moriens recognouit, quam diſcipulo commendauit, dicens: Ecce mater tua. Ait ergo: Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea; Quod eſt dicere: in miraculo, quod ex tua natura non habeo, te minimè recognoſco. Sed cùm hora mortis venerit, cognoſco te matrem: quia vnde mori poſſum, hoc ex te habeo.

Vt [illegible] dicat.

Ratio [illegible] matri Chriſtus duriuſcule reſpōdent [illegible] ſenſ. Ioan. 19.

Bern.

Bern. ſerm. 2. Dom. 1. poſt octa. Epiph: Quotiens mihi neceſſe eſt, fratres, poſt lachrymoſas querimonias veſtras, exorare matrem miſericordiæ, vt ſuggerat ſuo benigniſſimo filio, quoniam vinum non habeatis? & ipſa, dico vobis, chariſſimi, ſi piè à nobis pulſata fuerit, non deerit neceſſitati noſtræ: quoniam miſericors eſt, & mater miſericordiæ. Nam ſi compaſſa eſt verecundiæ illorum, à quibus fuerat inuitata: multo magis compatietur nobis, ſi piè fuerit inuocata. Placent enim illi nuptiæ noſtræ, & pertinent ad eam, multo amplius illis: nimirum de cuius vtero, tanquam è thalamo ſuo, cœleſtis ſponſus proceſſit. Sed quem non moueat, quod in nuptijs illis reſpondit Dominus benigniſſimæ, ac ſanctiſſimæ matri ſuæ, dicens: Quid mihi, & tibi eſt mulier? Quid tibi, & illi Domine? nonne quod filio, & Matri? quid ad illam pertines, quæris, cum tu ſis benedictus fructus ventris eius immaculati? nonne ipſa eſt, quæ ſaluo pudore concepit, & ſine corruptione te peperit? nonne ipſa eſt, in cuius vtero, nouem menſibus moratus es? cuius virgineis vberibus lactatus es? cum qua iam duodecim annorum factus de Hieruſalem deſcendiſti, & eras ſubditus illi? Nunc ergo, Domine, quid moleſtus es illi, dicens: Quid mihi, & tibi? Multum per omnem modum. Sed maniteſte iam video, quod non velut indignans, aut confundere volens virginis Matris teneram verecundiam, dixeris: Quid mihi, & tibi? cum venientibus ad te, iuxta matris præceptum, miniſtris, nihil cunctatus, facias quod illa ſuggeſſit. Vt quid ergo, fratres, vt quid ſic reſpondeat prius? vtique propter nos, vt conuerſos ad Dominum, non iam ſollicitet carnalium cura parentum: & neceſſitudines illæ, non impediant exercitium ſpirituale. Quamdiu enim de mundo ſumus, debitores nos conſtat eſſe parentibus, at poſtquam reliquimus noſmetipſos, multo magis ab eorum ſollicitudine liberi ſumus. Vnde & legimus, fratrem quendam in eremo conuerſantem, cum ad eum carnalis frater auxilij gratia aduentaſſet, reſpondiſſe, vt adiret alterum fratrem eorum, cum ille vtique iam obijſſet. Cumque admiratus, qui venerat, reſponderet, quia ille obijt: Eremita ſe quoque ſimiliter obijſſe reſpondit. Optimè ergo nos docuit Dominus, ne ſolliciti ſimus ſuper propinquis carnis noſtræ, plus quam religio poſtulet, quando ipſe Matri, & tali Matri reſpondit: Quid mihi, & tibi eſt mulier? Sic & in alio loco cum ſuggereret ei quidam, quoniam foris ſtaret cum fratribus Domini, quærens ei loqui, reſpondit: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Vbi modo ſunt, qui tam carnaliter, & inaniter ſuper carnalibus propinquis ſuis ſolent eſſe ſolliciti, ac ſi adhuc viuerent & ipſi cum eis? Et ſer. 1. Dom. 1. poſt octa. Epiph. Durior fortaſſe, & auſterior videri poſſet reſponſio Domini, ſed nouerat ille cui loqueretur: & quis loqueretur, illa non ignorabat. Quid mihi, & tibi? alia reſponſionis huius cauſa, afferri poteſt, non minus neceſſaria, ne qua in miraculo ſuſpicio oriretur. Ab indigentibus enim, non à Matre id quęrendum erat. Quoniam quæ familiarium precibus impetrantur, quamuis magna, raro tamen eorum prædicationibus augentur: indigentium laudes, cum quid impetrarint, omni vacant ſuſpicione: nihil ab his ſimulatur, & nulla inde vtilitas prouenit. Ille ergo Matrem non incongrue increpat. Dicit enim, ſi non adeſt vinum, oportebat illos ipſos, quibus decet, accedere, & rogare, & non te Matrem. Nam quandò commonentur à domeſticis, ſcandalum fit videntibus: quando autem hi rogant, qui opus habent, ſuſpicione res caret. Quid mihi, & tibi? ac ſi dicat: Quid ad nos attinet id, pro quo deprecaris? quid ita nos vrget? Poteſt & ſic intelligi: Quid mihi tecum eſt commune? Ego ſiquidem, vtpote Deus, noui quæ tempora edendis miraculis ſint congrua. Itaque non ſunt hæc liberius ad Matrem loquentis, ſed diuinæ diſpenſationis verba, vt admoneret, pro dignitate facienda miracula. Quod enim vehementer ipſam, & præ cæteris amaret, & reuereretur, aſperiora hæc verba, & indignatio demonſtrat. quonam pacto? in ſequentibus dicemus. Ita Chryſoſt. hom. 20. in Ioan. Euth. & Theoph. Ioan. 2.

Cur Matri Chriſtus duriuſcule reſpondeat. Ratio 2. 3 ſenſ.

Exemplū notabile.

Bern.

Ratio 3.

Bona expoſitio 1.

Chryſoſt. Eut. Theop.

Iuſtinus

Iuſtin. Parentes aſpernari ſacris litteris eſt interdictũ.

Inſtinus Martyr hanc mouet quæſtionem: ſi diuina ſcriptura, ne parentes negligantur, & repudientur, vetuit; & qui eorum, quæ vetuit, fit particeps, peccator nominatur; quomodo Chriſtus, qui in diuerſis locis parentes contempſit, & neglexit, à peccato abhorrere oſtenditur? Nam & in nuptijs, ex eo quod Matri ait: Quid mihi, & tibi mulier? eam obiurganit: & cum cum Mater videre voluit: matrem, & fratres eos, qui voluntati ſuæ parerent, appellauit: & cum alias, quæ eum portaſſet, beata diceretur, & mammæ, quas ſuxiſſet, beatæ; ipſe eos, qui Dei voluntati, præceptiſque obtemperatent, beatos eſſe dicebat. Quæ quidem omnia, per Matris contumeliam ab eo dicta eſſe exiſtimantur; quod cum ipſius mater nominata ſit, & beata appellata, ad eius diſtinctionem, alios beatos eſſe dixerit. Perſpicuum autem ſit eam diſtinctionem, quæ contra adhibeatur, in rebus contrarijs intelligi: præſertim cum, ſi ad ſanctæ Virginis diſtinctionem dixit, quam ad tantæ, vt

Ratio 3.

ita dicam, diſpenſationis officium delegit, qui fiat vt indigna beatitudine, ex ijs, quæ dicta ſunt, habita ſit, & iudicata? Si vero ea, quæ dicta ſunt, inter ſe ſunt contraria, quomodo non ea, quæ ſunt inter ſe contraria, mutuam euerſionem accipiunt? Explicatio. Illud, quid mihi,

1. expoſitio Bon.

& tibi rei eſt mulier? non obiurgandæ matris cauſa à conſeruatore dictum eſt: ſed vt hoc declararet; ne nos dicant eos eſſe, qui nobis vinum in nuptijs conſumptum curæ eſſe polliciti ſimus: tamen abundantia amoris, ſi vis, ne vinum eis deficiat, dic miniſtris, vt ea, quæ iubeo, faciant: tumque experiere vinum eis non defuturum. Quod etiam factum eſt. Non igitur verbo Matrem obiurgauit, aut caſtigauit, quam re honorauit. Alijs autem in verbis, non Matrem debito honore fraudat: ſed docet, qua, vt ita dicam, ex maternitate Virgo ſit Beatiſſima.

Verbis Chriſtus Matrem non increpuit, quam operibus cohoneſtauit.

Si enim is, qui verbum Dei, & audit, & ſeruat, Dei eſt frater, & ſoror, & mater, quorum vtrumque in eius Matre inerat, perſpicuum eſt, Matrem ipſius, ex hac matris ratione, beatam dici oportuiſſe. Audire enim verbum Dei, & cuſtodire, virtutis eſt, mundique animi, qui totus Deum intuetur. Et quoniam non quamuis mulierem Deus delegit, quæ Chriſti mater fieret; ſed quæ cæteras mulieres virtutibus anteiret; idcirco etiam Chriſtus ab ea virtute Matrem ſuam beatam dici volebat, ex qua digna habita eſt, quæ virgo mater fieret. Chriſtum autem intelligi nihil feciſſe vſquam per parentum ignominiam, aut negligentiam Lucas Euangeliſta declarat his verbis: Deſcendit, & abijt Hieroſolymis Chriſtus cum Maria, & Ioſeph, eiſque ſubiectus erat, & obediebat. Hæc Iuſtinus Martyr quæſt. 136. In his Chriſti verbis, quibus Matri ſuæ reſpondet, prima quidem fronte, aliquid ſubaſperum, & duriuſculum eſſe agnoſcimus. Quare notarunt Patres Chriſtum non tam ſuæ Matris, quam aliorum cauſa, ſic eſſe locutum. Vt enim alias ſemper, ita nunc etiam Domino cum Matre chariſſima, & probiſſima perbelle conueniebat: ipſeque vt filius omnium obſequentiſſimus, illam & vnice diligere, & pijſſime venerari nunquam intermittebat.

Ratio 1. Duplex ſenſ. reſponſionis Aug.

Certi ſacramenti gratia, inquit Auguſtinus tractatu octauo in Ioannem, videtur Matrem non agnoſcere. Docet igitur contra futuros hæreticos, hoc reſponſo, ſe maius habere aliquid, quam quod ex Maria ſumpſiſſet: ſeque non ſolum illius, ſed & Dei filium eſſe: ac diuinam

1 ſenſ.

quidem naturam ſine matre, ſine tempore, perfecte ſibi conſtare: ac etiamnum in carne libere operari. Docet miraculorum patrandorum auctoritatem, non ab humanis affectibus, neque à Matre quidem, ſed à diuina virtute pendere, ſolique Deo aſcribendam eſſe. Docet ſuum, & aliorum, qui negotium Euangelicum probe curatum volunt, proprium eſſe munus, ſepoſitis carnis affectibus, & affinium, parentumque conſilijs reiectis, non humana ſapere, ſed diuina curare. Docet demum ad veram pie-

Ratio 2.

tatem pertinere, ſi parentes, & coniunctiſſimi

2. ſenſ.

quique, cum à ſtudijs melioribus nos auocant, non audiantur, non cognoſcantur, non honorentur, non diligantur; ſed potius negligantur; ita vt illorum voluntati, ac imperio Dei voluntas, honos, & gloria ſincere anteponatur. Nullo igitur modo fuit Mater à filio contempta, pudefacta, vel abiecta; cum ſumma inter eos ſemper coniunctio fuerit, nunc etiam optime conueniebant. Amiciſſimis interdum illud accidit, vt ſententijs, & voluntate coniuncti maneant, quamuis oratione diſſidere videantur. Proba-

Ratio 3.

bilis quoque illorum eſt ſententia, qui Matrem Domini putant, dum hic pro alijs opem implorat, à Deo repulſam non eſſe paſſam, vt Chriſtus eam exaudierit, ac peculiariter honorarit. Perinde ac ſi tacitè Chriſtus reſponderet: quam-

3 ſenſ.

uis neque mihi, neque tibi ſpeciale munus impoſitum ſit, ne vinum in his nuptijs deſit, prouidere; ſed hoc ad alios pertineat; tua tamen cauſa, non propter conuiuas, tempus illud patrandi miraculum præueniam: tibi tanquam Matri in vera fide petenti, quærenti, pulſanti deferam, tuæ voluntati morem geram, qui temporibus dominari poſſum, & ſubijci nõ debeo. Vtantur ergo conuiuæ, & fruantur hoc meo munere, quod materna tua ſollicitudo, ac pietas procurauit. O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Quomodo enim fida petitio, & probata fides, certaque fiducia optimæ virginis, & chariſſimæ matris molliſſimum filij animum non afficeret, non inflecteret, non permoueret? Quia non ſolum hæretici, verum & Catholici quidam, hic in Beatiſſimam virginem Mariam duriores, acerbiores, & iniquiores eſſe videntur; iſta fuſius tractaui.

Not. 4. ver. 4.

IPSA beatiſſima Dei mater, agnito reſponſionis Chriſti profundo myſterio, intellexit non ſuggeſtionem ſuam præſentem aſpernanter acceptam. Cæterum nunquam mandaret miniſtris: Quodcunque dixerit vobis, facite: niſi Spiritu ſancto poſt partum diuinum plena, non ſolum

lum reſponſionis Chriſti virtutem cognouiſſet; verum etiam faciendi ab eo tunc ex aqua vini vniuerſum ordinem præuidiſſet. Ita Gaudentius Brixianus tractatu 9. (Gaud.) Venerabilis Maria vere vt Mater Domini, in ſpiritu futura prænoſcens, ac Dominicam præuidens voluntatem, ſollicite miniſtros admonuit, dicens: Quodcunque dixerit vobis, facite. Sciebat profecto mater ſancta, obiurgationem illam Domini, filijque ſui, non iraſcentis offenſam prætendere, ſed miſerentis portare myſterium. Ita Maximus Homil. 1. in Epiphan. Domini. (Max.)

(Bern.) Bern. ſer. 1. Dom. 1. poſt oct. Epiph: Denique vt ſcias, quomodo reſponſum ipſum accepit, aut quantum de filij benignitate præſumpſerit, ait miniſtris: Quæcunque præceperit vobis, ſeruate, & facite.

(Amb. Mater filij ſciebat affectum.) Amb. ſer. 16. in Pſal. 118: Mater, quæ ſciebat filij affectum, dicit miniſtris: Quodcunque dixerit vobis, facite.

Plena Spiritu ſancto virgo Maria, iam tunc illud miraculum præuidebat, quod filius eius facturus erat. Quod ergo Ieſus facere cogitabat, hoc illa, vt faceret, admonebat. Inter ſe loquebantur Mater, & filius; ipſi ſe intelligebant: ipſi ſuæ ſecreta nouerant: ipſi, quid tunc fieri oportebat, & quid poſtea futurum erat, ſciebant. Cæteri autem, quid ipſi dicerent, ignorabant. (Eucher.) Hæc totidem verbis Eucherius Hom. Dominicæ 3. poſt Epiphan. ſub nomine Euſebij Emiſſeni.

Not. 5. ver. 6.

(Greg.) GREG. hom. 6. in Ezech: Quem non paruulorum ipſa Euangelica hiſtoria in miraculi operatione reficiat, quod hydrias vacuas Dominus aqua impleri; præcepit, eandemque aquam protinus in vinum vertit. Sed cùm hæc vigilantiores ingenio audiunt: & ſacram hiſtoriam credendo venerantur, quid interius innuat, requirunt. Qui enim mutare aquam in vinum potuit, etiam vacuas hydrias valuit vino ſtatim replere. Sed implere hydrias aqua iubet: quia prius per ſacræ lectionis hiſtoriam corda noſtra replenda ſunt. Et aquam nobis in vinum vertit, quando ipſa hiſtoria per allegoriæ myſterium in ſpiritualem nobis intelligentiam commutatur.

(Amb.) Amb. ſerm. 16. in Pſal. 118: Qui horam ſuam veniſſe negauerat, fecit quod ante differebat.

(Hier.) Hieron. Ezech. 40. Sex hydrias idem ſignificare dicit, quod ſex thalami.

(Cypr.) Cyprian. ep. 63: Quam peruerſum eſt, quamque contrarium, vt cum Dominus in nuptijs de aqua vinũ fecerit, nos de vino aquam faciamus. (Chryſoſt.) Vide Chryſoſt. not. 7. cap. 136.

Ver. 7.

(Hier.) HIERON. Eſa. 1: Doctor, qui auſteritatem ſcripturarum, per quam poteſt audientes corripere, vertit ad gratiam, & ita loquitur, vt non corrigat, ſed delectet audientes, vinum ſanctarum ſcripturarum violat, atque corrumpit ſenſu ſuo. Hæretici quoque Euangelicam veritatem corrumpunt praua intelligentia, & ſunt caupones peſſimi, facientes de vino aquam, cùm è contrario Dominus noſter aquas in vinum verterit, & tale vinum, quod miretur Architriclinus: quale & Regina Saba in Salomonis eſt mirata conuiuio, pincernas eius, & miniſtros vini ſua voce collaudans. (2 Par. 9)

(Chryſol.) Chryſol. ſer. 157: Per Epiphaniam Chriſtus in nuptijs aquas ſaporauit in vinum, vt Chriſtum nuptijs interfuiſſe virtutis fuerit non voluptatis: non fuerit humanitatis, ſed poteſtatis: ſigni fuerit cauſa non ventris, ebrietatis non fuerit apparatus, fuerit deitatis oſtenſio. Denique vbi aqua mutauit naturam, mox patefecit auctorem, & elementorum creator mutatione reuelatus eſt creaturæ. Fælices nuptiæ, fælices illæ, quibus Chriſtus eſt præſens, quæ non luxui, ſed virtutibus conſecrantur. Quid ibi non tranſiuit in gratiam, vbi aqua tranſiuit in vinum?

(Prud.) Prudentius in Enchiridio veteris, & noui inſtrumenti:

Vinum ex aqua factum.

Fœdera coniugij celebrabant auſpice cœtu forte Galilæi. Deerant iam vina: miniſtris Chriſtus vaſa iubet properanter aquaria lymphis impleri, vnde meri veteris defunditur vnda.

(Amb.) Ambr. ſer. 21: Plerique in hac ſancta Epiphaniæ die, hactenus à Domino mirabilia facta eſſe commemorãt; vt rogatus ad nuptias, aquæ ſubſtantiam in vini ſpeciem co mutaret; ac liquorem fontium in meliorem vſum ſui benedictione transferret; miniſtros hauſiſſe aquam de puteis, vinum in hydrijs inueniſſe: atque vtiliore diſpendio perdidiſſe, quod impleuerãt: reperiſſe, quod deerat: tuncque primum hoc mirabili ſigno diuinitatis ſuæ declaraſſe virtutem. Nonnulli autem in hac ſancta die, ab Ioanne baptizatum eum in Iordane teſtantur. (Amb.) Et ſerm. 19: Magnum planè ſignum, & ad Dei credendum ſufficiens maieſtatem. Quis enim non miretur in aliud quã erant, elementa eſſe tranſlata? nemo enim poteſt mutare naturã, niſi qui Dominus eſt naturæ. Credendum eſt iam ex hoc mortalem hominem, in immortalitatem poſſe conuerti; quando vilis ſubſtantia, in pretioſam eſt conuerſa ſubſtantiam. Nolo enim, auditor, nomina tantùm perſpicias vini & aquæ: ſed ſi vis potentiam comprobare, virtutem rerum aſpice: facto enim hoc, altius neſcio quid demõſtratur. Nam cùm Dominus aquam vertit in vinum, non tantum hoc operatur, ne diſcumbentibus deſit ebrietas: ſed vt credentibus abundet æternitas. Siquidem propterea in mundum venerit Chriſtus, non vt conuiuarum cellaria procuraret, ſed vt ſaluti hominum prouideret. Nec vt hydrias ſubſtantia boni odoris impleret: ſed vt animas gratia ſancti Spiritus irrigaret. Ergo cùm ex illa vili aqua, vini optimi ſaporem voluit guſtare conuiuas; magis voluit ex hac vili carne, reſurrectionis cœleſtis ſapientiam guſtare

ſtare credentes. Nam hoc ſignum, totum vtique reſurrectionis myſterium continet. Aqua enim vilis, pallens, & frigida in vinum verſa, ſcilicet pretioſum, rubrum, vel ignitum, hoc ſignificat, hominis ſubſtantiam conditione vilem, imbecillitate pallentem, morte frigentem, in reſurrectionis gloriam commutandam, quæ eſt æternitate pretioſa, gratia colorata, ſpiritu immortalitatis ignita. Hoc igitur dignum eſt credere Dominum operari voluiſſe, vt per hoc terrenum ſignum futurum iam tunc à ſapientibus cœleſte myſterium videretur. Nam ſi mirabile eſt, vtique quæ defecerant conuiuijs, vina ſuppleſſe; quantò eſt mirabilius vitam, quæ eſt exhauſta, hominibus reparaſſe: Et ſi glorioſum eſt aquam in vinum mutare; quantò eſt glorioſius peccata in iuſtitiam commutare; & mores potius temperare, quàm pocula? audeo dicere illas hydrias non ſolùm illi conuiuio, ſed vniuerſo mundo pretioſam illam miniſtrare ſubſtantiam, niſi quod nobis melius adminiſtrant. Conſtat enim ex ipſis vaſculis illos hauſiſſe ebrietatem, nos haurire iuſtitiam: illos percepiſſe vini poculum, nos calicem ſalutis accipere: & ſi dici fas eſt, apud illos pertranſiiſſe, quod bibetur, apud nos verò permanere, quod ſumpſimus. Et lib. 6. in Luc: In nuptijs ex

Amb. fontibus vina, miniſtris operantibus, colantur; & ipſi qui impleuerant hydrias aqua, vinum, quod non detulerant, hauriebant. Comprehende ſi potes tanta rerum miracula. In alienam ſpeciem vertuntur elementa, nec ſuos patitur natura defectus, nec ſuos agnoſcit ortus; vſus tamen proprios recognoſcit. Quin etiam melior eſt mutati vini natura, quàm nati. Quia in arbitrio creatoris eſt, & quos vſus velit aſſignare naturis, & quas naturas impartire gignendis. Vide quantis operibus opus aſtruat, dum aquam miniſter infundit, odor transfuſus inebriat, color mutatus informat, fidem quoque ſapor hauſtus accumulat. Conferant gentiles, ſi placet, cum Chriſti beneficijs, Deorum ſuorum non facta, ſed ficta, ferunt certè eorum fabulæ fuiſſe regem quendam, qui quicquid tangebat, aurum fiebat; ſed etiam conuiuia ipſa feralia. Nam & ipſa mantilia digitis apprehenſa riguerunt, & cibus in ore crepitabat, ferens non alimenta, ſed vulnera, & in gutture potus hærebat, nec penetrare facilis, nec redire. Digna beneficia votis, digna tanto munera precatore, digna liberalitas conferens. Talia ſunt dolorum beneficia; vt cùm videntur prodeſſe, plus noceant. At verò Chriſti munera, parua videntur, & maxima ſunt, denique non vni collata, ſed populis.

Hilar. Hilar. lib. 3. de Trinitate: Nuptiarum die vinum in Cana Galilææ ex aqua factum eſt: nunquid conſequitur, aut ſermo noſter, aut ſenſus, quibus modis natura demutata ſit: vt aquæ ſimplicitas defecerit, vini ſapor natus ſit? non permixtio fuit, ſed creatio; & creatio non à ſe cœpta, ſed ex alio in aliud exiſtens: non per transfuſionem potioris obtinetur, quod infirmius eſt: ſed aboletur quod erat, & quod non erat, cœpit. Sponſus triſtis eſt, familia turbatur, ſolemnitas nuptialis conuiuij periclitatur. Ieſus rogatus non exurgit, aut inſtat: ſed quieſcentis eius hoc opus eſt. Aqua hydrijs infunditur, vinum calicibus hauritur: infundentis ſcientiæ, ſenſus non conuenit haurientis. Qui infuderunt, hauriri aquam exiſtimant: qui hauriunt, vinum infuſum arbitrantur: tempus, quod in medio eſt, non proficit, vt in liquoris natura, & naſcatur, & pereat. Ratio facti, & viſum fruſtratur, & ſenſum: virtus tamen Dei in his, quæ ſunt geſta, ſentitur.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 393: Primum illud miraculum, quod à Domino editum eſt, non ſimpliciter, ac ſine cauſa extitit. Quamuis enim nuptijs quoque, id quod opus erat, præbuit: tamen id etiam quod legi deerat, ſuppleuit. Quoniam namque illa in aquis duntaxat baptizabat, ipſe ſuo cruore initiationem ſacram perfecit, vtrumque in ſeipſo miſcens, ac legem cum gratia copulandi. Iſidor.

Hoc miraculum ob ſui excellentiam, longè antequam fieret, diuinitus fuit oſtenſum Eſaiæ Prophetæ cap. 9. ſecundum 72. interpretes, & Hieronymum ibidem. Chriſti enim prædicationem, & aquam in vinum conuertendam prophetico ſpiritu illic præuidit. Annuis quoque miraculis, in pluribus mundi locis; in quibus aqua mutatur in vinum, hoc miraculum illuſtrari conſueuiſſe teſtatur Epipha. hære. 51. Plin. nat. hiſto. lib. 2. cap. 103. & lib. 4. cap. 12. ſimilia narrat. Nec vllus auctor, qui ante Chriſtum vixerit, de fontibus vinum ſcaturientibus mentionem facit. Similia his erant olim illa miracula, dum multis in locis, paſchali tempore, quo ſolemne baptiſma in Eccleſia peragi conſueuit, è ſicco, aridoque fonte lapideo, copioſæ ad baptiſmi vſum aquæ exundare conſueuerunt. Cum hæ nuptiæ, eo quod inter edendum vinum defecerit, pauperis alicuius hominis fuiſſe credantur: quidnam eſt, quod non ſecus, ac ſi ditiſſimi cuiuſpiam eſſent, miniſtris abundauerint; nec quicquam defuerit, quod deſideraretur in lautis conuiuijs, nempe copia miniſtrorum, & qui tricliniis præeſſet Architriclinus? Ad hoc intelligendum, quænam eſſet Hebræorum conſuetudo in parandis nuptijs, dicere opus eſt. De qua Gaudentius Brixianus Epiſc. tract. 9. ſic ait: Nuptiæ apud Iudæos cum fierent; vnus (quantum traditione comperimus) dabatur de ſacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legitime gubernaret; pudoriſque curam gereret coniugalis; ſimul etiam conuiuiorum apparatui miniſtros, atque ordinem diſpenſaret; & pro hoc officio, Architriclinus, id eſt, triclinij præpoſitus, dicebatur. Ita Gaudent. Non ergo miremur, ſi rebus adeo bene diſpoſitis, cum cenſor morum adeſſet, non tantum Ieſus, qui etiam cum publicanis, & peccatoribus aliquando diſcumbebat; ſed ipſa quoque ſanctiſſima Dei genitrix virgo intereſſet.

Vt paupe- ru… miniſtri abunda… Gaud. … celebrari ſacerdos præerat.

Not. 6.

Not. 6. ver. 9.

Amb. AMBR. ſerm. 20. Deſcripſimus beatos Apoſtolos vno viſo miraculo, hoc eſt, aqua in vinum à Saluatore conuerſa, in eum protinus credidiſſe. Ita enim ait Euangeliſta. Quod factum non ideo tantum ſcriptum eſt, vt illorum, ſub quibus factum eſt, fidei gloria monſtraretur: ſed & propter nos, qui eodem deuotionis exemplo credulitatis gloria prouocamur. Chriſtus enim quod operatus eſt, non illis tantùm operatus eſt, quos habebat tunc præſentes, ſed & nobis poſtea ſecuturis, vt licet maiores noſtri tempore nos præcederent, tamen ſignorum gratia non præirent. Quæ enim illis exhibita eſt præſentia rerum in mirabilibus virtus, eadem virtus, nobis litterarum theſauro conſeruata, vt nobis præſtaret pagina, quod illis gerebat hiſtoria: imò in nobis geritur, quidquid nobis ingeritur, quicquid nobis inſinuatur, vt ſcripturarum ſpeculo dictaretur, & potentiam Dominicanam illi carnalibus oculis cernerent, nos ſpiritualí lumine videremus: Et crediderunt in eum. Et manifeſtauit gloriam ſuam diſcipulis ſuis. Quam bene potentiam Domini ſubſequitur deuotio ſeruulorum: & quod magiſter docet opere, diſcipuli in corde deſcribunt. Ecce cui manifeſtatur virtus operantis, & fides prædicatur manifeſta credentium. Prædicanda planè Apoſtolorum fides, quæ viſo vno ſigno credidit in omnipotentiam Saluatoris. Et Apoſtoli dum mirantur aquam in vinum verſam, ipſi ex omni fæce peccatorum ſimiliter ſunt conuerſi, & inſtar facti miraculi, ex vili ſuperſtitione Gentilium, in pretioſam deuotionem credentium ſunt tranſlati. Et vt aqua in vinum verſa, ſapore, rubore, calore conditur: ita ſcientiæ quod erat in his inſulſum, accepit ſaporem: quod pallens gratiæ, ſumpſit calorem: quod frigidum, incaluit immortalitatis ardore. Magnificanda igitur Apoſtolorum fides, quæ ideo Euangelico ſermone deſcripta eſt, vt & illis eſſet ad laudem, & nobis proficeret ad exemplum. Sed, quod peius eſt, his illis laus ſua permanet: nos exempla non promouent. Nam quantò poſteriores ſumus tempore, tanto & inferiores merito. Illi enim viſo vno ſigno, ſtatim Domino crediderunt, nos acceptis adhuc tot beneficiorum mirabilibus, dubitamus. Dubitamus, inquam, quia præſentia diligimus, dum futura non credimus: diuitias amamus in ſæculo, dum eas accipere cunctamur à Chriſto. Credere ergo debemus, ſicut tunc Apoſtoli crediderunt. Dicit autem & alius: Et nos Chriſtiani ſumus, credimus in Dominum Saluatorem. Sed credere opus eſt opere, non ſermone, non lingua, ſed corde: ne & nobis dicatur: Plebs hæc labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Eſa. 29.

CAP. 22. IESVS *cum ſuis deſcendit Capharnaum, primoq́; Paſchate, mercantibus è templo eiectis, mortem, ac reſurrectionem ſuam prædicit.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 2.*
			1 POST hoc deſcendit Capharnaum ipſe, & Mater eius, & fratres eius, & diſcipuli eius; & ibi manſerunt non multis diebus.
			Fer. 2. poſt 4. Dom. Quadr.
			2 ET ✠ prope erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam, & inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & numularios ſedentes.
			3 Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo; oues quoque, & boues; & numulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit.
			4 Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.
			5 Recordati ſunt vero diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.
			6 Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.
			7 Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis ſui.
			8 Cum ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt ſcripturæ, & ſermoni, quem dixit Ieſus.

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 2.*
			9 Cum autem eſſet Hieroſolymis, in Paſcha, in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius, quæ faciebat.
			10 Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes; & quia opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine. Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.] ✠

Not. 1.

Dispoſitionis ratio. CHRISTVS ſe cum matre, fratribus, & diſcipulis, Capharnaum recepit; nec ibi diu moratur. Sed profectus inde Ieruſalem, in primo paſchate, facto flagello de funiculis, templum purgat: de quo altercantur cum eo Iudæi. Cæterum ex ſignis tum factis, multi crediderunt in eum. Et hic eſt primus Domini acceſſus Capharnaum, quaſi habitandi gratia. Sex enim, aut ſeptem Chriſti acceſſus in Capharnaum indicat Euangelium: primus iſto capite 22. deſcribitur: ſecundus cap. 28: tertius cap. 30: quartus cap. 37: quintus cap. 41: ſextus forſitan cap. 45: improbabile ſiquidem non eſt etiam Capharnai, quod ibi narratur, accidiſſe: denique ſeptimus cap. 54. Quæ autem hic narrantur, eſſe locanda poſt miraculum aquæ in vinum conuerſæ, paruo negotio ex Auguſtino lib. 2. de conſ. cap. 17. & 67. & lib. 4. cap. 10. colligitur. Quin etiam ex ipſo textu Ioannis Euangeliſtæ, in quo dicitur: Poſt hoc.

Quoties Dominus Capharnai fuerit. — Aug.

Ver. 1.

Aug. AVG. lib. 2. de conſ. cap. 17: Incertum eſt, vtrum iam illi adhæſerant etiam Petrus, & Andreas, & filij Zebedæi: an potius alij diſcipuli fuerunt: ſicut enim iam Philippus ſequebatur, quem ſic vocauerat, vt diceret ei: Sequere me. Certum videtur, ſanctiſſimam Deiparam virginem redijſſe poſtea Nazareth ad propria: & illic habitaſſe. Nam c. 66. Nazarenorum hic erat apud Matt. & Marc. ſermo: Nonne omnes, mater, fratres, & ſorores eius apud nos ſunt?

Ver. 2.

HIC, de quo Euangeliſta loquitur, eſt primus Chriſti aſcenſus in Hieruſalem, à ſuo baptiſmate: ſecundus vero eiuſdem aſcenſus è Galilæa in Iudæam, ex quo Ioannes cœpit ſuæ legationis munus exercere. Cuius Euangeliſtarum nullus præter Ioannem meminit.

Hier. Ioa. 2. 6. 11. Hieron. Eſa. 29: Scriptum eſt in Euangelio ſecundum Ioannem, per tria paſchata Dominum veniſſe in Hieruſalem, quæ duos annos efficiunt. Dedit nobis exemplum Dominus, quanta cura diuinis ſubdi debeamus imperijs. Si enim ipſe Dei filius decreta legis à ſe data implebat, celebrans ſolennitates cum cæteris hominibus; quanta ſtudio bonorum operum ſerui debent ſolennitates præuenire, & celebrare: Sic Alcuinus in cate. Thomæ Ioan. 2. — Alcuin. Tho.

Not. 2. ver. 3. 4.

AVG. lib. 2. de conſ. cap. 67. adnotauit Chriſtum bis vendentes eieciſſe de templo: priorem hanc eiectionem primo anno factam à ſolo Ioanne deſcribi: poſteriorem vero, quæ ſub tempus paſſionis contigit, ab alijs tribus Euangeliſtis enarrari. Obſeruauit idem Chryſoſto. hom 22. in Ioan. & alij. — Aug. Chryſoſt.

Iren. Irenæus lib. 4. cap. 5: Veritas erat in ipſo, qui loquebatur, & vere vindicabat ſuam domum, proijciens ex ea nummularios, qui emebant, & vendebant, dicens eis: Scriptum eſt: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. Et quam ob cauſam habuit hoc facere, & dicere, & domum ſuam vindicare, ſi alterum Deum annunciabat? ſed vt oſtenderet tranſgreſſores paternæ legis: Neque enim domum incuſabat, neque legem reprehendebat, quam venerat adimplere: ſed eos, qui non bene vtebantur domo, & eos, qui legem tranſgrediebantur, arguebat.

Amb. Amb. in fragmento de fide reſurrectionis: nunquid carnem non habuit, qui flagellum de fune fecit, & omnes de templo eliminauit, vbi omnis diuinitatis eius potentia claruit?

Aug. Aug. tract. 10. in Ioan: Quid audiuimus, fratres? Ecce templum illud figura adhuc erat, & c. lect. 1. 2. & 3. fer. 2. poſt Dom. 4. Quad.

Greg. Greg. hom. 17. in Euang: Qui namque ſunt in templo Dei hodie, qui columbas vẽdunt; niſi qui in Eccleſia precium de impoſitione manus accipiunt? per quam videlicet impoſitionem Spiritus ſanctus cœlitus datur. Columba ergo venditur, quia manus impoſitio, per quam Spiritus ſanctus accipitur, ad precium præbetur. Sed Redemptor noſter cathedras vendentium columbas euertit: quia talium negotiatorum ſacerdotium deſtruit. Hinc eſt enim quod ſacri canones ſimoniacam hæreſim damnant, & eos priuari ſacerdotio præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas euertitur, quando hi, qui ſpiritalem gratiam venundant, vel ante humanos, vel ante Dei oculos ſacerdotio priuantur. Et hom. 4. in Euang: Columbas vendere, eſt impoſitionem manus, qua Spiritus ſanctus accipitur, non ad vitæ meritum, ſed ad præmium dare. Et epiſt. 51. lib. 4: Columbas vendere, eſt de Spiritu ſancto, quem Deus omnipotens conſubſtantialem ſibi, per impoſitionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Idem verbo tenus habetur ep. 55. eiuſdem libri, & ep. 7. lib. 5. — Quid cathedras euertit. Simonia eſt damnata. Greg. Quid vendere columbas. Greg.

Paul.

Paul. Paul. ep. 11. ad Seuer: Expedit autem nobis vt etiam ædificatum cordis noſtri templum, ſæpe Dominus Ieſus reuiſat, veniens in flagello timoris ſui, vt eijciat de nobis menſas nummulariorum, & venditores boum, vel columbarum: ne quod auaritiæ commercium animus noſter exerceat: neque in noſtris ſenſibus tarditas boum ſtabulet: neque ſimus innocentiæ noſtræ, vel diuinæ gratiæ venditores: ne faciamus orationis domum, ſpeluncam latronum. Paul. Et ep. 16. ad Delphinum: Ora veniat Dominus Ieſus in cor noſtrum, ſicut in templum ſuum: excutiat flagellum pietatis ſuæ, quo verberat omnem filium, quem recipit: & expellat à ſenſibus mentis noſtræ, quaſi à negotiatoribus templi, omne commercium, atque contagium iniquitatis. Expellat à nobis boues, & venditores columbarum, & menſas nummulariorum; vt ab omni immunditia, & cupiditate purgati, caſtam ſimplicitatem fidei, charitatiſque teneamus. Fides incorrupta retinetur, vbi columba non venditur. Niſi enim nos Deo tradamus, vendimus diabolo. Vnde & vetus homo, qui ſe conſilio maleſuadi ſerpentis addixit, venundatus ſub peccato dicitur.

Iſidor. lib. 1. epiſt. 106: Tibi, qui prudenter interrogas, reſpondere neceſſe eſt, loquere enim, inquit ſcriptura, in aures audientium. Ac rurſum: Qui habet aures audiendi, audiat. Nolite facere domum meam, domum negotiationis, ad eos qui columbas vendebant, dixit Dominus, ſacerdotes, qui Spiritus ſancti dona vendebant, ſignificans: quandoquidem in columbæ ſpecie Spiritus ſanctus apparuit, eos, qui ex Deo cauponum ritu quæſtum captant, inſectans. Quod autem ait, Tollite iſta hinc, perinde eſt, ac ſi diceret. Nō iam cruoribus opus eſt. Incruentam ego culparū veniam largior. Deinceps ſpiritum ſolum placari volo. Carnalis lex impleta eſt: Spiritus lex iam imperet, ac ſalutis principatum obtineat.

Not. 3. ver. 5.

Amb. A M B. ſerm. 18. in Pſal. 118. ad verſ. 3: Quia Deus magnus, ideo & zelus eius magnus eſt. Et pro vniuſcuiuſque potentiæ qualitate, ita & zelus aut mediocris, aut magnus eſt. Sed non ſolùm locum Eccleſię zelare debemus: ſed hanc quoque interiorem in nobis domum Dei, ne ſit domus negotiationis, aut ſpelunca latronum. Si enim lucra, quęſtus pecuniæ, & emolumenta aucupemur, domum negotiationis fecimus. Si inuadamus alienas poſſeſſiones, fines viduæ vel minorum, fecimus ſpeluncam latronum. Veniet ergo verbum Dei, & de hac domo proijciet fures, direptores, caupones: vt mundum ſit cor tuum, pectus tuum. Sed eſt zelus ad culpam, eſt zelus ad gratiam. Nam Pſal. 72. Eccle. 9. & ipſe Dauid ait: Zelaui in peccatoribus pacem. Et in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt: Non zeles mulierem ſinus tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam.

Not. 4. ver. 6.

F V L G. lib. 3. ad Traſi. cap. 17: Hoc reſpondit Ieſus, ad demonſtrandum in ſe & veram mortalitatem hominis, & veram immortalitatē deitatis. Quod autem fuerit illud templum, ſanctus Euangeliſta monſtrauit, dicens: Ipſe autem dicebat de templo corporis ſui. Oſtenſa eſt igitur, & veritas humanæ ſubſtantiæ, quam Iudæi poſſent in Chriſto, ipſo volente, ſoluere: & veritas diuinæ naturæ, qua Chriſtus templum ſui corporis poterat ſuſcitare. Quando enim, mortuo Chriſto, anima deſeruit carnem; tunc ſolutum eſt illud templum, quod fuit ex anima, carneque conſtructum: & cùm anima reuerteretur ad carnem, tunc eſt illud templum die tertia ſuſcitatum. Et tamen propter vnam Chriſti Dei, hominiſque perſonam, idem mortuus eſt in corpore, qui ſuſcitauit templum corporis ſui. Et cap. 33: In reſurrectione quoque eius inuenitur operis æqualitas: quia vna eſt patris, filijque maieſtas. De patre quippe ſic beatus loquitur Petrus: Vobis primum Deus ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis. De ſeipſo verò ſic Dei filius loquitur ad Iudæos: Soluite templum hoc, & in tribus diebus ſuſcitabo illud. Quod Ioannes aperuit, dicens: Ipſe autem dicebat de templo corporis ſui. Fulg. Fulg. Act. 3.

Amb. in Pſal. 47: Verè templum Dei corpus eſt Chriſti, in quo eſt noſtrorum purificatio peccatorum. Verè templum Dei caro illa, in qua nullum peccati potuit eſſe contagium: ſed ipſa pro delicto mundi totius fuit ſacrificium. Verè templum Dei caro illa, in qua Dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo diuinitatis habitabat, quoniam ipſe Chriſtus eſt plenitudo. Amb.

Ver. 7.

D E annis quadraginta ſex, quibus templum Iudæorum ædificatum fuerat, allegoricam, & ſubtilem expoſitionem habet Auguſtin. quæſt. 56. lib. 83. quæſt. & quæſt. 26. dialogi quæſt. 65. ad Oroſium, & lib. 4. de Trinitate cap. 5. aliam ver tract. 10. in Ioannem. Aug.

Georg. Cedren. in compendio hiſtoriarum in Dario: Darius, cum adhuc priuatim viueret, votum Deo fecerat, ſi quidem regnum in Perſas conſequeretur, templum Hieroſolymis ſe inſtauraturum, &c. Eius voti auditor, atque ſuaſor fuerat Zorobabelus Salathieli filius, ac poſtmodum regem, cui erat familiaris, eius admonuit, quippe iam ante etiam populus dimiſſus fuerat, & fundamenta templo poſuerat. Verùm vicinorum Samaritanorum calumnia effectum fuit, vt ædificatio omitteretur annos 41. totos, vſque ad ſecundum annum Darij. Inde ſexennium templum eſt abſolutum Zorobabeli, ac Ieſu Ioſedeci filij admonitione, atque opera, annis nimirum 47. totis à primo Cyri anno. Inde à Iudæis ad Dominum eſt dictum: templum hoc annis 46. ædificatum eſt, & tu id triduo te extructurum ais? Salomon ſeptem an- Greg. Quot annis ædificatum ſit templū 3. A Cyro ad Darium quot anni.

nos ſui templi ædificio impendeat.
Ratio non patitur, vt Iudæi, quod hic obiecerunt Chriſto, de primo illo templo Salomonis intelligere voluerint, quod longè minori annorum numero ædificatum eſt, nempe annis ſeptem. Salomon enim tot annos templi ſui ædificio impenderat, vt 3. Reg. 6. cap. habetur. Pari conſenſione omnes interpretes in eam abierunt ſententiam, vt de templo, quod ſub Zorobabel eſt ædificatum, Iudæi intellexerint; quod, licet aliquo interpoſito ſpatio, tot annorum numero, & paulò maiori conſtat ædificatum, vt Euſeb. in chronico, & lib. 8. demon. & Hieron. Dan. 9. ex Euſebio, & Bed. lib. de ſex mundi ætatibus in Dario, & Ioſ. lib. 11. Antiqu. cap. 4. Cyrus enim anno primo ſui regni Hebræos ad excitandum templum, dimiſit. Deinde Darius anno 2. ſui regni eandem facultatem renouauit. Vnde anno ſexto ædificationem templi compleuerunt, vt Eſdras tradit, 1. Eſd. 6. tamen per alios tres annos, porticus additę fuerunt. Et ita anni triginta Cyri, & ſeptem anni Cambyſis filij Cyri, & nouem Darij hyſtaſpis, efficiunt ſummam quadraginta ſex annorum in templo conſtruendo. Verùm aliquæ hîc ſe difficultates offerunt, nam Ioſephus lib. 15. Antiq. cap. 14 teſtatur Herodem vetus illud templum ſub Zorobabel erectum, fuiſſe demolitum à fundamentis, & nouum deſuper ab eo ædificatum, idemque octo annis eſſe abſolutum. Quomodo ergo Iudæi ab ædificatione ſub Zorobabel facta, deducere argumentum voluerunt, cùm illa amplius non extaret?
Deinde ad memoriam reuocandum eſt, quod ante annum ſecundum Darij, non ſit laboratum in templi ædificatione, niſi valde parum, nempe anno primo Cyri. *Templū 1.* Proinde exiſtimo Iudæos eſſe locutos de templo ab Herode reſtituto, quod tunc extabat, dicunt enim: *Quomodo annis 46.* Templum hoc, id eſt, quod præ oculis eſt, fuiſſeque veram eorum ſententiam hoc ſenſu acceptum, vt tempus reſpexerint à quo ab Herode cœptum eſt ædificari, ac inde vſque ad præſentem annum numerauerint annos 46. nam quantumlibet Ioſephus affirmet ipſum templum octo annis fuiſſe ab Herode abſolutum; tamen eiuſdem aſſertione lib. 15. Antiq. cap. 14. certum eſt perſeueraſſe ipſam templi ſtructuram vſque ad tempus Neronis, operantibus in eo circiter octodecim milibus opificum. Dicere ergo voluerunt: hoc opus quod oculis cernitur, 46. annis abſolutum eſt: & tu in tribus, &c. Cum de re omnibus cognita hîc agerent Iudæi, eoque argumento Chriſti verba redarguere vellent; nulla poteſt eſſe ſuſpitio, eos adeo hic eſſe hallucinatos, vel tam nota, atque patentia eſſe locutos mendacia, vt non tantum à Chriſto, vel à diſcipulis eius, ſed à quouis è vulgo homine redargui erroris potuiſſent. Verùm ſi loquantur Iudæi de eo templo, quod Herodes extruxit, quomodo dicunt illud quadraginta ſex annis ædificatum, ſi octo annis fuit abſolutum? Herodes anno 18: regni ſui, noui templi, quod tertium dici poteſt, conſtructionem inchoauit, & annis 8. perfecit. Deinde ſacerdotes anno vno & menſibus 5. interiorem cultum addiderunt: ac celebre tandem in eo ſacrificium, Herodis natalitio die fecerunt, teſte Ioſep. lib. 15. Antiqu. cap. 14. *Ioſeph.* Quod verò hîc dicitur à Iudæis, 46. annis templum hoc ædificatū eſſe; intelligi poteſt de ornatu, quem præter neceſſarias templi partes, deinceps continenter addiderunt Herodes, & qui eum ſequuti ſunt, vt demum circa hæc tempora Chriſti cum ornatu ſuo vniuerſo completum fuerit.

Not. 5. ver. 9.

Ex his videtur Chriſtus non diu iam fuiſſe Ieroſolymis. Porro Dominus, hoc ipſo tempore, non ſolum miracula faciebat; ſed etiam docebat. Vnde Nicodemus eum à Deo veniſſe magiſtrum capite ſequenti profitebatur, & ab eo multa edocebatur. Hinc etiam Clemens *Clem.* Romanus lib. 1. recognitionum dicit Chriſtum, ſumpto à tēpore veris exordio, Iudęis regnum Dei euangelizaſſe.

Ver. 10.

Ex hoc loco docet Fulg. lib. 2. ad Traſi. cap. 16. Chriſto notas eſſe mentis cogitationes. *Fulg.*

Cap. 23. *Nicodemum* Iesvs *fidei myſteria docet.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 3.*
			In ſancta crucis inuentione. 1 [+ ERAT autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis; niſi fuerit Deus cum eo. 2 Reſpondit Ieſus, & dixit: Amen, amen dico tibi: niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei. 3 Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterum introire, & renaſci? Reſpon-

Matt. *Mar.* *Luc.*

Ioan. 3.

4 Reſpondit Ieſus: Amen,amen dico tibi, niſi quis renatus
fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in re-
gnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt;& quod na-
tum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.
5 Non mireris,quia dixi tibi: Oportet vos naſci denuo.Spi-
ritus vbi vult ſpirat,& vocem eius audis: ſed neſcis,vnde ve-
niat, aut quò vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu.
6 Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt
hæc fieri? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſ-
rael, & hæc ignoras?
7 Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus, loquimur, &
quod vidimus, teſtamur, & teſtimonium noſtrum non ac-
cipitis.
8 Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo,ſi dixero
vobis cœleſtia, credetis?
9 Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo,
filius hominis, qui eſt in cœlo.
10 Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto; ita exal-
tari oportet filium hominis: vt omnis, qui credit in ipſum,
non pereat; ſed habeat vitam æternam. ✠

Fer. 2. Pentec.

11 ✠ Sic enim Deus dilexit mundum,vt filium ſuum vni-
genitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat; ſed
habeat vitam æternam.
12 Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudi-
cet mundum: ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.
13 Qui credit in eum,non iudicatur; qui autem non credit,
iam iudicatus eſt; quia non credidit in nomine vnigeniti fi-
lij Dei.
14 Hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, &
dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Erant e-
nim eorum mala opera.
15 Omnis enim, qui malè agit, odit lucem; & non venit ad
lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veri-
tatem, venit ad lucem: vt manifeſtentur opera eius,quia in
Deo ſunt facta. ✠

Not. 1. ver. 1.

NICODEMVS ille, Iudæorum nobiliſſimus,de quo hic agitur,ex illis fuiſſe videtur,inquit Auguſt.tract.11.in Ioan.qui dicuntur ver.9. præcedentis capitis in nomine Ieſu credidiſſe. (Aug.) Cumque receſſurum iam Dominum intelligeret, noctu ad eum acceſſit: ſecreta,ſcilicet,eius allocutione plenius diſcere cupiens, myſteria fidei; cuius, aperta oſtenſione ſignorum, iam rudimenta perceperat; vt dicit Beda,Ioan. 2. (Bed.) Ex verſu 1. huius capitis,& 9. ſuperioris,intelligendum eſt Dominum,etiam initio primi anni, ſigna valde multa feciſſe: licet non tam palam, nec tanto, vt poſtea, hominum concurſu. Nulla autem ſcripta ſunt eorum ſignorum,quæ hoc primo Paſchate, & anno Chriſtus Hieroſolymis,vel in Iudæa fecit,vt etiam Theophylactus (Theop.) Ioannis 3. notauit.

Not. 2. ver. 2.

(Aug.) AVG. lib.1.de peccat. mer. & remiſſ.cap.30: Iam nunc ſcrutemur diligentius quantum adiuuat Dominus,etiam ipſum Euangelij capitulum vbi ait: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, non intrabit in regnum Dei. (Quid ſit naſci denuo.) Qua illi ſententia, niſi mouerentur, omnino paruulos, nec baptizandos eſſe cenſerent. Sed quia non ait, inquiunt, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, non habebit ſalutem,vel vitam æternam: tantummodo autem dixit, non intrabit in regnum Dei: ad hoc paruuli baptizandi ſunt, vt ſint etiam cum Chriſto in regno Dei,vbi non erunt ſi baptizati non fuerint, quamuis & ſine baptiſmo ſi paruuli moriantur,ſalutem vitamque æternam habituri ſint, quoniam nullius peccati vinculo obſtricti ſunt. Hæc dicentes, primo nunquam explicant iſti, quia per iuſtitiam nullum peccatum habens, imago Dei ſeparatur à regno Dei. Deinde videamus vtrum Dominus Ieſus vnus, & ſolus magiſter bonus in hac ipſa Euangelica lectione non ſignificauerit, & oſtenderit, non niſi per remiſſionem peccatorum fieri,vt ad regnum Dei perueniant baptizati, quamuis rectè intelligentibus ſufficere debuerit,quod dictum eſt, niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.

Et niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Cur enim neceſſe eſt denuo, niſi renouandus? vnde renouandus niſi à vetuſtate? qua vetuſtate, niſi in qua vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt cum illo, vt euacuetur corpus peccati? Aut vnde imago Dei non intrat in regnum Dei, niſi impedimento prohibente peccati?

Not 3. ver 4.

Greg. Greg. lib. 9. Moral. cap. 16: Nonnulli etenim prius à præſenti luce ſubtrahuntur, quàm ad proferenda bona, malaue merita actiuæ viæ, perueniunt. Quos quia à culpa originis ſacramenta ſalutis non liberant; & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perueniunt. Quibus vnum vulnus eſt, corruptibiliter naſci: aliud carnaliter emori. Sed quia poſt mortem quoque æterna mors ſequitur, occulto eis, iuſtoque iudicio, etiam ſine cauſa vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccauerunt. Hinc namque ſcriptum eſt: Non eſt mundus in conſpectu eius, nec vnius diei infans ſuper terram. Hinc per ſemetipſam veritas dicit: Niſi quis renatus fuerit, ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Hinc
Ephes. 2 Paulus ait: Eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri. Qui itaque nullum proprium adiungens, ex ſolo originis reatu perimitur: quid iſte in illo extremo examine, quantum ad humani ſenſus æſtimationem, niſi ſine cauſa vulneratur? Sed tamen ſub diuina diſtrictione iuſtum eſt, vt propago mortalis, velut infructuoſa arbor, & in ramis ſeruet amaritudinem, quam traxit ex radice. Ait ergo: In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam ſine cauſa. Ac ſi apertè, humani generis damna conſiderans, dicat: diſtrictus iudex, qua eos animaduerſione trucidat, quos culpa propriæ actionis damnat, ſi & illos in æternum percutit, quos reatus arbitrij non addicit?

Proſ. l. 1. de vocat. Gent. cap. 18: Merita ſi poſſent bona eſſe ſine gratia, non diceretur: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum. Et: Niſi man-
Io. 6. ducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis, ſed diceretur: Niſi quis fuerit iuſtus & bonus, beatus in æternum eſſe non poterit. Nec opus eſſet per aquam, & ſpiritum renaſci, ſi per mandatum ſufficeret eruditi. Et euacuaretur fides, quæ credit per baptiſmum omnia peccata dimitti, ſi gratia non malis, & impijs, ſed bonis, & rectis doceretur impendi. Origo itaque veræ vitæ, veræque iuſtitiæ in regenerationis eſt poſita ſacramento, vt vbi homo renaſcitur, ibi etiam ipſarum virtutum veritas oriatur.

Et epiſt. ad Demetri. Nec fruſtra ſcriptum eſt: Nemo mundus à ſorde, ne infans, cuius vnius
Iob. 15. diei vita eſt ſuper terram. Et quis poterit facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es? Propter quod ſicut nunc in Eccleſia manet conſtitutio Saluatoris, dicentis: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum: Ita ſacratiſſimè erat in lege præceptum, vt natus puer, niſi die circumcideretur octauo, exterminaretur anima eius de populo ſuo: nullum in hæreditate Iſrael habitura conſortium. Quæ omnia & multo plura documenta non tanta cura ſacris paginis Spiritus ſanctus inſeruiſſet: ſi talis eſſet natura in filijs Adam, qualis in ipſo eſt principaliter inſtituta. Sed quia filius Dei venit, vt ſolueret opera diaboli, & vt quæreret ac ſaluaret quod perierat: manifeſtum eſt, omnes in Adam damnationi obnoxios eſſe naſcendo, niſi in Chriſto liberati fuerint renaſcendo.

Aug. ep. 108. ad Seleucianam: Sicut antiqui iuſti ſi non circunciderentur, non erat eis peccatum: poſtea verò quàm iuſſit Deus, vt circunciderefur Abraham, eiuſque poſteritas, iam ſi non fieret, graue peccatum fuit. Sic etiam poſtquam Dominus Chriſtus in Eccleſia ſua ſacramentum noui teſtamenti pro circunciſione carnis ſanctum baptiſmum dedit, & apertiſſimè dixit: Si quis non renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum. Iam non debemus quærere, quando quiſque fuerit baptizatus: ſed quoſcunque legimus in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, pertinere ad regnum cælorum, non niſi baptizatos intelligere debemus, niſi fortè quos anguſtia paſſionis inuenit, & nolentes negare Chriſtum, antequam baptizarentur, occiſi ſunt, quibus ipſa paſſio pro baptiſmo deputata eſt. Quod baptiſma ſit neceſſarium ad ſalutem, & non liberum, docet etiam Aug. lib. 1. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 23. & 24. & lib. 2. cap. 9. 25. 26. 27. & lib. 3. cap. 9. 12. tract. 13. in Ioann. lib. 4. de bapt. contra Donat. cap. 14. 21. 22. epiſt. 28. 47. lib. 1. ad Simplicia. quæſt. 2. lib. 10. de gen. ad litt. cap. 14. lib. 6. cont. Iulian. cap. 4. 7. ſerm. 14. de verb. Apoſt. de pecc. orig. cap. 40. lib. 2. de nupt. & conc. cap. 32. Et Fulg. de Fide ad Pet. cap. 30.

Nyſſen. orat. de ſancto baptiſmate: Quare bina illa, & non ſolus ſpiritus, ſufficiens exiſtimatus eſt ad completionem baptiſmatis? compoſitus eſt homo, & non ſimplex, vt certò ſcimus. Atque idcirco duplici, coniunctoque, cognata, ſimiliaque medicamenta ad curationem deſtinata, atque attributa ſunt. Corpori quidem, quod apparet, aqua, quæ ſub ſenſum cadit: animæ vero, quæ viſum effugit, ſpiritus, qui non apparet, qui fide vocatur, qui ineffabiliter accedit. Spiritus enim, vbi vult, ſpirat; & vocem eius audis: ſed neſcis vnde veniat, & quò vadat. Aqua quoque quæ baptiſmati adhibetur, corpori quod baptizatur, benedictionem addit. Quare non contemnas diuinum lauacrum, neque id, tanquam commune propter vſum aquæ paruifacias, & leui momento ducas. Nam id, quod operatur, magnum eſt; & ab illo mirabiles exiſtunt effectus.

Not. 4.

Not. 4. ver. 6.

Avg. lib. 1. de peccat. mer.& remiſſ. cap.31: Cùm ergo Nicodemus, quæ dicebantur, non intelligeret; quæſiuit à Domino, quo modo poſſent iſta fieri. Videamus quid Dominus ad hoc reſpondeat. Profectò enim, ſi ad interrogata reſpondere dignabitur, quomodo poſſunt iſta fieri, hoc dicturus eſt, quomodo poſſit fieri regeneratio ſpiritalis venientis hominis ex generatione carnali. Notata itaque paululum eius imperitia, qui ſe cæteris de magiſterio præferebat,& omnium talium incredulitate reprehenſa, quod teſtimonium non acciperent veritatis, addidit etiam ſe illis terrena dixiſſe, nec eos credidiſſe, quærens, vel admirans quomodo eſſent cœleſtia credituri. Sequitur tamen & reſpondet, quod alij credent, ſi illi non credunt, ad illud quod interrogatus erat, quomodo poſſunt iſta fieri?

Not. 5. ver. 8.

Avg. tract. 12. in Euang. Ioan: Quæ terrena dixit fratres? niſi quis natus fuerit denuo, terrenum eſt: Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò eat, terrenum eſt: Si de iſto vento diceret, ſicut nonnulli intellexerunt, cum quæreretur ab eis, quid terrenum dixerit Dominus, dum ait: Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi cœleſtia dixero, credetis? Cùm ergo quæreretur à quibuſdam quid terrenum dixerit Dominus, anguſtias paſſi dixerunt: Quod ait de Spiritu vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò eat, de iſto vento dixit: Quid enim nominauit terrenum? loquebatur de generatione ſpiritali: ſecutus ait, ſic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu. Deinde fratres quis noſtrum non videat, verbi gratia, Auſtrum eūtem de meridie ad Aquilonem, aut alium ventum venientem ab Oriente ad Occidentem? Quomodo ergo neſcimus vnde veniat, & quò eat? Quid ergo dixit terrenum, quod non credebāt homines: An illud quod de templo ſuſcitando dixerat: Corpus enim ſuum de terra acceperat, & ipſam terram de terreno corpore ſuſceptam parabat ſuſcitare. Non ei creditum eſt terram ſuſcitaturo. Si terreſtria, inquit, dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi cœleſtia dixero, credetis? hoc eſt, ſi non creditis, quia templum poſſum reſuſcitare deiectum à vobis, quomodo credetis, quia per Spiritum poſſint homines regenerari?

Chryſoſt. hom. 26. in Ioan: Cum profundiſſimarum rerum doctrinam narraturus eſſet Ieſus, & locus hic exigeret, propter auditorum imbecillitatem plerumque abſtinet, neque magnitudinem ſuam dignis proſequitur ſermonibus, ſed potius perſuabilibus. Alta enim & magna etiam ſemel narrata, pro auditorum captu illam poſſunt oſtendere dignitatem, humiliora autem & humano intellectui propiora, niſi frequenter repetantur, non facilè humilem auditorem ad alta erigunt. Propterea in humiliori crebrius, quam alto ſermone verſatur. Sed ne hoc aliud afferat detrimentum, & humi diſcipulum detineat, non ſimpliciter poſuit: ſed cauſam adſert, cur tam humiliter loquatur. Cum enim de baptiſmate & terrena ſecundum gratiam generatione verba feciſſet, vt dictum eſt: voluit & ſuam illam arcanam, & ineffabilem adducere, omiſit tamen, & cauſam affert, craſſitudinem, & imbecillitatem auditorum, quam his verbis ſignificauit: Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis? Itaque eius ſermonum humilitas auditorum imbecillitati adſcribenda eſt. Terrena autem hoc in loco nonnulli de vento dictum arbitrantur: hoc eſt, ſi exemplum à terrenis ſumptum non creditis, quonam pacto altiora credetis? Verùm terrenum potius baptiſma dicit, vel quod in terra perficitur, vel quod ad ſuę ipſius ineffabilis generationis comparationem ita appellat. Nam etſi cœleſtis ipſa generatio ſit, ad illam tamen veram ex patris ſubſtantia comparata, terrena eſt. Et non dixit, non intelligitis: ſed, non creditis. Si quidem qui intellectu difficilia non intelligit, meritò ignorantiæ accuſatur: qui verò quæ non ratione, ſed fide intelliguntur, non accipit: non amplius ſtultitiæ, ſed incredulitatis arguitur. Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis? Quando, quæſo, Domine, terrena docuiſti, qui homines ſemper ad cœleſtium rerum amorem,& terrenarum contemptum adhortatus es? Certè nunquam. Sed hic tamen terrena vocat, moralis philoſophiæ documenta, quæ portio quædam haud contemnenda diuinæ legis ſunt. Quæ tamen terrena appellauit: quoniam ad ea humanæ rationis lumen pertingere poteſt. Eſt ergo ſenſus: quando ego documenta hæc, quæ rationi humanæ peruia ſunt, vobis annunciabam, non credebatis mihi: imò verò me aduerſus auaritiam,& diuitiarum cupiditatem declamante, Phariſæi, qui erant auariſſimi, doctrinam meam deridebant. Quomodo ergo ſi dixero vobis cœleſtia, quæ videlicet humanæ mentis facultatem ſuperant, credetis? Talia autem erant, quæ tunc Dominus de regeneratione hominis per infuſionem ſpiritus Nicodemo tradebat. Quæ terrena & cœleſtia.

Not. 6. ver. 9.

Fvlg. lib. 2. ad Traſi. cap. 17: Ipſe filius, vt immenſitatem diuinitatis ſuæ, in terra poſitus, demonſtraret, & ſecundum hominem, quem ſuſceperat, in terra poſitus, ſecundum Deum, quod ſemper erat, præſentem ſe etiam cœlo doceret, ait: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit filius hominis, qui eſt in cœlo. Non quia humana Chriſti ſubſtantia fuiſſet vbique diffuſa: ſed quoniam vnus, idemq; Dei atque hominis filius, verus Deus ex patre; ſicut homo verus ex homine; licet ſecundum veram humanitatem ſuam localiter, tunc eſſet in terra, ſecun-

ra, ſecundum diuinitatem tamen, quæ loco nullatenus continetur, cœlum totus impleret, & terram.

Hilar. Hilar. lib. 10. de Trin: Virgo enim non niſi ex ſancto Spiritu genuit, quod genuit. Et quamuis tantum ad natiuitatem carnis ex ſe daret, quantum ex ſe fœminæ edendorum corporum ſuſceptis originibus impenderent: non tamen Ieſus Chriſtus per humanæ conceptionis coaluit naturam. Sed omnis cauſa naſcendi inuecta per ſpiritum tenuit in hominis natiuitate quod matris eſt: cùm tamen haberet in originis natiuitate quod Dei. Hinc igitur maximum illud ac pulcherrimum ſuſcepti hominis ſacramentum Dominus ipſe oſtendit, dicens: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo. Quod deſcendit de cœlo conceptæ de ſpiritu originis cauſa eſt. Non enim ex ſe corpori Maria originem dedit: licet ad incrementa, partumq; corporis omne, quod ſexus ſui naturale eſt, contulerit. Quod verò hominis filius eſt, ſuſceptæ in virgine carnis eſt partus. Quod autem in cœlis eſt, naturæ ſemper manentis potestas eſt, quæ initiata, conditaque per ſe, carne non ſe ex infinitatis ſuæ virtute intra regionem definiti corporis coarctauit, ſpiritus virtute, ac verbi Dei poteſtate in forma ſerui manens, ab omni intra, extraque cœli, mundique circulos cœli, ac mundi Dominus non abfuit. Per hoc ergo & de cœlo deſcendit, & filius hominis eſt, & in cœlis eſt: quia verbum caro factum non amiſerat manere, quod verbum eſt. Nam dum verbum eſt, & in cœlis eſt: dum caro eſt, & hominis filius eſt: dum verbum eſt caro factum, & de cœlo eſt, & filius hominis eſt, & in cœlo eſt: quia & verbi virtus non corporalibus modis manens, non deerat vnde deſcenderat, & caro non aliunde originem ſumpſerat, quam ex verbo. Et verbum caro factum, cùm caro eſſet, non tamen non erat, & verbum. Abſolutè autem beatus Apoſtolus etiam huius inenarrandæ corporeæ natiuitatis ſacramentum locutus eſt, dicens: Primus homo de terræ limo, ſecundus homo de cœlo. Hominem enim dicens, natiuitatem ex virgine docuit, quæ officio vſa materno, ſexus ſui naturam in conceptu, & partu hominis executa eſt. Et cùm ait: ſecundum hominem de cœlo, originem eius ex ſuperuenientis in virginem ſancti Spiritus aditu teſtatus eſt. Atque ita cùm & homo eſt, & de cœlis eſt, hominis huius, & partus à virgine eſt, & conceptus ex ſpiritu eſt.

1 Cor. 15.

Aug. Ieſus, & Eccleſia vnus Chriſtus. Aug. lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 31: Nemo, inquit, aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit filius hominis, qui eſt in cœlo. Sic, inquit, fiet generatio ſpiritalis, vt ſint cœleſtes homines ex terrenis, quod adipiſci non poterunt, niſi membra mea efficiantur, vt ipſe aſcendat qui deſcendit, quia nemo aſcendit, niſi qui deſcendit. Niſi ergo in vnitatem Chriſti omnes mutandi, leuandique concurrant, vt Chriſtus, qui deſcendit ipſe aſcendat, non aliud deputans corpus ſuum, id eſt, Eccleſiam ſuam, quàm ſeipſum, quia de Chriſto, & Eccleſia verius intelligitur: Erunt duo in carne vna, de qua re ipſe dixit: Itaque iam non duo, ſed vna caro, aſcendere omnino non poterunt, quia nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit filius hominis, qui eſt in cœlo. Quamuis enim in terra factus ſit filius hominis; diuinitatem tamen ſuam, qua in cœlo manens deſcendit in terram, non indignam cenſuit nomine filij hominis, ſicut carnem ſuam dignatus eſt nomine filij Dei, ne quaſi duo Chriſti iſta accipiantur, vnus Deus, & alter homo, ſed vnus, atque idem Deus, & homo: Deus, quia in principio erat verbum, & Deus erat verbum: homo, quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ac per hoc per diſtantiam diuinitatis, & infirmitatis filius Dei manebat in cœlo, filius hominis ambulabat in terra. Per vnitatem verò perſonæ, qua vtraque ſubſtantia vnus Chriſtus eſt, & filius Dei ambulabat in terra, & idem ipſe filius hominis manebat in cœlo. Fit ergo credibilior fides ex incredibilioribus creditis. Si enim diuina ſubſtantia longè diſtantior, atque incomparabili diuerſitate ſublimior, potuit propter nos ita ſuſcipere humanam ſubſtantiam, vt vna perſona fieret, ac ſic filius hominis, qui erat in terra per carnis infirmitatem, idem ipſe eſſet in cœlo per participatam carni diuinitatem, quantò credibilius alij homines ſancti, & fideles eius fiunt cum homine Chriſto vnus Chriſtus, vt omnibus per eius hanc gratiam ſocietatemque aſcendentibus, ipſe vnus Chriſtus aſcendat in cœlum, qui de cœlo decendit? Sic & Apoſtolus ait: Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum eſt corpus, ita & Chriſtus: non dixit, ita & Chriſti, id eſt, corpus Chriſti, vel membra Chriſti: ſed ita & Chriſtus: vnum Chriſtum appellans caput & corpus. Et cap. 32. Magna hæc & mira dignatio, quæ quoniam fieri non poteſt, niſi per remiſſionem peccatorum, ſequitur & dicit: Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem.

Gen. 2. Matt. 19.

Greg. Greg. lib. 27. Moralium cap. 11: Sed ſi nos quoque qui editi in terra ſumus, cœlum conſcendimus, vbi eſt quod rurſum veritas dicit: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, filius hominis, qui eſt in cœlo? Cui nimirum ſententiæ ſtatim obuiat, quòd hæc eadem veritas dicit: Pater, volo, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum. Quæ ſibi in verbis ſuis non diſcrepat, ſed ad inquirenda hæc quaſi diſcordantia ſtudium noſtræ mentis inflammat. Omnes enim nos, qui in eius fide nati ſumus, eius proculdubio corpus exiſtimus. Quia igitur mira diſpenſatione pietatis membrorum ſuorum Dominus caput factus eſt: repulſa reproborum multitudine, ſolus eſt etiam nobiſcum. Nemo igitur aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo: quia dum nos vnum cum illo iam facti ſumus, vnde ſolus venit in ſe, illuc ſolus redit etiam in nobis, & is qui in cœlo ſemper eſt, ad cœlum quotidie aſcendit: quia qui diuinitate ſuper omnia permanet,

Ioan. 17.

manet, humanitatis ſuæ compage ſeſe quotidie ad cœlos trahit. Ergo ſi deſperet humana fragilitas, vnigeniti ſanguinem conſideret,& in precio ſuo conſpiciat, quàm magna eſt, quæ tanti valet. Perpendat ſollicitè, quo caput præceſſit, & quo ad viuendum præceptis aſtringitur, ad ſpectandum exemplo roboretur, confidat cœlos, ſperet ſupernam patriam, Angelorum ſe ſociam ſciat, atque in ſuo capite prælatam ſe etiam Angelis gaudeat.

Not. 7. ver. 10.

Amb. AMB. lib. 1. de pœnit. cap. 10: Cum, omnis, dicitur, nullus excluditur, nullus excipitur. Non enim excipit eum, qui lapſus eſt, ſi tamen poſtea bene credat. Omnis, inquit, hoc eſt, ex quocunque ſtatu, ex quocunque lapſu, ſi credat, perire non timeat. Et ſermone 55: Si affixus ſerpens ligno, filijs Iſrael contulit ſanitatem: quanto magis ſalutem præſtat populis Dominus in patibulo crucifixus? Et ſi figura tantum profuit: quantam prodeſſe credimus veritatem?

Nyſſen. lib. de vita Moſis animal id (ſerpens) quamuis parum accommodari ſacris myſterijs poſſe videatur; ipſa tamen Euangelica veritas hanc imaginem non omnino contemnit, cum dicat: Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic filium hominis exaltari oportet. Cuius ratio patet, nam cum diuinæ litteræ peccati patrem ſerpentem nominent, profectò quod à ſerpente natum eſt, ſerpens eſt. Quamobrem peccatum parentis ſui nomen merito ſuſcepit, ſerpenſque iure appellatur. At verò Dominum propter nos peccatum eſſe factum Apoſtolicus ſermo teſtatur. Suſcepit enim mortalitatem noſtram, qui peccando mortales facti ſumus. Si peccatum ſerpens eſt, Dominus autem peccatum factus eſt, patet quod ſequitur: nam qui peccatum factus eſt, ſerpens factus eſt, & id propter nos, vt Ægyptios ſerpentes, qui per Magos viuificari videntur, conſumat & deſtruat. Quo facto, rurſus in virgam vertitur, qua delinquentes caſtigantur, & cōſolantur, qui arduam ac difficilem virtutis pergunt viam, baculo fidei optima ſpe innixi. Et prooemio comment. in Cant: Serpentem æneum ſublime elatum, qui populo mortiferis morſibus ſauciato opem ferebat, transfert ad diſpenſationem in cruce pro nobis factam.

Aug. Aug. lib. 1. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 32: Quid tunc in deſerto factum ſit, nouimus, ſerpentum morſibus multi moriebantur: tunc populus peccata ſua confitens, per Moyſen deprecatus eſt Deum, vt hoc ab eis virus auferret, ac ſic Moyſes ex præcepto Domini exaltauit in deſerto æneum ſerpentem; admonuitque populum, vt illum exaltatum quiſquis à ſerpente morderetur attenderet: hoc facientes ſanabantur continuo. Quid eſt exaltatus ſerpens, niſi mors Chriſti, eo ſignificandi modo, quo per efficientem id, quod efficitur ſignificatur? A ſerpente quippe mors venit, qui peccatum quo mors mereretur, homini perſuaſit. Dominus autem in carnem ſuam non peccatum tranſtulit tanquam venenum ſerpentis, ſed tamen tranſtulit mortem, vt eſſet in ſimilitudine carnis peccati pœna ſine culpa, vnde in carne peccati, & culpa ſolueretur, & pœna. Sicut ergo tunc qui conſpiciebat exaltatum ſerpentem, & à veneno ſanabatur, & à morte liberabatur, ſic nunc qui conformatur ſimilitudini mortis Chriſti per fidem baptiſmumque eius, & à peccato per iuſtificationem, & à morte per reſurrectionem liberatur. Hoc eſt enim quod ait: Vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Quid igitur opus eſt, vt Chriſti morti per baptiſmum conformetur paruulus, ſi morſu ſerpentis non eſt omnino venenatus?

Not. 8. ver. 11.

HILAR. lib. 6. de Trinit: Deus mundum diligens, hoc dilectionis ſuæ in eum teſtimonium protulit, vt vnigenitum filium ſuum daret. Si dilectionis hinc fides eſt, creaturam creaturis præſtitiſſe, & pro mundo id, quod mundi eſt dediſſe, & ad ea quæ ex nihilo ſunt ſubſtituta redimenda, eum qui ex nihilo ſubſtitit præbuiſſe: non facit magni meriti fidem vilis, & ſpernenda iactura. Precioſa autem ſunt, quæ commendant charitatem, & ingentia ingentibus æſtimantur. Deus diligens mundum filium non adoptiuum, ſed ſuum, ſed vnigenitum dedit. Hic proprietas eſt, natiuitas eſt, veritas eſt: non creatio eſt, non adoptio eſt, non falſitas eſt. Hinc dilectionis, & charitatis fides eſt, mundi ſaluti, & filium, & ſuum, & vnigenitum præſtitiſſe. Hilar.

Aug. lib. 1. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 33: Deinde ſi, quod conſequenter dicit, Deus ſic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam: periturus erat paruulus, nec habiturus vitam æternam, ſi per ſacramentum baptiſmi non crederet vnigenitum filium Dei. Aug.

Chryſoſt. hom. 27. in Geneſ: Tandem vbi vidit poſt tātam ſuam prouidentiam adhuc multa & ineffabili miſericordia indigere humanum genus, & nihil profeciſſe, vel Patriarchas, vel Prophetas, vel ſigna admirabilia, vel pœnas, vel admonitiones illas quotidie adhibitas, & captiuitates illas ſibi inuicem ſuccedentes: quaſi miſeratus genus noſtrum, miſit ad nos animarum corporumque medicum, vnigenitum ſuum filium, ex paternis ſuis finibus exurgentem: fecitque ſuſcepta ſerui forma, è virgine naſci, & nobiſcum conuerſari, & omnia noſtra ferre, vt genus noſtrum peccatis oppreſſum iacens, à terris in cœlum ſubuehere poſſit. Et hoc obſtupeſcens tonitrui filius, conſideranſq; charitatis diuinæ excellentiam, quam erga genus noſtrum declarauit, clamabat, & dicebat: Sic enim dilexit Deus mundum. Vide quanto miraculo plena hæc dictio: Sic, inquit, magnitudinem expendens, quam dicturus erat, propterea Chryſoſt.

præterea ad hunc modum exorſus eſt: Sic dilexit. Dic igitur nobis, beate Ioannes, quomodo ſic? dic menſuram, dic magnitudinem, doce nos excellentiam. Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Vidiſti cauſam aduentus filij hanc eſſe, vt per fidem in illum ij, qui perituri erant, ſalutis occaſionem inuenirent?

Not. 9. ver. 13.

Greg. GREG. lib. 26. Moral. cap. 24: Duæ ſunt partes, electorum ſcilicet, atque reproborum. Sed bini ordines eiſdem ſingulis partibus continentur: Alij namque iudicantur, & pereunt: alij non iudicantur, & pereunt: Alij iudicantur, & regnant: alij non iudicantur, & regnant. Iudicantur, & pereunt; quibus dominica voce in damnatione dicitur: Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, &c. Quibus præmittitur: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Alij vero in extremo iudicio non iudicantur, & pereunt. De quibus Propheta ait: Non reſurgunt impij in iudicio: & de quibus Dominus dicit: Qui autem non credit, iam iudicatus eſt: & de quibus Paulus ait: Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt. Reſurgunt ergo etiam omnes infideles; ſed ad tormentum, non ad iudicium. Non enim eorum tunc cauſa diſcutitur: quia ad conſpectum diſtricti iudicis iam cum damnatione ſuæ infidelitatis accedunt. Profeſſionem vero fidei retinentes, ſed profeſſionis opera non habentes, redarguuntur, vt pereant. Qui verò nec fidei ſacramenta tenuerunt, increpationem iudicis in extrema examinatione non audiunt; quia præiudicati infidelitatis ſuæ tenebris, eius, quem deſpexerant, inuectione redargui non merentur. Illi ſaltem iudicis verba audiunt: quia eius fidei ſaltem verba tenuerunt. Iſti in damnatione ſua, æterni iudicis nec verba percipiunt: quia eius reuerentiam, nec verbotenus ſeruare voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia ſub lege poſiti peccauerunt: iſtis in perditione ſua de lege nihil dicitur; quia nihil legis habere conati ſunt.

cap. 165. Pſal. 1.

Et cap. 25: Princeps namque terrenam rempublicam regens, aliter punit ciuem interius delinquentem, atque aliter exterius hoſtem rebellantem. In illo, iura ſua conſulit, eumque ſub verbis dignæ inuectionis addicit: contra hoſtem vero bella mouet, inſtrumenta perditionis exercet, dignaque eius malitiæ tormenta retribuit: de malo vero eius quid lex habeat, non requirit. Neque enim lege neceſſe eſt puniri, qui lege nunquam potuit teneri. Ita ergo in extremo iudicio, & legalis illum inuexio percutit; qui ab eo, quod profeſſione tenuit, actione declinauit: & iſte ſine iudicij inuectione perimitur, qui lege fidei non tenetur.

Hilar. Hilar. in Pſal. 1: Qui autem reſurrectionis, & iudicij ordo intelligendus ſit, Dominus in Euangelijs oſtendit, dicens: Qui credit in me, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt. Hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in hunc mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lumen. Negligentiam audientium, & incurioſam legentium facilitatem dicti Dominici ſermo perturbat; Cùm enim dicit: Qui credit in me, non iudicabitur: exemit iudicio fideles, & cùm ſubiecit: Qui autem non credit, iam iudicatus eſt: non admiſit ad iudicium infideles. Ergo ſi credentes exemit, & repulit infideles, nec in hos, nec in illos iudicij ſorte permiſſa, quomodo conuenire ſibi in hoc quod tertium ait, exiſtimabitur: hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem? Non enim poteſt videri locus eſſe iudicio: cùm neque infideles, neque fideles, ſint iudicandi. Et hæc quidem ita eſſe auctoribus negligentibus, & lectoribus incurioſis videbuntur, cæterùm in ſe virtus ipſa verborum proprietatem dicti, & intelligentiam continet: Qui credit, inquit, non iudicabitur. Quid enim neceſſe eſt iudicare credentem? Iudicium enim ex ambiguis rebus exiſtit: & ambiguitate adempta, iudicij non deſideratur examen. Ex quo ne infideles quidem neceſſe eſt iudicari, quia ambiguitas, cùm infideles ſint, non reſedit. Sed adempto in credentes non credentesque iudicio, cauſam Dominus iudicij, & auctores in quos iudicari neceſſe eſſet, adiecit. Sunt enim aliqui inter impios pioſque, qui medij ſint, ex vtroque admixti, neutri tamen propriè, quia in idipſum conſtiterint ex vtroque: nec fidei admiſcendi, quia ſit illis aliquid infirmitatis inſertum: nec infidelitati deputandi, quia aliquid habeant & fidei. Plures namque Dei metus in Eccleſia continet: ſed eoſdem tamen ad ſecularia vitia ſeculi blandimenta ſolicitant. Orant, quia timent: peccant, quia volunt: Chriſtianos ſe nuncupant, quia bona eſt ſpes æternitatis: gentilia agunt, quia blanda præſentia ſunt. Impij non manent, quia his Dei nomen in honore eſt: pij non ſunt, quia quæ pietati ſunt aliena ſectantur. Et neceſſe eſt ea magis diligant, per quæ id, quod ſe nuncupant, eſſe non poſſunt ſecundum nuncupationis voluntatem, operum voluntate potiore. Et idcirco Dominus poſteaquam credentes non iudicandos, & non credentes iam iudicatos eſſe dixerat, addidit: hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lumen. In eos ergo iudicii ſeſt, quod iam & in incredulos actum eſt: & in credentes non neceſſarium eſt: quia magis tenebras, quàm lumen dilexerint: non quod non dilexerint & lumen, ſed quod dilectio illis fuerit magis propenſa tenebrarum. Præferri enim ſolet dilectioni ex comparatione dilectio: & hinc iudicium eſt, quia cùm dilexerint Chriſtum, magis tamen tenebras dilexerunt. Hi ergo iudicabuntur, qui neque vt pij non iudicabuntur, neque iam fuerint, vt impij iudicati: in quos ex prælata potius dilectione iudicium. Huius quidem Euangelicæ diſpoſi-

diſpoſitionis tenuit, & propheta rationem, dicens: Propterea non reſurgunt impij in iudicio, neque peccatores in conſilio iuſtorum. Impijs iudicium, quia iam iudicati ſunt, non relinquit: peccatoribus autem, quos ſuperiori ſermone diſcerni ab impijs docuimus, conſilium iuſtorum, quia iudicandi ſint, denegauit. Illos enim præiudicatos impietas facit, hos verò peccatum detinet iudicandos. Itaque neque impietas, quæ iam iudicata eſt, peccatorum eſt permiſſa iudicio: neque peccatores, qui iudicandi ſunt, iuſtorum, qui non iudicabuntur, meriti ſunt digni eſſe conſilio. Et huius differentiæ hinc ordo proficiſcitur.

Aug. Aug. lib. 1. de peccatorum mer. & remiſſ. cap. 33: Vbi ergo paruulos ponimus baptizatos, niſi inter fideles, ſicut vniuerſæ vbique Eccleſiæ clamat auctoritas? ergo inter eos, qui crediderunt: hoc enim eis acquiritur per virtutem ſacramenti, & offerentium reſponſionem: ac per hoc eos qui baptizati non ſunt, inter eos, qui non crediderunt. Porro ſi illi qui baptizati ſunt non iudicantur, iſti, quia carent baptiſmo, iudicantur.

Not. 10. ver. 14.

Aug. Aug. lib. 1. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 33: Vnde lux venit in mundum, niſi de ſuo dicit aduentu, ſine cuius aduentus ſacramento, quomodo paruuli eſſe dicuntur in luce? Aut quomodo non & hoc in dilectione tenebrarum habent, qui quemadmodum ipſi non credunt, ſic nec baptizandos ſuos paruulos arbitrantur, quando eis mortem corporis timent?

Not. 11. ver. 15.

Aug. Avg. lib. 1. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 33: In Deo autem dicit facta opera eius, qui venit ad lucem, quia intelligit iuſtificationem ſuam, non ad ſua merita, ſed ad Dei gratiam pertinere, Phil. 2. Deus eſt enim, inquit Apoſtolus, qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate. Hoc modo ergo fit omnium ex carnali generatione ad Chriſtum venientium regeneratio ſpiritalis. Ipſe hoc aperuit, ipſe monſtrauit cum ab eo quæreretur, quomodo poſſent iſta fieri, nemini humanam argumentationem in hac cauſa liberam fecit, vt non alienentur paruuli à gratia remiſſionis peccatorum. Non aliter tranſitur ad Chriſtum, nemo aliter poteſt Deo reconciliari, & ad Deum venire, niſi per Chriſtum. Et lib. 10. Conf. cap. 23: Multos expertus ſum, qui velint fallere; qui autem falli, neminem. Aug. Vbi ergo nouerunt hanc vitam beatam, niſi vbi nouerunt etiam veritatem? amant enim & ipſam, quia falli nolunt. Et cùm amant beatam vitam, quod non eſt aliud, quam de veritate gaudium, vtique amant etiam veritatem: nec amarent, niſi eſſet aliqua notitia eius in memoria eorum. Cur ergo non de illa gaudent? Cur non beati ſunt? Quia fortius occupantur in alijs, quæ potius eos faciunt miſeros, quam illud beatos, quod tenuiter meminerunt. Adhuc enim modicum lumen eſt in hominibus, ambulent, ambulent, ne eos tenebræ cõprehendant. Ioan. 12. Cur autem veritas parit odium, & inimicus eis factus eſt homo tuus verum prędicans, cùm ametur beata vita, quæ non eſt niſi gaudium de veritate: niſi quia ſic amatur veritas, vt quicunque aliud amant, hoc quod amant, velint eſſe veritatem: & quia falli nollent, nolunt conuinci quod falſi ſint? Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia enim falli nolunt, & fallere volunt, amant eam cùm ſeipſam indicat, & oderunt eam cùm eoſipſos indicat. Inde retribuet eis, vt qui ſe ab ea manifeſtari nolunt, & eos nolentes manifeſtet, & eis ipſa non ſit manifeſta. Sic ſic etiam, ſic animus humanus etiam, ſic cæcus, & languidus, turpis atque indecens latere vult; ſe autem vt lateat aliquid non vult. Contra illi redditur, vt ipſe non lateat veritatem, ipſum autem veritas lateat. Tamen etiam ſic dum miſer eſt, veris mauult gaudere, quam falſis. Beatus ergo erit, ſi nulla interpellante moleſtia de ipſa per quam vera ſunt omnia, ſola veritate gaudebit.

Cap. 24. *Deſcendit Chriſtus iuxta Iordanem, vbi plures baptizat, quam Ioannes: qui ſupra hoc aditus, omnem auctoritatem vni Chriſto, vt ſoli vero ſponſo, detulit.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 3.*
			1 POST hæc venit Ieſus, & diſcipuli eius, in terram Iudæam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. 2 Erat autem & Ioannes baptizans in Ænon, iuxta Salim; quia aquæ multæ erant illic: & veniebant, & baptizabantur: nondum enim miſſus fuerat Ioannes in carcerem. 3 Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Ioannis cum Iudæis, de purificatione; & venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui tecum erat trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. 4 Reſpondit Ioannes, & dixit: Non poteſt homo accipere

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 3.*
			quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo. Ipſi vos mihi teſti- monium perhibetis, quod dixerim: Non ſum ego Chriſtus: ſed quia miſſus ſum ante illum. 5 Qui habet ſponſam ſponſus eſt; amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi, hoc ergo gaudium meum impletum eſt. 6 Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, de terra eſt, & de ter- ra loquitur. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. 7 Et quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur; & teſtimonium e- ius nemo accepit; qui accepit eius teſtimonium, ſignauit quia Deus verax eſt. Quem enim miſit Deus, verba Dei lo- quitur: non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum. 8 Pater diligit filium; & omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredu- lus eſt filio, non videbit vitam: ſed ira Dei manet ſuper eum.]

Not. 1. ver. 1.

EVANGELISTA non expreſſit, vnde iam Chriſtus in Iudæam venerit: quod tamen è Hieruſalem, & non è Galilæa eo ſe contulerit colligi poſſe videtur ex præcedentibus, & ſequentibus. Illam ſiquidem Ieſu cum Nicodemo diſputationem Hieroſolymis fuiſſe habitam, poſt Bedam, teſtatur auctor Gloſſæ ordinariæ. Et Thomas in caten. Ioan. 3. præterea capite 27. ver. 12. dicit Euangeliſta: Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus cum veniſſet à Iudæa in Galilæam: vnde intelligitur illum ſecundum eſſe acceſſum è Iudæa in Galilæam, qui eſſet tertius ſi iam è Galilæa veniſſet in Iudæam. Inſtitutum fuit prius baptiſma Chriſti; cuius modo vſus eſſe cœpit. Et Ieſum baptizandi opus à ſe inchoatum per ſuos perfeciſſe, vt cap. 26. ver. 1. à Ioanne indicatur; omnes pariter affirmant. Ex Hieruſalem Dominus in quendam Iudææ locum, illi forte, in quo Ioannes baptizabat, vicinum profectus eſt: ac inde poſtea in Galilæam receſſit. Sed non continuo inde Galilæam petiiſſe videtur: at longiores in Iudæa traxiſſe moras; donec ſcilicet in carcerem Ioannes Baptiſta mitteretur. Scribit enim Euangeliſta 1. verſu, quod illic morabatur, cum diſcipulis. Et cap. 26. diſcipulis ſuis Chriſtus inde rediens ait: Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Si ergo menſibus quatuor ante meſſem Dominus ex Iudæa receſſit, vſque ad Nouembrem illic permanſiſſe videtur. Nam primo menſe in Paſchate ſacerdos manipulum ſpicarum offerebat, vt habetur Leuit. 23.

Bed. Gloſ. Tho.

Aug. Aug. ep. 108. ad Seleucianam: Ieſus baptizabat præſentia maieſtatis; non tamen manibus ſuis. Tunc ergo quando ab Hieroſolymis exiit cum diſcipulis ſuis in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis, baptizabat, non per ſeipſum, ſed per diſcipulos ſuos. Scriptum eſt quando baptizatus ſit Apoſtolus Paulus, & ſcriptum non eſt, quando baptizati ſint alij Apoſtoli. Veruntamen etiam ipſos baptizatos intelligere debemus, &c.

Niceph. Euod. Niceph. lib. 2. hiſt. cap. 3: Diuinus Euodius, qui & ipſe Apoſtolorum ſucceſſor fuit, in commentarijs ſuis, præcipuè autem in epiſt. quam lumen inſcripſit, hæc quoque poſuit: Chriſtus, inquiens, manibus ipſe ſuis, Petrum tantummodo baptizauit. Petrus porro Andream, & filios Zebedæi. Ij deinceps reliquos Apoſtolos. Septuaginta autem illos Petrus, & Ioannes Theologus dictus baptizarunt.

Tert. Tertul. lib. de baptiſ. cap. 11: Sed ecce, inquiunt, venit Dominus, & non tinxit. Legimus enim: & tamen is non tinguebat: verùm diſcipuli eius. Quia re vera ipſum ſuis manibus tincturum Ioannes prædicaſſet: non vtique ſic intelligendum eſt: ſed ſimpliciter dictum more communi. Sicut eſt, verbi gratia, Imperator propoſuit edictum, aut præfectus fuſtibus cecidit: nunquid ipſe proponit, aut nunquid ipſe cædit? Semper is dicitur facere, cui præminiſtratur.

Tert. Et cap. 12. Cùm verò præſcribitur nemini ſine baptiſmo competere ſalutem, ex illa maximè pronuntiatione Domini, qui ait: Niſi natus ex aqua quis erit, non habet vitam, ſuboriuntur ſcrupuloſi, immo temerarij retractatus quorundam: quomodo ex iſta præſcriptione Apoſtolis ſalus competat, quos tinctos non inuenimus in Domino, præter Paulum. Immo quum Paulus ſolus ex illis baptiſmum Chriſti induerit, aut præiudicatum eſſe de cæterorum periculo, qui careant aqua Chriſti, vt præſcriptio ſalua ſit, aut reſcindi præſcriptionem, ſi etiam non tinctis ſalus ſtatuta eſt. Audiui Domino teſte, eiuſmodi, ne quis me tam perditum exiſtimet, vt vltro exagitem libidinem ſtyli, quę alijs ſcrupulum incutiat. Et nunc illis, vt potero, reſpondebo, qui negant Apoſtolos tinctos. Nam ſi humanum Ioãnis baptiſmum inierant, & Dominicum deſiderabant, quatenus vnum baptiſmum definierat ipſe Dominus, dicens Petro perfundi nolenti: Qui ſemel lauit, non habet neceſſe rurſum: quod vtique non tincto non omnino dixiſſet, &c.

Not. 2.

Not. 2. ver. 2.

Hieron. ep. 126. ad Euag: Salem autem, non vt Ioſephus, & noſtri omnes arbitrantur eſſe Hieruſalem, nomen ex Græco, Hebraicoq; compoſitum: quod abſurdum eſſe, peregrinæ linguæ mixtura demonſtrat: ſed oppidum iuxta Scyropolim, quod vſque hodie appellatur Salem, & oſtenditur ibi palatium Melchiſedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis oſtendens magnificentiam: de quo in poſteriore quoque parte Geneſeos ſcriptum eſt: Venit Iacob in Socoth, id eſt, in tabernacula, & fecit ſibi ibi domos, atque tentoria, & tranſiuit in Salem ciuitatem regionis Sichem, quæ eſt in terra Chanaan. Conſiderandum quoque eſt, quod Abrahæ à cæde hoſtium reuertenti, quos perſequutus eſt vſque Dan, quæ hodie Paneas appellatur, non de via Hieruſalem, ſed de oppido Metropoleos Sichem in itinere fuerit: de quo in Euangelio quoque legimus: Erat autem Ioannes baptizans in Ennon, iuxta Salim, quia aquæ erant multæ ibi. Nec refert, vtrum Salem, an Salim nominetur, cum vocalibus in medio litteris perraro vtantur Hebræi, & pro voluntate lectorum, atque varietate regionum, eadem verba diuerſis ſonis, atque accentibus proferantur. Hæc ab eruditiſſimis gentis illius didicimus.

Not. 3. ver. 4.

Prosp. lib. 1. de vocat. Gent. cap. 24: Ioannes quoque Euangeliſta pronunciat, neminem aliquid boni habere, niſi quod deſurſum acceperit, dicens: Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo.

Beda Luc. 7: His verbis Ioannes & ſe purum hominem, & Chriſtum Dei eſſe filium manifeſtè declarat.

Occaſione expoſtulationis diſcipulorũ Ioannis, de eo, quod omnes properarent ad baptiſmum Chriſti, Ioannes egregiam iterum de Ieſu, quod verè eſſet Meſſias, confeſſionem inſtituit; deque illius exaltatione, ſui vero humiliatione prædicit: multaque alia in eius commendationem eſt locutus.

Not. 4. ver. 5.

Isidor. Hiſpa. in lib. Ruth: Confitetur ipſe de Domino, dicẽs: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Se autem amicum ſpõſi manifeſtat, cùm adiecit: Amicus autem ſponſi eſt, &c.

Greg. hom. 20. in Euang: Eius eſſe ſponſam Eccleſiam credebant, qui hunc Chriſtum eſſe exiſtimabant. Sed ait: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt; ac ſi diceret: Ego ſponſus non ſum; ſed amicus ſponſi ſum: nec propter vocem ſuam; ſed in voce ſponſi ſe gaudere perhibebat: quia non ideo lætabatur in corde, quoniam à populis humiliter audiebatur loquens; ſed quia ipſe veritatis vocem audiebat intus, vt loqueretur foris. Quod bene gaudium impletum dicit: quia quiſquis de ſua voce gaudet, plenum gaudium non habet.

Diſcipulis Chriſti baptizantibus, non ceſſauit Ioannes baptizare, vſque ad incarcerationem: & hoc ſignificat Euangeliſta ver. 2. dicens, quod nondum miſſus fuerat Ioannes in carcerem. Sic docet Chryſoſt. hom. 28. in Ioan. & alij plures. Iiſdem quoque verbis apertè ſatis Ioannes Euangeliſta monet, non ſolum hæc non diu ante Ioannis vincula contigiſſe; verum etiam ea ſe Chriſti facta notare, quæ ante Ioannem in vinculis habitum geſta ſunt, quæ alij Euangeliſtæ præterierunt: ab ijs quæ poſt Ioannis incarcerationem contigerunt incipientes. Sic Beda, Gloſſa ord. & Aquinas in cate. Ioannis 3. & alij: Cæterum ipſe Domini præcurſor, cum ait ver. 6. illum oportet creſcere, me autem minui: non obſcurè munus ſuum, & baptiſmum fini appropinquare, ſuccedente Chriſti baptiſmate, inſinuat.

Not. 5. ver. 6.

Amb. ſerm. 12: Verum eſt quod ait ſanctus Ioannes Baptiſta de Domino Saluatore, dicens: Illum oportet creſcere; me autem minui. Siquidem hoc primum etiam ipſis temporibus approbetur. Ecce enim in Natiuitate Chriſti dies creſcit, & Ioannis natiuitate decreſcit. Illo oriente lux proficit, hoc naſcente minuitur. Ipſa enim quodam modo tempora famulantia partibus ſuis, cùm detrimentum faciunt, ſeruus gignitur: cùm autem Dominus naſcitur, conſequitur augmentum. Profectum planè facit dies cùm mundi Saluator oritur: defectum patitur, cùm vltimus propheta generatur. Scriptum eſt enim: Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem. Atque ideo neceſſe erat, vt obſcuraretur legis obſeruatio, vbi euocatio, vbi Euangelij gratia refulgebat: & ceſſaret prophetia veteris teſtamenti, cum noui teſtamenti gratia ſuccedebat. Ergo in natiuitate Domini proficit dies. Non mirum ſi proficit dies, quam ſplendidiſſima lux veritatis illuminat. Ait enim Euangeliſta de Chriſto Domino: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Cur non illuminaret mundum? Et lib. de benedict. Patriar. cap. 11: Illum oportet creſcere: quia per illius illud ſalutare perfectumque nomen, cumulata eſt in hoc mundo, & abundauit gratia. Et lib. 2. in Luc. Plerumque Ioannes perſonam accepit populi Iudæorum. Vnde ad hoc referunt, quod ait: Illum oportet creſcere: me autem minorari: quod oporteret minorem fieri populum Iudæorum: creſcere in Chriſto populum Chriſtianum.

Ber. ſer. in nat. Ioan. Bapt: Quomodo minui? Splendore vtique, non feruore. Retraxit radios, recollegit ſe, ne fieret ſicut is, qui totum profert ſpiritum ſuum. Illum (inquit) oportet creſcere, qui exhauriri non poteſt, de cuius plenitudine omnes accipiant. Me autem minui, cui datus eſt ſpiritus ad menſuram; & danda magis opera, vt ardere ſemper valeam, quàm lucere. Præceſſi

ſolem tanquam ſydus matutinum, abſcondi neceſſe eſt, orto iam ſole. Non eſt mihi niſi modicum olei, quo vngar, volo illud in vaſe tutius, quàm in lampade poſſidere.

Chryſoſt. 5 ſenſ. — Chryſoſt. ſerm. de natiu. Ioan. Bapt: Illum oportet creſcere, inquit, me autem minui. Minorata autem fuerat lux à tenebris, cùm Iudæi ſecundum legem, & prophetiam ſacrificia Deo offerebant, in quo & Ioannes conceptus eſt, in quo etiam incuſabantur à Domino, dicente Eſa. 1. Eſaia propheta: Quo mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum? dicit Dominus: Plenus ſum holocauſtomatis arietum; & pinguedinem taurorum, & hircorum nolo. Hæc ſunt enim, quæ ante propter peccata populi offerebantur, quæ iam ceſſare oportebat, cùm Ioannes idem Baptiſta conciperetur.

Greg. 6. ſen. Vt Ieſus creuerit, Ioannes vero ſit minutus. — Greg. hom. 20. in Euang: Quærendum eſt in quo creuit Chriſtus, in quo imminutus eſt Ioannes, niſi quod populus, Ioannis abſtinentiam videns, remotum hunc ab hominibus eſſe conſpiciens, eum eſſe Chriſtum putabat. Chriſtum verò cum publicanis comedentem, inter peccatores ambulantem intuens, eum non Chriſtũ eſſe, ſed eſſe prophetam credebat. Sed cùm per acceſſum temporis, & Chriſtus, qui propheta eſſe putabatur, Chriſtus eſt agnitus: & Ioannes, qui Chriſtus eſſe credebatur, propheta eſſe innotuit, impletum eſt, quod de Chriſto ſuus præcurſor prædixit. In æſtimatione quippe populi, & Chriſtus creuit: quia agnitus eſt eſſe, quod erat: & Ioannes decreuit: quia ceſſauit dici, quod non erat.

Aug. 7. ſenſ. — Aug. ſerm. 116. in nouis: Factum eſt Ioanni, quod ipſe prædixerat: illum oportet creſcere, dixerat de Domino, me autem minui. Iſte minoratus eſt in capite: ille creuit in cruce.

Not. 6. ver. 7.

Proſp. — PROSP. lib. 1. de vocat. Gent. cap. 9: Scriptura ſiue de bonis, ſiue de malis loquatur, ita vnius partis meminit, quaſi neminem hominum prætermittat. Sicut etiam cum de impijs ſermo eſt, ita locutionem ſuam diuinus ſtylus ordinat, vt ea, quæ de quadam parte dicuntur, ad omnes homines pertinere videantur: veluti eſt illud, quod ait Ioannes Baptiſta: Qui de cœlo venit ſupèr omnes eſt, quod vidit, & audiuit, teſtificatur; & teſtimonium eius nemo accipit. Aut illud Apoſtoli: Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt; non quæ Ieſu Chriſti. (Phil. 2.) Aut illud, quod pſalmus Dauidicus canit: Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum: omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. (Pſal. 13.) His igitur & alijs documentis, quæ poſſunt ab inquirentibus numeroſiora proferri non dubiè demonſtratur, interdum & pro parte terræ omnem terram, & pro parte mundi totum mundum, & pro parte hominũ omnes homines nominari. Quorum tamen diſcretionem plerumque ſcriptura citò aperit, vt ſenſus legentis ab vniuerſitatis appellatione ad partem, quæ intelligenda eſt, transferatur.

Ver. 8.

Amb. — AMB. lib. 1. de pœnitentiâ cap. 11: Quod manet vtique iam cœpit, & ex delicto aliquo cœpit: quia ante non credidit. Vbi ergo quis credit, ira Dei diſcedit, vita autem accedit. Credere ergo in Chriſtum, lucrum vitæ eſt. Qui enim credit in eum, non iudicatur.

Fulg. Ira eſt condemnatio. — Fulgent. Ruſpen. lib. 1. ad moni. cap. 13: Hic iram pro condemnatione poſuit Ioannes Baptiſta: ſicut & cap. 15. ver. 13. & Paulus ad Rom. 3. & 1. ad Theſ. 1.

Cæſar. Cur de futuro tanquam præſenti loquatur. — Cæſar. dialogo 3: Qui non credit in me, iam condemnatus eſt: cùm nõdum iudicaſſet quenquam. Qui verò credit in me, habet vitam æternam; ea nondum recepta ab ijs, qui credunt, donec hac affectibus obnoxia, & craſſa vita liberati fuerint. Ex hac enim ad illam tranſimus. Sed ſermoni diuino credentes, futurumque certo tenentes, veluti ſi iam in ea conſtituti ſimus, ita ſimus affecti.

CAP. 25. *Ioannes in vincula conijcitur.*

Matth. 14.	*Mar. 6.* *In decollatione S. Ioannis.*	*Luc. 3.*	*Ioan.*
1 cap. 69.) HErodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum, & poſuit in carcerem.	1 cap. 69.) IPſe enim + Herodes miſit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere.	1 cap. 15.) HErodes autem tetrarcha.	
2 Propter Herodiadem vxorem fratris ſui.	2 Propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui.		
	3 Quia duxerat eam.		
4 Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam.	4 Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui.	4 Cum corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris ſui.	

Et volens

Matth. 14.	*Mar. 6.*	*Luc. 3.*	*Ioan.*
		5 Et de omnibus malis, quæ fecit Herodes.	
	6 Herodias autem inſidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat.	1 Adiecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Ioannem in carcere. (Factum eſt autem.cap. 17.	
7 Et volens illum occidere, timuit populum: quia ſicut Prophetam eum habebant. (Die autem natalis. cap.70.	7 Herodes enim metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum, & ſanctum: & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. (Et cum dies opportunus. cap. 70.		

Not. 1.

QVÆNAM cauſa præceſſerit, vt ab Herode Ioannes in vincula conijceretur, tres hic Euangeliſtæ conſcribunt. Porro hic omnino ponenda eſt Ioannis incarceratio, licet Euangeliſtarum nullus hoc eam loco narret. Quia ſeceſſum illum è Iudæa in Galilæam, quem Ioannes initio ſequentis proximè capitis ſubijcit, Matth. & Mar. poſt Ioannis incarcerationem accidiſſe teſtantur. Conſtituenda ergo fuit poſt illa, quæ cap. 24. & ante alia, quæ 26. deſcribuntur. Iſtud proinde non eo loco, & ordine, quo geſtum eſt, ab Euangeliſtis enarratur. Siquidem Lucas, quod de Ioannis incarceratione ait, per anticipationem dixit: dum id ante Chriſti, baptiſmum collocat. Nam Ioannis incarcerationi ſubdit de baptiſmo Chriſti: qui Ioannis ab Herode comprehenſionem anteceſſit. Quomodo autem Ioanne miſſo in carcerem Ieſus ab eo, ſecundum Lucæ narrationem, baptizatus eſt? vnde Lucas hoc præoccupaſſe intelligitur. Ibi enim id narrat, quod non tunc, ſed multo poſt factum eſſe, Ioannes Euangeliſta exponit, commemorãs Ieſum, poſtquam baptizatus eſt, iuiſſe in Galilæam, quando fecit de aqua vinum; & inde, poſt dierum paucorum habitationẽ in Capharnaum, redijſſe in Iudæã, vbi longas trahens moras, baptizauit, antequam Ioannes comprehenderetur. Proinde manifeſtum eſt, Lucam ex occaſione hoc in ſua narratione præmiſiſſe ante alia plura, quæ narraturus erat, priuſquam in vinculis haberetur Ioannes. Sed nec alij duo Matt. & Mar. de Ioanne miſſo in carcerem, eo, quo res contigit ordine, in ſua narratione poſuerunt; vt etiam ex eorum ſcriptis apparet: Ipſi namque dixerunt Dominum Ioanne tradito iſſe in Galilæam, & poſt multa, quæ in Galilæa fecit, ad Herodis veniunt hæſitationem: qua occaſione narrant omnia, quæ de Ioanne incluſo, & occiſo acciderunt. Itaq; nullius hic Euangeliſtæ narratio, ſi rei geſtæ ſeriem ſpectemus, cohæret. Sic Auguſt. lib. 2. de conſ. c. 17. 18. & 44. *Aug.*

Ver. 1.

Bed. BED. Luc. 3: Non his diebus captus eſt Ioannes: ſed iuxta Euangelium Ioannis poſt aliqua geſta ſigna à Domino, & poſt eius baptiſmum diffamatum: ſed à Luca propter exaggerandam malitiam Herodis præoccupatum eſt: qui cùm videret ad prædicationem Ioannis multos confluere, milites credere, publicanos pœnitere, totum vulgus baptiſma ſuſcipere, ipſe è conuerſo, non ſolum Ioannem contemnit: ſed vinculat & occidit.

Chryſol. ſer. 127: Qui vincula ſoluerat peccatorum, peccatoris vinculis alligatur: vt vincta venia locum veniæ non relinquat. Herodes, tu adulterium facis, & in carcerem vadit Ioannes? Sic Iudicas ſedens in loco Iudicis reus, in loco vindicis, innocentiæ perſecutor? Rogo vbi rerum facies? vbi fama? vbi pudor? vbi exiſtimatio publici cognitoris? Certè vbi Deus? vbi homo? vbi fas? vbi lex? vbi ipſius iura naturæ? Simul omnia ſunt, Herodes, te agente, te iudicante, te iubente, confuſa. Herodes, te cauſa petit, te arguunt vincula, te carcer accuſat, te diuulgat producta in publicum, Ioannis iniuria: cauſam cuſtodiæ qui requirit, inuenit in te quod puniat, & in Ioanne quod doleat. Ioannes orbi notus, fama virtutis cognitus, celebratiſſimus ſanctitate: dum trahit ad ſe ſuæ inquiſitores iniuriæ, facit vt tuus cunctis innoteſcat inceſtus: agit vt te habeat confuſio publica, quem corrigere non potuit ſecreta correctio. *Chryſol.*

Not. 2. ver. 2.

FVLG. ſerm. 7: Audiuimus vitijs obuiaſſe virtutes, cum Herodis nequitia, Herodiadis luxuria, ſancti vero Ioannis veneranda iuſtitia demonſtrata eſt: in tantum vt libenter ſuſciperet mortem, ne videretur contemnere veritatem. Vide quæ tria in vnam conuenerint cauſam. Mirandæ res, ſi recte diſcutias grauitatem prophetæ, luxuriam muliebrem, & Herodis ſæuiſſimam feritatem. Dicite mihi, quid habetis cum Ioanne Baptiſta, Herodes, & Herodias, quos ad conſortium adduxit nominum impuritas criminum? an hoc timetis, ne qui vobis vocabulis coniungimini, in luxuria forſitan ſeparemini? *Fulg.*

mini? Eſtote certiſſimi, quia ſicut vno conſenſu caditis in luxuriam, ita vno nomine ſuſcipietis ſententiam. Tenetis in carcere iuſtum: quia vobis legaliter interdixit inceſtum, quaſi poſſit veritas alligari. Et ſi omnia membra vinculorum nexibus aſtringat, ſola lingua non poteſt cuſtodiri: cui liberum eſt veritatem ab impijs contaminari. At, inquies, quare impedit deſiderium noſtrum? Ille poteſt deſiderium impedire, cui licet in tempore flagitia remouere. Nunc verò cùm hoc tibi denunciat Propheta, quia Domini voluntati diſpliceat, nemo fere ſapiens erubeſcit audire, quod non piguerit ſine verecundia perpetrare.

Chryſol. Chryſol. ſerm. 173: Herodias, quæ vxor eſſet duorum fratrum, ſceleris amore contendit, vt affectione violaret affectum, & ſociaretur Herodi Herodias, ne eſſent vel nomine diſſimiles, qui erant ſcelere, moribus, vitaque conſimiles: & iungerentur vocabulo, quos criminum iunxerat turpitudo.

Euſeb. Euſeb. lib. 1. hiſt. cap. 11: Ioſephus non modò nominatim Herodiadis meminit: verùm etiam oſtendit, quo pacto eam Herodes, cùm fratris vxor eſſet, priore ſua, & legitima coniuge repudiata, in matrimonium duxerit. Illa autem prior filia fuit Aretæ regis Arabiæ Petreæ. Hanc, Herodiadē dico, viro ſuo adhuc ſuperſtiti ademit: cuius cauſa etiam obtruncauit Ioannem. At cùm filiam Aretæ dedecore, & ignominia affeciſſet, bellum etiam contra eundem ſuſcepit, in quo quidem, cùm ad manus ventum eſſet, & grauiter confligi cœptum, omnem Herodis exercitum proſtratum concidiſſe: atque Herodem ob inſidias, quibus ex occulto Ioannem è medio ſuſtulerat, in iſtas vniuerſas calamitates incurriſſe declarat. Quin etiam idem auctor Ioãnem Baptiſtam inter eos qui iuſtitiæ, & probitatis cauſa ſummum fuiſſent honorem conſecuti, facilè primas obtinuiſſe fatetur: atque adeo cum his, quæ de illo in ſacroſanctis Euangelijs tradita ſunt, magnopere conſentit. Narrat præterea Herodem, propter ipſam Herodiadem regno excidiſſe: quacum etiam, eundem in exilium eiectum, hocque mulctatum ſupplicio, Viennam ciuitatem Galliæ deinceps incoluiſſe. Atque iſta ab illo, in decimo octauo Antiquitatis libro traduntur: vbi item hæc, quæ ſequuntur, de Ioanne ad verbum conſcribit. Nonnullis ex Iudæis opinio fuit, Herodis exercitum tam perditè profligatū peremptumque eſſe diuina vltione, propter pœnam Ioanni (qui appellabatur Baptiſta) inflictam meritiſſimo de illo ſupplicium ſumente. Herodes enim hunc neci dabat, qui & vir bonus fuit, & Iudæos hortatus eſt, vt tum virtutem excolerent, tum ea vitæ officia, quæ ſunt iuſtitiæ erga ſe mutuò, & pietatis erga Deum ſedulò obeuntes, ad baptiſmum recipiendum accederent. Sic namque lauacrum baptiſmatis Deo acceptum videri, cum eo non ad vllas peccatorum ſordes eluendas (quippe anima iuſtitiæ adiumento antea penitus erat omni vitiorum labe purgata) ſed ad corporis mundiciam vterentur. Atque vbi non pauci ad eum confluerent (per magnam enim ex eius ſermone audiendo cœpêre voluptatem) Herodes nonnihil veritus, ne illius perſuaſio eò procederet, vt homines inde ad defectionem impellerentur (omnia enim videbantur de conſilio Ioannis facturi) multo ſatius putabat eum ante morte occupare, quàm vel aliquid noui ab illo ederetur: vel facta rerum mutatione, in calamitates delapſus, ſerò ſapere perdiſceret. Hic igitur propter iſtam ſuſpicionem Herodis animo iniectam vinculis conſtrictus, & in arcem Macheruntem, quam ſuprà memorauimus, deductus, iſtud præterea ſupplicij genus perpeſſus eſt.

Not 3. ver 4.

HIERON. Matt. 14: Vetus narrat hiſtoria Philippum Herodis maioris filium, ſub quo Dominus fugit in Ægyptum, fratrem huius Herodis, ſub quo paſſus eſt Chriſtus, duxiſſe vxorem Herodiadem filiam Regis Aretæ: poſtea verò ſocerum eius, exortis quibuſdam contra generum ſimultatibus, tuliſſe filiam ſuam, & in dolorem prioris mariti, Herodis inimici eius nuptijs copulaſſe. Quis ſit autem hic Philippus, Euangeliſta Lucas pleniùs docet: Anno quinto decimo imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode: Philippo vero fratre eius Tetrarcha Ituree, & Trachonitidis regionis. Ergo Ioannes Baptiſta, qui venerat in Spiritu & virtute Heliæ, eadem auctoritate qua ille Achab corripuerat, & Iezabel: arguit Herodem & Herodiadem, quod illicitas nuptias fecerint, & non liceat fratre viuente germano vxorem illius ducere: malens periclitari apud Regem, quàm propter adulationem eſſe immemor præceptorum Dei. Hier.

Chryſol. ſerm. 127: Herodem Ioannes monitis non accuſatione pulſabat: corrigere voluit, non perire: ſed Herodes, facibus libidinis ardens, perire maluit, quàm redire; & vxorem fratris illicitè poſſidere. Captiuis criminum, innocentiæ inimicis, odioſa fit ſemper libertas, virtus contraria vitioſis, ſacrilegis exoſa ſanctitas, inimica caſtitas impudicis, corruptis integritas pœna, luxurioſis aduerſa frugalitas, crudelibus miſericordia, pietas impijs, iniuſtis iuſtitia non ferenda. Ecce vnde Ioannes offendit, ecce vnde Herodes furit: malos qui monet, offendit incurrit odium, qui arguit criminoſos, dicebat Ioannes quod erat legis, quod iuſtitiæ, quod ſalutis: certè quod erat non odij, ſed amoris: ecce qualem conſecutus eſt ab impio pro pietate mercedem. Vide Aug. lect. 7. & 8. die 29. Aug. Chryſol. Aug.

Ver: 6.

CHRYSOL. ſerm. 173: Herodes adulteræ non vincebat animum: nefas tamen adulteræ differebat. Illa, ne eſſet arguens, arguentis tendebat ad mortem: ille, vt placeret inceſtæ, captiuus ipſe, iuſtum tantum tenuit, vinxit incluſum: Chryſol.

cluſum: quia in innocentem reus facilè non poterat dictare ſententiam.

Ver. 7.

Hier. HIERON. Matt.14: Seditionem quippe populi verebatur propter Ioannem, à quo ſciebat turbas in Iordane plurimas baptizatas. Sed amore vincebatur vxoris, ob cuius ardorem etiam Dei præcepta neglexerat.

Chryſol. Chryſol. ſer.1 7: Facilè deuiat à iuſtitia, qui in cauſis, non Deum, ſed hominem pertimeſcit. Hic timor peccandi facultatem differre poteſt, auferre non poteſt volũtatem. Vnde etiam quos ſuſpenderit à crimine, auidiores reddit ad crimen, & æſtuat animo, quouſque perficiat quod cogitat malum. Solus eſt Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam ſeruat, perpetem tribuit facultatem.

Quia hic dicitur Herodes timuiſſe populum, volens Ioannem occidere, dignum notatu eſt illud, ex Gloſſa ord. Timor Dei corrigit, timor hominum differt; ſed voluntatem non aufert: vnde & auidiores reddit ad crimen, quos aliquando ſuſpendit à crimine. Vide cap.148.ver.5. Glo

CAP. 26. IESVS *in Galilæam rediens Samaritanam, & Sichimitas in itinere conuertit.*

Matt. 4.	*Mar. 1.*	*Luc. 4.*	*Ioan. 4.*
			1 [ET ergo cognouit Ieſus, quia audierunt Phariſæi, quod Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quam Ioannes (quanquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius) reliquit Iudæam.
2 c.19.) CVM autẽ audiſſet Ieſus, quod Ioannes traditus eſſet.	2 c.19.) POſtquã autem traditus eſt Ioannes.		
3 Seceſſit in Galilæam.	3 Venit Ieſus in Galilæam.	3 c.19.) ET regreſſus eſt Ieſus in virtute ſpiritus in Galilæam.	3 Et abijt iterum in Galilæam.
			4 Oportebat autem eum tranſire per Samariam.
			Fer. 6 poſt Dom. 3 Quad.
			5 ✠ Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob, Ioſeph filio ſuo. Erat autem ibi fons Iacob.
			6 Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Hora erat quaſi ſexta: venit mulier de Samaria haurire aquam.
			7 Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere. Diſcipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.
			8 Dicit ergo ei mulier illa Samaritana; Quomodo tu, Iudæus cum ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? Non enim coütuntur Iudæi Samaritanis.
			9 Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forſitan petijſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.
			10 Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt; vnde ergo habes aquam viuam?
			11 Numquid tu maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum,

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.4.*

& ipſe ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?
12 Reſpondit Ieſus,& dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac,
ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua,quam ego dabo ei,
non ſitiet in æternum.
13 Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalien-
tis in vitam æternam.
14 Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt
non ſitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei Ieſus: Vade,
voca virum tuum, & veni huc.
15 Reſpondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei
Ieſus: Bene dixiſti: quia non habeo virum: quinque enim
viros habuiſti; & nunc quem habes, non eſt tuus vir. Hoc
verè dixiſti.
16 Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu.
Patres noſtri in monte hoc adorauerunt; & vos dicitis,quia
Hieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet.
17 Dicit ei Ieſus: Mulier, crede mihi, quia venit hora,quan-
do neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis
patrem.
18 Vos adoratis quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus;
quia ſalus ex Iudæis eſt.
19 Sed venit hora, & nunc eſt,quando veri adoratores ado-
rabunt patrem in ſpiritu,& veritate. Nam & pater tales quæ-
rit, qui adorent eum.
20 Spiritus eſt Deus; & eos qui adorant eum, in ſpiritu, &
veritate oportet adorare.
21 Dicit ei mulier: Scio quia Meſſias venit,qui dicitur Chri-
ſtus: cùm ergo venerit ille,nobis annunciabit omnia. Dicit
ei Ieſus: Ego ſum, qui loquor tecum.
22 Et continuò venerunt diſcipuli eius; & mirabantur, quia
cum muliere loquebatur: nemo tamen dixit: Quid quæris?
aut quid loqueris cum ea?
23 Reliquit ergo hydriam ſuam mulier,& abijt in ciuitatem,
& dicit illis hominibus: Venite,& videte hominem,qui dixit
mihi omnia, quæcunque feci. Nunquid ipſe eſt Chriſtus?
Exierunt ergo de ciuitate, & venerunt ad eum.
24 Interea rogabant eum diſcipuli, dicentes: Rabbi, man-
duca. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare,
quem vos neſcitis.
25 Dicebant ergo diſcipuli ad inuicem: Nunquid aliquis at-
tulit ei manducare? Dicit eis Ieſus: Meus cibus eſt,vt faciam
voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.
26 Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, &
meſſis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos veſtros, & vide-
te regiones, quæ albæ ſunt iam ad meſſem.
27 Et qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in
vitam æternam, vt & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui
metit.
28 In hoc enim eſt verbum verum, quia alius eſt qui ſemi-
nat, & alius eſt qui metit. Ego miſi vos metere, quod non
laboraſtis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum in-
troiſtis.
29 Ex ciuitate autem illa, multi crediderunt in eum Sama-
ritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhi-
bentis: quia dixit mihi omnia, quæcunque feci.
30 Cùm veniſſent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt
eum, vt ibi maneret. Et manſit ibi duos dies.
31 Et multò plures crediderunt in eum,propter ſermonem
eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam lo-
quelam credimus: Ipſi enim audiuimus, & ſcimus, quia hic
eſt verè Saluator mundi. ✠
32 Poſt duos autem dies exijt inde, & abijt in Gali-
læam.

Et relicta

Matt. 4.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 4.*
33 Et relicta ciuitate Nazareth.			34 Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit, quia Propheta in ſua patria honorem non habet. 35 Cum ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidiſſent, quæ fecerat Hieroſolymis, in die feſto: & ipſi enim venerant ad diem feſtum.

Not. 1. ver. 1.

Aug. AVG. ep. 108. ad Seleucianam: Miratus ſum, quomodo dicat Nouatianus iſte, Petrum baptizatum non fuiſſe. Si autem dicimus, aqua non fuiſſe baptizatos Apoſtolos, metuendum eſt ne grauiter in eis erremus, ne demus hominibus auctoritatem contemnendi baptiſmum, quem vſque adeo non contemnendum, ipſa Apoſtolica diſciplina commendat, vt Cornelius centurio, & ij, qui cum illo erant, etiam Act. 10. iam accepto Spiritu ſancto, fuerint baptizati. Sed nunquid hoc poſſumus de Apoſtolis dicere, qui vſque adeo largum tempus habuerunt, quo baptizarentur, vt alios etiam baptizauerint? Sed non omnia, quæ facta ſunt, etiam ſcripta inueniuntur: veruntamen facta eſſe, ex cæteris documentis probatur. Scriptum eſt, quando baptizatus ſit Apoſtolus Paulus: & ſcriptum non eſt quando baptizati ſint alij Apoſtoli. Veruntamen etiam ipſos baptizatos intelligere debemus. Quemadmodum ſcriptum eſt, quando baptizatæ ſunt plebes Eccleſiarum in Hieruſalem, & Samaria: quando autem baptizatæ ſint aliæ plebes Gentium, quibus Apoſtoli epiſtolas miſerunt, non eſt vtique ſcriptum: & tamen etiam ipſas baptizatas vtique minimè dubitamus, propter illam Domini ſententiam: niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum. Vtrumque autem de Domino ſcriptum eſt, & quia baptizabat plures, quàm Ioannes: & quia ipſe non baptizabat, ſed diſcipuli eius: vt intelligeremus & ipſum quidem baptizaſſe præſentia maieſtatis; non tamen ipſum baptizaſſe manibus ſuis. Ipſius enim erat baptiſmi ſacramentum; ad diſcipulos autem baptizandi miniſterium pertinebat, quos intelligimus iam fuiſſe baptizatos, ſiue baptiſmo Ioannis, ſicut nonnulli arbitrantur, ſiue (quod magis credibile eſt) baptiſmo Chriſti. Neque enim miniſterio baptizandi defuit, vt haberet baptizatos ſeruos, per quos cæteros baptizaret, qui non defuit memorabili illius humilitatis miniſterio, quando eis lauit pedes; & petenti Petro, vt non tantum pedes, verùm etiam manus, & caput ei lauaret, reſpondit: Qui lotus eſt non indiget, niſi vt pedes lauet; ſed eſt mundus totus: vbi intelligitur, quod iam Petrus baptizatus fuerat.

Aug. Aug. tract. 15. in Ioann: Quia cognouit eorum ſcientiam, ſimul cognouit & inuidentiam, quia non hoc propterea didicerunt, vt ſequerentur; ſed vt perſequerentur, abijt inde. Poterat quidem ille & præſens ab his non teneri ſi nollet; non occidi, ſi nollet: quia poterat & non naſci, ſi nollet. Sed quia in omni re, quam geſſit, vt homo, hominibus in ſe credituris præbebat exemplum: quia vnuſquiſque ſeruus Dei non peccat, ſi ſeceſſerit in alium locum, videns furorem fortè perſequentium ſe, aut quærentium in malum animam ſuam: videretur autem ſibi ſeruus Dei peccare ſi faceret, niſi in faciendo Dominus præceſſiſſet, fecit hoc ille magiſter bonus, vt doceret; non quod timeret. Fortaſſis etiam hoc moueat, cur dictum ſit: baptizabat Ieſus plures, quàm Ioannes, & poſteaquam dictum eſt: baptizabat, ſubſecutum eſt, quanquam Ieſus non baptizabat, ſed diſcipuli eius. Quid ergo? falſum dictum erat, & correctum eſt, cùm additum eſt, quanquam Ieſus non baptizabat, ſed diſcipuli eius? an vtrumque verùm eſt, quia & Ieſus baptizabat, & non baptizabat? baptizabat enim, quia ipſe mundabat; non baptizabat, quia non ipſe tingebat, præbebant diſcipuli miniſterium corporis, præbebat ille adiutorium maieſtatis. Quando enim ceſſaret à baptizando, quando non ceſſabat à mundando? De quo dictum eſt ab eodem Ioanne per Ioannis Baptiſtæ perſonam dicentis: Hic eſt, qui baptizat. Quomodo Ieſus baptizabat, & non baptizabat.

Theophylact. Ioann. 4: Inſinuans autem Euangeliſta, inuidiam pronam eſſe ad calumniam, dicit: Quamuis Ieſus non baptizaret. Inuidi tamen volentes concitare Phariſæos contra Chriſtum, calumniabantur eum quaſi baptizaſſet. Theop.

Illud verò quanquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius; correctio eſt eius, quod 24. capite ver. 1. & 3. dictum eſt: nimirum vt intelligas quod baptizaret, non per ſe, ſed per diſcipulos ſuos. Qui autem aliquid per alium facit, per ſeipſum facere videtur. Quanquam etiam diſcipulis aqua tingentibus, ſolus Chriſtus verè baptizaret; quippe qui ſuapte virtute peccata ſolus ablueret. Quæritur autem hic, num in illo diſcipulorum Chriſti baptiſmo, daretur Spiritus ſanctus: quia dicitur cap. 98. ver. 8: Spiritus ſanctus nondum erat datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Dici poteſt, quod in hoc baptiſmo dabatur Spiritus ſanctus: non tamen ea manifeſtatione, qua poſt aſcenſionem, & glorificationem Domini. Qua de re vide Auguſt. quæſt. 62. lib. 83. quæſt. & quæſt. 64. & tract. 15. in Ioan. Aug. Io. 7.

Not. 2. ver. 2.

VICT. Antioch. Mar. 1: Hæc Euangeliſta Marcus vict.

Marcus ſatis conſentaneè ad ea, quæ exponit Matthæus.

Eut. Euth. Matt. 4: Traditus in carcerem ab Herode Tetrarcha.

Ver. 3.

REGRESSVS eſt Ieſus in Galilæam. Vnde, niſi ex Iudæa, quo ex Galilæa, & Capharnao, per Hieruſalem venerat, vt cap. 22. traditum eſt. Quamuis autem nullus Euangeliſtarum, præter Ioannem huius Chriſti è Galilæa in Iudæam aſcenſus meminerit, omnes tamen hunc eius è Iudæa in Galilæam receſſum expreſſerunt. Porro Luc. de Ioanne tradito, nihil hoc loco dicit, ſed alio vt pote 25. c. Et ad inſinuandum, hunc ſecundum eſſe Chriſti ex Iudæa in Galilæam reditum addit Ioannes, iterum abijt. De his vide

Aug. Auguſt. lib. 2. de conſ. cap. 17. 18. & 45. Vbi teſtatur omnes Euangeliſtas de hoc receſſu loqui.

Bed. Bed. Luc. 4: Virtutem ſpiritus ſigna miraculorum dicit.

Cyr. Cyr. apud Thomam in catena Luc. 4: Agebat autem miracula, non ab extrinſeco, & quaſi acquiſitam habens Spiritus ſancti gratiam, ſicut alij ſancti: ſed potius cùm eſſet naturaliter Dei filius, & conſors omnium, quæ ſunt patris, tanquam propria virtute, & operatione vtitur ea, quæ eſt Spiritus ſancti.

Tit. Tit. Boſtren. Luc. 4: In virtute Spiritus: hoc dicit propter ſigna, quæ Spiritus ſancti virtute patrabat. At nemo interim exiſtimet aliunde, & veluti precario, tanquam vnum quempiam è ſanctorum numero, eiuſmodi gratiam accepiſſe. Non enim ab extrinſeco ea vis illi aderat: verùm cùm natura, & veritate, Dei filius eſſet, ter ſacroſancti, & homouſij ſancti Spiritus virtute, & energia, tanquam propria ad miraculorum opera, vtebatur.

Vt Chriſtus in virtute ſpiritus ſit regreſſus.

Theop. Theophylact. Luc. 4: Videtur mihi quod diuino quodam afflatu correptus redierit. Et Matt. 4: Ne temerè nos periculis inijciamus, & Ioan. 4: Amputans ipſorum inuidiam.

Euth. Eut. Luc. 4: In virtute vnitæ ſibi diuinitatis, vel etiam ſancti Spiritus. Et Matt. 4: Inſtruens nos vt tentationes fugiamus, ſeceſſit.

Duo nos docens ſecedit, vnum quidem vt parcamus inimicis, & omni modo tentemus non dare eis occaſionem ſcandali, vel inuidiæ. Alterum ne inijciamus nos in tentationem inſipienter, & inutiliter; ſed ſecedamus ad tempus, donec inſania reſideat. Quamuis autem potens ſit cohibere inuidentes ſibi, etiam ſi impetu quodam nunc vrgerent: non tamen hoc egit, ne videretur phantaſticum habere corpus. Si enim ſæpe per medium illorum exijſſet, quid non dixiſſent phantaſiodocitæ, Manichæi, inquam, & Valentiniani, & Eutychiani?

Not. 3. ver 4.

Theoph. THEOPHYLACT. Ioan. 4: Veluti obiter, & non deſtinato itinere Samaritanos adibat. Vide enim quod non dixerit: Oportebat ipſum abire in Samariam; ſed: tranſire per Samariam. Volebat enim occaſionem omnem calumniæ Iudæis exſcindere, vt dicere non poſſent, quod relictis eis conceſſerit ad gentes, quas abominabantur.

Eut. Ioann. 4: Oſtendit Euangeliſta feciſſe eum rem quandam non quaſi ex propoſito, ſed tanquam occaſione viæ, in his videlicet, quæ cum Samaritide acta ſunt: propter Iudæorum aduerſus Samaritanos contemptum. Eut.

Ver 5.

AVG. ſer. 92. de temp: Prædium non tam Ioſeph, quàm Chriſto arbitror derelictum, cuius figuram ſanctus Ioſeph Patriarcha portauit, quem verè ſol adorat, & luna, & omnes ſtellæ benedicunt. Ad hoc prædium ideo venit Dominus, vt Samaritani, qui hæreditatem ſibi Patriarchæ Iſrael vendicare cupiebant, agnoſcerent poſſeſſorem ſuum, & conuerterentur ad Chriſtum, qui legitimus Patriarchæ hæres eſt factus. Aug.

Et tract. 15. in Ioan: Omnis puteus eſt fons, non omnis fons puteus. Vbi enim aqua de terra manat, & vſui præbetur haurientibus, fons dicitur; ſed ſi in promptu & ſuperficie ſit, fons tantum dicitur: ſi autem in alto, & profundo ſit, ita puteus vocatur, vt fontis nomen non amittat. Aug.

Fons eſt puteo generalior.

Eut. Ioan 4: Prædium illud erat, quod extra ſortem dedit Iacob Ioſeph, & dicebatur Sitima. Puteum vocat fontem, quia è ſubterraneo loco manabat. Dicebatur autem ipſius Iacob, eo quod ipſum fodiſſet. Eut. Gen. 48.

Not 4. ver. 6.

AMB. lib. de Ioſeph cap. 3: Fatigabatur quia non inueniebat Dei populum, quem quærebat. Amb.

Hieron. in cap. 4. epiſt. ad Epheſ: Vocabulum Ieſus interdum eum hominem ſignificat, qui à Deo verbo eſt aſſumptus ex virgine, iuxta illud: Vocabis nomen eius Ieſum. Et alibi: Ieſus ergo fatigatus de via. Hier.

Et in cap. 58. Eſa: Sedeamus cum Domino, laſſi in via huius ſæculi, ſuper puteum Samaritanæ, conuerſionem, errantiumque ſalutem ſitientes. Hier.

Eut. Ioan. 4: Quid eſt autem quod additur, ſedebat ſic? Simpliciter videlicet, prout ſeſe locus offerebat: vel humi. Demonſtrat ſiquidem ſermo, quod omni faſtu careret. Sic etiam Theophylact. Eut.

Aug. ſer. 92. de temp: In lectione Euangelij, infirmitatem humani generis ſuſcepiſſe Dominum Ieſum Chriſtum pleniſſimè nobis ſanctus Euangeliſta monſtrauit. Videte diuerſitatem myſterij: inter Apoſtolos exultabat in ſpiritu: in monte poſitus, non ſolum confortabat eos, verum etiam gloriam his propriam demonſtrabat: in Samaria conſtitutus, fatigatus ex itinere, ſedebat ſupra puteum, nunquid Dei virtus poterat fatigari? non vtique: ſed fatigabatur, quod fidelem populum inuenire non poterat. Tunc ergo fatigatur Chriſtus, quando nullam Aug. Matt. 11. 17.

virtutem

virtutem in ſuo populo recognoſcit. Hodieque fatigat eum inobedientia noſtra: fatigat eum infirmitas noſtra. Infirmi enim ſumus quando non ea quæ fortia ſunt, atque perpetua; ſed temporalia, & caduca ſectamur. Bene ait: Sedebat ſupra puteum; non requieſcebat: quoniam in Samaritanis non poterat requieſcere. Et hora, inquit, erat quaſi ſexta. Sexta die Deus de limo terræ hominem figurauit: Sexta hora venit Samariam viſitare, vt ſi in eum Samaritani crederent, ipſe in his inciperet requieſcere, vt verum illud quietis ſabbatum celebraret. Magnum myſterium; venit mulier ad puteum, & fontem, quem non ſperauit, inuenit. Sedit ſupra puteum, vt non in altitudine quæramus aquam; ſed de eo fonte, qui ſupra omnes aquas eſt, ſalutaria nobis pocula hauriamus. Quis eſt
Pſal 35. fons, niſi Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui dicitur. quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen? bonus fons, qui nos de huius vitæ refrigerauit incendio, & inundatione ſua ariditatem noſtri pectoris ſuperauit. Et tract. 15. in Ioann: Iam incipiunt
Aug. myſteria, &c. vt lect. 1. 2. 3. fer. 6. poſt Dom. 3. Quadr. Et quæſt. 64. lib. 83. quæſt: Euan-
Aug. gelica ſacramenta in Domini noſtri Ieſu Chriſti dictis factiſq; ſignata, non omnibus patent, & ea nonnulli minus diligenter, minuſque ſobrie interpretando, afferunt plerumque pro ſalute perniciem, & pro cognitione veritatis errorem: inter quæ illud eſt ſacramentum, quod ſcriptum eſt: Dominum hora diei ſexta veniſſe ad puteum Iacob, feſſumque ab itinere ſediſſe, & à muliere Samaritana potum petiſſe, & cætera, quæ in eodem ſcripturarum loco diſcutienda, & pertractanda dicuntur. De qua re id primo tenendum eſt, quod in omnibus ſcripturis ſumma vigilantia cuſtodiri oportet, vt ſecundum fidem, ſit ſacramenti diuini expoſitio. Hora igitur diei ſexta venit ad puteum Dominus noſter. Vide in puteo tenebroſam profunditatem, admoneor ergo intelligere mundi huius infimas partes, id eſt, terrenas, quo venit Dominus Ieſus hora ſexta, id eſt, ſexta ætate generis humani, tanquam in ſenectute veteris ho-
Epheſ. 4. minis, quo iubemur exui, vt induamur nouo, qui ſecundum Deum creatus eſt. Nam ſexta ætas ſenectus eſt, quoniam prima infantia, ſecunda pueritia, tertia adoleſcentia, quarta iuuentus, quinta grauitas. Veteris itaque hominis vita, quæ ſecundum carnem temporali conditione peragitur, ſexta ætate ſenectutis concluditur: qua ſenectute, vt dixi, humani generis Dominus noſter, & creator nobis, & reparator aduenit, vt moriente ſcilicet vetere homine, nouum in ſe conſtitueret, quem exutum labe terrena in cœleſtia regna transferret. Ergo nunc puteus, vt dictum eſt, mundi huius terrenum laborem, & errorem tenebroſa profunditate, & obſcuritate ſignificat, & quoniam exterior eſt homo vetus, & nouus interior, dictum eſt enim
2 Cor. 4. ab Apoſtolo: Etſi exterior homo noſter corrumpitur, ſed interior renouatur de die in diem: rectiſſime omnino, quoniam omnia viſibilia ad exteriorem hominem pertinent, quibus Chriſtiana diſciplina renunciatur: hora ſexta venit Dominus ad puteum, id eſt, medio die, vnde iam incipit ſol iſte viſibilis declinare in occaſum: quoniam & nobis vocatis à Chriſto, viſibilium delectatio minuitur, vt inuiſibilium amore homo exterior recreatus, ad interiorem lucem, quæ nunquam occidit reuertatur: ſecundum Apoſtolicam diſciplinam, non quærens quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt. Quod autem fatigatus venit ad puteum, infirmitatem carnis ſignificat; quod ſedit, humilitatem: quia & imbecillitatem carnis pro nobis ſuſcepit, & homo hominibus tam humiliter apparere dignatus eſt. De hac Eſa 53 infirmitate carnis Propheta dicit: Homo in plaga poſitus, & ſciens ferre imbecillitatem. De humilitate verò Apoſtolus loquitur, dicens: Humiliauit ſe factus obediens vſque ad mor- Phil. 2. tem. Quanquam illud quod ſedit, quoniam ſolent ſedere Doctores, poſſit alio intellectu non humilitatis modeſtiam, ſed magiſtri demonſtrare perſonam.

Not. 5. ver. 7.

Bas. epiſt. ad Amphilo: Sana mente inſpi- Baſ. cienti multa, & ab humana parte Dominus eloquitur. Da mihi bibere, vox eſt corporalem neceſſitatem exprimens: & tamen is, qui petebat, non erat caro inanimata; ſed deitas carnem animatam vtens.

Aug. ſer. 92. de temp: Bonus Dominus vltro Aug. ſe offert non quærenti, vt compleatur illud pro- Eſa. 65. pheticum: Palam apparui non quærentibus me: inuentus ſum ab his, qui non interrogauerunt nomen meum. Petit bibere, daturus. Et quæſt. 64. lib. 83. quæſt: Sed quæri poteſt quare à muliere Samaritana, quæ hydriæ aqua implendæ gratia venerat, bibere poſtulauerit, cùm ipſe poſtea, ſpiritalis fontis affluentiam ſe petentibus dare poſſe prædicauerit. Sed ſcilicet ſciebat Dominus mulieris illius fidem, quæ quoniam Samaritana erat, & ſolet Samaria idololatriæ imaginem ſuſtinere: Ipſi enim ſeparati à populo Iudæorum, ſimulachris mutorum animalium, id eſt, vaccis aureis animarum ſuarum decus addixerant; venerat autem Dominus noſter Ieſus vt gentium multitudinem, quæ ſimulacris ſeruiebat, ad munimentum fidei Chriſtianæ, & incorruptæ religionis adduceret: Matt. 9. non enim eſt, inquit, opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Eorum ergo fidem ſitit pro quibus ſanguinem fudit. Dixit ergo ad eam Ieſus: Mulier, da mihi bibere. Et vt noueris quid ſitiebat Dominus noſter, paululum veniunt diſcipuli eius, qui perrexerant in ciuitatem vt cibos emerent, & dicunt ei: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego habeo eſcam manducare, quam vos neſcitis. Dicunt ergo diſcipuli eius ad alterutrum: Nunquid aliquis attulit ei manducare: Dixit eis Ieſus: Cibus meus eſt, vt faciam eius voluntatem, qui me miſit, & vt perficiam

opus eius. Nunquid hic intelligitur alia voluntas patris, qui eum miſit, & opus eius, quod ſe perficere velle reſpondit, niſi, vt nos ad fidem ſuam à pernicioſo mundi errore conuerteret? Qualis eſt ergo cibus eius talis, & potus. Quapropter hoc in illa muliere ſitiebat, vt faceret in ea voluntatem patris, & perficeret opus eius.

Not. 6. ver 7.

Aug. AVG. quæſt. 64. lib 83. quæſt: Sed carnaliter intelligens, reſpondit: Tu cùm ſis Iudæus, &c.

Ver 9.

Aug. AVG. ſer. 92. de temp: Non omnes ſciunt donum Dei; quia non omnes deſiderãt aquam viuam. Si enim deſiderarent, nunquam circa ſe baptiſmi ſacramenta differrent. Ipſi igitur de ſe pronunciant, & vitæ ſuæ teſtimonium perdunt, qui ideo volunt tardius baptizari, vt flagitia, & ſcelera multa committant. Noli differre, ô homo, remedia ſalutis tuæ: quoniam neſcis quando à te anima tua repetatur.

Aug. Et quæſt. 64. lib. 83. quæſt: Cui Dominus noſter dixit: Si ſcires donum Dei, &c. vt hinc ei oſtenderet, non ſe talem aquam petiſſe, qualem ipſa intellexerat, ſed quia ipſe ſitiebat fidem eius, eidem ſitienti Spiritum ſanctum dare cupiebat. Hanc enim rectè intelligimus aquam viuam, quod eſt donum Dei, ſicut ipſe ait: Si ſcires donum Dei. Et ſicut idem Ioannes Euangeliſta teſtatur alio loco, dicens: Quod ſtabat Ioa. 7. Ieſus, & clamabat: Si quis ſitit, veniat, & bibat: qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura: Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Conſequenter omnino, qui credit, inquit, in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: quia primò credimus, vt hæc dona mereamur. Hæc ergo flumina aquæ viuæ, quæ illi mulieri volebat dare, merces eſt fidei, quam prius in illa ſitiebat. Cuius aquæ viuæ interpretationem ita ſubijcit, hoc autem, inquit, dicebat de ſpiritu, quem accepturi erant hi, qui in eum credituri erant. Nondum autem erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Hoc itaque donum Spiritus ſancti eſt, quod poſt ſuam clarificationem dedit Eccleſiæ, ſicut alia ſcriptura dicit: Pſal. 67 Epheſ. 4. Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit bona hominibus.

Ver. 10.

Aug. AVG. ſer. 92. de temp: Ignara myſterij hoc dicebat ante aduentum Domini, & puteus altus erat, & ſine hauritorio aquam ſibi vnuſquiſque haurire non poterat. Venit Dominus fons viuus, vt Phariſæorum corda dilueret, ſitim extingueret, pectora ſatiaret, non quærens hauritorium, ſed vltro ſe infundens mentibus ſingulorum. Et quæſt. 64. lib. 83. quæſt: Adhuc illa mulier carnaliter ſapit.

Not. 7. ver 12.

Hier. HIERON. Amos 4: Vt autem ſciamus aquas, & pocula ſignificare doctrinam, Dominus loquitur ad Samaritanam: Omnis, qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Ergo qui de Samaritanæ, id eſt, hæreticorum aquis biberint, ſemper ſitient, & ardorem faucium ſiccarum refrigerare non poterunt: Eſa. 14. Eſaia de hac eadem conclamante: Sicut ſomniat qui ſitit, quaſi bibat; & cùm ſurrexerit adhuc ſitit; anima autem eius fruſtra ſperauit. Sic erunt omnes gentes, quæ pugnant contra Hieruſalem. Verè enim, qui de hæreticorum aquis biberit, & pugnauerit contra Hieruſalem, Eccleſiam Dei, in ſomnis bibit, & anima eius vanis imaginibus illuditur. Cum que æſtimauerit ſe ſatiatum, tunc ſitiendi habebit principium.

Hier. Et Eſa. 5: Quod autem omnis ſermo doctrinæ, panis appelletur, & aqua, illud docet Euangelicum: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur ex ore Dei. Et: Quicunque biberit de aqua, quam dedero ei, non ſitiet in æternum. Hier. Et Zacha. 14: Aquam autem viuam rectè à nobis doctrinam Saluatoris expoſitam ſciet ille, qui biberit, & qui Saluatorem audierit prędicantem: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, &c.

Aug. Aug. quęſt. 64. lib. 83. quęſt: Nunc verò iam Dominus exponit quid dixerit.

Ver. 14.

Aug. AVG. quæſt. 64. lib. 83. quæſt: Adhuc mulier prudentiam carnis amplectitur. Cùm ſciret eam virum non habere, cur hoc dixerit, quæritur.

Not. 8. ver. 15.

Aug. AVG. quæſt. 64. lib. 83. quæſt: Non ſunt hęc carnaliter accipienda, ne hinc ipſi adhuc mulieri Samaritanæ ſimiles eſſe videamur. Sed de illo dono Dei ſi aliquid iã guſtauimus, ſpiritaliter iſta tractemus. Quinque viros, quinque libros, qui per Moyſen miniſtrati ſunt, nonnulli accipiunt. Quod autem dictum eſt: Et nunc quem habes, non eſt tuus vir: de ſeipſo Dominum dixiſſe intelligunt, vt iſte ſit ſenſus, primo quinque libris Moyſi, quaſi quinque viris ſeruiſti: nunc autem quem habes, id eſt, quem audiſti, qui loquor tecum, non eſt tuus vir, quia nondum in eum credidiſti. Sed quoniam nondum credens Chriſto, adhuc vtique illorum quinque virorum, id eſt, quinque librorum copulatione tenebatur, poteſt mouere quomodo dici potuerit, quinque viros habuiſti, quaſi nunc eos iam non haberet, cùm adhuc vtique ipſis ſubdita viueret? Deinde cum quinque libri Moyſi nihil aliud quam Chriſtum prædicent, ſicut ipſe ait: Io. 5. Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, ille enim de me ſcripſit: Quomodo poteſt intelligi à quinque illis libris recedere hominẽ, vt ad Chriſtum tranſeat, cum

cum ille, qui credit in Chriſtum non relinquendos quinque illos libros, ſed ſpiritaliter intelligendos multo auidius amplectatur. Eſt ergo alius intellectus, vt quinque viri intelligantur quinque corporis ſenſus. Vnus,qui ad oculos pertinet, quo lucem iſtam viſibilem,& quoſlibet colores, formaſque corporum cernimus. Alter eſt aurium, quo vocum,& omnium ſonorum momenta ſentimus. Tertius eſt natium, quo varia odorum ſuauitate delectamur. Quartus in ore guſtus,qui dulcia,& amara ſentit, & omnium ſaporum habet examen. Quintus, per totum corpus tangendo diiudicat calida, & frigida, mollia, & dura,leuia, & aſpera, & quicquid aliud eſt, quod tangendo ſentimus. Iſtis itaque carnalibus quinque ſenſibus prima hominis ætas imbuitur neceſſitate naturæ mortalis, qua ita poſt peccatum primi hominis nati ſumus, vt nondum reddita luce mentis, carnalibus ſenſibus ſubditi, carnalem vitam, ſine vlla veritatis intelligentia tranſeamus. Tales neceſſe eſt eſſe infantes, & paruulos pueros, qui nondum poſſunt accipere rationem. Et quia naturales ſunt iſti ſenſus, qui primam ætatem regunt, & Deo artifice nobis tributi ſunt, rectè dicuntur viri: id eſt, mariti, tanquam legitimi: quoniam non eos error vicio proprio, ſed Dei artificio natura contribuit. Cùm autem quiſque peruenerit ad eam ætatem,vt iam poſſit capax eſſe rationis, ſi veritatem ſtatim comprehendere potuerit, non iam illis ſenſibus rectoribus vtetur: ſed habebit virum ſpiritum rationalem,cui ſenſus illos in famulatum redigat, ſeruituti ſubijciens corpus ſuum: cum anima non iam quinque viris, id eſt, quinque corporis ſenſibus ſubdita eſt, ſed verbum diuinum habet legitimum virum, cui copulata eſt, & inhærens: cùm & ipſe ſpiritus hominis hæſerit Chriſto, quia caput viri Chriſtus eſt, amplexu ſpiritali æterna vita, ſine vllo ſeparationis timore perfruetur. Quis nos enim ſeparare poterit à charitate Chriſti? Sed quoniam illa mulier errore tenebatur, qui ſignificabat multitudinem ſæculi vanis ſuperſtitionibus ſubiugati,poſt tempora illa quinque carnalium ſenſuum, quibus prima ætas, vt diximus, regitur, non eam verbum Dei acceperat in coniugem,ſed complexu adulterino diabolus obtinebat. Itaque illi Dominus dicit, videns eam eſſe carnalem, id eſt, carnaliter ſapere, vade, voca virum tuum, & veni huc, id eſt, remoue te ab affectione carnali, in qua nunc conſtituta es,vnde non potes intelligere quæ loquor, & voca virum tuum, id eſt, ſpiritu intelligentiæ præſens eſto. Eſt enim animæ quaſi maritus quodammodo ſpiritus hominis, qui animalem affectionem tanquam coniugem regit. Non ille Spiritus ſanctus,qui cum Patre,& Filio incommutabilis manet, & dignis animus incommutabiliter datur, ſed ſpiritus hominis, de quo Apoſtolus dicit: Nemo ſcit,quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis.Nam ille Spiritus ſanctus, ſpiritus Dei eſt: de quo iterum dicit ſic: Et quæ Dei ſunt nemo ſcit, niſi ſpiritus Dei. Hic ergo ſpiritus hominis cùm præſens eſt, id eſt, intentus eſt, & ſe pietate ſubijcit Deo, intelligit homo,quæ ſpiritaliter dicuntur. Cùm autem diaboli error, tanquam abſente intellectu in anima dominatur,adulter eſt. Voca ergo, inquit, virum tuum: id eſt, ſpiritum,qui in te eſt,quo poteſt homo intelligere ſpiritalia,ſi eum lux veritatis illuſtret. Ipſe adſit cùm loquor tibi,vt ſpiritalem poſſis accipere aquam. Et cùm illa diceret, non habeo virum: Bene, inquit, dixiſti, quinq; enim viros habuiſti: id eſt,quinque ſenſus carnis, qui te in prima ætate rexerunt, & nunc quem habes,non eſt tuus vir,quia non eſt in te ſpiritus, qui intelligit Deum, cum quo legitimum poſſis habere connubium, ſed error diaboli potius dominatur, qui te adulterina contaminatione corrumpit.

1 Cor. 11

Rom. 8

1 Cor. 2.

Not. 9. ver 16.

Vide mulieris humilitatem. Nam ſuauiter eam Chriſto pungente, & carpente, quod viro, qui ſuus non eſſet,vteretur, & ſe adulteram fatetur,& illum eſſe prophetam agnoſcit. Quis auaritiæ,ſuperbiæ, aut alterius vitij accuſatus,tale reſponſum redderet?

Ver. 18.

Ambr. lib. 5. de Fide cap. 3: Quod ſi quis dicat, quoniam Deum Patrem adoret & Filius, quia ſcriptum eſt: Vos adoratis, quod neſcitis, nos adoramus, quod ſcimus, conſideret quando,& apud quem,& cuius ſuſcepto loquatur affectũ.Deniq; & in ſuperioribus non immerito præmiſſum eſt, quod Ieſus fatigatus ex itinere ſedebat,& à Samaritana bibere poſtulabat,quia ſecundum carnem hominis loquebatur. Nam ſecundum diuinitatem, nec fatigari poterat, nec ſitire. Deinde cùm Samaritana, quaſi Iudæum appellaret,& Prophetam putaret, quaſi Iudæus, qui ſpiritaliter myſteria legis doceret, reſpondit, dicens: Vos adoratis, quod neſcitis, nos adoramus, quod ſcimus. Nos, inquit, hoc eſt, ſe hominibus copulauit. Quomodo autem niſi ſecundum carnem hominibus copulatur? Et vt oſtenderet quod ſecundum incarnationem reſponderat,addidit: Quia ſalus ex Iudæis eſt. Sed ſtatim poſt hoc ſequeſtrauit hominis affectum,dicens: Veniet,inquit, hora, & nunc eſt quando veri adoratores adorabunt Patrem, non dixit adorabimus. Quod vtique dixiſſet,ſi conſortium noſtri ſubiret obſequij: verùm cùm legerimus, quod Maria adorauit eum, intelligere debemus, quod non poteſt per eandem naturam, & adorare quaſi ſeruus, & adorari quaſi Dominus,ſed potius quod vt homo inter homines adorare dicitur, & quaſi Dominus à famulis adoratur. Multa ergo ſecundum incarnationis legimus, & credimus ſacramentum. Sed in ipſa naturæ humanæ affectione, maieſtatem licet ſpectare diuinam. Fatigatur ex itinere Ieſus, vt reficiat fatigatos. Petit bibere, ſitientibus potum ſpiritalem daturus,

Amb.

Eſurit, cibum ſalutis eſurientibus traditurus: moritur viuificaturus: ſepelitur reſurrecturus: tremulo pendet in ligno, confirmaturus trementes. Cœlum caligine obducit, vt illuminet. Terras tremefacit, vt ſolidet. Maria conturbat, vt mitiget. Reſerat tumulos mortuorum, vt oſtendat domicilia eſſe virorum. Creatur ex virgine, vt ex Deo natus eſſe credatur. Neſcire ſe ſimulat, vt ſcire faciat neſcientes. Adorare quaſi Iudæus dicitur, vt quaſi verus Dei filius adoretur.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib. 3. ep. 334: Ad Samaritanæ opinionem, quæ cum ipſo, tanquam cum Iudæo colloquebatur, ſuamque religionem Iudæorum religioni præferebat, ad hunc modum reſpondet: Nos adoramus, quod ſcimus. Conſtat enim eum inter eos, qui adorantur recenſeri.

Chriſtus adorat, & adoratur.

Not. 10. ver. 19.

Amb. AMBR. lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 12: Non ſolùm enim hoc exemplo diuinitatem ſancti Spiritus vultis negare, ſed etiam in Spiritu adorare Deum, tanquam ad ſubiectionem ſpiritus deriuatis. Cui loco reſpondebo breuiter, quia ſpiritus plerumque ponitur pro gratia ſpiritali, ſicut & Apoſtolus dixit: Quia ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hoc eſt, gratia ſpiritalis: niſi fortè gemitus vos ſancti Spiritus audire potuiſtis. Ergo & hic adoratur Deus, non in malicia cordis, ſed in
Sapient. 1. gratia ſpiritali. In animam enim maleuolam non intrat ſapientia, quia nemo poteſt dice-
1 Cor. 12 re Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto. Statimque ſubdidit: Diuiſiones verò gratiarum ſunt. Non igitur hoc ad plenitudinem, nec ad portionem ſpiritus poteſt pertinere: quia neque humana mens eius plenitudinem capit, neque in vllas ſui diuiditur ſectiones, ſed donum gratiæ ſpiritalis infundit, in quo adoratur Deus, ſicut adoratur etiam in veritate. Non enim adorat, niſi qui veritatem diuinitatis eius pio hauriat affectu. Nec vtique velut perſonaliter Chriſtum, aut ſanctum perſonaliter ſpiritum comprehendit. Aut ſi putat quod velut perſonaliter dictum de ſpiritu videatur, & de Chriſto; ergo Deus ſimiliter adoratur in veritate, ſicut adoratur in ſpiritu. Aut ſimilis igitur ſubiectio, quod abſit vt credas, & nec filius adoratur, aut quod verum eſt, ſimilis vnitatis gratia, & ſpiritus adoratur. Colligamus hinc ergo, & concludamus Arrianorum impias quæſtiones. Si enim ideo negant adorandum ſpiritum, quia Deus adoratur in ſpiritu: negent ergo adorandam veritatem, quia Deus adoratur in veritate. Nam licet plurimæ veritates ſint, quia ſcriptum eſt:
Pſal. 11. Diminutæ ſunt veritates à filijs hominum, donatæ tamen ſunt à veritate diuina, quod
Ioa. 14. eſt Chriſtus, qui ait: Ego ſum via, veritas, & vita. Ergo ſi hoc loco veritatem ex vſu intelligunt, intelligant etiam gratiam ſpiritalem, & nihil eſt offenſionis; aut ſi veritatem Chriſtum accipiant, adorandum negent. Sed refelluntur factis piorum, ſerie ſcripturarum. Adorauit enim Chriſtum Maria. Adorauerunt & Apoſtoli. Adorauerunt & Angeli, de quibus ſcriptum eſt: Et adorent eum omnes Angeli eius. Adorant autem non ſolùm diuinitatem eius, ſed etiam ſcabellum pedum eius: quia ſcriptum eſt: Et adorate ſcabellum pedum eius: quoniam ſanctum eſt. Aut ſi negant, quia in Chriſto etiam incarnationis adoranda myſteria ſint, in quibus velut veſtigia quædam diuinitatis expreſſa, & vias quaſdam verbi cœleſtis aduertimus, legant, quia & Apoſtoli adorabant eum in carnis gloria reſurgentem. Ergo ſi nihil derogat, quod Deus adoratur in Chriſto, quia adoratur & Chriſtus; nihil vtique derogat etiam ſpiritui, quia Deus adoratur in ſpiritu; quia adoratur & ſpiritus, ſicut Apoſtolus dixit: Spiritui Dei ſeruiuimus. Qui enim ſeruit, & adorat, ſicut ſupra dictum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli Matt. 4 ſerules.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. in illa verba: Veniet hora, quando veri adoratores, &c. Dum veros adoratores dicit, eſſe quoſdam falſos oſtendit: ſuos veros eſſe monſtrauit. Eius eſt enim quod verum eſt, cuius, quod falſum eſt, eſſe non poteſt.

Not. 11. ver. 20.

HILAR. lib. 2. de Trin: Id quod in Euangelijs legimus; quia Deus Spiritus eſt, diligenter eſt contuendum quomodo, & qua ratione ſit dictum. Omne enim dictum vt dicatur ex cauſa eſt, & dicti ratio ex ſenſu erit intelligenda dicentis, ne quia reſponſum à Domino eſt: Spiritus Deus eſt; idcirco cum ſancti Spiritus nomine, & vſus negetur, & donum. Mulier igitur traditionum memor paternarum, vel tanquam Samaria in monte, vel tanquam Hieruſalem in templo adorandum exiſtimabat: quod Samaria ad adorandum Deum per tranſgreſſionem legis locum mentis elegerat: Iudæi verò templum à Salomone conditum religionis ſedem exiſtimabant. Quorum vtrorumque præſumptio, aut collis edito, aut extructæ domus concauo Deum, intra quem omnia, & extra quem nihil eius capax eſt, continebat. Ergo quia Deus inuiſibilis, incomprehenſibilis, immenſus eſt, ait Dominus veniſſe tempus, vt non in monte, vel templo Deus ſit adorandus: quia Deus Spiritus eſt. Et ſpiritus nec circumſcribitur, nec tenetur: quia per naturæ ſuæ virtutem vbique eſt, neque vſquam abeſt, in omnibus omnia exuberans. Hos igitur veros eſſe adoratores, qui in ſpiritu, & veritate ſint adoraturi: adoraturis autem in ſpiritu Deum ſpiritum, alter in officio, alter in honore eſt: quia diſcretum eſt, in quo quiſque ſit adorandus. Non enim tollit ſancti Spiritus, & nomen, & donum, quia dictum eſt, Deus Spiritus eſt. Reſponſum autem eſt mulieri Deum templo, & mõte claudenti, eſſe omnia in Deo, Deum in ſemetipſo, & inuiſibilem, atque incomprehenſibilem, in ijs, quæ inuiſibilia, atque incomprehenſibilia ſunt adoran- Hilar.

adorandum. Atque ita natura & numeris, & honoris expreſſa eſt, cum in Spiritu Deum ſpiritum docuit adorãdum,& libertatem,ac ſcientiam adorantium, & adorandi infinitatem, dum in Spiritu Deus Spiritus adoratur oſtendit. Simile huic etiam illud Apoſtoli eſt, quia Dominus Spiritus eſt, vbi autem Spiritus Domini eſt, ibi libertas eſt. Diſcreuit ad intelligentiæ ſignificationem, eum qui eſt, ab eo cuius eſt. Non enim habere haberique vnum eſt, neque eadem ſignificatio continet eum,atque eius. Ita cum ait, Dominus Spiritus eſt naturam infinitatis eius oſtendit. Cum verò, adiecit, vbi Spiritus Domini, ibi libertas; & eum cuius eſt ſignificat: quia & ſpiritus Dominus eſt: & vbi Spiritus eſt Domini, ibi libertas eſt.

Not. 12. ver. 21.

Aug. A v g. ſerm. 42. de Sanct: Scimus,quia Meſſias veniet, quem annunciauerunt Moyſes, & Prophetæ. Iam enim ſpica meſſis erat gignenda. Acceperat,& Prophetas ſeminatores, Apoſtolos expectabat matura meſſores. Huic non erat nouum nomen Chriſti,iam expectabat venientem, iam crediderat eſſe venturum. Ego ſum, qui loquor tecum. Crede quod audis. Quid quæris,quod vides? Et quæſt.64.lib. 83. quæſt: Fortaſſe,vt intelligentibus indicaret, quinque memoratos corporis ſenſus,quinque virorum nomine ſignificari, poſt quinque reſponſiones carnales iſta mulier ſexta reſponſione nominat Chriſtum. Nam prima eius reſponſio eſt: Tu cum ſis Iudæus, quomodo à me bibere petis? Secunda, Domine, neque hauritorium, in quo haurias, habes, & puteus altus eſt. Tertia,Domine,da mihi de hac aqua,vt neque ſitiam,neque veniam huc haurire. Quarta, non habeo virum. Quinta, video quia Propheta es: patres noſtri in monte hoc adorauerunt. Nam & iſta reſponſio carnalis eſt. Carnalibus enim datus fuerat locus terrenus, vbi adorarent, ſpiritaliter autem in ſpiritu, & veritate oraturos Dominus dixit. Quod poſteaquam locutus eſt, ſexta mulieris reſponſio Chriſtum fatetur omnium iſtorum eſſe doctorem. Dicit enim: Scio quia Meſſias veniet, qui dicitur Chriſtus. Cùm venerit, ipſe nobis annunciabit omnia. Sed adhuc errat, quia eum quem venturum ſperat, veniſſe non videt. Veruntamen miſericordia Domini nunc error iſte tanquam adulter expellitur. Dicit enim ei Ieſus: Ego ſum, qui tecum loquor. Quo audito, illa non reſpondit,ſed ſtatim relicta hydria ſua abijt in ciuitatem feſtinans,vt Euangelium & Domini aduentum non tantum crederet, ſed etiam prædicaret.

(Aug. in margin beside "Quid quæris")

Ver. 22.

Aug. A v g. ſerm. 42. de Sanct: Non ſunt auſi dicere ei; quid, vel quare cum illa loqueris? admirationem apud ſe habuerunt,audaciam corde preſſerunt.

Ver. 23.

I s t a ſit non ſolum Chriſtiana, ſed etiam Apoſtola,& manet cum ſua brocca, ſeu reprehenſione, dicterio, ſcommate, & cauillo contenta.

Eut. Ioan. 4: Docens nos,cùm ſpiritualia nacti fuerimus,temporalia cuncta deſpicere. Euth.

Aug. ſer. 42. de Sanct: Mox, vt hoc audiuit, credidit, & hydriam dimiſit, & feſtinanter cucurrit, annunciare Dominum cœpit. Et quæſt. 64. lib. 83. quæſt: Nec hoc quòd relicta hydria diſceſſit,negligenter prætereundum eſt: hydria enim fortaſſe amorem ſeculi huius ſignificat,id eſt,cupiditatem,qua ſibi homines de tenebroſa profunditate, cuius imaginem puteus gerit, hoc eſt,de terrena conuerſatione hauriũt voluptatem, qua percepta iterum in eius appetitum inardeſcunt, ſicut de aqua illa,qui biberit, inquit, ſitiet iterum. Oportebat autem vt Chriſto credens, ſeculo renunciaret, & relicta hydria cupiditatem ſæcularem ſe reliquiſſe monſtraret, non ſolum corde credens ad iuſtitiam, ſed etiam ad ſalutem ore confeſſura, & prædicatura, quod credidit. Aug. Rom. 10.

Not. 13. ver. 25.

A m b. lib. de Helia, & ieiunio cap. 3: Non enim omnis eſca materialis, nec omnis cibus corporalis. Eſt cibus mentis, vt diximus, quo epulatur anima, de quo ait Dominus: Meus cibus eſt,vt faciam voluntatem patris mei,qui in cœlis eſt. Hic cibus Angelorum eſt,vt diuino famulentur imperio. Nulla illis cura menſarum, nullus conuiuiorum vſus, nullæ repoſitæ epulæ, nullus vini potus, aut ſiceræ, nulla diſtentio corporis, nulla ventris offenſio. Amb.

Nyſſe. prooemio comment. in Cant: Cùm ei menſam apponerent diſcipuli, ipſeque reſpondiſſet: Ego habeo comedendum cibum, quem vos neſcitis, exiſtimaſſentque eum dicere, de corporali cibo,tanquam aliunde ad eum allato; ſuum ſermonem interpretatur; quod ſibi conueniens eſſet cibus, ſalutaris voluntatis adimpletio. Eiuſmodi plurima licet colligere ex vocibus Euangelicis, in quibus eſt aliud, quod intelligitur ex eo, quod eſt in promptu; aliud autem ad quod intuetur ſententia eorum, quæ dicuntur. Nyſſ.

Ver. 26.

H i e r o n. Zachar. 1: Quod autem oculos Propheta leuaſſe ſe dicit, illi ſpiritualiter ſenſui coaptandum eſt: Leuaui oculos meos in montes. Et: Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quoniam iam albæ ſunt ad metendum. Et quod in Eſaia legimus: Dixit ſanctus: Leuate oculos veſtros, & videte quis oſtendit hæc omnia. Eleuatione ergo oculorum opus eſt, & intelligentia ſpirituali, vt videamus, &c. Hier.

Not. 14. ver. 28.

Aug. Avg. ſer. 42. de Sanct: Laborauit Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſes, Prophetæ laborauerunt ſeminando: in aduentu Domini matura meſſis inuenta eſt. Miſſi meſſores cum falce Euangelij, portauerunt manipulos ad aream Dominicam, vbi Stephanus trituraretur.

Ver. 29.

Eut. Evth. Ioan. 4: Fuerunt autem Samaritani multò æquiores Iudæis: Illi enim exiuerunt ad eum, & orabant illum, vt veniret ad ſe: cumque nullum vidiſſent ſignum, crediderunt in eum. Iudæi verò ad ſe magis venientem perſequebantur; & apud ſe manere volentem, grauiter ferebant: cumque multa vidiſſent ſigna, non credebant. Quomodo ergo æquum erat, vt hos præteriret? aut qua iuſtitia fieri poterat, vt illis, qui ſe odio habebant, adeſſet; hos autem, qui amabant, deſereret? Alio autem tempore Samaritani non exceperunt eum, vtpote amicum Iudæorum, qui aduerſus ſe inimicitias exercebant. Sed illi erant alij ab iſtis. Illi ſiquidem vicum quendam Samariæ inhabitabant: iſti verò ciuitatem. (Luc. 9.)

Ver. 33.

Ratio diſpoſitionis. Quoniam ver. 33. dicitur Ieſus reliquiſſe Nazareth, illam Dominum in hoc itinere fuiſſe ingreſſum, vt cap. 66. deſcribitur, quidam exiſtimant. Eſt tamen vero multo ſimilius, non hoc velle ſignificare Matt. illis verbis; ſed aliud potius, nempe quod ex Iudæa, per Samariam venerit in Cana Galilææ, neque tamen ſit ingreſſus Nazareth, quãuis in via ei occurreret. Nam ante illum ingreſſum Nazareth, de quo agitur 66. ca. Ieſus Capharnai multa, & magna fecerat: iam vero ibi adhuc nihil; ſed tantum in Cana, & Iudæa, quantum ex probatis authoribus cognoſci poteſt. Hæc eſt Chryſoſt. ſententia, hom. 34. in Ioannem, vt 2. notat. ſequentis cap. videre licet. (Chryſoſt.) Ver. 33. ante filij Reguli curationem ponendus videbatur. Nã ea curatio, poſtquã Dominus in Cana Galilææ, perueniſſet, facta eſt; atqui priuſquam eo adueniſſet Nazarethum reliquerat. Quin etiam ante ver. 34. idem ver. 33. conſtituendus fuit: illo ſiquidem ver. 34. Ioannes Euangeliſta rationem, cur Nazarethum Ieſus modo ingreſſus non fuerit, aſſignat. (Diſpoſitionis ratio.)

Ver. 34.

Avg. tract. 24. in Ioan. Ipſe Dominus de ſe ait: Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua. Sic autẽ Propheta Chriſtus Dominus Prophetarũ; ſicut Angelus Chriſtus Dominus Angelorum. Nam & ipſe dictus eſt, magni conſilij Angelus. (Aug.)

Cur non abierit tunc recta in Nazareth, cauſam reddit: quia videlicet hi, qui in ea morabãtur, animum non applicabant, nec obtemperabant illi, vtpote familiares: Siquidem familiaritas facilè cauſat deſpectum. Quomodo autem teſtatus ſit Ieſus, quid Propheta in patria ſua honorem non habeat, quære cap. 66. Nazareth patria eius erat, & matris ipſius: in qua etiam conceptus, & nutritus fuerat. (Auct.)

Ver. 35.

Evt. Io. 4: Galilæam intellige reliquas Galileæ ciuitates, ac vicos, præter eã, quæ propriè ciuitas eius dicebatur, feſtum verò Paſcha, de quo Io. 2. Ver. 35. de eodem Paſchæ feſto agitur, de quo ca. 22. ver. 2. & 9. non autem de alio. Sic Origenes tomo 17. in Ioannem, Beda, Euth. Io. 4. & alij. (Eut. / Origen. / Bed. / Eut.)

Cap. 27. *Reguli filius ſanatur.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 4.*

1 Venit ergo iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum.

Dom. 20. poſt Pent.

2 Et ✠ erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.

3 Hic cum audiſſet, quia Ieſus adueniret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum vt deſcenderet, & ſanaret filium eius, incipiebat enim mori.

4 Dixit ergo Ieſus ad eum: Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.

5 Dicit ad eum Regulus: Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus.

6 Dicit ei Ieſus: Vade, filius tuus viuit.

7 Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus, & ibat.

8 Iam autem eo deſcendente, ſerui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes: quia filius eius viueret.

9 Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora ſeptima reliquit eum febris.

10 Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus: Filius tuus viuit.

11 Et credidit ipſe, & domus eius tota. ✠

12 Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus cùm veniſſet à Iudæa in Galilæam.]

Not. 1.

Not. 1.

TRES ſunt capitis huius partes: nam hic deſcribitur primo reguli pro filij ſanitate ſupplicatio, ſeu quid à Domino indiſcretè poſtulet. Deinde iuſta Chriſti pro eius incredulitate correptio, & reprehenſio. Denique benigna petitionis exauditio pro ſalute corporis, & animæ. Hoc autem miraculo Dominus non tantum ſuam potentiam declarauit: verùm etiam quàm homini ſit neceſſaria temporalis aduerſitas oſtendit. Hic enim Regulus minimè ad Chriſtum veniſſet, ſi filius eius adeo non fuiſſet infirmus. Voluit ergo benignus, & miſericors Deus filium eius de vita periclitari, vt vel ſic eum ad ſe venire cogeret, iuxta illud Pſal. 77: Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Hinc pręterea intelligimus, nobis quidnam ſit agendum vt viuamus; & animæ noſtræ infirmæ ſanentur.

Partitio capitis.

Aug. tract. 16. in Ioan: In hodierna Euangelica lectione, ſenſus non ſunt inueſtigatione difficiles: ſed digni prædicatione, digni admiratione, & laudatione. Proinde locum iſtum Euangelij cum commendatione commemoremus potius, quàm cum difficultate tractemus.

Aug. Locum hunc ad eſſe difficilem.

Not. 2. ver. 1.

IOANNES Euangeliſta dicens ver. 1. iterum, indicat hunc ſecundum eſſe Chriſti reditum è Iudæa in Galilæam. Primus enim eſt ille, cuius Euangeliſta ver. 9. cap. 20. meminit. Canam autem repetijt, non vt ex miraculo illic edito laudem aucuparetur: ſed vt ex ſemine, quod ibi iecerat, frugem aliquam vberiorem colligeret: & eos confirmaret, qui per miraculum, cuius hic, & Ioannis ſecũdo capite fit mentio, in eum crediderant: & quos facto miraculo ad fidem prius non adduxerat, ad eum pertrahere non ceſſaret.

Canam cur iterũ adeat.

Chryſoſt. hom. 34. in Ioan: Nunc in Cana Galilææ, vt arbitror, conceſſit, vt præſentia ſua ſuperioris miraculi fidem confirmaret, & ſpontaneo acceſſu magis eos alliceret, cum relicta patria eos potiores ducere videretur.

Chryſoſt.

Euth. Ioann. 4: Non fruſtra miraculi fecit mentionem: ſed vt oſtenderet, quod etiam facto illo ſigno, Samaritanis inferiores in fide inuenti ſunt Galilæi.

Eut.

Ver. 2.

HIERON. Eſa. 65. Tenet hunc Regulum fuiſſe gentilem; & inter alia ſic habet: Regulus dicitur Vaſilicos, quem nos de aula regia rectius interpretari poſſumus palatinum. Quibus verbis Hieronymus Vaſilicon, palatinum pro Regulo interpretandum exiſtimauit. Alij etiam putant deceptum eſſe noſtrum interpretem, vt qui Vaſilicon Regulum reddiderit, potius quam regium: ſed forſitan legiſſe Vaſiliſcon. Verùm ſunt antiqui patres, qui etiam Vaſilicos legerunt, itidemque Regulum dixerunt. Quapropter adeo antiquam lectionem conuellendam eſſe non arbitror. Putatur hic fuiſſe alicuius loci Dominus; ſic tamen vt Tetrarchæ Galilææ Herodi Antipæ, vel Romano præſidi ſubeſſet.

Hier.

Not. 3. ver. 4.

AVG. lib. 4. de conſen. cap. 10: Ioannes ibi enim commemorat dixiſſe Regulo: Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis; vſque adeo ſuper omnia mutabilia volens mentem credentis attollere, vt nec ipſa miracula, quæ quamuis diuinitus de mutabilitate corporum fiunt à fidelibus quæri velit. Eundem conſule tract. 16. in Ioan. vbi caput hoc exponit. Vide etiam Greg. hom. 28. in Euang. lect. 7. 8. 9. Dom. 20. poſt Pent.

Aug.

Ver. 5.

CHRYSOST. hom. 27. in Matt: Tanta certè eorum ſuperbia eſt, qui principatus præfecturasque gerunt; vt neque calamitatibus victi ad humiliora condeſcendant. Vnde ille, de quo Ioannes ſcribit, trahens illum domum, dicebat: Propera, atque deſcende, moriturus eſt enim filius meus.

Chryſoſt. Superbia principũ.

Ver. 6.

CHRYSOST. hom. 22. oper. imperf: Cum rogaretur noluit ire: ne fortè perſonam Reguli videretur accipere. Illum contempſit, quem dignitas ſubleuabat regalis.

Chryſoſt.

Theophylact. Ioann. 4: Vide & quid dicat ad illum Dominus: Vade filius tuus viuit, hoc eſt, ne ſis immobilis ad bonum, ſed vade, & inceſſabilem motionem oſtende ad bonum. Tunc enim filius tuus viuet. Si autem quieueris non ambulans, morietur planè mens tua; eo quod ad bonum te non promoueris.

Theop.

Not. 4. ver. 11.

HIERON. Eſa. 65: Regulus non ſolum filij, ſed vniuerſæ domus ſuæ reperit ſanitatem.

Hier.

Vide quanti referat maiorum fides, cum bonis coniuncta moribus: inferiores enim eos facilè ſequuntur.

Ver. 12.

DICENS Euangeliſta, hoc iterum ſecundum, non intelligit hoc ſignum bis à Chriſto factum: at ſecundum eſſe quod fecit, non abſolutè, ſed in Galilæa. Quippe in Hieruſalem aliqua prius fecerat. Iſtud autem ab Euangeliſta dictum eſt, vt inſinuaret hoc etiam miraculum à Domino ante alia factum, quæ cæteri Euangeliſtæ Chriſtum in Galilęa patraſſe docuerunt. Atque ita ſupplementum actorum eius, quæ ante illa patrauit, quæ ab alijs Euangeliſtis narrantur, hic finiri ſignificat. Vnde Euth. Ioan. 4: Dicens: Hoc iterum ſecundum ſignum edidit Ieſus; ſimiliter carpit illos: quia etiam ſecundo ſigno viſo, non potuerunt ad menſuram perue-

Eut.

nire fidei Samaritanorum, qui nullum viderãt. Hoc autem dixit ſecundum, non quod poſt primum, nullum aliud edidiſſet in tota Palæſtina: ſed quod poſt primum, hoc ſecundum in Cana factum ſit.

Theop. Theophylact. Ioann. 4: Et quare Euangeliſta dicit, quod ſecundum hoc ſignum fecerit in Cana? vt oſtendat Samaritanos multis dignos laudibus. Etenim & cum ſecundo hoc fieret ſignum, nondum peruenerunt Galilæi ad ſublimitatem illorum, qui nullum viderant ſignum. Cum veniſſet.) Hæc videtur eſſe profectio, de qua ver. 1. huius capitis, & ver. 3. & 32. capitis 26. A Iudæa.) In quam iuerat ex Hieruſalem, vt habes capite 24. ver. 1. In Galilæam.) ſicut ver. 3. & 32. capitis 26. dicitur.

Not. 5.

Euſeb. EVSEBIVS lib. 3. hiſt. cap. 18: Ioannem eiuſmodi cauſa adductum, ſe ad ſcribendum applicuiſſe ferunt. Cum tria Euangelia iamdudum perſcripta, cùm in aliorum iam omnium, tum in ipſius etiam manus perueniſſent, fama eſt cum ea magnopere approbaſſe, & conſtanti ratoque teſtimonio, omnia in illis verè fuiſſe ſcripta confirmaſſe, & ſolam illam explicationem nunc litteris mandandam teſtare cenſuiſſe, quę res primo tempore à Chriſto in ipſo ſuæ prædicationis principio geſtas complecteretur. Quæ quidem hominum fama eſt plane veriſſima. Tres namque alios Euangeliſtas, ea ſola ſcriptis proſecutos, quæ à Seruatore poſt Ioannem Baptiſtam in carcerem coniectum ad vnum annum continuum gerebantur, ſatis perſpicuè licet animaduertere: illudque ipſum illos in ipſo ſuæ hiſtoriæ exorſu plane ſignificaſſe. Nam poſt ieiunium quadraginta diebus continuatum, & tentationem interea loci interuenientem, Matthæus ipſum tempus, à quo ſuæ hiſtorię ſcribendæ ſumpſit initium, perſpicuè oſtendit: Audiẽs, inquit, quod Ioannes tradebatur, ſeceſſit à Iudæa in Galilæam. Similiter etiam Marcus: Vbi, inquit, Ioannes tradebatur, venit Ieſus in Galilæam: Lucas itidem antequam facta Ieſu Saluatoris explicare ordiatur pari ratione temporis ſeriem obſeruat, dicens quod Herodes ad alia mala, quæ commiſerat, hoc etiam adiecit, Ioannem nempe in carcerem incluſit. Hic igitur de cauſis Ioannem tradunt quorundam amicorum rogatu, tum ipſum tempus à ſuperioribus Euangeliſtis ſilentio præteritum, tum res in eodem à Seruatore geſtas (illæ quidem erant, quæ fuiſſent ante Ioannem Baptiſtam in vincula coniectum factitatę) in Euangelio ſuo poſteritati prodidiſſe, iſtudque idem ſatis euidenter illum ipſum commonſtrare primum cum dicat: Hoc initium miraculorum, & ſignorum fecit Ieſus. Deinde vbi inter acta Ieſu mentionem facit Ioannis Baptiſtæ adhuc eo tempore in Ænon iuxta Salem baptizantis: idem ipſum porro apte declarat vbi ſic loquitur: Nondum enim Ioannes coniectus erat in carcerem. Quocirca Ioannes ea in Euangelio ſuo ſcriptis mandauit, quæ Ioanne Baptiſta nondum in cuſtodiam miſſo, à Chriſto geſta fuere. Reliqui autem tres Euangeliſtæ ea commemorant, quæ poſt Ioannem Baptiſtam in ergaſtulum contruſum à Seruatore edita dicuntur. cap. 1. 1 cap. 24.

CAP. 28. CHRISTVS *habitationi ſuæ Capharnaum eligit: ac primum in Galilæa prædicat.*

Matth. 4.	*Mar. 1.*	*Luc. 4.*	*Ioan.*
1 Venit, & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nephtalim.			
2 Vt adimpleretur quod dictũ eſt per Iſaiam Prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephtalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium.			
3 Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & ſedẽtibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.			
		4 Et fama exijt per vniuerſam regionem de illo.	
5 Exinde cœpit Ieſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.	5 Prędicans Euangelium regni Dei, & dicẽs: Quoniam impletũ eſt tẽpus, & appropinquauit regnũ Dei: pœnitemini, & credite Euangelio.	5 Et ipſe docebat in ſynagogis eorum: & magnificabatur ab omnibus. (Et venit Nazareth. cap. 66.	

Not. 1.

Notatio 1.

Diſpoſitionis ratio.

POST ſanatum Reguli filium, hoc ponendum videtur: ſi quidem is curatus erat, priuſquam Dominus Capharnaum aduenirer. Nec videtur illud Matthæi, Dominum ſcilicet veniſſe Capharnaum,& illic habitaſſe ſic poſſe intelligi, vt quaſi tantum in animi deliberatione eo venerit; tum quod Patres ſic non intelligant: tum quod prophetia, quam in medium adducit Matthæus, præſupponat Dominum de facto iam in illas partes veniſſe, ac ibi docuiſſe: tum quod Matthæus alibi Dominum in hac profectione Capharnaum appuliſſe, non exprimat.

Not. 2. ver. 1.

HIC aduentus Chriſti Ieſu in Capharnaum, ab eo diuerſus eſt, de quo c.22.ver.1. Hic enim diu poſt primum Paſcha contigit, ille vero ante, quod non videtur aduertiſſe Aug. lib. 2. de conſ. cap. 17. dicens Matthæum primo narrare, quod venerit, & habitauerit Capharnaum, & poſtea Petrum, Andream, & filios Zebedæi de nauibus piſcantes vocauerit: Ioannem vero quod eum illo venerint diſcipuli eius.

Aug.

Not. 3. ver. 5.

FIRMATA iam editis miraculis ſuæ diuinitatis opinione, ad doctrinam Euangelicam longe, lateq; diuulgandam, Ieſus animum conuertit; ac primum in Galilæa pœnitentiam, regnique cœleſtis vicinitatem, Ioanne incluſo, prædicauit.

Not. 4.

Ratio diſpoſitionis.

IIS, quæ iſto capite traduntur, ſubdit Lucas hiſtoriam de Nazareth; non quod Dominus eò tunc iuerit: ſed vt eius, quod poſtmodum accidit, commemoratione, inſinuaret cur Dominus relicta Nazareth in Capharnaum cõceſſiſſet. Eius ergo Lucas voluit cauſam hic ponere, quam Matt. & Mar. non expreſſerunt.

CAP. 29. IESVS *è naui Simonis populum docet, ac poſt acceptam piſcium multitudinem copioſam, diſcipulos vocat.*

Matt. 4. *In feſto ſancti Andreæ.*	*Mar. 1.*	*Luc. 5.* *Dom. 4. poſt Pent.*	*Ioan.*
1 ✠ AMbulans autem Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare. Erant enim piſcatores.	1 ET præteriens ſecus mare Galilææ, vidit Simonem, & Andream, fratrem eius, mittentes retia in mare. Erant enim piſcatores.	3 c.33.) FActum eſt autem, ✠ cùm turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei:	
14 Et ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.	14 Et dixit eis Ieſus: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.	4 Et ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth, & vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum. Piſcatores autem deſcenderant, & lauabant retia.	
15 At illi continuo relictis retibus, ſecuti ſunt eum.	15 Et protinus relictis retibus, ſecuti ſunt eum.	5 Aſcendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum; & ſedens docebat de nauicula turbas.	
2 Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, in naui, cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua.	2 Et progreſſus inde puſillum, vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem, & ipſos componentes retia in naui.	6 Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.	
14 Et vocauit eos.	14 Et ſtatim vocauit illos.	7 Et reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cœpimus: in verbo autem tuo laxabo rete. 8 Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſciũ multitudinẽ copioſam. Rumpebatur autẽ rete eorũ.	

Matt. 4.	*Mar. 1.*	*Luc. 5.*	*Ioan.*
15 Illi autem ſtatim relictis retibus, & patre, ſequuti ſunt eum. ✠ (Et circuibat. cap. 53.	15 Et relicto patre ſuo Zebedæo in naui cum mercenarijs, ſequuti ſunt eum.	9 Et annuerunt ſocijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. 10 Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur. 11 Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine. 12 Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piſcium, quam cœperant. Similiter autem Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. 13 Et ait ad Simonem Ieſus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens. 15 Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus ſequuti ſunt eũ. ✠ (Et factum eſt. cap. 53.	

Notatio 1.

MATTHÆO atteſtatur Marcus, in hoc contextu narrationis, de diſcipulorum vocatione Petri, & Andreæ; & paulo poſt, Iacobi, & Ioannis: at tres Euangeliſtæ, de piſcatione vocatos eos, dicunt ſatis inter ſe conuenienter; maxime Matthæus, & Marcus. Nam Lucas Andream non nominat, qui tamen intelligitur in ea naui fuiſſe, ſecundum Matthæi, & Marci narrationem, qui breuiter hoc perſtringunt, quemadmodum hoc geſtum ſit: quod Lucas apertius explicauit, commemorans ibi etiam miraculum ſuper captura piſcium; & quod ex ipſa naui Dominus prius fuerit locutus ad turbas. Hoc etiam videtur diſtare quod tantum Petro à Domino dictum commemorat: ex hoc iam homines oris capiens: quod illi, ſcilicet Matthæus, & Marcus ambobus fratribus dictum eſſe narrant. Sed potuit vtique prius hoc Petro dici, cum de capta ingenti multitudine piſcium, miraretur, quod Lucas inſinuauit, & ambobus poſtea, quod illi duo commemorauerunt. Hæc totidem verbis Auguſt. lib. 2. de conſ. cap. 17.

ver. 13 14. *Aug.*

Ratio diſpoſitionis. Hanc hiſtoriam non ſuo loco narrare Lucam, vel ex ipſo Luca patet: Dixerat enim prius Dominum Simonis domum ingreſſum: quod Marcus dixit factum, comitantibus eum Simone, Andrea, Iacobo, & Ioanne. Igitur poſt illorum vocationem id factum conſtat. Proinde cum Lucas de Simonis domo prius feciſſet mẽtionem, iam iterato compendio voluit eorum vocationem deſcribere, cuius occaſione domũ Petri Chriſtum ingredi contigit. Ideo etiam Lucas videtur iſtud aliquantulum poſtpoſuiſſe; quia nunc cœpit Dominus cum concurſu prædicare; vt deinceps ordinarie factum eſt. Vnde ver. 3. dicuntur turbæ in eum irruiſſe, vt audirent verbum Dei. Siquidem aduenientis Domini fama, qua & Regulus venit, maximum concurſum excitauit. Marcus hanc vocationem ita narrat, vt eam in itinere ante ingreſſum Capharnaum contigiſſe inſinuet. Nam & poſt hanc vocationem ſubdit: & ingrediuntur Capharnaum: vbi de diſcipulis, quos dixerat vocatos, ſine dubio loquitur. Vide not. 1. c. 30.

Not. 2. ver. 1.

ISIDOR. Peluſ. ep. 10. lib. 1: Nihil apud Deum tanto in pretio eſt, quam charitas: ob quam & homo factus eſt, & ad mortem vſque obediens. Eaque de cauſa diſcipuli quoque illi, qui primi ab eo vocati ſunt, duo fratres extiterunt. Ex quo ſtatim per ipſa initia ſapientiſſimus Saluator illud indicauit, ſe diſcipulos omnes ſuos fraterno amore copulari velle. Quę cùm ita ſint, nihil charitati anteponendum ducamus, quæ quidem omnia inter ſe deuincit, atque in vtili concordia conſeruat. *Iſidor. Phil. 1.*

Not. 3. ver. 5.

AVG. lib. 2. quæſt. Euang. cap. 2: Quod Dominus *Aug.*

minus de nauicula docet turbas, ſignificauit hoc tempus, quando Dominus de auctoritate Eccleſiæ docet gentes. Quod Dominus aſcendens in nauim, quæ erat Petri, rogat eum à terra reducere puſillum, ſignificat vel temperate vtendum verbo ad turbas, vt nec terrena eis præcapiantur, nec ſic à terrenis in profundiora ſacramentorum recedatur, vt ea penitus non intelligant: vel prius in proximis regionibus gentibus prædicandum. Vt quod dicit item Petro: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam; ad remotiores gentes, quibus poſtea
Eſa. 5. 11 prædicatum eſt, pertineat. Sicut Eſaias dicit: Tolle ſignum in gentes; ad eas quæ prope: & ad eas, quæ longè.

Ver. 6.

Amb. AMBR. lib. 3. de virgin: Chriſtus pro noſtrorum ratione meritorum; aut currum plerumque, aut montem aſcendit, aut nauem; ſed
Duc in altum. nauem, in qua aut Apoſtoli nauigant, aut piſcatur Petrus. Nec enim vilis eſt nauis, quæ ducitur in altum, hoc eſt, ab incredulis ſeparatur. Cur enim nauis eligitur, in qua Chriſtus ſedeat,
Nauis eſt Eccleſia. turba doceatur; niſi quia nauis Eccleſia eſt, quæ pleno Dominicæ crucis velo ſancti flatu Spiritus in hoc bene nauigat mundo? In hac naui piſcatur Petrus, & nunc retibus, nunc hamo piſcari iubetur. Grande myſterium. Spiritalis enim eſſe videtur piſcatio, qua doctrinæ hamum mittere iubetur in ſæculum, vt primum illum martyrem Stephanum de mari verrat, qui cenſum Chriſti in interioribus contineret. Audiſtis dicentem Dominum Ieſum Simoni: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Ante non ducebat in altum Petrus, quando piſcabatur in ſtagno: etſi mare erat, altum non
Altū quid ſit. erat. Altum mare ſcriptura neſcit. Quid ergo ſit altum, accipe. Aqua alta, conſilium in corde viri. Altum cor viri eſt, vbi nihil vadoſum eſt, Duc ergo in altum diſputationis tuæ, fideique remigium: Duc in cor viri. Per parabolam hic vocat ad Eccleſiam Petrum, quem, ſecundum Matthæum, ſimplici vocauit ſermone, dicens: Venite, & faciam vos piſcatores hominum.
Eſt & aliud myſterium. Duc in altum, quia ante in arena erat, quando in ſynagoga erat, alta
cap. 14. non erat aqua Iudææ. Denique Samaritana, & puteum altum putabat, dicens: Et puteus altus eſt, vnde mihi aquam viuam habes dare. Non ergo ducere in altum poterat, quando cum Iudæis credebat, qui etiam de puteo aquam haurire non poterant. Ideo dicitur Petro: Duc in altum, hoc eſt, duc ad Chriſtum. Altus enim Chriſtus, de quo dicitur ad Ioannem à Patre: Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis. Duc ergo ad Chriſtum, & bene altum, in quo eſt al-
Rom. 11 titudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Duc in altum, quia altos ſuper altum cuſtodiet, & exaltabit. Ibi ergo altæ aquæ, vbi Chriſtus eſt, hoc eſt, fides; altæ aquæ, quæ timent Deum, quales illæ: Viderunt te aquæ Deus, viderunt
Pſal. 76. te aquæ, & timuerunt. Apud Iudæos aqua alta non erat in corde viri. Ideoque Dominus ait: Matt. 15.
Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. In corde amat eſſe Chriſtus. Sicut enim fuit Ionas in ventre cæti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Denique vt ſcias, quia de Fide dicit: Duc in altum; ait Petrus: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cæpimus, ſed in verbo tuo laxabo retia. Noctem Petrus habebat, antequam Chriſtum videret. Nondum ei venerat dies, quia veram non viderat lucem. Synagoga nox eſt, dies Eccleſia eſt. Vnde & Paulus dicit: Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Rom. 13
Bona lux, quæ perfidiæ excuſſit caliginem, fidei diem fecit. Dies factus eſt Petrus, dies Paulus. Ideoque natali eorum Spiritus ſanctus increpuit, dicens: Dies diei eructat verbum, Pſal. 19.
hoc eſt, ex intimo theſauro cordis fidem prædicant Chriſti: & bonus vterque dies, qui nobis verum lumen euomuit. Hæc in Euangelio legimus: & fortaſſe in cœlo hodie de nobis Chriſti, & Petri iſte ſit ſermo. Quotidie piſcatur Petrus, quotidie ei dicit Dominus: Duc in altum. Videor mihi audire dicētem Petrum: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cœpimus. Nox fuit cum pauciores ad vigilias conuenerunt. Laborat in nobis Petrus, quando noſtra laborat deuotio: verum (vt iam ad ſuperiora redeamus) rogate, vt & mihi dicatur: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Quis enim eſt, qui ſine Deo piſcetur hanc plebem, præſertim cum tantæ tempeſtates, & procellæ mundi huius obſiſtant? Sed quando vult Dominus, iubet laxare retia, & capitur multitudo piſcium. Nec ſolum vna, ſed etiam altera nauis impletur; quia plures Eccleſiæ immaculata plebe complentur: & bene accidit; quia nos laboraturos Dominus ſciebat, & auxilium de ſocijs miniſtrauit. Ioannes
quidem videtur ſimile aliquid dicere illi, quod cap. 147. Dubium
Lucas habet: Duc in altum, & laxate retia ve- Reſponſio
ſtra in capturam. Sed illud, quod factum eſt poſt reſurrectionem Domini, longè aliud eſt. Ibi enim non ſolum ipſum tempus, valde diuerſum eſt; ſed etiam res ipſa plurimum diſtat. Nam retia illic in dexteram partem miſſa, centum quinquaginta tres piſces cæperunt, magnos quidem; ſed pertinuit ad Euangeliſtam dicere, quod cum tam magni eſſent, retia non ſunt diſrupta; reſpicientem ſcilicet ad hoc factum, quod Lucas commemorat, vbi retia, præ multitudine piſcium rumpebantur. Sic Aug. lib. 4. de conſ. cap. 9.

Not. 4. ver. 8.

Aug. AVG. lib. 2. quæſt. Euang. cap. 2: Quid etiam retia rumpebantur, piſcium copia, & nauiculæ impletæ ſunt, ita vt mergerentur, ſignificat hominum carnalium multitudinem tantam futuram in Eccleſia, vt etiam diruptione pacis, exeuntibus inde hæreſibus, & ſchiſmatibus, tanta remaneret, & tanta eſſet futura illi

amiſſio

amiſſio fidei, & bonorum morum; vt Chriſto dicere videatur talis Eccleſia: Exi à me, quia peccator homo ſum: tanquam turbis carnalium repleta, & eorum moribus pæne ſubmerſa, regimen ſpiritualium, in quibus Chriſti perſona eminet, à ſe repellat quodammodo. Non enim hoc voce linguæ dicunt homines, bonis miniſtris Dei, vt eos à ſe repellant: ſed voce morum, & actuum ſuorum ſuadent à ſe recedi, ne per bonos regantur. Et eo vehementius, quo deferunt eis honorem; & tamen factis ſuis à ſe recedere admonent: vt honorificentiam eorum ſignificauerit Petrus cadens ad pedes Domini: mores autem in eo, quod dicit: Exi à me Domine, quia peccator homo ſum. Quod tamen quia non fecit Dominus: non enim receſſit ab eis; ſed eos, ſubductis nauibus, ad littus perduxit: ſignificat in bonis, & ſpiritualibus viris, non eſſe oportere hanc voluntatem, vt peccatis turbarum commoti, quo quaſi ſecurius, tranquilliuſque viuant, munus Eccleſiaſticum deſerant. Quod ergo ſubductis ad terram nauibus relictis omnibus, ſecuti ſunt eum Petrus, & Iacobus, & Ioannes, poteſt ſignificare finem temporis, quo ab huius mundi ſalo, qui Chriſto inhæſerint, penitus receſſuri ſunt.

Dupliciter aliquid dicitur.

Ver. 11.

Amb. AMBR. lib. 3. de Virgin: Non confuſus eſt Petrus dicere: Exi à me Domine, quia peccator ſum ego. Vir enim ſapiens, & grauis, in quo eſſet Eccleſiæ fundamentum, & magiſterium diſciplinæ, nihil vtilius ſibi eſſe proſpexit, quam ne ſecundantis operis extolleretur euentu. Et ideo: Exi, inquit, à me Domine. Non rogat vt deſeratur: ſed ne infletur. Paulus quoque carnis ſtimulo gloriatur, quod ſibi, ne extolleretur, prouiſum eſt. Illecebroſa iactantia eſt, quam etiam Paulus veretur; lubrica, quæ etiam in Paulo cauetur. Sed non eſt iſte facili mobilis caſu, qui reuelationibus timebat extolli. Et ideo quaſi fortis Athleta lætatur, quod vulnere corporis emere didicerat animæ ſanitatem.

2. Cor. 12.

Ver. 13.

Dubium cap. 197. Reſponſio

LVCAS narrat Petro fuiſſe prædictum à Domino, quod homines eſſet capturus. Quod non ita dictum eſt, quaſi iam piſces nunquam eſſet capturus. Nam & poſt reſurrectionem Domini legimus eos eſſe piſcatos. Dictum eſt ergo, quod deinceps capturus eſſet homines: non dictum eſt, quod iam non eſſet capturus piſces. Sic Aug. lib. 2. de conſ. cap. 17.

Aug.

Not. 5. ver. 14.

Dubium.

SANE poteſt mouere, quomodo Ioannes dicat non in Galilæa, ſed iuxta Iordanem primo Andream ſecutum eſſe Dominum, cum alio, cuius nomen tacetur. Deinde Petrum ab illo nomen accepiſſe: tertio Philippum vocatum, vt eum ſequeretur. Cæteri autem tres Euangeliſtæ, de piſcatione vocatos eos dicunt. Illud ergo diligenter conſiderandum eſt. Non enim parua repugnantia putari poteſt, cum & locorum plurimum interſit, & temporis, & ipſius vocationis. Nam ſi iuxta Iordanem, antequam Ieſus iſſet in Galilæam, ad teſtimonium Ioannis Baptiſtæ, ſecuti ſunt eum duo, quorum vnus erat Andreas, qui fratrem ſuum Simonem continuo adduxit ad Ieſum, quando & nomen, vt Petrus vocaretur, accepit, quomodo ab alijs Euãgeliſtis dicitur, quod eos in Galilæa piſcantes inuenerit, atque ad diſcipulatum vocauerit: niſi quia intelligendum eſt, non ſic eos vidiſſe tunc Dominum iuxta Iordanem, vt ei tam inſeparabiliter cohærerent: ſed tantum cognouiſſe quis eſſet, eumque miratos ad propria remeaſſe. Ita Aug. lib. 2. de conſ. cap. 17. plura de eadem re Chryſoſt. hom. 19. in Matt. Itaque manifeſtum eſt, hanc vocationem, non eandem eſſe, cum ea, de qua 20. cap. agitur ex Ioanne, ſed longe illa poſteriorem; hæc enim in Galilæa contigit, Ioanne Baptiſta tradito, illa vero in Iudæa, Ioanne adhuc baptizante. Sunt & alia multa, quæ diſcrimen arguunt: proinde intelligendum eſt hos factos quidem diſcipulos Chriſti, poſt eam vocationem, quæ à Ioanne deſcribitur; nondum tamen relictis omnibus illum indiuulſe cœpiſſe comitari, nec ſe illius ſequelæ totos addixiſſe: verum illo relicto, interdum ad artem, qua ſoliti erant ſibi parare cibum, redijſſe. Ita Chryſoſt. Euth. Theoph. Aug. Beda, & alij. Nonnullis dubium eſt, an ea vocatio, de qua hic Matthæus, & Marcus, eadem ſit, cum ea, de qua Lucas. Aliqui opinantur eandem non eſſe; nam apud Matthęum, & Marcum bini dicuntur vocati, primo quidem Petrus, & Andreas; deinde alij duo fratres, Iacobus, & Ioannes. Ad hæc illi dicuntur inuenti piſcantes. Hi vero ſua retia reficientes. Apud Lucam vero dicuntur omnes inuenti ſua retia lauantes; & ſimul omnes Chriſtum ſecuti. Ideoque putant, quod à Luca dicitur, prius eſſe factum, nec tunc eos à Domino fuiſſe in diſcipulos adſcitos; ſed prædictum Simoni dumtaxat, quod vocandus eſſet. In hanc opinionem propendere videtur Aug. ſub finem cap. 17. lib. 2. de conſ. Euangeliſtarum. Ac etiam Tatia. cap. 3. Diateſſ. Bed. Mar. 1. & alij. Secundum hos ergo triplex fuit quorundam Apoſtolorum vocatio; prima quidem, de qua Ioannes, ad notitiam: ſecunda vero, cuius Lucas meminit, ad familiaritatem; tertia poſtremò, quam alij duo commemorant, ad diſcipulatum, & continuam ſequelam. Probabilius tamen eſt, eandem omnino, & non diuerſam eſſe vocationem, quam hic tres Euangeliſtæ deſcribunt. Ita ſentit Aug. paulo poſt initium cap. 17. lib. 2. de conſ. ante citatus; & Ammon. harmoniæ cap. 19. Euth. Luc. 5. & alij. Proinde ſecundam hic Apoſtolorum deſcribi vocationem, non tertiam, affirmant Theophylact. & Euthy. Matth. 4. & Mar. 1. Et hoc longe vero ſimilius eſt. Si quidem Lucas dicit, poſt hoc miraculum, diſcipulos, in ea, quam deſcribit vocatione, relictis omnibus, ſecutos eſſe Chriſtum, non ergo mox poſtea derelicto Domino, ad piſcationem redierunt, vt

Aug. Chryſoſt.

Duæ ſunt Apoſtolorum vocationes.

Chryſoſt. Eut. Theop. Aug. Bed.

Aug. Tatia. Bed.

Triplex vocatio.

2. opinio veriſimilior

Aug. Ammon. Eut.

Theop. Eut.

iterum

iterum vocandi eſſent. Nemo enim mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei: vt cap. 34. dicitur. Nec dicendum eſt eos ad tempus dumtaxat omnia reliquiſſe; ac Dominum ſecutos cauſa tantum reuerentię ipſum aliquouſq; deducendo. Quippe nimis id coactũ videtur. Nam Lucas air eos omnia reliquiſſe, Dominumque ſecutos: quomodo id Matthæus, & Marcus affirmant. Ideoque hæc vocatio, de qua Lucas, eam præceſſiſſe non poteſt, cuius alij meminerunt: ſed eſt vna, & eadem. Quippe diſcipuli non niſi ſemel omnia relinquere potuerunt. Euangeliſtarum autem narratio facile conciliari poteſt: ſi nempe intelligatur Chriſtus ambulans iuxta mare, vidiſſe Petrum, & Andream adhuc piſcationi vacantes; deinde progreſſus vidiſſe Ioannem, & Iacobum reſarcientes retia: nam ad mare cum Dominus accederet, eos à longe vidit ſollicitos, & operoſos; illos piſcantes, alios rete reficientes: Poſtea vero acceſſiſſe ad mare, cum turbæ, deſiderio audiendi verbum eius, irruerent; ac interea ſubſtitiſſe; nauibus ad terram adductis, ibique fixis piſcatores deſcendiſſe, & lauiſſe retia, tum Dominum nauiculam ingreſſum, docuiſſe turbas. Deinde hoc miraculum edidiſſe; ac denique omnes ſimul vocaſſe. Non ſic enim intelligendi ſunt Matthæus, & Marcus, quaſi è veſtigio, vbi Dominus eos viderat, ad ſequelam euocauerit: ſed poſt concionem habitam, editumque miraculum: quæ Matthæus, & Marcus breuitari ſtudentes omiſerunt. Lucas vero cum poſt eos ſcripſerit, ab ipſis prærerita ſupplebit, quodque paulo dixerant obſcurius, explanauit; nonnulla eorum, quæ ab alijs in hac vocatione prius ſcripta fuerant, prætermittens.

Euāgeliſtæ conciliantur.

Similiter quamuis Matthæus, & Marcus ſeorſim ſcribant horum Apoſtolorum vocationem, eos tamen ſimul vocaros poteſt intelligi; non enim dicunt Dominum tunc eos vocaſſe, cum reſarcirent retia: ſed intelligi poteſt eos vidiſſe reficientes ante miraculum; & poſt miraculum ſimul eos vocaſſe. Marcus verſu 14. videtur inſinuare Chriſtum vocaſſe filios Zebedæi ſtatim atque illos vidit: ſed contentus, ac rei geſtæ ſeries oppoſitum ſignificat. Dominus enim procul erat, quando primum eos vidit: forte illud ſtatim vocauit: ad vocandi propoſitum, non diuinum quidem, eo quod hoc antiquum, ac æternum eſſet; ſed humanum, referri debet. Quo autem ordine vocati ſint omnes 12. Apoſtoli, in Euangeliſtarum narrationibus non apparet. Quandoquidem non tantum ordo vocationis; ſed nec ipſa vocatio commemorata eſt omnium, ſed tantum Philippi, & Potri, & Andreæ, & filiorum Zebedæi, & Marthæi Publicani, qui etiam Leui vocabatur. Ita Aug. lib. 2. de conſ. cap. 17. Chryſoſt. vero hom. 31. in Matt. ſic habet. Sed cur iam, inquies, non de omnibus ſcripſit quomodo vocati ſunt, ſed de Petro, Iacobo, Ioanne, atque Philippo ſolum, de cæteris vero nihil? Quia iſti maxime in humili artificio, atque infami verſabantur. Quid enim publicano peius, aut piſcatura humilius? Philippum etiam non fuiſſe inſignem à patria eius planum fieri poteſt, idcirco de his, atque eorum artificijs maxime ſcribunt declarantes, quod cum præclara, & ſplendida narrent, ipſis fidem habere oporteat. Qui enim nihil eorum, quæ vitio dari poſſunt, prætermittunt, ſed præ alijs ſumma diligentia eiuſmodi, ſi qua ſunt commemorant, tam in magiſtro, quam in diſcipulis, quomodo cum laudabilia narrant ſuſpectos habebis? præſertim cum multa ſigna, & miracula breuiter tranſcurrant; crucis vero patibulum, quod opprobrij plenum eſſe videbatur, exactiſſime proſecuti ſunt, diſcipulorumque ſtudia, artificia, quæſtus, contemptum, & ipſius magiſtri progenitores, qui turpitudine aliqua tenebantur, magna voce in medium proferunt. Patet ergo quanta ſibi eſſet cura veritatis, cum nihil ad gratiam, nihil ad oſtentationem ambirioſe conſcripſerint. Ita Chryſoſt.

Dubium

Reſponſio

Quando, & quomodo alij a poſt alij vocati ſint, tacetur.

Aug. Chryſoſt.

Cur horũ potius quã aliorum vocatio, deſcribatur.

Ver. 15.

Poſtquam turbam Chriſtus ex naui docuit, Dominum nauis non reliquit irremuneratum: ſed bifariam ei benefecit: quia & multitudinem piſcium ei donauit, & diſcipulum ſuum fecit. Admirare autem Domini diſpenſationem quomodo per propria, & familiaria ſua quemque attrahit: ſicut Magos per ſtellam; ita & piſcatores per piſces. Sic Theophylact. Luc. 5. & alij. Illos Chriſtus ſecundo vocat: ſecunda enim vocatio iſta eſt, vide autem quomodo illi, iuſtis laboribus, ſeſe nutriant, & non ex iniuſtis. Tales enim digni erunt, qui primi fierent diſcipuli Chriſti. Reliquerunt Patrem, ſic & tu relinque parentes, ſi ad pietatem tibi obſtiterint. Vides quãdo oportet relinquere Patrem, nempe quando obſtat virtuti, & pietati. Scias primum vocari practicem, deinde contemplatiuam: Petrus enim ſymbolum practices eſt: feruentior enim erat alijs, ſicut & practice eſt. Ioannes vero contemplatiuam ſignificat, plus enim de rebus diuinis diſſerit Ioannes. Hæc Theophylact. Mar. 1. & Matt. 4. ſimilia ſunt apud Chryſoſt. & Euth. Vide Chryſol. ſer. 28. Nondum fecerant, quod iam fecerunt, omnia relinquentes, vt ver. 15. dicitur. Toto pene anno ſemper Domino adfuerant: quandoque tamen ad ſuos, vt piſcatione ijs adeſſent, redierant: immo & in hoc itinere cum Dominum redire Capharnaum intelligerent, paulo ad piſcandum, & præparandum, quod poſſent, præceſſerunt: omnia ſibi modo relinquenda, omnemque temporalem ſolicitudinem abijciendam cognouerunt. Quid vero, & quantum reliquerint, habent ſancti patres cap. 134. not. 1.

Theop.

Theop. Chryſoſt. Eut Chryſol.

CAP. 30.

CAP. 30. IESVS *Capharnaum ingreſſus docet, & obſeſſum à dæmone liberat.*

Matt.	*Mar. 1.*	*Luc. 4.*	*Ioan.*
	1 ET ingrediuntur Capharnaũ; & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam, docebat eos.	1 cap. 66.) ET deſcendit in Capharnaum, ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos ſabbatis.	
	2 Et ſtupebant ſuper doctrina eius: erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ.	2 Et ſtupebant in doctrina eius: quia in poteſtate erat ſermo ipſius.	
	3 Et erat in ſynagoga eorum homo in ſpiritu immundo, & exclamauit, dicens: Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio qui ſis, Sanctus Dei.	3 Et in ſynagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna, dicens: Sine, quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio te, quis ſis, Sanctus Dei.	
	4 Et comminatus eſt ei Ieſu, dicens: Obmuteſce, & exi de homine.	4 Et increpauit illum Ieſus, dicens: Obmuteſce, & exi ab eo.	
	5 Et diſcerpens eum ſpiritus immundus, & exclamans voce magna, exijt ab eo.	5 Et cum proieciſſet illum dæmonium in medium, exijt ab illo.	
		6 Nihilque illum nocuit.	
	7 Et mirati ſunt omnes, ita vt conquirerent inter ſe, dicentes: Quidnam eſt hoc? quænam doctrina hæc noua? quia in poteſtate etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei.	7 Et factus eſt pauor in omnibus, & colloquebantur ad inuicem, dicentes: Quod eſt hoc verbum? quia in poteſtate, & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt.	
	8 Et proceſſit rumor eius ſtatim in omnem regionem Galilææ.	8 Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.	

Notatio 1.

NARRANDI forma, qua Marcus ver. 1. vtitur, cuipiam videri poſſet indicare, nunc primum ex itinere ſuo è Iudæa Dominum ingreſſum Capharnaum: & non antè diſcipulorum vocationem. Sed ex Matth. ſupra cap. 28. conſtat, prius eo fuiſſe ingreſſum, ac ibi domum, & habitationem accepiſſe; quanquam ſine ijs diſcipulis, vt apparet, quos modo vocauit, quoniam ipſi forte Chriſtum ex itinere reliquerant (vt not. 5. cap. 29. dictum eſt) ad curandum neceſſaria. Proinde fuit hic Domini tertius in Capharnaum ingreſſus, omnium, quorum Euangeliſtæ meminerunt. Primus habetur cap. 22. ex Ioanne. De ſecũdo Matt. loquitur ſupra cap. 28. Matthæus, quia hunc Domini Ieſu ingreſſum in Capharnaum non commemorat, nec eum docuiſſe Capharnai dicit; ideo nec huius miraculi facit mentionem: quod in ipſo ſtatim ingreſſu Marcus factum inſinuat. Vnde recte hoc omnium primo narratur.

Domini tres in Capharnaum ingreſſus.

Not. 2.

CVM Matthæus continuo diſcipulorum vocationi, inquit Aug. lib. 2. de conſ. Euang. cap. 17. coniungeret narrationem prolixi illius ſermonis, quem in monte habuit, poſteaquam multos curauit, & eum multæ turbæ ſecutæ ſũt, Marcus interpoſuit alia: quia docebat eos in ſynagoga, & ſtupebãt ſuper doctrina eius. Tunc ipſe dixit, quod & Matthæus poſt illum prolixum ſermonem, quia erat docens eos, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ. Narrauit etiam de homine, à quo ex pulſus eſt immundus ſpiritus. Deinde de ſocri Petri. In his autem ei Lucas conſentit. Matthæus vero de iſto dęmonio nihil narrauit: de ſocru autem Petri, non tacuit; ſed poſtea. In hoc autem loco, quem nunc conſideramus, idem Matthæus poſt vocationem diſcipulorum, quibus piſcantibus, iuſſit vt eum ſequerentur, narrat eum circuiſſe Galilæam, docentem in ſynagogis, & prædicantem Euangelium, & ſanantem omnem languorem: & collectis ad eum turbis, aſcendiſſe in montem, & vſum fuiſſe illo ſermone prolixo. Dat ergo locum intelligendi tunc facta eſſe, quæ Marcus poſt electionem eorumdem diſcipulorum narrat, cum circuiret Galilæam, & doceret in ſynagoga eorum: tunc etiam de ſocru Petri, ſed eum poſtea commemoraſſe, quod prætermiſerat; quamuis non omnia prætermiſſa in narrationem reuocauerit. Et lib. 4. cap. 1: Hoc

Aug. *Ratio diſpoſitionis.* *Aug.*

Hoc autem Marcus: quia ingreſſus Capharnaum, in ſynagogam eorum, docebat eos ſabbatis, cum Luca dixit: ſed nihil habet quæſtionis. Hæc Aug.

Not. 3.

Hier. MARCVS dicta Euangelij, ait Hiero. Mat. 1. in ſemetipſo, non in ſemetipſis diſponens, ordinem hiſtoriæ non ſecutus, myſteriorum ordinem ſeruat. Vnde in ſabbatis primam virtutem narrat, dicens: Et ingrediuntur Capharnaum, &c. Ita quidem Hieron. quem nonnulli ſequuntur, Marcum rei geſtæ ſeriem hic non ſeruaſſe indicans: quia forte arbitratus eſt Dominum iam ex Nazareth veniſſe Capharnaum, vt hiſtoria Lucæ videtur indicare. Verum hic optimus ordo hiſtoriæ à Marco ſeruatus eſt: quod ex præcedentibus manifeſtum euadit. Venerat enim prius Seruator ex Cana, non ex Nazareth, in Capharnaum. Hinc vero ad mare digreſſus, vbi capiẽdis piſcibus diſcipuli vacabant. Ac inde rurſus cum diſcipulis in Capharnaum.

Not. 4. *ver.* 3.

Aug. AVGVST. lib. 9. de Ciuit. cap. 21: Clarum eſt in his verbis, quod in eis dæmonibus, & tanta ſcientia erat, & charitas non erat. Pœnam quippe ſuam formidabant ab illo, non in illo iuſtitiam diligebant. Et lib. 4. de conſen. cap. 2: Sequitur Marcus, & dicit: Et ſtupebant ſuper doctrina eius, &c. Et in hoc toto loco, quamuis ſint quædam, quæ cum ſolo Luca dixit; tamen iam tractata ſunt, cum Matthæi narrationem continuam teneremus: quia in ipſum ordinem ſic incurrerant, vt eà prætermittenda non arbitrarer. Sed Lucas de ſpiritu immundo ait, quod ſic exierit ab homine, vt nihil ei noceret. Marcus autem: Et diſcerpens eum, inquit, ſpiritus immundus, exclamans voce magna, exijt ab eo. Poteſt ergo videri contrarium, quomodo eum diſcerpens, vel, ſicut alij codices habent, conuexans eum; cui nihil nocuit; ſecundum Lucam. Sed & ipſe Lucas: Et cum proieciſſet illum, inquit, dæmonium in medium exiuit ab illo, nihilque ei nocuit. Vnde intelligitur hoc dixiſſe Marcum, conuexans, quod Lucas, cum proieciſſet eum in medium, nihilque ei nocuit: hoc intelligitur, quia illa iactatio membrorum, atque vexatio, non eum debilitauit, ſicut ſolent exire dæmonia etiam quibuſdam membris, admota vexatione eliſis.

Aug. — ver. 5. 6. Dubium: Quomodo diſcerpens nihil nocuit. — Varia lectio.

CAP. 31. *Socrus Petri à febre, & alij à varijs morborum generibus, atque dæmonibus liberantur.*

Matt. 8.	*Mar.* 1.	*Luc.* 4. *Fer. 5. poſt Dom. 3. Quad. Sabb. 4. temp. Pentec. Pro vitanda mortalitate.*	*Ioan.*
	1 ET protinus egredientes de ſynagoga.	1 ✠ SVrgens autẽ Ieſus de ſynagoga.	
2 (c. 54.) ET cùm veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum eius iacentem, & febricitantem.	2 Venerunt in domum Simonis, & Andreę, cum Iacobo, & Ioanne, decumbebat autem ſocrus Simonis febricitans.	2 Introiuit in domum Simonis, ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.	
	3 Et ſtatim dicunt ei de illa.	3 Et rogauerunt illum pro ea.	
4 Et tetigit manum eius, & dimiſit eam febris; Et ſurrexit, & miniſtrabat eis.	4 Et accedens eleuauit eam, apprehenſa manu eius; & continuo dimiſit eam febris: Et miniſtrabat eis.	4 Et ſtans ſuper illam, imperauit febri, & dimiſit illam: Et continuò ſurgens miniſtrabat illis.	
5 Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dęmonia habentes.	5 Veſpere autem facto, cum occidiſſet ſol, adferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes.	5 Cùm autem ſol occidiſſet, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum.	
	6 Et erat omnis ciuitas congregata ad ianuam.		
7 Et eijciebat ſpiritus verbo, & omnes male habentes curauit.	7 Et curauit multos, qui vexabantur varijs languoribus, & dæmonia multa eijciebat.	7 Et ille ſingulis manus imponens, curabat eos. Exibant autem dæmonia à multis.	
		8 Clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei.	

Matt. 8.	*Mar. 1.*	*Luc. 4.*	*Ioan.*
10 Vt adimpleretur quod dictũ eſt per Iſaiam Prophetam, dicentẽ: Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægritudines noſtras portauit. (Videns autem Ieſus turbas. c. 34.	9 Et non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum.	9 Et increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebãt ipſum eſſe Chriſtum.	

Not. 1.

Ratio diſpoſitionis. Ex ijs, quæ à Marco, & Luca hic dicuntur, ſatis cõſtat proxime iſtud, poſt id, quod præcedit, contigiſſe: imo etiam eodem die. Matthæus autem, cum poſt ſermonem in mõte, narraſſet Dominum ingreſſum Capharnaum, ſanaſſe ſeruum Centurionis, ea occaſione redijt ad ea narrãda, quæ in tertio ingreſſu contigerant: hic enim ordinem non ſeruauit; ſed prius omiſſa, ex occaſione, alio loco geſta, compilauit. Hoc de ſocru Petri, quando factum ſit, inquit Aug. lib. 2. de conſ. c. 21. id eſt, poſt quid, vel ante quid, non expreſſit Matthæus. Non enim poſt quod narratur, poſt hoc etiam factum neceſſe eſt intelligatur, nimirum tamen iſte hoc recoluiſſe intelligitur, quod prius omiſerat. Nam id Marcus narrat, antequam illud, de leproſo mundato, commemoraret: quod poſt ſermonem in monte habitum, de quo ipſe tacuit, videtur interpoſuiſſe. Itaq; & Lucas poſt hoc factum narrat, de ſocru Petri, poſt quod & Marcus, ante ſermonem etiam ipſe, quem prolixum interpoſuit. (Aug.)

Aug. lib. 2. de conſ. cap. 22: Hoc ad eiuſdem diei tempus pertinere ſatis indicat Matthæus, cum coniungit: Veſpere autem facto. Sic & Marcus, cum de ipſa ſocru Petri ſanata dixiſſet: & miniſtrabat eis; hoc idem ſubiecit: Veſpere autem facto, &c. Videtur hic ordinem tenuiſſe Marcus, vt poſt illud, deinde diceret: Et diluculo valde ſurgens, &c. Quamuis nec illud neceſſe ſit, vbi dicitur: Veſpere autem facto; eiuſdem diei veſperum accipere, nec vbi dicitur diluculo, eiuſdẽ noctis diluculum. Tamen vtcumq; videri poteſt hic rerum geſtarum ordo ſeruatus, propter digeſtum ordinem temporum. Lucas quoq; cum de ſocru Petri narraſſet, non ait ipſe: Veſpere autem facto; ſed tamen quod idem ſignificaret adiunxit, dicens: Cum ſol autem occidiſſet, &c. Ex his videmus eundem prorſus ordinem temporum cuſtoditum, quem comperimus apud Marcum. Matthæus autem videtur non ordine, quo geſtum eſt, hoc de ſocru Petri commemoraſſe, ſed quod prætermiſſum erat, recolere. Sic Aug. inter alia docens, hoc à tribus narrari. (Aug.)

Ver. 1. 2. 3.

Euth. Evth. Matt. 8: Marcus, & Lucas dixerunt etiam vnde illuc venerat, videlicet à ſynagoga Iudæorum, in qua ſabbato docuerat. Addidit quoq; Marcus, quod cum Iacobo, & Ioanne venerit. Veriſimile eſt enim Petrum, cum hoc didiciſſet, prçcurriſſe. Præterea Marcus, & Lucas dicunt, quod diſcipuli rogauerunt illum pro ea, quæ in lecto decumbebat; Matthæus vero hoc etiam tacuit. Non eſt autem hoc diſſonantiæ ſignum, ſed quod illi fecerunt, diligentiæ fuit: quod autem hic, breuitatis. Ingreſſus eſt autem cibi ſumendi cauſa, vocante iam hora. Tu quoque mihi admirare, quantum Dominus ſeſe deiecerit. Non dedignatus eſt vilem piſcatoris domum ingredi: hinc quidem & diſcipulum honorans, & ſimul docens nos, ne vanæ gloriæ ſtudeamus. Hæc Euthymius. Eadem ſunt apud Chryſoſt. Theophyl. & alios. Chryſoſt. Theop.

Not. 2. ver. 4.

Hier. Matt. 8: Tangitur manus mulieris, & ſanatis operibus eius: peccatorum infirmitas fugit. Natura hominum iſtiuſmodi eſt, vt poſt febrem, magis laſſeſcant corpora; & incipiente ſanitate, ægrotationis mala ſentiant. Verùm ſanitas, quæ confertur à Domino, tota ſimul redit: nec ſufficit eſſe ſanam: ſed vt epitaſis fortitudinis indicetur, additum eſt: Surrexit, & miniſtrabat eis. Illa manus miniſtrabat, quæ & tacta fuerat, & ſanata.

Chryſoſt. hom. 28. in Matt: Tetigit ergo manum eius, nec febrium tantum ardores extinxit, aut certa incolumitatis ſigna reduxit. Verùm etiam priſtinas corporum vires recuperare ilico fecit: vt quando facilis curatu ægrotatio videbatur, curandi modo virtus curantis oſtenderetur. Nam id certè medendi artificiũ facere non poteſt. Nemo quippe ignorat, quam longo tempore, poſteaquam febres ceſſauerunt, opus ſit ad priſtinum robur recuperandum. Cuncta igitur tunc ſimul facta ſunt. Quod & in mari pariter eueniſſe perpendere poſſumus. Nam & ibi non ventos ſolum, ac tempeſtates ſedauit: ſed, quod inauditum omnino erat, fluctus etiam, vndaſque ſtatim compoſuit. Nam etſi vis ventorum ceſſauerit, permanent tamen fluctus vndarum diutius; ſed non ita hic. Non enim natura duce, aut arte fiunt, quæ à Chriſto fiunt; ſed ſimul omnia finem ſuum aſſequuntur. Quod ſuboſtendit Euangeliſta, dicens: Surrexit, & miniſtrabat illis. Id certè tam virtutem Chriſti ſupra hominem ſignificabat, quam voluntatem mulieris, atque affectum erga Chriſtum aperiebat. (Chryſoſt.; cap. 35.)

Ver. 5.

Ver. 5.

Hier. HIERON. Matt. 8: Omnes, non mane, non meridie, ſed ad veſperam curantur: quando ſol occubiturus eſt: quando granum tritici in terra moritur, vt multos fructus afferat.

Vict. Victor Antioch. Mar. 1: Non temere additur: poſt ſolis tandem occaſum, multos ægros oblatos eſſe. Quandoquidem Iudæis perſuaſum erat, Sabbato curare fas non eſſe: eius ergo rei cauſa ſabbati finem expectabant. Sed & Iudæorum quoque proceres, ob id Domino inſultabant, quod ſabbato ſanaret. Chriſti vero diſcipuli, qui nonnullos iam in fide progreſſus habebant, veſpera non expectata, Ieſum, vt Petri ſocrum à morbo releuet, rogant. Hoc apud Victorem, Theoph. Mar. 1. Euth. Matt. 8. & alios. Theop. Euth.

Not. 3. ver. 7.

MARCVS dixit, quod multos curauerit, & dæmonia multa eiecerit. Matth. vero, quod omnes curauerit, & ſpiritus eiecerit; ſed Marcus addidit multos, & multa; non quod aliquos prætermiſerit Dominus, quin curauerit, aut aliqua dæmonia reliquerit, ſed tantum vt oſtendat, quod multi fuerint, qui ſanati ſunt, multaque dæmonia eiecta. Sic Euth. Mar. 1. Eut.

Aug. Aug. lib. 9. de Ciuit. cap. 20: Dæmones enim dicuntur, quoniam vocabulum Græcum eſt, ob ſcientiam nominati. Apoſtolus autem Spiritu ſancto locutus, ait: Scientia inflat, charitas verò ædificat. Quod recte aliter non intelligitur, niſi ſcientiam tunc prodeſſe, cùm charitas ineſt: ſine hac autem inflare, id eſt, in ſuperbiam inaniſſimæ quaſi ventoſitatis extollere. Eſt ergo in dæmonibus ſcientia ſine charitate: Et ideo tam inflati, id eſt, tam ſuperbi ſunt, vt honores diuinos, & religionis ſeruitutem, quam vero Deo deberi ſciunt, ſibi ſategerint exhiberi, & quantum poſſunt, & apud quos poſſunt adhuc agunt. 1 Cor. 8.

Ver. 8.

Quid vero dæmonia clamantia dixerint, ſcripſit Lucas quod alij compendio vſi, tanquam è ſuperioribus notum, prætermittunt. Itaque ſibi non aduerſantur. Hæc Victor Antioch. Mar. 1. Vict.

Not. 4. ver. 9.

Aug. Chriſtum vt dæmones cognoſcant. AVG. lib. 9. de Ciuit. cap. 21: Tantum verò eis innotuit, quantum voluit: tantum autem voluit, quantum oportuit. Sed ſic innotuit non ſicut Angelis ſanctis, qui eius, ſecundum id quod Dei verbum eſt, participata æternitate perfruuntur: ſed ſicut eis terrendis innoteſcendum fuit, ex quorum tyrannica quodammodo poteſtate fuerat liberaturus prædeſtinatos in ſuum regnum, & gloriam ſemper veracem, & veraciter ſempiternam. Innotuit ergo dæmonibus, non per id quod eſt vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios, cui viuendo per fidem, quæ in illo eſt, corda mundantur: ſed per quædam temporalia ſuæ virtutis effecta, & occultiſſimæ ſigna præſentiæ, quæ Angelicis ſenſibus etiam malignorum ſpirituum, potius quam infirmitati hominum poſſent eſſe conſpicua. Denique quando ea paululum ſupprimenda iudicauit, & aliquando altius latuit, dubitauit de illo dæmonum princeps. Act. 3. Et cap. 22: Igitur Angelis bonis omnis corporalium temporaliumque rerum ſcientia, qua inflantur dæmones, vilis eſt: non quod earum ignari ſint: ſed quod illis Dei, qua ſanctificantur, charitas chara eſt, præ cuius non tantum incorporali, verùm etiam incommutabili, & ineffabili pulchritudine, cuius ſancto amore inardeſcunt, omnia quæ infra ſunt, & quod illud eſt, non ſunt, ſeque ipſos inter illa contemnunt, vt ex toto, quod boni ſunt, eo bono, ex quo boni ſunt, perfruantur. Et ideo certius, etiam temporalia, & mutabilia iſta nouerunt: quia eorum principales cauſas in verbo Dei conſpiciunt, per quod factus eſt mundus. Quibus cauſis quædam probantur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur. Dæmones autem non æternas temporum cauſas, & quodammodo cardinales in Dei ſapientia contemplantur: ſed quorundam ſignorum nobis occultorum, maiore experientia multa plura quàm homines futura proſpiciūt; diſpoſitiones quoque ſuas aliquando prænunciant. Denique ſæpe iſti, nunquam illi omnino falluntur. Aliud eſt enim temporalibus temporalia, & mutabilibus mutabilia coniectare, eiſque temporalem, & mutabilem motum ſuæ voluntatis, & facultatis inſerere, quod dæmonibus certa ratione permiſſum eſt. Aliud in æternis, atque incommutabilibus Dei legibus, quæ in eius ſapientia viuunt, mutationes temporum prævidere, Deique voluntatem, quæ tam certiſſima, quàm potentiſſima eſt, diuini ſpiritus eius participatione, cognoſcere; quod ſanctis Angelis recta diſcretione donatum eſt. Aug. Scientia dæmonū, & bonorū Angelorū qui differat. 1 2 3

Dæmones non cardinem ipſum intuentur, quo ſitæ ſunt cauſæ omnes, & in quo voluuntur: nec fontem norunt, vnde manant: ſed quod maiore ingenio, & acutiore, quàm nos præditi, tum etiam rerum vſu, propter immortalitatem, maximo, facilius, & præſentia intelligunt, & futura coniecturis aſſequuntur, quàm nos. Quo fit, vt cùm res omnes non ex principijs ſuis, ſed alienis coniecturis collectæ fallere poſſint, dæmones plerumque ab eis fallantur, & falſa dicant, etiam cum ſe veriſſima dicere arbitrantur: ſe tamen nihil ignorare iactant. Certitudo voluntatis Dei eſt, quod quæcunque velit, poteſt. Nam ſi aliquid eſſet, quod efficere nequiret, incerta ibi eſſet: cùm illud in eius manu non foret ſitum. Nunc verò cum omnia præſtare poſſit, quæ vult, nihil ea certius fieri poteſt, hoc eſt, nihil certius euenturum eſt, quàm quæ ipſa vult; quippe quæ nihil non efficiet, quod volet. Quocirca qui voluntatem Dei ſpectant, certiſſimam originem è qua vniuerſa Au. Vnde ſit voluntatis Dei certitudo.

uerſa proficiſcuntur, ſpectant. Idque quoniam aliud non ſit in mundo, quam quod ea vult. Rectè igitur eſt ab Auguſtino dictum, tam eſſe voluntatem Dei certiſſimam, quàm potentiſſimam: vt potentia certitudinis voluntatis cauſa eſſe videatur. Qui ergo voluntatem illam intuentur Angeli, & fœlices animi, tantum ſciunt, quantum proportione beatitudinis videre permittuntur. Neque enim omnes eadem rerum cognitione donantur, inter quos beatitudinis quoque ſunt gradus. Idcirco diſcretionem illius eſſe ait.

Not. 5. ver. 10.

Chryſoſt. CHRYSOST. hom. 28. in Matt: Ne magnitudo rerum mirabilium incredulitatem cuipiam faciat, cùm tantum populum, ex tam varijs, diuerſiſque morbis vno momento temporis, ab eo liberatum, fidem excedere videatur; Propheta inducitur, qui iam, diu his rebus teſtimonium perhibuit: vbi & clarè oſtendit magnæ auctoritatis eſſe probationem è ſcripturis petitam, & depromptam, ſignisque profectò non minorem. Idcirco dicitur ab Eſaia prædictum fuiſſe: Eſa. 53. quoniam infirmitates noſtras accepit, & ægritudines noſtras portauit: non dixit: Diſſoluit, aut curauit; ſed accepit, atque portauit. Quod de peccatis mihi dictum à Propheta videtur, vt cum Ioanne conueniat dicente: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Cur ergo, inquies, de morbis, aut ægrotationibus id dictum Euangeliſta in hoc loco ſcripſit? Certè aut hiſtoricè teſtimonium Prophetæ accepit, aut ſubaperire voluit plurimas ægrotationes ab animi peccatis originem trahere. Nam ſi mors, quæ morborum omnium fons, caputque eſt, à radicibus peccati pullulauit: quid mirum eſt, ſi ægrotationes quoque multæ inde naſcantur, vnde vel ipſa ægrotandi poteſtas egreſſa eſt?

CAP. 32. *Cum* IESVS *in deſertum ſeceſſiſſet, multi eum ſecuti quæſitum, & inuentum retinent.*

Matt.	*Mar. 1.*	*Luc. 4.*	*Ioan.*
	1 ET diluculo valde ſurgens, egreſſus abijt in deſertum locum.	1 Acta autem die, egreſſus ibat in deſertum locum.	
	2 Ibique orabat, & proſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erant.		
		3 Et turbæ requirebant eum.	
	4 Et cum inueniſſent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te.		
		5 Et venerunt vſque ad ipſum, & detinebant illum, ne diſcederet ab eis.	
	6 Et ait illis: Eamus in proximos vicos, & ciuitates; vt & ibi prædicem: Ad hoc enim veni.	6 Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideo miſſus ſum.	

Not. 1.

Ratio diſpoſitionis. EX Marco, & Luca non obſcure colligitur, ante reprehenſionem ſcribæ, hunc egreſſum contigiſſe. Quam ideo Matthæus, nullam mentionem egreſſionis iſtius in deſertum faciens, proxime ſuperioribus ſubiungit: quia circuitum, qui hoc exitu cœperat, generaliter prius deſcripſerat. Hæc etiam à Marco ita continuè narrantur, vt videri poſſet Dominus ipſo die, quo ingreſſus eſt, docuiſſe, & omnia, quæ hactenus narrata ſunt, feciſſe, ac poſtridie mane egreſſus: non tamen neceſſario ita Aug. hæc accipienda ſunt, vt habet Auguſt. not. 1. præcedentis capitis. Dominum enim aliquamdiu manſiſſe Capharnai, & aliquoties docuiſſe, ex eo intelligi poteſt, quod ver. 1. 30. cap. Marcus, & Lucas ad ingreſſum dicunt, Sabbatis eum docuiſſe. Nec eſt veriſimile vnica cum nocte Capharnai hæſiſſe, cum habitandi cauſa eo veniſſet.

Auguſt. lib. 2. de conſen. cap. 22: Matthæus Aug. poſtquam narrauit, quid ipſo die, & facto veſpere geſtum ſit; non ſubiungit diluculum; ſed ita narrat: Videns autem Ieſus turbas multas circum ſe, &c. Iam hoc aliud eſt: non illud, quod Marcus, & Lucas contexunt: qui poſt veſperum diluculum ponunt. Sic Aug.

Not. 2.

Not. 2. ver. 1.

Vict. Theop. Euth.

SECEDIT CHRISTVS puſillum in deſertum locum, quo abſens eorum deſiderium acuat, qui illum ſequebantur: ſuoque nos exemplo admoneat, vt poſt miraculum patratum, aut opus aliquod illuſtre perfectum, aliquo ſeorſim ſecedamus; ne quod inanis gloriæ venenum, aut humanæ laudis ſtudium, in animos noſtros irrepat: ſed Deo ſua vbique gloria, debitaque gratiarum actio, nuſquam non conſtet. Nos etiam docens, vt ſi quid boni fecerimus, illud occultare ſtudeamus. Hæc Victor Antioch. Theoph. & Euthy. Mar. 1.

Ver. 2.

Chriſtus noſtri non ſui cauſa orabat. Vict.

Orabat Chriſtus, non quod vllo prorſus precum præſidio egeret, ſed quod præſtantiſſimæ cuiuſque actionis formam ſeipſum nobis proponere vellet. Sic Victor Mar. 1.

Not. 3. ver. 5.6.

CVM his, quæ hic à Marco dicta ſunt, per omnia conſpirant, quæ narrat Lucas. Marcus autem Apoſtolos multitudinis aduentum anteuertiſſe inſinuat. Verum hæc non pugnant: fieri enim poteſt, vt poſteaquam Apoſtoli ad Ieſum iam peruenerunt, turbas mox à tergo conſecutas, Chriſtum comprehendiſſe; enixeque, vt illum apud ſe detinerent, contendiſſe, Dominus autem peregrinationis ſuæ tempus breue futurum compertum habens, doctrinęq; ſuæ theſauros, cum alijs quoque communicare volens, illos, vt ab incepto deſiſtant, admonet. Commode ſubdit Marcus: Ad hoc enim veni, neque enim ſola diuinitatis illius autoritas, per hoc adumbratur: verum etiam euacuationis ſpontaneæ humilitas: Lucas autem, quo verbĩ œconomiam exprimat, ad hoc enim miſſus ſum, ſcribit. Quare is Patris de verbi incarnatione beneplacitum Apoſtolatus nomine deſignat. Ita Victor Antioch. Mar. 1. Vict.

CAP. 33. IESVS *docens, & ſanans omnes, Galilæam circuit, eiusq́ fama vbique ſpargitur.*

Matt. 4.	*Mar. 1.*	*Luc. 4.*	*Ioan.*
1 (Cap. 29.) ET circuibat Ieſus totam Galilæam, docens in ſynagogis eorum, & prædicans euangelium regni.	1 ET erat prædicans in ſynagogis eorum, & in omni Galilæa.	1 ET erat prædicans in ſynagogis Galilææ. +] (Factum eſt autem. cap. 29.	
2 Et ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.			
3 Et abijt opinio eius in totam Syriam.			
4 Et obtulerunt ei omnes malè habentes varijs languoribus, & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos: & curauit eos.	4 Et dæmonia eijciens. (Et venit ad eum. c. 53.		
4 Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Hieroſolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.]			

Notat. 1.

Ratio diſpoſitionis

HOC loco ponenda fuit hæc circuitionis deſcriptio: quia hoc egreſſu cępta eſt, vt non obſcure Marcus, & Lucas indicant.

Ver. 1.

Aug.

IN hac prædicatione, ait Aug. lib. 2. de conſ. cap. 19. quam dicit Marcus Dominum habuiſſe in omni Galilæa, intelligitur etiam ſermo in monte, cuius commemorationem facit Matth.

Conſidera quod poterat, in eodem loco manendo, omnes attrahere ad ſe: non tamen hoc fecit, præbens nobis exemplum, vt perambulemus, & requiramus pereuntes; ſicut paſtor ouem perditam; & medicus accedit ad infirmum: vna enim anima recuperata poterit aliquis mille delicta abolere. Hæc Thomas in cate. Luc. 4. ex Chryſoſt. Tho. Chryſoſt.

Not. 2. ver. 4.

Theop. VIDE, inquit Theophylactus Mar. 1. quomodo doctrinæ actionem coniungat. Prædicat enim, & dæmonia eijcit. Sic & tu quoque cum docueris, etiam opera bona fac, ne vanus ſit ſermo tuus: niſi enim Chriſtus etiam miracula adieciſſet, vanus habitus fuiſſet ſermo eius. Conſidera vero, quam nihil Euangeliſta ſuperfluis immoretur, quemadmodum non ſingulos nobis eorum, qui curabantur enumeret, ſed nubes quaſdam ſignorum grandi verborum parcitate tranſcurrat. Ita Chryſoſt. hom. 14. in Matt. Chryſoſt.

Not. 3. ver. 5.

MATTHÆVS eam ipſam multitudinem hic deſcribit, quam ipſe Marcus cap. 45. ver. 12. Coram qua prolixus ille ſermo in monte habitus eſt. Vnde quo is loco collocandus ſit intelligitur. Hic tamen iſtud relinquendum exiſtimaui: quia & in hoc circuitu multæ turbæ ſunt Chriſtum vndique ſecutæ, etiam ab his locis, quorum hic fit mentio. Feſtinans autem Matthæus ad Euangelicam doctrinam proponendam, quam libenter vbique præmittit, nullum ante illam ſingulatim narrat miraculum; ſed tantum in vniuerſum; ad confirmationem doctrinæ ſingula reſeruans. Hanc ob rem Domini ſermonem in monte anticipauit: & multa poſt eum commemorauit, quæ prius contigerunt.

CAP. 34. *Tres à Domino reprehenduntur, quod non vt oportuit, eum ſequi vellent.*

Matt. 8.	*Mar.*	*Luc. 9.*	*Ioan.*
1 (Cap. 31.) Videns autem Ieſus turbas multas circum ſe, iuſſit ire trans fretum.			
		2 (Cap. 95.) Actum eſt autem ambulantibus eis in via.	
3 Et accedens vnus Scriba, ait illi: Magiſter, ſequar te quocumque ieris.		3 Dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris.	
4 Et dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos:		4 Dixit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos:	
5 Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.		5 Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.	
		6 Ait autem ad alterum: Sequere me.	
7 Alius autem de diſcipulis eius ait illi: Domine, permitte me primùm ire, & ſepelire patrẽ meum.		7 Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire, & ſepelire patrem meum.	
8 Ieſus autem ait illi: Sequere me; & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.		8 Dixitque ei Ieſus: Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos.	
		9 Tu autem vade, & annuncia regnum Dei.	
		10 Et ait alter: Sequar te, Domine; ſed permitte mihi primum renunciare his, qui domi ſunt.	
		11 Ait ad illum Ieſus: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.	
**		(Poſt hæc autem cap. 103.	

Not. 1. ver. 1. 4.

QVOD hic à Matthæo dictum eſt: Videns autem Ieſus, &c. aliud cum recordatum interpoſuiſſe debemus accipere, quod die quodam (qui alius eſt ab illo, in quo Marcus, & Lucas Dominum exiſſe in deſertum affirmant) cum vidiſſet Ieſus turbas circum ſe, iuſſit ire trans fretum, inquit Aug. lib. 2. de conſ. cap. 22. Iſta ſcribæ reſponſio, & hic ad mare acceſſus, ita in Matthæo cum pacata tempeſtate, & porcorum hiſtoria cohærent, ſicut etiam obſeruauit Aug. not. 2. vt ſeiungi non poſſint. Atqui ea contigiſſe in hoc circuitu, antequam Dominus rediret Capharnaum, conſtat, non ſolum ex Matthæo; ſed etiam ex eo, quod nihil eorum Aug. Diſpoſitionis ratio.

rum quæ Marcus,& Lucas narrant,vſque ad ſedatum mare, poſſit illa præcedere. Quapropter hic interrumpendæ fuerunt Marci, & Lucæ narrationes: & ſequenda Matthæi ſeries,qui ad ea reuerſus, quæ poſt tertium ingreſſum in Capharnaum contigerunt ordine multa enarrat, & quidem ſic, vt eius narratio, interrumpi debere non videatur. Porro inter iuſſionem Dei, & transfretationem quid geſtum ſit, Euangeliſta manifeſtare ſtuduit, inquit poſt Rem. Tho. in cate. Matt. 8. Rem. Tho.

Not. 2. ver. 2.7.10.

Aug. Avg. lib. 2. de conſ. cap. 23: Quod ſubiungit Matthæus: Et accedens vnus Scriba, &c. vſque ad illud, vbi ait: Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos: hoc ſimiliter narrat & Lucas (quod etiam Titus Boſt.Epiſc.Luc.9.& alij plures, adnotarunt) ſed ille poſt plura, nec ipſe ſane expreſſo temporum ordine, ſed recordantis modo: vtrum quod prius omiſit, an quod poſterius etiam factum, quam ſunt ea, quæ ſequuntur, præoccupauit, incertum eſt. Ita enim dicit: Factum eſt autem ambulantibus illis in via, &c. Et reſpondit ei prorſus eadem, quæ Matthæus commemorat. Quod autem Matthæus dicit,tunc iſtud geſtum eſſe,quando iuſſit,vt irent trans fretum (quippe cum Dominus iuſſiſſet diſcipulos parare ſe ad transfretandum,ſcriba in itinere acceſſit.) Lucas vero,ambulantibus illis in via, non eſt contrarium: quia in via vbique ambulabant, vt venirent ad fretum. Et de illo, qui petit primo ſepelire patrem ſuum,Matthæus,& Lucas omnino conſentiunt. Porro, quod Matthæus, primo, eiuſdem verba poſuit, hoc eſt,patrem ſuum ſepelire petentis,& deinde Domini dicentis:Sequere me, Lucas autem primo Domini dicentis: Sequere me: & deinde illius hoc petentis; ad ſententiam nihil intereſt. Commemorauit Lucas & alium dixiſſe: Sequar te,Domine; ſed primum permitte mihi renunciare, &c.de quo tacet Matthæus. Hæc Aug.

Tit. ver. 7. ver. 10.

Auct. Ratio diſpoſitionis. Loquitur quidem Lucas de via, qua Dominus in Hieruſalem aſcendebat, ſuæ prædicationis anno tertio. Vixque dubium eſt, quin aliquid eorum, quæ hic narrat, vt forte quod de tertio, in ea via contigerit. Sed quia eius occaſione,reprehenſionem etiam ſcribæ coniungit, quæ nunc in hoc ad fretum itinere accidit,hanc totam hiſtoriam, licet eius partes diuerſis temporibus, & locis euenerint, hic putaui relinquendam, potiſſimum cum non ſit omnino certum, vbi, & quando factum ſit, quod de ſecundo narratur.

Not. 3. ver. 3.4.5.

Hic ſcriba, cum pecuniæ auidus eſſet, ſuſpicabatur Ieſum, ex miraculis diuitias multas colligere: & ſperabat quod, ſi eum in diſcipuli morem ſequeretur, copioſas collecturus eſſet diuitias. Chriſtus ergo cognito quid vellet, ad intentum eius, & mentis conſilium obuians, reſpondet: Vulpibus,inquit,& volucribus ſum pauperior. Tales autem eſſe volo & eos, qui me ſequuntur. Itaque fruſtra ſuſpicatus, & in vanum ſperaſti. Dupliciter hoc pacto eum iuuit, & manifeſtando quod animæ illius arcana noſſet, & illum non manifeſte arguendo: ſed ipſi ſoli reprehenſionem aperiendo, vt & pudorem effugeret, & ſi vellet corrigeretur. Hoc autem dicendo, non vetuit ſe ſequi: ſed docuit quod ſequens non inuenturus eſſet lucrum, quod putabat. Quidam vero dicunt quod præcognoſcens eum Chriſtus, non ſolum pecuniarum amori ſeruientem, ſed alijs quoque affectibus, anagogicè reſponderit: Vulpes,ac volucres appellans dæmones propter dolum illorum; & quod ſermonibus, ac fructibus virtutum inſidientur, ac ſi diceret: Dæmones quidem foueas,ac nidos in te habent: ego autem neque breuiſſimam requiem apud animam tuam inuenio. Foueæ, ac nidi dæmonum,affectiones ſunt, in quibus occultantur, & requieſcunt. Hæc Euth. Matt. 8. Chryſoſt. hom. 28.in Matt.Theoph.Matt.8.& Lucæ 9.Hieron.Matt. 8. & alij. Euth. Chryſoſt. Theop. Hier.

Not. 4. ver. 3.4.8.

Avg. ſerm. 7. de verbis Dom: Intelligimus iſtum hominem, ſi ſequeretur Chriſtum, ſua quæſiturum fuiſſe, non quæ Ieſu Chriſti. Filius hominis non habet,vbi caput reclinet. Sed vbi non habet? in fide tua. Vulpes enim foueas habent in corde tuo: quia doloſus es. Volatilia cœli habent nidos in corde tuo,quia elatus es: doloſus, & elatus non me ſequeris.Quomodo doloſus ſequitur ſimplicitatem? Et lib. quæſtionum ex Matthæo cap. 5: Quod Dominus dicit Scribæ, qui eum ſequi voluit: Vulpes foueas habent, &c. intelligitur miraculo Domini commotus, propter inanem iactantiam eum ſequi voluiſſe; quam ſignificant aues. Finxiſſe autem diſcipuli obſequium: quæ fictio vulpium nomine ſignificata eſt. Reclinatione vero capitis,humilitatem ſuam ſignificauit;quæ in illo ſimulatore,ac ſuperbo non habebat locum. Vide Greg. not. 2. cap.60. Aug. Aug. Greg.

Iſidor. Peluſ. ep. 17. lib. 1: Vulpes foueas habent,& volucres cœli nidos; Dominus ad eum, qui,vt ſe ſequeretur, rogauerat, reſpondet: vt qui corda cognita haberet: (finxit enim ſigillatim corda hominum. Sigillatim autem dictum eſt, quia ad ea efficienda, ope, atque auxilio alterius opus minimè habuit.) Atque hominem illum verſutis, ac fraudulentis cogitationibus detentum eſſe,atque ab improbis ſpiritibus incoli, vitioque ita hærere perſpiceret, vt ab eo reuocari non poſſet. Ac propterea eum à ſuo cœtu ablegabat: ne pertinax ipſius improbitas, ijs, qui fidem amplexi eſſent, offenſionis cauſam afferret; in illum videlicet oculorum aciem intendentibus, ac Dominicam potentiam imbecillitatis damnantibus: vt qui diſcipulum ad virtutem immutare nequiuiſſet. Iſidor. Matt. 8. Pſal. 32. Cur hic à Deo ſit repulſus.

Aug. Aug. ſerm. 6. de verbis Domini: Quendam ſuperbum, quantum intelligitur ex verbis ipſius Domini, vltro ſecum ire cupientem, à ſuo diſcipulatu reuocauit Dominus, in corde eius inuiſibilia videns: Vulpes, inquit, foueas habent, & volatilia cœli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. Hoc eſt, habitant in te inſidiæ ſicut vulpes; habitat ſuperbia, ſicut cœli volatilia: filius autem hominis ſimplex, contra inſidias; humilis, contra ſuperbiam, non habet vbi caput ſuum reclinet. Et ipſa reclinatio capitis, non erectio humilitatis magiſtra eſt. Reuocat ergo iſtum ire cupientem, trahit alterum recuſantem: Quippe ait cuidam: Sequere me. Et ille ſequar Domine: ſed ſine me primo ire, & ſepelire patrem
ver. 7. meum. Pie quidem excuſauit, & ideo dignior, cuius excuſatio remoueretur, vocatio firmaretur. Pium erat, quod volebat facere: ſed docuit magiſter, quid debuiſſet præponere. Volebat enim eum eſſe viui verbi prædicatorem, ad faciendos victuros. Erant autem alij, per quos illa neceſſitas impleretur. Sine, inquit, mortuos ſepelire mortuos ſuos. Infideles cadauer quan-
ver. 8. Mors duplex do ſepeliunt, mortui mortuum ſepeliunt. Illius corpus animam perdidit: illorum anima Deum. Sicut enim anima eſt vita corporis, ſic vita animæ Deus. Sicut expirat corpus, cum animam emittit; ita expirat anima, cum Deum amittit. Deus amiſſus mors animæ; anima emiſſa mors corporis; mors corporis neceſſaria, mors ani-
Aug. mæ voluntaria. Et lib. 20. de Ciu. cap. 6.
Mors duplex. habent enim animæ mortem ſuam in impietate, atque peccatis. Secundum quam mortem mortui ſunt, de quibus idem Dominus ait: Sine mortuos ſepelire mortuos; vt ſcilicet in anima mortui, in corpore mortuos ſepelirent.

Greg. Greg. lib. 7. Moral. cap. 17: Quidam, cùm diceret: Permitte mihi prius ire, & ſepelire patrem meum; protinus ex ore veritatis audiuit: Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem vade, & annuncia regnum Dei. Qua in re notandum eſt, quia electus diſcipulus, dum à parentis ſepultura compeſcitur, hoc deuotum quemque exhibere patri mortuo ex affectu carnali propter Dominum non licet, quod propter Dominum, & exteris debet.

Not. 5. ver. 10. 11.

QVI dicebat: Sequar te, Domine; promptitudinem laude, & æmulatione dignam o-
Tit. ſtendebat, inquit Titus Boſtren. Luc. 9. At vero, dum ijs renunciare efflagitat, qui domi erant, animum declarat adhuc ancipitem, & certa quadam ratione diuiſum. Nam domeſticis, aut genere propinquis, qui perfectioris vitæ inſtitutum plerumque non probant, eiuſmodi conſilium velle communicare, iſtud eſt mentis etiamnum fluctuantis, & in religionis propoſito nondum ſatis firmatæ. Quamobrem Dominus petitionem illius iſtiuſcemodi oratione non iniuria excipit: Nemo mittens manum ad aratrum, &c. Ita ſi quis Dominum ſequi deliberatum habuerit, neque tamen ab ijs omnibus ſeſe abdicauerit, quæ in mundo habebat; amiciſque carnalibus, & ijs præſertim, qui propoſitum illius auerſantur, nuncium remiſerit, nihil ille vnquam toto illo laudabili propoſito magni, aut præclari efficiet, neque regno Dei capeſſendo vnquam idoneus euadet. Injicit quidem manum aratro: quia promptum ſpectatorem ſpondet. Reſpicit autem retro, quia per hoc, quod rem cum domeſticis vult conferre, ijſdemque valefacere, dilationis, & procraſtinationis cauſam quærit. Hæc Titus. Vide Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 13. Iſidor.

Not. 6. ver. 10. 11.

DOMINVS IESVS differenter egit: obtulit ſe vnus, vt eum ſequeretur, & reprobatus eſt; alius non audebat, & excitatus eſt, quantum mali in illo, tantum boni videbat in iſto: tertius differebat, & culpatus eſt. In hoc capitulo hoc diſcimus, quoniam quos voluit Dominus, hos elegit. Sic Aug. ſerm. 7. de verbis Domini. Aug.

Baſ. conſtitut. monaſtica. cap. 21: Intellectio Baſ. igitur intolerabili detrimento, quod ex animi erga propinquos noſtros affectione nobis naſcatur, ſolicitudinem de illorum rebus, vt diabolicum telum, fugiamus. Siquidem Dominus etiam ipſe huiuſcemodi affectionem, & conſuetudinem vetuit. Qui quidem ex diſcipulis ſuis cuidam, ne id quidem vnum permiſerit, vt res ſuas cum propinquis ſuis componeret. Alteri vt ne cadauer quidem mortui patris humo ſuper iniecta contegeret. Ei enim qui res ſuas cum propinquis ſuis componere volebat, ſic ait: Nemo, qui miſit manum ſuam ad aratrum, reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Ei verò, qui ipſum rogabat, vt ſineret ſe patrem ſepelire: Sequere me, inquit, & ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Atqui quæ vterque rogabat, rationi maximè conſentanea eſſe videbantur, ac iuſtiſſima. Sed enim neutiquam ea Saluator probauit; neque, vel ad punctum quidem temporis, ſeiungi ab ipſo cœleſtis regni alumnos permiſit: ne ſublimi illa, & cœleſti animi elatione, humilius aliquid, vel facerent, vel cogitarent, mente in rerum terrenarum, fragiliumque cogitationem depreſſa, & accliui: tanquam qui ad res cœleſtes animum adiunxerunt, ijs neutiquam liceat, eorum quæ in terra ſunt, rationem vllam habere: vt qui iam ex ea animo emigrauerint, & mentis contemplatione altiores mundo ſint effecti. Si verò aliquis dicat: Quomodo igitur lex præcipit habendam eſſe curam propinquorum, quando dicit: Et à propinquis ſeminis tui nolito vultum auertere: Et præterea Apoſtolus etiam ſimiliter cùm dicit: 1 Tim. 5. Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior? hinc paucis reſpondebimus, hoc ab admirabili Apoſtolo dictum fuiſſe ijs, qui in communi, & vulgari genere vitæ verſabantur, qui diuites erant, & propinquorum

inopiæ

inopiæ poterant ſubuenire. Similiter quoque lex etiam hæc dicit. Atque, vt dicam breuius, viuis dicta ſunt illa, non mortuis. Nam hi quidem, ab omni prorſus huiuſmodi debito, liberi ſunt. Tu autem mortuus es, & toti mundo crucifixus. Reiectis enim vitæ huius diuitijs, ſummam paupertatem complexus es: cùm teipſum Deo dedicaueris, in peculiarem Deo theſaurum adſcitus es. Vt mortuus, liber es ab omni in propinquos tributi collatione: vt nudus omni rerum poſſeſſione, nihil iam habes, quod largiaris. Quin ne in corpore ipſo quidem tuo, quod alioqui in tuo ære fuerat, poſteaquam illud Deo ſemel conſecraſti, ius tibi vllum reliquum eſt, tanquam in re Deo dedicata; & ſceleratè facis, ſi ad hominum vſum illud accommodes: ſed cum ijs tantummodo, qui quidem tecum vitæ inſtitutum tenent, veluti qui Deo ſe penitus dediderunt, tibi verſandum eſt. Qui igitur ea in te conuenient, quæ de ſacroſancta ſcriptura memorata à nobis ſunt verba? aut quomodo non peccatum incurres, qui initum cum Deo de colenda pietate fœdus violes? alia multa habet eodem capite de immoderata erga propinquos affectione.

Cap. 35. Iesvs *maris tempeſtatem ſedat.*

Matt. 8.	*Mar. 4.*	*Luc. 8.*	*Ioan.*
Dom. 4. poſt Epiph. 1 ✠ ET aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.	1 c.63.) ET ait illis in illa die, cùm ſerò eſſet factum: Tranſeamus contrà. Et dimittentes turbam, aſſumunt eum, ita vt erat, in naui.	1 c.59.) FActum eſt autem in vna dierum, & ipſe aſcendit in nauiculam, & diſcipuli eius, & ait ad illos: Transfretemus trans ſtagnum. Et aſcenderunt.	
	2 Et aliæ naues erant cum illo.		
3 Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus: ipſe verò dormiebat.	3 Et facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis, & erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens.	3 Et nauigantibus illis obdormiuit: & deſcendit procella venti in ſtagnum, & complebantur, & periclitabantur.	
4 Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus.	4 Et excitant eum, & dicunt illi: Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus?	4 Accedétes autem ſuſcitauerunt eum, dicentes: Præceptor, perimus.	
5 Et dicit eis Ieſus: Quid timidi eſtis modicę fidei? tunc ſurgens imperauit ventis, & mari: & facta eſt tranquillitas magna.	5 Et exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace, obmuteſce, & ceſſauit ventus: & facta eſt tranquillitas magna. Et ait illis: Quid timidi eſtis? necdum habetis fidem?	5 At ille ſurgens, increpauit ventum, & tempeſtatem aquæ, & ceſſauit: & facta eſt tranquillitas. Dixit autem illis: Vbi eſt fides veſtra?	
6 Porrò homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic? quia venti, & mare obediunt ei. ✠	6 Et timuerunt timore magno: & dicebant ad alterutrum: Quis, putas, eſt iſte? quia & ventus, & mare obediunt ei.]	6 Qui timentes mirati ſunt, ad inuicem, dicentes: Quis, putas, hic eſt? quia & ventis, & mari imperat, & obediunt ei.	

Not. 1.

Aug. AVG. lib. 2. de conſ. cap. 23: Lucas à trium illorum reprehenſione, in aliud perrexit: non in illud, quod ordine temporis ſequebatur. Poſt hæc autem, inquit, deſignauit Dominus, & alios ſeptuaginta duos. Poſt hæc quidem manifeſte: ſed quanto temporis interuallo poſt hæc, fecerit illud Dominus, non apparet. In ipſo tamen interuallo fit, quod deinceps Matthæus ſubiungit de Chriſti transfretatione, cum in naui dormiuit. Nam idem Matthæus ordinem temporum adhuc tenet, ita narrans: & aſcendente eo in nauiculam, &c. Hæc Aug. cui aſſentitur Chryſoſt. hom. 29. in Matt. Lucas quidem, ait, ne quis ab eo temporum ordinem quærat: Et factum eſt, inquit, vno dierum, & ipſe aſcendit in nauigium, & diſcipuli eius. Chryſoſt.

Marcus quoque ſimiliter: Matthæus vero conſequentiam quãdam temporum obſeruat. Hæc à me dicta ſunt, ne quis, quoniam non eo modo ſcribant omnes, diſcrepare ipſos arbitretur, ſi quis quid prætereat. Idem habet Victor Antioch. Mar. 4. Vict.

Ver. 1.

Eut. Evt. Mat. 4: Quod autem dicitur: In die illo, perinde eſt, ac ſi dixiſſet; in vno dierum, ſicut habet Lucas, neque enim illum innuit, in quo dixit parabolas: ſed alium, quo facta ſunt ea, quæ dicentur. Et Matth. 3: Scripturæ mos eſt, in diebus illis, dicere, hoc eſt, ſequentibus, de quolibet tempore: manifeſtando ſolum tempus illud, quo facta ſunt, quæ narrare vult.

Aug. Lucas eodem ordine ſubdit, quo Marcus, de maris tempeſtate ſedata, de porcis, deque Iairo, & Emorroiſſa, in quibus deſcribendis, & quæ prius omiſerat repetendis Marcum ſecutus eſt. Marcus autem cum ad parabolas vſque narrando perueniſſet, priuſquam Dominum peregre agentem deſcriberet, cõmemoranda eſſe quædam, prius quidem facta, ſed à ſe prætermiſſa, exiſtimauit. Porro ex Matthæo non eſt dubium, quin iſtud in ea traiectione contigerit, de qua idem Matthæus ante, primo capitis præcedentis verſu, mentionem fecerat. At vero Marcus parabolis ad mare dictis hoc ſubijcit: & quidem ſic, vt ſignificare videatur, hoc illo ipſo die factum, quo eaſdem Chriſtus protulit, ſic enim habet: Et ait illis, in illa die. Verum illud, in illa die, accipiendum non eſt, pro die, quo parabolæ fuerunt propoſitæ; ſed pro die rei narrandæ. Quia Dominus illo die non transfretauit: ſed venit domum; & parabolas dixit, poſt Matthæi vocationem, & ſermonem in monte: Iſtud vero longe prius contigit. Itaque Lucas hoc poſt parabolas eodem ordine ſcribens, quo Marcus, & eum explicans, dicit, in vna dierum hoc factum eſſe, ſignificans id quod Marcus dixerat, intelligendum non eſſe de die, quo dictæ erant parabolæ; ſed de aliquo ſimili. Nam & hic Dominus, vbi nauim conſcendiſſet cum diſcipulis, videtur aliquantum è naui docuiſſe, & imminente veſpera, imperaſſe, vt ſoluerent. Illa enim: Tranſeamus contra; aſcenderunt; dimittentes turbam; aſſumũt eum, intelligenda ſunt de ſolutione, & aſſumptione in altum; non de aſcenſu, & aſſumptione in nauim. Cum itaque ſimili aliqua die, &, vt veriſimile eſt, ad idem littus, vbi ſimiliter Chriſtus è naui docuerat, ventorum, & fluctuum increpatio contigiſſet, ſic Marcus narrat, quaſi die dictarum parabolarum accidiſſet, vt Euthy. monet. Eiuſmodi
Eut. quippe loquendi formulis, illo die, illo tempore, tunc, vel ſimili, non ſemper Euangeliſtæ tempus rei proximè narratæ ſignificant.

Orige. Apud Origenem hom. 8. in diuer: Cum multa, magna, & miranda oſtendiſſet Chriſtus in terra, tranſit ad mare; vt ibidem excellentiora opera demonſtraret, quatenus terræ, mariſque Dominum cunctis ſe eſſe oſtenderet.

Not. 2. ver. 3.

Evthy. Matt. 8: Matthæus motum dixit. Marcus autem, & Lucas procellam: maris enim tempeſtas, & motus, & procella dicta eſt: eo quod aquas commoueat, & conturbet. Rurſum Matthæus, & Marcus in mari nauem periclitatem eſſe dicunt. Lucas vero in ſtagno, neque eſt contradictio. Nam & hic, & illi Tiberiadem ſignificant: quę natura quidem ſtagnum eſt; ſitu vero mare, propter magnitudinem. Vnde & eam quandoque ſtagnum, interdum autem mare nominant. Eut.

Ver. 4.

Euth. Matt. 8: Quidam hoc, quidam illud dicebant: & alij vnum, alij aliud: aut etiam omnes omnia.

Ver. 5.

Veriſimile eſt Dominum excitatum ſtatim dixiſſe: Quid timidi eſtis modicæ fidei? vt habet Matthæus: ſedata vero tempeſtate, cum vix eſſent apud ſe, tum demum, quæ habent Marcus, & Lucas. Vide Chryſoſt. cap. 31. not. 2. Chryſoſt.

Ver. 6.

Lucas diſcipulos hoc ait, ſicut & Marcus: Matthæus vero homines, quos turbas vocat, ſicut ait Chryſoſt. Siquidem veriſimile eſt & ipſas, viſo, vel audito à diſcipulis hoc miraculo, ſimiliter admiratus eſſe, & pariter hæc dixiſſe. Chryſoſt.
Eut. Sic Euth. Matt. 8. Orig. hom. 6. in diuer. Hiero. Orig. Hier. Bed. Matt. 8. Beda in Lucam. Hic timor, & admiratio tanta, ſunt argumentum, quod hæc in initio prædicationis acciderint. Nam poſt parabolas, videntur diſcipuli magis aſſuefacti fuiſſe ad miracula, quam vt adeo timerent, & mirarentur.

Not. 3. ver. 4. 5. 6.

Avg. lib. 2. de conſ. cap. 24: Et aſcendente eo in nauiculam, &c. vſque ad illud, vbi ait: Et venit in ciuitatem ſuam. Iſta duo facta continuatim, quæ narrat Matthæus, de tranquillato mari, poſteaquam ventis imperauit Ieſus à ſomno excitatus: & de illis, qui habebant ſæuum dæmonium, ruptiſque vinculis agebantur in deſertum, ſimiliter narrant Marcus, & Lucas. Verbis alijs dictæ ſunt ab alio, atque alio quædam ſententiæ, non tamen aliæ, velut illud, quod cum dicit dixiſſe Matthæus: Quid timidi eſtis modicæ fidei? Mar. ita dicit: Quid ver. 5. Aug.
timidi eſtis? necdum habetis fidem? id eſt, illam perfectam, velut granum ſynapis. Hoc ergo & ille ait: Modicæ fidei: Lucas autem: Vbi eſt fides veſtra? & totum quidem dici potuit, quid timidi eſtis, vbi eſt fides veſtra, modicæ fidei. Vnde aliud hic, aliud ille commemorat. Et illud quod excitantes eum dixerunt: Matthæus ver. 4. ſic: Domine, ſalua nos, perimus. Marcus: Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus? Lucas: Præceptor, perimus: vna, eademque ſententia eſt exci-

eſt excitantium Dominum, volentiumq́ue ſaluari. Nec opus eſt quærere, quid horum potius Chriſto dictum ſit. Siue enim aliquid horum trium dixerint,ſiue alia verba,quę nullus Euangeliſtarum commemorauit,tantumdem tamen valentia,ad eandem ſententiæ veritatem, quid ad rem intereſt?Quanquam & hoc fieri potuit, vt pluribus eum ſimul excitantibus,omnia hęc,
Tex. 6. aliud ab alio, dicerentur. Item quod ſedata tempeſtate dixerunt, ſecundum Matthæum: Qualis eſt hic? quia venti,& mare obediunt ei? ſecundum Mar: Quid, putas, eſt iſte? quia ventus, & mare obediunt ei; ſecundum Lucam: Quis,putas, hic eſt? quia & ventis imperat, & mari,& obediunt ei. Quis non videat vnam eſſe ſententiam? Tantumdem enim prorſus valet: Quis,putas,eſt iſte,& qualis hic? Et vbi non eſt dictum:Imperat;vtique conſequenter intelligitur,quia imperanti obeditur. Sic Aug.

Eut. Matt. 8: Magis in admirationem duxit hoc miraculum,quam præcedentia: quia nullus vnquam tale quippiam operatus eſt. Neque enim virgam extendit,vt Moyſes,neque ſe aquis admouit,vt alij; ſed cum authoritate præcepit, vt Dominus ſeruis,& vt Creator creaturis. Eut. Exod. 14. 4 Reg. 2. Ioſ. 3.

CAP. 36. *Dæmoniacis curatis, porci, quos dæmonum legio ingreſſa erat, ſubmerguntur.*

Matt. 8.	*Mar. 5.*	*Luc. 8.*	*Ioan.*
1 ET cùm veniſſet trãs fretum in regionẽ Geraſænorum.	1 [ET venerunt trans fretum maris in regionem Geraſænorũ.	1 ET nauigauerunt ad regionem Geraſænorum, quæ eſt contra Galilæam.	
2 Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes.	2 Et exeunti ei de naui, ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo.	2 Et cùm egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium.	
		3 Iam temporibus multis, & veſtimento non induebatur.	
	4 Qui domicilium habebat in monumentis.	4 Neque in domo manebat, ſed in monumẽtis.	
5 Sæui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam.			
	6 Et neque catenis iam quiſquam poterat eum ligare,quoniam ſæpe cõpedibus, & catenis vinctus, dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet. Et nemo poterat eum domare. Et ſemper die, ac nocte in monumentis, & in montibus erat.	6 Infra.	
	7 Clamans & concidẽs ſe lapidibus.		
	8 Videns autem Ieſum à longe, cucurrit,& adorauit eum.	8 Is vt vidit Ieſum,procidit ante illum.	
9 Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis,& tibi,Ieſu fili Dei?	9 Et clamans voce magna,dixit: Quid mihi, & tibi, Ieſu fili Dei Altiſſimi?	9 Et exclamãs voce magna,dixit: Quid mihi, & tibi eſt, Ieſu fili Dei Altiſſimi?	
10 Veniſti huc,ante tempus torquere nos?			
	11 Adiuro te per Deum, ne me torqueas.Dicebat enim illi: Exi ſpiritus immunde ab homine.	11 Obſecro te, ne mé torqueas. Præcipiebat enim ſpiritui immundo, vt exiret ab homine.	
		6 Multis enim tempo-	

Erat

Matt. 8.

14 Erat autem non longè ab illis grex multorũ porcorum paſcens.

15 Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum, & ait illis: Ite.

16 At illi exeuntes, abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare, & mortui ſunt in aquis.

17 Paſtores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem, nunciauerunt omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant; Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Ieſu.

20 Et viſo eo rogabant, vt tranſiret à finibus eorum.]

Matt. 9.
Dom. 18. poſt Pentec.

22 [Et ✠ aſcendens in nauiculam, transfretauit.

Mar. 5.

12 Et interrogabat eum: Quod tibi nomen eſt? Et dicit ei: Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus.

13 Et deprecabatur eum multum, ne ſe expelleret extra regionem.

14 Erat autem ibi circa montem, grex porcorum magnus paſcens.

15 Et deprecabãtur eum ſpiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus; & conceſſit eis ſtatim Ieſus.

16 Et exeuntes ſpiritus immundi, introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare, ad duo millia, & ſuffocati ſunt in mari.

17 Qui autem paſcebant eos, fugerunt; & nunciauerunt in ciuitatem, & in agros; Et egreſſi ſunt videre quid eſſet factum, & venerunt ad Ieſum.

18 Et vident illum, qui à dæmonio vexabatur, ſedentem, veſtitum, & ſanæ mentis, & timuerunt.

19 Et narrauerunt illis, qui viderant, qualiter factum eſſet ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis.

20 Et rogare cœperunt eum, vt diſcederet de finibus eorum.

22 Cumque aſcenderet nauim.

23 Cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, vt eſſet cum illo. Et non admiſit eum; ſed ait illi: Vade in domum tuam, ad tuos; & annuncia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui.

24 Et abijt, & cœpit præ-

Luc. 8.

ribus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus; & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deſerta.

12 Interrogauit autem illum Ieſus, dicens: Quod tibi nomen eſt? Ille dixit: Legio; quia intrauerant dæmonia multa in eum.

13 Et rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyſſum irent.

14 Erat autem ibi, grex porcorũ multorum paſcentium in monte.

15 Et rogabant eum, vt permitteret eis, in illos ingredi; & permiſit illis.

16 Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, & impetu abijt grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.

17 Quod vt viderunt factum, qui paſcebant, fugerunt; & nunciauerunt in ciuitatem, & in villas; Exierunt autem videre quod factum eſt, & venerunt ad Ieſum.

18 Et inuenerunt hominem ſedentem, à quo dęmonia exierant, veſtitum, ac ſana mente, ad pedes eius, & timuerũt.

19 Nunciauerunt autem illis, & qui viderãt, quomodo ſanus factus eſſet à legione.

20 Et rogauerunt illum omnis multitudo regionis Geraſænorum, vt diſcederet ab ipſis.

21 Quia magno timore tenebantur.

22 Ipſe autem aſcendens nauim, reuerſus eſt.

23 Et rogabat eum vir, à quo dęmonia exierant, vt cum eo eſſet. Dimiſit autem eum Ieſus, dicens: Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus.

24 Et abijt, per vniuerſam

Ioan.

dicare

Matt.	*Mar. 5.*	*Luc. 8.*	*Ioan.*
	dicare in Decapoli, quanta ſibi feciſſet Ieſus.	ciuitatem, prædicans quanta illi feciſſet Ieſus.	
	25 Et omnes mirabantur.		
	26 Et cum tranſcendiſſet Ieſus in naui rurſum trans fretum, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare.	26 Factum eſt autem, cum rediјſſet Ieſus, excepit illũ turba. Erant enim omnes expectantes eum.	
	(Et venit quidam. cap. 40.	(Et ecce venit vir. cap. 40.	

Not. 1.

Tres Euangeliſtæ hiſtoriam dæmoniaci, & porcorum, quia ſimul contigerat, iungunt. Et quidem hoc loco eam narrant, quaſi poſt egreſſum è naui Dominum ex ſuperiore nauigatione, acciderit; Sic etiam Ammo. harm. cap. 53. Tati. cap. 4. Aug. lib. 2. de conſ. cap. 24. Chryſoſt. hom. 29. in Matt. Ambr. lib. 6. in Lucam, & alij. Hoc igitur loco, non alibi, conſtituendum iſtud erat. A tribus idem quoque narrari, non ſimilitudo narrationis dumtaxat conuincit; ſed etiam Doctorum in hac re omnium conſenſus, vt Aug. lib. 2. de conſ. cap. 24. & 65. Amb. lib. 6. in Luc. Theophyla. Euth. Matt. 8. Mar. 5. Luc. 8. Tit. Boſtr. Luc. 8. Victor Antioch. Mar. 5. Chryſoſt. hom. 29. in Matt. & aliorum.

Ammo. — Aug. Amb. Theop. Eut. Tit. Vict. Chryſoſt.

Ver. 2.

Amb. — Mat duos, Mar. vero, & Luc vnum dicunt.

Ambr. lib. 6. in Lucam: Quia in libro ſecundum Matt. duos homines in regione Geraſænorum dęmonijs afflatos Chriſto occurriſſe cognouimus: Lucas autem vnum inducit, eũdemque nudum: qua ratione de numero Euãgeliſtæ diſſonare videantur, non otioſè prętereundum, ſed requirendum arbitror. Et quidem licet diſcordet numerus, tamen cõcordat myſterium, vir enim iſte, qui habebat dæmonium, populi figura gentilis eſt, opertus vitijs, nudus errori, patens crimini. Duo quoque illi ſimiliter figuram populi gentilis accipiunt, &c. proſequitur in eam rem plura idem author. Aug. lib. 2. de conſen. Euang. cap. 24: Quod Matthæus duos dicit fuiſſe, qui legionem illam dæmonum patiebantur, quæ in porcos ire permiſſa eſt: Marcus autem, & Lucas vnum commemorãt; intelliges vnum eorum fuiſſe perſonæ alicuius clarioris, & famoſioris, quem regio illa maxime dolebat, & pro cuius ſalute plurimum ſatagebat. Hoc volentes ſignificare duo Euangeliſtæ, ſolum commemorandum iudicauerũt, de quo facti huius fama latius præclariusque fragrauerat. Eandem cauſam repetit Aug. eiuſdem l. c. 65.

Aug. — Aug. — Vict.

Victor Antiochē. Mar. 5: Marcus, & Lucas, vnius tantum, qui à dæmonio vexabatur, mentionem faciunt. Matthæus autem duorum: at hæc non pugnant: pugnarent tamen ſi quidem Marcus, & Lucas vnum dumtaxat extitiſſe ſcriberent, Matthæus autem duos. Sed cum duo hi Euangeliſtæ de vno tantum diſſerant, Matthęus vero de duobus, nulla exurgit hinc repugnantia; ſed narratio tãtum diuerſa. Veriſimile fit autem Marcum, & Lucam ſæuiorem ex duobus ſelegiſſe, deque eo ſolo, quæ apud illos extant, in medium attuliſſe. Quare etiam calamitatem illius accuratius exponũt, quam Matthæus. Scribunt namque vinculis, catenisq́; diſruptis, per loca deſerta diuagari conſuetum habuiſſe. Marcus addit ſeipſum lapidibus conciſiſſe. Potuit nihilominus fieri, vt vterque ſæuus, & indomitus fuerit, neque tamen vtriuſque, ſed alterius tantum mentionem faciendam duxerunt. Nam ad oſtendendam illius virtutem, qui miraculum patraret, nihil omnino referebat, vniuſne, an duorum, vel etiam plurium mentionem facerent. Qui enim vnum vſque adeo inſanum, & immanem ſanauerat, & duos, & plures etiam ſimiliter affectos curare poterat.

ver. 7.

Euth. Matt. 8: Matthæus, duos habet dæmoniacos: Marcus autem, & Lucas vnius tantum meminerunt; vtpote notioris, qui legio dicebatur, de quo formidanda multa dicunt, cui etiam alter ſubſeruire dicebatur. Propter quod etiam illi eum præteriere: Matthæus autẽ etiam hunc ſcripſit tanquam pariter dæmoniacum: Similia videre licet apud Chryſoſt. hom. 29. in Matth. Theoph. & alios.

Eut. — Chryſoſt. Theoph.

Not. 2. ver. 9.

Chryſoſt.

Posteaqvam Dominus à naui, ait Chryſoſt. hom. 29. in Matt. deſcendit, mirabile quoddam ſignum ſubſequitur. Dæmonibus enim quidam repleti, quaſi improbi ſerui fugitiui, cum Dominum viderent, clamabant: Quid nobis, ac tibi, Ieſu fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos? Nam quoniam Ieſum turbæ hominem appellabant, acceſſerunt dæmones deitatem eius prædicantes. Ita qui mare nec fluctuans, nec tranquillum audierunt, audiebant dæmones eadem ipſa clamãtes, quæ mare tranquillitate ſubita, prędicabant. Ita Chryſoſt. Vict. Antioch. Mar. 5. Euth. Matt. 8. & alij.

Dæmones Chriſti deitatem prædicant, ſicut & mare.

Vict. Eut.

Ver. 10. 11. 14.

Aug.

Aug. lib. 8. de Ciu. Dei cap. 23: Præſenti in carne trementes Domino dixerunt: Quid veniſti ante tempus perdere nos? ſiue quia ſubitum illis fuit, quod futurum quidem, ſed tardius, opinabatur: ſiue quod perditionẽ ſuam hãc ipſam dicebãt, quia fiebat, vt cogniti ſpernerẽtur. Et hoc erat ante tempus, id eſt, ante tempus iudicij, quo ęterna damnatione puniẽdi ſunt, cum omnibus etiam hominibus, qui eorũ ſocietate detinẽtur.

Cur dæmones ante tempus ſe putent à Chriſto prodi.

T Et lib. 2.

Aug. Et lib. 2. de conſ. cap. 24: Nec quod verba dæmonum ab diuerſè Euangeliſtis dicta ſunt, habet aliquid ſcrupuli, cum vel ad vnam redigi ſententiam, vel omnia dicta poſſint intelligi. Nec quia pluraliter apud Matt. apud illos autem ſingulariter loquitur, cum & ipſi narrent, quod interrogatus quid vocaretur, legionem ſe eſſe reſpondit: eo quod multa eſſent dæmonia. Nec quod Marcus dixit, circa montem fuiſſe gregem porcorum, Lucas autem in monte, quidquam repugnat, Grex enim porcorum tam magnus fuit, vt aliquid eius eſſet in monte, aliquid circa montem. Erant enim duo millia porcorum, ſicut Marcus expreſſit.

Ver. 12. 17.

Iſidor. Quos dæmoniacus ſignificet. Iſidor. Hiſpal. l. alleg. noui Teſtamenti: Dæmoniacus, quem Dominus in regione Geraſænorum, à legione curauit; ſignificat Gentilem populum, multorum cultibus dæmoniorũ obnoxium. Quos porcarij ſignificent. Paſtores porcorum fugientes, qui ea, quę geſta ſunt, nuntiant in ciuitatem; ſignificant principes impiorum, qui dum fidem Chriſti fugiunt, virtutes tamen eius ſtupentes, mirantur, & prædicant.

Not. 3. ver. 15.

Cur dæmones in porcos ire ſint permiſſi. QVOD ſi quis dicet, cuius rei gratia dæmonibus petentibus vt in gregem porcorum irent, cum non ignoraret quid tentarent, id ipſis Chriſtus permiſerit? certè non illorum gratia, vel vt illis complaceat, id fecit; verum
1 vt multa hinc diſpenſando doceret. Primum
2 enim qui liberati à dæmonibus erant, facile
3 ex hac re intellexerunt, quantum nocere cu-
4 perent, qui ipſis inſidiabantur: & quot, & qua-
5 les habuerunt inhabitatores. Deinde vt om-
6 nes hinc diſcamusue in porcos quidem impetum facere dæmones audere, niſi ipſe permittat. Tertio docemur, niſi vel in ipſa calamitate dæmoniaci diuina prouidentia iuuarentur, multo peiora illis à dæmonibus fierent, quam nunc in porcos illata ſunt. Nam quod maiori homines odio habeant, quam expertes rationis animantes, nullus vnquam dubitauit, cum etiam irrationalia propter hominem perdere ſtudeant: & per illorum perditionem his inferre triſtitiam. Quare qui porcis non pepercerunt, ſed confeſtim, cum ſibi conceſſum eſt, in præcipitia compulerunt; multo magis in homines illa patraſſent, quos occupabant, huc, & illuc in deſerto agitantes, niſi in ipſa etiam tyrannide, ipſos magna Dei cura refrenaret, & cohiberet, ne vlterius eorum impetus ferretur. Vnde manifeſtum eſt neminem eſſe, qui abſque diuina prouidentia viuat. Quod ſi non eodem modo cuncti eam percipiamus, hoc ipſum certæ prouidentiæ quædam ſpecies eſt non minima, cum ad id quod vnicuique confert, ratio
7 prouidentiæ accommodetur. Ad hæc etiam illud diſcimus, non communiter ſolum omnibus Deum prouidere, verum etiam vnicuique ſeparatim. Quod etſi diſcipulis etiam adaperuit, cum dicit, pilos quoque capitis ipſorum enumeratos eſſe: tamen & ex his dæmoniacis plane id perſpicitur, de quibus iam omnino actum fuiſſet, niſi diuina cura conſeruati eſſent. His igitur de cauſis conceſſit in porcorum 8
gregem abire; vt ſimul omnes, qui regionem illam habitabant, quanta eſſet eius virtus, non ignorarent. Sed quare à dæmonibus porci interempti ſunt? ſemper in deiectionem animos hominum intrudere dæmones ſtuduerunt, ſemperque gaudent cæde, ac vaſtatione. Quod & diabolus aduerſus Iob fecit, cum ipſi Deus petenti conceſſerit, non ipſius gratia, verum vt ſeruum faceret clariorem, & dæmoni omnem impudentiæ prætextum auferret, ac in caput ipſius cuncta, quæ aduerſus iuſtum excogitarat, conuerteret. Nam & hic oppoſitum certe factum eſt, quam dæmones optauiſſent; cum & Chriſti virtus præclarè prædicaretur, & malitia, imbecillitasque dæmonum (à qua eos liberauit, qui ab ipſis occupabantur) manifeſtius appareret, ita vt nec in porcos habere poteſtatem videantur, niſi Creator omnium Deus conceſſerit. Ne fictam fabulam hoc eſſe putes; 9
ſed firmiter credas expulſos ab hominibus dæmones fuiſſe; porcorum interitus efficit. Vt ergo mors porcorum omnibus confirmaret exiſſe dæmones, Chriſtus hoc permittit. Tu vero non omnipotentiam eius ſolum, ſed etiam clementiam conſidera. Ita Chryſoſt. hom. 29. in Matth. Euthy. Theophyl. Matth. 8. Chryſoſt. Eut. Theop.

Vict. Victor autem Antioch. Mar. 5. ſic habet: At quærat hic quiſpiam: cur Chriſtus Dominus dæmonibus ingreſſum in porcos petentibus, huc illos ingredi paſſus ſit; cum ea res ingenti damno regionis illius homines affecerit? (Neque enim dubium eſt, quin multi aliquando de hoc Dei iudicio quæſtionem mouerint) Dominus per hoc palam omnibus facere voluit, quanta ira, & indignatione, dæmones in homines ardeant: voluit per hoc æque oſtendere, multo minora incommoda, & damna hominibus inferre, quam alioqui inferre vellent, & ipſa quoque, niſi Dei virtus prohiberet, inferrent. Cum ergo Seruator noſter permittere non vellet, vt inſanum furorem ſuum in homines effunderent, permiſit vt porcos inuaderent; vt clarè hinc conſpiciatur, quanta dæmonum ſit rabies, & nocendi facultas. Qui enim temporis quaſi puncto, tot porcos præfocarunt, & è medio ſuſtulerunt, nullo illi negotio, niſi diuina vis obſtaret, eadem illa damna, & exitia hominibus quoque irrogare poſſent. Quamobrem non modo dæmonum nequitia per miraculum hoc patefacta eſt; verum Dei quoque virtus, & miſericordia, vt qui impediat, ne ea omnia dæmones in homines deſignent, quæ alioqui deſignare vellent, & poſſent.

Hiero. Hieron. in vita Hilarionis: Docebat autem ſenex, hominum cauſa, diabolum etiam iumenta corripere; & tanto eorum ardere odio, vt non ſolum ipſos, ſed & ea, quæ ipſorum eſſent, cuperet interire. Huiuſce rei proponebat exemplum, quod, antequam beatum Iob Iob c.
tentare

tentare permitteretur, omnem ſubſtantiam eius interfecerit, nec mouere quempiam debere, quod Domini iuſſione duo millia porcorum à dæmonibus interfecta ſint: ſiquidem eos, qui viderant, non potuiſſe aliter credere, exiſſe de homine tantam dæmonum multitudinem, niſi grandis porcorum numerus, & quaſi à multis actus pariter corruiſſet.

Greg. Gregor. lib.32.Moral.cap.26: Gladius Behemot, ipſa nocendi malitia eſt. Sed ab eo, à quo bonus per naturam factus eſt, eius gladius replicatur: quia eius malitia, diuina diſpenſatione reſtringitur, ne ferire tantum mentes hominum, quantum appetit, permittatur. Quia ergo hoſtis noſter, & multum poteſt, & minus percutit, eius gladium pietas conditoris aſtringit: vt replicatus intra eius conſcientiam lateat, & vltra quam deſuper iuſte diſponitur, ſeſe in mortes hominum, eius malitia non extendat. Quod igitur ad multa fortiter præualet, hoc de principio magnæ conditionis poteſt, quod vero à quibuſdam vincitur, eius nimirum gladius ab authore replicatur. Iſte namque Behemot, qui principium viarum Dei eſt, (Iob 1.) cum contra ſanctum virum licentiam tentationis accepit, gentes mouit, greges abſtulit, ignem de cœlo depoſuit, perturbato aëre, ventos excitauit, domum concutiens ſubruit, conuiuantes filios extinxit, vxoris mentem in dolo prauæ ſuaſionis exercuit, mariti carnem inflictis vulneribus confodit; ſed eius gladius à conditore replicatur, cum dicitur: Animam illius ſerua. Qui replicato gladio, quantæ ſit infirmitatis Euangeliſta teſtante deſcribitur, quia nec manere in obſeſſo homine potuit, nec rurſus inuadere bruta animalia non iuſſus præſumpſit, dicens: Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum. Malitiæ quippe eius gladius, quam ſit replicatus oſtenditur, cui ſi poteſtas ſumma licentiam non præberet, nec graſſari in porcorum gregem valeret. Quando ergo iſte ſua ſponte nocere factis ad Dei imaginem hominibus audeat, de quo nimirum conſtat, quod non iuſſus contingere, nec porcos præſumat? (Greg.) Et lib.3. Dial.cap.21: Propoſitæ regulæ noſtræ actionis, ſunt facta veritatis: Ipſi etenim Redemptori noſtro, à legione, quæ hominem tenebat, dictum eſt: Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum. Qui hanc, & ab homine expulit, & in porcos ire, eosque in abyſſum mittere, conceſſit. Ex qua re etiam hoc colligitur, quod abſque conceſſione omnipotentis Dei, nullam ſpiritus malignus contra hominem poteſtatem habeat, qui in porcos intrare non potuit, niſi permiſſus. Illa ergo nos neceſſe eſt ſponte ſubdi, cui & aduerſa omnia ſubijciuntur inuita, vt tanto noſtris hoſtibus potentiores ſimus, quanto cum authore omnium vnum efficimur per humilitatem.

Idem lib.1. Dial. cap.10. habet Fortunatum Epiſcopum Tudertinum mulierem à legione dæmonum liberaſſe. (Greg.)

Not. 4. ver. 17. 18.

EVTH. Luc. 8. Matthæus dixit quod exierunt in occurſum Ieſu: ſiquidem ipſe veniebat in ciuitatem. Lucas vero nunc oſtendit, quod ipſe non ambulabat: nam ſi progrediebatur, nequaquam is, qui à dæmonijs liberatus fuerat, ad pedes Ieſu ſedebat. Manifeſtum ergo eſt, quod dum iret in ciuitatem, ſtetit quodam in loco, dicens: Is autem qui curatus fuerat, tanquam tyrannide dęmonum miſerè afflictus, ac defatigatus, ſedere iuſſus eſt. (Eut.)

Ver. 22.

Vide Chryſol. lect.7.8.9.Dom.18. poſt Penti qui plura habet ſerm.50. (Chryſol.)

Ver.26.

Quod hic dicitur, referri poſſet ad hiſtoriam Iairi: ſed & nunc ad mare turba conuenit, & exceptus ab ea fuit, vt dicit Lucas. Sed cum hinc iuiſſet Capharnaum, & paulo poſt huc redijſſet, tumque veniſſet Iairus, Marcus, quem imitatus eſt Lucas, iſta coniunxit; quia intermedia prius eodem ordine narrauerat: & hęc eſt cauſa interruptionis, & hiatus iſto loco in Lucæ, & Marci narratione.

CAP. 37. *Paralyticus per tectum demiſſus curatur.*

Matt. 9.	*Mar. 2.*	*Luc. 5.*	*Ioan.*
1 ET venit in ciuitatem ſuam.	1 c.53.) ET iterum intrauit Capharnaum poſt dies. 2 Et auditum eſt, quod in domo eſſet, & conuenerunt multi, ita vt non caperet, neq; ad ianuam. Et loquebatur eis verbum.	*Fer. 6. Pentec.* 2 c.53.) ET + factũ eſt in vna dierũ, & ipſe ſedebat docens, & erant Phariſæi ſedẽtes, & legis Doctores, qui venerant ex omni caſtello Galilææ, & Iudææ, & Hieruſalem. 3 Et virtus Domini erat ad ſanandum eos.	
4 Et ecce offerebant ei	4 Et venerunt ad eum	4 Et ecce viri portantes	

Matt. 9.	*Mar. 2.*	*Luc. 5.*	*Ioan.*
paralyticum.	ferētes paralyticum, qui à quatuor portabatur.	in lecto hominem, qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum.	
5 Iacentem in lecto.	5 Et cùm non poſſent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum vbi erat; & patefacientes ſubmiſerunt grabbatum, in quo paralyticus iacebat.	5 Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſupra tectum,& per tegulas ſubmiſerunt eum cum lecto in medium, ante Ieſum.	
6 Et videns Ieſus fidem illorum, dixit Paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.	6 Cum autem vidiſſet Ieſus fidem illorum, ait Paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.	6 Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.	
7 Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat.	7 Erant autem illic quidam de Scribis ſedentes, & cogitantes in cordibus ſuis: Quid hic ſic loquitur? blaſphemat.	7 Et cœperunt cogitare Scribæ, & Phariſæi, dicentes: Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias?	
	8 Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?	8 Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?	
9 Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?	9 Quo ſtatim cognito Ieſus ſpiritu ſuo, quia ſic cogitarent intra ſe, dicit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris?	9 Vt cognouit autem Ieſus cogitationes eorum, reſpondens dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus veſtris?	
10 Quid eſt facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge, & ambula?	10 Quid eſt facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, tolle grabbatum tuum, & ambula?	10 Quid eſt facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, & ambula?	
11 Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata; tunc ait Paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.	11 Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata; ait Paralytico: Tibi dico, ſurge, tolle grabbatum tuum, & vade in domum tuam.	11 Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata; ait Paralytico: Tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.	
12 Et ſurrexit, & abijt in domum ſuam.	12 Et ſtatim ſurrexit ille, & ſublato grabbato abijt coram omnibus.	12 Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum, in quo iacebat, & abijt in domum ſuam, magnificans Deum.	
13 Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. ✠	13 Ita vt mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quia nunquam ſic vidimus.	13 Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum, & repleti ſunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. ✠	

Not. 1.

Fulg. Ratio diſpoſitionis. Tres hoc dicunt.

AVG. lib. 2. de conſ. cap. 25: Hinc ſequitur Matth. adhuc temporum ordinem ſeruans; atq; ita narrationem contexit: Et aſcendens in nauiculam, &c. vſq; ad illud: Videntes autem turbę, &c. de hoc paralytico dixerunt etiā Mar. & Luc. Porro iſtud à tribus Euangeliſtis narrari, agnoſcunt etiam Victor, Theophylact. Euthym. Tit. Chryſoſt. Ambroſ. Hieron. Beda, & alij. De rerum geſtarum ordine nonnulla eſt hic difficultas; Nam poſt Chriſti reditum à Geraſænis; Marcus, & Lucas miracula de Iairi filia, & Hæmorrhoiſſa, commemorant: ita vt hæc ſtatim ab eius reditu geſta videantur; & quaſi redeunti Domino à Geraſænis, ille occurrerit, priuſquam adhuc in domum, aut ciuitatem fuiſſet ingreſſus. Tamen ex Matthæo conſtat, huiuſmodi rerum geſtarum ordinem non poſſe intelligi: non quidem ideo quod poſt transfretationem, eum in ciuitatem ſuam veniſſe, ac Paralyticum ſanaſſe commemorat: poſſet enim intelligi poſt traie-

Vict. Theop. Eut. Tit. Chryſoſt. Amb. Hier. Bed.

traiectionem, ſed quibuſdam in medio geſtis, hæc eſſe facta: verum quia Matth. Iairum dicit ad Chriſtum acceſſiſſe, cum diſputaret de ieiunio, cum Ioannis, & Phariſæorum diſcipulis. Quam diſputationem habitam poſt vocationẽ Matthæi, eamque vocationem poſt huius Paralytici curationem eſſe factam, non tantum ex Matthæo, ſed etiam ex Mar. & Luc. manifeſtum eſt. Nam vterq; tria illa, videlicet curationẽ Paralytici. Matthęi vocationem, ac diſputationem de ieiunio, eodem ordine deſcribit, quo Matthæus, quamuis alio loco; ac ita vt eorum narratio, non requirat immediatum rerum narratarum cum ſuperioribus ordinem, imo nec ſequelam ad ſuperiora. Dubitandum itaque non eſt, quin hoc loco, ſequẽda ſit Matthęi narratio, & hic ponenda curatio huius Paralytici. Quod etiam Tatianus, Ammo. Aug. & alij faciunt. Si quidem iſta quatuor, hæc, inquam, hiſtoria Paralytici, vocatio Matthæi, diſceptatio de ieiunio, & Iairi acceſſus, ita in Matthæo cohærent, vt alio loco, vel ordine collocari non poſſint. Mar. autem & Lucas Iairi acceſſum ſuperioribus, hoc eſt, traiectioni prius dictæ connexuerunt, quaſi nulla re inſerta geſtum hoc fuiſſet, & mox Domino appellante Iairus acceſſiſſet: eo quod ab eis prius eodem ordine narrata fuerint, quæ in medio geſta ſunt: tum etiam quia Iairus paulo poſt, interpoſitis ijs, quæ ante narrauerant, Dominum circa idem littus maris, acceſſit: non quidem eodem die quo à Geraſænis redierat; ſed alio, vt Marcus indicat. Marcus enim occaſione littoris Iairi recordatus eſt, id ſubiecit, quaſi eodem die ad littus veniſſet, quo Dominus à Geraſænis appulerat, nam paulo poſt eo venit Iairus, ibique Dominum inuenit. Ideo ait: Et erat circa mare; ſignificans à Iairo Dominum circa mare inuentum: nihil ergo mirandum, ſi hoc loco in contextu Marci, & Lucæ, hiatus aliquis appareat.

Not. 2. ver. 1.

ILLVD ſane poteſt mouere, quod de iſto Paralytico, Matthæus ita narrat: Et aſcendens in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Et ecce offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto: Marcus autem non hoc in eius ciuitate factum dicit, quæ vtique Nazareth vocatur, ſed Capharnaum. Lucas autem non commemorat, quo in loco factum ſit. Remanet igitur quæſtio inter Marcum, & Matthæum, quod Matthęus ita ſcribit, tanquam in ciuitate Domini factum ſit. Marcus autem in Caphatnaum. Quæ difficilius ſolueretur, ſi Matthæus etiã Nazareth nominaret. Nunc vero cum potuerit ipſa Galilæa dici ciuitas Chriſti, quia in Galilæa erat Nazareth, ſicut vniuerſum regnum in tot ciuitatibus conſtitutum dicitur Romana ciuitas, cumque in tot gentibus conſtituta ſit ciuitas, de qua ſcriptum eſt: Glorioſiſſima dicta ſunt de te, ciuitas Dei; & cum ipſe prior populus Dei, in tot ciuitatibus habitans etiam vna domus dicta ſit: domus Iſrael; quis dubitauerit in ciuitate ſua hoc feciſſe Ieſum, cum hoc fecerit in Capharnaum ciuitate Galilææ? Quo transfretando redierat de regione Geraſænorum, vt veniens in Galilæam rectè diceretur veniſſe in ciuitatem ſuam, in quocumque oppido eſſet Galilææ. Præſertim quia & ipſa Capharnaum ita excellebat in Galilæa, vt tanquam Metropolis haberetur. Quod ſi prorſus non liceat accipere ciuitatem Chriſti, vel ipſam Galilæam, in qua erat Nazareth, vel ipſam Capharnaum, quæ, ſicut caput, Galilææ ciuitatibus eminebat; diceremus Matthæum prætermiſiſſe, quæ geſta ſunt, poſteaquam venit Ieſus in ciuitatem ſuam, donec veniret Capharnaum; & hoc adiunxiſſe de ſanato Paralytico: ſicut in multis ita faciunt, prætermittentes media, tanquam hoc continuo ſequatur, quod, ſine vlla prætermiſſionis ſuæ ſignificatione ſubiungunt. Sic ad verbum Aug. lib. 2. de conſ. cap. 25.

Quænam ſit Chriſti ciuitas. — 1 ſolut. — Pſal. 86. — ſolut. 2. — ſolut. 3. — Aug.

Victor Antioch. Mar. 2: His ſimilia exponit Lucas quoque, vno illo dũtaxat excepto quod ciuitatis, in qua miraculum editum fuerat, nomen non exprimat. Mat. vero quod de tecto reuulſo narratur ſuppreſſo eadem fere verborum ſerie, ſignum in ſua ciuitate factum ſcribit. At ciuitas illius, non Capharnaum; ſed Nazareth habebatur: niſi quis Capharnaum, ob id forſan ciuitatem illius appellatam dicat, quod frequenter admodum in illa degeret, multaque ſubinde miracula in ea patraret. Sunt qui putent (quod loca illa paruo interuallo à ſe inuicem diſtarent) Euangeliſtas non tam curaſſe, vt locum præciſè indicarent, quam vt miraculum ipſum exponerent. De hoc autem omnium ſententias inter ſe conſpirare, etiamſi alij alio modo hiſtoriam texant. Hęc ibi Victor. Vide Chryſoſ. lect. 9. Dom. 18. poſt Pent.

Vict. — Chryſoſt.

Chryſoſt. hom. 30. in Matt: Propriam hic ciuitatẽ eius Capharnaum appellauit. Bethlehem enim ipſum tulit: Nazareth educauit: Sed Capharnaum perpetuum erat ipſius habitaculum. Idem habet Theophylact. Mat. 9. Itaque diligenter inquirendum eſt, quænam hic Domini ciuitas appelletur. Hieron. Matt. 9. Nazareth intelligit; quam opinionem ſi quis amplecti velit, dicere debet, vt ait Aug. à Matthæo prętermiſſa, quę geſſit Dominus in Nazareth, ſtatimq; trãſijſſe ad narrationem eorum, quæ Capharnai contigerunt. Nam hoc miraculum Capharnai eſſe factum, ex Marco ſatis eſt euidens. Aug. per Domini ciuitatem totam Galilæam intelligit. Rectius vero Chryſoſt. & alij Capharnaum intelligunt, quia Matth. ſignificat hunc Paralyticum Chriſto in ea ciuitate oblatũ, in quam eum veniſſe dixerat: immo in quam venerit ciuitatem ſcripſit, vt vbi factum ſit hoc miraculum indicaret. Domini autem ciuitas hæc dicitur, quia Ieſus relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum, hoc eſt, in ea principalem ſibi habitationem elegit, vt ſupra cap. 28. alia enim erat Chriſti patria ratione natiuitatis, alia educationis ratione, & alia ratione frequentioris conuerſationis, & operationis miraculorum, vt habet Aquinat Matth. 9.

Chryſoſt. — Hier. — Aug. — Aug. — Chryſoſt. — Chriſti patria. — 4 ſolutio probatur. — Tho.

Cur magis Capharnai erat Dominus. Adeo enim frequenter Ieſus Capharnai verſatus eſt. Vt Matthæus eam ciuitatem ipſius appellet. Potius autem illic diutius, quam in alijs Galilææ ciuitatibus egit; quod frequentior illic eſſet acceſſus hominum.

Not. 3. ver. 4. 5.

Cap. 43 Ioannes de hoc Paralytico non agit. PARALYTICVS certè hic, non eſt ille, de quo Ioannes fecit mentionem. Nam ille apud piſcinam Hieroſolymis iacebat, hic in Capharnao: & ille triginta, & octo annis morbo tenebatur; de hoc vero nihil tale ſcriptum eſt: Præterea nullos ille habuit miniſtros; quia hominem non habebat; hunc adferri ad Ieſum à miniſtris, ſeu baiulis videmus. Ad hæc, confide fili, dixit huic, remittuntur tibi peccata tua, illum vero interrogauit, an vellet ſanus fieri. Accedit quod in ſabbato illum curauit, hunc vero alio die, non in ſabbato. Nihil enim tale hic accuſare Iudæi videntur. Poſtremo poſt hoc ſignum tacuerunt Iudæi, poſt illud importuni perſequebantur. Hæc non otioſè dixi: ſed ne quis vnum, eundemque putans eſſe, diſſonantiam eſſe credat. Chryſoſt. Theop. Eut. Ita Chryſoſt. hom. 30. in Matth. Theoph. & Euth. Matth. 9. & Mar. 2. Matthæus, attulerunt eum, inquit: alij autem per tectum demiſſum fuiſſe deſcripſerunt: ac ita Chriſto propoſitum, vt nihil à miniſtris, qui fide adducti rem totam ei crediderunt, diceretur. Ita Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 30. in Matt.

Aug. Aug. lib. de paſtor. c. 6: Qui aliqua cupiditate mala amatores mundi, ab ipſis bonis operibus reuocantur, languidi, & ægroti iacent. Quippe in ipſo languore, tanquam ſine vllis viribus, nihil boni poſſunt operari. Talis in anima paralyticus ille fuit, quem cum ad Dominum inferre non poſſent, qui eum portabant, tectum aperuerunt, & depoſuerunt: id eſt, tanquam ſi in anima hoc velis facere, vt tectum aperias, & deponas ad Dominum animam paralyticam, diſſolutam omnibus membris, & vacantem ab omni opere bono, grauatam vtique peccatis ſuis, & languentem morbo cupiditatis ſuæ. Si ergo diſſoluta ſunt membra omnia, & eſt paralyſis interior, vt peruenias ad medicum (Forte enim latet medicus, & intus eſt, id eſt, verus intellectus in ſcripturis occultus eſt) exponendo quod occultum eſt, aperi tectum, & depone paralyticum. Quod qui non faciunt, & qui facere negligunt, audiſtis quæ audiant: quod male habuit, non corroboraſtis, & quod contribulatum eſt, non colligaſtis.

Aug. Et lib. 2. quæſt. Euang. cap. 4: De Paralytico poteſt intelligi anima diſſoluta membris, hoc eſt, bonis operationibus, Chriſtum quærere, hoc eſt, voluntatem verbi Dei: impediri autem turbis, niſi tecta, id eſt, operta ſcripturarum aperiat, vt per hæc ad notitiam Chriſti perueniat; hoc eſt, ad eius humilitatem, fidei pietate deſcendat. Hi autem, à quibus deponitur, bonos in Eccleſia Doctores poſſunt ſignificare. Quod autem cum lecto deponitur, ſignificat ab homine, in iſta carne adhuc conſtituto, Chriſtum debere cognoſci. Quem tamen lectum, ſanus poſtea iubetur portare, & ire in domum ſuam, vt remiſſione peccatorum conualeſcentibus per ſpem bonam membris animæ, hoc opus reſtaurare intelligatur, vt iam non in carnalibus gaudijs, tanquam in lecto requieſcat infirmitas animi; ſed magis ipſa contineat affectiones carnales, & tendat ad requiem ſecretorum cordis ſui. Vide Chryſol. ſer. 50. Chryſol.

Not. 4. ver. 6.

QVOD Matthæus dixit Dominum dixiſſe: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Luc. autem non dixit: Fili, ſed homo ad ſententiam Domini expreſſius inſinuandam, valet: quia homini dimittebantur peccata, qui hoc ipſo, quod homo erat, non poſſet dicere, non peccaui, ſimul etiam vt ille qui homini dimittebat, intelligeretur Deus. Mar. autem, hoc dixit, quod & Matt. ſed non dixit: Confide. Potuit quidem, & ita dici: Confide, homo, dimittuntur tibi peccata. Fili, aut, confide, fili, dimittuntur peccata homo, aut quolibet verborum ordine cōgruenti, hæc verbotenus Aug. lib. 2. de conſ. cap. 25. Aug.

Ver. 7.

AVG. lib. 15. de Trinitate cap. 10: Etſi verba non ſonent, in corde ſuo dicit vtique, qui cogitat. Aug. Vnde illud eſt in libro Sapientiæ: Dixerunt apud ſe cogitantes non recte. Sap. 2. Expoſuit enim quid ſit, dixerunt apud ſe, cum addidit, cogitantes. Huic ſimile eſt in Euangelio, quod quidam Scribæ, cum audiniſſent à Domino dictum Paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua, dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. Quid eſt enim dixerunt intra ſe, niſi cogitando? denique ſequitur: Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Sic Matt. Luc. autem hoc idem ita narrat: Cœperunt cogitare Scribæ, & Phariſæi, dicentes: Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Vt cognouit autem cogitationes eorum Ieſus, reſpondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus veſtris? quale eſt in libro Sapientiæ: Dixerunt cogitantes, tale hic Sap. 2. eſt, cogitauerunt, dicentes. Et illic enim, & hic oſtenditur intra ſe, atque in corde ſuo dicere, id eſt, cogitando dicere, dixerunt quippe intra ſe, & dictum eſt eis: Quid cogitatis? Hactenus Aug.

Ver. 10.

VICTOR Antioch. Mar. 2: Vtique peccata Vict. reipſa dimittere, difficilius eſt, quam dicere: Dimittuntur tibi peccata tua. Difficilius eſt facere quam dicere. Neque enim facile is falſitatis redargui poteſt, qui dicit: Dimittuntur tibi peccata tua; quippe cum hic effectus ſub ſenſum non veniat: ſiquidem vulnus non patet vt medici virtus diiudicare poſſit. Dicit ergo: vtrum eſt facilius, dicerene, an facere? Haud dubiè dicere, quandoquidem opus quod promittitur, ſenſibus non obijcitur. Quia ergo verbo

verbo fidem non habetis,en opus adijcio: quo illud ſtatuatur, quod ſub aſpectum non cadit. Etenim ſi Dominus primum exterius Paralyticum ſanaſſet, atque deinde peccata illi condonaſſet, rati fuiſſent primum quidem præſtitum, ſecundum vero manere incertum. Quia ergo primum erat ambiguum, vulgoque parum creditum adiectum eſt ſecundum,nempe opus ipſum; quo hac ratione infidelitas redarguatur, quodque animo agitabant, vanitatis reuincatur. Similia ſunt in Euth.ad 9.c. Matthæi.

Eut.

Not. 5. ver. 11.

Greg. Domus quid ſit.

GREGOR. lib. 4. Moral. cap. 35: Quid per domos, niſi conſcientiæ deſignantur? vnde ſanato cuidam dicitur: Vade in domum tuam,ac ſi aperte audiat; poſt exterius miraculum, ad conſcientiam reuertere: & qualem te intrinſecus Deo debeas exhibere,perpende. Et hom. 12. in Ezech: De hac domo cordis cuidam ſanato per ſemetipſum veritas dicit: Tolle grabbatum tuum, & vade in domum tuam. Per grabbatum quippe, in quo carnis eſt requies, ipſa caro ſignatur. Per domum vero, conſcientia figuratur. Et quia cum mente mortui in vitijs iacemus, in carnis delectatione quieſcimus, infirmi portamur in lecto. Cum vero ſanati fuerimus mente,vt iam pulſantibus carnis vitijs reſiſtamus, neceſſe eſt, vt & tentationum contumelias de noſtra carne toleremus. Ægro itaque ad ſalutem reducto præcipitur: Tolle grabbatum tuum, id eſt, porta lectum, in quo portatus es, quia neceſſe eſt,vt ſanatus quiſque portet contumeliam carnis, in qua prius iacebat ægrotus. Quid eſt ergo dicere: Tolle grabbatum tuum, & vade in domum tuam; niſi porta tentationes carnis, in quibus hactenus iacuiſti, ac reuertere ad conſcientiam tuam, vt videas quæ feciſti?

Greg. Domus, Lectus.

Orige. Lectus.

Origen. hom. 2. in Cant. Hieronym. interp: Lectus noſter vmbroſus.Quæro lectum in quo ſponſus cum ſponſa requieſcat; & ni fallor,corpus humanum eſt: Siquidem ille in Euangelio paralyticus, qui iacebat in lecto,& abire in domum ſuam, ſublato grabbato, voce iuſſus eſt Saluatoris antequam ſanaretur, ſuper debile membrorum ſuorum corpus iacebat; quod poſtea Dei virtute ſolidatum eſt. Sic ego intelligo: Tolle grabbatum tuum, & vade in domum tuam. Neque enim ad hoc filius Dei, de cœleſtibus ad terrena deſcenderat,vt de lectulis deſcendere imperaret: & conſurgentem ab ægrotatione ſua, ſine lectulo non pateretur abſcedere: Tolle,inquiens,grabbatum tuum, & vade in domum tuam. Et tu igitur à Saluatore ſanatus, tolle grabbatum tuum, & vade in domum tuam, vt cum ad te velut ad ſponſam,venerit ſponſus, & in eo tecum fuerit reclinatus, dicas: Ecce ſponſus fratruelis meus.

Bern.

Bernar. ſermone de paſſione Domini fer. 4. hebdomadæ pœnoſæ: Fœlix qui paſſiones corporis ſui propter iuſtitiam ordinat,vt quidquid patitur, propter Dei filium patiatur, quatenus & à corde tollatur murmuratio,& in ore verſetur gratiarum actio,& vox laudis,qui ſic extollit ſe,iſte tollit grabbatum ſuum,& vadit in domum ſuam. Grabbatum noſtrum corpus eſt,in quo prius languidi iacebamus, ſeruientes deſiderijs, & concupiſcentijs noſtris. Nunc portamus illud, cum ſpiritui obedire cogimus, & mortuum noſtrum portamus:quia corpus mortuum eſt propter peccatum. Ambulamus tamen non currimus: quia corpus quod corrumpitur,aggrauat animam,& deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Ambulamus etiam in domum noſtrum. In quam domum? In matrem omnium: quia ſepulchra eorum domus illorum, in æternum: vel potius in domum noſtram,quam habemus ex Deo non manu factam, æternam in cœlis. Qui ſub hoc onere ambulamus, poſito eo,quid putatis,quo curremus? quomodo volabimus? plane ſuper pennas ventorum. Grabbatũ.

Gregor. lib. 23. Moral. cap. 23: In ſcriptura ſacra, inquit,lectus,ſiue grabbatus, ſeu ſtratum, aliquando, voluptas carnis,aliquando repauſatio in bonis operibus, aliquando requies temporalis accipitur. Quid eſt enim quod in Euangelio ſanato cuidam Dominus dicit: Surge,tolle grabbatum tuum, & vade in domum tuam; niſi quod per grabbatum voluptas corporis deſignatur? Et iubetur vtique, vt hoc ſanus portet, vbi infirmus iacuerat. Quia nimirum omnis, qui adhuc delitijs delectatur, infirmus iacet in voluptatibus carnis.Sed ſanatus hoc portat, vbi infirmus iacuerat. Quia diuino adiutorio ereptus,à vitijs eiuſdem carnis contumelias poſtmodum tolerat,in cuius prius deſiderijs requieſcebat. Greg. Lectus.

Iſidorus Hiſpal.lib. allegoriarum noui teſtamenti. Paralyticus iacens in lecto anima eſt vitijs deſolata in corpore ſuo;quæ dum fuerit gratia Chriſti per peccatorum remiſſionem ſanata, confeſtim priſtino robore recepto,reſurgit, & lectum carnis in quo debilis ante iacebat, ad domum virtutum reportat,vt ſe intra conſcientię ſuæ ſecreta conſtringat,& nequaquam in exterioribus vltra voluptatibus diſſoluta diſcurrat. Iſidor.

Ambroſius lib. 5. in Luc: Non otioſa huius paralytici, &c. vt lect. 1. 2. & 3. fer. 6. Pentec: Amb. ver. 8.
Itaque ab ipſis & operis ſui Dei filius accipit teſtimonium, & vocis ſuffragium non requirit. Perfidia enim confiteri poteſt,credere non poteſt. Itaque teſtimonium non deeſt diuinitati, fides deeſt ſaluti. Nam validius eſt ad fidem, quod confitentur inuiti: & perniciosius ad culpam,quod negant,qui ſuis affectionibus reuincuntur. Magna itaque infidæ plebis amentia,vt cum confeſſa fuerit, ſolius Dei eſſe donare peccata, non credat Deo peccata donanti.
Dominus autem ſaluos volẽs facere peccatores, ver. 9.
& occultorum cognitione Deum ſe eſſe demõſtrat,& admiratione factorum,adijciens. Quid ver. 17.
eſt facilius dicere: Dimiſſa ſunt tibi peccata tua: aut dicere: Surge,& ambula? Quo loco plenam ſpeciem reſurrectionis oſtendit, qui mentis

vulneribus, corporiſque ſanatis, peccata donat animorum, debilitatem carnis excludit. Hoc eſt enim totum hominem eſſe curatum. Quamuis igitur magnum ſit hominibus, peccata dimittere (quis enim poteſt peccata dimittere, niſi ſolus Deus? qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit poteſtatem, tamen multo diuinius eſt, reſurrectionem donare corporibus: quandoquidem ipſe Dominus reſurrectio eſt.

ver. 11. Quid ſit lectus. Hic lectus, qui tolli iubetur, quid eſt aliud, niſi quod humanum corpus attolli iubetur? Ipſe eſt, qui per ſingulas noctes lauatur à Dauid, lectus doloris, in quo anima noſtra graui conſcientiæ ægra cruciatu iacebat. Sed ſi quis ſecundum Chriſti præcepta ſe geſſerit, iam non lectus doloris eſt; ſed quietis. Miſeratione etenim Domini cœpit quies eſſe, quod mors erat; qui nobis ſoporem mortis, vertit in gratiam voluptatis.

Quid ſit domus. Nec ſolum leuare lectum, ſed etiam domum ſuam repetere, hoc eſt, ad paradiſum redire, cenſetur. Ea eſt enim vera domus, quæ hominem prima ſuſcepit: non iure amiſſa, ſed fraude. Merito ergo reſtituitur domus, quoniam venerat, qui nexum fraudis aboleret, ius

ver. 12. reformaret. Nec mora vlla ſanitatis interuenit, vnum dictorum, remediorumque momentum eſt.

Epiph. Epipha. hære. 42. confut. 2: Si filium hominis ſeipſum vocat, non negat ipſe vnigenitus incarnationem, & fruſtra apud te cantatur, quod in exiſtimatione apparuerit. Et ſi habet poteſtatem in terra, non aliena eſt terra à creaturis eius, ac patris ipſius.

Fulg. Fulgent. lib. 2. de remiſſ. peccat. cap. 20: Bona Dei non videbit in terra viuentium, ſi quis in hac terra morientium, remiſſionem non acceperit peccatorum. Hoc enim ipſe prærordinauit hominum Saluator, & Iudex; vt quibus peccata dimittit, in hac terra dimittat. (Cur dixit in terra.) Propter quod Iudæis incredulis, dicit: Vt autem ſciatis, quia poteſtatem habet filius hominis in terra dimittendi peccata. Quod non ideo dixit, quia tranſeuntibus hominibus de hac terra, huius temporis peccata, ſi quibus vellet, relaxare non poſſit: ſed vt homines agnoſcerent, tempus remiſſionis, & retributionis diuina incommutabiliter conſtitutione diſcretum, nec audire humana inaniter ſperaret vanitas, quod diuina promitteret veritas. Hinc eſt, quod etiam beato Petro, hoc eſt, Eccleſiæ ſuæ, in terra ligandi, (Matt. 16.) ſoluendique tribuit poteſtatem: vt agnoſceremus in tempore huius vitæ, gratuitam tribui in peccatorum remiſſione miſericordiam. In futuro autem iuſtam cunctis mercedem pro factorum qualitate reddendam: nec ambigeremus nunc omnia poſſe peccata dimitti; & nunc quæcunque non fuerunt dimiſſa, tunc exigi. Quod etiam beatus Dauid ſancti Spiritus reuelatione cognoſcens, cui, ſicut ipſe teſtatur: Incerta, & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtauerat Dominus, priuſquam de hoc ſæculo eat, remiſſionem poſtulat peccatorum, dicens: Remitte (Pſal. 38.) mihi vt refrigerer, priuſquam eam, & amplius non ero. Beatus vtique propheta non tam ſollicitè poſtularet ante vitæ præſentis terminum remiſſionem ſibi tribui peccatorum, ſi ſciret poſt hanc vitam, vel cuiquam profuturam pœnitentiam; vel remiſſionem peccatorum, tunc pœnitentiam agentibus diuino munere concedendam.

CAP. 38. *Matthæi vocatio.*

Matt. 9.	*Mar. 2.*	*Luc. 5.*	*Ioan.*
	1 ET egreſſus eſt rurſus ad mare.	*In vig. S. Matthei.* 1 ET poſt hæc exijt.	
	2 Omniſque turba veniebat ad eum, & docebat eos.		
In feſto S. Matthei. 3 ET cùm tranſiret inde Ieſus, ✠ vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Et ſurgens, ſequutus eſt eum.	3 Et cùm præteriret, vidit Leui Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſequutus eſt eum.	3 Et ✠ vidit Publicanum, nomine Leui, ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus ſurgens ſequutus eſt eum.	
4 Et factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores veniẽtes diſcumbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius.	4 Et factum eſt cum accumberet in domo illius, multi publicani, & peccatores ſimul diſcũbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius. 5 Erant enim multi, qui & ſequebantur eum.	4 Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo ſua; & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant diſcumbentes.	
6 Et videntes Phariſæi, dicebant diſcipulis eius:	6 Et Scribæ, & Phariſæi videntes, quia mandu-	6 Et murmurabãt Phariſæi, & Scribæ eorum,	

Quare

Matt. 9.	*Mar. 2.*	*Luc. 5.*	*Ioan.*
Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter?	caret cum Publicanis, & peccatoribus, dicebant diſcipulis eius: Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit Magiſter veſter?	dicentes ad diſcipulos eius: Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis?	
7 At Ieſus audiens, ait: Non eſt opus valentibus medicus; ſed malè habentibus.	7 Hoc audito, Ieſus ait illis: Non neceſſe habent ſani medico; ſed qui malè habent.	7 Et reſpondens Ieſus, dixit ad illos: Non egent qui ſani ſunt medico; ſed qui malè habent.	
8 Euntes autem diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium.			
9 Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores. ✠	9 Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.	9 Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ✠ ad pœnitentiam.	

Not. 1.

Chryſol. Vide Chryſol. ſerm. 28. 29. & 30.

Aug. Aug. lib. 2. de conſ. cap. 26: Hinc ergo ſequitur Matthæus, dicens: Et cum tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, &c. hoc Marcus ita narrat, eundem etiam ipſe ordinem tenens, poſt illius Paralytici ſanitatem: Et egreſſus eſt rurſus, inquit, ad mare, &c. Nihil hic repugnat: Ipſe eſt enim Matthæus, qui & Leui. Lucas etiam, poſt eundem Paralyticum ſanatum, ita ſubiungit: Et poſt hæc exijt, &c. Hinc autem probabilius videtur, quod hæc prętermiſſa recordando Matthæus commemorat: quia vtique ante illum ſermonem habitum in monte credẽdum eſt vocatum eſſe Matthæum. In eo quippe monte tunc Lucas commemorat, omnes duodecim, ex pluribus diſcipulis electos, quos & Apoſtolos nominauit.

Ratio diſpoſitionis. Tres Euangeliſtæ cõſentiunt. ver. 2.

Ver. 3.

Est autem idem hic omnino Leui, cum Euangeliſta Matthæo. Et quidem Marcus, & Lucas nomen, quod illi familiare erat, primæua appellatione obnubunt. At ipſe vero Leui, dum Euangelij hiſtoriam contexit, palam quæ ad ſe pertinebant, denuntiat. Quo enim medici artem impenſius admireris, ſuum ipſe vulnus aperit. Sic Victor Antioch. Mar. 2. Chryſoſt. hom. 31. in Matth. Theoph. Matt. 9. Mar. 2. Luc. 5. Euth. Matt. 9.

Vict. Chryſoſt. Theop. Eut.

Hier. Hieron. Matt. 9: Cæteri Euangeliſtæ propter verecundiam, &c. vt lect. 7. die 21. Sept.

Amb. Amb. lib. 5. in Luc: Sequitur myſtica vocatio publicani, &c. vt lect. 1. 2. 3. die 20. Septemb. Sed cuius rei gratia non cum Petro, ſimul ac Ioanne, & alijs diſcipulis, ipſum vocauit? Certe quemadmodum tunc ad illos acceſſit, vocauitq; quando obtemperaturos ſciebat; ſic Matthæum, quoque nunc vocauit, quando miraculorum fama perdomitum, minime reluctaturum videbat. Qua de cauſa etiam Paulum poſt reſurrectionem piſcatus eſt. Nam qui corda ſcrutatur, & occulta mentium perſpicit, is etiam quando vnuſquiſque ad obediendum paratus erat, non ignorauit. Præterea non continuo incipiens, quando durior fuit, ſed poſt mille miracula, & inſignem, atque promulgatam famam, aptiorem iam ad obtemperandum, vocauit. Ita Chryſoſt. ho. 31. in Mat. Theop. Mat. 9. Sed cur dixit, in telonio ſediſſe? virtutem vocantis voluit oſtendere, qui non impoſito adhuc fine, prauæ Publicanorum conuerſationi, è medio malorum pelago, ipſum abſtraxit, ſicut Paulum quoque furentem, ac omni rabie ardentem, & ignem Eccleſiæ inferentem tranſmutauit: quam vocantis virtutem ad Galatas ſcribens, expreſſit, cum dicat: Audiſtis, fratres, aliquando conuerſationem meam in Iudaiſmo, quia ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam ipſam. Piſcatores quoque à medijs operibus ſuis vocauit. Sed piſcatura quoddam artificium eſt, quod quamuis rudiorum hominum ſit, & ſimplicium, nihilominus non vituperatur. Publicanorum autem ſtudia, & exercitatio, impudẽtiæ, & crudelitatis plena ſunt, quæſtus nota illiberalis, turpis quædam mercatura, immo rapina lege ſæculari conceſſa; quæ omnia non erubuit Dominus. Nec mirum ſi Publicanum non erubuerit, quando nec meretricem erubuiſſet; quam non à fornicatione ſolum eripuit, verum etiam pedes oſculari permiſit. Venit enim non vt corpora ſolum curaret, verum etiam multo magis, vt ægrotis animis incolumitatem præſtaret; quod planum in Paralytico fecit, cuius cum peccata dimiſerit, tunc ad Matthæum acceſſit, ne turbarentur, ſi Publicanum viderent in diſcipulorum conſortio collocatum. Nam qui poteſt delictorum diſſoluere vincula, cur mirum eſt, ſi peccatorem Apoſtolum fecit? Vidiſti virtutem vocantis, diſce nunc vocati obedientiam. Non enim repugnauit, nec ambigendo ſecum dixit: Putaſne Publicanum, peccatoremque me, recte abſque fraude vocauerit? Non eſt enim huiuſcemodi intempeſtiua humilitas laudabilis: ſed confeſtim ita obtemperauit, vt nec domum quidem ad communicandum rem cum ſuis profectus ſit; verum ſicut piſcatores prius, retibus vna cum nauigio, atque patre relictis, ſic ipſe

Chryſoſt. Theoph. Magdalenam vocat meretricem. ver. 9.

ipſe publico officio, & quæſtu relicto, ſequebatur: ſic præparatum animum, atque præmeditatum oſtendens, ſic ab omni ſæculari negotio ſeipſum abrumpens, mirabili hac obedientia teſtimonium vocanti perhibuit, quod opportunè ipſum vocauerit. Hæc ad verbum Chryſoſt. hom. 31. in Matt. Matthæus vocationem ſuam refert inter miracula; magnum enim miraculum fuit, quod Publicanus factus eſt Apoſtolus. Hoc Tho. in catena Matt. 9. ex Gloſſa.

Chryſoſt.

Tho.

Hier. Hieron. Matth. 9: Arguit hoc loco Porphyrius, &c. vt lect. 8. die 21. Sept.

Greg. Greg. lib. 18. Moral. cap. 16: Solent hæretici de iuſtitiæ ſuæ contra nos elatione gloriari, atque opera oſtentationis inflatione iactare: nosque iniquos, vt diximus, aut eſſe, aut fuiſſe criminantur. Per humillimam ergo confeſſionem, & veracem defenſionem contra eos, vir ſanctus loquitur, dicens: Ferrum de terra tollitur. Ac ſi aperte dicat: Fortes viri, qui acutiſſimis linguarum gladijs, in hac acie defendẽdæ fidei ferrum fiunt, aliquando terra, in infimis actionibus fuerunt. Peccanti quippe homini dictum eſt: Terra es, & in terram ibis, ſed de terra ferrum tollitur, cum fortis propugnator Eccleſiæ, à terrena, quam prius tenuit, actione ſeparatur. Non ergo in eo debet deſpici quicquid fuit, qui iam cœpit eſſe, quod non fuit. An non Matthæus in terra inuentus eſt, qui terrenis negotijs implicatus, Telonij vſibus ſeruiebat? Sed de terra ſublatus in fortitudinem ferri conualuit; cuius videlicet lingua, quaſi acutiſſimo gladio, Euangelij adminiſtratione, Dominus infidelium corda transfixit, & qui infirmus prius, deſpectuſque fuerat, per terrena negotia, fortis poſtmodum factus eſt ad cœleſtia prædicamenta.

Non eſt contẽnendus, qui ſe a terrenis ſeparauit.

Greg. Et cap. 4. lib. 4. expoſ. lib. 1. Reg: Seruum quoque Rex Regum tulit, quando à Telonij lucro Matthæum ad ſe ſequendum vocauit. In opere ſuo hunc etiam poſuit, quia & in domo ſua conuiuium præbuit, & Æthiopiæ prædicatorem, & conuerſi orbis Euangeliſtam fecit.

Baſ. Baſil. regul. fuſius diſput. inter. 8: Matthæus è telonio ipſo ſurrexit, & Dominum ſecutus eſt: qua in re non lucra modo reliquit, ſed pericula etiam contempſit, quæ ipſi, totique ipſius familiæ, à ciuitatis magiſtratibus imminebant, quod redemptorum à ſe vectigalium rationes diſcedens non confectas reliquiſſet.

Not. 2. ver. 4.

Hier. HIER. Matth. 9: Videbant Publicanum à peccatis, &c. vt lect. 9. die 21. Sept.

Aug. Aug. lib. 2. de conſ. Euang. cap. 27: Sequitur itaque Matthæus, & dicit: Et factum eſt diſcumbente eo, &c: Hæc Matthæus non expreſſit, in cuius domo diſcumbebat Ieſus cum publicanis, & peccatoribus. Vnde poſſet videri non hoc ex ordine ſubiunxiſſe, ſed quod alio tempore factum eſt, recordatus interpoſuiſſe, niſi Mat. & Lucas, qui hoc omnino ſimiliter narrant, manifeſtarent in domo Leui, hoc eſt, Matthæi diſcubuiſſe Ieſum, & dicta illa omnia, quæ ſequuntur. Mar. enim idem dicit eundem ordinem ſeruans. Cum ergo dicit, in domo illius, exprimit vtique illum, de quo ſuperius loquebatur, id eſt, Leui. Sic & Lucas, cum dixiſſet, ait illi: Sequere me, &c. continuo ſubiecit: Et fecit ei conuiuium magnum Leui, in domo ſua, &c. Manifeſtum eſt itaque, in cuius domo iſta gerebantur. Iam ipſa verba videmus, vel quæ à Domino dicta, vel quæ ab illo reſponſa ſunt; omnes iſti tres Euangeliſtæ poſuerunt. Matthæus: Et videntes, inquit, Phariſæi dicebant diſcipulis, &c. ver. 6
Totidem pene verbis, hoc ait & Mar. Prætermiſſum eſt à Matthæo, quod iſte addidit: Et bibit. Sed quid ad rem, cum plena ſit ſententia, inſinuans pariter conuiuantes? Lucas autem aliquando differentius, hoc videtur commemoraſſe: Et murmurabant, &c. Non vtique Magiſtrum eorum volens illic intelligi; ſed ſimul omnibus & ipſi, & diſcipulis eius hoc obiectum inſinuans. Non tamen ei dictum, ſed illis, quod & de ipſo, & de illis acciperetur. Nam vtique & ipſe Luc. ita dicit Dominum reſpondiſſe: Non ver. 9
veni vocare iuſtos, &c. Quod non eis reſpondiſſet, niſi quod dixerunt: Manducatis, & bibitis? ad ipſum maximè pertineret. Propterea etiam Matt. & Mar. de illo diſcipulis eius hoc obiectum eſſe narrarunt: quia & cum de diſcipulis dicebatur, Magiſtro magis obijciebatur, quē ſectando imitabantur. Vna ergo ſententia eſt, & tanto melius inſinuata, quanto quibuſdam verbis, manente veritate, variata. Item quod ver. 5.
Matthæus refert Dominum reſpondiſſe: Non eſt opus valentibus, &c. Mar. quoque, & Luc. eiſdem pene verbis eandem ſententiam tenuerunt; ver. 8
niſi quod ambo non interponunt illud ex Propheta teſtimonium. Luc. autem cum dixiſſet: Non enim veni vocare, &c. addidit: in ver. 30
pœnitentiam: quod ad explanandam ſententiam valet, ne quiſquam peccatores ob hoc ipſum, quod peccatores ſunt, diligi arbitretur à Chriſto: cum & illa ſimilitudo de ægrotis, bene intimet, quid velit Deus vocando peccatores, tanquam medicus ægrotos vtique, vt ab iniquitate tanquam ab ægritudine, ſalui fiant: quod fit per pœnitentiam. Et cap. 28. eiuſdem lib. Matth. in conuiuio domus ſuæ, tanquam de alio narrauit Euangeliſtarum more, quod de ſe, in domo ſua, geſtum erat. Aug.

CAP. 39. *Cur* IESV *diſcipuli non ieiunent.*

Matt. 9.	*Mar. 2.*	*Luc. 5.*	*Ioan.*
	1 ET erant diſcipuli Ioannis, & Phariſæi ieiunantes.		
2 TVnc acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis, dicentes: Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter: diſcipuli autem tui non ieiunant?	2 Et veniunt, & dicunt illi: Quare diſcipuli Ioãnis, & Phariſæorum ieiunant: tui autem diſcipuli non ieiunant?	2 AT illi dixerunt ad eum: Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum: tui autem edunt, & bibunt?	
3 Et ait illis Ieſus: Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus?	3 Et ait illis Ieſus: Nunquid poſſunt filij nuptiarum, quamdiu ſponſus cum illis eſt, ieiunare?	3 Quibus ipſe ait: Nunquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere ieiunare?	
	4 Quanto tempore habent ſecum ſponſum, nõ poſſunt ieiunare.		
5 Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt.	5 Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt in diebus illis.	5 Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus.	
		6 Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos.	
7 Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à veſtimento, & peior ſciſſura fit.	7 Nemo aſſumentum panni rudis, aſſuit veſtimento veteri: alioqui aufert ſupplementum nouum à veteri, & maior ſciſſura fit.	7 Quia nemo commiſſuram à nouo veſtimento immittit in veſtimentum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commiſſura à nouo.	
8 Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt.	8 Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin dirumpet vinum vtres, & vinum effundetur, & vtres peribunt.	8 Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpet vinum nouum vtres, & ipſum effundetur, & vtres peribunt.	
9 Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt: & ambo conſeruantur.	9 Sed vinum nouum in vtres nouos mitti debet. (Et factum eſt iterum. cap. 44.	9 Sed vinum nouum in vtres nouos mittendum eſt, & vtraque conſeruantur.	
		10 Et nemo bibens vetus, ſtatim vult nouum, dicit enim: Vetus melius eſt. (Factum eſt autem. cap. 44.	

Not. 1.

Ratio diſpoſitionis. QVIN hic ponenda ſit iſta diſputatio de ieiunio, dubitandum non eſt: quoniam ex eo eſt orta, quod Dominus cum ſuis diſcipulis, & alijs, in domo Leui diſcumberet: Ideoque tres Euangeliſtæ hic eam narrant. Lucas inſinuat illos ipſos Phariſæos, qui murmurauerant, interrogaſſe: quia nimirum Ioannis diſcipulos ad id petendum inſtigarunt: quibus Phariſæorum diſcipuli, & ipſi etiam Phariſæi ſe coniunxerunt. Matth. vero diſcipulos Ioannis interrogantes facit: quia hi præcipuè interrogarunt. Marcus autem vtroſque: & ſic nulla eſt diſſonantia.

Ver. 2.

AVG. lib. 2. de conſ. cap. 27: Item quod dicit Matthæus: Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis, &c. Marcus ſimiliter intulit, dicens: Et erant diſcipuli Ioannis, &c: Niſi quod iſte putari poteſt addidiſſe Phariſæos, quod ſimul cum diſcipulis Ioannis hoc dixerunt, cum Matth. tantum diſcipulos Ioannis hoc dixiſſe perhi- *Aug.* *Qui hoc propoſuerint.*

perhibeat. Sed verba ipſa, quæ illos dixiſſe apud Mar. legitur, magis indicant alios hoc dixiſſe de alijs, i. conuiuas, qui aderant, veniſſe ad Ieſum, quia ieiunabant diſcipuli Ioannis, & Phariſæi, & hoc ei de illis dixiſſe, vt quod ait: Veniunt, non de ipſis dixerit, de quibus interpoſuerat; & erant diſcipuli Ioannis, & Phariſæi ieiunantes: ſed cum iſti eſſent ieiunantes, veniunt illi, quos hoc monet, & dicunt illi: Cur diſcipuli Ioannis, & Phariſæi ieiunant, tui autem non ieiunant. Quod Lucas euidentius expreſſit, ita, hoc idem intimans, cum dixiſſet, quid eis reſponderit Dominus de vocatione peccatorum, tanquam ægrotorum. At illi, inquit, dixerunt ad eum: Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter, &c. Ergo & hic, ſicut Marcus, alios de alijs hoc dixiſſe narrauit. Vnde ergo Matt: Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis, dicentes: Quare nos, & Phariſæi ieiunamus? niſi quia & ipſi aderant, & omnes certatim, vt quiſque poterat hoc obiecerunt. Quorum ſententia diuerſo loquendi modo, ſed tamen à veritate non alieno, à tribus Euangeliſtis inſinuata eſt.

Hier.

Hieron. Matt. 9: Superba interrogatio, & plena ſupercilio Phariſæorum. Certè vt aliud non dicamus, reprehendenda ieiunij iactantia. Nec poterant diſcipuli Ioannis non eſſe ſub vitio, qui calumniabantur eum, quem ſciebant magiſtri vocibus prædicatum: & iungebantur Phariſæis, quos à Ioanne nouerant condemnatos: Generatio viperarum, quis oſtendit vobis fugere ab ira ventura? Vide Chryſoſt. ho. 31. in Matt. Amb. lib. 5. in Luc.

Diſcipuli Ioannis peccant hic multipliciter.

Matt. 3.

Chryſoſt. Amb.

Chryſol.

Chryſol. ſer. 31: Cum diſcipulis Ioannis, quæ ſocietas Phariſæis; niſi quia iunxerat inuidia, quos diſiunxerat diſciplina? Hic iam ſua perdit iura zelus: iunxit diſiungere conſuetus. Iudæi poſtponi Moyſen Domino non ferebant: diſcipuli Ioannis Chriſtum nolebant Ioanni vllatenus anteferri: ſic in Chriſtum fremebant vtriq; liuore communi. Quare nos, & Phariſæi ieiunamus? &c. Quare? quia penes vos eſt de lege, non de voluntate ieiunium: ieiunium non ieiunantem reſpicit, ſed lubentem. Et quis vobis ieiunij fructus eſt, qui ieiunium ieiunatis inuitum? Ieiunium eſt ſingulare ſanctitatis aratrum, colit corda, eradicat crimina, euellit delicta, vitia ſubruit, charitatem ſerit, copiam nutrit, parat innocentiæ meſſem. Diſcipuli ergo Chriſti in tota ſanctitatis ſegete conſtituti, & virtutum manipulos colligentes, habentes panem iam noui fructus, inueterata non poſſunt ieiunia ieiunare: quę iactantur verbis, pallore proponuntur, venditantur defectu: placent humanis oculis, non diuinis.

Not. 2. ver. 3.

Aug.

Fil'i ſponſi, & nuptiarum.

AVG. lib. 2. de conſ. cap. 27: Illud de ſponſi filijs, quia non ieiunabunt, quamdiu cum eis eſt ſponſus, ſimiliter interpoſuerunt Matth. & Mar. niſi quod Marcus filios nuptiarum appellauit, quos ille ſponſi; quod ad rem nihil intereſt. Filios quippe nuptiarum, non tantum ſponſi, ſed etiam ſponſæ intelligimus. Eadem ergo eſt aperta ſententia non altera. Lucas autem non ait: Nunquid poſſunt filij ſponſi ieiunare? ſed ait: Nunquid poteſtis filios ſponſi, quamdiu cum illis eſt ſponſus, facere ieiunare? In quo & ipſe, ad aliud quiddam inſinuandum eandem ſententiam eleganter aperuit. Sic enim intelligitur eoſdem ipſos, qui loquebantur fuiſſe facturos, vt lugentes ieiunarent filij ſponſi: quoniam ipſi eſſent ſponſum occiſuri. Quod autem dixit Matt. lugere, hoc Mar. & Luc. ieiunare, quia & illi poſtea tunc ieiunabunt, ait: Non; tūc lugebunt. Verum illo verbo ſignificauit de tali ieiunio Dominum loquutum, quod pertinet ad humilitatem tribulationis: vt illud alterum, quod pertinet ad gaudium mentis, in ſpiritalia ſuſpenſæ, atque ob hoc, alienatæ quodammodo à corporalibus cibis, poſterioribus ſimilitudinibus, Dominus ſignificaſſe intelligitur; de panno nouo, & vino nouo: id oſtendens, quod animalibus, atque carnalibus, circa corpus occupatis, & ob hoc veterem adhuc ſenſum trahentibus, hoc genus ieiunij non congruat. Quas ſimilitudines, & alij duo ſimiliter explicarunt.

Cur Lucas ait: Nunquid poteſtis? &c.

Lugere & ieiunare.

Ieiunium duplex.

ver. 5. 6.

Veſtimentum vetus, Vtres veteres.

Chryſol.

Chryſol. ſer. 31: Nunquid poſſunt filij ſponſi, &c. Quid eſt hoc? Interrogatus Ioannes ſponſum eſſe ſic teſtatus eſt Chriſtum: Qui habet ſponſam, &c. Conuenienter ergo diſcipulis Ioannis Magiſtri ſui voce reſpondit, vt vel illi crederent, & non cogerent tempora ſponſi læta triſtis intrare ieiunij: quia qui quærit ſponſam, ieiunia ſeponit, relinquit auſtera, totum ſe dat gaudijs, epulis, indulget: totus blandus, totus amabilis, totus feſtiuus incedit: & facit totum quod ſponſæ tenera requirit affectio. Chriſtus ergo qui tunc Eccleſiam deſponſabat, indulgebat ſe menſis: conuiuantibus ſe non negabat, humanum, comem, blandum ſe pia charitate reddebat; donec diuinis humana coniungeret; & faceret de terrena ſocietate cœleſte conſortium.

Io. 3.

Not. 3. ver. 5.

Aug.

Ieiunium duplex.

AVG. lib. 2. Quæſt. Euang. cap. 18: Ieiunium aut in tribulatione eſt, aut in gaudio. In tribulatione ad propiciandum Deum pro peccatis: in gaudio vero cum tanto minus delectant carnalia, quanto ſpiritalium maior ſagina eſt. Cùm ergo Dominus interrogatus eſſet, cur diſcipuli eius non ieiunarent, de vtroque ieiunio reſpondit. Namque ad illud quod in tribulatione ieiunari ſolet, pertinet quod ait: Sponſi filios, tunc ieiunaturos, cùm ab eis ablatus fuerit ſponſus: tunc enim deſolabuntur, & in mœrore, ac luctu erunt, donec eis per Spiritum ſanctum gaudia conſolatoria retribuantur. Quo dono percepto, etiam ieiunij alterum genus, quod fiat per lætitiam iam renouati in vitam ſpiritalem conuenientiſſimè celebrabunt. Quod antequam accipiant, dicit eos tanquam vetera veſtimenta, quibus inconuenienter nouus pannus aſſuitur, id eſt, aliqua particula doctrinæ, quæ ad nouæ vitæ temperantiam pertinet: quia ſi hoc fiat, & ipſa

ver. 5.

ver. 7

Nouus pannus quid ſit.

& ipſa doctrina quodammodo ſcinditur, cuius particula, quæ ad ieiunium ciborum valet, importune traditur: cum illa doceat generale ieiunium, non à concupiſcentia ciborum tantum; ſed ab omni lætitia temporalium delectationum. Cuius quaſi pannum, id eſt, partem aliquam, quæ ad cibos pertinet, dicit non oportere hominibus adhuc veteri conſuetudini deditis impertiri: quia & illinc quaſi conciſio videtur fieri, & ipſi vetuſtati non conuenit. Dicit etiam ſimiles eos eſſe veteribus vtribus, quos vino nouo, id eſt, ſpiritalibus præceptis, facilius dirumpi, quam illud continere poſſe dicit. Erant autem iam vtres noui cum poſt aſcenſum Domini deſiderio conſolationis eius orando, & ſperando innouabantur. Tunc enim acceperunt Spiritum ſanctum, quo impleti, cum omnium, qui de diuerſis gentibus aderant, linguis loquerentur, dicti ſunt muſto pleni. Nouum enim vinum iam nouis vtribus venerat.

(*Margin:* ver. 8. — Vinum nouum, quid ſit. — ver. 9. — Act. 2.)

Ver. 7.

(*Margin:* Chryſol.) CHRYSOL. ſer. 31: Antiquæ legis ſuppellectilem dicit Iudaicis ſtudijs attritam; corruptis ſenſibus, ſectis ſciſſam, impuris actibus obſoletam. Pannum rudem Euangelij nuncupat indumentum. Sed audi pannum, non ſciſſuræ partem, ſed principium texturæ. Tunc enim primum regalis indumenti tela de Chriſti vellere texebatur, de vellere, quod dabat agnus: Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Texebatur autem regium veſtimentum, quod in purpureum fulgorem cruor tingeret paſſionis. Merito ergo Chriſtus hunc pannum rudem Iudaicæ vetuſtati prohibebat immitti: ne peior ſciſſura fieret, ſi Iudaicam vetuſtatem nouitas ſcinderet Chriſtiana.

(*Margin:* Io. 1.)

Not. 4. ver. 8. 9.

(*Margin:* Baſ.) BAS. hom. in Pſal. 32: Vtres noui in Euangelio nominantur, qui de die in diem vitæ genus renouant, & vinum nouum de vera vite capiunt. Qui verò veterem hominem nondum depoſuerunt, vtres ſunt veteres, quibus neutiquam commodè credi poſſit infuſio vini. Nulla iam venia digni, ſi bonum, ac nouum effundant merum. Nouum inſuper & ſpiritnale vinum, vt quod Spiritu ſancto efferueſcit, nimirum veritatis intelligentiam nondum exoleſcentem vetuſtate erroris, mittere conuenit in hominem nouum, qui quod perpetuo Domini noſtri Ieſu Chriſti mortificationem in corpore fert ſuo, iure nouus dici poſſit vter.

(*Margin:* Vtres noui — Vtres veteres. — Vinum nouum. — Vter nouus.)

(*Margin:* Iſidor.) Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 57: Eos, qui in vetuſtate computruerunt, nouamque gratiam reiecerunt, vtres veteres Dominus appellauit, vt qui frangerentur, ac nouum regni ſermonem effunderent. Quo in genere fuiſſe Caiphas deprehenſus eſt. Nam cum à Domino audijſſet, filius Dei ſum, fregit veſtimenta. At vero Petrus, qui ſpiritus vitæ legem acceperat, non modò, cùm doceretur, non renuit; verùm etiam ad ſolam interrogationem confeſſus eſt, in hoc videlicet inſitam veritatis cognitionem oſtendens.

(*Margin:* Matt. 9. — Matt. 26.)

(*Margin:* Bern.) Bern. ſerm. 3. in die Pentec: Vere ebrij vino, ſed non eo, quo ab incredulis ebrij credebantur. Planè, inquam, ebrij: ſed vino nouo, quod veteres quidem vtres, nec mererentur accipere, nec continere valerent. Hoc enim vinum vera illa vitis fuderat de excelſo, vinum lætificans cor, non ſtatum mentis euertens; vinum germinans virgines, non apoſtatare faciens etiam ſapientes. Nouum vinum; ſed habitantibus ſuper terram. Nam in cœlis quidem olim copioſiſſimè redundabat, non in vtribus, nec in teſteis vaſis: ſed in cella vinaria: in ſpiritalibus apothecis, fluebat per vicos, & plateas omnes illius ciuitatis vinum, in quo lætitia cordis, non carnis luxuria eſt. Nam terrigenæ, & filij hominum vinum eiuſmodi non habebant. Sic igitur cœlum quidem vino proprio fruebatur, quod terra interim neſciebat. Sed ne ipſa quidem penitus inops, carne Chriſti gloriabatur; cuius præſentiam nihilominus cœlum ſitiebar. Quidni fideliſſimum fieret, grauiſſimumque commercium inter cœlum, & terram; inter Angelos, & Apoſtolos; vt exhiberetur illis caro Chriſti, iſtis vinum cœli; eſſetque in terra ſpiritus, caro in cœlis, ac deinceps omnia omnibus communia in æternum?

(*Margin:* Chryſol.) Chryſol. ſerm. 31: Geminat exemplum, dicens: Neque mittunt vinum nouum, &c. Vtres veteres Iudæos vocat: nouos vtres nuncupat Chriſtianos: quia ſicut vtres pellium ab omni ſquallore purgantur, & pigmentis liniuntur odoratis, vt ſaporem vini poſſint inuiolabilem cuſtodire: ita ieiunijs corpora humana ab omni carnalium delictorum ſquallore purgantur: & fiunt vtres diuinis torcularibus apti: vt de prælo crucis accipiant vinum nouum: & incorruptam nouitatem conſeruent. Sed hoc ſicut accipiunt Chriſtiani; ita Iudæi, niſi Chriſtiani fuerint, non habebunt: qui corrupti vitijs, & inueterati malis vinum nouum, quod ad Euangelij verbum, ſi acceperint, & rumpuntur, & fundunt. Agnoſcendum eſt ergo, quia Chriſtus per exempla hæc non diſcipulos ſuos noluit ieiunare: ſed noluit ieiunium verum fraudulento miſcere ieiunio.

Ver. 10.

Marcus, & Lucas, occaſione huius calumniæ, de ieiunio, aliam de auulſione ſpicarum, iiſque confrictis, ſubijciunt: quæ tamen non hic, & nunc; ſed paulo poſt Paſcha, cum Dominus eſſet in Iudæa, vel ex ea reuerteretur, contigit.

Cap. 40. *Suſcitatur filia Iairi, & mulier à ſanguinis fluxu liberatur.*

Matt. 9. *Dom. 23. poſt Pent.*	*Mar. 5.*	*Luc. 8.*	*Ioan.*
1 HÆc † illo loquente ad eos, ecce princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens:	1 c. 36.) ET venit quidam de Archiſynagogis, nomine Iairus; & videns eum, procidit ad pedes eius; & deprecabatur eũ multum, dicens:	1 c. 36.) ET ecce venit vir, cui nomẽ Iairus, & ipſe princeps ſynagogæ erat; & cecidit ad pedes Ieſu, rogans eum.	
2 Domine, filia mea modò defuncta eſt; ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet.	2 Quoniam filia mea in extremis eſt, veni, impone manum ſuper eam, vt ſalua ſit, & viuat.	2 Vt intraret in domum eius; quia vnica filia erat ei fere annorum duodecim, & hæc moriebatur.	
3 Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius.	3 Et abijt cum illo, & ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.	3 Et contigit, dum iret, à turbis comprimebatur.	
4 Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxu patiebatur duodecim annis.	4 Et mulier, quæ erat in profluxu ſanguinis annis duodecim.	4 Et mulier quædam erat in fluxu ſanguinis, ab annis duodecim.	
	5 Et fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis, & erogauerat omnia ſua, nec quicquam profecerat.	5 Quæ in medicos erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab vllo potuit curari.	
	6 Sed magis deterius habebat.		
7 Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius.	7 Cum audiſſet de Ieſu, venit in turba retrò, & tetigit veſtimentum eius.	7 Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius.	
8 Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantum veſtimentum eius, ſalua ero.	8 Dicebat enim: Quia ſi vel veſtimentum eius tetigero, ſalua ero.		
	9 Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis eius: Et ſenſit corpore, quia ſanata eſſet à plaga.	9 Et confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius.	
10 At Ieſus conuerſus.	10 Et ſtatim Ieſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo, conuerſus ad turbam, aiebat: Quis tetigit veſtimenta mea?	10 Et ait Ieſus: Quis eſt qui me tetigit?	
	11 Et dicebant ei diſcipuli ſui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit?	11 Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?	
		12 Et dixit Ieſus: Tetigit me aliquis: nam ego noui virtutẽ de me exijſſe.	
	13 Et circumſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.		
	14 Mulier vero timens, & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum, &	14 Videns autem mulier, quia non latuit, tremẽs, venit, & procidit ante pedes eius; & ob quam	

Matt. 9.	*Mar. 5.*	*Luc. 8.*	*Ioan.*
	dixit ei omnem veritatem.	cauſam tetigerit eum, indicauit coram omni populo; & quemadmodum confeſtim ſanata ſit.	
15 Et videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora.	15 Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te ſaluam fecit; vade in pace, & eſto ſana à plaga tua.	15 At ipſe dixit ei: Filia, fides tua ſaluam te fecit; vade in pace.	
	16 Adhuc eo loquente, veniunt ad Archiſynagogum, dicentes: Quia filia tua mortua eſt, quid vltra vexas magiſtrum?	16 Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem ſynagogæ, dicens ei: Quia mortua eſt filia tua, noli vexare illum.	
	17 Ieſus autem audito verbo, quod dicebatur, ait Archiſynagogo: Noli timere, tantummodo crede.	17 Ieſus autem audito hoc verbo, reſpondit patri puellæ: Noli timere, crede tantum, & ſalua erit.	
18 Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem.	18 Et non admiſit quenquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Iacobũ, & Ioannem fratrem Iacobi, & veniunt in domum Archiſynagogi, & videt tumultum, & flentes, & eiulantes multum.	18 Et cùm veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum quenquam, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ. Flebant autem omnes, & plangebant illam.	
19 Dicebat: Recedite, non eſt enim mortua puella; ſed dormit. Et deridebant eum.	19 Et ingreſſus, ait illis: Quid turbamini, & ploratis? puella non eſt mortua; ſed dormit. Et irridebant eum.	19 At ille dixit: Nolite flere, non eſt mortua puella; ſed dormit. Et deridebant eum, ſcientes quod mortua eſſet.	
20 Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manum eius. Et ſurrexit puella.	20 Ipſe verò eiectis omnibus, aſſumit patrem, & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur, vbi puella erat iacẽs; & tenens manum puellæ, ait illi: Tabitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella, tibi dico, ſurge. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat.	20 Ipſe autem tenẽs manum eius, clamauit, dicens: Puella, ſurge. Et reuerſus eſt ſpiritus eius, & ſurrexit continuo.	
	2 Erat autem annorum duodecim.		
	21 Infra.	21 Et iuſſit illi dari manducare.	
	22 Et obſtupuerunt ſtupore magno; & præcepit illis vehementer, vt nemo id ſciret.	22 Et ſtupuerunt parentes eius, quibus præcepit, ne alicui dicerent, quod factum erat.]	
	21 Et dixit dari illi manducare.]	(Conuocatis autem Ieſus. cap. 68.	
23 Et exijt fama hæc in vniuerſam terram illã. ✝	(Et egreſſus inde. cap. 66.		

Not. 1.

Diuiſe. PRÆSENS caput duplex habet Chriſti miraculũ: vnum de Hæmorrhoiſſa; alterum de Archiſynagogi filia. Illic fluxus ſanguinis in via ſiſtitur: hic mortua in ædibus vitę redditur. Vtrobique præſens eſt Domini virtus, & bonitas. Vtrumque miraculum eſt circa duas mulieres, quę Gẽtes, & Iudæos ex ſententia patrum ſignificant. Vna eſt ſenex, alia iuuenis: Illa ſanatur in via, hæc in domo ſuſcitatur. De hoc argumento vide Chryſol. ſerm. 33. 34. 35. & 36. Chryſol.

 Aug.

Aug. Ratio diſpoſitionis. Tres hoc deſcribũt.

Aug. lib. 2. de conſ. cap. 28: Sequitur deinde Matt. adhuc ordinem temporum ſeruans. Hęc illo loquente ad eos, ecce Princeps vnus acceſſit, &c. vſque ad illud vbi ait: Et exijt fama hæc in vniuerſam terram illam. Dicunt hoc, & alij duo Mar. & Luc. ſed ab iſto ordine iam recedunt. Alibi enim hoc recordantur, atque inſerunt, id eſt, eo loco vbi redit transfretando à regione Geraſænorum, poſt expulſa, & in porcos permiſſa dæmonia. Nam hoc Mar. coniungit, poſt illud apud Geraſænos factum. Ac per hoc intelligendum eſt hoc quidem de Archiſynagogi filia factum eſſe, cum tranſcendiſſet Ieſus in naui rurſus trans fretum, ſed quanto poſt non apparet. Niſi enim fuiſſet interuallum non eſſet quando fieret: quomodo narrauit Matthæus in conuiuio domus ſuæ, poſt quod factum, nihil aliud continuo ſequitur, quam hoc de Archiſynagogi filia. Sic enim ipſe contexit, vt ipſe tranſitus apertè indicet hoc conſequenter narrari, quod & conſequenter factum eſt. Quandoquidem cum ſuperius cõmemoraſſet, quæ de panno nouo, & de vino nouo Ieſus dixerit, continuo ſubiecit. Hæc illo loquente ad eos, ecce Princeps vnus acceſſit. Ac per hoc, ſi hæc illo loquente acceſſit, nihil aliud factorum, dictorumque eius interpoſitum eſt. In narratione autem Marci patet locus, vbi interponi alia potuerint, ſicut iam oſtendimus. Similiter & Lucas, cum poſt narratum apud Geraſænos miraculum, tranſit ad narrandum de Archiſynagogi filia, non ſic tranſijt, vt renitatur Matthæo, qui poſt illas de panno, & vino ſimilitudines, hoc geſtum eſſe demonſtrat, dicendo: Hæc illo loquẽte. Ipſe quippe cum terminaſſet, quod apud Geraſænos factum narrauerat, hoc modo tranſit in aliud. Factum eſt autẽ, inquit, cum rediſſet Ieſus, excepit illum turba: Erant enim omnes expectantes eum. Et ecce vir, cui nomen Iairus, &c. Et ſic intelligitur quod turba quidem illa, continuo excepit Dominum, quippe quem rediturum expectabat. Quod vero adiunxit: Et ecce vir, cui nomen Iairus; non continuo factum accipiendum eſt, ſed prius illud, de conuiuio Publicanorum: ſicut narrat Matt. Cui rei ſic coniungit hoc, vt non poſſit aliud factum conſequenter intelligi.

Auct.

Propter aduerbium, ecce, apud Luc. videtur ſignificari miraculum hoc, ſtatim cum iam nauim Dominus egreſſus eſſet, contigiſſe. Græcis in Marco etiam eſt idem aduerbium: Et ecce venit quidam. Vnde videtur ſignificari Iairum, acceſſiſſe Dominum, cum rediens à Geraſænis, adhuc circa mare conſiſteret. Aliud tamen ex Matth. eſt euidens; qui hoc loco præſentem hiſtoriam collocandam ſignificat. Dicit enim veniſſe Iairum, Hęc eo loquente, in domo Leui, vt obſeruant Aug. Tho. & alij. Nec diſſentit à Mar. & Luc. Hi enim tantum ſignificant, poſt illum reditum à Geraſænis veniſſe Iairum. Et quid mirum, ſi narrauerit quaſi eodem die venerit, cum pauciſſima prius narrata, & pauciſſimi dies interceſſerint. Sicque veriſimile Marcum cum omiſſa repetendo ad littus perueniſſet, eius occaſione Iairi recordatum; & ob propinquitatem rerum, ac temporum, ſic quaſi ſimul contigiſſet ſubiecisse. Itaque Marcus & Luc. Matthæo non aduerſantur, ſed potius ordinem eius confirmant, docentes Iairum ad hoc mare poſt hiſtoriam Geraſænorum veniſſe.

Aug. Tho.

Tres concordant.

Not. 2. ver. 1.

Aug. Cur Iairi nomen exprimatur.

Avg. lib. 2. de conſ. cap. 65: Quod nomen alicuius commemoretur, non facile occurrit in tot ſanatis à Domino; niſi cum Iairum Archiſynagogum etiam nomine expreſſit; cuius filiam reſuſcitauit Ieſus. In quo etiam magis iſte ſenſus apparet, quia & ille Archiſynagogus vtique in loco illo nobilis fuit.

Ver. 2.

Aug. Vt filia erat mortua, & in extremis.

Et cap. 28: Cum Matth. Archiſynagogum non morituram, vel morientem, vel in extremo vitæ poſitam filiam ſuam narrat Domino nunciaſſe, ſed omnino defunctam: illi autem duo morti iam proximã, nondum tamen mortuam, vſque adeo, vt dicant veniſſe, poſtea qui mortuam nunciarent, & ob hoc iam non debere vexare Magiſtrum: tanquam ſic veniret, vt manum imponendo mori non fineret, non vt qui poſſet mortuam ſuſcitare. Conſiderandum eſt, ne repugnare videatur, & intelligendum eſt breuitatis cauſa Matt. hoc potius dicere voluiſſe rogatum eſſe Dominum, vt faceret, quod eum feciſſe manifeſtum eſt, vt ſcilicet mortuam ſuſcitaret: attendit enim non verba patris de filia ſua, ſed quod eſt potiſſimum voluntatem: & talia verba poſuit, qualis voluntas erat. Ita enim deſperauerat, vt potius eam vellet reuiuiſcere, non credens viuam poſſe inueniri, quam morientem reliquerat. Duo itaque poſuerunt quid dixerit Iairus: Matth. autem quid voluerit, atque cogitauerit. Vtrumque ergo petitum eſt à Domino, vt vel morientem ſaluam faceret, vel mortuam ſuſcitaret, ſed cum inſtituiſſet Matt. totum breuiter dicere, hoc inſinuauit patrem rogantem dixiſſe, quod & ipſum certum eſt voluiſſe, & Chriſtum feciſſe. Sane ſi illi duo, vel quiſquam eorum, patrem ipſum commemoraſſet dixiſſe, quod ſui de domo venientes dixerant, vt iam non vexaretur Ieſus, quod puella mortua fuiſſet, repugnarent eius cogitationi verba, quæ poſuit Matth. Nunc vero & illud ſuis nunciantibus, & prohibentibus, ne iam Magiſter veniret, non legitur quod ille conſenſerit. Ac per hoc, & illud quod ei Dominus ait: Noli timere, crede tantum, & ſalua erit: non diffidentem reprehendit, ſed credentem robuſtius confirmauit. Talis quippe in eo fides erat, qualis & in illo qui ait: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Quæ cum ita ſint, per huiuſmodi Euangeliſtarum loquutiones varias, ſed non contrarias rem plane vtiliſſimam diſcimus, & per neceſſariam: nihil in cuiuſque verbis nos debere inſpicere niſi voluntatem, cui debent verba ſeruire. Nec mentiri quempiam ſi alijs verbis dixerit, quid ille voluerit,

t ſolos.

Iairus non videtur ſerui conſilio aſſenſus.

ver. 16

Iairi fides imperfecta. cap. 9. ver. 24.

In verbis mens loquentis eſt conſideranda, voluerit, cuius verba non dicit: neque miſeri aucupes vocum, apicibus quodammodo litterarum putent ligandam eſſe veritatem, cum vtique non in verbis tantum; ſed etiam in cæteris omnibus ſignis animorum, non ſit niſi ipſe animus inquirendus.

Vict. Victor Antiochen. Mar. 5: Quam Matth. mortuam, Mar. grauiter ægrotantem, & tantum non animam agentem aſſerit. Quare paulo poſt de Archiſynagogi familia venere, qui Domino iter adhuc carpente puellam vita defunctam denunciarunt; ideoque Magiſtrum eius rei gratia amplius vexare ſuperuacaneum videri, atque hæc quidem ita habent. Verum

2 ſolut. nulla eſt repugnantia: ſiquidem Matth. miraculum hoc exponens, vnum breuiter per alterum deſignat. Ex hoc namque quod Dominus mortuam exſuſcitauit, vtrumque inferre licuit: nempe & mortem obijſſe, & in extremis laboraſſe adoleſcentulam. Matth. ergo exacta illa narratione miſſa, Dominũ operam ſuam pollicitum, vna cum diſcipulis mortuam exſuſcitatum abijſſe ſcribit.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 32. in Matth. quod ſi Lucas ſcribit veniſſe quoſdam qui dixerant: Noli ve-

1. ſolut. xare magiſtrum: mortua enim puella eſt. Dicemus quod illud: Modo defuncta eſt, à tempo-

3. ſolut. re itineris conijcientis erat modo mortuam eſſe; aut forſan calamitatem amplificantis. Nam qui re aliqua indigent, ſolent verbis ærumnas ſuas augere, & maiores facere, vt exorent.

Eut. Euth. Matth. 9: Hic princeps erat ſynagogæ Iudæorum, Iairus appellatus, vt dicunt Mar. & Luc. Reliquerat autem filiam ſuam iam iam

2 ſolut. morituram. Nam Marcus eum dixiſſe commemorat: Filiola mea in extremis eſt. Luc. verò quod etiam moriebatur. Itaque modo defuncta eſt, dixit coniectando. Suſpicabatur enim,

4 ſolutio quod tunc iam omnino mortua eſſet. Veriſimile eſt autem primum dixiſſe eum: In extremis eſt. Deinde: Modo defuncta eſt, ſiue iam expi-

Iairus duo petebat fides eius imperfecta rauerit: Duo autem petebat: vt veniret, & manum imponeret vtpote craſſius affectus. Itaque non eſt improbabile, à Iairo vtrumque dictum eſſe; prius quidem filiam eſſe in extre-

4 ſolut. mis, & poſtea quod defuncta eſſet. Dici etiam

1 ſolut. poteſt, quod Matth. breuitati ſtudens petitionem tantum vltimam poſuerit, vt obſeruauit Aug. quam filiæ nunciata morte fecit, ſaltem re, & fide, ſi non verbis; dum credens ſequeretur, non obſtante nunciorum infidelitate.

Hilar. Hilar. can. 9. in Matth: Princeps hic lex eſſe intelligitur, quæ Dominum orat: plebs, quam ipſa Chriſti prædicatio aduentus eius, expectatione nutriuerat, vitam mortuæ reddat. Nam nullum principem credidiſſe legimus. Ex quo perſona principis huius orantis merito in typum legis aptabitur. Cui quidem Dominus opem ſpopondit, ad quam præſtandam profectus eſt. Sed prior cum Apoſtolis peccatorum turba ſaluatur. Et cùm primum electionem, quæ ex lege deſtinabatur viuere oportuiſſet, anterior tamen in mulieris ſpecie ſalus publicanis, & peccatoribus redditur. Hæc itaque ad Domini prætereuntis occurſum tactu veſtis Domini ſanam ſe de profluuio ſanguinis futuram eſſe confidit: ſordibus ſcilicet polluta corporis ſui, & interioris vitij immundicijs diſſoluta, fimbriam veſtis per fidem feſtinat attingere, donum videlicet Spiritus ſancti de Chriſti corpore modo fimbriæ exeuntis cum Apoſtolis conuerſata contingere, fitque mox ſana. Ita alteri ſalus, dum alij defertur eſt reddita. Cuius fidem & conſtantiam Dominus laudauit: quia quod Iſraeli parabatur, plebs gentium occupauit. Eſt autem in ſimplici intelligentia magna virtutis Dominicæ admiratio: cùm poteſtas intra corpus manens rebus caducis efficientiam adderet ſanitatis, & vſque in veſtium fimbrias operatio diuina procederet. Non enim diuiſibilis, & comprehenſibilis erat Deus, vt corpore clauderetur. Ipſe enim dona in ſpiritu diuidit, cæterùm non diuiditur in donis. Virtutem autem eius fides vbique conſequitur: quia vbique eſt, & nuſquam abeſt. Et aſſumptio corporis non naturam virtutis incluſit, ſed ad redemptionem ſuam, fragillitatem corporis virtus aſſumpſit: quæ tam infinita, tam libera eſt, vt etiam in fimbrijs eius humanæ ſalutis operatio contineretur. Ingreditur deinde Dominus domum principis; ſynagogam videlicet, cui in canticis legis hymnus luctum perſonabat: & irridetur à plurimis. Nunquam enim illi Deum in homine crediderunt, quin potius prædicari reſurrectionem ex mortuis riſerunt. Apprehenſam igitur puellam manu, cuius apud ſe mors erat ſomnus retraxit ad vitam. Atque vt ratus hic eſſe ex lege credentium electionis numerus intelligi poſſet turba omnis expulſa eſt, quam vtique ſaluari Dominus optaſſet: ſed irridendo dicta geſtaque eius reſurrectionis non fuit digna conſortio. Et exeunte fama in vniuerſam terram illam poſt electionis ſalutem domum Chriſti, atque opera prædicantur.

Not. 3. ver. 4.

EVTH. Matt. 9. & Mar. 5: De muliere ſanguinis profluuio laborante latius, planius, & manifeſtius propoſuit Luc. Matt. tanquam breuitatis amator, quæ in medio contigerunt prætermiſit, miraculum ſolum manifeſtans: Luc. vero accurate omnia ſcripſit. Eut. Matt. hic breuior eſt aliis.

Victor Antioch. Mar. 5: Quin hoc quoque ſignum, de muliere ſanguinis fluxum patiente, Matt. compendio abſoluit. Multa namque prętermittit ille, quæ Mar. addit. Vict. Matt. hic breuior eſt alijs.

Chryſoſt. hom. 32. in Matt: Lucas multo plura de muliere nobis narrauit. Chryſoſt. Lucas plura dicit.

Ver. 6.

EVTHY. Luc. 8: Mar. addidit, quod non ſolum à Medicis, in nullo adiuta fuerat, verum etiam magis in deterius venerat. Eut.

Ver. 9.

Cyr. CYRIL. lib. 4. in Leuit: Igitur ſacrificium propter quod hæc omnia, &c. immolatus eſt Chriſtus. *Caro Chriſti ſanat.* Huius ſacrificij carnem, ſi quis tetigerit, continuo ſanctificabitur, ſi immundus eſt; ſanabitur, ſi in plaga eſt. Sic intellexit illa, quæ profluuium ſanguinis patiebatur, quia ipſe eſſet caro ſacrificij, & caro ſancta ſanctorum, idcirco acceſſit & ipſa. Ipſam quidem carnem ſanctam contingere non audet: nondum enim mundata fuerat; neque quæ perfecta ſunt apprehenderat: *Quid tangere carnẽ Chriſti.* ſed fimbriam tetigit veſtimenti, quo ſancta caro tegebatur. Et fideli tactu virtutem elicuit ex carne, quæ ſe ab immundicia ſanctificaret, & plagam, quam patiebatur, ſanaret. Non tibi videntur iſto magis ordine verba ſtare poſſe, quibus per Moyſen dicit: Omnis qui tetigerit ex carnibus ſanctis, ſanctificabitur? Has enim carnes, quas nos expoſuimus, tetigerunt omnes, qui ex gentibus crediderunt. Has tetigit ille, qui dicebat: *Tit. 3.* Fuimus enim & nos ſtulti aliquando, &c.

Amb. Ambroſ. lib. 3. de virgin: Sperauit in eo illa, quæ fluxu ſanguinis laborabat, & continuo ſanata eſt: ſed quia fidelis acceſſit: & tu cum fide filia, *Fides mulieris.* vel fimbriam eius attinge. Iam ſecularium fluxus voluptatum modo torrentis exundans verbi ſalutaris calore ſiccabitur, ſi cum fide accedas tamen ſi pari deuotione diuini ſermonis extremam ſaltem fimbriam comprehendas, ſi tremens procidas ante Domini pedes. Vbi ſunt pedes verbi, niſi vbi eſt corpus Chriſti? O theſauris omnibus opulentior fides! ô virtutibus corporis omnibus fides fortior! ô medicis omnibus ſalutarior ſimul, *Simile.* vt acceſſit mulier virtutem ſenſit, medicinam impetrauit. vt ſi oculum lumini admoueas, illuminatur antequam ſentias, & operatio lucis præuenit apparatum. Paſſio inueterata, paſſio immedicabilis, quæ & artis omnem vicerat excogitationem, & pecuniarum ſubminiſtrationem, ſolo fimbriæ curatur attactu. *Verecundia, & deuotio.* Illius igitur feminæ tibi virgo, & in adeundo ſeruanda verecundia, & in fide imitanda deuotio eſt. Quanta vero illa gratia, quod ea *Cõfitetur.* quæ videri erubeſcebat virium tamen non erubuit confiteri? Noli ergo lapſus occulere tuos, fatere quod ille iam nouit, noli erubeſcere, quod non erubuerunt Prophetæ. Audi Hieremiam dicentem: *Hier. 17.* Sana me Domine, & ſanabor. Sic & illa dixit cum tangeret fimbriam: Sana me Domine, & ſanabor: ſalua me, &c. ſaluabor, quia gloria mea tu es. Sola enim ſana eſt, quam tu ſanaueris. Deinde cum quæreret Chriſtus quis tetigiſſet eum, nonne tibi videtur illa dixiſſe, quid interrogas? Domine, tu ſcis, quæ prodeunt per labia mea, ante faciem tuam ſunt. Et ideo non confundor peccata propria confiteri. Confundantur qui perſequuntur me, & non *Hier.* confundar ego. Vide Hieron. Matt. 9. vt lect. 7. 8. 9. Dom. 23. poſt Pent.

Iſidor. Iſidor. Hiſpal. lib. alleg. noui Teſtament: Archiſynagogi filia, ad quam dum curandum pergeret Dominus, tamen priuſquam ad eam veniret Dominus, tetigit eum à tergo mulier, quæ profluuio ſanguinis laborabat, figuram habuit Eccleſiæ venientis ex Gentibus, quæ dum poſt præuaricationem, & poſt paſſionem, & poſt aſcenſionem Chriſti credidit, quaſi à tergo Dominum tetigit, & ante accipere ſalutem, quam ſynagoga, promeruit.

Not. 4. ver. 10.

AVG. lib. 2. de conſ. cap. 28: In hac narratione, *Aug.* quam nunc conſiderandam ſuſcepimus de illa quidem, quæ fluxum ſanguinis patiebatur, omnes iſti tres Euangeliſtæ, ſine vlla quæſtione concordant. Neque enim intereſt ad rei veritatem, quod ab alio aliquid tacitum, ab alio dicitur: nec quod Marcus dicit: Quis tetigit veſtimenta mea? Et Lucas: Quis me tetigit? Alter enim dixit vſitatè, alter propriè, eandem tamen vterque ſententiam. Nam vſitatius dicimus, conſcindis me, quam conſcindis veſtimenta mea: cum tamen in aperto ſit, quid velimus intelligi.

Cæſarius Nazianzeni frater dialog. 1: *Cæſar.* Rogatus inſipientium quorumdam voces ſubuertere, dicentium, quod Seruator mulierem profluuio ſanguinis obnoxiam, cum fimbriam tangeret, non ſenſiſſet, *Non ignorans Chriſtus interrogat.* ita reſpondit: Nolite committere, vt quæ ratione adminiſtrationis in carne ab ipſo dicta ſunt, vobis occaſionem blaſphemiæ præbeant, nihil enim ignorationis crimen impingit ei, qui propter nos ſimilis noſtri factus eſt Deus ſermo. Deinde rogatus de muliere ſanguinis profluuio laborante fuſius diſſerere, vt ex hac coniectura de cæteris eius interrogationibus fieret, ſic ait: Per hanc quoque *Deus non ignorans interrogat.* docemur æqualem filium eſſe Deo, & Patri, nec ob ignorationem, ſed ex diſpenſatione, certoque conſilio, patrem imitando, quærere. Inquit enim is ad primum homicidium Cainum, qui per inuidiam interemit fratrem, propterea quod illius dona prælata eſſent, iam intus latente inuidia, & gladium cædis exacuente. *Gen. 4.* Vbi eſt Abelus frater tuus? non ignorans, ſed cruento homicidæ occaſionem pœnitentiæ ſuggerẽs. Ipſe vero in amentiam verſus, num cuſtos ego, inquit, fratris mei ſum? rurſusque ipſum diuina vox redarguens, inquit: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me. Ex quibus manifeſtum fit, non ex ignorantia, ſed ex amore, & bonitate, qua ergo hominem præditus eſt, interrogationem à Deo, & Patre ad crudelem homicidam inſtitutam fuiſſe. Ad eundem igitur modum, & filius non quod ignoraret, *Cur Ieſus interroget.* ſed ideo interrogauit, ne ſi ipſe, per ſe miraculum indicaſſet, *Ratio 1.* craſſioribus videretur ſuperbire: neque item ipſo tacente, *Ratio 2.* iacturam faceremus miraculi, certo conſilio, interrogatione vſus eſt, vt ipſa progrediens prędicaret eius pœnę, ac mali liberationem, quę per fimbriæ attrectationem facta erat, inquit enim Euangeliſta: Vidẽs mulier quod latere non poſſet tremens venit, & adorans congenulabat. Quin etiam ante aduẽtum ſuum in carne ignorantiam præ ſe ferens, inquit ad Abrahamum:

Vbi

Gen. 18 Vbi eſt Sara vxor tua? quod ſi ignoraſſet, non ſane reprehendiſſet eam, quæ in tabernaculo ridebat; nam quod habetur intra ſemetipſam riſiſſe Saram, modicè ipſam riſiſſe indicat. Confeſtimque trinus hoſpes à Patriarcha ſuſceptus, nominatim ipſam compellebat, eam, quæ ſterilis erat, fœcundam fore promittens. Finis autem promiſſionis erat, natus ex hac Iſaacus; non enim figmentum, non creatura, non præterita, non præſentia, non futura, non quicquid nominari, vel cogitari poteſt, Chriſtum latet.

Not. 5. ver. 11.

Vict. Chriſtum qui tãgāt, qui comprimant. VICT. Mar. 5: Cæterum illi Chriſtum redemptorem ſpiritualiter tangunt, qui in illum credunt; cæteri vero, qui fidem in illum non habent, eum verius comprimunt, & affligunt, quam tangunt. Qui autem vere Chriſtum tangit, is illum ad clementiam, & miſericordiam allicit: negabant autem ſe illum tetigiſſe: nam cum in illum non crederent, non tangebant eum; ſed tantum comprimebant.

Aug. Aug. lib. 2. de conſ. cap. 20: Illa mulier, quæ fluxum ſãguinis patiebatur, quamuis fimbriam veſtimenti eius tenuerit, magis tamen tetigit Dominum, quam illæ turbæ, à quibus premebatur. Hæc enim quo magis credidit, eo magis tetigit Dominum. Aug. Et ſerm. 6. de verb. Domini: Chriſtus abſentiam corporis ſui, & præſentiam virtutis ſuæ in omnibus gentibus, & in illa muliere ſignificauit, quæ fimbriam veſtimenti eius tetigerat, cum requirit, dicens: Quis me tetigit? tanquam abſens requirit, tanquam præſens ſanat. Turbæ te, inquiunt diſcipuli, Non ignorans petit. comprimunt, & dicis: Quis me tetigit? Quaſi enim ſic ambularet, vt à nullo prorſus corpore tangeretur, ita dixit: Quis me tetigit? & illi: Turbæ te comprimunt. Et tanquam diceret Dominus; tangentem quæro, non prementem. Sic etiam nunc eſt corpus eius, id eſt, Eccleſia eius. Qui tangant, qui premant. Tangit eam fides paucorum, premit eam turba multorum, corpus enim Chriſti eſſe Eccleſiam, tanquam filij eius audiſtis, & ſi vultis, ipſi eſtis. Colo. 1 Apoſtolus multis locis hoc dicit: Pro corpore, inquit, eius, quod eſt Eccleſia. Et iterum: Vos 1 Cor. 12. autem eſtis corpus Chriſti, & membra. Si ergo eius corpus ſumus, quod tunc corpus eius in turba patiebatur, hoc patitur Eccleſia ipſius. A turbis premitur, à paucis tangitur, caro eam premit, fides tangit. Erigite quippe oculos, obſecro vos, qui habetis, vnde videatis. Habetis enim quod videatis. Erigite oculos fides, tangite extremam fimbriam veſtimenti, ſufficit ad ſalutem. Aug. Et ſerm. 74. de temp: Corpus ergo Chriſti multi moleſte premunt: pauci ſalubriter tangunt. Ibidem habet has duas mulieres ſignificare Iudæos, & Gentiles. Docet eadem ſer. 152. & 155. de temp. & lib. cont. mend. cap. 12.

Greg. Greg. lib. 20. Moral. cap. 17: Eſſe ergo in terra, & apparere, eſt in fide recta per virtutem operis, nobilitatem mentis effundere. Eſſe vero in terra, & penitus non apparere, eſt in Eccleſia quidem per fidem conſiſtere: ſed nihil dignum fidei in opere demonſtrare. Hi itaque intra ſanctam Eccleſiam diuinitatis oculis, & videntur per iudicium, & tamen per vitæ bonæ meritum non videntur, quia ea quæ confitendo tenent, viuendo non exhibent. De quibus Paulus dicit: Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Hi in ſancta Eccleſia fidẽ, quam tenere ſe aſſerunt, premunt potius, quam venerantur; Dum ſua magis illius nomine, quam eius adipiſci lucra concupiſcunt. Et cap. 18: Greg. Electi ergo dum ſeruare fidei meritum rectis operibus curant, ad autoris ſui notitiam, etiam inter reproborum inſultus appropinquant. Quod bene in Euangelio, in muliere ſanguinis fluxu laborante ſignatum eſt: de qua Dominus diceret: Quis me tetigit? Petrus ratiocinando reſpondit: Turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit: Sed audire cauſas veræ rationis meruit, cum ei Dominus dixit: Tetigit me aliquis. Nam & ego noui virtutem exiſſe de me. Ecce turbæ premebant Dominum; ſed ſola Qui premant, qui tangant. tetigit, quæ ad illum humiliter venit: quia nimirum multi etiam iu ſancta Eccleſia reprobi veritatem cognoſcendo premunt, quam bene viuendo tangere negligunt. Premunt, & longe ſunt, quia diuinam notitiam profeſſionibus ſequuntur, moribus fugiunt. Premunt, inquam, ſed longe ſunt; quia eidem fidei, quam loquendo aſtruunt, agendo malè, contradicunt. Sicut ergo hoc teſtimonio docemur, quia nonnulli Dominum tangendo non tangunt, ita nonnulli videntur à Domino, etiam cum non videntur, quia occultis eius obtutibus, & ad damnationis ſupplicium apparent: & ad electionis meritum non apparent. Dicatur igitur recte. Et in terra penitus non parentes: quia etſi illos ſpecietenus Eccleſia renuit, eos tamen intra illam conditor, quaſi non vidit, quos ignorauit. Qui tranquillitatis tempore idcirco fidem verbotenus tenent, quia eandem fidem florere generaliter vident. Sed cum repentina contra illam procella aduerſitatis oboritur, mox ab ea negatione publica diſiunguntur, & quidquid prius quaſi venerantes tenuerant, contra hoc poſtmodum deridentes pugnant. Et lib. 3. Greg. Moral. cap. 14: Dixit Iob vxor ſua, adhuc permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo, & mo- Iob 2. rere, cuius enim ſpeciem male ſuadens mulier tenuit, niſi quorumlibet carnalium in Eccleſiæ ſinu poſitorum, qui quo verbis profeſſę fidei intus ſunt, eo bonos incorrectis ſuis moribus peius premunt. Nam minus fortaſſe nocuiſſent, ſi non eos ſancta Eccleſia introrſus admittens vſque ad fidei cubile reciperet, quos dum per profeſſam fidem recipit, ſibi procul dubio pene Qui premant, qui tangant. ineuitabiles facit. Hinc eſt quod premente turba, vna Redemptorem noſtrum mulier tetigit: vnde & idem Redemptor noſter protinus dicit: Quis me tetigit? Cui cum diſcipuli reſponderent: Turbæ te premunt, & affligunt, & tu dicis: Quis me tetigit? ilico adiunxit: Tetigit me aliquis; nam & ego noui virtutem de me exiſſe. Multi ergo Dominum comprimunt, & vna tangit, quia carnales quique in Eccleſia cum premunt,

munt, à quo longe ſunt; & ſoli tangunt, qui huic veraciter humiles adiunguntur. Turba igitur premit: quia multitudo carnalium, quo intus admittitur, eo grauius toleratur. Premit, & non tangit: quia & importuna eſt per præſentiam, & abſens per vitam. Nonnunquam enim praui nos ſermonibus, nonnunquam vero ſolis peruerſis moribus inſequuntur. Suadent namque aliquando, quę tenent, aliquando vero etſi non ſuadeant, præbere tamen iniquitatis exempla non ceſſant. Qui igitur ad mala nos vel verbis, vel exemplis illiciunt, profecto perſecutores noſtri ſunt, à quibus tentationum certamina ſumimus, quæ ſaltem in corde vincamus. Sciendum vero eſt, quia carnales in Eccleſia aliquando metu, aliquando vero audacia ſuadere peruerſa contendunt, cumque ipſi vel puſillanimitate, vel elatione deficiunt, hæc iuſtorum cordibus infundere, quaſi ex dilectione moliuntur. Carnalem videlicet mentem Petrus ante

Matt. 16

Redemptoris mortem, reſurrectionemque retinebat. Saruię filius carnali mente Duci ſuo

2 Reg. 19.

Dauid adiunctus inhæſerat. Sed tamen vnus formidine, alter elatione peccabat. Ille quippe mortem Magiſtri audiens dixit: Abſit à te Domine non erit tibi hoc. Hic vero iniurias ducis non ferens, ait: Nunquid pro his verbis non occidetur Semeï, qui maledixit Chriſto Domini? Sed illi mox dicitur: Redi poſt me Satana; & hic, cum germano audiuit protinus: Quid mihi, & vobis filij Saruiæ? cur efficimini mihi hodie in Satan?

Not. 6. ver. 12.

Amb.

AMBR. in Pſal. 47: Ipſe teſtificatur, dicens: Sentio de me virtutem exiiſſe: quæ virtus omnium vulnera acerba ſanabat.

Vict.

Vt à Chriſto virtus exiit.

Victor Antioch. Mar. 5: Virtutes quæ ex Seruatore in alios dimanabant, non locali, aut corporali motu ab illo decedebant, nam cum corporis expertes eſſent, ita de illo in alios tranſibant, aliiſque impendebantur, vt tamen in illo

Simile.

eſſe non deſinerent. Quemadmodum enim ſcientiæ, & penes Doctorem conſiſtunt, & diſcentibus nihilominus traduntur: ita Chriſti virtus, & penes illum manebat, & in illos nihilo ſecius, cum bona illius voluntate deriuabatur, qui fide eum tangebant. Appoſite autem

Cur, noui, potius ait, quã, ſenſi.

Euangeliſta non dixit: Sentiens autem virtutem, ſed cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo. Neque enim virtutes illius ſentiebantur, cum corporeę non eſſent, ſed tantum intelligebantur. Sic etiam Theophylact. Mar. 5.

Theop.

Chryſoſt.

Chryſoſt. hom. 53. in Matt: Ego, inquit, noui virtutem ex me egreſſam: vt & miraculum, & fides illius pateret. Habet plura hom. 32. in Mart. & hom. 7. in Mar.

Cyr.

Cyril. lib. 3. in Leuit: Vis tibi oſtendam, & quæ eſt anima, quæ tetigit immundum, & im-

Quomodo mulier in hoc malũ incidit.

munda facta eſt: & rurſum tetigit mundum, & facta eſt munda? Illa quæ profluuium ſanguinis paſſa eſt, per immunditiam peccati in hoc deuoluta eſt, tetigerat enim peccatum, & idcirco flagellum carnis acceperat. Sed poſteaquam fide plena tetigit fimbriam Ieſu, ſtetit fluxus ſanguinis, & repente facta eſt munda, quæ ante per tantum temporis vixit immunda. Et quemad-

Tactu mũdi, mundatur.

modum quum tetigiſſet Dominum, & Saluatorem, dixit ipſe: Quis me tetigit? ego enim ſenſi virtutem exiiſſe de me, illam, ſine dubio virtu-

Quę virtus de Chriſto exijt?

tem, quæ mulierem ſanauerat, & fecerat mundam: ſic intelligendum eſt, quod ſi quis contigerit peccatum, exeat ab ipſo peccato virtus quædam maligna, quæ eum qui ſe contingit faciat immundum.

Quomodo virtus à peccato exeat.

Bern.

Bernard. ſerm. de quat. mod. orand: Mulier illa, quæ profluuium ſanguinis habens, dum timeret ad Chriſtum accedere, fecit ab eo virtutem exire. Furtim enim tetigit fimbriam, & curata eſt ab infirmitate: Vnde & indignantis quodammodo verbum videtur, quod de ea Dominus ait: Quis me tetigit? & addidit: Senſi à me exire virtutem. Non credo quod ſit inter nos quiſpiam, ſed fortè nonnulli in ſæculari habitu, vel conuerſatione potuerunt aliquando experiri, quod loquor, vt inuiti fluxum ſanguinis paterentur, eius, inquam, ſanguinis, qui regnum Dei non poſſidebit. Etenim qui facit peccatum,

Io. 8.

ſeruus eſt peccati: nec ſua ſe poterit continere virtute, etiam cùm volet. Huic ergo minimè expedit per ſeipſum accedere ad Chriſtum, ſed tangere, ſi quam inuenerit eius fimbriam, hoc eſt, eum conſiderare hominem, quem humiliorem viderit, & extremum in Eccleſia, quæ eſt veſtis Chriſti: eum, inquam, qui elegit abiectus eſſe in domo Dei, oportet conſiderare: quoniam is vere eſt fimbria poſita in ora veſtimenti, ad quam vtique ſpiritualis vnguenti deſcendens à capite, copia tota decurrit. Hunc ſi beneficijs aliquibus, ſeu prece humili, aut confeſſione pura tetigerit, vt affectum eius erga ſe moueat ad compatiendum ſibi, habeat fidem, & ſine dubitatione ſanabitur. Illud tamen nouerit fimbria, non à ſe, ſed à Chriſto exijſſe virtutem, qui & tangi ſe proteſtatur in fimbria.

Cui conueniat per aliud non per ſe Deũ orare

Quid ſit tangere fimbriam veſtimenti Chriſti.

Virtus exit à Chriſto non à fimbria.

Fulg.

Fulgent. lib. 2. ad Traſi. cap. 15: *Si filius Dei* ad nos locali motu deſcendit, localiter de illo virtus exiuit. Cùm enim quædam mulier, in profluuio ſanguinis conſtituta, facultatibus, viribuſque conſumptis, omnia quæ habuit propter infirmitatem finiret, & ſolam infirmitatem quam habere nollet, finire non poſſet, atque à cœleſti medico gratis curari deſiderans, occultè fimbriam tangens, fideli raptu, ſanitatis ſibi furaretur effectum: ille credulitatis conſcius, & ſalutis, ait: Tetigit me aliquis. Nam ego noui virtutem de me exiſſe. Quid igitur hæc virtus, quæ de Domino exiuit? nunquid exeundo diſceſſit? an ad ſanandam ſic exiens potuit peruenire, vt à Saluatore localiter non poſſet exire? Quod ſi localiter ab eo, qui virtus dicitur, virtus exiuit, dicatur qualiter virtus à virtute diſceſſit: Si vero talis credulitas, fidei Chriſtianæ videtur incongrua, non alium putemus illum de Chriſto virtutis exitum, niſi diuinæ curationis effectum. Tũc enim ad mulierem virtus Saluatoris exiuit, quando in ſe virtutẽ diuinæ curationis agnouit.

Vt à Chriſto virtus exiit.

Not. 7.

Not. 7. ver. 15.

Vict. VICTOR Antioch. Mar. 5: Fides tua te ſaluam fecit. Hæc diſertè indicant veſtimenta contacta eam non ſanaſſe; ſed fidem. Igitur neque locus, neque verba, neque aliud quippiam eiuſmodi externum, hominem ſaluat; ſed vtrumq; ſua fides ſeruat.

Eut. Euth. Mar. 5: Eſto ſana à plaga tua, neque Matt. neque Luc. hoc addiderunt: nec mirum. Siquidem dictum eſt, quod ea, quæ neceſſaria non erant, quidam Euangeliſtæ prætermittebant breuitatis gratia: quidam vero etiam hæc aſſcribebant, diligentiæ cauſa. Veriſimile quoque eſt eos miraculorum quidem meminiſſe, non autem omnium verborum. Flagellum vero infirmitatem nominauit, vt quæ ipſam, tum labore, tum pudore flagellauerat.

Auct. Ex hora, non qua dixit ei Ieſus: Bono animo eſto filia: ſed qua fimbriam tetigit; ſicut Marcus, & Lucas ſcripſerunt. De hac muliere duodecim in Euangelio notantur. 1. quod annis duodecim ſanguinis fluxum patiebatur. 2. quod fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis. 3. quod omnia ſua erogauerat. 4. quod nihil profecerat. 5. quod magis deterius habebat. 6. quod de Ieſu audiuit. 7. quod acceſſerit in via, in turba, & retro. 8. quod fimbriam tetigerit, in corde ſuo, dicens, &c. 9. quod ſtatim ſe ſanatam ſenſerit. 10. quod timens, ac tremens fuerit. 11. quod venerit, procidérit ante, omnemque veritatem dixerit. 12. quod Chriſtus ei quatuor dixerit, & Euangeliſta quintum addiderit. Confide filia: fides tua te ſaluam fecit: vade in pace: eſto ſana à plaga tua: ſalua facta eſt ex illa hora.

Quæ ſint De hac muliere notanda.

Not. 8. ver. 19.

Cyr. Cyr. Alex. lib. de recta fide ad Reginas: Non enim mortua eſt puella, ſed dormit. Nunquid igitur mentitus eſt? abſit, ſed vera dicit: Et quomodo, ipſe interpretatur, dicens: Non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum. Viuunt enim Deo victuri. Igitur mortui iuxta homines ſunt mortui: ſecundum viuificam autem naturam, hoc eſt diuinam, non moriuntur. Proinde verè loquitur de puella, vt Deus, dicens: Non eſt mortua, ſed dormit.

Quomodo non eſt mortua, ſed dormit.

Vt Deus ſit, non eſſe mortua.

Hier. Hieron. Matt. 9: Non eſt mortua, &c. quia Deo viuunt omnia.

Aug. Aug. ſerm. 44. de verb. Domi: Verum dixit, dormiebat; ſed illi à quo poterat excitari.

Et lib. 2. de conſ. cap. 28: Quod autem nonnulli codices habent ſecundum Matth: Non enim mortua eſt mulier, ſed dormit: cum eam Mar. & Luc. duodecim annorum puellam fuiſſe teſtentur, intelligas Hebræo more loquutum eſſe Matthæum, nam & alijs ſcripturarum locis hoc inuenitur, non eas tantum, quæ virum paſſæ fuerant, ſed omnino fœminas etiam intactas, atque integras mulieres appellari: ſicut de ipſa Eua ſcriptum eſt: Formauit eam in mulierem; & illud in lib. Numero. vbi iubentur cuſtodiri mulieres, quæ neſcierunt cubile maſculi: id eſt, virgines, ne interficiantur. Qua loquutione etiam Paulus ipſum Chriſtum ait: Factum ex muliere. Hoc enim melius intelligimus, quam vt illam duodecim annorum iam nuptam, vel virum expertem fuiſſe credamus.

Virgines etiā dicuntur mulieres.

Not. 9. ver. 20.

Greg. Exod. 8. GREGOR. lib. 18. Moral. cap. 28: Ægyptus muſcis percutitur, quia eorum corda, qui terrenam vitam diligunt, dum deſideriorum ſuorum inquietndinibus feriūtur, turbis cogitationum carnalium ad ima depreſſa ſunt, vt ad quietis intimæ deſiderium non leuentur. Vnde cum mira ope pietatis ad cor veritatis venit, prius ab eo cogitationum carnalium æſtus eijcit, & poſt in eo virtutum dona diſponit. Quod bene nobis ſacra Euangelij hiſtoria innuit, in qua dum ad reſuſcitandam filiam Principis inuitatus Dominus duceretur, protinus additur: Et cum eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manum eius, & ſurrexit puella. Foras ergo turba eijcitur, vt puella ſuſcitetur: quia ſi non prius à ſecretioribus cordis expellitur importuna ſæcularium multitudo curarum, anima, quæ intrinſecus iacet mortua, non reſurgit. Nam dum ſe per innumeras terrenorum deſideriorum cogitationes ſpargit, ad conſiderationem ſui ſeſe nullatenus colligit. In his itaque inquietudinum fluctibus habitare ſapientiam non poſſe cognoſcens ait; & mare loquitur, non eſt mecum. Nullus quippe eam plene recipit, niſi qui ab omni ſe abſtrahere actionum carnalium fluctuatione contendit. Vnde & alias dicitur: Sapientiam ſcribe in tempore otij, & qui minoratur actu ipſe percipiet eam. Et rurſum: Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus. Eundem vide cap. 27. & 29. libri eiuſdem: & lib. 20. cap. 17. & 18.

Turba cur foras eiicitur.

Sapientiā qui recipiat.

Eccle. 38.

Pſal. 45.

Greg.

Hier. Hieron. Matth. 9: Non enim erant digni vt viderent myſterium reſurgentis, qui reſuſcitantem indignis contumelijs deridebant. Niſi prius mundatæ fuerint manus Iudæorum, quæ ſanguine plenæ ſunt, ſynagoga eorum mortua non reſurget. Et epiſtola de optimo genere interpretandi ad Pammachium: Legimus in Mar. dicentem Dominum: Tabita cumi: ſtatimque ſubiectum eſt, quod interpretatur: Puella, tibi dico, ſurge. Arguatur Euangeliſta mendacij, quare addiderit, tibi dico; cum in Hebræo tantum ſit: Puella, ſurge. Sed vt emphaticoteron faceret, & ſenſum vocantis, atque imperantis exprimeret, addidit tibi dico.

Turba cur eiiciatur.

Cur manū teneat.

Hier.

Tho. Tho. par. 3. quæſt. 44. ar. 3. ad 2: Chriſtus venerat ſaluare mundum, non ſolum virtute diuina: ſed per myſterium incarnationis ipſius. Ideo frequenter in ſanatione infirmorum, non ſola poteſtate diuina vtebatur, curando per modum imperij: ſed etiam aliquid ad humanitatem ipſius pertinens apponendo. Vnde Cyril: quamuis vt Deus potuiſſet omnes verbo pellere morbos, tangit tamen oſtendens propriam carnem efficacem ad præſtanda remedia, &c.

Cur manū teneat.

Cyr.

Cyril.

Cyr. Cyril. lib. de recta fide ad Reginas: Quare non potius, ſicut apud Lazarum, contentus fuit ſermone, ad reſuſcitandum puellam, & tenuit manum illius? nimirum vt oſtenderet viuificum eius corpus. Corpus enim eſt vitæ. Igitur naturalis magis, & vera eſt vnio verbi cum carne, & non, ſicut quidam imperitè dicunt, quaſi tantum in perſonis facta ſit, vel iuxta humilem laudem, vel concordiam, vel copulam ſimpliciter. Quo pacto non vita ſecundum naturam eſt, qui non ſolum ſermone repellere mortem potuit, ſed etiam tactu manus? Erat enim conſequens, ac neceſſarium, viuificum eſſe corpus, quod erat proprium vitæ.

Dam. Damaſc. lib. 3. de Fide cap. 13: Humanæ actionis opus id fuit, quod puellæ manum arripuerit, ac pertraxerit: diuinæ autem, quod eam ad vitam reuocarit. Aliud enim hoc, aliud illud eſt, etiamſi in Dei ſimul & hominis actione diſiungi nequeunt.

Ambroſ. orat. de fide reſurrectio: Rediuiuum corpus erigitur, cibus ſumitur, vt vitæ teſtimonium crederetur? Et quid miremur ad vocem Dei refundi animam, redire oſſibus viſcera, cum meminerimus Prophetici tactu corporis mortuum ſuſcitatum? Amb.

Ver. 21.

Chryſoſt. hom. 33. in Matt: Puellam cùm à morte excitaſſet, per cibum, quem ei afferri iuſſit, à quo eſſet ſuſcitata, inſtruxit. Chryſoſt.

C A P. 41. *Illuminatur cæci, mutumq; dæmonium eiicitur.*

Matth. 9.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*
1 Et tranſeunte inde Ieſu, ſecuti ſunt eum duo cæci clamantes, & dicentes: Miſerere noſtri, fili Dauid.			
2 Cùm autem veniſſet domum, acceſſerunt ad eum cæci.			
3 Et dicit eis Ieſus: Creditis quia hoc poſſum facere vobis? Dicunt ei: Vtique Domine.			
4 Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem veſtram fiat vobis. Et aperti ſunt oculi eorum.			
5 Et comminatus eſt illis Ieſus, dicens: Videte ne quis ſciat. Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa.			
6 Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et eiecto dæmonio locutus eſt mutus.			
7 Et miratæ ſunt turbæ, dicentes: Nunquam apparuit ſic in Iſrael. Phariſæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eijcit dæmones.			
(Et circuibat Ieſus. cap. 67.			

Not. 1.

Aug. A V G. lib. 2. de conſ. Euang. cap. 29: Sequitur ergo Matt. & dicit: Et tranſeunte inde Ieſu, ſequuti ſunt eum duo cœci, &c. vſque ad illud, vbi ait: In principe dæmoniorum eijcit dæmones; hoc de duobus cœcis, & de muto dæmonio ſolus Matt. ponit. (cap. 143.) Illi enim duo cœci, de quibus & alij narrant, non ſunt iſti. Sed tamen ſimile factum eſt, ita vt ſi ipſe Matt. non etiam illius facti meminiſſet, poſſet putari hoc, quod nunc narrat, dictum fuiſſe etiam ab alijs duobus. (Ratio diſpoſitionis.) Quod commendare memoriæ diligenter debemus, eſſe quędam facta ſimilia. Quod probatur, cum idem ipſe Euangeliſta vtrumque commemorat: vt ſi quando talia ſingula apud ſingula inuenerimus, atque in eis contrarium, quod ſolui non poſſit, occurrat nobis non hoc eſſe factum, ſed aliud ſimile, vel ſimiliter factum.

Not. 2. ver. 1.

Hier. H I E R O N. Matt. 9: Tranſeunte per domum Principis Domino Ieſu, & pergente ad domum ſuam, ſicut ſupra legimus: Aſcendens nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam; clamabant duo cœci. Audiant Marcion, & Manichæus, & cæteri hæretici, qui vetus laniant inſtrumentum, & diſcant Saluatorem appellari filium Dauid. Si enim non eſt natus in carne, quomodo vocatur filius Dauid?

Tho. in cate. Matth. 9: Inde, ſcilicet à domo principis. Et ex Remigio: Filium Dauid rectè vocant: quod virgo Maria de ſtirpe Dauid originem duxit.

Chryſoſt. hom. 33. in Matt: Quamobrem ipſos clamantes protrahit? docet rurſus ambitionem eſſe fugiendam, & inanem hanc gloriam non conquirendam. Nam cum prope domum eſſet, eos illuc ducit, vt occultius ibi curaret, ac ideo nulli etiam hac de re quicquam dicere præcepit. Non paruo autem dedecori cœci Iudæis ſunt: quoniam erutis oculis nihil videntes auditu ſolum crediderunt: cùm illi ſigna oculis cernentes, & optimum viſus ſecum habentes teſtimonium, contra quam cœci, & dicant, & faciant. Ego verò animi eorum ardorem, & à Chryſoſt.

clamore,

clamore, & à verbis intelligo. Non enim ſimpliciter acceſſerunt, ſed cum magno clamore. Nec aliud quicquam petebant, quam miſericordiam, filium autem Dauid appellabāt, quoniam id nomen magni erat honoris. Vnde Prophetæ quoque ſæpius reges, quos honorare, & magnos oſtendere volebant, ſic appellabant. Ezech. 14. Zach. 12.

Ver. 2.

Eut. EVTH. Matt. 9: Veriſimile eſt domum fuiſſe cuiuſdam fidelis, in qua retentus ſit. Matth. autem indicare videtur, hoc accidiſſe Capharnai, eunte nimirum Domino ab Iairo in domum, in quam ſe communiter recipiebat. Ideo non eſt dubitandum de ordine.

Ratio diſpoſitionis. Hinc argumentum debemus capere, nemini extra Chriſti domum, quæ eſt Eccleſia, & abſque fide ſalutem obuenire, vtrumque enim oportet eſſe nobis, neque quicquam profutura eſt, vel ſumma fides, ſi extra Eccleſiæ ſepta aberret.

Not. 3. ver. 3.

Rem. Cur eos de fide interroget. REMIG. in cate. Tho. Matth. 9: Qui cæcis reddere poterat viſum, non ignorabat, ſi crederent: ſed ideo interrogauit, vt fides eorum, quæ geſtabatur in corde, dum confiterentur ore, digna fieret ampliori mercede, ſecundum illud Apoſtoli: Ore confeſſio fit ad ſalutem. (Ratio 1. Rom. 10.)

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 33. in Matt: Cùm vero in domum ipſos adduxiſſet, ideo rurſum interrogauit, quoniam ſæpius, ne quis ambitione ad miraculorum actionem ſponte ipſum accurrere putaret, rogatus curare malebat. Præterea vt oſtenderet, quam illi ea curatione erant digni. Ac ne quis obijcere queat, ſi miſericordia ſola ſaluos faciebat, cur omnes ſaluos non fecit: Habet enim profectò ipſa miſericordia quandam rationem: quoniam in eorum fide, qui ſaluantur, radices agere ſolet. Nec his de cauſis tantummodo fidem ab eis petit; verum etiam quoniam filium Dauid eum appellabant, ad altius atque ſublimius reducere volens, vt dignam de ipſo exiſtimationem rectumque iudicium facerent, interrogauit non dixit certè; creditis quod poſſim precibus id à patre meo imperrare; ſed, quod ipſe poſſum hoc facere. Illi non filium iam Dauid appellant: ſed ad ſublimiora volantes, Dominum ipſum, tam magnæ poteſtatis attributione, profitentur. (Ratio 2. Ratio 3. Ratio 4. Ratio 5. Quam fidem a cæcis Chriſtus exigat.)

Ver. 4.

Hier. HIER. Matt. 9: Non curantur in itinere, non tranſitoriè, vt petebant, ſed poſtquam venit in domum ſuam, accedunt ad eum, & introeunt; & primùm, eorum diſcutitur fides; vt ſic veræ fidei lumen accipiāt. Priori ſigno, quod expoſuimus, de principis filia, de Hæmorrhoiſſa muliere, conſequenter hoc iungitur: vt quod ibi mors, & debilitas, hic cæcitas demonſtraret. Vterque enim populus cæcus erat, Domino per hoc ſæculum tranſeunte, & capiente reuerti ad domum ſuam. Qui niſi confeſſi fuerint, & dixerint: Miſerere noſtri fili Dauid; & interrogante Ieſu: Creditis quia poſſum hoc facere? reſponderunt ei: Vtique Domine: lumen priſtinum non recipient.

Hilar. Hilar. can. 9. in Matt: Dominus oſtendit non ex ſalute fidem, ſed per fidem ſalutem expectandam. Cæci enim quia crediderant, viderunt; non quia viderant, crediderunt. Ex quo intelligendum eſt fide merendum eſſe quod petitur: non ex impetratis fidem eſſe ſumendam. Si crediddiſſent viſum pollicetur, & credentibus præſtat.

Not. 4. ver. 6. 7.

PRÆCEPIT vt tacerent, non ſimpliciter; ſed magna cum vehementia: acriter enim ipſis interminatus eſt; & ipſe laudem fugiens apud homines; & eos inſtruens, qui beneficia in aliquem conferunt, vt ambitionem execrentur. Atqui manifeſtè ſciebat Chriſtus, quod taciturі non eſſent; ſed benefactorem palam prædicaturi: attamen quod ſuum eſt, facit, & præcipit. Oportet enim eos, qui beneficia conferunt, modeſtiæ cauſa præcipere ſilentium: eos vero, qui beneficio ſunt affecti prædicare; propter gratitudinem. Ecce eum tacere præcepit; & quidem ſciens illos non eſſe taciturос. Illamque ſolutionem pro omnibus habeto ſimilibus. Sic Euthy. Matth. 8. & 9. & Chryſoſt. hom. 33. in Matth. Eut. Chryſoſt.

Theoph. Theoph. Matth. 9: Illi vero, non vt inobedientes, ſed vt grati, diuulgauerunt. Quamuis autem alicubi dicere videatur; abi, & narra gloriam Dei; non eſt huic contrarium: vult enim eos de ſeipſo quidem nihil dicere; ſed narrare gloriam Dei apud alios. Erudit nos prohibere eos, qui volunt nos propter nos laudare: Si autem ad Domini gloriam refertur, non debemus prohibere, ſed magis iniungere vt hoc fiat. Ita etiam Chryſoſt. hom. 33. in Matt. Chryſoſt.

Greg. Gregor. lib. 19. Moral. cap. 18: Oculus fui cæco, & pes claudo. Inter hæc lectoris animus forſitan quærat, cur Iob ſuas tam ſubtiliter virtutes enumeret. Sanctorum quippe virorum eſt, bona, quæ fecerint, occultare, ne contingat eos lapſum elationis incurrere. Vnde per ſemetipſum veritas dicit: Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. (cap. 6. ver. 1) Hinc eſt etiam quod, duos cæcos iuxta viam ſedentes illuminans, præcepit dicens: Videte ne quis ſciat. De quibus ilico ſcriptum eſt: Abeuntes diffamauerunt eum per totam terram illam. Sed quærendum nobis eſt, quid ſit hoc, quod ipſe omnipotens, cui hoc eſt velle, quod poſſe, & taceri virtutes ſuas voluit, & tamen ab his, qui illuminati ſunt, quaſi inuitus iudicatur. Niſi quod ſeruis ſuis ſe ſequentibus exemplum dedit, vt ipſi quidem virtutes ſuas occultare deſiderent, & tamen, vt alij eorum exemplo proficiant, produntur inuiti, & facta quidem ſua occultando ſeipſos cuſtodiunt: ſed dum produntur inuiti bona ad proximos ſuos exempla trāſmittant. Occultentur ergo ſtudio, neceſſitate publicentur, & eorum occultatio ſit cuſtodia

propria;

propria; eorumq́; publicatio, ſit vtilitas aliena.

Hier. Hieron. Matt. 9: Dominus propter humilitatem, fugiens iactantiæ gloriam, hoc præceperat: & illi propter memoriam gratiæ, non poſſunt tacere beneficium.

Hilar. Hilar. can. 9. in Matt: Silentium imperat: quia Apoſtolorum erat proprium prædicare. Ergo putandum non eſt, quod malè Bucerus aſſerit, in diuulgando miraculo, contra Dei præceptum cæcos deliquiſſe: quos non contemptus gratia, ſed gratitudinis nomine id feciſſe conſtat, vt patres aſſerunt.

Not. 5. ver. 6.

Hilar. HILAR. can. 9. in Matt: Poſt hæc in muto & ſurdo, & dæmoniaco gentium plebs indigna totius ſalutis offertur, omnibus enim vndique malis circumſeſſa, totis corporis vitijs implicabatur. In eo rerum ordo ſeruatus eſt. Nam dæmon prius eijcitur; & tum reliqua corporis officia ſuccedunt. Dei quippe cognitione, ſuperſtitionum omnium veſania effugata, & viſus, & auditus, & ſermo ſalutis inuehitur.

Hier. Hieron. Matt. 9: Mutus linguam recipit ad loquendum. Spiritualiter autem, ſicut cæci lumen recipiunt; ſic & muti ad loquendum lingua laxatur: vt confiteatur eum quem antea denegabat.

Not. 6. ver. 7.

Hilar. HILAR. can. 9. in Matth: Eum cui per legem nihil afferri opis potuerat, verbi virtute ſaluari: quodque laudes Dei homo mutus, ſurduſque loqueretur. Salute autem gentibus data, ciuitates omnes, & caſtella, omnia virtute, & ingreſſu Chriſti illuminantur, & omnem infirmitatem veterni languoris euadunt.

Hier. Hieron. Matth. 9: Turba Dei opera confitetur. In turba confeſſio nationum eſt. Phariſæi autem quia virtutem Dei negare non poterant, opera calumniantur, per ſuam calumniam vſque hodie Iudæorum infidelitatem demonſtrantes.

Calumniæ Phariſæorum aduerſus Chriſtum hic incipiunt; Iam enim ipſum calumniari cœperunt, quod malis artibus dæmones eijceret, nimirum non virtute Dei: ſed principis dæmoniorum. Quæ hactenus à Ieſu baptiſmate contigerunt, acta ſunt primi anni, & aliquot menſium ſpatio prædicationis Domini. Quæque à Ioannis incarceratione, ſeu à cap. 26. Chriſtum iam feciſſe legimus in Galilæa contigerunt, & quidem illis quatuor menſibus, qui interceſſerunt inter Chriſti reditum in Galilæam, & feſtum Paſchæ reditum illum proxime ſubſequens. Proinde reliquorum duorum annorum acta ſequuntur.

Finis ſecundæ partis, continentis acta IESV CHRISTI, à baptiſmo vſque ad ſecundum Paſcha; acta ſcilicet vnius anni, & aliquot menſium.

Tertia pars diſpoſitionis Euangelicæ hiſtoriæ ſequitur, anni ſecundi concionum CHRISTI geſta, nimirum à ſecundo Paſchate, vſque ad tertium, explicans.

CAP. 42. *Languidum ſanat IESVS ad piſcinam.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 5.*
			Fer. 6. quat. temp. Quadr. 1 [POſt hæc ✠ erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam. 2 Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaïda, quinque porticus habens. 3 In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. 4 Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & mouebatur aqua. 5 Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam, poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate. 6 Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. 7 Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri? 8 Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo,

vt cum

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 5.*
			vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam. Dum venio enim ego, alius ante me deſcendit.
			9 Dicit eis Ieſus: Surge, tolle grabbatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabbatum ſuum, & ambulabat.
			10 Erat autem ſabbathum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi, qui ſanatus fuerat, ſabbathum eſt, non licet tibi tollere grabbatum tuum.
			11 Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabbatum tuum, & ambula.
			12 Interrogauerunt ergo eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabbatum tuum, & ambula?
			13 Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. Ieſus enim declinauit à turba conſtituta in loco.
			14 Poſtea inuenit eum Ieſus in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.
			15 Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum. ✠

Not. 1.

Ratio diſpoſitionis. IMPRIMIS ordo hic conſtituendus eſt ſequentium, cum præcedentibus. Impræſentiarum ſi trium dumtaxat priorum Euangeliſtarum narratio ſpectaretur, ponenda nunc videretur hiſtoria Nazareth, deinde Apoſtolorum miſſio. Dicit enim Mar. poſt ſuſcitatam Iairi filiam, egreſſum inde Chriſtum, in patriam ſuam iuiſſe; Cui miſſionem ilico ſubijcit: Eodem modo Lucas, de Nazareth enim ante narrauit. Matt. quoque Domini circuitum, ac miſſionem proxime deſcribit. Certum eſt autem hæc præcedentibus non poſſe ſubiungi. Nam Apoſtolorum illa miſſio facta eſt poſt ſolénem illum Domini ſermonem in monte habitum, quando ibidem Ieſus duodecim ex omnibus diſcipulis elegit, & Apoſtolos ordinauit; vt eſt cap. 46. ex Mar. & Luc. manifeſtum; Quos poſtea miſſit ad prædicandum. Ergo neceſſe eſt ante miſſionem Apoſtolorum, interſerere, & præmittere ſermonem illum, cum Apoſtolorum ordinatione. Sed hanc ordinationem conſtat ex Mar. & Luc. conſequutam poſt duas illas reprehenſiones, quibus Phariſæi primum Ieſu diſcipulos carpebant, quod vellerent ſpicas in ſabbatho; & deinde Chriſtum, quod in ſabbatho aridam hominis manum curaſſet. Duo igitur hæc ſunt illis omnibus præmittenda. Quemadmodum enim ex Matth. didicimus Mar. & Luc. non ſuo loco narrare hiſtorias de Geraſænis, Iairo, & Hæmorrhoiſſa, ita ex duobus illis Euangeliſtis intelligimus, Matth. duo illa, nimirum de ſpicis, & manu arida, non ſuo loco poſuiſſe: & eadem ante dictum ſermonem contigiſſe, ſicut & alia, quæ hactenus poſuimus, etiamſi Matt. illa poſt ſermonem conſtituerit. Porro ante factum illud diſcipulorum ſpicas euellentium, confricantium, & comedentium, totum caput Ioannis quintum inſerendum eſt. Nam quod de ſpicis traditur, neceſſe eſt poſt Paſcha contigiſſe. Siquidem ante Paſcha, Iudæis edere quicquam ex noua ſegete non licuit. Etenim priuſquam id liceret, manipulus ſpicarum in primitias meſſis altera die Paſchæ offerendus erat Domino: vt Leu. 23. ſcribitur. Poſt Pentecoſten vero non facilè inueniebantur in agris euellendæ ſpicæ, cum meſſis perfecta iam eſſet: Deoque primitiui panes in Pentecoſte oblati. Deinde quamuis tunc meſſis perfecta non fuiſſet, illud ſaltem, quod Luc. habet, ſpicas à diſcipulis euulſas in ſabbatho ſecundo primo, conuincit ſtatim à Paſchate illud contigiſſe. Quoniam ergo antequam Dominus Nazarethum iret, dictas eſſe parabolas conſtat; & has electionem Apoſtolorum, & ſermonem in monte, cum alijs quibuſdam præceſſiſſe. Manum quoque aridam ante Apoſtolorum electionem eſſe ſanatam; imo etiam ſpicarum confrictionem, tempore, manus aridæ ſanatione, priorem eſſe; & ante ſpinarum confrictionem accidiſſe, quæ hoc, & ſequenti capite narrantur ex Ioanne, manifeſtum eſt hic iſtud caput, cum proximo, ſubijciendum.

Not. 2. ver. 1.

POST hæc ſupple miracula in Galilæa facta, inquit Tho. in catena Ioann. 5. inter quæ fuit etiam illud, de filio Reguli ſanato cap. 27. Tho.

Aug. lib. 4. de conſ. cap. 10: Inde, ex Galilæa, Hieroſolymam redit, fit ſanus triginta octo annorum languidus. Ex hac occaſione, quę dicuntur, quamdiu dicuntur? Et lib. 2. cap. 45: Alia quæ Dominum in Galilæa feciſſe, atque dixiſſe alij Euangeliſtæ dixerunt, Ioannes tacet. Sed quod illi tacuerunt, dicit, aſcendiſſe eum in die feſto Hieroſolymis: & feciſſe ibi miraculum illud de homine, qui triginta octo annos habebat in infirmitate: & ex hac occaſione multa cum locutum fuiſſe commemorat. Aug. Aug.

Quænam fuerit iſta feſtiuitas Iudæorum, de qua ver. 1. Euangeliſta loquitur, hic non expreſſit: omnino tamen hic videtur ſermo eſſe de Quod hic feſtum intelligatur.

X vno

vno præcipuorum illorum feſtorum, quibus lex Exod. 33. volebat omnes apparere coram Domino in Hieruſalem. Vnde Chriſtus eo etiam aſcendit. Hic nonnulli ſcænopegiæ feſtum intelligunt. opinio 1. opinio 2.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 35. in Ioan: Hic dies feſtus Iudæorum fuiſſe videtur Pentecoſte. Sic etiam Euth. & Theoph. Ioan. 5. Cyrill. lib. 2. in Ioan. cap. 123. & alijs, quorum ratio eſt, quod cum Ioannes antea Paſchæ meminerit; etiam ſubiungat: Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, opinentur debere intelligi de feſto proxime ſequente Paſchalem ſolemnitatem, quod eſt Pentecoſte. (Eut. Theop. Cyr.)

3. opinio veriſimilior. Nihilominus admodum veriſimile mihi eſt, ac pene certum, feſtum illud Iudæorum, cuius modo Ioannes meminit, fuiſſe alterum Paſchæ feſtum, quod ſcilicet proximè ſequutum eſt illud Paſchæ feſtum, de quo ſupra c. 22. Idque rationi plane conſonum iudicabit, qui temporis exactam rationem habuerit. Quandoquidem Chriſtus cap. 26. diſcipulis ſuis dixit, quatuor adhuc menſes fuiſſe, & non plures, vſque ad meſſem, cum poſt primum Paſcha è Iudæa per Samariam iret in Galilæam. Erat ergo tunc finis Nouembris, aut initium Decembris, vel circiter: nam apud Iudæos meſſis poſt Paſcha in Aprili noſtro incipit. Itaque omnia feſta primi anni, antequam Dominus relinqueret Iudæam, prætierant. Ergo hic dies feſtus Iudæorum, accipi non poteſt pro aliquo ex illis, quæ proxime ſequuta ſunt primum Paſcha, cuius antea Ioannes mentionem fecerat: nec etiam pro ſecundi anni Pentecoſte, vel ſcænopegia; nam à primo illo Chriſti receſſu, per Samariam, è Iudæa, in Galilæam, vſque ad illa feſta longius erat tempus, quam menſium quatuor. Nec veriſimile eſt, quod Ieſus Paſcha ſecundum labi permiſiſſet, & Hieroſolymam non veniſſet. Quare Ioannes de ſecundo Paſchæ feſto nunc loquitur. Illud quippe interea, quæ celebranda lex præcipiebat, primum erat ab illo è Iudæa in Galilæam reditu. Hinc Ruper. aſſerit diem feſtum, de quo hic agitur, Paſcha fuiſſe. Sic etiam Iren. lib. 2. cap. 39. vbi pulchrè diſtinguit Paſchata quatuor totius illius temporis, quo Dei regnum Chriſtus prædicauit. Quorum omnium Ioannes Euangeliſta meminit. In primo Paſchate Ieſus ementes, & vendentes è templo eiecit, ac Nicodemum regenerationis ſpiritualis myſteria docuit, cap. 22. & 23. In ſecundo fecit quæ cap. 42. & 43. explicantur. Circa tertium Paſcha miraculum quinque panum exhibuit; myſteria panis cœleſtis, Euchariſtiæ, carnis, & ſanguinis ſui docuit, cap. 71. 72. 73. In quarto autem paſſus eſt. Proinde Chriſtus ſingulis annis circa feſtum Paſchæ, aliquid ſingulare fecit, & docuit. Irenæi verba ſunt hæc: Eſt autem valde admirari, quonam modo profunda Dei adinueniſſe ſe dicentes, non ſcrutati ſint in Euangelijs, quoties ſecundum tempus Paſchale Dominus poſt baptiſma aſcenderit in Hieruſalem, ſecundum quod moris erat Iudæis, ex omni regione, omni anno, tempore hoc conuenire Hieruſalem, & illic diem feſtum Paſchæ celebrare. Et primum quidem vt fecit vinum ex aqua, in Cana Galilææ aſcendit in diem feſtum Paſchæ. Quoniam & ſcriptum eſt; quia multi crediderunt in eum, videntes ſigna, quæ faciebat, ſicut Ioannes Domini diſcipulus meminit. Dehinc iterum ſubtrahens ſe, inuenitur in Samaria, quando & cum Samaritana diſputabat; & filium Centurionis abſens verbo curauit, dicens: Vade, filius tuus viuit. Et poſt hæc iterum ſecunda vice aſcendit in diem feſtum Paſchæ in Hieruſalem, quando paralyticum, qui iuxta natatoriam iacebat 38. annos, curauit, iubens vt ſurgeret, & anferret grabbatum ſuum, & iret: & iterum inde ſecedens trans mare Tyberiadis, vbi & cum multa turba fuiſſet eum ſequuta, de quinque panibus ſatiauit omnem illam multitudinem, & ſuperauerunt duodecim cophini fragmentorum. Deinde cum Lazarum ſuſcitaſſet ex mortuis, & inſidiæ fierent à Phariſæis, ſecedit in Effrem ciuitatem: & inde ante ſex dies Paſchæ veniens in Bethaniam, ſcribitur, & de Bethania aſcendens in Hieroſolymam, & manducans Paſcha, & ſequenti die paſſus. Hos autem alij plures ſequuntur.

(Ratio 1. — Rup. — Ratio 2. Iren. — Quatuor prædicationis Chriſti Paſchata. — 1 — 2 — 3 — 4)

Certe niſi fateamur diem hunc feſtum Paſcha fuiſſe, non poterimus ex Euangelio colligere, Dominum tres annos cum aliquot menſibus Euangelium prædicaſſe. Id tamen vaticinatus eſt Daniel, cum ait eum multis pactum hebdomada vna confirmaturum: & in dimidio illius hebdomadæ, defecturam hoſtiam, & ſacrificium, per mortem ſcilicet eius antiquantem omnia legis antiquæ ſacrificia. Et tamen Ioannes ad deſignandum annos, & tempus prædicationis Chriſti, accuratiſſimè numerauit Paſchata, quæ in tempus, quo Dominus prædicauit, inciderunt; quod ab alijs Euangeliſtis fuit prætermiſſum. Habes & aliam rationem prima notatione. Ratio 3. Chriſti prædicationis tẽpus. Dan. 9. Ratio 4.

Et hom. 35. in Ioan: Frequenter in ſolemnitatibus ciuitatem petit, tum vt videatur ipſe quoque cum reliquis, feſtos dies colere; tum vt ſimplicem ad ſe multitudinem alliciat. Maximè enim eiuſmodi diebus, melius diſpoſita eſſe cõſueuerat. Idem Euth. & Theph. Ioan. 5. aſcendit in eo Dominus; partim ne videretur aduerſarius eſſe legi; ſed compareret cum reliquis, diem feſtum agens: partim vt plures per ſigna, & doctrinas alliceret, & maxime turbam ſimplicem. Solebant enim conuenire, & ruſtici, & opifices vrbani qui alijs diebus in operibus ſuis erant occupati. (Chryſoſt. Cur Dominus feſta colebat. — Eut. Theoph. — Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3.)

Not. 3. ver. 2.

De probatica piſcina, vide Euth. & Theoph. Ioan. 5. Chryſoſt. hom. 15. in Ioan. Aug. tract. 17. in Ioan. Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 125.

Tertul. lib. aduerſus Iudæos cap. 13: Habet piſcinam Bethſaïdam vſque ad Chriſti aduentum duraſſe, curando inualetudines ab Iſrael: deinde vero deſijſſe à beneficijs, ob ſui furoris perſeuerantiam. Tert.

Ver. 4.

Amb. Ambr. lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 7: Habes etiam in Euangelio, quia Angelus ſecundum tempus deſcendebat in natatoria, & mouebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet in natatoria ſanus fiebat. Quid in hoc typo Angelus, niſi deſcenſionem ſancti Spiritus nunciabat, quæ noſtris futura temporibus, aquas ſacerdotalibus inuocata precibus, conſecraret. Ille ergo Angelus ſancti Spiritus erat nuncius, eo quod per gratiam ſpiritalem medicina noſtris eſſet animis, ac mentis languoribus deferenda. Eoſdem ergo, & ſpiritus habet, quos Deus Pater, & Chriſtus, miniſtros.

Tert. Tertull. lib. de baptiſmo cap. 5: Angelum aquis interuenire, ſi nouum videtur, exemplum futuri præcucurrit, piſcinam Bethſaïdam, Angelus interueniens commouebat, obſeruabant qui valetudinem quærebant. Nam ſi quis præuenerat deſcendere illuc, queri poſt lauacrum deſinebat. Figura iſta medicinæ corporalis, ſpiritalem medicinam canebat, ea forma, qua ſemper carnalia in figura ſpiritalium antecedunt. Proficiente itaque in hominibus gratia Dei, plus aquis, & Angelo acceſſit: qui vitia corporis remediabant, nunc ſpiritum medentur, qui temporalem operantur ſalutem, nunc æternam reformant, qui vnum ſemel anno liberabant; nunc quotidie populos conſeruant, deleta morte per ablutionem delictorum. Exempto ſcilicet reatu, eximitur pæna.

Not. 4. ver. 5.

Amb. AMBR. lib. de ijs, qui myſterijs initiantur cap. 4: Hæc piſcina in Hieroſolymis erat, in qua vnus annuus ſanabatur: ſed nemo ante ſanabatur, quam deſcendiſſet Angelus: vt eſſet indicium, quia deſcenderat Angelus mouebatur aqua propter incredulos. Illis ſignum, tibi fides, illis Angelus deſcendebat, tibi Spiritus ſanctus. Illis creatura mouebatur, tibi Chriſtus operatur, ipſe Dominus creaturæ. Tunc curabatur vnus, nunc omnes ſanantur, aut certe vnus ſolus populus Chriſtianus. Eſt enim in aliquibus, & aqua mendax non ſanat, baptiſmus perfidorum, non mundat, ſed polluit. Iudæus vrceos baptizat, & calices quaſi inſenſibilia, vel culpam poſſint recipere, vel gratiam. Tu baptiza hunc calicem tuum ſenſibilem, in quo bona tua opera luceant, in quo gratiæ tuæ ſplendor fulgeat. Ergo & illa piſcina in figura, vt credas quia in hunc fontem vis diuina deſcendit. Denique Paralyticus ille expectabat hominem, quem? niſi illum Dominum Ieſum natum ex virgine; cuius aduentu iam non vmbra ſanaret ſingulos, ſed veritas vniuerſos? Iſte eſt ergo, qui expectabatur vt deſcenderet, de quo dixit Deus Pater ad Ioannem Baptiſtam: Super quem videris Spiritum deſcendentem de cœlo, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.

Amb. Et lib. 2. de ſacram. cap. 2: Quid lectum eſt? hæc Angelus, inquit, ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam, & quotieſcumque deſcendiſſet Angelus, mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet ſanabatur ab omni languore quocumque tenebatur. Quod ſignificabat figuram venturam Domini noſtri Ieſu Chriſti. Angelus, quare? ipſe eſt enim magni conſilij Angelus, ſecundum tempus, quod ad horam nouiſſimam ſeruabatur, vt in occaſu ipſum diem deprehenderet, & differret occaſum. Quotieſcumque ergo deſcendiſſet Angelus mouebatur aqua. Dicis forte, quare modo non mouetur? Audi quare, ſigna incredulis, fides credentibus. Qui prior deſcendiſſet, ſanabatur ab omni infirmitate. Qui prior? tempore, an honore? vtrumque intellige. Si tempore prior qui deſcendiſſet, ſanabatur, hoc eſt, de populo Iudæorum, magis quam de populo nationum. Si honore, qui prior deſcendiſſet, hoc eſt, qui haberet Dei metum, ſtudium Iuſtitiæ, gratiam charitatis, caſtitatis affectum, ipſe magis ſanabatur. Tamen tunc temporis vnus ſanabatur. Tunc, inquam, temporis in figura, qui prior deſcendiſſet, ſolus curabatur. Quanto maior eſt gratia Eccleſiæ, in qua omnes ſaluantur; quicumque deſcendunt? Sed videte myſterium; venit Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad piſcinam. Multi ægri iacebant. Et facile ibi multi ægri iacebant, vbi vnus tantummodo curabatur. Deinde ait ad illum Paralyticum: Deſcende. Ait ille: Hominem non habeo. Vide vbi baptizaris, vnde ſit baptiſma, niſi de cruce Chriſti, de morte Chriſti. Ibi eſt omne myſterium, quia pro te paſſus eſt. In ipſo redimeris, in ipſo ſaluaberis. Hominem, inquit, non habeo, hoc eſt, quia per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. 1 Corint. Non poterat deſcendere, non poterat ſaluari, qui non credebat, quod Dominus Ieſus carnem ſuſcepiſſet ex virgine. Hic autem qui operiebatur mediatorem Dei, & hominum, hominem Ieſum expectans, eum de quo dictum eſt: & mittet Dominus hominem, qui ſaluos faciet eos: dicebat, hominem non habeo. Et ideo ad ſanitatem meruit peruenire, quia credebat in aduenientem. Melior tamen, & perfectior fuiſſet ſi credidiſſet iam veniſſe, quem ſperabat eſſe venturum.

Aug. Auguſt. tract. 12. in Euangelium Ioan. Vnus ſanabatur in illa piſcina, & quiſquis alius deſcendebat non ſanabatur. Ergo iſte vnus commendat vnitatem Eccleſiæ. Væ illis, qui oderunt vnitatem Eccleſiæ, & partes ſibi faciunt in hominibus. Aug. Et ſer. 42. de verbis Domini; hoc quod nobis præſtitit verbum, caro factum; & iam piſcina illa ſignificat. Breuiter dico, aqua illa populus Iudaicus erat quinque porticus, lex. Quinque enim libros ſcripſit Moyſes. Ergo aqua quinque porticibus cingebatur. Sicut ille populus lege coercebatur, aquæ perturbatio in illo populo, eſt Domini paſſio. Qui aſcendebat, ſanabatur non niſi vnus; quia ipſa eſt vnitas. Aug. Eundem vide lect. 1. 2. 3. fer. 6. quat. tempor. Quadr.

Not. 5. ver. 6.

Atha. ATHAN. hom. de ſemente: Diuturnus ideo hic morbus fuit, vt Iudæi inde conuincerentur. Si enim breuis illa ægrotatio fuiſſet, latuiſſet vis miraculi: nunc multi anni hunc morbum conteſtatum reddunt; vt vel ita videntes viſum recuperent.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 36. in Ioan: Quidam eundem hunc, & quem Matth. meminit eſſe arbitrantur. Non eſt tamen, quod pluribus rationibus conſtat: primum ille multos habebat, qui ſumma cura ipſum ferebant, hic neminem; quare, inquit, hominem non habeo. Deinde ille nihil loquutus eſt, hic ſuam narrat miſeriam: illius curationis diem non meminit Euangeliſta, hic in die feſto ſanatus eſt: ille domi, hic iuxta piſcinam: illi, remittuntur tibi peccata tua, inquit: huius prius corpus, deinde animam curauit. Illi libere dimittit peccata, remittuntur tibi, inquit, peccata tua. Hunc admonet, & minatur, vt ſibi in poſterum caueat. Iam noli peccare, inquiens, ne deterius tibi aliquid contingat. Accedit ad hæc differens Iudæorum calumnia; hic Sabbathi præuaricationem, illic blaſphemiam accuſant. Idem Euth. Ioan. 5. De ver.

Eut.

Amb. 9. vide Amb. in Pſal. 40.

Not. 6. ver. 10.

Atha. ATHAN. hom. de ſemente: Iudæi non viderunt miraculum factum in ſabbatho, ſed eum qui grabbatum ſuum baiulabat. Cum hæc cogitare ſecum debuiſſent: quales, quæſo medici aduenerunt? nemo eum antea ſanauit; iacebat miſellus, inops, nec vllum quidem habens qui ipſum in piſcinam deijceret. Talis iſte miraculorum patrator, rerumque etiam magis admirandarum auctor, vtpote qui tantam vim Paralytico dederit, vt non ſolum adſurrexerit, ſed & lectulum portarit ſuum. Verum cæca res malitia.

Ver. 14.

Amb. Ambroſ. ad finem cap. 1. epiſt. 1. ad Timoth: Hinc eſt vnde in Euangelio dictum eſt inter cætera: iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat. Oſtendens cauſa peccati, aliquando infirmitates inferri corporibus.

Pœnæ cauſa peccatum.

Iren. Irenæus lib. 5. cap. 15: Dicens Chriſtus: Ecce ſanus factus es; iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat, manifeſtat quoniam propter inobedientiæ peccatum, ſubſequuti ſunt languores hominibus.

Aug. Aug. lib. de Fide, & operibus cap. 20: Tunc (poſt remiſſionem peccatorum acceptam) vere dici poteſt etiam ſpiritaliter: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare; quod Dominus de corporali ſanitate ideo dixit, quoniam ſciebat, ei, quem ſaluum fecerat, meritis peccatorum, illum etiam carnis accidiſſe languorem.

Cypr. Cyprianus epiſt. 7. ad Rogatianum, & cæteros Confeſſores: Hortamur per communem fidem, per pectoris noſtri veram circa vos, & ſimplicem charitatem, vt qui aduerſarium prima hac congreſſione viciſtis gloriam veſtram forti, & perſeueranti virtute teneatis. Adhuc in ſæculo ſumus, adhuc in acie conſtituti, de vita noſtra quotidie dimicamus; danda opera eſt, vt poſt hæc initia, ad incrementa quoque veniatur, & conſummetur in vobis quod iam rudimentis fælicibus eſſe cœpiſtis. Parum eſt adipiſci aliquid potuiſſe, plus eſt quod adeptus es poſſe ſeruare. Sicut & fides ipſa, & natiuitas ſalutaris non accepta, ſed cuſtodita viuificat. Nec ſtatim conſequutio, ſed conſummatio hominem Deo ſeruat. Dominus hoc magiſterio ſuo docuit, dicens: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Puta hoc illum, & confeſſori ſuo dicere. Ecce confeſſor factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Salomon denique, & Saul, & cæteri multi, quamdiu in vijs Domini ambulauerunt, datam ſibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab ijs diſciplina Dominica, receſſit & gratia: Perſeuerandum nobis eſt in arcto, & anguſto itinere laudis, & gloriæ. Et lib. de diſciplina, & habitu virginum cap. 1. Glorificemus, & portemus Deum puro, & mundo corpore, & obſeruatione meliore; & qui per ſanguinem Chriſti Domini noſtri redempti ſumus, per omnia ſeruitutis obſequia redemptoris imperio pareamus, demuſque operam ne quid immundum, & profanum templo Dei inferatur, ne offenſus ſedem, quam inhabitat, derelinquat. Soſpitantis Domini verba ſunt, & docentis, curantis pariter, & monentis: Ecce, inquit, ſanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat; dat viuendi morem, dat innocentiæ legem, poſtquam contulit ſanitatem. Nec habenis liberis, & ſolutis vagari poſtmodum patitur; ſed ipſis potius quibus ſanatus fuerat, mancipato grauius comminatur; quod ſit ſcilicet minor culpa deliquiſſe ante, cum needum noſſes diſciplinam Dei. Et lib. 3. teſtimoniorum ad Quirinum cap. 27: Baptizatum quoque gratiam perdere, quam conſequutus ſit, niſi innocentiam ſeruet in Euangelio cata Ioãnem: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Cypr. Cypr.

Bern. Bern. ſerm. 3. in Cant: Si dixerit mihi Ieſus, dimittuntur tibi peccata tua: niſi ego peccare deſiero, quid proderit? Exui tunicam meam, ſi reinduero eam, quantum profeci? Si rurſus pedes meos, quos laueram, inquinauero nunquid aliquid lauiſſe valebit? Sordens omni genere vitiorum, iacui diu in luto fęcis: ſed erit ſine dubio recidenti, quam iacenti deterius. Denique qui me ſaluum fecit, ipſum mihi dixiſſe recordor: Ecce ſanus factus es, vade, iam amplius noli peccare; ne deterius aliquid tibi contingat. Qui autem dedit voluntatem pœnitendi, opus eſt vt addat, & continendi virtutem: ne iterem pœnitenda, faciamque nouiſſima mea peiora prioribus. Væ enim mihi etiam pœnitenti, ſi ſtatim ſubſtraxerit manum, ſine

ſine quo nihil poſſum facere. Nihil, inquam, quia nec pœnitere, nec continere. Audio proinde quod conſulat ſapiens: Verbum, inquit, in oratione ne iteres. Paueo & quod iudex intentat arbori non facienti fructum bonum. Fateor pro huiuſmodi non ſolum omnino contentus priori gratia, qua iam malorum ſum pœnitens, niſi & ſecundam accepero: vt videlicet dignos faciam pœnitentiæ fructus, & deinceps non reuertar ad vomitum.

Chryſoſt. Chryſoſt. ſer. de lapſu primi hominis: Te iam instituit Dominus, tibi geſtorum exempla propoſuit. Ecce, inquit, ſanus factus es, noli iam amplius peccare; ne quid tibi deterius fiat. Noli, inquit, peccare poſt veniam, noli vulnerari poſt curam, noli ſordari poſt gratiam, cogita, inquit, ô homo, grauiorem eſſe culpam poſt veniam; renouatum vulnus peius dolere poſt curam, moleſtius hominem ſordidari poſt gratiam. Quare indulgentiæ ingratus eſt, qui poſt veniam peccat; ſanitate indignus eſt, qui ſemetipſum poſtquam curatus eſt vulnerat; nec mundari meretur, qui ſemetipſum poſt gratiam ſordidat. Porro qui poſt abſolutionem non peccat, meretur & præmium; qui poſt curam cautus eſt ſanitatis, poſſidet domum; qui gratiam illæſam tenuerit, æternitatis accipiet regnum. Graue eſt enim hominem inſtructum delinquere, grauius abſolutum peccare. Seruo peior eſt, qui patronum poſt datam libertatem offendit. Beneficijs ingratus eſt, qui datorem tumoris arrogantia deſpicit. Quare aut ſalutem de exemplo acquire, aut de conſortio ſimilem ſententiam metire, ne ſeuerum ſentias iudicem, qui benignum contempſeris perſuaſorem. Et hom.

Chryſoſt. in Pſal. 121. maximè quidem operam adhibeamus, ne labamur: ſed ſi in peccata quandoque inciderimus, ſtudeamus celeriter reſurgere, & non in peiora recidere, ne ea audiamus quæ fuerunt dicta Paralytico: Ecce ſanus factus es, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat. Propterea enim ſic dixit, & bonos docens, vt virtutem ſecurè conſeruent, & qui liberantur à peccatis, in optima mutatione maneant, vt omnes communiter bona cœleſtia conſequantur. Eadem habet hom. de eruditione diſciplinæ: & hom. 5. de pœnitentia.

Chryſoſt. Et hom. 68. in Matth: Sic, alijs quidem conſeruanda ſunt, quæ acquiſierunt, alijs autem neceſſe eſt vt commutati id fiant, quod non ſunt. Nam vt alteris conſeruare ſanitatem opus eſt, ſic alteris ab ægrotatione ſeipſos liberare. Multi quippe à morbo diligentia conualuerunt, & multi ex ſanitate in morbum negligentia inciderunt. Ideo ad illas dicit: Ecce ſanus factus es, noli amplius peccare, vt non deterius tibi aliquid fiat. Ad hos autem: Vis ſanus fieri? ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Peccatum namque grauiſſima paralyſis eſt, nec paralyſis ſolummodo, ſed paralyſi etiam peius, huiuſmodi enim homines non ſolum in ocio, vt ita dicam, virtutis viuunt: verum etiam in opere nequitiæ degunt. Et tamen ſi qui hoc pacto diſſolutus, iacet, paululum voluerit erigere, confeſtim ab vniuerſo morbo liberatur. Etſi triginta & octo annos iacueris, nihil tamen prohibebit ſi volueris ſanus fieri: adeſt enim nunc etiam Chriſtus clamans: Tolle lectum tuum; modo velis tu ſurgere, modo non deſperes. Non habes hominem, ſed habes Deum; non habes qui te valeat in piſcinam immittere; ſed habes eum qui poteſt facere, ne opus tibi piſcina ſit. Non habes qui te in piſcinam inijciat; ſed habes eum qui præcipit tibi, vt tollas lectum tuum. Ita non potes dicere, dum ego venio, alius ante me deſcendit. Nullus vetat, ſi volueris in fontem gratiarum deſcendere. Hæc quippe gratia nunquam conſumitur, nunquam euacuatur, continue fons hic emanat, & à plenitudine ipſius, & corpus & animam omnes curabimus. Adeamus igitur alacri animo. Nam, & Raab meretrix erat, ſed ſaluata eſt; Latro truculentiſſimus fuit homicida; ſed Paradiſi ciuis effectus eſt. Nec Iudæ profuit quod magiſtrum diſcipulus ſequebatur, ſed perijt: latro autem in cruce diſcipulus eſt factus. Hæc Dei mirabilia ſunt: ſic magi comprobati, ſic Publicanus Euangeliſta factus eſt, ſic Paulus è blaſphemo in Apoſtolum euaſit, hæc conſiderans non deſpera, ſed miſericordia Domini fretus excita teipſum, viam ſolummodo facere incipias, & cito peruenies. Caue ianuam tibi præcludas, ingreſſum obſepias, breuis præſens eſt vita, paruus eſt hic labor: qui etiamſi magnus eſſet, neque ſic tamen renuere deberemus.

Not. 7. ver. 15.

Eut. EVTH. Mar. 5: Abijt, & nunciauit: non tanquam iniquus vt perderet, ſed tanquam gratus vt benefactorem diuulgaret: nam beneficium, ac minæ ſufficiebant, vt eum in officio continerent: nec his tantum alligatus erat, verum etiam timebat, ne quid deterius pateretur. Præſertim quod ſi eum prodere voluiſſet, nequaquam dixiſſet, quod Ieſus eſſet, qui ſe ſanaſſet; ſed quod Ieſus eſſet, qui dixiſſet ei: Tolle grabbatum tuum, & ambula. Ipſe ergo quia crimen incurrere ſe putabat ſi tacuiſſet, beneficium prædicauit. Gratus itaque, ac liberè loquens cenſendus eſt hic homo, omnique careat accuſatione.

Gaud. Gaudent. Brixien. Epiſc. ſer. 11: Rudis adhuc ex infirmitate Iudaica; ſed iam gratus de ſalubritate recepta, quoniam non præualet calumniantibus facti præſtare rationem præcepti, atque operis demonſtrat authorem, dicens: Ieſus me ſanum fecit; non ait: Filius Dauid, aut filius Ioſeph (hæc enim nomina, tunc temporis de Chriſto vſitata erant in populo) ſed Ieſus, ait: me ſanum fecit. Sciebat enim vtpote Hebræus nomen Ieſus ex virtute deſcendere ſanitatis. Ille, inquit, me ſanum fecit, cuius nomen eſt ſalus, & quomodo poterit ſalus per præſcriptam legem prohiberi ne ſaluet?

CAP. 43. *Calumniantibus Iudæis* CHRISTVS *reſpondet.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 5.*

1 PRopterea perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc faciebat in ſabbatho.
2 Ieſus autem reſpondit eis: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.
3 Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolum ſoluebat ſabbathum; ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.
4 Reſpondit itaque Ieſus, & dixit eis: Amen, amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem.
5 Quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.
6 Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, & maiora his demonſtrabit ei opera, vt vos miremini.
7 Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & Filius quos vult viuificat.
8 Neque enim Pater iudicat quenquam; ſed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.
9 Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum.
10 Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam; & in iudicium non venit; ſed tranſijt à morte in vitam.

In commemoratione omnium fidelium d functorum.

11 AMEN, amen dico vobis, quia ✠ venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei; & qui audierint, viuent.
12 Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo; ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.
13 Et poteſtatem dedit ei, etiam iudicium facere, quia filius hominis eſt.
14 Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei.
15 Et procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: Qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. ✠
16 Non poſſum ego à meipſo facere quicquam.
17 Sicut audio, iudico: & iudicium meum iuſtum eſt.
18 Quia non quærò voluntatem meam: ſed voluntatem eius, qui miſit me.
19 Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum.
20 Alius eſt, qui teſtimonium pethibet de me: & ſcio, quia verum eſt teſtimonium, quod perhibet de me.
21 Vos miſiſtis ad Ioannem; & teſtimonium pethibuit veritati.
22 Ego autem non ab homine teſtimonium accipio; ſed hæc dico, vt vos ſalui ſitis.
23 Ille erat lucerna ardens, & lucens: vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius.
24 Ego autem habeo teſtimoninm maius Ioanne.
25 Opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me; quia Pater miſit me.
26 Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me.

Neque

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 5.*
			27 Neque vocem eius vnquam audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis.
			28 Et verbum eius non habetis in vobis manens; quia quem miſit ille, huic vos non credetis.
			29 Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.
			30 Et non vultis venire ad me, vt vitam habeatis.
			31 Claritatem ab hominibus non accipio.
			32 Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.
			33 Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me. Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.
			34 Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?
			35 Nolite putare, quia ego accuſaturus ſim vos, apud Patrem; eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis.
			36 Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit.
			37 Si autem illius litteris non creditis; quomodo verbis meis credetis?]

Not. 1. ver. 2.

Aug. Vt die 7. requieue-rit Deus ab omnibus operibus ſuis, cum vſque nunc operetur.

AVG. lib. 1. de Geneſi contra Manich. cap. 22: Iam nunc videamus, etiam illud quod ſolent maiore impudentia, quam imperitia deridere; quod ſcriptum eſt Deum conſummato cœlo, & terra, atque omnibus, quæ fecit, requieuiſſe die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, & benedixiſſe diem ſeptimum, & ſanctificaſſe eum, quia requieuit ab operibus ſuis, dicunt enim quid opus erat, vt Deus requieſceret. An forte operibus ſex dierum fatigatus, & laſſatus erat? addunt etiam Domini teſtimonium, vbi ait: Pater meus vſque nunc operatur, & hinc multos imperitos decipiunt, quibus perſuadere conantur nouum teſtamentum veteri teſtamento aduerſari. Sed ſicut illi, quibus Dominus dicit: Pater meus vſque nunc operatur, carnaliter opinabantur, requiem Dei, & carnaliter ſabbathum obſeruantes, non videbant quid illius diei ſignificatio figurauit. Sic & iſti diuerſa quidem voluntate, pariter tamen non intelligunt ſabbathi ſacramentum; & illi enim carnaliter obſeruando, & iſti carnaliter execrando ſabbathum non nouerunt. Tranſeat ergo vnuſquiſque ad Chriſtum vt auferatur velamen, ſicut Apoſtolus dicit: Velamen enim aufertur, quando ſimilitudinis, & allegoriæ operimento ablato veritas nudatur, vt poſſit videri. Primo ergo huius loquutionis regula in multis diuinarum ſcripturarum locis animaduertenda, atque diſcenda eſt. Quid enim aliud ſignificat, quod dicitur, Deus requieuiſſe ab omnibus operibus ſuis, quę fecit bona valde, niſi requiem noſtram, quam nobis daturus eſt ab omnibus operibus noſtris, ſi & nos bona opera fecerimus? ſecundum ipſam figuram locutionis dicit & Apoſtolus: Quid enim oremus ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: Non enim Spiritus ſanctus gemit quaſi indigeat, aut anguſtias patiatur, qui ſecundum Deum interpellat pro Sanctis, ſed quia ipſe nos mouet ad orandum cum gemimus, quod ipſo mouente nos facimus, ipſe facere dictus eſt. Sic dicitur etiam illud: Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligatis eum. Non enim vt ſciat ipſe, quem nihil latet, ſed vt ſcire vos faciat, quantum in eius dilectione profecerimus, tentari vos permittit. Secundum ipſam locutionem dicit & Dominus noſter neſcire ſe diē & horam de fine ſeculi. Quid enim etiam eſſe quod ipſe neſciat? ſed quia hoc vtiliter occultabat diſcipulis neſcientem ſe eſſe dixit; quia illos neſcientes occultando faciebat. Secundum hanc figuram etiam Patrem ſolum ſcire dixit diem ipſum; quia eundem filium ſcire faceret; ex hac figura multæ quæſtiones in diuinis ſcripturis eis, qui iam genus locutionis huius nouerunt ſine vlla difficultate ſoluuntur. Talibus locutionibus etiam abundat noſtra conſuetudo, cum dicimus lætum diem: quia nos lætos facit, & pigrum frigus; quia nos pigros facit: & foſſam cæcam; quia nos eam non videmus: & linguam politam; quia verba polita facit: poſtremo etiam quietum ab omnibus moleſtijs tempus dicimus; in quo nos ab omnibus moleſtijs quieti ſumus. Sic & Deus dictus eſt requieuiſſe ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit bona valde; quia in illo requieſcemus ab omnibus operibus noſtris ſi bona opera fecerimus: quia & ipſa bona opera noſtra illi tribuenda ſunt, qui vocat, qui præcipit, qui viam veritatis oſtendit, qui vt & velimus inuitat, & vires implendi ea, quæ imperat ſubminiſtrat.

2. Cor. 3. *1. Reſp.* *Rom. 8. Quomodo gemat ſpiritus ſanctus, & oret.* *Deut. 13.* *Quomodo nos Deus tentat vt ſciat.* *Matt. 24.* *Quomodo Chriſtus neſciat diē iudicij.*

Aug. Et libro contra Adimantum cap. 2: Hinc etiam loco Manichæi calumnias, mouent; & dicunt nouo teſtamento aduerſari, quod in Geneſi ſcriptum eſt, Deum ſeptimo die requieuiſſe, ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit; quoniam Dominus in Euangelio dicit: Pater meus vſq; nunc *2. Reſp.*

 operatur,

operatur, quod nullo modo contrarium eſt. Dominus enim Iudæorum refellit errorem, qui putabant Deum ſic requieuiſſe die ſeptimo, vt ex illo nihil prorſus operaretur. Requieuit autem ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit, vt iam vltra non faceret mundum, cum omnibus quæ in eo ſunt, non tamen vt etiam à mundi adminiſtratione requieſceret, non enim ſcriptum eſt: Requieuit Deus ab omnibus operibus ſuis, vt deinceps non operaretur, ſed ſcriptum eſt: Requieuit Deus ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit, vt deinde non in faciendo mundo, à quo opere poſt perfectionem ceſſauerat, ſed in adminiſtrando operaretur, in quo opere eum eſſe Dominus intimauit. Hæc illa requies quaſi poſt laborem, Deum cauſam quæſiſſe, ſed ab inſtituendis rerum naturis poſt earum rerum perfectionem, ceſſare ſignificat, quamuis vſque adhuc in adminiſtrandis operetur.

Sabbatho quid liceat, & quid non.

Sabbathi autem obſeruationes non intelligebant Iudæi, qui putabant ab ijs etiam operibus, quæ ad ſalutem hominum valent, oportere ceſſari. Vnde illos Dominus etiam alijs locis de boue, qui in puteum cecidit, & iumento, quod ſoluendum eſt, vt ad aquam ducatur; mirifica comparatione redarguit. (cap. 115.) (1. Reſp.) Sabbathum autem non repudiatum, ſed intellectum, à Chriſtianis deſtitit quidem carnaliter obſeruari, ſed ſpiritualiter retinetur à Sanctis, qui intelligunt vocem Domini vocantis ad requiem, & dicentis: Venite ad me, (Matt. 11) qui laboratis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: Iugum enim meum leue eſt, & ſarcina mea leuis eſt. Hoc ſabbathum, id eſt, hanc requiem ſcriptura illa ſignificat, quam Iudæi non intelligebant, & pro temporum diſpenſatione carnaliter ſequebantur vmbram, cuius vmbræ quaſi corpus, id eſt, veritas nobis danda erit. Sed quemadmodum illa requies Dei poſt fabricatum mundum inſinuatur, ſic requiem, quæ nobis promittitur poſt opera, quæ in hoc mundo habemus, ſi iuſta fuerint, conſequemur ſeptima ſcilicet, eademque vltima parte ſæculi, de qua longum eſt diſputare. Non ergo Dominus reſcindit ſcripturam veteris teſtamenti, ſed cogit intelligi: nec ſabbathum ſoluit, vt pereat, quod figurabatur, ſed aperit potius vt appareat quod tegebatur.

Aug. Et lib. 4. de Geneſi ad litteram cap. 11: Iuſtiſſima ratione compellimur indagare ſi valeamus, atque eloqui. Quomodo vtrumque ſit verum, & quod hic ſcriptum eſt in ſeptimo die requieuiſſe Deum ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit: & quod in Euangelio dicit ipſe, per quem facta ſunt omnia; Pater meus vſque nunc operatur, & ego operor.

Quibus Dominus hic reſpõdeat.

Eis enim hoc reſpondit, qui propter requiem Dei, ſcripturæ huius auctoritate antiquis commendatum ſabbathum, ab eo non obſeruari quærebantur. (2. Reſp.) Et dici quidem probabiliter poteſt, obſeruandum ſabbathum Iudæis fuiſſe præceptum in vmbra futuri, quæ ſpiritalem requiem figuraret, quam Deus exemplo huius quietis ſuæ, fidelibus bona opera facientibus arcana ſignificatione pollicebatur. Cuius quietis, & ipſe Dominus Chriſtus, qui non niſi quando voluit, paſſus eſt, etiam ſepultura ſua myſterium confirmauit. Ipſe quippe die Sabbathi requieuit in ſepulchro, eumque totum diem habuit ſanctæ cuiuſdam vacationis, poſteaquam ſexto die, id eſt, paraſceue, quem dicunt ſextum ſabbathi, conſummauit omnia opera ſua, cum de illo, quæ ſcripta ſunt, ne ipſo crucis patibulo complerentur, nam & hoc verbo vſus eſt, quando ait: Conſummatum eſt, & inclinato capite tradidit ſpiritum: quid ergo mirum, ſi Deus iſtum diem quo erat Chriſtus in ſepulchro quieturus volens etiam hoc modo prænunciare, ab operibus ſuis in vno die requieuit, deinceps operaturus ordinem ſæculorum, vt & illud vere diceretur: Pater meus vſque nunc operatur.

Et cap. 12: Poteſt etiam intelligi Deum requieuiſſe à condendis generibus creaturæ, quia vltra iam non condidit aliqua genera noua; (Aug.) Deinceps autem vſque nunc, & vltra operatur eorundem generum adminiſtrationem, quæ tunc inſtituta ſunt, non vt ipſo ſaltem die ſeptimo potentia eius à cœli, & terræ, omniumque rerum, quas condiderat gubernatione ceſſaret, alioquin continuo dilaberentur. Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omni tenentis virtus, cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ. Quæ virtus ab eis, quæ creata ſunt, regendis, ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret, neque enim ſicut ſtructuram ædium cum fabricauerit quis abſcedit, atque illo abſcedente, atque ceſſante ſtat opus eius, ita mundus vel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei Deus regimen ſui ſubtraxerit. Proinde & quod Dominus ait: Pater meus vſque nunc operatur continuationem quandam operis eius, qua vniuerſam creaturam continet, atque adminiſtrat, oſtendit: Aliter enim poſſet intelligi, ſi diceret & nunc operatur, vbi non eſſet neceſſe, vt operis continuationem acciperemus; aliter autem cogit intelligi, nunc, ex illo ſcilicet, quo cuncta cum conderet operatus eſt. Et quod ſcriptum eſt de Sapientia eius, pertingit à fine vſque ad (Sap. 8.) finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, de qua idem ſcriptum eſt, quod motus eius agilior, (Sap. 7.) celeriorque ſit omnibus motibus: ſatis apparet recte intuẽtibus hunc ipſum incomparabilem, & ineffabilem, & ſi poſſit intelligi, ſtabilem motum ſuum, rebus eam præbere ſuauiter diſponendis, quo vtique ſubtracto, ſi ab hac operatione ceſſauerit eas continuo perituras. Et illud quod ait Apoſtolus cum Deum Athenienſibus (Act. 17) prædicaret, in illo viuimus, mouemur, & ſumus, liquide cogitatum, quantum humana mens valet, adiuuat hanc ſententiam qua credimus, & dicimus Deum in ijs quæ creauit, indeſinenter operari, neque enim tanquam ſubſtantia eius ſic in illo ſumus, quemadmodum dictum eſt, quod habeat vitam in ſemetipſo, ſed vtique cum aliud ſumus, quam ipſe, non ob aliud in illo ſumus, niſi quia id operatur. Et hoc eſt opus eius, quo continet omnia, & quo eius ſapien-

ſapientia portendit, à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter: per quam diſpoſitionem in illo viuimus, mouemur, & ſumus. Vnde colligitur quod ſi hoc opus ſuum rebus ſubtraxerit, nec viuemus, nec mouebimur, nec erimus. Claret igitur ne vno quidem die ceſſaſſe Deum ab opere regendi, quæ creauit, ne motus ſuos naturales, quibus aguntur, atque vegetantur, vt omnino naturæ ſint, & in eo quod ſunt pro quoque genere maneant illico amitterent, & eſſe aliquid omnino deſinerent, ſi eis ſubtraheretur motus ille ſapientiæ Dei quo diſponit omnia ſuauiter. Quapropter ſic accipimus Deum requieuiſſe ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit, vt iam nouam naturam vlterius nullam conderet, non vtique, vt quod condiderat continere, & gubernare ceſſaret. Vnde & illud verum eſt, quod in ſeptimo die requieuit Deus: & illud quod vſque nunc operatur.

Aug. Et cap. 13: Et opera quidem eius videmus bona, quietem vero eius poſt bona opera noſtra videbimus. Ob quam ſignificandã mandauit Hebræo populo vnum diem obſeruandum: quod tam carnaliter agebant, vt eo die ſalutem noſtram Dominum videntes operari, criminarentur ac ſic eis de opere Patris rectiſſime reſponderet, cum quo & ipſe operabatur æqualiter, non ſolum vniuerſæ creaturæ adminiſtrationem: ſed etiam ipſam noſtram ſalutem.

Aug. Et lib. 5. de Gen. ad litt. cap. 20: Iam nunc ergo diſcamus opera Dei, quæ vſque nunc operatur, ab illis operibus, à quibus in die ſeptimo requieuit, ſunt enim qui arbitrantur tantummodo mundum ipſum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipſo mundo, ſicut ille ordinauit, & iuſſit. Deum autem ipſum, nihil operari, contra quos profertur illa ſententia Domini: Pater meus vſque nunc operatur; & ne quiſquam putaret apud ſe illum aliquid operari, non in hoc mundo. Pater in me manens, inquit, facit opera ſua, & ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius, quos vult, viuificat; Deinde quia non ſolum magna, atque pręcipua; verum etiam iſta terrena, & extrema ipſe operatur, ita dicit

1 Cor. 15. Apoſtolus: Stulte, tu quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur, & quid ſeminas? non corpus, quod futurum eſt, ſeminas; ſed nudum granum ferè tritici, aut alicuius cæterorũ. Deus autem dat illi corpus quomodo voluerit, & vnicuique ſeminum proprium corpus, ſic ergo credamus, vel ſi poſſumus, etiam intelligamus vſque nunc operari Deum, vt ſi conditis ab eo rebus; operatio eius ſubtrahatur, intereant. Sed plane ſi aliquam creaturam ſic eum nunc inſtituere putauerimus, vt genus eius primę illi ſuæ conditioni non inſeruerit apertè contradicimus dicenti ſcripturæ, quod conſummauerit

Gen. 2 omnia opera ſua in die ſexto. Secundum illa enim genera rerum, quæ primum condidit, noua eum multa facere, quæ tunc non fecit, manifeſtum eſt. Nouum autem genus inſtituere credi recte non poteſt, quoniam tunc omnia conſummauit, mouet itaque occulta potentia vniuerſam creaturam ſuam, eoque motu illa verſata dum Angeli iuſſa perficiunt, dum circumeunt ſydera, dum alternant venti, dum abyſſus aquarum lapſibus, & diuerſis etiam per aërem conglobationibus agitatur, dum vireta pullulant, ſuaque ſemina euoluunt, dum animalia gignuntur, varioque appetitu proprias vitas agunt, dum iniqui iuſtos exercere permittuntur, explicat ſæcula, quæ illi cum primum condita ſunt, tanquam implicita indiderat; qua tamen in ſuos curſus non explicarentur, ſi ea ille qui condidit, prouido motu adminiſtrare ceſſaret.

Aug. Et epiſt. 28: Quidam videntur vrgere quomodo conſummauerit Deus omnia opera ſua ſexto die, & ſeptimo requieuit, ſi nouas adhuc animas creat? quibus ſi dixerimus, quod ex Euangelio in ſupra dicta epiſtola poſuiſti: Pater meus vſque nunc operatur; reſpondent operatur, dictum eſt inſtitutas adminiſtrando, non nouas inſtituendo naturas, ne ſcripturæ Geneſeos contradicatur, vbi apertiſſimo legitur conſummaſſe Deum omnia opera ſua. Nam & quod cum ſcriptum eſt requieuiſſe, vtique à creandis nouis creaturis intelligendum eſt, non à gubernandis: quia tunc ea, quæ non erant, fecit; à quibus faciendis requieuit, quia conſummauerat omnia, quæ antequam eſſent, vidit eſſe facienda, vt deinceps non ea, quæ non erant, ſed ex ijs quæ iam erant crearet, & faceret quicquid faceret. Ita vtrumque verum eſſe monſtratur, & quod dictum eſt, requieuit ab operibus ſuis: & quod dictum eſt: Vſque nunc operatur, quoniam Geneſi non poteſt Euangelium, eſſe contrarium. Sed quod dicitur, animas nouas creare ſingulas ſingulis, ſuam cuique naſcenti: non aliquid facere dicitur, quod ante non fęcerat. Iam enim ſexto die fecerat hominem ad imaginem ſuam, quod vtique ſecundum animam rationalem fuiſſe intelligitur. Hoc & nunc facit, non inſtituendo quod non erat, ſed multiplicando, quod erat. Vnde & illud verum eſt, quod à rebus, quæ non erant inſtituendis requieuit, & hoc verum eſt, quod non ſolum gubernando quæ fecit, verum etiam aliquid non quod nondum, ſed quod iam creauerat, numeroſius creando vſque nunc operatur, vel ſic ergo, vel alio modo quolibet eximus ab eo, quod nobis obijcitur de requie Dei ab operibus ſuis, ne propterea non credamus nunc vſque fieri animas nouas. Idem habet in

Aug. Pſal. 92: & tract. 17. in Ioan. Et ſent. 277. & alibi

Chryſoſt. Hier. Et Chryſoſt. hom. 10. in Geneſ. & Hiero. dialog. de origine animarum.

Eut. Euth. Ioan. 5: Vtrimque ſeipſum æqualem Deo eſſe oſtendit, & dicens Deum patrẽ ſuum, & dicens ſe operari ſicut illum: ne deinceps tanquam puro homini auſcultarẽt ei: ſed tanquam Deo. Itaque quod dicitur, ad hoc vſque temporis, continuitatem operationis ſignificat. Cum autem duplex intelligatur Dei operatio: vna ſiquidem ſignificat naturarum ab exordio creationem, altera autem poſt illam gubernationem, ac prouidentiam, earumque conſeruationem. Primo quidem ſignificato, ceſſauit die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis. Secundo vero

ſemper

ſemper operatur, creaturam gubernans, prouidens, ac conſeruans illam. Nec vetat vlla lex legiſlatorem ſemper operari creaturarum ſuarum ſalutem. Obſerua autem quod de Sabbathi ſolutione varijs locis accuſatus, interdum quidem tanquam Deus reſpondit, prout nunc: quandoq; vero tanquam homo. Volebat namque, vt crederetur vtrumque; putà, & ſua diuinitas,& incarnatio.

Cæſar. Cæſar. dialogi: Pater meus, inquit, vſque ad hoc tempus operatur,& ego operor; non quod deficiat quicquam in condito à nobis vniuerſitatis huius opificio,quaſi imperfecta ſint creata ſub aſpectum cadentia; ſed operamur eam,quę conſentanea virtuti eſt, vitam hominibus ſuggerentes, cum Deo patre noſtro, idque per eos, qui ab ipſo iam ex conditione deteriori confirmati ſunt in meliorem.

Anaſt. Anaſtaſius Synaita Antiochię Patriarcha lib. 2. de rectis fidei Catholicæ dogmatibus: Conſeruatur,& continenter perſeuerat ipſa rerum vniuerſitas, quod dum fit, circa eam ipſa efficax actio verſatur, à qua ſeparari neutiquam poteſt eſſentia. Proinde circum eam rerum machinam, inque eius ſingulis partibus conſiſtit eſſentia Dei. Ad hunc ſane ſenſum intelligimus, quod à Saluatore dicitur:Pater meus vſque modo operatur, & ego operor; non quod vniuerſitati rerum vlla fiat acceſſio (requieuit enim Gen. 2 Deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, Eccle. 1. quæ cæperat Deus facere,& iuxta Salomonem, nihil ſub ſole nouum) ſed conſeruationis nomine Patris opus exprimitur, ipſa enim rerum genera, & quas ſub ſe complectuntur ſpecies, videre vtique poſſis nullo non tempore ſalua perſiſtere, nec vllam omnino admittere acceſſionem, aut imminutionem, vt quæ à verbo conſeruantur.

Idac. Idacius Clarus lib. 3. aduerſus Varimadum: Auſculta igitur, & agnoſces, quoniam opus Patris eſt Filij; quia neque Patrem ſine Filio, neque Filium ſine Patre quicquam legimus operatum, ipſo in Euangelio proteſtante:Pater meus vſque modo operatur,& ego operor.

Gaud. Gaudent. Brixien. Epiſc. ſer. 10: Cautè loquitur ſcriptura diuina non abſolute dicēs requieuiſſe Deum ab omnibus operibus ſuis; ſed ab Gen. 2 operibus quæ cæperat Deus facere. Non omnipotentem,& imperio ſermonis cuncta facientem laboraſſe exiſtimes,cum requieuiſſe,& ceſſaſſe deſcribitur, cum & alia voluntati ſuæ placita operari non deſinat. Sicut teſtatur in Euangelio Dominus, dicens: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Requies igitur Dei non laboris remedium; ſed cœptorum finis eſt operum. Siquidem poſtquam perfecit mundum, opus ſuum regere non deſiſtit. Ipſius enim nutu omnium rerum natura curſum ſuum vel iuſſa peragit, vel prohibita ſubtrahit.

Quies Dei qualis. Dei prouidētia mūdus regitur.

Amb. Ambr. lib. 7. in Lucam: Deus ab operibus mundi quieuit, non ab operibus, cuius ſempiterna,& iugis operatio eſt, ſicut filius ait: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor, vt ad ſimilitudinem Dei ſæcularia noſtra opera, non religioſa ceſſarent.

Dam. Damaſc. lib. 9. de Fide cap. 15. ait quippe beatus Greg. Nyſſenus Epiſcopus: Quorum actio vna eſt, horum prorſus & vis,& facultas eadem. Nihil enim aliud eſt actio omnis, quam facultatis opus. Fieri porro nequit, vt increatæ, & creatæ naturę vna eademque natura,aut vis,aut actio ſit. Si de Diuinitate ſolum hoc à Patribus dictum eſt, ac non etiam poſt incarnationem Filius eandem cum Patre actionem habet,profecto ne eiuſdem quidem ſubſtantiæ erit. Et cui tandem illud aſſignabimus: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor? & quæ Patrem vidit facientem, hæc & Filius ſimiliter facit. Et: Si mihi non creditis, operibus meis credite. Et: Opera,quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me. Et: Sicut Pater ſuſcitat mortuos,& viuificat, ita & Filius quos vult viuificat. Hæc enim omnia non modo eiuſdem cum etiam poſt incarnationem, eſſentiæ cum Patre eſſe oſtendunt, ſed eiuſdem quoque actionis,ac rurſus; ſi prouidentia ea, qua res omnes gubernantur, non ſolum Patris,& Spiritus ſancti eſt; ſed Filij quoque, etiam poſt incarnationem, profecto cum ipſa actio ſit,etiam poſt incarnationem, actionem cum Patre eandem habeat, neceſſe eſt. Quod ſi ex editis miraculis Chriſtum eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ eſſe, comperimus,Dei porro miracula actiones ſunt,ſequitur vt etiam poſt incarnationem eiuſdem cum Patre actionis ſit.

Not. 2. ver. 3.

Aug. AVG. lib. 4. de conſ. cap. 10: Ibi dictum eſt: Quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolum ſoluebat ſabbathum,ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo: vbi ſatis oſtenditur, quam non vſitate, ſicut ſolent ſancti homines dicere, dixerit Patrem ſuum Deum,ſed quod ei ſit æqualis, inſinuans: quippe paulo ſuperius dixerat eis, de ſabbatho calumniantibus: Pater meus vſque modo operatur,& ego operor: Ibi exarſerunt, non quia Patrem ſuum diceret Deum, ſed quod ei æqualis vellet intelligi,dicendo: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor: conſequens eſſe oſtendens, vt quoniam Pater operatur, & Filius operetur;quia Pater ſine Filio non operatur. Ibi enim,& paulo poſt,ait iam illis ob hoc iraſcentibus: Quæcunque enim ille fecerit,hæc & Filius ſimiliter facit.

Hilar. Hilar. lib. 7. de Trinitate: Tenet itaque natiuitas eum, ex qua ſubſiſtit naturam, & Filius Dei non aliud quam quod Deus eſt, ſubſiſtit. Aut quiſquis hinc ambigit, diſcat à Iudæis intelligentiam natura, vel potius agnoſcat ab Euangelio veritatem natiuitatis,in quo ſcriptum eſt: propter hoc magis quærebant eum Iudæi interficere; quia non ſolum ſoluebat ſabbathum, ſed & quod proprium Patrem dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Non nunc vt in cæteris ſolet, Iudæorum ſermo ab his dictus refertur, expoſitio potius hæc Euangeliſta eſt, cauſam

cauſam demonſtrantis cur Dominum interfi-cere Iudæi vellent. Ceſſet ergo per impietatem blaſphemantium vitioſa intelligentiæ excuſatio, cum per Apoſtoli auctoritatem ſub ſignificatione natiuitatis, proprietas naturalis oſtenſa ſit. Patrem ſuum dicebat Deum æqualem ſe faciens Deo. Anne naturalis natiuitas non eſt vbi per nomen Patris proprij, naturæ æqualitas demonſtratur? Non enim ambigitur quin æqualitas nihil differat. Quis porro dubitabit quin indifferentem naturam natiuitas conſequatur? Hinc enim eſt ſola illa, quæ vere poſſit eſſe æqualitas, quia naturę æqualitatem ſola poſſit præſtare natiuitas. Æqualitas vero nunquam ibi eſſe creditur vbi vnio eſt: nec tamen illic reperietur, vbi differat. Ita ſimilitudinis ęqualitas, nec ſolitudinem habet, nec diuerſitatem, quia omnis æqualitas, nec diuerſa, nec ſola ſit. Quanquam igitur huius intelligentiæ noſtræ iudicia cum humani ſenſus opinione communia ſint, vt & natiuitas natura habeat æqualitatem, & vbi æqualitas eſt, neque alienum à ſe aliquid poſſit eſſe, nec ſolum, tamen ex ipſis dictis Dominicis huius quoque ſermonis noſtri fides affirmanda eſt, ne temeritas contradicendi ſub libertate diuerſæ in hominibus intelligentiæ audeat profeſſionibus diuini de ſe teſtimonij contraire; reſpondebit enim Dominus non poteſt filius à ſe facere quicquam, &c.

Amb. Amb. lib. 2. de Fide cap. 4: Filium non eſſe patre minorem quia filius eſt, Euangeliſta teſtatur, & æqualem eſſe quia filius eſt, ipſe ſignificat, dicens: Propterea enim volebant eum occidere Iudæi, quia non ſolum ſoluebat ſabbathum, ſed & Patrem proprium dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Non Iudęi hoc dicunt, ſed Euangeliſta teſtatur, quod æqualem ſe faciebat Deo, proprium ſe filium Dei dicens: Non enim ſcriptum eſt ex perſona Iudæorum dicentium, propterea volebant eum Iudæi occidere, ſed Euangeliſta ex ſua perſona dicit, propterea enim volebant illum Iudæi occidere. Et interpretatus eſt cauſam. Ideò Iudæos ad necem eius eſſe commotos, quod cum & ſabbathum quaſi Deus ſolueret, & Deum Patrem ſibi proprium vindicaret non ſolum in ſolutione ſabbathi maieſtatem diuinæ poteſtatis, ſed etiam in Patris proprij, nomine ius ſibi æternæ æqualitatis adſciſceret. Quibus aptiſſime reſpondit Dei filius, vt & Dei ſe filium, & æqualem probaret. Quæcunque, inquit, Pater fecerit, eadem & filius facit ſimiliter. Filius igitur patri, & dicitur, & probatur æqualis. Bona æqualitas, quæ & differentiam diuinitatis excludit, & cum Filio Patrem ſignat, cui Filius ſit æqualis. Non eſt enim diuerſa, nec ſingularis æqualitas; quia nemo æqualis ipſe ſibi ſolus eſt. Ergo Euangeliſta interpretatus eſt, quid ſit proprium Filium Dei ſe dicere, hoc eſt, æqualem ſe facere Deo.

Fulg. Fulg. lib. cont. Arrian. ad 5. obiect: Contumelia eſt quippe diuinæ naturæ, ſi Pater Filium generans, non potuit eſſe in Filio, quantus permanet in ſeipſo. Et genitori, quod nefas eſt, potentia naturalis adimitur, ſi Filio paternæ ſubſtantiæ æqualitas abnegetur: cum hanc Apoſtolica doctrina non taceat, Euangeliſta Ioanne dicente: Propterea volebant eum Iudæi interficere: quia non ſolum ſoluebat ſabbathum: ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Quam æqualitatem non maligna Iudæorum aduerſitas, ſicut quibuſdam videtur, obiecit: ſed Euangeliſtæ veridica prorſus auctoritas declarauit. Qui ſicut verè dixit, Ieſum ſoluiſſe ſabbathum, verè etiam Patrem ſuum dixiſſe Deum: ita verè dixit, per profeſſionem paterni nominis, æqualem ſe feciſſe diuinitati, & omnipotentiæ genitoris, &c.

Contumelia Dei ſoret, æqualẽ patri non eſſe filiũ.

Not. 3. ver. 4.

Eut. Evth. Ioan. 5: Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quia ſublimia de ſeipſo dicens, perſecutionem ſuſtinebat, quod illi ad eorum, quæ dicebantur celſitudinem peruenire non poſſent, ſed tanquam Deo contrarium eum perſequerētur, condeſcendit imbecillitati mentis illorum, & humilia diſpenſatione de ſe loquitur, vt per hæc facile ſuſpicerentur: Deinde rurſus ad ſublimia ſermonem reducit, & iterum hunc ad humilia demittit: rurſumque ad id quod ſublimius eſt, denuò ad id quod humilius: & ita per ſublimia ſimul, & humilia verba, tum æqualitatem demonſtrantia, tum minoritatem demonſtrare apparentia, ſuum texit ſermonem, atque hunc iudicio diſpenſat, vt & qui mente ſunt acutiores, ac benigni, ſumant à ſublimibus intellectum conuenientem, etiam de humilibus: & qui obtuſiores ſunt, aut inſulſi, ab humilibus conſolationem accipiant, & quaſi de homine hæc intelligentes non turbentur, veruntamen quanquam verba ſint humilia, hoc etiam modo ſub his excelſæ occultantur ſententię: & verbis quidem cauſam tradere videtur aduerſarijs, ſenſibus vero nequaquam: quid ergo nunc dicit: Non poteſt Filius à ſe facere quicquã, niſi quod viderit Patrem facientem? His quidem qui ſunt intellectu craſſiores, potentiæ minorationem præ ſe fert hic ſermo, propter dictam diſpenſationem: ſubtilibus autem æqualitatem potius, & identitatem, propter veritatem; non poteſt, non ob potentię defectum: ſed propter inſeparabilitatem: nam impoſſibile eſt filium quicquam facere, quod non facit Pater; quia non eſt alia Filio potentia ab ea, quæ Patris eſt, ſed eadem, quod ſi eadem eſt, æqualis certe Filius eſt Patri. Ait autem Gregorius Theologus quod earundem rerum formas intelligendas præbet Pater, Filius vero perficit, non tanquam ſeruus, aut inſipiens, ſed tanquam Dominus, ac prudens, & vt magis propriè dicatur modo paterno, ſiue iuxta Patris dominium, ac ſcientiam. Propter prædicta ergo dictum eſt: Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Quod ſi non propter hæc, quomodo potentia non poteſt, aut quomodo ſapientiæ eſt opus pręceptore? Quomodo etiam omnia per ipſũ facta ſunt: ſiue quo pacto etiam homi- Greg.

hominibus non erit imbecillior, qui multa à ſeipſis faciunt? Nam & virtutem à nobis ipſis eligimus, & vitium, multa quoque varijs ex locis conſequentur abſurda. De prædicto ſane verbo ſubtilius diſputauit Gregorius Theologus ſexto ſecundi libri ca.

Cæſar. Cæſar. dialog. 3: Quærenti ſi Patri æqualis eſt filius: Quomodo, inquit, ipſe, nihil poteſt filius facere à ſemetipſo, niſi viderit facientem Patrem? Reſp. eiuſdem dementiæ eſt ad modum erga Dei filium vnigenitum adfectum eſſe, ſequetur enim, omnino duplicem ſtatuendam eſſe creationem, aliam quidem Patris iam perfectam, aliam vero filij, quæ adhuc perficiatur, & paulatim progrediatur, ac ad imitationem creationis paternæ condat. Oſtendant igitur nobis Arianæ inſaniæ ſectatores duos ſoles, & duas faces lunares, & diſcernant nobis quinam ſol Patris ſit, aut qui ſit filij: quæ ſit luna Patris, quæ filij: Similiter autem & de terra, & mari merito quæſiero. Quomodo item vera dicit filius ille tonitrui Ioannes, qui doctrinam de ſermone incarnato ex ipſius ſinu per deriuationem hauſit, & quaſi diuinus calix impletus ex perenni fonte, verbum illud: Omnia per ipſum facta ſunt, in omnem ſoli ſubiectam terram pluit, quaſi dicere vellet, ad nullum exemplar, aut ſimulacrum reſpicientem filium omnia facere. At quem obſecro filium? Qui noſtræ naturæ vnitus eſt in vtero perpetuæ virginis Mariæ, adeoque vnigenitus ille Dei filius miſſus à Patre, qui naſceretur è muliere, quemadmodum diuinus ille docet Apoſtolus, vbi igitur, aut quando conſpexerat Patrem incarnatum, natum, & crucifixum, & ſepultum, & ex morte reſuſcitatum vt hæc ipſius exemplo ageret, vbi vero Patrem audiens conſimiliter, inquit, poteſtatem habeo ponendi animam meam, & rurſus ſumendi eam? Item quia nullus adimit eam mihi: ſed ego pono eam ex meipſo? vbi vero Patrem conſpexit iumento vectum, & ad illius imitationem Hieroſolymam Aſino inſidens venit? vt ſummatim dicam, ad nihil reſpiciens filius, ea quæ dicta ſunt, facere ſolitus fuit, neque enim Adamum formans, & ex illo Euam faciēs, alium quempiam rationis participem maſculum, aut fœminam à Patre condi viderat, ad quem, ſuum fabricaret, ſed cum eſſet opifex per ſe, adeoq; liberrimus vniuerſitatis huius Deus, ante incarnationem, & poſt illam idem, qui & velle facere omnia poterat, ne ipſum Dei aduerſarium, patriſque oppreſſorem arbitrarentur, qui erga ipſum cæcutiunt, inquit, nihil poteſt facere filius à ſeipſo, niſi quod videt Patrem facientem. Simul & de amore parentibus debito nos commonefacit.

Naz. Naz. orat. 5: Atqui Patrem facere videt, atque ita deinde & ipſe facit? num quemadmodum illi, qui formas pingunt, & litteras, quia non poſſunt aliter veritatem adſequi, princeps exemplar intuentur, atque ab eo manu quaſi ducuntur? & quinam ipſa ſapientia eget alicuius opera, qui eam doceat? qui non faciet aliquid, niſi prius edocta? qui pater ipſe facit, aut fecit? num mundum alium ante hunc condidit, & alium quendam futurum condet; in quos filius intuens, alium quidem iam condiderit, alium ſit cōditurus? nimirum hac ratione mundi quatuor erunt, quorum duo patris, duo filij ſint opificia: Prô ſtuporem. Purgat item filius lepram, à malis genijs & morbis liberat, mortuis vitam reddit, ſupra mare ambulat, facit alia; quæcunque tandem fecit, at in quonam, & quando Pater hæc ante ipſum præſtitit? Num certum eſt earundem rerum formas quidem deſignare Patrem, perficere vero filium, non ſeruiliter, nec imperite, ſed ſcienter ac heriliter, atque vt magis proprie loquar, paternè? Sic enim ipſe accipio, quod dicitur: Quæcunq; à Patre fiant, ea filium quoque ſimiliter facere: non hoc ſcilicet referendum ad ſimilitudinem effectorum, ſed ad poteſtatis æqualitatem: cuiuſmodi fuerit id etiam quod dicitur: Huc vſque, & Pater operari & filius. Nec tantum eo referendum, ſed etiam ad illorum, quæ facta ſunt, adminiſtrationem, & conſeruationem: quemadmodum ex ea Pater, quod faciat Angelos ſuos ſpiritus, quod terram in firmitate ſua fundet (quanquam hæc ſemel & facta ſint, & ſuas velut in ſedes collocata) quod ſolidet tonitru, quod ventum creet. Quorum quidem ſemel producta eſt in ortum ratio, verum perpetua eſt nunc etiam efficacitas.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 353: Hæc verba: Non poteſt filius à ſeipſo facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem, haud quam imbecillitatis ſignificationem dant: verum illud indicant fieri non poſſe, vt alia Patris, alia Filij voluntas ſit. Quod ſi, quæ Pater efficit, filius cernit, profectò cùm Pater ex conſilio, ac deliberatione faciat, ipſa quoque patris conſilia filius videt. Quandoquidem Dei effectio, ipſa voluntas, atque conſilium ſit. Quod ſi conſilium ineuntem cernit, atque conſilij particeps eſt, naturæ quoque procul dubio particeps ſit neceſſe eſt. Ex quo ſequitur vt Patris, & Filij, quemadmodum vna voluntas, ita etiam vna natura ſit. Iſidor.

Hilar. lib. 7. de Trinit: Reſpondens Dominus ad Iudæos, quod eum interficere ob hoc magis vellent, quia Patrem ſuum dicens Deum, æqualem ſe Deo feciſſet, omne ſacramentum fidei noſtræ dum impijs eorum motibus contradicit, expoſuit; dixerat enim ſuperius cum paralytico curato violati ſabbathi reus, etiam mortis iudicio conſtitueretur: Pater meus vſq; adhuc operatur, & ego operor. Et hinc omnis accendebatur inuidia, quod ſe Deo exæquaſſet paterni nominis vſurpatione. Volens itaque & natiuitatem ſuam confirmare, & naturæ virtutem profiteri, ait: Non poteſt quicquam à ſe facere filius, niſi quod viderit Patrem facientem. Exordium reſponſionis aduerſus impium Iudæorum motum, per quem vſque ad voluntatem inferendæ mortis exagitabantur, aptatum eſt. Nam ad violati ſabbathi obiectum ſibi reatum dixerat: Pater meus vſque adhuc operatur, & ego operor. Vt vſurpaſſe hoc ex authoritate intel- Hilar.

intelligeretur exempli, ſignificans tamen hoc quod ipſe ageret, Patris eſſe opus intelligendum, quia ipſo in ſe operaretur operante. Et rurſum aduerſus eam inuidiam, qua ſe per paternum nomen Deo exæquaſſet, hæc ſubdidit: Amen, amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Ne igitur exæquatio illa, per nomen naturamque filij fidem natiuitatis auferret, ait filium à ſe facere nihil poſſe, niſi quod Patrem facientem vidiſſet. Et vt maneret ſalutaris in Patre, & in filio confeſſionis noſtræ ordo naturam natiuitatis oſtendit, quæ poteſtatem efficiendi non per incrementa indultarum ad vnumquodque opus virium ſumeret, ſed de cognitione præſumeret: præſumeret autem non aliquo operis corporalis exemplo, vt aliquid prius Pater faceret, ad quod poſtea filius facturus eſſet, ſed cum natura Dei in naturam Dei ſubſtitiſſet, id eſt, ex Patre filius natus eſſet, per virtutis, ac naturæ in ſe paternæ conſcientiam, nihil ab ſe, niſi quod Patrem facientem vidiſſet, filium facere poſſe, teſtatus eſt. Et cum vnigenitus Deus paternæ virtutis operationibus operaretur, tantum ſibi ad faciendum præſumeret, quantum in conſcientia ſua eſſet, inſeparabilem à ſe Dei Patris, quam per legitimam natiuitatem obtinebat, poſſe naturam. Non enim corporalibus modis videt, ſed viſus ei omnis in virtute naturæ eſt.

Hilar. Et lib. 9. de Trinitate: Sed fortè piæ huic fidei noſtræ, impiæ perfidiæ tuæ occurrat aſſertio, vt aliena ab intelligenda Dei veri ſit hæc neceſſitatis confeſſio: Amen, amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Niſi duplicem reſponſionem duplex Iudæorum indignatio exegit; ſit hæc plane infirmitatis profeſſio, nihil à ſe filium facere poſſe, niſi quod viderit Patrem facientem. Quod ſi Iudæis, & violati ſabbathi reatum obijcientibus, & æqualitatem in Chriſto Dei per profeſſum ſibi Deum Patrem non ferentibus, ſub eodem dicto ad vtrumque reſponſum eſt, putaſne per confeſſionem reſponſionis poſſe dictorum occuli veritatem? & quanquam in alio libello tractatus hic à nobis locus fuerit, tamen, quia modo non obeſt, ſed etiam ad religionem proficit fidem retractari, eundem ipſum, quia cauſa poſtulat, reuoluamus. Hinc autem primùm reſponſionis neceſſitas orta eſt: & propter hoc perſequebantur Iudæi Ieſum, & quærebant eum interficere, quoniam hæc faciebat ſabbatho. Ira itaque eorum vſque ad cupiditatem interficiendi eum, accendebatur propter opera ſabbatho geſta: ſed videamus quid Dominus reſponderit: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor: Quod rogo iſtud opus Patris eſt, hæretice, demonſtra. Per filium enim, & in filio omnia ſunt viſibilia, & inuiſibilia. Et tu qui vltra Euangelia ſapis, neceſſe eſt, vt aliquibus arcanorum doctrinis cognitionem paterni operis adeptus operantem nobis Patrem oſtendas. Quod ſi Pater operatur in filio, ſecundum quod ipſe ait: Verba, quæ ego loquor vobis, non ego loquor, ſed Pater, qui in me manet, ipſe facit opera ſua, videſne quid hoc ſit: Pater meus vſque modo operatur? Hoc enim ideo ait, vt paternæ in ſe naturæ intelligeretur majeſtas in ſabbathi opere, poteſtatis ſuæ vſa natura, cum enim in ſe operante operetur Pater, ipſe neceſſe eſt Patre operaretur operante, atque ideo ait: Pater meus vſque modo operatur, vt ipſum illud præſens dictorum, atque geſtorum per ſe opus paternæ in ſe naturæ exiſtimaretur operatio. Id enim quod vſque modò operatur, vnum atque idem dicti, temporiſque momentum eſt, vt non aliud aliquod opus eſſe Patris, quam ſuum; hoc quod agit, crederetur, cum per id quod, vſque modo Pater operatur, hęc ipſa eſſet Patris ſub eodem tempore ſermonis operatio. Ac ne fides intra cognitionem tantum Patris relicta à vitæ æternæ ſpe abeſſet, continuo ſubiecit: Et ego operor, vt hoc ipſum, quod modo operatur Pater, operetur & filius. Ac ſic perfectam fidem docuit, cum id quod modo eſt eiuſdem temporis opus ſit, & id quod operatur Pater & filius, extra ſingularis ſit vnionem, ſed geminatus eſt audientium dolor, id enim ſequitur: propter hoc magis quærebant eum Iudæi interficere, quod non ſolum ſoluebat ſabbathum, ſed & Patrem ſuum proprium dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Et hic rurſum admonebo, & Euangeliſtæ iudicio, & communi humani generis ſenſu filium in paternæ naturæ æqualitate eſſe. Æqualitatem autem non niſi ex eadem eſſe natura, quia natiuitas non habet aliunde quod maneat. Et omnis generatio à generante ſe non ſit aliena, dum ad id quod maneat, ſubſiſtit ex eodem. Huic igitur duplicatæ indignationi videamus quid Dominus reſpondeat. Amen, amen dico, non poteſt filius à ſe facere quicquã, niſi quod viderit Patrem facientem, quæcunque enim ille facit, eadem & filius facit ſimiter; niſi dicta propoſitionis propria ſunt, vim dictis præſumptione propriæ & infidelis intelligentiæ afferimus, ſin autem irarum cauſis ſubiecta reſponſio eſt, fides noſtra potius loquitur, quod docetur, quam irreligioſa peruerſitas impietatis ſuæ defendit errorem. Quæramus ergo an de ſabbathi opere, hæc propria reſponſio ſit: Non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem; Ait enim ſuperius: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Si paternæ in ſe naturæ auctoritate, quod gerit, gerente Patre agit, qui vſque modo operatur in ſabbatho, extra crimen eſt operis filius, in quo paternæ operationis præfertur auctoritas, non enim ad infirmitatem retulit: Non poteſt; ſed ad auctoritatem; nam ab ſe non poteſt, niſi videat, neque enim præſtat vidiſſe virtutem, & cum non præſtet viſus virtutem, naturam non infirmat, non poſſe ſine viſu, ſed auctoritatem oſtẽdit ex viſu. Id enim quod ait: Niſi videat conſcientiam, ſignificat in viſu, ſicut ad Apoſtolos in Euangelio ait: Ecce dico vobis: Leuate oculos

veſtros, & videte regiones quoniam albæ ſunt ad meſſem; conſcientia igitur paternæ in ſe naturæ, quæ in ſe operatur operante ne violaſſe ſabbathum Dominus ſabbathi crederetur, ait: Non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem, vt id quod operatur ex conſcientia naturę in ſe operantis oſtenderet, cum & in ſe ſabbatho operante vſque modo Pater operetur in ſabbatho. Ad alterius vero indignationis dolorem conſequentis dicti retulit cauſam, quæcunque enim Pater facit, eadem & filius ſimiliter facit. Exprobra infirmitatem Dei filio, adime quoque naturæ æqualitatem, ſi non quæcunque facit Pater, eadem & filius facit ſimiliter. Si diſcrimen aliquod paternæ virtutis, atque operationis admittitur, ſi quod ad æqualitatem virtutis naturæque proprium eſt, honoris æqualitas non poſtulatur. Ipſe enim in continuis ait: Vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum. Diſcerne æqualitatem in honore non diſpari, infirma naturam in eadem operatione virtutis. Quid reſponſionis cauſam ad contumeliam diuinitatis inuadis? ad operationem ſabbathi reſpondit non ſe quicquam facere poſſe, niſi quod Patrem facientem vidiſſet. Ad demonſtrationem vero æqualitatis, quæcunque Pater faceret, facere ſe profeſſus eſt. Tenet quod ad ſabbathum pertinet ad opprobrium infirmitatis. Si non quæcunque facit Pater, eadem & filius facit ſimiliter. Si autem ſine exceptione quæcunque ſunt, in quo tandem infirmitas reperietur, cum nulla, quæ Pater poſſit, non poſſit & filius? Aut in quo tandem per intercellionem infirmitatis negatur æqualitas, cum vnus, atque idem honor poſtuletur ad vtrumque? Quod ſi eadem eſt virtus operandi, & eadem eſt religio honorandi, non intelligo, in quo tandem naturæ infirmæ contumelia relinquatur, cum eadem ſit in Patre, & in filio, & virtutis poteſtas & honoris æqualitas. Et hæc quidem quamuis cum ipſa rerum abſolutione tractata ſint, tamen ne quid in eo, quod ait Dominus: Non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem, ad infirmandę naturæ infirmitatem proficiat potius, quam ad demonſtrandæ paternæ in ſe naturæ conſcientiam, per quam ex auctoritate operatus in ſabbatho eſt, dicti quoque Dominici ad id pertinentis demonſtranda cognitio eſt, quo ait: Et à me facio nihil, ſed vt docuit me Pater, hæc loquor. Et qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum, quoniam ego, quæ ſunt ei placita facio ſemper, ſentiſne quid ſit non quicquam poſſe facere filium, niſi videat Patrem facientem, & quo ſacramento dictum ſit: Et à me facio nihil?

Baſ. Baſil. lib. 4. aduerſus Eunomium ſuper illo: Neque filius à ſeipſo aliquid facit: ſi quod eſt ſui arbitrij, melius eſt, quam quod eſt ſub arbitrio alieno: homo autem ſui arbitrij eſt; filius vero Dei ſub arbitrio Patris, melior eſt homo filio, quod eſt inconueniens. Quod ſi qui eſt ſub alieno arbitrio, liberos facere non poteſt: quod enim ipſe non habeat vt eligat, alijs dare non poteſt. Saluator qui nos liberi arbitrij fecit, non erit ſub libero arbitrio alicuius. Super eodem ſi nihil Saluator à ſeipſo facere poterat, ſed imperante Patre, nec bonus eſt, nec malus, nullius enim eorum, quæ facta ſunt, cauſa eſt; & quomodo abſurdum non eſt, cum homines ſint bonorum, & malorum liberi factores, filium Dei, nullius rei liberum eſſe factorem.

Ambr. Ambroſ. lib. 4. de Fide cap. 5. Aliud rurſus obijciunt aſſerentes vnam, atque eandem poteſtatem filij, & Patris eſſe non poſſe, quia ipſe dixit: Amen, amen dico vobis, non poteſt filius facere à ſe quicquam, niſi quod viderit facientem Patrem. Itaque nihil ex ſe feciſſe filium dicunt, nec facere poſſe, niſi quod viderit Patrem facientem. O præclara ſapientia infidelium argumentorum, quæ ſubiecit quod ſolueret quæſtionem addendo quod ſequitur. Quia quæcunque ille fecerit, eadem & filius facit ſimiliter. Hoc nempe ſequitur. Cur ergo ſcriptum eſt, eadem facit filius, & non talia, niſi vt in filio vnitatem, non imitationem paterni operis æſtimares? nihil ergo filius facit, niſi quod placeat patri, quia vna voluntas, vna ſententia eſt, vna eſt vera charitas, vnus operationis effectus. Denique, vt ſcias charitatis eſſe, quia non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit facientem Patrem cum præmiſiſſet: quæcunque enim ille fecerit eadem & filius facit ſimiliter, ſubiecit: Pater enim diligit filium. Ergo quod dixit ſcriptura: quia non poteſt; ad inſeparabilis, & indiuiduæ charitatis retulit vnitatem. Quod ſi naturaliter eſt, vt verè eſt, inſeparabilis charitas, inſeparabilis vtique eſt etiam operatio naturaliter, & impoſſibile vt opus filij cum Patris non conueniat voluntate, quando id quod filius operatur, operatur & Pater, & quod Pater operatur, operatur & filius, & quod loquitur filius, loquitur & Pater. Similia habet Idacius Clarus lib. 3. aduerſus Varimadum. Idac.

Not. 4. ver. 5.

Hilar. Hilar. lib. 7. de Trinit: Denique ſubiecit: Omnia enim, quæcunque Pater facit, eadem & Filius facit ſimiliter. Similiter illud ad ſignificationem natiuitatis adiecit: Omnia vero, & eadem, ad oſtendendam naturę veritatem locutus eſt. In his enim, quæ, & quæcunque & eadem ſunt, nec diuerſitas poteſt eſſe, nec reliquum. Atque ita in natura eadem eſt, cui eadem omnia poſſe naturę iit. Vbi vero ſimiliter per filium eadem omnia fiunt, ſimilitudo operum ſolitudinem operantis excluſit, vt omnia, quæ Pater facit, eadem omnia ſimiliter faciat & filius. Hæc eſt verè natiuitatis intelligentia, & fidei noſtræ, quæ ex naturæ diuinæ vnitate, vnius, indifferentisque diuinitatis veritatem in

Patre-

Patre, & in filio confitetur abſolutiſſimum ſacramentum, vt eadem faciendo, filius ſimiliter faciat, & ſimiliter faciendo, eadem ſint ipſa, quæ faciat, quia ſub vna hac ſignificatione teſtentur, & ſimiliter facta, natiuitatem, & eadem facta naturam. Tenet itaque reſponſionis Dominicæ ordo Eccleſiaſticæ fidei integrum ordinem, vt nec diſcernat naturam, & ſignificet natiuitatem.

Ver. 6.

Hilar. Hilar. lib. 7. de Trinitate: Sequitur: Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, & maiora horum opera demonſtrabit ei, vt vos admiremini. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat; ſic & filius, quos vult, viuificat. Anne demonſtratio operum aliud hic nobis præterquam natiuitatis fidem ingerit, vt ſubſiſtentem filium, ex ſubſiſtente Deo Patre credamus? niſi forte per ignorationem credendus eſt vnigenitus Deus doctrina demonſtrationis eguiſſe, ſed temeritas impiæ huius exiſtimationis non admittitur. Non enim doceri eget, qui, quicquid docendus ſit, ſciat: nam poſteaquam ait: Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, vt oſtenderet omnem hanc Patris demonſtrationem, fidei noſtræ eſſe doctrinam, vt ſcilicet Pater nobis in confeſſione eſſet, & filius, & ne qua hic ignoratio in filio poſſit intelligi, cui Pater omnia opera, quæ ipſe faceret, demonſtraret, continuo ait: Et maiora horum opera demonſtrabit ei, vt vos admiremini. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat. Sic & filius, quos vult, viuificat. Demonſtratio ergo futuri operis non ignoratur à filio, cui hoc demonſtrandum eſt, vt exemplo paternæ naturæ mortuos viuificet. Ea enim Patrem demonſtraturum filio dicit, quæ mirentur, & quæ eadem eſſent illa mox docuit. Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius, quos vult, viuificat. Exæquata virtus eſt per naturæ indiſſimilis vnitatem; & demonſtratio operum non ignorationis inſtructio eſt, ſed noſtræ fidei, quæ non filio ſcientiam ignoratorum, ſed nobis confeſſionem natiuitatis inuexit, confirmans eam per id, quod ſibi omnia eſſent demonſtrata, quæ poſſet. Neque enim non circumſpectum ſe cœleſtis ſermo egit, ne forte diuerſę naturę ſignificatio ſub occaſione dicti ambigui ſubreperet. Demonſtrata enim ei potius opera Patris eſſe ait, quam ad operationem eorum naturam virtutis adiectá, vt demonſtratio ipſa natiuitatis eſſe ſubſtantiá doceretur, cui per dilectionem Patris operum paternorum, quæ per eum effici vellet, eſſet cognata cognitio. Porro autem ne per demonſtrationis profeſſionem, ignorantis in eo naturæ diuerſitas crederetur, ea ipſa, quæ profitetur demonſtranda non neſcit. Vſque adeo non de exempli auctoritate geſturus eſt, vt viuificet, quos velit velle enim naturæ libertas eſt, quæ ad perfecta virtutis beatitudinem cum arbitrij voluntate ſubſiſtat.

Ver. 7.

Baſilius Seleuciæ Archiepiſcopus oratione 4: & quidem vbi de naturali virtute, ſermo eſt ibi: Ego, & Pater vnum ſumus. Vbi autem de poteſtate verba facit, ibi: ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius, quos vult, viuificat; dicit, hoc autem ſi alterius, à Patre naturæ extitiſſet, facere non potuiſſet, neque ſi potuiſſet, dicere tamen debuiſſet, ne vnam, & eandem vtriuſque naturam eſſe exiſtimarent; cum dicit: Vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem. Item: Quæcunque Pater facit, & filius ſimiliter facit: genitori clarè ſeipſum exæquat, opinionemque, quam ex verbis illius hauſerant; aperte confirmat. Baſ.

Ambroſ. lib. 4. de Fide cap. 5: Æqualitas ergo filij ad Patrem per vnitatem quoque viuificationis aſtruitur, quando ſic viuificat filius, vt Pater. Agnoſce ergo eius vitam, & potentiam ſempiternam. Amb.

Not. 5. ver. 8.

EVTH. Ioan. 5: Omne iudicium dedit filio, hic verbum dedit, intelligendum eſt, prout Deum decet: talia enim, vt diximus, diſpenſatiuè dicit: non ſolum curans ex hoc imbecillitatem Iudæorum, verum etiam vt cauſam videamus, & ne naturalem non eſſe filium ſuſpicemur, neque in Sabellij morbum decidamus, qui eundem eſſe Patrem, & Filium, ac Spiritum ſanctum intelligit, & vnicam eſſe ſanctæ Trinitatis perſonam inſanè prædicat. Quando vero dedit iudicium filio? de hoc quando id fuerit, res eſt admodum occulta: & quanquam audenter reſpondere oporteat, quod ſimul vt hic genitus eſt: attamen quando hic genitus eſt? quando Pater genitus non eſt. Non poteſt ſiquidem, non poteſt, inquam, inueniri temporis, aut ſæculi alicuius intelligentia, qua ad extremum aliquod peruenire poſſimus, etiamſi maximè vrgeamus. Iudicium autem omne dedit filio vt timentes propter hoc honorent eum, ſicut honorant Patrem. Et cum, omne dixit, ſignificauit & iudicium puniendi, & iudicium honorandi, quos voluerit, nec tamen Patrem iudicandi auctoritate priuauit, nam ſi omnia, quæ habet Pater, filij ſunt, præterquam genitum non eſſe, manifeſtum eſt, quod etiam omnia, quæ habet filius, patris ſunt, præterquam eſſe genitum. Iudicat ergo filius approbante quidem patre, cooperante autem & Spiritu ſancto, veluti lane intelligimus in omnibus eius operibus. Verum ſcire oportet quod dictiones, ſic, ſicut, & ſimiles, in increata quidem Trinitate æqualitatem ſignificant, in creatis verò ſæpius etiam ſimilitudinem, ac partialem quandam aſſimilationem. Quare autem dedit iudicium filio? Quia hic hominem formauit, præditumque reformauit, ac ſalutaria dedit præcepta; & vt, qui homo factus eſt, homines iudicaret, non ſolum tanquam Deus, qui hominum no- Eut. Error Sabellij.

uir naturam, verum etiam vt homo, qui in ea forma tentatus eſt. Et quare filius formauit hominem? quia ipſe eſt ſapientia, verbum, & potentia Patris.

Cypr. Quod Chriſtus ſit venturus iudex probat ex verſu 8. Cypr. lib. 2. aduerſus Iudæos, cap. 28. & lib. 3. ad Quirinum cap. 33.

Cyr. Cyrill. Hieroſo. catech. 15: Omne iudicium dedit filio: non primans ſeipſum poteſtate, ſed per filium iudicans. Nutu itaque Patris iudicat filius, non enim alij Patris, & alij ſunt filij nutus: ſed vnus & idem.

Hilar. Hilar. lib. 7. de Trinit: Ac ne deinceps quod quos vult viuificat, non natiuitatis in ſe naturam habere videretur, ſed non natę potius iure poteſtatis ſubſiſtere continuo ſubiecit: Nec enim Pater iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio: Et in eo quod iudicium datum eſt, naturæ demonſtratur natiuitas, quia & omnia habere ſola natura poſſit indifferens, neque natiuitas aliquid poſſit habere niſi datum ſit. Datum autem omne iudicium eſt, quia viuificat, quos vult. Neque ademptum Patri iudicium poteſt videri, cum ipſe non iudicet, quia filij iudicium ex iudicio fit paterno. Ab eo enim datum omne iudicium eſt, ſed dati iudicij cauſa non tacita eſt; ſequitur enim: ſed iudicium omne dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui eum miſit. Quid igitur, oro, derelictum eſt ſuſpicionis, aut quid relictum eſt ad impietatem occaſionis? Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio. Iudicij autem dati ea cauſa eſt, vt filius exæquati honoris ad Patrem ſit, & inhonorificus filio, inhonorificus & Patri ſit. Et quomodo poſt hæc intelligitur natiuitatis differre naturam, quam non ſolum operatio, virtus, honor, ſed etiam contumelia negati honoris exæquat? nihil ergo aliud quam ſacramentum natiuitatis, ſermo nunc diuinæ reſponſionis oſtendit. Neque aliter potuit, aut debuit filius à Patre diſtingui, quam vt & natus eſſet, nec tamen differens doceretur.

Amb. Ambr. lib. 2. de Fide cap. 4: Dedit filio vtique generando, non largiendo, vide quam te voluerit filio ſuo derogare, vt ipſum tibi iudicem daret.

Not. 6. ver. 11.

Leo. LEO ſerm. 10. in Natiuit. Domini cap. 5: Idem eſt in forma Dei, qui formam ſuſcepit ſerui: Idem eſt incorporeus manens, & corpus aſſumens; Idem eſt in ſua virtute inuiolabilis, & in noſtra infirmitate paſſibilis; idem eſt à paterno non diuiſus throno, & ab impijs crucifixus in ligno. Idem eſt ſuper altitudines cœlorum victor mortis aſcendens, & vſque ad conſummationem ſæculi vniuerſam Eccleſiam non relinquens. Idem poſtremò eſt, qui in eadem, qua aſcendit, carne venturus, ſicut iudicium ſuſtinuit impiorum, ita iudicaturus eſt de omnium actione mortalium. Vnde ne plurimis teſtimonijs immoremur, vnum ſufficit ex Euangelio beati Ioannis adhiberi, quo ipſe Dominus noſter dicit: Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint viuent. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo: & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt. Ergo ſub vna ſententia oſtendit, quia filius Dei, atque filius hominis eſt. Vnde apparet, quemadmodum Chriſtum Dominum in vnitate perſonę credere debeamus, quia cum ſit filius Dei, per quem facti ſumus, etiam filius hominis, per aſſumptionem carnis eſt factus, vt moreretur, ſicut ait Apoſtolus: Propter delicta noſtra, & reſurgeret propter iuſtificationem noſtram. Rom. 4.

Ver. 12.

Marius Victorinus. MARIVS Victorinus aduerſus Arium lib. 1: Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, &c. Quid tam ſimile, quid tam idem? habet Pater in ſe vitam: habet & filius in ſemet vitam. Quid eſt habere vitam in ſemetipſo: Ipſum ſibi vitam eſſe, non ab alio accipere vitam, ſed à ſeipſo; & alijs dare.

Amb. Ambr. lib. 4. de Fide cap. 5: Nonne euidenter videtur dicere: Quod ſicut viuus Pater eſt, ita viuit & filius. Quod vtique quis non aduertat ad vnitatem vitæ, quod eadem Patris, & filij vita ſit, eſſe referendum. Sicut enim Pater vitam habet in ſemetipſo, ſic dedit filio vitam habere in ſemetipſo. Dedit per vnitatem, dedit, non vt auferat, ſed vt clarificetur in filio. Dedit vt complaceat: dedit, non vt Pater cuſtodiret, ſed vt filius poſſideret. Et lib. 5. cap. 2: Habet Amb. vtique in natura, habet in ſubſtantia, & habet non per gratiam temporalem, ſed per ſempiternam diuinitatem, habet non ex dono, quaſi ſeruus, ſed ex generationis proprietate, quaſi filius coæternus; & habet ſicut pater, ſicut enim pater habet vitam in ſemetipſo, ita & filio dedit habere vitam in ſemetipſo: ſicut habet, inquit, ſic dedit. Didiciſti ſupra quemadmodum dederit. Ne putares eſſe gratiæ largitatem, vbi grationis arcanum eſt: cum inter patrem, & filium vita nulla diſtantia ſit.

Aug. Auguſt. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 5: Ioannes apertiſſimè narrat Chriſtum in reſurrectione mortuorum, futurum prædixiſſe iudicium. Cum enim dixiſſet: Neque enim Pater iudicat quemquam, &c. Protinus addit: Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, &c. Ecce hic dixit fideles ſuos in iudicium non venire. Quomodo ergo per iudicium ſeparabuntur à malis, & ad eius dextram ſtabunt; niſi quia hoc loco iudicium pro damnatione poſuit? In tale quippe iudicium non venient, qui audiunt verbum eius, & credunt ei, qui miſit illum.

Aug. Et cap. 6: Deinde adiungit, & dicit: Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, &c. Nondum de ſecunda reſurrectione, id eſt, corporum, loquitur, quæ in fine futura eſt, ſed de prima, Refurrectio duplex.

prima, quæ nunc eſt. Hanc quippe vt diſtingueret, ait: Venit hora,& nunc eſt. Non autem iſta corporum; ſed animarum eſt. Propter iſtos ergo impietate,& iniquitate in anima mortuos: Venit, inquit, hora,& nunc eſt,&c. Qui audierint, dixit; qui obedierint, qui crediderint, & vſque in finem perſeuerauerint. Nec fecit hic vllam differentiam bonorum,& malorum. Omnibus enim bonum eſt audire vocem eius, & viuere ad vitam pietatis ex impietatis morte tranſeundo, &c. Ad primam enim reſurrectionem non pertinent, niſi qui beati erunt in æternum: ad ſecundam vero, de qua mox loquuturus eſt,& beatos pertinere docebit,& miſeros. Iſta eſt miſericordiæ, illa iudicij,&c. de quo iudicio con-
ver. 13. ſequenter adiunxit, atque ait: Et poteſtatem dedit ei iudicium facere, &c. Hic oſtendit, quod in ea carne veniet iudicaturus, in qua
ver. 14,15 venerat iudicandus. Ad hoc enim ait: Quoniam filius hominis eſt. Ac deinde ſubiungens vnde agimus. Nolite, inquit, mirari hoc; quia veniet hora, in qua omnes,&c. hoc eſt illud iudicium, quod paulo ante, ſicut nunc, pro dam-
ver. 10 natione poſuerat, dicens: Qui verbum meum audit,&c. id eſt, pertinendo ad primam reſurrectionem, qua nunc tranſitur à morte animarum, ad vitam virtutum, in damnationem non veniet, quam ſignificauit appellatione iudicij: ſicut etiam vbi ait: Qui verò mala egerunt, in re-
ver. 11. ſurrectionem iudicij, id eſt, damnationis. Reſurgat ergo in prima, qui non vult in ſecunda
ver. 11. reſurrectione damnari. Qui audierint, viuent, id eſt, in damnationem non venient, quæ ſecunda mors dicitur: in quam mortem, poſt ſecundam, quæ corporum futura eſt, reſurrectionem, præcipitabuntur, qui in prima, quæ animarum eſt, non reſurgunt. Veniet enim hora, vbi non ait; & nunc eſt, quia in fine ſæculi erit, hoc eſt, in vltimo,& maximo iudicio Dei, quando omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem eius,& procedent, non dixit, quemadmodum in prima; & qui audierint, viuent. Non enim omnes viuent, ea ſcilicet vita, quę quoniam beata eſt, ſola vita dicenda eſt. Nam vtique ſine qualicumq; vita non poſſent audire, & de monumentis reſurgente carne procedere. Quare autem non omnes viuent, in eo quod ſequitur, docet; qui bona, inquit, fecerunt, in reſurrectionem vitæ: hi ſunt, qui viuent. Qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij: hi ſunt, qui non viuent. Quia ſecunda morte morientur. Mala quippe egerunt: quoniam malè vixerunt. Malè autem vixerunt; quia in prima, quæ nunc eſt, animarum reſurrectione non reuixe-
cap. 5 runt; aut in eo quod reuixerant, non in fine vſque manſerunt. Sicut ergo duæ ſunt regenera-
Regeneratio duplex tiones, de quibus iam ſuprà locutus ſum: vna ſecundum fidem, quæ nunc fit per baptiſmum, alia ſecundum carnem, quæ fiet in eius incorruptione, atque immortalitate, per iudicium magnum, atque nouiſſimum: ita ſunt & reſur-
Reſurrectio duplex. rectiones duæ; vna prima, quæ nunc eſt, animarum; quæ venire non permittit in mortem ſecundam, alia ſecunda, quę nunc non eſt; ſed in ſæculi fine futura eſt: nec animarum; ſed corporum eſt: quæ per vltimum iudicium alios mittet in ſecundam mortem: alios in eam vitam, quæ non habet mortem.

Ver. 13.

Bern. ſer. 73. in Cantica: Ipſe Deus Pater dedit filio iudicij poteſtatem, & non quia ſuus, ſed quia filius hominis eſt: O verè Patrem miſericordiarum, vult per hominem homines iudicari, quo in tanta trepidatione, & perturbatione malorum, electio fiduciam præſtet naturæ ſimilitudo. Prædixerat hoc quondam ſanctus Dauid orans pariter, & prophetans, Deus (inquiens) iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis: ſed neque huic diſſonat, promiſſio facta per Angelos, qui eo aſſumpto, ita ad Apoſtolos loquebantur: Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum; ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum, hoc eſt, in hac ipſa corporis forma, atque ſubſtantia. Et epiſt. 42: Solum attendo iudicem, quem & ſolum iuſtificatorem agnoſco. Pater dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt. Non vſurpo mihi, vel ſuper me, ſeruus, filij poteſtatem; nec me annumero illis, de quibus ita conqueri ſolet: tulerunt homines à me iudicium. Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio. Et ego mihi præſumam, quod nec ipſe Pater ſibi aſſumit? velim, nolim, ipſi me aſtare neceſſe eſt: ipſi horum, quæ geſſerim in corpore, reddere rationem, cui nec verbum præteruolat, nec ſubterfugit cogitatio. Sub tam æquo libratore meritorum, ſub tam intimo ſecretorum inſpectore, quis gloriabitur caſtum ſe habere cor?

Bern. (first), Bern. (second)

Not. 7. ver. 16.

Amb. AMBR. ſerm. 20. in Pſal. 118: Et hic perſonam iudicis, præpoſitique ſuſcipit, dicens: Non poſſum à me facere quicquam. Bonus enim iudex nihil ex arbitrio ſuo facit,& domeſticę propoſito voluntatis, ſed iuxta leges, & iura pronuntiat, ſcitis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum,& meditatum domo defert: ſed ſicut audit, ita iudicat: & ſicut habet negotij natura, decernit. Obſequitur legibus, non aduerſatur, examinat cauſæ merita, non mutat. Diſcite Iudices ſæculi, quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam ſobrietatem, quam ſynceritatem. Dominus omnium dicit: Non poſſum ego à me facere quicquam. Alibi lego: Negare ſemetipſum non poteſt. Non poteſt vtique, non per infirmitatem, ſed per integritatem; non per impoſſibilitatem faciendi, ſed per obſeruantiam iudicandi. Quid non poteſt, qui omnia poteſt, niſi quod poſſe nolit? non vult poſſe quod damnat, non vult poſſe aduerſus fidem, non vult poſſe aduerſus veritatem. Audi poſtremò ipſum dicentem, cur non poſſit à ſe facere quicquam: ſicut audio, inquit, iudico: hoc eſt, non ex mea poteſtate decerno, quod libitum, ſed ex iudicandi religione

quod eſt: & ideo iudicium meum verum, quia non voluntati meæ indulgeo, ſed æquitati. Audite quid index dicat cœleſtis: Non poſſum à me facere quicquam, ſed ſicut audio, iudico: Et Pilatus dicebat ad Dominum Ieſum: Poteſtatem habeo crucifigendi te. Vſurpas, ò homo, poteſtatem, quam non habes, cum Dominus neget ſe habere, qui habet ſuper omnia poteſtatem: Audi quid iuſtitia dicat: Non poſſum à me facere quicquam. Audite quid iudex æquitatis aſſerat: Sicut audio, ita & iudico. Audite quid iudex iniquitatis loquatur: Poteſtatem habeo dimittendi te, & poteſtatem habeo crucifigendi te. Tua Pilate voce conſtringeris, tua damnaris ſententia. Pro poteſtate igitur, non pro æquitate, crucifigendum Dominum tradidiſti: per poteſtatem abſoluiſti latronem, auctorem verò vitæ interfeciſti. Sed nec iſtam à te habuiſti, quam habere te aſſeris, poteſtatem. Denique dicit tibi Dominus Ieſus: Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi data tibi eſſet deſuper. Mala poteſtas, licere quod noceat. Poteſtas iſta tenebratum eſt, verum non videre, ſed ſpernere. Audite quid verus iudex loquatur: Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. Quaſi homo loquitur, quaſi Iudex docet: Quoniam qui iudicat, non voluntati ſuæ obtemperare debet, ſed tenere quod legum eſt. Conſtitue iudicem de hoc ſæculo. Numquid poteſt aduerſum imperialis formam venire reſcripti? Numquid poteſt normam auguſtæ definitionis excedere? quanto magis diuini formam debemus ſeruare iudicij? Chriſtus dicit: Non quæro voluntatem meam, hoc eſt, hominis, quæ vel odio dirigitur, vel ſtudio intenditur, vel gratia inflectitur, vel aliorum mendacio deprauatur. Omnis enim homo mendax, ſed voluntatem, inquit, eius, qui me miſit, hoc eſt, diuinæ cognitionis formam veni docere, vt in iudicando magis cordi ſit veritatis cuſtodia, quam obedientia voluntatis. Non ergo hic quoque infirmitas potentiæ, ſed forma eſt expreſſa iuſtitiæ. Iuſtum igitur eſt iudicium filij Dei, quia eſt ſecundum voluntatem Dei, non ſecundum hominis affectum. Deus enim miſericordiarum plenus eſt, & miſericordia eius cum iudicio, & iudicium cum miſericordia, neque enim ſine iudicio miſeretur, neque ſine miſericordia iudicat.

Hier. Hieron. lib. 2. aduerſus Pelagianos: Non poſſum, ait, ego facere à memetipſo aliquid, ſed ſicut audio, ita iudico. Ariani obijciunt calumniam, ſed reſpondet Eccleſia ex perſona hominis hæc dici, qui aſſumptus eſt. Tu è contra loqueris, poſſum ſine peccato eſſe ſi voluero. Ille nihil poteſt ex ſe facere, vt hominis iudicet veritatem. Tu potes omnia peccata vitare, vt adhuc in corpore conſtitutus *antitheon* te eſſe doceas. Idem habet Baſil. hom. 15. Baſ.

Ver. 17.

Greg. Greg. lib. 35. Moral. cap. 12: Nobis obedientia vſque ad mortem ſeruanda præcipitur, ipſe autem Chriſtus ſi ſicut audit, iudicat, tunc quoque obedit, cum iudex venit; Ne igitur nobis vſque ad præſentis vitæ terminum obedientia laborioſa appareat, Redemptor noſter iudicat: quia hanc etiam cum Iudex venerit, ſeruat. Quid ergo mirum ſi homo peccator ſe obediētiæ in præſentis vitæ breuitate ſubijcit, quando hanc mediator Dei, & hominum, & cum obedientes remunerat, non relinquit?

Not. 8. ver. 19.

Eut. EVTH. Ioan. 5: Quis repentè turbari non poſſet audiens Chriſtum dicentem: Si ego teſtimonium, perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum? Siquidem ipſe dixit: Ego ſum Veritas. Quod ſi veritas verum non loquitur, quiſnam erit, qui vera loquatur? Si quæ de ſeipſo teſtificatus eſt vera non ſunt nobis, omnino perit prædicationis ſumma, nam vt cætera ſinamus, quæ ſunt innumera, & fidem contingentia, vbinam ponemus ea, quæ paulo antè de ſeipſo teſtificatus eſt, quod filius ſit Dei, quod æqualis illi natura, potentia, & voluntate; quod creator, quod viuificator, quod iudex, aliaque ſimilia? quid ergo dicendum eſt? quod quia talia de ſeipſo teſtificatus fuerat, cognouit Iudæos in animo habere opponere ſe ei, ac dicere: Si tu teſtimonium perhibes de teipſo, teſtimonium tuum non eſt verum. Nemo ſiquidem qui de ſeipſo fert teſtimonium, fide dignus eſt apud homines; propter ſuſpicionem de nimio ſuiipſius amore; ideo prænenit, ac dixit, quod illi dicturi erant, dicens: Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum, vt vobis apparet. Itaque teſtes adducit; etiam in hoc ſe dimittens ad imbecillitatem illorum, & ex abundanti cautione, ſilentium illis imponens. Quod ergo ait: Teſtimonium meum non eſt verum, non quaſi affirmando dixit; ſed quod illi hoc dicere pararent. Quod autem hæc ita ſe habeant, inde manifeſtum eſt. Cum enim in ſequentibus loquutus fuiſſet, dicens: Ego ſum lux mundi, dicentibus Phariſæis: Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum; contradixit, dicens: Etſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo; teſtimonium meum verum eſt; manifeſtum ergo eſt, quod illud oppoſitionis illorum erat; hoc autem intellectus eius. Siquidem illi putabant eum non eſſe fide dignum, qui de ſeipſo ferret teſtimonium, vtpote hominem: ipſe verò è diuerſo ſeſe fide dignum dixit, tanquam Deum. Primum itaque diſſoluit excogitatam ipſorum oppoſitionem, dicens, id quod ipſi dicere parabant; & oſtendens quod cogitationes eorum cognoſceret. Deinde etiam teſtes adducit manifeſtos; & quibus contradici nequeat: Ioannem, opera propria, & Patrem. Primum autem ponit debilius teſtimonium, puta, Ioannis.

Vict. Victor Antioch. Mar. 10: Dominus frequenter orationem eorum menti, & ſententiæ accommodabat, quibus cum illi negotium erat; verum aiebat: Nos adoramus, quod ſcimus. Item: Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimo-

teſtimonium meum non eſt verum. Item: Nemo bonus, niſi vnus Deus.

Cypr. Cyp. epiſt. *69*. cap. 10: An putas maius eſſe de me meum, quam Dei teſtimonium? Cum Dominus ipſe doceat, & dicat, teſtimonium non eſſe verum, ſi quis ipſe de ſe teſtis exiſtat, eo quod vnuſquiſque vtique ſibi faueat, nec contrà ſe aliquis infeſta, & aduerſa depromat; fides verò ſincera ſit veritatis, ſi in prædicationibus noſtris alius ſit prædicator, ac teſtis; ſi teſtimonium, inquit, dixero de me, teſtimonium meum non eſt verum: alius eſt enim, qui teſtis eſt de me. Quod ſi Dominus ipſe omnia poſtmodum iudicaturus noluit de teſtimonio ſuo ſibi credi, ſed maluit de iudicio, ac teſtimonio Dei Patris probari: quanto magis hoc ſeruos eius obſeruare oportet, qui iudicio, ac teſtimonio Dei non probantur tantum, ſed etiam gloriantur?

Ver. 20.

Fulg. Perſonarū diſtinctio. Fulg. lib. 3. ad Traſi. cap. 3: Perſonam filij à Patre diſtinxit, vt errorem Sabellaniæ confuſionis excludat. Et vt oſtenderet, quem alium diceret, poſt pauca ſubiecit: Qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibet de me. Et lib. Fulg. cont. Arrianos ad 7. obiectionem: Ob hoc alium dixit Patrem, vt perſonas diſcerneret: non vt ſubſtantialem diſtãtiam demonſtraret. Nam cùm alium dixit, oſtendit propriam habere perſonam, &c. alius ergo propterea dictus eſt Pater, vt generationis veritas monſtraretur: non vt putaretur, aut prior, aut potior, &c. Hoc enim pronomine, perſonarum oſtenditur diſcretio, non naturæ. Pertinet etiam hoc ad cap. 175. ver. 16.

Ver. 22.

Homo quidem erat Ioannes, ſed quia teſtis à Deo miſſus fuerat, eius teſtimonium non humanum, ſed diuinum erat. Aliam ſolutionem habet Chryſoſt. hom. 5. in Ioan: Ipſe Chri- Chryſoſt. ſtus, inquit, cum dixiſſet: Ego non ab homine teſtimonium accipio: ne apud indoctiores ſibi ipſi repugnare videretur, cum nunc dicat: Alius de me perhibet teſtimonium; & ſcio, quia verum eſt teſtimonium eius, Ioannem ſignificans: nunc; non ab homine teſtimonium accipio, mox adiectione eam ſoluit dubitationem, inquiens: ſed hæc dico propter vos, vt ſalui ſitis; quaſi dicat: Deus ego ſum, & Dei vnigenitus filius, & ſupernæ, & immortalis ſubſtantiæ, nulliuſque indigeo teſtimonio, & quamuis nemo hoc profiteretur; nihil propterea natura mea fit minor; nihil deterior; ſed cum mortalium ſalus mihi curæ eſſet, in hanc deſcendi humilitatem, vt hominis teſtimonio me ſubijcerem, nam propter Iudæorum imbecillitatem, hoc pacto melius, faciliuſque fides in eam extendi, propagarique poterat.

Not. 9. ver. 23.

Bern. BERN. ſermone in natiuitate ſancti Ioannis Baptiſtæ: Audite quid de Ioanne loquatur: Ipſe, inquit, erat lucerna ardens, & lucens. Magnum teſtimonium: magnus enim eſt, cui perhibetur: ſed maior eſt ipſe, qui perhibet; eſt enim tantum lucere, vanum; tantum ardere, parum; ardere, & lucere, perfectum. Audi quid dicat ſcriptura: Sapiens permanet, vt ſol, ſtultus autem vt luna mutatur. Eccle. 27. Quia enim ſplendet luna ſine feruore, modo plenâ, modo exigua, modo nulla videtur. Mutuatum ſiquidem lumen nunquam in eodem permanet ſtatu, ſed creſcit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet. Sic, ſic qui conſcientias ſuas in alienis labijs poſuerunt, modo magni, modo parui ſunt, modo nulli, ſecundum quod adulantium linguis, vel vituperare placuerit, vel laudare. At vero ſolis ſplendor igneus eſt, & cùm feruet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic ſapientis ardor internus, fortis lucet, & ſi non ei datur vtrumque, curat ſemper ardere magis, vt Pater ſuus, qui videt in abſcondito, reddat ei. Væ nobis, fratres, ſi luxerimus tantum. Nam lucemus quidem; & magnificamur ab hominibus, Dominus feruorem ab omnibus exigit, ſplendorem verò non ita. Non ait, lucens, & ardens, quia Ioannis ex feruore ſplendor, non feruor prodijt ex ſplendore. Sunt enim qui non eo lucent, quia feruent: ſed magis feruent vt luceant. At iſti planè non feruent charitatis ſpiritu, ſed ſtudio vanitatis. Vultis noſſe quemadmodum arſit Ioannes, & luxit? Ego vtrumque in eo triplicem poſſe arbitror inueniri, & ardorem ſcilicet, & ſplendorem. Ardens enim erat in ſeipſo vehementi auſteritate conuerſationis: erga Chriſtum intimo quodam, & pleno feruore deuotionis; erga peccantes proximos conſtantia liberæ increpationis. Luxit nihilominus (vt paucis dixerim) exemplo, digito, verbo: & ſeipſum oſtendens ad imitationem, & luminare maius, quod latebat ad peccatorum remiſſionem, & ipſas quoq; tenebras noſtras illuminans ſicut ſcriptum eſt: Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus, illumina tenebras meas: vtique ad correptionem. Psal. 17. Luxit ergo, vt ſupra memini, exemplo, digito, verbo; Ioannes quomodo luxit. opere, ſeipſum, Chriſtum iudice, noſmetipſos nobis ſermone declarans. Habet ſimilia ſer. 3. Bern. de verbis Eſaia.

Amb. Ambr. ſer. 14. in Pſal. 118: Ioannes lucerna erat, ſicut dixit Dominus de eo: Ille erat lucerna ardens, & illuminans. Bona lucerna, quæ lumen accipiebat à Chriſto, vt lucere poſſet in hoc ſæculo; meritò ardens; meritò illuminans. Qui erat nuntius Chriſti, illuminans prædicatione fidei pectora ſingulorum.

Greg. Greg. hom. 11. in Ezech: Lucerna, quæ in ſemetipſa non ardet; eam rem, cui ſupponitur, non accendit: hinc enim de Ioanne veritas dicit: Ille erat lucerna ardens, & lucens. Ardens videlicet per cœleſte deſiderium, lucens per verbum. Vt ergo ſeruetur veritas prædicandi, teneatur neceſſe eſt altitudo viuendi.

Not. 10. ver. 29.

Cypr. QVOD alius Propheta, ſicut Moyſes promiſſus eſſet, qui teſtamentum nouum daret, & qui magis audiri deberet, oſtendit Cypr. lib. 1. aduerſus Iudæos cap. 18. ex ver. 29. & ſequentibus, quemadmodum ex cap. 18. Deuter.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 24. in Geneſim: Diuinorum eloquiorum natura, in paucis verbis, multas ſententiarum affert diuitias, & ineffabilem diligenter ſcrutari volentibus theſaurum largitur. Proinde obſecro, ne quid in ſacris litteris, aut contemnatur, aut obiter prætereatur: etiamſi nomina recenſeantur, vel hiſtoriæ narrentur, reconditum inueſtigemus theſaurum; nam & Chriſtus dicebat: Scrutamini ſcripturas, quia non vbique in ſuperficie ſcripturæ, mens ſcripturæ innenitur, ſed opus eſt ſcrutinio, vt ne quod in profundo latet, nobis remaneat abſconditum. Quod ſi ſola naturæ appellatio hoc nomen, Homo dico, tantæ nobis vtilitatis argumentum heri fuit: quantum lucrum percipiemus, ſi attenta, ac vigili mente ſingula adierimus? Etenim miſericordem habemus Dominum, & quando videt nos ſollicitos; & magnum deſiderium ad cognoſcenda diuina eloquia habere, non permittit nos vlla re indigere; ſed ſtatim illuſtrat mentem noſtram, & ſuum fulgorem largitur, & pro ſapientia illa ſua mirè induſtria omnem veram doctrinam animæ noſtræ inſerit. Chryſoſt. Et hom. 1. in priorem ad Timoth: Porro quod ait: Scrutamini ſcripturas, non quærendo labores inferre voluit; ſed potius arcere, ait enim: Scrutamini ſcripturas: hoc eſt, vt illarum per omnia diligentiam exactiſſimam diſcerent. Scrutari namque iuſſit, non vt ſemper quæramus, ſed vt inquirere deſinamus.

Not. 11. ver. 33.

RVFINVS Presbyter Aquileienſis apud Cypr. in expoſit. ſymb. cap. 19: Per alium in ſuo nomine venturum, Antichriſtum intelligit. Ac etiam Euth. & Cyrillus Hieroſol. catecheſi 12. & Baſilius epiſt. 64: Ad illud autem quod Chriſtus dixit: Ego veni in nomine Patris mei, hoc ſcire oportet quod hoc ideo dixerit, vt principium, & cauſam ſui Patrem eſſe demonſtraret. Ruf. Eut. Cyr. Bal.

Ambr. in Pſal. 43: Ideo in nomine Patris venit, qui venit, vt Patris faceret voluntatem, & ideo ait: In nomine Patris veni, & non me ſuſcepiſtis. Si alius venerit in nomine ſuo, illum ſuſcipietis: ſignificans Iudæos in Antichriſtum credituros, qui in Chriſtum credere noluerunt. Sic etiam apud Chryſoſt. 27. oper. imperf. & Aug. tract. 29. in Ioan. Ambr. Chryſoſt. Aug.

Not. 12. ver. 34.

BERN. ſerm. 13. in Cant: Si gloriandum eſt, Paulus me docuit, vndè, & in quo: Gloria, inquit, noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Securus glorior, ſi teſte conſcientia, de gloria conditoris nihil mihi vſurpo. Securus planè: quia iam non contra Dominum, ſed in Domino. Hæc nobis gloriatio, non ſolum non prohibetur, ſed & ſuadetur, cum dicitur: Gloriam ab inuicem quæritis; & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non vultis? Reuera gloriari in ſolo Deo, non niſi à ſolo Deo eſt: nec mediocris iſta gloria, quippe tam vera, quam de veritate, & in veritate tam rara, vt vix vel paucitas perfectorum perfectè glorietur in ea. Bern.

Ver. 36.

Chryſoſt. ſer. contra Ænomæos, quidnam de Domino ſcripſerit Moyſes, perelegāter explicat. Chryſoſt.

CAP. 44. IESVS *diſcipulos ſuos, vellentes ſabbatho ſpicas, & confricantes excuſat.*

Matt. 12.	*Mar. 2.*	*Luc. 6.*	*Ioan.*
1 (c. 105.) IN illo tempore, abijt Ieſus per ſata ſabbatho. Diſcipuli autem eius eſurientes, cœperunt vellere ſpicas, & manducare.	1 (c. 39.) ET factum eſt iterum cum Dominus ſabbathis ambularet per ſata, & diſcipuli eius cœperunt progredi, & vellere ſpicas.	1 (c. 39.) FActum eſt autē in ſabbatho ſecundo primo, cum tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli eius ſpicas, & manducabant confricantes manibus.	
2 Phariſæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere ſabbathis.	2 Phariſæi autem dicebant ei: Ecce, quid faciūt ſabbathis quod non licet?	2 Quidam autem Phariſæorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in ſabbathis?	
3 At ille dixit eis: Non legiſtis quid fecerit Dauid, quando eſurijt, & qui cum eo erant; quomodo intrauit in domū Dei, & panes propoſitio-	3 Et ait illis: Nunquam legiſtis quid fecerit Dauid, quādo neceſſitatem habuit, & eſurijt ipſe, & qui cum eo erant; quomodo introiuit in do-	3 Et reſpondens Ieſus ad eos, dixit: Nec hoc legiſtis, quod fecit Dauid, cum eſuriſſet ipſe, & qui cum illo erant; quomodo intrauit in domū	

Matt. 12.	*Mar. 2.*	*Luc. 6.*	*Ioan.*
nis comedit, quos non licebat ei edere, neque his,qui cum eo erant,niſi ſolis ſacerdotibus?	mum Dei, ſub Abiathar principe ſacerdotum, & panes propoſitionis mãducauit, quos non licebat manducare, niſi ſacerdotibus; & dedit eis, qui cum eo erant.	Dei,& panes propoſitionis ſumpſit,& manducauit,& dedit his,qui cum ipſo erant, quos non licet manducare, niſi tantum ſacerdotibus?	
4 Aut non legiſtis in lege, quia ſabbathis ſacerdotes in templo ſabbathum violant, & ſine crimine ſunt?			
5 Dico autem vobis, quia templo maior eſt hic.			
6 Si autem ſciretis quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium: nunquam condẽnaſſetis innocentes.			
	7 Et dicebat eis: Sabbathum propter hominem factum eſt: & non homo propter ſabbathum.		
8 Dominus enim eſt filius hominis etiam ſabbathi.	8 Itaque Dominus eſt filius hominis,etiam ſabbathi.]	8 Et dicebat illis: Quia Dominus eſt filius hominis etiam ſabbathi.	

Not. 1. ver. 1.

Aug. AVG. lib. 2. de conſenſ. cap. 34: Sequitur Mat. & dicit: In illo tempore abijt Ieſus Sabbatho per ſata, &c. vſque ad illud, vbi ait: Dominus eſt enim filius hominis,etiã Sabbathi. Hoc quoque ſine vlla repugnantiæ quæſtione commemoratur,& à Marco,& à Luca. Sed illi non dicunt: In illo tempore. Vnde fortaſſis magis Matthæus rei geſtæ hic ordinẽ tenuit:illi autem recordationis ſuæ: niſi latius accipiatur quod dictum eſt: In illo tempore; id eſt, in quo hæc Tho. multa & diuerſa gerebantur. Vnde Thomas in catena Matth. 12. Cùm dicitur, inquit, in illo tempore, interminatum tempus ponere videtur.

Eut. Tit. Chryſ. Aug. Prǫſentem hiſtoriam à tribus eſſe deſcriptam Euangeliſtis,fatentur Euth. Matth. 12. Titus Boſtrenſ. Luc. 6. Chryſoſt. homil. 4. in Matth. Aug. loco iam dicto,alijſque permulti.

Sabbatho iter per ſata faciente Domino,cùm eſurientes eius diſcipuli ſpicas manibus decerptas & confrictas manducarent,obmurmurantes ob id Phariſæos, & calumniantes confutat. Porrò quod occaſione ſpicarum hic narratur, ante Paſcha non contigiſſe, ſatis inde apparet, quod Phariſæi ſolum calumnientur hoc fieri ſabbatho; Nã ſi ante Paſcha hoc eueniſſet (quod etiam lege vetitum erat) eam accuſandi occaſionem non omiſiſſent. Eſt quoque certum,hoc non diu poſt Paſcha,eueniſſe,ſegetes enim paulo poſt Paſcha, vel etiam in Paſchate maturuerant; vt conſtat ex cap. 5. Ioſue, ver. 10. & 11. Licet ergo nullus Euangeliſtarum, hoc loco iſtud narret,hic tamen eſt collocãdum;nec vbi commodius poſſit conſtitui,apparet. Neque mirum videri debet, hic ita narrationem trium Euangeliſtarum interrumpi;quia enim non ſcribunt, niſi quæ Dominus geſſit in Galilæa,quamdiu in ea egit,nec quicquam eorum (niſi forte pauciſſima, vt iſtud) immiſcent, quæ facta ſunt in Iudæa priuſquam vltimò Galilæam relinqueret; Interrupta hiſtoria ſic iſtud narrauerunt,vt non ſine magna diligentia,& animaduerſione poſſit intelligi, quando hoc euenerit, & quid ante, quid poſt hoc,aut illud Paſcha ſit in Galilæa geſtum. Illud,iterum,in Marco,non eſt accipiendum, vt ſignificet Dominum ſecunda vice per ſata tranſijſſe; ſed referri debet ad Phariſæorum calumniam,vt aliam, & nouam deſignet. Cum enim apud Marcum præcedant aliquot eorum calumniæ, ſignificatur iam alteram ſequi obiectam,alia occaſione,Domino. Quippe odium ex noua cauſa refricatur,magiſque,ac magis exaſperatur. Difficilis & vetus quæſtio hæc eſt, quid nimirum ſit ſabbathum,quod Græcè dicitur, Deuteroproton, & Latinè ſecũdo primum, de quo hic Lucas,& cur ſic dicatur, alijs hoc, alijs aliud ſentientibus. Hieron. epiſt. ad Nepotianum, eam ſe narrat præceptori ſuo Nazianzeno propoſuiſſe, neque ſolutionem accepiſſe, de hac re quid ſentiat Ambr. videre licet lib. 5. in Luc. & in Pſal. 47. quid Epiphan. hæreſi 30. & 51. tradidit. Quæ vero ſit Iſidori Peluſiotæ de iſta quæſtione ſententia, expreſſit ipſemet epiſt. 110. lib. 3. Chryſoſtomi opinio habetur homil. 40. in Matthæum. Titi Boſtrenſis. Euth. & Theophylact. ſententia in 6. cap. Luc. mani- Hier. Amb. Epiph. Iſidor. Chryſoſt. Tit. Eut. Theoph.

manifeſta eſt. Nos cum Epiphanio, Chryſoſt. Iſidoro, Theophyl. & alijs, per ſabbathum ſecundo primum, intelligimus diem, qua duplex, erat quietis, otij, ac feſtiuitatis ratio; tam videlicet ſabbathi primi, principalis, hebdomadarij, ſeu propriè dicti, cuiuſmodi erat ſeptima dies, cuiuſuis hebdomadæ, quam alicuius alterius ſolemnitatis, in eam ipſam diem incidentis. Quemadmodum etiam apud nos plerumque contingit, nam cum Epiphania, aut Saluatoris natiuitas, vel aliud feſtum, Dominico die occurrerit, duplicem ſolemnitatem efficit, ac velut feſtum in feſto. Eodem quoque modo apud illos, ſi feſtum in ſabbathi diem incidiſſet, ſabbatha ſabbathorum, vel ſabbathum ex ſabbatho, aut ſabbathum ſecundo primum, vocabitur.

Atha. Athanaſ. homilia de ſemente: Ille de induſtria in ſabbatho per ſegetes vadens, diſcipulos ſuos per ſegetes traduxit. Quo tempore diſcipuli in peragrando vellebant ſpicas, eaſque confricantes manibus ſuis, edebant: mire nouam aream ex manibus ſuis facientes.

Epiph. Epipha. hæreſi 30. ſub finem: Gnari Apoſtoli, quod ſolutum eſſet ſabbathum, ab ipſius Chriſti cum ipſis conuerſatione, ac doctrina, vellunt ſpicas in ſabbatho, torrentq́;, ac edunt; oſtendentes quod ſolutum eſſet vinculum in ſabbatho decretum, cum veniſſet magnum ſabbathum, hoc eſt, Chriſtus: qui nos quietos fecit à peccatis noſtris. Hic eſt illud magnum ſabbathum, & perpetuum, cuius figura erat paruũ ſabbathum, quod inſeruiebat vſque ad ipſius aduentum, præceptum ab ipſo ſecundùm legẽ, & ſolutum in ipſo, & impletum in Euangelio, ſic enim dixit: Dominus eſt filius hominis, etiã Sabbathi. Vnde diſcipuli confidenter Sabbathum ſoluunt.

Amb. Ambroſ. lib. 5. in Luc: Non ſolùm comprehẽſione verborum, ſed etiam vſu ipſo, ſpecieque geſtorum, incipit hominem Dominus Ieſus veteris obſeruatione legis exuere, nouoque indumento veſtire gratiæ. Itaque eum iam in Sabbatho per ſemina traducit, hoc eſt, admouet fructuoſis itineribus.

Vict. Victor Antioch. Mar. 2: Diſcipuli cum veritate iam præſente ætatem agentes, exemplũque à Chriſto Domino mutuantes, in vmbratilibus, & typicis illis rebus liberius ſe gerũt. Eapropter perpetua illa à rebus mundanis quiete, per, & propter Chriſtum ſeruatorem paulatim iam ſeſe prodente, figuralis Sabbathi requiem minoris faciunt; etenim cum Sabbatho quodam nihil quo inediam ſedarent, ad manũ eſſet, ſpicas citra ſcrupulum vellunt, ſemenque inde excuſſum, in corporis alimentum vertunt. Idem dicit Theoph. Mar. 2.

Theoph. Eut. Euth. Matt. 12: Quia per medias ſegetes trãſibant, vnà ſpicas auellebãt, vt prægredi poſſent; & auulſa grana edebant, confricantes manibus, ſicut dixit Lucas, hoc eſt, terentes: nam eſuriebant tanquam fame, compulſi hoc facientes: ſiquidem minimam corporis curam gerebant, ſed omni tempore auditu, & aſſiduitate Saluatoris detinebantur, & ideo fame premebantur. In alio Euangeliſta legimus, quod propter nimiam importunitatem: nec veſcendi quidẽ habebant locũ: & ideo quaſi homines eſuriebant. Quod autem ſpicas ſegetum manibus confricant, & inediam conſolantur, vitæ auſterioris indicium eſt, non præparatas epulas, ſed cibos ſimplices quærentium, inquit Hiero. Matth. 12. & poſt eum Beda, Tho. & alij. Euth. Luc. 6: Non oportet propter tempus hæſitare, cùm enim calidiſſima ſit Palęſtina Regio, fructus producit præcoces. Cap. 74. vel. 4. Hiero. Bed. Tho. Eut.

Aug. Aug. lib. 1 quæſt. Euangelic. cap. 2: Quod diſcipuli Domini cœperunt vellere ſpicas, & manducare, quod, niſi confricantes eas facere non poſſent, hoc eſt: Mortificate membra veſtra quę ſunt ſuper terram: id eſt, quia quiſque nõ tranſit in corpus Chriſti, niſi carnalibus expoliatus; hinc eſt: Exuite vos veterem hominem. hinc eſt: Circumciſione non manu facta in expoliationem carnis. Coloſſ. 3. Coloſſ. 1.

Amb. Ambroſ. lib. 5. in Luc: Quid ſibi Sabbathum velit, quid ſeges, quid ſpicæ, non mediocre myſterium eſt. Ager enim eſt omnis hic mundus: agri ſeges, in ſtatione humani generis fęcunditas numeroſa ſanctorum: ſpicæ agri, fructus Eccleſiæ, quos operibus diſcutientes ſuis Apoſtoli paſcebantur, noſtro ſe alẽtes profectu. Stabat igitur ſeges iam fœcunda virtutum pullulantibus ſpicis, quibus noſtri fructus meritò comparantur. Atque enim aut imbre marceſcunt, aut ſole torrentur, aut pluuijs humeſcunt, aut tempeſtatibus eliduntur, aut à meſſoribus intra horreorum fœlicia receptacula recunduntur. Receperat ergo terra iam Dei verbum; & cœleſti ſemine ſatus diuites fętus ager almus effuderat. Eſuriebant diſcipuli ſalutem hominum, & tanquam folliculis corporum, mentium fructus ad fidei lucem præclaris operum ſuorum miraculis eruebant. Sed hoc putabant Iudæi Sabbatho non licere. Chriſtus autem nouæ gratiæ munere deſignabat otium legis, opus gratiæ.

Not. 2. ver. 2.

Chryſoſt. CHRYS. hom 40. in Mat: Non vehementer quidem hoc in loco, quamuis conſequentia rerum id petere videatur; incenſi ſunt, ſed ſimpliciter, atque oratione quieta comminantur. Quando autem ſiccam, detentamque manum curauit, atque reſtituit, tanta tunc exarſerunt immanitate, vt etiã conſilium de ipſo interimẽdo agitarent; cùm enim nihil magnum, atque ſublime fit, quietiores ſunt: cùm autem ſanitatem hominibus ſolo verbo præſtari cõſpiciunt, quaſi feroces beſtiæ perturbati vehementius in illum inſiliunt. Sic inuidiæ veneno ſuſpecti, ſalutem hominum perſequuntur.

Atha. Athanaſ. homil. de ſemente: Illi qui eſum in Sabbatho pro crimine objiciunt, ipſi cædem in Dominum ipſo Sabbatho moliuntur: ſemper enim Iudæi culicem percolant, & deglutiunt camelum.

Eut. Euth. Matth. 12: Indignabantur quod vellerent,

rent, ac ſi opus eſſet, non quod manducarent.

Theop. Theoph. Matth. 12: Iterum Phariſæi naturalem paſſionem, nempe famem, arguunt, cùm ipſi grauius peccent.

Vict. Victor Antioch. Mar. 2: Illi qui veritatis expertes, typis etiamnum ſeruiebant, pro vmbris depugnant, illique qui abſolutam in omnes poteſtatem obtinet, eandemque pro libitu cum alijs communicat, inſultant, obijciunt, hæc autem Illi, quia non expendunt legiſlatorem ſua lege haud teneri. Neque enim quicquam eſt omninò, quod regi in ſuis legibus non liceat.

Tat. Tatian. cap. 6. Harmo: Fœlicitatis comes inuidia Phariſæos exſtimulabat, vt Chriſto, ac ſuis

Ath. vndique obturbarent. Iterum Athanaſ. homil. de ſemente: Iudæi obiurgabant diſcipulos veſcentes, & aduerſus præceptorem indignabantur; eique oſtendunt, quæ iam illi patebant. Quid cordium cognitori oſtenditis, quæ ab ipſo videntur? Porrò cum in diebus Azymorum parare, quæ ad cibum, pertinent, lex diuina non prohibeat, ſed licere doceat, Exod. 12. ver. 16. non potuit ea de cauſa negotium factum eſſe diſcipulis, quod ſpicas vellentes, inde ſibi tunc cibum paraſſent; vt igitur Phariſæi aliquo prætextu iuſtitiæ eo nomine illos reprehendere potuiſſent, oportuit diſcipulos id feciſſe, vel antequam ſpicarum manipulus offerretur in templo, quod altera Paſchæ fiebat, lege Leuit. 23. prohibente ex ſegete aliquid edi, antè manipuli oblationem, vel die ſabbathi, nimirum die ſeptima hebdomadis, qua nec ea, quæ ſpectarent ad victum, parare liceret, vt dicitur, Exod. 35. At verò querimonia Phariſæorum mentionem facit poſterioris cauſæ, non prioris.

Eut. Euth. Matt. 12: Matthæus, & Marcus habent Phariſæos dixiſſe Chriſto: Ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere ſabbatho: Lucas verò ait; quod diſcipulis ita dixerint: Quid facitis, quod non licet facere ſabbathis: Siquidem & Chriſto, & diſcipulis hæc dixerunt, anxiè circà minutula occupati, ac carpendi quærentes occaſionem. Et de hoc quidem dixerunt Matt. & Mar. De illis autem Lucas; taliaque frequenter inuenies.

Not. 3. ver. 3.

Chryſoſt. Chrys. hom. 40. in Matth: Marcus ſub Abiathar ſacerdote illud factum fuiſſe aſſerit, neque contraria, & repugnantia hiſtoriæ dicit: ſed diuerſis nominibus illum appellatum fuiſſe oſtendit.

Vict. Victor Antioch. Mar. 2: Dominus autem nulla inſultatione, aut poteſtatis oſtentatione, ſed patrum tantum exemplo vſus, intentatam calumniam manſueta oratione refellit. Nam etſi illi corporales ritus, reſque typicas magni facerent, neutiquam tamen tanti faciebant, vt naturæ neceſſitati illos anteferrent. Præ cæteris autē in medium adfert Dauidem, qui legis ſanctimoniæ aduerſatus videri potuit, quando ſacerdotalem annonam accepit, acceptamque illis, qui cum ipſo erant, in eſcam diſtribuit. Facit hoc autem eo conſilio Dominus, quo per honorem, & reuerentiam, quam Dauidi deferebant, compeſcat impudentem ſycophantiam, quam Apoſtolis malignè intentauerant. Nunquid legiſtis, quid fecerit Dauid: &c. quaſi dicat: Si Prophetam Dauidem à violatæ legis crimine abſoluitis, eo quod non temerè, verum rerum neceſſariarum egeſtate compulſus, in legem præuaricatus fuerat, cum is tamen tamquam ſeruus legi obnoxius eſſet: cur diſcipulis meis ſuccenſetis, legemque contra illos vindicare contenditis, quod panis obſonio deſtituti, lautioris menſæ loco, ſeminum apparatum appoſuerunt? An non Dauidem legis ſeruituti obſtrictum meminiſtis? Ego autem etſi filius hominis dicar, ſabbathi nihilominus Dominus ſum. Vocat autem Dominus ſeipſum filium hominis, quia vt vetus homo inter homines verſabatur. Sub Abiathar principe ſacerdotum. Cum Regum hiſtoria, quod de Dauide hic exponitur, ſub Achimelechi ſacerdotio accidiſſe commemoret; cur Dominus ad Abiatharem ſacerdotum principem factum hoc tráſfert: Sunt qui Achimelechum binominem extitiſſe exiſtiment; adeoque hunc eundem eſſe omnino cum illo. Alij Regum libros Achimelechi tanquam ſimplicis ſacerdotis meminiſſe reſpondent; Abiatharem autem, cuius hoc loco Saluator mentionem facit, per idem tempus Pontificem, hoc eſt, ſummum ſacerdotem, fuiſſe. Et huic ſententiæ ſatis fauet ſcripturæ contextus: neque enim Achimelechum Pontificem, ſed Achimelechum ſacerdotem, pleroſque alios Dei ſacerdotes Saulis iuſſu trucidatos aſſerit. 1 Reg. 21.

Theoph. Marc. 2: Quærunt autem quidam, quomodo Euangeliſta nunc ipſum ſacerdotem Abiathar nominat: liber autem Regum Abimelech illum nominauit? Dicendum igitur quod fortaſſis duo nomina habuerit, idemque ſit Abiathar, & Abimelech; vel etiam aliter, liber Regum ſacerdotem dicit eſſe Abimelechi Euágeliſta autem Pontificem Abiathar: vnde hæc inter ſe non ſunt diuerſa; erat enim ſacerdos Abimelech, Pontifex autem Abiathar. Theop.

Euth. Mar. 2: Iſtum autem Abiathar Regum hiſtoria Achimelech vocat: liber autem Pſalmorum Abimelech. Manifeſtum ergo eſt quod binominis fuerit, vtroque modo appellatus Achimelech, vel Abimelech, quemadmodum & alij Hebræi. Cognomen vero Abiathar habuit à progenitoribus deductum, ideo filius quoque eius ſimiliter Abiathar vocatus eſt. Abiathar iſte princeps ſacerdotum dicitur, Regum autem hiſtoria Achimelech ſacerdotem fuiſſe tradit. Veriſimile ergo eſt Abiathar requieuiſſe, cum Dauid in domum Dei ingreſſus eſt, vel propter ſummi ſacerdotij præſtantiam, vel ob imbecillitatem præ ſenectute. Achimelech verò tunc ea, quæ diuini cultus erant, exercuiſſe: aut quod alijs ſacerdotibus præſtantior eſſet, aut quod ſua ſorte illis diebus curam haberet. Eut.

Auguſt. lib. Quæſt. Euang. ſecundum Matthæum, cap. 10: Notandum de eo, quod illicitè factum videretur Iudæis, quod diſcipuli ſabbatho Aug.

tho

tho ſpicas euulſiſſent, vnum exemplum datum regiæ poteſtatis de Dauid; alterum ſacerdotalis, de ijs, qui per miniſterium templi ſabbathum violant; vt multo minus ad ipſum, euulſarum ſabbatho ſpicarum crimen, pertineat: qui verus Rex, & verus Sacerdos eſt, & ideo Dominus ſabbathi.

Cur ſabbathi Dominus. Ratio 3.

Iren. Iren. lib. 4. cap. 20: Sed & eſurientes accipere ſabbathis eſcas ex his, quæ adiacebant, non vetabat lex: Metere autem, & colligere in horreum vetabat. Et ideo Dominus his, qui incuſabant diſcipulos eius, quoniam vellentes ſpicas manducabant, dixit: Non hoc legiſtis, quod fecit Dauid? &c. per legis verba diſcipulos ſuos excuſans.

Tert. Tert. lib. 4. aduerſus Marc. cap. 12: In cauſa diſcipulorum pro anima operatus, eſurientibus ſolatium cibi indulſit.

Ver. 4.

Iſidor. Matt. 12. Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 72: Sacerdotes in templo ſabbathũ polluunt, & ſine culpa ſunt. Quoniam cùm opus omne, quod manu conficitur, die ſabbathi prohibitum ſit, ipſi ligno cædunt, & ignem accendunt, & victimarum carnes diſtribuunt. Quæ quidem, vt communia opera, die ſabbathi explere minimè permittuntur: vt autem hinc ſacrificium conficiant, minimè vetantur, imò etiam iubentur. Atque hac ratione ſabbathum quidem per operationem pollui contingit: Sacerdotes autem, propter operationis diuerſitatem, extra culpam eſſe.

Not. 4. ver. 7. 8.

DOMINVS ſabbathi dictus eſt, quia ſabbathum, vt rem ſuam tuebatur, inquit Tertull. lib. 4. aduer. Marc. cap. 12: Aliam rationem Epiph. paulo ſuperiùs indicat: & aliam Auguſt. not. 3. eam autem reſponſionem, quæ verſu ſeptimo datur, à Marco dumtaxat eſſe propoſitam, Euthymius Matt. 12. adnotauit. Tert. Ratio 1. Epiph. Aug. Ratio 2. Eut.

Epiph. Epiph. hære. 42. confu. 3: Duo ſtatim ſimul, & filium hominis, & Dominum ſabbathi ſeipſum Saluator confitetur; docens, vt ne ſabbathum alienum à ſua creatione putetur, etiamſi poſtremum, filius hominis, ab aduentu in carne vocatus ſit.

CAP. 45. IESVS *manum aridam ſanat, Phariſæos redarguit, ſecedit, & dæmonia eycit.*

Matt. 12.	*Mar. 3.*	*Luc. 6.*	*Ioan.*
1 ET cum inde tranſiſſet, venit in ſynagogam eorum.	1 [ET introiuit iterũ in ſynagogam.	1 FActum eſt autem, & in alio ſabbatho, vt intraret in ſynagogã, & doceret.	
2 Et ecce homo manũ habens aridam.	2 Et erat ibi homo habens manum aridam.	2 Et erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida.	
	3 Et obſeruabant eum, ſi ſabbathis curaret; vt accuſarent illum.	3 Obſeruabant autem Scribæ, & Phariſæi, ſi in ſabbatho curaret; vt inuenirent vnde accuſarent eum.	
		4 Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum.	
5 Et interrogabant eũ, dicentes: Si licet ſabbathis curare? vt accuſarẽt eum.			
	6 Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium.	6 Et ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & ſta in medium. Et ſurgens ſtetit.	
	7 Et dicit eis: Licet ſabbathis benefacere, an malè? animam ſaluam facere, an perdere? At illi tacebant.	7 Ait autem ad illos Ieſus: Interrogo vos, ſi licet ſabbathis benefacere, an malè? animam ſaluam facere, an perdere?	
8 Ipſe autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam; & ſi ceciderit hæc ſabbathis in foueam,			

nonne,

Matt. 12.	*Mar. 3.*	*Luc. 6.*	*Ioan.*
nonne tenebit, & leuabit eã? quantò magis melior es homo oue? Itaque licet ſabbathis benefacere.			
9 Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit. Et reſtituta eſt ſanitati, ſicut altera.	9 Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit. Et reſtituta eſt manus illi.	9 Et circumſpectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit. Et reſtituta eſt manus eius.	
10 Exeuntes autem Phariſæi, conſilium faciebant aduerſus eum, quomodo perderent eũ.	10 Exeuntes autem Phariſæi, ſtatim cum Herodianis conſilium faciebant aduerſus eum, quomodò eum perderent.	10 Ipſi autẽ repleti ſunt inſipientia, & colloquebãtur ad inuicem, quidnam facerent Ieſu.	
11 Ieſus autem ſciens receſſit inde: & ſecuti ſunt eum multi.	11 Ieſus autem cum diſcipulis ſuis ſeceſſit ad mare, & multa turba à Galilæa, & Iudæa ſecuta eſt eum; & ab Hieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum, & Sydonem multitudo magna, audientes quæ faciebat, veniebant ad eum.		
	12 Et dixit diſcipulis ſuis, vt nauicula ſibi deſeruiret propter turbam; ne comprimerent eum.		
13 Et curauit eos omnes; & præcepit eis, ne manifeſtum eum facerent.	13 Multos enim ſanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent, quotquot habebant plagas. Et ſpiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei, & clamabant, dicentes: Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifeſtarent illum.		
14 Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetã, dicentem: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ.			
15 Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & iudicium gentibus nunciabit.			
16 Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.			
17 Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eijciat ad victoriam iudicium: & in nomine eius Gentes ſperabũt. (Tunc oblatus eſt ei dæmoniũ habens. cap. 58.			

Not. 1.

Ratio diſpoſitionis. REVERSVS poſt ſecundum Paſcha ex Hieruſalem Dominus in Galilæam, Phariſæos ob ſanatam die ſabbathi manum aridam, rurſum offenſos confutat. Iſtud autem de arida manu reſtituta, enarrari à tribus Euangeliſtis, teſtantur Doctores. Chryſoſt. Theoph. Euth. Victor Antiochi. Titus Boſtrenſis. Aug. Hiero. Beda, & alij. Porro Matthæus hoc narrat, cum aliqua ſignificatione cohærentiæ, dum ait: Et cum inde tranſiſſet venit in ſynagogam eorum: ac tres ijdem Euangeliſtæ iſtud ſuperiori proximè ſubijciunt: nec eſt quicquam quod veriſimiliter poſſit anteponi; Ideo hic omninò collocandũ fuit, vt etiã à Tatiano, Ammonio, & alijs factũ eſt. Vide Chryſol. ſer. 32.

Aug. Aug. lib. 2. de conſ. cap. 35: Sequitur Matthæus ita narrans: Et cum inde tranſiſſet, &c. de iſto ſanato, qui manum habebat aridam, etiam Marcus, & Lucas non tacent. Poſſet autem putari eo die factum, & de ſpicis, & de iſto ſanato; quoniã & ſabbathum hic commemoratur, niſi Lucas aperuiſſet alio ſabbatho factum eſſe, de ſanitate aridæ manus. Proinde quòd ait Matthæus: Et cum inde tranſiſſet, venit in ſynagogam eorum: non quidem venit, niſi cum inde tranſiſſet, ſed poſt quot dies in ſynagogam eorum venerit, poſteaquam per ſegetem illam tranſiuit; an rectè continuoque illuc ierit, non expreſſum eſt. Ac per hoc locus datur narrationi Lucæ, qui dicit alio ſabbatho huius manum ſanatam.

Aug. Et cap. 36: Sequitur Matthæus ita cõtexens narrationem ſuam: Exeuntes autem Phariſæi, &c. Vt adimpleretur, &c. vſque ad illud quod ait: Et in nomine eius gentes ſperabunt. Et lib. Aug. 4. de conſ. c. 3: Huic ſimile aliquid & Lucas dicit: ſed ſine aliqua repugnantiæ quæſtione.

Not. 2. ver. 1.

Atha. ATHAN. hom. de ſemente: Ingreſſus eſt Seruator in ſynagogam, malorum ſcilicet ſynagogam: quid enim deterius quàm beneficia accipere, & inſidiari?

Vict. Victor Antio. Mar. 3: Euangeliſta, inquit, Lucas cæteris adiungit docendi gratia in ſynagogam veniſſe.

Ver. 2.

Lucas etiam dixit, vtra manus arida fuerit; nempe dextera; ſiniſtram enim homo ipſe ſanam habebat. Obſeruarunt hoc Beda, & Euth. Matt. 12. Et Victor Antioc. Mar. 3. & alij.

Atha. Athan. homil. de ſemente: In hac ſynagoga Iudæorum vnus erat arida manu: cæteri autem, qui aderant, arida mente.

Bed. Beda Mar. 3: Et bene in ſynagoga manus erat arida; quia vbi ſcientiæ donum maius, ibi grauius eſt inexcuſabilis noxæ periculum.

Theoph. Theophyl. Luc. 6: Aridam manum habet, qui nulla virtutũ opera facit, manus enim operandi organum eſt. Cui autem illa areſcit, is omnino ocioſus eſt. Geſtat dextram manum aridam, quiſquis dexteram operationem non exercet: Eut. dico ſane virtutem, inquit Euth. Matt. 12.

Ver. 5. & ſequ.

Euangeliſtæ conciliantur. Marcus & Lucas Dominum ex Phariſæis, an bene liceret agere in ſabbatho ſciſcitatum ſcribunt: Matthęus autem Phariſæos, liceretne ſabbatho curare illum interrogaſſe narrat. Vtrumq; accidiſſe veriſimile ſit, vt ait Vict. Antioc. Mar. 3. Vict. Vtrumq; factum eſſe credendum eſt reſpondet. Chryſoſt. Theop. Chryſoſt. hom. 41. in Matt. Theop. vero Mat. 12. dici poteſt, inquit, quod cum inuidi eſſent Phariſæi præuenerint, & rogauerint illum, vt dicit Matthęus. Deinde Chriſtus iterum interrogauit eos, vti ridẽs eorum cæcitatem, id quod ab alijs Euangeliſtis dicitur, Theoph. Marc. 3. notat eos Theop. Eut. Chriſtus, ait, beneficia prohibẽtes. Et Eut. Matt. 12. Cum exẽplo ab oue ſumpto illorum ora obturaſſet, deinceps ad id quod ab eis interrogauerat reſpondet, ſiquidem Marcus & Lucas dicũt, quod etiam hominem ſtatuerit in medium, & interrogauerit eos. Vtrum licet ſabbathis benefacere, an malè facere? Poſtquam enim eis reſponderat, ſtatuit illum in medium, vt à miſerabili aſpectu diſſolueret cordis illorum duritiem eiſq; perſuaderet, vt inuidiam abijcerent, conſpicientes quod ſemper bonum ſit eos, qui dira patiuntur, curare. Deinde contrà, etiam illos inexplicabilem interrogat quæſtionem, at illi veritate redarguti, tacebãt quidem, ſed ob prauam voluntatem non plane ei acquieſcebant. Ideoq; cum ira circumſpiciebat eos, ſicut dicit Marcus, quo illos confunderet, contriſtatus ſuper duritia cordis ipſórum. Nam ab inuidia induratum, nec aſpectu miſerabili placabatur, nec ſermonẽ, cui contradicere non poterant, recipiebat.

Aug. Aug. lib. 2. de conſ. cap. 35: Sed poteſt mouere quomodo Matthæus dixerit, quod ipſi interrogauerint Dominum, ſi licet ſabbato curare, Dubium volentes inuenire accuſandi occaſionem; ipſe vero illis de oue propoſuerit ſimilitudinẽ; cum Marcus, & Lucas illos potius à Domino interrogatos eſſe, perhibeant? Itaque intelligendum eſt quod Bona reſponſio. illi prius interrogauerint Dominum, ſi licet ſabbatho curare? deinde quod intelligẽs cogitationes eorum aditum accuſandi quęrentium, conſtituerit in medio eorum illum quem fuerat ſanaturus, & interrogauerit quæ Marcus, & Lucas cum interrogaſſe commemorant, ac tunc illis tacentibus propoſuiſſe ſimilitudinem de oue; concluſiſſeq; quod liceat ſabbatho benefacere. Poſtremò circumſpectis eis cum ira, ſicut Marcus dicit contriſtatum ſuper cæcitate cordis eorum, dixiſſe homini: Extende manum tuam. Sequor potius Aug. quam Euth. in diſpoſitione quinti, ſexti, ſeptimi, octaui, & noni articulorũ. Sunt qui opinentur Matthæum dicere eos interrogaſſe, quia obſeruabant, & id mẽte voluebant. At veriſimilius eſt ipſos primum interrogaſſe, an ſabbatho liceret curare: Dominus autem, vbi iuſſiſſet hominem in medio ſtare, vt eis reſponderet, interrogauit; an liceret ſabbathis benefacere: ac ſimilitudine propoſita, cùm conuincerentur, & tamen in malitia permanerent, docens nobis contemnendam talem malitiam, nihilominus curauit.

Not. 3.

Not. 3. ver 6.

Atha. ATHANAS. homil. de ſemente: Surge, noli amplius mendicare, nam quod iuſſerit eum ſurgere, indicium eſt eum prius ſediſſe: qui enim aridam manum habebat, quorſum ſedebat, niſi vt plane mendicaret? Surge, & conſiſte in medio, vt prorſus non habeant, quo veritatem rei calumnientur.

Ver. 7.

Atha. Atha. hom. de ſemente: Seruator antequam hoc corpus perficeret, voluit prius per verba eorum mentes excolere: cognitam enim habēs eorum prauitatem animi, & amarulentam illam voraginem pectoris primum eos demulcet verbis, & ſylueſtrem indolem pectoris manſuefacere ſtudet, & dicit illis: Licitumne eſt in ſabbatho benefacere, an malè facere? animam ſeruare, an perdere? & nequaquam ita verba formauit: licetne operari? alioquin ſtatim reſpondiſſent; contra legem dicis: Nunc autem id loquutus eſt, quod lex ipſa voluit, qui enim legem tulit hoc adiunxit; operandum non eſſe, niſi cum pro ſeruanda anima hoc faciat. Mox enim vbi in ſabbatho ceciderit animal in foueam, licitum eſt Iudæis extrahere inde, non hominem ſolum, ſed & bouem, & aſinum, atque ita ſalutaria lex conceſſit. Maximè, cum etiam Iudæi in ſabbatho veſcerentur. Iudæi, quia mali erant ad bona facienda conſentire nequeunt; neque admittunt bona eſſe facienda, ſed tamen mala eſſe facienda non confitentur. Improba enim iſtiuſmodi oratio fuiſſet, ſed in ſilentio perſiſtunt. At cum nugādum eſt, magnas nugas dicunt: cum calumniandum, altiſſimè vociferantur; tolle, tolle, homo iſte, hæc & illa deſignauit: cum autem quæritur: benè ne, an malè facere liceat, ſilent. Animam dicit nunc hominem, à parte totum intelligens: interrogat enim, an hominem liceat à morte ſeruare, an occidere. Sic Eut. Luc. 6. & Mar. 3.

Eut. Bed. Beda Mar. 3: Si quem mouet quare Dominus cum corpus eſſet curaturus, de animæ ſaluatione interrogauerit, intelligat vel animam more ſcripturarum pro homine poſitam, ſicut dicitur: Hæ ſunt animæ, quæ exierunt de femore Iacob; vel quod illa miracula propter animæ ſalutem faciebat, vel quod ipſa manus ſanatio ſalutem animæ ſignificabat, quæ à bonis ceſſans operibus, aridam quodammodo habere dexteram videbatur. Exod. 1.

Aug. Aug. lib. 2. Quæſt. Euangel. cap. 7: Quæritur cum corpus curauerit, quare ſic interrogauerit ſi liceat animam ſaluam facere, an perdere? Vel dixit hoc quod illa miracula propter fidem faciebat, vbi ſalus eſt animæ: vel quod ipſa ſanatio manus dextræ, ſalutem animæ ſignificabat, quæ à bonis operibus ceſſans, aridam quodammodo dextram habere videbatur, vel animam pro homine poſuit, ſicut dici ſolet: tot animæ ibi fuerunt.

Tert. Tertull. lib. 4. aduerſus Marcionem cap. 12: In totum errabant Phariſæi circa ſabbathi legem, non animaduertentes condicionaliter eam indicentem ferias operum ſub certa ſpecie eorum. Nam cum de die ſabbathi dicit: Omne opus tuum non facies in ea: dicendo tuum, de humano opere definiuit, quod quiſque ex artificio, vel negotio ſuo exequitur, non de diuino. Opus autem ſalutis, & incolumitatis non eſt hominis, ſed Dei proprium: ſicut & rurſus in lege: Non facies, inquit, omne opus in ea, niſi quod fiet omni animæ, id eſt in cauſa animæ liberandæ, quia opus Dei etiam per hominem fieri poteſt in ſalute animæ, adeò tamen quod facturus fuerat, & Chriſtus homo, quia & Deus. In hunc ergo ſenſum legis inducere volens illos per manus arefactæ reſtitutionem, interrogat, licetne ſabbathis benefacere an non? animam liberare an perdere? vt id operis promittens, quod pro anima facturus eſſet admoneret eos quæ opera ſabbathi lex prohiberet, humana ſcilicet, & quæ præciperet, diuina ſcilicet, quæ fierent animæ omnia. Exod. 20. Leuit. 23.

Not. 4. ver. 8.

VICTOR Antioch. Mar. 3: Omnia hęc ſummo conſenſu probāt humanæ ſalutis cauſa corporale ſabbathum ſoluere nefas non eſſe. Neq; enim ex diuinis tantum ſcripturis Dominus id euincit, ſed oppoſitum ſtatuentes euidentibus planeque inuictis rationibus refellit: adeoque miraculum ab omni prorſus crimine ſiniſtraque ſuſpicione alienum eſſe oſtendit. Vict.

Ver. 9.

HIER. Matt. 12: Chriſtus propoſitam quæſtionem ita ver. 8. ſoluit vt interrogantes auaritiæ condemnarit. Hier.

Athan. homil. de ſemente: Extende manum tuam: ego te non tango, ne habeant Iudæi quod calumnientur: ne attingere illis idem ſit quod operari. Verbo tātum modo ago, non enim prohibitū eſt à Deo, ne quis in ſabbatho loquatur. Quod ſi autem verbū opus efficiat, admirationi ſit ille, qui hoc verbum dixit: Extende manum tuam. Qui vident videant, qui obaudiūt agant quod velint, & qui ſunt duri corde lapideſcant: verum interim molleſcat dextera tua: non do tibi nummos, ne abſumas, ſed ſanitatē tibi dono nunquam abſumendam, neque per occaſionem aridæ manus mendica, ſed illam recuperans ſanam, & viuam iam deinceps operare, extendaſque & ipſe manum tuam pauperi. Eſt qui manum aridam habet, vt qui eam pauperi non extendat ad eleemoſynam, iſte, tametſi ſanum ſit corpus, mentem aridam habet. Audi ergo & tu quiſquis es hac ipſa hora ſalutaria iſta verba: Extēde manum ab hodierna die, & incipe eleemoſynam in pauperes facere, ſed & aliter iſtud tractari poteſt. Multi ſunt incurij in ſuis precibus, & per vniuerſum diem negotioſi ſunt circa operationes humanas, & contemnunt opera ſacra orationum. Ad iſtum dicat Seruator: Extende manum tuam, quemadmodum Apoſtolus dicit: Volo precari viros in omni loco, eleuantes Athā.

uantes ſanctas manus. Mœret animo Dominus ob cordium illorum cœcitatem. Vide iam mihi diſcrimen facti. Petrus in ſpecioſa porta paralyticum ſanans, apprehenſa eius dextra illum erexit; Dominus contra tantum iubet: Extēde manum tuam, tibi do vim & efficaciam ſanitatis, & verbis iubendo, hanc poteſtatem tibi infero: Extende manum tuam, ſic ille dixit, ſic iſte fecit, & reſtituta eſt ipſa manus.

Hier. Hier. Mar. 3: Iſte ſignificat auaros, qui nolentes dare, volunt accipere, prædari, non largiri, quibus dicitur vt extendant manus ſuas, id eſt, qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret operando manu ſua, quod bonum eſt, vt habeat vnde communicet indigentibus.

Theop. Theoph. Matt. 12: Multi & nunc aridas manus habent, hoc eſt, immiſericordes ſunt, & non communicant: ſed quando ſermone Euangelico docentur extendunt eas, & communicant, quamuis Phariſæi, & dæmones propter ſuam in nos inimicitiam, manus noſtras ad miſericordiam extendi nolint. Theop. Et Mar. 3: vide quod dicit, & reſtituta eſt. Erant enim olim nobis ſanæ manus, hoc eſt efficax virtus operatiua, quando nondum fuit tranſgreſſio; vbi autem extenta eſt dextera noſtra ad fructum prohibitum, tunc areſcere cœpit ad operationem boni, reſtituetur iterum in priſtinam ſanitatem cum in medio ſteterimus virtutum. Idem habet Euthym. Luc. 6. Eut. Matth. 12: Suo hunc iuſſu curauit; & illos exterrens, & Deum ſe eſſe oſtendens.

Amb. Amb. ſerm. 8: Chriſtus ingreſſus ſabbatho ſynagogam hominis ibi habentis manum aridam ſpirituali medicina curauit, non appoſitis herbarum ſuccis, non pigmentorum medicaminibus colligatis, ſed verbo iubens, & mira præcipiens refudit corpori ſanitatem. Ita, inquam, ſicut ait Euangeliſta, reſtituit vigorem dexteræ, vnde intelligimus, qualis Dominicæ benignitatis ſit ſanitas, cuius indignationis talis eſt medicina. Aut quemadmodum placatus prodeſt, qui ita miſeretur iratus: verbo igitur iubet vt arenti dexteræ venarum ſuccos infunderet, non mirum etſi is arentem reparauit dexteram, qui totum corpus de arenti puluere procreauit, & id verbi imperio reſtituit, quod in principio factura operationis inſtituit. Velut authorem ſuum plaſma cognoſcens obſequitur ei portiuncula, cui totum ſe deberet in maſſa, dicit illi: Extende manum tuam, qui eam idolis immolando contraxit, dicit illi extende manum tuam, qui per eam res orphanorum, viduarumque geſtit inuadere, ſed & tu qui putas te manum habere, & ſanam, caue ne auaritia contrahatur. Quin potius extende eam pro miſericordia frequenter ad pauperem, pro hoſpitalitate ſæpius ad peregrinum. Extende eam pro peccatis ſemper ad Dominum. Eſto miſericors, eſto largus. Obſerua quod ait Propheta: Ne ſit manus tua ad accipiendum porrecta, Eccle. 4 ad erogandum contracta, ſic enim manus tua ſana eſſe poterit: bonis verò operibus extendatur. Amb. Et lib. 5. in Lucam: Hoc loco manum illam, quam extendit Adam, & interdictæ arboris poma decerpſit ſuccis bonorum factorum ſalutaribus irrigauit: vt quæ crimine aruerat bonis operibus ſanaretur. In quo Iudæos redarguit Chriſtus, qui malis interpretationibus legis præcepta violarent, æſtimantes ſabbatho etiam à bonis operibus feriandum; cùm lex in præſentibus formam præfigurauerit futurorum: in quibus vtique malorum feriæ futuræ ſunt non bonorum. Nam licet ſæcularia opera conquieſcant, non ocioſus tamen boni operis actus eſt in Deo laude requieſcere. Audiſti igitur Domini verba dicentis: Extende manum tuam, communis iſta generaliſque medicina eſt. Et tu qui putas manum habere te ſanam, caue ne auaritia, caue ne ſacrilegij contrahatur. Extende ſæpius eam, extende vt proximum iuues, vt viduæ præſidium feras: eripias iniuriæ, quem vides iniuſte contumeliæ ſubiacere: Extende ad illum pauperem, qui te obſecrat: extende ad Deum pro peccatis tuis. Sic manus extenditur, ſic ſanatur. Sic Hieroboam manum, cum idolis ſacrificaret contraxit: & rurſus cum Deum rogaret extendit.

Bed. Beda Mar. 3: Homo, qui manum habet aridam humanum genus indicat in fœcunditate boni operis arefactum, ſed Domini miſeratione curatum. Cuius dextera, quæ in primo parente, dum vetitæ arboris poma decerperet, aruerat, per Redemptoris gratiam, dum inſontes manus in crucis arbore tenderet, bonorum operum ſuccis eſt reſtituta ſaluti: ſananda manus arida iubetur extendi, quia infructuoſè debilitas animæ, nullo melius ordine quam eleemoſynarum largitate curatur. Vnde Ioannes Baptiſta turbis ſciſcitantibus, quid facerent, vt non velut arbores aridæ mitterentur in ignem, hoc præcepit: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. Et in Eccleſiaſtico dicitur: Non ſit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta.

Hier. Hieron. Matth. 12: Notandum ait, quod non in itinere & foris, ſed in conciliabulo Iudæorum manus arida fuerit ſanata, vſque ad Saluatoris aduentum arida manus in ſynagoga fuit Iudæorum, & Dei opera non fiebant in ea: poſtquam ille venit in terras, reddita eſt in Apoſtolis credentibus dextera, & operi priſtino reſtituta.

Not. 5. ver. 10.

Atha. ATHAN. hom. de ſemente: Cæterum ariditas mentis in Iudæis ſanata non fuit: ſiquidem egreſſi conſilia conferebant quid Ieſu facerent. Deliberas, quid facias? Adora vt Deum, adora miraculorum authorem, adora hominem ea quæ ſupra homines ſunt operantem, non appoſuit emplaſtra, non fomentis quibuſdam brachium molliuit, non infinita genera remediorum contulit, cum interim ille in medio conſiſteret: Omnes videbant quod agebatur,

tur,non enim in abdito erat quod faciebat, ne quis diceret herbam adhibuit. Ecce tibi liberum à ſycophantia Domini factum.

Chryſoſt. Chryſ.hom.41.in Matt:Marcus,inquit,quod cum Herodianis tale conſilium capiebant.

Bed. Beda Mar.3. Herodianos Herodis Tetrarchę miniſtros dicit, qui propter inimicitias quas Dominus ipſorum aduerſus Ioannem exercebat, etiam Saluatorem quem Ioannes prædicabat,inſidijs inſequebantur,& odijs.Aliter Euth. Matt.12: Conſilium cęperunt inter ſe inuicem. Marcus autem dicit,quod cum Herodianis cõſultarunt, qui & ipſi genere quidem erant Iudæi,vehementer autem Herodem colebant: & ipſum eſſe dicebant Chriſtum à Prophetis promiſſum.Nam quia prophetatum erat,tunc venturum eſſe Chriſtum, quando deficeret qui ex Iudæis imperaret. Defecerat autem diebus Herodis, qui infantes necauerat: primus ſiquidem hic alienigа Iudæis imperauit: ideo hunc eſſe ſuſpicabantur, qui venturus expectabatur: & coniuncti inuicem propriam fecerunt ſectam. Et quia Herodem plurimum amabant, Herodiani cognominati ſunt. Hæc itaque de Herodianis dicta ſint. De Iudæis autem dixit Lucas, quod dementia repleti ſunt, & mutuo colloquebantur, quidnam ipſi Ieſu facerent. Neque enim ſolum perterriti non erant, ſed inuidia obtenebrati, & dementia repleti erant. Et primum quidem colloquebantur quidnam ipſi facerent mali; deinde conſultauerunt vt eum interficerent. De Herodianis idem habet Theoph. Mar.3. & Epiph. hæreſi 20.

Herodiani qui ſint 1. opinio

Eut 2. opinio

Theop. Epiph.

Ver. 12.13.

Aug. MARCVS eam multitudinem hic deſcribit, quam Matthæus cap.33. ver.5.coram qua nimirum habitus eſt ſermo Domini, qui dicitur in monte. Hinc intelligitur vbinam collocandus ſit idem ille ſermo, quem Matthæus anticipauit ob rationem eodem cap. 33.ſexta notatione dictam.Et cum in dies frequentior eſſet ad Redemptorem concurſus venientium non ſolum à Galilæa, atque Iudæa, ſed ab Idumæa tranſamnana regione, & illorum etiam, qui apud Tyrum, & Sydonem habitarent, ne comprimeretur à turba,nauiculam parari iuſſit. Omnes enim vel ſaltem tangere eum optabant,quo ab ægritudinibus ſanarentur. Cumque arreptitij procidetent eum confitentes ſilentium imperabat;Phariſæis,& Herodianis in calumniam eius conſpirantibus offenſus Dominus, illiſque conſulens ſecedit ad mare innumeris eum turbis ſequentibus.

Aug. lib. 2. de conſ. cap. 36: Ordinem ſane rei geſtæ videtur Marcus aliquantulum tenuiſſe, qui dicit Ieſum cognita maligna aduerſum ſe diſpoſitione Iudæorum ſeceſſiſſe ad mare cum diſcipulis ſuis,& ad eum turbas confluxiſſe,& ſanaſſe eum plurimos. Vnde autem cœperit in aliud ire non quod ordinem ſequeretur, vix apparet, vtrum vbi dicit conueniſſe ad eum turbas: Potuit enim hoc iam, & alio tempore: an vbi dicit, aſcendit in montem, quod & Lucas videtur commemoraſſe, dicens: Factum eſt autem in illis diebus,exijt in montem orare,dicendo enim in illis diebus, ſatis oſtendit non continuo factum. Aug.

Ver.14.

Matthæus à ver. 14. introducit Prophetam teſtem manſuetudinis Ieſu,& qui de tanta eius lenitate, ac tolerantia locutus olim fuerat, ſic Theoph.& Euth. Matt. 12. Hunc locum ſolus commemorat Matthæus, alij duo Euangeliſtæ in alia perrexerunt, inquit Aug. lib. 2. de conſ. cap. 36. De hoc eodem Matthæi loco multa ſunt apud Hieronymum epiſto. ad Algaſiam quæſt.2.vbi etiam eum exponit,& inter alia dicit ſolum Matthæum ex 4. Euangeliſtis illum poſuiſſe. Theop. Eut. Aug. Hier.

CAP. 46. *Duodecim Apoſtolos eligit* CHRISTVS *in monte.*

Matt. 5.	*Mar. 3.*	*Luc. 6.*	*Ioan.*
In feſto omnium Sanctorum. In communi Martyrum.		*In feſto S.Bartholomæi.*	
1 [✠ c.33.) Videns autem Ieſus turbas,aſcendit in montem.	1 Et aſcendens in montem.	1 Factum eſt autem in illis diebus, ✠ exijt in montem orare.	
		2 Et erat pernoctans in oratione Dei.	
3 Et cùm ſediſſet,acceſſerunt ad eum diſcipuli eius.	3 Vocauit ad ſe quos voluit ipſe, & venerunt ad eum.	3 Et cùm dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos.	
	4 Et fecit vt eſſent duodecim cum illo.	4 Et elegit duodecim ex ipſis.	
		5 Quos & Apoſtolos nominauit.	

 Et vt

Matt.	*Mar. 3.*	*Luc. 6.*	*Ioan.*
	6 Et vt mitteret eos prædicare. Et dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia.		
	7 Et impoſuit Simoni nomen Petrus.	7 Simonem, quem cognominauit Petrum.	
	8 Infra.	8 Et Andream fratrem eius.	
	9 Et Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi.	9 Iacobum, & Ioannem.	
	10 Et impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt filij tonitrui.		
	8 Et Andream.		
	11 Et Philippum, & Bartholomæum.	11 Philippum, & Bartholomęum.	
	12 Et Matthæum, & Thomam.	12 Matthæum, & Thomam.	
	13 Et Iacobum Alphæi, & Thaddęum, & Simonem Chananęum.	13 Iacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi.	
	14 Et Iudam Iſcariotem, qui & tradidit illum. (Et veniunt ad domum, &c. cap. 58.	14 Et Iudam Iſcariotem, qui fuit proditor.	

Not. 1.

Aug. Avg. lib. 2. de conſ. cap. 19: Iam nunc de illo ſermone prolixo, quem ſecundũ Matthæũ, in monte habuit Dominus, videamus vtrum ei cæteri Euangeliſtæ nihil aduerſari videantur. Marcus quippe non eum commemorauit omnino, nec aliquid eius ſimile dixit, niſi quaſdam ſententias non contextim, ſed ſparſim, quas Dominus locis alijs repetiuit. Reliquit tamen locum in textu narrationis ſuæ, vbi intelligamus hunc dictum eſſe ſermonem, ſed ab eo prætermiſſum:
Cap. 33. Et erat, inquit, prædicans in ſynagogis eorum, & omni Galilæa, & dæmonia eijciens. In hac prædicatione, quam dicit eum habuiſſe in omni Galilæa; intelligitur etiam ſermo iſte habitus in monte, cuius commemorationem facit Matthæus. Lucas ſermonem etiam ipſe Domini prolixum narrauit, vbi etiam ſic orſus eſt, vt in iſto Matthæus, ſic enim dixit: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, & ille, beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei. Deinde multa quæ ſequuntur etiam in Lucæ narratione ſimilia ſunt, & ad extremũ ſermonis ipſa concluſio prorſus eadem reperitur, de homine prudente, qui ædificat ſuper petram, & de ſtulto, qui ædificat ſuper arenam. Poſſet ergo facillimè credi eundem etiam ipſe Domini interpoſuiſſe ſermonem, aliquas autem prætermiſiſſe ſententias, quas Matthæus poſuit. Item alias poſuiſſe quas iſte non dixit: quaſdam etiam non ijſdem verbis cuſtodita tamen veritatis integritate, ſimiliter explicaſſe: Poſſet hoc ſicut dixi, facillimè credi, niſi maneret, quod Matthęus in monte dicit hunc habitum eſſe ſermonem à Domino ſedente, Lucas autem in loco campeſtri à Domino ſtante. Hæc itaque diuerſitas facit videri alium fuiſſe illum, alium iſtum, quid enim prohiberet Chriſtum alibi quædam repetere, quæ iam antea dixerat, aut iterum quædam facere, quæ antea iam fecerat? Non ſanè iſtos duos ſermones, quorum vnum Matthæus, alterum Lucas inſeruit, longa temporis diſtantia ſeparari, hinc probabiliter creditur, quod & antea, & poſtea quædam ſimilia, vel eadem ambo narrarũt, vt non abſurdè ſentiantur eorum narrationes hæc interponentium in eiſdem locis, & diebus eſſe verſatas. Nam Matthæus hoc ita dicit, & ſecutæ ſunt cum turbæ multæ de Galilęa, & Decapoli, & Hieroſolymis, & Iudæa, & de trans Iordanem: Videns autem turbas aſcendit in montem, &c. Hic poteſt videri multas turbas vitare voluiſſe, & ob hoc aſcendiſſe in montem tanquam ſecedendo à turbis, vt ſolis diſcipulis ſuis loqueretur. Cui rei videtur atteſtari etiam Lucas ita narrans: Factum eſt autem in illis diebus, exijt in montem orare, &c. Hic poteſt intelligi cum in monte duodecim diſcipulos elegit ex pluribus, quos Apoſtolos nominauit, quod Matthæus prætermiſit, tũc illum habuiſſe ſermonem, quem Matthæus interpoſuit, & Lucas tacuit hoc eſt in monte; ac deinde cum deſcendiſſet, in loco campeſtri habuiſſe alterum ſimilem, de quo Matthæus tacet, Lucas non tacet, & vtrumque ſermonem eodem modo eſſe concluſum. Quod autem Matthæus iſto ſermone terminato ſequitur, & dicit: Et factum eſt cum cõſummaſſet Ieſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius; poteſt videri diſcipulornm turbas dixiſſe, ex quibus duodecim illos Apoſtolos elegerat, quãquam etiam illud poſſet occurrere in aliqua excelſiore parte montis primo cum ſolis diſcipulis Dominum fuiſſe, quando ex eis illos duodecim elegit: deinde cum eis deſcendiſſe non de monte, ſed de ipſa montis celſitudine in locum campeſtrem, id eſt, in aliquam æqualitatem, quæ in latere montis erat, & multas turbas capere

pere

pere poterat: atque ibi ſtetiſſe donec ad eum turbæ congregarentur, ac poſtea cum ſediſſet acceſſiſſe propinquiùs diſcipulos eius, atque ita illis, cæteriſque turbis præſentibus vnum habuiſſe ſermonem, quem Matthęus, Lucaſq; narrauerunt diuerſo narrandi modo, ſed etiam veritate rerum, & ſententiarum, quas ambo dixerunt, vt quod Matthæus ait: Cum autem deſcendiſſet de monte, ſimul etiam de illo campeſtri loco, qui in latere montis eſſe potuit intel-
Aug. ligatur. Et cap. 21: De ſermone in monte habito Marcus tacuit: Lucas ſermonem prolixum interpoſuit, qui poteſt idem videri, quem dicit habitum in monte Matthæus.

In verbis Auguſtini iam poſitis multa ſunt ob-
1 ſeruanda. Primum, quod Marcus hunc Domini
ſermonem, quem in monte habuit, non com-
memoret, etiamſi ſparſim aliquas eius ſenten-
2 tias ponat. Secundum, quod locum in tex-
tu narrationis ſuæ reliquerit, vbi hunc ſermo-
3 nem dictum eſſe intelligamus. Tertium, quod
Lucas narrauerit prolixum hunc Domini ſer-
4 monem. Quartum, quæ rationes moueant ad
credendum vnum eundemq; eſſe Domini ſer-
monem, eodem loco, ac tempore habitũ; quem
5 Lucas, & Matthæus commemorant. Quintum,
quod ſermones à Luca, & Matthæo poſiti ſic in
principio, fine, medio, & alijs conueniant, vt li-
cet diuerſi forent, vno tamen in loco ac eodem
6 die ſunt habiti. Sextum, quod priùs ſit habitus
coram diſcipulis in monte ſermo, quem deſcri-
pſit Matthæus, deinde ſubſequutus ſit is, qui eſt
apud Lucam ad turbas in pede montis, ſi diuerſi
7 ſint. Septimum, duo eſſe quæ moueant ad cre-
dendum, eſſe diuerſos Matthæus enim ſignifi-
care videtur, à ſe deſcriptum ſermonem Domi-
num, & ſedentem, & in monte habuiſſe. Lucas
8 vero & ſtantem, & in campeſtri loco. Octauum,
campeſtrem locum bifariã interpretatur, duaſ-
que ponit ſolutiones, quibus reſpondeatur ad
hanc apparentem repugnantiam inter Lucam,
& Matthæum, quarum vna eſt pro ijs, qui affir-
mant eundem eſſe ſermonem, altera vero pro
9 negantibus. Nonum, non aſſerit vnum, ac eun-
dem eſſe: ſed nec aſſerit eſſe diuerſos, ſeu vnum
bis habitum: at modum oſtendit, quo vtrumq;
ſine repugnantia Euangeliſtarum poſſit intelli-
10 gi. Decimum, magis tamen propendere videtur
in eam partem, quod Lucas, & Matthæus eun-
11 dem ſermonem deſcribant. Vndecimum, quod
Matthæus duodecim Apoſtolorum electionem
12 omiſerit. Duodecimum, quod ſermo deſcriptus
à Matthæo, ſiue idem ſit cum eo, quem Lucas
ponit, ſiue non, in monte ſit habitus. Hinc duos
ſcripſit libros, quos inſcripſit de ſermone Do-
mini in monte. Lib. 1. de ſermone Domini in
monte, & lib. 1. retract. cap. 22. idem habet; de
hoc ergo non ambigit Aug. nec de illa re, puto
dubitandum. In eadem quippe ſententia ſunt
omnes veteres, vt Tatia. Harmo. cap. 4. Ammonius Harmoniæ cap. 22. Hieron. Matth. 5. Ambr. lib. 5. in Luc. Chromat. Gregorius homil. 12. in Ezech. & lib. 4. Mor. cap. 4. & lib. 14. cap. 22. Hilarius Can. 4. in Matth. Thom. Matth. 5. Bonau.

Matthæi ſermonem in monte habitum.

Luc. 6. Baſil. Chryſoſt. Euth. Theoph. Vict. Tit. Bed. Leo, & alij.

Ordinis ratio.

Vt ſequentia recte ſuperioribus cohæreant, imprimis ſciendum ſuperioribus ſtatim ſubnecti non poſſe, quæ apud Matthæum ſequuntur, etiamſi ea dictione vtatur, quæ continuam ad ſuperiora ſequelam ſignificare videatur, cum dicit: Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens; nam huius dæmoniaci curationem non in illo receſſu, de quo cap. 45. ver. 12. ſed in domo, & Phariſæorum, Scribarumque præſentia factam, ſatis patet ex his quæ cap. 58. ſequuntur in Matthęo, & multo magis ex Marco, qui tametſi non faciat mentionem huius dæmoniaci, nihilominus cum ipſam Phariſæorum calumniam huius occaſione dæmoniaci natam, cum reſponſione Chriſti recenſuerit, ſatis ex eo etiam patet ante huius dæmoniaci curationem in monte factam eſſe duodecim Apoſtolorum electionem, quã Marcus, & Lucas ſuperioribus ſubiiciunt, eamque ſignificauit eſſe factam in illo receſſu. De quo cap. 45. Proinde cum dicit Matt. tunc, non debet accipi certum illud tempus, quo geſta ſunt, quæ apud ipſum præcedunt; at generaliter, vt & alias ſæpe, Chriſti prædicationis tempus demonſtratur.

Not. 2.

VIDENDVM eſt an ſermo quem habet Lucas idem ſit cum illo prolixo, qui eſt apud Matthæum: vt inde conſtet an hoc loco inſerenda ſint tria Matthæi capita, nempe 5. 6. & 7. tum etiam quia non poteſt hic locus bene intelligi, niſi prius intelligatur, an eadem ſit concio, quæ hic à Matthæo, & à Luca narratur, multis enim in rebus in eius narratione videntur diſſidere. Quippe Matthæus Chriſtum ſignificat concionandi cauſa in montem ſubijſſe: Lucas aſcendiſſe dicit, vt oraret, Matthæus non dicit oraſſe, ſed docuiſſe. Lucas ait eum totam orando noctem duxiſſe; Matthæus non ponit Chriſtum poſt orationem diſcipulos vocaſſe, & ex ijs duodecim Apoſtolos elegiſſe. Lucas verò expreſſe hoc ipſum dicit: Matthæus à ſe deſcriptum ſermonem ſignificat in monte eumque à Domino ſedente habitum: Lucas autem omnino ſignificare videtur Dominum ſermonem ſuum habuiſſe non in monte, ſed in campeſtri loco, idque ſtando. Matthæus 8. beatitudines ab eo explicatas tradit; Lucas non niſi quatuor, quibus rebus adducti ſunt nonnulli, vt exiſtimarent non eandem hic à Luca, & Matthæo concionem recenſeri, ſed Chriſtum eadem in diuerſis concionibus, vt ſæpe fieri ſolet, vel additis, vel detractis paucis, repetiuiſſe. Ita hom. 9. oper. imperf. vbi docet non ſolum tempore, & loco, ſed etiam re has conciones differre. Idem opinari videtur Anſel. in cap. 5. Matthæi. Tatia. Harm. cap. 4. Euth. Luc. 6. ſunt & alij, qui eas eſſe diuerſas exiſtiment. Meritò tamen alij vnum eodem & tempore, & loco habitum putant eſſe ſermonem. Quorum propterea iudicio probabiliorem eſſe ſententiam: quia vterque Euan-

Cur videri poſſit non eſſe idem ſermo apud Lucã & Matth.

Chryſoſt.

Anſel. Tatia. Eut.

Eundem eſſe apud Lucam, & Matthæũ ſermonẽ.

geliſta ita beatitudines à Chriſto explicatas narrat, non quaſi pauca quædam præcepta ex aliqua ſuperiore concione repetita, ſed quaſi totum concionis argumentum, in quo omnis eius conſumpta ſit oratio. Et ita quidem narrat vterque, vt à paupertate exordium ſumpſiſſe dicat. Siquidem vtriuſque idem eſt, & initium, & finis, & plæraque in progreſſu, ac medio eadem ſunt, vel ſimilia, nam vterque à beatitudinibus incipit, vterque deſinit concludendo ſermonem de homine prudente, qui ædificauit ſupra petram, vterque etiam poſt concionem, ſeruum Centurionis ſanatum deſcribit. Huc etiam facit quod in fine concionis à Matthæo deſcriptæ ſubiungatur: Cum conſummaſſet Ieſus verba hæc admirabantur turbæ ſuper doctrina eius, vndè conſtat & illam concionem non minus quam eam, quæ eſt apud Lucam turbis audientibus eſſe habitam. Ergo etiam ex eiuſdem turbæ, ad quam ſermo eſt habitus, conceſſu fit hæc ſententia veriſimilis. Ea enim turba coram qua Lucas ver. 2. cap. 47. dicit habitum ſermonem eadem eſt, quæ deſcribitur à Marco in receſſu illo ver. 12. cap. 45. & vterque dicit, quod quæreret tangere Dominum. Imò & hanc ipſam turbam ſignificat Matthæus, vt patet in fine cap. 33. Quod tamen illic ob cauſam ibi explicatam, eſt relictum. Conſtat præterea Matthæum certo conſilio miraculorum narrationi ſermonem præpoſuiſſe. Eſſe deniq; vnum ac eundem ſen-
Iren. tit Iren. lib. 3. cap. 14. vbi plurima refert, & magis neceſſaria Euangelij, quæ per Lucam ſolum cognouimus, inter quæ ponit illa: Væ vobis diuites: quoniam percipitis conſolationem veſtram, & væ vobis, qui ſaturati eſtis: quoniam eſurietis, &c. quæ à ſolo Luca deſcripta cum aſſerit, cętera eiuſdem ſermonis eadem eſſe cum ijs, quę narrantur à Matthæo indicat. Videtur ergo ſentire illum ſermonem, qui eſt apud Lucã, vnum eſſe cum eo, quam Matthæus retulit. Hic
Chryſoſt. etiam Chryſoſt. hom. 15. in Matthęum, & Amb.
Amb. Baſ. lib. 5. in Lucam. Et Baſil. Ammon. Harmo. cap.
Ammo. 22. & 23. Origenes tract. 24. in Matthæum. Beda
Orig. Bed. Matth. 5. & Luc. 6. Titus Boſtrenſis Luc. 6. &
Tit. plures alij. Quod autem obijcitur multis rebus
Reſponſio ad ea quæ in contrarium adſeruntur. à Luca Matthæum diſſidere, non difficulter ſoluitur. Lucas orandi cauſa in montem Chriſtum aſcendiſſe narrat, quod Matthæus non dicit; ſed neque negat; tacet cur aſcenderit, dicit verò quid ibi fecerit: non quidquid fecit; ſed quod ad ſuum inſtitutum pertinebat, ſiquidem agere de Chriſti doctrina volebat. Ideoque orationem tacet, concionem exponit. Eadem ex cauſa duodecim Apoſtolorum electionem prætermittit. Nodum autem illum, quod Matthæus à Domino ſedente in monte, Lucas vero ab eodem in campo ſtanre hunc ſermonem dicat habitum, varijs modis ſoluit Auguſt. Res verò tota hoc ordine geſta videtur. Chriſtus ad mare ſeceſſit, ibique ne comprimeretur è nauicula docuit, omnes curauit, & iniunxit ne ſe manifeſtarent, vt eſt cap. 45. Tum appropinquante iam veſpera in montem ſubijt, vt tres Euangeliſtæ dicunt, ibique totam noctem orauit; quod Lucas ſolus commemorat: Manè diſcipulos ad ſe vocat, ex quibus duodecim elegit, quos nominauit Apoſtolos, vt eſt in Luca, non in Matthæo. Illis tunc ibi ſine dubio aliqua eorum ſedendo dixit, quæ in ſequenti concione habentur. Neque enim credendum eſt, id eum ſine aliqua exhortatione feciſſe. Deinde cum diſcipulis deſcendit inferius, vbi turbam eandem pro maxima parte adhuc inuenit, & tunc omnibus, prolixam illam concionem fecit. Nihil ergo eſt inter Matthæum, & Lucam repugnantiæ. Dicit quidem Matthæus Chriſtum ſediſſe, cum diſcipuli ad eum accederent: verum non aſſerit ipſum in monte, aut ſedendo hanc concionem habuiſſe: ſed tantum ait, quod aperiens os ſuum docebat, hoc autem vbi fecerit, & quo corporis habitu Lucas explicat, videlicet ſtans in loco campeſtri. Nam ex ipſo etiam Matthęo ſatis colligere licet, non habitum hunc ſermonem à Domino ſedente in monte, cum enim dicit: Videns turbas aſcendit in montem, ſignificat eum declinaſſe turbas: cumque ſubijcit: Et cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius: ſignificat turbas non acceſſiſſe ad Dominum ſedentem in monte; tamen in fine habet etiam turbas hunc ſermonem audiſſe. Non ergo in eo monte, quo diſcipuli, ſed non turbæ acceſſerunt, habitus eſt hic ſermo: ſed in campeſtri loco, quo Dominus ad eas cum diſcipulis deſcendit. Cur ergo (inquis) Matthæus ſcribit, Dominum in montem aſcendiſſe, ac in eo ſediſſe, ſi non voluit indicare habitum in eo ſermonem à Domino ſedente? nihil enim alioqui Dominum in monte feciſſe ab ipſo ſignificabitur, nihilque propter quod ſederit inſinuabitur. Reſp. Aſcendiſſe Chriſtum in montem ait, ſed quam ob cauſam id fecerit Dominus à Luca, non à Matthæo docetur. Dicit etiam ſediſſe; ſed cur, & vbi non expreſſit, at cur ſederit, Marcus, & Lucas tradunt, quod etiã Matthęus latenter indicat dum ait: Diſcipulos ad eum acceſſiſſe, ob id enim, quod à Marco, & Luca expreſſum eſt, vocati acceſſerunt. Deinde montis Cur montis ſit mentio.
meminit ipſe Matthęus, vt ſignificaret legem Euangelicã quæ hoc ſermone continetur è monte profectam, ſicut & veterem. Et acceſſus diſcipulorum ad Chriſtum fecit mentionem, vt ſignificaret hunc ſermonem potiſſimum eſſe dictum Apoſtolis, atque diſcipulis: quod etiam Lucas docet ver. 5. cap. 47. Porro ex Marco ſimul & Luca multum eſt veriſimile in illo ſuperiori ſeceſſu, de quo ver. 12. cap. 45. Apoſtolorum electionem contigiſſe. Primo quia hic eam Vbi collocandus ſit hic ſermo.
vterque narrat, ſecundo quoniam illud apud Lucam: in illis diebus, omnino ad tempus turbæ tum congregatæ pertinet. Quia enim non ſignificauerat Marcus, quo tempore Dominus in montem aſcendiſſet, id Lucas explicuit, quod videlicet illis ipſis diebus. Conſtat ergo tunc factam eſſe Apoſtolorum electionem, atque mox poſt illam, vt ſcribit Lucas habitum ſermonem, qui à beatitudinibus incipit: Ac iſtum quoque ordinem Tatian. & Ammo. in ſua Har- Tatia. Ammo.
monia ſeruant. Quapropter hic omnino videtur

tur collocandus, ſicut & ille prolixus, quem proſequitur Matth. Eundem quippe ambo ſermonem deſcribunt. Nullus itaque locus, in quo hic ſermo, cum Apoſtolorum electione, collocari poſſit, conuenientior inuenitur, quam hic ſeceſſus; In quo etiam Matthæus ſingularem commemorat vnitatem Domini; & turbæ, ac honorum fugam, allata etiam ſcriptura Iſaiæ, qua Dominus dicitur iudicium gentibus nunciaturus; quaſi hoc ipſo loco ſignificet Dominum, & ordinaſſe præcones, & ipſam legem Euangelicam pro maxima parte promulgaſſe.

Not. 3. ver. 1.

Leo. LEO ſerm. in feſto omnium Sanct. cap. 1: Segregatus à circumſtantibus turbis, ſeceſſum vicini montis aſcendit aduocatis Apoſtolis, quos ſublimioribus inſtitutis ab edito myſticè ſedis imbueret, ex ipſa loci atque operis qualitate ſignificans ſe eſſe, qui Moſem quondam ſuo dignatus fuiſſet alloquio. *Locus doctrinæ Christi.*

Chrom. Chromatius Aquileienſ. Epiſc. concione de 8. beatitudinibus: Dominus in montem aſcendit, vt diſcipulis ſuis terrena iam relinquentibus, & ſuperna petentibus, velut in alto iam poſitis præcepta traderet cœleſtium mandatorum & promiſſas olim benedictiones diuino munere largiretur. Idem in hoc monte benedictiones Apoſtolis dedit, qui iam dudum in monte Sinay Moyſi legem tradiderat, probans ſe eſſe vtriuſque legis auctorem. *Locus doctrinæ Christi.*

Greg. Greg. hom. 12. in Ezech: Seruata veritate hiſtoriæ, diuina eloquia, aliquando ex tempore, aliquando ex loco cauſas deſignant, quas aperto ſermone non indicant ex tempore, etenim ſicut prędicante Iudæis Domino per Euangeliſtam dicitur: Hyems erat: Inter illa enim myſteria, quæ veritas loquebatur, quæ cauſa fuit, vt nomen hyemis adderetur, niſi vt per qualitatem temporis oſtenderet frigus cordis? quia & cùm verba veritatis acciperent, frigida Iudæorũ corda remanebant aliquando vero ex loco. Sicut carnali Iſraelytico populo deſcendente de monte Moyſi lex in campeſtribus data eſt, & ſanctis Apoſtolis Dominus in monte ſedens, ſumma & ſpiritalia præcepta locutus eſt; vt ex locis videlicet monſtraretur, quia & illis tanquam carnalibus mandata minima dabantur in valle terrarum; & iſti tanquam ſpiritales, & ſancti in monte mandata cœleſtia audirent, quatenus in monte apertè monſtraretur, quod aſcendentes corde ad cœleſtia, infirma mundi relinquerent, & in montis culmine ſtarent. *Exod. 19.*

Bed. Bed. Matth. 5: Myſticè in montem aſcendit, qui maiora præcepta iuſtitiæ commendare voluit.

Amb. Ambr. lib. 5. in Lucam: Non omnis, qui orat, aſcendit in montem: (eſt enim oratio, quæ peccatum facit) ſed qui benè orat à terrenis ad ſuperiora progrediens verticem curæ ſublimis aſcendit. At ille non aſcendit in montem, qui de ſæculi diuitijs, aut de honore ſollicitus eſt, non aſcendit in montem, qui fundi ius optat alieni: aſcendit ille, qui Deum quærit, aſcendit ille, qui curſus ſui Dominica adiumenta depoſcit. Omnes magni, omnes ſublimes mõtem aſcendunt, &c. vt lect. 7. Auguſt. 24.

Hiero. Hieron. Matt. 5: Dominus ad montana conſcendit, vt turbas ad altiora ſecum trahat, ſed turbæ aſcendere non valent: & ſequuntur diſcipuli, ſecundum litteram nonnulli ſimplicium Chriſtum putant beatitudines, & cætera, quæ ſequuntur in Olíueti mõte docuiſſe, quod nequaquam ita eſt. Ex præcedentibus enim, & ſequentibus in Galilæa monſtratur locus, quem putamus eſſe vel Thabor, vel quemlibet alium excelſum montem. *De quo monte hic agatur.*

Aug. Aug. etiam lib. 1. de ſerm. Dom. in monte, dicit per hunc montem præcepta iuſtitiæ maiora ſignificari, vt videre licet lect. 7. & 8. in feſto omnium Sanct. Sic etiam Bed. & alij.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 77: Vſque adeo ad ſalutem conducit ſeceſſus ab vrbanis tumultibus, vt etiam Dei filius relictis vrbibus, eos, qui cum puritate viuunt, in montis cacumine beatos prædicarit. In quo per ea, quæ faciebat, illud oſtendebat, fieri non poſſe, vt qui ab inferis rebus minimè ſe abſtraxiſſet, atque ad virtutis faſtigium aſcendiſſet, beatus à Deo cenſeretur, aut futura bona conſequeretur. Nam qui ſuperna ſapit, illic habitat, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. *Solitudo ad ſalutem vtilis. Matt. 5. Coloſſ. 3.*

Not. 4. ver. 2.

Vict. VICTOR Antiochenus Mar. 3: Inter alia quoque Eccleſiæ Duces, & Paſtores admonere per hoc voluit, vti prius in oratione pernoctẽt, quam illis manus imponant, quos ad ſacrorum miniſterium conſecrare deliberatum habent, ne fortè eiuſmodi promotio fruſtrà cadat. Ille enim, qui omnium corda, vt Deus explorata habebat; & omnia quæ futura erant accuratè tenebat, non abſque iudicio Apoſtolorum delectum habuit. *Preces ordinationi præmittẽdæ.*

Eut. Euthym. Mar. 3: Pernoctabat in oratione ad Deum, inſtruens nos, vt ſi quando aliquem electuri ſimus, in oratione pernoctemus, quo is, qui dignus eſt, innoteſcat, ne communicemus peccatis alienis.

Amb. Ambr. lib. 5. in Lucam: Orat Dominus, non vt pro ſe obſecret: ſed vt pro me impetret. Nam etſi omnia poſuerit Pater in poteſtate filij: filius tamen vt formam hominis impleret, obſecrandum patrem putat eſſe pro nobis: quia aduocatus eſt noſter. Noli inſidiatrices aperire aures, vt putes filium quaſi infirmum rogare, vt impetret, quod implere non poſſit. Poteſtatis auctor, obedientiæ Magiſter ad præcepta virtutis ſuo nos informat exemplo. Aduocatum, inquit, habemus apud patrem. Si aduocatus eſt, debet pro meis interuenire peccatis. Non ergo quaſi infirmus, ſed quaſi pius obſecrat. Vis ſcire, quia omnia quæ velit, poſſit? Et Aduocatus, & Iudex eſt. In altero pietatis officium, in altero inſigne eſt poteſtatis. Et erat, inquit, pernoctans in oratione Dei: ſpecies tibi datur, forma præſcribitur,

Bonum aliquod facturus oret. tur, quam debeas æmulari. Quid enim te pro ſalute tua facere oportet, quando pro te Chriſtus in oratione pernoctat? Quid te facere conuenit, cum vis aliquod officium pietatis adoriri; quando Chriſtus miſſurus Apoſtolos, orauit prius, & ſolus orauit? Nec vſquam alibi, ſi non fallor, oraſſe cum Apoſtolis reperitur, vbique ſolus obſecrat. Dei enim conſilium humana vota non capiunt, nec quiſquam interiorum poteſt eſſe particeps Chriſto. Vis ſcire, quia mihi, non ſibi orauerit? Vocauit, inquit, diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis. Quos ad propagandum auxilium ſalutis humanæ per terrarum orbem ſatores fidei deſtinaret. Et ſer. 19. in Pſal. 118: Qui rogat, ſemper roget: etſi non ſemper precatur, paratum ſemper habeat precantis affectum. Pernoctabat in oratione Dominus Ieſus, non indigens precationis auxilio, ſed ſtatuens tibi imitationis exemplum. Ille pro te rogans pernoctabat, vt tu diſceres quomodo pro te rogares. Redde igitur ei quod pro te detulit. Audi ſupra dicentem Prophetam: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Et tu ſurge vel media nocte, ſi non potes tota ſemper nocte vigilare, vt dum oras, nocte veri Solis pectori tuo ſplendor irradiet; quia omnis anima, quæ Chriſtum cogitat, in lumine ſemper eſt: dies lucet tibi, Chriſtus aſpirat. Et ſerm. 20. in eundem Pſ: Suſcepit aduocati perſonam. Ipſum enim aduocatum habemus apud Patrē. Pernoctabat in oratione pro nobis, vt nos ſuo informaret exemplo, quemadmodum veniam noſtris debeamus exorare peccatis. Non enim ideo pernoctarat, quaſi qui aliter patrem nobis reconciliare non poſſet, ſed, vt qualis aduocatus eſſe debeat, demonſtraret, qualis ſacerdos, vt non ſolum diebus, ſed etiam noctibus pro grege Chriſti debeat precator aſſiſtere. An impetrandi egebat auxilio, qui facere ipſe poterat, quod rogabat, quemadmodum ipſe dicebat: Ego ad Patrem vado, & quodcumque ab eo petieritis in nominē meo, hoc faciam. Denique alibi ait cum Lazarum reſuſcitaret: ſciebam quod ſemper me audis. Hic quaſi infirmus pernoctabat, qui ſciebat quod ſemper auditur.

[Margin: Solus orat Chriſtus. — Amb. Aliis non ſibi orauit. — Amb. — 1. Ioa. 2. — Cur Dominus in oratione pernoctabat.]

Cypr. Cypr. epiſt. 8. cap. 2: Oremus inſtanter, & aſſiduis precibus ingemiſcamus, nam & hoc nobis non ſolum per viſionem exprobratum ſciatis, quod dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus, & Deus vtique, qui, quem corripit diligit, quando corripit, ad hoc corripit, vt emendet, ad hoc emendat, vt ſeruet. Excutiamus itaque, & abrumpamus ſomni vincula, & inſtanter, ac vigilanter oremus: ſicut Paulus Apoſtolus præcipit, dicens: Inſtate orationi, vigilantes in ea. Nam & Apoſtoli orare diebus, ac noctibus non deſtiterunt. Et Dominus quoque ipſe diſciplinæ magiſter, & exempli noſtri via, frequenter, & vigilanter orauit, ſicut in Euangelio legimus: Exijt in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei, & vtique, quod orabat, orabat ille pro nobis, cum peccator ipſe non eſſet, ſed noſtra peccata portaret. Adeo autem ille pro nobis deprecabatur, vt legamus alio loco: Dixit autem Dominus ad Petrum: Ecce ſatanas poſtulauit vt vos vexaret, quomodo triticum; ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Quod ſi pro nobis, ac pro delictis noſtris ille laborat, & vigilat, & precatur, quantò nos magis inſiſtere precibus, & orare, & primò ipſum Dominum rogare, tum deinde per ipſum Deo Patri ſatisfacere debemus? Et lib. de oratione Dominica cap. 12: Nec verbis tantum, ſed & factis Dominus orare nos docuit, ipſe orans frequenter, & deprecans; & quid facere nos oporteret exempli ſui conteſtatione demonſtrās, ſicut ſcriptum eſt: Ipſe autem fuit ſecedens in ſolitudinem, & adorans. Et iterum: Exiuit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei. Quod ſi ille orabat, qui ſine peccato erat, quantò magis peccatores oportet orare? & ſi ille per totam noctem iugiter vigilans, continuis precibus orabat, quantò nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus, & rogabat non pro ſe: quid enim pro ſe innocens precaretur? ſed pro delictis noſtris, ſicut & ipſe declarat cum dicit ad Petrum: Ecce ſatanas, expetiuit vt vos vexaret, quomodo triticum: Ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Et poſt modum pro omnibus Patrem deprecatur, dicens: Non pro his autem rogo ſolis, ſed & pro illis, qui credituri ſunt per verbum ipſorum in me. Vide Chryſoſt. not. 10. cap. 11.

[Margin: Coloſſ. 4. — Nobis non ſibi orabat. — Cypr. — Pro nobis non pro ſe orabat. — Io. 17. — Chryſoſt.]

Ver. 3.

Quod hic Matthæus habet, latius explicat Luc. exponens quando, & qua ratione factum ſit, vt diſcipuli ad Chriſtum accederent; quod & Marcus poſuit.

Hieron. Matth. 5: Non ſtans, ſed ſedens, & contractus loquitur. Non enim intelligere poterant in ſua maieſtate fulgentem. Hier.

Not. 5. ver. 4.

AMB. lib. 5. in Lucam: Aduerte cœleſte conſilium: non ſapientes aliquos, non diuites, non nobiles, ſed piſcatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit: ne traduxiſſe prudentia, ne redemiſſe diuitijs, ne potentiæ, nobilitatiſq; auctoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur, vt veritatis ratio, non diſputationis gratia præualeret. Amb. Quales elegit.

Tertul. lib. 4. aduerſus Marcio. cap. 13: Cur duodecim Apoſtolos elegit; & nō alium quemlibet numerum? ne & ex hoc meum Chriſtum interpretari poſſem, non tantum vocibus prophetarum, ſed & argumentis rerum prædicatum. Huius enim numeri figuras apud Creatorem deprehendo; duodecim fontes olim, & duodecim gemmas in tunica ſacerdotali Aaronis, & duodecim lapides ab Ieſu de Iordane electos. Totidem enim Apoſtoli portendebantur, proinde vt fontes, & amnes rigaturi aridum retro & deſertum à notitia orbem nationum, ſicut & per Eſaiam: Ponam in terra inaquoſa flumina. Proinde vt gēma illuminaturi ſacram Eccleſiæ

[Margin: Tert. — Numeri 12 Apoſtolorum figura — 1 — 2 — 3 — Num. 13. Exod. 28. Ioſu. 4. — Interpretatio figuratum — Eſa. 41.]

Eccleſiæ veſtem quam induit Chriſtus Pontifex
Patris. Proinde vt & lapides ſolidi fide,quos de
lauacro Iordanis Ieſus verus elegit.
Bed. Beda: Rectè & certi vtique gratia myſterij in
Apoſtolatum diuina gratia duodecim conuo-
cantur, vt videlicet mundi ſalutem, quam ver-
bo prædicarent, numero quoque ſui myſticè
commendarent. Ter etenim quaterni duode-
4 cim faciunt. Et ter quaterni ad prædicandum
ſunt miſſi Apoſtoli, vt per vniuerſas quadrati
orbis plagas baptizarent gentes in nomine Pa-
5 tris,& Filij,& Spiritus ſancti, vnde & de ciuita-
te ſancta Hieruſalem deſcendente de cœlo à
Apoc. 21. Deo ſcriptum eſt:quia erant ei ab Oriente por-
tæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Auſtro
portæ tres, & ab Occaſu portæ tres: vbi figurali-
ter oſtenditur, quod prædicantibus Apoſtolis
eorumque ſucceſſoribus,cunctæ per orbem na-
tiones in fide ſanctæ Trinitatis Eccleſiam eſſent
6 ingreſſuræ. Hi enim ſunt cœleſtis Hieruſalem
portæ. In quo etiam ſacramento ita quondam
filij Iſrael circa tabernaculum caſtra metaban-
tur,vt ex omni parte per quadrum ternæ tribus
manerent. Quia primitiua nimirum Eccleſia,
quæ erat in Iudæa vndique per circuitum ſine
credẽtibus toto orbe nationibus,ſpiritalia Deo
caſtra erat in fide,& confeſſione ſanctæ Trini-
7 tatis fixura. Hinc eſt etiam quod cum in typo
Eccleſię Salomon Domino templum conderet,
fecit & mare æneum in quo ſacerdotes lauaren-
tur, duodecimque illud boum clunibus impo-
ſuit,quorum tres Aquilonem, tres Occidẽtem;
tres Meridiem, & tres aſpicerent Orientem:fi-
guraliter inſinuans,quoniam Apoſtoli,Apoſto-
lorumque ſucceſſores cunctas orbis quadrati
plagas fide, & confeſſione ſanctæ Trinitatis eſ-
ſent à peccatorum labe purgaturi. Hæc Beda
Matt.10. Mar. 3. & Luc. 6.
Hier. Hier. ad 3. cap. Marc: Speciem Iacob dilexit
Dominus & cum diuideret altiſſimus gentes,
& ſepararet filios Adæ: Statuit terminos popu-
lorum iuxta numerum filiorum Iſrael: vt ſint
8 ipſi ſuper thronos duodecim iudicantes duo-
decim tribus Iſrael: quibus data eſt poteſtas,
quam filius à Patre accepit ſecundum carnem:
vt opera quæ ipſe fecit,& ipſi faciant,& maiora
Hier. horum faciant. Et in cap. 4. Amos: Quo-
modo ſol iſte,quem cernimus annuum curſum,
donec ad priſtinam metam redeat, duodecim
explet menſibus, qui ſinguli tricenis voluuntur
9 diebus: & luna ex ſuo nomine menſibus no-
men dedit,& ſolis illuſtratur radijs ab ea parte,
qua ei vicina eſt,vel plus, vel minus, pro varie-
tate temporum,lumen accipiens:ſic & Eccleſia
veri ſolis ſplendore decorata,duodecim implet
3 Apoſtolorum numerum. Vnde & duodecim in
Iſrael appellantur tribus: & in teſtimonium æ-
ternæ memoriæ, de Iordanis alueo duodecim
lapides auferuntur, vt ponantur in loco ſecun-
dæ circumciſionis. His ſimilia multis alijs locis
annotauit. Apoſtolorum autem electio-
nem, quam duo Euangeliſtæ hic deſcribunt o-
Aug. miſſam eſſe à Matthæo notauit Auguſt.lib.2.de
Conſ.cap.19.& alij. Cum enim ſtatuiſſet,initio
ponere ſummam doctrinæ, ac perfectionis E-
uangelicæ; deinde ad confirmationem eius,mi- Cur hic Apoſtolorũ electionẽ Matt. omiſerit.
racula,non potuit his Apoſtolorum electionem
præponere,quippe;qui nondum ſuam ad Chri-
ſtum vocationem miraculis annumeratam de-
ſcripſiſſent.

Ver. 5.

Apoſtoli Græcè, Latinè miſſi dicuntur. Cu-
ius ſacramentum nominis exponens Euangeli-
ſta Marcus ait:Et fecit vt eſſent duodecim cum
illo, & vt mitteret eos prædicare Euangelium.
Et ipſe Dominus dicit: Sicut miſit me Pater, & Io. 20.
ego mitto vos.Ita Beda Luc. 6. Bed.
Iſidorus Hiſpal.lib.7.Orig.cap.9.addit:Nam Iſidor.
ſicut Græcè Angeli, Latinè nuncij vocantur:ita
Græcè Apoſtoli Latinè miſſi appellantur. Ipſos
enim miſit Chriſtus Euangelizare per vniuer-
ſum mundum: ita vt quidam Perſas, Indoſque
penetrarent docentes gentes,& facientes in no-
mine Chriſti magna,& incredibilia miracula,vt
atteſtantibus ſignis, & prodigijs crederetur illis
in iis,quæ dicebant,& viderant.
Euſeb. lib.1.hiſt.cap.10: Dominus noſter Ie- Euſeb.
ſus Chriſtus non longè poſt exorſum prædica-
tionis ſuæ, duodecim Apoſtolos ad ſe aſſciuit,
quos ſolos inter reliquos ſuos diſcipulos, pro-
pter eximiam,& ſingularem quandam honoris
amplitudinem Apoſtolos nuncupauit.

Not. 6. ver. 7.

TERTVLL. lib. 4. aduerſus Marcio. cap.13: Tert.
Mutat & Petro nomen de Simone,quia & crea-
tor Abrahæ,& Saræ,& Anſeæ nomina reforma- Gen. 17.
uit, hunc vocando Ieſum,illis ſyllabas adijcien- Num. 13.
do.Sed & cur Petrum? ſi ob vigorem fidei,mul- Ratio 1.
tæ materiæ, ſolidæq; nomen de ſuo accommo-
darent. An quia & petra & lapis Chriſtus:ſiqui- Ratio 2.
dem , & legimus poſitum eum in lapidem of-
fendiculi, & in petram ſcandali. Omitto cæte- 1. Pet. 2.
ra. Itaque affectauit cariſſimo diſcipulorum de Eſa. 8.
figuris ſuis peculiariter nomen communicare,
puto propriùs quam de non ſuis.
Iuſtinus Martyr aduerſus Tryphonem:Ex di- Iuſt.
ſcipulis ſuis vnum Chriſtus Simonem prius no- Cauſa cur
minatum,Petrum appellauit,quod ſe per Patris Petrus ſit dictus.
ſui cœleſtis reuelationem,filium Dei eſſe agno- Io. 1.
uerit.
Victor Antiochen.Mar.3:Ne quis caſu aut te- Vict.
mere Apoſtolos electos putet. Euangeliſta ſin-
gulorum nomina ordine recenſet. Dicit autem
Simoni impoſuiſſe nomen Petri, quo nimirum Petrus cur vocatus.
nomen rem ipſam anticipet. Quia enim Chri-
ſtus Dominus ſupra petram,hoc eſt,ſupra infra-
ctam,ſanamque Petri doctrinam,inconcuſſam-
que eiuſdem fidem, Eccleſiam ſuam ædificatu-
rus erat,ob id prophetico ſpiritu Petrum illum
appellat, nominauit ordine deinde cæteros.
Baſil.hom.29:Petrus tertio abnegauit,& col- Baſ.
locatus eſt in fundamento. At Petrus dixerat
iam antea & beatus pronunciatus fuerat. Dixe-
rat: Tu es Filius Dei excelſi; & viciſſimo audie-
rat ſe eſſe petram. Ita laudatus à Domino;licet
cruen

enim petræ eſſet, non tamen petra erat vt Chriſtus; vt Petrus petra erat. Nam Chriſtus verè eſt immobilis petra, Petrus vero propter petram, axiomata namque ſua Ieſus largitur, alijs largitur autem ea non euacuatus, ſed nihilominus habens. Lux eſt, Vos eſtis lux mundi, inquit, ſacerdos eſt, & facit ſacerdotes. Ouis eſt, & dicit: Ecce, ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Petra eſt, & petram fecit. Quæ ſua ſunt, largitur ſeruis ſuis. Argumentum hoc eſt opulenti, habere videlicet, & alijs dare. Verùm qui apud nos diuites ſunt, vbi ſua largiuntur alijs, quæ habent, imminuunt. Diuites enim non ſumus; nam aliena poſſidemus; Chriſtus verò ita diues eſt, vt quantum alijs elargitur tantum nihilo ſecius ipſe diues permanet, eſt enim inſtar fontis perpetuo fluentis. Quantumcumq; hauſeris, non tamen riuus illius minuitur. Imo ne fontis quidem inſtar habet. Nullum enim apud nos naturę illius par poteſt produci exemplum, at quoniam non habemus, quod dignè illi reſpondeat, vtamur imparibus, & imperfectis, vt quocunque modo, quæ perfectè cognoſci nequeunt, cognoſcamus. Petrum à Chriſto petra nomen habere docet etiam Hiero. not. 96. cap. 52. Et Amb. ſerm. 47. Et Auguſtinus ſermone 16. de Sanct. & lib. 1. retract. cap. 21. Quando autem hoc nomen ei impoſitum, cap. 20. dictum eſt.

Io. 2.

Hier. Amb. Aug.

Not. 7. ver. 10.

Hier. HIER. in cap. 1. Daniel: Filij Zebedæi appellati ſunt filij tonitrui. Quod non, vt plerique putant, Boanerges, ſed emendatiùs legitur Benereem.

Bed. Beda: Iacobus, & Ioannes ob eximium virtutis cultum, & animi culmen; aptè filij tonitrui, hoc eſt, Boanerges, ſiue vt emendatius ſcribitur, Benereem ſunt à Domino cognominati. Nec fruſtra. Quorum vnus è cœleſtibus intonans vocem illam Theologicam, quam nemo prius edere nouerat, emiſit: In principio erat verbum, &c. Quæ tanto robore, tantæ virtutis pondere grauida reliquit, vt ſi aliquantò plus intonare voluiſſet, nec ipſe mundus capere poſſet; ſed & ambo ſæpe ſeorſim & in montem à Domino duci, & aliquando ſonum de nube terrificum percipere metuerunt: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite, priſca quoque nomina mentis aptiſſima geſtabant, Iacobus enim ſupplantator. Ioannes in quo eſt gratia, vel Domini gratia dicitur, namque ille & carnis curam, Domino vocante, ſupplantare, & ipſam carnem Herode trucidante, gauiſus eſt contemnere. Iſte ob amoris præcipui gratiam, quam virginali gloria meruerat, ſuper Redemptoris ſui pectus in cœna recubuit. Hæc Bed. Matt. 10. Mar. 3. & Luc. 6. iſtud à Marco poſitum, & non ab alijs notauit etiam Beda Matt. 10.

Cur dicitur Boanerges.

Iacobus quid ſignificet Ioannes quid &c.

Ver. 14.

Amb. Ambr. lib. 5. in Lucam: Eligitur & Iudas non per imprudentiam, ſed per prouidentiá. Quantá eſt veritas, quam nec aduerſarius miniſter infirmat? Quanta moralitas Domini, qui periclitari magis apud nos iudicium ſuum quam affectum maluit? Suſceperat enim hominis fragilitatem, & ideo nec has partes recuſauit infirmitatis humanæ, voluit deſeri, voluit prodi, voluit ab Apoſtolo ſuo tradi, vt tu ſi à ſocio deſertus, ſi à ſocio proditus fueris, moderatè feras, tuum erraſſe iudicium, periſſe beneficium.

Cur Dominus proditorem elegit.

Eut. Euth. Marc. 3: Elegit item & Iudam Iſcariotem; vt qui tunc bonus erat, oſtendens ſe bonum recipere, donec malus efficiatur, & quamquam præcognoſcat, quod futurum eſt, non tamen ob futuram prauitatem eum obijcit, qui nunc bonus, ſed propter virtutem præſentem ſibi familiarem facit illum etiam, qui malus futurus eſt.

Vict. Victor Antioch. Mar. 3: Quo palam fieret, non ipſam hominum naturam in cauſa eſſe, vt alij ſequentur, alij pereant: ſed liberam vniuſcuiuſque voluntatem Iudam Iſcariotem ſciēs volenſq; in Apoſtolum aſciuit, vnuſquilibet, namque ſeipſum vita, vel interitu dignum declarat. Nam quod Dominus Ieſus Iudam traditorem fore non ignorauerit, id Euangelia paſſim commonſtrant.

Voluntas praua, & non ipſa natura perditionis eſt cauſa.

Epiph. Epiph. aduerſ. Marcion. hæreſi 42. confu. 4. contra eundem illud vrget: Iudas Iſcariotes, qui fuit proditor eius: inde probans quod Chriſtus phantaſma non fuerit, qui ſub tactum cecidit, nempe Iudæ proditione comprehenſus, & crucifixus. De nefario Iuda vide Iſidor. Peluſ. lib. 3. ep. 44.

Iſidor.

CAP. 47. *Docet* CHRISTVS, *in quo beatitudo conſiſtat.*

Matt.	*Mar.*	*Luc. 6.*	*Ioan.*
		In vigilia omnium Sanctorum. *In communi Martyrum.* 1 ET deſcendens cum illis, ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius: & multitudo copioſa plebis, ab omni Iudæa, & Hieruſalem, & maritima, & Tyri, & Sydonis, qui venerant, vt audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. 2 Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exi-	

Et ape-

Matt. 5.	*Mar.*	*Luc. 6.*	*Ioan.*
		bat, & ſanabat omnes. ✠	
3 Et aperiens os ſuum, docebat eos, dicens:		3 Et ipſe eleuatis oculis in diſcipulos ſuos, dicebat:	
4 Beati pauperes ſpiritu, quoniã ipſorum eſt regnum cœlorum.		4 Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei.	
5 Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.			
6 Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.		6 Infra.	
7 Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.		7 Beati qui nunc eſuritis, quià ſaturabimini.	
		6 Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.	
8 Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.			
9 Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.			
10 Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.			
11 Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorũ.			
12 Beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me.		12 Beati eritis cum vos oderint homines, & cum ſeparauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum tãquam malum propter filium hominis.	
13 Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.		13 Gaudete in illa die, & exultate, ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo. T.	
14 Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.		14 Secundum hæc enim faciebát Prophetis patres eorum.	
		15 Veruntamen væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationem veſtram.	
		16 Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis.	
✠		17 Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.	
		18 Væ cum benedixerint vobis homines.	
		19 Secundum hæc enim faciebant pſeudoprophetis patres eorum.	

Not. 1. ver. 1.

CIRCA illud, quod ver. 1. dicitur: Stetit in loco campeſtri, conſule Auguſtinum 1. not. cap. 48. Aug.

Epiph. hære. 42. confut. 4. dicit Marcionem legiſſe inter ipſos pro, cum ipſis. Et conf. 5. & 6. & ver. 4. 5. & 16. oſtendit Chriſtum habuiſſe verum corpus, non phantaſticum. Epiph.

Amb. lib. 5 in Luc: Aduerte omnia diligenter, & c. vt in com. Martyrum lect. 7. Amb

Ver. 3.

Greg. lib. 4. Moral. cap. 4. in illud Iob 3: Aperuit Iob os ſuum: Non eſt (inquit) neglectè diſcutiendum quod dicitur: Aperuit os ſuum. Scriptura enim ſacra, ex his, quæ tenuiter præmittit, reuerenter exſpectanda indicat, quæ ſubiungit. Sicut enim clauſa vaſcula, quid intus habeant, ignoramus, aperto vero ore vaſculorum, quid intrinſecus contineatur, agnoſcimus. Ita Sanctorum corda, quæ clauſo ore occulta ſunt, aperto ore deteguntur, & cum cogitationes detegunt, os aperire reſeruatur, vt intenta mente; quaſi apertis vaſculis, quid intus contineant, feſtinemus cognoſcere, ac noſmetipſos eorum intimo odore recreare, vnde & ſublimia præcepta Domino in monte dicturo præmittitur: aperiens os ſuum dixit, quamuis illic, & hoc accipi debeat, quod tunc os ſuum in præceptis aperuit, in quibus dudum aperuerat ora prophetarum. Quid ſit os aperire.

Ver. 4.

Chryſoſt. homilia in dictum Apoſtoli: Cùm autem ſubiecta fuerint, &c. Moſes quidem dedit Chryſoſt. Nouem beatitudines.

dit decem mandata. Ieſus autem Dominus Moſis, nouem beatitudines, dictorum veritatem ſcient quotquot aliquatenus, ſcripturas norūt. 1. beatitudo: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, &c. Quare lex ponit decem mandata, gratia autem nouem beatitudines? nempe decem mandatorum numerus, reſpondet numero plagarum Ægypti. Decem plagæ Ægypti impietatem caſtigarunt, & decem mandata populum erudiunt inſanatum. Id quod & litera iota indicat, qua denarius numerus ſcribi ſolet: virgulæ enim formā, & figuram præ ſe fert, & virga erudiebat Ægyptios, atque populum. Ieſus vero Dominus noſter dat nouem beatitudines triplici ternario triplicem plectens coronam. Quandoquidem, fratres, adorabilis illa Trias, regalis illa dignitas, immaculata natura, indomabilis dominatio, in ternario gloriam habet, & veneratur Deus ternarij prædicationem in terra, & virtutum numerum, quo numero ſanctæ Trinitati reſpondeat, &c.

Cur decem ſint mandata.

Cur nouē ſint euangel. beatitudines.

Amb. Ambroſ. vero lib. 5. in Lucam: Quatuor tantum beatitudines ſanctus Lucas Dominicas poſuit. Octo vero ſanctus Matthæus, &c. vt lect. 8. in com. Matt. Ambroſ. & reliqui Doctores octo beatitudines recenſent: Chryſoſt. verò nouem. Cur vero hanc beatitudinem vterque primo loco Euangeliſta poſuerit, habet Ambr. lect. 9. in com. Matt. & Aug. lect. 7. die 2. Nouemb. & lect. 8. die 4. Nouemb.

Octo beatitudines. *Chryſ. ſt.* *Cur hæc beatitudo ſit prima.* *Amb.* *Aug.*

Bern. Bernar. ep. 103: Si ſapis, non contemnes eorum amicitiam, quos veritas beatos clamat, & Reges pronunciat cœlorum. Quam quidem beatitudinem non inuidemus tibi. Nec enim communicata tibi, nobis minuitur: nec noſtri proinde termini reſtringuntur, ſi & tu regnaueris. Quænam vero inuidiæ cauſa poteſt eſſe, vbi ſortium magnitudini conſortium multitudo nihil detrahit? Volo te eſſe amicum pauperum, magis autem imitatorem. Ille gradus proficientium eſt, hic perfectorum. Amicitia pauperum Regum amicos conſtituit: amor paupertatis Reges. Regnum denique cœlorum pauperum eſt; & eſt regiæ poteſtatis beare pro voluntate amicos. Facite, inquit, vobis amicos, &c. Vides quia magna dignitas ſancta paupertas ſit, vt non modo patrocinium ipſa ſibi non quærat, ſed & ferat indigentibus. Quale eſt hoc, abſque interuentu cuiuſpiam Angelorum, vel hominum, ſola diuinæ gratiæ confidentia accedere per temetipſum ad vultum gloriæ, capeſſere ſumma rerum, attingere totius magnificentiæ culmen?

Ep. 125

Leo. Leo ſerm. in feſto omnium Sanctor. cap. 2: De quibus pauperibus veritas loqueretur, forte eſſet ambiguum, ſi dicens: Beati pauperes, nihil adderet de intelligenda pauperum qualitate, & ſufficere videretur, ad promerendum regnum cœlorum ea ſolum inopia, quam multi ſub graui, & dura neceſſitate patiuntur. Sed cum dicit: Beati pauperes ſpiritu, oſtendit eis regnum cœlorum tribuendum, quos humilitas commendat animorum magis, quam indigentia facultatum. Dubitari autem non poteſt quod huius tatum iſtius bonum facilius paupe- res, quam diuites aſſequantur, dum & illis in tenuitate amica eſt manſuetudo, & iſtis in diuitijs familiaris elatio. Verumtamen & in pleriſque diuitibus inuenitur hic animus, qui abundantia ſua non ad tumorem ſuperbiæ, ſed ad opera benignitatis vtatur, & ſibi pro lucro maximis numeret, quod ad releuandam miſeriam alieni laboris impenderit. Omni generi hominum, atque ordini datur in hac virtute conſortium: quia poſſunt propoſito eſſe pares, & impares cenſu, nec intereſt quantum ſint in facultate terrena diſſimiles, qui in ſpiritalibus bonis inueniuntur æquales. Beata igitur illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit; ſed cœleſtibus bonis ditiſcere concupiſcit. Huius nobis magnanimæ paupertatis exemplum primum poſt Dominum Apoſtoli præbuerunt, qui omnia ſua ſine differentia relinquentes ad vocem cœleſtis magiſtri à captura piſcium in piſcatores hominum alacri conuerſione mutati ſunt, & multos ſui ſimiles fidei ſuæ imitatione fecerunt, quando illis primitijs Eccleſiæ vnum cor omnium, & anima vna erat credentium, qui vniuerſis ſuis rebus, poſſeſſionibuſque diſtractis per deuotiſſimam paupertatem, bonis ditabantur æternis, & ex Apoſtolica prædicatione gaudebant nihil habere de mundo, & omnia poſſidere cum Chriſto. Hinc beatus Petrus Apoſtolus cum aſcendens in templum, à claudo eleemoſynam poſceretur: Argentum, inquit, & aurum, non eſt mecum, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Quid hac humilitate ſublimius? Quid hac paupertate locupletius? Non habet pecuniæ dia pecuniæ, ſed habet dona naturæ: quem enim debilem edidit matri ex vtero, ſanum fecit Petrus ex verbo; & qui imaginem Cæſaris in nummo non dedit, imaginem Chriſti in homine reformauit. Huius autem theſauri opibus non ſolum ille adiutus eſt, cui greſſus eſt redditus, ſed etiam quinque millia virorum, qui tunc ad exhortationem Apoſtoli ob eiuſdem curationis miraculum crediderunt. Et ille pauper, qui non habebat quod petenti daret, tantam dedit diuinæ gratiæ largitatem, vt quemadmodum vnum hominem redintegrarat in pedibus, ſic tot millia credentium ſanaret in cordibus, faceretque eos in Chriſto alacres, quos in Iudaica perfidia inuenerat claudicantes.

Pauperes ſpiritu ſunt humiles.

Act. 3. *Act. 4.*

Hier. Hieron. Matt. 5: Beati pauperes, &c. hoc eſt quod alibi legimus, & humiles ſpiritu ſaluabit. Ne quis autem putaret paupertatem, quæ nonnunquam neceſſitate portatur à Domino prædicari, adiunxit ſpiritu, vt humilitatem intelligeres, non penuriam. Beati pauperes ſpiritu, qui propter Spiritum ſanctum voluntate ſunt pauperes. Vnde ſuper huiuſcemodi pauperibus & Saluator per Iſa. loquitur: Dominus vnxit me; propter quod euangelizare pauperibus miſit me.

Eſa. 61.

Greg.

Greg. Pauperes ſpiritu ſunt humiles. Greg. lib. 26. Moral.cap.24: Scriptura ſacra plerumque pauperes humiles vocare conſueuit. Vnde in Euangelio cum adiectione ſpiritus nominantur, dum dicitur: Beati pauperes ſpiritu. Quos enim diuitiæ viſibiliter potentes oſtendunt, apud ſemetipſos pauperes ſunt, qui elati in ſuis conſcientijs non ſunt, ac etiam lib. 21. Moral.cap.12. per pauperes ſpiritu, intelligit humiles. Sic etiam Aug. lib.1. de ſer. Dom. in monte. Aug.

Not. 2. ver. 5.

Leo. LEO ſer.in feſto omn.Sanct.cap.4: Mitibus, atque manſuetis, humilibus, atque modeſtis, & ad omnium iniuriarum tolerantiam preparatis; poſſidenda terra promittitur. Nec parua æſtimanda eſt hæc, aut vilis hæreditas, tanquam à cœleſti habitatione diſcreta ſit, cum regnũ cœlorum, alij non intelligantur intrare. Terra ergo promiſſa mitibus, & in poſſeſſionem danda manſuetis caro ſanctorum eſt, quæ ob humilitatis meritum fælici reſurrectione mutabitur, & immortalitatis gloria veſtietur. In nullo iam ſpiritui futura contraria; & cum voluntate animi perfectæ vnitatis habitura conſenſum. Tunc enim exterior homo interioris hominis erit quieta, & intemerata poſſeſſio: tunc mens videndo Deo intenta, nullis corporeæ infirmitatis impedietur obſtaculis, nec iam dici neceſſe erit: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, quoniam habitatori ſuo non reluctabitur terra, nec immoderatum aliquid contra imperium ſui rectoris audebit. Poſſidebunt enim illam mites pace perpetua; & nihil vnquam de eorum iure minuetur: cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, vt periculum vertatur in præmium, & quod fuit oneri, ſit honori.

Terra mitibus promiſſa quæ ſit. 1 Cor. 15. Sapient. 9.

Hier. Hieron. Matt. 5: Non terram Iudæ, nec terram iſtius mundi, non terram maledictam, ſpinas, ac tribulos affeтentem, quam crudeliſſimus quiſque & bellator magis poſſidet: ſed terram quam Pſalmiſta deſiderat, dicens: Credo videre bona Domini, in terra viuentium. Huiuſcemodi poſſeſſor, & poſt victoriam triumphator etiã in 44. Pſalmo deſcribitur: Intẽde proſperè, procede, & regna; Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam, nemo enim terram iſtam per manſuetudinem, ſed per ſuperbiam poſſidet. Sic etiam Aug. lect.7. die 2. Nouemb.

Pſal. 26. Pſal. 44. Aug.

Not. 3. ver. 6.

Leo. LEO ſerm.in feſto omn.Sanct. cap.3: Luctus hic, dilectiſſimi, cui conſolatio æterna promittitur, non eſt cum mundi huius affectione communis, nec beatum quemquam faciunt iſta lamenta, quæ totius humani generis deploratione funduntur: Alia ratio eſt ſanctorum gemituum, alia beatarum cauſa lachrymarum. Religioſa triſtitia aut alienum peccatum luget, aut proprium. Nec de hoc dolet, quod diuina iuſtitia agitur, ſed de eo mœret, quod humana iniquitate committitur: vbi magis plangendus eſt faciens maligna, quam patiens: quia iniuſtum malitia ſua demergit ad pœnam: iuſtum autem tolerantia ducit ad gloriam.

Luctus ſanctorum quis ſit.

Hier. Hieron. Matt. 5: Luctus hic non mortuorum ponitur communi lege naturæ, ſed peccatis, & vitijs mortuorum. Sic fleuit & Samuel Saulem, quia pænituerat Deum quod vnxiſſet eum Regem, ſuper Iſrael. Sic & Paulus Apoſtolus flere, ac lugere ſe dicit eos, qui poſt fornicationem, & immunditiam non egerunt pœnitentiam. 1 Reg. 15.

Greg. Greg. in prologo expoſitionis 4. Pſalmi pœnitentialis: Admonemur proſpera metuere, & contra omnem ſæculi fælicitatem acrius vigilare. Sæpe namque præſentia gaudia ſequuntur perpetua lamenta. Sicut enim per fletus ad gaudia ducimur, ita per gaudia ad fletum peruenitur. Ille nempe, qui dixit: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, ipſemet ait: Væ vobis, qui ridetis, nunc, quia plorabitis, & flebitis. Quis ſanctior Dauid? qui cum Saulis perſecutionibus vrgeretur, non ſolum perſequentem occidere non voluit, ſed ipſi perſecutori cùm ipſum occidere poſſet, pepercit. Tanto enim in Dei miſericordiam ſpem ſuam fixerat, quantò miſerabilius infirmitatem ſuæ tribulationis ſentiebat. Verum vbi deuictis hoſtibus preſſuris caruit, homicidium adulterio incautè ſecurus adiecit.

Proſpera ſunt metuenda.

Baſ. Baſil. in regulis breuioribus interrogatione 194: Cuiuſmodi eſt ille luctus, quem ſuſcipere debemus, ſi beatitudinem illam, quam lugentibus paratam Dominus ait, conſequi volumus? Reſponſio, continetur quæſtio iſta in ea quæſtione, quæ eſt de triſtitia illa, quæ eſt ſecundum Deum, quando videlicet propter admiſſa delicta lugemus, vel quod Deus contemnitur, cum per tranſgreſſionem legis contumelia afficiatur Deus, vel quod eorum periculum videmus, qui peccant. Anima enim, quæ peccauerit, inquit, illa morietur. Imitantes illum, qui dixit: Et lugebam multos ex ijs, qui ante peccauerunt: Vide Aug. lect.8. die 2. Nouemb.

Ezech. 18. 2 Cor. 12. Aug.

Not. 4. ver. 7.

Leo. LEO ſer.in feſto omnium Sanct.cap.5: Nihil hæc eſuritio corporeum, nihil expetit ſitis iſta terrenum: ſed iuſtitiæ bono, deſiderat ſaturari, & in omnium occultorum introducta ſecretũ, ipſo Domino optat impleri. Fælix mens, quæ hunc concupiſcit cibum, & ad talem æſtuat potum; quem vtique non expeteret, ſi nihil de eius ſuauitate guſtaſſet. Audiens autem dicentem ſibi propheticum ſpiritum: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus, accepit quandam ſupernæ dulcedinis portionem, & in amorem caſtiſſimæ voluptatis exarſit. Vt ſpretis omnibus temporalibus, ad edendam, bibendamque iuſtitiam toto accenderetur affectu, & illius primi mandati apprehenderet veritatem, dicentis: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Pſal. 33. Deut. 6. Matt. 22.

Diligere Deum quid ſit. Leo. & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua: quoniam nihil eſt aliud diligere Deum, quam amare iuſtitiam. Et ſerm.12.de Quadrageſima cap. 2: In cœleſtibus Eccleſiæ diſciplinis multum vtilitatis afferunt, diuinitùs inſtituta ieiunia; vt dum continentiæ legibus carnalis ſubijcitur appetitus, motus quoque interior temperetur, ac ſicut corpus à cibis, ita mens ab iniquitate ieiunet. Dominus enim dicit: Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. Habet ergo populus Dei ſpiritales epulas, caſtaſque delicias, quas ſalubriter expetit, & laudabiliter concupiſcit: quoniam laudante, & dicente Propheta: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus, &c. (Deliciæ Chriſtianorum. Pſal 33.)

Hier. Hieron. Matth. 5: Non nobis ſufficit, velle iuſtitiam, niſi iuſtitiæ patiamur famem, vt ſub hoc exemplo nunquam nos ſatis iuſtos; ſed ſemper eſurire iuſtitiæ opera intelligamus. Vide Aug. Aug.lect.9.die. 2. Nouemb.

Not.5. ver.8.

Leo. LEO ſerm. in feſto omn. Sanct. cap.6: Sicut illic dilectioni Dei, proximi cura ſubiungitur, ita & huic deſiderio iuſtitiæ, virtus miſericordię copulatur. Agnoſce Chriſtiane, tuæ ſapientiæ dignitatem, & qualium diſciplinarum artibus, ad quę præmia voceris intellige: miſericordem te miſericordia, iuſtum vult te eſſe iuſtitia, vt in creatura ſua creator appareat, & in ſpeculo cordis humani per lineas imitationis expreſſa Dei imago reſplendeat. Secura eſto operantium fides, aderunt tibi deſideria tua, & ijs quæ amas ſine fine potieris. Et quoniam tibi per eleemoſynam omnia munda ſunt, ad eam quoque beatitudinem quæ conſequenter eſt promiſſa, peruenies. (Fides operantium ſecura.)

Hier. Hier.Matt.5: Miſericordia non ſolum in eleemoſynis intelligitur, ſed in omni peccato fratris, ſi alter alterius onera portemus.

Baſ. Baſ. proemio in regulas fuſiùs diſputatas: Miſericors eſt Deus? at idem etiam eſt iudex, diligit enim, inquit, miſericordiam, & iudicium Dominus. Idcircò miſericordiam, inquit, & iudicium cantabo tibi Domine. Qui autem illi ſint, aduerſum quos ille miſericordia vtatur, nimirum ex verbis illis didicimus: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Animaduertis quanta cum diſcretione miſericordia Dominus vtatur. Siquidem neque citra iudicij diſcretionem clemens eſt, neque inclementer iudicat: Miſericors enim, & iuſtus eſt Dominus. (Pſal, 32. Pſal.144)

Leo Leo ſerm. 5. de collectis: Quamuis quis fidelis ſit, & caſtus, & ſobrius, & alijs maioribus ornatus inſignibus, miſericors tamen ſi non eſt, miſericordiam non meretur, ait enim Dominus: Beati miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus. Cum autem venerit filius hominis in maieſtate ſua, & ſederit in throno gloriæ ſuę, & congregatis omnibus gentibus, bonorum & malorum fuerit facta diſcretio: in quo laudabuntur qui ad dexteram Dei ſtabunt, niſi in operibus beneuolentiæ, & charitatis officijs, quæ Ieſus Chriſtus ſibi impenſa reputabit. Quoniam qui naturam hominis ſuã fecit, in nullo ſe ab humana humilitate diſcreuit. Siniſtris vero quid obijcietur, niſi neglectus dilectionis, duritia inhumanitatis, & pauperibus miſericordia denegata? Quaſi nec alias virtutes dextri, nec alias offenſiones habeant ſiniſtri. Sed in illo magno, ſummoque iudicio tanti æſtimabitur, vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro ſumma omnium commiſſorum, & per vnum bonum iſti introducantur in regnum, & per vnum malum illi mittantur in ignem æternum. Nemo igitur dilectiſſimi de vllis ſibi bonæ vitæ meritis blandiatur, ſi illi defuerint opera charitatis. Nec de ſui corporis qualitate ſecurus ſit, qui nulla eleemoſynarum purificatione mundatur. Eleemoſynæ enim peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis, extinguunt. Sed qui ab earum fructu fuerit vacuus, erit ab indulgentia retribuentis alienus; dicente Salomone: Qui obturat aures, ne audiat imbecillem: & ipſe inuocabit Dominum, & non erit qui exaudiat eum. Et ſermone 5. de ieiunio decimi menſis: Efficaciſſima pro peccatis deprecatio eſt in eleemoſynis, atque ieiunijs, & velociter ad diuinas conſcendit aures talibus oratio eleuata ſuffragijs. Quoniam ſicut ſcriptum eſt, animæ ſuæ benefacit vir miſericors, & nihil vniuſcuiuſque tam proprium, quam quod impendit in proximum. Pars enim corporalium facultatum, quæ indigentibus miniſtratur, in diuitias tranſit æternas: & illæ opes de hac largitate pariuntur, quæ nullo vſu minui, nulla poterunt corruptione videri. Beati autem miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus, & ipſe erit illis ſumma præmij, qui eſt forma præcepti. Vide Auguſt. lect.9.die 2. Nouemb. (Matt. 25. Eleemoſyna bona. Prou. 21. Leo Prou. 11. Aug.)

Not. 6. ver. 9.

Greg. GREG. in 4.Pſal.Pœnit: Si illum qui ab omni peccato mundus eſt, in cordis noſtri hoſpitio habere volumus, oportet primò, vt illud ab omni vitiorum ſorde purgemus. Emundemus ergo interiora mentis noſtræ, & diligenter peccatorum noſtrorum ſecreta ſcrutemur, ne ex affectu noſtro peccati delectatio pullulet, ne turpe deſiderium cor in occulto titillet, ne paſſionum ex eo contentiones prodeant, ne peruerſarum cogitationum diſpenſationes aliquando erumpant, templum enim Dei non poteſt eſſe pollutum; quia ſcriptum eſt, templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Verum quis gloriabitur mũdum ſe habere cor, aut immunem eſſe ſe à peccato? Si Propheta pollutum labijs ſe eſſe aſſerit, cuius os Seraphim, carbone quem ſuſceperat de altari, purgauit, quid dicturi ſumus nos, quos luxuria inquinat, inuidia anguſtat, ambitio pręcipitat, ſuperbia exaltat? non eſt enim virtutis humanæ, ita ab illicitis motibus mundare animum (Cor mundandum vt Deum videat. A quibus cor ſit mũdandum. Cur ſit cor mundandum. 1 Cor. 3. Omnes debent cor mundare.)

mum

mum, vt perſtrepentium voces non ſentiat cogitationum. Sed quia Deo nihil eſt impoſſibile, clamemus ad Deum tota virtute. Cor mundum crea in me Deus.

Hier. Hiero. Matt. 5: Beati mundo corde, quos non arguit conſcientia vlla peccati: mundus mundo corde conſpicitur, templum Dei non poteſt Hier. eſſe pollutum. Et Prouerb. 20: Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, nõ ait: Quis poteſt mundum habere cor, & purus eſſe à peccato. Sed quis poteſt dicere, inquit: Mundũ eſt cor meum, purus ſum à peccato: quia ſunt qui largiente diuina gratia poſſunt iuxta humanũ modum, & cordis & operis mũditiam habere. Vnde eſt illud Dominicum: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Et in Pſalmo: Pſal. 23. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus, & mundo corde. Si enim nemo mundũ habet cor, neque vllus purus eſt à peccato: cõſequens eſt profectò vt nullus aſcendat in montem Domini, nullus hominũ ſtet in loco ſancto eius. Quia verò conſtat multos aſcenſuros in montem Domini, ſtaturosq́; in loco ſancto eius, reſtat vtiq́; vt ſint multi mundo corde, & iuxta humanæ poſſibilitatis modum puri à peccato: nec tamen ſeipſum quiſquam mũdum corde, & immunem eſſe à peccato abſque temeritate pronuntiat. Stulta eſt namque propriæ laudis iactantia, temerarium de ſua quemque innocentia, vel iuHier. ſtitia gloriari. Et lib. 3. aduerſus Pelagianos: Quare in ſcripturis ſanctis ad perfectam iuſtitiam prouocamur: vt eſt illud: Beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt. Et: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, & Dei loquentis ad Abraham: Ego ſum Deus tuus, placeto in conſpectu meo, & eſto ſine macula, vel querela, &c. Si enim non poteſt fieri quod ſcriptura teſtatur, fruſtra præcepit, vt fieret hoc quod nunc quaſi nouum obijcis: Beati mundo corde, & beati immaculati in via, & eſto ſine macula, & cætera huiuſcemodi, Apoſtolo reſpondente conuictum eſt: & ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, & nũc per ſpeculum videmus in ænigmate: cum autem venerit, quod perfectum eſt, id quod ex parte fuerat, deſtruetur. Et mundum igitur cor, quod poſtea ſit viſurum Deum, & beatitudinem vitæ immaculatæ, & immaculatum cum Abraham viuere in vmbra poſſidemus, & imagine.

Leo. Leo ſerm. in feſto omnium Sanctor. cap. 7: Magna fœlicitas, dilectiſſimi, cui tantum præmium præparatur. Quid ergo eſt habere cor mundum, niſi eis, quæ ſupradictæ ſunt, ſtudere virtutibus? videre autem Deum quantæ ſit beatitudinis, quæ mens concipere, quæ lingua va-
1 Cor 13. leat explicare? Et tamen hoc conſequetur cum
1 Tim. 6. transformabitur humana natura; vt non iam per ſpeculum, neque in ænigmate, ſed facie ad faciem ipſam quam nullus hominum videre
Eſa. 64. potuit, ſicuti eſt, videat Deitatem. Et quod ocu-
1 Cor. 2. lus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit per ineffabile gaudium æternæ contemplationis obtineat. Merito hæc beatitudo cordis promittitur puritati; ſplendorem enim veri luminis ſordens acies videre non poterit. Et quod erit iucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculoſis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni ſqualore iniquitatis oculi tergantur interiores. Vt ſerenus intuitus tantùm Dei viſione paſcatur. Et ſerm. 12. de Quadrag. cap. 1: Quia vniuerſitas fidelium ad perfectam innocentiam, & ad plenam debet tendere puritatem, vt eorum conſortio mereatur aſcribi, de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, omni inſtantia, & virtute nitendum eſt, vt quidquid ſecretum conſcientiæ maculat, quidquid aciem mentis obſcurat, diligentiſſimis emundationibus deleatur, quamuis enim ſcriptum ſit: Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut mundum ſe eſſe à peccato? non tamen deſperanda eſt apprehenſio puritatis, quæ dum ſemper appetitur, nec ſemper accipitur, nec remanet iudicio condemnandum quod fuerit cõfeſſione purgatum. Leo. Prou. 20.

Baſ. Baſil. in regulis breuioribus interrogatione 280: Quid eſt mundo corde? Reſp. Qui ſeipſum non reprehendit, quod Dei mãdatum, aut ſpreuerit, aut plene executus non ſit, aut neglexerit.

Iren. Irenæus lib. 4. cap. 37: Præſignificabant prophetæ, quoniam videbitur Deus ab hominibus, quemadmodum & Dominus ait: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

Orige. Origenes hom. 6. in Eſaiam: Cor nuncupatiuo cum corporeo corde vocabulo animæ noſtræ principale nominatur; vt manifeſtum eſt ex eo quod in Euangelio dicitur: Beati mundo corde. Neque enim hi mundo corde ſunt, qui ſanguinem, vel quodcunque materiæ corporalis intrinſecus non habent, ſed dictum eſt: Beati mundo corde, pro eo quod eſt: Beati, qui mundum habent principale animæ. Principale nominatur pro corde: Quoniam igitur principale animæ noſtræ quod eſſe dicitur in corde corporeo, ſiue mundum eſt cor nõſtrum, ſiue immundum, immundum quidem, quando cogitationes peſſimæ egrediuntur ex eo, homicidia, adulteria, furta, falſum teſtimonium, blaſphemiæ: Mundum autem quando cogitationes ſanctæ, & intellectus diuini, & mens pura. Vide Aug. lect. 7. die tertio Nouemb. Quid ſit cor. Quid ſit cor mundum. Aug.

Amb. Ambro. lib. 1. in Luc: Et quid mirum, ſi in preſenti ſæculo, niſi quando vult Dominus non videtur? In ipſa quoque reſurrectione, non facilè eſt Deum videre; niſi ijs qui corde ſunt mundo. Et ideo, beati mundo corde, ipſi enim Deum videbunt. Quantos beatos iam numerauerat, & tamen videndi his Deum non promiſerat facultatem. Si ergo ij, qui mundo ſunt corde, Deum videbunt: vtique alij non videbunt: neque enim indigni Deum videbunt, neque is, qui Deum videre noluerit, poteſt Deum videre. Nec in loco Deus videtur; ſed mundo corde: nec corporalibus oculis Deus quæritur: nec circumſcribitur viſu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec ſentitur inceſſu, & cùm ab-

ſens putatur, videtur: cùm præſens eſt, non videtur.

Not. 7. ver. 10.

Greg. GREG. lib. 7. indic. 2. epiſt. 6: Si quam magna ſit, pacis virtus attendimus, quo à nobis ſtudio ſit colenda agnoſcimus. Hanc quippe Dominus, & Redemptor noſter in magno munere diſcipulis ſuis relinquere, ac dare dignatus eſt, vt eos qui firmitate fidei ei cohærebant, per hanc ſibi pia faceret participatione conſortes; ſcriptum namque eſt: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Quiſquis ergo patris hæres eſſe deſiderat, filius exiſtere hanc cuſtodiendo non renuat; nam qui locum præbet diſcordiæ ipſe profectò tanti ſe muneris exortem eſſe conſtituit. Et Paſtoral. curæ parte 3. admonit. 24: Aliter admonendi ſunt ſeminantes iurgia: atque aliter pacifici. Admonendi namque ſunt, qui iurgia ſeminant, vt cuius ſint ſequaces agnoſcant. De Apoſtata quippe Angelo ſcriptum eſt, cum bonæ meſſi inſerta fuiſſent zizania: inimicus homo hoc fecit. De cuius etiam membro per Salomonem dicitur: Homo Apoſtata, vir inutilis graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat. Ecce quem ſeminanrem iurgia dicere voluit, priùs Apoſtatam nominauit; quia niſi more ſuperbientis Angeli à conſpectu conditoris priùs intus auerſione mentis caderet, foras poſtmodum vſque ad ſeminanda iurgia non veniret. Audiant iurgiorum ſeminatores quod ſcriptum eſt: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur; atque è diuerſo colligant, quia ſi filij Dei vocantur, qui pacem faciunt, procul dubio ſatanæ ſunt filij, qui confundunt. Omnes autem qui per diſcordiam ſeparantur à viriditate dilectionis, areſcunt. Qui etſi boni operis fructus in ſuis actionibus proferũt, profectò nulli ſunt, quia non ex vnitate caritatis oriuntur. Hinc ergo perpendant ſeminantes iurgia quam multipliciter peccant, qui dum vnam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas ſimul virtutes eradicant. In vno enim malo, innumera peragunt, quia ſeminando diſcordiam, charitatem quæ nimirum virtutum omnium mater eſt extinguunt: quia autem nihil pretioſiùs eſt Deo virtute dilectionis; nihil eſt delectabilius diabolo extinctione charitatis. Quiſquis ergo ſeminando iurgia dilectionem proximorum perimit, hoſti Dei familiarius ſeruit: quia qua ille amiſſa cecidit, hanc iſte vulneratis cordibus ſubtrahens eis iter aſcenſionis abſcindit. At contra admonendi ſunt pacifici, ne tantæ actionis pondus leuigent, ſi inter quos fundare pacem debeant, ignorent, nam ſicut multum nocet, ſi vnitas deſit bonis, ita valde eſt noxium, ſi non deſit malis. Si ergo peruerſorum nequitia in pacem iungitur, profectò eorum malis actibus robur augetur, quia quo ſibi in malitia congruunt, eo ſe robuſtiùs bonorum afflictionibus illidunt. Hinc namque eſt, quod contra damnati illius vaſa videlicet Antichriſti prædicatores diuina voce beato Iob dicitur: Membra carnium eius cohærẽtia ſibi. Hinc ſub ſquamarum ſpecie de eius ſatellitibus perhibetur: vna vni coniungitur, & nec ſpiraculum quidem incedit per eos. Sequaces quippe illius quo nulla inter ſe diſcordiæ aduerſitate diuiſi ſunt, eò in bonorum grauius nece glomerantur. Qui ergo iniquos paci ſociat, iniquitati vires adminiſtrat, quia bonos deterius deprimunt, quos & vnanimiter perſequuntur. Vnde prædicator egregius graui Phariſæorum, Sadducæorumque perſecutione deprehenſus, inter ſemetipſos diuidere ſtuduit, quos cõtra ſe grauiter vnitos vidit, cum clamauit, dicens: Viri fratres, ego Phariſæus, &c. Dumque Sadducæi, ſpem, reſurrectionemque mortuorum eſſe denegarent; quam Phariſæi iuxta præcepta ſacri eloquij crederent, facta in perſecutorum vnanimitate diſſenſio eſt, & diuiſa turba illæſus Paulus exiuit, quæ hunc vnita prius immaniter preſſit. Admonendi itaq; ſunt qui faciendæ pacis ſtudijs occupantur, vt prauorum mentibus priùs amorem debeant internæ pacis infundere, quatenus eis poſtmodum valeat exterior pax prodeſſe; vt dum eorum cor, in illius cognitione ſuppenditur, nequaquam ad nequitiam ex huius perceptione rapiatur. Dumque ſupernam prouident, terrenum nullo modo ad vſum ſuæ deteriorationis inclinent. Cum vero peruerſi quique tales ſunt vt nocere bonis nequeant etiamſi concupiſcant inter hos nimirùm debet pax terrena conſtrui, & priuſquam ab eis valeat ſuperna agnoſci, vt hi ſcilicet quos contra dilectionem Dei malitia ſuæ impietatis exaſperat, ſaltem ex proximi amore manſueſcant, & quaſi è vicino ad meliùs tranſeant, vt ad illam quæ à ſe longè eſt, pacem conditoris aſcendant.

[Margin notes: Virtus pacis eſt magna. — Diſcordia. — Greg. Iurgia ſeminates. — Prou. 6. — Qui ſeminãt iurgia cur ſit Apoſtata. — Qui ſeminãt iurgia ſunt filij ſatanæ. — Innumera mala agũt. — Charitas mater eſt omnium virtutum. — Inter quos ſit pax facienda, & inter quos non. — Iob 41. — Act. 23.]

Hier. Hieron. Matt. 5: Beati pacifici, qui primum in corde ſuo, deinde inter fratres diſſidentes pacem faciunt. Quid enim prodeſt alios per te pacari cum in tuo animo ſint bella vitiorum? Pacifici qui ſint.

Leo. Leo ſerm. in feſto omnium Sanct. cap. 8: Beatitudo iſta dilectiſſimi, non cuiuſlibet conſenſionis, aut qualiſcunque concordiæ eſt, ſed illius de qua dicit Apoſtolus: Pacẽ habete ad Deum. Rom. 5. Et de qua dicit Propheta Dauid: Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcãdalum. Pſal. 118. Hanc pacem etiam arctiſſima amicitiarum vincula, & indiſcretæ ſimilitudines animorum non veraciter ſibi vendicant; ſi non cum Dei voluntate concordant. Extra dignitatem huius pacis ſunt improbarum parilitates cupiditatum, fœdera ſcelerum, & pacta vitiorum. Amor mundi cum Dei amore non congruit, nec ad ſocietatem filiorum Dei peruenit, qui ſe à carnali generatione nõ diuidit. Qui autem ſemper cum Deo mente ſunt ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, nunquam ab æterna lege diſſentiunt, fideli oratione dicentes: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra: Hi ſunt pacifici, hi bene vnanimes, ſanctèq; concordes, vocandi æterno nomine filij Dei, cohæredes autem Chriſti, quia hoc merebitur dilectio Dei, & proximi,

[Margin notes: Epheſ. 4. — Rom. 8.]

ximi, vt nullas iam aduerſitates ſentiat, nulla ſcandala pertimeſcat, ſed finito omnium tentationum certamine in tranquilliſſima Dei pace requieſcat. Et ſerm.11.de Quadrageſima cap.6: Dicente Domino: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Deponantur omnium diſcordiarum, odiorumque certamina, nec putet ſe quiſquam in Paſchali feſto habiturum eſſe conſortium, qui fraternam pacem redintegrare neglexerit. Apud enim ſummum Patrem, qui non fuerit in charitate fratrum, non habebitur in numero filiorum.

Leo.

Baſil. in regulis breuior. interrogat. 215: Quis eſt qui à Domino beatus dicitur pacificus? Reſp. Is qui Domini opus adiuuat, quod eſt apud Apoſtolum pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortãte per nos: Obſecramur pro Chriſto, reconciliamini Deo. Et item: Iuſtificati ex fide, pacem habeamus ad Deum. Quæ enim aliter ſe habet pax, ea negata eſt à Domino, cum dixit: Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Vide Aug. lect. 7. 8. 9. die 3. Nouemb.

Baſ. — 2 Cor. 5. — Rom. 5. — Aug.

Not. 8. ver. 11. 12. 13. 14.

Hier. Hier. Matt. 5: Signanter dixit, propter iuſtitiam: multi enim perſecutionem propter ſua peccata patiuntur, & non ſunt iuſti. Simulque conſidera quod octaua veræ circunciſionis beatitudo, martyrio terminatur.

Aug. Aug. lib. 1. contra epiſtolam Parmeniani c. 9: In hæreticos ex occulto imperio Dei per manifeſtum hominum imperiũ, multa quibus coercerentur ſeueriſſimè conſtituta ſunt, nec ſolum hæreticis quoquo modo ſaltem Chriſtiano nomine dealbatis, ſed etiam ipſis paganis; nam vtique & ipſi falſa religione ſunt impij, quorum ſimulacra euerti, atque confringi iuſſa ſunt, recentibus legibus, inhiberi etiam ſacrificia ſub tenore capitali. Si quis ergo eorum damnatus in tali crimine fuerit, martyr continuo æſtimandus eſt, quia pro ſuperſtitione, quam piam religionem putabat pœnas legibus luit? Nullus certè, quoquo modo Chriſtianus, audet hoc dicere. Non ergo quiſquis in aliqua religionis quæſtione fuerit ab Imperatore punitus, martyr efficitur, neque enim vident, qui talia ſentiunt, in eum locum ſe progredi, vt ipſos etiam dæmones martyrum ſibi gloriam vendicare poſſe cõtendant: quia iſtam patiuntur perſecutionem per Imperatores Chriſtianos, vt pænè toto orbe terrarum eorum templa euertantur, idola comminuantur, ſacrificia ſubtrahantur, qui eos honorant, ſi deprehenſi fuerint, puniantur. Quod ſi dementiſſimum eſt dicere, non ergo ex paſſione certa eſt iuſtitia, ſed ex iuſtitia paſſio glorioſa eſt. Ideoque Dominus, nè quiſquam in hac re nebulas effunderet imperitis, & in ſuorum damnatione meritorum laudem quæreret martyrum, non generaliter ait: Beati qui perſecutionem patiuntur: ſed addidit magnam differentiam, qua vera à ſacrilegio pietas ſecernatur. Ait enim: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: nullo modo autem propter iuſtitiam, qui Chriſti Eccleſiam diuiſerunt, & cum ea, quaſi ſimulata iuſtitia conantur ante tempus à palea ſeparari, ac frumenta eius falſis criminationibus inſectãtur, dum ipſi ab ea potius, tanquam leuiſſima palea, varijs tumorum flatibus ſeparati ſunt.

Hæretici nomine Chriſtiano dealbati.

In ratione martyrij dæmones cum hæreticis conueniunt.

Nõ ex paſſione certa eſt iuſtitia, ſed ex iuſtitia paſſio glorioſa eſt.

Tertull. lib. de patientia cap. 11: Vndique adſtricti ſumus officio patientiæ adminiſtrandæ, quia qua ex parte, aut erroribus noſtris, aut mali inſidijs, aut admonitionibus Domini interuenimus, eius officij magna merces, fælicitas ſcilicet. Quos enim fælices Dominus, niſi patientes nuncupauit, dicendo: Beati pauperes ſpiritu, illorum eſt enim regnum cœlorum. Nullus profectò ſpiritu pauper, niſi humilis. Quis enim humilis niſi patiens? quia nemo ſubijcere ſeſe poteſt, ſine prima patientia ſubiectionis ipſius. Beati, inquit, flentes, atque lugentes. Quis talia ſine patientia tolerat? Itaque talibus & aduocatio & riſus promittitur: Beati mites. Hoc quidem vocabulo, impatientis non licet omnino cenſeri. Item cum pacificos eodem titulo fælicitatis notat, & filios Dei nuncupat, nunquid impatientes pacis affines: ſtultus hæc ſenſerit. Cum vero gaudete, & exultate, dicit, quoties vos maledicent, & perſequentur: merces enim veſtra plurima in cœlo: id vtique non exultationis impatientiæ pollicetur: quia nemo in aduerſis exultabit, niſi antè ea contempſerit, nemo contemnet, niſi patientiam geſſerit. Et lib. aduerſus Gnoſtios cap. 9: Planè alia in Chriſto, & diuinitas, & voluntas, & ſchola, & martyria, aut nulla in totum, aut aliter intelligenda mandarit. Qui neminem ad huiuſmodi diſcrimen hortetur, qui pro eo paſſis nihil repromittat, quia pati eos nolit; & ideo præceptorum principia deducẽs: Beati, inquit, qui perſecutionem patiuntur ob iuſtitiam, quoniam illorum eſt regnum cœlorum. Hoc quidem abſolutè ad omnes; dehinc propriè ad Apoſtolos ipſos: Beati eritis cum vos dedecorauerint, & perſecuti fuerint, & dixerint aduerſus vos omnia mala propter me; gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra plurima in cœlo. Sic enim faciebant & Prophetis patres eorum: vt etiam prophetaret quod & ipſi occidi haberent ad exemplum Prophetarum.

Tert. — Tert.

Chryſoſt. ſerm. de proditione Iudæ: Ne proditum lugeas, ne traditum fleas, ſed proditoris factum ingemiſce, & futura eius lamentare ſupplicia. Nam proditus Chriſtus orbem liberauit vniuerſum. Proditor gehennam meruit poſſidere. Traditus in cœlis Patris ſedet in dextera: traditor autem apud inferos collocatus, tormenta debita ſceleratus expectat, & ideo lugendus eſt. Nam & Dominus noſter illius delictum lachrymatus eſt, vt ait Euangeliſta: Et cum vidiſſet eum turbatus eſt, & dixit: Vnus ex vobis tradet me. Quanta miſericordia Domini! traditus pro traditore dolet, proditus pro proditore turbatur. Et cum vidiſſet eum, dixit: Vnus ex vobis tradet me. Simul & ſuæ miſericordiæ oſtendit poteſtatem, & nos docet, non eos, qui

Chryſoſt. — cap. 17.

mala patiuntur; ſed eos qui mala committunt, debere miſeros,& dignos fletibus eſtimari. Hoc enim peius eſt, imò illud penitus malum non eſt, nam malum pati, malum non eſt, malum facere, malum eſt, & ideo malorum ſuſtentatio cœlorum regnum nobis pollicetur; Malorum autem commiſſio gehennam minatur, & tormenta promittit. Beati, namque, ait, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quia ipſorum eſt regnum cœlorum. Vides quod malorum perpeſſio mercedem ſperat, & ſufferentiæ ſuæ præmium cœlorum meruit regnum? Audi malum committere, quanta ſupplicia præparare conſueuit. Nam Paulus dicens de Iudæis, quoniam quidem Dominum occiderunt, & Prophetas perſecuti ſunt, in ſequentibus ait, quorum finis erit ſecundum opera illorum. Vides quod regnum perſecutionem perpeſſi ſortiuntur, & iram perſecutores promerentur, & hæc non ſine ratione proceſſit oratio: nec inaniter verba prolata ſunt: ſed vt circa aduerſarios noſtros iracundiam temperemus, & patienter eos toleremus, & magis eorũ geſta doleamus. Illi enim verè mala patiuntur, qui nobis mente inſidiantur aduerſa, ſed & pro iis diuinam clementiam exorare poterimus, ſi tamen talis anima noſtra præparatur, vt poſſit conuerſationis ſuæ merito alijs quoq; prodeſſe. Vide Aug. lect. 9. die 7. Nouemb. & lect. 8. die 8. Nouemb.

Ver. 12.

Hiero. Hieron. Matt. 5: Illud maledictum contemnendum eſt, quod beatitudinem creat, quod falſo maledicentis ore profertur. Vnde & ſpecialiter definiuit, quæ ſit beata maledictio: Omne, dicens, maledictum aduerſum vos, mentientes propter me: Vbi ergo Chriſtus in cauſa eſt, ibi & optanda maledictio eſt.

Eut. Euth. Matt. 5: Ad Apoſtolos qui aderant, ſermonem dirigit: oſtẽdens doctoribus proprium eſſe probris affici. Ne autem ſuſpiceris quod ſimpliciter verbis malis impeti ſit beatum: idcirco addidit, quæ plane diſtinctionem faciunt. videlicet, vt quę dicuntur mendacia ſint, & propter Chriſtum ea dicantur. Quod ſi hæc non ita ſe habent: miſer potius eſt, qui malè audit, vtpote plurimos ſuis malis operibus offendens. Quid ergo his admonitionibus mirabilius eſſe poteſt? Vtinam verò quę ab omnibus euitantur, præmiorum magnitudine fiant omnibus deſiderabilia, nam qui grauia, ac moleſta, & hominum conſuetudini ad id vſque temporis contraria præſcripſit, perſuaſit tamen, & perſuadet vniuerſo ferè orbi.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 8. in epiſt. ad Epheſ: In ſcripturis me non tantum delectat miracula patrans, quantum malè affectus, flagellatus, ac miſerabiliter tractus. Ita vt à corpore eius, inquit, ſudaria deferrentur, ac ſemicinctia. Admiranda quidem reuera fuerunt iſta, verum non talia, qualia illa: Cæſum autem multis impoſitis plagis coniecerunt in carcerem. Et iterum: Et vincti laudabunt Dominum. Item & cum illum lapidaſſent extraxerunt è ciuitate, exiſtimantes eſſe mortuum. Vultis diſcere quantæ ſit dignitatis catena ferrea propter Chriſtum corpori ſerui ipſius circundata? Audite Chriſtum ipſum dicentem: Beati eſtis, inquit, quid? quod mortuos excitaturi eſtis? non, ſed quid? quod cæcos curabitis? nequaquam. Quando ergo? quando probris vos affecerint, inſectatique fuerint, ac dixerint quoduis malum contra vos, mentientes propter me. Quod ſi malè propter Chriſtum audire adeo facit beatos, quid non faciet malè etiam affici? Vide Aug. lect. 9. die 4. Nouemb. & lect. 7. die 8. Nouemb. Aug.

Ver. 13.

Hiero. Hieron. Matt. 5: Gaudete; neſcio quis hoc noſtrum poſſit implere, vt laceretur opprobrijs fama noſtra, & nos exultemus in Domino. Hoc qui vanam, ſectatur gloriam, implere non poteſt. Gaudere igitur, & exultare debemus, vt merces nobis in cœleſtibus præparetur. Eleganter in quodam volumine ſcriptum legimus, ne quæras gloriam, & non dolebis cum inglorius fueris.

Eut. Euth. Matth. 5: Gaudete, & exultate ſpiritu, quicunque probra, ac perſecutiones ſuſtinetis: & modo quo dictum eſt, malè auditis. Dicens autem: Merces veſtra multa eſt in cœlis; aliam quoque conſolationem induxit. Opprobria ſuſtinere magnum eſt, & graue admodum. Vnde & Iob poſtquam alias tentationes patienter tolerauerat tunc maximè turbatus eſt, quando ab amicis opprobrijs afficiebatur, tanquam propter peccata ſua pateretur. Porro merces, Græcè eſt tam apud Lucam, quam apud Matthæum ho miſthos hymon, pro quo Latinè ab omnibus vertitur, merces. Atqui merces teſte Varrone lib. 3. de lingua Latina, eſt à merendo dicta: Si quid, inquit, datum pro opera, vel opere merces à merendo. Itidem miſthos Græcè apud occultos vnquam auctores reperitur alia ſignificatione, quam mercedis ſtipendij, præmij. Quæ diligenter adnotanda ſunt, vt non poſſit euadere, ſi fortè quis vitam æternam eſſe mercedem negare auſus fuerit. Alijs etiam diuinæ ſcripturæ locis vita æterna merces appellatur. Vt Rut. 2. Eccleſiaſtici 11. 18. 36. & 51. Sap. 5. & 10. Matt 10. 1. Cor. 3. Heb. 2. 2. Ioan. Apoc. 11. Item & præmium, Tobiæ 4. Sap. 4. Item brauium, 1. Cor. 9. Philipp. 3. Denique remuneratio, 2. Cor. 6. Heb. 10. & 11. Quæ omnia eodem pertinere perſpicuum eſt. Neque obſtat quod vno loco, nempe ad Rom. 6. Vita æterna vocetur gratia: quia non eſſe ſimpliciter gratiam patet ex illo Ioan. 1. gratiam, pro gratia.

Merces à merendo dicitur.

Vita æterna eſt merces.

Ver. 14.

Eut. Euth. Matth. 5: Hinc manifeſtum eſt, quod illud: Beati eſtis, &c. propriè ad diſcipulos dixerit, & ipſis mediantibus, etiam ad omnes, qui diſcipulos ſuos eſſent imitaturi. Ita enim, inquit, perſecuti ſunt prophetas, qui vos præceſſerunt. Quomodo ita? Opprobrio videlicet afficiẽtes, & per-

& perſequentes, & dicentes omne malum verbum, mentiẽdo propter Deum. Sicut enim vos à me mittemini prædicaturi quæcunque præcepero, ita & illi à Deo miſſi erant. Dicens autem, prophetas, qui vos præceſſerunt, manifeſtat quod etiam hi prophetabunt. Si ergo, inquit, non erat illis indecorum pati propter Deum, neque omnino vobis. Ita Prophetis eos adæquando mentes erexit ipſorum. Obſerua autem poſt quot præcepta poſuerit beatitudinem tolerãdæ perſecutionis, quæ fit propter iuſtitiam, & exprobrationis, detractionis, & maledictorum: quod omnibus prædictis virtutibus oporteat adiutum eſſe eum qui hæc certamina aggreditur. Nam ideo quoque certo vſus ordine auream nobis catenam contexuit. Qui enim animo humilis eſt, propria lugebit errata, qui verò luget, etiam mitis erit, & qui manſuetus eſt, iuſtus quoque erit omnino: iuſtus vero etiam miſerebitur. His autem omnibus opere perfectis etiam mundus erit corde, talis verò pacificus quoque erit. Qui autem huc vſque profecit ad pericula etiam extendetur, ac cætera, quæ ſequuntur, magno animo tolerabit.

Cur Prophetarum meminit. *Cur hæc beatitudo bis eluæa.* *Ordinis beatitudinum ratio.*

Not. 9. ver. 15.

Tit. T i t. Luc. 6: Poſteaquam Deus, bonorumque omnium Dominus, oſtenderat ſanctos, qui paupertatem, illius amore, conſectantur, eſuriuntque, & ſitiunt, & lugent, &c. ſua mercede non carituros, ad eos nunc ſermonem conuertit, qui contrarijs ſtudijs incumbunt. Væ, inquit, vobis diuitibus, qui habetis conſolationem veſtram, &c. Inſinuat hic omnia iſthæc eiuſmodi eſſe, quæ & ſupplicium procreent, & vindictam inferant, quo mirum impendentium tormentorum metu exterriti, diuitijs congerendis non nimium inhient; neque in voluptatibus, & iocis mundique huius delicijs, ætatem tranſigant, qui potius coronarum, & opum, quas ij hæreditabunt, quos Dominus beatos prædicat, deſiderio incitati ad labores, ſpontaneæq; paupertatis ſtudium propter Deum amplectendum, ſeſe accingant. Dominus namque hos quidem cœleſtis regni hæredes futuros: illos vero in extremam calamitatem ruituros aſſerit; vt qui ſuam hic mercedem, & conſolationem receperint: addit porro ſimilem eos pœnam adituros, qui ab omnibus hominibus laudari, magnique apud omnes fieri volunt. Cæterum quod de diuitibus hoc loco traditur, illud non pertinet ad omnes; ſed ad eos tantum, qui totum animi deſiderium ad pecunias contulerunt: Cuiuſmodi ſunt, qui vocem Domini dicentis: Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis in cœlo, &c. vel non audiunt, vel auditam contemnunt.

Qui diuites reprobantur.

Amb. Amb. lib. 5. in Lucam: Matthæus præmijs ad virtutem, & fidem populos prouocauit. Lucas etiam à criminibus, atque peccatis futurorum ſuppliciorum denunciatione deterruit, qui non otioſè plurimorum factorum cœleſtium enumeratione progreſſus, ad benedictionũ locum ſeriùs venit, vt populos diuinorum miraculis roboratos, vltra legis tramitem virtutum progredi veſtigijs edoceret. Fuit cauendum illic, vbi adhuc infirmæ plebis corda nutabant, hîc tubæ clangore excitanda virtus fuit. Licet in pecuniarijs copijs multa ſint lenocinia delictorum, pleraq; tamen ſunt etiam incentiua virtutum. Quãquam virtus ſubſidia non requirat, & commendatior ſit collatio pauperis, quam diuitis liberalitas: tamen non eos qui habeant diuitias, ſed eos qui vti his neſciant ſententiæ cœleſtis authoritate cõdemnat. Nam vt ille pauper laudabilior, qui prompto largitur affectu, nec repagulis impendentis egeſtatis inhibetur, inopemque ſe non putat, qui habet quod naturæ ſatis eſt; ita hic criminoſior diues, qui vel Deo referre gratiam de eo debuit, quod accepit, nec cenſum, ad communem vſum datum, ſine vſu abdere, defoſſiſque terræ incubare theſauris. Non cenſus igitur, ſed affectus in crimine eſt. Et quanquam tota ætate cuſtodiæ miſerabilis ſollicitas auara mens tendat excubias, quo nulla pœna grauior eſt, ſucceſſorũ profutura compendijs anxio timore, ſeruare tamen, quoniam auaritiæ ſtudia, & deſideria congerendi inani quadam voluptate paſcuntur, qui conſolationem vitæ præſentis habuerunt, remunerationem perpetuæ perdiderunt. Poſſumus tamen hic diuitem intelligere populum Iudæorum, vel hereticos, vel certè mundi philoſophos, qui vbertate verbornm, & quodam ambitioſæ facundiæ patrimonio delectati, ſimplicitatem veræ fidei ſupergreſſi theſauros inutiles condiderunt. Nonne tibi videtur hæreticus aliquis, cum audis eum de generatione Domini, iuxta vſum ſæculi diſputantem, diues in verbis, pauper in viribus? qui putat ſe in hoc tempore locupletes habere diuitias: ſed in futuro egeſtatem ſuæ fidei recognoſcet, cibumque perfidiæ, quem præſenti ætate ructauerit, æterno fidei commaceratus ieiunio cauſam tanti ſciet eſſe ſupplicij.

Qui diuites damnentur.

Ver. 16.

Beda Luc. 6: Saturatus erat diues ille purpuratus, quando epulabatur quotidie ſplendidè; ſed dirum væ ſuſtinebat eſuriens, quando de Lazari, quem deſpexerat, digito guttam aquæ quærebat. Aliter ſi beati ſunt illi, qui iuſtitiæ ſemper eſuriunt opera: infælices è contrario ſunt æſtimandi, qui ſibi in deſiderijs placentes, nullam veri, & inconcuſſi boni famem patiuntur, ſatis ſe rati beatos, ſi non ad tempus ſua voluptate priuentur. Bed.

Baſil. in regulis fuſiùs diſputatis, interrog. 16. & 17. Multa habet de neceſſitate, & vtilitate temperantiæ, & continentiæ. Et interrog. 19. Immodicè, inquit, ventrem diſtendere, & immoderatis ſe epulis onerare, præterquam quod deteſtabilis, atque exectatione digna res eſt, cum Dominus dixerit: Væ qui ſaturi eſtis nunc, corpus etiam ipſum ineptum prorſus reddit ad Baſ.

dit ad labores, & procliuè in ſomnos, & morbis magis expoſitum facit, ac peruium, &c.

Not. 10. ver 17.

Amb. AMBR. lib. 1. Officior. cap. 23: Multa de ratione dicendi dant præcepta, ſeculares viri, quæ nobis prætereunda arbitror, vt de iocandi diſciplina. Nam licet interdum honeſta ioca, ac ſuauia ſint; tamen ab Eccleſiaſtica abhorrent regula: quoniam quæ in ſcripturis ſanctis non reperimus, ea quemadmodū vſurpare poſſumus? cauendum eſt etiam in fabulis, ne inflectāt grauitatem ſeuerioris propoſiti. Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis, ait Dominus: & nos ridendi materiam requirimus, vt hic ridentes, illic fleamus? non ſolum profuſos, ſed omnes etiam iocos declinandos arbitror, plenum tamen ſuauitatis, & gratiæ ſermonem eſſe nō indecorum. Nam de voce quid loquar, quam ſimplicem & puram eſſe ſatis arbitror? canorum autem eſſe, naturæ eſt, non induſtriæ, ſit ſanè dictincta pronuntiationis modo, & plena ſucci virilis, vt agreſtem, & ſubruſticum fugiat ſonum, non vt rithmum affectet, ſcænicum; ſed myſticum ſeruet.

Ioci vt vitandi ſint.

Baſ. Baſ. in regulis breuioribus, intertog. 31: An in vniuerſum ridere uon liceat? Reſp. cum Dominus eos damnet, qui in hac vita rident; admodum perſpicuum eſt, nullum omnino locū dari fideli in quo ridere debeat, & maximè in tam magno numero eorum, qui per tranſgreſſionem legis Deum inhonorant, & in peccatis morti ſe dant, quorum vicem mœrore, ac gemere conuenit. Et in regulis fuſiùs diſputatis

Baſil. reſpon. ad interrog. 17: Atque illud etiam quod à pleriſque negligitur, non mediocriter caueri ab ijs debet, qui colendæ pietati ſtudeat, ne in riſum videlicet præter modum effuſi ſint, quandoquidem non abeſſe à ſe intemperantiam ſignificat is, qui profuſo nimis, petulantique riſu teneatur, ſeſeque animi ſui motus nequaquam ſedatos, eiuſque mollitiem, ac veluti laxitatem, nequaquam ratione ſeuera habere compreſſam declarat. Verùm enim modicè rictum diducere, eoque modo, animi ſui diffuſionem leuiter ſignificare, non eſt contra decorum, quatenus

Prou. 15. illud tantum indicetur, quod ſcriptum eſt: Cor gaudens exhilarat faciem. Illud autem in immanos cachinnos protumpere, & corpore contra animi voluntatem ſuſſultare, nequaquam eſt eius, qui animo compoſito ſit, aut plane probo, & compote ſuiipſius. Porro hoc ita eſſe vir

Eccle. 21. ſapientiſſimus Salomon confirmat his verbis: Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam; vir autem ſapiens vix tacitè ridebit. Huiuſmodi genus riſus etiam Eccleſiaſtes damnans tanquam rem animi conſtantiæ, & grauitati maximè contrariam;

Eccle. 2. ſic dicit: Riſum reputaui errorem. Item ſicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti. Atque hoc ipſum etiam ita eſſe Dominus o-

Eccle. 7. ſtendit, qui ſuſceptis cæteris, quę neceſſario corpus ſequuntur, affectionibus, ijſque omnibus quęcumque virtutis teſtificationem habent, veluti laſſitudinem, & miſericordiam aduerſus calamitoſos riſu quantum Euangeliorum hiſtoria cognoſci poteſt, vſus nunquam ſit, contraque omnes, quotquot ab eo tenerentur, miſeros appellauerit. Neque vero vocabuli nos fallat ambiguitas, quandoquidem familiare eſt, ſcripturæ ſæpenumero lætitiam, & feſtiuitatem illam, quæ ex rebus bonis in animo exoritur, riſum appellare, vt ait Sarra: Riſum fecit mihi Deus, & illud item: Beati qui nunc fletis, quoniam ridebitis, & quod eſt in hiſtoria Iob: Os autem verax implebit riſum: ſiquidem omnibus hic in locis vocabulum hoc pro hilaritate, quæ ex prorumpente animi gaudio naſcitur, vſurpatum eſt. Hac de re plura Fulgent. epiſt. 7. cap. 13. & 14. & Thom. 22. q. 168.

Riſus quid ſit.

Gen. 21.

Fulg. Tho.

Not. 11. ver. 18.

Amb. AMBR. lib. 5. in Luc: Nonne tibi videtur his dicere, qui dudum in Ariminenſi conſilio perfidæ præuaricationis autores, cum Imperatoris gratiam ſequuntur Dei gratiam perdiderunt? Qui cum placere potentibus aucupantur maledicto ſe perpetuo ſubdidêre.

Bed. Bed. Luc. 6: Hoc eſt quod Pſalmiſta deplorat: Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur. Cui non minima pœnæ pars eſt ſcelera ſua non modo non argui, ſed inſuper quaſi bene geſta laudari. Vnde proinde Dominus non ait: Væ quia bene vobis dicunt homines, quaſi diſtante aliquantum tempore, culpam tardiùs pæna ſequatur, ſed væ, inquit, cum bene vobis dixerint homines. Quia ipſa peccati nutrix adulatio, ſicut oleum flammis; ſic in culpa ardentibus ſolita eſt miniſtrare fomentum; maxima eſt vtiq; pæna, peccantium. Nam quomodo pauperes eſurientes, & flentes malorum decet, improbitate probari, ita epulis, diuitijs, riſuique vacantes per diſtricti iudicis iram, malè obſequentium clientela maiorem fouentur ad pœnam.

Tho. Tho. in catena Luc. 6. ex Chryſoſt: Non autem contrarium eſt, quod hic dicitur ei, quod alibi Dominus dicit: Luceat lux veſtra coram hominibus, &c. vt ſcilicet feſtinemus bene agere ad gloriam Dei, non ad propriam. Pernicioſum enim quid eſt, inanis gloria: & inde ſumit ortum iniquitas, atque deſperatio, & mater malorum auaritia. Quod ſi viam quæris diuertendi ab hoc, dirigas aſpectum ſemper ad Deum, & eſto contentus ea, quæ apud eum eſt gloria. Nam ſi in qualibet facultate doctiores eligere oportet in arbitros, quomodo virtutis experimentum pluribus credis? non autem illi, qui præ omnibus eam nouit, & dare, & coronare poteſt? A quo ſi gloriam cupis, vita laudem humanam. De nullo enim alio magis conſueuimus admirari, quam de reſpuente gloriam: quod ſi nos, multo magis Dominus omnium. Deinde illud conſideres, quod hominum gloria celeriter deficit, quia per curſum temporis obliuioni traditur.

Ver. 19.

Ver. 19.

Bed. Bed. Luc.6: Pſeudoprophetas ſignificat, qui & ipſi ſæpe in ſcriptura ſacra prophetæ ſolent appellari, eo quod ob captandum vulgi fauorem futura præfari, id eſt, præloqui conentur.

CAP. 48. *Præcepta viuendi ad normam iuſtitiæ Euangelicæ de ſale, luce, iuſtitia, homicidio, ira, adulterio, & periurio.*

Mat. 5.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*
In communi Doctorum.			
1 ✠ Vos eſtis ſal terræ.			
2 Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.			
3 Vos eſtis lux mundi.			
4 Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.			
5 Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio; ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.			
6 Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.			
7 Nolite putare quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas; non veni ſoluere, ſed adimplere.			
8 Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.			
9 Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.			
10 Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. ✠			
Dom. 5. poſt Pent.			
11 ✠ Dico enim vobis, quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra, pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.			
12 Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio.			
13 Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.			
14 Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. ✠			
15 Eſto conſentiens aduerſario tuo cito, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris.			
16 Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.			
17 Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis.			
18 Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.			
19 Quod ſi oculus dexter tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.			
20 Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proijce abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.			

Dictum

Matt. 5. | *Mar.* | *Luc.* | *Luc.*

21 Dictum eſt autem, quicunque dimiſerit vxorem ſuam, det
ei libellum repudij.
22 Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit vxorem
ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari. Et qui
dimiſſam duxerit, adulterat.
23 Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non periurabis:
reddes autem Domino iuramenta tua.
24 Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per
cœlum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabel-
lum eſt pedum eius: neque per Hieroſolymam, quia ciuitas
eſt magni regis: neque per caput tuum iurauetis, quia non
potes vnum capillum album facere, aut nigrum.
25 Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autem his
abundantiùs eſt, à malo eſt.

Not. 1. ver. 1.

Eut. EVTH. Matt. 5: Poſtquam quæ opportuna erant admonuit, rurſus laudibus eos recreat, dicens: Vos eſtis ſal terræ, terram hic homines appellauit, quaſi è terra formatos: eſt autem tantum, ac ſi diceret, homines in peccatis putrefacti ſunt: corrupti ab humore affectionum. Vos igitur à me electi ad curandam hanc totius mundi putredinem eſtis ſal terræ, accepta virtute ad conſtringendum ipſos, & coarctandum. Præterea ad occidendum vermes inuiſibiles: hoc eſt, vt per bonam famam, rationales affectus à graui peccatorum odore liberetis.

Terra quid ſit. *Salis proprietates.*

Theop. Theoph. Matt. 5: Prophetæ ad vnam gentem miſſi ſunt, vos autem totius terræ. Sal eſtis, & mordétes, & condientes doctrina, & reprehenſionibus diſſolutos, vt non patiant vermes perpetuos: propterea ne abijciatis mordacitatem reprehenſionum, etiamſi perſecutionem patiamini, & vobis exprobrent.

Terræ. Salis conditiones.

Greg. Greg. hom. 17. in Euang: Quis venturum iudicem nuntiet, ſi preco tacet? Proinde conſiderandum nobis eſt, &c. vt lect. 7.8. die 12. Mar. Nos pereunti populo autores mortis exiſtimus, qui eſſe debuimus duces ad vitam, ex noſtro etenim peccato populi turba proſtrata eſt, quia noſtra faciente negligentia ad vitam erudita non eſt. Quid autem animas hominum, niſi cibum Domini dixerimus, quæ ad hoc ſunt condita, vt in eius corpore traijciantur, id eſt, vt in æternæ Eccleſiæ augmentum tendant. Sed huius cibi condimentum nos eſſe debuimus: ſicut enim paulò ſuperiùs præfati ſumus, miſſis prædicatoribus dicitur: Vos eſtis ſal terræ. Si igitur cibus Dei eſt populus, condimentum cibi ſacerdotes eſſe debuerunt. Sed quia dum nos ab orationis, & eruditionis ſanctæ vſu ceſſamus, ſal infatuatum eſt, conditori non valet cibus Dei, atque idcirco ab autore non ſumitur, quia exigente fatuitate noſtra minimè conditur. Penſemus, ergo, qui vnquam per linguam noſtram conuerſi, qui de peruerſo ſuo opere noſtra increpatione correpti, pœnitentiam egerunt: quis luxuriam ex noſtra eruditione deſeruit: quis auaritiam? quis ſuperbiam declinauit?

Theod. Theodor. in Cantica Canticor: Sal ſpiritualem prudentiam ſignificat, & diuinam doctrinam, qua, ea, quæ corrumpi poſſent, à putredine integra conſeruantur. Quamobrem, & Dominus dicebat diſcipulis: Habete ſal; & rurſus: Vos eſtis ſal terræ, & in veteri teſtamento reperimus nullum ſine ſale ſacrificium fieri. Vide Hieron. lect. 7. die 30. Septemb. & Chryſoſt. lect. 7. 8. 9. die 27. Ianu. & Hilar. lect. 7. 8. die 14. Ianu.

Salis proprietas.

Not. 2. ver. 2.

Chryſoſt. CHRYSOST. homil. 15. in Matth: Non vos oportet maledicta hominum timere, ſed potius timendum ne ſimulatores eſſe videamini, tunc enim infatuati eritis, & conculcati, ſi vero perſeueraueritis ipſos conſtringendo, & coercendo, & deinde malè audieritis, gaudete. Hoc enim eſt opus ſalis, laxa quæque vrere, atque reſtringere. Itaque iam neceſſaria ſubſequitur maledictio, nihil vobis prorſus incommodans, immo etiam teſtimonium veſtræ perhibens firmitatis, ſi verò illa timentes fortitudinem vobis vtilem deſeratis, multo ſeueriora patiemini, & malè ſcilicet audientes, & contempti à cunctis, atque deſpecti: hoc namq; eſt ab omnibus conculcari. Idem habet Euth. Matth. 5. Eut.

Not. 3. ver. 3.

Chryſoſt. CHRYSOST. hom. 15. in Matt: Ad aliud eos ſublimiùs ducit exemplum: Vos eſtis lux mundi. Iterum mundi, non vnius profectò gentis, nec viginti vrbium, ſed totius orbis lumen tunc perhibentur: & lumen intelligibile, ipſúque ſole fulgentius. Sicut enim ſal hoc loco intelligitur ſpirituale, priùs autem ſal poſuit, deinde lumen, vt diſcas quantum ſit verborum aſtringentium, ac mordentium lucrum, quantumque commodum honeſtæ, rectæque doctrinæ. Hæc ſiquidem ſtringit animos, nec quoquam diffluere permittit, facitque attentiùs ad lumen virtutis aſpicere, ad quam velut apprehenſa manu pertrahit audientes.

Cur ſal prius quā lumen.

Euth.

Fut Mundus. Euth. Matth.5: Mundum rurſus dixit homines in mundo habitantes, quibus erroris caligine obſcuratis, vos, inquit, electi eſtis, vt lux eorum ſitis, vtque oculos animarum ipſorum luce doctrinæ, & ſcientiæ illuminetis, & ad ſemitas rectas diuini cultus deducatis; ideo nempe miniſterium ſaliendi, ac illuminandi eis commiſſum erat. Primum enim oportet à putredine liberari, deinde erudiri.

Cur ſal prius quam lux.

Theop. Theoph. Matt.5: Prius ſal, & nunc lux. Qui enim reprehendit, quæ occulte fiunt, ille lux eſt, omne enim quod manifeſtat, lux eſt. Non gentem autem vnam illuſtrauerunt illi, ſed mundum.

Hilar. Hilar. can. 4. in Matth: Natura luminis eſt, vt lucem quocunque circumferatur emittat, illatumque ædibus tenebras interimat, luce dominante. Igitur mundus extra cognitionem Dei poſitus, obſcurabatur ignorantiæ tenebris, cui per Apoſtolos ſcientiæ lumen inuenitur, & cognitio Dei claret, & de paruis eorum corpuſculis quacumque inceſſerint lux tenebris adminiſtratur. Vide Aug. lect. 9. in com. Doct.

Aug. Bern. Bernard. Apologia ad Guilielmum Abbatem: Miror cum regula dicat, ad magiſtrum reſpicere, quidquid à diſcipulis delinquitur, & Dominus per Prophetam: Sanguinem in peccato morientium, de manu paſtorum requirendum eſſe minetur, quomodo abbates noſtri patiuntur fieri talia, niſi forte (ſi audeam dicere) nemo fidenter reprehendit in quo ſe eſſe irreprehenſibilem non confidit, ſiquidem humanitatis eſt omnium, in quo ſibi quiſque indulget; alijs non vehementer iraſci. Dicam, dicam, præſumptuoſus dicar, ſed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata eſt? quomodo ſal terræ infatuatum eſt? quorum nobis vita via vitæ debuit eſſe, dum exemplum in ſuis actibus oſtendunt ſuperbiæ, cæci facti ſunt, duces cæcorum?

Not. 4. ver. 4.

Non poteſt, quod plerunque fieri nequit. Non poteſt vt plurimum vrbs ſupra montem ſita, occultari ſic Nazian. orat. 5. Naz.

Aug. Aug. tract. 23. in Ioann: Cum diſcipulis diceret: Vos eſtis lumen mundi, ne ſibi aliquid tributum putarent, quod de ſolo Chriſto intelligendum eſſet, & ita lucernæ vento ſuperbiæ extinguerentur cũ dixiſſet: Vos eſtis lumen mundi, continuo ſubiunxit: Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem conſtituta, &c.

Eut. Euth. Matt.5: Per hanc ſequentemque parabolam, ad vitæ perfectionem, ac munitionem ipſos inducit, & certaminum præfectos eſſe iubet, tanquam ſub omnium oculis impoſterum ponendos, & in medio huius mũdi theatro certantes. Non poteſt, inquit, ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, neque vos occultari poteſtis in doctrinę altitudine collocati. Reliquum eſt igitur, vt ſolliciti ſitis, quomodo gubernetis, & alijs oculos in vos figentibus, optimum ſitis exemplar vitæ, ac doctrinæ.

Theop. Theoph. Matth.5: Docet eos vt durent in certamine, & diligentem vitæ ſuæ rationem habeant, vt ij in quos omnes ſpectant. Ne igitur putetis, inquit, quod in angulo laterituri ſitis, ſed ſpectabiles eritis, & ideo videte quomodo citra maculam agatis vitam, vt ne alijs offendiculo ſitis.

Aug. Aug. ep.17. Facilè tibi eſt attendere, & videre ciuitatem ſuper montem conſtitutam, de qua Dominus ait in Euangelio, quod abſcondi non poſſit, ipſa eſt enim Eccleſia Catholica: hanc ignorare nulli licet, ideo ſecundum verbum Domini, abſcondi non poteſt; ſimilia habet lib. contra Fulgentium Donatiſtam cap.18. & in Pſ. 47. & 44. & lib.2. contra litteras Pet. cap. 32. & tract.1. & 2. in epiſt. Ioannis, & lib. de vnitate Eccleſiaſtica cap.20. & alibi. Vide Greg. lib.19. Moral. cap.15.16. & hom.11. in Ezech. Aug. Greg.

Ver. 5.

Bed. Beda Matt.5: Aliter Seruator accendit lucernam, qui humanæ teſtant naturæ flamma ſuæ diuinitatis impleuit, & hanc ſuper cãdelabrum, id eſt, Eccleſiam poſuit, quod in frontibus noſtris fidem ſuæ incarnationis fixit. Quæ lucerna non potuit ſub modio poni, id eſt, ſub menſura legis includi: nec in ſola Iudæa, ſed in vniuerſo illuxit orbe. Sic etiam Hilar. can. 4. in Matt. Vide Hier. lect. 8. die 30. Sept. Hilar. Hier.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib.1. epiſt. 32: Deus lucernam, hoc eſt, ſacerdotem, accendit, atque candelabro imponit, hoc eſt, ſuæ lucem ferenti cathedræ: vt & dogmatum, & actionum ab omni caligine liberatum, ſplendorem Eccleſiæ, fulgetræ inſtar, afferat; quo nimirum plebs viuifici fulgoris radios ſpectans ad eos ſeſe dirigat, patriſque luminum gloriam prædicet. Habes breuem eorum, quæ percontatus es, ſolutionem.

Not. 5. ver. 6.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib.3. epiſt. 142: Bona exiſtimatione paſſim ſeſe diffundente, ac terram, & mare perluſtrante, melius, ac præſtantiùs nihil eſt: nec Cræſi theſauros quiſquam cum ea comparare queat. Ac proinde à Prouerbiorum auctore dictũ eſt: Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ: ſuper aurum, & argentum gratia bona. Atque Chriſtus item ſuos ad hũc modum admonebat: Luceat lux veſtra coram hominibus. Quæ quidem verba non eo tendunt, vt ad ambitionem vitam noſtrã, ac ſtudia referamus; abſit: hanc enim vbique funditus euellit, dum iubet, vt nec precationem, nec eleemoſynam promulgemus; verũ operam demus, vt ne quid eius, quod factum fuerit, altera manus reſciſcat; verum vt nemini iuſtam offenſionis anſam porrigamus. Ad hunc enim modum, inuitis etiam nobis, actionum noſtrarum ſplendor intuẽtium oculos perſtringet, atque ad diuinæ gloriæ prædicationem conuertet. Nam quod his verbis iſtud ſignificetur, hinc conſtat, quod nõ dictum

 ſit: vt

ſit: vt vos glorificemini; ſed, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.

Aug.

Aug. lib. 5. de Ciuit. cap. 14: Ne propter humanam gloriam boni eſſent, docuerat eos magiſter eorum, dicens: Cauete facere iuſtitiam veſtram coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, ſed rurſus, ne hoc peruerſè intelligentes hominibus placere metuerent, minuſque prodeſſent latendo, quod boni ſunt: demonſtrans quo fine innoteſcere deberent: Luceant, inquit, bona opera veſtra coram hominibus, vt videant bona facta veſtra, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Non ergo vt videamini ab eis, id eſt, hac intentione, vt eos, ad quos conuerti velitis; quia non per vos aliquid eſtis, ſed vt glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Ad quem conuerſi fiant, quod eſtis. Hoc ſecuti ſunt Martyres. Vide notationes cap. 50. & 109. & Auguſt. ſer. 2. de verb. Dom. & lib. 1. de ſerm. Dom. in mon. cap. 12. Et Chryſoſt. hom. 15. in Matt. & Hilar. can. 4. in Matt. & Ber. cap. 6. not. 4.

Apparens contradictio ſoluitur.

Aug. Chryſoſt. Hilar. Bern.

Not. 6. ver. 7.

Aug.

AVG. lib. Quæſt. veteris, & noui teſtam. cap. 69: Si iam prædicante Ioanne, aut Saluatore lex ceſſauit, quomodo Saluator, ait: Non veni ſoluere legem, aut Prophetas; ſed adimplere. Si enim prophetia eſt, quomodo non ſoluta eſt, quæ agendi amiſit, autoritatem. Omnia quæ de Chriſto dicta ſunt adimpleta ſunt, & ipſe Dominus ſic adimpleuit legem, & Prophetas. Cum omnia quæcunque de ſe ſcripta ſunt, fecit; nec diſſoluit aliquid, ſed confirmauit. Lex enim, & Prophetæ vſque ad ipſum, Prophetę enim de ipſo locuti ſunt; ideo vltra illum, quæ ab his de hoc, id eſt, de Chriſto dicta ſunt, tendi non poſſunt, neque poſt ipſum aliquid huiuſmodi Prophetę reperire potuerunt. Quia neque habent de quo dicant, & de quo dicebatur iam venit. Omnia etenim ſuis voluminibus cōplexi ſunt, & incarnationem, & conuerſationem, & paſſionem, & reſurrectionem, & diuinitatis manifeſtationem, & futurum eius iudicium reuelauerunt, ac per hoc ceſſauerunt Prophetæ, impleto opere diſpenſationis. Lex autem duplici modo ceſſauit. Nec quidem tota, nam & id quod ceſſauit, poterit permanere, ſi ſeruetur conditio: aliud enim ceſſauit in ſententia, aliud in ipſa lege prædicante Ioanne baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum ceſſauit ſententia legis, quæ reos tenebat peccatores, ceſſauerunt etiam onera legis, quæ ad duritiam cordis Iudaici fuerant data in eſcis, neomenijs, ſabbathis, & cæteris; miſericordia enim adueniente, ceſſauit vindicta; ſed onera legis in perpetuum ceſſauerunt; ſententia verò his ceſſat, & aboletur, qui permanſere in beneficio conſecuto. His autem qui redeunt ad hominem veterem refricatur legis authoritas, quia immemores beneficiorum redeunt ſub ſententiam legis. Circumciſio vero, & ſabbathum vſque ad illud tempus valuit, quo nouæ legis prædicaretur mandatum. Sic enim data ſunt, vt adueniente lege fidei ceſſarent. Vnde dicit Apoſtolus: Finis legis Chriſtus. Nam & Daniel hoc ſignificat, cum & de aduentu Domini, & temporibus hebdomadum prophetat, quia & Chriſma, & iudicium, & ſacrificium, & ipſa ciuitas ceſſatura erant. Spiritali enim adueniente lege, neceſſe erat ceſſare carnalia. Tunc enim ex parte corporis ſeruiebatur Deo, nunc ex parte animæ. Pridem viſibiliter ſcilicet tunc, modo inuiſibiliter. Tunc in carne, nunc in animo, quia Deo vtique, qui ſpiritus eſt, in ſpiritu ſeruiendum eſt. Non ergo ſoluta lex eſt, quia ceſſauit, ſed ſucceſſum illi eſt, impleto tempore. Nec enim adminiſtratio eius accuſatur, aut iudicium ſi peccatoribus indulgentia datur, cum hinc magis rectè data, & iuſtè præbetur, quia quibus dominabatur peccatores fuiſſe, non negatur; quia iuſtis, inquit, lex non eſt poſita, non ergo quia miſericordia præferenda eſt, contemnenda putetur iuſtitia, cuius reuerentia ſi non eſſet, ipſa miſericordia fructum non haberet, niſi autem hanc ſeruauerint poſt acceptam miſericordiam, nihil illis proderit indulgentia. Nam dixit lex: Non facies tibi idolum, neque adoraueris, quæ in cœlo ſurſum ſunt, & quæ in terra deorſum. Et non peierabis, & honora patrem, & matrem, & non occides, neque fornicaberis, neque furtum facies, non dicas falſum teſtimonium, neque concupiſces quidquam proximi tui, nunquid hæc ceſſaſſe dicenda ſunt? abſit. Sine his enim quis poterit vel in hac vita idoneus iudicari? ac per hoc cætera ceſſauerunt, quæ ſuprą diximus, neomeniæ, ſabbatha, lex eſcarum, ſacrificia, circumciſio, &c. Hinc eſt vnde dicit Apoſtolus inter alia: Principes non ſunt timori operi bono, ſed malo. Vis autem non timere poteſtatem? fac bonum, & habebis laudem ex illa. Hæc ſeruata bonos faciunt, non tamen perfectos. Addens enim iſtis potiora Seruator, non ſoluit vtique legem, ſed adimpleuit. Sic adimpleuit legem Saluator dum quos illam iuſtitiam docuit, hic iuſtiores effecit, quia illa non potuit. Quamobrem gaudium legis eſt, quia diſcipuli eius peritiores effecti ſunt, deſtruxiſſet planè legem ſi impunè peccare docuiſſet. Porro autem ſuſpendit ſententiam, vt qui hic malè facit, habeat ſpatium pœnitendi, ſi quo minus, redit in illum ſententia cumulata, quia non cognouit, ad hoc ſe remiſſum vt emendaret ſe. Vide eundem lib. 17. cont. Fauſt. cap. 5. & 6. & lib. 19. cap. 7. 8. 9. 10. 13. 22. & quæſt. 166. in exo. conc. 27. in Pſal. 118. & in expoſitione quarundam propoſitionum ex ep. ad Roma. prop. 75. & Leo ſer. 6. de ieiunio decimi menſis cap. 1. & ſerm. 7. de ieiunio ſepti. menſis. cap. 1. Et Hier. lect. 9. die 30. Septemb.

Vt legem Chriſtus impleuit.

Quomodo lex ceſſauit.

Rom. 10. Dan. 9.

1 Tim. 1.

Exod. 20.

Rom. 13.

Vt Chriſtus legem impleuit.

Aug.

Leo.

Hier.

Euth.

Euth. Matth. 5: Videamus quomodo legem impleuerit, ac Prophetas. Prophetas quidem comple-

compleuit, omnibus quæ de ipſo ſcripſerunt Prophetę, opere completis, nam ob id quoque frequenter addiderunt Euangeliſtæ vt compleretur, quod dictum eſt per Prophetam: Legem autem vno quodā modo compleuit, nihil transgrediendo eorum, quæ lex iuſſerat. Dixerat enim priùs ad Ioannem ſic decet nos complere omnem iuſtitiam. Alio autem modo addens ipſi, quæ prætermiſſa erant, quod etiam hinc magis congruum eſt, intelligere: cum enim lex peccatorū fines prohibeat. Chriſtus principia quoque vetuit. Siquidem cædes fructus eſt peccati, radix autem eius eſt ira, niſi verò quis radicem abſtulerit, quandoque tandem fructum producet. Patet igitur mancum fuiſſe præceptum, quod ſolum occidere vetabat. Hoc autē Chriſtus compleuit, præcipiens non iraſci, quod & in alijs præceptis procedendo licebit inuenire. Idem habet Theophyl. Matt. 5.

Legem tripliciter impleuit. — cap. 17. — Exod. 21. — Leui. 24. — Theoph.

Not. 7. ver. 8.

Eut. EVTHYM. Matth. 5: Eſt autem iota linea recta, apex verò linea obliqua. Modus quoque confirmationis eſt dicere: Donec tranſeat cælum, & terra, hoc non permittam, dixit autem hoc Chriſtus confirmans, quod legem non corrigeret, tanquam non potens, quæ illa iuſſerat, opere complere, nam vſque ad mortem, ipſam compleuit.

Quid hic velit Chriſtus.

Ver. 9.

Aug. Aug. lib. 1. retract. cap. 19: Quod ait Dominus, quicunque ſoluerit, vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, &c. vſque ad eum locum vbi ait: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum: multò meliùs & conuenientius expoſui in alijs poſterioribus ſermonibus meis, quod etiam hic retexere longum eſt. Et tract. 6. in epiſtolam Ioannis: Quid eſt ſoluitur? quid eſt docetur? ſoluitur factis, & docetur quaſi verbis. Qui prædicas non furandum, furaris? ſoluit ergo in facto, qui furatur, & quia docet ſic minimus vocabitur in regno cælorum, id eſt, in Eccleſia huius temporis. De illo dictum eſt: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, qui autem fecerit, & ſic docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum. Ex eo quod dixit: ſic fecerit, contra hoc ibi dixit, ſoluerit, id eſt, non fecerit, & docuerit ſic. Ille ergo ſoluit, qui non facit. Quid nos docet, niſi vt facta interrogemus, non verbo credamus. Et lib. 17. contra Fauſtum cap. 5: Phariſæos cogitabat, cum iſta diceret, qui ſoluebant legem factis, & docebant verbis; de quibus alio loco dicit: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, & non faciunt. Idem habet lib. 2. contra litteras petil. cap. 61. & lib. 20. de Ciuit. cap. 9.

Aug. — Rom. 2. — Aug.

Greg. Greg. hom. 12. in Euangelia: Mandatum ſoluit, & docet, quando hoc quiſque voce prædicat, quod viuendo non implet; ſed ad regnum æternæ beatitudinis peruenire non valet, qui non vult opere implere, quod docet, quomodo ergo in eo minimus vocabitur, qui adhuc nullo modo intrare permittitur? Quid itaque per hanc ſententiam, niſi præſens Eccleſia regnum cælorum dicitur? in qua doctor, qui mandatum ſoluerit, minimus vocatur; quia cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur.

Quid ſol uere, & docere. — Quid ſit regnum cælorum. — Quid ſit vocari minimum.

Ver. 10.

Aug. ſerm. 3. de verbis Domini: In doctore moleſta eſt cauſa dicere, nec facere; præcipere, nec obſeruare: in diſcente verò audire velle quod nolit implere, aures auditui accommodare, & ab opere voluntatem auertere. Cæterum qui facit, quod docet, & qui quidquid imperat, complet; maximus in cæleſtibus ſententia Domini declaratur. At verò qui, quod dicit, negligit, & qui, quod audit contemnit, ſalutis reus exiſtit, qui obſeruanda contempſit, & pericula non vitauit. Amat enim mortem, qui vitæ præcepta non ſeruat, & horret vitam, qui peccata morti debita deſperata morte frequentat. Vt enim per obſeruantiam legis, vita acquiritur, ita per contemptum mors contumacibus inuenitur; dicente Domino: Si vis in vitam venire, ſerua mandatum. Ita enim perfectus doctor liber eſt à diſcente, quem docuit, & diſcipulus contemptor inexcuſatus erit, qui facienda didicit, & contempſit; nam & doctor è contrario grauiùs affligitur, & obſequentis diſcipuli exemplo plectitur, qui facienda alijs tradidit, quæ ipſe non fecit, vt nec à diſcipulis quos docuit, potuiſſet ediſcere vt quibus doctrinæ tradidit magiſterium, ab eiſdem factorum imitaretur exemplum, neque enim perfectio in legum, eſt notitia conſtituta, cum ſit ſcriptum, non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Neque enim, inquam, is religioſus, & ſanctus eſt, qui nouit legem ceſſantibus factis, cum expediat facere magis, quam docere, quia moleſtum eſt docere, & non facere, vos amici mei eſtis, inquit, ſi feceritis ea, quæ mando vobis.

Aug. — Rom. 2.

Not. 8. ver. 11.

PAVLI. epiſt. 2. ad Sulpit: Quæ adimpletio ſit, docet ipſe dicens: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, &c. hoc enim eſt adimplere, quod deſit adijcere. Paul.

Auguſt. lib. 1. retract. cap. 19: Ad hoc perducitur ſenſus, vt eorum ſit iuſtitia maior, quam Scribarum, & Phariſæorum, qui dicunt, & non faciunt: de Scribis quippe, & Phariſæis alio loco ipſe Dominus ait, dicunt enim, & non faciunt. Et lib. 17. contra Fauſtum cap. 5: Niſi abundauerit iuſtitia, &c. id eſt, niſi vos feceritis, & ita docueritis, quod illi non faciunt, & ſic docent. Habet idem lib. 1. contra litter. Petil. cap. 61. & lib. de Fide & oper. cap. 26. & lib. 20. de Ciuit. cap. 9. Aug. Aug.

Iſidor. Mali ſacerdotes Phariſæis ſimiles.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 79: Nos vir optime, eidem cum Scribis, & Phariſæis iudicio obnoxij ſumus. Vt enim illi ſe per legis meditationem legem exequi putabant, quòd litteræ prædicationem ad rei operationem ſibi ſatis eſſe pro ſua negligentia exiſtimaſſent: eodem modo nos quoque hoc ipſo quod Dei altaria contingimus, nos ad Deum appropinquare opinionis errore nobis fingimus. At Dominus hanc noſtram opinionem amputans, his verbis vtitur: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum non intrabitis in regnum cœlorum. Quod perinde eſt, ac ſi modo diuinitati conſentaneo diceret: Niſi vos, qui fucum ac prætextum ad Dei miniſterium ſufficere exiſtimatis, opinionem in actionem conuertatis, Dei regnum vobis minimè patebit. Quoniam enim verum regnum eſt, ijs quoque à quibus verè quæritur, aperitur. Porrò exuperantia iuſtitiæ legis, eſt Euangelij ſublimitas. Nam illa actionem punit: hoc autem nudam etiam voluntatem, nimirum vſque ad intimas cogitationes iudiciariam ſynceritatem oſtendens.

Opinio in actionem vertenda.

Lex actionem punit, Euangelium voluntatem.

Clem. Clemens Rom. lib. 2. conſtitut. Apoſtol. cap. 39: Ita abundabit iuſtitia veſtra, ſi de ſacerdotibus, orphanis viduis, maiorem curam ſuſcipietis.

Iren. Iren. lib. 4. cap. 27: Niſi abundauerit iuſtitia, &c. quid autem erat plus? primo quidem non tantum in Patrem, ſed & in filium eius iam manifeſtatum credere, hic eſt enim qui in communionem, & in vnitatem Dei hominem ducit. Poſt deinde non ſolum dicere, ſed & facere, illi enim dicebant, ſed non faciebant, & non tantum abſtinere à malis operibus, ſed etiam à concupiſcentijs eorum.

Leo. Leo ſerm. 7. de ieiunio ſeptimi menſis cap. 1: Quomodo abundabit iuſtitia, niſi ſuperexaltet miſericordia, & cap. 2. in hoc poteſt, ſuper Scribas, & Phariſæos Chriſtiana abundare iuſtitia non euacuando legem, ſed intelligentiam refutando carnalem. Vnde Auguſt. ſer. 205. de tempore, & lect. 7. Dom. 5. poſt Pentec.

Not. 9. ver. 12. 13.

Baſil. Basil. lib. Moralium regula 43. cap. 1: Hinc oſtendit, quod ſicut lex actus prauos vetat; ita Euangelium ipſa latentia animi vitia prohibet.

Hier. Hierony. in cap. 4. epiſt. ad Epheſ. ad illud Euangelij: Quicunque iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio, fruſtra eſt additum: ſine cauſa, quia nec cum cauſa nobis iraſci conceditur, manifeſtiſſimè Apoſtolo nunc dicente: Amaritudo, & furor, & ira tollatur à nobis.

Hier. Et lib. 2. aduerſus Pelagionos: In Pſalmo dicitur: Iraſcimini, & nolite peccare: qui verſiculus, quem ſenſum habeat, Apoſtolus docet: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, vt peccatum omnino ſit, vel leuiter iraſci. Iuſtitia autem iram celeri penitudine mitigare. Vnde pro otioſo verbo reddituri ſumus rationem, in die iudicij; & in eodem Euangelio legimus: Qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio, licet in pleriſque codicibus antiquis, ſine cauſa, additum non ſit, vt ſcilicet ne cum cauſa quidem debeamus iraſci: Quis hominum poterit dicere, quod ira quæ abſque iuſtitia eſt, in ſempiternum vitio careat?

Greg. Greg. lib. 21. Moral. cap. 5: Sic Dominus vniuſcuiuſque conſiderat vias, ſic dinumerat greſſus, vt ne minutiſſimæ quidem cogitationes, eius iudicio, ac verba tenuiſſima, quæ apud nos vſu viluerunt, indiſcuſſa remaneant. Hinc enim dicit: Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui dixerit fratri ſuo racha, reus erit conſilio. Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Racha quippe in Hebræo eloquio, vox indignantis eſt, quæ quidem animum iraſcentis oſtendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira reprehenditur ſine voce, poſtmodum verò ira cum voce, ſed needum pleno verbo formata; ad extremum quoque cum dicitur: Fatue; ira redarguitur, quæ cum exceſſu vocis expletur, etiam perfectione ſermonis, & notandum quod in ira perhibet reum eſſe iudicio: in voce ira quod eſt racha reum conſilio, in verbo vocis, quod eſt fatue, reum gehennæ ignis. Per gradus etenim culpæ, creuit ordo ſententiæ; quia in iudicio adhuc cauſa diſcutitur, in concilio autem iam cauſæ ſententia definitur. In gehenna verò ignis ea quæ de concilio egreditur ſententia, expletur. Quia igitur humanorum actuum hominis ſubtili examine greſſus enumerat, ira ſine voce; iudicio, ira in voce, concilio, ira verò in voce, atque ſermone, gehennæ ignibus mancipatur. Hanc ſubtilitatem conſiderationis eius propheta aſpexerat, cum dicebat: Fortiſſime, magne, potens, exercituum nomen tibi magnus concilio, incomprehenſibilis cogitatu, cuius oculi apetri ſunt, ſuper omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicuique ſecundum vias ſuas, & ſecundum fructum adinuētionum manuum eius. Sic eaſdem vias Dominus ſubtili examinatione conſiderat, vt in vnoquoque noſtrum, nec ea quæ remuneret bona prætereat, nec mala quæ videlicet diſplicēt, ſine increpatione derelinquat. Vide Auguſt. lect. 8. & 9. Domin. 5. poſt Pentec.

Racha. Fatue. Gradus culpæ, & pœnæ. Aug.

Not. 10. ver 14.

Greg. Gregor. homil. 8. in Ezechielem; quia nihil ſine concordia Deo placeat ipſa per ſe veritas demonſtrat, dicens: Si offers munus tuum ad altare, &c. Ecce à diſcordantibus accipere non vult ſacrificium, holocauſtum ſuſcipere recuſat. Hinc ergo perpendite quantum ſit malum diſcordiæ, propter quod & illud abijcitur, per quod culpa laxatur.

Hier. Hieron. lib. 2. aduerſus Pelagianos: Si offers donum tuum ad altare, &c. meæ eſt poteſtatis, vt non habeam aliquid contra fratrem meum, vt autem ille aduerſus me habeat, in illius voluntate

luntate conſiſtit. Quid ergo faciam ſi ille reconciliari noluerit? Obſecrem, flectam genua? ſed audire contemnet; An obtorto collo nolentem in ius amicitiæ traham? & quæ eſt maior inimicitia quam amicitias neceſſitate ſociare? neque enim dixit roga eum, vt tibi reconcilietur, ſed reconciliare primum fratri tuo, & ſic offeres munus tuum ad altare. Non quod impoſſibilia Deus præceperit, ſed in tantum patientiæ culmen aſcendit, vt propè impoſſibilia pro difficultate nimia pręcepiſſe videatur, ad deſtruendam ſententiam tuam, qua ſcribis facilia eſſe Dei mandata.

Aug. Auguſt. epiſt. 109: Quæcunque conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiecta, alterum læſerit, meminerit ſatisfactione quantociùs curare quod fecit, & illa quæ læſa eſt, ſine diſceptatione dimittere. Si autem inuicem ſe læſerunt, inuicem ſibi debita relaxare debebunt, propter orationes veſtras, quas vtique quanto crebriores habetis, tanto ſanctiores habere debetis. Melior eſt autem, quæ quamuis ira ſæpe tentatur, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam, quam quæ tardiùs iraſcitur, & ad veniam petendam difficiliùs inclinatur. Quæ non vult dimittere ſorori, non ſperet accipere orationis effectum. Quæ autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiamſi non inde proijciatur. Proinde vobis à vobis durioribus parcite, quæ ſi omiſſa fuerint, ex ore veſtro, non pigeat ex ore ipſo proferre medicamenta, ex quo facta ſunt vulnera. Quando autem neceſſitas diſciplinæ minoribus coercendis dicere, vos verba dura compellit, ſi etiam in ipſis vos modum exceſſiſſe ſentitis, non à vobis exigitur, vt ab eis veniam poſtuletis, ne apud eas quas oportet eſſe ſubiectas, dum nimia ſeruatur humilitas regendi frangatur autoritas: ſed tamen petenda eſt venia, ab omnium Domino, qui nouit etiam eas, quas plus iuſto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis.

Bern. Bernard. lib. de præcept. & diſpenſ: Interrogatis quidnam conſulam homini, qui aduerſus quempiam commotus fuerit: ſed non adeo vt cum lædere ipſe velit: adeo tamen vt libenter accipiat, ſi quo modo aliunde lædi contingeret: ſitne videlicet tutum ita commoto accedere ad altare, an ſe ſubtrahere interim debeat, donec compeſcatur commotio. Nunquam mihi contingat, turbatum ad pacis accedere ſacrificium cum ira, & diſceptatione contingere ſacramentum, in quo Deus indubitanter eſt mundum reconcilians ſibi. Certè non recipitur munus quodcunque meum, quod defero ad altare, niſi ante placato fratre, quem me fortè læſiſſe meminero; quantò minùs, ſi me ipſum non pacauero priùs.

Not. 11. ver. 15. 16.

Baſil. BASIL. in reg. breuioribus interrog. 222: Quis eſt aduerſarius vniuſcuiuſque noſtrum, quomodoue cum eo conſentientes erimus? Reſponſ. præcisè hoc in loco Dominus aduerſarium illum appellat, qui aliquid nobis conatur adimere eorum, quæ ad noſtrum ius pertinent. Porro illi conſentientes ſumus, ſi præceptum Domini illud ſeruamus: Qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & in omni huiuſmodi re ad eundem modum? Aduerſarius eſt qui facit iniuriam.

Author epiſtolæ de ſeruanda virginitate ad Demetriadem apud Hieron. aduerſarij nomine diabolum intelligit. An aduerſarius ſit diabolus.

Hieron. in cap. 1. Lamentationum Ieremiæ: Quod autem ſequitur: Dedit me Deus in manu, de qua non potero ſurgere. Hoc ſiue validam captiuitatem Chaldæorum, ſiue Romanorum nimis Iudæos opprimentem oſtendit, ſpiritualiter autem indicat, quod extrema vltio omnibus impijs, & peccatoribus, infinitæ calamitatis ſit: nec aliquando à cruciandi moleſtia ceſſet: quia in exterioribus tenebris, vermis impiorum non moritur, & ignis non extinguitur, vbi qui ſemel ingreditur vlterius iam egredi non permittitur. Quod ipſa veritas in Euangelio oſtendit, dicens: Eſto conſentiens cum aduerſario tuo, &c. Quemadmodum ibi intelligitur, vbi dictum eſt: Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis; ſemper illum regnaturum: quoniam ſemper illi erunt inimici ſub pedibus, ita & hic accipi poteſt dictum: Non exibis inde, donec ſoluas nouiſſimum quadrantem; ſemper non exiturum eſſe: quia ſemper ſoluat nouiſſimum quadrantem; dum ſempiternas pęnas terrenorum peccatorum luit. Hier. 1 Cor. 15.

Tertullian. lib. de anima cap. 35: Huc temperat totam illam allegoriam Domini certis interpretationibus relucentem; & primo quidem ſimpliciter intelligendam. Nam & Ethnicus homo aduerſarius noſter eſt, incedens in eadem via vitæ communis. Cæterum oportebat nos de mundo exire, ſi cum illis conuerſari non liceret. Hinc ergo bonum animi præſtes iubet, Diligite enim inimicos veſtros (inquit) orate pro maledicentibus vos, ne aliquo commercio negotiorum iniuria prouocatus, abſtrahat te ad ſuum iudicem, & in cuſtodiam delegatus ad exſolutionē totius debiti arcteris. Tum ſi in diabolum transfertur aduerſarij mentio, ex obſeruatione comitante, cum illo quoque moneris eam inire concordiam, quæ deputetur ex fidei conuentione: pactus enim es renunciare ipſi, & pompæ, & angelis eius. Conuenit inter vos de iſto. Hæc erit amicitia, obſeruatio ſponſionis, ne quid eius poſtea reſumas, ex his, quæ ei ejeraſti, quæ illi reddidiſti, ne te, vt fraudatorem, vt pacti tranſgreſſorem iudici Deo obijciat. Et cap. 58: Carcerem illum, quod Euangelium demonſtrat, inferos intelligimus, & nouiſſimum quadrantem, modicum quoque delictum mora reſurrectionis illic luendum interpretamur. Vide apud Hieron. epiſt. 1. de ſeruanda virgini. ad Demetr.

Tert. Ethnicus eſt aduerſarius. 1 Cor. 5. Vt cum Ethnicis conſentire debeamus. Vt cum diabolo conſentire debeamus. Tert. Carcer. Nouiſſimus quadrans. Hier.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 80: Quoniam cum ruina noſtra ambulamus, atque in medio laqueorum incedimus, idcirco Dominus vt oculatos, (Marc. 8. Matt. 18) & perſpicaces nos reddat, à fermento, & ſcandalis attendendum nobis eſſe pronunciauit; conſentiendumq; aduerſario citò, dum ſumus in via cum ipſo. Quo quidem in loco per aduerſarium, corporis cupiditatem ſpiritui repugnantem, diuinè intelligit. (Aduerſarius eſt corporis cupiditas.) Viam autem, hanc vitam vocat, quæ à genere noſtro, ſine vlla inſtitione peragratur. Conſenſum denique ac beneuolentiam erga corpus, agnitionem rebellionis ipſius appellat, quæ confeſtim perſpici debet: ne alioqui, ſi ipſius imperijs ſuccubuerimus, ac res ſuperna vocatione indignas perpetrauerimus, ab illis iudici, tum dedamur, cùm ad opera noſtra, & ſermones colligendos venerit, (Matt. 16.) reddendumque vnicuique iuxta opus ſuum.

Aug. Aug. lib. Quæſtionum ex veteri, & nouo teſtamento quæſt. 70: Cum Dominus certè inimicos nos diabolo fieri præceperit, quid ergo eſt, vt in Euangelio dicat, eſto conſentiens aduerſario tuo citò: Quis eſt hominis aduerſarius, niſi diabolus? (Diabolus eſt hominis aduerſarius.) Nulli dubium eſt diabolum eſſe hominis inimicum, maximè fidelis, vehementiora enim tela ſua contra Dei ſeruos exacuit, ſicut ergo iſte bonorum inimicus eſt, ita & lex malis aduerſa eſt. (Lex Dei eſt aduerſarius.) Quis enim contemnenti ſe non aduerſetur? Dominus ergo peccatorem alloquitur, vt conſentiat mandatis, quæ illum inobedientem condemnant, vt ſubijciat ſe voluntati eorum, & fiat ex inimico amicus: quia & contemptor legis inimicus eſt eius, voluntati enim eius reſiſtit; ideoq; hortatur Dominus peccatorem vt bene agendo reconciliet ſibi legem, ne in die iudicij accuſet eum apud iudicem, & condemnatus pœnas det ſpretæ legis: Omni etenim, inquit, qui malè vult agere, diſciplina dominica inimica videtur, cui niſi conſenſerit, mittetur in gehennam, diabolo, qui verè inimicus humani generis eſt, præparatam. (Aug.) Et in Pſ. 129: Concordandum eſt cum aduerſario, dum es cum eo in via, eſt enim ſermo Dei aduerſarius tuus, quamdiu cum illo non concordas. Concordas autem cum cœperit te delectare facere, quod dicit ſermo Dei. Iam qui erat aduerſarius fit amicus; ſic vt finita via non erit qui tradat te iudici. (Aug.) Et lib. de decem cordis cap. 1: Componatur cum aduerſario, dum eſt tecum in via, via enim vocatur hæc vita, per quam omnes tranſeunt, & non recedit iſte aduerſarius. (Via.) Et cap. 3: Quis autem eſt iſte aduerſarius? Aduerſarius iſte non eſt diabolus. (Diabolus ob duas rationes aduerſarius hic non dicitur.) Nam nunquam te hortaretur ſcriptura, vt cum diabolo concordares. Eſt ergo alius aduerſarius, quem ſibi homo facit aduerſarium. Nam ille ſi aduerſarius eſſet, tecum in via non eſſet. At hic eſt tecum in via, vt concordet tecum, ſcit enim quia niſi in via ſecum concordaueris, iam tradet te iudici, iudex autem miniſtro, miniſter in carcerem. Eloquia iſta Euangelica ſunt. (Lex Dei aduerſarius nomine intelligitur.) Recordantur nobiſcum, vel qui legerunt, vel qui audierunt. Ergo quis eſt aduerſarius: ſermo Dei aduerſarius tuus eſt. Quare aduerſarius tuus eſt? quia contraria iubet, quam tu facis, dicit tibi: Vnus eſt Deus tuus: vnum Deum cole: (Exod. 20.) Tu vis dimiſſo vno Deo tuo tanquam legitimo viro animę, fornicari per multa dæmonia: & quod eſt grauius, non quaſi apertè deſerens, & repudians, ſicut apoſtatæ faciunt, ſed tanquam manens in domo viri tui admittis adulteros, id eſt, tanquam Chriſtianus dimittis Eccleſiam, conſulis mathematicos, aut haruſpices, aut augures, aut maleficos, quaſi de viri domo non recedens adultera anima: & manens in eius coniugio fornicaris. Dicitur tibi, ne accipias in vanum nomen Dei tui, ne exiſtimes creaturam eſſe Chriſtum, quia pro te ſuſcepit creaturam, & tu contemnis eum, qui æqualis eſt Patri, & vnus cum Patre. Dicitur tibi, vt ſpiritualiter obſerues ſabbathum, non quomodo Iudæi obſeruant ſabbathum carnali otio, &c. (Fulg.) Fulg. lib. 2. de remiſſ. peccat. cap. 4: Aduerſarium ſibi facit homo Dei verbum, quamdiu illa facit, quæ diuinus ſermo prohibet.

Not. 12. ver. 17.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 17. in Matt: Poſtquam pleniſſimè, quid primum mandatum continet, edocuit: Non occides: quod rectè vſque ad ſupremum philoſophiæ cacumen extendit: certa iam via, inſtitutoque pergens ordine, prouehitur ad ſecundum: Non mœchaberis, hic quoq; tegi profectò conſentiens.

Tho. Tho. Matt. 5: Supra ordinaui iraſcibilem reſpectu ſuæ paſſionis: hic ordinat concupiſcibilem reſpectu paſſionis, quæ eſt in radice, ſcilicet in virtute generatiua. Ponitur hic ordinatio cōcupiſcibilis circa ſuum motum. Mouet enim inordinatum concupiſcentiæ motum. Continetur hic iuſtitia veteris legis, quæ conſiſtebat tantum in opere exteriori. Antiquis, id eſt, Iudæis ſub præceptis legis degentibus multo tempore iam elapſo. Vnde Chryſoſt. dicendo: Antiquis, oſtendit multum tempus ex quo mandatum hoc acceperunt. Non mœchaberis, id eſt, non illegitimè commiſceberis mulieri. Mœchia enim propriè eſt illicita commiſtio maris, & fœminæ. (Mœchia quid ſit.) Quare non dicit de primo mandato? quia incipit à generaliſſimis paſſionibus. (Cur primū legis mādatum nō explanet.) Sic Thomas. Aliam rationem habet Chryſoſt. hom. 17. in Matth.

Not. 13. ver. 18.

Hier. Apud Hiero. epiſt. 1. ad Demetriadem virginem: Diſtinguendum eſt inter iſtas cogitationes, quibus voluntas fauet, quas cum dilectione amplectitur, (Cogitationes malæ ſunt duplices.) & inter eas cogitationes, quæ tenuis vmbræ modo præteruolare mentem ſolet, ſeſeque tantummodo vel tranſeundo monſtrare, quas Græci *topous* vocant, vel certè inter illas, quæ repugnanti, ac inuito animo ſuggeruntur, quibus mens cum horrore quodam renititur, ac reſiſtit; quibus vt contriſtatur admiſſis, ita gaudet expulſis. (Quæ cogitatio mala ſit peccatum, & quæ nō.) In illis quidem, quæ ſe leuiter menti oſtendunt, & quaſi fugiendo demonſtrant ſe, nec peccatum omnino, nec pugna eſt.

In his

In his autem, cum quibus aliquamdiu anima luctatur; quibus reſiſtit voluntas, æquale certamen eſt, aut enim conſentimus, & vincimur: aut reſpuimus, & vincimus, & acquirimus de pugna victoriam. In illa ergo tantummodo cogitatione peccatum eſt, quæ ſuggeſtioni conſenſum mentis dedit, quæ malum ſuum blandè fouet, quæ in factum geſtit erumpere. Huiuſmodi cogitatio etiamſi ex aliquo impedita caſu non impleat voluntatem; nihilominus actione criminis condemnatur à Domino: vt illud in Euangelio legimus: Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo: apud Deum; cui nota ſunt omnia; etiam antequam fiant. Volũtas perfecta faciendi reputatur pro opere facti. (Hier.) Et epiſt. 14. de virginit. laude ad Mauritij filiam: Nolo exiſtimes te peccati crimen fugiſſe, ſi voluntatem non ſequatur effectus, cum ſcriptum ſit: Quicunque viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Nec dicas cogitaui quidem, & non feci, quia etiam concupiſcere nefas eſt, quod fieri crimen eſt. (1 Pet. 2.) Vnde & beatus Petrus præcipit, dicens: Animas veſtras caſtificantes. Qui ſi nullam animæ conſtuprationem nollet, nec caſtificari ipſam deſideraſſet.

(Amb.) Ambroſ. ſerm. 16. in Pſal. 118: Oculus nihil delinquit, ideoque Saluatoris ſententia plena iuſtitię eſt, dicentis: Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam adulterauit eam in corde ſuo, non dixit: Qui viderit mulierem, ſed ad concupiſcendum viderit. Oculum abſoluit, mentem ligauit. Non dixit adulterauit eam in oculo; ſed in corde: in oculo viſus eſt, in corde peccatum.

(Greg.) Greg. lib. 21. Moral. cap. 2: Quiſquis verò per has corporis feneſtras incautè externis reſpicit, plærumq; in delectationem peccati, etiam nolens cadit, atque obligatus deſiderijs, incipit velle quod noluit. Præceps quippe anima dum ante non prouidet ne incautè videat quod concupiſcat, cæca poſt incipit deſiderare, quod vidit. Vnde & Prophetæ mens, quæ ſubleuata ſæpe myſterijs internis intererat, quia alienam coniugem incautè vidit, obtenebrata poſtmo- (2 Reg. 11.) dum ſibimet illicitè coniunxit. Sanctus autem vir, qui acceptis corporis ſenſibus velut ſubiectis miniſtris quidam æquiſſimus iudex præeſt, culpas conſpicit, antequam veniant. Et velut inſidianti morti feneſtras corporis claudit, dicens: (Iob 31.) Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Vt enim cogitationes cordis caſtè ſeruare potuiſſet, fœdus cum oculis pepigit, ne priùs incautè aſpiceret, quod poſtmodum inuitus amaret. Valde namque eſt graue, quod caro deorſum trahit, & ſemel ſpecies formæ cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis manu ſoluitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione verſemus, prouidendum nobis eſt; quia intueri non decet, quod non licet concupiſci. Vt enim munda mens in cogitatione ſeruetur, à laſciuia voluptatis ſuæ deprimendi ſunt oculi, quaſi quidam raptores ad culpam. Neque enim Eua lignum vetitum contigiſſet, (Gen. 3.) niſi hoc prius incautè conſpiceret. Quia non in ſe actionem tantummodo, ſed & in cogitationẽ luxuriæ extinxit, ſecutus adiunxit: Vt ne cogitarem quidem de virgine. Sciebat nimirum luxuriam eſſe in corde refrenandam: ſciebat per ſancti Spiritus donum, quod Redemptor noſter veniens legis præcepta tranſcenderet; & ab electis ſuis, non ſolum luxuriam carnis; ſed etiam cordis aboleret, dicens: Scriptum eſt, non adulterabis; ego autem dico vobis: quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Per Moyſen quippe luxuria perpetrata; per autorem verò munditiæ luxuria cogitata damnatur. Hinc eſt enim quod diſcipulis primus Eccleſiæ Paſtor dicit: Propter quod ſuccincti lumbos mentis (1 Pet. 1.) veſtræ, ſobrij perfectè ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam. Lumbos enim carnis ſuccingere, eſt luxuriam ab effectu refrænare; lumbos autem mentis ſuccingere, eſt hanc etiam à cogitatione reſtringere. Hinc eſt quod Angelus; qui Ioannem alloquitur, zona aurea ſuper ma- (Apoc. 1.) millas cinctus eſſe perhibetur. Quia enim teſtamenti noui munditia etiam cordis luxuriam frænat, Angelus, qui in eo apparuit, in pectore cinctus venit. Quem bene zona aurea ſtringit: quia quiſquis ſupernæ patriæ ciuis eſt, non iam timore ſupplicij, ſed amore caritatis immunditiam deſerit. Malum verò luxuriæ, aut cogitatione, perpetratur, aut opere. Callidus namque aduerſarius noſter, cùm ab effectu operis expellitur, ſecretã polluere cogitationis molitur. Vnde & ſerpenti à Domino dicitur: Pectore, & (Gen. 3.) ventre repes. Serpens videlicet ventre repit, quando hoſtis lubricus per humana membra ſibimet ſubdita, vſque ad expletionem operis luxuriam exercet. Serpens autem repit pectore: quando eos, quos in opere luxuriæ non valet, polluit in cogitatione. Alius itaque luxuriam iam perpetrat actione; huic ſerpẽs repit ex ventre; alius autem perpetrandam verſat mẽte, huic ſerpens repit ex pectore. Sed quia per cogitationem ad explenda opera peruenitur; rectè ſerpens priùs pectore, & poſtmodum repere vẽtre deſcribitur. Vnde beatus Iob, quia diſciplinam etiam in cogitatione tenuit, vna cuſtodia, ſerpentis pectus, ventremque ſuperauit, dicens: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.

(Euth.) Euth. Matth. 5. addens: Ad concupiſcendum; diſtinxit aſpectum ſine affectu, ab eo, qui vitio afficitur; neque enim ſimpliciter dixit: Qui vi- (Cur ait, ad concupiſcendum.) det; ſed: qui videt ad concupiſcendum. Qui autem in tranſitu videt, aut alia quapiam neceſſitate, crimine vacat. Mulierem verò dixit, ſiue vi- (Quid hic per mulierem intelligatur.) to coniunctam, ſiue ab eo ſolutam, ſiue virginem, ſcire autem oportet huiuſmodi præcepta, etſi ad viros dirigi videntur, mulieres quoque reſpicere. Prohibuit ergo aſpectum curioſum: è tali enim affectio ad cor defluit: Itaque radicem abſcedit: ne producto ramo, fructum quoque proferat.

(Theoph.) Theophylact. Matth. 5: Iam mœchatus eſt

eam in corde ſuo,id eſt, malum perfecit iam in corde. Cognoſce quod etſi concupiſcamus,deinde prohibeamur facere opus:ſignum eſt quod manifeſtè à gratia protecti fuerimus. Ita & mulieres dum ſe ornant, vt aliquibus placeant, etiamſi non placeant,attamen pharmacum miſcuerunt etiamſi nullus bibat.

Chryſoſt. Chryſoſt. homil.17.in Matt: Non actum ſolummodo,ſed impudicum quoque coercet aſpectum: vt diſcas vbi conſiſtat illud quod ſupra Scribarum, & Phariſæorum noſtra præcipitur abundare iuſtitia; propter quod ait: Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo, hoc eſt dicere, qui dat operam in venuſta corpora curioſiùs intueri,& decoras aucupari facies, taliq́ue animam ſpectaculo paſcere, & obſcœnos pulchris etiam vultibus oculos affigere. Non enim idcirco Dominus aduertiſſe contentus eſt, vt ſolummodo corpus à malis actibus,ſed vt priùs animã quoque ab huiuſmodi cogitationibus auerteret. Quia enim ſancti Spiritus gratiam mente ſuſcepimus,meritò ipſam purificat primam. Hic non generaliter concupiſcentiam interimit, ſed illam,quæ ex formæ decore concipitur. Qui enim ſtudet elegantes facies inſpicere, ipſe præcipuè fornacem ſibi iſtius paſſionis accendit,& captiuam faciens animam, ad opus quoque celeriter adducit; ſi volueris intendere; hic quoq; poſitam definitionem videbis. Non enim ſimpliciter dixit: Qui concupiuerit,poteſt namque etiam aliquis inter ſecreta montium reſidens concupiſcere: ſed qui,inquit, viderit mulierem ad concupiſcendum,id eſt,qui cõcupiſcentiam videndi curioſitate ſibi ipſi collegerit, quique nullo omnino cogente quieſcenti animæ feram ſubitò immiſerit.Hoc enim non iam naturę eſt, ſed propriæ omnino deſidiæ: quod certè olim
Prou. 6. etiam veteri lege prohibetur. Noli, inquit, addiſcere pulchritudinẽ alienam. Deinde ne quis diceret: Quid autem etſi inſpiciam, nec tamen capiar? Cohibuit aſpectum, ne huiuſmodi licentia fidens, etiam in peccatum quandoque corrueres. Quid autem, inquis,ſi video,& concupiſco quidem, ſed tamen turpe nihil ago? & ſic quidem iam in adulterorum parte numeraris. Pronuntiauit enim lator legis, nec amplius aliquid oportet ſcrupuloſius inquirere.Nam ſemel quidem & ſecundo, & tertio ſic vidẽs, poſſis fortaſſe animum continere, ſi verò frequenter id feceris, fornacemq; iſtam ſponte ſuccendas profectò capieris. Neque enim extra natu-
Chryſoſt. ram aleamq; humanam conſiſtis. Et hom. 6.in Gen: Miſericors Dominus noſter,ſciens naturam noſtram tentationi expoſitam,& dæmonis verſutam,& variam malitiam,bene nos muniens, & inillaqueabiles reddere volens, legẽ hanc poſuit,dicens: Qui inſpicit mulierem, vt cõcupiſcat eam,iam adulteratus eſt eam in corde ſuo;adulterium conſummatum vocando,aſpectum cum curioſitate factum.

Aug. Aug. lib. 12. de Trinita. cap.12: Conſenſus,ſi ſola cogitationis delectatione contentus eſt,ſuperioris verò autoritate conſilij,ita membra retinentur, vt non exhibeantur iniquitatis arma peccato, ſic habendum exiſtimo velut cibum vetitum mulier ſola comederit:ſi autem in conſenſione malè vtendi rebus, quæ per ſenſum corporis ſentiuntur, ita decernitur quodcunq; peccatum,vt ſi poteſtas ſit etiam corpore compleatur,intelligenda eſt illa mulier dediſſe viro ſuo ſecum ſimul edendum illicitum cibum.Neque enim poteſt peccatum non ſolum cogitandum ſuauiter, verum etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, niſi & illa mentis intentio penes quam ſumma poteſtas eſt membra in opus mouendi,vel ab opere cohibendi,malæ actioni cedat, & ſeruiat. Nec ſanè cùm ſola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens eſſe facienda, tenens tamen,& voluens libenter, quæ ſtatim vt attigerunt animum, reſpui debuerunt,negandum non eſt eſſe peccatum,ſed longè minus,quam ſi & opere ſtatuatur implendum. Et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda eſt, pectuſq; percutiendum, atque dicendum: Dimitte nobis debita noſtra: faciendum quoque quod ſequitur, atque in oratione iungendum: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Neque enim ſicut in illis duobus primis hominibus perſonam ſuam quiſque portabat, & ideo ſi ſola mulier cibum ediſſet illicitum,ſola vtique mortis ſupplicio plecteretur:ita dici poteſt in homine vno, ſi delectationibus illicitis, à quibus ſe continuo deberet auertere cogitatio, libenter ſola paſcatur,nec facienda decernatur mala,ſed tantum ſuauiter in recordatione teneãtur,quaſi mulierem ſine viro poſſe damnari: abſit hoc credere. Hæc quippe vna perſona eſt, vnus homo eſt,totuſque damnabitur,niſi hæc,quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi,ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata,per mediatoris gratiam remittantur.

Thp.Matt.5: Hic nouæ legis explanatio continetur, quæ etiam in opere interiori conſiſtit. Tho.
Ego autem,&c.id eſt,ad hoc mandatum, quod ſolum in actu putatis eſſe ſeruandum, addo, & explano eſſe ſeruandum in voluntate. Qui viderit mulierem, id eſt, qui viſum in mulierem infixerit. Cur hic ſolùm viſum nominat? quia magis eſt in promptu,vel quia ſecũdum Bedam in viſu, omnem motum animi ad delectationẽ intelligit. Cur ait, qui viderit ad concupiſcendum; non autem,qui concupierit? quia concupiſcere aliquando eſt ſubitò, & non deliberatè: & ſic eſt veniale:& eſt propaſſio ſecundum Hierony. ſed videre ad concupiſcendum, eſt cum deliberatione, & ideo mortale: & eſt paſſio ſecundum Hieron. Cur ait potius ad concupiſcendum,quam ad mœchandum? vt det intelligere,quod non ſolum operatio, vel conſenſus ad operandum eſt damnabilis:ſed etiam intentio, vel conſenſus ad delectandum. Ad concupiſcendum eam,id eſt, ſecundum Aug. & Hieron. eo fine,vt eam interiùs concupiſcat. Nomine mœchiæ omnem carnalem delectationẽ intelligit. Viſus ponitur pro omni motu,qui eſt ad dele-

ad delectationem,ſiue ſit corporalis,ſiue interior. Sic Aquinas. Et Aug.lib.19.contra Fauſt. (Aug.) cap.23: Quoniam putabant tantummodo corporalem cum fœmina illicitam commixtionem vocari mœchiam,demonſtrauit magiſter etiam talem concupiſcentiam nihil eſſe aliud. Plura habet Auguſt. lib. 1. de ſermo. Dom. in monte (Aug.) cap.23.

(Iſidor.) Iſidor. Peluſ.lib.1. epiſt. 234: Cùm Dominus ipſum quoque curioſum fœminarum conſpectum damnet, tu tamen non modo inſano pulchritudinum amore flagras, verùm etiam ſeruilem,vt intellexi,vitam amplexus es,vt qui contubernale ſcortum acceperis, ac ſempiternam ignominiam ames. (Iſidor.) Et lib.3.ep.11: Perpende diligenter,ac videbis eum æquitate, ac iuſtitia refertum eſſe.Non enim dixit:Qui ſimpliciter, ac per tranſitum aliquam viderit, eamque concupierit vt adulter,punietur,verum:Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, hoc eſt,qui ex antecedente cogitatione libidinis affectum attrahit,qui nihil aliud operis ſibi proponit,qui ſine intermiſſione inſidiatur, atque aſſiduo proſpectu affectũ mouet, iam mœchatus eſt in corde ſuo. (Vox, iam, expenditur.) Particula enim iſta, iam, omnibus, niſi qui perexigua, & hebeti mente ſint,perſpicuum illud facit, hæc verba de ijs dicta eſſe, qui res eas aggrediuntur, quas nullo modo conſequi poſſunt. Quid enim, ſi illa & viro copulata ſit,& pudicitia præſtet,& à multis cuſtodiatur, quonam pacto ab amante facilè ſubigi queat?meritò itaque dictum eſt:Iam mœchatus eſt: quia,videlicet, ab actione minimè abſtinuiſſet,ſi ea in ipſius poteſtate ſita fuiſſet. Niſi enim vniuerſum animæ robur amori ſuccubuiſſet, haudquaquam corpori quoque perſuaſum fuiſſet,vt continenter incederet, ac libidinoſis oculis affectum ſuum paſceret.Quippe cùm multi etiam, quamuis amore teneantur;eas tamen,quas amant,cernere præ pudore minimè ſuſtineant. Quod ſi gloriæ amor oculum comprimit,atque corporeum amorem ſuperat; multò profectò magis, id diuinus timor efficiet. Quod ſi dixerit, quiſpiam;Quid igitur, ſi cùm actio in ipſius poteſtate ſit, tamen abſtineat? hic reſponderim.Magna quidem certè,ac diuina quædam res iſtud fuerit;ac verè virginitatis argumentum. Atque huiuſmodi vir, etſi viderit, atque obiter vulnus acceperit, haudquaquam eam aſſiduè intueri ſtudebit; verum quam longiſſimè ſeſe remouebit,ne continuus aſpectus materiam igni ſubminiſtret. Quod ſi intueri ſtudet,eum per huiuſmodi aſpectum affectus prodit. Iam ſi continenter etiam aſpiciẽs, nullo incommodo hinc ſe affici contendat, à Iobo,viro omni laude præſtantiori coarguetur, (Iob 31.) his verbis vtente: Pepigi fœdus cũ oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Quod ſi eum, qui diaboli vires concidit, minorem eſſe exiſtimet,quàm vt ſecum certare poſſit,hoc ipſo quoque nomine, dignus fuerit,cui fides abrogetur,cùm ait ſe etſi cernere non deſinat,nullo tamen libidinis ſenſu affici. Atque vt etiam eum vera loqui concedamus, tamen eundem diuinum miraculum perperam interpretari cõſtat. Non enim dixit: Vide quidem,at ne concupiſcas,vel cõcupiſce quidem,at cupiditatem comprime.Quod ſi eo quoque impudẽtiæ prorumpat,erubeſcat is oportet,qui dixit:Viuo autem non iam ego, viuit autem in me Chriſtus. (Gal. 2.) Nam qui hæc omni philoſophia præſtantiora verba protulit,quique diuinarum gratiarum opes tanquam in fictili ærario circumferebat,anxius, & ſolicitus erat, cùm hoc bellum ſibi ob oculos proponeret, atque dicebat: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm (1 Cor. 9.) alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar. Cùm igitur tantus vir, carnis rabiem tanquam habenis quibuſdam cohibeat, vnuſquiſque,oculos à mulieribus remouendo,ſecuritatem ſibi comparare ſtudeat:ne alioqui materia igni admota flammam excitet. Et ep.12: Simplicitatem (Iſidor.) tuam demiror, qui Euangelici quidem miraculi explicationem mirificè probaueris:reſcribens autem,his verbis vſus ſis. Quid igitur eius,quæ conſpecta eſt,refert, ſi is qui eam conſpexerit vulneratus eſt:oportebat enim te iſtud cogitare,illam quidem, quæ modeſtè, atque honeſtè incedit,nec obuios quoſque aucupatur, omni culpa carere: eam autem, quæ luxu, & delitijs diffluit, ac voluptatis retia expandit, & venenum miſcuit, vel maximè in culpa eſſe.Hæc autem idcirco à me dicuntur,quia ad ſolos maſculos hoc oraculum pertinere cenſuiſti, ignorans ad mulieres quoque ſpectare. (Hoc præceptum etiam ad mulieres pertinet.) Communes enim vtrique ſexui leges ſunt,ijs dumtaxat exceptis,quæ priuatim vnicuique ſexui latæ ſunt. Quocirca, ſi illæ amoris aſpectu minimè tangantur, oraculum ad eas minimè pertinet:ſi autem ipſæ quoque huic affectui obnoxiæ ſunt, eas quoque hæc lex reſpicit. Vt enim iſtud:Beatus vir,qui non abijt in conſilio impiorum. (Pſal. 1.) Et rurſum iſtud: Beatus vir, qui timet Dominum; (Pſal. 111.) aliaque id genus;non de viris tantummodò,ſed etiam de mulieribus dicta ſunt, quod videlicet per animal principatum obtinens ad id etiam quod ſubeſt,referantur. Eodem modo per aſſiduum aſpectum ad concupiſcendum non incitari,vtrique ſexui,legis præſcripto,indictum eſt. Quandoquidem igitur & legis mandata, & Euangelica oracula partim peccata prohibentia, partim beatitudines deſcribentia, & viris, & mulieribus in commune dicta ſunt;proinde ipſæ quoque oculos cuſtodiant, ac velut, iniecto fræno reprimant, ne per impudicum affectum adulterarum pœnas ſubeant. Vt enim Ve[illegible] congreſſus cupiditas par in vtroque [illegible]: ſunt enim qui viri; ſunt rurſus qui mu[illegible] acriorem,ac violentiorem eſſe aſſerant,at tamen ille ſerit, hæc ſeritur; ille gignit, hæc parit, ille agricolæ,hæc terræ locum obtinet.Q[illegible] his rebus,in quibus nec vir mulier[illegible] viri officijs fungi poteſt, [illegible] leges p[illegible], atque conſtitutæ ſunt. V[illegible] eſt,non mœchaberis,nec v[illegible] mine deprehenſ[illegible],ſed etiam fœ[illegible] cio afficitur;eodem modo h[illegible] tim cùm dictum ſit: Q[illegible] viderit mul[illegible]

rem ad concupiſcendum, iam mœchatus eſt in corde ſuo; cuiuis perſpicuum eſt, mulierem etiam omnem, quæ cupiditatis cauſa virum conſpexerit, adulterium iam in corde ſuo commiſiſſe. Et epiſt. 65: Euangelicum oraculum haudquaquam ratione caret, verùm mente ac prudentia plenum eſt. Nam cùm magnum, vt reuera eſt, eſſe videatur cupiditati imperare, maius, ac præclariùs eſt prouidere, ne quis hoc morbo corripiatur. Hoc igitur ipſum moliens Chriſtus, his verbis vſus eſt: Quicunque videt mulierem ad concupiſcendum, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Quibus verbis non eum, qui obiter, ac repentè eam vidit, ac vulnere affectus, ac telum ſtatim extraxit, vulnuſque curauit, adulterum eſſe pronunciat. Non enim dixit: Qui vidit, ſed, qui videt, hoc eſt, qui ex antecedente cogitatione morbum attraxit, & apud ſe nutrit, & ad eam, quam aſpexit, identidem commeat, alienamque pulchritudinem curiosè perſcrutatur, ac per continuum aſpectum voluptatem quodammodo carpit. Enimuerò tu quidem tutò rebus tuis conſulens, oraculum iſtud meritò pertimeſcis: atque vt ipſum tibi exponam, rogas, iiſque diffidis, qui eo ſtuporis, atque amentiæ procedunt, vt negent aſpectum ei, qui cernit, detrimenti quicquam importare. Ego autem, vt te hoc nomine laudo, quod ſalutis tuæ curam geras; ita de illis hoc dico, præſtantiorem eſſe ſecuritatem, quàm periculoſam contentionem; piumque, & æquiſſimum eſſe, diuinas leges proprijs rationibus antiquiores habere. Quid ſi quis mihi obtemperandum non putat, Prouerbiorum authorem ſaltem audiat, qui ante oraculum Euangelicum his verbis vſus eſt: Ne oculum tuum in ipſam defigas, verùm ſtatim auola, nec moram vllam in eo loco trahe. Et item Scriptorem omni virtutis genere cumulatum, nunc quidem dicentem: In pulchritudine mulieris multi ſeducti ſunt: nunc autem, ne condiſcas alienam pulchritudinem. Non dixit: Ne ſpectes; poteſt enim id caſu, ac fortuitò accidere: ſed, ne condiſcas, meditatam videlicet conſiderationem, & curioſum aſpectum, atque cum cupiditate coniunctam contemplationem de medio tollens. Amicitia enim, inquit, hinc tanquam ignis exardeſcit, hoc eſt, obſcœnus amor hinc oritur. Quin externis etiam hominibus, quibus hæc ſynceritas haud admodum curæ fuit, hoc & conſentaneum, & verum eſſe viſum eſt. Ac Socrates quoque (nam eorum etiam dicta commemorabo, quoniam ad pudicitiam, & caſtitatem incitant) cùm quendam formoſo adoleſcenti oſculum figentem conſpexiſſet: hic, inquit, facilè gladiatorum cuſpidibus innataret, atque in ignem inſiliret, qui ſcilicet tantum in ſeipſo incendium per oſculum excitare minimè dubitarit. Diogenes item adoleſcentem laſciuiùs, quàm virum deceret, ornatum conſpiratus, hæc ad eum verba habuit: Si ad viros te confers, miſer es; ſi ad mulieres, iniquus. Etenim per nimium ornandi corporis ſtudium, viri quidem fœminas; fœminæ autem & cinerei viros captant. Sed & Ageſilaus puerum egregia forma, quem amabat, cùm ipſum oſculari vellet, inhibuit. Alexander verò Darij vxorem, ne intueri quidem ſuſtinuit, quod turpe eſſe cêſeret, eum, qui viros ſuperaſſet, à fœminis vinci. Quod ſe nô modò Græcorum, ſed etiam Barbarorum exemplis vtendum eſt, ne hoc quidem facere detractabo. Cyrus igitur Perſarum Rex, Pantheam, quæ ipſi aſſignata fuerat, atque incredibili quadam pulchritudine prædita eſſe ferebatur, ne conſpicere quidem auſus eſt. Quinetiam eum, qui ipſam aſſiduè cernebat, nec ſe vllo propterea libidinis motu agitari dicebat, vt ne eam aſſiduè perſpiceret, admonebat. Ignis enim, inquiebat, eos duntaxat, qui propiùs ad eum accedunt, exurit: pulchritudo autem eos etiam, qui procul remoti ſunt. Nec verò hac in re mentitus eſt. Nam ille, qui voluptate ſuperiorem ſe eſſe prædicarat, captus eſt: Ac quia eã nulla ratione permouere poterat: pudicitiæ enim laude præſtabat; vim ſe ipſi allaturum eſſe denunciauit, quoad illa tandem de hac re Cyrum certiorem fecit. Qui cùm intelligeret, eum, propterea quod cum huiuſmodi fera, cui nullæ vires pares eſſe queant, incluſus extitiſſet, in hanc fraudem incidiſſe, ipſi, qui ſe nullo ex aſpectu detrimento affici nimis inſolenter gloriabatur, hæc ſignificauit: Si mulieri, quod cupis, perſuades, per me id licet: Si autem vim adhibes, id minimè patiar. Cùm igitur & Euangelicum oraculum, & Prouerbiorum author, & qui Sapientiæ librum condidit, & tam Græca quàm Perſica exempla in hoc conueniant, omnibus viribus oculos cuſtodire, ac velut inuicto fræno coercere oportet, atque à curioſo, & impudico conſpectu, vt intimas animi partes perſtringente, ſeſe abſtinere. Maxima enim ex ea in animũ improbitas influit. Nam cùm ipſius arcem occuparit, ac rationem expulerit, totam eam libidini addictam, ac mancipatam reddit.

Not. 14. ver. 19.20.

Isidor. Peluſ. lib. 1. ep. 83: Oculum ac manum dextram optimus Chriſtus neceſſariorum ac fidiſſimorum amicorum propinquitatẽ nuncupauit; eos nimirùm, qui ad opem & auxilium ſyncerè, nobis afferendum beneuolo erga nos animo ſunt, iis membrorum nominibus appellans, quorum opera noſtra, quæ nobis cordi ſunt, exequimur. Cùm igitur quiſpiam ex ipſis ſcandali author exiſtit, aut in peccato quodam aliquo, quod probrum nobis afferat, atq; ignominiam ipſi conflet, volutatur, huiuſmodi hominem excudere oportet: ne alioqui peſtem imitans, corporis integritatem, & incolumitatem depaſcatur; ſuo videlicet dolere, iis, qui ab huiuſmodi vitijs ſani ſunt, impacto.

Not. 15. ver. 22.

Fulg. lib. de Fide ad Petrum cap. 3: In coniugatis etſi fuerit aliquis coniugalis exceſſus, qui tamen legitimum non violet thorum, habebit nonnullum, ſed veniale peccatum.

Not. 16.

Margin notes: Iſidor. — Qui videt. — Prou. 6. 5. — Eccle. 9. — Socrat. — Dioge. — Ageſil. — Alex. — Cyr. — Iſidor. — Scandali au hor excindendus — Fulg.

Not.16.ver 23.24.25.

Baſil. BASIL. in Pſal. 14. Quid hoc tandem eſt? Hic iuramentum homini perfecto inter eas virtutes, quæ illum decent, concedi videtur: in Euangelio verò prorſus prohibetur. Quis incolet Pſal. 14 tabernaculum tuum, & quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui iurat proximo ſuo, & non decipit; illic verò: Ego autem dico vobis, ne iuretis omnino. Quid igitur dicemus? Quod vbique Dominus tam in veteri, quam in noua lege eandem habet præceptionis conſiderationem. Cupit enim peccatorum effectibus occurrere, & à primis initijs malignantem exſcindere, vt enim vetus lex ait: Non mœchaberis, Dominus verò: Non concupiſces. Illa item: Non occides. Dominus perfectiora inſtituens: Non iraſcaris. Sic itaque in hoc loco contentus abit Propheta iuramento, quod iuſtum ſit, ac rectum; Dominus verò vel occaſionem ipſam reſecat periurij. Qui enim rectè iurat, fortè & is poſſit interdum falli: qui verò non iurat periculum vitauit periurij. Nominat item Propheta multis adeò locis iuramentum immutabilem, firmamque rei, ac propoſiti cuiuſlibet confirmationem, vt eſt illud: Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitię tuæ. Item: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Non quod Deum ad teſtimonium dictorum, fidemque dubitati faciendam induxerit: ſed quod is immutabili, ac firmo decreto gratiam promiſſionis dandi confirmauit. Sic & hic dictum eſſe poteſt illud: Qui iurat proximo, & non decipit, hoc eſt, qui promiſſa affirmat proximo, & non decipit, vt cum Seruatoris dicto conueniat: ſit ſermo veſter eſt, eſt; non, non. De eiuſmodi rebus dum aſtruis, & affirmas, annue: de his verò, quæ non ita ſe habent, & ſi omnes homines adhortarentur, & obſecrarent, nunquam vllo pacto inducaris vt contra naturæ veritatem affirmes. Non facta eſt res? negatio ſequatur. Facta eſt? conſenſu firmetur. Citra vllam verborum implicationem ad aliud reſpiciens, ipſam per ſe veritatem ſtudeto exprimere, ſimplici, ac nuda vſus aſſenſione. Qui verò ſic affirmanti minimè crediderit: ipſe viderit; damnũ ſentiet incredulitatis. Turpe enim, & omnino ſtultum, ſeſe vt fide indignum accuſare, & ad iuramenti ſecuritatem confugere. Sunt autem quidam ſermones, iuramentorum quidem figuras habentes, non tamen iuramenta omnino exiſtentes, ſed remedia potius perſuadẽdi, vt Ioſeph Ægyptium familiarem ſibi reddere cupiens, per ſanitatem iurauit Pharaonis. Et Apoſtolus charitatem ſuã erga Corinthios oſtendere volens, ait: Per gloriam veſtri, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Non enim Euangelicæ doctrinæ immoriger fuit, & inobediens is, cui concreditum erat Euangelium; ſed ſimplici ſermone ſub forma iuramenti reddito, gloriationem, quam in ipſis habebat, omnium ſibi pretioſiſſimam eſſe, hoc verborum tropo vſus oſtendit.

[Margin notes: Vt iuramentum [illegible] & prohibuit. — 1 ſenſ. — Pſal. 118. — Pſal. 109. — Qui iurat [illegible] ſtabiliter. — Gen. 42. — 1 Cor. 15.]

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 155: Si noſtri gregis es, ac ſub bono illo paſtore cenſeris, ferarum naturam, ac ſimilitudinem abiura, atque ipſius voci obtempera, quò ne omnino iures, prohibet. Porro non iurare, ne iuſiurandum quidem ab alio exigere eſt. Nam ſi iurare minimè vis, ne ab alijs quidem, vt iurent, extorque. Idque duplici de cauſa: nimirum aut quia veri ſtudioſus eſt, qui interrogatur: aut contra, quia libenter mentitur. Si enim ille vera loqui ſolet, omnino etiam nullo interpoſito iureiurando vera loquetur. Si autem mendax eſt, iurans etiam mentietur. Quapropter duplici hoc nomine iuſiurandum haudquaquam exigendum eſt. Cur iuſiurandum ab alijs minimè exigendum.

Hiero.in cap. 8. Zachariæ: Iuramentum mendax ne diligatis, præcipiente Domino in Euangelio: Ego autem dico vobis, vt non iuretis penitus, ſed ſit veſter ſermo eſt, eſt; non, non: qui enim non iurauerit nunquam poterit peierare. Hier. 1 ſenſ.

Ambr. ſerm. 14. in Pſal. 118: Nemo benè iurat, niſi qui poteſt ſcire quod iurat. Iurare igitur, iudicium ſcientiæ, teſtimonium conſcientiæ eſt; & bene iurat, qui ad lucernam verbi pedes ſuos dirigit, qui lucem in ſemitis ſuis cernit, lux tibi præeat, ſi iurare diſponis, id eſt, cognitio veritatis præcedat; vt vinculum ſacramenti tibi non poſſit nocere: vbi religio ſanctior, ibi fides veritatis eſt plenior. Denique ideo Dominus, qui venit docere paruulos, imbuere nouos, firmare perfectos, ait in Euangelio: Non iurandum omnino: quia infirmis loquebatur. Denique non ad ſolos Apoſtolos loquebatur, ſed ad turbas, voluit enim te non iurare, ne periures, & addidit: Non iurare neque per cœlum, neque per terram, neque per Hieroſolymam, neq; per caput tuum: per hæc videlicet, quæ ſubiecta non ſunt tuæ poteſtati. Iurauit Dominus, nec pœnitebit eum. Iuret ergo ille, quem ſacramenti ſui pœnitere non poterit. Amb. 1 ſenſ. Pſal. 109.

Aug. lib. de mendacio ad Conſentium cap. 15: Iurauit ipſe Apoſt. in epiſt. ſuis, & ſic oſtendit, quomodo accipiendum eſſet, quod dictum eſt: Dico vobis, non iurare omnino: ne ſcilicet iurando ad facilitatem iurandi veniatur, & ex facilitate ad conſuetudinem, atque ita ex conſuetudine in periurium decidatur. Et ideo non inuenitur iuraſſe, niſi ſcribens vbi cõſideratio cautior non habet linguam præcipitem, & hoc vtique à malo, ſicut dictum eſt. Quod autem amplius eſt, à malo eſt: non tamen ſuo; ſed eorum infirmitatis, quibus etiam ſic fidem facere conabatur. Nam quod loquens iuraſſet, dum non ſcriberet, neſcio vtrum aliqua de illo ſcriptura narrauerit. Et tamen Dominus ait: Omnino non iurare. Non enim conceſſit, vt id liceret ſcribentibus, ſed quia præcepti violati reum Paulum præſertim in epiſtolis conſcriptis, atque editis ad ſpiritalem vitam, ſalutemque populorum, nefas eſt dicere, intelligendum eſt illud, quod poſitum eſt, omnino, ad hoc poſitum, vt quantum in te eſt non affectes, non ames, non quaſi pro bono cum aliqua delectatione appetas iuſiurandum. Eundem vide Aug. ſer. 10. de Sanct. Aug. 1 ſen. A malo. 2 ſenſ. Aug.

CAP. 49.

CAP. 49. *Præcepta Euangelica, de vindicta, mutuo, & proximi dilectione.*

Matt. 5.	*Mar.*	*Luc. 6.*	*Ioan.*
1 AVdiſtis quia dictum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente.		11 SEd vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: benedicite maledicentibus vobis: & orate pro calumniantibus vos.	
2 Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo.			
3 Sed ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram.		3 Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram.	
4 Et ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.		4 Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum etiam tunicam noli prohibere.	
5 Et quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo, & alia duo.			
6 Qui petit à te, da ei.		6 Omni autem petenti te, tribue.	
7 Et volenti mutuari à te, ne auertaris.			
		8 Et qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.	
		9 Et prout vultis faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.	
Feria 6. poſt cineres.			
10 ✠ Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.			
11 Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.		11 Supra.	
12 Vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos; & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.		12 Infra.	
13 Si enim diligitis eos; qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?		13 Et ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores diligentes ſe diligunt.	
14 Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tãtum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?			
		15 Et ſi benefeceritis his, qui vobis benefaciũt, quæ vobis eſt gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt.	
		16 Et ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.	
		17 Veruntamen diligite inimicos veſtros, benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa.	
		12 Et eritis filij Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos, & malos.	

Matt. 5.	*Mar.*	*Luc. 6.*	*Ioan.*
18 Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.]		*Dom. 1. poſt Pentec.* 18 ✠ Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.	

Not. 1. ver. 1. & 2.

De iſto cap. multa habet Auguſt. ep. 5. ad Marcellinum.

Aug. Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 33: Phariſæorum iuſtitia minor eſt, non excedere vindictæ modum, ne plus rependat quiſque, quam accepit. Et magnus hic gradus eſt: nemo enim facilè inuenitur, qui pugno accepto, pugnum reddere velit: & vno conuiciante verbo audito, vnum, & quod tantundem valeat, referre contentus ſit: ſed ſiue ira perturbatus immoderatius vindicat, ſiue quia iuſtum putat, eum, qui læſerit prior, grauius lædi, quam læſus eſt, qui non læſerat. Talem animum magna ex parte refrænauit lex, in qua ſcriptum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Quibus nominibus ſignificatur modus vt iniuriam vindicta non tranſeat; & hæc eſt pacis inchoatio. Perfecta autem pax eſt talem penitus nolle vindictam. Inter illud ergo primum, quod præter legem eſt, vt maius malum pro minore malo reddatur, & hoc quod Dominus perficiendis diſcipulis dicit, ne pro malo vllum malum reddatur: medium quendam locum tenet, vt tantum reddatur, quantum acceptum eſt: per quod à ſumma diſcordia, ad ſummam cōcordiam pro temporum diſtributione tranſitus factus eſt. Quiſquis ergo malum infert prior, ſtudio lædendi, & nocendi, vide quantum diſtat ab eo, qui nec læſus rependit. Quiſquis ergo nulli prior maleficit, ſed tamen læſus rependit grauius, vel voluntate, vel facto, receſſit aliquantulum à ſumma iniquitate, & proceſſit ad ſummā iuſtitiam, & tamen nondum tenet, quod lex, quæ per Moyſen data eſt, imperauit. Qui ergo tantum reddit, quātum accepit, iam donat aliquid: non enim tantam pœnam meretur nocens: quantam ille, qui ab eo læſus innocens paſſus eſt. Hanc ergo inchoatam, non ſeueram, ſed miſericordem iuſtitiam ille perfecit, qui legem venit implere, non ſoluere.

Aug. Et cap. 34: Duos ergo adhuc gradus, qui interſunt, intelligendos reliquit, quibus & de ipſo ſummo miſericordię culmine dicere maluit. Nā eſt adhuc quod faciat, qui non implet iſtam magnitudinem præcepti, quæ pertinet ad regnum cœlorum: vt non reddat rātum, ſed minus, vt vel pro duobus pugnis vnum, aut pro euulſo oculo aurem præſcindat.

Aug. Et lib. 19. contra Fauſtum cap. 19: Non ſicut Fauſtus opinatur, quædam Dominus Ieſus Chriſtus ſoluit, quæ propria videbantur legis Hebræorum; ſicuti eſt: Oculum pro oculo, dentem pro dente: quod videtur potius abſtuliſſe, quam confirmaſſe; cùm ait: Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, &c. Nos enim dicimus etiam hæc, quæ iſti putant ſoluiſſe Chriſtum, velut contraria referendo, & tunc pro tempore bene fuiſſe inſtituta, & nunc à Chriſto non ſoluta: ſed adimpleta.

Eut. Euth. Matt. 5: Quidam veteri legi indignantur, iubenti oculum pro oculo, ac dentem pro dente eruere, & ſine compaſſione contra eum, qui oculum, aut dentem quempiam eruit, eandem denuncianti calamitatem. Eſt autem hæc lex homini maximè amica. Id enim iuſſit, vt timore ſimilis afflictionis cauerent, ne illius temporis homines, qui ad plagas mutuo inferendas, anhelabant, oculos, aut dentes ſibi inuicem eruerent. Chriſtus autem homini beneuolentior, quam legiſlator, huiuſmodi mala non ſimilis metu afflictionis, ſed futuræ damnationis timore diſſuaſit. Cum enim in præcedentibus dixerit, quod quicunque dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis, manifeſtè innuit eum, qui verberaret pluſquam deſipere: qui autem membro mutilaret, adhuc amplius. Vnde iuſſit nō reſiſtere malo: malum verò quidam hic illum dixerunt qui verberaſſet. Chryſoſt. verò diabolum intelligit: Hoc autem dixit Chriſtus, docens quod eo inſtigante hæc attentata ſunt: & in hunc tranſmiſit iram eius, qui iniuria affectus eſt, exaſperatam aduerſus eum, qui hæc auſus fuerat. Quid ergo neque diabolo reſiſtere licebit? vtique, ſed non in vlciſcendo fratrem: hanc enim reſiſtentiam prohibuit, ſed in patiendo, ac ſuſtinendo, neq; enim per iram extinguitur ira, ſicut nec ignis igni, ſed contraria fiunt contrarijs medicamentis. Eadem habet Theoph. Matt. 5. Theoph.

Not. 2. ver. 3.

Hier. Hieron. in cap. 41. Ezechiel: Eleganter in interioribus templi, & in Sanctis Sanctorum, non poſuit dexteram, & ſiniſtram, ne quid ſiniſtrum in his, quæ magna ſunt, & arcana dicere videretur, ſed hinc, atque inde; iuxta illud quod in Euangelio ſcriptum eſt: Qui te percuſſerit in dexteram maxillam, prębe ei & alteram. Nunquid dicere non potuit; Et ſiniſtram? ſed quando percutitur dextera, præbetur & altera dextra: quia in ſancto viro vtrumque dextrum, vtrumque perfectum eſt. *(Cur, & quando ſit percutienti altera maxilla præbenda. Dextera.)*

Hier. Et Matt. 5: Eccleſiaſticus vir deſcribitur, imitator eius, qui dicit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Et pollicitationem ſuam percuſſus alapa comprobat: Si malè locutus ſum, argue de malo: ſin autem bene, quid me cędis? Tale quid & Dauid loquebatur in Pſal: Si reddidi retribuentibus mihi mala. Et Ierem. in Lamentationibus: Bonum eſt homini cum ſederit in adoleſcentia ſua; dabit percutienti ſe maxillam: ſaturabitur opprobrijs. Hoc aduerſum eos, qui *(Pſal. 7. Taren. 3.)*

putant alterum Deum legis, alterum Euangelij: quod & ibi, & hic manſuetudo docetur. Secundum myſticos intellectus: percuſſa dextra noſtra, non iubemur ſiniſtram præbere, ſed alteram: hoc eſt, alteram dexteram. Iuſtus enim ſiniſtram non habet. Si nos hæreticus in diſputatione percuſſerit, & dextrum dogma voluerit vulnerare, opponatur ei aliud de ſcripturis teſtimonium: & tam diu verberanti ſuccedentes ſibi dextras præbeamus, donec inimici ira laſſeſcat.

Dextera.

Amb. Ambroſ. oratione funebri de obitu Valentiniani Imperatoris: Qui te percuſſerit in maxillam, præbe ei & alteram: eo quod in dolore ſit patiens, vt pœniteat verberantem.

Amb. Et ſerm. 10. in Pſal. 118: In Euangelio Dominus Ieſus, docens virtutem, atque inſigne patientiæ, ait: Qui te percuſſerit in maxillam, præbe ei & alteram. Vult enim diſcipulos ſuos, & iniuriarum eſſe patientes, nec referire facile, ne, dum ferire potens, iniuriam faceret indicium humilitatis non exhiberent. Patientia enim humilitatis indicium eſt: & ideo quoniam deſolata erat, ac deſtituta Hieruſalem; Dabit, inquit, percutienti maxillam ſuam, vt non ſe ſubducat iniuriæ, nec declinet cædis dolorem, ſed percutienti maxillam offerat. Vtrumque intelligi poteſt, ſiue ei, qui percutere incipiat; ſiue ei, qui iam percuſſerit; vt illud Euangelicum compleatur: Qui te percuſſerit in maxillam, præbe ei & alteram. Et prophetice hoc poſitum eſt, vt doceret Hieruſalem, hoc eſt, plebis Iudaicæ Eccleſiam, non aliter eſſe ſeruandam, niſi per Euangelij diſciplinam: vt cum cæperit Euangelij præcepta ſeruare: & operibus implere mandatum Domini Ieſu, tunc iugum captiuitatis de ſuæ animæ ceruice deponat, cum

Amb. ſe ſubdiderit iugo Chriſti. Et lib. 5. in Luc: Quid tam mirum, quam percutienti maxillam præbere alteram? Nonne omnis indignantis frangitur impetus, ira ſedatur: nonne fit per patientiam, vt ſua amplius pœnitentia reuerberes verberantem? ita erit vt & iniuriam repellas, & gratiam quæras, ac ſæpe maximæ cauſæ amoris exiſtunt, cum patientia inſolentiæ gratia refertur iniuriæ.

Aug. Auguſt. lib. de mendacio ad Conſentium cap. 15: Ea quæ in nouo teſtamento à ſanctis facta ſunt, vbi morum emendatorum euidentiſſima commendatio eſt, valeant ad exempla intelligendarum ſcripturarum, quæ in præceptis digeſta ſunt: velut cum legimus in Euangelio: Accepiſti alapam, para alteram maxillam. Exemplum autem patientiæ nullum, quam ipſius Domini potentius, & excellentius inuenimus. At ipſe cum alapa percuſſus eſſet, non ait: Ecce altera maxilla; ſed ait: Si malè dixi, exprobra de malo: ſi autem bene, quid me cædis? vbi oſtendit illam præparationem alterius maxillæ in corde faciendam. Quod etiam Apoſtolus Paulus vtique nouerat. Nam & ipſe cum eſſet alapa percuſſus, ante pontificem, non ait: Percute maxillam alteram; ſed percutiet te Domi-

Act. 21. nus, inquit, paries dealbate: & ſi tu ſedes iudicare me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti? altiſſime intuens ſacerdotium Iudæorum iam tale factum fuiſſe, vt nomine forinſecus niteret, intrinſecus autem luteis concupiſcentijs ſorderet. Quod tranſiturum eſſe vindicta Domini videbat in ſpiritu, cum illud diceret: ſed tamen cor paratum habebat, non ſolum ad alias alapas accipiendas, ſed etiam quælibet tormenta pro veritate patienda, cum eorum dilectione, à quibus talia pateretur.

Aug. Et lib. 22. contra Fauſtum cap. 76: Si propterea putant Deum non potuiſſe bellum gerendum iubere, quia Dominus poſtea Ieſus Chriſtus: Ego, inquit, dico vobis non reſiſtere aduerſus malum; ſed ſi quis te percuſſerit in maxillam tuam dexteram, præbe illi & aliam: Intelligant hanc præparationem non eſſe in corpore, ſed in corde: ibi eſt enim ſanctum cubile virtutis, quæ in illis quoque antiquis iuſtis noſtris patribus habitauit: ſed eam rerum diſpenſationem, ac diſtributionem temporum ordo poſcebat, vt prius appareret etiam ipſa bona terrena, quibus & humana regna, & ex hoſtibus victoriæ deputantur, propter quæ maximè ciuitas impiorum diffuſa, per mundum ſupplicare idolis, & dæmonibus ſolet, non niſi ad vnius Dei veri poteſtatem, atque arbitrium pertinere. Vnde & vetus teſtamentum ſecretum regni cœlorum tempore opportuno aperiendum promiſſionibus terrenis operuit, & quodammodo vmbroſius occupauit.

Aug. Et cap. 79: Legunt ſcripturas apocryphas Manichæi à neſcio, quibus ſutoribus fabularum ſub Apoſtolorum nomine ſcriptas, quæ ſuorum ſcriptorum temporibus in auctoritatem ſanctæ Eccleſiæ recipi mererentur, ſi ſancti, & docti homines, qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera locutos eſſe cognoſcerent. Ibi tamen legunt Apoſtolum Thomam cum eſſet in quodam nuptiarum conuiuio peregrinus, & prorſus incognitus, à quodam miniſtro palma percuſſum, imprecatum fuiſſe homini, continuam ſæuamq; vindictam. Nam cum egreſſus fuiſſet ad fontem, vnde aquã conuiuantibus miniſtraret, eum Leo irruens interemit, manumq; eius, qua caput Apoſtoli leui ictu percuſſerat, à corpore auulſam, ſecũdum verbum eiuſdem Apoſtoli id optantis, atque imprecantis, canis intulit menſis, in quibus ipſe diſcumbebat Apoſtolus. Quid hoc videri crudelius poteſt? verum quia ibi, niſi tamen fallor, hoc etiam ſcriptum eſt, quod ei veniam in ſæculo futuro petiuerit, facta eſt compenſatio beneficij maioris, vt & Apoſtolus, qui charus Deo eſſet, per hunc timorem commendaretur ignotis: & illi poſt hanc vitam quandoque faciendam, in æternam conſuleretur: vtrum illa vera ſit, aut conficta narratio, nihil mea nunc intereſt. Certè enim Manichæi, à quibus illę ſcripturę, quas Canon Eccleſiaſticus reſpuit, tanquam veræ, atque ſyncerę acceptantur, ſaltem hinc coguntur fateri, virtutem illam patientiæ, quam docet Dominus, dicẽs: Si quis te percuſſerit in maxillam tuam dexteram, præbe illi & alte-

Hiſtoria de Apoſtolo Thoma incerta. Eadem habes lib. 1. de ſer. Do. in mon. ca. 19. & lib. cont. Adimant. c. 17.

& ſiniſtram: poſſe eſſe in præparatione cordis, etiamſi non exhibeatur geſtu corporis, & expreſſione verborum: quandoquidem Apoſtolus palma percuſſus, potius Deum rogauit, vt iniurioſo homini in futuro ſeculo parceretur, in præſenti autem illa iniuria non inulta relinqueretur, quam vel præbuit ferienti alteram partem, aut, vt iterum feriret, admonuit. Tenebat certè interius dilectionis affectum, & exterius requirebat correctionis exemplum, ſiue hoc verum ſit, ſiue confictum, cur nolunt credere tali animo famulum Dei Moyſen idoli fabricatores, & adoratores gladio proſtrauiſſe: cum & in eius verbis ſatis appareat, ita huiuſmodi peccato eum veniam deprecatum, vt niſi impetraret, deleri ſe vellet de libro Dei. Vide
Aug. eundem lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 34.35.36.37.38.39.

Not. 3. ver. 4.

Aug. An lites habere liceat, 1 Cor. 6

AVG. Enchyrid. cap. 78: Poſſet putari, iudicium habere aduerſus alterum, non eſſe peccatum, ſed tantummodo id extra Eccleſiam velle iudicari, niſi ſecutus adiungeret: Iam quidem omnino delictum eſt inter vos, quia iudicia habetis vobiſcum. Et ne quiſquam hoc ita excuſaret, vt diceret iuſtum ſe habere negotium, ſed iniquitatem ſe pati, quam velit à ſe iudicium ſententia remoueri: continuo talibus cogitationibus, vel excuſationibus occurrit, atque ait: Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini? vt ad illud redeatur, quod Dominus ait: Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium, & alio loco: Qui abſtulerit, inquit, tua, noli repetere. Prohibuit itaque ſuos de ſecularibus rebus cùm alijs hominibus habere iudicium. Ex qua doctrina dicit Apoſtolus, eſſe delictum. Tamen cum ſinit in Eccleſia talia iudicia finiri inter fratres, fratribus iudicantibus; extra Eccleſiam verò, terribiliter vetat: manifeſtum eſt etiam hic quid ſecundum veniam concedatur infirmis.

Aug. Et lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 36: Illud: Et qui voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, remitte illi & veſtimentum ad præparationem cordis, non ad oſtenſionem operis, præceptum rectè intelligitur. Sed de tunica, & veſtimento, quod dictum eſt, non in eis ſolis, ſed in omnibus faciendum eſt, quæ aliquo iure temporaliter noſtra eſſe dicimus. Si enim de neceſſarijs hoc imperatum eſt, quanto magis ſuperflua contemnere conuenit? veruntamen ea, quæ noſtra dixi, eo genere includenda ſunt, quo Dominus ipſe præſcripſit, dicens: Si quis vult iudicio tecum contendere, & tunicam tuam tollere. Omnia ergo intelliguntur, de quibus iudicio nobiſcum contendi poteſt: ita vt à noſtro iure in ius illius transeant, qui contendit, vel pro quo contendit: ſicuti eſt veſtis, domus, fundus, iumentum, & generaliter omnis pecunia. Quod vtrum etiam de ſeruis accipiendum ſit, magna quæſtio eſt. Non enim Chriſtianum oportet ſic poſſidere ſeruum, quomodo equum, aut argentum: quanquam fieri poſſit, vt maiore pretio valeat equus, quam ſeruus, & multo magis aliquid aureum, vel argenteum; ſed ille ſeruus, ſi rectius, & honeſtius, & ad Deum colendum accommodatius abs te Domino educatur, aut regitur, quam ab illo poteſt, qui eum cupit auferre: neſcio vtrum quiſquam dicere audeat, vt veſtimentum, eum debere contemni. Hominem namque homo tanquam ſemetipſum diligere debet, cui ab omnium Domino (ſicut ea, quæ ſequuntur oſtendunt) etiam vt inimicos diligat, imperatur. Sanè animaduertendum eſt, omnem tunicam veſtimentum eſſe, non omne veſtimentum tunicam eſſe. Veſtimẽti ergo nomen plura ſignificat, quam nomen tunicæ. Et ideo ſic dictum eſſe arbitror: & qui voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, remitte illi, & veſtimentum, tanquam ſi diceret: Qui voluerit tunicam tuam tollere, remitte illi, & ſi quid aliud indumenti habes. Ideo nonnulli pallium interpretati ſunt, quod Græcè poſitum eſt ἱμάτιον. Quid tunica. Quid veſtimentũ.

Et hom. 1: In hac autem vita, iubet nos Apoſtolus redimere tempus; quoniam dies mali ſunt. Aug. Epheſ. 5.
Et quid eſt redimere tempus, niſi cum opus eſt, etiam detrimento temporalium commodorum ad æterna quærenda, & capeſſenda, ſpatia temporis comparare? vnde & Dominus præcepit dicens: Si quis voluerit tecum iudicio cõtendere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium; vt ſcilicet amiſſa re temporali, impendas ad quietem, quod eras impenſurus ad litem.

Not. 4. ver. 5.

AVG. lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 36: Et qui te angariauerit, inquit, mille paſſus; vade cum illo alia duo. Et hoc vtique, non tam vt pedibus agas, quã vt animo ſis paratus. Nam in ipſa Chriſtiana hiſtoria, in qua eſt auctoritas, nihil tale inuenies factum à ſanctis, vel ab ipſo Domino in homine, quem ſuſcipere dignatus eſt, vt viuendi nobis præberet exemplum: cum tamen omnibus fere locis, eos inuenias paratos fuiſſe, æquo animo tolerare, quicquid eis improbè fuiſſet ingeſtum: ſed, verbi gratia, dictum putamus: vade cum illo alia duo: an tria compleri voluit, quo numero ſignificatur perfectio: vt meminerit quiſque cum hoc facit, perfectam ſe implere iuſtitiam miſericorditer perferendo infirmitates eorum, quos vult ſanos fieri? Poteſt videri propterea etiam tribus exemplis hæc præcepta inſinuaſſe, quorum primum eſt: Si quis te percuſſerit in dextram maxillam; ſecundum: Si quis tunicam tuam tollere voluerit; tertium: Si quis te mille paſſus angariauerit: in quo tertio exemplo ſimplo duplum additur, vt triplum compleatur. Qui numerus hoc loco, ſi non, vt dictum eſt, ſignificat perfectionem, illud accipiatur, quod in præcipiendo tanquam tolerabilius incipiens paulatim creuerit, donec perueneri vſq; ad duplum aliud perferendum. Nam primo præberi voluit Aug.

 alteram

alteram maxillam, cum fuerit dextera percuſſa, vt minus perferre paratus ſis, quam pertuliſti. Quidquid enim dextera ſignificat, & charius eſt vtique, quam id quod ſiniſtra ſignificat, & qui in re chariore aliquid pertulit, ſi & in viliore perferat minus eſt. Deinde illi, qui tunicam vult tollere, iubet & veſtimentum dimitti: quod autem tantundem eſt, aut non multo amplius, non tamen duplum. Tertio de mille paſſibus, quibus addenda dicit millia duo, vſque ad duplum aliud perferas, iubet: ita ſignificans ſiue aliquanto minus, quam iam fuit; ſiue tantundem; ſiue amplius quiſque improbus in te eſſe voluerit, æquo animo tolerandum eſſe. Et cap. 37: In his ſanè generibus trium exemplorum nullum genus iniuriæ prætermiſſum eſſe video. Namque omnia, in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera diuiduntur, quorum alterum eſt, quod reſtitui non poteſt, alterum, quod poteſt. Sed in illo quod reſtitui non poteſt, vindictæ ſolatium quæri ſolet. Quid enim prodeſt quod percuſſus repercutis? nunquid propterea aliquid, quod in corpore læſum eſt, reſtituetur in integrum? ſed timidus animus talia fomenta deſiderat: ſanum autem firmumque iſta non iuuant, quin potius miſericorditer perferendam alterius infirmitatem iudicat, quam alieno ſupplicio ſuam mitigandam, quæ nulla eſt. Et cap. 39: Aliud iniuriarum genus eſt, quod in integrum reſtitui poteſt. Cuius duæ ſpecies, vna ad pecuniam, altera ad operam pertinet. Quapropter illius, de tunicæ veſtimento; huius, de angaria mille paſſuum, & duum millium exempla ſubiecta ſunt: quia & reddi veſtimentum poteſt, & quem adiuueris opera, poteſt te etiam ipſe, ſi opus fuerit, adiuuare. Niſi fortè ita potius diſtinguendum eſt, vt prius quod poſitum eſt de percuſſa maxilla, omnia ſignificet, quæ ſic ingeruntur ab improbis, vt reſtitui non poſſint, niſi vindicta, ſecundum quod poſitum eſt de veſtimento, omnia ſignificet quæ poſſunt reſtitui ſine vindicta. Et ideo fortaſſe additum eſt: qui voluerit tecum iudicio contendere: quia quod per iudicium aufertur non ea vi putatur auferri, cui vindicta debebatur. Tertium vero ex vtroque confectum ſit, vt ſine vindicta, & cum vindicta poſſit reſtitui. Nam qui operam indebitam violenter exigit, ſine vllo iudicio, ſicut facit, qui angariat hominem improbè, & cogit ſe illicitè, & adiuuari ab inuito, & pœnam improbitatis poteſt luere, & operam reddere, ſi hanc ille repetat, qui improbum pertulit. In his ergo omnibus generibus iniuriarum Dominus docet patientiſſimũ, & miſericordiſſimum, & ad plura perferenda paratiſſimum animum Chriſtiani eſſe oportere.

Dextra maxilla,

Aug.

Iniuria triplex,

Aug.

Not. 5. ver. 6. & 7.

Aug. A V G V S T. lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 40: Quoniam parum eſt non nocere, niſi etiam præſtes beneficium, quantum potes; conſequenter adiungit, & dicit: Omni petenti te, da, & qui voluerit à te mutuari, ne auerſatus fueris: Omni petenti, inquit, non omnia petenti, vt id des, quod dare honeſtè, & iuſtè potes. Quid ſi enim pecuniam petat, qua innocentem conetur opprimere? quid ſi poſtremo ſtuprum petat? ſed ne multa perſequar, quæ ſunt innumerabilia, id profecto dandum eſt, quod nec tibi, nec alteri noceat, quantũ ſciri, aut credi ab homine poteſt; & cui iuſtè negaueris, quod petit, iudicanda eſt ipſa iuſtitia, vt non eum inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quamuis non ſemper id quod petit, dabis; ſed aliquando melius aliquid dabis, cum petentem iniuſtè, correxeris. Quod autem ait: Qui vult à te mutuari, ne auerſatus fueris, ad animum referendum eſt. Hilarem enim datorem diligit Deus. Mutuatur autem omnis, qui accipit, etiamſi non ipſe ſoluturus eſt. Cum enim miſericordibus Deus plura reſtituat, omnis, qui beneficium præſtat, fœneratur: aut ſi non placet accipere mutuantem, niſi eum, qui accipit redditurus, intelligendum eſt Dominum duo ipſa genera præſtandi eſſe complexum, namque aut donamus, quod damus beneuolè; aut reddituro commodamus. Et plerumque homines, qui propoſito diuino præmio donare parati ſunt, ad dandum quod mutuum petitur, pigri fiũt; quaſi nihil recepturi à Deo, cum rem, quæ datur, ille, qui accipit, exoluat. Rectè itaque ad hoc beneficij tribuendi genus, nos diuina hortatur autoritas, dicens: Et qui voluerit à te mutuari, ne auerſatus fueris: id eſt, ne propterea voluntatem alienes ab eo, qui petit; quia & pecunia te vacuat, & Deus tibi non redditurus eſt, cum homo reddiderit: ſed cum id ex præcepto Dei facis, apud illum, qui hæc iubet, infructuoſum eſſe non poteſt. 2 Cor. 9

Baſil. in regulis breuioribus interrog. 101: Cui delatum diſpenſandi munus ſit eorum, quæ dedicata Domino ſunt, nunquid is neceſſe habeat illud ſeruare: Omni petenti te, tribue: & volentem mutuari à te, ne auerſeris. Reſponſ. illud: Omni petenti te, tribue, & volentem mutuari à te, ne auerſeris, locum obtinet veluti tentationis, quemadmodum contextus ſeries eorum, quæ coniuncta ſunt, declarat: & præceptum hoc datum eſt propter improbos: quod quidem nõ vi præcepti; ſed intercedente caſu quopiam ſeruari debet; præceptum enim Domini ex ſua vi ſeruandum illud eſt: Vende, quæ habes, & da pauperibus; & item vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Quod ſi quod alijs attributum eſt, id ad alios transferre tutum non eſt, nec liberum periculi, cum Dominus dicat: Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt, domus Iſrael; Et: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare catulis: nunquis hoc non cenſeat per ſe vt facillimum, ita & iuſtiſſimum? Baſil.

Not. 6. ver. 9.

A M B R. lib. 5. in Lucam: Ne videatur Dominus legem diſſoluere, in beneficijs vicem ſeruat, quam negligit in iniurijs, ſed tamen dicen- Amb.

dicendo: prout vultis vt faciant vobis homines, facite & illis ſimiliter, viciſſitudo ipſa cumulatior eſt, quando votis actus æquatur; neſcit enim virtus menſuram gratiæ, nec contenta referre quod acceperit, vult cumulare quod ſumpſerit ne inferior ſit beneficio, licet æquetur officio. Non enim cumulo tantum, ſed ordine, & tempore beneficia penſantur, cum in beneficio pari prior ſit, qui prior cœpit. Beneficus enim eſt, qui gratiam cœperit, debitor; qui retulerit. Aliud itaque beneficium, eſt beneficij principatus: nam ſi, qui pecuniam reddidit, non ſoluit gratiam, manetque gratiæ debitor, etiamſi non ſit pecuniæ, cur gratiam referendo putemus poſſe vacuari, cuius relatio acceptæ magis eſt teſtimonium, quam ſolutæ? bono itaque exemplo imbuitur Chriſtianus, vt non contentus iure naturæ, gratiam eius requirat. Si enim commune eſt omnibus, etiam peccatoribus, redamare: cui genus profeſſionis excellius, ſtudium quoque debet eſſe virtutis vberius, vt diligat etiam non amantes. Nam etſi nulla merita diligendi vſum amoris excludant, non tamen virtutes excluſerint. Sicut enim in eo, qui te diligit pudet gratiam non referre, & gratiæ amore referendæ, amor tibi eius inoleſcit, quem antea nõ amabas: ita etiam in eo, qui non amat, debes amare virtutem, vt dum virtutem amas, incipias amare eum, quem non amabas, cum rara, & caduca remuneratio ſit amantis, ſempiterna virtutis.

Not. 7. ver. 10.

Aug. Idem tepetit. ſer. 59. & 168. de temp. AVG. lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 41: Nec quod in lege ſcriptum eſt: Oderis inimicum tuum: vox iubentis iuſto, accipienda eſt; ſed permittentis infirmo. Dicitur quidem in veteri teſtamento: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Sed qui ſano intellectu ſcripturæ diuinæ ſenſum agnoſcere cupit ſententiam iſtam hoc modo intelligat, vt diligat omnem hominem proximum ſuum, odio habeat diabolum inimicum ſuum. Quod etiam in vno homine malo impleri poteſt. In ipſo enim vno, qui malus eſt, & proximum habes, & inimicum. Nam quod homo eſt, proximus tuus eſt; quod malus eſt, non ſolum tuus, ſed etiam ſuus inimicus eſt: Dilige ergo in eo carnem, & animam, hoc eſt, proximum tuum, quem Deus fecit; & odio habe malitiam quam ipſo conſentiente diabolus intromiſit. Quod cum ſancto & pio animo feceris, vices cœleſtis medici agis, odio habens morbum, & diligens ægrotum.

Not. 8. ver. 11.

Greg. GREG. 3. parte curæ paſtoralis admonit. 10: Admonendi ſunt patientes, ne in eo quod exterius portant, interius doleant, ne tantæ virtutis ſacrificium, quod integrum foras immolant, intus malitiæ peſte corrumpant, & cum ab hominibus non agnoſcitur, ſed tamen ſub diuina examinatione peccatur, tanto deterior culpa doloris fiat, quanto ſibi ante homines virtutis ſpeciem vendicat. Dicendum itaque eſt patientibus, vt ſtudeant diligere, quos ſibi neceſſe eſt tolerare, ne ſi patientiam dilectio non ſequatur, in deteriorem culpam odij virtus oſtenſa vertatur: vnde Paulus cum diceret: Charitas patiens eſt, illico adiunxit: Benigna eſt, videlicet oſtendens quia quos ex patientia tolerat, amare etiam ex benignitate non ceſſat. Vnde idem doctor egregius, cum patientiam diſcipulis ſuaderet, dicens: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia, auferatur à vobis, cum omni malitia, quaſi cunctis exterius iam bene compoſitis, ad interiora conuertitur, dum ſubiungit: cum omni malitia. Quia nimirum fruſtra indignatio, clamor, & blaſphemia ab exterioribus, tollitur, ſi in interioribus vitiorum mater malitia dominatur, & in caſſum foras nequitia ex ramis inciditur, ſi ſurreptura multiplicius intus in radice ſeruatur. Vnde & per ſemetipſam Veritas quoque dicit: Diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Virtus itaque eſt coram hominibus, aduerſarios tolerare, ſed virtus coram Deo diligere: quia hoc ſolum Deus ſacrificium accepit, quod quidem ante eius oculos in altari boni operis, flamma charitatis incendit. Hinc eſt quod rurſum quibuſdam patientibus, nec tamen diligentibus, dicit: Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Et lib. 4. Dialog. cap. 44: Petrus. Vbi eſt quod ſancti ſint, ſi pro inimicis ſuis, quos tunc ardere vident, non orabunt: quibus vtique dictum eſt: Pro inimicis veſtris orate? Gregorius. Pro inimicis ſuis orãt eo tempore, quo poſſunt ad fructuoſam pœnitentiam eorum corda conuertere, atque ipſa conuerſatione ſaluare. Quid enim aliud pro inimicis orandum eſt, niſi hoc quod Apoſtolus ait: Vt det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipſius voluntatem? Petrus. Placet quod dicis: Et quomodo pro illis tunc orabunt, qui iam nullatenus poſſunt ad iuſtitiæ opera ab iniquitate commutari? Gregorius: Eadem itaque cauſa eſt, cur non oretur tunc pro hominibus igni æterno damnatis, quæ nunc etiam cauſa eſt, vt non oretur pro diabolo, Angeliſque eius æterno ſupplicio deputatis. Quæ nunc etiam cauſa eſt, vt non orent ſancti homines pro hominibus infidelibus, impijſque defunctis: quia pro eis vtique, quos æterno deputatos ſupplicio iam nouerunt, ante illum Iudicis iuſti conſpectum, orationis ſuæ meritum caſſari refugiunt. Quod ſi nunc quoque viuentes iuſti mortuis, & damnatis iniuſtis minimè compatiuntur, quando adhuc aliquid iudicabile de ſua carne ſeſe perpeti etiam ipſi nouerunt, quantò diſtrictiùs tunc iniquorum tormenta reſpiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti, ipſi iam iuſtitiæ vicinius, atque arctiùs inhærebunt? ſic quippe eorum mentes, per hoc quod iuſtiſſimo iudici inhærent, vis diſtrictionis

1 Cor. 13. Epheſ. 4. cap. 12. Greg.

ſtrictionis abſorbet, vt omnino eis non libeat, quicquid ab illius æternæ regulæ ſubtilitate diſcordat. Et hom. 38. in Euang: Charitas vera eſt, cum & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos, quos diligit, qui iam & eos diligere, à quibus non diligitur, ſcit. Probari enim charitas per ſolam odij aduerſitatem ſolet, vnde & per ſemetipſum Dominus dicit: Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos. Ille ergo ſecurus amat, qui propter Deum, illum amat, à quo ſe intelligit non amari. Magna ſunt hæc, alta ſunt hæc, & multis ad exhibendum difficilia, ſed tamen iſta eſt veſtis nuptialis. Quiſquis autem hanc, recumbens in nuptijs non habet, iam ſollicitus metuat, ingrediente rege quando mittatur foras.

Greg.

Greg. Et lib. 5. cap. 2. expoſit. in 1. lib. Reg: Abſit autem à me hoc peccatum in Domino, vt ceſſem orare pro vobis. Ille Samuel iſta loquitur, cui ſuperius de ijs, quibus loquitur, Dominus ait: Nõ te abiecerunt, ſed me; ne regnem ſuper eos. Ecce abijcitur Propheta, & abijcientibus ſe loquitur, dicens: Abſit à me hoc peccatum in Domino, vt ceſſem orare pro vobis. Equidem ſi ſecundum legis præceptum hoc diſcutitur, peccatum non eſſe; ſi pro abijcientibus ſe non oraret. Nam lex Moyſi præcipit, dicens: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Sed & qui Prophetam abijciebant, non amici, ſed inimici extiterant. Quid eſt ergo quod dicit: Abſit à me hoc peccatum; niſi quia vir ſanctus ad charitatis verticem ſublimatus, non ſolum diligebat amicos, ſed ipſos etiam amplectebatur inimicos? Legis quidem veteris mandato inſtructus, ſed nouæ gratiæ fulgoribus illuſtratus, licentiam vetuſtatis Euangelica perfectione reprehendit. Quo nimirum in facto, nos nobiſcum facere rationes cogimur. Hinc enim per Euangelium iubetur: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos. Quãtum ergo nunc inimici diligendi ſunt, cum præcipimur; ſi tunc amari potuere, cum odio haberi iubebantur? Et quia non ſolum orare pro eis, ſed eos erudire conabatur, ſubiungens ait: Et docebo vos viam bonam, & rectam.

Aug. Auguſt. cap. 73. Enchiridij: Illud multo grandius, & magnificentiſſimę bonitatis eſt, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei, qui tibi malum vult, & ſi poteſt, facit, tu bonum ſemper velis, faciaſque cum poſſis. Illius memor exempli, qui in cruce pendens pro ſuis exorat perſecutoribus, ſuoſque admonet, dicens: Diligite inimicos veſtros, benefacite ijs, qui vos oderunt, & orate pro eis, qui vos perſequuntur. Sed quoniam perfectorum ſunt iſta filiorum Dei, quo quidem ſe debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc effectum orando Deum, ſecumque agendo, luctandoque, perducere: tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non eſt, quantam credimus exaudiri cum in oratione Dominica dicitur: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: procul dubio verba ſponſionis huius implentur, ſi homo, qui nondum ita profecit, vt iam diligat inimicum, tamen, quando rogatur ab homine qui peccauit in eum, vt ei dimittat, dimittit ex corde, quia etiam ſibi roganti vult vtique dimitti, cum orat, & dicit: Sicut dimittimus debitoribus noſtris. id eſt, ſic dimitte nobis debita noſtra rogantibus nobis, ſicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus noſtris. Et lib. contra Adimantum cap. 17: De eo quod in Exodo ſcriptum eſt: Si aure audieris vocem meam, & facies quęcunque præcipio tibi, odero odientes te, & contriſtabo contriſtantes te: præcedet te Angelus meus, & adducet te ad Amorræum, & Pherezæum, & Canauæum, & Hiebuſæum, & Gergeſæum, & occidetis illos. His verbis de veteribus libris ita commemoratis tanquam contrarium opponit Adimantus, quod in Euangelio ſcriptũ eſt dicente Domino: Ego autem dico vobis. Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui vobis maledicunt, & benedicite ijs, qui vos oderunt, & orate pro ijs, qui vos perſequuntur. Nos autem neque illud, quod de hoſtibus occidendis in veteribus libris illi populo dictũ eſt, contrarium eſſe dicimus huic præcepto Euangelico, quo nobis, vt inimicos noſtros diligamus, Dominus iubet: quandoquidem illa inimicorum interfectio carnali adhuc populo congruebat, cui lex, tanquam pædagogus data erat, ſicut Apoſtolus dicit: Hi verò, qui tunc in illo populo ſancti & ſpiritales homines erant, pauciſſimi, ſicut Moyſes, ſicut Prophetæ, quo animo facerent illam inimicorum interfectionẽ, & vtrum eos, quos interficiebant, diligerent: multum latet indoctos, & impios, qui diligunt cæcitatem ſuam, qui quoniam non ſunt idonei videre iſta, mole potius autoritatis vrgendi ſunt. Quid enim eſt quod dicit Apoſtolus: Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui quaſi præſens eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum potentia Domini Ieſu, tradere eiuſmodi ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini Ieſu. Quid enim habet iſta interfectio, quam multum iſti exaggerant, & inuidioſè ventilant, niſi interitum carnis? ſed quia expoſuit Apoſtolus, quo animo faceret, ſatis declarauit in aliquem inimicum vindictam cum charitate poſſe procedere. Et tamen hic etiam alio modo fortaſſe interitus carnis, qui fit per pœnitentiam, poteſt intelligi. Ipſi autem legunt ſcripturas apocryphas, quas etiam incorruptiſſimas eſſe dicunt, vbi ſcriptum eſt Apoſtolum Thomam maledixiſſe homini, à quo per imprudentiam palma percuſſus eſt, ignorante quis eſſet, maledictumque illud continuo veniſſe ad effectum, &c.

Aug. Exod. 23.

Gal. 3.

1. Cor. 5.

Vindicta poteſt eſſe cum charitate.

Aug. Et in Pſal. 78: Illud: Et innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris vindicta ſanguinis ſeruorum tuorum, qui effuſus eſt: vel ſic intelligitur, cum credunt in Deum verum, qui perſequebantur eius hæreditatem: quia & ipſa vindicta eſt, qua perimitur ſana iniquitas eorum, gladio verbi Dei, de quo dictum eſt: Accingere

Vindicta [illegible]

Pſal. 44.

gladio

gladio tuo. Vel cum perſeuerantes inimici in fine puniuntur. Nam mala temporalia, quæ in hoc ſæculo patiuntur, communia poſſunt habere cum bonis. Eſt aliud vindictæ genus, quo Eccleſiæ dilatationem, & fœcunditatem in hoc ſeculo poſt tantas perſecutiones, quibus eam omnino perituram putabant, peccator, & incredulus, & inimicus videt, & iraſcetur, dentibus ſuis fiendet, & tabeſcet. Quis enim negare audeat, hanc etiam eſſe grauiſſimam pœnam? ſed neſcio vtrum ſatis eleganter accipiatur, quod ait: Ante oculos noſtros. Si enim hoc pœnę genus intelligamus, quod in intimis cordis agitur, & torquet etiam illos, qui nobis adulanter arrident, nec à nobis videri poteſt, quid in homine interiore patiantur: illud autem quod ſiue eis credentibus iniquitas eorum interimitur, ſiue in malignitate perſeuerãtibus, ſupplicium nouiſſimum redditur, ſiue ſcrupulo quæſtionis intelligitur dictum. Innoteſcat ante oculos noſtros vindicta in nationibus. Et hæc quidem vt diximus, prophetatio eſt, non optatio. Sed propter illud quod ſcriptum eſt in Apocalypſi: Sub ara Dei martyres ad Deum clamare, & dicere: Quouſque, Domine, nõ vindicas ſanguinem noſtrum, non eſt prætereundum quemadmodum accipi oporteat, ne propter exſaturandum odium credantur ſancti deſiderare vindictam, quod ab eorum perfectione longè abeſt, & tamen ſcriptum eſt: Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam impiorum, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Et Apoſtolus Paulus ait: Non voſipſos vindicantes chariſſimi, ſed date locum iræ; ſcriptum eſt enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Nec ipſe itaq; præcepit, vt nolint vindicari, ſed vt non ſeipſi vindicantes, dent locum iræ Dei, qui dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam. Et Dominus in Euangelio viduam proponit in ſimilitudinem, quæ vindicari deſiderans, iudicem interpellabat iniuſtum, qui eam tandem aliquando non iuſtitia ductus, ſed tædio victus audiuit. Hoc autem Dominus propoſuit, vt oſtenderet multo magis Deum iuſtum citò facturum iudicium electorum ſuorum, qui ad eum clamant die, ac nocte. Inde eſt & ille ſub ara Dei martyrum clamor, vt Dei iudicio vindicentur. Vbi eſt ergo illud: Diligite inimicos veſtros, benefacite eis, qui vos oderunt, & orate pro eis, qui vos perſequuntur: vbi eſt & illud non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, & nulli malum pro malo reddentes? ſi enim malum pro malo non eſt cuiquam reddendum, non ſolum factum malum pro facto malo, ſed nec votum malum reddendum eſt pro voto, vel facto malo. Reddit autem malum votum, qui etiamſi non ſeipſum vindicat, tamen vt eius inimicum Deus puniat, expectat, atq; optat. Quapropter cum & homo iuſtus, & homo malus de inimicis ſuis velint à Domino vindicari, vnde diſcernentur, niſi quia iuſtus, & magis cupit inimicum ſuum corrigi, quam puniri, & cum in eum videt à Domino vindicari, non eius delectatur pœna, quia non eum odit, ſed diuina iuſtitia, qua Deum diligit. Denique ſi in hoc ſæculo in eum vindicatur, vel pro illo etiam lætatur, ſi corrigitur, vel certè pro alijs, vt eum timeant imitari ipſe quoque fit melior, non ſupplicio illius odia ſua paſcendo, ſed errata emendando. Ac per hoc de beneuolentia eſt, non de malitia, quod lætatur iuſtus cum videt vindictam, & manus ſuas lauat, id eſt, opera ſua mundiora efficit in ſanguine, hoc eſt, in exitio peccatorum, ſumens inde non mali alieni gaudium, ſed diuinæ admonitionis exemplum. Si autem in futuro ſæculo vltimo Dei iudicio vindicatur, hoc ei placet quod Deo, ne bene ſit malis, nę piorum pręmijs etiam impij perfruantur. Quod vtique iniuſtum eſt, & à regula veritatis, quam diligit iuſtus, alienum. Cum enim nos ad diligendos inimicos Dominus hortaretur, exemplum propoſuit Patris noſtri, qui in cælis eſt, qui facit ſolem oriri ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Nunquid tamen ideo vel temporalibus correptionibus non emendat, vel pertinaciter duros in fine nõ damnat? ſic ergo inimicus diligatur, vt non diſpliceat Domini iuſtitia, qua punitur, & ſic placeat iuſtitia, qua punitur, vt non de malo eius, ſed de bono iudice gaudeatur. Maleuolus enim animus contriſtatur, ſi eius inimicus correctus euaſerit pœnam, & cum puniri eum videt, vindicari ita ſe gaudet, vt non iuſtitia Dei, quem non diligit, ſed illius, quem odit, miſeria delectetur: & cum Deo dimittit iudicium, vt plus noceat Deus, quam ipſe nocere poſſit, exoptat. Et cum dat cibum eſurienti inimico, potumque ſitienti, malitioſè ſapit, quod ſcriptum eſt: Hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius. Agit enim vt amplius aggrauet, & ei excitet indignationem Dei, quam carbonibus ignis ſignificari putat, non intelligens illum ignem eſſe pœnitentiæ, vrentem dolore, quouſque caput erectum ſuperbia, beneficijs inimici ad humilitatem ſalubrem deponatur, & in bono illius, huius malum vincatur. Vnde Apoſtolus vigilanter adiunxit: Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Quomodo autem poteſt vincere in bono malum, in ſuperficie bonus, & in abdito malus, qui opere parcit, & corde ſæuit, manu mitis, voluntate crudelis? ſic ergo ſpecie poſcentis in hoc pſalmo futura in impios vindicta prophetatur, vt intelligamus ſanctos homines Dei, ſuos inimicos dilexiſſe, nec cuiquam voluiſſe niſi bonum, quod eſt pietas in hoc ſæculo, æternitas in futuro. In pœnis autem malorum, non malis eorum, ſed Dei bonis iudicijs fuiſſe delectatos, & vbicumque in ſcripturis ſanctis leguntur in homines odia eorum odia fuiſſe vitiorum, quæ ipſe etiam vnuſquiſque hominum odire debet in ſe ſi diligit ſe.

Et lib. de conflictu vitiorum, & virtutum cap. 7: Odium dicit: Abſit vt illum ames, quem in omnibus contrarium habes, qui tibi derogat, qui tibi inſultat, qui te iniurijs exaſperat, qui tibi peccata tua improperat, qui te dictis, operibus, honoribus ſemper præire feſtinat, niſi enim tibi inuideret; nequaquam ſe tibi ita præferret.

Margin notes: Pſal. 111. — Apoc. 6 V[illegible] vin[illegible] petant, — Pſal 57. — Rom, 12. — Deut, 32. — Apoc. 6 — 1. Pet. 3, — Rom. 12. — Aug.

Vera charitas reſpond: nunquid quia hæc quæ narras odio habenda ſunt in homine, propterea non eſt amanda Dei imago in homine? ſicut Chriſtus, qui in cruce poſitus inimicos ſuos dilexit, & ante crucis tormenta admonuit, dicēs: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui vos oderunt, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœ-
Rom. 12. lis eſt. Et ſicut per Apoſtolum, & Salomonem
Prou. 25. dicitur: Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, pota illum: Hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius, cui ſententiæ idem Apoſtolus ex proprio ſubiunxit, dicens: Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Quo contra de his, qui fratres odiſſe noſcuntur, per Ioannem dicitur: Qui odit fratrē ſuum,
1. Ioa. 3. homicida eſt. Et ſcitis quia omnis homicida nō habet vitam in ſemetipſo æternam manentem;
1 Ioa 2. & rurſum: Qui odit fratrem ſuum, in tenebris ambulat, & in tenebris eſt vſque adhuc, & neſcit quo eat, quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos ſuos. Et inquis: Sufficit mihi quod amantes me diligo. Sed Dominus contra: Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Quid tu quoque ad hoc obijcere vales? Certè qui odit fratrem ſuum, manet in morte: & qui diligit in Deo manet, & Deus in eo. Omnem ergo amaritudinem fellis euome, & quoquo
1. Ioan. 4 pacto volueris charitatis dulcedinem ſume. Nihil enim ſuauiùs, nihil illa beatiùs. Ioannes Euangeliſta hoc affirmans, ait: Deus charitas eſt.
Rom, 5. Et egregius prædicator Paulus: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, vnde nec immeritò delictorum facinora tegere dicitur, ſicut ſcri-
Prou. 10. ptum eſt: Vniuerſa delicta operit charitas.
Aug. Et homil. 6: Frequenter in Euangelio audiuimus Dominum dicentem: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui vos odernnt. Quare autem Dominus dixit: Diligite inimicos veſtros, niſi quia paſſuri eramus inimicos? ſed dicit aliquis: Quis poteſt diligere inimicos? Prius tè dilexit impium Deus tuus, qui nunquam fuit impius. Tu autem etiamſi non es impius, fuiſti tamen aliquando, quia nemo fit iuſtus, niſi ex peccatore: ſicut frequenter cantauimus: Beati
Pſal. 31. quorum remiſſę ſunt iniquitates; non dixit: Beati qui non fecerunt peccata; ſed beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Si enim quæris, qui non fecerit, non inuenies. Vnde ergo quiſquam erit beatus, niſi remittatur quod fecit, niſi tegatur, quod commiſit? ſi ergo iam tibi peccatum dimiſſum eſt, ille te inſequitur, qui nondum eſt iuſtus, & tu antequam iuſtificareris, alios perſequebaris, perieras, & inuentus es, & ille, qui tibi aduerſatur inuenietur, & non perſequetur. Noli cogitare quod tuis meritis talis factus ſis, quia gratia Dei te talem fecit. Et bene conſiderans videbis potentem eſſe Deum, qui talem faciat eum, quem iuſtè videris odiſſe. Dicis enim tu tibi quaſi iuſtus: magna eſt patientia Dei, quæ illum talem viuere ſinit. Atque vtinam hoc ſolum dicas, ſed timeo quod inſuper reprehendas, dicens: Quid placuit Deo talibus parcere? quare tanta mala faciunt homines, & viuunt? ſic dicat alius: O Deus, quare viuit iſte, qui tanta dicit, & tuam iuſtitiam reprehendit? non enim attendit quid ipſe dicat, ſed attendit quid alius faciat. Qui tibi diſplicet, fortaſſis non reprehendit, nec effundit iſtas contumelias in Deum, quomodo tu facis. Ecce putas quia Deus (quomodo tu vis) nulli malo velit parcere, quid de te facturus eſt, qui ſine peccato eſſe non potes? Non attendis vbi te inueniat. Rogo ergo vt non ſolum alijs, ſed etiam & tibi parcat. Hoc itaque, fratres, habent quaſi proprium omnes iniqui: nolunt vt parcat Deus iniquis, & non vident quid ipſi ſint, etiam ex hoc ipſo quod ita volunt. Sed ego iuſtus ſum, inquis. Si tibi non parceret Deus, cum eſſes iniquus, quomodo ad iuſtitiam perueniſſes? An forte volebas vt Deus vſque ad te patiens eſſet, quo vſque tu peruenires ad iuſtitiam? quia Deus extendit pontem miſericordiæ ſuæ, vt tu tranſire poſſes, hoc vis, vt iam ſubducat, ne alius tranſeat. Diligamus ergo inimicos noſtros, fratres chariſſimi, forte qui hodie eſt amicus tuus, talia peccata facturus eſt, vt in vita æterna tecum eſſe non poſſit. Non enim ſcis quid pariat craſtinus dies, & è Prou. 27
contra, qui inimicus erat, forte ſic ad pœnitentiam conuertetur, vt in illa cœleſti Hieruſalem, conciuis tuus eſſe mereatur, & fortè etiam maior efficiatur. Non vobis hoc difficile videatur. Interrogemus ſcripturas, & in illis hoc euidentiùs agnoſcere poterimus. Paulus Apoſtolus prius ſceleratus erat, inimicus Chriſtianorum, rapiebat, vaſtabat, ſæuiebat, &c. Videris fieri poſſe, vt inimicus, qui erat hodie, ſit non ſolum amicus, & frater in gratia, ſed etiam præcedat, & melior fiat. Ergo, fratres mei, Chriſtiani illi omnes, quos perſequebatur Paulus, putatis quia non rogabant? vtique ſi nouerant Chriſtum, ſi Chriſtiani erant, ſi nouerant ipſum Dominum Ieſum pro impijs mortuum. Non enim mortuus eſt pro fidelibus, ſed mortuus eſt, vt faceret fideles. Rogo vos fratres, diligenter attendite, Dominus, & Saluator noſter qui mortem ſuam præſtitit infidelibus, quale ſit illud quod ſeruat fidelibus: & hoc conſiderate, quia, quos perſequebatur Paulus Apoſtolus bene nouerant miſericordiam Domini, & ſciebant quod Saulus ille perſequutor poterat fieri prædicator, & ideo orauerunt pro illo, & exauditi ſunt. Ille perſequebatur, ſed illi vicerunt. Illi eum magis occiderunt, & interfecerunt rogando pro eo. Quomodo? ecce vna voce proſtratus eſt perſecutor. Reſurrexit enim iam non perſequutor, ſed prædicator. Qui enim perſequebatur, mortuus eſt. Quære perſecutorem, & non inuenies iam, quia ſurrexit, ergo illi potius occiderunt eum orando, quam ille perſequendo. Et vos ergo, fratres, ſic orate pro inimicis veſtris, vt occidat eos Deus, i. vt eorum malitiam, quæ vobis inimicatur, occidat. Sic enim non occidit quod creauit, ſed quod ipſi ſibi fecerunt. Homo enim, & peccator, duo nomina ſunt. In ipſis duobus nominibus quære quid

fecit

fecit Deus, quære quid ſuaſerit diabolus. Homo à Deo factus eſt; peccatum, ſuadente diabolo, ab homine factum eſt. Quis horum duorum te perſequitur? ſi enim tu bene viuis, non te perſequitur, niſi qui malus eſt. Non ergo homo, ſed peccator te inſequitur. Roga pro homine, vt extinguat Deus peccatorē. Cum enim mortuus fuerit peccator, nihil tibi aduerſabitur, imo conſolabitur viuens, qui te in peccatis mortuus perſequebatur. Non vobis ergo graue ſit per ipſius Domini miſericordiā vos obteſtor, quia ſpes nobis alia non eſt, niſi dimiſerimus quic-
Aug. quid nos læſerint homines. Et ſerm. 170. de tempore: Intendite ad charitatem, quam ſic laudat ſcriptura diuina, vt nihil ei coæquet. Cum nos moueat Deus, vt nos inuicem diligamus. Nunquid hoc tantum monet, vt diligas diligentem te? Hæc eſt mutua dilectio: hoc non ſufficit Deo: peruenire enim voluit vſque ad inimicos diligendos, dicens: Diligite inimicos veſtros, &c. Reſpondebis forte: per infirmitatem non poſſum. Sed profice, & age, vt poſſis, maximè quia oraturus es Iudicem, quem fallere nemo poteſt, qui acturus eſt cauſam tuam.
Aug. Interpella ergo hunc Iudicem. Et ſer. 168. de temp. Multa habet exempla ex nouo, & veteri teſtamento, de inimicorum dilectione, de hoc etiam loco vide ſerm. 59. de temp. Et lib.
Aug. 1. de ſerm. Dom. in monte cap. 41. 42. 43. 44. 45.

Amb. Amb. ſerm. 12 in Pſal. 118: O homo quam latus es, ſi ad amplitudinem præceptorum cæleſtium ſinum mentis tuæ expandas? quam latum mandatum eſt charitatis? Diligite, inquit, inimicos veſtros. Omnes vtique affectu charitatis incluſit, qui non excluſit inimicos. Quis enim videtur exceptus, cum recipiatur inimi-
Rom. 12. cus? vnde Apoſtolus ait: Si fieri, inquit, poteſt, cum omnibus hominibus pacem habētes. Non poteſt hoc Iudæis dici, non Gentibus, vt cum omnibus pacem habeant. Illi vix ſuos diligunt. Chriſtiano, etiam inimicos non licet, non a-
Coloſſ 2. mare. Chriſtianum cum dico, perfectum dico. In Chriſto enim plenitudo diuinitatis eſt, cuius nomen vſurpas. Qui vocabulum geris, interpretationem vocabuli perfectionemque cum refugis? Audi latum mandatum: Benedicite eos, qui perſequuntur vos, & nolite maledicere. Iſte qui latum dicit eſſe mandatum, probauit ſupra dicens: Illi detrahebant; ego autem
Pſal. 108. orabam. Quid orabas Dauid? dicito nobis ipſe. Sed dixiſti legi enim dicentem: Maledicent il-
Amb. li, & tu benedices. Et lib. 5. in Lucam: Ordinatur charitas, cum dicitur: Diligite inimicos veſtros; vt compleatur illud Eccleſiæ, quod ante iam dictum eſt: Ordinate in me charitatem.
Cant. 2. Ordinatur enim charitas, cum charitatis præcepta ſeruantur. Vide quam ab altioribus cæperit, & legem poſt benedictionis Euangelicæ terga teiecerit. Lex viciſſitudinem imperat vltionis; Euangelium inimicis charitatem, benignitatem odijs, vota maledictis, ſubſidia perſequentibus, patientiam eſurientibus, & gratiam remunerationis impartitur. Quanto athleta perfectior, qui non ſentit iniuriam.

Hier. Hieron. Matt. 5: Multi præcepta Dei imbecillitate ſua, non ſanctorum viribus æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia, qua præcepta ſunt, & dicunt ſufficere virtutibus, non odiſſe inimicos: cæterum diligere plus præcipi, quam humana natura patiatur. Sciendum eſt ergo Chriſtum, non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta: quæ fecit Dauid in Saul, & in Abſalon. Stephanus quoque martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus eſt: & Paulus anathema cupit eſſe pro perſecutoribus ſuis. Hæc autem Ieſus, & docuit, & fecit, dicens: Pater, ignoſce illis, quid enim faciunt, neſciunt.

Baſ. Baſil. in regul. breuioribus interrogat. 176: Qui ſunt illi inimici, quos iuſſi ſumus diligere? & quomodo diligemus inimicos, benignè ne factis tantis, an verò adiuncta etiam animi in eos affectione? & nunquid hoc fieri poſſit? Reſp. Inimici proprium eſt nocere, & inſidiari. Quicunque itaque quocunq; modo alicui no- Quis ſit inimicus.
cet, ipſius ritè inimicus appellari poteſt: præcipuè autem, qui peccatum cōmittit. Nam quantum in ipſo eſt, varijs modis nocet, & inſidiatur ei, quo cum viuit, aut conſuetudinem habet. Quoniam autem homo conſtat ex animo & corpore: quod quidem ad animum attinet, eos qui huiuſmodi ſunt, diligemus, caſtigando, admonendo, & omnibus modis ad ſanitatem reuocando: quod verò ad corpus pertinet, beneficijs ipſos ſubleuando, cum aliqua re egeant, earum, quæ ſunt ad vitam neceſſariæ. Quod autem charitas in animi affectione conſiſtat, hoc verò nemini dubium eſt. Quod autem fieri poſſit, Dominus oſtendit, ac docuit, quippe, qui charitatem, & Patris, & ſuam ipſius, ſeruanda vſque ad mortem obedientia declarauerit, idque pro inimicis, non pro amicis, quemadmodum teſtatur Apoſtolus, cum ait: Commendat Rom. 5.
autem charitatem ſuam Deus in nos: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Et nos quoque ad hoc idem faciendum hortatur, cum dicit: Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & Epheſ 5.
hoſtiam Deo. Sine dubio autem non præcepiſſet hoc, qui bonus, ac iuſtus eſt, niſi etiam facultatem, qua id faceremus fuiſſet largitus. Quam quidem etiam in natura ipſa expreſsè inſitam videri voluit. Bene enim de ſe meritos etiam beſtiæ naturaliter diligunt. Verum quid eſt tandem, quod ab amico magnum adeo beneficium poſſit proficiſci, quantum eſt illud, quod ab inimicis nobis datur? quorum operâ fit, vt beatitudinem illam aſſequamur, de qua loquens Dominus, ait: Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum aduerſum vos mentientes, propter me. Gaudete, & exultate: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.

Chryſoſt. Chryſoſt. in Geneſim homil. 4: Iubemur, & inimicos diligere, & eos demereri, & quid dico demereri?

demereri? Imo etiam pro ipſis Dominum precari, & orare vt ſalutis illorum curã gerat? Hoc enim nobis potiſſimum in die illo terribili patrocinabitur, & redemptio maxima erit peccatorum noſtrorum, ſi ſic affecti fuerimus aduerſus inimicos noſtros. Licet enim magnum ſit, & arduum præceptum, ſi tamen præmium cogites repoſitum ſtrenuè id exequentibus, nihil omnino videbitur, etiamſi valde arduum ſit. Et quod eſt hoc? ſi hoc feceritis, ait: Similes eritis Patri veſtro, qui in cœlis eſt. Et vt manifeſtius hunc ſermonem nobis declaret, ſubdidit quod ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Imitare igitur, dicit, pro viribus humanis Deum. Nam ſicut ille non ſolum iuſtis, ſed & his, qui mala operantur, ſolem oriri facit, & pluuiam, & imbres annuos non bonis ſolum ſuppeditat, ſed & malis, ſicut & tu, ſi non ſolum diligentes diligis, ſed & inimicos, pro virili Dominum tuum imitaris. Vidiſti quomodo in ſupremum culmen eduxit eum, qui hanc operari valet virtutem? ſed ne difficultatem rei ſolum cogites, ſed prius ſupputa tecum, quantum honorem habiturus ſis. Et hæc honoris occaſio, leue faciet, quicquid graue eſt, & oneroſum. An non pro beneficio habendum, quod occaſio tibi præbetur, dum inimico benefacis, vt aperiantur tibi ianuæ fiduciæ veniendi ad Deum, & redimendi peccata tua? An fortè de inimico vlciſci, & eum, qui malis te afficit, paribus, vel maioribus plecti vis? & quid inde commodi: neque tu aliquid inde vtilitatis habiturus es, ſed propter hoc iudicaberis apud horrendum illud tribunal, ceu, qui leges tanti Iudicis obliteraueris, & infregeris. Dico oro, ſi Rex aliquis terrenus legem tibi poſuiſſet, vt vel inimicorum tuorum curam geras, vel morte puniaris: an non metu mortis corporalis omnes accurrerent ad implendam legem? Quanta igitur accuſatione dignus fuerit is, qui ob corporalem mortem, quam alioquin naturæ neceſſitas afferet, omnia facere paratus; propoſita autem pœna mortis, quæ nullam inuenerit cõſolationem, minus curat legem ab vniuerſorum Domino latam? Sed mei oblitus ſum, dum hæc loquor his, qui nec benefacientibus, parem gratiam rependunt. Quis igitur poſthac è ſupplicio illo nos eripiet, quando non ſolum ab hoc mandato longè diſtamus, ſed neque ea faciamus, quæ Publicani: ſi enim diligitis diligentes vos, ait, quid magni facitis? nonne & Publicani hoc idem faciunt? Cum igitur neque hoc à nobis fit, quæ ſalutis noſtræ ſpes? Ideo oro ne ſimus immiſericordes, ſed noſtras cogitationes domemus, & primum quidem diſcamus vincere proximum charitate: & iuxta B. Apoſtolum: Per animi humilitatem alium quiſque ſe præſtantiorem arbitrantes, non ſuſtineamus, vt vincamur, ſed vincamus, & ſuperemus, & maiorem, & feruentiorem erga diligentes affectionem demonſtremus. Hoc enim maximè omnium vitam noſtram continet, & conſeruat. Et in hoc bruta, & feras antecellimus, quod poſſumus, ſi volumus, congruum in nobis conſeruare ordinem, & magnam in proximos concordiam declarare. Et hom. 59. in Gen: Imitemur iuſtum illum Iacob, & eandem declaremus humilitatem animi: & ſi qui ſunt, qui malè nobis afficiuntur, non magis eorum accendamus iram, ſed magna manſuetudine, & humilitate, tam verborum, quam operum reprimamus eorum inimicitias, & afflictas eorum curemus animas. Vide enim ſapientiam huius iuſti, quomodo magna verborum efficacia ita Eſau demulſit, vt & ad ſe colendum feſtinaret, faceretque omnia, quæ ad ſui pertinebant honorem. Hoc verè ſummæ virtutis eſt, vt non ſolum eos, qui bene nobis afficiuntur, magno ſtudio diligamus, & eis omnibus modis ſeruiamus: ſed vt etiam eos, qui nobis infeſti eſſe volunt, aſſiduitate officiorum nobis conciliemus amicos. Nihil enim manſuetudine violentius. Nam ſicut rogum, cum valde accenditur, aqua iniecta reſtinguit: ita & animum camino magis exardeſcentem, verbum cum manſuetudine prolatum extinguit: & duplex inde nobis lucrum accreſcit, tum quod nos manſuetudinem declaramus, tum quod fratris indignationem ceſſare facimus, & mentem eius à turbatione liberamus. Quid enim, dic mihi: num reprehendis fratrem tuum, & accuſas indignationem, & quod hoſtiliter ſe gerit erga te? Cur igitur non diuerſa via ſtudes incendere, ſed ipſe magis iraſci vis? Non poteſt ignis igni extingui. Repugnat enim hoc naturæ. Sic neque furor furore alio demulceri poterit vnquam. Verum quod igni eſt aqua; hoc eſt, iræ manſuetudo, & mitiras. Propterea & Chriſtus dicebat diſcipulis: Si diligentes vos diligitis, quam mercedem habetis? Deinde magis ad hoc inhortari, & reprehendere negligentes volens, dicit: Nonne & Publicani idem faciunt? quemcumque enim negligentem ſumpſeris nonne hoc faciat? nonne & Publicani magno ſtudio hęc faciunt? Quid autem Publicano deterius? Attamen inuenies hoc eum omnibus modis obſeruare. Et non eſt poſſibile, vt non redamet, qui amatur. Ego autem quia & excelſiores vos eſſe volo, & aliquid amplius habere, non hoc admoneo, ſed vt inimicos diligatis. Id quod beatus ille ante legem, ante doctrinam aliorum, ſponte ſua fecit: & propter excellentem manſuetudinem prius ſuperauit Laban, nunc autem & fratrem.

Hoc mandatum vt obliget.

Phil. 2.

Chryſoſt.

Not. 9. ver. 12.

Leo ſerm. 8. in Epiph. Dom. cap. 3: Qui experiri cupit, an in ipſo Deus habitet, de quo dicitur: Mirabilis Deus in Sanctis ſuis: ſincero examine cordis ſui interiora diſcutiat, & ſagaciter quærat, qua humilitate reſiſtat ſuperbiæ, qua beneuolentia obluctetur inuidiæ, quam non capiatur adulantium linguis, quamque bonis delectetur alienis: an pro malo non cupiat malum reddere, malitque inultas obliuiſci iniurias, quam imaginem, & ſimilitudinem ſui conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem ſui, generalibus incitans donis, pluit ſuper iuſtos,

Leo.

Pſal. 67.

Experimẽta inhabitationis diuinæ.

Charitas omnium virtutum mater. iuſtos, & iniuſtos; & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Ac ne in multis laboret ſollicitæ diſcretionis inſpectio, ipſam matrem omnium virtutum charitatem, in ſecretis ſuæ mentis inquirat: & ſi in ea dilectionem Dei, & proximi toto corde intentè repererit, ita vt etiam inimicis ſuis eadem velit tribui, quæ ſibi optat impendi, quiſquis huiuſmodi eſt, Deum & rectorem, & habitatorem ſui eſſe non dubitet. Quem tanto magnificentius recipit, quanto magis non in ſe, ſed in Domino gloriatur.

1 Cor. 1. Quoniam quibus dicitur: Regnum Dei intra vos eſt: nihil non illius agunt ſpiritu, cuius reguntur imperio.

Cypr. Cypr. lib. de zelo, & liuore cap. 5: Si hominibus lætum eſt, & glorioſum filios habere conſimiles, & tunc magis generaſſe delectat, ſi ad Patrem lineamentis paribus ſoboles ſubſiciua reſpondeat: quanto maior in Deo Patre lætitia eſt, cum quis ſic ſpiritaliter naſcitur, vt in actibus eius, & laudibus diuina generoſitas prædicetur? quæ iuſtitiæ palma eſt, quæ corona; eſſe

Eſa. 1. te talem, de quo Deus non dicat: Filios genui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me: ſed collaudet te potius Chriſtus, & inuitet ad præmiũ

Matt. 25. dicens: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.

Hier. Hieron. Matt. 5: Si Dei præcepta cuſtodiens, filius quis efficitur: Dei ergo non eſt natura filius, ſed arbitrio ſuo.

Amb. Ambroſ. lib. 5. in Lucam: Quoniam ſtudia ipſa virtutum, ſine remuneratione torpeſcunt, & exemplum nobis attulit, & mercedem ſpopondit, è cœlo, filios Dei futuros pollicens, qui fuerint imitatores eius. Qui enim feſtinat ad præmium, faſtidire non debet exemplum: quia quanto præcellentius præmium, tanto impenſius officium. Quanta autem miſericordiæ merces, quæ in ius diuinæ adoptionis aſciſcitur? ſequere igitur miſericordiam, vt merearis gratiam. Latè patet benignitas Dei. Super ingratos pluit, malis fœcunda non negat terra prouentus. Idem mundi ſol, ſacrilegos, religioſoſque pariter illuminat. Aut vt myſticè iſta pendamus, propheticis populum Iudæorum Dominus pluuijs irrigauit, & ſolis æterni refulſit radijs, etiam non mærentibus. Sed quoniam illi mundano rore maduerunt, Eccleſia Dei ad cœleſte lumen adſciſcitur: ita tamen vt illis quoque miſericordiæ, ſi credant, prærogatiua ſeruetur.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 19. in epiſt. ad Hebræos: Diligite, inquit, inimicos veſtros. Diligite igitur inimicum, non enim illi præſtas, ſed tibi. Quo modo? ſimilis efficieris Deo: ille igitur ſi ametur à te, nihil lucratur, à conſeruo quippe dilectus eſt: tu autem ſi dilexeris conſeruum, magnum lucrum facies, & efficieris ſimilis Deo. Vides quia nihil gratiæ illi præſtas, ſed tibi: ipſum meritum enim non illi, ſed tibi comparas. Quid ergo, inquis, ſi ſit malignus? tanto maior erit & merces, & pro malignitate ſua debes illi gratiam, non ſecus, quam ſi impendiſſet tibi multa millia beneficiorum. Si enim non eſſet valde malus, neque tibi merces valde creſceret. Proinde quod pro cauſa non amandi dicis, quia malignus eſt, hoc ipſum eſt cauſa amandi. Aufer ergo contrarium certatorem, & auferes occaſiones coronarum. Non intueris athletas, quomodo ſacculos arena replentes, ita exercitantur? tu autem opus non habes ſtudium his impendere: plena eſt vita humana exercitantibus te, & facientibus fortiorem: Non vides quia & arbores, quanto magis ventis commouẽtur, tanto amplius fortiores efficiuntur, & denſæ? Et nos igitur ſi fuerimus longanimes, fortiores erimus. Vir longanimis, inquit, multus eſt in ſapientia: qui autem eſt puſillanimis, fortiter eſt ſtultus. Intueris quanta illius viri laus eſt, & quanta huius accuſatio? Fortiter, inquit, ſtultus, hoc eſt valde ſtultus. Proinde non ſimus puſillanimes ad inuicem. Non enim hoc ex inimicitijs contingit, ſed ex puſillanimitate animæ: ſi verò fuerit fortis, omnia facilè tolerabit, & nihil eam poterit demergere, ſed ad tranquillos eam portus adducet. Vide Aug. lib. 1. de ſerm. Dom. in monte cap. 46. & ſerm. 59. de temp. & lib. de ſaluta. docu. cap. 47. Aug.

Not. 10. ver. 13. & ſequ.

Chryſoſt. CHRYSOST. hom. 24. in Gen: Cum Dominus præcipiat non ſolum fortiter ferre, ſi qua iniuria fuerimus affecti, ſed & beneficia in inimicos largiter collocare; ait enim: Et qui tecum iudicio contendere, & pallium tollere vult, dimitte & tunicam. Nos autem ſæpe & proximo iniuriam facere nitimur, & quamuis nobis imperatum ſit, non ſolum diligentes diligere (nam hoc, inquit, & Publicani faciunt) ſed & bene, & amice affectos eſſe in eos, qui nos hoſtiliter infeſtant: nos tamen ne amicis quidem parem charitatem exhibemus. Eapropter doleo, & lugeo, quia video in nobis tantam virtutis raritatem; malitiam autem quotidie inualeſcere. Neque moratur gehennæ timor noſtrum in mala curſum, neque regni deſiderium adhortari ſufficit, vt in via virtutis ambulemus. Sed omnes, vt ita dicam, quaſi oues erramus, & neque cogitamus terribilem illam horam, vel leges à Domino nobis datas. De his vide Aug. lib. de conflictu vitiorum, & virtutum cap. 7. & ſerm. 59. de tempore. Aug.

Not. 11. ver. 18.

Aug. AVG. lib. 1. de ſerm. Dom. in monte cap. 41: Perfectio miſericordiæ, qua plurimum animæ laboranti conſulitur, vltra dilectionem inimici porrigi non poteſt: & ideo ſic clauditur. Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter, qui in cœlis eſt, perfectus eſt. Ita tamen vt Deus intelligatur perfectus tanquam Deus, & anima perfecta, tanquam anima. Idem habetur ſer. 59. de temp. Aug.

Cypr. Cypr. lib. de bono patientiæ cap. 2: Sic perfectos dixit fieri Dei filios, ſic conſummari oſtendit, & docuit cœleſti natiuitate reparatos, ſi patientia

tientia Dei patris maneat in nobis, ſi ſimilitudo diuina, quam peccato Adam perdiderat, manifeſtetur, & luceat in actibus noſtris. Quæ gloria eſt ſimilem Deo fieri, qualis & quanta fœlicitas, habere in virtutibus quod diuinis laudibus poſſit æquari?

Cæſar. Cæſar. Greg. Nazianzeni frater dialog. 3: Eſtote perfecti, quemadmodum Pater veſter cœleſtis perfectus eſt: quibus verbis non cum omnino incomparabili, & rationem intellectumque ſuperante diuina natura, noſmet vt extẽdamus, iubet: (id enim fieri nequit) ſed vt illius imitemur benignitatem, & facilitatẽ, omnimodamq; bonitatem, & omnem erga proximum intimæ miſerationis affectum oſtendamus, etiamſi ſit inimicus, & inſidiator. Omnia enim omnibus ſuppeditat Deus, & affatim quaſi de fonte quodam manare facit. Præueniamus donis, vtilium rerum petitiones à nemine ſecundum dignitatẽ honorati. Capeſſamus igitur pro viribus virtutem, leuibus, & crebris ad ipſam ſaltibus aſſilientes, etiamſi ad ſummum pertingere nequaquam poſſimus; nam in ijs, quæ præ cæteris pulchra ſunt, ipſum totum licet conſequi nequeãt, vel partem aſſequi, lucrum haud vulgare eſt. Etenim ſi maximè fontem, aut vas aquarium ebibere non poſſumus, num propterea non debemus conceſſa fruitione mederi ardori ſitis? Aut quia vt vniuerſum aërem attrahamus fieri non poteſt, ideo neque reſpirare debemus? Aut quia totam diſſerendi artẽ non ſcimus, ne prorſus quidem fari debemus? Omne igitur ſtudium adhibendum ne excidamus ea perfectione, quæ contingere poteſt. Quin ipſam tanto magis amplecti debemus, quanto viribus noſtris ſuperior eſt. Laudabilis enim eius eſt copioſior poſſeſſio. Ideo mihi videtur perfectio virtutis, ſi quis ſemper feſtinet, vt in bono plus habeat, & iuſtitia iniuſtitiam deprimat. Ineffabiliter enim per iudicium diuinum ad trutinam appenſis, ponderatiſque momento temporis ijs, quæ ab vno quolibet in hac vita facta ſunt, pro vt vel virtus, vel vitioſitas ſuperauerit, remunerationem reportantes ad noſtri ſimiles aggregabimur, vna cum alijs, aut honorandi præmio, aut afficiendi ſupplicio.

Nyſſ. Nyſſen. de vita Moyſis: Qui non ſimulatè, ſed verè virtutem ſequitur, Deo, qui vera virtus eſt, participatione coniungitur. Deus autem terminum non habet. Quare neceſſe eſt participantis quoque deſiderium cum ad interminatum, infinitumque ſeipſum extendat, nullum habeat exitum, quò ceſſare poſſit. Quas ob res, ſi nullis vitæ perfectio terminis continetur, ſi virtutis id ipſum terminus eſt, quod interminata ſit, impoſſibile omnino eſt, ita perfectionem hanc, aut re conſequi, aut verbis aſſequi, vt ad altiora nullus aſcenſus relinquatur. Quomodo igitur quæris, ad quem finem quiſpiam perueniturus ſit, cũ finis nullus inueniatur? Non tamen quoniam, quod quæritur, exitum non habet, idcirco præceptum illud Domini negligendum, quo dicitur: Perfecti ſitis, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Nam etſi totum cõſequi nequeas, tamen in rebus omnibus, quę natura bona ſunt; non paruum eſt lucrum (niſi deſipias) vel partẽ eatum aliquam cõſequi. Omne igitur ſtudium, omnem curam, diligentiã denique omnem adhibeamus, ne ab ea perfectione decidamus, ad quã peruenire poſſibile ſit: tantumq; ipſius poſſideamus, quantum capere poſſumus. Ita enim ſe habere, vt ad vlteriora ſemper in virtute, ac bono velis aſcendere, id ipſum forſan humanæ naturæ perfectio eſt.

Chryſoſ. Chryſoſt. ſer. 1. virtutibus progenitorum ne confidamus: quid ſit filios Dei fieri, audi quid Chriſtus dixerit: Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter, qui in cęlis eſt. Idcirco inter precandum, Patrem hunc appellamus, vt non ſolum eius in nos gratiã, quin & virtutes memoria repetamus, ne fortè ea quidpiã neceſſitudine indignũ geſſerimus. Dicet aliquis quonam pacto effici filij Dei poſſumus? Is profectò effici poteſt, qui omni ſit vitio vacuus, quique in laceſſẽtes ſe iniuria, manſuetudinẽ pręſtet. Sic enim & pater tuus erga eos ſe geſſit, qui ſe maledictis inceſſerant: Vnde cum nos multa, & plurimis locis cõmonefaciat, nuſquam id infert: Eſtote patris veſtri ſimiles, niſi cum diceret: Orate pro perſequentibus vos, benefacite vos odientibus. Illud etiam tanquam palmam adiecit. Nihil enim nos Deo tam proximos facit, quã bene de inimicis mereri: eò & Paulus, cum Dei nos imitatores fieri oportere aſſerit, in eandem concedit ſententiam. Quippe cum neceſſariæ virtutes ſint, & ea præcipuè, quę cunctarum eſt maxima, pietas, & manſuetudo: cumq; & nobis plurima, opus clemẽtia, ſit quotidie delinquentibus, eãdem in cæteros præſtemus neceſſe erit, cuius clementiæ, vel exiguitas, vel magnitudo non donorum quãtitate, ſed exhibentis potẽtia, & rei familiaris neruis, nititur.

Chryſoſt. Et hom. 36. ad Antioc: Hoc eſt id, quo Deo poſſumus adæquari, miſerari, & miſericordiã exhibere, cum hoc itaq; non habeamus, toto ſumus priuati; non dixit: Si ieiunetis, ſimiles eritis patri veſtro; neq; dixit: Si ſuppliciter oraueritis, ſimiles eritis patri veſtro; neq; ſi virginitatẽ illæſam ſeruaueritis, ſimiles eritis patri veſtro. Nihil enim horum eſt circa Deum, nec horum quicquã Deus operatur. Sed quid? Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter, qui in cœlis eſt. Hoc Dei eſt opus. Hoc ſi non habeas, quid habes? Miſericordiam volo, inquit, & non ſacrificiũ. Fecit cęlum Deus, fecit terram, mare; magna hęc, & ipſius digna ſapiẽtia. Sed horum nullo tantũ humanam attraxit naturam, quantum miſericordia, & clementia, ait enim: Hoc quidem opus eſt ſapiẽtię, & potẽtiæ, & bonitatis, multo magis autẽ, quod ſeruus factus eſt. Nõne magis eum in hoc admiramur? non in hoc magis acceptamur? Nihil ita Deum attrahit, ſicut miſericordia. Et multa de hoc paſſim omnes prophetæ loquũtur.

Chryſoſt. Et hom. 36. in Mat: Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter. Ita cũ pleraq; alia dixit, de nullo id, præterquã de miſericordia dixit: Sitis miſericordes, ſicut Pater veſter. Nihil enim certè nos vſq; ad ſimilitudinẽ Dei ſic effert, atq; extollit, quemadmodum libera beneficia, & copioſa collatio.

Cap. 50.

CAP. 50. *Præcepta Euangelica de eleemoſyna, oratione, & ieiunio.*

Matt. 6.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*

1 [ATtendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.
2 Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.
3 Cum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, vt honorificetur ab hominibus.
4 Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.
5 Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.
6 Vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. ✠
7 Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.
8 Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.
9 Orantes autem nolite multum loqui, ſicut Ethnici: putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis.
10 Scit enim Pater veſter quid opus ſit vobis antequam petatis eum.
11 Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in cœlis.
12 Sanctificetur nomen tuum.
13 Adueniat regnum tuum.
14 Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.
15 Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.
16 Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.
17 Et ne nos inducas in tentationem.
18 Sed libera nos à malo. Amen.
19 Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra: ſi autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.

Feria 4. Cin.

20 ✠ Cum autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes.
21 Exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam.
22 Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans; ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

Not. 1. verſ. 1.

[1] Greg. — Quomodo bona opera ſint occultanda, & manifeſtanda.

GREG. lib. 8. Moral. cap. 37: Occultanda ſunt quæ agimus, ne hæc in huius vitæ itinere incautè portantes, latrocinantium ſpirituum incurſione perdamus; & tamen Veritas dicit: Et cap. 38: Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cęlis eſt. Sed aliud eſt profectò, cum in oſtenſione operis gloria quæritur largitoris, aliud cum laus priuata concupiſcitur de dono largientis. Vnde & rurſus in Euangelio hæc eadem Veritas dicit: Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Opus ergo noſtrum cum hominibus oſtenditur, in cordis prius examinatione penſandum eſt, per eiuſdem

dem oſtenſionis ſtudium quid quæratur. Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publica noſtra opera, in conſpectu illius occulta ſeruamus. Si verò per hæc noſtram laudem concupiſcimus, foras ab eius conſpectu iam fuſa ſunt: etiamſi à multis ignorentur. Sed valde perfectorum eſt, ſic oſtēſo opere, authoris gloriam quærere, vt de illa laude, priuata neſciant exultatione gaudere. Tunc ſolum namque innoxiè hominibus laudabile opus oſtenditur, cum per deſpectum mentis veraciter laus impenſa calcatur. Quam quia infirmi quique perfectè contemnendo non ſuperant, reſtat neceſſe, eſt, vt bonum hoc, quod operantur, abſcondant. Sæpe enim ab ipſo oſtenſionis exordio, propriam laudem quærunt, ſæpe vero in oſtenſione operis, authoris patefacere gloriam cupiunt, ſed excepti fauoribus, in laudis propriæ cupiditatem rapiuntur: cumque ſemetipſos diiudicare interius negligunt, ſparſi exterius ignorant, quod agunt, eorumque opus ſuæ elationi militat, atque hoc ſe impendere obſequio largitoris putant. Et par. 3. curæ Paſtoralis admonit. 56: In Euangelio Veritas dicit: Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Vbi illa quoque ſententia promitur, quæ longè aliud præcepiſſe videtur, dicens: Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Quid eſt ergo quod opus noſtrum, & ita faciendum eſt, ne videatur, & tamen, vt debeat videri, præcipitur: niſi quod ea, quæ agimus, & occultanda ſunt, ne ipſi laudemur, & tamen oſtendenda ſunt, vt laudem cæleſtis Patris augeamus? Nam cum nos iuſtitiam noſtram coram hominibus facere Dominus prohiberet, illico adiunxit: Vt videamini ab eis; & cum rurſus videnda ab hominibus bona opera noſtra prçciperet, protinus ſubdidit: vt glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Qualiter igitur videnda eſſent, vel qualiter non videnda, ex ſententiarum fine monſtrauit. Quatenus operantis mens opus ſuum, & propter ſe videri, non quæreret, & tamen hoc propter cœleſtis Patris gloriam non celaret. Vnde fit plerumque, vt bonum opus, & in occulto ſit, cum fit publicè, & rurſus in publico cum agitur occultè. Qui enim in publico bono opere non ſuam, ſed ſuperni Patris gloriam quærit, quòd fecit, abſcondit: quia ſolum illum teſtem habuit, cui placere curauit: & qui in ſecreto ſuo bono opere deprehendi, ac laudari concupiſcit: & nullus fortaſſe vidit quod exhibuit, tamen hoc coram hominibus fecit, quia tot teſtes in bono opere ſecum duxit, quot humanas laudes in corde quæſiuit. Eundem vide hom. 11. in Euang. & Aug. lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 2.

Greg. Greg. Aug.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib. 3. epiſt. 34: Ambitionis amorem ſuapte natura vehementem, & acrem, atque humanum genus mirum in modum ſuperantem, ſcitè, ac ſapienter reprimens, atque in melius deriuans Saluator, his verbis vtitur: Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Alioqui non habebitis partem apud Patrem veſtrum, qui eſt in cœlis. Quoniam enim, vt Creator & effector ambitionis ſemina hominum animis primùm inſita eſſe probè norat, non fruſtra, & ſine cauſa, ſed vt ingenti honoris cupiditate flagrantes in melius proficeremus (optimum videlicet, ad ſeruile turpium, ac ſordidorum affectuum iugum propellendum, amuletum, & præſidium in gloriæ deſiderio poſitum habentes: verùm nos beneficium nobis inſitũ in contrarium flexiſſe, ac cœleſtis honoris obliuione; ad terrenum conuerſos eſſe, idcirco ſurſum, optimi cuiuſpiam agricolæ inſtar, animæ curam ſuſcipiens, vitioſos ſtolones amputat, atque improbiſſimorum hominum vbertatem, ad inſanum humanę glorię ſtudium vehementer luxuriantem, reprimit: quicquid autem in ea ſuaue, atque ad cœleſtium honorum feracitatem vitale, ac fœcundum eſt, id non modò relinquit, ſed etiam exſuſcitat, ac fœcundius reddit: dum nempe oſtentationem, quam humanæ gloriæ cupidi, & appetentes faciunt, funditus euellit, eam autem, quæ Deum ſolum intuetur, ſtudioſiſſimè appeti meritò permittit.

Fulg. Fulg. epiſt. 2. cap. 19: Cùm ergo dicit: Vt attendamus, ne faciamus iuſtitiam noſtram coram hominibus, vt videamur ab eis, & iterum iubet vt lux noſtra luceat coram hominibus, nunquid contraria præcipit? Abſit. Sed ſic iubet opera bona fieri, vt non noſipſos, ſed Deum, velimus in noſtra operatione laudari.

Not. 2. ver. 2.

Hier. Operis meritum vnde ſit. HIERON. Matt. 6: Non itaque virtus, ſed cauſa virtutis apud Deum mercedem habet. Et ſi à recta via paululum declinaueris, non intereſt vtrum ad dexteram vadas, an ad ſiniſtram, cum verum iter amiſeris.

Aug. Aug. lib. 2. de ſer. Domini in mõte cap. 1: Cum dicit alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, nihil aliud demonſtrat, niſi id nos cauere oportere, ne humanam laudẽ pro noſtrorũ operum mercede quęramus, id eſt, ea nos beatos effici arbitremur.

Ver 3.

Hier. Vide Hieron. lect. 2. 3. ſer. poſt Cine.

Greg. Hypocritæ qui ſint. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 28: Quid in cunctis ſuis operibus hypocrita ſperat, niſi honoris reuerentiam, gloriam laudis, à melioribus metui, ſanctus ab omnibus vocari?

Ver. 4.

Greg. Greg. lib. 4. Moral. cap. 14: Qui pro humana laude in bona actione ſe exhibent, incaſſum à veniente Iudice retributionem bonorum operum ſperant, quia dum hæc in oſtentationem faciunt, laudis iam præmium ab humano ore receperunt, veritate atteſtante, quæ ait: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.

Greg. Et lib. 8. cap. 28: Permanere ſpes hypocritæ non valet, quia æternitatem non quærẽs, fugit quod tenet: Nequaquam quippe mentis eius intentio

tio in illa gloria figitur, quæ ſine fine poſſidetur: ſed cum tranſitorijs fauoribus inhiat, perdit percipiendo quod laborat, Veritate atteſtante, quæ ait: Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam. Sed hæc ſpes recipiendæ mercedis diu teneri non poteſt, quia pro oſtenſis operibus honor tribuitur, ſed vita ad terminum vrgetur: laudes reſonant, ſed ad finem cum laudibus tempora feſtinãt, & quia nequaquam animus in æternitatis amore radicatur, cum ipſis profectò rebus quas diligit, labitur. Nemo namque valet mobilia diligere, & ipſe immobilis ſtare. Qui enim tranſeuntia amplectitur, eo ipſo ad curſum ducitur, quo decurrentibus implicatur. Dicat ergo: Et ſpes hypocritæ peribit: quia humana laus, quam magnis laboribus appetit, impulſa temporum momentis decurrit.

Nemo potest immobilis stare, qui mobilia diligit.

Greg. Et par. 3. curæ Paſtoralis, admonit. 36: Admonendi ſunt, qui mala occultè agunt, & bona publicè, vt penſent humana iudicia, quanta velocitate euolant; diuina autem quanta immobilitate perdurant. Admonendi ſunt, vt in fine rerum mentis oculos figant, quia & humanæ laudis atteſtatio præterit, & ſuperna ſententia, quæ & abſcondita penetrat, ad retributionem perpetuam conualeſcit. Dum ergo occulta mala ſua diuinis iudicijs, rectè autem ſua humanis oculis anteponunt, & ſine teſte eſt bonum, quod publicè faciũt; & non ſine æterno teſte eſt, quod latenter delinquunt. Culpas itaque ſuas occultando hominibus, virtuteſque pandendo, & vnde puniri debeant, abſcondentes detegunt, & vnde remunerari poterant, detegentes abſcondunt. Admonendi itaque ſunt, ne, quæ agunt recta, deſpiciant, ſed ea meriti melioris credant. Valde namque ſua bona dijudicant, qui ad eorum mercedem ſufficere humanos fauores putant. Cum enim pro recto opere laus tranſitoria quæritur, æterna retributione res digna, vili pretio venundatur; de quo videlicet pretio percepto Veritas dicit: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.

Hier. Hier. Matt. 6: Non Dei mercedem, ſed ſuam: laudati ſunt enim ab hominibus; quorum cauſa exercuere virtutes.

Not. 3. ver. 5.

Baſ. BASIL. in regul. breuioribus interrog. 197: Quo modo quod dextra facit, neſcit ſiniſtra? Reſp. Quotieſcunque defixo ac vehementi deſiderio Deo gratificandi mẽs ab omni parte ſollicita, ne ab officio diſcẽdat, legitimè certat, tũc de nullo prorſus membro alio cogitat, niſi de eo quod ad id vtile ſit, quod in præſentia fieri oporteat. Vt artifex, qui in ſingulis operibus vnum illud tantummodo inſtrumentum ſpectat, quod ad ea adminiſtranda vtile eſt.

Quid ſit neſcire ſiniſtram quod dextra facit.

Elias Cretenſ. Epiſcop. ad orationem 13. Nazianzeni: Neſciat ſiniſtra, &c. quibus verbis Dominus oſtentationem omnem remouet (& ſi fieri poſſit) vt etiam ipſæ manus ad hoc officium ſubſeruientes, quid agamus, ignorent, hortatur. Vel quia manus actionis eſt ſymbolum, præcipit vt opera dextra pura ſint, à ſiniſtrorum operum vitijs, nimirum ab opinionis vanitate, inanique gloria, & moribus omnibus ad inferendam iniuriam pronis.

Chryſoſt. Chryſoſt. ſerm. de laudibus Monachorum: Non ſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextra tua. Quid multos admittis teſtes? ſi fieri poteſt ne domeſtici quidem, vel vxor ipſa ſit huius beneficij conſcia: quam plura enim ſunt ſubdoli illius aduerſarij impedimenta: plerumq; enim coniux arrogantia quadam, vel alia quauis de cauſa, etſi nunquam antea, tunc tamen te interpellabit, & beneficium illud tuum intercipiet: ſiquidem Abraham etſi admirandam haberet vxorem, ea tamen cum filium eſſet immolaturus, clam habuit, præſertim cum ipſe rei euentum ignoraret, certior tamen quod illum eſſet necaturus. Quid igitur è turba vir aliquis dixerit? quiſnam hic eſt, qui hæc facit? & is ſimul nonne crudelitatis eum, & ruſticitatis inſimulabit? Dicens non licuit matri filium ſpectare, & vltimam audire vocem, morientemq; inſpicere? Nihil tamen iſtiuſmodi inſto illo diuino amore incenſo veniebat in mentem præter id ſolum, vt Dei mandata exequeretur, non ea in re filium, non vxorem animaduertebat, & quod maximum eſt, futuri neſcius, adeo ille ex omni parte integrum Deo offerre ſacrificiũ ſtudebat, vt ne lacrymis quidem illud, aut contentione aliqua inquinaret. Ad quem ait Iſaac: Ecce ligna, & ignis, vbinam victima? Quid ergo Pater? Deus prouidebit ſibi victimam ad holocauſtum, fili mi, fertur autem id eſſe propheticum, vt illud: Et filium viſurus eſt in victimam. At cur eum, qui immolandus eſt, cælas? etiam, inquit, veritas ne torpeſcat, vel indignus inueniatur. Vides itaque quam multa diligentia vir ille cuncta factitarit, quæ ſacris litteris exprimuntur. Neſciat ſcilicet ſiniſtra tua, quid faciat dextra tua. Quod illud ſonat, vel ſi quempiam habuerimus, quamuis propinquitate iunctum, nihil illi, quod fuerit per nos piè geſtum, vltro aperiamus, niſi cogat neceſſitas. Multa quippe ex eo ſuccedunt grauia: nam ſi quis ſuperbire acceperit, erit id quidem illi ad bene agendum impedimento. Quapropter cum aliquid inopi impartimus, vel noſipſos, ſi fieri poteſt, celabimus. Idem verbotenus habet homil. 14. in priorem ad Timoth. Chryſoſt.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 84: Non eſt charum mihi caput, hæc Domini lex in occulto ac latebris ſita; quæ hoc iubet: Neſciat ſiniſtra manus quid faciat dextra tua: verùm aperta & dilucida: iiſque, qui attento animo ſunt, perſpicua. Quoniam enim probatum actionum inanis gloria, & oſtentatio comes eſſe ſolet, idcirco nullum, inquit, bonum abs te cum vitioſa animi affectione fiat, nec improba & præpoſtera cogitatio præclarum, & cum virtute coniunctum facinus comitetur: quin potius ſi quid boni facis, ab omni oſtentatione ac iactatione alienus ſis, præſentes ſcilicet plauſus minimè captans, verùm futuras coronas expectans.

Inanis gloria in bonis actionibus cauenda.

Cypr. Cypr. lib. 3. ad Quirinum cap. 40: Ex hoc loco infert

infert non iactanter, nec tumultuosè operandum.

Amb. Ambr. lib. 1. Officiorum cap. 30: Nec illa perfecta eſt liberalitas, ſi iactantiæ cauſa magis, quã miſericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Quomodo à te proficiſcitur, ſic æſtimatur. Vides quam moralem iudicẽ habeas? Te conſulit, quomodo opus tuum ſuſcipiat, mentem tuam prius interrogat. Neſciat, inquit, ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Non de corpore loquitur, ſed etiam vnanimis tuus, frater tuus, quod facis, neſciat, ne dum hic mercedem quæris iactantiæ, illic remunerationis fructum amittas. Perfecta autem eſt liberalitas, vbi ſilentio quis tegit opus ſuum, & neceſſitatibus ſingulorum occultè ſubuenit. Quem laudat os pauperis, & non labia ſua.

Hier. Hieron. Matth. 6: Non ſolum eleemoſynam, ſed quodcunque feceritis boni operis, debet ſiniſtra neſcire: ſi enim illa ſcierit, ſtatim dextera opera commaculantur.

Greg. Greg. lib. 8. Moral. cap. 37: Intus ergo ſunt ſeruanda, quæ agimus, ſi ab interno arbitrio vicem recipere noſtri operis expectamus. Hinc eſt enim, quod per Euãgelium veritas dicit: Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextra tua: vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Hinc eſt quod de electorum Eccleſia per Pſalmiſtam dicitur: Omnis gloria eius filiæ Regum ab intus. Hinc Paulus ait: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Filia quippe Regum Eccleſia, quæ in bono eſt opere ſpiritalium principum prædicatione generata, gloriam intus habet, quia hoc quod agit in oſtentationis iactantia non habet. Gloriam ſuam Paulus teſtimonium ſuæ conſcientiæ memorat, quia fauores oris alieni non appetens, vitæ ſuæ gaudia extra ſemetipſum ponere ignorat. Et par. 3. curæ Paſtor. admonit. 21: Admonendi ſunt, qui ſua iam miſericorditer tribuũt, ne ex impenſo munere, tranſitoriam laudem quærant, audiant quid ſcriptum eſt: Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, id eſt, piæ diſpenſationi nequaquam ſe gloria vitæ præſentis admiſceat, ſed opus rectitudinis, appetitionem ignoret fauoris. Et cap. 4. lib. 5. expoſitionis lib. 1. Reg: Quid eſt, quod populus, quo erat Ionathas, neſcit: Niſi quia electus doctor, ea, quæ intendit agere, ſtudet per humanitatem celare. Vnde & in Euangelio Dominus dicit: Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Si enim per dexterã æterna; per ſiniſtram verò præſens vita figuratur; homines in ſiniſtra, Angelos ad dexteram habemus. Quando autem per bona opera ad conſortium ſupernorum ciuium tendimus, dextra manus noſtra operari perhibetur; ſiniſtra verò manus, noſtra opera neſcit dexteræ, ſi cooperatores noſtros fideles videlicet ſanctæ Eccleſiæ adiutores habemus in opere, & laudatores habere nolumus ad elationem. Bene ergo dicitur: Populus ignorabat quo iſſet Ionathas, quia tunc ſolum bene agere magna nitimur, cum ea, quę agimus, pandere ad oſtenſionem vitamus.

Pſal. 44. 2 Cor. 1. Greg.

Aug. Auguſt. tract. 51. in Euang. Ioann: Debet ſi porrigit eſurienti panem, de miſericordia facere, non de iactantia: non aliud ibi quærere, quam opus bonum neſciente ſiniſtra, quid faciat dextera, id eſt, vt alienetur intentio cupiditatis ab opere charitatis. Qui ſic miniſtrat, Chriſto miniſtrat. Et tract. 6. in cap. Ioan. epiſt: Et quid eſt: Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, niſi quia dextera tua pura conſcientia eſt, ſiniſtra mundi cupiditas? Multi per cupiditatem mundi multa mira faciunt, ſiniſtra operatur, non dextera. Dextera debet operari, & neſciente ſiniſtra: vt nec miſceat ſe cupiditas ſæculi, quando aliquid boni de dilectione operamur. Et vbi hoc cognoſcimus? Ante Deum es, interroga cor tuum, vide quid feciſti, & quid ibi appetiſti: ſalutem tuam, an laudem humanam ventoſam? Intus vide, nam homo iudicare non poteſt, quem videre non poteſt. Si perſuademus cordi noſtro, corã illo perſuadeamus, quia ſi malè ſentiat cor noſtrum, id eſt, accuſet nos intus, quia nõ eo animo facimus, quo faciendum ſit, maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia: Cor tuum abſcondis ab homine: à Deo abſconde ſi potes. Et ſer. 181. de temp: Qualiter etiam ſit facienda eleemoſyna, ſilẽtio præterire noluit, vbi dixit: Cum facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Hoc documẽto inſinuans, quia eleemoſynam, & omne opus miſericordiæ, quod facimus, non venando laudes hominum, ſed propter intentionem vitæ æternæ, quæ per dexteram ſignificatur, facere admonemur.

Aug. Aug.

Not. 4. ver. 8.

Chryſoſt. Occultè orandum. Quomodo in cubiculo & vbique orandum. Chrysost. hom. 8. in priorem ad Tim: Tu autem cum oraueris, &c. quid igitur Paulus ſibi vult, qui ait: Volo orare viros in omni loco, extollentes puras manus, abſque ira, & diſceptatione? Num enim Domino ſuo contraria imperat? Abſit. Immo illius dictis per omnia concors eſſe deprehenditur. Quonam modo? tunc demum apertius innoteſcet, cum prius explicauerimus, quid ſit: Intra in cubiculum tuũ. Nam profectò plenum abſurditatis erit, ſi iſtud ſimpliciter acceperimus, quaſi non liceret omnibus in locis, atque in Eccleſia ipſa orare, vbi fideles in primis orationis cauſa conueniunt, ne in alia quidem domus parte eſt, niſi in cubiculo tantum preces effundere. Quid igitur hoc ſibi vult? Euitandam prorſus inanem gloriam, ſtultiſſimamque iactantiam, omni ſtudio Chriſtus admonuit, dum non modo clam, verum & in abditiori domus parte vota, atque preces adferendas admonuit. Sicut enim cum dicit: Neſciat ſiniſtra, quid faciat dextera tua: non de manibus ſimpliciter diſſerit, ſed magnitudinem vanitatis ingulare contendit: ita & in hoc loco cubiculi nomine, ſecretum intimi cordis expreſſit. Non igitur vnius loci orationem anguſtijs clauſit, verum id ſolum imperauit, fugiendam ſtultiſſimam vanitatem, orandumque omnibus in locis Patrem, ex intimo cordis affectu.

Quid ... Cub... quid ...

Baſil.

Baſ. Baſil. in reg. breuioribus interrog. 277: Quid eſt illud cubiculum, quod eum intrare Dominus iubet, qui oraturus ſit? Reſp. Cellariū communis loquendi conſuetudo ſolita eſt appellare locum in domo vacuum, ac remotum à celebritate, in quo ea reponimus, quæcunque habemus in animo, ad aliquod tempus ſeruare: vel in quo volentibus latere profugium eſt: qua in ſignificatione acceptum eſt à Propheta, cum ait:
Eſa. 26. Vade popule meus, intra in cellarium tuum, abſcondere. Porro vim mandati argumentum ipſum declarat. Siquidem eo in loco ſermo ad eos inſtitutus eſt, qui vitio laborarent gloriæ humanæ. Proinde ſi cui moleſtiam exhibet vitium huiuſmodi, is rectè facit, ſi in facienda oratione, ſe à celebritate ſubducit, & eo vſque in ſolitudine contineat, donec eo iam peruenerit, vt omnino de humanis laudibus nihil curet, ſed oculos in ſolum Deum habeat intentos: velut
Pſal. 122. ille, apud quem eſt: Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus, &c. Cæterum ſi aliquis, Dei munere ab eo vitio liber ſit, huic non eſt, neceſſe occultare, quod bonum eſt. Nam hoc Dominus ipſe docet, cum ait: Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita: neque accendunt lucernam, & ponāt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrū, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrē veſtrum, qui in cœlis eſt. Atque hæc eadem ratio, & in eleemoſyna intelligenda eſt, & in ieiunio de quibus agitur in eodem loco. Atque in vniuerſum in re omni, quæ ad Dei cultum pertineat.

Quorum ſi non occultare recte facta.

Hier. Hieron. Matt. 6: Tu autem cum oraueris, &c. Simpliciter intellectum erudit auditorē, vt vanam orādi gloriam fugiat: ſed mihi videtur hoc magis eſſe præceptum: vt incluſa pectoris cogitatione, labijſque compreſſis, oremus Dominum: quod & Annam in Regū volumine feciſſe
1. Reg. 1. legimus: Labia, inquit, eius tantum mouebantur, & vox illius non audiebatur.

Greg. Gregor. lib. 22. Moral. cap. 18: Notandum eſt, quod nequaquam dicitur preces, ſed deſideriū
Iob 31. meum omnipotens audiat. Vera quippe poſtulatio non in oris eſt vocibus, ſed in cogitationibus cordis, valentiores namque voces apud ſacratiſſimas aures Dei non faciunt verba noſtra, ſed deſideria. Æternam etenim vitam, ſi ore petimus, nec tamen corde deſideramus, clamātes tacemus. Si verè deſideramus ex corde, etiam cū ore conticeſcimus, tacentes clamamus. Hinc eſt quod in Eremo populus vocibus perſtrepit, & Moyſes à ſtrepitu verborum tacet: & tamen ſilens aure diuinæ pietatis auditur, cum dicitur: Quid clamas ad me? Intus ergo in deſiderio eſt clamor ſecretus, qui adhuc ad humanas aures non peruenit, & tamen auditum conditoris replet. Hinc eſt, quod Anna ad tēplum pergens, ore quidem tacuit, & tamen tot ſui deſiderij voces emiſit. Hinc in Euangelio Dominus dicit: Intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio tuo, ora Patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Clauſo quippe oſtio petit in cubiculo, qui tacente ore in conſpectu ſupernæ pietatis fundit affectum mētis. Et vox auditur in abſcondito, cum per ſancta deſideria ſilenter clamatur. Vnde rectè quoque per Pſalmiſtam dicitur: Deſiderium Pſal. 9.
pauperum exaudiuit Dominus: Præparationem cordis eorum, audiuit auris tua.

Vera poſtulatio non eſt in oris vocibus, ſed in cordis cogitationibus, nam deſiderium omnipotens audit.

Ambroſ. lib. de inſtitut. virg. cap. 1: Cubiculum tuum interiorum ſecretum eſt, cubiculum tuum conſcientia tua eſt. Denique Eccleſiaſtes tibi dicit: Et quidem in conſcientia tua Regi ne malè dixeris, & in penetralibus cubiculorum tuorum, ne maledicto deuoueris diuitem. Ibi ergo ora, & ora in occulto: vt audiat te, qui in occulto audit. Amb. Et lib. 1. de Cain, & Abel, Amb.
cap. 9: Cubiculum tuum mentis arcanum, animique ſecretum eſt. In hoc cubiculum tuum intra: hoc eſt, intra in alta præcordia, totus egredere de corporis tui exteriori veſtibulo, & claude oſtium tuum. Quid ſit oſtium tuum diſce: Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circuitus labijs meis: & Paulus petit orari Pſal. 140.
pro ſe, vt aperiatur mihi, inquit, oſtium verbi, Coloſſ. 4
ad loquendum myſterium Chriſti. Sed ille vtpote electus ad Euangelij prædicationem, rectè ſibi oſtium verbi optabat aperiri, quia de ore eius exibat ſalus Gentium: de ore eius prodibat vita populorum. Nos autem claudamus oſtium, ne culpa intret, ne lapſus aliquis ſermonis exeat. Intrat culpa ſi lapſus exierit. Audi quomodo intret culpa. Ex multiloquio, inquit, non effugies peccatum. Prou. 10.
Exiuit multiloquium, peccatum intrauit: quia in multiloquio nequaquam, qui exeat ſermo, trutinatur, imprudenter labitur: licet ipſum vltra menſuram aliquid loqui grande peccatum ſit. Et ideo caue ne imprudenter loquaris. Labia enim imprudentis inducunt eum ad mala. Caue ne in oratione te extollas: Oratio enim humiliantis ſe, nubes penetrabit. Eccl. 35.
Caue ne incautè ſymboli, vel Dominicæ orationis diuulges myſteria, an neſcis quam graue ſit in oratione contrahere peccatum, vbi ſperas remedium? Certè Dominus per Prophetam docuit hoc graue eſſe maledictum, dicens: Pſal. 108.
Et oratio eius fiat in peccatum. Niſi fortè mediocre id tibi putas eſſe. Diffidere eſt enim de potentia Dei, æſtimare quod non audiris, niſi clamaueris: clament opera tua, clamet fides, clamet affectus, clament paſſiones tuæ, clamet ſanguis tuus, ſicut ſancti Abel. Apoſtolus docet orandum in omni loco, cum Saluator dicat: Intra in cubiculum tuum. Sed intellige cubiculum nō incluſum parietibus, quo tua membra claudantur, ſed cubiculum quod in te eſt, in quo includuntur cogitationes tuæ, in quo verſantur ſenſus tui. Hoc orationis tuæ cubiculum vbique tecum eſt, & vbique ſecretum eſt, cuius arbiter nullus eſt, niſi ſolus Deus.

Et lib. 6. de Sacramentis cap. 3: Non tibi videtur eſſe contrarium, vt dicat Apoſtolus: In omni loco ora; & Dominus dicat: Intra in cubiculum tuum, & ora? ſed non eſt contrarium. Hoc ergo abſoluamus, & dicamus primò vbi orare debeas. Aliud Paulus videtur dicere, aliud Dominus. Nunquid potuit Paulus contra Chriſti Amb. 1.Tim. 2.

docere præcepta? non vtique, qua ratione?
Quia non contrarius, ſed interpres eſt Chriſti.
1 Cor. 11. Imitatores mei, inquit, eſtote, ſicut ego Chri-
ſti. Quid ergo? potes vbique orare, & in cubi-
culo tuo ſemper orare. Habes vbique cubicu-
lum tuum; etſi inter Gentes, inter Iudæos poſi-
tus ſis, habes tamen tuum vbique ſecretum.
Cubiculum tuum mens tua eſt. In populo licet
poſitus, tamen in interiore homine arcanum
tuum, ſecretumque conſeruas. Tu autem cum
oras, intra in cubiculum tuum. Bene addit in-
tra; ne ſic ores, quomodo Iudæus, cui dicitur:
Populus hic labijs me honorat, cor autem eo-
rum longè eſt à me. Non ergo de labijs tantum-
modo tua procedat oratio. Animo totus inten-
de, intra in receſſum pectoris tui, totus ingre-
dere. Non te perſunctorium videat ille, cui te
placere deſideras: videat quia ex corde oras, vt
te ex corde orantem dignetur audire. Tu au-
tem cum oras, intra in cubiculum tuum. Habes
& alibi: Ambula popule meus, & intra in receſ-
ſus tuos, abſcondere puſillum donec tranſeat
Eſa. 26. ira Domini. Hoc locutus eſt Dominus per Pro-
phetam, in Euangelio autem dixit: Tu autem
cum oras, intra in cubiculum tuum, & clauſo
oſtio ora Patrem tuum. Quid eſt, clauſo oſtio?
Audi quod oſtium habeas, quod debes claude-
re, quando oras. Vtinam mulieres audirent, au-
Pſal. 140. diſti iam, ſanctus Dauid docuit te dicens: Pone
Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circui-
tus labijs meis. Eſt aliud oſtium, quod ait Apo-
Coloſſ. 4 ſtolus Paulus, dicens: Vt aperiatur, inquit, mihi
oſtium verbi ad loquendum myſterium Chri-
ſti. Hoc eſt, quando oras, noli ſermone clama-
re, nec diffundere orationem tuam, nec iactare
per populos. In ſecreto tuo ora ſecurus, vt te in
ſecreto poſſit audire, qui omnia videt, atque au-
dit vniuerſa, & ora Patrem tuum in abſcondi-
Amb. to, & audiet te deprecantem. Et ſerm. 2.
in Pſal. 118: Cum oras, intra in cubiculum tuum,
quod ſignificat mentis, animique ſecretum.
Et in Pſal. 40: Quid eſt, reddet? hoc eſt, quod
deprecatus es, quod oraſti. Sicut enim peccato-
res de manu Domini recipiunt peccata ſua du-
plicia: ita è contrario iuſti recipiunt cum effe-
ctu propria poſtulata. Audi quomodo recipiát.
Act. 10 Tob. 12. Aſcendit oratio tua ad Deum, & deſcendit ad
Pſal. 34. te. Vnde & in Pſal. legimus: Et oratio mea in ſi-
num meum conuertetur: vt fructum ſcilicet re-
ferat poſtulanti.

Aug. Aug. ſerm. 182. de temp: Qualiter quoque
Quid ſit in cubiculum intrare, ac oſtiū claudere. eſſet orandum admonuit, vbi ait: Tu autem
cum oraueris, intra in cubiculum, id eſt, habeto
cor quietum, & ab omni tumultu exteriorum
liberum, & clauſo oſtio, id eſt, excluſa phantaſ-
matum turba, ora Patrem tuum.

Not. 5. ver. 9.

Hier. HIERON. Matt. 6: Si Ethnicus in oratione
multum loquitur, ergo qui Chriſtianus eſt de-
bet parum loqui. Deus enim non verborum,
ſed cordis auditor eſt.

Nyſſ. Nyſſen. lib. de oratione: Orantes, inquit, ne
ſitis battologi, ſicut Gentiles. Arbitrantur enim
ſe propter multiloquium ſuum exauditum iri.
Ac ſententię quidem doctrinæ forſitan per ſeſe Vt vitandū ſit orando multiloquium.
perſpicua eſt, vtpote nudis verbis nobis expoſi-
ta, nec vllam ſubtiliorem deſiderans conſidera-
tionem, præterquam quod operæ precium eſt
quærere, quid ſignificet verbum battologiæ, vt
intellecta ſententia vitemus id, quod vetitum,
& interdictum eſt. Videtur ergo mihi caſtigare
inflationem, atque tumorem mentis, eorum-
que, qui ſeſe vanis cupiditatibus immergunt,
reprimere, atque compeſcere ambitionem, &
idcirco peregrinam, & nouam hanc dictionem
excogitaſſe ad arguendam amentiam eorum,
qui vanarum pariter, & inutilium rerum cupi-
ditatibus diffluunt, atque diſtrahuntur. Nam
cordatus doctus, & prudens, & vtilitatem ſibi
propoſitam habens ſermo, propriè ſermo dici-
tur: atque per inanem voluptatem, cupiditati-
bus vanis, quaſi ſuperfuuditur oratio non am-
plius *logos*, id eſt, ſermo, ſed *vattologia* eſt (qua-
ſi dicas) linguæ volubilitas, & vanus ſermo, vt
aliquis Græcè melius explicans dixerit *tou nou
phlyaria*, hoc eſt, quaſi dicas, mentis efferueſ-
centia, atque effutitio: *liros kai plinaphos*, hoc
eſt, deliramenta, atque nugæ, ac ſi quod aliud
vocabulum eiuſmodi ſignificationis eſt.

Aug. lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 7: Aug.
Sicut hypocritarum eſt præbere ſe ſpectandos
in oratione, quorum fructus eſt placere homi-
nibus, ita Ethnicorum, id eſt, Gentilium, in Multiloquium à Gentibus venit.
multiloquio ſuo ſe putare exaudiri: & reuera
omne multiloquium à Gentilibus venit, qui
exercendæ linguæ potius, quam mundando a-
nimo dant operam, vt hoc nugatorij ſtudij ge-
nus etiam ad precem fundendam transferre co-
nentur, arbitrantes Deum, ſicut hominem Iudi-
cem, verbis adduci in ſententiam.

Not. 6. ver. 10.

Hier. HIERON. Matth. 6: Conſurgit in hoc loco
quædam hæreſis: Philoſophorum quoque per-
uerſum dogma dicentium: Si nouit Deus quid
oremus, & antequam petamus, ſcit quibus in-
digeamus: fruſtra ſcienti loquimur. Quibus
breuiter reſpondendum eſt, nos non narratores
eſſe, ſed rogatores. Aliud eſt enim narrare igno-
ranti, aliud ſcientem petere. In illo iudicium
eſt, hic obſequium. Ibi fideliter indicamus, hic Cur Deum oremus.
miſerabiliter obſecramus.

Eut. Euth. Matth. 6: Verum ſi nouit, quibus no-
bis opus ſit; cur hæc omnino ab eo poſtulamus?
Cur Deum oremus. Planè non vt ipſum doceamus, ſed vt demon-
ſtremus, quod eum habemus educatorem, ac
Dominum, vtque ab ipſo ſolo pendentes, faci-
lius eum flectamus, qui ſpes eſt ſalutis, ac pro-
uidentiæ noſtræ. Tanquam Pater enim & no-
uit, quibus nobis opus ſit, & tribuere paratus
eſt, quæ neceſſaria ſunt, aut vtilia: exigit ta-
men, vt ob dictas cauſas nos illa petamus. Sic
etiam Auguſt. lib. 2. de ſerm. Domini in monte
cap. 7. & alij.

Not. 7.

Not.7. ver. 11.

Aug. Oratio Dominica. Quid ſit à Deo petendum. Septem petitiones

Aug. ſer. 182. de temp: Ecce dictum eſt, qualiter ſit orandum, addit etiam quid ſit orandum, ita ſubiungens: ſic autem orabitis: Pater noſter, qui es in cœlis, &c. Hæc oratio compendioſis verbis, id eſt, ſeptem petitionibus omnes ſpecies orationis comprehendit, quibus Deum interpellamus, aut pro appetendis bonis, aut pro vitandis malis, aut pro delendis commiſſis. Harum ſeptem petitionũ, tres prius poſitæ, pertinent ad æternitatem; quatuor ſequentes ad vitæ præſentis neceſſitatem. Nam nominis Dei ſanctificationem, & aduentum eius, quo in claritate venturus eſt, & completa voluntate eius, ſicut in cœlo, & in terra: quamuis ab humili aduentu Chriſti exordium ſumant, tamen non niſi ſæculi terminatione complebuntur: & omnia tria in æternum manebũt: reliqua autem quatuor ad hanc vitam temporalem pertinere videntur; quia & panis quotidianus, & ſpiritalis, licet ſit ſempiternus, ad hoc tantum tempus pertinet, in quantum miniſtratur animæ quibuſdam ſignis, & dictis, vel ſcriptis. Nunc quoque peccata dimittuntur nobis; & nos dimittimus alijs: quæ eſt inter quatuor ſecunda petitio: & nunc tentationes vitam noſtram infeſtant; & ipſa liberatio à malo, ad hanc vitam pertinet; quia Dei iuſtitia mortem incurrimus; vnde ipſius miſericordia liberandi ſumus. Dicamus ergo: Pater noſter, cui non timore, ſed amore famulamur. Non hoc populo

Pater noſter.

priori dictum eſt, vt Patrem oraret, ſed Dominus inſinuatus eſt eis, cui non filiali obediebãt amore, ſed ſeruili ſubijciebantur timore. Admonentur autem hoc verbo diuites, & nobiles, cum Chriſtiani facti fuerint, quatenus ſe non extollant aduerſus pauperes, & ignobiles, quoniam ſimul dicunt: Pater noſter; quod verè, ac piè dicere non poſſunt, niſi ſe fratres eſſe cognoſcant. Hoc nomine & charitas excitatur, quia filijs nihil charius debet eſſe, quam Pater, & ſupplex affectus, cum homines dicunt: Pater noſter; & quædam impetrãdi præſumptio, quod petitur, cum etiam ante petitionem, tam magnum donum accipimus, vt poſſimus dicere: Pater noſter. Quid enim iam non det filijs petentibus Pater, qui iam hoc ipſum dedit, vt eſſent filij? Poſtremo quanta cura animum eius tangit, qui dicit: Pater noſter; vt tanto Patre non ſit indignus? vtatur ergo populus noui teſtamenti voce, populus nouus ad æternitatem vocatus: Pater noſter. Oratio fraterna eſt; non dicit: Pater meus, tanquam pro ſe tantum orans, ſed Pater noſter, omnes videlicet vna oratione complectens, qui ſe in Chriſto fratres eſſe co-

Qui es in cœlis. Phil 3.

gnoſcunt. Qui habitas in cœlis, id eſt, in his quorum conuerſatio eſt in cœlis. Et accommodatiſſima eſt iſta ſimilitudo, vt tantum ſpiritaliter diſtare credatur inter iuſtum, & peccatorem; quantum diſtat corporaliter inter cœlum, & terram. Peccatori enim dictum eſt: Terra es, & in terram ibis. (Gen. 3.) Cuius rei ſignificanda gratia, cum ad orandum ſtamus, ad Orientem vertimur, vnde cœlum ſurgit: non ideo quod ibi ſit Deus, tanquam cæteris mundi partibus relictis, ſed vt admoneatur animus, ad excellentiorem naturam conſurgere, id eſt, ad Deum. (Ad Orientem cur oremus.)

Hieron. Matth. 6: Patrem dicendo, ſe filios confitentur. (Hier.)

Not. 8. ver. 12.

Hier. Prima petitio. Sanctificetur nomen tuum.

HIERON. Matt. 6: Non in te, ſed in nobis. Si enim propter peccatores non en Dei blaſphematur in Gentibus, è contrario propter iuſtos ſanctificatur. Et lib. 3. aduerſus Pelagianos: (Hier.) Sic docuit Chriſtus Apoſtolos ſuos, vt quotidie in corporis illius ſacrificio credentes audeant loqui: Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Illi nomen Dei, quod per ſe ſanctum eſt, in ſe ſanctificari cupiunt: tu dicis: Noſti Domine, quam ſanctę, & quam innocentes, & quam puræ manus meæ ſint. Et epiſtol. ad Iuuiam, & Fretelam: (Hier.) In oratione Dominica dicitur: Pater noſter, qui es in cœlis: ſanctificetur nomen tuum: non quod nobis orantibus ſanctificetur, quod per ſe ſanctum eſt; ſed quod petamus, vt quod per naturam ſui ſanctum eſt, ſanctificetur in nobis.

August. ſerm. 182. de temp: Sanctificetur nomen tuum. (Aug.) Quod non ſic petitur, quaſi non ſit ſanctum Dei nomen, ſed vt ſanctum habeatur ab hominibus, & ita innoteſcat illis Deus, vt exiſtiment aliquid ſanctius non eſſe, quo magis timeant eum offendere, quia iuſtum eſt nomen Dei ſanctificare, & Deum timere, de quo dicitur: Dominus nomen illi. (Amos 9.)

Not. 9. ver. 13.

HIERON. Matt. 6: Adueniat regnum tuum, (Hier. 2. petitio.) vel generaliter pro totius mundi petit regno, vt diabolus in mundo regnare deſiſtat: (1 ſenſ.) vel vt in vnoquoque regnet Deus; (2. ſen.) & non regnet peccatum in mortali hominum corpore. Simulque & hoc attendendum, quod grandis audaciæ ſit, & puræ conſcientiæ, regnum Dei poſtulare, & iudicium non timere. Et lib. 3. aduerſus Pelagianos: (Hier. 1. & 2. ſen.) Illi Apoſtoli inferunt: Adueniat regnum tuum: ſpem regni futuro tempore præſtolantes: vt regnante Chriſto, nequaquam regnet peccatum in mortali eorum corpore.

Aug. ſerm. 182. de temp: (Aug. 3. ſenſ.) Adueniat regnum tuum, id eſt, manifeſtetur mundo. Sicut præſens lux abſens eſt cæcis; ita Dei regnum, quamuis vbique ſit, deeſt tamen ignorantibus; (4 ſenſ.) vel ita, vt tu in nobis, & nos in te, te donante regnemus. Et ſerm. 28. de verbis Domini: (Aug.) Adueniat regnum tuum. Quaſi non ſempiternum ſit Dei regnum. Ipſe Dominus dicit: Ego in hoc natus, & tu dicis: (4. ſenſ.) Pater veniat regnum tuum, quaſi non venerit? ſed tunc venit regnum Dei, quando eſtis gratiam eius conſecuti; ipſe enim ait: Regnum Dei intra vos eſt. Et epiſt. 121. (Aug.) cap. 11: Adueniat regnum tuum; quod ſeu velimus, ſeu nolimus, vtique veniet. Deſiderium

3. & 4. ſen. noſtrum ad illud regnum excitamus, vt nobis veniat, atque nos in eo regnare mereamur.

Not. 10. ver 14.

Hier. Tertia petitio. HIERON. Matt. 6: Fiat voluntas tua, &c: vt quomodo Angeli tibi inculpatè ſeruiunt in cœlis; ita in terra ſeruiant homines. Erubeſcant 1. ſenſ. ex hac ſententia, qui quotidie in cœlo ruinas fieri mentiuntur. Nam quid nobis prodeſt cœlorum ſimilitudo, ſi & in cœlo peccatum eſt? Hier. Et lib. 3. aduerſus Pelagianos: Apoſtoli iungunt fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra: vt i- 1. ſenſ. mitetur Angelos humana fragilitas, & voluntas Domini compleatur in terra; tu dicis: Poteſt homo ſi voluerit, omni carere peccato.

Aug. Auguſt. ſerm. 28. de verbis Domini: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Sanguine Chriſti pacificata ſunt omnia, vel in cœlo, vel in terra, ſanctificatum eſt cœlum, deiectus eſt diabolus. Ibi verſatur, vbi & homo, quem ille de- 1 ſenſ. cepit. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra: Hoc eſt, ſit pax in terra, quemadmodum in Aug. cœlo. Et hom. 42: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Seruiunt tibi Angeli in cœ- 1 ſen. lo, nos ſeruiamus tibi in terra. Non te offendunt Angeli in cœlo, non te offendamus in terra, quomodo illi faciunt voluntatem tuam, ſic faciamus & nos. Et hic quid oramus, niſi vt boni ſimus? Quando enim facimus voluntatem Dei, nam ipſe ſine dubio facit ſuam, tunc eius voluntas eſt in nobis. Et aliter bene intelligimus: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, ita & in terra. Accipimus præceptum Dei, & placeat nobis, placeat menti noſtræ. Condelector enim Rom. 7. legi Dei, ſecundum interiorem hominem: tunc 2 ſenſ. fit voluntas eius in cœlo. Cœlo enim comparatur ſpiritus noſter; terræ autẽ caro noſtra. Quid eſt ergo: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, ita & in terra? vt quomodo menti noſtræ placet tua iuſſio, ſic ei conſentiat caro noſtra, & tollatur rixa illa de medio, quæ deſcribitur ab Apoſto- Gal. 5. lo: Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Quando contra carnem concupiſcit ſpiritus, iam facta eſt eius voluntas in cœlo. Quando contra ſpiritum non concupiſcit caro, iam facta eſt voluntas eius in terra. Erit hæc plena concordia, quando ipſe voluerit, ſit modo pugna, vt poſſit eſſe vi- 3. ſenſ. ctoria etiam ſic bene intelligi poteſt: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra: vt cœlum ponamus Eccleſiam, quia portat Deum; terram autem infideles, quibus dictum eſt: Terra es, & in Gen. 3. terram ibis. Quando ergo oramus pro inimicis noſtris, inimicis Eccleſię, inimicis nomini Chriſtiano, hoc oramus, vt fiat voluntas eius, ſicut in cœlo, ita & in terra, id eſt, ſicut in tuis fidelibus, ſic & in tuis blaſphematoribus, vt omnes cœ- Aug. lum fiant. Et ſerm. 128. de temp: Sicut in cœlo, & in terra, ſiue iuſtos, & peccatores, ſiue 4 ſenſ. animam, & corpus, ſiue Chriſtum, & Eccleſiam 2 ſenſ. 1 ſenſ. intelligamus. Sicut in cœlo, & in terra, id eſt, ſicut in Angelis, ita in hominibus, & ſicut in iuſtis, ita & in peccatoribus, vel ita conſentiat caro tuæ voluntati, ſicut conſentit ſpiritus. 4 ſenſ.

Greg. lib. 15. Moral. cap. 15: Quid per cœlos, Greg. niſi iuſtos, & quid per terram, niſi peccatores accipimus? vnde & in Dominica oratione petimus. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra; vt videlicet voluntas noſtri Conditoris, ſicut in omnibus iuſtis perficitur, ita & in omnibus quoque peccatoribus impleatur. De iuſtis quoque ſcriptum eſt: Cœli enarrant gloriam Dei, & pec- Pſal. 18. canti homini ſententia infertur, qua dicitur: Gen. 3. Terra es, & in terram ibis.

Hieron. ad finem cap. 8. Ezechiel: Qui non Hier. intelligunt, quid ſibi proſit, & orant frequenter contraria, expedit eis, vt non exaudiantur à Domino. Vnde & in oratione Dominica dicimus: Fiat voluntas tua, non voluntas noſtra, quæ er- Tua voluntas, non noſtra. rare conſueuit; ſed voluntas tua, quæ futura cognoſcit; magnæque interdum fælicitatis eſt, ad præſens miſericordiam non mereri.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 85: Domini doctrina Iſidor. in oratione, qua præter alia omnia diuina maieſtate digna documenta, hoc petitur: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra, precibus hoc à Deo contendere docet, virtutum cæleſtium pacem, quæ diſſidij omnis expers eſt, nobis quoque, qui in terra verſamur, impertire digneris: vt quemadmodum in ipſis voluntates omnes tuæ perficiuntur; ita etiam in nobis, quæ tibi grata ſunt, fiant. Hæc igitur, & cùm prius perſpecta habueris, & nunc ex me intellexeris, pacem arripe, ac mordicus eam retine. Cœleſtis enim eſt, ac Deo vicina.

Not. 11. ver. 15.

BASIL. in regul. breuioribus interrog. 252: Baſ. Quis eſt panis *oepiouſios*, qui vt detur nobis, quo- 4 petitio. tidie precari inſtituti ſumus? Reſponſ. Quotieſcunque is, qui laborat, memoria tenens Dominum dicere: Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, aut quid bibatis: itemque Apoſto- Epheſ. 4. lum præcipere, laborandum eſſe, vt habeamus, vnde tribuamus neceſſitatem patienti: non propter propriam vtilitatem, ſed propter mandatum Dei. Laborat (dignus eſt enim operarius cibo ſuo) tunc ille panem *ton epiouſion*, hoc eſt, ad quotidianam vitam ſubſtantiæ noſtræ vtilem, non ſui iuris facit, ſed à Deo ſupplicìter petit. Et aperta ipſi neceſſitate indigentiæ ſuæ, tum demum manducat, quod ſibi datur ab eo, cui de communi cæterorum iudicio delatum illud munus eſt, vt quotidie illud faciat: Diui- Act. 4. debatur ſingulis, prout cuique opus erat.

Greg. lib. 24. Moral. cap. 7: Iuſtitia noſtra di- Greg. citur, non quæ ex noſtro noſtra eſt; ſed quæ diuina largitate fit noſtra: ſicut in Dominica oratione dicimus: Panem noſtrum quotidianum Noſtrum. da nobis hodie: Ecce & noſtrum dicimus: & tamen, vt detur, oramus. Noſter quippe fit, cum accipitur, qui tamen Dei eſt: quia ab illo datur. Et Dei ergo eſt ex munere; & noſter fit veraciter per acceptionem.

Hieron. lib. 3. aduerſus Pelagianos: Panem Hier. quotidianum, ſiue ſuper omnes ſubſtantias venturum

turum Apoſtoli deprecantur, vt digni ſint aſſumptione corporis Chriſti. Er vos per nimiam ſanctitatem, ſecuramque iuſtitiam audacter vobis cœleſtia dona vendicatis. Et Matt. 6: Panem noſtrum, &c. quod nos ſuperſubſtantialem expreſſimus, in Græco habetur *epiouſion*, quod verbum ſeptuaginta Interpretes *periouſion* frequentiſſimè transferunt. Conſiderauimus ergo in Hebræo, & vbicunque illi *periouſion* expreſſerunt, nos inuenimus *ſegulath*, quod Symmachus *exaireton*, id eſt, præcipuum, vel egregium tranſtulit, licet in quodam loco peculiare interpretatus ſit. Quando ergo petimus, vt peculiarem, vel præcipuum nobis Deus tribuat panem, illum petimus, qui dicit: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. In Euangelio quod appellatur ſecundum Hebræos, pro ſuperſubſtantiali pane reperi *machar*, quod dicitur craſtinum, vt ſit ſenſus: Panem noſtrum craſtinum, id eſt, futurum, da nobis hodie. Poſſumus ſuperſubſtantialem panem, & aliter intelligere, qui ſuper omnes ſubſtantias ſit, & vniuerſas ſuperet creaturas. Alij ſimpliciter putant (ſecundum Apoſtoli ſermonem dicentis: Habentes victum, & veſtitum, his contenti ſimus) de præſenti tantum cibo ſanctos curam agere. Vnde & in poſterioribus ſit præceptum: nolite cogitare de craſtino. Et in cap. 2. epiſt. ad Titum: Illud quod in Euangelio ſecundum Latinos interpretes ſcriptum eſt: Panem noſtrum quotidianum, da nobis hodie, melius in Græco habetur: Panem noſtrum *epiouſion*, id eſt, præcipuum, egregium, peculiarem: eum videlicet, qui de cœlo deſcendens, ait: Ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi. Abſit quippe, vt nos, qui in craſtinum cogitare prohibemur, de pane iſto, qui poſt paululum concoquendus, & abijciendus eſt in ſeceſſum, in prece Dominica rogare iubeamur. Nec multum differt inter *epiouſion*, & *periouſion*, præpoſitio enim tantummodo eſt mutata, non verbum. Quidam *epiouſion* exiſtimant in oratione Dominica: Panem dictum, quod ſuper omnes *ouſias* ſit, hoc eſt, ſuper vniuerſas ſubſtantias. Quod ſi accipitur non multum ab eo ſenſu differt, quē expoſuimus. Quidquid enim egregium eſt, & præcipuum, extra omnia eſt, & ſuper omnia.

Aug. ſerm. 28. de verbis Domini: Panem noſtrum quotidianum, da nobis hodie, memini ſermonis mei, cum de ſacramentis tractarem, dixi vobis, quod ante verba Chriſti, quod offertur panis dicatur: vbi Chriſti verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, ſed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica, quæ poſtea ſequitur ait: Panem noſtrum? Panem quidem dixit, ſed *epiouſion* dixit, hoc eſt, ſuperſubſtantialem. Non iſte panis qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Ideo ergo Græcè *epiouſios* dicitur, Latinus autem hunc panē quotidianum dixit, quia Græci dicunt aduenientem. Ergo quod Latinus dixit, & Græcus, vtrumque vtile videtur. Græcus vtrumque vno ſermone ſignificauit, Latinus quotidianum dixit. Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumas, quem iam modum, Græci in Oriente facere conſueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit: ſic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere: quomodo ſanctus Iob pro filijs quotidie offerebat ſacrificium, ne fortè aliquid vel in corde, vel in ſermone peccaſſent. Ergo tu audis, quod quotieſcunque offertur ſacrificium, mors Domini, reſurrectio Domini, eleuatio Domini ſignificetur, & remiſſio peccatorum, & panem iſtum vitæ noſtræ quotidianum non aſſumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit, vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus; medicina eſt cœleſte, & venerabile ſacramentum. Panem noſtrum quotidianum, da nobis hodie. Quotidie ſi accipis, quotidie tibi hodie eſt, tibi hodie eſt Chriſtus, tibi quotidie reſurgit. Quomodo? filius meus es tu, ego hodie genui te. Hodie eſt quando Chriſtus reſurgit. Heri, & hodie ipſe eſt, Paulus Apoſtolus ait. Sed alibi dicit: Nox præceſſit, dies appropinquauit. Nox heſterna præceſſit, dies hodiernus appropinquauit. Et hom. 42: Panem noſtrum quotidianum, da nobis hodie: Poteſt ſimpliciter accipi, orationem iſtam fundere nos pro victu quotidiano, vt abundet nobis, & ſi non abundet nobis, non deſit nobis. Quotidianum autem dixit, quamdiu hodie vocatur. Quotidie viuimus, quotidie ſurgimus, quotidie ſaturamur, quotidie eſurimus: det nobis quotidianum panem: quare non dixit & tegumentum? victus enim noſter in cibo eſt, & in potu, tegumentum in veſtitu, & tectu. Nihil homo plus deſideret; quandoquidem dicit Apoſtolus: Nihil intulimus in hunc mundum; ſed nec auferre quid poſſumus; victum, & tegumentum habentes, his contenti ſimus. Pereat auaritia, & diues eſt natura. Ergo ſi ad quotidianum victum pertinet, quia & hoc bene intelligitur, quod dicimus: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, non miremur, ſi nominato pane cætera neceſſaria intelligantur. Quomodo? Quando Ioſeph inuitauit fratres ſuos, homines, inquit, illi hodie mecum manducabunt panem. Quare panem ſolum manducaturi erant? ſed à ſolo pane intellecta ſunt cætera. Sic quādo rogamus panem quotidianum, quicquid nobis propter carnem noſtram in terris neceſſarium eſt, poſtulamus. Sed quid ait Dominus Ieſus? Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis; intelligitur hoc etiam valde bene: Panem noſtrum quotidianum, da nobis hodie, Euchariſtiam tuam quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum eſt eis accipere panem quotidianum, huic tempori neceſſarium. Pro ſe rogant, vt bona faciant, vt in bonitate, & fide, & bona vita perſeuerent. Hoc optant, hoc orant: quia qui non perſeuerant in bona vita, ſeparabuntur ab illo pane. Ergo panem noſtrum quotidianum, da nobis hodie, quid eſt? ſic viuamus, vt ab altari tuo non ſeparemur: & verbum Dei, quod quotidie nobis aperitur,

Marginalia (left column): 4. ſen. — Hier. — 1. ſenſ. — 1. Tim. 6. — Hier. — 2. ſenſ. — ſenſ. — Aug. — 1. ſenſ.
Marginalia (right column): Frequēter communicandum. — Iob 1. — Pſal. 2. — Heb. 13. — Rom. 13. — Aug. — 1. ſenſ. — Quotidianum. — 2 Tim. 6. — Gen. 43. — 2. ſenſ. — 3. ſenſ.

aperitur,& quodammodo frágitur, panis quotidianus eſt. Et quomodo illum panem ventres, ſic iſtum eſuriunt merites. Et hunc ergo petimus ſimpliciter, & quicquid animæ noſtræ, & carni noſtræ in hac vita neceſſarium eſt, quoti-
Aug. diano pane concluditur. Et ſerm.182. de
1. ſenſ. temp. ſequitur 4. petitio: Panem noſtrum quotidianum,da nobis hodie. Poteſt & ſimpliciter intelligi de corporali cibo,& ſpiritualiter de pa-
3. ſenſ. ne diuini verbi; ſi de corporali agitur non extendit petitionem ſuam in longum iſte orator, ſed præceptum ſequitur Euangelicum,vbi dicitur: Nolite cogitare de craſtino,craſtinus enim
1. Tim. 6. dies ipſe cogitabit ſibi. Sic & B. Apoſtolus monet:Habentes victum,& tegumentum his con-
2. ſen. tenti ſumus.Si verò ſpiritualiter accipias panem iſtum, vel ipſum Chriſtum intellige, qui eſt ſuperſubſtantialis animæ panis, quia omnem ſuperat ſubſtantiam,qui de ſeipſo ait:Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi, vel ipſum in-
3. ſenſ. tellectum verbi diuini,qui nobis neceſſarius eſt, ad reficiendas ruinas animæ, donec cognominatur hodie. Ideo panis dicitur,quia laborando,& diſſerendo diſcitur, & ita quaſi mandendo glutitur.

Not. 12. ver 16. & 19.

Greg. 5. petitio. GREG. lib.10. Moral. cap.18: Quid hac doloris macula reperiri deterius poteſt, quæ in conſpectu Iudicis charitatem non inquinat,ſed necat?vitam quippe animæ quælibet culpa polluit,ſeruatus verò contra proximum dolor occidit. Menti namque vt gladius figitur, & mucrone illius,ipſa viſcerum occulta perforantur. Qui ſcilicet à transfixo corde ſi prius non educitur, nihil in precibus diuinæ opis obtinetur: quia & vulneratis membris imponi ſalutis medicamina nequeunt, niſi ferrum à vulnere ante ſubtrahatur. Hinc eſt enim quod per ſemetipſum Veritas dicit: Niſi remiſeritis hominibus peccata eorum; nec Pater noſter, qui in cœlis eſt, remittet vobis peccata veſtra. Hinc admonet dicens: Cum ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis aduerſus alterum; hinc rurſus ait: Date, & dabitur vobis: dimittite, & dimittetur vobis. Hinc contra inſtitutionem poſtulationis,conditionem poſuit pietatis,dicens: Dimitte nobis debita noſtra,ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: vt profectò bonum, quod à Deo compuncti petimus: hoc primum cum proximo conuerſi faciamus. Tunc igitur verè ſine macula faciem leuamus, cum nec nos prohibita mala committimus, nec ea, quæ in nos (à proximis) commiſſa ſunt, ex proprio zelo retinemus. Graui namque mens noſtra, orationis ſuæ tempore, confuſione deprimitur: ſi hanc aut ſua adhuc operatio inquinat,aut alienæ malitiæ ſeruatus dolor accuſat.

Hier. Hieron. lib. 2. aduerſus Iouinianum: Certè poſt crucem in oratione Dominica dicimus:Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si non peccamus poſt baptiſma, cur nobis poſcimus peccata dimitti, quæ in baptiſmate iam dimiſſa ſunt?
Et lib. 3. aduerſus Pelagianos: De baptiſmatis Hier. fonte ſurgentes,& regenerati in Dominum Saluatorem: impleto illo,quod de ſe ſcriptum eſt: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,& quo- Psal. 31. rum tecta ſunt peccata. Statim in prima corporis communione Chriſti dicunt: Et dimitte nobis debita noſtra, quæ illis fuerant in Chriſti confeſſione dimiſſa: & tu arrogans, & ſuperbus de ſanctarum puritate manuum, & mūdicia eloquij gloriaris. Quamuis ſit hominis perfecta conuerſio,& poſt vitia,atque peccata,virtutum plena profeſſio: nunquid poſſunt ſic eſſe ſine vitio, quomodo illi qui ſtatim de Chriſti fonte procedunt? & tamen iubentur dicere: Dimitte nobis debita noſtra,ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: non humilitatis mendacio,vt tu interpretaris,ſed pauore fragilitatis humanæ ſuam conſcientiam formidantes.

Aug. ſerm.28.de verbis Domini: Sequitur:Et Aug. dimitte nobis, &c. Debitum quid eſt niſi peccatum?ergo ſi non accepiſſes alieni fœnoris pecuniam non egeres, & ideo peccatum tibi imputatur. Habuiſti pecuniam cum qua diues naſcereris. Diues eras ad imaginem Dei,& ſimili- Gen. 1. tudinem factus, perdidiſti quod habebas, hoc eſt,humilitatem, dum arrogantiam deſideras vendicare, perdidiſti pecuniam, ſicut Adam, nudus es factus, accepiſti à diabolo debitum, quod non erat neceſſarium, & ideo qui eras liber in Chriſto,debitor factus es diabolo. Cau- Gen. 3. tionem tuam tenebat inimicus,ſed eam Dominus crucifixit, & ſuo cruore diluit. Abſtulit debitum tuum,reddidit libertatem.Bene ergo ait: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Vide quid dicas: Quomodo ego dimitto, ſic & tu dimitte mihi, ſi dimiſeris bene conuenit, vt dimittatur tibi. Si non dimittis, quomodo eum conuenis?
Et hom. 42: Dimitte nobis,dicimus,debita no- Aug. ſtra,& dicamus, quia verum dicimus: Quis enim hic viuit in carne, & non habet debita&c. Fusè proſequitur eandem petitionem.
Et ſerm. 182.de temp: Fortè peccauit in te ali- Aug. quis, dimitte illi, veniam à te petenti,ne, dum fratri negas miſericordiam, tibi claudas patris indulgentiam, dicente Iacobo Apoſtolo: Iudi- Iac. 2. cium enim ſine miſericordia ei, qui non fecit miſericordiam. Eccleſiaſtici 28: Qui vindicari vult,à Domino inueniet vindictam,& peccata illius ſeruans ſeruabit. Relinque proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Homo homini reſeruat iram,& à Deo quærit medelam?In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam,& de peccatis ſuis deprecatur?Ipſe cum caro ſit reſeruat iram,& propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius? memento nouiſſimorum, & deſine inimicari:tabitudo enim,& mors imminent in mandatis eius.Memorare timorem Dei,& non iraſcaris proximo. Et ad Rom.12:Non vosmet- Rom. 12. ipſos defendentes, chariſſimi, ſed date locum iræ,ſcriptum eſt enim, mihi vindicta; ego retri- Deut. 32. buam, dicit Dominus.

Not. 13.

Not. 13. ver. 17.

Hier. 6. petitio. HIERON. lib. 2. aduerſus Iouin: Quid oramus ne intremus in tentationem, ſi diabolus tentare non poteſt iam baptizatos? Et lib.

Hier. 3. aduerſus Pelagianos: Illi dicunt: Ne nos inducas in tentationem, tu cum Iouiniano loqueris, eos, qui plena fide baptiſma conſecuti ſunt, tentari vltra, & peccare non poſſe.

Greg. Greg. lib. 13. Moral. cap. 16: Cor eorum longè feciſti à diſciplina, neque ita hoc dicitur, ac ſi omnipotens, & miſericors Deus, longè cor hominis à diſciplina faciat, ſed quod ſponte delapſum, ibi remanere, vbi cecidit iudicando permittat: ſicut ei in oratione quoque dicimus: Et ne nos inducas in tentationem, id eſt, induci minimè permittas.

Aug. Aug. ſerm. 182. de temp: Et ne nos inducas in tentationem, id eſt, ne patiaris nos induci in tentationem. Aliud eſt enim tentari, ſine quo nullus probatus eſt iuſtus: aliud in tentationem induci: id eſt, à tentatore induci. Hoc eſt ergo, quod oramus, vt non permittat nos Deus tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed faciat eum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere.

Sophro. Ioan. Euiràtus ad Sophronium cap. 209. ptati ſpirit: dixit quidam ſanctorum: Cum oramus ad Dominum dicentes: Ne nos inducas in tentationem: non vt non tentemur, oramus, hoc enim poſſibile non eſt, ſed ne à tentatione abſorbeamur, ſi aliquid agamus, quod diſpliceat Chriſto: hoc enim eſt non intrare in tentationem. Sancti enim Martyres tentati per ſupplicia, nec ſuperati, non intrarunt in tentationem: ſicuti, neque qui pugnat cum beſtia, quouſque non deuoratur ab ea. Cùm verò deuoratus fuerit, tunc introiuit in tentationem. Ita & in omni paſſione fit, neque enim intramus in tentationem, niſi à paſſione ſuperemur.

Not. 14. ver. 18.

Aug. 7. petitio. AVG. ſerm. 182. de temp: Sed libera nos à malo: non tantum in quod induci poſſumus, ſed etiam ab illo, in quod inducti ſimus; quo

Amen. peracto, nihil reſtabit lugendum; Amen autem in his petitionibus ſignificat indubitanter à Domino conferri, quod petitur, ſi vltimæ conditionis, pactum firmiter teneatur.

Hier. Hieron. lib. 3. aduerſus Pelagianos: Ad extremum inferunt: Sed libera nos à malo. Quid precantur à Domino, quod habent in liberi arbitrij poteſtate? ô homo, nunc mundus factus es in lauacro, & de te dicitur: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata, innitens ſuper fratruelem ſuum: vt lota quidem ſit, ſed cuſtodire non valeat puritatem, niſi à Domino Deo ſuſtentetur. Quomodo cupis Dei miſericordia liberari, qui paulo ante liberatus es à peccatis, niſi hac ratione, qua diximus: vt cum omnia fecerimus,

Amen. nos inutiles eſſe fatemur. Et Matt. 6. Amen, ſignaculum orationis Dominicæ eſt, quod Aquila interpretatur, fideliter: nos, verè, poſſumus dicere.

Not. 15. verſ. 20. 21. & 22.

BASIL. hom. 1. de laudibus ieiunij: Vnge caput tuum, & faciem laua. Ad reconditiorem ſenſum te vocat ſermo Dei. Qui alios vngebat, vnctus eſt: qui lauabat, ablutus eſt. Verba præcepti fac ad interna membra accommodes. Animam à peccatis ablue, vnge caput vnguento ſancto, vt conſortium habeas cum Chriſto, qui nomen habet ab vnctione, atque ita demum accedito ad ieiunium: Noli obſcurare faciem tuam more hypocritarum. Obſcuratur facies, cum internus affectus, externa ſpecie, velut incruſtamento inducto regitur, ac mendacio, ceu velo obtento celatur. Siquidem hypocrita dicitur hiſtrio, qui in theatro perſonam ſuſtinet alienam, ſæpe heri, cum ſit ſeruus: aut regis, cum ſit priuatus. Itidem in hac vita plerique vitam ſuam velut è proſcænio, ad oſtẽtationem componunt, aliud in corde gerentes, aliud in ſpecie hominum oculis præ ſe ferentes. Noli igitur obſcurare faciem. Qualis es, talis appare: ne teipſum transfigures in habitum triſtem, ac tetricum, hinc gloriam, ac laudem aucupans, ſi videare ſobrius, ac temperans. Neque enim vlla vtilitas benignitatis, cui tuba præcinit, neque fructus vllus ieiunij, quod ad publicam ſit oſtentationem. Nam quæ gerũtur ad præſentem oſtentationem, ea nequaquam porrigunt fructum in ſæculum venturum, ſed ad hominum laudem detorquent. Proin hilariter accurre ad ieiunij donum. Et in reg. breuior. interrogat. 225: Cum Dominus dixerit: Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, qui ob aliquam cauſam Deo gratam, animum induca ieiunare, ſicut & ſancti viri frequenter repe riuntur feciſſe, quoniam is, nequaquam etiam ſicut vellet, foris apparet, quid faciet? Reſp. hoc præceptum ad eos pertinet, qui Dei mandatum ob eam cauſam exequi ſtudent, vt ſpectentur ab hominibus, quo videlicet à vitio humanæ gloriæ liberentur. Quandoquidem quod mandatum Domini, ſi ad gloriam Dei fiat, nequaquam ſua ſponte, apud Dei cultores, abſcondi debeat, ipſe Dominus declarauit, cum dixit: Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, &c. Baſ. de ieiunio. Baſ.

Hieron. Matt. 6: Verbum; exterminant, quod in Eccleſiaſticis ſcripturis, vitio interpretum, tritum eſt, aliud multo ſignificat, quam vulgo intelligitur. Exterminantur quippe exules, qui mittuntur extra terminos. Pro hoc ergo ſermone, demoliuntur, ſemper accipere debemus, quod Græcè dicitur *aphanizonſi*. Demolitur autem hypocrita faciem ſuam, vt triſtitiam ſimulet, & animo fortè lætante luctum geſtet in vultu, iuxta ritum prouinciæ Paleſtinæ loquitur: Vbi diebus feſtis ſolent vngere capita. Præcepit igitur, vt quando ieiunamus, lætos & feſtiuos nos eſſe monſtremus. Multi legentes illud Pſal: Oleum peccatoris non impinguet caput meum, è contrario volunt eſſe bonum oleum; Hier. Exterminant. Pſal. 140. Oleum duplex.

Pſal. 44. oleum; de quo alibi dicitur: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lętitiæ, prę participibus tuis. Et id pręcepi vt exercentes virtutes ſpirituali oleo principale cordis noſtri vngere debeamus.

Aug. Aug. ſerm. 182. de temp: Docuit intentionem noſtram ad interna bona dirigens, qualiter eſſet ieiunandum, quando dixit: Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: illos notans, qui luctuoſis ſordibus, rigorem ſimulant abſtinentiæ, vt videantur hominibus ieiunantes.

Aug. Et ſerm. 60. de temp: Cum Dominus dicat: Vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris ieiunans hominibus, ergo contra Chriſti præcepta facimus, qui publicè ieiunium indicimus, & vidente toto populo pariter cum ipſo ieiunamus: & in hoc ſenſu oportet intelligi, vt nemo pro laude humana, ſed pro peccatorum indulgentia, vel pro miſericordia diuina ieiunet: & vnuſquiſque interroget conſcientiam ſuam, & ſi pro ſolo Deo facit, ſecurus, & publicè faciat, vt quicumque viderint, imitentur.

Greg. Greg. lib. 8. Moral. cap. 30: Plerumque ſe hypocritæ mira abſtinentia affligunt, omne robur corporis atterunt, & quaſi carnis vitam funditus, in carne viuentes, extingunt; ſicque per abſtinentiam morti appropiant, vt pænè quotidie morientes viuant. Sed ad hæc humanos oculos quærunt, admirationis gloriam expetunt: Veritate atteſtante, quæ ait: Exterminant facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. Nam ora palleſcunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus ſuſpirijs vrgetur. Sed inter hæc, ab ore proximorum ſermo admirationis quæritur, nihilque tanto labore aliud, niſi æſtimatio humana cogitatur.

Cap. 51. *De theſauro, oculo recto, auaritia, & terrena ſollicitudine.*

Matt. 6	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*
1 Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. 2 Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur; & vbi fures non effodiunt, neque furantur. 3 Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. ✠ 4 Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus. 5 Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. 6 Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ quantæ erunt? *Dom. 4. poſt Pent.* 7 ✠ Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. 8 Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit; & alterum contemnet. 9 Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. 10 Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. 11 Nonne anima plus eſt, quam eſca; & corpus pluſquam veſtimentum? 12 Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. 13 Nonne vos magis pluris eſtis illis? 14 Quis autem veſtrum cogitans, poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? 15 Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri: quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. 16 Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis. 17 Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit; quanto magis vos modicæ fidei? 18 Nolite ergo ſolliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? 19 Hæc enim omnia gentes inquirunt. 20 Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.			

Quærite

Matt. 6.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*
21 Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis. +			
22 Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum.			
23 Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibiipſi.			
24 Sufficit diei malitia ſua.]			

Not. 1. verſ. 1. & ſequ.

Cypr. CYPR. lib. de opere, & eleemoſynis cap. 3: In Euangelio Dominus Doctor vitæ noſtræ, & magiſter ſalutis æternæ, viuificans credentium populum, & viuificatis conſulens in æternum, inter ſua mandata diuina, & præcepta cœleſtia, nihil crebrius mandat, & præcipit, quam vt inſiſtamus eleemoſynis dandis, nec terrenis poſſeſſionibus incubemus; ſed cœleſtes theſauros potius recondemus. Vendite, inquit, res veſtras, & date eleemoſynam: & iterum: Nolite vobis condere theſauros ſuper terram, vbi tinea, & comeſtura extermінat. &c.

Chryſoſt. Chryſoſt. lib. 1. de compunct. cordis: Quid dicam de mandato illo, quo iubemur non theſaurizare ſuper terram? Quod forte quidem faciunt pauci: cæteri verò quaſi è contrario audierint præceptum, & quaſi dictum ſit ad eos: Theſaurizate vobis omni modo ſuper terram: ita relinquentes cœlum, adhæſerunt terræ, & inſaniunt erga pecunias congregandas, totoque affectu Deum quidem oderunt; diligunt autem mammonam. Quod autem dictum eſt: Nolite cogitare de craſtino; nec audire ego ſcio aliquē, nec omnino ſeruare: & propterea de hoc mandato dicere aliquid erubeſco; ſed cum confuſione prætereo. Etenim oportebat nos quocunque pacto loquente Chriſto, & pronuntiante, non dubitare; ſed credere. Nunc vero etiam cum & cauſas, & rationes adhibeat mādatorum ſuorum, atque exemplis ea validiſſimis muniat, ne ſic quidem erubeſcimus. Propter hoc enim & auium, quæ non arant, neque ſeminant; & liliorum, quæ non nent, ſimilitudines poſuit; vt nemo dubitaret: & tamen nos, ſicut gentes, aut fortè etiam aliquid deſpicabilius gentibus, de his ſingulis cogitando conſumimur: & cum neque pro his orare iubeamur, nos omne ſtudium erga hæc impendimus. Sed de hoc vt dixi mandato erubeſcens plura dicere prætereo.

Eut. Euthym. Matth. 6: Eiecta iam inanis gloriæ ægritudine, oportunè deinceps legem de inopia ſtatuit. Nihil enim adeo diuitiarum inducit amorem; quemadmodum vana gloria. Ob hanc ſiquidem & mancipiorum greges, & eunuchorum examina, & equos auro adornatos, ac menſas argenteas, omnemque faſtum alium excogitant homines; non ad neceſſitatem; ſed ad oſtētationem damnum oſtendit, quod à theſaurorum reconditione prouenit, & commoda quæ ex eorum in cœlis coaceruatione ſequuntur: *ſis* autem vermem ſignificat; qui pleriſque poſſeſſionibus innaſcitur, *broſis* vel *vrosis* vero ſignificat putrefactionem, ad rubiginē, mutationem, omnemq; huiuſcemodi à ſeipſo corruptionem indicat. Quid ergo etiam aurum perdunt vermes? Etſi non vermes, attamen fures. Omnes igitur ſpoliantur? Plurimi ſanè. Incertum eſt autem qui à violentia tuti permaneant. Quæ verò pauperibus diſtribuūtur, quonam pacto in cœlo recunduntur? Quo pacto? In eo, quod horum retributiones, ac remunerationes ibi reponuntur. Quæ autem ibi repoſita ſunt, & collecta, ſecura permanent. Allegoricè autem tinea, & corruptio ſignificat inductam in animo opinionē, quæ latenter corrodit bona, circa quæ ipſa verſatur. Fures autem perfodientes, laudes ſunt, quæ extrinſecus ſubingrediuntur perfodientes leuia propoſita, & compilantes reconditas virtutum diuitias.

Tinea quid ſit. Ærugo quid ſit. — Fures. — Senſus allegoricus.

Amb. Ambroſ. ſerm. 12. in Pſal. 118: Theſaurus tuus eſt fides, pietas, miſericordia: Theſaurus tuus Chriſtus eſt. Noli eum æſtimare de terris, hoc eſt, de creaturis, quia Dominus totius Creaturæ eſt. Maledictus, inquit, homo, qui ſpem habet in homine; ſed mihi ſalus per hominem venit. Vide tamen quid ſcriptura verus dixerit: Et homo eſt, & quis cognoſcet eum? Ille ergo homo non humana mihi, ſed diuina poteſtate omnia peccata donauit. Deus in corpore Dominus Ieſus, mundum reconcilians ſibi, quem redimebat à culpa; theſaurus noſter, pretioſus intellectus eſt, ſi terrenus intellectus fuerit, ſi fragilis, hæretica cum tinea, & impietatis ærugo conſumet. Hier. 17.

Not. 2. verſ. 3.

Hier. HIER. Matt. 6: Vbi enim eſt theſaurus, &c. Hoc non ſolum de pecunia, ſed & de cunctis paſſionibus ſentiendum eſt. Guloſi Deus venter eſt: ibi ergo habent cor, vbi eſt theſaurus. Luxurioſi theſaurus epulæ ſunt; laſciui, ludicra: amatoris, libido. Huic ſeruit vnuſquiſque, quo vincitur.

Eut. Euth. Matth. 6: Aliam inducit conſiderationem: cor in hoc loco mentem appellat. Dicit autem quod etſi nihil horum fieret, omnino tamen vbi eſt theſaurus veſter, ibi erit & mens veſtra. Neque paruum id animæ nocumentum eſt, mentem videlicet ſuam ibi captam eſſe, & circa theſauri cuſtodiam, multimoda cura diſtringi, talique ſubiectam eſſe tyrannidi, neque audere ad aliam tranſire cogitationem.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 21. in Matt: Etiamſi nihil tale contingeret, non tamen exiguum pateris incommodum, terrenis rebus affixus, & ſeruus factus ex libero, & cœleſtibus bonis excidens, nunquam de ſublimibus cogitans, ſed pecunias iugiter & vſuras, & fœnus ſemper, ac lucra, &

reditus [illegible] illiberales. Quo quid tandem [illegible] infelicius inuenies [illegible] quippe [illegible], quilibet [illegible], tyrannidi huic [illegible] ſubiugatus, quæque omnibus potiora ſunt, pariter obijciens, propriæ ſcilicet libertatis, ac nobilitatis inſignia. Quantacunque enim tibi aliquis voluerit de veritate diſſerere, mente pecunijs affixa, nihil ex vtilibus poteris audire: ſed quaſi quidam canis ad ſepulchrum reuinctus, & tyrannide pecuniarum omni catena tenacius illigatus, adeuntes te atque poſcentes latratibus tuis perſonas, vnum, atque idem iuge opus exequens vt alijs repoſita conſerues: quo quid

Chryſoſt. vnquam poſſit miſerius iudicari. Et hom. in Pſal. 9: Ita etiam perpetuò poteris narrare Dei miracula: hoc enim dicit Pſal. ab initio: nam qui tenetur amore pecuniæ, non valde poteſt in ea re verſari: nam perpetuò meditatur vſuras, contractus, ſyngraphas, venalia teſtamenta, ægrotum pretia, pretia domorum, lucra, cauponationes; & narrare, & cogitare non ceſſat. Vbi eſt autem theſaurus hominis, illic eſt etiam cor eius. Hæc loquitur, hæc meditatur, & quemadmodum ſerui ea, quæ ſunt dominorum meditantur, ita hi etiam ea meditantur quæ ſunt Domini. Quid iuſſit? Quid perfectum eſt: Quid nondum perfectum eſt?

Chryſoſt. ſed eſt perficiendum? Et hom. in Pſal. 111: Siue bellum viderit aduentare, ſiue terræ motum oppida diruere; ſiue latrones, & murorum effoſſores omnia eripere, ſiue barbaros incurſiones facere; ſiue morbum mortem minitari; ſiue iram iudicis; ſiue quodcunque aliud iuſtus minimè extimeſcet: ſuas enim opes antea depoſuit in loco tutiſſimo, & ex quo non poſſunt eripi. Et imminente morte non modo non metuūt; ſed etiam feſtinat quamprimum in ea loca concedere vbi ſunt eius merces. Vbi eſt enim theſaurus hominis, illic cor eius. Si enim mercatores qui domum multa onera præmiſerunt, properant quotidie videre ſuas diuitias, multò magis hic, qui in cœlis omnes ſuas facultates antea depoſuit, volet à rebus præſentibus auulſus ad futuras feſtinare.

Not 30 ver. 4. 5. 6.

Hier. Lucerna. Corpus. Oculus ſimplex. HIERON. lib. aduerſus Luciferianos: Lucerna corporis eſt oculus, id eſt, Eccleſiæ lumen eſt Epiſcopus; ſi autem oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus tuum lucidum erit. Sacerdote enim fidem veram prædicante ex omnium corde tenebræ diſcutiuntur: ſi autem lumen, quod

ſenſ. in te eſt, tenebræ ſunt, ipſe tenebræ quantæ erunt? Et rectè. Nam cum ideo Epiſcopus in Eccleſia conſtituatur, vt populum coerceat ab errore, quantus erit error in populo cum errat ipſe, qui doceat? vnde ad me lumen introeat, cum

Hier. ſen. oculus meus cæcus ſit? Et Matt. 6: Lippientes ſolent lucernas videre numeroſas: ſimplex oculus, & purus ſimplicia intuetur, & pura, hoc totum transfert ad ſenſum. Quomodo enim corpus, ſi oculus non fuerit, totum in tenebris

eſt: ita anima ſi principalem ſui [illegible] perdiderit, vnoquoque [illegible] biturus: ſi ergo lumen quod in te eſt tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? [illegible] ſenſus qui lumen eſt animæ vitio caligatur: ipſa putas, caligo quibus tenebris obuoluetur.

Greg. lib. 28. Moralium cap. 13. Quid per oculum exprimitur, niſi opus ſuum præueniens cordis intentio? quæ priuſquam ſe in actione exerceat, hoc iam quod appetit contemplatur. Et quid appellatione corporis deſignatur, niſi vnaquæque actio, quæ intentionem ſuam, quaſi intuentem oculum ſequitur? lucerna itaque corporis eſt oculus: quia per bonæ intentionis radium merita illuſtrantur actionis. Et ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: quia ſi rectè intendimus per ſimplicitatem cogitationis, bonum opus efficimus, etiamſi minus bonum eſſe videatur. Et ſi oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit, quia cum peruerſa intentione quid vel rectum agitur: & ſi ſplendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni iudicis obſcuratur. Vnde & rectè ſubiungitur: Vide ergo ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint: ſi lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt; ipſe tenebræ quantæ erunt? quia ſi hoc, quod bene nos agere credimus, ex mala intentione fuſcamus: quanta ipſa mala ſunt, quæ mala eſſe, etiam cum agimus, non ignoramus? Et ſi ibi nihil cernimus, vbi quaſi diſcretionis lumen tenemus: qua cæcitate in illa offendimus, quæ ſine diſcretione perpetramus? vigilanti igitur cura per cuncta opera intentio nobis noſtra penſanda eſt: vt nihil temporale, in his quæ agit, appetat; totam ſe in ſoliditate æternitatis figat: ne ſi extra fundamentum actionis noſtra fabrica ponitur, terra dehiſcente ſoluatur.

Et lib. 13. Moral. cap. 14: Quid per oculum, niſi cordis intentio deſignatur? ſicut ſcriptum eſt: Si fuerit oculus tuus ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Quia cum bona intentione quid agitur, eius intentionis actio apud Deum minimè fuſcatur. Et hom. [illegible] in Ezechiel: Quicquid ergo agitur, in radice intentionis penſandum eſt, quo merito apud iudicium Creatoris habeatur, vnde & idem Creator dicit: Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; oculum videlicet intentionem, Oculus corpus corpus verò actionem nominans. Quia ſi noſtra intentio apud Deum ſimplex fuerit in eius iudicio noſtra actio tenebroſa non erit.

Ambr. lib. de dignitate Sacerdotali cap. [illegible]: De quibus oculis in Euangelio dicitur: Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; id eſt, ſi Epiſcopus qui lumen promeruit præeſſe in corpore, ſimplicitate eſt ſancta, & innocentia decoratus, omnis Eccleſia ſplendore luminis radiatur. Si autem oculus tuus nequam eſt, totum corpus tuum tenebroſum eſt, quid eſt, ſi Epiſcopus, qui videbatur corpori ſubdito lucem præbere, obnubiletur nequitiæ cæcitate, quid cętera faciant membra, quibus lux adempta eſt oculorum? id eſt, quid

ſecula-

ſecularis facta eſt multitudo, cum voluptatibus illicitis,& actionibus vetitis ad ſimilem facinorum voraginem, Epiſcopus multitudinem populi prouocauerit,vt nulli iam iamque illicitum eſſe videatur,quod ab Epiſcopo quaſi licitum perpetratur:ſed ipſum magis credũt homines eſſe laudabile,quicquid Epiſcopus habuerit delectabile;nec quiſquam quod agerę Pontifex non dubitat,ſe indubitanter agere dicat.

Chryſoſt. Luc. 11. Chryſoſt. hom. in Pſal. 4: Quemadmodum quando dicit:Si lux quæ in te eſt,tenebræ ſunt, quantæ ſunt tenebræ? Quando eſt Gubernator ebrius, & fluctuum, ac ventorum imitatur inconſtantiam,ac perturbationem,quomodo fieri poteſt, vt nauis ſeruetur?

Aug. Oculus eſt intentio. Aug.lib.de opere Monachorum cap.26:Eam quippe intentionem, quate quid fiat, oculum vocat: Vnde paulò ſuperiùs loquebatur, vt ad hæc deſcenderet, & dicebat: Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus. Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si verò oculus tuus nequam fuerit,totum corpus tuum tenebroſum erit, id eſt, talia erunt facta tua, qualis fuerit intentio tua, cur ea facias.

Aug. Oculus intentio. Et lib. 4. contra Iulianum cap. 3:Hunc oculum agnoſce intentionem, qua facit quiſque quod facit: Et per hoc diſce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc eſt, eius, quę per dilectionem operatũr,totum quaſi corpus, quod illis velut membris, operibus conſtar, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum nigredine peccatorum. Eundem vide lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 21. (Gal. 5. Aug.)

Bern. Bernard.tract.de præcepto,& diſpenſatione: Ad oculũ ſimplicem duo requiruntur. Ego vero, vt interior oculus verè ſimplex ſit, duo illi arbitror eſſe neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam ſi bonum quidem diligat; ſed verum non eligat: habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam: & neſcio quemadmodum iudicio veritatis,vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas. Volens deniq; ad veram diſcipulos inſtruere ſimplicitatem Magiſtra veritas: Eſtote, inquit, prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Præmiſit ergo prudentiam, ſine qua neminem ſatis eſſe poſſe ſimplicem ſciret. Quomodo denique ſimplex erit oculus cum ignorantia veritatis? Aut verò vera poteſt dici ſimplicitas, quam ſimplex ignorat veritas? ſcri-
1 Cor. 14. ptum eſt enim: Ignorans ignorabitur. Pater ergo laudabilem illam,& à Domino laudatam ſimplicitatem, abſque his duobus non eſſe bonis, beneuolentia, atque prudentia: vt oculus videlicet cordis non ſolum pius, qui fallere nolit, ſed & cautus, qui falli non poſſit. Cæterum ſicut oculum ſimplicem duo iſta faciunt bona, amor boni, & cognitio veri: ſic nequam
Oculum nequam duo faciunt. oculum duo è regione mala conſtituunt,cæcitas, qua fit vt veritatem non agnoſcat: & peruerſitas, qua fit vt diligat iniquitatem. Porrò inter duo hæc bona,quæ nec fallere,nec falli ſinunt; & duo illa mala, quæ tam fallere, quam falli faciũt,duo ſunt media. Vnum quidem bonum, per quod oculus interior, & ſi falli queat ignorantia veri,zelo tamen boni fallere penitus non conſentit. Alterum vero malum,quod licet veri notitiam nõ impediat,amorem tamen boni præ malitia minimè ſentit. Et quoniam omnis res melius diuiſione innoteſcit : ſecundum hoc duplex malum,& illud idem geminum bonum,quadrifariam diuidamus oculum cordis, in bonum & meliorem: in malum, & peiorem. Et ſubdamus exempla. Eſt qui bonum diligit,& malum neſcius agit; huius quidem bonus eſt oculus,quia pius,non tamen ſimplex quia cæcus. Et eſt qui bonum, & libenter agit,& prudenter intelligit. Iſtiùs reuera oculum, non immeritò ſimplicem dixerim, vtpote, cui neutrum bonũ deſit,nec zelus ſcilicet bonus,nec ſcientia. Hunc ergo profectò requirit oculum Deus,cum reſpicit ſuper filios hominum,vt videat,ſi eſt intelligens,aut requirens Deum. Eſt è contrario qui bonum minimè diligens, ex malitia quidẽ peruerſus eſt,ſed ſapiens,vt faciat malum,per ignorantiam cæcus non eſt. Quem quidẽ ideo nondum appellauerim nequam, quod vnum ei, licet ad ſuum malum, non deſit bonum, id eſt, ſcientia. Sed eſt qui bonum fortè neſciens, quod non diligit, agit,cui profectò non incongruè id quod dicitur, nequam aſſignauerim, eo quòd neutro careat malo,nec cæcitate,nec peruerſitate. Dicitur ſiquidem nequam, quaſi nequaquam:vt is ſolummodo nequam appelletur,qui nequaquam,hoc eſt, in nullo penitus appareat bonus;ſed ſit vtroque bono vacuus, tam videlicet veri notitia, quam & beneuolentia. Alius itaque pius oculus, non quidem fallere promptus, ſed tamen falli, vt dictum eſt pronus, de
quo Propheta: Effraim, inquit, quaſi columba Oſe 7.
ſeducta non habens cor. Alius eſt,quẽ Dominus ſimplicem dicit,tam nec fallere facilis, quã nec falli,de quo & Apoſtoli docentur, cum eis dicitur: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Et item alius eſt oculus ſimpliciter malus, fallens vtique libenter, ſed non facilè falſus, Qualem profectò habent illi, qui ore Dominico aſtruuntur prudentiores eſſe filijs lucis in generatione ſua. Et alius,quem nequam eſſe definimus, quia ſit dupliciter malus, cui quippe & malitia parit ignorãtiam,& ignorantia malitiam operit, ita vt ſæpè neſciens, & malum quod vult non faciat; & bonum faciat, quod non vult. Obſcuratum nempe eſt inſipiens cor eorum, qui iſtiuſmodi ſunt,& quaſi iam traditi in reprobum ſenſum , bonum omnino nec diligere, nec dignoſcere queunt. De
talibus ſcriptum eſt : Impius, cum venerit in Prou. 18.
profundum malorum,contemnit. Nam qui huiuſmodi eſt,cauere profectò malum nec vult,etiamſi poſſit,nec ſi velit,ſcit. Quamobrem hũc oculum in ſuperiori diuiſione illo altero cenſui non immeritò peiorem;non quia malignior ſit, ſed quia periculoſior. Ignorantia quippe ſecuriorem, ſecuritas ſegniorem facit, non nequiorem. Eſt tamen ex hoc proculdubio deterior, quod ille ſolum habet malum,malam intentionem;iſte & falſam conſideratione. Ille vno caret è duobus bonis,bono zelo,iſte & vero iudicio.

Ex hoc itaque peſſimo oculo, qui neutrum bonum habet, & item ex illo optimo, qui neutro caret, ſentiendum eſt veritatem diſſeruiſſe, aut tenebris obuolui totum corpus, aut luce perfundi. Nam reliqui duo quorum neuter vtrumque aut bonum habet, aut malum: etſi ex parte poſſunt, non tamen toti ſufficiunt, vel lucem dare, vel tenebras corpori. Si igitur (vt ad propoſitam quæſtiunculam reuertamur) is rectè oculus nequam eſt, qui peruerſus pariter, & cæcus bonum agit, & malum credit, vtique rectè operando, ſed opinando iniquè, bonum ſibi in malum vertit, & tantum malum, quantum crediderit, quandoquidem iuxta ſententiam Domini totum corpus tenebroſum reddit oculus nequam. Quid enim luci relinquitur, vbi nec pia intentio, nec vera opinio inuenitur? Et non ideo ſequitur, vt qui è contrario malum facit, & bonum putat, iuxta ſuam fidem ſimiliter & ipſe inueniat. Quare? Non eſt quippe ſimplex oculus ille, qui ex iudicio veritatis totum corpus lucidum reddat, qualem profectò ſuperius definiuimus. Neque enim adhuc ex toto tenebræ deſinunt, vbi ignorantia veritatis lucem obſcurat voluntatis. Cum itaque ille oculus vtrumque malum, is verò minimè vtrumque habeat bonum: nonne ratio videtur exigere vt plus ille noceat, quam proſit iſte? Neque enim conſequens eſt, vt tantum valeat in bonum, bonum vnum, quantum duo mala, in malum. Et quidem laude dignam dixerim, vel ſolam intentionem piam: nec planè condigna remunetatione fraudabitur in opere quoque non bono, ipſa bona voluntas. Attamen ſine malo quocunque non erit decepta ſimplicitas.

Not. 4. ver. 7. 8. 9.

Baſ. BASIL. in moral. reg. 2 cap. 1: Quod nequaquam is Deo poteſt ſeruire, qui etiam ſe alienis à pietate negotijs immiſceat. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras?
2 Cor. 6. Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 6. in epiſt. ad Philipp: Non poteſt, inquam, fieri, vt homo auarus vnquā Chriſti faciem videat, vnum iſtud ex impoſſibilibus eſt. Radix eſt malorum. Si verò extra gloriam illam decidit, qui vnum malum habet, qui ipſam adfert radicem, vbi ſtabit? Non poteſt pecuniæ ſeruus, germanus eſſe ſeruus Chriſti. Ipſe Chriſtus ita decreuit rem iſtam eſſe impoſſibilem: Non poteſtis, inquit, Deo ſeruire, & mammonæ. Et: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, contraria namque præcipiunt. Chriſtus dicit: Parce pauperibus: Mammonas dicit: Exue, & tolle quæ habent. Chriſtus dicit: Effunde quæ habes. Mammonas dicit: Accipe etiam quæ non habes. Vides contrarietatem, vides bellum? Quomodo poterit quiſquam vtriſque facile obedire? verum vnum oportet contemnere, aut certè nihil ſermone opus fuerit. Quomodo nō reipſa videmus iſtud, Chriſtum nempe contemptum; mammonam verò honoratum. Et hom. in Pſal. 119: Ille ſeruit duobus dominis, qui die it ad Eccleſiam die ad ſpectacula. Chryſoſt.

Auguſt. lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 22: Quod ſequitur, & dicit: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire; ad hanc ipſam intentionem, &c. vt lect. 7. & 8. Dom. 14. poſt Pentec. Sic in maiore aliqua domo, qui ancillæ alienæ coniunctus eſt, propter cupiditatem ſuam, duram patitur ſeruitutem, etiamſi non diligat eum, cuius ancillam diligit. Alterum autem contemnet dicit, non odio habebit; nullius enim conſcientia Deum odiſſe poteſt: contemnit autem; id eſt, non timet eum, qui quaſi de eius bonitate ſecurus eſt. Quiſquis vult diligere Deum, & cauere ne offendat, non ſe arbitretur duobus dominis poſſe ſeruire, & intentionem cordis ſui rectam ab omni duplicitate explicet. Aug. Contem- [illegible] quid ſit.
Et lib. 1. retract. cap. 19. quod dixi: Nullius enim ferè conſcientia Deum poteſt odiſſe: video non fuiſſe dicendum. Multi enim ſunt, de quibus ſcriptum eſt: Superbia eorum, qui oderunt te. Aug. Pſal. 72.
Et lib. de opere Monachorum cap. 26: Qui propter hoc, Euangelium prædicat, vt habeat, vnde manducet, & vnde veſtiatur, ſimul ſe putet, & Deo ſeruire, & mammonæ: Deo, quia Euangelium prædicat: & mammonæ, quia propter iſta neceſſaria prædicat. Quod Dominus dicit fieri non poſſe, ac per hoc, ille, qui propter iſta Euangelium prædicat, non Deo, ſed mammonæ ſeruire conuincitur. Aug.

Aquinas Matth. 6: Nota, quod aliud eſt habere diuitias, vt Dominus; aliud vt ſeruus. Habet enim vt Dominus, qui bene vtitur illis, & inde facit fructum; ſed ille eſt ſeruus diuitiarum, qui fructum inde non accipit. Eccleſiaſtæ 5: Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: Quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit diuitias oculis ſuis? eſt & alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole: Diuitiæ conſeruatę in malum Domini ſui. Omne autem in quod quis ponit finem ſuum; Deus ſuus eſt: vnde qui ponit finem ſuum in diuitijs, Deus ſuus eſt, ſicut dicitur de illis, quorum Deus venter eſt. Per mammonam poteſt intelligi diabolus, qui præeſt diuitijs: quaſi Deus ſuus eſt; non quia poſſit dare, ſed quia nititur diuitijs homines decipere: vnde, ſicut eſt quidam ſpiritus fornicationis; ſic eſt ſpiritus diuitiarum. Aquinas. Phil. 3.

Tertull. lib. de anima cap. 16: Diabolus Dominus & ipſe dictus ſui ordinis: Non poteſtis duobus Dominis ſeruire: pater & ipſe cognominatus. Vos ex diabolo patre eſtis. Tert.
Et lib. 4. aduerſus Marcionem cap. 33: Iniuſtitiæ auctorem, & dominatorem totius ſæculi, nimium ſcimus omnes, cui famulatam videns Phariſæorum cupiditatem animaduertit hanc ſententiam: Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Irridebant denique Phariſæi pecuniæ cupidi, quod intel- Tert. M[illegible] quid ſit.

intellexiſſent ſcilicet mammonam de nummo dictum, ne quis exiſtimet in mammona creatorem intelligendum, & Chriſtum à creatoris illos ſeruituti reuocaſſe. Quid? nunc potius ex hoc diſce, vnum à Chriſto Deum oſtenſum. Duos enim dominos nominauit Deũ, & mammonam; creatorem, & nummum. Denique non poteſtis Deo ſeruire, vtiq; ei, cui ſeruire videantur: & mammonæ, cui magis deſtinabantur. Quod ſi ipſe alium ſe ageret, non duos dominos, ſed tres demõſtraſſet. Et Creator enim Dominus, quia Deus. Et vtiq; magis Dominus, quã mammonas: magiſque obſeruandus, qua magis Dominus. Quale eſt enim, vt qui mammonam Dominum dixerat, & cum Deo iunxerat, verè ipſorum Dominum taceret, id eſt, Creatorem? Aut nunquid tacendo eo, conceſſit ſeruiendum ei eſſe, ſi ſolummodo ſibi, & mammonę negauit poſſe ſeruiri? Ita cum vnum Deum ponit, nominaturus & Creatorem, ſi alius eſſet ipſe Creatorem nominauit, quem Dominum ſine alio Deo non poſuit?

Iren. Iren. lib. 3. cap. 8: Nunquam neq; Prophetæ, neq; Apoſtoli alium Deum nominauerunt, vel Dominum appellauerunt, præter verum, & ſolum Deum. Multò magis ipſe Dominus, qui & Cæſari quidem, quæ Cęſaris ſunt, reddi iubet; & quæ Dei ſunt, Deo: Cæſarem quidem Cæſarem nominans, Deum verò Deum confitens. Similiter & illud quod ait: Nõ poteſtis duobus dominis ſeruire, ipſe interpretatur, dicens: Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ, Deum quidem confitens Deum, mammonam autem nominãs hoc quod & eſt, nam mammonam Dominũ vocat, dicens: Non poteſtis duobus dominis ſeruire; ſed diſcipulos docet ſeruiẽtes Deo, non ſubijci mammonę, neq; dominari ab eo. Qui enim, inquit, facit peccatũ, ſeruus eſt peccati. Quemadmodum igitur ſeruiẽtes peccato, ſeruos peccati vocat, non tamen ipſum peccatum Dominum appellat: ſic & eos, qui mammonæ ſeruiũt, ſeruos mammonæ appellat, non Deum appellans mammonam. Mammonas autem eſt, ſecũdum Iudaicam loquelam, qua & Samaritę vtuntur, cupidus, & pluſquam oportet, habere volens. Secundum autem Hebraicam adiunctiuè dicitur: Nam vel ſignificat guloſum, id eſt, qui non poſſit à gula ſe continere. Secundum hæc igitur, quæ ſignificantur non poſſumus Deo ſeruire, & mammonæ. *(Mamona quid ſit.)*

Hier. Hier. Mat. 6: Mammona ſermone Syriaco, diuitiæ nũcupantur. Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ: audiat hoc auarus: audiat qui cẽſetur vocabulo Chriſtiano, non poſſe ſe ſimul diuitijs Chriſtoq; ſeruire, & tamen non dixit: Qui habet diuitias, ſed qui ſeruit diuitijs. Qui enim diuitiarum ſeruus eſt, diuitias cuſtodit vt ſeruus. Qui autem ſeruitutis excuſſit iugum, diſtribuit eas, vt Dominus. *(Mamona quid ſit.)* Hier. Et ep. ad Algaſiam quæſt. 6: Mammona non Hebræorum, ſed Syrorum lingua diuitiæ nuncupantur. Hier. *(Mamona quid ſit.)* Et ep. ad Euſtochium de cuſtodia virginit: Et mammonæ, id eſt, diuitijs. Nam Gentili Syrorum lingua, mammona diuitiæ nuncupantur.

Orig. *(Mamona quid ſit.)* Orig. ſub finem Dialog. primi de recta Fide: Mammonam quem vult nominare? diuitias, & argentum: ratio quoque illa foris aſſumpta extra ſcripturas tibi fidem faciet. A quo quiſquis vincitur, ab eo in ſeruitutem adducitur. Itaque Chriſtus iubet opes non conſectari, neque mammonæ ſeruire, ſed Deo ſoli adhæreſcere: Quiſquis enim, inquit, facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Orig. *(Libertas arbitrij.)* Et lib. 6. in epiſt. ad Roman: Hoc eſt, quod in hoc loco Apoſtolus docet: quia vnuſquiſq; in manu ſua habet, & in arbitrij poteſtate, vt, aut peccati ſeruus ſit, aut iuſtitiæ. Ad quamcumque enim poteſtatem inclinauerit obedientia, & cuicunque parere voluerit, hæc ſibi eum vendicat ſeruum. In quo, vt dixi, abſque vlla cunctatione in nobis eſſe oſtendit arbitrij libertatem. In nobis namque eſt exhibere obedientiam noſtram, vel iuſtitiæ, vel peccato. Nemo poteſt duobus ſimul dominis ſeruire, peccato, & iuſtitiæ. Aut enim vnum odio habebit, peccatum ſcilicet, & alium amabit, id eſt, iuſtitiam, aut patietur, vnum ſcilicet peccatum, dumtaxat & alium contemnet, id eſt, iuſtitiam. Simile eſt ergo hoc quod dixit Apoſtolus: Serui eius eſtis, cui obediſtis, ſiue peccati, ſiue iuſtitiæ. Nam omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati; ad hoc reſpicit, quamuis etiam non adiecerit: Omnis qui fecerit iuſtitiam, ſeruus eſt iuſtitiæ.

Not. 5. verſ. 10.

Hier. *(Lectio varia.)* HIERON. Matt. 6: Ideo dico vobis, &c. In nonnullis codicibus additum eſt; neque quid bibatis. Ergo quod omnibus natura tribuit, & iumentis, & beſtijs, hominibuſque commune eſt: huius cura non penitus liberamur. Sed præcipitur nobis, ne ſolliciti ſimus quid comedamus: quia in ſudore vultus præparamus nobis panem. Labor exercendus eſt; ſollicitudo tollenda. Hoc, quod dicitur: Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid comedatis, neque corpori veſtro, quid induamini: de carnali cibo, & veſtimento accipiamus. Cæterum de ſpiritualibus cibis, & veſtimentis ſemper debemus eſſe ſolliciti.

Dam. Damaſc. lib. 2. de Fide cap. 11: Tales nos eſſe Deus volebat, hoc eſt, vt ſollicitudine omni careremus, nec in vllum aliud opus incumberemus, quam quod Angelorum eſt, nempe vt Creatorem perpetuis laudibus afficeremus, atque in ipſius contemplatione, cum incredibili quadam animi voluptate, verſaremur, curamq; omnem noſtram, ac ſolicitudinem ad eum referremus, quẽadmodum per Prophetam quoque Dauidem his verbis nos admonet: Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. *(Pſal. 54.)* Et in ſacroſanctis Euangelijs, diſcipulos ſuos docens, ait: Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid edatis; & corpori veſtro, quid induamini. Ac rurſus: Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Et ad Martham verba faciens: Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnum eſt neceſſarium. Ma-

ria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: hoc eſt, ad Domini pedes ſedere, ipſiuſque ſermones audire. Et lib. 3. parallelorum cap. 22: De præpoſtera affectione, & ſolicitudine, & quod nulla in re præpoſterè affici debeamus: Ego dormio, & cor meum vigilat; ſollicitudo præmaturam ſenectutem adfert. Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, aut quid bibatis, neq; corpori veſtro, &c. Tempus breue eſt. Reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui flent, tanquam non flentes; & qui emunt, tanquam non poſſidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi.

Dam.

Cant. 5.

1 Cor. 7.

Aug. Aug. lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 22: Ideo, inquit, dico vobis, non habere ſollicitudinem animæ veſtræ quid edatis, &c. vt lect. 9. Dom. 14. poſt Pent. Et lib. de opere Monachorum cap. 26: Ideo dico vobis, nolite ſolliciti eſſe animæ, quid manducetis; neque corpori, quid veſtiamini: non vt iſta non procurēt, quantum neteſſitati ſatis eſt, vnde honeſtè potuerint: ſed vt non iſta intueantur, & propter iſta faciunt, quicquid in Euangelij præconio facere iubentur.

Aug.

Quæ ſolicitudo ſit ſolicita, & quæ non.

Not. 6. ver. 11.

Hier. HIERON. Matt. 6: Nonne anima plus eſt, &c. quod dicit iſtiuſmodi eſt: Qui maiora præſtitit, vtique & minora præſtabit.

Aug. Aug. lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 22: Dominus admonet vt meminerimus multò amplius nobis Deum dediſſe, quando nos fecit, & compoſuit ex anima, & corpore, quàm eſt alimentum, atque tegumentum, quorum cura nos duplicare cor non vult. Nonne, inquit, anima plus eſt, quam eſca? vt tu intelligas eum, qui dedit animam, multò faciliùs eſcam eſſe daturum: & corpus, quam veſtimentum: id eſt, plus eſt, vt ſimiliter intelligas eum, qui corpus dedit, multò faciliùs daturum eſſe veſtimentum. Quo loco quæri ſolet, vtrum & ad animam cibus iſte pertineat, cum anima incorporea ſit, iſte autem cibus corporeus: ſed animam hoc loco pro iſta vita poſitam nouerimus, cuius retinaculum eſt alimentum iſtud corporeum. Secundum hanc ſignificationem dictum eſt etiam illud: Qui amat animam ſuam, perdet illam. Quod niſi de hac vita acceperimus, quam oportet pro regno Dei perdere, quod potuiſſe Martyres claruit. Contrarium hoc præceptum erit illi ſententiæ qua dictum eſt: Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum faciat?

Quomodo cibus ad animam pertineat. Anima eſt vita.

Greg. Greg. part. 3. curæ Paſtor. admonit. 21: Melior eſt anima, quam eſca; melius corpus quam veſtimentum. Qui ergo eſcam, aut veſtimentum pauperibus largitur, ſed tamen animæ vel corporis iniquitate polluitur; quod minus eſt iuſtitiæ, obtulit, & quod maius eſt culpę, commiſit. Sua enim Deo dedit; & ſe diabolo.

Hieron. Matt. 6: Reſpicite volatilia cœli, &c. Apoſtolus præcipit, ne plus ſapiamus quā oporteat ſapere. Iſtud teſtimonium, & in præſenti capitulo conſeruandum eſt, ſunt enim quidam, qui dum volunt terminos Patrum excedere, & ad alta volitare, in ima merguntur. Volatilia, dicentes, cœli, Angelos eſſe, cæteraſque in Dei miniſterio fortitudines, quæ abſque cura ſui, Dei aluntur prouidentia. Si hoc ita eſt, vt intelligi volunt; quomodo ſequitur dictum ad homines: Nonne vos magis pluris eſtis illis? ſimpliciter ergo accipiendum eſt: quod ſi volatilia, abſque cura, & ærumnis, Dei aluntur prouidentia: quæ hodie ſunt, & cras non erunt: quorum anima mortalis eſt, & cum eſſe ceſſauerint, ſemper non erunt: quantò magis homines, quibus æternitas promittitur, Dei reguntur arbitrio.

Hier. Rom. 12.

Volatilia cœli quæ.

Cypr. Cypr. lib. de opere, & eleemoſynis cap. 4: Volucres Deus paſcit, & paſſeribus alimenta diuina præſtantur, & quibus nullus diuinę rei ſenſus eſt, eis nec potus, nec cibus deeſt: Tu Chriſtiano, tu Dei ſeruo, tu operibus bonis dedito, tu Domino tuo carò aliquid exiſtimas defuturum. Niſi ſi putas, quia qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſe non paſcitur, aut eis terrena deerunt, quibus cœleſtia, & diuina tribuuntur. Vnde hæc incredula cogitatio? vnde impia, & ſacrilega iſta meditatio? Quid facit in domo fidei perfidū pectus? Quid, qui Chriſto omnino non credit, appellatur, & dicitur Chriſtianus? Phariſæi tibi magis congruit nomen.

Not. 7. verſ. 12. & ſequ.

Chryſoſt. CHRYSOST. hom. in Pſal. 110: Cogita mihi volucres, & omnem philoſophiam ex eis ſuſcipies. Quocirca Chriſtus quoque dicebat: Reſpicite volucres cœli, quod nec ſerunt, nec metunt, & Pater veſter cœleſtis eas alit. Si enim quæ ſunt rationis expertia, non ſunt de alimentis ſolicita, quomodo te defendes, qui ne tantum quidem oſtendis rerum præſentium contemptum, quantum aues? Quod ſi velis etiam ornatum deſpicere, docebunt te flores agri, ne in te ornando nimium ſtudij, & operæ ponas. Quod ipſum quoque Chriſtus ſignificans dicebat: Reſpicite lilia agri, quæ neque nent, neque laborant. Amen dico vobis, nec Salomon quidem induebatur, vt vnum ex his. Cogita quod, quantumcumque contenderis, erit penes fœnum victoria, nec poteris cum illo concertare. Eoque hanc à ratione alienam inſaniam comprime. Multa quoque alia philoſophiæ documenta, & ex brutis, & ex floribus, & ex ſeminibus capi poſſunt.

Aug. Aug. lib. de operē Monachorum cap. 23: Apothecæ autem horrea, vel verbum ex verbo Græco, repoſitoria dici poſſunt. Et cap. 26: Quod ſequitur de volatilibus cœli, & de lilijs agri, ad hoc dicit, ne quiſquam Deum putet ſeruorum ſuorum neceſſaria non curare, cum eius ſapientiſſima prouidentia vſque ad iſta creanda, & gubernanda perueniat. Neq; enim non ipſe paſcit, & veſtit etiam eos, qui manibus

Horrea quid.

bus operantur: ſed ne Chriſtianam militiam ad hoc detorqueant, vt iſta conquirant, hoc ſeruos ſuos Dominus præmonet; vt in eo miniſterio, quod ſacramento eius debetur, non iſta, ſed regnum eius,& iuſtitiam cogitemus,& hæc omnia apponentur nobis,ſiue per manus operantibus,ſiue infirmitate corporis impeditis,ſiue ipſius militiæ tali occupatione diſtrictis, vt nihil aliud agere valeamus. Et lib.10. de Ciuit.cap.14: Dei prouidentiam vſque ad hæc terrena,& ima pertingere, Chriſtus ibi oſtēdit, vbi ait: Conſiderate lilia agri,&c. optimè igitur anima humana adhuc terrenis deſiderijs infirma,ea ipſa,quæ temporaliter exoptat bona infima,atque terrena, vitæ huic tranſitoriæ neceſſaria, & præ illius vitæ ſempiternis beneficijs contemnenda,non tamen non niſi ab vno Deo exſpectare conſueuit,vt ab illius cultu etiam in iſtorum deſiderio non recedat, ad quem contemptu eorum, & ab eis auerſione perueniat. Eundem vide lib.2.de ſerm. Domini in monte cap. 22. & 23.

Aug.

Hieron. Matth. 6: Sicut animam plus eſſe, quam cibum comparatione auium demonſtrauit: hic corpus plus eſſe,quam veſtem,ex conſequentibus rebus oſtendit, dicens: Conſiderate lilia, &c. Et reuera,quod ſericum,quæ Regum purpura, quæ pictura textricum poteſt floribus comparari? Quid ita rubet vt roſa? Quid ita candet vt lilium? violæ verò purpuram nullo ſuperari murice, oculorum magis, quam ſermonis iudicium eſt.

Hier.

Bern. hom. 4. ſuper Miſſus eſt:Quid de ipſo habitu dicam, in quo iam non color; ſed color requiritur, magiſque cultui veſtium, quam virtutum inſiſtitur. Pudet dicere,vincuntur in ſuo ſtudio mulierculę,quando à monachis pretium affectatur in veſtibus,non neceſſitas,nec ſaltem forma religionis in habitu retenta. Ornari non armari appetunt milites Chriſti,qui dum ſe pręparare ad prælium, & contra aërias poteſtates prætendere paupertatis inſigne debuerāt,quod vtique aduerſarij valde formidant, in mollitie veſtimentorum, pacis potius præferentes indicium, vltro ſe hoſtibus ſine ſanguine tradunt inermes. Nec aliunde hæc omnia mala contingunt,niſi quod illam(qua ſæculum deſeruimus) deſerentes humilitatem,dum per hoc cogimur inepta denuo ſectari ſtudia ſæcularium, canes efficimur reuertentes ad vomitum. Et in Apologia ad Guilel. Abbatem: Apoſtolus ita loquitur:Habentes victum,& veſtitum his contenti ſimus. Nobis autem eſt pro victu ſatietas, nec veſtitum appetimus, ſed ornatum. Quæritur ad induendum non quod vtilius, ſed quod ſubtilius inuenitur: non quod repellat frigus, ſed quod ſuperbire compellat. Non denique (iuxta regulam) quod vilius comparari poteſt; ſed quod venuſtius,imo vanius oſtentari. Diuidebatur (vt ſcriptum eſt) ſingulis,prout cuique opus erat: non igitur quod quiſque pueriliter geſtire poterat. Sanè vbi tantum,quod opus erat, accipiebatur, ibi nihil proculdubio ocioſum admittebatur. Quantò magis nihil curioſum? Quantò magis nihil ſuperbum? Quod,inquit,opus erat. Hoc eſt,quantum ad indumenta, quod & nuditatem tegeret, & frigus repelleret.

Bern. — Bern. — 1 Tim. 6. — Act. 4

Not. 8. verſ. 18. & ſequ.

Basil. in regul. breuioribus interrog.206: Cum Dominus præcipiat non debere nos eſſe ſollicitos; quid eſuri ſimus, aut quid bibituri, aut quibus nos veſtibus induturi, quouſq; præceptum hoc progredi putandum eſt; quomodoue ei ſatisfiet? Reſp. Omnino mandatum hoc, ſicut & reliqua omnia, vſque ad mortem tenendum eſt: ſiquidem Dominus etiam ipſe obediens fuit vſque ad mortem. Comparatur autem per fiduciam in Deum. Etenim prohibita Dominus ſolicitudine, confeſtim promiſſionem adijcit,cum ait:Scit enim Pater veſter cœleſtis, quibus opus ſit vobis, antequam petatis eum. Talis erat Apoſtolus, cū diceret: Reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobiſmetipſis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos. Quippe qui quod ad animi ipſius propoſitum,ac paratam voluntatem pertinebat. Quotidie moreretur,benignitate autem Dei in vita retineretur. Quæ quidem cauſa erat, cur fidenter diceret: Quaſi morientes, & ecce viuimus. Porro huiuſmodi animi inductionem adiuuat vehemens in exequendis Domini mandatis ſtudium,& inexhauſta,inexplebiliſque eorundem cupiditas: in qua qui eſt hic,ne ſpatium quidem habet,in quo ad curandas corporis neceſſitates mentis cogitatione poſſit delabi.

Baſ. — Phil. 2. — 1 Cor. 1. — 2 Cor. 6.

Cypr. lib. 3. ad Quirinum cap. 11: Eum qui fidem conſequutus eſt, expoſito priore homine,cœleſtia tantum, & ſpiritalia cogitare debere, nec attendere ad ſæculum, cui iam renunciauit,&c. De hoc ipſo in Euangelio *kata* Matthæum: Nolite cogitare dicentes,quid edemus, aut quid bibemus, aut quid veſtiemur? hæc enim nationes inquirunt,&c.

Cypr.

Aug.lib.2.de ſerm.Domini in monte cap.23: Nolite ergo,inquit, ſoliciti eſſe dicentes, quid edemus, &c. Hic manifeſtiſſimè oſtendit non hæc eſſe appetenda,tanquam talia bona noſtra, vt propterea ipſa debeamus benefacere,ſi quid facimus,ſed tamen eſſe neceſſaria.

Aug.

Not. 9. ver. 11. & ſequ.

Sollicitudo temporalium eſt illicita, ſi ea, vt finis vltimus, quærantur, vel ſi ſuperfluum in ijs quærendis ſtudium adhibeatur;aut nimium timeatur, ne in neceſſitate deficiant; vel ſi quis ſuperflua quærat vltra præſentis vitæ neceſſitatem; vel ſi importunè circa huiuſmodi occupetur,aut ſi quis Deo debitum obſequium propter iſta relinquat. Propterea ſic habet Tho. 2. 2. qu. 55. a. 6: Solicitudo importat ſtudium quoddam adhibitum ad aliquid conſequendum. Manifeſtum eſt autem quod maius ſtudium adhibetur, vbi eſt timor deficiendi, & ideo vbi eſt ſecuritas conſequendi, minor interuenit

Solicitudo temporalium quando ſit illicita. — Tho.

Solicitudo temporalium tripliciter eſt illicita. teruenit ſolicitudo. Sic ergo ſolicitudo temporalium rerum tripliciter poteſt eſſe illicita. Vno quidem modo ex parte eius, de quo ſolicitamur, ſi ſcilicet temporalia, tanquam finem quæramus. Vnde & Auguſt. dicit in lib. de opere Monachorum: Cum Dominus dicit: Nolite ſoliciti eſſe, &c. hoc dicit vt non iſta intueantur, & propter iſta faciant quicquid in Euangelij prædicatione facere iubentur. Alio modo poteſt eſſe temporalium ſolicitudo illicita, propter ſuperfluum ſtudium, quod apponitur ad temporalia procuranda, propter quod homo à ſpiritualibus quibus principalius inſeruire debet, retrahitur. Et ideo dicitur Matth. 13. quod ſolicitudo ſæculi ſuffocat verbum. Tertio modo ex parte timoris ſuperflui, quando ſcilicet aliquis, timet, ne faciendo quod debet, neceſſaria ſibi deficiant. Quod Dominus dupliciter excludit. Primò propter maiora beneficia homini præſtita diuinitus præter ſuam ſolicitudinem, ſcilicet corpus, & animam. Secundò propter ſubuentionem, qua Deus animalibus, & plantis ſubuenit, abſque opere humano, ſecundum proportionem ſuæ naturæ. Tertiò ex diuina prouidentia, propter cuius ignorantiam Gentiles circa temporalia bona quærenda principalius ſolicitantur. Et ideo concludit, quod principaliter noſtra ſolicitudo eſſe debet de ſpiritualibus bonis, ſperantes quod etiam temporalia nobis proueniant ad neceſſitatem, ſi fecerimus quod debemus. Et quæſt. 83. a. 6. ad 2: Non quælibet ſolicitudo rerum temporalium eſt prohibita; ſed ſuperflua, & inordinata. Et 1. 2. quæſt. 108. ar. 3. ad 5. Dominus ſolicitudinem neceſſariam non prohibuit, ſed ſolicitudinem inordinatam. Eſt autem quadruplex ordinatio ſolicitudinis vitanda circa temporalia. Primò quidem, vt in eis finem non conſtituamus, neque Deo ſeruiamus propter neceſſaria victus, & veſtitus. Vnde dicit: Nolite theſaurizare vobis, &c. Secundò, vt non ſic ſolicitemur de temporalibus, cum deſperatione diuini auxilij, vnde Dominus dicit: Scit Pater veſter, quod his omnibus indigetis. Tertiò, ne ſit ſolicitudo præſumptuoſa, vt ſcilicet homo confidat ſe neceſſaria vitæ per ſuam ſolicitudinem poſſe procurare abſque diuino auxilio; quod Dominus remouet per hoc, quod homo non poteſt aliquid adijcere ad ſtaturam ſuam. Quartò, per hoc quod homo ſolicitudinis tempus præoccupat: quia ſcilicet de hoc ſolicitus eſt nunc, quod non pertinet ad curam præſentis temporis, ſed ad curam futuri, vnde dicit: Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum.

Aug. | Tho. | Quæ ſolicitudo prohibeatur. | Tho. | Quæ ſolicitudo prohibeatur

Ver 19.

Aug. Aug. lib. de opere Monachorum cap. 2: Hæc omnia Gentes inquirunt. Ibi Dominus oſtendit, de ipſis corporalibus, & temporalibus ſe dixiſſe.

Ver. 21.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 24. in Gen: Quærite regnum cœlorum, & hæc omnia vobis adijcientur. Etenim eum, qui huius deſiderio tenetur, ſequuntur hæc omnia. Nam qui illuc mente ſua celer volat, omnem præſentem proſperitatem, quaſi non eſſet, contemnit. Oculi enim fidei, quando vident illa ineffabilia dona, ne ſentiunt quidem hæc viſibilia: tantum inter hæc & illa intereſt. Sed neminem video, qui inuiſibilia viſibilibus præferat idcirco mihi mœror eſt, & indeſinens dolor cordi meo, quia non experientia docti eſtis, & operibus. Neque Dei promiſſiones, neque munerum magnitudo, regni deſiderium, & amorem nobis ingenerant. Verum adhuc humi reptantes præeligimus terrena cœleſtibus, præſentia futuris, & ea quæ prius auolant, quam ſpectentur, his, quę omnibus durant ſæculis: & momentaneam voluptatem perpetuæ voluptati; breuem hanc præſentis vitæ fælicitatem æternis illis, & fine carentibus bonis. Scio quod aures veſtras offendunt, & vellicant verba hæc; ſed ignoſcite. Auidus veſtræ ſalutis hæc loquor, malens vos hîc aliquantiſper affligi, æternam pœnam effugientes, quam cum parua refocillatione perpetuam ferre pœnam. Et hom. 8. in epiſt. ad Hebræos: Omne ſtudium in his, quæ ad vitam hanc pertinent, euacuatur: De ſpiritualibus autem nulla ratio eſt. Propterea nobis neque terrena illa pro voto proueniunt, ſed plurimæ etiam ibi difficultates. Chriſtus quippe dixit: Petite regnum Dei, & hæc omnia apponentur vobis. Et hæc quidem in appoſitionis parte tanquam adiectitia dicit datum iri. Nos autem ordinem peruertimus, & petimus terram, & bona in terra, quaſi cœleſtia additionis loco nobis dentur. Idcirco neque iſta, neque illa habemus. Chryſoſt.

Cypr. Cypr. lib. de Orat. Dominica cap. 8: Quærentibus regnum, & iuſtitiam Dei, omnia promittit apponi. Nam cum Dei ſint omnia, habenti Deum nihil deerit, ſi Deo ipſe non deſit. Sic Danieli in leonum lacu iuſſu Regis incluſo, prandium diuinitus procuratur, & inter feras eſurientes, & parcentes, homo Dei paſcitur. Sic alitur Elias in fuga, & in ſolitudine, coruis miniſtrantibus, & volucribus cibum ſibi apportantibus in perſecutione nutritur. Atque, ô humanæ malitiæ deteſtanda crudelitas: feræ parcunt, aues paſcunt, & homines inſidiantur, & ſæuiunt.

Greg. Greg. lib. 15. Moral. cap. 20: Cum Deus in oratione non quæritur, citius in oratione animus laſſatur: quia cum illa quiſque poſtulat, quę fortaſſe iuxta occultum iudicium Deus tribuere recuſat: ipſe quoque venit in faſtidium, qui non vult dare, quod amatur, ſed ſe magis Dominus, quam ea, quæ condidit, vult amari, æterna potius, quam terrena poſtulari, ſicut ſcriptum eſt: Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Qui enim non ait: Dabuntur; ſed adijcientur; profectò indicat aliud eſſe, quod principaliter datur, aliud, quod ſuperadditur. Quia enim nobis in intentione æternitas, in vſu verò temporalitas eſſe debet, & illud datur, at hoc nimirum ex abundantia ſuperadditur. Et tamen

ſæpe

ſæpe homines, dum bona temporalia poſtulant, æterna verò præmia non requirant, petūt, quod adijcitur, & illud non deſiderant vbi adijciatur. Nec lucrum ſuæ eſſe petitionis deputant, ſi hîc ſint temporaliter pauperes, & illic beatitudine diuites in æternum viuant: ſed ſolis vt dictum eſt viſibilibus intenti, labore poſtulationis renuunt inuiſibilia mercari. Qui ſi ſuperna quærerent, iam cum fructu laborem exhiberent: quia cum mens in precibus ad auctoris ſui ſpeciem anhelat, diuinis deſiderijs inflammata, ſupernis coniungitur, ab inferioribus ſeparatur: amore feruoris ſui ſe aperit vt capiat; & capiens inflammat: & ſuperiora amare iam ſurſum ire eſt, dumque magno deſiderio ad cœleſtia inhiat, miro modo hoc ipſum
Aug. quod accipere quærit, deguſtat. Vide Aug. lib. 2. de ſerm. Dom. in mon. cap. 24. & 25.

Not. 10. verſ. 22. & ſequ.

Hier. HIER. Matth. 6: De præſentibus ergo con-
Cog. ſolicitudo nulla, & quæ non ſit ſ. ceſſit debere eſſe ſolicitos, qui futura prohibet cogitare. Vnde & Apoſtolus: Nocte & die, inquit, manibus noſtris operantes, ne quem ve-
Cras quid ſit. ſtrum grauaremus. Cras, in ſcripturis futurum
Gen. 30. tempus intelligitur, dicente Iacob: Et exaudiet me cras iuſtitia mea. Et in Samuelis phantaſ-
1. Reg. 28 mate, Pythoniſſa loquitur ad Saulem: Cras e-
Malitia quid ſit. ris mecum. Hic malitiam non contrariam virtuti poſuit; ſed laborem, & afflictionem, & an-
Gen. 16. guſtias ſæculi. Quomodo & Sara afflixit Agar ancillam ſuam? Sufficit ergo nobis præſentis temporis cogitatio: futurorum curam, quæ in-
Hier. certa eſt, relinquamus. Et epiſt. ad Hedibiam, quæſt. 1: Quicquid in pręſentibus alimentis neceſſarium eſt, hoc vnius diei victus appellatur. Vnde præceptum eſt: Non cogitetis de
Craſtinus. craſtino, hoc eſt, de futuro tempore, &c. vt cap.
Hier. 15. ver. 12. Et Ion. 1: Quod autem dicitur: Et
Malitia quid, & quotuplex ſit. cognoſcamus propter quem malitia hæc ėſt ſuper nos; hic malitiam pro afflictione, & calamitate accipere debemus; ſecundum illud: Sufficit diei malitia ſua. Et in Amos Propheta: Si eſt malitia in ciuitate, quam Dominus non fecerit. Et in Eſaia: Ego Dominus, qui facio pacem, & creo mala. In alio verò loco, malitia contraria virtuti intelligitur, iuxta quod in hoc eodem Propheta ſupra legimus: Aſcendit clamor malitiæ eius ad me.

Baſ. Baſil. in regul. breuior. interrog. 272: Quoniam præceptum eſt Domini, hominem non debere eſſe ſolicitum de craſtino, quomodo præceptum hoc ſanè intelligemus? videmus enim nos in rebus ad neceſſarium vſum parandis, magnum ſtudium adhibere, vt ea etiam reponamus, quæ durare poſſunt ad longinquum tempus. Reſp. Qui doctrinam Domini aſſecutus, qui dixit: Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius: & certiſſimam auctoritatem tribuit promiſſioni Dei, qui ſtatim ſubiecit: Et hæc
1 Tim. 4. omnia adijcientur vobis: nequaquam is in curis vitæ huius, quæ verbum ſuffocant, & infœcundum reddunt, occupat animum ſuum: ſed certans in bono certamine, vt promereatur gratiam diuinam, in Domino confidit, qui dixit: Dignus eſt operarius cibo ſuo. Et de hoc nihil 2. expoſ.
admodum laborat, ſed laborat, & ſollicitus eſt, non propter ſe, ſed propter mandatum Domini, quemadmodum exemplo ſuo oſtendit Apoſtolus, & docuit cum dixit: Omnia oſtendi vo- Act. 20.
bis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos. Nam ſuiipſius cauſa ſolicitum eſſe, hoc crimen eſt hominis ſeipſum amantis: contraque, propter mandatum, ſolicitudinem ſuſcipere, ac laborem, hæc laus eſt hominis Chriſtum amantis, & affectionis animi fraternam charitatem diligentis.

August. lib. 1. retract. cap. 19: Quod dixi, ob Aug.
hoc dixiſſe Dominum: Sufficit diei malitia ſua, quia cibos ſumere vrgebat ipſa neceſſitas, quam Malitia
propterea malitiam nominatam arbitror, quia quid.
pœnalis nobis eſt. Pertinet enim ad hanc fragilitatem, quam peccando meruimus, non attendi etiam primis hominibus data fuiſſe in paradiſo alimenta corporalia, antequam iſtam mortis pœnam peccando meruiſſent. Sic enim erant immortales, in corpore nondum ſpirituali, ſed animali, vt tamen in eiuſmodi immortalitate corporalibus alimentis vterentur. Et lib. Aug.
de oper. Monach. cap. 23: Aliquid reponere a- Aliqua ſolicitudo
liquando in craſtinum poteſt non eſſe contra eſt licita.
Euangelium, vbi dictum eſt: Reſpicite volatilia cœli, quia neque ſeminant, neque metunt, neque congregant in apothecas: poteſt etiam non eſſe contra Euangelium, nec contra ſimilitudinem volatilium cœli, vitam iſtam carnis, corporalis operationis labore tranſigere.

Et cap. 24: Si vrgeantur ex Euangelio, vt nihil Aug.
reponant in craſtinum, rectiſſimè reſpondent: Cur ergo ipſe Dominus loculos habuit, vbi pe- Chriſtus
cuniam collectam reponeret? Cur tanto ante loculos
fame imminente frumenta ſanctis Patribus habuit.
miſſa ſunt? Cur Apoſtoli ſic indigentiæ ſancto- Apoſtoli
rum neceſſaria procurarunt, ne deeſſet in po- fuerunt ſollicitι.
ſterum, vt beatiſſimus Apoſtolus in epiſt. ad Co- Act. 11.
rinth. ſcriberet: De collectis autem in Sanctos, 1 Cor. 16.
ſicut ordinaui in Eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite; ſecundum vnam ſabbathi vnuſquiſque veſtrum apud ſe reponat theſaurizans quod ei placuerit, vt non cum venero tunc collectæ fiant; cum autem aduenero, quoſcunque probaueritis per Epiſtolas hos mittam perferre gratiam veſtram in Hieruſalem. Quod ſi dignum fuerit vt & ego eam, mecum ibunt. Hæc & alia multa copioſiſſimè, & veriſſimè proferunt. Videtis ergo quamuis Dominus dixerit: Nolite cogitare in craſtinum: non vos tamen iſtis verbis cogit, vt nihil in craſtinum reſeruetis.

Et cap. 27: Si quis ex Euangelio mouerit quæ- Aug.
ſtionem de volatilibus cœli, quæ non ſeminant, neque metunt, neque congregant in apothecas, & de lilijs agri, quia non laborant, neque nent, facilè reſpondebunt: ſi & nos per aliquam vel infirmitatem, vel occupationem non poſſimus operari, ſic ille nos paſcet, & veſtiet, quemadmodum aues, & lilia quæ nihil operantur huiuſmodi. Cum autem poſſumus, non debemus

tentare

Deut. 6.

tentare Deum noſtrum, quia & hoc quod poſſumus, eius munere poſſumus. Et cum hîc viuimus, illo largiente viuimus, qui largitus eſt vt poſſimus. Et ideo de iſtis neceſſarijs ſoliciti non ſumus, quia cum hæc poſſumus agere, ille nos paſcit, & veſtit, à quo paſcuntur homines, & veſtiuntur. Cùm verò hæc non poſſumus agere, idem ipſe nos paſcit, & veſtit, à quo aues paſcuntur, & lilia veſtiuntur, quoniam nos pluris ſumus illis.

Quid ſit de craſtino cogitare.

Quapropter in iſta militia noſtra, nec in craſtinum cogitamus, quia non propter iſta

Craſtinum

temporalia (quo pertinet craſtinus) ſed propter illa ſempiterna (vbi ſemper hodiernus eſt) nos illi probauimus, vt ei nullis negotijs ſecularibus implicati placeamus.

2. Tim. 2.

Aug.

Et lib. contra Adimantum cap. 24: De eo quod ſcriptum eſt

Prou. 6.

apud Salomonem: Imitare formicam, & intuere diligentiam eius; quia ab æſtatis tempore vſque ad hyemem colligit ſibi alimonias. Neque hoc intelligunt Manichæi ſpiritaliter eſſe accipiendum, & putant præceptum eſſe, vt theſaurizemus in terra, vt [illegible]am curemus hæc horrea, quæ ſine vllo præcepto multum homines implere feſtinant. Et ideo illud Adimantus ex Euangelio dicit aduerſum eſſe huic ſententię, vbi Dominus ait: Nolite cogitare de craſtino.

Quid ſit de craſtino cogitare.

Sed neque hoc intelligunt ad id pertinere, vt temporalia non amemus, neque timeamus, ne nobis deſint neceſſaria, & propter ipſa conquirenda, vel Deo, vel hominibus ſeruiamus. Nam ſi hoc ideo dictum eſt, vt non ſeruetur panis in craſtinum, magis hoc implent Vagi Romanorum, quos paſſiuos appellant, qui annona quotidiana ſatiato ventre, aut donant ſtatim quod reſtat, aut projiciunt; quam vel Domini diſcipuli, qui etiam cum ipſo Domino cœli, & terræ in terra ambulantes loculos habebant: vel Paulus Apoſtolus, qui omnium terrenorum contemptor, ſic tamen gubernauit ea, quæ præſenti vitæ erant neceſſaria, vt etiam de viduis præceperit, dicens: Si quis fidelis habet viduas, ſufficienter tribuat illis, vt non grauetur Eccleſia, quo veris viduis ſufficere poſſit.

Paſſiui.

Chriſtus loculos habuit, Apoſtoli de futuro cogitarũt.

1. Tim. 5.

Quomodo formica nobis imitanda ſit.

Sed tamen illud de formica ita poſitum eſt, vt quemadmodum illa æſtate colligit, vnde in hyeme paſcatur, ſic vnuſquiſque Chriſtianus in rerum tranquillitate, quam ſignificat æſtas, colligat verbum Dei, vt in aduerſitate, & tribulationibus, quæ hyemis nomine ſignificantur, habeat vnde ſpiritaliter viuat. Non enim in pane ſolo viuit homo; ſed in omni verbo Dei.

Deut. 8.

Aug.

Eundem vide lib. 2. de ſerm. Dom. in monte cap. 25. & 26.

Vt de futuro cogitare liceat, vel non liceat.

Poſſumus, ac debemus opportunis temporibus eſſe pro futuro ſoliciti, quemadmodum fuit Iacob, Geneſ. 28. quando votum vouit, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo; & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum; reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum. Et Geneſ. 30: Dicens auunculo, & ſocero ſuo Laban: Iuſtum eſt igitur, vt aliquando prouideam etiam domui meæ. Et ſicut fuit Ioſeph Gen. 41. & 47. & Apoſtoli Act. 2. & 4. Non autem intempeſtiuè, vnde ſic Tho. ait 2. 2. qu. 55. ar. 7.

Tho.

Nullum opus poteſt eſſe virtuoſum, niſi debitis circumſtantijs veſtiatur. Inter quas vna eſt, debitum tempus, ſecundum illud Eccleſ. 8: Omni negotio temporis eſt opportunitas, quod non ſolum in exterioribus operibus, ſed etiam in interiori ſolicitudine locum habet. Vnicuique enim tempori competit propria ſolicitudo, ſicut tempori æſtatis competit ſolicitudo metendi, ipſi autumno autem competit ſolicitudo vindemiæ. Si quis ergo tempore æſtatis de vindemia iam eſſet ſolicitus, ſuperfluè præoccuparet futuri temporis ſolicitudinem: vnde huiuſmodi ſolicitudinem tanquam ſuperfluam Dominus prohibet, dicens: Nolite eſſe ſoliciti in craſtinum, vnde ſubdit: Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibiipſi, id eſt, ſuam propriam ſolicitudinem habebit, quæ ſufficiet ad animum affligendum. Et hoc eſt quod ſubdit: Sufficit diei malitia ſua, id eſt, afflictio ſolicitudinis.

Qui [illegible] de [illegible] habeat.

Malitia.

Formica habet ſolicitudinem congruam tempori, & hoc nobis imitandum proponitur, Prouerb. 6. Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam; quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat. Sic licet in futurum proſpicere: & talis futurorum ſolicitudo laudabilis eſt; deinde ad prudentiam pertinet prouidentia debita futurorum, eſſet autem inordinata futurorum prouidentia, vel ſolicitudo ſi quis temporalia, in quibus dicitur præteritum, & futurum tãquam fines quæreret, vel ſi ſuperflua quæreret vltra præſentis vitæ neceſſitatem, vel ſi tempus ſolicitudinis præoccuparet.

Prou. 6.

Vt formica nobis ſit imitanda.

Quid ſit de craſtino cogitare.

Aug.

Denique ſicut Aug. dicit in lib. de ſerm. Domini in monte: Cum viderimus aliquem ſeruum Dei prouidere, ne iſta neceſſaria ſibi deſint, non iudicemus eum de craſtino ſolicitum eſſe, nam & ipſe Dominus propter exemplum loculos habere dignatus eſt. Et in Act. Apoſtolorum ſcriptum eſt ea quæ ad victum ſunt neceſſaria, procurata eſſe in futurum, propter imminentem famem. Non ergo Dominus improbat, ſi quis humano more iſta procuret; ſed ſi quis Deo propter iſta militet.

Chriſtus loculos habuit.

Aug. Tho.

Et q. 188. a. 7. ad 2. vt Auguſt. dicit in lib. de opere Monachorum. Si hoc verbum Domini: Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum, ita intelligatur vt nihil in craſtinum reponatur, non poterunt iſta ſeruare, qui ſe per multos dies à conſpectu hominum ſeparatos includunt, viuentes in magna intentione orationum. Et poſtea ſubdit: An fortè quæ ſunt ſanctiores, eo ſunt volucribus diſſimiliores? Si enim vrgeantur ex Euangelio, vt nihil reponant in craſtinum, reſpondent: Cur ergo ipſe Dominus loculos habuit, vbi pecuniam collectam reponeret? Cur tantò ante famè imminente frumenta ſanctis Patribus miſſa ſunt? Cur Apoſtoli indigentiæ ſanctorum neceſſaria procurarunt?

Chriſtus loculos habuit.

Vt non ſit de craſtino cogitandũ.

Hier. [illegible]

Chryſ. [illegible]

Quod ergo dicitur: Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum, ſecundum Hieronymum, ſic exponitur: Sufficit nobis præſentis temporis cogitatio: futura, quæ incerta ſunt, Deo relinquamus, ſecundum Chryſoſt. hic: Sufficit

A [illegible] Quia [illegible] craſtinus.

fiat labor, quem patimus propter neceſſaria, nolli de [illegible] [illegible]. Secundum Aug. [illegible] Cum aliquid boni operamur non temporalia, quæ ſignificantur per craſtinum, ſed æterna cogitemus. Hæc Thomas.

C A P. 51.

Euangelica documenta varia; non temere iudicandum; nec omnia omnibus proponenda; exemplum vitæ à multitudine non petendum, falſos doctores cauendos, & actiones ad Euangelica præcepta, cum auribus accommodandas.

Matt. 7.	*Mar.*	*Luc. 6.*	*Joan.*
1 NOlite iudicare, vt non iudicemini.		1 NOlite iudicare, & non iudicabimini.	
		2 Nolite condemnare, & non condemnabimini.	
2 In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.			
		4 Dimittite, & dimittemini.	
		5 Date, & dabitur vobis.	
		6 Menſuram bonam & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.	
Et in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.		7 Eadem quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.	
		8 Dicebat autem illis, & ſimilitudinem: Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadunt?	
		9 Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius.	
10 Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides?		10 Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?	
11 Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine, eijciam feſtucam de oculo tuo, & ecce trabs eſt in oculo tuo?		11 Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, ſine eijciam feſtucam de oculo tuo: ipſe in oculo tuo trabem non vides?	
12 Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo: & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui.		12 Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo: & tunc perſpicies vt educas feſtucam de oculo fratris tui. ✠	
13 Nolite dare ſanctum canibus: neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos.			
14 Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis.			
15 Omnis enim qui petit, accipit: & qui quęrit, inuenit: & pulſanti aperietur.			
16 Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei? aut ſi piſcem petierit, nunquid ſerpentem porriget ei?			
17 Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris: quantò magis pater veſter, qui in			

cœlis

Matt. 7. | *Mar.* | *Luc. 6.* | *Ioan.*

Matt. 7.

cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe?
18 Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines: & vos facite illis.
19 Hæc eſt enim lex, & Prophetæ.
20 Intrate per anguſtam portam.
21 Quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quę ducit ad perditionem: & multi ſunt qui intrant per eam.
22 Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam; & pauci ſunt qui inueniunt eam.

Domin. 7 poſt Pentec.

23 ✠ Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.
24 A fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis vuas; aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere.
25 Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.
27 Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. ✠
28 Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?
29 Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.
30 Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ędificauit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat ſuper petram.

Luc. 6.

24 Non eſt enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala faciens fructum bonum. Vnaquæque enim arbor de fructu ſuo cognoſcitur; neque enim de ſpinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant vuam.
26 Bonus homo, de bono theſauro cordis ſui profert bonum: & malus homo de malo theſauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.
27 Quid autem vocatis me Domine, Domine: & non facitis quæ dico?
30 Omnis qui venit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos, oſtendam vobis cui ſimilis ſit. Similis eſt homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & poſuit fundamentum ſuper petram. inundatione autem facta, illiſum eſt flumen domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat ſuper petram.

Et omnis

Matt. 7.	*Mar.*	*Luc.* 6.	*Ioan.*
31 Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam; & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.		31 Qui autem audit, & non facit, ſimilis eſt homini ædificanti domum ſuam ſuper terram, ſine fundamento, in quam illiſus eſt fluuius, & continuo cecidit, & facta eſt ruina domus illius magna.]	
32 Et factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus verba hæc.		*Lucæ* 7. 32 [Cvm autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis. (Intrauit Capharnaũm, &c. cap. 54	
33 Admirabantur turbæ ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.]			

Not. 1.

Ratio diſpoſitionis. Qvæcvnqve in iſto capite ex Matth. & Luca ſub vno, eodemque numero poſuimus, ea quoque eodem pertinere, Euth. in Luc. cap. 6. & 7. Aquinas, Bonauent. & alij complures apertè docent.

Ver. 1.

Baſ. Baſil. in regul. breuior. interrogat. 164: Quid igitur eſt, nolite iudicare, & non iudicabimini? nolite condemnare, & non condemnabimini? Reſponſ. Cum Dominus aliàs dicat: Nolite iudicare, & non iudicabimini; aliàs verò iuſtum iudicium iudicandum eſſe præcipiat: nequaquam in vniuerſum interdicitur nobis, quo minus iudicemus; ſed in iudicio faciendo iubemur delectum adhibere. In quibus autem hoc ſeruari debeat, & in quibus non, dilucidè demonſtrauit nobis Apoſtolus: Qui in his quidem, quæ poſita ſunt in libera poteſtate vniuſcuiuſque, neque diſtincta à ſcriptura, dixerit: Tu autem quid iudicas fratrem tuum? & item: Non amplius ergo inuicem iudicemus. In his verò quæ diſplicent Deo, eos reprehendat, qui non iudicent, & ipſe iudicium ſuum in medium afferat, cum dicit: Ego quidem abſens corpore præſens autem ſpiritu, nam iudicaui vt præſens eum qui ſic operatus eſt in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu, tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quocirca ſi quid eſt quod in poteſtate noſtra poſitum ſit, aut plerunque etiam dubium ſit, de hoc frater iudicari non debet. Conuenienter verbis iſtis, quæ ſunt apud Apoſtolum, de his quæ ignorantur, ita dicentem: Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. At in iudicijs Dei aliter faciendum eſt: nam ea omnino neceſſario ſunt vindicanda, ne ijs diſſimulandis in ſocietatem conſtitutæ à Deo pœnę incurratis, qui diſſimulauerit, niſi, ſi ſit aliquis, qui quod in ijſdem quoque ipſe criminibus hæreat, cum eo, qui incuſatur, liberè fratrem iudicare non poſſit; cum Dominum audiat dicentem: Eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui.

Quid iudicandum prohibeatur. — Quæ non ſint a nobis iudicanda. — 1. e.pol. — Rom. 14 — 1 Cor. 5 — 1. epoſ. — 1 Cor. 4.

Hier. Hieron. Matth. 7: Si iudicare prohibet; qua conſequentia Paulus in Corintho iudicat fornicantem; (1 Cor. 5) & Petrus Ananiam, & Saphyram mendacij coarguit? (Act. 5.) ſed ex conſequentibus, quid prohibuerit, oſtendit dicens: Quomodo enim iudicaueritis, ſic iudicabitur de vobis. Hic non prohibuit iudicare, ſed docuit.

Iren. Iren. lib. 4. cap. 49: Nolite iudicare, &c: Non vtique vt peccantes non corripiamus, nec vt his, quæ male fiunt conſentiamus, ſed vt Dei diſpoſitiones non iudicemus iniuſtè, cum ille omnia iuſtè profutura prouiderit. (Quæ non ſint a nobis iudicanda.)

Amb. Ambroſ. lib. de paradiſo cap. 11: Vocauit ad te omnia Deus, vt ſupra omnia mentem tuam eſſe cognoſceres: cur quæ tibi ſimilia minimè reperiſti, aſciſcere tibi, & copulare voluiſti? Dedit tibi certè ſenſum, quo vniuerſa cognoſceres, & de cognitis iudicares, meritoque de illo fœcundo Paradiſi agro eiectus es, quia non potuiſti ſeruare mandatum. (Cognitio ad iudicandum eſt neceſſaria.) Sciebat enim Deus eſſe te fragilem, ſciebat iudicare non poſſe, ideo dixit quaſi fragilioribus: Nolite iudicare, vt non iudicemini. (Quibus dicitur ne iudicent.) Ergo quia ſciuit infirmum te eſſe ad iudicandum, voluit obedientem eſſe mandato, ideo præceptum poſuit. Quod ſi non præuaricatus eſſes, periculum incerti iudicij incidere nequiuiſſes. Itaque quoniam iudicare voluiſti, ideo addidit: Ecce Adam factus eſt tanquam vnus ex nobis, vt ſciat bonum & malum. (Gen. 3.) Voluiſti tibi arrogare iudicium, ideo pœnam praui iudicij refutare non debes.

Aug. Aug. ſer. 202. de tempore: Audiuimus Euangeliſtam dicentem: (Matt. 7.) Nolite iudicare, vt non iudicemini. Quid eſt hoc, cum ipſe Dominus in alio loco Euangelij dixerit: Nolite ſecundum faciem iudicare, ſed iuſtum iudicium iudicate. Et alibi dicatur, iudicium verum iudicate. (Zach. 7) Non enim ſibi diuina lectio contraria eſſe poteſt; ſed intellectum ſobrium quærit. In conuerſatione

tione humana ſunt aliqua, quæ rationabiliter reprehenduntur: ſunt verò quædam, quæ non ſine peccato iudicantur. Aperta enim mala, & iudicari, & argui debent; Illa verò quæ ignoramus, & vtrum bono an malo animo, ſcire non poſſumus, iudicare penitus non debemus;

Quæ non ſint a nobis iudicanda

1. expoſ.

verbi gratia, vides hominem frequentiùs ieiunantem, congaude, & noli nimis laudare; quia poteſt hoc & pro humana gloria fieri. Sed & noli vituperare, quia poteſt & pro Deo, & pro animæ remedio ieiunare. Vidiſti alium indicto publico ieiunio velle prandere? cum dilectione admone: ſi dixerit pro ſtomachi laſſitudine ſe ieiunare non poſſe, crede, & noli iudicare: quia vtrumque poteſt fieri, vt per gulam, vel luxuriam prandere velit, & præ infirmitate ieiunare non poſſit. Vidiſti alterum ſubditis ſuis cum ſeueritate diſciplinam imponere, & indulgentiam tardius dare? noli iudicare crudelem, quia forſitan non hoc facit morbo iracundiæ; ſed zelo diſciplinæ, & amore iuſtitiæ; propter illud,

Pſal. 68

quod ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me. Fortè aliquis vicinus, aut amicus tuus dum animum ſuum habet in rebus ſatis ſibi neceſſarijs occupatum, tardius te ſalutauerit, aut tardius occurrerit, quam debuit, noli eum ſuperbum iudicare, noli malignum credere; ſed hoc magis, aut per obliuionem, aut per negligentiam, quam per deſpectum, vel ſuperbiam factum crede: quia fortè & tibi hoc (vt eſt humana fragilitas) frequenter euenit, vt in rebus alijs nimis intentus, aliquid minus cautè, ac nimis ſollicitè feciſſe videaris, & tamen noluiſti te pro hac re malo animo iudicari. In iſtis ergo, & in his ſimilibus, quæ vtrum bono, an malo animo fiant, ſcire non poſſumus, melius eſt vt ad partem dexteram noſtrum animum declinemus: quia tolerabilius eſt nos in hoc præfiniri, vt eos, qui mali ſunt, bonos eſſe credamus, quam ex conſuetudine iudicandi, etiam de bonis, quod malum eſt, ſuſpicemur. De iſtis ergo, quæ ſunt Deo nota, & nobis incognita, periculosè noſtros proximos iudicamus. De ipſis enim Dominus dixit: Nolite iudicare, vt non iudicemini. De illis verò, quæ aperta ſunt, & publica mala iudicare, & redarguere, cum charitate tamen, & amore, & poſſumus, & debemus. Odio habentes non hominem; ſed peccatum, non vitioſum, ſed vitium; deteſtantes morbum, potius quam ægrotum. Nam publicus adulter, raptor, aſſiduè ebrioſus, proditor, ſuperbus, ſi iudicati, vel caſtigati non fuerint, implebitur in eis illud, quod beatiſſimus martyr Cyprianus de talibus dixit: Qui peccatum verbis adulantibus palpat, peccati fomitem ſubminiſtrat. Vidiſti hominem ſubitò iraſci, noli continuò iudicare, ſed expecta paululum, forſitan quam velociter iraſcitur, tam celeriter mitigatur. In his rebus, ſicut iam ſupra dixi, periculosè alios iudicamus,

1. expoſ.

de his, quæ dubium eſt, vtrum bono, vel malo animo fiant, id eſt, ieiunare, vigilare, eleemoſynas facere, à vino, & carnibus vel abſtinere, vel non abſtinere, & reliqua his ſimilia, quæ & pro Deo, & pro humana gloria fieri poſſunt. Et quia ignoramus, quo animo fiant, iudicare penitus non debemus. Propter hæc dicit Dominus: Nolite iudicare, vt non iudicemini. Propter apertam verò iniquitatem dictum eſt: Argue, obſecra, increpa cum omni patientia, & doctrina.

2 Tim. 4.

Et illud quod ſupra commemorauimus: Iuſtum iudicium iudicate. Hæc enim ſi diligenter (ſicut credimus) conſiderare, & cum grandi ſollicitudine, Deo donante, obſeruare volumus, non de paruo peccato, cum Dei adiutorio, liberamur.

Temere iudicare magnum eſt pre[…]

Maxima enim pars generis humani indiſcreto iudicio ad reprehendendum prompta, & parata eſſe probatur; cum tamen non ita ſe velit ab alijs iudicari, quomodo vult alios iudicare.

Plurimi temere iudicant.

Propter hoc Scriptura diuina admonet, dicens: Priuſquam interroges, ne vituperes quenquam, & cum interrogaueris corripe iuſtè.

Eccl. 11.

Omnis homo prius ſe vult interrogari, & poſtea ſi reus eſt, patienter tolerat reprehendi. Et quidquid nobis omnes volumus ab alijs fieri, iuſtum eſt, vt hoc in alijs ſtudeamus implere. Prius cum patientia interrogemus, & ſolliciti ſimus; & cum aliquid certius agnouerimus, tunc aut ſi mala ſunt, reprehendere, aut ſi bona, defenſare valeamus; Propter illud quod ſcriptum eſt: Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ.

ver. 18. 19.

Aug.

Eadem habet lib. 2. de ſerm. Dom. in mon. cap. 28. & 29. & Chryſoſt. lib. 1. de compunctione cordis.

Not. 2. verſ. 36.

Aug.

AVGVST. lib. 2. Quæſtion. Euangel. cap. 8: Quod Dominus dicit: Date, & dabitur vobis: Menſuram bonam, confertam, & coagitatam, & ſupereffluentē dabunt in ſinum veſtrum:

Date, & dabitur.

Ex illa ſententia accipi poteſt, quod dicitur & alio loco: vt ipſi recipiant vos in æterna tabernacula, vt plebi præceptum eſſe videatur, quod dictum eſt: Date, & dabitur vobis. Secundum quam ſententiam dicit Apoſtolus: Communicet qui catechiſatur verbo Dei, ei, qui ſe catechiſat in omnibus bonis; non enim diceret: Dabunt in ſinum veſtrum, niſi quia per illorum merita, quibus vel calicem aquæ frigidæ in nomine Diſcipuli dederint, mercedem cœleſtem recipere merebuntur.

Gal. 6.

Dabunt,

Bern.

Bern. ſerm. 5. in vigil. Natalis Domini: Quid maieſtas illa non impleat? etiam ſuperimplebit, & ſupereffluet, quando menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinus veſtros. Vſque adeo quidem ſupereffluet, vt ſupra modum in ſublimitate excedat, non modo merita, ſed & vota, ſicut verè potens eſt facere, ſupra quam nos intelligere, aut ſperare poſſumus.

Supereffluentem.

Deus vltra meritum remunerat.

Bern.

Et ſerm. 11. in Cant: Fructū talem expectamus noſtri amoris, qualem ipſe, quem amamus, promiſit, Menſuram (inquiens) plenam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Menſura iſta (vt audio) erit ſine menſura. Sed velim ſcire cuius rei futura ſit illa menſura, vel potius illa immenſitas, quę repromittitur?

Cuius rei menſura promittatur.

tur? Oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti diligētibus te. Dic nobis tu qui præparas, quid præparas? credimus, confidimus, reuera ſic promittis: Replebimur in bonis domus tuę. Sed quibus, quæſo, bonis, vel qualibus? Fortè frumento, vino, oleo, auro, atque argento, lapidibuſque pretioſis? Sed hæc nouimus, & vidimus, & videmus, & faſtidimus. Id quærimus, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Hoc placet, hoc ſapit, hoc delectat inquirere quodcunque eſt illud. Erunt, inquit, omnes docibiles Dei, & ipſe erit omnia in omnibus, vt audio plenitudo, quam expectamus à Deo, nō erit niſi de Deo. Quis verò comprehendat quam magna multitudo dulcedinis in breui iſto ſermone comprehēſa ſit. Erit Deus omnia in omnibus? Et ſer. 72. in Cant: Non eſt quod dematur omnino vacuis, non eſt quod addatur plenis, niſi quod hi neſcio quid pleno amplius ſe accepturos præſumunt; ſecundum promiſſionem à Deo ad ſe factam, & promiſſionis quidem verbum tale eſt: Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. An non plus pleno quodammodo tibi eſſe videtur, quod ſupereffluit? Porro placidè audies plenum, & plenius, ſi te legiſſe memineris in æternum, & vltra.

Eſa. 64 · *Bern.* · *Supereffluentem.* · *Exod. 15*

Not. 3. verſ. 7.

A v g. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 11: Quomodo verum eſt, inquiūt, quod ait Chriſtus veſter: In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis, ſi temporale peccatum ſupplicio punitur æterno? Nec attendunt non propter æquale temporis ſpatium, ſed propter viciſſitudinem mali, id eſt, vt qui mala fecerit, mala patiatur, eandem dictam fuiſſe menſuram. Quamuis hoc in ea re propriè poſſit accipi, de qua Dominus cum hoc diceret, loquebatur, id eſt, de iudicijs, & condemnationibus. Proinde qui iudicat, & condemnat iniuſtè, ſi iudicatur, & condemnatur iuſtè, in eadem menſura recipit, quamuis non hoc dedit. Iudicio enim fecit, iudicio patitur; quamuis enim fecerit damnatione, quod iniquum eſt; patiatur damnatione, quod iuſtum eſt.

Aug. · *Quomodo eadē menſura remetietur.* · *1. expoſ.*

Origen. tract. 25. in Matth: Diſcimus ex hoc loco, quoniam & eorum qui in gehenna futuri ſunt, erit differentia tormentorum: quoniam alter ſimpliciter quidem eſt filius gehennæ, alter autem dupliciter. Sed & hoc videre oportet, ſi adhuc abundantius fiat aliquid filius gehennæ, vt puta tripliciter, vel multipliciter ſecundum multitudinem peccatorum: etſi generaliter eſt fieri aliquem filium gehennæ, vt puta Iudæum, vel Gentilem, aut cuiuſcunque falſi dogmatis profeſſorem, aut & ſpecialiter vt per ſingulas ſpecies peccatorum fiat quis filius gehennæ; vt puta qui fornicatur ſit filius gehennæ, & qui adulteratur dupliciter ſit, & qui furtum facit adhuc tripliciter, ſecundum quod ſcriptum eſt: Qua menſura menſi fueritis, eadem menſura metietur vobis: vt iuſtus quidem ſecundum numerum iuſtitiarum ſuarum augeatur in gloria: peccator autem ſecundum numerum peccatorum ſuorum multiplicetur in gehenna.

Orig. · *Damnati puniuntur inæqualiter.* · *Quomodo eadē menſura remetietur.* · *2. expoſ.*

Not. 4. verſ. 8. 9.

A v g v s t. lib. 2. quæſtio. Euangel. cap. 9: Quod Dominus dicit: Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadent? Fortaſſe hoc ideo ſubiunxit: Ne ſperarent à leuitis ſe accepturos menſuram illam, de qua dixit: Dabunt in ſinum veſtrum: quoniam ipſis dabant decimas: quos cæcos dicit quia Euangelium non tenerent, vt illam remunerationem per diſcipulos Domini potius plebs iam inciperet ſperare, quos imitatores ſuos volens oſtendere, addidit etiam: Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.

Aug. · *A quibus expectanda ſit menſura.* · *Cæcus.*

Not. 5. verſ. 10. 11. 12.

H i e r. Matt. 7: Quid autem vides feſtucam, &c. De his loquitur, qui cum ipſi mortali crimine teneantur obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt, culicem liquantes & camelum glutientes. Rectè ergo & iſti ſimulatione iuſtitiæ, vt ſupra diximus, appellantur Hypocritæ, qui per trabem oculi ſui feſtucam in oculo fratris ſui aſpiciunt.

Hier. · *Quid trabes, quid feſtuca.* · *Cur hi vocantur hypocritæ.*

Aug. ſerm. 16. de verbis Domini: Admonet nos Dominus noſter, non negligere inuicem peccata noſtra, non quærendo quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas. Eius quippe dixit acutum oculum ad eijciendam feſtucam de oculo fratris ſui, qui trabem in oculo ſuo non habet. Quid autem hoc ſit breuiter inſinuo. Feſtuca in oculo ira eſt: trabes in oculo odium eſt. Quando ergo, qui odit, reprehendit iraſcentem, feſtucam vult de oculo fratris tollere; ſed trabe impeditur, quam ipſe portat in oculo ſuo. Feſtuca initium trabis eſt, nam trabs quando naſcitur prius feſtuca eſt, rigando feſtucam perducis ad trabem. Alendo iram malis ſuſpicionibus perducis ad odium. Multum autem intereſt inter peccatum iraceſcentis, & crudelitatem odio habentis. Nam & filijs noſtris quandoque iraſcimur, odiſſe verò filios quis inuenitur? In ipſis quoque pecoribus mater aliquando bucula ſugentem vitulum tædio quodam auertit iraſcens, ſed viſceribus amplectitur matris. Quaſi tædium facit cum impingit, quæritur tamen ſi deeſt. Nec damus aliter filijs diſciplinam, niſi aliquantum iraſcendo, & indignando, nec tamen daremus diſciplinam niſi amando. Vſque adeò non omnis qui iraſcitur, odit; Vt aliquando magis odiſſe conuincatur, qui non iraſcitur. Fac enim puerum velle in aqua fluminis ludere, cuius impetu pereat; tu ſi vides, & patienter permittis, odiſti. Tua patientia illius mors eſt. Quanto melius eſt, ſi iraſceris, & corrigis, quam ſi non iraſcendo interire permittis? Odium ergo ante omnia vitandum eſt, trabes de oculo eijcienda

Aug. · *Ne quæras quod reprehendas, vide quid corrigas.* · *Quid trabes, quid feſtuca.* · *Exemplū.* · *Vt feſtuca trabs fiat.* · *Odit aliquādo qui non iraſcitur.*

eſt. Multum quippe aliud eſt, quando quiſque iraſcens in aliquo verbi modum excedit,quod poſtea deleat pœnitendo; & aliud eſt ſeruare inſidias incluſas in corde. Multum poſtremò intereſt inter hæc verba ſcripturæ: Turbatus eſt præ ira oculus meus.De illo autem quid dictum eſt?Qui odit fratrem ſuum,homicida eſt. Multum intereſt inter turbatum oculum, & extinctum. Feſtuca turbat,trabes extinguit.

Pſal. 6. 1 Ioan 3

Aug. Notàdum conſiliũ. Quid trabs quid feſtuca quibus hic dicatur. Exemplũ. Quid ira. Quid odiũ.

Et homil. 5: Corripe ergo te, & tunc poteris fratrem corripere. Leuiora obijcis, grauiora committis; feſtucam vides in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides. Hoc enim dixit Dominus propter homines,qui cum odio corripiunt. Iraſcentem corripis, & tu odio contabeſcis: Appende in ſtatera conſiderationis iram, & odium. Quid eſt ira? feruor quidem animi. Ad præſens diſplicet tibi, iam in te ira iſta inueterata eſt, ideo fecit odium. Ira feſtuca eſt, trabes futura creſcendo. Sicut enim feſtuca creſcit in trabem, ſic ira inueterata fit odium. Iam tu odiſti, & corripis iraſcentem, iam in illo feſtuca diſplicet,in te adhuc placet trabes. Vultis videre quantum interſit? Sæpe inuenimus iraſci patrem filio, patrem odiſſe filium difficile inuenies.Filio,quem diligit, iraſci poteſt pater. Iraſcitur,& amat,poteſt dici: Odit, & amat, non poteſt dici. Hæc dixi propter homines, qui minora in alijs puniunt; in ſe maiora non puniunt. Et ſerm. 202. de temp: Quid feſtuca, quid trabs ſignificet, videamus. Subita iracundia feſtuca eſt; ira verò,quæ in longum tempus protrahitur, dum per odium falſis ſuſpicionibus nutritur, trabes efficitur. Citò ergo iraſci, & citò placari feſtuca eſt; iracundiam diu in corde tenere, ac ſeruare, trabes eſt. Ergo iracundia inueterata conuertitur ad trabem. Et qua fronte ille, qui odium ſeruat in corde, illum iudicare præſumit, in cuius oculo non trabem, ſed feſtucam eſſe cognoſcit? nam cordis oculum feſtuca turbat, trabes excœcat. Quod dixi,debeo ſcripturarum teſtimonijs approbare. Quomodo ira cordis oculum turbat, audi Pſalmiſtam dicentem: Turbatus eſt,inquit,præ ira oculus meus. Quomodo autem odium cordis excœcat,Ioannes Euangeliſta teſtatur: Qui, inquit, odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò vadat, quoniam tenebræ obcœcauerunt oculos eius. Secundum hæc ergo per ſubitaneam iram cordis oculus turbatur, per odium lumen charitatis extinguitur.

Aug. Quid trabs quid feſtuca, quid ira, quid odiũ. Exẽplum. Pſal. 6. 1 Ioan. 2

Greg. Quid trabs quid feſtuca.quid ira quid odiũ. Exẽplum.

Greg. part. 3. curæ paſtor. admonit. 10: Perturbatio impatientiæ feſtuca eſt, malitia verò in corde, trabes in oculo. Illam namque aura tentationis agitat, hanc autem conſummata nequitia penè immobiliter portat. Rectè verò illic ſubiungitur: Hypocrita, ejce primum trabem de oculo tuo,& tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui; Ac ſi dicatur, menti iniquæ interius dolenti, & ſanctam ſe exterius per patientiam demonſtranti, prius à te molem malitiæ excute, & tunc alios de impatientiæ leuitate reprehende, ne dum non ſtudes ſimulationem vincere,peius tibi ſit aliena prauia tolerare.

Bern. Quid ſit trabes. Exẽplum.

Berna. tract. de gradib. humilitatis: Trabes in oculo grandis, & groſſa, ſuperbia in mente eſt, quæ quadam corpulentia ſui vana,non ſana, tumida,non ſolida oculum mentis obſcurat,veritatem obumbrat,ita vt ſi ruam occupauerit mentem, iam tu te videre, iam te talem qualis es, vel qualis eſſe potes, non poſſis ſentire: ſed qualem te amas, talem te vel putes eſſe, vel ſperes fore. Et in Apologia ad Guilielmum Abbatem: Qui in regula gloriamini, cur contra regulam detrahitis? cur contra Euangelium ante tempus, & contra Apoſtolum alienos ſeruos iudicatis? An regula non concordat Euangelio, vel Apoſtolo? alioquin regula iam non eſt regula, quia non recta. Audite & diſcite ordinem,qui contra ordinem alijs ordinibus derogatis. Hypocrita, inquit,eijce primum trabem de oculo tuo, & ſic videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui. Quæris quam trabem? An non grandis,& groſſa trabes eſt ſuperbia, qua te putes eſſe aliquid, cum nihil ſis? Inſaniſſimè tibi tanquam ſanus exultas, & alijs, vaniſſimè trabem portans, de feſtucis inſultas?

Bern. Rom. 14. Exẽplum Exẽplum Exẽplũ.

Thom. 2. 2. quæſt. 33. ar. 5: Correctio delinquentis pertinet ad aliquem in quantum viget in eo rectum iudicium rationis, peccatum autem non tollit totum bonum naturæ, quin remaneat in peccante aliquid, de recto iudicio rationis. Et ſecundum hoc poteſt ſibi competere à ſubditis delictum arguere. Sed tamen per peccatum præcedens, impedimentum quoddam huic correctioni adfertur propter tria. Primò quidem quia ex peccato præcedenti indignus redditur, vt alium corrigat, & præcipuè ſi maius peccatum commiſit, non eſt dignus, vt alium corrigat de minori peccato. Vnde ſuper illud Matth. 7: Quid vides feſtucam, &c. dicit Hieronymus. De his loquitur,qui cum mortali crimine detineantur obnoxij minora peccata fratribus non concedunt Secundo redditur indebita correctio propter ſcandalum, quod ſequitur ex correctione,ſi peccatum corripientis ſit manifeſtum, quia videtur, quod ille, qui corrigit, non corrigat ex charitate, ſed magis ad oſtentationem. Vnde ſuper illud Matth. 7: Quomodo dicis fratri tuo, &c. exponit Chryſoſt: In quo propoſito, puta ex charitate,vt ſalues proximum tuum? non; quia teipſum ante ſaluares. Vis ergo non alios ſaluare,ſed per bonam doctrinam malos actus celare, & ſcientiæ laudes ab hominibus quærere. Tertio modo propter ſuperbiam corripientis, in quantum ſcilicet aliquis propria peccata paruipendens ſeipſum proximo præfert, in corde ſuo peccata eius auſtera ſeueritate diiudicans, ac ſi ipſe eſſet iuſtus. Vnde Auguſt. dicit in lib. de ſermone Domini in monte: Accuſare vitia officium eſt bonorum virorum, & beneuolorum, quod cum mali faciunt, alienas partes agunt. Et ideo ſicut Aug. dicit in eodem: Cogitemus, cum aliquem

Tho. Vt peccator ſubditos poſſit arguere. Vt peccatũ correctionem impediat.

quem reprehendere nos neceſſitas cogit, vtrum tale ſit vitium, quod nunquam habuimus. Et tunc cogitemus nos homines eſſe, & habere potuiſſe: vel tale quod aliquando habuimus, & iam non habemus; & tunc tangat memoriam communis fragilitas, vt illam correctionem, nō odium, ſed miſericordia præcedat. Si autem inuenerimus nos in eodem vitio eſſe, non obiurgemus, ſed congemiſcamus, & ad æqualiter conandum inuitemus. Ex his ergo patet, quod ſi peccator cum humilitate corripiat delinquentem non peccat, nec ſibi nouam condemnationem acquirit, licet per hoc, vel in conſcientia fratris, vel ſaltem ſua, pro peccato præterito condemnabilem ſe eſſe oſtendat.

No. 6. ver. 13.

HIERON. Matt. 7: Sanctum, panis eſt filiorum. Non debemus ergo tollere panem filiorum, & dare eum canibus. Porcus non recipit ornatum, qui verſatur in volutabris luti. Et iuxta Prouerbia Salomonis: Si habuerit circulum aureum fœdior inuenitur. Quidam canes eos intelligi volunt, qui poſt fidem Chriſti reuertuntur ad vomitum peccatorum ſuorum. Porcos autem eos, qui necdum Euangelio crediderunt, & in luto incredulitatis, vitijſque verſantur. Non conuenit igitur iſtiuſmodi hominibus citò Euangelicam credere margaritam, ne conculcent illud, & conuerſi nos incipiant diſſipare.

Leo epiſt. 78. cap. 4: Sicut ſimpliciores non ſpernimus, ita à rebellibus Hæreticis abſtinemus; memores præcepti Dominici dicentis: Nolite dare ſanctum canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos. Nimis quippe indignum, nimiſque iniuſtum eſt, eos ad libertatem diſceptationis admitti, quos ſignificat Spiritus ſanctus per Prophetam, dicens: Filij alieni mentiti ſunt mihi: filij alieni inueterati.

Cypr. lib. ad Demetr. cap. 1: Sanctum quoque iubemur intra conſcientiam noſtram tenere, nec inculcandum porcis, & canibus exponere, loquente Domino, & dicente: Ne dederitis ſanctum canibus, &c. Et lib. 3. ad Quirin. cap. 50: Sacramentum fidei non eſſe profanandum apud Salomonem in Parœmijs: In aures imprudentis noli quicquam dicere, ne quando audierit, irrideat inſenſatos ſermones tuos. Item in Euangelio *kata* Matthæum: Ne dederitis ſanctum canibus, &c.

Orige. hom. 1. in Pſal. 37: Nolite mittere margaritas veſtras, &c. Porcos ibi appellans eos, qui peccatorum fœtoribus delectantur, ſicut porci, qui fœtorem omnem tanquam odorem ſuauiſſimum expetunt: Conſidera ergo peccatorem, qui peccatis ſuis delectatur, & lætus eſt in malis ſuis; quoniam & ipſe in ſtercore fœtido volutatur, & nullum fœtoris eius, qui ex peccati ſtercore redditur percipit ſenſum, velut in ſummis voluptatibus, & gratiſſimis delicijs delectatur. Si verò iſtum eueniat aliquando porcorum quidem ſenſum, odoratumque deponere, & ſenſum verbi Dei percipere, ita vt poſſit ſentire fœtorem peccatorum ſuorum, ſtatim conuerſus ad pœnitentiam, & emendationem requirens, impatiens proprij fœtoris efficitur.

Baſil. in reg. breuior. interr. 250: Quomodo dat aliquis ſanctum canibus, aut quomodo margaritas proijcit ante porcos? Quomodoue illud conſequitur, quod continuo ſubijcitur, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi diſrumpant vos? Reſponſio. Apertè hoc nobis explicat Apoſtolus, qui ad ea, quæ dixerat aduerſus Iudæos illa etiam adiunxit: Qui in lege glorìaris, per violationem legis Deo contumeliam facis. Contumeliam igitur, qua ſacroſanctam Domini doctrinam afficimus, illam violando, Dominus hoc in loco prohibuit. Ex qua violatione illud conſequitur, vt & qui ſunt extra fidem, ſimul & contemnenda arbitrentur dogmata Domini, & ex illis ipſis anſam arripiāt præſidentius nos inuadendi, & conuitijs, accuſationibuſque violatorem veluti proſcindendi.

Ambr. lib. 2. de pœnitent. cap. 9: Præceptum eſt: Nolite ſanctum dare canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos, hoc eſt, immundis impuritatibus ſacræ communionis non impertienda conſortia. Et ſer. 2. in Pſal. 118: Si diuulgauerit Babylonijs theſaurum Dei, magnam offenſam contrahet, vt dicatur ei ſermone prophetico: De ſemine tuo accipient, & facient ſpadones in domo Regis. Per quæ ſignificatur, quia is, qui prodiderit diuina myſteria, poſteritatem animæ ſuæ, ſeminariumque meritorum habere non poſſit. Caue ergo ne diuitias tuas perfidis prodas: & ſi amicitiam ſimulent, non illis aperias interiora domus tuæ, non reſeres theſauros regios, quos Babylonij ſcire non debent, ne veniant, & capiant poſteros tuos, & ſeminarium virtutis abſcindant. Hoc eſt, quod etiam in Euangelio dicit Dominus: Nolite mittere margaritas veſtras porcis. Ideo bene facit, qui abſcondit eloquia Domini in corde ſuo; ſicut abſcondebat Propheta Dauid: Sicut Maria, quæ conſeruabat omnia verba Domini Ieſu in corde ſuo.

Chryſoſt. lib. 1. de compunct. cordis: Nolite ſanctum canibus, &c. At nos laudis amore, & iactantiæ vitio corrupti etiam huic præcepto contraria gerimus, atque hominibus, neque intellectum purum, neque ſanam fidem gerentibus, inſuper etiam peccatorum maculis innexis ſine vlla diſcretione myſteriorum ſecreta nudamus, & priuſquam mentis propoſitum à nobis, vel ſenſus capacitas explorata ſit, diuinorum dogmatum venerāda eis arcana committimus: & quibus prima vixdum rudimenta tradi oporteret, interna eis adijta diuinæ ſcientiæ, diuinæque ſapientiæ patefacimus. Propterea denique nonnulli vbi immundis, vt ita dicam, pedibus ſancta noſtra calcarunt, & pleno ſordibus pectore hauſerunt purum diuinæ ſcientiæ poculum: non ſolum euomuerunt, quod hauſerant, ſed & contradixerunt, & tranſuerſi ſunt, & inſurgentes

Ff 3 ſurgentes

Marginalia: Si peccatorum peccantem arguere licet. Hier. Sanctum quid ſit. Porci qui ſint. Prou. 11. Canes qui ſint. Porci. Margarita. Leo. Heretici ſunt canes, & porci. Sanctum. Pſal. 17. Cypr. Cypr. Sanctum. Prou. 23. Orig. Porci qui ſint. Baſ. Rom. 2. Sanctum. Ambr. Sanctum. Amb. Iſa. 39. Luc. cap. 14. ver. 1. Chryſoſt. Quid ſanctum. Sanctum quid.

ſurgentes in eos, iniurijs, & maledictis, atque accuſationibus eos, opprobrijſque ruperunt. Et ita ne nobis quidem ipſis, & vitæ, atque exiſtimationi noſtrę parcimus, dummodo pręuaricemur diuina præcepta: & non ſolum in hoc, ſed interdum & in eo præuaricamur præcepti huius vim, cum eos, quos nouimus immundæ vitæ homines, violentos, rapaces, impuros, & per omnia porcis, & canibus ſimiles, diuini eos ſacramenti participes effici patimur. Et prolog. commentr. ſuper Euangelium Ioannis: Margaritas, hæc verba (Euangelica) vocauit, quæ his (margaritis) longè pulchriora præſtantioraque ſunt. Et hom. de Cruce Dominica: Committamus nos pelagi profundo, ad perquirendũ in ſcripturis diuinis margaritam latentem. Parate animos veſtros, & tota intentione mentis, quæ dicuntur, audire. Cupio enim in hoc ſcripturarum ſanctarum profundum deſcendere, & inde vobis proferre pretioſiſſimam margaritam: nolite quæſo negligenter audire. Scriptum eſt enim: Ne miſeritis margaritas meas ante porcos, & ne detis ſancta mea canibus: Cum autem porcos audis, & canes, ne de brutis animalibus æſtimes dici. Porci enim ſunt, qui vitam ſuam ſcœnoſæ libidini, & voluptatibus ſæculi manciparunt. Canes verò omnes hæretici, qui contra Creatorem ſuum blaſphemiarum extendunt eloquia. Facite ergo vos dignos ad ſuſcipiẽdum pretioſiſſimam margaritam, quam vobis apponere cupio.

Chryſoſt. *Quid margaritæ.* *Margarita quid.* *Qui ſint porci, & canes.*

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 143: Nolite igitur dare ſanctum canibus, hoc eſt, Iudæis, qui diuinum ſermonem perſæpe acceperunt, ac rurſum ad vomitum ſuum reuertuntur: aut hæreticis, ad veram doctrinam ſe conferentibus, ac rurſum ad priorem ſententiæ peruerſitatem redeuntibus. Margaritas item ne ante porcos proijciamus, diuino interdicto prohibemur, hoc eſt, ante eos, qui in vitioſis affectionibus volutantur, ac porcinum vitæ genus ſequuntur: ne fortè conculcent eas pedibus, nimirum in ſceleratis ſuis ſtudijs diuino nomini contumeliam inferentes: & conuerſi diſrumpant vos. Siquidem diuinorum myſteriorum cum huiuſmodi hominibus communicatio, ijs, qui per contemptum ea impertiunt, eiuſmodi diruptio eſt, ex qua emergere nequeant.

Iſidor. *Qui ſint canes.* *2 Pet. 2.* *Qui ſint porci. 2 Pet. 2*

Aug. lib. 1. de adulterinis coniugijs cap. 27: Si autem Dominus vbi ait: No ite dare ſanctum canibus, hoc quod iſti cauendum putant, vellet intelligi, non ipſe ſuo traditori dediſſet, quod in ſuam ille perniciem, ſine culpa dantis, cum dignis iudignus accepit. Vnde cum diceret Dominus, credendum eſt ſignificare potuiſſe, quod lucem intelligentiæ ſpiritalis iucunda corda non portant: etſi portanda doctor ingeſſerit, quæ non rectè accipiunt, quia non capiunt, vel reprehenſionis morſibus lacerant, vel contemnendó conculcant. Si enim B. Apoſtolus quamuis in Chriſto iam renatis tamen adhuc paruulis lac dicit ſe dediſſe, non eſcam: necdum enim poteratis, inquit, ſed nec adhuc quidem poteſtis. Si denique ipſe Dominus electis Apoſtolis dixit, adhuc multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis illa portare modo, quanto minus poſſunt ferre quæcunque de incorporea luce dicuntur immundæ mentes impiorum.

Aug. *Sanctum quid ſit.* *1 Cor. 3.* *cap. 159. Quid ſanctum, Quid porci.*

Et hom. 7. in Apocal: Quod autem dixit: Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, propter obtundendos dictum eſt, de quibus in Euangelio: Nolite ſanctum dare canibus: id eſt, vt non paſſim omnibus impijs pateat verbum Dei. Alio denique loco propter ſeruos ſuos dixit: Ne ſignaueris, inquit, verba prophetiæ huius. Et oſtendit quibus ſignari iuſſerit, & quibus non. Qui perſeuerauerit, inquit, nocere noceat, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Ecce quibus ſignatum eſt verbum Dei. Propterea in ſimilitudinibus loquitur illis, vt qui iuſtus eſt, iuſtiora faciat, ſimiliter & ſanctus ſanctiora. Ecce quibus non eſt ſignatum. Plura lib. 2. de ſermi. Dom. in mont. cap. 31.

Aug. *Quid ſanctum, qui canes.* *Aug.*

Not 7. ver. 14. 15.

CHRYSOST. hom. 22. in Epiſt. ad Hebr: Quærite, & inuenietis: Quomodo autem poteſt Dominus inueniri? Intellige quomodo inuenitur aurum cum multo labore. Manibus meis quæſiui, inquit, nocte in conſpectu eius, & non ſum defraudatus; hoc eſt, ſicut quęrimus, quod perierat, ſic Deum requiramus. Nonne cum aliquid perdiderimus, mentem noſtram illuc conuertimus? nonne omnes examinamus? nonne, ſi opus fuerit, per itinera longa peregrè vadimus? nonne pecunias promittimus? v. g. pone filium nobis perijſſe, quid non agimus? quam terram, quod mare non pererramus? nonne & pecunias erogamus, & cuncta poſtremò facimus, vt illum inueniamus? At ſi inuenerimus, continemus, conſtringimus, amplexamur, non derelinquimus, & inquiſituri omnia molimur, vt inueniamus, quod quærimus, & inuenientes primum gaudemus. Quanto magis ergo in inueniendo Deo, hoc facere conuenit? Sicut cum aliquid neceſſariorum requirimus, magis autem nec ſic, ſed multo amplius, veruntamen quia infirmi ſumus, ſaltem ſicut pecunias tuas inquiris, vel filium, ita require Deum. An non filij gratia in itinera prolixa commeas? Rogo num aliquando peregrè profectus es pro pecunijs? an non omnia curioſè perquiris? an non cum eas inueneris, confidens efficeris? Quærite, inquit, & inuenietis: quæ quæruntur enim multa cura opus habent, maximè in cauſa Dei. Multa quippe ſunt impedientia, multa prohibentia, multa obumbrantia intellectum noſtrum. Et hom. in Pſal. 9: Quomodo quæritur Deus, qui eſt vbique? ſtudio, & animi promptitudine, & ſi ab ijs omnibus, quæ ad victum pertinent, liberemur. Sæpe enim cum ante oculos, & in manibus habeamus, neſcimus, ſed circumcurſamus ſæpe quærentes, quæ tenemus, quando mens alio verſa fuerit. Quomodo ergo Deum quærere poſſumus? quando illuc animum intendimus, quando ab ijs, quæ ad hanc vitam pertinent, fuerimus liberati, &c.

Chryſoſt. *Deus quomodo inueniatur. Simile. Pſal. 76.* *Chryſoſt.* *Deus vt quærendus ſit.*

Aug.

Aug. Aug. ſerm. 5. de verbis Domini: Hortatus eſt nos Dominus ad orandum: Petite, inquit, & dabitur vobis, &c. Ergo ſi vis habere iuſtitiam eſto mendicus Dei, qui te paulo ante ex Euangelio, vt peteres, quæreres, pulſares, monebat. Mendicum ſuum ſciebat, & ecce paterfamilias, & magnus diues, diuitiarum ſcilicet ſpiritalium, & æternarum, hortatur, & dicit tibi: Pete, quære, pulſa: qui petit accipit; quærens inueniet, pulſanti aperietur. Hortatur vt petas, negabit, quod petis? Aug. Et lib. 12. Confeſſ. cap. 1: Petite, & accipietis, &c. promiſſa tua ſunt, & quis falli timeat, cum promittit veritas? Eundem vide lib. 2. de ſer. Dom. in mon. cap. 33. Aug.

Hier. Hieron. Matth. 7: Petite, & dabitur, &c. Qui carnalia ſupra vetuerat poſtulari, quid quærere debeamus oſtendit. Si petenti datur, & quærens inuenit, & pulſanti aperitur; ergo cui non datur, & qui non inuenit, & cui non aperitur, apparet quod non bene petierit, quæſierit, pulſauerit. Pulſemus itaque ianuam Christi, de qua dictum eſt: Hæc porta Domini, iuſti intrabunt per eam: vt cum intrauerimus, aperiantur nobis theſauri abſconditi, & tenebroſi in Chriſto Ieſu, in quo eſt omnis ſcientia. Et in cap. 58. Eſai: Omnis qui quærit, inuenit; quicunque non inueniet, malè quæſiſſe conuincitur, Dominus enim inuenitur ab his, qui eum quærunt in bonitate. (Qui non inueniant; Pſal. 117.; Hier.; Qui non inueniant)

Not. 8. verſ. 16. 17.

Cypr. CYPR. epiſt. 52. cap. 6: Dominus quoque in Euangelio pietatem Dei Patris oſtendens, ait: Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius eius panem, &c. Comparat hic Dominus carnalem patrem, & Dei patris æternam, largamque pietatem; quod ſi iſte in terris nequam pater offenſus grauiter à filio peccatore, & malo; ſi tamen eundem poſtmodum viderit reformatum, & depoſitis prioris vitæ delictis, ad ſobrios, & bonos mores, & ad innocentiæ diſciplinam pœnitentiæ dolore correctum, & gaudet, & gratulatur, & ſuſceptum quem ante proiecerat cum voto paternæ exultationis amplectitur. Quantò magis vnus ille, & verus pater bonus, miſericors, & pius, imo ipſa bonitas, & miſericordia, & pietas lætatur in pœnitentia filiorum ſuorum; nec iram pœnitentibus, aut plangentibus, & lamẽtantibus pœnam comminatur; ſed veniam magis, & indulgentiam pollicetur. (Dei pietas)

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. in Pſal. 114: Vt ſcias quod paratus ſit ſemper præbere, audi quid dicat in Euangelio: Quis eſt ex vobis, à quo ſi petierit filius eius panem, num lapidem dabit ei? vel ſi petierit piſcem, num ſerpentem dabit ei? ſi autem vos, cum ſitis mali, ſcitis bona dare filijs veſtris: quantò magis Pater veſter qui in cœlis eſt, dabit bona ab ipſo petentibus? Vides quanta ſit eius bonitas, cum noſtra cum illa collata videatur improbitas? Quoniam ergo talis eſt noſter Dominus, ad eum ſemper confugiamus, & dummodo eum adiutorem inuocemus, eum paratum inueniemus ad conſeruandum. Si enim qui naufragium fecerunt, & in tabula vehuntur, eos qui procul ſunt vocantes, perſuadent vt humanitate vtantur: etſi inter eos nihil commune intercedat, ſed tantum caſûs eorum miſereantur; quantò magis qui eſt benignus, & clemens, & naturali bonitate vtitur, eos eripiet, qui grauibus opprimuntur calamitatibus, ſi modo ad eum confugere voluerint, & eum verè, ac ſynceré inuocare humana ſpe relicta? (Quomodo ſimus mali. 2 ſen.)

Et lib. 1. de prouid. Dei: Ipſe Dei filius cum Iudæis loqueretur, aiebat: Si autem vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quantò magis Pater veſter cœleſtis dabit bona petentibus ſe? nihil profectò aliud per iſta ſignificans, niſi tantam eſſe diuinæ prouidentiæ, & gubernationis paternæ differentiam, quantum intereſt inter bonos, & malos. Chryſoſt.

Hieron. Matt. 7: Si ergo vos cum ſitis mali, &c. Notandum quod Apoſtolos malos dixerit, niſi fortè ſub Apoſtolorum perſona omne hominum damnetur genus: cuius ad comparationem diuinæ clementiæ ab infantia cor ad malum poſitum eſt. Lege Geneſim. Nec mirum ſi homines huius ſæculi dicit malos, cum & Paulus Apoſtolus memoret: Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. (Hier.; Quomodo ſimus mali 2. ſen.; Gen. 8.; Epheſ. 5.)

Ambr. lib. 1. de Spir. ſancto cap. 5: Euangeliſtæ duo in vno, eodemque loco, diuerſis quidem inter ſe verbis, ſed eadem deſignarunt; habes enim in Matthæo: Si vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quantò magis Pater veſter, qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe? Secundum autem Lucam inuenies ita ſcriptum: Quantò magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Aduertimus ergo bonum eſſe Spiritum ſanctum Domini iudicio, Euangeliſtarum teſtimonio, quando alius pro ſancto Spiritu bona, alius pro bonis ſanctum Spiritum nominauit. Si igitur quod bonum eſt, hoc eſt, Spiritus ſanctus, quomodo bonus non eſt? nec fallit, quod nonnulli codices habent etiam ſecundum Lucam: Quantò magis pater veſter de cœlo dabit bonum datum petentibus ſe? hoc bonum datum gratia ſpiritalis eſt, quod Dominus Ieſus effudit de cœlo poſtquam patibulo crucis fixus triumphales reuehens euacuatæ mortis exuuias, victor mortis à mortuis reſurrexit. (Amb.; Bona quid; cap. 10. ver. 13.)

Aug. ſerm. 5. de verbis Domini: Cum ſitis, inquit, mali noſtis bona data dare filijs veſtris. Miranda res fratres, mali ſumus, & bonum patrem habemus. Quid euidentius? Audiuimus nomen noſtrum: Cum ſitis, inquit, mali, bona data noſtis dare filijs veſtris, & quos dixit malos, videte qualem patrem illis oſtendit. Quantò magis pater veſter. Quorum pater? Certè malorum. Et qualis pater? nemo bonus, niſi ſolus Deus. Ergo, fratres, ideo mali bonum patrem habemus, ne ſemper mali remaneamus. Nemo malus facit bonum. Si nemo malus facit bonum, homo malus quomodo ſe facit bonum? facit de malo bonum, qui ſemper eſt bonus: Sana me, Domine, inquit, & ſanabor: Salum Aug.

Hier. 17. Eccl. 7. uum me fac, & ſaluus ero. Quid mihi dicunt vani vana, tu te ſaluum facis, ſi volueris? Sana me, Domine, & ſanabor. Nos boni conditi ſumus à bono. Fecit enim Deus hominem rectum, arbitrio autem noſtro facti ſumus mali. Potuimus eſſe ex bonis mali, & poterimus eſſe ex malis boni. Sed qui ſemper eſt bonus, ipſe facit ex malo bonum, quia ipſe homo voluntate ſua ſe ſanare non potuit. Non quæris medicum, vt vulneres te, ſed cum vulneraueris te, quæris, qui ſanet te. Bona ergo ſecundum tempus bona temporalia, corporalia, carnalia nouimus dare filijs noſtris etiam cum ſimus mali. Bona ſunt enim & iſta; quis dubitet? Piſcis, ouum, panis, pomum, frumentum, lux iſta, aër iſte quem ducimus. Bona ſunt hæc ipſæ diuitiæ, in quibus homines extolluntur, & panes ſuos homines alios non agnoſcunt. In quibus, inquam, homines extolluntur, magis amantes veſtem fulgentem, quam cogitantes communem cutem. Ipſæ ergo diuitiæ bonæ ſunt. Sed omnia iſta bona, quæ commemoraui, à bonis, & malis haberi poſſunt. Et cum bonæ ſint, bonos tamen facere non poſſunt. Eſt ergo bonum, quod faciat bonum, & eſt bonum, vnde facias bonum. Bonum, quod facit bonum, Deus eſt. Non enim facit hominem bonum, niſi ille, qui ſemper eſt bonus. Ergo vt ſis bonus, Deum inuoca. Aliud autem bonum eſt, vnde facias bonum, id eſt, quicquid habueris. Aurum eſt, argentum eſt, bonum eſt, non quod te faciat bonum, ſed vnde facias bonum: habes aurum, habes argentum, & concupiſcis aurum, & concupiſcis argentum, & habes, & concupiſcis; & plenus es, & ſitis; morbus eſt, non opulentia. Sunt homines in morbo, humore pleni ſunt, & ſemper ſitiunt: (humore pleni ſunt, & humorem ſitiunt) quomodo ergo delectas opulentiam, qui habes hydropem conſcientiam? Habes ergo aurum, bonum eſt. Habes non vnde ſis bonus, ſed vnde facias bonum. Quod bonum, inquis, facturus ſum de auro? Non audiſti Pſalm: Diſperſit, inquit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Hoc eſt bonum, hoc eſt bonum, vnde ſis iuſtitia bonus: ſi habes vnde ſis bonus, fac bonum de bono, vnde non es bonus. Habes pecuniam, eroga. Erogando pecuniam auges iuſtitiam. Diſperſit enim, diſtribuit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Vide quid minuatur, & quid augeatur. Minuitur pecunia, augetur iuſtitia. Illud minuitur, quod eras dimiſſurus; illud minuitur, quod eras relicturus; illud augetur, quod in æternum es poſſeſſurus. Conſilium do lucrorum, diſce mercari. Laudas enim mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum; & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam, & acquirit iuſtitiam; Sed ego, inquis, non erogo pecuniam, quia non habeo iuſtitiam; Eroget pecuniam, qui habet iuſtitiam. Ego non habeo iuſtitiam, habeam vel pecuniam. Ergo quia non habes iuſtitiam, ideo non vis erogare pecuniam? magis eroga pecuniam, vt habeas iuſtitiam. A quo enim habebis iuſtitiam, niſi à Deo fonte iuſtitiæ?

Pſal. 111.

Iſidor. Peluſ. lib. 3. epiſt. 117: Magna Dei bonitas eſt: ac contrà ingens hominum crudelitas. Nam qui moram aliquam poſtularat ac debitæ pecuniæ remiſſionem conſecutus fuerat: idem, cum ab eo mora quædam peteretur, non modò eam non dedit, ſed etiam conſeruum in vincula coniecit, idque cum non tanta æris alieni mole, quantum ipſe erat, conſtrictus teneretur. Nam ipſe decem millia talentorum debebat: hic quinquaginta dumtaxat denarios. Quocirca Euangelium hominum bonitatem cum diuina bonitate comparans, improbitatem eam merito appellauit, his verbis vtens: Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, &c. Quibus verbis vniuerſam naturam improbitatis damnat (abſit. Scriptum eſt enim: Benefac Domine bonis, & rectis corde. Et: Bonus homo de bono theſauro ſuo profert bona:) verum humanam bonitatem cum diuina conferens, improbitatem eam appellauit. Quanto enim magis, inquit, pater veſter dabit bona petentibus ſe? Iſidor.

Not. 9. verſ. 11.

Greg. lib. 6. Mor. cap. 23: Viſitans ſpeciem tuam non peccabis. Species quippe hominis eſt alter homo. Rectè enim ſpecies noſtra dicitur proximus noſter, quia in illo cernimus, quid ipſi ſimus. Corporali enim viſitatione ad proximum greſſuum acceſſu venimus, ſpiritali verò non greſſu, ſed affectu ducimur. Speciem ergo ſuam viſitat quiſquis ad Deum, quem ſibi ſimilem per naturam conſpicit, paſſibus amoris tendit, vt in altero ſua conſiderans, ex ſeipſo colligat, qualiter infirmitati alterius condeſcendat. Speciem ſuam viſitat, qui vt in ſe alterum reficiat, ſe in altero penſat. Hinc namque per Moyſem veritas cum geſta deſcriberet, gerenda ſignabat, dicens: Protulit terra herbam virentem, & afferentem ſemen iuxta genus ſuum; lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque ſemen ſecundum ſpeciem ſuam. Lignum quippe ſecundum ſpeciem ſuam ſemen producit, cum mens noſtra ex ſui conſideratione ſe in alterum colligit, & recti operis germen parit. Hinc quidam Sapiens dicit: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Hinc in Euangelio Dominus dicit: Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis, ac ſi apertè diceret: Speciem veſtram in altero viſitate, atque ex vobiſmetipſis agnoſcite, quid vos oporteat alijs exhibere. Hinc Paulus ait: Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer; & his qui ſub lege erant, quaſi ſub lege eſſem, cum ipſe non eſſem ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, lucrifacerem: Et his qui ſine lege ſunt, quaſi ſine lege eſſem, cum ſine lege Dei non eſſem, ſed ſub lege eſſem Chriſti. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes ſaluos facerem. Neque enim egregius prædicator, vt quaſi Iudæus fieret, ad perfidiam erupit: Neque vt quaſi ſub lege eſſet, ad carnale ſacrificium redijt. Neque vt omnibus omnia fieret,

Greg. Iob 5. Gen. 1. 1 Cor. 9.

fieret, ſimplicitatem mentis, in erroris varietatem commutauit:ſed condeſcendendo appropinquat infidelibus, non cadendo: vt videlicet ſingulos in ſe ſuſcipiens, & ſe in ſingulos transfigurans,compatiendo colligeret, ſi ita ipſe, vt illi eſſet, quid impendi ſibi ab alijs rectè voluiſſet.Et tanto verius vnicuiq; erranti cócurreret, quanto ſalutis eius modum ex propria conſideratione didiciſſet. Et lib.10.Mor.c.6: Proximi dilectiò ad duo præcepta deriuatur, cum & per quendam iuſtum dicitur: Quod ab aliò tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per ſemetipſam Veritas dicit: Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Quibus duobus ſcilicet vtriuſque teſtamenti mandatis, per vnum malitia compeſcitur,per aliud benignitas prærogatur: vt malum quod pati non vult quiſque non faciens ceſſet à nocendi opere; & rurſum bonum. quod ſibi fieri appetit impendens erga vtilitatem ſe proximi exerceat ex benignitate. Sed hæc nimirum duo dum ſollicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum miniſteria tenditur, ne vel ad inferenda, quæ non debet,deſiderijs inquieta mens ferueat; vel erga exhibenda quæ debet, otio reſoluta torpeſcat. Nam cum cauet alteri facere quod nequaquam vult ab altero ipſa tolerare, ſollicita ſe intentione circumſpicit, ne ſuperbia eleuet, & vſque ad deſpectum proximi animum deijciens exaltet, ne ambitio cogitationem dilaniet, cumque hanc ad appetenda aliena dilatat, anguſtet; ne cor luxuria polluat, & ſubiectum deſiderijs per illicita corrumpat, ne ira exaſperet, & vſque ad proferendam contumeliam inflammet: ne inuidia mordeat, & alienis fœlicitatibus æmula ſua ſe face conſumat: ne immoderatè linguam loquacitas pertrahat, eamque vſque ad laſciuiam obtrectationis extendat: ne odium malitia excitet, & os vſque ad iaculum maledictionis irritet. Rurſum cum cogitat, vt ea alteri faciat, quæ ipſa ſibi fieri ab altero exſpectat, penſat nimirum, vt malis bona, & bonis meliora reſpondeat: vt erga procaces manſuetudinem longanimitatis exhibeat, vt malitiæ peſte languentibus gratiam benignitatis impendat; vt diſcordes pace vniat, & concordes ad concupiſcentiam veræ pacis accingat: vt indigentibus neceſſaria tribuat; vt errantibus viam rectitudinis oſtendat; vt afflictos verbo & compaſſione mulceat: vt accenſos in huius mundi deſiderijs increpatione reſtringat: vt minas potentum ratiocinatione mitiget: vt oppreſſorum anguſtias,quanta præualet ope, leuet; vt foris reſiſtentibus opponat patientiam: vt intus ſuperbientibus exhibeat cum patientia diſciplinam, vt erga errata ſubditorum ſic manſuetudo zelum temperet, quatenus à iuſtitiæ ſtudio non eneruet, ſic ad vltionem zelus ferueat, ne tamen pietatis limitem feruendo tranſcendat: vt ingratos beneficijs ad amorem prouocet: vt gratos quoſque miniſterijs in amore ſeruet: vt proximorum mala cum corrigere non valet, taceat; vtque cum corrigi loquendo poſſunt ſilentium conſenſum eſſe pertimeſcat; vt ſic ea, quæ tacet, toleret, ne tamen in animo virus doloris occultet: vt ſic maleuolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam à iure rectitudinis excedat; vt cuncta proximis quæ præualet impendat, ſed hæc impendendo non tumeat: vt ſic in bonis quæ exhibet, tumoris præcipitium paueat; ne tamen à boni exercitio torpeſcat: vt ſic quæ poſſidet, tribuat, quatenus, quanta ſit largitas remunerantis attendat, ne cum terrena largitur, ſuam pluſquam neceſſe eſt,inopiam pertimeſcat,& in oblatione muneris hilaritatis lumen triſtitia obſcuret.

Greg. Tob. 4.

Et lib. 19. Moral. cap.18: Iuſti ab omni ſtrepitu ſæculari ad corda ſua redeunt,ibique aſcendunt tribunal mentis,atque ante oculos ſe & proximum ſtatuunt, deducunt ad medium regulam teſtamenti, qua dicitur: Quæ vultis vt faciant vobis homines,& vos eadem facite illis.Transferunt in ſe perſonam proximi, & ſollicitè attendunt, quid ſibi, ſi ita eſſent, fieri, vel non fieri iuſtè voluiſſent. Sicque diſtricto iure, atque iudicio cauſam ſuam, & proximi iuxta tabulas diuinæ legis in foro cordis examinant. Greg.

Et hom.38. in Euágelia:Sciendum eſt quod ipſa dilectio proximi in duobus præceptis ſubdiuiditür, cum quidam Sapiens dicat: Omne quod tibi odis fieri,vide ne ipſe alteri facias. Et per ſemetipſam Veritas prædicat,dicens: Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Si enim & quod impendi nobis rectè volumus,hoc alijs impartimur; & quod nobis fieri nolumus,hoc alijs facere ipſi deuitamus,charitatis iura illæſa ſeruamus. Greg. Tob. 4

Fulg. lib. 1. de remiſſ. peccat. cap. 17: Non dixit Chriſtus, quæ vobis fecerint homines,eadem & vos facite eis: ne malum crederemus pro malo reddendum ei, qui nobis mali aliquid fecit: aut cuiquam negandum putaremus beneficium, à quo nobis nihil beneficij ſciremus impenſum: cum debeat Chriſtianus omni homini beneuolentiæ adiutorium, vel prærogare,vel reddere: vt & bono bonum reddat, & malum bonitate præueniat: dicitur enim nobis à Domino: Diligite inimicos veſtros: benefacite his,qui vos oderunt. Fulg. Cur non ait: Quæ vobis fecerint,facite.

Chryſoſt. hom. in Pſal. 5: Quæ vultis vt faciant vobis homines, ea vos etiam ipſis facite. Vides quomodo nihil alienum attulerit, ſed ea quæ natura prius conſtituerat? Quæ vis, inquit, vt propinqui tui in te faciant, ea ipſe quoque fac. Vis laudari? lauda. Non vis aliquid tibi furto ſubripi? ne furare. Vis honorari? honora.Vis miſericordiam aſſequi? miſerere. Vis amari? ama. Vis non malè audire? ne tu malè dixeris. Vide autem,quam accuratè locutus eſt;non dixit: Quæcunque non vultis vt faciant, nec vos facite; ſed, quæ vultis. Quoniam duæ ſunt viæ, quæ ducunt ad virtutem: vna quidem liberatio à vitio; alia verò virtutis actio: hanc proponit, per hanc illam etiam manifeſtans. Et illam quidem ſignificauit cum dixit: Quod odiſti, alij ne feceris: hanc verò: Quæcunque vultis vt faciant vobis homines,& vos ipſis facite. Et hom. 13.ad popul.Antiochenum:Scimus quid nempe vitium, Chryſoſt. Ad virtutẽ duæ viæ. Chryſoſt.

mantibus lata fit, ipſæ viæ duræ ſpiritaliter currentibus molles, & planæ fiunt, dum ſcit animus ſe pro temporalibus doloribus æterna gaudia recipere, & hoc incipit, quod affligitur, amare.

Eut. Euthy. Matth. 7: Anguſtam portam vocat virtutum operationem. Portam quidem tanquam ad vitam æternam introducentem: anguſtam verò, vt quæ ingredientes præparet ad labores, ac afflictiones, donec ad finem perueniant. Quia enim arcta eſt ob ſuam perfectionem, dicuntur illam non poſſe ingredi, qui craſſi ſunt peccatis: donec peccatorum à ſe pinguedinem expellant.

Chryſoſ. Chryſoſt. lib. 1. de compunct. cord: Qui ſumus iuſſi per anguſtam viam incedere, per latam ſemper incedimus. Et quidem quod homines ſæculi latam viam, ſpatioſamque gradiantur, non valdè mirum eſt: eos autem qui videntur crucem ſuam ſuſtuliſſe, & ſequi Chriſtum per hanc latam, & ſpatioſam velle incedere, non tibi prodigioſum videtur? Denique Monachi cum de Monaſterijs, & locis habitationum percunctantur, ante omnia requirunt, ſi requies ſit in loco, ſi abundent omnia, ſi aquarum copiæ fluant: ſed etſi de Eremo requirant, etiam ibi ante omnia de requie tractant, & de opportunitate miniſterij corporalis. Iam verò ſi ad aliquam diſpenſationem vocaueris, aut aliquid miniſterij diuini iniungere volueris, prima ſtatim ſollicitudo eſt eius, & prima iſta verba ſunt; ſi eſt ibi requies, quo eundum eſt, ſi inueniantur, quæ neceſſaria ſunt, abundanter; ſi nihil deſit eorum, quæ lata, ac ſpatioſa via depoſcit. Quid ais, ô homo, quid loqueris? arctam viam, & anguſtam iuſſus es ambulare; vt quid de requie, vt quid de abundantia percontaris? Per anguſtam ianuam tranſire iuſſus es, vt quid amplos requiris ingreſſus? Eſt aliquid iſta permutatione nequius? Eſt aliquid iſta peruerſitate deterius? &c. & quidem qui principibus ſæculi miniſtrant, ac reipublicæ negocijs inſeruiunt, horum nihil requirunt, ſed tantum ſi aliquid lucri temporalis habeat eius militiæ locus. Quod ſi hoc ſolum eſſe cognouerit, iam nullus refugitur labor, nullum periculum vitatur, nulla indignitas excuſatur. Seruilia etiamſi ab ingenuo depoſcantur officia non negantur, peregrinationes longiſſimas, periculoſiſſimaſque non reſpuet; contumelias, cruciatus, permutationeſque temporum feret: omnem ſuſtinet laborem ſpe lucri, nec timet ne fortè ab ipſa miſerabili ſpe decipiatur, ac decidat, nec immaturam peregrinis in locis mortem, & ſubitam pertimeſcit: Separationem quoque ſuorum, & coniugis etiam, ac liberorum abſentiam tolerabiliter patitur. Non denique patriæ, non carorum mollitur affectu; ſed deſiderio & cupiditate pecuniæ velut amens agitur, & amore eius incenſus, nihil laboris ſentit, nihil doloris intelligit: Nos è contra, qui non pecuniam quærimus, ſed ſapientiam, nec terram, ſed cœlum petimus, & ad cœli diuitias feſtinamus, quas neque oculus vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt: Hæc, inquam, quærentes, & pro his cœlo ipſi vim parantes inferre, de requie corporis percontamur? Vide quanto miſeriores illis ſumus, & molliores. Quid dicis, ô homo, quid agis? cœlum paras aſcendere, & regnum cœli inuadere, & interrogas ne qua tibi difficultas occurrat in itinere, ne quid aſperum tibi in via accidat, aut laborioſum, & non erubeſcis, non pudore oppreſſus ſub terra temetipſum defodis?

Not. 12. verſ. 20. 21. 22.

Leo. Leo ſerm. 5. de Natiuit. Dom. cap. 1: Non in ſolo opere virtutum, aut in ſola obſeruantia mandatorum, ſed etiam in tramite fidei anguſta, & ardua via eſt, quæ ducit ad vitam, & magni laboris eſt, magnique diſcriminis inter dubias imperitorum opiniones, & veriſimiles falſitates per vnam ſanæ doctrinæ ſemitam inoffenſis greſſibus ambulare. Et cum vndique ſe laquei erroris opponant, omne periculum deceptionis euadere. Quis autem ad hæc idoneus, niſi qui ſpiritu Dei edocetur, & regitur? dicente Apoſtolo: Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Canente etiam Dauid: Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. *(Fidei difficultas. — 1 Cor. 2. — Pſal. 93.)*

Leo. Et ſerm. 11. de Quadrag. cap. 1: Quis in huius vitæ conſtitutus incerto, aut immunis à tentatione, aut liber inueniatur à culpa? Quis eſt, qui nihil virtutis ſibi adijci, aut qui nihil vitij ſibi optet auferri? cum & aduerſa noceant, & ſecunda corrumpant, nec minoris ſit periculi carere deſideratis, quam abundare conceſſis? Inſidiæ ſunt in diuitiarum amplitudine, inſidiæ in paupertatis anguſtijs. Illę eleuant ad ſuperbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat ſanitas, tentat infirmitas, dum & illa materia eſt negligentiæ, & hęc cauſa triſtitiæ. Laqueus eſt in ſecuritate, laqueus eſt in timore; nec intereſt vtrum animus, qui terreno tenetur affectu, gaudijs occupetur, an curis; cum par morbus ſit, vel ſub vana delectatione languere, vel ſub anxia ſollicitudine laborare. Impletur itaque per omnia ſententia veritatis, qua diſcimus anguſtam eſſe, & arduam viam, quæ ducit ad vitam: & cum latitudo itineris ad mortem trahentis multis frequentetur agminibus: in ſalutis ſemitis paucorum intrantium rara ſunt veſtigia. Vnde autem populoſior eſt via læua, quam dextera, niſi quia ad mundana gaudia, & corporalia bona, multitudo procliuis eſt? & quamuis caducum incertumque ſit, quod cupitur, libentius tamen ſuſcipitur labor pro deſiderio voluptatis, quam pro amore virtutis. Ita cum innumeri ſint, qui viſibilia concupiſcant. Vix inueniuntur, qui temporalibus æterna proponant, & ideo dicente beato Apoſtolo Paulo: Quæ videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur æterna ſunt; latet quodammodo, & in abſcondito eſt virtutum via; quoniam ſpe ſalui facti ſumus, & fides vera id ſuper omnia diligit, quod *(Tentationum pericula. — 2 Cor. 4. — Rom. 8.)*

Leo. quod nullo ſenſu cautius attingit. Et ſerm. 7. de Quadrag. cap. 1: Quamuis anguſta, & ardua ſit via, quæ ducit ad vitam, non tamen difficulter incedit, quem veritas confirmat, & pietas: nec caret delectatione gradiendi, cuius iter efficit virtutum petra ſolidum, non vitiorum
Leo. arena ſucciduum. Et ſerm. 5. de Ieiunio 7. menſis cap. 2: Ne vſque ad mortem deſidiam deſperatione ducamur, quæ impoſſibilia ſunt homini ex imbecillitate propria, poſſibilia ſpōdet ex virtute diuina. Anguſta enim, & arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & nemo in eam greſſum inferret, nemo veſtigium promoueret, niſi difficiles aditus ipſe ſe Chriſtus viam faciendo reſeraret: vt auctor itineris fiat poſſibilitas ambulantis, quia idem & introducit ad laborem, & perducit ad requiem.

Fulg. Fulg. lib. 2. de remiſſ. peccat. cap. 4: Via noſtra præſens vita eſt.

Hier. Hieron. Matt. 7: Intrate per anguſtam, &c. Lata via eſt ſæculi voluptas, quam appetunt ho-
2 Cor. 11 mines. Anguſta quæ per labores, & ieiunia pan-
1. Tim. 5 ditur; quam & Apoſtolus ingreſſus eſt; & vt Timotheus per eam ingrediatur, hortatur: Simulque conſidera quam ſignanter de vtraque via locutus ſit: Per latam multi ambulant; anguſtam pauci inueniunt; latam non quærimus, nec inuentione opus eſt: Sponte ſe offert, & errantium via eſt: Anguſtam vero nec omnes inueniunt; nec qui inuenerint, ſtatim ingrediuntur per eam. Siquidem multi inuenta veritatis via, capti ſæculi voluptatibus, de medio itinere re-
Hier. uertuntur. Et Ezec. 32: Lata, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad mortem, & multi ingrediuntur
Gen 14 Deut. 28 per eam; ſicut è contrariò ducitur ad Iſrael: Vos autem eſtis pauci inter omnes gentes. Semper enim virtus rara eſt, & arcta, & anguſta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui ingrediuntur
Hier per eam. Et epiſt. 14. ad Celantiam de
Duæ viæ inſtitutione Matris-familias: Duas certè cōuerſationis vias, & diſtincta in diuerſum itinera viuendi, Saluator in Euangelio oſtendit: Quam, inquit, ſpatioſa via, quæ ducit ad mortem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Et rurſum: Quam arcta via, & anguſta eſt; quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniant eam. Vide quanta inter has vias ſeparatio ſit, quantumque diſcrimen. Illa ad mortem, hæc tendit ad vitam: Illa celebratur, & teritur à multis, hæc vix inuenitur à paucis. Illa enim vitijs per conſuetudinem quaſi decliuior, ac mollior, & velut quibuſdam amœna floribus voluptatum facilè ad ſe rapit commeantium multitudinem. Hæc verò inſueto calle virtutum triſtior, atque horridior, ab his tantum eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi eſt, quam vtilitas
Vnde ſit difficultas viæ. manſionis: aſperam enim nobis & inſuauem virtutum viam nimia facit vitiorum conſuetudo: quæ ſi in partem alteram transferatur, inuenietur, ſicut ſcriptura dicit, ſemita iuſtitiæ leuis. Ponamus ergo iam rationem vitæ noſtræ, & per quam potiſſimum gradiamur viam, conſcientia teſte diſcamus. Omne enim quod agimus, omne quod loquimur, aut delata, aut de anguſta via eſt. Si cum paucis anguſtum iter, & ſubtilem quandam ſemitam inuenimus, ad vitam tendimus. Si verò multorum comitamur viam, ſecundum Domini ſententiam, imus ad mortem. Si ergo odio, atque inuidia poſſidemur, ſi cupiditati, & auaritiæ cedimus, ſi præſentia commoda futuris præferimus, per ſpatioſam viam incedimus. Habemus enim ad hæc comitum multitudinem, & latè ſimilium ſtipamur agminibus. Si iracundiam, libidinemque explere volumus, ſi iniuriam vindicamus, ſi maledicenti remaledicimus, & aduerſus inimicum inimico animo ſumus, æquè cum pluribus ferimur. Si vel adulamur ipſi, vel adulantem libenter audimus, ſi verum dicere gratia impedimur; & magis offendere animos hominum timemus quam non ex animo loqui, de multorum item via ſumus. Tot noſtri ſunt ſocij, quot extranei veritatis. At è contrario, ſi ab omnibus vitijs ſumus extranei; Si purum, ac liberum animum præſtamus, & omni cupiditate calcata, ſolis ſtudemus diuites eſſe virtutibus; per anguſtam viam nitimur. Conuerſatio enim iſta paucorum eſt, eſtque perrarum atque difficile idoneos huius itineris comites reperire. Quin etiam multi hac ne ſe ſimulant, & per diuerſa errorum diuerticula ad viam multitudinis reuertuntur. Ideoque timendum eſt, né quos duces recti itineris habere nos credimus, eos comites habeamus erroris: Si igitur inueniuntur exempla, quæ nos per hanc ducant viam, & rectum Euangelij tramitem teneant, ſequenda ſunt.

Baſil. Baſil. in reg. breuior. interrog. 240: Quamobrem lata porta eſt, & ſpatioſa via appellata, quæ ducit ad perditionem? Reſp. Sanè Dominus (quæ eſt eius in hominum genus ingens benignitas) vocabulis rerum, quæ vulgo notæ ſunt, vſus eſt ad exprimendam veritatem dogmatum ſuorum; vt igitur declinatio, quæ à recta via fit, latitudinem magnam habet; Sic, in- Simile.
quit, qui egreditur è via, quæ ducit ad regnum cœlorum, in magna latitudine erroris verſari reperitur. Hæc autem duo vocabula *platys.* & *eurychoros* id eſt, lata. & ſpatioſa. idem prorſus eſſe exiſtimo; *eury* enim (hoc eſt latum) etiam apud eos, qui in externis litteris ſunt eruditi, *platys.* id eſt, amplum, dicitur. Spatium igitur, id eſt, locus erroris amplus eſt, cuius extremum perditio. Et interrog. 241: Quomodo anguſta eſt porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam? & quomodo per eam quis ingreditur? Reſp. Rurſum hoc etiam in loco anguſtum, & arctum, nequaquam res inter ſe diuerſas ſignificant. Sed arctum illud anguſtiarum magnitudinem exprimit, via videlicet eouſque in anguſtam coacta, vt arctetur, hoc eſt, in anguſtum redigatur altrinſecus, qui per eam iter facit, cum egreſſio ab alterutra parte periculoſa ſit, ſiue ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram; velut in ponte, à quo qui in alterutram partem declinet, eum illico à ſubterfluente amne excipi neceſſe ſit.
Propterea Dauid dicit: Iuxta ſemitam ſcandalum poſuerunt mihi. Conuenit igitur, vt qui Pſal. 19.
per anguſtam, & arctam viam in vitam ingredi vult,

vult, caueat diligenter, ne omnino egrediatur, declinetue à mandatis Domini;ſed præceptum illud teneat: Non declinabis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

Deut. 17.

Greg. Gregor. lib. 27. Moral. cap. 24: Anguſta porta eſt, quæ ducit ad vitam. Eos ergo per ſemitas aſtringunt, qui ab intentionis eorum tramite per lata mundi deſideria euagando non exeunt. Arcta enim bene viuendi cenſura non eſt ampla via, ſed ſemita, in qua prædicator quiſque ſtudioſè conſtringitur: quia ſub præceptorum cuſtodia ſollicitè coanguſtatur. An non quaſi quædam anguſtia eſt itineris, in hoc quidem mundo viuere, ſed de huius mundi concupiſcentia nihil habere, aliena non appetere, propria non tenere, laudes mundi deſpicere, & pro Deo opprobria amare, gloriam fugere, deſpectum ſequi, adulantes deſpicere, deſpicientes honorare, mala nocentium ex corde dimittere, & erga eos dilectionis gratiam, immobilem in corde retinere. Quæ videlicet omnia ſemitæ ſunt, ſed magnæ: quia quanto in præſenti vita, pro ipſa viuendi cuſtodia anguſtæ ſunt, tanto amplius in æterna retributione dilatantur.

Orig. Origenes hom. 5. in Exod: De Othon, inquit, conuerſi iter facite inter Epauleum, & inter Magdalum, quod eſt contra Beelſephon. Hæc autem ſic interpretantur. Epauleum quidem aſcenſio tortuoſa, Magdalum turris. Beelſephon aſcenſio ſpeculæ, vel habens ſpeculam. Tu fortaſſe credebas, quia iter quod Deus oſtendit, planum eſſet, & molle, & nihil prorſus haberet difficultatis, aut laboris. Aſcenſio eſt, & deſcenſio tortuoſa. Non enim procliue iter eſt, quo tenditur ad virtutes, ſed aſcenditur, & anguſtè, ac difficulter aſcenditur. Audi etiam Dominum in Euangelio dicentem: Quia arcta, & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam? Vide ergo quantum conſonat Euangelium cum lege. In lege oſtenditur virtutis via aſcenſio tortuoſa. In Euangelijs dicitur: Arcta, & anguſta via, quæ ducit ad vitam. Nonne hic apertè etiam cæci videre poſſunt, quod legem, & Euangelia vnus, atque idem ſpiritus ſcripſit? Eſt ergo iter, quod incedunt, aſcenſio tortuoſa, & aſcenſio ſpeculæ, vel habens ſpeculam. Aſcenſio ad actus pertinet, ſpecula ad fidem. Oſtendit ergo quia & in actibus, & in fide multa eſt difficultas, & multus labor. Multæ enim tentationes nobis occurrunt, multa in fide offendicula volentibus agere, quæ Dei ſunt. Tum deinde in fide multa inuenies tortuoſa, plurimas quæſtiones, multas obiectiones hæreticorum, multas contradictiones infidelium. Hoc ergo iter agendum eſt ſequentibus Deum.

In fide multa difficilia.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 13. in 2. ad Cor: Anguſta, & ſtricta via eſt, quæ ducit ad vitam. Quis igitur vadit anguſtam? Illéne qui in delicijs, vel qui in paupertate, qui ſolus, vel qui innumera onera geſtat, qui ſolutus & liber à curis, vel curas, & ſollicitudines multas habens?

Not. 13. verſ. 23. 24.

Hier. Hier. Matth. 7: Attendite à falſis prophetis, &c. & de omnibus quidem intelligi poteſt; qui aliud habitu, ac ſermone promittunt, aliud opere demonſtrant: ſed ſpecialiter de hæreticis intelligendum eſt, qui videntur continentia, caſtitate, ieiunio, quaſi quadam pietatis ſe veſte circundare, intrinſecus verò habentes animum venenatum, ſimpliciorum fratrum corda decipiunt. Ex fructibus ergo animæ, quibus innocentiam ad ruinam trahunt, lupis rapacibus comparantur. Quæramus ab hæreticis, qui duas inter ſe contrarias dicunt eſſe naturas; ſi iuxta intelligentiam eorum arbor bona malos fructus facere nunquam poteſt, quomodo Moyſes arbor bona peccauerit ad aquam contradictionis, & Dauid Vria interfecto, cum Bethſabeæ concubuerit: Petrus quoque in paſſione Domini, negarit, dicens: Neſcio hominem. Aut qua conſequentia Ietro ſocer Moyſi arbor mala, qui vtique in Deum Iſraël non credebat, dederit conſilium Moyſi bonum. Et Achior ad Holofernem aliquid vtile ſit locutus, & Comicus dixerit, quod benedictum Apoſtolus comprobauit: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Et cum non inuenerint, quid reſpondeant, nos inferemus & Iudam arborem quondam bonam, feciſſe fructus malos, poſtquam tradiderit Saluatorem; & Saulum arborem malam eo tempore quo perſequebatur Eccleſiam Chriſti, feciſſe poſtea fructus bonos, quando in vas electionis de perſecutore tranſlatus eſt. Tamdiu ergo bona arbor fructus non facit malos, quamdiu in bonitatis ſtudio perſeuerat; & mala arbor tamdiu manet in fructibus peccatorum, quamdiu ad pœnitentiam non conuertitur. Nemo enim permanens in eo quod fuit incipit id eſſe, quod necdum cœperit. Et Eſa. 55: Illud quod in Euangelio dicitur: Non poteſt arbor bona facere fructus malos; nequaquam refertur ad naturæ proprietatem, vt hæretici volunt, ſed ad mentis arbitrium. Denique infertur: aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos. Ex quo perſpicuum eſt vnumquemque propria voluntate facere animæ ſuæ bonam, vel malam arborem, cuius fructus varij ſunt. Et in cap. 5. epiſt. ad Gal: Illud quod à Saluatore dicitur: Non poteſt arbor bona fructus afferre malos, neque arbor mala fructus afferre bonos; non tam de hominibus, quam de fructibus carnis, & ſpiritus arbitror pronunciatum, quia nec ſpiritus vnquam poteſt ea vitia, quæ in carnis operibus numerata ſunt, facere: nec caro his fructibus, qui oriuntur ex ſpiritu, redundare. Poteſt autem fieri per negligentiam poſſidentis, vt ſpiritus, qui verſatur in homine, fructus non habeat ſuos; & è contrario caro operibus ſuis mortificatis, peccare deſiſtat. Non tamen illo vſque procedunt, vt & neglecta arbor ſpiritus, opera carnis afferat, & arbor carnis exculta, fructus germinet ſpirituales.

Exod. 18. Iudith 5. 1 Cor. 15. Hier. Hier.

Cypr. Cypt. lib. ad Nouatian. hæreticum cap. 5: Prædixerat quidem & Dominus multos eſſe venturos ſub pellibus ouium rapaces lupos. Qui ſunt iſti rapaces lupi, niſi ſenſu ſubdolo conſpirantes ad infeſtandum gregem Chriſti? ſicut legimus apud Zachariam poſitum: Ecce ego ſuſcito paſtorem in terra, qui, quod auerſum eſt, non viſitabit, & carnes electorum manducabit, & talos illorum torquebit. Similiter & per Ezechielem increpat huiuſmodi paſtores, ſcilicet prædones, & laniones (dicam vt exiſtimauerat) dicens: O paſtores quare lac ebibitis, & coagulatum comeditis, & fortè ad nihilum perduxiſtis.

Zach. 11

Ezech. 34

Amb. Amb. lib. 6. Hexam. cap. 6: Interpretatus eſt Dominus, quis ſis tu, dicens: Attendite vobis à falſis prophetis. Iſti enim animum debilitant, mentem ſubruunt, non igitur caro tu es? Quid enim eſt caro ſine animæ gubernaculo mentis vigore? Caro hodie ſumitur, cras deponitur. Caro temporalis, anima diuturna. Caro amictus eſt animæ, quæ ſe induit quodam corporis veſtimento. Non igitur tu veſtimentum es, ſed qui veſtimento vteris. Et lib. de Tobia cap. 14: Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Spina vſura eſt: ſpina centeſima eſt: Tribulus eſt fænus, malè vrit: Quomodo potes fructum habere de ſpinis? ſi iſte fructus de ſpinis non naſcitur, illic naſcitur æternus. De ærumnis ditaris, de lachrymis ſucrum quæris, de fame aliena paſceris, de exuuijs deſpoliatorum hominum condis argentum, & iudicas te diuitem, qui ſtipem poſcis à paupere?

Amb.

Spina. Tribulus.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib. 2. ep. 72: Maximè quidem nec naturam, nec ſubſtantiam ſubſtantiæ, ſed qualitatem qualitati (quæ vt Philoſophorum verbis vtar, hanc naturam habet, vt accedere ac recedere poſſit. Nam ſubſtantiam qualitatis vehiculum eſſe ſtatuunt: quę niſi exiſtat, qualitatem minimè exiſtere poſſe aſſerunt) comparauit ſcriptura, his verbis vtens: An mutabit Æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas? Et quonam pacto vos poteritis benefacere, cum mala didiceritis? verum ne quid de his rebus ſubtilius diſcentiamus, illud ipſum dictum, quod proferunt eam vim habere, vt quod ab ipſis aſtruitur, euertat, planum facere aggrediar. Per id enim quod dixit, cum didiceritis mala, dogma illud, quod irrefutabile eſſe arbitrantur, ſubuertit. Quonam enim pacto, ſi hoc à natura inſitum haberent, vt mala noſſent, diceret Propheta, cum didiceritis mala? Quod ſi didicerunt, dediſcere quoque profectò poterunt. Atque ad eundem modum alia etiam omnia, quæ imperitis hominibus aſtipulari videntur, obterentur. Quanquam enim animalis homo non percipiat, quæ ſunt ſpiritus: at percipere poterit. Eo denique modo quanquam arbor mala fructum bonum ferre nequit: at ferre poterit. Neque enim idem ſunt, non poſſe, & poteſtatem habiturum non eſſe: verum illud præſens tempus ſignificat, in quo ignauus, eſt ignauus: hoc autem futurum, in quo fieri poteſt, vt qui paulo ante improbus erat, probus efficiatur. Atque hoc cùm res ipſæ clamant, mutationem ſingulis diebus ſubeuntes: & ſcripturæ ipſæ confirmant. Quonam enim modo, Dauid lapſus ſeſe erexit? Quonam modo Paulus, cum perſecutor eſſet, hanc culpam ſarciuit, atque eius, quem inſectatus fuerat, præco inſtitutus eſt? Quonam pacto, Petrus, poſteaquam Chriſtum abiurauit, huiuſmodi labem abſterſit? Quonam pacto oleaſter in bonam oliuam inſertus eſt? Quonam pacto Niniuitæ ſalutem conſecuti ſunt? Quonam pacto latro, in paradiſo miſſus eſt? cognita igitur præeuntis diuini auxilij facultate, quiſquis vult, & laborat, atque omnia mouet (neque enim nuda voluntas ſufficit) tum addiſcit, tum fructum edit, tum ſalutem aſſequitur. Quocirca ea omnia, quæ tuarum partium ſunt, quæque ad peccantium correctionem pertinent, effice.

Ierem. 13

1 Cor. 2

Matt. 7.

2. Reg. 12.

Act. 9.

Matt. 26

Rom. 11

Ion. 3

Luc. 23.

Aug. Aug. tract. 46. in Euangelium Ioannis: Mercenarios non diſcutit, niſi Dominus. Qui cor inſpicit, ipſe diſcutit: tamen aliquando intelliguntur à nobis: non enim fruſtra dixit & Dominus etiam de lupis: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos: multos interrogant tentationes, & tunc apparent cogitationes: multi autem latent. Nunquid colligunt de ſpinis vuam, aut de tribulis ficus? verum eſt omnino, & tamen etiam verum ego dixi: botrum carpe, ſpinam caue: quia botrus aliquando de radice vitis exortus, pendet in ſepem; creſcit palmes, inſeritur ſpinis, & portat fructum ſpina non ſuum. Non enim ſpinam vitis attulit, ſed ſpinis palmes incubuit: noli interrogare, niſi radices, quære radicem ſpinæ extra inuenies à vite. Quære originem vuæ, vitis hanc protulit ex radice.

Quomodo ſpina ferat vuam, & quomodo non.

Chryſoſt. Ex fructibus. Chryſoſt. lib. 1. de compunct. cordis: Dominus non dixit: Ex ſignis, & mirabilibus cognoſcetis eos, ſed ait: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.

Greg. Gregor. lib. 15. Moral. cap. 26: cum ſcriptum ſit: Quis ſcit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? qua ratione nunc dicitur: Certè noui cogitationes veſtras? ſed tunc ſpiritus hominis ignoratur ab altero, cum verbis, vel operibus non demonſtratur. Nam cum ſcriptum ſit: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos, per hoc quod foris agitur, quidquid intus latet, aperitur: vnde rectè quoque per Salomonem dicitur: Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium: ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus. Proinde B. Iob: Cum amicorum colloquentium cogitationes noſſe ſe diceret, adiunxit: Et ſententias contra me iniquas, vt ex patenti re oſtenderet, quia hoc quod in eis latebat, inueniſſet. Et lib. 31. cap. 7: Sed ecce cum vnum, eundemque bonorum, malorumque habitum cernimus, cum ipſam in electis ac reprobis profeſſionis ſpeciem videmus, vnde noſtræ intelligentiæ ſuppetat, vt electos à reprobis, à falſis veros comprehendendo diſcernat? Quod tamen citius agnoſcimus, ſi intemerata, in memoriam

1 Cor. 2.

Quomodo interiora hominis cognoſcuntur.

Simile. Prou. 27.

Greg.

Ex fructibus à malis boni dicernuntur. riam præceptoris noſtri verba ſignamus,qui ait: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Neque enim penſanda ſunt, quæ oſtendunt in imagine, ſed quæ ſeruant in actione. Et hom.18. in *Greg.* Ezechiel: dicit: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Quia enim per hoc quod videmus,cognoſcimus operantis animum,quem non videmus: ſiue latitudinem,quæ in facie portæ eſt inſerioris;ſiue frontem atrij interioris extrinſecus metimur. *Fructus boni.* Cum enim alios conſpicimus largiri eleemoſynam, afflicto occurrere, oppreſſo ſubuenire,nihil in hoc mundo gloriæ quærere,nullis huius mundi compendijs inhiare,atque alios videmus,carnem domare, lachrymis inſiſtere, verbis cæleſtibus occupari, nihil tranſitorij honoris appetere: quid aliud debemus, niſi eos perfectos eſſe credere, ſanctos æſtimare? quia ergo per hoc quod aſpicimus eos perfectos eſſe videmus,eorum vitam per centum cubitos extrinſecus metimur.

Leo. Leo ſerm.5. de Ieiunio 10. menſis: Dubium non eſt, quin hoſtis noſter nocendi cupidus, & peritus, acrioribus inuidiæ ſtimulis incitetur, vt quos apertis, & cruentis perſecutionibus impugnare non ſinitur, ſub falſa chriſtiani nominis profeſſione corrumpat, habens hæreticos huic operi ſeruientes, quos à Catholica fide deuios ſibique ſubiectos militare in caſtris ſuis ſub diuerſis erroribus fecit. Et ſicut deci- *Gen. 3.* piendis primis hominibus miniſterium ſibi ſerpentis aſſumpſit, ita horum linguas ad ſeducendos rectorum animos veneno ſuæ falſita- *Hæretici miniſtri diaboli.* tis armauit; ſed ijs inſidijs, dilectiſſimi, paſtorali ſollicitudine in quantum Dominus auxiliatur, occurrimus. Et ne quid de ſancto grege pereat, præcauentes paternis vos denunciationibus admonemus, vt labia iniqua, & lin- *Pſal. 119.* guam doloſam, à quibus animam ſuam Propheta liberari poſtulat, declinetis; quoniam *2 Tim. 2.* ſermo eorum; ſicut ait B. Apoſtolus, ſerpit vt cancer; humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt, veniunt enim, ſicut Saluator prædixit, ſub veſtitu ouium, intus autem ſunt lupi rapaces: quia non poſſent veras, & ſimplices oues fallere, *Hæretici mentiũtur ſe Chriſtianos.* niſi Chriſti nomine tegerent rabiem beſtialem. In ijs autem omnibus operatur,qui cum ſit veræ illuminationis inimicus, in lucis ſe Angelum transfigurat.

Not. 14. verſ. 27.

Chryſoſt. CHRYSOST. lib.1. de compunctione cordis: Poſſumus hæreticis occaſionem dare, ſi di- *Non ſola Dei gratia homines facit iuſtos.* camus quia Apoſtoli & omnes Sancti non ex propoſito ſuo, & labore mirabiles facti ſunt, ſed ex Dei gratia ſola. Dicunt enim: Et quid ergo prohibet omnes fieri tales? Si enim gratia Dei nihil requirit à nobis, ſed ipſa eſt quæ facit vnumquemque perfectum: cur non omnibus ex æquo infunditur,& fiunt omnes repentè perfecti? Non enim eſt perſonarum acceptor Deus: *Actio.* ſed quoniam non ſola gratia Dei hoc agit:requiritur enim vt & nos, quod in propoſito noſtro & viribus noſtris eſt,expleamus. Idcirco venit quidem ad vnumquemque gratia Dei,ſed apud eos, qui digni explent ea, quæ mandata in ipſis ſunt,permanet: ab his verò qui minus dignè agunt, citò deſcendit; ad eos autem qui nec *Apud quos Dei gratia maneat, & apud quos non.* initium faciunt conuertendi ad Dominum, omnino non venit; Rectas enim mentes diligit, & ſine fuco propoſitum.

Cypr. Dei voluntati obediendum. Cypr. lib.3. ad Quirinum cap. 19: Ex hoc loco, & alijs probat voluntati Dei, non autem noſtræ obtemperandum.

Hier. Requiriti ſimul fide, & opera. Hieron. Matt. 7: Non omnis, qui dicit mihi Domine,&c. Sicut ſupra dixerat eos qui haberent veſtem vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam; ita nunc è contrario aſſerit, ne his quidem accommodandam fidem, qui cum polleant integritatè fidei, turpiter viuunt,& doctrinæ integritatem malis operibus deſtruunt. Vtrumque enim Dei ſeruis neceſſarium eſt,vt & opus ſermone,& ſermo operibus comprobetur: *Dubium.* Huic ſententiæ poteſt illud videri contrarium; nemo poteſt dicere: Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. *1 Cor. 12.* Sed moris eſt ſcripturarum, dicta pro factis accipere, vt ſta- *Reſponſ.* tim in conſequentibus approbatur refutari eos, qui iactant ſine operibus habere ſcientiam Domini,& audiuit à Saluatore: Diſcedite à me operarij iniquitatis, neſcio vos. Et Apoſtolus in *Tit. 1* hunc ſenſum loquitur: Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Et epiſt. ad *Hier. Opera ſũt addenda fidei.* Celantiam de inſtitut. matrisf: Non omnis,qui dicit mihi Domine, Domine, &c. quo manifeſtè illud oſtenditur,nos non ſola Dei confeſſione tanti præmij magnitudinem promereri, niſi fidei,& iuſtitiæ opera coniuncta ſint. Qualis enim eſt illa confeſſio quæ ſic Deo credit, vt pro nihilo eius ducat imperium? aut quomodo ex animo,ac verè dicimus: Domine,Domine,ſi eius quem Dominum confitemur præcepta contemnimus? vnde ipſe in Euangelio dicit: Quid autem vocatis me: Domine,Domine,& non facitis,quæ dico? Et iterum: Populus hic labijs me *cap. 74. ver. 7* honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Et rurſum loquitur per Prophetam: Filius honori- *Malach. 1* ficat patrem, & ſeruus Dominum ſuum timet. Et ſi pater ego ſum,vbi eſt honor meus?& ſi Dominus ego ſum,vbi eſt timor meus? Ex quo apparet nec honorati ab eis Dominum, nec timeri,qui eius præcepta non faciũt,& ad Dauid expreſſius dicitur, qui peccatum admiſerat:& pro *2. Reg. 12.* nihilo duxiſti Deum,& ad Heli fit ſermo Domi- *1 Reg. 2* ni: Qui glorificat me, glorificabo eum, qui autem pro nihilo me habent,ad nihilum redigentur: & nos ſecuro, ac bono animo ſumus, qui per ſingula quæque præcepta inhonorantes Deum clementiſſimum,ad iracundiam prouocamus, eiuſq; imperium ſuperbiſſimè contemnendo,in tantæ maieſtatis imus iniuriam? Quid enim vnquam tam ſuperbum, quid verò tam ingratum videri poteſt,quam aduerſus eius viuere voluntatem, à quo ipſum viuere accepe- *Cur nobis Deus præcepta dederit.* ris? Quam illius præcepta deſpicere,qui ideo aliquid imperat, vt cauſas habeat remunerandi? Neque enim obſequij noſtri Deus indiget,ſed

Gg 2 nos

nos illius indigemus imperio. Mandata eius deſiderabilia, ſuper aurum, & lapidem pretioſum nimis, & dulciora ſuper mel & fauum: quoniam in cuſtodiendis illis retributio multa; & ideo nobis iraſcitur, idcirco magis illa immenſa Dei bonitas offenditur, quia eam per tanti etiam præmij detrimenta contemnimus, nec ſolum imperata, ſed etiam promiſſa illius pro nihilo ducimus: vnde ſæpe, imo ſemper illa nobis Domini reuoluenda ſententia: Si vis ad vitam venire, ſerua mandata. Hoc enim tota nobiſcum lege agitur. Hoc Prophetæ, hoc Apoſtoli docent, hoc à nobis & vox Chriſti, & ſanguis efflagitat.

Greg. Opera ſũt cum fide neceſſaria.

Greg. lib. 33. Moral. cap. 7: Quia enim nonnulli confitendo fideles ſunt, non viuendo: hinc eſt quod voce veritatis dicitur: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnũ cœlorum, hinc rurſum ait: Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico? Hinc Paulus ait: Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Hinc Ioannes dicit: Qui dicit ſe Deum noſſe, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Hinc eſt quod de ſua prima plebe Dominus conqueritur, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Hinc etiam Pſalmiſta ait: Dilexerunt eum ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei.

Tit. 1 — 1 Ioan. 2 — cap. 174. ver. 7 — Pſal. 77.

Nu. 15. verſ. 28. 29.

Aug. Opera cũ fide requiruntur.

Avg. lib. 2. de ſerm. Dom. in monte cap. 40: Illud ad rem maximè pertinet, ne decipiamur tendentes ad contemplationem veritatis, non ſolum nomine Chriſti, per eos qui nomen habent, & facta non habent, ſed etiam quibuſdam factis atque miraculis. Qualia propter Infideles cum fecerint, Dominus monuit tamen, ne talibus decipiamur, arbitrantes ibi eſſe inuiſibilem ſapientiam, vbi miraculum viſibile viderimus. Adiungit ergo, & dicit: Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus? & reliqua. Non ergo cognoſcet niſi eum, qui operatur æquitatem. Nam & ipſos diſcipulos ſuos prohibuit gaudere ex talibus; id eſt, quia dæmonia illis ſubiecta fuerint; ſed gaudete, inquit, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.

cap. 105. ver. 4. 5.

Chryſoſt. Vita bona eſt neceſſaria.

Chryſoſt. lib. 1. de compunct. cordis: Multi dicent mihi in illa die, &c: Propter hoc autem, & diſcipulos monebat, dicẽs: Nolite gaudere, quoniam dæmonia vobis ſubijciuntur; ſed in hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo. Vita enim bona, & actus probi etiam ſine ſignis, & mirabilibus merentur coronam. Iniqua autem conuerſatio etiamſi ſigna, & prodigia fecerit, ſupplicia non euadet, & ideo ſuperfluè hęc quæruntur, imo & periculosè.

Cypr. Opera ſint neceſſaria.

Cypr. lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 8: Prophetare, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, ſublimis vtique, & admirabilis res eſt, non tamen regnum cœleſte conſequitur, quiſquis in his omnibus inuenitur, niſi recti, & iuſti itineris obſeruatione gradiatur. Denunciat Dominus, & dicit: Multi dicent mihi in illo die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? &c. Iuſtitia opus eſt, vt promereri quis poſſit Deum Iudicem. Præceptis eius & monitis obtemperandum eſt, vt accipiát merita noſtra mercedem. Et lib. 3. ad Quirinum cap. 26. ex hoc loco, & alijs oſtendit, parum eſſe baptizari, & Euchariſtiam accipere, niſi quis factis, & opere proficiat.

Cyp. — Cyr. In die illa. Non vos noui.

Cyrill. lib. 3. in Ioannem cap. 27: Multi mihi dicent in illa die, iudicij ſcilicet, Domine, Domine, nonne in nomine tuo dęmonia eiecimus? Tum, inquit, confitebor eis: Amen dico vobis, nunquam vos cognoui. Non enim, inquit, probè me quæſiſtis, nec ſanctimonia ſplendete voluiſtis; ſed mercaturæ modo religionem oſtentaſtis, propterea vos non cognoui.

Greg. Cur hæretici miracula faciunt. — Vnde probetur ſanctitas. — Virtus vera in amore eſt. — cap. 174 ver. 3

Greg. lib. 20. Moral. cap. 8: Nonnunquam verò hęretici ſigna quoque, ac miracula faciunt, ſed vt hic præmia afflictionis ſuæ, abſtinentiæque recipiant, videlicet laudes quas quærunt. Vnde & Redemptoris voce dicitur: Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetauimus, &c. Qua nimirum ſententia quid datur intelligi, niſi vt in hominibus charitatis humilitas; non autem debeant ſigna virtutum venerari? vnde nunc ſancta Eccleſia, etiamſi qua fiant, hæreticorum miracula deſpicit, quia hæc ſanctitatis ſpecimen non eſſe cognoſcit. Probatio quippe ſanctitatis non eſt ſigna facere, ſed vnumquemque vt ſe diligere: de Deo autem vera cognoſcere, de proximo vero meliora, quam de ſemetipſo ſentire. Nam quia vera virtus in amore eſt, non autem in oſtenſione miraculi; Veritas demonſtrat, quæ ait: In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Qui enim non ait: In hoc cognoſcetur, quia diſcipuli mei eſtis, ſi ſigna feceritis; ſed ait: Si dilectionem habueritis ad inuicem: Apertè indicat, quia veros Dei famulos non miracula, ſed ſola charitas probat. Teſtimonium ergo ſuperni diſcipulatus eſt donum fraternæ dilectionis.

Greg.

Et lib. 33. Moral. cap. 18: Tunc etiam Domino per membra ſua mollia loquetur, quando multi ex eius corpore dicturi ſunt: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? &c. Mollia quidem deprecantes dicunt, cum eius nomine replicant, quæ fecerunt; ſed duro corde illa cum facerent, in ſuam laudem rapuerunt.

Greg. Etiam mali faciunt miracula. Charitas eſt ſignum electionis. cap. 174 ver. 3 Aliter boni miracula faciunt, aliter mali.

Et hom. 17. in Ezech: Hæc miracula aliquando dantur, & reprobis, vnde & per Euãgelium Veritas dicit: Multi dicent mihi in die illa, &c. Vnum verò ſignum electionis eſt ſoliditas charitatis, ſicut ſcriptum eſt: In hoc ſcietur, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Hæc autem miracula, cum electi faciunt, longè diſſimiliter à reprobis fiunt: quia quod electi ex charitate, hoc reprobi ſtudent agere per elationem.

Hier. Cum per futurum ait. Confitebor.

Hier. Matt. 7: Et tunc confitebor illis, &c. Signanter dixit, confitebor: quia multo ante tempore dicere diſſimulauerat: Non nouit Dominus

nus eos, qui pereunt. Obſerua autem quare addiderit: Nunquam noui vos; ſi iuxta quoſdam homines inter rationabiles ſemper verſati ſunt creaturas; non dixit: Qui operati eſtis iniquitatem, ne videretur tollere pœnitentiam; ſed, qui operamini, hoc eſt, qui vſque in præſentem horam, cum iudicij tempus aduenerit: licet non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habetis affectum.

Cur ait: Operamini, non: Operati eſtis

Vt reprobi ſemper male agãt.

Amb. Quod nouit Dominum. Deo quid ſit neſcire

Ambroſ. in Pſal. 36: Qui nouit Dominum, ſcitur à Domino. Nouit iuſtos, neſcit iniuſtos. Ideo iniuſtis dicet: Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, neſcio vos; hoc eſt, quia eſtis indigni cognitione diuina. Neſcio vos, quia me ipſi neſcire voluiſtis: opera veſtra me neſciunt, facta veſtra me neſciunt, & ſi dicatis, quia me ſcitis, redarguunt vos peccata veſtra.

Aug. Deo quid ſit non nouiſſe.

Aug. tract. 49. in Ioann: Quid eſt non noui vos? Non vos video in luce mea, non vos video in illa iuſtitia, quam noui.

Not. 16. verſ. 30. 31.

Hier. Pluuia, Flumina, Venti, Petra.

HIERON. Matt. 7: Pluuia iſta quæ domum ſubuertere nititur, diabolus eſt; Flumina, omnes Antichriſti, qui contra Chriſtum ſapiunt. Venti ſpiritales, nequitiæ in cæleſtibus. Super hanc petram Dominus fundauit Eccleſiam, ab hac petra Apoſtolus Petrus ſortitus eſt nomen. Super huiuſcemodi Petram, non inueniuntur ſerpentis veſtigia. De hac & Propheta loquitur confidenter: Statuit ſupra petram pedes meos; & in alio loco: Petra refugium leporibus, ſiue herinacijs. Timidum enim animal in petræ cauernas ſe recipit, & cutis aſpera, & tota armata iaculis tali ſe protectione tutatur. Vnde & Moyſi dicitur, eo tempore, quo de Ægypto fugerat, & lepuſculus Domini erat: Sta in foramine petræ, & poſteriora mea videbis. Fundamentum quod Apoſtolus Architectus poſuit: Vnus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Super hoc fundamentum ſtabile, & firmum, & per ſe robuſta mole fundatum, ædificatur Chriſti Eccleſia: ſuper arenam verò quæ fluida eſt, & coagmentari non poteſt, nec in vnam copulam redigi, omnis hæreticorum ſermo ad hoc ædificatur vt corruat.

Petrus à petra nomen habet. Prou. 30. Pſal. 39. ibidem 103. Exod. 33. 1 Cor. 3.

Hæretici ſuper arenam ædificant.

Eut.

Euth. Matth. 7: Expleta doctrina adhortatur deinceps diſcipulos, vt per viam anguſtam, & ſtrictam gradiantur, promittens illis ſufficientem adfore ſecuritatem, nempe ipſam præceptorum obſeruationem. Deinde etiam prudentis opera ponit. Domum quidem appellat intelligentis animæ operationem, quæ varijs ædificatur virtutibus. Petram autem præceptorum eius firmitatem, quæ fundant, ac firmant ea, quæ ſuperædificata ſunt, & ad omnes tentationum inſultus ne euertantur, cuſtodiunt: ſuadendo omnes contumelias, multipliceſque illecebras, etiam mortem ipſam deſpicere, nec ob vllum diſpendium molleſcere, aut terga date. Ad intellectum quidem communem, per imbrem fluuios, ac ventos, varias innuit tentationes: analogicè verò per imbrem intelligimus commoti animi cogitationes, quas immittunt dæmones animis: Fluuios autem, affectiones ad perditionem detrahentes: ventos verò dæmones, qui nequitiæ ſpiritus dicuntur. Siue igitur ſenſibiles, ſiue intelligibiles dixerimus tentationes, omnes hæ in prædictam domum irruentes, ſiue inſilientes, aut illi ruinam minitantes, non potuerunt deijcere, aut diſſoluere eam, quia fundata erat firmiter ſuper petram, ſiue ſuper ſoliditatem, vt dictum eſt. Statim itaque Apoſtolos mihi intuere, in quos plurimæ defluxerunt inſidiæ, ac innumeræ calamitatum hyemes deciderunt: nec valuerunt animarum eorum turrim euertere, ſed perditis certè corporibus, animo permanſerunt inexpugnabiles, ac inſuperabiles. Quia nonnulli auditorum laudaturi erant, quæ dixerat, nec tamen ea facturi, per parabolam hos anticipando deterret. Poſitis autem, prudentis, atque fatui operibus, illius quidem rationi conſonis, & honeſtis; huius autem vanis; vtrumque diſcipulorum confirmauit ſalutem, & per zelum prudentiæ, & per odium vani laboris. Sic Euth. in Matth. In Lucam verò habet, quod iſta comparatio de ſapiente, & inſipiente ædificatoribus à Luca & Matthæo, ſit poſita. Sed Matthæum compendioſè dixiſſe, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram: Lucam verò latius: qui fodit in altum, quod ad iaciendum fundamentum præcedit: & ad ſolam acceptum eſſe emphaſim diligenter fundamentum ponentis. Inundatio fluminis eſt multitudo ac vehementia tentationum. Sic Euth. porro Lucas flumen tantum dicit illiſum domui, non & pluuiam, & ventos, ſicut Matthæus; quod notauit Aug. lib. 2. de conſ. cap. 19.

Domus quid. Petra quid.

Hæc eſt parabola.

Amb. Duo ſequi, ſunt audire, & facere

Ambroſ. in Pſalm. 118: Omnis qui audit verba hæc, & fecerit ea, ſimilis erit viro ſapienti. Non ergo, qui audit tantummodo ſimilis erit, ſed qui facit, quæ audierit. Ergo neque factum ſine auditu, neque auditio ſine facto poteſt eſſe ſapienti ſimilis; ſed qui audit, & facit. Audiamus igitur, intelligamus, faciamus vt intellexiſſe nos, quod audiuimus, comprobemus.

Cypr.

Cypr. lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 1. & lib. 13. ad Quirinum cap. 96: Ex hoc loco, & alijs probat Chriſti verbis inſiſtendum; quæcunque docuit, & fecit, diſcenda, & facienda. Item factis, non verbis operandum.

Aug. Fodere.

Aug. lib. 2. quæſt. Euang. cap. 10: Fodere dixit, humilitate Chriſtiana omnia terrena exhaurire de corde ſuo, ne propter aliquid tale Deum colat. In altum autem fodere donec ad petram perueniat: in tantum Chriſtum gratis ſequi, & gratis eum colere, vt non olim propter ſuperflua, ſed nec propter illa, quæ videntur huic vitæ neceſſaria, & quæ ſine culpa à quouis iuſto ſumi, & haberi poſſunt, tamen temporalia atque terrena ſunt, colendus Deus putetur.

Chryſoſt.

Chryſoſt. hom. quod nemo læditur niſi à ſeipſo: niſi quis ſe ipſum læſerit, ab alio non poteſt

teſt lædi: etiamſi omnis contra eum coniuret orbis, etiamſi permutatio rerum, ac temporum fiat, etiamſi potentium, & principum contra eum furor ſæuiat, & inſidientur omnes, ſiue noti, ſiue ignoti, ſiue amici, ſiue inimici, ſiue dolo, ſiue vi, vel fraudibus impugnantes, inſidiantes, tamen commouere ne parum quidem poterunt eum, qui conſtantiam tenet, & animi virtutibus vigilat: ſicut è contrario ignauum, & deſidem, & qui ſemetipſum prodit, ac deijcit, etiamſi mille adhibeas medicinas, mille munimenta conquiras, meliorem facere, & emendare non poteris, niſi ipſe prius, quod in ſe eſt, proponat, ac proferat; hoc eſt, quod nobis indicat & illa parabola, quæ de illis ſcripta eſt, quorum alius ſuper petram ædificauit domum ſuam; alius ſuper arenam: non vt arenam, vel petram intelligamus; neque vt ædificium ex lapidibus, vel lignis conſideremus extructum; neque vt flumina & imbres & ventos, qui impingunt in domos illas materiales, putemus; ſed vt hæc eſſe intelligamus, vel virtutem animi, vel ignauiam: & vt ex his aduertamus, quod niſi qui ſe ipſe læſerit, ab alio non poteſt lædi. Non ergo pluuia, neque flumina cum impetu deſcendentia, neque venti validiſſimi commouere potuerunt domum ſupra petram fundatam: vt ex hoc intelligas, quia, qui ſeipſum non prodiderit, nec à ſeipſo fuerit motus, nulla ſuperueniens tentatio deijcere eum poterit, aut mouere. Illud verò aliud ædificium, facile ſubuertitur non pro tentationum violentia, alioquin & illud aliud ædificium deieciſſet, ſed propter fundamenti, id eſt, propoſiti infirmitatem. Arena enim eſt res mobilis, & fluens quæ ſine dubio inſtabilitatem, atque inconſtantiam deſignat animorum. Non ergo, vt diximus, lapſus, & ruinæ cauſa tentatio eſt: ſed inſtabilitas animi, & ignauia, quæ etiam ſine tentatione interdum ſponte deijcitur: ſicut & illa fabrica, quæ ſuper arenam fundata eſt, etiamſi flumina ventique non vrgeant, ipſa tamen paulatim effluēs, inſtabilis arena ædificij crepidinem ſubruit, & euertit. Nam & arenæ ſponte rumpuntur. Adamas verò nec malleis cæſus infringitur; ita ergo qui à ſeipſo non læditur, etiamſi tundatur, ab alijs non poteſt lædi. Qui verò animi ſui ignauia proditur, etiam nullo perurgente ſponte defluit, & reſoluitur: ſicut & Iudas ille non ſolum nullo extrinſecus impellente delapſus eſt, ſed è contrario pluribus adiutus remedijs ſtare non potuit. Et hom. 4. ad pop. Antiochenum: Non tentationum natura, ſed tentatorum ſegnities ruinas efficere ſolet. Itaque ſi vis gaudere, & remiſſione, & voluptate potiri, neque voluptatem, neque remiſſionem quæras, ſed animam patientia plenam quære, & tolerantiam exhibere valentem, quod ſi hoc non habeas, non tantum tentatio te redarguet, ſed & remiſſio perdet, & magis deijciet. Quod enim non grauium incurſus caſuum, ſed mentis noſtræ torpor ſalutem noſtram ſubuertit, audi quid dicat Chriſtus: Quicunque audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro pruden-

Hoc parabolam vocat.

Verus ſenſus.

Quid nobis proſit vel noceat.

Arena quid ſit.

Quidam pereunt ſine tentatione.

Chryſoſ.

Quid nos perdat.

ti, &c. Vides quod non tentationum inflictus, ſed ædificantium ſtultitia ruinam fecit? etenim illic pluuia, & hic pluuia, & illic flumina, & hic flumina, & illic ventorum incurſus, & hic idem, & ille ædificauit, & hic ædificauit: & eadem ædificatio, & eædem tentationes, ſed non idem finis: quoniam non idem fundamentum; Non enim tentationis natura, ſed ædificantis imprudentia ruinam fecit, alioquin oportuiſſet & domum ſupra petram ædificatam cadere; nunc verò nihil tale paſſa eſt. Sed ne de domo hæc dicta eſſe puteris, de anima enim ſermo eſt, diuinorum verborum auditum per opera demonſtrante, vel repellente. Sic animam ſuam Iob ædificauit: deſcendit pluuia, ignis enim de cœlo cecidit, & omnes greges abſumpſit: venerunt flumina, frequentes, continui & indeſinentes calamitatum nuncij: hic quidem gregum, hic verò filiorum interitum dicens: Flauerunt venti, amara vxoris verba: Dic, inquit, verbum contra Dominum, & morere. Et non cecidit domus, non eſt ſupplantata anima, non blaſphemauit iuſtus, ſed & gratias egit ſic dicens: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino viſum eſt, ſic & factum eſt. Vides, quod non tentationum natura, ſed torpentium ignauia ruinam facere ſolet? Itaque fortem virum tribulatio fortiorem reddit. Et hom. 2. in Geneſim: Fides ſine operibus mortua eſt, & opera ſine fide mortua ſunt. Nam tametſi ſanam teneamus doctrinam, vitam autem negligamus, nihil nobis proderunt doctrinæ. Rurſus, ſi vitæ curam diligentem geſſerimus, in fidei autem placitis claudicauerimus, neque ſic nobis aliquid lucri fuerit. Ideo conuenit vtrumque ædificium hoc noſtrum ſpirituale communiri: Omnis enim, inquit, qui audit hos meos ſermones, & facit eos, aſſimilabitur viro prudenti. Vide quomodo non ſolum audire nos vult, ſed & facere & operibus monſtrare obedientiam, & hunc prudentem vocauit, qui operibus ſermones ſubſequentibus conſpicuus eſt; qui verò ad ſermones tantum peruenit, & non ad opera eum ſtultum vocauit, merito: quia talis domum ſuam ſuper arenam ædificauit, propterea neque ventorum vim ferre potuit, ſed ſtatim corruit. Tales enim ſunt deſides animæ non ſolidatæ ſuper firmam petram ſpiritualem. Non enim de ædificio, & de domo nunc eſt ſermo, ſed de anima, quæ à tentatione quauis turbatur. Nam venti, pluuiæ fluuiorum nominibus tentationes nobis inſinuantur. Cæterum conſtans, & vigil, & ſobrius hac ratione magis firmus euadit, & quanto maiores intentantur afflictiones, tanto eius virilitas, & fortitudo magis augentur. Deſes autem, & ſupinus, ſi vel tenuis quædam tentationum aura afflarit ſtatim commouetur, & decidit, non ob naturam tentationum, ſed ob voluntatis infirmitatem.

Verus ſenſus.

Iob 1.

Chryſoſt.

Opera ſidei iungenda.

Prudens.

Stultus.

Qui ſuper arenam ædificati ſint.

Verus ſenſus

Venti, pluuiæ, flumina.

Not. 17. verſ. 32.

Avg. lib. 2. de conſ. cap. 20: Hic intelligendum eſt, cum impleſſet quidem omnia verba ſua

Aug.

ba ſua in aures plebis, intraſſe Chriſtum Capharnaum, hoc eſt, quia non antequam hæc verba terminaſſet, intrauit; ſed non eſſe expreſſum poſt quantum temporis interuallum, cum iſtos ſermones terminaſſet, intrauerit Capharnaum. Ipſo quippe interuallo leproſus ille mundatus eſt. Beda Luc. 7. idem habet.

Quando mundatus ſit leproſus

Bed.

Ver. 33.

Hier. Vnde Chriſti poteſtas in docendo attendatur

Hieron. Matt. 7: Erat enim docens, &c. Illi enim ea docebant populos, quæ ſcripta ſunt in Moyſe, & Prophetis. Ieſus verò quaſi Deus, & Dominus ipſius Moyſi, pro libertate voluntatis ſuæ, vel ea quæ minus videbantur, addebat in lege, vel commutans prædicabat in populos, vt ſupra quoque legimus: Dictum eſt antiquis: Ego autem dico vobis.

Domini poteſtas in docendo attendenda

Chryſoſt. Vnde Chriſti poteſtas in docẽdo attẽdatur

Chryſoſt. hom. 26. in Matth: Admirabantur eius, inter multa alia, præcipuè poteſtatem. Non enim quaſi ex alterius perſona præcepta ponebat, ſicut Moyſes fecerat, ac Prophetæ; ſed ferè vbique ſe iudicabat eſſe, qui imperandi authoritatem teneret; etenim cum præcepta ipſa ſanciret, ſæpe dicebat: Ego autem dico vobis; & terribilis illius iudicij faciens mentionem, ſe monſtrabat eſſe iudicem per præmia, & ſupplicia.

Greg. 1.Tim. 4

Gregor. lib. 23. Moralium cap. 13: Hoc quod diſcipulo Paulus ait: Præcipe hæc, & doce cum omni imperio, non dominationem potentiæ; ſed authoritatem ſuadet vitæ. Cum imperio quippe docetur, quod prius agitur, quam dicatur: nam doctrinæ ſubtrahit fiduciam, quando conſcientia præpedit linguam. Non ergo ei poteſtatem elatæ locutionis, ſed bonæ fiduciam inſinuauit actionis. Vnde etiam de Domino ſcriptum eſt: Erat enim docens, ſicut poteſtatem habens, non ſicut Scribæ, & Phariſæi. Singulariter namque, ac principaliter ſolus ex poteſtate bona locutus eſt: quia ex infirmitate mala nulla commiſit. Ex diuinitatis quippe potentia habuit id, quod nobis per humanitatis ſuæ innocentiam miniſtrauit.

Quid ſit cum imperio docere. Vnde Chriſti poteſtas in docẽdo attẽdatur.

Euth. Matt. 7: Tu autem admirare mihi turbarum attentionem, ac tolerantiam in audiendo, quæ donec complerentur omnia doctrinæ verba, libenter perſeuerabant; obſtupuerunt verò tanquam ab inuidia & malitia alieni. Deinde cauſam quoque ponit ſtuporis: Erat autem docens ipſos, tanquam authoritatem habens, & non ſicut Scribæ, docebat cum increpandi fiducia, & non cum metu, quemadmodum Scribæ: vel quia Scribæ à lege & Prophetis proferebant, ea quæ docebant, vtpote dicentes: Hæc iubet lex, iſta dicunt Prophetæ; Chriſtus verò accepta à ſeipſo authoritate docebat; ac legem ferebat, & continuè addebat: Ego autem dico vobis, & tanquam futuri iudex ſæculi, bonis quidem promittebat ſalutem, malis verò comminabatur ſupplicium.

Eut. Vnde Chriſti poteſtas in docẽdo attẽdatur.

Thom. p. 3. q. 42. a. 1. ad 2: Poteſtas Chriſti in docendo attenditur, & quantum ad miracula, per quæ doctrinam ſuam confirmabat: & quantum ad efficaciam perſuadendi: & quantum ad authoritatem loquentis; quia loquebatur quaſi Dominum habẽs ſuper legem, cum diceret: Ego autem dico vobis; & etiam quantum ad virtutem rectitudinis, quam in ſua conuerſatione monſtrabat, ſine peccato viuendo. Cap. 50. v. 2. Marcus, & Lucas idem de Chriſto dictum alio tempore, & loco referunt.

Tho. Vnde Chriſti poteſtas in docẽdo attẽdatur.

Cap. 53. *Leproſus mundatur.*

Matt. 8. *Dom. 3 poſt Epiph.*	*Mar. 1.*	*Luc. 5.*	*Ioan.*
1 ✝ [CVm autem deſcẽdiſſet de mõte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.			
		2 c. 29.) ET factum eſt, cum eſſet in vna ciuitatum.	
3 Et ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare.	3 c. 33.) ET venit ad eum leproſus, deprecans eum: & genu flexo, dixit ei: Si vis, potes me mundare.	3 Et ecce vir plenus lepra, & videns Ieſum, & procidens in faciem, rogauit eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare.	
4 Et extẽdens Ieſus manum, tetigit eum, dicens: Volo; mundare.	4 Ieſus autem miſertus eius, extendit manum ſuam: & tangens eum, ait illi: Volo, mundare.	4 Et extendẽs manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare.	
5 Et confeſtim mũdata eſt lepra eius.	5 Et cum dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra, & mundatus eſt.	5 Et cõfeſtim lepra diſceſſit ab illo.	
6 Et ait illi Ieſus: Vide,	6 Et comminatus eſt ei,	6 Et ipſe præcepit illi, vt	

Matt. 8.	*Mar. 1.*	*Luc. 5.*	*Joan.*
nemini dixeris:	ſtatimq; eiecit illum, & dicit ei: Vide, nemini dixeris:	nemini diceret:	
7 Sed vade, oſtẽde te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.	7 Sed vade, oſtende te principi ſacerdotum, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.	7 Sed vade, oſtende te ſacerdoti, & offer pro emundatione tua, ſicut præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.	
	8 At ille egreſſus, cœpit prædicare, & diffamare ſermonem, ita vt iam non poſſet manifeſtè introire in ciuitatem; ſed foris in deſertis locis eſſet, & conueniebant ad eum vndique.]	8 Perambulabat autem magis ſermo de illo; & cõueniebant turbæ multæ, vt audirent, & curarentur ab infirmitatibus ſuis: ipſe autem ſecedebat in deſertum, & orabat.	
	(Et iterum intrauit. cap. 37.	(Et factum eſt in vna dierum. c. 37.	

Not. 1.

Ratio diſpoſitionis. Leproſi huius 3. Euãgeliſtæ meminerunt

QVIDAM ex Neotericis ambigunt, an hæc leproſi mundatio, quam hic Matthæus deſcribit eadem ſit cum illa, quam Marcus, & Lucas enarrant. Verum Auguſt. Euth. In Matt. Marc. & Lucam. Tit. Boſtren. in Lucam. Ambroſ. lib. 5. in Lucam. Chryſoſtomus homilia 26. in Matt. & Hom. 21. operis imperfecti. Bed. Matth. 8. & Luc. 7. Gloſſa ordinaria, Aquin. Matth. 8. Bonauentura Lucæ 5. & plures alij ſine dubitatione fatentur eundem eſſe leproſum, de quo tres Euangeliſtæ agunt. Trium ſiquidem Euangeliſtarum narrationes de hoc miraculo planè conueniunt; Illud quoque miraculum ſtatim poſt ſermonem Domini eſſe factum, licet alio loco Lucas, & Marc. illud antea præoccupantes commemorauerint; Quod ſuo loco Matt. interpoſuit, teſtatur Bed. Mar. 1. & Luc. 7. Hila. Ambroſ. Aug. Euth. & alij.

Quando hoc ſit factum.

Aug.

Leproſi huius 3. Euãgeliſtę meminerunt.

Auguſt. lib. 2. de conſ. cap. 19: Marcus itaque ſequitur: Et venit ad eum leproſus deprecans eum, &c. De hoc leproſo mundato talia cõnectit, vt ipſe intelligatur, quem Matthæus commemorat, tunc eſſe mundatum, quando poſt illum ſermonem Dominus de mõte deſcendit; ſic enim ait Matthæus: Cum autem deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, &c. Huius leproſi etiam Lucas meminit, non ſanè hoc ordine; ſed vt ſolent prætermiſſa recordari, vel poſterius facta præoccupari, ſicut diuinitus ſuggerebantur, quæ antea cognita, poſtea recordando conſcriberent. Deinde Matt. de leproſo mundato narrat, quod etiam Marcus, & Lucas ſimiliter. Et cap. 20: Mundatum leproſum loco ſuo Matt. interponit: Lucas autem poſtea recordatur. Et cap. 21: Marcus de ſocru Petri narrat, antequam illud de leproſo mundato commemoret, quod poſt ſermonem in monte habitum, de quo ipſe tacuit, videtur interpoſuiſſe. Itaque & Lucas poſt hoc factum narrat de ſocru Petri, poſt quod & Marcus.

Ver. 1.

Chryſoſt. Chriſtum qui ſequãtur

Chryſoſt. hom. 26. in Matt: Neque enim, quia deſcendit è monte, idcirco auditorum eſt frequentia diſſoluta. Sed deſcendentem quoque omne illud ſequebatur theatrum: tantum quippe illis dictorum ſuorum infuderat amorem. Non aliqui Scribarum videlicet ac principum, ſed qui erant à malitia liberi, incorruptæque ſententiæ & per totum prorſus euangelium hos ei cernis affixos. Siquidem cum doceret, audiebant ſilentes, nihil vtique perſtrependo, nec alicuius quæſtionis obiectu, conſequentiam interrumpendo doctrinæ, neque Phariſæorum more tentantes, & reprehenſionem aliquam in illo reperire cupientes. Itaque etiam ſermone finito permanebant, ſequentes illum, atque mirantes.

Orig. Chriſtum ſequendi cauſæ

Origen. homil. 5. in diuerſ: Secutæ ſunt eum turbæ multæ, quidam propter charitatem, plerique propter doctrinam, nonnulli propter adminiſtrationem, & curationem.

Not. 2. ver. 2.

Bonau. Quomodo in ciuitate hoc ſit factum.

BONAV. Luc. 5: Cum Dominus hoc miraculum fecit, in ciuitate à Luca fuiſſe dicitur, quod propè ciuitatem eſſet: Matthæus enim hunc leproſum ab ipſo curatum ait: Cum deſcendiſſet de monte: quemadmodum cap. 116. ver. 12. dic tur, non capit Prophetam perire extra Hieruſalem; etſi Chriſtus extra portam ſit paſſus, teſte Apoſtolo ad Hebræos 13. Vide Hieron. lect. 7. 8. 9. Dom. 3. poſt Epipha.

Hier.

Amb. Cur non exprimitur locus

Ambroſ. lib. 5. in Lucam: Bene, vbi leproſus mundatur, certus non exprimitur locus, vt oſtẽdatur non vnum populum ſpecialis alicuius ciuitatis, ſed omnium populos fuiſſe ſanatos. Secundum Matt. primus hic poſt benedictiones à Domino ſanatus inducitur, vt quia dixerat Dominus: Non veni legem ſoluere, ſed adimplere: ille qui excludebatur à lege, purgari ſe Do-

ſe Domini poteſtate præſumens, non ex lege, ſed ſupra legem eſſe gratiam indicaret, quæ leproſi maculam poſſet abluere. Verum vt in Domino poteſtatis authoritas, ita in illo fidei conſtantia declaratur. Ille in faciem procidit, quod humilitatis eſt, & pudoris, vt vnuſquiſque de ſuæ vitæ maculis erubeſcat, ſed confeſſionem verecundia non repreſſit. Oſtendit vulnus, remedium poſtulauit: & ipſa religionis, & fidei plena confeſſio eſt: Si vis, inquit, potes me mundare. In voluntate Domini tribuit poteſtatem; De voluntate autem Domini non quaſi pietatis incredulus addubitauit, ſed quaſi colluuionis ſuæ conſcius, non præſumpſit. Beda idem habet Matth. 8. Mar. 1. & Luc. 5.

Leproſi fides, humilitas, [illegible] confeſſio, [illegible]

De Chriſti [illegible]

Beda.

Euth. Matt. 8: Si vis, &c. non dixit: Si Deum inuocaueris; ſed: Si vis, quod argumentum eſt, indubitatæ fidei. Cum enim audiſſet de doctrina, & potentia eius credidit Deum eſſe, qui omnia poſſet. Ideo etiam cum feruore acceſſit. Nam quod ſimpliciter dixit Matth: adorabat; manifeſtius ait Marcus: genibus prouolutus; Lucas verò ſimiliter, quod procidit in faciem, & deprecabatur ipſum. A doctrina tranſit ad miracula, quia enim tanquam authoritatem habens docebat, ne iactabundus eſſe putetur, & arrogans, operibus quoque ſuam oſtendit poteſtatem, & ſermones re ipſa confirmat. Conſidera etiam turbarum beneuolentiam: ipſi ſiquidem doctrinam ſublimem auribus percipiebant, & admirabantur, credebant, ac ſequebantur. Principes autem ipſorum, & Scribæ promulgantibus quoque virtutem eius ſignis, offendebantur, & irritabantur. Et Marc. 1: Videntur autem Euangeliſtæ aliquantulum circa tempus ſanationis huius diſcrepare. Matthæus ſiquidem, antequam Petri ſocrum curaret, ponit ea, quæ de leproſo ſunt. Marcus verò, & Lucas poſtea. Veriſimile eſt autem hos miraculum tantum perſcrutatos eſſe; & de tempore non magnopere curaſſe, re videlicet non neceſſaria, quod & aliàs frequenter fecerunt.

Euth.

Turbarum beneuolentia.

Euth.

Not. 3. verſ. 3.

Chryſoſt.

CHRYS. homil. in illud Apoſtoli: Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, &c. Soluit item hæreticæ ſuſpicionis dubitationem hodierna Euangelica lectio. Quando enim leproſus ille ipſum acceſſit, corpore quidem leproſo, anima autem pura, & lucida, dixit ei: Domine, ſi vis, potes me mundare. Quære hic hæreticorum Canonem; oportuit ac enim conſentanea vocis ſuæ dicere; Non volo ego, ſed vult pater, mundus eſto: Non veni enim vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. Non audiſti me dicentem: Non veni vt faciam voluntatem meam? ſi ergo rogas voluntatem poteſtati ſubditam, ſicut impij dicunt, cur authoritatem expoſcis ab eo, qui paternæ authoritati ſubditus eſt? verum nihil horum Seruator ad eum, qui ad ſe ſyncero pectore acceſſerat, dixit: Sed declarando ipſum ſyncerae eſſe fidei, ſyncera quoque ac pura ſanitate donauit. Acceſſiſti ad ipſum fideliter, accipe & remedium fideliter. Voluntati meæ aſcribis beneuolentiam, voluntate mea & ſalutem capeſſito. Domine, ſi vis, potes me mundare: volo, mundus eſto. Non ſubſiſtit hæreticæ impietatis definitio. Vides quantum ſermoni ſubeſt? à propria voluntate authoritatem ſeruat. Hæc autem cum dicam, non induco ſeparatam à voluntate patris voluntatem filij. Quam enim filij dixeris voluntatem, patris voluntatem dicis: & quam dixeris voluntatem patris, prædicas authoritatem filij, & ſi dixeris authoritatem filij, declarabis poteſtatem Spiritus ſanctus. Vna enim poteſtas, indiuiſum regnum. Si vis, Domine, potes me mundare. Sciebat leproſus ſcaturientem beneficentiam, ſciebat emanantem ſalutem, ſciebat multos malè habentes, & à dæmonibus infeſtatos, inueſtigaſſe fontem ſalutis, & cogitationis, hæſitationem deponit, & cum eſſet carne quidem leproſus, anima tamen mundus erat: neque enim diſcolor illius anima: etenim ſicut moleſta corporis lepra colorem variat; ſic & vbi animam occupauit duplex facit cor, ſcilicet ad fidem, & ad infidelitatem ſe diſpertiés; & quam iniucunda oculis humanis corporea lepra, tam inſuauis eſt oculis Dei, in plures ſecta partes anima. Et ob hoc, ait Scriptura: Væ duplici cordi, & animæ ſolutæ, & peccatori vias duas incedenti. Rurſum contineamus nos in inſtituto. Volo, mundus eſto. O miraculum, volo, mundus eſto. Sermo nonnunquam fratres ab authoritate, ſermo nonnunquam à temeritate proficiſcitur: & hunc quidem fortuito quis oblaterat; ad illum vero; opus comitatur authoritaté eius, qui ſolus poteſt. Si ergo dixiſſet: Volo, & non ſubſecutum eſſet opus, temeritas erat: nunc vero cum opus vocem ſubſequitur, & ſermonem, ne ægrè feras, & opus reuerere. Vide quantum diſcrimen inter veterem legem, nouamque gratiam, etiã ex omni parte. Moſes cum ex monte deſcendiſſet, primam legem tulit, & mandauit vt caſtris excederent leproſi. Chriſtus verò monte deſcendens, leproſum protinus mundat: & ille quidem morbidos eliminat, hic verò curam eorum agit.

Leproſus corpore, nō anima.

Leproſi fides.

Patris, Filij, & Spiritus ſancti vna eſt voluntas, authoritas, & poteſtas.

Eccl. 2.

Animæ lepra in quo conuenit cum lepra carnis.

Chriſti reſponſio eſt poteſtatis, non temeritatis.

Diſcrimẽ veteris, & nouæ legis.

Fulg. lib. 2. ad Traſ. cap. 12: Cuius voluntatis omnipotentiam, Euangelicus ille leproſus, diuina illuminatione cognoſcens, hanc ad ſuæ mundationis ſufficere teſtatur effectum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. Cum dicit: Si vis. potes; oſtendit diuinam voluntatem ipſam eſſe pleniſſimam poteſtatem. Denique etiam Dominus hoc miſericorditer effectu curationis oſtendit, quod crediderat fideliter, qui popoſcit. Ait enim: Volo, mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra eius.

Fulg.

Not 4. ver. 4.

Orig.

ORIGEN. hom. 5. in diuerſos: Cui reſpondens Dominus, ait: Confidens profiteris, quia ego poſſum, & ſi volo, fit, ideo volo, mundare. Magnificè credis, magnificè & mundaris; pleniſſimè

niſſimè confiteris, pleniſſimè lætificaris. Volo, mundare. Non dubitaſti credere, non tardo ſanare. Non diſtuliſti confeſſionem, non differam te mundare, volo, mundare, vt magnam gratiam tibi oſtendam, manum ad te porrigo. Et quid eſt, quod tetigit eum? cum lex prohibuiſſet leproſum tangere. Propter hoc tetigit, vt oſtenderet, quia omnia munda mundis, quia aliorum alij non adhærent inquinamenta; neque extranea immunditia immaculatos coinquinat. Sed ad hæc propter quid tetigit? vt humilitatem demonſtraret, & nos doceret nullum ſpernere, aut horrere, vel contemptibilem ducere propter corporis læſionem, aut maculationem, quæ à Deo immittitur, pro qua ipſe ſit redditurus rationem: Extendens ergo manum, tetigit eam. Medicus (ait) ſum cæleſtis, corpora cum animabus curare poſſum: propterea omnes tango, non vt infirmitas mihi adhæreat, ſed vt ab ijs, qui eam habent, expellam. Sol enim, ait, incomparabilis ſum, & luna Iuſtitiæ. Ideo omnibus approximo, & omnibus meis ſplendoribus ad ſalutem radio; ipſe vero ſicut fui, permaneo, in ſingularis meæ ſanctitatis pulchritudine. Extendens manum tetigit eum. Non ſperno legem, ſed curo vulnus: nec deſtruo mandatum; ſed fugo, atque mundo lepram. Ideoque cum extendo manum, mox effugit: nec contaminatio meæ virtuti proximare, vel reſiſtere meæ potentiæ poterit. Dico ergo, volo, mundare: & me manum ad tangendum extendente, effugit illico lepra: & inuenta eſt manus Domini, non lepram, ſed mũdum tetigiſſe corpus.

Cur tangendo mundet. — *Chriſtus mundam carnem tetigit.*

Dam. Damaſ. lib. 3. de Fide cap. 15: In Chriſto miraculorum vis, diuinitatis ipſius actio erat: at manuum opera, & velle, & dicere: Volo, mundare, humilitatis ipſius actio erat: opus vero, ſi quidem humanam naturam ſpectes, panum fractio, quodque leproſo dixit, volo: ſi autem diuinam, panum multiplicatio, & leproſi purgatio.

Tert. *In Chriſto vera fuit caro.* Tert. lib. 3. aduerſus Marci. cap. 8: Cum mendacium depræhenditur, Chriſtus, caro: Sequitur vt & omnia, quæ per carnem Chriſti geſta ſunt, mendacio geſta ſint, congreſſus, contactus, conuictus, ipſæ quoque virtutes: ſi enim tangendo aliquem liberauit à vitio; vel tactus ab aliquo quod corporaliter actum eſt, non poteſt verè actum credi, ſine corporis ipſius veritate, nihil ſolidum ab inani, nihil plenum à vacuo perfici licuit. Putatitius habitus, putatitius actus; imaginarius operator, imaginariæ operę. Tert. Et lib. 4. cap. 9: Dominus volens altius intelligi legem, per carnalia ſpiritalia ſignificantem: & hoc nomine non deſtruens, ſed magis extruens, quam pertinentius volebat agnoſci: tetigit leproſum; à quo etſi homo inquinari potuiſſet, Deus vtique non inquinaretur, incontaminabilis ſcilicet. Ita non præſcribetur illi quod debuerit legem obſeruare, & non contingere immundum, quem contactus immundi non erat inquinaturus. Hoc magis meo Chriſto competere ſic doceo, dum tuo non competere demonſtro. Si enim vt æmulus legis tetigit leproſum, nihili faciens præceptum legis, per contemptum inquinamenti, quomodo poſſet inquinari, qui corpus non habebat, quod inquinaretur? Phantaſma enim inquinari non poſſet. Qui ergo inquinari non poterat, vt phãtaſma, iam non virtute diuina incontaminabilis erit, ſed phantaſmatis inanitate: nec contempſiſſe videri poteſt inquinamentum, cuius materiam non habebat: ita, nec legem deſtruxiſſe, qui inquinamentum ex occaſione phantaſmatis, non ex oſtentatione virtutis euaſerat.

Amb. in Pſal. 1: Prior voluntas, ſecunda operatio. Et Dominus dicenti ſibi: Si vis, potes me mundare. Reſpondit, Volo, mundare: quo oſtenderet operationibus noſtris voluntatem præuiam eſſe debere. Et ſerm. 3. in Pſal. 118. ait: Si vis, potes me mundare; In voluntate Domini conſtituens poteſtatis effectum. Cui reſpondit ſimiliter: Volo, mundare. Præmiſſa pietas voluntatis, ſecuta poteſtatis authoritas eſt. Omnibus, dicit Ieſus: Volo, qui non vult eſſe peccatum. Velle Chriſti commune in omnes eſt. Mundari fidei eſt credentis in Chriſtum. Tangit eos quorum fide tangitur.

Amb. Voluntas præcedit actionem. — *Amb. In Dei voluntate eſt poteſtatis effectus. Dominus omnes eſſe mundos [vult]. Quos Dominus tangat.*

Aug. lib. quæſt. ex Matth. cap. 4: Quod autem deſcendens de monte, poſteaquam præcepta illic diſcipulis, & multitudini dedit, leproſum ſtatim extendens manum ſuam curat, ſignificat eos, qui de illis implendis dubitant, ſuo auxilio ab huiuſmodi varietate mundari.

Aug. Cur tangat.

Not. 5. verſ. 5.

Isid. lib. allegor. nou. Teſta: Leproſus quem Chriſtus deſcendens de monte, primum curauit, humanum indicat genus delicti contagio maculoſum: hoc Redemptor dum de cælorum altitudine quaſi de monte deſcendit, vario cultu dęmonum detruſit, atque in vnitatem fidei reparauit. *Iſidor.*

Ver. 6.

Orig. homil. 5. in diuerſos: Quare hoc, Domine, dicet nemini? Propter meã humilitatem, propter meam dulcedinem. Et vos doceamini, quando aliquid boni facitis, non gloriari aut extolli vel inaniter placere velle in conſpectu, ſicut conſuetudo eſt aliquantis, qui cum quid boni fecerint, ſeu ieiunauerint, ſeu in pauperem eleemoſynis, largitatibus, nec non in altaris honore, cultuque ſanctorum: etenim ipſi ante homines volunt gloriari, & ſibi placere, ante Dominum mercedem perdẽtes. Vide nemini dixeris Te enim tacente, hoc mirabiliter clamabit: Te enim os non aperiente, omnis virtus tui corporis iubilabit. *Orig.*

Ambroſ. lib. 5. in Lucam: Ne lepra tranſire poſſit in medicum, vnuſquiſque Dominicæ humilitatis exemplo iactantiam vitet. Cur enim præcipitur nemini dicere, niſi vt doceret non vulganda noſtra beneficia, ſed premenda, vt non ſolum à mercede abſtineamus pecuniæ, ſed

Amb. Imperati ſilentij rationes.

ſed etiam gratiæ? Aut fortaſſe etiam illa ſilentij cauſa eſt imperati, quod meliores putabat, qui fide magis ſpontanea, quam ſperatis beneficijs credidiſſent.

Not. 6. verſ. 6. 7.

Tert.

TERT. lib. 4. aduerſus Marc. cap. 9: Quantum ad gloriæ humanæ auerſionem pertinebat, vetuit eum diuulgare: quantum autem ad tutelam legis, iuſſit ordinem impleri. Vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes. Argumenta enim figurata vt puta prophetatæ legis, adhuc in ſuis imaginibus tuebatur, quæ ſignificabant hominem quondam peccatoré, verbo mox Dei emaculatum offerre debere munus Deo apud templum: orationem ſcilicet, & actionem gratiarum apud Eccleſiam; per Chriſtum Ieſum Catholicum patris ſacerdotem. Itaque adiecit: Vt ſit vobis in teſtimonium. Sine dubio, quo teſtabatur, ſe legem non diſſoluere, ſed adimplere: Quo teſtabatur ſe ipſum eſſe, qui morbos, & valetudines eorum ſuſcepturus annunciabatur.

In teſtimonium.

Amb.

Amb. lib. 5. in Lucam: Oſtendere autem ſe ſacerdoti iubetur, & offerre pro emundatione ſua, vt dum offerret ſe ſacerdoti intelligeret ſacerdos, non legis ordine, ſed gratia Dei ſuper legem eſſe curatum. Et dum mundatur per ſacrificium, ſecundum præceptum Moyſi, oſtenderet Dominus, quia legem non ſolueret, ſed impleret, qui ſecundum legem gradiens, ſuper legem ſanare eos, quos remedia legis non ſanauerant, videretur. Et bene addidit ſicut pręcepit Moſes: Lex enim ſpiritalis eſt, ideoque videtur ſacrificium ſpiritale mandaſſe, denique addidit: Vt ſit in teſtimonium hoc vobis: hoc eſt, ſi Deo credatis, ſi impietatis lepra diſcedat, ſi occultorum cognitor ſit ſacerdos, ſi puri teſtis affectus: vnde poteſt ille magis ſacerdos videri, quem occulta non latent, cui dicitur: Tu es ſacerdos in ęternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Et ſer. 3. in Pſal. 118: Oſtende te ſacerdoti. Multos ſacerdotes habebat Synagoga; ſed qui oculos aperit, falſos non vidit ſacerdotes, verum aſpicit. Quis eſt verus ſacerdos, niſi ille, qui eſt ſacerdos in æternum?

Quomodo, in teſtimonij.

Pſal. 109.

Amb.

Orig. Peccatores per eos curantur, qui Deo ſacrificium offerunt.

Origen. hom. 6. in Leuiticum: Salutare ſacrificium nemo offert Domino, niſi qui ſanus eſt, & ſalutis ſuæ conſcius, gratias Domino refert. Nemo ergo qui æger eſt animo, & languidus in operibus, offerre poteſt ſacrificium ſalutare. Leproſus ille, quem in Euangelio Dominus curaſſe deſcribitur, non poterat offerre hoſtiam, donec lepræ ægritudine tenebatur. Cum autem acceſſit ad Ieſum, & mundatus eſt, tunc iubetur ei à Domino offerre munera ad altare.

Aug.

Aug. lib. 2. quæſt. Euang. cap. 3: Quod Dominus dicit leproſo mundato, vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus pro emundatione tua, ſicut præcepit Moyſes, in teſtimonium illis: hic videtur approbare ſacrificium, quod per Moyſen præceptum eſt, cum id non receperit Eccleſia. Quod ideo iuſſiſſe intelligi poteſt, quia nondum eſſe cœperat ſacrificium ſanctum ſanctorum, quod corpus eius eſt. Nondum enim in paſſione obtulerat holocauſtum ſuum, quo ſacrificio confirmato in credentibus populis, templum ipſum euerſum eſt, vbi illa ſacrificia offerri ſolebant. Hoc autem factum eſt ſecundum prophetiam Danielis: Non enim oportebat auferri ſignificantia ſacrificia, priuſquam illud, quod ſignificabatur, confirmatum eſſet conteſtatione Apoſtolorum prædicátium, & fide credentium populorum.

Lex quamdiu vigebat. Sanctum ſacrificiū eſt Chriſti corpus.

Dan. 9

Cypr. Ad ſacerdotem cur mittit.

Cypr. ep. 65. cap. 1: Chriſtus vſque ad Paſſionis diem ſeruauit honorem Pontificibus, & Sacerdotibus; quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſeruaſſent. Nam cum leproſum emundaſſet, dixit illi: Vade, & monſtra te Sacerdoti, & offer donum humilitate, ea, qua nos quoque eſſe humiles docuit, ſacerdotem adhuc appellabat, quem ſciebat eſſe ſacrilegum. Item ſub ictu paſſionis, cum alapam accepiſſet, & ei diceretur: Sic reſpondes Pontifici? Nihil ille contumelioſè locutus eſt in perſonam Pontificis, ſed magis innocentiam ſuam tuitus eſt, dicens: Si malè locutus ſum, exprobra de malo: ſi autem bene, quid me cędis? quæ omnia ab eo ideo facta ſunt humiliter, atque patienter, vt nos humilitatis, ac patientiæ haberemus exemplum: Docuit enim Sacerdotes veros legitimè, & plenè honorari, dum circa falſos ſacerdotes ipſe talis exiſtit. Idem habet epiſt. 55.

Cypr.

Epiph.

Epiph. hære. 42. confut. 1: Quomodo poteſt Dominus, qui contra legem, & contra Deum legis ſuam doctrinam habet, velut tu dicis, dicere his, qui ab ipſo curantur, leproſo, inquam; Abi, & oſtende teipſum ſacerdoti? Quum enim, ſacerdoti, dicat, legis ſacerdotium non reprobat. Et offer pro purgatione tua; etiamſi reſcideris donum, apparebit ex voce, offer, quod de dono loquitur. Pro purgatione tua; velut præcepit Moyſes: Si enim Moyſis præceptum fieri conſulit, non reprobat, neque blaſphemat Deum legis; ſed confitetur ipſum, & patrem ſuum Deum legem Moyſi dediſſe. Peruertiſti autem verba, ô Marcion, dum pro, in teſtimonium ipſis: dicis, teſtimonium vobis. Et hoc palam mentitus es contra caput tuum. Si enim teſtimonium vobis dixit, teſtem ſeipſum fecit, quod non venit ad deſtruendum legem, aut Prophetas, ſed ad implendum.

Ad ſacerdotem cur mittat.

Iſidor.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 146: Eam ob cauſam leproſus munus lege indictum offerre iubebatur, vt vtriuſque teſtamenti concordia demonſtraretur: quodque is, qui nunc morbum depulit, idem ipſe eſt, qui legem quoque impoſuit.

Leproſus cur munus offerre iubetur.

CAP. 54.

C A P. 54. *Centurionis puer ſanatur.*

Matt. 8.

Fer. 5. poſt cineres.
In miſſa votiua pro infirmis.

1 T. CVm autem introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.

2 Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum.

4 Et reſpondens Centurio, ait: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.

5 Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit.

6 Audiens autem Ieſus, miratus eſt: & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël.

7 Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

8 Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora. ✠ T.

(Et cum veniſſet Ieſus in domum. cap. 31.)

Mar.

Luc. 7.

1 c. 52.) INtrauit Capharnaum; Cẽturionis autem cuiuſdam ſeruus malè habens, erat moriturus, qui illi erat precioſus. Et cum audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius. At illi cum veniſſent ad Ieſum, rogabant eum ſollicitè, dicentes ei: Quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes. Diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis.

3 Ieſus autem ibat cum illis. Et cum iam non longè eſſet à domo.

4 Miſit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari: non enim ſum dignus, vt ſub tectum meum intres: propter quod & meipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te; ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus.

5 Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic, vade, & vadit; & alij, veni, & venit; & ſeruo meo, fac hoc, & facit.

6 Quo audito, Ieſus miratus eſt: & conuerſus, ſequentibus ſe turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Iſraël tantam fidem inueni.

9 Et reuerſi, qui miſſi fuerant, domum: inuenerunt ſeruum, qui languerat, ſanum.

Ioan.

Not. 1.

Hilar. HILAR. can. 7. in Matt: Sequitur emundationem leproſi, paralytici pueri curatio.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 27. in Matth: Leproſus quidem, cum à monte Ieſus deſcendiſſet, ad eum acceſſit: Centurio autem hic, cum iam in Capharnaum introiſſet, aduenit. Et hom. 22. oper. imp: Poſtquam Dominus populum docuit ſuper montem, & leproſum mundauit ſub monte; Poſthæc venit Capharnaum in myſterio: poſt Iudæorum mundationem, venit ad Gentes. Centurio primus fructus ex Gentibus. Chryſoſt. Myſteriũ. Centurio Gentilis erat.

Auguſt. lib. 2. de conſe. cap. 20: Poſthæc Matthæus ſequitur, & dicit: Cum autem introiſſet Caper- Aug. Ratio diſpoſitionis.

Capernaum, acceſſit ad illum Centurio, &c. vſque ad eum locum, vbi ait: Et ſanatus eſt puer ex illa hora. Hoc de puero Centurionis, etiam Lucas commemorat: non ſicut iſte poſt leproſum mundatum, quem ille poſtea recordatus commemorauit: ſed poſt finem illius prolixioris ſermonis: quod ita coniungit: Cum autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intrauit Capernaum. Centurionis autem cuiuſdam ſeruus, &c. vſque in eum locum, quo ſanatus eſt. Iam ergo videamus vtrum ſibi de hoc ſeruo Centurionis, Matthæus, Lucaſque conſentiant, &c. vt lect. 1. 2. & 3. fer. 5. poſt Cineres. Deinde ſubijcit: Porro autem Lucas, ideo totum, quemadmodum geſtum eſſet, aperuit; vt ex hoc intelligere cogeremur, quemadmodum eum acceſſiſſe dixerit alius, qui mentiri non potuit. Sic enim & illa mulier, quæ fluxum ſanguinis patiebatur, quamuis fimbriam veſtimenti eius tenuerit, magis tamen tetigit Dominum, quam illæ turbæ, à quibus premebatur. Vt enim hæc, quo magis credidit, eo magis tetigit Dominum. Ita & Centurio, quo magis credidit, eo magis acceſſit. Et lib. 33. contra Fauſtum cap. 7: Illud ſanè & requiri inter fideles, & obijci ab infidelibus ſolet, ſed etiam ipſis vel parum eruditis, vel nimis contentioſis, niſi admoniti reſipuerint, quod Mattheus dixit: Acceſſit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Lucas autem, quod miſerit ad eum ſeniores Iudæorum, hoc ipſum rogantes de puero eius, qui ægrotabat, vt eum ſanaret: & cum appropinquaret domum, miſerit alios, per quos diceret, non eſſe ſe dignum, in cuius domum intraret Ieſus, nec ſeipſum dignum, vt veniret ad Ieſum. Quomodo ergo ſecũdum Matthæum acceſſit ad eum, rogans, & dicens: Puer meus iacet in domo mea paralyticus, & malè torquetur? Hoc ergo intelligitur, Matthæum breuiter ſententiam ipſam veram, integramque complexum, dicentem quod Centurio acceſſerit ad Ieſum, & non dicentem vtrum per ſeipſum acceſſerit, an per alios: & quod ei de puero ſuo illud dixit, non exprimentem, vtrum per ſeipſum dixerit, an per alios. Quid enim? Nonne talibus locutionibus plena eſt humana conſuetudo, cum dicimus aliquem ad aliquid multum acceſſiſſe, etiam quem nondum dicimus perueniſſe? Nonne & ipſam peruentionem, cui quaſi videtur non eſſe quod addi iam poſſit, etiam per alios fieri vſitatiſſimè loquimur, ſæpè dicendo: egit ille cauſam ſuam, peruenit ad iudicem, aut peruenit ad illum, vel illum potentem; cum plerumque id fiat per amicos, non viſo eo prorſus, ad quem quiſque dicitur perueniſſe? vnde etiam tales homines, quicunque ad potentium quodammodo inacceſſibiles animos, ſiue per ſeipſos, ſiue per alios, ambitionis arte pertingunt, iam etiam vulgo peruentores vocantur. Quid ergo? Cum legimus, obliuiſcimur quemadmodum loqui ſoleamus? An ſcriptura Dei aliter nobiſcum fuerat, quam noſtro more locutura? Et hæc quidem de communi loquendi conſuetudine, peruicacibus, turbulentiſque reſponderim? Et cap. 8: Cæterum, qui hæc non litigiosè, ſed placidè, ac fideliter quærunt, accedant ad Ieſum, non carne, ſed corde; non corporis præſentia, ſed fidei potentia, ſicut ille Centurio; tunc melius, quid Matthæus dixerit, ſentient. Talibus enim dicitur in Pſalmo: Accedite ad illũ, & illuminamini: & vultus veſtri non erubeſcent; vnde Cẽturio ille ad Chriſtum magis acceſſerat, cuius fidem ita laudauit, quam illi ipſi, per quos verba ſua miſit. Huic rei ſimile eſt etiam illud, quod Dominus ait: Tetigit me aliquis, quando mulier quæ fluxum ſanguinis patiebatur, tangens fimbriam veſtimẽti eius, ſalua facta eſt. Quemadmodum ergo illi premebant, ſed illa tetigit, ſic illi miſſi erãt ad Chriſtum, ſed Cẽturio magis acceſſit. Ita Matthæus, & morem non vſqueadeo inuſitatæ locutionis ſeruauit, & myſticè aliquid intimauit. Lucas autem & hoc ipſum, quemadmodum geſtum eſſet, oſtendit, vt hinc aduertere cogeremur, illud Matthæus quemadmodum dixerit.

Duo Euãgeliſtæ hæc narrãtes conueniunt.

Duo Euãgeliſtæ narrantes vt conueniunt.

Cur Lucas aliter hoc narret, quã Matthæus.

Simile. cap. 9.

Aug.

Duo Euãgeliſtæ in hac re narranda vt conueniũt.

Dubium.

Peruentores.

Aug.

Pſalm. 33

Simile. cap. 9.

Cur Lucas aliter hoc narrat quã Matthæus.

Chryſoſt. hom. 27. in Matth: Non eſt abſurdum miſſos eſſe primo aliquos, qui illud dicerent: deinde ipſum quoque acceſſiſſe, ac per ſe iterum eadem dixiſſe. Tu verò etiam Centurionis fidem à Luca prædicatam eſſe intellige, quum diceret, quia moriturus erat puer. Nec enim id deſperationem adduxit patri, nihiloque minus ſuperſtitem fore ſperauit. Quod ſi Matthæus à Chriſto dictum ait: Nec in Iſrael tantam fidem inueni: Et hinc nõ fuiſſe illum Iſraëlitam, ac Iudæum putas ſignificari, Lucas autem ſynagogam conditam eſſe ab illo; noli hæc pugnantia credere: poterat enim etiam cum Iudæus non eſſet, Iudæorum & ſynagogam condidiſſe, & gentem vehementer amaſſe. Lucas itaq; hic Matthæum explanare voluit dicit enim apertè ſatis Dominum poſt deſcenſum è monte veniſſe Capharnaum, & ſanaſſe ſeruum Centurionis, vt Matthæus: Sed quod Matthæus dicit Cẽturionem acceſſiſſe, ac Dominum ei loquutum; id Lucas ita exponit, non quod ipſum adierit Dominum, & ipſi coram ſit loquutus, ſed quod miſerit, & primum, & ſecundum, quibus id à Chriſto dictum, Centurioni vt perferretur, quod Matthæus Centurioni dictum ait: Porro vſitata eſt hæc loquendi forma, non vulgo tantum, ſed probatis etiam ſcriptoribus. Diuerſas autem eſſe hiſtorias, non eſt vllo modo veriſimile: hic verò primus eſt ingreſſus Domini in Capharnaum à ſecundo ex Iudæa reditu, ſuperiora enim in via contigerunt.

Chryſoſt.

Cur dicat fuiſſe moriturum.

Centurionis fides.

Centurio Iudæus non erat.

Duo Euãgeliſtæ hęc narrantes nõ pugnãt

Lucas Matthæum explanat.

Matth & Lucas eiuſdem Centurionis meminerunt

Quoties ſit hic in Capharnaum ingreſſus.

Not. 2. verſ. 1.

ORIGEN. hom. 5. in diuerſos: Acceſſit Centurio externus generatione; ſed mente domeſticus, militum Princeps, ſed plus Angelorum gaudium. Multi in illo tempore pro diuerſis rogabant infirmitatibus, nullus tamen pro ſeruo, niſi iſte ſolus: & hoc ei ad argumentum beatitudinis, & gloriæ coronam erat: Quid enim in mentis abdito dignum voluens Centurio iſte aiebat? Mihi hic ſeruus eſt, & ego Creatoris.

Orig.

Centurio erat Gentilis

Centurio ſolus pro ſeruo rogat.

toris. Iſte me ſuper terram, & ego in cælis magnum habeo Dominum. Si ergo eius non miſereor, quomodo ille mei miſerebitur? Si ego huic non ſubuenio, quomodo ille mihi ſubueniet? Sic debent omnes, qui famulos, & famulas habent, cogitare, ſic miſereri, & condolere eis; ſupplicare, & curam habere de ſeruis, vel de ancillis ſuis, ſicut ille beatus Centurio fecit. Puer, inquit, meus iacet in domo. Non in vna hac re tantum miſerabilis, quod iacet; ſed in alia, quod paralyticus; tertia quod malè torquetur. Omnia enim iſta dolorem congeminant, & iacentem, & paralyticum, & dirè detentum. Ideo vt ſuæ animæ anguſtias demonſtraret, & Dominum commoueret, quatenus & illius cruciatus demonſtraret, & Domini beneuolentiam imitaret. Puer meus, inquit, iacet in domo. Et huc quare non attuliſti eum? Ideo, ait, quia non opus eſt oſtendere illi omnia videnti; non opus eſt in conſpectu offerre eius, cuius potentia non terminatur, nec includitur, neque excluditur. Iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Quid ergo vis, & cupis, ſeu deſideras? non multum loquor, ait, ſcio enim quia ad omnia præſcientem reſpondeo.

Tria huius pueri mala

Cur puer ad Dominum non ſit allatus

Miſeriam Domini repræſentat.

Amb. Centurio erat Gentilis.

Amb. lib. 5. in Lucam: Gentilis Centurionis ſeruus Domino curandus offertur: in quo populus nationum, qui mundanæ ſeruitutis vinculis tenebatur, æger lætalibus paſſionibus, beneficio Domini ſanandus exprimitur. Quod autem moriturum dixit Euangeliſta, non fefellit. Moriturus enim erat, niſi fuiſſet ſanatus à Chriſto. Impleuit igitur præceptum charitate cœleſti, qui ſic dilexit inimicos, vt morti eriperet, atque ad perpetuæ ſpem ſalutis adſciſceret.

Quomodo erat moriturus qui erat ſanandus

Chriſtus inimico benefecit.

Aug.

Quomodo erat moriturus, qui erat ſanandus.

Aug. lib. 6. de Gen. ad litteram cap. 17: Hoc autem neceſſario futurum eſt quod ille vult, & ea verè futura ſunt, quæ ille præſciuit. Nam multa ſecundum inferiores cauſas futura ſunt (ſicut ibi ſunt) ſed ſi ita ſunt, & in præſcientia Dei verè futura ſunt: ſi autem ibi aliter ſunt, ita potius futura ſunt; ſicut ibi ſunt, vbi qui præſcit, falli non poteſt. Nam futura dicitur ſenectus in iuuene; ſed tamen futura non eſt, ſi ante moriturus eſt: hoc autem ita erit, ſicut ſe habent aliæ cauſæ, ſiue in mundo contextæ, ſiue in Dei præſcientia reſeruatæ. Nam ſecundum quaſdam futurorum cauſas, moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit: Quindecim annos ad vitam; id vtique faciens, quod ante conſtitutionem mundi ſe facturum eſſe præſciebat, & in ſua voluntate ſeruabat. Non ergo id fecit, quod futurum non erat. Hoc enim magis erat futurum, quod ſe facturum eſſe præſciebat. Nec tamen illi anni additi rectè dicerentur, niſi aliquid adderetur, quod ſe aliter in alijs cauſis habuerat. Secundum aliquas igitur cauſas inferiores iam vitam finierat: ſecundum illas autem, quæ ſunt in voluntate, & præſcientia Dei, qui ex æternitate nouerat, quid illo tempore facturus erat, & hoc verè futurum erat, tunc erat finiturus vitam, quando finiuit vitam: quia etſi oranti conceſſum eſt, etiam ſic eum ora-

Eſa. 38.

turum, vt tali orationi concedi oporteret, ille vtique præſciebat, cuius præſcientia falli non poterat: & ideo quod præſciebat, neceſſario futurum erat.

Bed. Synagoga quid ſit.

Beda Lucæ 7: Qui ædificatam ſibi a Centurione narrant ſynagogam euidenter oſtendunt, quia ſicut nos Eccleſiam; ſic etiam illi ſynagogam, non conuentum ſolummodo fidelium; ſed & locum quo conueniebant ſint appellare ſoliti.

Eut.

Euth. Luc. 7: Hæc ſynagoga habitaculum erat, in quo congregabantur ſtatutis à lege diebus.

Amb.

Eccleſiam ædificare Deo gratū eſt.

Ambroſ. ſerm. 89: Ad maiorem commendationis gratiam, hæc inter cætera dixerunt. Si ergo commendatur Domino, qui ædificauit ſynagogam; quanto eſt commendatior, qui ædificauit Eccleſiam? & ſi is meretur gratiam, qui impietatis receptaculum præſtitit, quanto maiorem meretur gratiam, qui religioni domicilium præparauit? Etſi ille cœleſti miſericordia viſitatur, qui conſtruxit locum, vbi Chriſtus ſemper negatur; quanto magis viſitandus eſt, qui fabricari fecit tabernaculum, vbi Chriſtus quotidie prædicatur? In Centurione enim Dominus, non quod operis fecit, ſed qua mente operatus ſit, comprobauit. Nam qui tempore, quo nondum Chriſtiani erant, ſolicitè ſynagogam fecit; ſi fuiſſent vtique Chriſtiani, intelligitur quod multo ſolicitius feciſſet Eccleſiam: ſed tamen licet ſynagogam ædificet, Chriſtum prædicat. In ipſo enim opere commouet Phariſæos debere illos ſuſcipere Saluatorem, & demonſtrat propterea ſe tabernaculum amplius edidiſſe, vt multiplicitèr Domini gloriam loquerentur. Si enim credit in Chriſtum conditor ſynagogæ; multo magis credere debet habitator ipſius ſynagogæ. Centurio ergo ſi iuſtificatus eſt propter opus fragile, vel terrenum, iuſtificandus planè eſt vir clariſſimus, & prouidentiſſimus comes noſter, propter opus tam perpetuum, vel cœleſte.

Deus magis animū quam opus conſiderat.

Chryſol. Centurionis laus.

Petrus Chryſol. ſerm. 15: Cohortis Romanæ Centurio, Dux factus eſt militiæ Chriſtianæ, & merito: quia ante cæpit docere, quam credere. Videris Centurionem antequam diſcipulatus ſubiret officium, locum magiſterij fuiſſe ſortitum. Præbet enim petendi formam, dat normam credendi, fidei pandit cauſas; virtutum commendat exempla, qui (nondum Chriſtianę ſcholæ ingreſſus eſt diſciplinam. Rogans eum, hoc eſt, ſapere, non rogare. Puer meus iacet, &c.) Cauſas pueri, quaſi magiſter agit. Verè Centurio, qui ſtipendia terrena centenarium cæli mutauit in fructum, & ſeruitutem militiæ ſæcularis in diuinam ſuſtulit dignitatem. Domine, puer meus iacet, &c. Qui vocat Dominum, fatetur ſuam fideliter ſeruitutem. Et quomodo hic Centurio, qui ſic agnoſcit Dominum, puerum ſuum auſus eſt profiteri, quaſi neſciens ſerui peculium ad Dominum pertinere? aut ignorat communia, qui docet tam ſecreta, tam profunda? Puer meus, meum dico; quia iacet: ſi tuus eſſet,

Centurio erat Gentilis,

Puer meus.

eſſet, Domine, non iaceret. Probat hoc Propheta, cum dicit: Ecce nunc benedicite Dominum, omnes ſerui Domini; qui ſtatis in domo Domini. Qui ſtatis, non iacetis: ait, ſtant ſerui tui: hominum ſerui iacent. Puer meus, qui iacet, vt tuus ſit ſurgat: meus, quia paralyticus: vt tuus ſit, iam ſanetur. Meus, quia malè torquetur; vt tuus ſit iam non ſit in pœna. Domine, tuos ſeruos non decet malis ſubiacere: iniuria eſt tua, tuorum pœna ſeruorum: tuos ſeruos poſſidere non debet vis malorum: ſerui tui etſi patiantur mala, non patiuntur ad pœnam; ſed ſubeunt ad coronas. Aduerſa illis non ſunt neceſſitatum cauſæ, ſed ſunt cauſa victoriæ. Serui hominum ſunt, qui mala patiuntur inuiti: quia illis in deſperatione ſui Domini nequeunt ſubuenire. Tu autem, Domine, cui Virtutes ſeruiunt, curationes parent; obtemperant ſanitates, quomodo computabis ſeruum tuum, quem ſeruum tantorum conſpicis eſſe morborum? nota eſt circa malos bonitas tua: pietatem tuam etiam impij confitentur: clamant externi miſericordiam tuam. Hunc tuum dicerem, quem iacentem tua benignitas non requirit? Iacet in domo, & malè torquetur. Hinc eſt quod offerre eum, & offerre tibi, pœnæ non ſinit magnitudo: ne familiaris infirmitas publicè & dolori ſit, & pudori. Et ſerm. 102: Centurio hic Romanus erat, ſed plus erat hic ipſe fructu centeſimo Chriſtianus. Et Deo magis militabat iſte, quam ſæculo. Et in humano bello fortis, fortior in diuinæ pacis cuſtodia permanebat. Cuius ſeruus malè habens moriebatur, qui illi precioſus erat. Seruus erat, qui precio taxabatur. Quæramus ergo, quis eſt iſte ſeruus, qui illi erat precioſus. Si dominabitur anima, corpus ſeruit, & homini nil corpore precioſius. Hic ſeruus Centurionis iſtius precioſus infirmabatur ad mortem. Ergo Centurio rogabat, vt Chriſtus ſolus mortali corpori largiendo vitam perpetem ſubueniret. Cum audiſſet, inquit, de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum. Gentilis Iudæos ad Chriſtum mittit, & in lege poſitis, qui ſine lege erat, legis demonſtrat auctorem. Nemo ergo miretur, ſi Gentilis, hoc eſt, Chriſtianus, aut vocat, aut ducit, aut perducit ad Chriſtum. Iudæi rogant pro Gentili, qui pro ſe non rogant: & agunt ſatis pro ſalute alieni ſerui; qui pro ſalute ſuorum nihil agunt filiorum. Aiunt; dignus eſt vt hoc illi præſtes. Si dignus eſt, qui audit, credit, mittit ad Chriſtum: ad Chriſtum qui venit, videt, & non credit, quam probatur indignus? diligit enim gentem noſtram. Ille diligit gentem veſtram, quam ſic Chriſto ſupplicem facit: ſed vos odiſtis eam, quam ſic Chriſto redditis contumacem. Aut quomodo Chriſtianus non diligit gentem veſtram, qui dum Chriſtum fatetur ex gente veſtra, quicquid gentis veſtræ eſt, cœleſtem tollit, & extollit ad gloriam. Synagogam ipſe, &c. Audiſtis quia ſemper diruta eſt ſynagoga, & iacet iugiter in cæmentis, nec cœleſtem ſurgit in fabricam, niſi eam in Eccleſiæ culmen Chriſtianus fabricator inſtruxerit.

[Margin: Pſal. 133. — Vt boni mala ſuſtineant. — Dominae. — Iacet. Ratio 1. Cur Dominus ſeruus non ſit oblitus. Ratio 2 Chryſoſt. Centurio erat Gentilis. Laus Centurionis. Precioſus ſeruus quid ſignificet. — Gentilis a Chriſto Iudæos mittit. — Iudæi pro Gentili, non pro ſe, rogant. — Qui ſynagogam ædificet.]

Not. 3. ver. 2.

ORIGEN. hom. 5. in diuerſos: Ego ad Abraham veniens, ſenilem Saræ ſanaui vterum in ſenectute eis Iſaac filium donans: Ego & nunc veniens ad te curabo eum. Et quomodo promittis, Domine, aduentum tuum huic? nec quærit, nec petit, ſciens quod non acceptabile ſit ei vt venias in domum eius. Ob hoc, vt & vos præualeatis, & eius fidei ſimiles ſitis; vel cognoſcatis quid iſte ſit; vel qualis in eo fidei theſaurus habeatur occultus. Iam enim, & primitus Abraham tentaui; non pro hoc, vt cognoſcerem, quem aut ſciebam; ſed vt vos ſimiles ei in omni tentatione fortiſſimi inueniamini. Et Iob ita probaui: non propter hoc probaui, vt cognoſcerem, quem iuſtum teſtificatus ſum; ſed vt vobis ſpem, & fiduciam demõſtrarem. Idcirco & huic dico: Ego veniam, & curabo; vt ipſe magnam fidem ſuam proferens, dicat: Domine, terruiſti me, conturbaſti, interfeciſti fortitudinem animæ meæ in hoc verbo.

[Margin: Orig. — Cur Dominus ſe iturum promittit. — Cur ſancti a Deo tententur.]

Ambroſ. lib. 5. in Lucam: Quantum autem diuinæ humilitatis inſigne, vt cœli Dominus nequaquam dedignaretur Centurionis ſeruulum viſitare? Elucet fides in operibus, ſed plus operatur humanitas in affectibus. Quod vtique non ideo faciebat, quia abſens curare non poterat, ſed vt formam tibi daret humilitatis imitandæ, qua iuxta humilioribus deceret, & ſuperioribus deferendum. Denique alibi Regulo dicit: Vade, filius tuus viuit, vt ſcias, & potentiam diuinitatis, & humilitatis gratiam. Ibi noluit pergere, ne in Reguli filio videretur magis diuitijs detuliſſe: hic ipſe perrexit, ne videretur in Centurionis famulo conditionem deſpexiſſe ſeruilem. Omnes enim, ſeruus, & liber; in Chriſto vnum ſumus.

[Margin: Amb. Chriſti humilitas. — Cur Dominus ſe iturum promittit. — cap. 27. — Ad ſeruum Centurionis cur Dominus ſe potius, quam ad Reguli filium.]

Chryſoſt. ſerm. contra Anomæos: Miſericors ille, ſponte ſua pollicebatur ſe illò iturum, vt cauſam, & occaſionem illi daret, quo virtutem ſuam nobis declararet. Præſcius enim, quod ille dicturus erat. pollicitus eſt ſe affuturum, vt viri pietatem diſcas.

[Margin: Chryſoſt. Cur Dominus ſe iturum promittat.]

Greg. hom. 28. in Euan: Quid eſt quod Regulus rogat, vt ad eius filium veniat: & tamen ire corporaliter recuſat: ad ſeruum verò Centurionis non inuitatur: & tamen ſe corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præſentiam non dignatur adeſſe: Centurionis ſeruo non dedignatur occurrere. Quid eſt hoc, niſi quod ſuperbia noſtra retunditur: qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti ſunt; ſed honores, & diuitias veneramur? Cumque penſamus quæ circa eos ſunt, negligimus penſare ipſos, eo profecto quod interiora minimè prouidemus, dum ea conſideramus, quæ in corporibus deſpecta ſunt; negligimus penſare, quod ſunt. Redemptor verò noſter vt oſtenderet, quia quæ alta ſunt hominum, deſpicienda ſunt, & quæ deſpecta ſunt hominum, deſpicienda non ſunt: Ad filium Reguli ire noluit, ad

[Margin: Greg. — cap. 21. — Ad ſeruum Centurionis cur Dominus ſe potius, quam ad Reguli filium. — Cur Dominus ſe promittat.]

ad ſeruum Centurionis ire paratus fuit. Increpata eſt ergo ſuperbia noſtra: quæ neſcit penſare homines, propter homines. Sola, vt diximus, quæ circumſtant hominibus penſat: naturam non aſpicit; honorem Dei in hominibus non agnoſcit. Ecce ire non vult filius Dei ad filium Reguli, & tamen venire paratus eſt ad ſalutem ſerui. Certè ſi nos cuiuſpiam ſeruus rogaret, vt ad eum ire deberemus, protinus nobis noſtra ſuperbia in cogitatione tacita reſponderet, dicens: Non eas, quia temetipſum degeneras: honor tuus deſpicitur, locus vileſcit. Ecce de cœlo venit, qui ſeruo in terra occurrere non deſpicit, & tamen humiliari in terra contemnimus, qui de terra ſumus. Quid verò apud Deum vilius, quid deſpectius eſſe poteſt, quam ſeruare honorem apud homines, & interni teſtis oculos non timere?

Chryſol. Chryſolog. ſer. 15: Monit Centurio Iudicem, talia, & tanta dum perorat: & ſic mouit, vt ad ſeruum ſuum cæli Dominum ipſum ire velle perficeret. Ego, inquit Chriſtus, veniam, & curabo eum. Fratres, non Centurio ad pietatem, pietatis traxit auctorem, neque ad hoc ille ire compulit Chriſtum, ad quod venerat Chriſtus; ſed Centurio magis ſic ſentire, ſapere ſic docetur, quare ad ſeruum in ſeruo venerit Chriſtus: quare ad hominem in homine venerit Deus, vtique vt leuaret iacentes, eliſos erigeret, ſolueret compeditos, & eos, quos iam nemo nec afferre, nec offerre poterat, ipſe operis ſui vector clementiſſimus baiularet.

Not 4. ver. 3.

Chryſol. CHRYSOLOG. ſer. 15: Sed iam quid reſponderit Centurio audiamus: Domine, inquit, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Dedit debitum de humilitate reſponſum, & ipſum eſſe Dominum ſingulari pauore ſignauit, deducere dum veretur ad animæ ſuæ domum, ad ſecretum cordis ſui, ad tectum ſuæ conſcientiæ, ad penetrale mentis, in quo familia cogitationum incondita, & confuſa verſatur: nec patitur aulam pectoris humani ſine vitiorum ſtrepitu in ſynceritatis ſilentio permanere. Magiſtro ergo timore reſpondit: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Hinc eſt, quod Petrus vbi Chriſtum rerum cognouit auctorem, Luc. 5. exclamauit, dicens: Exi à me, Domine, quia peccator ſum. Sic eum Petrus exire à ſe rogat, quomodo Centurio eum ad ſe ſupplicat non venire: agit vterque ne indignitas hoſpitij, in hoſpitis manet iniuriam. Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Hoc benedictum eſſet, antequam Deus hoſpitium noſtræ carnis intraret: at nunc quid ſic Centurio tectum ſuum Chriſtum vetat intrare, quem totum videt intra tectum ſui corporis iam manere? Fratres, Centurio iam videbat in Chriſto corporis ſui formam, ſed paſſiones in illo ſui corporis non videbat: natus eſt in carne Chriſtus, ſed natus eſt de Spiritu ſancto: accepit hoſpitium carnis, ſed in aula virginis, vt & veritas eſſet corporis humani, & de pollutione humani corporis nihil haberet. Bene ergo Centurio tectum ſuum indignum iudicat Chriſto: quia ſub ſingulari tecto manebat noſtri corporis Chriſtus, iuxta illud Prophetæ: Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Pſal. 101. Sed dic tantum verbo, & ſanabitur puer meus. Centurio iſte cum ſine lege eſſet, nihil ſine lege egit: dicit: Dic tantum verbo. Quia dictum erat: Dixit, & facta ſunt. Et ſi omnia perfecta ſunt dictu, quomodo dictu ſolo vnius infirmitas non curatur? Dic tantum verbo. Et ſine verbo, quid dicitur? ſed iſte poſtulat verbum, non de loquendi vſu, ſed de virtute faciendi: verbum, de quo dictum eſt: Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos. Dic verbo tãtum. Quia iſte credidit in verbo omnes manare virtutes. Verbum tuum Domine ſanitas eſt, verbũ tuum vita eſt; verbum tuum vbi acceſſerit, inde confeſtim fugit dolor, infirmitas mox recedit; verbum in quo Petrus cum laxaret retia, piſciũ multitudinem cæpit, ſine quo & ignorantiæ noctem pertulit, & nullum fructum peruigil piſcator inuenit, Domine, inquit, laborantes per totam noctem nihil cæpimus, ſed in verbo tuo laxabo retia.

Centurio erat Gentilis. Pſal. 148. Quale verbum petit. Pſal. 106. Luc. 5.

Aug. ſer. 6. de verbis Domini: Dicendo ſe indignum præſtitit dignum, non in cuius parietes, ſed in cuius cor Chriſtus intraret. Neque hoc diceret cum tanta fide, & humilitate, niſi iam illum, quem timebat intrare domum ſuam corde geſtaret. Nam non erat magna fœlicitas ſi Dominus Ieſus intraret, in parietes eius, & non eſſet in pectore eius. In huius verò Centurionis domum non intrauit, & pectus poſſedit. Zachæus verò Dominum, & domo ſuſcepit, & animo. Et ſer. 74. de temp: Tecto non recipiebat, corde recipiebat: quanto humilior, tanto capacior, tanto plenior. Colles enim aquam repellunt, valles implebuntur.

Aug. Centurionis humilitas. Aug.

Ambroſ. ſerm. 89: Excuſat igitur Centurio, & ne ſub tectum eius ingrediatur Dominus indignum ſe dicit. Videamus, ipſa Centurionis excuſatio, quam habeat gratiam. Ait enim: Non ſum dignus, vt intres, &c. O fides Chriſtiana, quæ cum humilitate totum impetrare conſueſti. Ecce religioſus Centurio ad accipiendam ſalutem dignior fit, dum ſe profitetur indignum: & dum ædes ſuas iniurioſas putat, magis eas honorificas fecit, & gratas. Magnæ enim, & perfectæ fidei vir, qui intelligeret Chriſtum cælorum eſſe, dum verebatur, ne hoſpitij ſui eum anguſta non acciperent.

Amb. Centurionis fides.

Et lib. 5. in Lucam: Sed vide fidem prærogatiuam eſſe medicinæ. Aduerte etiam in ipſo populo gentili perſpicaciam eſſe myſterij. Dominus pergit, excuſat Centurio, militarique depoſito tumore, reuerentiam ſumit, & ad fidem facilis, & ad honorificentiam promptus. Et bene Lucas etiam in occurſum amicos dicit eſſe à Centurione tranſmiſſos, ne præſentia ſua grauare Domini verecundiam videretur: & officium officio prouocaſſe.

Amb. Centurionem eſſe Gentilem iudicat. Cur alios mittat.

Chryſoſt. ſerm. contra Anomæos: Centurio non audebat medicum in domum trahere, neque

Chryſoſt.

que

que morbi neceſſitas eum à pietate auertere valebat, quin excellentiam Domini reſtaretur, etiam in tanta calamitate. Et hom. 38. ad Antiochenos: Nam & nos ſeruos habentes, maximè tunc eos acceptos habemus; cum poſtquã omnia beneuolè miniſtrauerint, nihil magnum ſe feciſſe cenſent. Itaque ſi tu quoque magna vis reddere merita tua, ea ne magna eſſe putes, & magna tunc erunt. Sic & Centurio dicebat: Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, & propterea dignus factus eſt, & admirationi ſuper omnes Iudæos habitus.

Chryſoſt. — *Vt merita noſtra maiora reddantur.*

Origen. hom. 5. in diuerſos: Non ſum dignus appropinquatione, aſpectu, acceſſu, vel introitu tuo. Moyſes ille primus, magnus tuus confabulator, mirabilis tuorum narrator operum, fidelis in tota domo tua, nimium ſe humiliauit, dicens: Non ſum dignus ante heſternum, & tertium diem. Quanto magis ego dicam: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum? Alienigena ſum, Gentilis, miles gladio accinctus, ſanguinem fundens, ad preliũ exiens, & ob hoc non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, ſed tantum veni verbo: verbum aſpectus tuus eſt, opuſq́; eſt conſummatum. Quamobrem dic verbo, oſtẽde abſens corpore, quod præſens ſpiritu cõſummare potes: vbique indeficiens pręſentia, vbique pręſens tuus aſpectus. Idcirco ego acceſſu, & introitu tuo indignus ſum, & iſte infirmus verbi tui viſitatione indiget. Et hac de cauſa dic verbo, & ſanabitur puer meus. Sed & ego hoc nullum noſtrum pertranſeat, ſicut puſillum aliquid, quod dixit iſte Centurio: Non ſum dignus, vt ſub tectum meum intres. Intrat & nunc Dominus ſub tectum credentium duplici figura, vel more. Nunc enim quando ſancti, & Deo acceptabiles Eccleſiarum Antiſtites ſub tectum tuũ intrant, tunc per eos ibidem Dominus ingreditur. Et tu ſic exiſtimes, tanquam Dominum ſuſcipiens. Et aliud, quando ſanctum cibum, illudq́ue incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane, & poculo frueris; manducas, & bibis corpus, & ſanguinem Domini; tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipſum imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipientis.

Orig. — *Exod. 3* — *Cur dignus non erat.* — *Centurio erat Gentilis.* — *Dupliciter intrat Dominus ſub tectum credentium.* — *Cibus ſanctus, Epulum incorruptũ, Panis vitę, Poculum vitæ, Corpus Domini, Sanguis Domini. Cum Centurione dicendum: Domine non ſum dignus &c.*

Hier. Mart. 8: Non debemus iactãtiæ arguere Dominum, quia ſtatim ſe iturum, & ſanaturum eſſe promittit, videns Centurionis fidem, humilitatem, & prudẽtiam. Fidem, in eo quod credidit ex Gentibus paralyticum à Saluatore poſſe ſanari. Humilitatem, quod ſe iudicauit indignum, cuius tectũ Dominus intraret. Prudentiam quod intra corporis tegmen, diuinitatem latentem videret: ſciens non id ſibi profuturum, quod etiam ab incredulis videbatur, ſed id quod latebat intrinſecus.

Hier. Centurionis fides, humilitas, prudentia — *Centurionis puer erat Gentilis.*

Chryſolog. ſerm. 105: Ieſus, inquit, ibat cum illis. Sed illi non ibant cum Ieſu, cum quo mente non ibant: nec cum illo erant qui ſeiuncti corde, corpore videbantur adiuncti. Et cum iam non longè eſſet. A quo? A Gentili. Quantum Iudæi ſe ſeiungebant à Chriſto, Chriſtus tantum gentibus iungebatur. Miſit ad eum, &c. Qui ante miſerat Iudæos, num amicos mittit: vt Iudæos ſic dicendo iudicet inimicos; probante hoc Apoſtolo, cum dicit: Inimici propter vos. Iudæi dum crediſſe gentes inuident, quidquid erat & legis, & gratiæ perdiderunt. Miſit ad eum amicos. Audi ad Apoſtolos Dominum dicentem: Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. Sicut fides ſeruos promouet in amicos; ita perfidia filios in pœnalem redigit ſeruitutem, dicens: Domine, noli vexari. Quare? quia non ſum dignus, &c. Videtis quia Chriſtus ducebat magis Iudæos; quam adduceretur à Iudæis, vt audirent eſſe penes Centurionem diuinitatis reuerentiam; penes Gentilem legis cultum; penes militem ſtipendium gratiæ; penes Romanum fidei doctrinam; in frigore Pagano Chriſtianum calorem; in terreno pectore cœleſte ſecretum; & notitiam tuam Dominationis ſupernæ in tota ſæculi ſeruitute. Domine, noli te vexare, hoc eſt dicere: Deus quid te vexas humano in corpore? Quid te conficis labore terreno? & viæ longitudine te fatigas? Quid peregrinaris locis, qui es vbique totus? atque intra te totum tenes, & poſſides creaturam? Quod eſt tectum, quod hominem aut dignum facit, aut reddit indignum? quod diuinum inuitet, aut repellat acceſſum? hoc tectum corpus eſt, quod tegit animam, quod operit ſenſum ſpiritus, quod cordis domicilium vetat, quod libertatem mentis à cœleſti viſione ſecludit. Sub hoc ergo tecto Centurio indignum ducit intrare Chriſtum, hoc eſt, in corpus humanum diuinam ſuccedere maieſtatem. Sed Deus, qui quod humanum eſt, cum vult, facit eſſe diuinum, & quod noſtræ carnis eſt, cum dignatur, ſuum commutat in ſpiritum; nec habitare carnem, nec tectum noſtri corporis dedignatur intrare. Propter quod & me ipſum, &c. hoc eſt, vtrumque denoti, quia & ad ſe Deum venire indignum ducit, & ſe accedere ad eum, ſcit eſſe non dignum. Quis intrat ad iudicem non vocatus, quis non iuſſus ingreditur ad Regem; quanto magis ad Deum non venit quis non vocatus? quos vocauit, inquit, eos, & iuſtificauit. Centurio ergo non refugit aduentum Domini, Chriſti præſentiam non recuſat, ſed agit, vt vocantis ſit gratia, non ſit temeritas præſumentis. Nam Deus quid poſſit, humano ſuggerit, & informat exemplo, dicendo: Nam & ego homo ſub, &c. hoc eſt, ſi ego, qui ſum ſub poteſtate conſtitutus, imperio verbi ſolo, facio mihi parere ſubiectos: Quomodo tu, qui nulli ſubiaces, & cuius omnia ſubiacent poteſtati, verbo non potes iubente, curare, ſanitatem mittere, mandare virtutes? aut verbo reficere non potes, quod verbo feciſti? Dixit, inquit, & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt. Aut aliquid ex aliquo reparare non ſufficis, cuncta ex nihilo qui paraſti? dic ergo verbo, & ſanabitur puer meus. Impleuit illud, quod Propheta de Deo cecinit: Miſit verbum ſuum, & ſanauit

Chryſol. — *Ibat cum illis.* — *Non erat longe.* — *Miſit amicos.* — *Rom. 11* — *Non ſum dignus.* — *Noli vexari.* — *Sub tectũ.* — *ver. 4 Centurionis fides, & prudentia.* — *Pſal. 148* — *Pſal. 106.*

ſanauit eos.& eripuit eos de corruptela eorum. Centurio ille dicendo: Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, Chriſtiani populi gerit figuram, qui Chriſti præſentiam corporalem ſe iudicat non mereri; ſed ſolo verbo, nuncio, auditu fidei tantum, totas Domini audit, credit, reſpicit in ſua ſanitate virtutes. Nam quod dicit, dico huic vade, & vadit, &c. Iudæorum repulſam, vocationem Gentium, Chriſtiani populi obedientiam ſic demonſtrat. Dico huic, hoc eſt, Iudæo, qui non credidit: Vade, & vadit; & alij, hoc eſt Gentili, quia credidit: veni, & venit; & ſeruo meo, hoc eſt, Chriſtiano, fac hoc, & facit. Oremus fratres, vt mereamur Chriſtiani non tantum nomine eſſe, ſed fide, & vt quæ iubentur, non audiamus tantum; ſed faciamus audita, quia ſicuti deuoti ſerui eſt feciſſe iuſſa, ita iuſſa, contumacis eſt, non feciſſe.

Not. 5. verſ. 4.

Aug. Avg. ſerm. 6. de verbis Domini: Vnde autem hoc præſumpſit? Et ego, inquit, homo ſum, &c. poteſtas ſum quibuſdam ſub me poſitis, ſub poteſtate quadam ſuper me. Si ergo, ego, inquit, homo ſub poteſtate, iubendi habeo poteſtatem; quid tu poſſis, cui omnes ſeruiunt poteſtates? Erat autem ille de Gentibus; erat quippe Centurio. Iam Iudæa gens habebat militem; habebat Romanum imperium, ibi iſte militem agebat, quantum agere Centurio poterat. Et habens poteſtatem, & ſub poteſtate ſubditus; obediens, ſubditos regens. Dominus autem (quod intendat præcipuè neceſſario charitas veſtra) quamuis in populo Iudaico eſſet, iam pronuntiabat Eccleſiam toto orbe terrarum futuram, in qua erat miſſurus Apoſtolos. Ipſe à Gentibus non viſus, & creditus; à Iudæis viſus, & occiſus. Quomodo enim domum huius Dominus corpore non intrauit, & eius tamen fidem, atque ipſam domum, abſens corpore, præſens maieſtate, ſanauit: Sic & idem Dominus in ſolo Iudaico populo corpore fuit; apud alias gentes, nec de virgine natus eſt, nec paſſus eſt, nec pedibus ambulauit, nec humana pertulit, nec diuina mirabilia fecit. Nihil horum in cæteris gentibus, & tamen de illo impletum eſt, quod dictum erat: Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi. Quomodo ſi non cognouit? in auditu auris obediuit mihi. Iudæa gens cognouit, & crucifixit; orbis terrarum audiuit, & credidit.

[Margin: Centurionis fides, & prudentia. — Centurio erat Gentilis. — Quid ſignificet quod — Centurionis domũ Chriſtus non intrauerit. — Pſal. 17.]

Bern. Bern. epiſt. 42: Quam pulchrè locutus eſt beatus ille Centurio, cuius fidei nulla par inuenta eſt in Iſraël. Et ego, inquit, homo ſum ſub poteſtate, habens ſub me milites. Non iactabat poteſtatem, quam nec ſolam protulit, nec priorem. Dicturus quippe, habens ſub me milites, præmiſit: Homo ſum ſub poteſtate, prius ſe agnouit hominem, quam potentem: Agnouit, inquam, ſe hominem, homo Gentilis, vt in ſe iam impleri oſtenderet, quod longè ante dixerat Dauid: Sciant gentes quoniam homines ſunt: Homo, inquit, ſum, & homo ſub poteſtate. Iam quidquid ſubinferas ſuſpectam non habemus iactantiam. Præmiſſa ſiquidem eſt humilitas, ne altitudo præcipitet. Nec enim locum inuenit arrogantia, vbi tam clarum humilitatis inſigne præceſſerit. Agnoſcis infirmitatem, confiteris ſubiectionem: iam & te ſub te, habere milites profitere ſecurus. Reuera, quia non confuſus eſt de ſubiectione, iure ex prælatione meruit honorari. Non erubuit ſuper ſe poteſtatem, & ideo dignus, qui haberet & ſub ſe milites. Ex abundantia cordis, os loquebatur: & iuxta quod intus ordinatas habuit affectiones, foris quoque verba decenter compoſuit: dedit prius honorem præpoſitis, vt iam à ſubditis iuſtè reciperet: ſciens ſe à ſuperioribus accipere, quod impenderet inferioribus: & quia melius propriæ ſubiectionis diſceret experimẽto ſua ipſe moderari imperia, fortè non ignorabat, quod ſubiecto ſibi homini Deus omnia ſubiecerit ſub pedibus eius: offendenti ſe infenſa reddiderit: & is quem humilem conſtituerat ſuper opera manuum ſuarum, ſuperbiæ meritò comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Nouerat & fortaſſis quod humanus ſpiritus ſubditus conditori, ſubiectam ſibi poſſederit carnem; rebellis rebellem inuenerit; factuſque tranſgreſſor legis ſuperioris, ſentire cæperit aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, & captiuantem ſe in legem peccati. Miror quoſdam in noſtro ordine monaſteriorum Abbates hanc humilitatis regulam odioſa contentione infringere, & ſub humili (quod peius eſt) habitu, & tonſura, tam ſuperbè ſapere, vt cum ne vnum quidem verbulum de ſuis imperijs ſubditos prætergredi patiantur, ipſi proprijs obedire contemnant Epiſcopis; ſpoliant Eccleſias, vt emancipentur; redimunt ſe, ne obediant. Non ita Chriſtus, ille ſi quidem dedit vitam, ne perderet obedientiam: qua iſti vt careant, totum fere ſuum, ſuorumque victum expendunt.

[Margin: In Centurione non eſt iactãtia. — Centurio erat Gentilis. — Pſalm. 9 — Contra quoſdam Abbates.]

Orig. Origen. homil. 5. in diuerſos: Sed adhuc, quid adijcit ille Centurio in ſequentibus? Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, &c. O prudentia intellectus animæ! O munditia cordis, primus omnium manifeſtè veritatis confeſſionem reuelauit, & noui teſtamenti myſterium declarauit, & Eccleſiæ in ſe monſtrauit imaginem, primitiæque ex Gentibus Domino credentibus factus eſt. Ego, ait, homo ſub poteſtate Regis, vel Principis, indignus ego. Ego habeo ſub poteſtate mea milites, & ſeruos: Et tu habes ſanctos ſub poteſtate tua angelos, ſicut milites, & ſanctos omnes ſeruos. Ego mando vnicuique, & ſecundum præceptum meum facit; & tu mandas quod & ſtatim completur. Quod enim mandas, & dicis, fit, & ſine mora perficitur. Omnis enim creatura ſeruit tibi, & ideo dic verbo, & perficietur velociter, & ſaluabitur hic puer meus. O fides viri! ô confidentia militis! ô chariſſime amice veritatis, te admiratur Dominus, & tuam indeficientem magnificat fidem! Quomodo de tenebris Gentium proceſſit lumen tantum, qualiter de errore

[Margin: Centurio Gentilis erat. — Centurionis fides.]

Deum non cognoſcentium tanta manifeſtata eſt iuſtitia, & ex ore ſtultorum Idolis ſeruientium tam limpida effulſit fides.

Hier. Centurionis prudentia.

Hieron. Matt. 8: De prudentia hoc etiam ait: Nam & ego,&c. volens oſtendere Dominum quoque non per aduentum tantum corporis, ſed per Angelorum miniſteria poſſe implere, quod vellet.

Chryſol. Centurionis fides, & prudentia. Pſal. 22

Chryſol. ſer. 15: Et quaſi non ſufficeret, quod de verbo egerat, verbo præſtari poſſe, quod poſtulat, rebus aſtruit, commendat exemplo. Nam & ego homo ſum,&c. hoc eſt dicere: Tu Deus ſub poteſtate poſitus, hoc eſt, tu ipſa poteſtatum poteſtas: habens ſub me milites: hoc eſt, tu virtutes. Et dico huic vade, & vadit; alij, veni,& venit: hoc eſt, dic ſanitati, veni,& venit. Et ſeruo meo, fac hoc, & facit. Ille puer meus erit tuus ſeruus, cum receperit ſanitatem. Audiat: quid audiat? ſanus factus es, iam noli peccare: faciat iuſtitiam, vt liberetur à paralyſi omnium peccatorum, & poſſit pſallere cum Propheta: Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi: Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu. Placebo Domino in regione viuorum. Fratres, imitetur Centurionem, qui ad centeſimum fructum deſiderat peruenire. Ne ergo leuiter Centurionis huius prudentiam tranſeamus.

Chryſoſt. Gen. 1. Fac hoc. Centurionis fides.

Chryſoſt. ſerm. contra Anomæos: Propheta autem æqualem filij gloriam docere voluit. Et idcirco non dixit: fac; ſed: faciamus; dicere enim, fac, præcepti eſſet ſeruo iniungendi, quod diſcere inde potes acceſſit aliquando Centurio Ieſum,& dixit: Dico ſeruo meo, fac hoc,& facit. Vides quod verbum: Fac; eſt Domini ad ſeruum loquentis? At: Faciamus, verbum eſt eius, cui æqualis honor. Quando enim ſeruo Dominus loquitur, dicit: fac; quando autem pater filio, dicit: faciamus. Quid ad hæc dicit hæreticus? Centurio ita ſuſpicabatur: res autem non ſic ſe habet; neque Apoſtolus eſt Centurio, neque diſcipulus, vt ipſius verbis credamus. Veriſimile eſt, quod errauerit. Bene, non eſt Apoſtolus. Quid ergo? videamus, quod ſequitur. Num correxit ipſum Chriſtus? num increpauit? num dixit ad ipſum: Cur hoc facis homo? maiorem de me habes opinionem, quam par eſt: plura mihi tribuis, quam mihi debentur. Ex auctoritate putas me imperare, cum non ſit mihi auctoritas? num dixit tale quid? minimè; ſed ſtabiliuit illius ſententiam, & comitibus dixit: Amen dico vobis, neque in Iſraël tantam fidem inueni. Igitur Dominus laudando confirmat Centurionis verba; vnde iam non ſunt Centurionis verba; ſed occaſio quædam à Domino ad virtutem declarandam oblata, quod enim ipſe laudat,& calculo ſuo tanquam benedictum approbat, pro diuino oraculo habendum eſt, auctoritatem enim ſupernè à Domini iudicio ſumit. Vides vt nouum veteri conſonet, & vtraq; auctoritatem Chriſti indicent?

A Chriſto Centurionis opinio confirmatur. Noua lex veteri conſonat.

Not 6. ver. 5.

Aug. Deus miratur, nec tamen quidquam ignorat. Quid Ieſus in Centurione ſit miratus. Aug. Deus miratur, nec tamen eſt improuidus.

Avg. lib. 22. contra Fauſtum cap. 13: Oſtendimus eis non in veteri teſtamento, cui malitioſè calumniantur; ſed in nouo, quod, vt imperitos fallant, accipiunt, Deum eſſe miratum. Chriſtum enim fatentur Deum; & hanc in laqueo ſuo velut eſcam dulciſſimam ponunt, qua Chriſto deditos capiant. Deus ergo miratus eſt, cum Chriſtus miratus eſt. Sic enim ſcriptum eſt in Euangelio, quod audita fide cuiuſdam Centurionis miratus eſt. Exponant & iſti quare ſit miratus Ieſus, quod antequam fieret prçſciebat: & antequam audiret, vtique nouerat. Ieſus lucem fidei miratus eſt, quam in corde illius Centurionis ipſe fecerat. Et cap. 14: Quem poſſet certè aliquis impius paganus ita calumniari, & reprehendere in Euangelio, ſicut Deum Fauſtus in veteri teſtamento. Diceret enim & ille improuidum Chriſtum, non ſolum ex hoc, quod miratus eſt Centurionis fidem; verumetiam quod Iudam inter diſcipulos elegit, qui mandata eius non erat ſeruaturus,&c.

Aug. Chriſtus ob duo miratur, cui nihil eſt ignotum, inopinatū, improuiſū.

Et lib. 1. contra aduerſarium legis, & Prophetarum cap. 7: Ieſus quando auditis verbis Centurionis, miratus eſt, neſciuit antea fides illa quid eſſet, vt nunc eam primum videns, optimam iudicaret? An verò alius eam in corde Centurionis operabatur, quam ipſe, qui mirabatur? Miratus eſt Ieſus quantamcumque hominis fidem. Quiſquis autem miratur, ſecundum conſuetudinem, qua homines loquuntur, inopinatum atque improuiſum ſibi eſſe ſignificat, quod miratur. Sed Ieſus, qui omnia præſciebat, quod mirandum alijs commendabat, mirando laudabat.

Aug. Cauſæ admirationis. Quomodo Chriſtus ſit miratus.

Et epiſt. 101. ad Euodium: Hçc & ideo mira ſunt, quia occultiorem habent rationem, quam vt videri, vel reddi ab homine homini poſſit. Nam iſtę cauſę ſunt admirationis, cum vel ratio cuiuſque rei latet, vel eadem res vſitata non eſt, quod aut ſingularis, aut rara eſt. Ex illa ergo cauſa latentis rationis; ego dixi in epiſtola, quam te legiſſe commemoras, cum eis reſponderem, qui negant eſſe credendum, quod Chriſtum virgo peperit, virgo permanſerit. Si ratio quæritur, non erit mirabile. Hoc enim dictum eſt, non quod ratione res careat, ſed quod eos lateat, quibus hoc Deus voluit eſſe mirabile. Ex alia verò admirationis cauſa, quæ ideo eſt, quia inſolitum aliquid occurrit, ſcriptum eſt de Domino, quod miratus ſit Centurionis fidem. Neque enim eum rei vllius ratio potuit latere; ſed admiratio pro laude poſita eſt eius, cuius par in populo Hebræo non apparuerat. Vnde ipſa admiratio ſatis expoſita eſt, cum Dominus ait: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël.

Aug. Vnde naſcatur admiratio.

Et lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 8: Quod ſi dictum eſſet, miratus eſt Deus lucem, quia bona eſt; quantum clamarent? quantum litigarent? Admiratio enim reuera de rebus inſperatis naſci ſolet, & tamen legunt iſti, & laudant Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in

Euangelio admiratum eſſe fidem credentium. Quis autem in illo fecerat ipſam fidem, niſi ipſe, qui eam mirabatur. Quod ſi & alius eam feciſſet, vt quid miraretur, qui præſcius erat? Si ſoluunt Manichæi quæſtionem eam, videant quia & illa ſolui poteſt. Si autem non ſoluunt, quid iſta reprehendunt, quæ ad ſe nolunt pertinere, cum illa quæ ad ſe pertinere dicunt, non nouerint? Quod enim mirabatur Dominus noſter, nobis mirandum eſſe ſignificat, quibus adhuc eſt opus ſic moueri. Omnes ergo tales motus eius non perturbati animi ſunt ſigna; ſed docentis magiſtri.

Vt Chriſtus ſit miratus.

Aug. Et tract. 16. in Ioan: Quare non inuenit tantam fidem in Iſraël? quia Propheta in patria ſua honorem non habet. Nunquid non & illi Centurioni poterat dicere Dominus, quod dixerat Regulo: Vade, puer tuus viuit? videte diſtinctionem. Regulus iſte Dominum ad domum ſuam deſcendere cupiebat: ille Centurio indignum ſe eſſe dicebat. Illi dicebatur: Ego veniam, & curabo eum: huic dictum eſt: Vade, filius tuus viuit. Illi præſentiam ſuam promittebat; hunc verbo ſanabat: Iſte tamen præſentiam ſuam extorquebat; ille ſe præſentia eius indignum eſſe dicebat. Hic ceſſum eſt elationi; illic conceſſum eſt humilitati; tanquam huic diceret: Vade, filius tuus viuit; noli mihi tædium facere. Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis. Præſentiam meam vis in domo tua, poſſum & verbo iubere. Noli tu de ſignis credere. Centurio alienigena credidit me verbo poſſe facere, & antequam facerem credidit: Vos niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.

Cur tantã fidem in Iſrael non inuenit? — cap. 27. — Centurionis, & Reguli diſſerentia. — Centurio Gentilis erat.

Aug. Et ſer. 74. de temp: In humilitate etiam Centurio ille placuit. In Iſraël, id eſt, in illo populo, ad quem veni. Tantam quid eſt? tam magnam. Vnde magnam? de minimo, id eſt, de humilitate grandem. Non inueni tantam fidem, ſimilem grano ſynapis; quanto minutiori, tanto feruentiori. Tantam fidem, id eſt, tantam cum fide humilitatem.

Vnde fidei magnitudo attendatur.

Aug. Et lib. 22. contra Fauſtum cap. 74: Centurionis fidem laudauit, non illius militiæ deſertionem imperauit.

Militia eſt licita.

Aug. Et epiſt. 5. ad Marcell: Nam ſi Chriſtiana diſciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus conſilium ſalutis petentibus in Euangelio diceretur, vt abijcerent arma, ſeque militię omnino ſubtraherent dictum autem eſt eis: Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum. Quibus proprium ſtipendium ſufficere debere præcepit, militare vtique non prohibuit. Proinde qui doctrinam Chriſti aduerſam dicunt eſſe Reipublicæ, dent exercitum talem, quales doctrina Chriſti eſſe milites iuſſit, dent tales prouinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales ſeruos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum redditores, & exactores ipſius fiſci, quales eſſe præcepit doctrina Chriſtiana, & audeant eam dicere aduerſam eſſe Reipublicæ, imo verò dubitent eam confiteri magnam, ſi ei obtemperetur, ſalutem eſſe Reipublicæ.

cap. 15.

Tho. Thomas p. 3. q. 15. a. 8: Admiratio propriè eſt de aliquo nouo, & inſolito. In Chriſto autem non poterat eſſe aliquid nouum, & inſolitum quantum ad ſcientiam diuinam; neque etiam quantum ad ſcientiam humanam, qua cognoſcit res in verbo, vel qua cognoſcit res per ſpecies inditas: potuit tamen aliquid eſſe ſibi nouum, & inſolitum ſecundum ſcientiam experimentalem, ſecundum quam illi poterant quotidie aliqua noua occurrere. Et ideo ſi loquamur de ipſo, quantum ad ſcientiam diuinam, & ſcientiam beatam, vel etiam infuſam, non fuit in Chriſto admiratio. Si autem loquamur de eo, quantum ad ſcientiam experimentalem, ſic admiratio in eo eſſe potuit, & aſſumpſit hunc affectum, ad noſtram inſtructionem, vt ſcilicet doceat eſſe mirandum, quod etiam ipſe mirabatur.

Quomodo Chriſtus miretur. — Quadruplex in Chriſto ſcientia.

Aug. Vnde dicit Auguſt. in 1. ſuper Geneſim contra Manichæos, quod mirabatur Dominus, nobis mirandum eſſe ſignificat: quibus adhuc opus eſt ſic moueri. Omnes ergo tales motus eius, non perturbati animi ſigna ſunt; ſed docentis magiſterium. Proinde licet admiratio cauſetur ex hoc, quod aliquis percipit effectum, cuius cauſam ignorat, quemadmodum dicit Philoſophus 1. Metaph. & Chriſtus nihil ignoraret, poterat tamen occurrere aliquid de nouo experimentali eius ſcientiæ, ex quo in admirationem veniret. Idem habet Lyranus Matthæi 8.

Lyran.

Orig. Origenes hom. 5. in diuerſos: Audiens ergo Dominus admirabatur eum. Et quod Deus vnigenitus miratur, quantum ſit aut quale, inenarrabile, & inæſtimabile, percipe ſenſum, chariſſime, quod Deo nihil eſt mirabile, nec aurum, nec diuitiæ, nec regna, nec principatus: iſta omnia ſunt in conſpectu eius tanquam vmbra, & ſicut nihil, vel flos decidens. Nihil ergo mirabile in conſpectu Dei magnum, vel precioſum, niſi tantum vna fides, hanc miratur honorificans, hanc acceptabilem ſibi exiſtimat. Ideoque conuertens ſe ad ſequentes turbas ait: Amen dico vobis, hoc eſt, verè dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël. Non in illo priore Iſraël beato Iacob tantam fidem abnegat Dominus inueniſſe. Ille enim non tantum credidit Domino, ſed & prophetauit de eo, & apertius eius iuſtitiam demonſtrauit, & manifeſtum aduentum eius prælocutus eſt. Niſi enim credidiſſet ei, quomodo de eo prophetaſſet? Sic & ij, qui de Iſrael proceſſerunt, Iſrael enim & ipſi nominati ſunt prophetæ, & iuſti, Dauid, Eſaias, Hieremias: hi omnes clarè, & manifeſtè eius aduentum prænunciauerunt. Omnes namque hi habuerunt fidem, habebant enim & prophetiam. Et iſte Centurio fidem habuit, ſed prophetiam non habuit. Idcirco Dominus admirans magnificauit fidem eius ſuper illum, qui tunc fuit Iſrael, hoc eſt, ſuper omnes, qui tunc fuerunt tribus Iacob; & non ſuper illum, qui ab initio fuit; nec ſuper eos, qui poſtea Prophetæ iuſti inuenti ſunt in Iſrael: Amen dico vobis, quia nec in Iſrael tantam fidem inueni, ſicut in Gentibus, Barbaris, atque alienigenis. Gentes filium Dei me inuocant omnipotentem, vnigenitum

Magnum eſt quod Deus miratur. — Deus præter fidem nihil miratur. — Amẽ dico. — In Iſrael. — Centurio cum quibus comparetur. — Centurio erat Gentilis.

nitum confitentur, Dominum aſſerunt, diligũt, & ſicut bene omnia diſpenſantem, adorant: Et Iſraël me non cognouit, & populus hic me non intellexit. Ideoque me Beelſebub, & Samaritanum appellãt, & peccatorem exiſtimant. Iairus in Iſrael Princeps, pro filia ſua me petens non dicit: Dic verbo; ſed veni, ait, velociter antequam moriatur hæc filia mea. Nicodemus Doctor in Iſrael, de fidei Sacramento audiens, ait: Quomodo poteſt hoc fieri? Maria, & Martha me nimium diligentes, dicunt: Domine, ſi hic fuiſſes, non eſſet mortuus frater meus: tanquam dubitantes quod vbique velox non poſſet eſſe potentia mea. Propterea non inueni tantam fidem in Iſrael, ſicut in iſto alienigena.

Eſa. 1

Centurio qui Gentilis.

Hieron. Matt. 8: Miratus eſt, quod vidit Centurionem ſuam intelligere maieſtatem. Pellendæ enim erant vel infirmitates corporum, vel fortitudines contrariæ, quibus homo ad debilitatem ſæpe conceditur, & verbo Domini, & miniſterijs Angelorum. Amen dico vobis, non inueni tãtam fidem, &c. De præſentibus loquitur, non de omnibus retrò Patriarchis, & Prophetis, niſi fortè in Centurione, fides Gentium præponitur Iſraeli.

Hier. Quid Chriſtus in Centurione mirat. Cum quibus Centurio comparetur. Centurio indicatur fuiſſe Gentilis.

Tertull. lib. 4. aduerſus Marcionem cap. 18: Proinde extollenda fide Centurionis, incredibile ſi is profeſſus eſt talem ſe fidem, nec in Iſrael inueniſſe, ad quem non pertinebat fides Iſraelis. Sed nec exinde pertinere poterat adhuc cruda vt probaretur, vel compararetur, ne dixerim adhuc nulla. Sed cur non licuerit illi alienæ fidei exemplo vti? Quoniam ſi ita eſſet, dixiſſet talem fidem nec in Iſraele vnquam fuiſſe: cæterum dicens talem fidem debuiſſe inueniri in Iſraele, quique ad hoc veniſſet, vt eam inueniret, Deus ſcilicet, & Chriſtus Iſraelis, quam non ſuggillaſſet, niſi exactor, & ſectator eius. Æmulus verò etiam maluiſſet eam talem inuentam, ad quam infirmandam & deſtruendam magis venerat, non ad comprobandam.

Tert. Ad Chriſtum fides Iſraelis pertinebat

Epiph. hær. 42. confutat. 7: Si neque in Iſrael tantam fidem inuenit, velut in Centurione a gentibus progreſſo; igitur non vituperat fidem ipſius Iſrael. Si enim aliena à Deo fuiſſet, & non ipſius, ac patris eius, non vtique feciſſet huius laudem.

Epiph. Centurio Gentilis erat.

Not. 7. verſ. 6.

Aug. AVG. ſerm. 6. de verb. Dom: Huius fides in humilitate laudatur, videte quod audiſtis ex Euangelio, tunc futurum, nunc præſens eſt. Ideo, inquit, dico vobis, propter laudatam Centurionis fidem tanquam alienigenæ carne, domeſtici corde. Propterea, inquit, multi ab Oriente, & Occidente venient. Non omnes, ſed multi tamen ipſi ab Oriente, & Occidente. Iſtis partibus duabus totus orbis deſignatur. Filij regni, Iudæi ſcilicet. Vnde filij regni? quia legem acceperunt; ad quos Prophetæ miſſi ſunt; apud quos templum & ſacerdotium fuit; qui celebrabant figuras omnium futurorum. Quarum enim rerum figuras celebrauerunt, præſentiam non agnouerunt. Filij ergo regni ibunt, inquit, in tenebras exteriores, &c. videmus Iudæos reprobatos; videmus Chriſtianos ab Oriente, & Occidente vocatos ad quoddam conuiuium cæleſte; vt recumbant cum Abraham, Iſaac, & Iacob; vbi panis iuſtitia, vbi potus ſapientia. Attendite ergo fratres: hoc enim vos eſtis; ex hoc populo eſtis iam tunc prædicato, nunc præſentato. De his vtique eſtis, qui vocati ſunt ab Oriente, & Occidente recumbere in regno cælorum, non in templis Idolorum.

Centurio erat Gentilis. Multi. Ab Oriente, & Occidente. Cur Iudæi ſint filij regni.

Et tract. 16. in Ioan: Multi ab Oriente, & Occidente venient. Quam latè terram occupauerat oleaſter? amara ſylua mundus hic fuit. Sed propter humilitatem, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Multi ab Oriente, & Occidente venient. Et puta quia venient, quid de illis fiet? Si enim venient iam præciſi ſunt de ſylua, vbi inſerendi ſunt ne areſcant? Et recumbent, inquit, cum Abraham, & Iſaac, & Iacob. In quo conuiuio, ne fortè non inuites ad ſemper viuendum, ſed ad multum bibendum, recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob. Vbi? in regno, inquit, cælorum. Et quid erit de illis, qui venerunt de ſtirpe Abrahæ? quid fiet de ramis, quibus arbor plena erat? Quid, niſi quia præcidentur, vt iſti inſerantur? doce quia præcidentur: audi, filij autem, inquit, regni ibunt in tenebras exteriores.

Aug. Ab Oriente, & Occidente. Recumbent

Et ſer. 74. de temp: Recumbent, inquit, requieſcent. Non enim debemus illic carnales epulas cogitare, aut aliquid tale in illo cõcupiſcere, vt non vitia mutemus virtutibus, ſed vitia ſubdamus. Ergo cum audis, recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob, in regno cælorum, id eſt, inſeruntur in oliua. Huius enim oliuæ radices ſunt, Abraham, Iſaac, & Iacob: Filij autem regni, hoc eſt, Iudæi increduli, ibunt in tenebras exteriores. Præcidentur rami naturales, vt inſeratur oleaſter. Sed vnde rami naturales præcidi meruerunt, niſi ſuperbia? vnde oleaſter inſeri niſi humilitate?

Aug. Recumbent. Filij regni

Et ſer. 31. de temp: Cum Abraham, & Iſaac, & Iacob, ex quibus Iudæi ducebant originem, recumbent in regno cælorum, non ex eis propagati per carnem, ſed eis inſerti per fidem, vt ille, de quo Apoſtolus loquitur, oliuæ inſerendus iam præmonſtraretur oleaſter.

Aug. Rom. 11

Origen. hom. 5. in diuerſos: Dico enim vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, &c. Dico vobis, teſtor vobis, annuncio vobis, prædico vobis. Quia multi venient, de quibus Propheta locutus eſt, dicens: Venient & gentes multæ, & dicent: Venite, aſcendamus in montem Domini, & ad domum Dei Iacob ingrediamur, & oſtendat nobis viam ſuam, & ambulemus in ea. Multi venient, illi de quibus Dominus ait: Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas adducam, & erit vnus grex, & vnus paſtor. Multi venient, illi de quibus dictum eſt, vt & filij Dei, qui diſperſi ſunt, congregentur in vnum. Iſti ergo omnes venient. Vnde venient? Ab Oriente, & Occidente, hoc eſt, ex omni gente, quę eſt ſub

Orig. Dico vobis. Eſa. 2. Ab Oriente, & Occidente.

eſt ſub ſole, ab Oriente vſque ad Occidentem. Sicut enim per omnes gentes habetur hoc Euágelium prædicatum, ſic ex omnibus gentibus venturi ſunt ad regnum cęlorum. Vel adhuc, ab Oriente hi qui ſtatim illuminati tranſeunt,& ab Occidente hi, qui paſſiones & perſecutiones vſque ad mortem tolerant pro fide. Multi ergo venient. Et quomodo ergo alibi dicit: Multi vocati, pauci verò electi? multi vocati ait. Omnes enim tribus hominum ab initio ſæculi vocatæ ſunt. Et pauci electi de multitudine. Etenim per diuerſas generationes, & diuerſa ſæcula pauci electi ſunt. Simul verò conuenientes, & congregati in tempore viſitationis, multi inuenientur, nimiumque innumerabiles. Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent; non carnaliter iacẽtes; ſed ſpiritaliter quieſcentes, non temporaliter potantes,ſed æternè epulantes; recumbent in regno Dei, vbi lux & ſpes, lætitia, & exultatio, gloria, & benedictio, lux oculorum, & longæuitas æternæ vitæ; vbi omnes iocundantur, omnes gaudent: vbi Patres illi beati recumbunt, Prophetæ requieſcunt, omnes Apoſtoli, & Euangeliſtæ ſuper glorioſos ſedent thronos: vbi multitudo Martyrum in æterna Domini gloriatur gloria,copioſitas Virginum in ſæcula exultat portans coronam immaculatæ virginitatis. O chariſſimi fratres, iſta eſt à ſæculo beneplacita, & annunciata exaltatio, & ab initio narrata requies. In iſtam feſtinate ire omnes Dominum diligentes.Ad iſtam colliguntur omnes ex Gentibus Dominum credentes, necnon & fidem ſeruantes. In eam & nos omnes pergamus,dilectiſſimi, ad iſtam omni virtute feſtinemus, nihil nos reuocet, aut retardet, nihil nos impediat ad hoc deſiderabile properare conuiuium, omnem negligentiam à nobis repellamus, omnemque deſidiam ab animo, & corporis impedimenta, proijciamus: vt huius beatitudinis, & requiei domeſtici efficiamur, quatenus ſanctæ huius (vt dictum eſt) epulationis digni inueniamur.

Alia expoſitio, ab Oriente, & Occidente

Quomodo multi,& pauci.

Recumbent.

Hier.

Hiero. Matth. 8: Quia Deus Abraham cæli conditor pater Chriſti eſt: idcirco in regno cælorum eſt & Abraham: cum quo accubituræ ſunt nationes, quæ crediderunt in Chriſtum filium creatoris. Et ille pariter ſenſus impletur, de quo ſupra diximus,in Centurione fidei Gentium fieri prærogatiuam: dum ad illius credulitatem de Oriente, & Occidente, credituri populi commemorantur. Filios regni Iudæos ſignificat: in quos ante regnauit Deus. Tenebræ ſemper interiores ſunt non exteriores.Sed quoniam qui à Domino foras expellitur, lumen relinquit: idcirco exteriores tenebræ nominatæ ſunt. Si fletus oculorum eſt, & ſtridor dentium oſſa demonſtrat. Vera eſt ergo corporum, & eorundem membrorum, quæ ceciderant, reſurrectio.

Centurio eſt Gẽtilis.

Filij regni

Cur tenebræ dicantur exteriores.

Reſurrectio corporum.

Iſidor.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 147: Dominus ingratum Iudæorum populum, atque Euangelicæ prædicationi repugnantem, velut zelotypiæ œſtro concitans, multos ab Oriente, & Occidente, venturos eſſe ait, atque cum Abraham, Iſaac, & Iacob, generis ipſorum Principibus in cælorum regno recubituros eſſe: legis videlicet fundamento gratiæ lapides ſuperſtruens, diuinumque populum cum Patriarchis aggregans, legiſque cum Euangelio coniunctionem oſtendens: eoſque qui in vtroque præclarè atque ex virtute ſe geſſiſſent, laudem ac prædicationem conſecuturos eſſe: eos autem, qui generis opinione ac faſtu gloriantur, & cum virtute careant, filios tamen, regni ſe iactant, in ſempiternum cruciatum prolapſuros eſſe.

Beda Matth. 8: Interiores quoque tenebras dicit, cæcitatem cordis; exteriores quoque noctem æternæ damnationis. Vbi duplex oſtenditur gehenna, id eſt, nimij frigoris per ſtridorem gentium, & intolerabilis feruoris per fletum oculorum, vt beatus Iob ait: Ad calorem nimium tranſeunt ab aquis niuium.

Bed. Tenebræ interiores, & exteriores.

Duplex inferni pœna

Iob 24

Cyprian. lib. de orat. Dom. cap. 6: Continua autẽ oratione, & prece opus eſt, ne excidamus à regno cæleſti, ſicut Iudæi, quibus hoc prius promiſſum fuerat, exciderunt; Domino manifeſtante, & probante: Multi,inquit, venient ab Oriente, & Occidente, &c. Oſtendit quia ante filij regni Iudæi erant, quando & filij Dei eſſe perſeuerabant: poſtquam ceſſauit circa illos nomen paternum, ceſſauit & regnum.

Cypr.

Orandum ne à regno excidamus

Filij regni qui.

Et lib. 1. aduerſus Iudæos, cap. 23: Quod ad regnum cælorum magis gentes, quam Iudæi perueniant, in Euangelio Dominus dicit: Multi venient ab Oriente, & occidente. &c.

Cypr. Gẽtes magis ad regnũ, quam Iudæi, perueniunt.

Tertull. lib. de reſurrectione carnis cap: 35: Cæterum vnde erit fletus, & dentium frendor in gehenna, niſi ex oculis, & dentibus? occiſo ſcilicet etiam corpore in gehennam, & detruſo in tenebras exteriores, quæ oculorum propria ſunt tormenta. Sic ergo & recumbere ipſum in Dei regno, & ſedere in tronis duodecim Chriſti, & aſſiſtere tunc ad dexteram, vel ſiniſtram, & edere de ligno vitæ corporalis diſpoſitionis fideliſſima indicia ſunt.

Tert. Reſurrectio corporum.

Iren. lib. 4. cap. 18: Vanus autem & Marcion, & qui ab eo, expellentes ab hæreditate Abraham, cui ſpiritus per multos, iam autem & per Paulum teſtimonium reddidit: Quoniam credidit Deo, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam: & Dominus primum quidem de lapidibus excitans filios ei, & faciens ſemen eius quaſi ſtellas cæli, dicens: Quoniam venient ab Oriente, & Occidente, ab Aquilone, & Auſtro, &c. Iterum dicens Iudæis: Cum videritis Abraham,& Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei: vos autem proijci foras. Manifeſtum eſt ergo, quoniam qui contradicunt ſaluti eius, & alterum præter eum, qui promiſſionem fecerit Abrahæ, formant Deum, extra regnum Dei ſunt, & exhæredes ſunt incorruptelæ, fruſtrantes, & blaſphemantes Deum, qui in regnum cælorum introducit Abraham, & ſemen eius, quod eſt Eccleſia, per Chriſtum Ieſum, cui & adoptio redditur, & hæreditas, quæ Abrahæ promiſſa eſt. Hæc Irenæus: quibus non ſolum coarguit Marcionitas, & Cainitas, qui Abraham, alioſque veteres Patriarchas damnabant; verum-

Iren. Qui Abraham cum Patriarchis & Prophetis eſſe damnatos opinentur

verumetiam ex præclaris de eo per Chriſtum, Spiritum ſanctum, Paulum, & alios redditis teſtimonijs, beato, ſempiternoque in cælis æuo eundem perfrui conſtanter, ac euidenter probat. Et cap. 70: Multi ab Oriente, & Occaſu, &c. Si igitur hi, qui per præconium Apoſtolorum eius, ab Oriente, & Occidente credentes in eum, cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum recumbent, participantes cum eis epulationem, vnus, & idem Deus oſtenditur, qui elegit quidem Patriarchas, viſitauit verò populum, gentes verò aduocauit.

Iren.

Not 8. ver. 7.

Amb. Seruo Domini meritum prodeſt.

AMBR. lib. 5. in Lucam: Videte autem œconomiam Domini, probatur fides Domini, & ſerui ſanitas roboratur. Poteſt ergo meritum Domini etiam famulis ſuffragari: non ſolum fidei merito, ſed etiam ſtudio diſciplinæ.

Orig.

Orige. hom. 5. in diuerſos: Sic fiet verè vnicuique homini ſicut crediderit, ſecundum menſuram fidei remetietur ei iſta à Domino gratia. Ideoque dixit ad illum Dominus: Sicut crediſti fiat tibi: credidiſti quia ego omnia poſſum, omniumque Dominus ego ſum. Sicut crediſti, fiat tibi. Credamus & nos, chariſſimi fratres, Ieſum Chriſtum Deum, ac Dominum noſtrum omnia poſſe, vbique præſentem eſſe, nobis remiſſiones cunctorum peccatorum indulgentia eius (ſi tamē eius præcepta ſeruemus) largiri, vt & vnuſquiſque noſtrum cum Centurione iſto audire mereatur: Vade, ſicut crediſti fiat tibi.

Iren. In quibus homo liberum arbitrium habeat.

Iren. lib. 4. c. 72: Non tantum in operibus, ſed etiam in fide liberum, & ſuæ poteſtatis arbitrium homini ſeruauit Dominus, dicens: Secundum fidem tuam fiat tibi, propriam fidem hominis oſtendens, quoniam propriam ſuam habet ſententiam. Et iterum: Omnia poſſibilia ſunt, credenti. Et: Vade, ſicut credidiſti, fiat tibi. Et omnia talia tuæ poteſtatis ſecundum fidem oſtendunt hominem.

Aug. Quid ſignificet quod Dominus curet ſeruum Centurionis eius domū non intrando.

Aug. lib. 1. quæſt. Euangelic. c. 18: Quod & puerum Centurionis, & filiam Cananeæ mulieris, non veniens ad domos eorum, ſaluat, ſignificat gentes ad quas non venit, ſaluas fore per verbum ſuum.

Iſidor.

Iſid. lib. Allegor. noui teſtamenti: Puer Centurionis, & filia Cananeæ mulieris, quos, Chriſtus non veniens ad eos, ſaluat, eaſdem gentes oſtendunt, quas Dominus non corporali præſentia viſitauit; ſed per fidem verbi ſaluauit.

CAP. 55. *Filius viduæ ſuſcitatur.*

Matt.	*Mar.*	*Luc. 7.*	*Ioan.*
		Domin. 15. poſt Pentec. *Fer. 5. poſt Domin. 4. Quadrag.* *In feſto S. Monicæ.*	
		1 ET factum eſt deinceps ✠ ibat in ciuitatem, quæ vocatur Naïm: & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa.	
		2 Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris ſuæ: & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa.	
		3 Quam cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſſit, & tetigit loculum.	
		4 Hi autem, qui portabant, ſteterunt.	
		5 Et ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge.	
		6 Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ.	
		7 Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitauit plebem ſuam. ✠	
		8 Et exijt hic ſermo in vniuerſam Iudæam de eo, & in omnem circa regionem.	

Not. 1.

Ratio diſpoſitionis.

Quando hoc acciderit.

HOC miraculum ſequi debet immediatè curationem ſerui Centurionis: quia Lucas mox, cum aliqua ſignificatione conſequentiæ, ipſum narrat, & ſubijcit: nec eſt vlla ratio, cur alio loco iſtud collocetur: imo ſequens caput ſatis oſtendit hoc loco ponendum. Ibi enim dicitur, nunciauerunt Ioanni diſcipuli eius, de omnibus his; & quod deinde ſequitur; mortui reſurgunt; ad reſuſcitationem filij viduæ referendum videtur. Et hunc etiam ordinem Tatianus cap. 4. harmoniæ obſeruauit. Præſens verò miraculum rectè poſt duo ſuperiora & contigit, ac deſcribitur. Sic enim progreſſus quidam oſtenditur à mirabilibus ad mirabiliora factus. Quia magnum fuit miraculum leproſum incurabili morbo laborantem, verbo, & tactu curare: maius, abſentem

Tatia. Hoc miraculum alijs duobus conuenienter ſubijcitur.

abſentem paralyticum, iamiam moriturum, ſolo verbo ſanitati reſtituere: Maximum verò, mortuum, iam ſepeliendum, reſuſcitare. Hoc itaque miraculo obſtruebatur os eorum, qui dicere poterant, Centurionis ſeruum non fuiſſe moriturum, etiamſi Chriſtus ſanitatem illi non cōtuliſſet: nihil proinde magni Dominum in illo fuiſſe operatum. Vnde Theophylact. Lucæ 7. dicit: Poſtquam Centurionis ſeruum etiam abſens ſanauit; aliud rarius facit miraculum; vt ne quis dicat: Et quid noui in hoc ſeruo contigit? fortaſſis alioqui non fuiſſet mortuus: propterea mortuum illum, qui efferebatur, ſuſcitat. Idem obſeruauit Titus.

Theop. — Tit.

Ver. 1.

Bed. Beda Lucæ 7: Naïm Ciuitas eſt Galilææ in ſecundo miliario Tabor montis, contra meridiem, iuxta Hendor, qui eſt vicus grandis, in quarto miliario eiuſdem montis ad meridiem.

Hier. Hiero. de locis Hebraicis: Naïm oppidum, in quo filium viduæ à mortuis Dominus ſuſcitauit, & vſque hodie in ſecundo miliario Tabor montis oſtenditur, contra meridiem iuxta Endor. De hac Euangelica lectione, ac de mortuis, quos Chriſtus ſuſcitauit, multa habet Aug. ſer. 44. de verb. Domini. Et lib. 1. de ſer. Dom. in monte cap. 23. Ambroſ. lib. 5. in Lucam. Et Beda Luc. 7.

Aug. — Amb. — Bed.

Tit. Titus Boſtrenſ. Luc. 7: Cur is, qui omnia nouit; vitæque, & mortis poteſtatem habet; poſt ſanatum Centurionis ſeruum, à nemine accerſitus, ad demortui adoleſcentis exſuſcitationem ſe confert? ait enim Euangeliſta: Et ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocabatur Naïm. Factum eſt hoc non caſu, ſed ſummo iudicio, ſummaque ſapientia, ne videlicet nonnulli quandoq; in medium prodirent, qui dicerent, Centurionis ſeruum omnino moriturum non fuiſſe. Et quamuis Euangeliſta oppoſitum ſcribat, dicere tamen poterant, magis illum ſpectaſſe ad gratiam, quam ad veri narrationem. Chriſtus itaque Dominus inſtenem, petulantemque illorum linguam compeſcere inſtituens, defuncto, qui iam efferebatur, obuiam prodijt: accedenſque loculum tetigit; & verbo ſimul, & tactu, cum ſolo alioqui verbo tanquam omnipotens facere id potuiſſet, adoleſcentem excitauit.

Cur Dominus nō rogatus hoc miraculum fecit.

Not. 2. verſ. 2. 3.

Euth. E V T H. Lucæ 7: Turba ciuitatis, &c.) Condolebant enim illi, vt quæ non modo virum perdiderat, ſed nunc quoque filium, & hunc vnigenitum. Super eam) Inconſolabiliter flentem. Si enim turba miſerebatur; quanto magis qui fons erat miſericordiæ? Loculum) Arculam in qua iacebat mortuus.

Chryſol. Chryſol. ſer. 103: Si ad vnius viduæ lachrymas temporales ſic motus eſt Chriſtus, vt occurreret in via, vt ex oculis ſtillantia dolorum fluenta reſtingueret, vt recurreret mortem, reduceret hominem, reſuſcitaret corpus, vitam reduceret, planctum verteret in gaudium, & exequias lugubres in feſtiuitatem natalitiam commutaret, & feretro datum, matri viuum redderet ex morte; quid modo faciet quando inardeſcet viribus ſuis ad Eccleſiæ ſuæ lachrymas diuturnas, ad ſponſæ ſuæ ſanguineos ſudores? Nam per ſupplicantem Eccleſiam lachrymas fundit iuges, per martyres ſacrum ſanguinem ſudat, donec viucum ſuum, hoc eſt, populum Chriſtianum, quem tot ad mortem ferunt tempora, occurrens Chriſtus de mortali feretro perpetuæ vitæ reddat in ſupernæ Matris gaudium ſempiternum.

Not. 3. verſ. 3. 5.

T H E O P H Y L A C T. Lucæ 7: Non ſolum autem verbo facit miraculum, ſed & loculum tangit: vt diſcamus quod corpus eius corpus viuificum ſit. Quoniam enim caro eius, facta eſt propria verbi omnia viuificantis; propterea viuifica eſt ipſa, tollitque mortem, & corruptionem. Theoph. — Loculum cur tangat.

Titus Boſtr. Lucæ 7: Ob id autem loculum, ſeu feretrum tetigit, quia voluit, vt hinc diſceremus, Corpus Chriſti Dei noſtri, corpus vitæ eſſe, eiuſdemque carnem, vnigeniti Filij Dei, verbique cunctipotentis carnem. Nam cum caro eius, illi effecta ſit propria, qui viuificat omnia, fit vt ipſa quoque ſit viuifica, mortemque, & corruptionem interimere idonea. Titus. — Chriſti caro vnde ſit viuifica.

Euthym. Lucæ 7: Quemadmodum ferrum quod in igne aliquanto tempore permanſit, habet ignis operationes: ita quoque ſancta ipſius caro diuinitati vnita, quæ diuinitatis ſunt, operabatur. Ideo manus quidem mortuum, ac deſertum corpus coniunxit: vox autem recedentem animam reuocauit. Eut. — Simile.

Ver. 6.

Theophylact. Luc. 7: Porro reſedit mortuus, & cœpit loqui, vt ne apparenter tantum quibuſdam ſuſcitatus videatur. Nam veræ reſurrectionis ſignum fuit, reſidere, & loqui. Inanimatum enim corpus neque reſidere, neque loqui poteſt. Theop. — Cur reſederit, & locutus ſit.

Titus Boſtrenſ. Lucæ 7: Reſedit, & locutus eſt mortuus; ne cui ſecundum externam tantum faciem, & non verè, reſuſcitatus videretur: Siquidem ſedere, & loqui veræ exſuſcitationis argumenta ſunt. Corpus enim exanime, neque ſedere, neque loqui poteſt. Quare etiam tradidit illum Matri ſuæ, tanquam vere viuum, vereque exſuſcitatum. Tit.

Not 4. ver. 7.

E V T H. Lucæ 7: Propheta magnus, &c.) Olim ſiquidem Propheta Elias filium Sareptanæ viduæ ſuſcitauit; ſed deplorando erga Deum, ipſumque deprecando. Et Propheta Eliſæus filium Sunamitidis; ſed extenſus ſuper eum, totus Eut. — Aliter Chriſtus, quam Prophetæ mortuum ſuſcitauit.

tus ſuper totum. Hic verò tangens ſolum, ac iubens, ſtatim excitauit.Propter hoc itaque dicebant:Propheta magnus;ſed ingrati, poſtmodum ipſum occiderunt.

Chryſol Chryſolog. ſerm. 103: Hodie beatus Euangeliſta, quia viduæ matris vnicum iam funeris vinculis illigatum,lamentabili impoſitum iam feretro,proſequentibus turbis euntem iam carceris ad ſepulchrum, per Chriſtum vitæ redditum nunciauit, omnium concuſſit corda, mouit mentes, ſtupefecit auditum. Sed hoc gentes mirentur, ſtupeant Iudæi, mundus paueſcat: nos autem, qui omnes à ſæculis mortuos ad vnam vocem Chriſti ſepulchris excitandos credimus, cur miramur? (Eſa.26.) Exurgent, inquit Eſaias, mortui, & reſurgent, qui in monumentis ſunt. Et Dominus, venit hora quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint,viuent. (1 Cor. 15) Ad hæc Apoſtolus, in momento, in ictu oculi,in nouiſſima tuba;canet enim tuba,& mortui reſurgent incorrupti. Quæ eſt iſta tuba, quæ inferis infert bellum, ſepulchri reſoluit moles, mortuis intonat vitam, reſurgentibus in lucem perpetem dat triumphum? quæ eſt? Illa quam ſuperius Dominus dixit: Mortui audient vocem filij Dei. Tuba non quæ arctato ſpiritu per concauum cornu ligni, vel æris triſtem bellantibus dat mugitum; ſed quæ de corde Patris, ore Filij vitalem ſimul & inferis, & ſuperis dat clamorem. Et in nouiſſima tuba: tuba quæ in principio mundum vocauit ex nihilo,ipſa in nouiſſimo mundum reuocabit ex perdito: & quæ initio hominem ſuſcitauit ex limo, ipſa in fine hominem reſuſcitabit ex puluere.

Ver. 8.

Euth. Lucæ 7; Exijt hic ſermo) ſup. miraculi,& quod Propheta magnus ſurrexiſſet. Eut.

CAP. 56. *Ioannis ad Chriſtum legatio; ipſiusq́;* IESV *de Ioanne teſtimonium.*

Matt 11.	*Mar.*	*Luca 7.*	*Ioan.*
Dominica 2. Aduent. 1 c. 68.) + IOannes autem cum audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es; an alium expectamus?		1 ET nunciauerunt Ioanni diſcipuli eius, de omnibus his. Et conuocauit duos de diſcipulis ſuis Ioannes, & miſit ad Ieſum, dicens: Tu es, qui venturus es; an alium expectamus?	
		2 Cum autem veniſſent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptiſta miſit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es: an alium expectamus?	
		3 In ipſa autem hora, multos curauit à languoribus, & plagis, & ſpiritibus malis: & cęcis multis donauit viſum.	
4 Et reſpondens Ieſus, ait illis: Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur. Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me.		4 Et reſpondens,dixit illis: Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis: quia cæci vident, claudi ambulant,leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.Et beatus eſt, quicunque non fuerit ſcandalizatus in me.	
5 Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas, de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre: arundinem vento agitatam?		5 Et cum diſceſſiſſent nuncij Ioannis,cœpit de Ioanne dicere ad turbas:Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?	
6 Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce,qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.		6 Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtimentis indutum? Ecce, qui in veſte pretioſa ſunt,& delitijs, in domibus regum ſunt.	
Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis,& plus quàm Prophetam.		7 Sed quid exiſtis videre?Prophetam? Vtique dico vobis, & plus quàm prophetam.	

Matt. 11.	*Mar.*	*Luc. 7.*	*Ioan.*
8 Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. ✢		8 Hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.	
9 Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioãnne Baptiſta: qui autem minor eſt in regno cœlorum maior eſt illo.		9 Dico enim vobis, maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt: qui autem minor eſt in regno Dei, maior eſt illo.	
10 A diebus autem Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.			
11 Omnes enim Prophetæ, & lex, vſque ad Ioannẽ prophetauerunt. Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. Qui habet aures audiendi, audiat.			
		12 Et omnis populus audiens, & publicani, iuſtificauerunt Deum, baptizati baptiſmo Ioannis. Phariſæi autem, & legis periti conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos, non baptizati ab eo.	
13 Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus, dicunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non planxiſtis.		13 Ait autem Dominus: Cui ergo ſimiles dicam homines generationis huius, & cui ſimiles ſunt? Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, & dicentibus: Cantauimus vobis tibijs, & non ſaltaſtis; lamentauimus, & non ploraſtis.	
14 Venit enim Ioannes, neque manducans, neque bibens; & dicunt: Dæmonium habet.		14 Venit enim Ioannes Baptiſta, neque manducans panem, neque bibens vinum; & dicitis: Dæmonium habet.	
15 Venit filius hominis manducans, & bibens; & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.		15 Venit filius hominis manducans, & bibens; & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum.	
16 Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis.		16 Et iuſtificata eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis.	
(Tunc cœpit exprobrare, &c. cap. 104.			

Not. 1.

Aug. *Tres huius lectionis partes.* *Duo Euangeliſtæ hoc tractant.* *Amb. Chryſoſt. Euth.* *Ratio diſpoſitionis.*

AVG. lib.2.de conſ.cap.31: Hunc totum locum de Ioanne Baptiſta, quod miſerit ad Ieſum, & cuiuſmodi reſponſum acceperint, illi, quos miſit; & quidquid poſt eorum abſceſſum de Ioanne Dominus dixit; interponit & Lucas, non quidem ipſo ordine; ſed quis eorum recordationis ſuæ, quis rerum ipſarum hic ordinem teneat, non apparet; deſcribi hoc argumentum à Matthæo, & Luca docent etiam Ambr. lib.6.in Lucam. Chryſoſt. hom.37.& 38.in Matt. & 27. oper. imperf. Et Euth. Matth.11. & Luc.7. & alij. Hic videtur conſtituenda hæc Ioannis legatio; non ſolum quia hic eam Lucas ponit; ſed etiam ex eo quod Matthæus hanc, Apoſtolorum miſſioni proximè ſubijciat. Quia enim non poſt miſſionem, ſed ante, contigit; ſi conſideremus, cur Matthęus hanc proximè poſt miſſionem anticipatam narrauerit, hoc maximè loco ponenda inuenietur. Nam cum narrando ad tertium acceſſum in Iudæam perueniſſet, eſſetque interrupta eius narratio, & multa quæ in via redeundo, vel etiam poſt reditum contigerant narratione præueniſſet, anticipare etiam voluit miſſionem. Legationem ergo proximè ſubijciens, indicat non diu id poſt reditum è Iudæa contigiſſe, primoque loco hanc, poſt anticipata, collocandam. Cum enim non diu poſt Domini ſermonem in monte habitum contigerit, commodiore loco non potuit conſtitui. Et quod hic dicitur;

citur: Mortui reſurgunt; ad id videtur referendum, quod Lucas ante narrauit, de reſuſcitato viduæ filio. Itaque non multo poſt illam adoleſcentis reſuſcitationem veriſimile eſt Ioannis veniſſe nuncios.

Not. 2. ver. 1.

Aug. Myſteriū. AVGVST. ſerm. 20. de Sanctis: Quod autem Ioannes in carcere conſtitutus, ad Christum diſcipulos ſuos ordinat, lex ad Euangelia tranſmittit: (Lex mittit ad Euangelium) Quæ lex (iuxta typum Ioannis) quaſi ignorantiæ clauſa carcere, in obſcuro, & in occulto iacebat, & Iudaica cæcitate ſenſus intra literam tenebatur incluſus. Et ſerm. 21: (Aug. Myſteriū.) Ioannes typum in ſe legis, quæ Chriſtum longè per ſigna, & indicia monſtrabat, oſtendit; & ideo miſit ad Chriſtum duos de diſcipulis ſuis. Iſti duo diſcipuli à Ioanne ad Chriſtum miſſi, (Duo populi ad Christum miſſi.) fortè duo populi ſunt, quorum vnus ex Iudæis credidit, alter ex Gentibus. Ioannes dirigit ad Chriſtum, lex mittit ad gratiam, & (Lex mittit ad gratiā) per Euangelij fidem, veterem deſiderat aſtrui veritatem.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 34: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Domino ſignificabat Ioannes, cum veritatis cauſa, caput ei amputandum eſſet, ſuoſque diſcipulos ad eum adducere ſtuderet, qui ob accuratam atque omnibus virtutis numeris abſolutam ipſius vitam, ad ipſius teſtimonium, num Dominus eo maior eſſet, ambigebant. Atque id Dominus, per ea quæ ſtatim fecit, demonſtrauit, cùm per multa miracula Ioannis teſtimonium comprobauit: eoſque qui Ioannis verbis diffidebant, ita dimiſit, vt oculis atque ipſo aſpectu confirmatum haberent, id quod auribus acceperant.

Tert. Tertull. lib. de præſcript. aduerſus hæreticos cap. 8: (1 opinio) Cum etiam Ioannes, de illo certus, eſſe deſiſſet. Et lib. 4. aduerſus Marcionem cap. 18: Sed ſcandalizatur Ioannes, auditis virtutibus Chriſti, (An Ioānes de Chriſto eſſe dubijt.) vt alterius. At ego rationem ſcandali prius expediam, quo facilius hæretici ſcandalum explodam. Ipſo iam Domino virtutum ſermone, & Spiritu Patris operante in terris, & prædicante, neceſſe erat portionem Spiritus ſancti, quæ ex forma prophetici moduli in Ioanne egerat præparaturam viarum Dominicarum, abſcedere iam à Ioanne, redactam ſcilicet in Dominum, vt in maſſalem ſuam ſummam. Itaque Ioannes communis iam homo, & vnus de turba, ſcandalizabatur quidem qua homo, ſed non qua alium Chriſtum ſpirans, vel intelligens, qui neque vnde ſperaret, vt nihil noui docentem, vel operantem. Nemo hæſitabit de aliquo, quem dum ſcit non eſſe, nec ſperat, nec intelligit. Ioannes autem certus erat neminem Deum præter Creatorem, vel qua Iudæus, etiam Prophetes plane facilius quaſi hæſitauit de eo; quem cum ſciat eſſe, an ipſe ſit, neſciat. Hoc igitur metu, & Ioannes: Tu es, inquit, qui venis, an alium expectamus? ſimpliciter inquirens an ipſe veniſſet, quem expectabat: Tu es, qui venis, id eſt, qui venturus es, an alium expectamus? id eſt, an alius eſt, quem expectamus, ſi non tu es, quem venturum expectamus; ſperabat enim, ſicut omnes opinabantur ex ſimilitudine documentorum, potuiſſe & Prophetam interim miſſum eſſe, à quo alius eſſet, id eſt, maior ipſe ſcilicet Dominus, qui venturus expectabatur. Atque adeo hoc erat Ioannis ſcandalum, quod dubitabat ipſum veniſſe, quem expectabant, quem & prædicatis operationibus agnouiſſe debuerant. Et lib. (Tert.) de baptiſmo cap. 10: Quum ipſum quod cæleſte in Ioanne fuerat ſpiritus prophetiæ; poſt totius ſpiritus in Dominum tranſlationem, vſque adeo defecerit, vt quem prædicauerat, quem aduenientem deſignauerat, poſtmodum an ipſe eſſet miſerit ſciſcitatum.

Greg. Gregor. hom. 6. in Euang: Quærendum nobis eſt, fratres chariſſimi, Ioannes Propheta, & (Ioannis quæſtio difficilis.) pluſquam Propheta, qui venientem ad Iordanis baptiſma Dominum oſtendit, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Qui & humilitatem ſuam, & diuinitatis eius potentiam conſiderans, dicit: Qui de terra eſt, de terra loquitur: qui autem de cœlo venit, ſuper omnes eſt: cur in carcere poſitus mittens diſcipulos ſuos, requirit: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? tanquam ſi ignoret, quem oſtenderat; & an ipſe ſit neſciat, quem ipſum eſſe prophetando, baptizando, & oſtendendo clamauerat. Sed hæc citius quæſtio ſoluitur: ſi geſtæ rei tempus, & ordo penſetur. Ad Iordanis enim fluenta poſitus; quia ipſe Redemptor mundi eſſet aſſeruit: miſſus verò in carcerem, an ipſe veniat, requirit; non quia ip- (4. opinio) ſum eſſe mūdi Redemptorem dubitat; ſed quærit, vt ſciat, ſi is, qui per ſe in mundum venerat, (An Criſtū ad inferos deſcenſurum Ioannes ignoraret.) per ſe etiam ad inferni clauſtra deſcēdat. Quem enim præcurrens mūdo nunciauerat; hunc moriendo, & ad inferos deſcendendo præcurrebat. Ait ergo: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? ac ſi apertè dicat: ſicut pro hominibus naſci dignatus es, an etiam pro hominibus mori; & ad inferos deſcendere digneris, inſinua, vt qui natiuitatis tuæ præcurſor extiti, deſcenſionis etiam præcurſor fiam; & venturum in inferno te nunciem, quem iam veniſſe mundo annunciaui. Et homil. 1. in (Greg.) Ezech: Ioannes Baptiſta, venientem Dominum videns, ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sed cum iam moriturus eſſet, miſſis diſcipulis requirebat, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? In quibus verbis oſtenditur, quia in terris quidem veniſſe Redemptorem nouerat; ſed an per ſemetipſum, ad aperienda inferni clauſtra deſcenderet, dubitabat. Ex præſenti enim prophetiæ ſpiritu tactus (4. opinio. An Ioānes Chriſti deſcenſum ad inferos ignorabat.) fuerat, qui humanitatem mediatoris videns, & diuinitatem eius intelligens, confitebatur agnum, qui peccata mundi tolleret; ſed tactus ex futuro non fuerat; quia aduentum illius in inferno neſciebat.

Amb. Amb. lib. 5. in Lucam: Non ſimplex intellectus in ſimplicibus eſt verbis. (Ioannis quæſtio difficilis.) Alioquin præſentibus ſuperiora compugnant. Quomodo enim

Ioannes,

Ioannes, quem in ſuperioribus Deo Patre demonſtrante cognouit, hic neſcit? Quomodo & ibi, quem ante neſciuit, agnouit? & hic iam, quem ſciebat, ignorat? Neſciebam, inquit, eum; ſed qui miſit me baptizare, ipſe mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem de cœlo. Et dicto credidit, & demonſtratum agnouit: & baptizatum adorauit, & venientem prophetauit. Denique, ego, inquit, vidi, & teſtimonium perhibui, quoniã hic eſt electus Dei. Vnde ergo fieri poſſet, vt hic Propheta tantus erraret, vt de quo dixerat: Ecce qui tollit peccatum mundi: adhuc eum Dei filium eſſe non crederet? Aut enim inſolentiæ eſt, ei tribuere diuina, quem neſcias; aut de Dei filio dubitaſſe perfidia eſt. Non cadit igitur in talem Prophetam tanti erroris ſuſpicio. Itaque ſi intellectus ſimplicis formæ compugnat, ſpiritalem quæramus figuram. Et quia ſupra iam diximus in Ioanne typum eſſe legis, quæ prænuncia fuit Chriſti; rectè lex, quæ pectoribus perfidorum tanquam æterna carceribus lue vacuatis corporaliter tenebatur incluſa, quam viſcera fœcunda pœnarum, & fores amentiæ coercerent, plenum exitum teſtimonij Dominicæ diſpenſationis ſine Euangelij nequit aſtipulatione perferre. Prophetauit quidem lex in Exodo baptiſmatis gratiam per nubem, & mare, ſpiritalem in agno præunciauit eſcam; fontem perennem deſignauit in petra; remiſſionem peccatorum in Leuitico reuelauit; regnum cœlorum annunciauit in Pſalmis; terram repromiſſionis in Ieſu Naue manifeſtiſſimè declarauit. Hæc omnia cum Ioannis quoque congruunt teſtimonio; ſed tamen tyrannicis mundi iſtius poteſtatibus, quominus lucem Dominicæ Reſurrectionis effunderet, incluſa cohibetur. Mittit ergo ſuos diſcipulos ad Chriſtum Ioannes, vt ſupplementum ſcientiæ conſequantur; quia plenitudo legis Chriſtus eſt; vt quoniam nutant plerumque dicta ſine factis; & fides plenior geſtorum teſtificationibus, quam verborum ſponſionibus exhibetur, quæ tunc in pectoribus Iudæorum, velut obſerata lege, nutabat, ipſo ſpectaculo Dominicæ crucis, & pleno reſurrectionis teſtimonio panderetur. Et fortaſſe iſti diſcipuli ſunt duo populi; quorum vnus ex Iudæis credidit; alter ex gentibus: qui ideo credidit, quia audiuit. Lex ergo Chriſtum venturum annunciat, Euangelij ſcriptura veniſſe confirmat. Nonnulli etiam de ipſo Ioanne ſic intelligunt; magnum quidem Prophetam, ita vt Chriſtum agnoſceret, annunciaret remiſſionem peccatorum futuram; ſed tamen non tanquam dubium; ſed tanquam pium vatem, quem venturum crediderat, non credidiſſe moriturum. Non igitur fide, ſed pietate dubitauit. Dubitauit & Petrus, dicens: Propitius tibi eſto Domine, non fiat hoc. Ille fidei Princeps, cui ſe Chriſtus nondum Dei filium dixerat, & tamen ille crediderat de morte Chriſti, nec Chriſto credidit. Pietatis affectus, non indeuotionis eſt lapſus. Denique alibi lauari ſibi pedes recuſat, vbi myſterium non agnoſcit, dum Dominico grauatur obſequio. Ergo moriturum Chriſtum nec ſancti crediderunt. Quod enim oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, hæc præparauit Deus diligentibus eum. Religioſus itaque lapſus amoris fidem non impedit.

[Margin: Ioannes non interrogat ex ignorantia. — Myſteriũ. — Ioannes typus eſt legis. — Ad Chriſtum Ioannes cur diſcipulos mittit. — Duo populi ad Chriſtum miſſi. — 6 opinio — cap. 18. — cap. 169.]

Iuſtin. Martyr. quæſt. 38. ad Chriſtianos: Si Ioannes diſcipulis perſuadere volebat, Ieſum ipſum eſſe Chriſtum, cum illos ad eum miſit; hoc enim nonnulli dixerunt: cur non negationem eis dixit; ſed interrogationem per eos Chriſto propoſuit? ſi verò idem quod in vincula coniectus eſſet, ex ijs, quæ intelligebantur, multis, varijſque modis de eo dubitauit; hoc enim alij dixerunt; cur eum tanquam cognouiſſet, interrogat? Illud enim; tune is es, qui venturus eſt; an alterum expectamus? ſuſpicionem affert, eum, tanquam Chriſtus nondum veniſſet, rogaſſe eum, qui expectaretur. Si enim hoc credidiſſet, non interrogaſſet; tune es, qui venturus eſt; an aliquis alius præter illum. Explicatio, quoniã diuerſi rumores de miraculis, quæ Chriſtus ediderat ſpargebantur; cum alij dicerent: Elias eſt, qui hæc facit; alij, Hieremias; quidam, aliquis alius eſt ex Prophetis; audiens hos rumores Ioannes in carcere, mittit diſcipulos ſuos, qui ſcirent, num is, qui ſigna faceret, is eſſet, cui ipſe teſtimonium dixiſſet, an aliquis alius, qui à multis diuulgaretur. Ieſus autem cognito Ioannis conſilio, in conſpectu eius diſcipulorum, multa inaudita, inuſitataque opera perfecit, eis fidem faciens, atque per eos Ioanni, ſe eſſe eum, qui feciſſet ea etiam miracula, quæ aliorum nomine celebrarentur, cui dixiſſet pro teſtimonio.

[Margin: Iuſtin. — Ioannes diſcipulos ad Chriſtũ cur mittit. — An Ioannes dubitauerit. — 1. opinio non vera.]

Hieron. Matt. 11: Non quaſi ignorans interrogat: ipſe enim cæteris ignorantibus, demonſtrauerat, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: & Patris vocem audierat intonantis: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ſed quomodo Saluator interrogat, vbi ſit poſitus Lazarus, vt qui locum ſepulchri indicabant, ſaltem ſic pararentur ad fidem, & viderent mortuum reſurgentem. Sic & Ioannes interficiendus ab Herode, diſcipulos ſuos mittit ad Chriſtum, vt per hanc occaſionem videntes ſigna, atque virtutes, crederent in eum: & magiſtro interrogante ſibi diſcerent. Quod autem ſuperbirent diſcipuli Ioannis aduerſus Dominum, & haberent aliquid mordacitatis ex liuore, & inuidia; ſuperior quoque interrogatio demonſtrauit Euangeliſta referente: Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis, dicentes: Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter; diſcipuli autem tui non ieiunant? Et alibi: Magiſter, cui tu præbuiſti teſtimonium ad Iordanem, ecce diſcipuli eius baptizant, & plures veniunt ad eum, quaſi dixerint: Nos deſerimur, hic raritas eſt; ad illum turba concurrit. Non ait: Tu es qui veniſti, ſed tu es, qui venturus es? Et eſt ſenſus: Manda mihi, qui ad infernum deſcenſurus ſum, vtrum te & inferis debeam nunciare, qui nunciaui ſuperis: annon conueniat

[Margin: Hier. — Ioannes nõ petit, ignorans. — Vera ſententia. — Diſcipulis conſulit. — Diſcipulorum Ioannis inuidia. — cap. 19 — cap. 34 — opinio 5.]

niat filio Dei, vt guſtet mortem, & alium ad

Hier.

hæc ſacramenta miſſurus es? Et epiſtola ad Algaſiam qu. 1: Cur Ioannes diſcipulos ſuos

Ioannis quæſtio difficilis

mittit ad Dominum, vt interrogent eum: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? cum prius ipſe de eodem dixerit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi? de hac quæſtione in commentarijs Matthæi plenius diximus. Vnde apparet, quæ hæc interrogas, ipſa te volumina non habere. Tamen ſtringendum eſt breuiter, ne omnino tacuiſſe videamur. Ioannes mittebat diſcipulos ſuos in vinculis conſtitutus, vt ſibi quærens, illis diſceret: & capite truncandus, illum doceret eſſe ſectandum, quem interrogatione ſua magiſtrum omnium fatebatur. Neque enim poterat ignorare, quem ignorantibus ante monſtrauerat, & de quo dixerat: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Et: Cuius non ſum dignus calceamenta portare. Et: Illum oportet creſcere, me autem minui. Denique Patrem intonantem audierat: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quod autem dicit: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Hunc quoque ſenſum habere poteſt: ſcio quod ipſe ſis, qui tollere veniſti peccata mundi: ſed quia ad inferos deſcenſurus ſum, etiam hoc interrogo, vtrum & illuc ipſe deſcendas: an impium ſit hoc de Dei filio credere, aliumq́; miſſurus ſis. Hoc autem ſcire deſidero: vt qui te in terris hominibus nunciaui, etiam inferis nunciem; ſi fortè venturus es. Tu enim es, qui veniſti dimittere captiuitatem, & ſoluere eos, qui in vinculis tenebantur.

Cur Ioannes per diſcipulos interrogat: Ioannes alios curat

Ioannes nō ignorat.

cap. 24.

cap. 15.

3 opinio.

Ruf.

Rufinus expoſ. in ſymb. cap. 16: Sed & quod in infernum deſcendit, euidenter pronuntiatur in Pſalmis, vbi dicit: Et in puluerem mortis deduxiſti me. Et iterum: Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem? Et iterum: Deſcendiſti in limum profundi, & non eſt ſubſtantia, ſed & Ioannes dicit: Tu es, qui venturus, an alium expectamus?

Pſalm. 21

Pſal. 30 & 68

4 opinio

Eut.

Duo Euāgeliſtæ hoc tractant.

Euthym. Matth. 11: Lucas dicit, quod ipſi renunciauerunt ſigna Ioanni; & tunc duos ex illis miſit quod æmulationem, ſiue inuidiam manifeſtat, quam habebant iſti aduerſus Chriſtum. Miſit autem illos Ioannes interrogans, an ipſe eſſet, quem venturum eſſe dicebant libri Prophetarum, non tanquam ignorans; quo enim pacto dubitaret, qui antea eum prædicauerat, & proprijs manibus baptizauerat, & deſuper teſtimonium de eo audiuerat, diuinumq́ue Spiritum ſuper eum deſcendentem, quaſi columbam, conſpexerat? Sed ſciens diſcipulos ſuos inuidia moueri, aduerſus Chriſtum. Siquidem prius quoque acceſſerant, dicentes: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce is baptizat, & omnes veniunt ad eum. Vehementer enim ſuum præceptorem amantes, & pariter gloria illius frui cupientes, indignabantur, videntes Chriſtum celebrem fieri. Verum quia ſæpius eos admonendo, perſuadere nequiuerat, nunc autem breui moriturus erat: delectis duobus, qui prudentiores eſſent, hos mittit ad Chri-

Diſcipulorum Ioannis liuor

Ioānes nō ignorabat.

Cauſa huius legationis.

Qui ſint a Ioanne mittantur

ſtum, prætextu quidem interrogandi, an ipſe eſſet ille, qui venturus erat: vera tamen cauſa erat, vt conſpectis miraculis, quæ faciebat, crederent: ſciebat namque teſtimonium ab operibus credibilius eſſe, magiſq́ue ſuſpicione carere. Ideo etiam Chriſtus, cognito quod ob id potius Ioannes eos miſiſſet, ſtatim in illa hora multa operatus eſt miracula, ſicut dicit Lucas. Nam ſi Ioannes manifeſtè miſiſſet eos, quo ſpectatores fierent, nequaquam perſuaderi potuiſſent, vt illuc abirent. Ob hanc ergo cauſam prætextum finxit interrogationis.

Prætextus miſſionis à cauſa differt.

Cur Ioannes prætextu ſit vſus

Theophylact. Matt. 11: Non interrogat Ioannes, quaſi ignorans Chriſtum. Nam quo pacto ignoraret, cum teſtatus ſit: Ecce agnus Dei? verum quia diſcipuli eius inuidebant Chriſto, vt pluribus argumentis certiores eos redderet; propter hoc mittit eos, vt vel viſis miraculis credant Chriſtum Ioanne maiorem eſſe, & idcirco fingit ſe rogare: Tu es, qui venturus es? hoc eſt, qui expectatur in ſcripturis in carne venturus. Nonnulli autem dicunt, quod cum dixerit venturum, interrogauit de deſcenſu ad inferos, quaſi ignoret Ioannes, & dicat: Es tu ille qui ad infernum venturus eſt; an alium expectamus? hoc autem friuolum fuerit dicere. Cum enim Prophetis alijs excellentior fuerit Ioannes, quomodo crucifixionem Chriſti, & eius ad inferos deſcenſum ignoraſſet; præſertim cum Chriſtum agnum nominarit; eo quod pro nobis immolandus erat? ſciebat ergo Ioannes quod ad infernum venturus eſſet Dominus cum anima, vt & illic ſaluaret (ſicut dicit Gregorius Theologus) omnes qui credituri erant, quòd pro nobis incarnatus eſſet. Et non ſicut ignorans rogat, ſed ſicut volens copioſis teſtimonijs diſcipulos ſuos docere de Chriſto, ob miraculorum operationem. Vide enim & Chriſtum, quid dicat ad hanc interrogationem. Et Lucæ 7: Increbuit per totam Iudæam, & finitimam regionem miraculum, quod in Naïm factum; auditum etiam eſt à diſcipulis Ioannis, quos grauabant laudes Chriſti, vtpote imperfectos. Itaque Ioannes volens eis demonſtrare magnitudinem Chriſti, & quantum ſe præcelleret, rem hanc comminiſcitur; & nihil quidem dicit diſcipulis de Chriſto definiens, ſed ſimulans ſeſe ignorantem mittit illos, vt viſis miraculis confirmentur in fide ex operibus ipſis, Dominum eſſe Chriſtum, & ſeruum Ioannem. Ne igitur credas quod Ioannes verè ignorans miſerit ad Chriſtum diſcipulos interrogantes. Quomodo enim, cum & ante natiuitatem, in vterò Matris exultarit agnoſcens illum, & in Iordane teſtificatus ſit eum eſſe filium Dei? mittit igitur diſcipulos, dicens eis, vt interrogent Ieſum: Tu es ille venturus? vides quomodo diſcipulos inducat, vt credant quod Deus ſit Ieſus? Prophetæ enim miſſi dicuntur, & ipſe Ioannes, ſicut teſtatur Euangeliſta: Fuit homo miſſus à Deo: Dominus verò venturus. In poteſtate enim venit, non inuitus. Tu, igitur, dicit, es, qui expectabatur vt veniret in mundum?

Theoph. Ioannes non interrogat ex ignorātia.

Diſcipulorum Ioannis liuor.

4. opinio.

Sciebat Ioannes Chriſtum moriturū, & ad inferos deſcenſurum.

Theoph.

Cur hoc Ioannes à Chriſto per diſcipulos interroget.

An Ioānes ignorantiā in fide ſimulauerit.

Ioānes nō petit, an ex ignorantia.

Venturus, diſtinguit Chriſtum à Prophetis.

4. opinio

 Quidam

Quidam autem venturum in infernum intelligunt, vt quod dicitur, hunc ſenſum habeat; tu es, qui venturus es ad infernum? Hæc & plura Chryſoſt. Chryſoſt. homil. 37. in Matth. & 27. oper. imperf.

Tho. Thomas in cate. Luc. 7. ex Cyrillo: Omnino 4 opinio reijcitur. reprobanda eſt talis opinio: nuſquam enim repetimus ſacram ſcripturam differere, quod infernalibus prænunciauerit Ioannes Baptiſta Saluatoris aduentum. Ioannes non ignorat. Illud etiam verum eſt dicere, quod non ignorauit Baptiſta virtutem myſterij incarnationis vnigeniti. Vnde & hoc cum alijs nouerat, quod illuminaturus erat in inferno manẽtes, cum pro omnibus guſtauerit mortem, tam viuis, quam mortuis. Venturus, diſtinguit Chriſtum à Prophetis. Sed quoniam ſermo ſacræ ſcripturæ hunc quidem prædixit venturum tanquam Deum, & Dominum, alij verò miſſi ſunt, ſicut famuli ante Chriſtum, ideo omnium Saluator, & Dominus à Prophetis nominabatur, qui venit, vel, qui venturus eſt, ſecundum illud Pſalm: Benedictus qui venit in nomine Domini. Et in Abacuch: Poſt modicum, qui venturus eſt, veniet; & non tardabit. Igitur diuinus Baptiſta, quaſi nomen accipiens à ſacra ſcriptura, miſit quoſdam diſcipulorum ſuorum quæſituros: an ipſe ſit qui venit, vel qui venturus eſt, vel ex diſpenſatione interrogat: nouerat enim vt præcurſor paſſionis Chriſti myſterium, ſed vt diſcipulis ſuis conſtet, quanta ſit excellentia Saluatoris, ex proprijs diſcipulis Quales mittantur à Ioanne. prudentiores miſit, quos præcepit ſuſcitari, & viua Saluatoris voce conijcere, ſi ipſe eſt, qui expectabatur.

Orig. 7. opinio. Venturus, expectatus à Prophetis Meſſiã diſtinguit. Orig. præfat. tom. 1. in Ioan: Totius ferè populi ore loquens Baptiſta Ioannes in legatione ad Ieſum miſſa, ait: Num tu es ille venturus; an alium expectamus? expectatum enim à populo bonum, Ieſus erat: de quo Prophetis annunciantibus, etiam è vulgo quilibet homines, qui ſub lege, & Prophetis erant, in eo ſpem habebant.

Cyr. Ioannes mortẽ ſuã præcognouit. Cyrill. lib. 2. theſauri cap. 4: Ioannes quando prophetico ſpiritu (quo repletus ex vtero matris erat) nudum iam imminere ſibi gladium vidit, voluit diſcipulos ſuos in Chriſti fide confirmare, aperteque docere, vt ſcirent ipſum eſſe, qui ad ſalutem omnium expectabatur. Ignorare ſe Ioannes diſpenſatione ſimulat. Diſpenſatione igitur ignorare ſimulat, vt à ſeipſis inducti diſcipuli firmius crederent. Multum enim vt homines, ſibiipſis attribuebant, nec magiſtro magis, quam excogitationibus ſuis credebant. Diſpenſationis igitur modo ignorare ſe oſtendit, quis venturus eſſet.

Not 3. ver. 1. 2.

TRES hic oriuntur quæſtiones; nimirum quis ſit iſtius quæſtionis ſenſus, quam Domino Ioannes propoſuit: quæ Ioanni cauſa iſtud petendi fuerit: & an Ioannes ex aliqua ignorantia, vel dubitatione hoc interrogauerit. Cur Doctores in hac quæſtione multum ſudarint. Quarum vna cognita, reliquæ duæ facili negocio intelliguntur. Porro circa hunc locum SS. Patres, & Doctores non parum laborauerunt. Ea enim quæſtio, quam Ioannes Chriſto propoſuit, ſemper fuit explicatu, & intellectu difficilis. Deum qui conſiderant, quid antea Ioannes de Saluatore noſtro teſtatus ſit; valde mirantur quomodo idem Ioannes morti iam vicinus Chriſtum hoc interroget. Itaque pro maiori eius explicatione dicemus, quæ circa præſentem quæſtionem apud omnes certa eſſe debeant: deinde aliquas referemus opiniones; & quæ magis, quæ minus probabiles ſint, oſtendemus. Miſit ergo Ioannes duos ex ſuis diſcipulis ad Ieſum; vt interrogarent: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? ſed cuius rei gratia petitum hoc miſit? Cur hanc quæſtionẽ Ioannes Chriſto propoſuit. Imprimis omnes ferè Patres in eo conſpirant, quod Ioannes cognouerit Chriſtum eſſe verum Meſſiam, promiſſum in lege, & Prophetis, tantopere ab omnibus deſideratum, & expectatum; Saluatorem, & Redemptorem mundi; verum Deum, & hominem. Ioannes an Chriſtus eſſet Meſſias nõ dubitauit. Hocque eſt adeo certum, vt de illo nefas ſit dubitare. Fidei namque eſt Ioannem certo Ieſum eſſe Meſſiam cognouiſſe. Siquidem id apertè ex diuina ſcriptura demonſtratur. Primo, quia fuit à Deo ſpecialiter ad hoc ordinatus, vt de Meſſia teſtimonium daret; & omnes per eum in Meſſiam crederent; vt capite ſecundo huius Euangelicæ diſpoſitionis clarè dicitur. 1 Ratio. Cum ergo proprium eius officium eſſet, de mundi Redemptore teſtimonium perhibere, & omnes ad eum adducere, profecto ignorare non poterat, ne dubitare quidem, quis ille eſſet. 2. Probatur idem teſtimonio, quod de Chriſto dedit cap. 15. ver. 26. & ſequentibus. Ac etiam cap. 16. ver. 16. & ſequentibus. 2. Ratio. 3. Confirmatur idem ex eo quod cum Ioannes Chriſtum videret, digitoque monſtraret, dixerit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, vt habetur cap. 17. 3 Ratio. 4. Idem probatur ex eo, quod Ioannes Chriſtum venientem ad baptiſmum prohiberet, dicens, cap. 17: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? 4 Ratio. Quippe ſanctum Chriſti verticem attingere vir ſanctus non audebat. 5. Cum Chriſto baptizato, & orante, Ioannes videret cœlos aperiri, Spiritum in columbæ ſpecie deſcendentem ſuper eum, & vocem de cœlo dicentem audierit: eodem cap. 17: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui; quomodo potuit ignorare, vel dubitare num Chriſtus eſſet Meſſias? 5 Ratio. id enim non potuiſſe fieri docetur, eodem cap. 17. his verbis: Teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem, quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum; ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum; hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei, q. d. quia iſtud vidi, ſicut eram à Deo præmonitus, non poſſum dubitare. 6. Ex ijs, quæ Ioannes diſcipulis ſuis dixit, cap. 20. & 24. euidẽter colligitur illi Chriſtum eſſe Meſſiam probè cognitum fuiſſe. 6 Ratio. 7. Si Ioannes adhuc in vtero matris clauſus Chriſtum in vtero virginis 7 Ratio. exiſten-

exiſtentem cognouit; & ad eius præſentiam exultauit; cap.6. quis exiſtimabit Ioannem poſtea de Chriſto, num eſſet Meſſias, dubitaſſe? Nihil itaque Ioannes in hac legatione per errorem, ignorantiam, aut dubitationem fecit: quia plenus erat Spiritu ſancto; nec ea, quæ ſui muneris erant, ignorabat. Deinde & hoc exploratum eſt, Ioannem iſtum proprio, & ſuo nomine petitum miſiſſe: non ſolum quia diſcipuli eius di-

Ioannis nomine quæſtio ponitur.

cunt apud Lucam: Ioannes Baptiſta miſit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? formam ſibi à Magiſtro præſcriptam, fideliter ſeruantes: verùmetiam quia Dominus reſpondit: Euntes, renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Ergo ex perſona Ioannis iſta quæſtio proponitur: rectè tamen ab eius diſcipulis: vtpote qui dubium intra ſe ferebant animum. Eſt & hoc certum hæc verba eſſe le-

Ioannes hoc loco proponit quæſtionẽ non fidem profitetur.

genda interrogatiuè, vt aliquid per ea quæratur; non affirmatiuè, quaſi hic eſſet fidei Ioannis morituri propalam facta confeſſio. Primo, quia fruſtra, & malè adderetur, an alium expectamus? Secundo, quoniam ipſius Chriſti reſponſio docet Ioannem miſiſſe ad ſciſcitandum quippiam, non ad fidem profitendum: Euntes, inquit, renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Tertio, quia omnes antiqui Patres hoc ſub interrogatione legunt. Hic itaque ſenſus præſenti loco minimè conuenit: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? id eſt, ego iam moriturus profiteor te verum eſſe Deum, Meſſiam & mundi Redemptorem; nec alium eſſe expectandum. Quis enim adeo eſſet ſtolidus, qui viſis tot ſignis, alium credat eſſe Meſſiam? Hæc tamen explanatio nonnullis ex recentioribus arridet: ex qua hoc ſaltem ſalutare documentum fas eſt dicere, vtile nimirum eſſe mo-

Fidem profiteri morituris bonum eſt.

rituris fidem profiteri. Eo ſiquidem temporis articulo, maligni ſpiritus tentationes in fidem potiſſimum immittuntur, ad deſperationem euincendam, vel præſumptionem. Atqui non eius rei gratia ſuos diſcipulos Ioannes ad Chriſtum mittit, vt fidem inſtante morte profiteretur. Aliqua tamen ſunt, in quibus etiam veteres, quoad loci huius explanationem, nonnihil diſſentiant, ac varient.

1. opinio

Siquidem Tertullianus putat Ioannem in Chriſto fuiſſe ſcãdalizatum, & num foret Meſſias, dubitaſſe, illamque ſciſcitationem eius ſic interpretatur, ac ſi reuera Ioãnes ignoraſſet. Habuiſſe quidem illum prophetiæ ſpiritum antequam Dominus patraret miracula, poſtea verò caruiſſe, aliſque ſimilem effectum: atque ea, quæ prius nouerat, ſcire deſiſſe, vt in not. 1. videre licet.

Ioannes Chriſtum cognoſcere, ac eſſe Prophetam, non deſijt.

Verum hæc opinio, vt falſa, confutatur; primo quia Ioannes de Chriſto amplum teſtimonium dedit, etiã poſtquam docere, & miracula facere cœpiſſet, vt ex cap. 24. liquet. Secundo, quoniam Chriſtus Ioannem, poſt quæſtionem hanc propoſitam, dilaudat; dicens eſſe pluſquam Prophetam, & à conſtantia mirabili commendat. Spiritum ergo prophetiæ nequaquam perdidit. Itaque merito Patres, hoc à Ioanne non ex ignorantia, vel dubitatione petitum aſſerentes, eam opinionem

2. opinio.

reijciunt. Iuſtinus diuerſum opinatur. (Iuſtin.) Cum enim de Chriſto variæ eſſent opiniones, vt dicitur Matth. 16. audiens illa Ioannes, quo certior redderetur, miſit inquiſitum, non quidem, an Chriſtus, quem baptizauerat, eſſet Meſſias; ſed an is cuius opera clauſus carcere audiuerat, is eſſet, quem baptizauerat: verum id omnino videtur alienum à vero:

Ioãnes nõ ignorabit Ieſum eſſe quem baptizauerat.

Ratio 1.

primo, quia tunc non rectè peteret; an alium expectamus? non enim expectabat: vtpote qui iam cum baptizauerat: ſed dixiſſet; an eſt alius?

Ratio 2.

Secundo, quia ex nullo poteſt deprehendi id ignoraſſe Ioannem, eum de quo talia dicebantur, eſſe quem ipſe baptizauerat. Hoc ſiquidem ex ſuis diſcipulis cognoſcere poterat. Et vero ſimile eſt diſcipulos id etiam hic dixiſſe, ſicut 24. cap. fecerant.

3

Tertio, Lucas dicit hoc loco duos ad Ieſum à Ioanne miſſos; Matthæus verò habet ad Chriſtum: ergo ſciebat ſe quæſtionem ei proponere, quem antea baptizauerat.

4

Quarto, non poterat Ioannes ignorare, Meſſiam eſſe illum, qui talia miracula faciebat: quia prophetias de Chriſto ignoraſſet. Itaque non dubitat; quin is, de quo talia audiebat, eſſet ille, quem baptizauerat.

5

Poſtremo, ſi Ioannes hoc petiuiſſet, quod ait Iuſtinus, Chriſti reſponſio non conueniret.

3 opinio.

Deinde quidam opinantur Ioannem ſciuiſſe quidem Ieſum eſſe mundi Redemptorem; dubitaſſe tamen de modo, quo mundum ſaluaret; an videlicet ſua morte, an alia via. Ideoque; iſta quæſtione hoc eum petere; quaſi animo ancipiti miretur, an Dei filius foret mortem paſſurus; ſicut Petrus Matt. 16. referũt hanc opinionem Patres: ſed merito eam reijciunt.

Ioannes Chriſtum moriturũ non dubitat.

Certiſſimum eſt enim Ioannem non ignoraſſe modum; quo nos à Chriſto redimeremur, ſcilicet per paſſionem, & mortem propriam.

1 Ratio

Primo quia Domini Præcurſor ex matris vtero Spiritu ſancto repletus, de Chriſti myſterijs plus à Deo fuit illuſtratus, quam alij Prophetæ: ſed alij Chriſtum pro nobis paſſurum cognouerunt: non ergo Ioannes id ignorauit.

2 Ratio

Secundo Ioannes dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, denotat Chriſti oblationem, quam facturus erat in ſeipſo, pro totius mundi peccatis, ritu agni Paſchalis immolati, ergo non ignorauit Chriſtum fuiſſe paſſurum.

3 Ratio

Tertio certum eſt Ioãnem non ignoraſſe prophetias, quæ propriè ad officium eius pertinebant: Chriſtum autem paſſurum prænunciatum erat apertè. Iſa. 53. Dan. 9. Pſa. 21. & alibi ſæpe. Hinc autem Chriſtum pro noſtris peccatis moriturum cognoſcere poterat; ergo de illo non dubitabat.

4 Ratio

Poſtremo, nullus ſanctorum Doctorum Eccleſiæ, de hac re Ioannem cenſet dubitaſſe. Non eſt igitur ſenſus iſte; quaſi animi dubius quærat, num per ſeipſum ad Paſſionem veniret. Hanc opinionem refert etiam, ac reprobat Chryſoſt.

4. opinio. Greg.

Greg. Ioannem ait dubitaſſe, an Chriſtus in propria perſona deſceſurus eſſet ad infernum, & ſanctos è limbo liberaturus; addens Ioannem de Chriſto ſciuiſſe præſentia, ſed non futura.

Ioãnes nõ petit, an Chriſtus ſit deſcenſurus ad inferos.

Etſi vero magna ſit Gregorij authoritas, hæc tamen opinio non eſt vera. Primo quia verba reſponſionis Chriſti non

non conueniunt. 2. Ioannes cognoſcebat ex prophetis Chriſtum deſcenſurum ad inferos, id enim habetur Pſal. 67. Zach. 9. Oſeæ 13. quas ſane prophetias Ioannes non ignorauit, quia plenius fuit de Chriſti myſterijs inſtructus, quam alij Prophetæ. Nazianzenus poſt medium tragediæ, cui nomen eſt: Chriſtus patiens clarè habet Deiparam Virginem non dubitaſſe, quin Chriſtus ad inferos deſcenderet, & quam ob cauſam. Ergo nec Ioannes dubitauit. Hieron.

5 opinio

ait Ioannem ſibi voluiſſe indicari à Chriſto, vtrum inferis quoque Chriſtum annunciaret, ſicut fecerat ſuperis: an Chriſti eſſet præcurſor in inferno, ſicut fuerat in mundo. Bed. idem habet in Luc. & Matt. In hoc tamen à Greg. diſcrepant, quod aſſerant Ioannem nihil hic quærere ex ignorantia.

Ioãnes nõ petit, an in feris Chriſtum annunciabit.

6 opinio

Quidam exiſtimant Ioannem à Chriſto hic petere, num ipſe in ſua perſona eſſet ad mortem venturus, & ad inferos deſcenſurus; an verò per alium ad iſta myſteria venturus eſſet; quaſi filio Dei hæc ſubire non conueniret; non quod de iſtis dubitaret. Sed vt ſanctis in inferno conſtitutis dicere poſſet, ſibi mandatum & his nunciare Redemptorem non ſolum eſſe natum, ſed etiam breui moriturum, & eo deſcenſurum. Sic Ambro. Rufinus, & alibi. Verum & iſtud eſt planè incertum, nec eſt iſta mens Hier. & Bed. nec iſti opinioni videtur Chriſti reſponſio congruere. Sunt qui exiſtiment Ioannem iſtud in aliorum perſona quærere, non ſua: vt Orig. videtur indicare.

7. opinio.

At de hoc paulo ante ſatis diximus.

8 opinio

Clemens Alex. 6. lib. ſtromatum: dicit Chriſtum apud inferos Euangelium prædicaſſe, & poſt Chriſtum idem feciſſe Apoſtolos; vnde colligi poſſet, eum putaſſe, Ioannem ſic fuiſſe Chriſti præcurſorem, vt etiam apud inferos ante Chriſtum prædicaſſet. Verum Aug. epi. 99. hanc ſententiam reprobat, & Chryſoſt.

9 opinio.

Neoterici quidam ita hunc locum exponunt, vt putent Ioannem inſtante ſua morte fidem profiteri: verum id non probandum oſtendimus. Quid ergo in tanta ſententiarum varietate tenendum cenſemus.

Vera expoſitio.

Optima eſt ſententia Chryſoſt. Euth. Theophy. Cyril. Hila. Hiero. Aug. Bed. Thom. Ioannes iuſſit iſtud peti à Chriſto ſub ſuo quidem nomine, ſed pro aliorum vtilitate: propter aliquam dubitationem & ignorantiam: ſed quæ erat in ſuorum diſcipulorum mentibus, non in ipſo Ioanne. Miſit enim Ioannes diſcipulos ſuos, & per eos hanc quæſtionem proponit, vt ſic diſcipulorum ſuorum ignorantiæ, & dubitationi conſuleret: vt videntes Chriſti opera, & eius verba audientes, in fide confirmarentur, vim operum Chriſti, & verborum cognoſcerent; & per ea teſtimonio ipſius Ioannis adderetur authoritas; nec alium Meſſiam expectarent, quam eis Ioannes prædicauerat. Arbitrabatur Ioannes, & merito, Chriſtum apud hos id effecturum verbis, & operibus, quod ipſe longa prædicatione, & magno labore non potuit. Sicut præceptor videns ſuos diſcipulos, ſuæ doctrinæ non bene credere, eos mittit ad peritiorem; non quod ipſe magiſter de ſua doctrina dubitet; ſed vt diſcipuli in doctrina confirmentur. Sic fecit Ioannes, quomodo Saluator (ait Hieron.) interrogat vbi poſitus ſit Lazarus, vt qui locum ſepulchri indicabant, ſaltem ſic pararentur ad fidem, & viderent mortuum reſurgentem. Sic & Ioannes interficiendus ab Herode, diſcipulos ſuos mittit ad Chriſtum, vt per hanc occaſionem videntes ſigna, atque virtutes crederent in eum; & magiſtro interrogante ſibi diſcerent. Senſus ergo huius quæſtionis eſt: Tu es qui venturus es? id eſt, eſne tu inclytus ille Meſſias, Rex Iudæorum, quem nobis Prophetæ vaticinijs ſuis promiſerunt, & iuxta diuinas Iudæorum promiſſiones, ſub hoc tempus venire debebat. An alium expectamus? id eſt, an quempiam alium Prophetam; qui verus ille ſit toties promiſſus in lege, & Prophetis, expectare debemus?

Not 4. ver. 3. 4.

Hier.

HIERON. Matth. 11: Chriſtus ſigna demonſtrat, non ad ea reſpondens, quæ interrogatus fuerat; ſed ad ſcandalum nunciorum: Ite, inquit, & dicite Ioanni ſigna, quæ cernitis, cæcos videntes, & claudos ambulantes, & reliqua.

Vt Chriſtus reſpõdeat.

Et quod his non minus eſt: Pauperes euangelizantur; vel pauperes ſpiritu, vel certè operibus pauperes; vt nulla inter nobiles, & ignobiles; inter diuites, & egenos, in prædicatione diſtantia ſit. Hæc magiſtri rigorem, hæc præceptoris comprobant veritatem, quando omnis apud eum, qui ſaluari poteſt, æqualis eſt: Quando autem ait: Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me; Internuncios percutit, ſicut in ſequentibus demonſtrabitur.

Pauperes duplices. Rigor, & veritas magiſtri.

Nuncios mordet.

Hier.

Et epiſt. ad Algaſ. qu. 1: Ioannis ſciſcitationem Dominus intelligens, operibus magis, quam ſermone reſpondit: & Ioanni præcipit nunciari, videre cæcos, ambulare claudos, leproſos mundari, ſurdos audire, mortuos ſurgere, & (quod his maius eſt) pauperes euangelizari. Pauperes autem vel humilitate, vel diuitijs; vt nulla inter pauperem, diuitemque diſtantia ſit ſalutis, ſed omnes vocentur æqualiter. Quodque infert; Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me: non Ioannem, ſed diſcipulos eius percutit, qui prius acceſſerant ad eum dicentes: Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant? & ad Ioannem: Magiſter, cui tu præbuiſti teſtimonium iuxta Iordanem, ecce diſcipuli eius baptizant, & plures veniunt ad eum; Quo dicto liuorem ſignificant, de ſignorum magnitudine ex inuidiæ mordacitate venientem: cur baptizatus à Ioanne, ipſe audeat baptizare: & multo amplior ad eum turba concurrat, quam prius venerat ad Ioannem.

Quomodo Chriſtus reſpondeat

Pauperes duplices.

Nuncios mordet.

Diſcipulorum Ioannis liuor.

Tho. Ioannis intentionem Chriſtus nouerat.

Thomas in Cate. Lucæ 7. ex Cyrill: Sciens autem Chriſtus vt Deus, quo animo miſiſſet eos Ioannes, & cauſam aduentus eorum; tunc temporis egit vberiora miracula. Non dicit eis expreſſè: Ego ſum, ſed ducit eos magis ad rei certitudinem, vt congrua ratione ſumentes fidem ipſius, reuertantur ad eum, qui miſit eos. Vnde

Quomodo Chriſtus reſpodeat.

non

non ad verba, ſed ad propoſitum mittentis reſponſum exhibuit. Euntes renun. Ioanni. q. d. narrate Ioanni, quæ audiſtis per Prophetas; conſummari autem vidiſtis à me. Ea enim tunc agebar, quæ prædixerant Prophetæ cum facturum; de quibus ſubditur: Quia cæci vident, claudi, &c. qui non fuerit, &c. per hoc volebat oſtendere, quod quæcunque verſabantur in cordibus eorum, ab oculis ipſius effugere nequiuerunt: ipſi enim erant qui ſcandalizabantur de ipſo.

Chriſtus occulta cordium nouerit.

Cyr.

Cyrill. lib. de recta fide ad Reginas: In illo die curabat multos à morbis, &c. Operibus ipſis demonſtrans ſe Chriſtus perfectorem diuinarum operationum maximarum, in memoriam reducit ea, quæ per Prophetarum vocem de ſe dicta erant. Dicit igitur beatus Eſaias: Confortamini manus remiſſæ, & genua ſoluta. Deinde quaſi protenſa manu oſtendit Emmanuelem, ſic dicens: Ecce Deus noſter, ecce Dominus cum fortitudine veniet, & brachium cum authoritate. Dixit autem & alio loco: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum audient, tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & expedita erit lingua ægrè loquentium. Et præterea etiam hæc ſcribit: Reſurgent mortui, & excitabuntur, qui in ſepulchris: res enim à te ſanatis eis eſt; dixit quoque iterum ex perſona Chriſti: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, &c. Et lib. 2. theſauri. cap. 4: Ieſus autem cum ipſi veniſſent; quoniam rem totam vt verus Deus ſciebat, multo magis tunc, quam antea miraculis affulſit, illaque diſpenſando faciebat, quæ Prophetę ſcribunt tunc futura, quando Chriſtus veniet. Ideo interrogatus an ipſe eſſet venturus, non ſtatim reſpondet, neque dicit, ego venturus ſum: ſed miraculorum magnitudine ſimul, & multitudine oſtendit ſeipſum eſſe. Ite igitur, inquit, & renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Audiſtis à Prohetis hæc, & hæc, & conſummata modo vidiſtis per me.

Quomodo Chriſtus reſpondeat

Cyr.

Chriſtus vt Deus totum ſciebat. Quomodo Chriſtus reſpōdeat.

Hilar.

Hilar. can. 11. in Matth: Et cum totum ſe Dominus rerum miraculis prodidiſſet, cæcorum ſcilicet viſu, claudorum curſu, leproſorum curatione, ſurdorum auditu, voce mutorum, vita mortuorum, pauperum prædicatione, ait: Beatus qui in me non fuerit ſcandalizatus.) Numquid aliquid iam in Chriſto erat geſtum, quod Ioannem ſcandalizaret? non vtique. Nam in ipſo doctrinæ ſuæ curſu, & operis morabatur; ſed ſuperioris ſententiæ vis, & proprietas contuenda eſt, quid illud ſit quod pauperes bene nunciantur, id eſt, qui perdiderint animam; qui crucem ſuam acceperint, & ſequentur; qui humiles ſpiritu fient; quorum regnum præparatur in cœlo. Ergo quia in Domino hæc paſſionum vniuerſitas conueniret, futuraque eſſet crux ſua plurimis ſcandalum, beatos eos profeſſus eſt, quorum fidei nihil tentamenti deferret crux, mors, ſepultura. Itaque cui rei Ioannes cauiſſet oſtendit, dicens: Beatos eos, quibus aliquid in ſe ſcandali non fuiſſet. Quia metu eius, diſcipulos ſuos Ioannes, vt Chriſtum audirent, viderentque miſiſſet.

Ioānes nō eſt ſcandalizatus in Chriſto.

Pauperes

Quid in Chriſto ſit quod poſſit ſcandalizare.

Ambroſ. lib. 5. in Lucam: Denique Dominus ſciens neminem ſine Euangelio plene poſſe credere; quia ſicut fides à veteri incipit teſtamento, ita impletur in nouo; interrogatus de ſe, non verbo aliquo, ſed factis ſe eſſe ſignauit. Ite, inquit, renunciate, &c. Plenum ſanè teſtimonium, quo Dominum Propheta cognoſceret. De ipſo enim, non de alio fuerat Prophetatum; quia Dominus dat eſcam eſurientibus, Dominus erigit eliſos, Dominus ſoluit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus diligit iuſtos, Dominus cuſtodiet aduenas, orphanum, & viduam ſuſcipiet, & viam peccatorum exterminabit. Quis iſta, inquit, faciet, regnabit Dominus in æternum. Ergo non humanæ iſta, ſed diuinæ virtutis inſignia ſunt, cæcis perpetuæ tenebras noctis aperire, defoſſorumque oculorum vulnera infuſa luce ſanare; auditum inſinuare, auribus ſurdorum; laxatis ſoluta membra reformare compagibus; in lucem quoque refuſo vigore viuendi reuocare defunctos. Hæc ante Euangelium vel rara, vel nulla. Receperit licet Tobias oculos; vnus eſt in exemplo; & tamen Angeli fuit illa medicina, non hominis. Helias mortuum ſuſcitauerit, ille tamen rogauit, & fleuit; hic iuſſit. Heliſæus leproſum mundari fecerit; non tamen illic valuit præcepti authoritas; ſed figura myſterij. Non defecerit ad eſcam viduæ eſurientis, propheticis ſe multiplicans farina præceptis; vnam tamen viduam farina illa, vel potius eadem quoque ſacramenti ſpecies præfigurata ſeruauit. Sed tamen parua adhuc iſta Dominicæ teſtificationis exempla ſunt: plenitudo fidei, crux Domini, obitus, ſepultura eſt. Et ideo cum illa ſuperiora dixiſſet, addidit: Beatus, inquit, qui in me non fuerit ſcandalizatus.) Crux enim etiam electis ſcandalum poteſt afferre. Sed nullum hoc maius diuinę perſonę eſt teſtimonium, nihil eſt quod magis eſſe vltra humana videatur, quam toto vnum ſe obtuliſſe pro mundo, hoc vel ſolo plenè Domino declaratur. Denique ſic deſignatus eſt à Ioanne: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Verum hoc non duobus illis viris Ioannis diſcipulis, ſed nobis reſpondetur omnibus, vt ita credamus in Chriſtum, ſi facta conueniunt. Veniet enim qui hoc ſibi nomen vſurpet, quem licet nominis non queas appellatione ſecernere, factorum tamen conſideratione diſcernas. Et ſer. 17. in Pſal. 118: in Euangelio, cum mitteret diſcipulos ſuos Ioannes ad Dominum Ieſum, dicebat: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Reſpondit Ieſus, cæcos videre, claudos ambulare, audire ſurdos. Hoc enim aduentus ſui teſtimonium fore, per Eſaiam Prophetam ſignificauerat. Hæc ergo quæ annunciauit per Prophetas, in Euangelio manifeſtauit: & quod ipſe locutus eſt per Prophetas, in Euangelio ipſe compleuit. Ipſius ergo ſermo, erat propheticus ſermo, ſicut habet ſcriptum: Audi cælum, & percipe auribus terra, quoniam Dominus locutus eſt. Intellectus ergo datus eſt etiam his, qui

Amb. Quomodo Chriſtus reſpondeterit.

Quod in Chriſto ſcandalizare poteſt maximum eſt Meſſiæ ſignum.

Vt reſpōſio Chriſti nobis conueniat.

qui perfectam ſapientiam non habent, dum muti loquuntur, mortui reſuſcitantur. His enim ſignis intellectum eſt ab ijs, qui rudes erant, & adhuc quaſi in cunabulis fidei conſtituti, vt erat populus nationum, ipſum veniſſe, qui expectabatur. Lucas ſolus hoc dicit, vt rectè poſt Chryſoſt. notauit Euth. Matth. 11. plagas autem ſiue flagella, intellige dolores. Sunt enim morbi quidam dolore carentes, veluti ſunt cæcitas, ſurditas, mutum eſſe, ac multi huiuſmodi. Sic Euth. Lucæ 7. Hoc præſertim propter ipſos dixit Ioannis diſcipulos, detegens illis cordis eorum arcanum: oſtenditque quod ſe non lateret ipſos quoque offendi, quia cum publicanis, & peccatoribus manducabat: & manifeſtè prius gaſtrimargiam ipſi obiecerant aduerſus diſcipulos eius. Oſtendens ergo diſcipulis Ioannis, quod non lateret eum, quæ cogitabant, dicit: Beatus qui, &c. quaſi dicat, & vos beati, ſi non fueritis offenſi in me. Sic Euth. & Theophylact. Matt. 11. & Lucæ 7.

Euth. Plagæ quid ſint. Morborū aliqui ſine dolore ſunt. Scandalū ad quos referatur. Cordis noui Chriſtus. Euth. Theop.

Greg. Gregor. hom. 6. in Euangelium: Viſis tot ſignis, tantiſque virtutibus, &c. vt lect. 7. & 8. Dom. 2. Aduen.

Tert. Scandalū q'ò refeſatur. Epiph. Tertull. not. 1. citatus. Hæc Domini verba interpretatur, item ex ſententia Marcionis, tanquam ea de Ioanne dicta eſſent. Sic enim ſenſit Marcion, vt conſtat ex Epiphanio aduerſus eundem hæreſi 42. confutat. 8. vbi hoc alio ſenſu probatum à Chriſto probat, his verbis: Siue ad Ioannem habuerit, ſiue ad ipſum Saluatorem, beatos prędicat eos, qui non offendiculum patiuntur, ſiue in ipſo, ſiue in Ioanne, vt ne quæ non audiant ab ipſo, ſibiipſis fingant.

Bern. Bern. ſerm. 59. in Cantica: Teſtimonia illa credibilia facta ſunt nimis, dum flos voci, auri oculus atteſtatur. Audita viſa confirmant; vbi duorum teſtimonium, (auris loquor, & oculi) ratum ſit. Propterea Dominus aiebat: Ite, renunciate Ioanni (eius nempe diſcipulis loquebatur) quæ audiſtis, & vidiſtis. Nec breuius illis, nec planius intimari fidei valuit certitudo. Eadem ſanè in breui etiam vniuerſæ terræ perſuaſio facta eſt, & eodem argumenti compendio. Quæ audiſtis, (inquit) & vidiſtis. O verbum abbreuiatum, attamen viuum, & efficax. Haud dubius profecto aſſero, quod auribus, oculiſque percepi.

Not. 5. verſ. 5. 6.

Hier. Scādalum ad Ioannē Chriſtus nō retulit. Cur Ioānē Chriſtus laudat. Ioannes alijs interrogauerat, non ſibi. Arundinis conditio-nes. HIER. Matt. 11: Si ſuperior ſententia contra Ioannem prolata fuerat, vt plerique arbitrantur, in eo quod ait: Beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me: quomodo nunc Ioannes tantis laudibus prædicatur. Sed quia turba circumſtans interrogationis myſterium neſciebat, & putat Ioannem dubitare de Chriſto, quem ipſe monſtrauerat digito, vt intelligerent Ioannem non ſibi interrogaſſe, ſed diſcipulis ſuis. Quid, inquit, exiſtis in deſertum videre? numquid ob hoc, vt hominem videretis calamo ſimilem? qui omni vento circumfertur, vt leuitate mentis de eo ambigeret, quem antea prædicarat? An forſitan ſtimulis contra me inuidiæ cogitur, & prædicatio eius vanam ſectatur gloriam, vt ex ea quærat lucrum. Cur diuitias cupiat? vt affluat dapibus? locuſtis veſcitur, & melle ſylueſtri. An vt mollibus veſtiatur? Pili camelorum tegmen eius ſunt. Iſtiuſmodi cibus, & veſtis, carceris hoſpitio recipiuntur: & prædicatio veritatis tale habet habitaculum. Qui autem adulatores ſunt, & ſectantur lucra, & quærunt diuitias, & delicijs affluunt, & mollibus veſtiuntur: iſti in domibus regum ſunt. Ex quo oſtenditur rigidam vitam, & auſteram prædicationem vitare debere aulas regum, & mollium hominum palatia declinare. Et epiſt. ad Algaſiam q. 6. Ne forſitan plebs neſciens, hoc dicto Ioannem ſugillari arbitraretur, in illius laudes perorat: & cępit de Ioanne ad turbas dicere circumſtantes: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? ſed quid exiſtis in ſolitudinem videre? hominem mollibus veſtitum? & reliqua. Cuius dicti hic ſenſus eſt: Numquid ad hoc exiſtis in eremum, vt videretis hominem inſtar arundinis ventorum flatu in partes varias inclinari: vt quem ante laudauerat, de eo nunc dubitet: Et de quo prius dixerat, Ecce agnus Dei, nunc interrogat, vtrum ipſe, an alius ſit, qui vel venerit, vel venturus ſit? Et quia omnis prædicatio falſa, ſectatur lucra, & gloriam quærit humanam: vt per gloriam naſcantur compendia, aſſerit eum Camelorum veſtitum pilis, nulli poſſe adulationi ſuccumbere: & qui locuſtis veſcitur, ac melle ſylueſtri, nec opes, neque alias terrenas delicias quærere; rigidaque, & auſtera vita, auras vitare palatij; quas quærunt; qui purpura, & byſſo, & ſerico, & mollibus veſtiuntur. Similia habet Hilar. can. 11. in Matth.

Principum aulas ... Hier. Cur Ioannem ... Ratio ... Veſtiti mollibus. Hilar.

Ver. 5.

Cyr. Cur Ioannem Chriſtus laudet. Cyrill. l. 2. theſaur. cap. 4. Neceſſariò poſtea de Ioanne locutus eſt Chriſtus. Nam quoniam diſcipulos Ioannis turba vidit, interrogantesque audiuit: non quod illi, ſed quod Ioannes diſcere velle videretur, ne de Ioanne turbarentur, putarentque leuiorem hominem, quod primo. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi; de Chriſto dixiſſet: deinde an ipſe venturus eſſet, dubitaret. Ne igitur vel hæc, vel alioqui leuiorem hominem arbitrarentur; & propter hanc turbationem minus proficerent, dixit ad eos: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem à vento agitatam? mirati fuiſtis Baptiſtam, ait, ac ideo longa itinera in deſertum ad ipſum feciſtis: cur ergo modo leuioris mentis hominem, & quaſi arundinem putatis, & ex inconſtantia huc, & illuc leui de cauſa impelli.

Arundo ...

Tho. Cur Ioannem Chriſtus laudet. Ratio 1. Chriſtus hominum ſecreta nouit. Thomas in cate. Lucæ 7. ex Cyrillo: Conijcit Dominus, tanquam hominum ſecreta cognoſcens, aliquos dicturos: ſi vſque hodie ignorat Ioannes Ieſum, qualiter cum oſtendebat nobis dicens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi? vt igitur ſanaret hanc paſſionem, quæ eis acciderat, damnum quod ex ſcandalo proce-

Cur à diſcipulorum receſſu.

procedebat, excluſit. Hæc poſt receſſum diſcipulorum Ioannis dixit Dominus. Non enim præſentibus eis proferre volebat Baptiſtæ præconia, ne blandientis verba eſſe putarentur. Hoc Thomas in cate. Luc. 7. ex quodam Doctore Græco. Et Chryſoſt. hom. 27. oper. imperf. & hom. 38. in Matt. & Euth. & Theophylact. Matth. 11. & Luc. 7. Arundinem vento agitatam?) hoc non aſſerendo, ſed negando intulit; vt notauit Beda Lucæ 7. Aquinas in cate. Matt. 11. Hila. can. 11. in Matt. Aug. Greg. & alij plures.

Tho. Chryſoſt. — Negando, non affirmando hoc dicitur. — Bed. Hilar. Aug. Greg.

Aug. tract. 4. in Ioan: Dominus de illo tale teſtimonium dedit. Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitari? vtique non vento agitari, ſubaudi: quia non hoc erat Ioannes, qui quaſi à vento moueretur. Qui enim à vento mouetur, circumflatur omni ſpiritu ſeductorio.

Aug.

Greg. lib. 33. Moral. cap. 4: In ſacro eloquio calami, vel arundinis appellatione, aliquando verbum manens; aliquando Doctorum peritia; aliquando mobilitas mentis; aliquando nitor

Greg. Arundinis 4 ſignificata

1 gloriæ temporalis accipitur. Per calamum quippe verbi æternitas deſignatur, cùm voce patris per Pſalmiſtam dicitur: Lingua mea calamus

Pſalm. 44

ſcribæ, velociter ſcribentis. Quia enim quod loquimur tranſit, quod ſcribimus permanet, lingua Patris ſcribæ calamus dicitur: quia ab eo eſt verbum illi coæternum, ac ſine tranſitu

2 generatum. Rurſum per calamum ſcriptorum doctrina exprimitur: ſicut de ſancta Eccleſia Propheta pollicetur, dicens: In cubilibus, in quibus dracones prius habitabant, orietur viror calami, & iunci. Qua nimirum ſententia, ſicut in hoc opere longè ſuperius diximus, per calamum exprimitur doctrina ſcribentium, per iuncum viriditas auditorum. Rurſum per cala-

Eſa. 35.

3 mum, ſeu certè arundinem, mentis mobilitas deſignatur: ſicut Iudæorum turbis in Ioannis laude à Domino dicitur: Quid exiſtis in deſertū videre? arundinem vento agitatam? vt videlicet ſubintelligatur, non. Ioannes quippe arundo vento agitata non erat: quia eius mentem Spiritu ſancto ſolidam per partes diuerſas nullus linguarum flatus inclinabat. Rurſum per cala-

Negatè, nō affirmatè intelligitur.

4 mum, vel arundinem, nitor gloriæ temporalis exprimitur, ſicut de iuſtis per Sapientiam dicitur: Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Arundinetum namque vitam ſæcularium appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam foris, quaſi ad alta proficiunt; ſed intus à ſoliditate veritatis inaneſcunt. Vnde & Iudæorum regnum calamo comparatur, cum per Prophetam, apparente in carne veritatis Domino, dicitur: Calamum quaſſatum non confringet; & linum fumigans non extinguet. Quid enim calami nomine, niſi Iudaici populi temporale regnum denunciat? virens quidem exterius, ſed interius vacuum. Et quia in eodem populo genus iam regale defecerat, & regnum eius alienigena poſſidebat: aptè hoc idem regnum calamum quaſſatum vocat. Incarnatus autem Dominus calamum

Sap. 3.

Eſa. 42. Calamum quaſſatum non confringere.

quaſſatum non confregit: quia Iudæa, regnum, quod pene deſtructum iam fuerat, eiuſque ſacerdotium, quod ignem fidei non tenebat, non poteſtate iudicij perculit; ſed cum patientiæ longanimitate tolerauit. Hoc ergo loco, quid aliud appellatione calami, niſi mentes ſecularium temporali gloriæ deditæ deſignantur? Qui tanto apud ſemetipſos intus inaneſcunt, quanto alti, & nitidi exterius oſtenduntur: quia dum ad exteriorem gloriam per ſuperficiem defluunt, nulla intus firmitate ſolidantur. More quippe calami, intus ſunt quidem per fatuitatem vacui; ſed foris per ſpeciem, & oſtentationem pulchri: ſed quantò ab eis exterior gloria ſtudioſiùs quæritur, tantò eorum corda grauioribus cogitationum ſtimulis agitantur.

Linum fumigans nō extinguere

Et homil. 9. in Ezech: Ioannem Baptiſtam veritas eſſe arundinem vento agitatam negat, dicens: Quid exiſtis videre in deſertum? arundinem vento agitatam? quod quia negando dixerat, non affirmando, ſubiecta verba teſtantur: Ait enim; ſed quid exiſtis videre in deſertum? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Arundo autem vento agitata, modo flatibus erigitur, modo flatibus inclinatur. Omnis autem infirmus animus, qui vel derogatione deijcitur, vel laudibus exaltatur, arundo vento agitata eſt. Quod Ioannes non erat, quia inflexibilem mētis verticem, inter laudes hominum, & derogationes, tenebat. Et epiſt. 39. lib. 9: De Ioanne Veritas dicit: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? quod videlicet per negationem dicitur, non per confirmationem: cum ſubditur: ſed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Negatur autem, quia Ioannes arundo vento agitata fuerit: quoniam mentis eius fortitudinem nulla humani oris aura flectebat. Nos enim ſi laudibus erigimur, vituperationibus humiliamur, arundo vento agitata ſumus. Et hom. 6. in Euang: Arundinem vento agitatam? quod videlicet non aſſerendo, ſed negando intulit, &c. vt lect. 9. Dom. 2. Aduen. Si enim ab humano ore aura fauoris flauerit, hilareſcit, & extollitur, totumque ſe quaſi ad gratiam inflectit. Sed ſi inde ventus detractionis eruperit, vnde laudis aura veniebat, mox eum quaſi in partem alteram ad vim furoris inclinat. Sed arundo vento agitata Ioannes non erat; quia hunc nec blandum gratia, nec cuiuſlibet detractionis ira aſperum faciebat. Nec proſpera hunc erigere, nec aduerſa nouerant inclinare. Arundo ergo vento agitata Ioannes non erat, quem à ſtatus ſui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat. Diſcamus ergo, fratres chariſſimi, arundo vento agitata non eſſe, ſolidemus animum inter auras linguarum poſitum. Stet inflexibilis ſtatus mentis. Nulla nos detractio ad iram prouocet, atque ad remiſſionē inutilis gratiæ nullus fauor inclinet. Non nos proſpera eleuēt, non aduerſa perturbēt, vt qui in ſoliditate fidei figimur, nequaquā rerū tranſeuntiū mutabilitate moueamur.

Greg. Negare nō affirmare hoc dicitur. — 1 conditio arundinis. — Qui ſint arundo vento agitata. — Greg. — 2 conditio arundinis. — Qui ſint arundini ſimiles. — Greg.

Amb.

Amb. Ambr.lib.5. in Lucam: Iure arundini comparantur, in quibus ſolidæ iuſtitiæ nullus eſt fructus, (Qui ſimiles ſunt arundini. Arundinis conditiones.) qui forenſibus criniti phaleris, nodis obſiti, vacuo oris ſtrepitu ſonori, nulla ſui vtilitate, frequenti etiam offenſione; intus inania, foris ſpecioſa ſectantur. Arundines ſumus, nulla validioris naturæ radice fundati. Et ſi leuis adſpirauerit proſperioris aura ſucceſſus, vago motu proximos verberamus, inopes ad ſuffragandum, faciles ad nocendum. Arundines fluuios amant; & nos labentia mundi, caducaque delectant. Tamen hanc arundinem, ſi quis de terræ euellat plantarijs, & ſuperfluis exuat, expolians veterem hominem cum actibus eius, & ſcribæ velociter ſcribentis manu temperet, incipit non arundo eſſe, ſed calamus; qui præcepta cæleſtium ſcripturarum penetralibus mentis imprimat, tabulis cordis inſcribat. De quo Pſalm. 44 calamo habes dictum: Lingua mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis: quod ad Chriſtum alij referre volunt. Vno igitur loco & verbum, & calamus legitur, & ſcriba; verbum, quia de genitali Patris proceſſit arcano. Eructauit cor meum verbum bonum. Calamus; quia caro Chriſti paternæ ſeriem voluntatis expreſſit, & linguæ mandata diuinæ ſacri effuſione cruoris impleuit. Scriba; quia calamo ſuo diuidua quadam diſtinctione, noui & veteris teſtamenti, vel diuinitatis, & carnis paternę nobis diſpoſitionis myſteria reuelauit. Hunc calamum imitare tuæ carnis temperamento.

Not. 6. ver. 6.

Cyr. Molles veſtes. CYRILL. lib.2. theſauri.cap. 4: Hominem mollibus indutum vidiſtis? Et ecce qui talibus ornantur, cum regibus ſunt. Qui ſicut mollibus induuntur, ita & animo leuiore ſunt. Ioannes verò, qui eremum ſemper coluit, qui robore animi carnem ratione ſubiecit, quare ſicut arundo leuis erit? Si ergo mirati eſtis Ioannem propter aſperrimam vitam, quam conſtantiſſimè egit; concedere ipſi etiam debetis firmitatem animi vitæ conuenientem. Sin verò eremus, & amictus humillimus, & cibus abiectiſſimus, nihil plus vobis afferre videtur ad conſtantiam, quam mollis amictus; quare his omiſſis Baptiſtam in deſerto quærebatis?

Aug. Molles veſtes. Aug.tract. 4. In Ioannem: Veſtiebatur enim Ioannes aſperis, id eſt, tunica facta de pilis cameli. Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt: non ergo exiſtis videre hominem mollibus veſtitum.

Chryſoſt. Veſtiri mollibus. Chryſoſt. homil. 29. in epiſt. ad Hebræos: Aduerte Chriſtum dicentem: Qui mollibus veſtibus induuntur, in domibus regum ſunt. Qui verò non habent talia veſtimenta, in cælis ſunt. Molle namque veſtimentum etiam ſeueram animam diſſoluit, diffundit, & frangit: etiamſi aſperum habeat corpus, & fortè, citius per delicatam conuerſationem molle perficitur. Nam vnde putatis, aut ex quali ratione mulieres ſic eſſe debiles, & infirmas? Num ex conditione ſexus tantum? nequaquam; ſed etiam ex conuerſatione, & educatione. Quod enim ſub vmbraculis degunt, quod oleo vnguntur, (Vnde fit mulierum mollities.) quod frequentibus lauacris vtuntur, quod aſſiduè vnguentis abundantiùs, & aromatibus perfunduntur, & iacent in ſtratis delicatis, hoc eſt, quod eas tales efficit, &c.

Greg. Molles veſtes. Greg. hom 6. in Euang: Adhuc autem de eius ſanctitate ſubiungitur: ſed quid exiſtis in deſertum videre? hominem mollibus veſtitum? &c. camelorum etenim pilis contextis, vt ſcitis, veſtitus Ioannes fuiſſe deſcribitur. Et quid eſt dicere: Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt: niſi aperta ſententia demonſtrare, quia non cæleſti, ſed terreno regi militant hi, qui pro Deo perpeti aſpera fugiunt, & ſolis exterioribus dediti, præſentis vitæ mollitiem, & delectationem quærunt. Nemo ergo exiſtimet in fluxu, atque ſtudio pretioſarum veſtium peccatum deeſſe: quia ſi hoc culpa non (Veſtibus precioſis vti, peccatum eſt.) eſſet, nullo modo Ioannem Dominus de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet. Si hoc culpa non eſſet, nequaquam Paulus Apoſtolus per epiſtolam (1 Tim. 2.) fœminas à precioſarum veſtium appetitu compeſceret, dicens: Non in veſte precioſa. Penſate ergo quæ culpa ſit, hoc etiam viros appetere, à quo curauit paſtor Eccleſiæ, & fœminas prohibere. Quamuis hoc quod Ioannes (Secunda expoſitio. Mollibus veſtiri.) non eſſe veſtibus mollibus dicitur, per ſignificationem intelligi & aliter poteſt. Mollibus enim veſtitus non fuit, quia vitam peccantium non blandimentis fouit, ſed vigore aſperæ inuectionis increpauit, dicens: Genimina viperarum, (Matt. 3.) quis vobis demonſtrauit fugere à ventura ira? Vnde & per Salomonem dicitur: Verba ſapientium (Prou. 12.) quaſi ſtimuli, & ſicut claui in altum defixi. Clauis quippe atque ſtimulis, ſapientum verba comparantur, quia culpas delinquentium neſciunt palpare, ſed pungere. Et epiſt.39.lib. 9: Quamuis enim iuxta veritatem Euangelij (Greg. Qui veſtiantur mollibus. Senſus duplex.) Ioannes veſtimento aſpero fuerit indutus; per ſignificationem tamen mollibus veſtiti ſunt, qui adulationibus, ac laudibus delectantur.

Tho. in catena Lucæ 7. dicit ex Græco patre, mollibus veſtimentis indutos eſſe viuentes in delicijs. (Tho.)

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 74: Quod veſtitus (Iſidor. Mollities veſtium.) mollities, & ſubtilitas, colorque elegans, religioſæ, ac Deo gratæ exercitationis regulam minimè ſeruent, Theologum Ioannem interroga, (Ioa. 19.) Domini tunicam deſcribentem: ac tibi dicet. Erat autem tunica eius inconſutilis deſuper contexta per totum. Quis autem veſtis illius vilitatem ignorat? vt qua Galilæorum pauperes vtantur: apud quos etiam maximè huiuſmodi veſtis genus fieri ſolet, arte quadam, vt pectoralia, retractum conſutum. Audi etiam Matthæum, (Matt. 3.) cum de Ioanne Baptiſta verba facit, ac tibi dicet: Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum ex pilis camelorum. Vide item illum animi magnitudine præditum, ac diuino ſpiritu afflatum Lucam, Herodis faſtum narrantem; (Act. 12.) atque eam, qua indutus erat, veſtem traducentem; eoſque, qui mollia indumenta gerunt, in Regum domibus verſari dicentem. (Luc. 7.) At huiuſ-

huiuſmodi veſtimenta ſpirituali illo thalamo, fulguris in modum rutilante, minimè digna ſunt. Quamobrem ſi huius deſiderio teneris, vilem Dei noſtri Ieſu veſtitum imitare. Nam mollities præſentis laſciuiæ eſt, non cœleſtis ſplendoris.

Not. 7. ver. 7.

Hier. HIERON. Matth. 11: In eo Ioannes Prophetis cæteris maior eſt, quòd quem illi prædicauerant eſſe venturum, hic veniſſe digito demonſtrauit, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et quia ad priuilegium prophetale, etiam Baptiſtæ acceſſit præmium, vt Dominum ſuum baptizaret: Vnde infert meritorum *auxeſin*, faciens de Malachia teſtimonium, in quo etiam Angelus prædicatur. Et epiſtola ad Algaſiam. quæſt. prima, dicit eum non ſolum Prophetam, qui ſoleat ventura prædicere, ſed plus eſſe quam Prophetam; quia quem illi venturum eſſe dixerant, hic veniſſe monſtrat, dicens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: præſertim cui ad faſtigium prophetale, Baptiſtæ acceſſerit priuilegium; vt qui dixerat: Ego à te debeo baptizari, ipſe eum baptizauerit, non præſumptione maioris, ſed obedientia diſcipuli, ac timore ſerui.

Cur Ioannes plus quam Propheta ſit. Malac. 3 Hier.

Aug. Aug. tract. 4. in Ioannem: Maior quam Propheta hic: quia Prophetæ longè ante prænunciauerunt, Ioannes præſentem demonſtrabat.

Aug. Et lib. 2. con. lit. Petil. cap. 37: Propterea Ioannes amplius quam Propheta dictus eſt; quia prioribus iuſtis prænunciare tantum Chriſtum conceſſum eſt: huic autem prænunciare abſentem, & videre præſentem, vt huic inueniatur patuiſſe, quod illi cupierunt.

Greg. Greg. hom. 6. in Euang: Pluſquam Prophetá.) Prophetæ quippe miniſterium eſt, ventura prædicere, non etiam demonſtrare. Ioannes ergo pluſquam Propheta eſt; quia eum, quem præcurrendo prophetauerat, etiam oſtendendo monſtrabat. Idem habet hom. 3. in Euang. Greg.

Amb. Amb. lib. 5. in Lucam: Maior ſanè Propheta, in quo finis eſt Prophetarum. Maior Propheta, quia multi cupierunt videre quem iſte prophetauit, quem iſte conſpexit, quem iſte baptizauit.

Hilar. Hilar. can. 11. in Matt: Gloriam omnem Ioannis Dominus oſtendit, dicens eſſe eum vltra Prophetam; quia ſoli ipſi licuerit, & prophetare Chriſtum, & videre.

Cyr. Cyrill. lib. 2. theſauri. cap. 4: Pluſquam Propheta Ioannes eſt. Nam Prophetæ venturum prædicarunt Chriſtum, nec ipſum videre potuerunt: Ioannes autem & venturum prædicauit, & vidit.

Ver. 8.

Tert. Cur homo dicatur Angelus. Tertull. lib. aduerſus Iudæos cap. 9: Angelum quidem dixit eum, ob magnitudinem virtutum, quas erat editurus, (quas virtutes fecit Ieſus Naue, & ipſi legitis) & officium Prophetæ, nunciantis ſcilicet diuinam voluntatem; ſicuti & præcurſorem Chriſti Ioannem, futurum Angelum appellat, per Prophetam ſpiritus dicens, ex perſona Patris: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, id eſt, Chriſti; qui præparabit viam tuam ante te. Nec nouum eſt Spiritui ſancto, Angelos appellare eos quos miniſtros ſuæ virtutis Deus præfecit. Malach. 3

Hieron. Matt. 11: Angelum autem hic dici Ioannem non putemus naturæ ſocietate: ſed officij dignitate, id eſt, nuncium, quod venturum Dominum nunciarit. Hier. Vt Ioãnes dicatur Angelus.

Epiphan. hæreſ. 42. confutat. 9: Si cognoſcit vnigenitus Dei filius Ioannem, ac prænoſcit; prænoſcens autem oſtendit, volentibus ſcire virtutem, quod hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Ergo qui ſcripſit, & dixit: Mitto Angelum meum ante faciem; Deus æternus, qui in Prophetis, & in lege locutus eſt, non alienus erat à proprio Ieſu Chriſto. Mittit enim Angelum ſuũ ante faciem ipſius, ante faciem filij ex Patre honorati. Non enim miſiſſet Angelum ſuum alieno inſeruiturum, ſiquidem contrarius ipſi erat, iuxta tuam, ô Marchion, opinionem. Epiph. Patrem Chriſti per Prophetas eſſe locutum.

Gregor. homil. 6. in Euang: Quia Prophetæ nomen, huic impar eſſe perhibetur, iam quid dignè dici poſſit, audiamus; ſequitur: Hic eſt, de quo ſcriptum eſt. Quod enim Græcè Angelus, hoc Latinè nuncius dicitur. Rectè ergo, qui nunciare ſupremum Iudicem mittitur, Angelus vocatur, vt dignitatem ſeruet in nomine, quam explet in operatione. Altum quidem nomen eſt, ſi vita nomine inferior non eſt. Hæc & plura ſumpſit ex hoc loco Gregorij, Beda ho. 1. Dom. 3. Adu. & Lucæ 7. Idem habet Euth. Matt. 11. & Theophyl. Matt. 11. & Lucæ 7. Ioannem itaque Deus Angelum ſuum nominauit, non quod naturę eſſet Angelicæ; ſed propter vitam non carnalem; at ſpiritualem, Angelicam, & materiæ fermè expertem, quam egit: à terra enim eleuabatur; & cœleſtia ſapiebat: & quod aduentum Chriſti Saluatoris, & alia, quæ à Deo ei dicebantur, populo nunciabat. Greg. Angelus eſt nũcius. Cur Ioannes dicitur Angelus. Eut. Theop.

Not. 8. verſ. 9.

ILLVD; inter natos mulierum, quidam ſic intellexerunt, quod bene dixerit mulierum; ita enim ſeipſum excepit. Quandoquidem fuerat Chriſtus de virgine, non de muliere virum paſſa, & experta natus. Cum affirmatione hoc aſſerit, quod non ſit inter homines, qui è mulieribus nati ſunt, maior illo, præfert alijs omnibus præcurſorem. Quis enim alius in vteri tenebris abſconditus, lucem veniſſe agnouit; & illam exultatione adorauit? nullus alius præter hunc ſolum; qui meritò ſanè cunctis maior eſt. Et rurſus, quis ab infantia ita ſolitariam, ac eremiticam duxit vitam, taleque elegit exercitium? certè nullus omnium. Sic Euth. & Theophyl. Matt. 11. & Luc. 7. Inter natos mulierum quomodo ſit à nonnullis intellectã. Eut. Theop.

Aug. tract. 13. in Ioannem: Dominus perhibuit teſtimonium Ioanni, dixit enim de Ioanne: In natis mulierum nemo ſurrexit maior Aug.

 Ioanne

Ioanne Chriſtus in quo maior, & in quo minor.

Ioanne Baptiſta. Sed quia illi ſe præpoſuit, in hoc quod plus erat Ioanne, Deus erat: Qui autem minor eſt, inquit, in regno cœlorum, maior eſt illo. Minor natiuitate, maior poteſtate, maior diuinitate, maieſtate, claritate, tanquam in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et hom. 44: Quod eſt teſtimonium Domini de ſeruo? In natis mulierum, non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Quod eſt teſtimonium ſerui de Domino? qui venit poſt me, maior me eſt. Si ergo in natis mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, quis maior eſt illo? Quid eſt Ioannes? magnus homo. Ambo mirabiliter nati; præco, & iudex; lucerna, & dies; vox, & verbum; ſeruus & Dominus. De ſterili ſeruus, de virgine Dominus. Ipſe Dominus fecit ſibi ſeruum in vtero ſterili, de ſene patre, & de anicula matre. Et lib. 2. contra aduerſarium legis, & Prophetarũ cap. 5: Argumentatur etiam de Ioanne Baptiſta, quia Dominus ait: In natis mulierum non exſurrexit maior Ioanne Baptiſta: Qui autem minor eſt in regno cœlorum, maior eſt illo: ita velut ratiocinando, tanquam Ioannes non pertineat ad regnum cœlorum; & ob hoc multo minus cæteri Prophetæ illius populi, quibus maior eſt Ioannes. Hæc autem verba Domini duobus modis poſſunt rectiſſimè intelligi. Aut enim regnum cœlorum appellauit eo loco Dominus, quod nondum accepimus, & in quo nondum ſumus: Vnde & in fine dicturus eſt: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Et quia ibi ſunt ſancti Angeli, quilibet in eis minor, maior eſt vtiq; quolibet ſancto, & iuſto portante corpus, quod corrumpitur, & aggrauat animam, aut ſi regnum cœlorum in ea ſententia illic intelligi voluit, qua & in hoc tempore ſignificatur Eccleſia, cuius filij ſunt omnes ab inſtitutione generis humani, vſque nunc, quotquot iuſti, & Sancti eſſe potuerũt: profectò ſeipſum Dominus ſignificauit, quia naſcendi tempore minor erat Ioanne; maior autem diuinitatis æternitate, & Dominica poteſtate. Proinde ſecundum priorem expoſitionem ita diſtinguitur: In natis mulierum nemo exſurrexit maior Ioanne Baptiſta: Qui autem minor eſt in regno cœlorum, ac deinde ſubinfertur, maior illo eſt: Secundum hanc autem poſteriorem: ita: In natis mulierum nemo exſurrexit maior Ioanne Baptiſta: qui autem minor eſt, ac deinde ſubinfertur, in regno cœlorum maior illo eſt. Sed vterque intellectus tam congruit veritati, quam refellendæ huius ſufficit vanitati. Siue enim quilibet Angelus cæteris minor, Ioanne ſit maior: Siue hic Dominus intelligatur Ioanne præcurſore ſuo, ætate minor, maieſtate maior, nihil inde Prophetis cæteris derogatur. Potuerunt enim Ioanni eſſe aliqui æquales, aliqui eo minores, nullos autem maior propter ſententiam Domini: Omnes tamen Sancti, & iuſti, & boni. Et lib. quæſt. veteris, & noui teſtament. cap. 26: Nõ dixit: Omnibus maior eſt, ſed nemo illo maior eſt. Hoc eſt, æqualem habet, maiorẽ non habet. Helias ergo par illi eſt, nullo vtiq; minore.

Aug. — Ioanne Chriſtus in quo ſit maior. — Aug. — Expoſitio duplex. Regni cœlorum. — Sap. 9. — De ſeipſo Chriſtus. — Ioanne Chriſtus in quo ſit minor, & maior. — Nõ dicitur Ioannes omnibus eſſe maior. — Aug. Ioannes nõ dicitur maior omnibus.

Cyrill. Hieroſ. cateche. 3. illuminator: Ioanne maior inter natos mulierum nullus, qui hic erat Prophetarum.

Hieron. Matt. 11: Inter natos, inquit, mulierum. His ergo præfertur hominibus, qui de mulieribus nati ſunt, & de concubitu viri; & non ei, qui eſt natus ex Virgine, & Spiritu ſancto; quamquam in eo quod dixit: Non ſurrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptiſta: non cæteris Prophetis, & Patriarchis, cunctiſque hominibus Ioannem prætulit; ſed Ioannem cæteris exæquauit. Non enim ſtatim ſequitur, vt ſi alij maiores eo non ſunt; ille maior aliorum ſit: verum vt æqualitatem cum cæteris ſanctis habeat. Qui autem minor eſt, &c.) Multi de Saluatore hoc intelligi volunt, quod qui minor eſt tempore, maior ſit dignitate. Nos autem ſimpliciter intellgamus, quod omnis ſanctus, qui iam cum Deo eſt, maior ſit illo, qui adhuc conſiſtit in prælio: aliud eſt enim coronam victoriæ poſſidere, aliud adhuc in acie pugnare. Quidam nouiſſimum Angelum in cælis Domino miniſtrantem, meliorem volunt accipere, quolibet primo homine, qui verſetur in terris. Et epiſt. ad Algaſ. q. 1: Cumque inter natos mulierum nullum aſſerat Ioanne ſurrexiſſe maiorem, ſe qui de virgine procreatus eſt, maiorem eſſe commemorat: ſiue omnem Angelum in cælis, qui minimus eſt, in terris cunctos homines anteire. Nos enim in Angelos proficimus, & non Angeli in nos, ſicut quidam ſtertentes ſopore grauiſſimo ſomniant.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 33: Cur maior inter natos mulierum Ioannes dictus ſit, quæris: & ſi Propheta ipſe erat, quidnam prophetica dignitate amplius & excellentius habebat? Siquidem hoc Dominus dixit: Audi igitur paucis verbis plurima. Idcirco maior inter natos mulierum Ioannes, quia ex ipſo materno ventre vaticinatus eſt, atque in tenebris abditus, & occultatus, lumen, quod venerat, minimè ignorauit: hoc autem nomine Prophetas antecellit, quod eum quoque, qui prædicabatur, in carne conſpexit: quem Patriarchæ omnes, ac Prophetæ, per ſomnia quidem, aut viſiones quoquo modo informatunt, reipſa autem atque oculis perſpicere minimè potuerunt.

Et epiſt. 68: Haud promptam ac cura vacuam, verum ingenti examinatione opus habentem nobis, vir ſtudioſorum & laboris amantium optime, quæſtionem propoſuiſti: Qui minor eſt in regno cœlorum, maior eſt Ioanne, id eſt, qui in lege perfectus eſt (vt erat Ioannes) omnino inferior eo eſt, qui in Chriſti mortem baptizatus eſt. Hoc enim cœlorum regnum eſt, nimirum cum Chriſto, qui ſpoliandæ mortis cauſa deſcendit, ſepultum eſſe; atque vnà cum ipſo, victoriam aduerſus eam præbente, reſurrexiſſe. Quoniam igitur maior quidem omnibus, qui ex mulieribus nati fuerant, erat Ioannes, caput autem ipſi ante donatum cœlorum regnum præciſum fuit; ipſe quidem, ſi legis iuſtitiã ſpectetur, nihil habebat, quod reprehendi poſſet; at ijs, qui vitæ in Chriſto poſitæ ſpiritu perfecti fuerunt,

Cyr. — Hier. Ioannes quibus præferatur. — Ioanne Chriſtus in quo ſit maior. Ioannes nõ dicitur maior omnibus. — Ioanne Chriſtus in quo maior, & minor. — Hier. — Iſidor. — Luc. 7. — Cur maior inter natos mulierum Ioannes. — Luc. 1. — Iſidor. — Matt. 11.

fuerunt, inferior extitit; quod ſcilicet, vt iam ſcripſimus, priùs è vita diſceſſiſſet. Quiſquis igitur minor eſt, in regno cœlorum, hoc eſt, in Chriſtiana regeneratione, maior, vt diximus, eo eſt, qui in lege laudem iuſtitiæ conſecutus eſt. Quoniam lex nihil omnibus ſuis partibus perfecit.

Heb. 7.

Amb.

Amb. lib. 5. in Lucam: Numquid & illo maior; de quo Moyſes dixit, quia Prophetam vobis ſuſcitabit Dominus Deus veſter? de quo dixit: Erit autem, omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. Si igitur Chriſtus Propheta, quomodo maior hic omnibus? Numquid Chriſtum Prophetam negamus? imo & Dominum Prophetarum confitemur. Ioannem autem Prophetam aſſero, & hunc omnibus dico eſſe maiorem; ſed inter mulieris, non virginis natos. Maior enim fuit ijs, quibus æqualis eſſe poterat ſorte naſcendi. Alia iſta natura eſt, nec cum humanis generationibus comparanda. Non poteſt homini cum Deo vlla eſſe collatio: ſuis enim quiſque præfertur. Denique eo vſque cum Dei filio non poterat Ioannis eſſe vlla collatio, vt & infra, Angelos æſtimetur. Nam qui minor, inquit, eſt in regno cœlorum, maior eſt eo. Etenim quoniam Angelum dixerat, hominibus iure prelatus eſt: & quia inter natos mulierum potiorem declarauerat; ideo addidit: Qui minor eſt in regno cœlorum, maior eſt eo: vt Angelis ſciret eſſe cedendum.

Deut. 18. — Chriſtus etiā Propheta. — Ioannes maior omnibus inter mulieris natos. — Cū quibus Ioannes comparetur. — Ioannes Angelis inferior.

Amb.

Et in Pſal. 43: Luctandum eſt aduerſus nequitias ſpiritales. Nemo grauior domeſtico aduerſario; nemo nocentior hoſte eo, cui cœleſtis ſubſtantiæ potentia ſuffragatur. Cum dico, nemo, diuini memento ſermonis, quem dixit Dominus: Quia maior ex natis mulieris Ioanne Baptiſta nemo. Nam qui natus eſt ex Virgine, ipſe ſuper omnes eſt: & ideo neminem vereamur, qui Chriſtum habemus: quoniam ſi Chriſtus pro nobis, quis contra nos? Et ſer. 64: Magnus igitur Ioannes, cuius magnitudini etiam Saluator teſtimonium perhibet, dicens: Inter natos mulierum maior non eſt Ioanne Baptiſta. Præcellit cunctis, eminet vniuerſis, antecellit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas; & quiſquis de muliere natus eſt, inferior eſt Ioanne. Sed debemus diligenter inquirere, cur ita Dominus dixerit, hoc eſt, inter natos mulierum, & non potius dixerit: Inter filios virorum, non eſt maior Ioanne; cum vtique mulieres natos ſine viris habere non poſſint. Hoc autem dixit, quia numeroſior eſt proles mulierum, quam virorum. Eſt enim mulieris filius, qui viri filius non eſt. Denique ſancta Maria genuit filium, qui patrem hominem non haberet. Dominus enim eſt mulieris filius, & viri filius non eſt, ſicut dicit Apoſtolus: Natum de muliere, factum ſub lege. Vt qui matrem in terris haberet, patrem haberet in cœlis. Ergo in laudem Ioannis fœcundioris ſexus generatio ponitur, vt nullius ab eo natiuitas ſepararetur. Dicit forte aliquis, ſi inter natos mulierum maior eſt Ioannes, numquid etiam maior eſt Saluatore? abſit. Ioannes enim natus mulieris, Chriſtus

Inter natos mulierum. — Amb. — Ioannes maior omnibus. — Cur ait mulierum potius quā virorum. — Plures ſūt proles mulierū, quā virorum. — Gal. 4. — Sexus mulieris fœcundior.

autem Virginis natus eſt. Ille corruptibilis vteri ſinibus effuſus eſt, iſte impollutæ Virginis flore progenitus. Ideo autem cum Ioannis natiuitate Domini generatio deputatur, ne Dominus extra veritatem videretur eſſe conditionis humanæ. Hæc ſunt etiam apud Aug. ſerm. 21. de Sanctis.

Ioanne Chriſtus in quo ſit maior. — Cur ait mulierum. — Cur cum Ioanne Chriſtus deputetur.

Elias.

Elias Cretenſis in orat. 5. Nazianzeni: Orator ille aureus ex eo, quod Chriſtus dixit: Maior Ioanne Baptiſta non extitit, in fœminarum natis, & tamen qui minimus eſt in regno cœleſti maior eſt illo; colligit eum, qui perfectus in lege ſit, inferiorem eſſe quolibet per ſpirituale lauacrum renato. Nam id appellatur cœleſte regnum. Quapropter, inquit, etiamſi Ioannes maximus erat inter omnes è fœminis natos: tamen quia præciſum ei caput eſt ante regenerationem in Chriſto, ratione quidem iuſtitiæ legalis erat inculpabilis: verum à tergo ſubſequitur eos, qui per regenerationem in Chriſto ſunt renati, quum prius deceſſerit. Hoc modo aureus orator ille per Ioannis exemplum demonſtrat, quantum noua gratiam veterem illam præcellat. Nos quod diuerſæ ſint illius Euangelici dicti enarrationes, nihil addemus Chryſoſtomi verbis. Sunt enim nonnulli, qui per minimum illum intelligunt Chriſtum Dominum, qui minimus opinione multorum videatur. Eundem aiunt eſſe maximum, in ſpiritualibus, ac diuinis rebus.

An quiuis baptizatus maior ſit Ioanne. — Regnum cœleſte. — Quomodo Ioanne Chriſtus maior ſit aut minor.

Cæſar.

Cæſar. dialog. 3: Ioannes Baptiſta, ſi Propheta fuit, quid amplius habuit, quam Propheta? & quare maior omnium teſtimonio Seruatoris perhibitus eſt, qui ſuo ipſius Patris os obturauit? Maior omnibus inter natos mulierum Ioannes; quod quum adhuc in vtero materno eſſet, noſtramque vitam nondum attigiſſet, vaticinatus ſit, inſtrumento materna linguâ vſus. Et in tenebris latens, lumen in aluo ſemper virginis Mariæ incarnatum non ignorauit, fulgore veluti, per foramen aliquod, per os eius, quæ geſtabat, amplexu, & oſculo Deum geſtantis puellæ hauſto, eleuatus materna lingua exclamauit: Vnde mihi hoc, vt mater Domini mei veniat ad me? Maior autem prophetis eſt, quod ipſum, de quo illi vaticinabantur, vidit in carne; illiuſque verticem tetigit, quo contremiſcunt vniuerſa, quem omnes Patriarchæ, & Prophetæ, per ſomnia, aut ænigmata tantum imaginati ſunt, ante vniti cum Deo hominis verbi diuinam apparitionem, vita defuncti. Et quomodo cum Chriſtus ipſum omnibus maiorem teſtetur, rurſus idem dicit: Qui autem minor eſt in regno cœlorum, maior ipſo eſt? ne hoc quidem citra duplicem, & varium intellectum eſt accipiendum. Triplicem enim nobis hæc verba ſenſum referunt. Vnum quidem, quod minor ipſo ſecundum carnem ipſe Dominus eſſet; cùm ſemeſtri tempore, poſt illius conceptionem, inhabitauerit perpetuæ virginitatis matrem, ex illa corpore circumdatus, ſecundum vnionem indiuulſus, & à commiſtione liber, quemadmodum ex magno illo Gabrielo diſcimus, qui Deiparæ id annunciat; Inquit

Cur Ioannes maior omnibus ſit & plus quā Propheta. — Quomodo Ioanne Chriſtus ſit minor, & maior. — 1 ſenſ. de Chriſto minor tempore.

quit enim: Ecce Eliſabetha cognata tua, etiam ipſa concepit filium in ſenectute ſua; & hic ei ſextus menſis eſt. Minor item eſt Ioanne, cum homo cernitur: maior autem cum Deus eſſe intelligitur Chriſtus. His autem cedit Angelorum Ioannis reſpectu excellentia. Nam qui omnibus Angelis putatur ordine, & natura minor in regno cœlorum, maior ipſo eſt ſecundum naturam, & generationem. Ioannem enim ille vilis Herodes decollauit, vnus autem Angelus, qui omnibus illis minor eſt, infinitos Herodes in temporis momento percuſſiſſet, & perdidiſſet. Vnus enim Angelus egreſſus, ex caſtris, Eſaiæ, & Ezechiæ tempore, centum octoginta quinque alienigenarum hoſtium in temporis puncto proſtrauit, perimens. Quem verò nobis alium tertius exhibet ſenſus? qui minor quidem in regno cœlorum, maior autem Ioanne? omnino eum, qui à Domino filius tonitrui cognominatus eſt, Ioannem Theologum. Ille enim cum multo timore etiam iuſſus tangere verbi verticem carnem geſtantis non audebat; hic autem plus omnibus libertatis habens, in diuina cœna in ſinu Domini recumbens, paulo poſt ſuper ipſum ſanctum vniti cum Deo hominis pectus ſeſe reclinat, vt Euangelium docet de eo. Non mater quæ pepererat; non Ioſephus, qui nominabatur, attamen pater eius non erat; non Ioannes Baptiſta, non Angelus, non Archangelus, neque alius quiſquam incarnati Dei, & verbi auſus fuit attingere illud formidabile pectus, ſuper quo hic Ioannes velut pater ſuper filium diffuſus recubuit; inde de verbo verbum hauſit, atque omnibus ſub cœlo intonuit illud: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ille diuinum, & ſacroſanctum Spiritum in ſpecie columbæ vidit tantum ſuper verbum in carne baptizatum, ex cœlis volantem: hic autem in ſpecie linguæ ignis ſuper ſuum ipſius proprium accepit caput, vna cum condiſcipulis in die Pentecoſtes, quemadmodum magnus ille Lucas, Acta ſcribens de Apoſtolis, memoriæ prodidit. Ille capite truncatur, propter laſciuum ſcortum, quod cum fratribus rem habebat, Herodis vxorem, quæ fuerat antea fratris eius: hic condemnatus, qui pro Domino ad ſepulchrum migraret, deinceps moritur. Ille baptizabat tantum ad ſe accedentes, Spiritum autem ſanctum nemini præſtare poterat, qui ab ipſo baptizati erant: hic vna cum reliquis Apoſtolis rebaptizabat, & ad perfectionem manus imponentes, Spiritum ſanctum largiri ſunt fidelibus, ad ſignorum, & prodigiorum editionem. Ille maior omnibus inter natos mulierum eſſe teſtimonio maioris perhibitus eſt: hic lumen mundi vocatus à vera, & ingenita & ſemper exiſtente magna illâ luce. Ille è vita exceſſit nullo facto ſigno, neque prorſus vllo edito miraculo, quemadmodum de ipſo perhibet Euangelium, neque quicquam audito eorum, quæ ſibi illic futura erant. Hic vna cum Chriſto ſedere, & ſuo nutu iudicare tribus Iſraelis à Chriſto prædicante promiſſionem accepit vna cum

2 ſenſ. De Angelis.

3 ſenſ. De Ioãne Apoſtolo.

Theologus his quo ſit Baptiſta maior.

Act. 2

duodecim. Ille nuſquam beatus pronunciatur, licet magnus eſſet inter homines: hic demonſtrationem accipit eius, quod maior ſit, à beato Deo, & Seruatore noſtro Ieſu Chriſto, qui, inquit ipſis: Amen dico vobis, multi Prophetæ, & iuſti deſiderauerunt videre, quæ videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audierunt. Veſtri autem beati ſunt oculi, quia videtis, & aures, quia auditis; Quod Ioannes Propheta ſit, omnes credimus. Ille appropinquante matri ſuæ, ea, quæ geſtabat filium ſine Patre, matrem reueritus, geſtijt exiliendo, ac velut imminente ſibi à prægnante periculo, non ferebat, eam, quæ facem geſtabat propius accedere. Hunc autem in eodem loco ſtatuit, & commendat matri propriæ, qui ſecundum ſubſtantiam matrem non habebat, & ſecundum diſpenſationem erat abſque patre, tempore ſalutiferæ paſſionis cruci adſtantibus, intentis in Ioannem oculis, inquit ei, quæ ſola abſque nuptiali conſuetudine mater eſt: Ecce filius tuus. Idemque rurſus ad illum: Ecce mater tua: alterum alteri pro ſemetipſo commendans, vtriuſque incontaminatam, & intactam virginitatem perhibente etiam illo cœtu, qui Deo repugnat, & vt ſummatim dicam Chriſtus eſt regnum cœlorum. Qui igitur ſecundum legem perfectus, & abſolutus erat Ioannes, minor mihi videtur ijs, qui in mortem Domini baptizati ſunt; Nihil enim perfecit lex, vt, inquit, magnus in lege, & eximius in Euangelio Apoſtolus, in omnium experientia conſtitutus. Ergo in generatione ſua, & ſuis temporibus, maior erat omnibus Ioannes. Siquidem repugnaret ſibi ipſi Deus, ad Salomonem quidem dicens: Sicut tu non fuit ante te, & poſt te non ſurget, qui ſit ſimilis tibi. De Ioanne autem quod non ſurrexerit inter natos è mulieribus maior eo: Secundum legem maior erat, & abſolutior omnibus. Præſtantiores autem ſunt Apoſtoli. Non enim, inquit Dominus, quod non ſurrectutus ſit maior eo, ſed quod non ſurrexit, tamquam ſuis temporibus. Ante vtroſque autem illos, inquit, ad diabolum Deus; Num obſeruaſti mente tua ſeruum meum Iobum, quoniam non eſt ſuper terram homo ſicut ipſe? & ad Moyſem, inquit, noui te præ cunctis hominibus, & inueniſti gratiam coram me. Sicut igitur magnus cum eſſet ſuis temporibus Enochus, tranſlatus eſt, & ſicut Noë iuſtus erat ſuis temporibus, in arca cum octo ſaluatus, mundo per diluuium ſubmerſo: quemadmodum item magnus erat Lothus, qui ſolus conſeruatus eſt incenſa Sodomorum Pentapoli: Ita & Ioannes maior omnibus fuit ſecundum legem ſuis temporibus.

Regnum cœlorum an ſit Chriſtus.

4 ſenſ. de baptizatis.

Ioannes cum quibus comparetur.

Quomodo Ioannes maior omnibus. Apoſtoli Ioanne ſunt maiores. Non ſurrexit.

Epiphan. hæreſ. 42. confutat. 8: Vt ne enim quis maiorem inter natos mulierum ab ipſo poſitum Ioannem etiam ipſo Saluatore maiorem putaret, eo quod etiam ipſe ex muliere natus eſt, cauet, & dicit hoc: Et beatus eſt, qui non fuerit paſſus offendiculum in me. Vnde dicit, qui verò minor eſt, in regno Dei, maior ipſo eſt. Erat enim Saluator tempore iuxta natiuitatem de carne minor ipſo ſemeſtri temporis

Epiph. Cur beati ... Chriſtus ... natus eſt.

Quomodo Ioannes Chriſtus ſit minor, & maior.

temporis ſpatio: maior autem in regno, nimirum vt Deus ipſius.

Euth. Eut. Matt. 11: Poſtquam Baptiſtam laudauit, à Iudæorum concurſu ad ipſum; deinde à virtute illius; & 3. à ſuo ſuffragio; quarto quoque à Prophetæ teſtimonio; & maiorem Prophetis eum prædicauit, ac vniuerſaliter omnibus maiorem hominibus; curat hanc laudum magnitudinem ne propter hæc, ipſo etiam Chriſto honoratiorem ducerent: & vide quid dicat: Qui autem minor eſt in regno cœlorum, maior eſt illo. Minorem ſeipſum dicit, eo quod ita videretur apud Iudæos. Nam Ioannem eo maiorem habebant, vtpote qui ab infantia in Eremum ſeceſſerat, & admirabili vitæ inſtituto vſus fuerat. Chriſtum verò tamquam communi modo conuerſantem, deijciebant. Qui, inquit, minor eſt, id eſt, qui videtur minor illo, maior eo eſt in regno cœlorum, hoc eſt, imperando cœlis: vtpote non homo ſolum, ſed & Deus.

Cyr. Cyrill. lib. 2. theſauri. cap. 4: Sed quomodo (inquit Eunomius) ſimilis, aut æqualis erit filius Patri, cum apertè in Euangelio dicat: Neminem inter natos mulierum maiorem Ioanne Baptiſta ſurrexiſſe, & ſtatim addat, minor autem in regno cœlorum, maior ipſo eſt? Ipſe namque minor eſt propter tempus, quo à ſancta virgine natus eſt, fateturque ſe propter præcipuas virtutes tunc peruenturum in maiora, quãdo regnum cœlorum aduenerit, quaſi hanc mercedem propter adminiſtrationem ſalutis humanæ accepturus ſit. Quomodo ergo qui huiuſmodi naturæ eſt, & Ioanne minor æqualis, aut ſimilis Deo Patri erit? Peruertunt ſenſum verborum Chriſti, qui ſic exponunt. Quomodo enim quaſi rem magnam ſibi attribueret, quod Ioannem excederet. Qui Dei Patris gaudet dignitatibus omnia naturaliter poſſidens, quæ Patris ſunt? Omnia, inquit, quæ Pater habet, mea ſunt. Perfectus autem Pater eſt, perfectus ergo etiam filius, reique nullius indigens. Qui verò ita natura ſe habet, quomodo non erit æqualis, & ſimilis genitori ſuo? Præterea, ſi minor Chriſtus Ioanne magnitudine temporis dicitur, quo fuit cum hominibus conuerſatus, & ad hæc non ſurrexiſſe maior quiſpiam Ioanne additur: vitæ ſpatio id quoque intelligetur; quod verum non eſt. Adam enim (vt ſcriptura teſtatur) nongentos, & quinquaginta vixit annos, & alij nati mulierum illius temporis, omnes pæne totidem. Præcurſor verò Ioannes iuuenis admodum vitam cum morte commutauit. Non ergo maior inter natos mulierum tempore dicitur, ſed virtutis ſublimitate, qua ad eos peruenit terminos, quo natura humana peruenire poteſt. Quare etiam ſimiliter Chriſtus non tempore minor dicitur. Ridiculum enim eſſet magnitudini temporis virtutis celſitudinem attribuere. Neceſſario igitur ſequi videtur in virtute, & ſanctitate comparationem fieri, & ſic minor Ioanne Chriſtus in ſanctitate videbitur, quod abſurdiſſimum eſt. Cum igitur hæc expoſitio ad abſurda deueniat, omnino reijcienda eſt. Ille qui maior in regno cœlorum dicitur, ſanctitate ſublimior ſignificatur. Ex his omnibus patet numquam Ioannem Chriſto maiorem fuiſſe, nec de ipſo Chriſto dici, quod modo minor Ioanne ſit, & in regno cœlorum maior futurus. Cum multa, magnaque de Ioanne dixiſſet, & ſummum inter natos mulierum ipſum eſſe affirmaſſet, quod ad extremum humanæ virtutis perueniſſet, maius bonũ poſtea ponit: melioremque dicit, atque maiorem eum, qui iam regnum cœlorum tetigerit; Et filius Dei factus ſit, per Spiritum ſanctum renatus, vt oſtenderet mirabilem eſſe Ioannem propter virtutes ſuas præcipuas; ſed mirabiliores ipſo regni cœlorum participes: hortareturque hac ratione, vt magno animo rapere id conarentur; quod Ioanne quoque maiores faciet. Regnum enim cœlorum donum ſpiritus eſſe modo dicimus, ſecundum illud Chriſti dictum: Regnum cœlorum intra vos eſt. Maior igitur omnibus natis mulierum inuenitur, qui per ſpiritum renatus eſt. Illi enim filij carnis adhuc appellantur; iſti filij Dei ſunt, quem orantes appellant: Abba, Pater. Quare etſi inter natos mulierum ſecundum humanam virtutem mirabilis Ioannes ſit, qui tamen ipſo minores videntur in regno cœlorum, hoc eſt, renati per Spiritum ſanctum maiores ſunt. Quia non mulierum nati, ſed Dei participes filij Dei ideo appellantur: Etiamſi minimi perfectionibus virtute, quaſi infantes videantur, quia modo renati. Quod autem Ioannem, & natos omnes mulierum regeneratio, quæ per Spiritum ſanctum fit, magno interuallo excedit, non longè nobis quærendus eſt teſtis, cum ipſe Ioannes ad Ieſum dixit, opus eſſe ſibi ab eo baptizari. Nam etſi perfectus eſſet virtute, renaſcendi tamen propter ſpiritum gratiam petebat, vt in maiorem aſcenderet gradum, nec mulieris deinde natus eſſet, ſed ad diuinam nobilitatem reformatus. Quod Saluator maximè affirmauit. Non enim dixit perfectum ipſum eſſe, quamuis ſanctificationem ſpiritualis baptiſmatis non haberet, ſed neceſſarium ſibi baptiſmum, per diſpenſationem, in aliud tempus differendum aſſeruit. Nihil enim aliud (mea quidem ſententia) illa verba Saluatoris ſignificant, dimitte modo.

Margin notes: Quomodo ... — Adam quamdiu vixerit. Gen. 4. — De Chriſto hæc nõ intelligi. — Ioanne maior quis ſit. — Regnum cœlorum quid ſit. — Ioanne qui ſint maiores.

Not. 9. verſ. 10.

Cyr. CYRILL. lib. 2. theſauri cap. 4: Quod verò cælorum regnum donum Spiritus, & regenerationem fidelium appellat, ex ipſis Saluatoris verbis ſciamus: A diebus enim Ioannis, vſque modo (inquit) regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Nam cum Ioannes prædicaret, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius, multi magna vi, magnoque ſtudio à vitijs ad virtutem vertebantur: ſed & filij Dei per Spiritus ſancti gratiam fiebant per baptiſmum regenerati. Id ſi quis non exponi recte arbitretur, doceat quæſo, quamobrem à diebus Ioannis rapi cæpit regnum cælorum. Quaſi nemo ante tempora illa, illud rapuerit.

Margin notes: Regnum cælorum quid ſit. — Quomodo regnum cælorum vim patiatur. — 1 ſen.

Num ergo dices vana Prophetarum ſpes fuit? Num tanta multitudo ſanctorum Patrum regnum cælorum non poſſidebit? ſi tunc primum rapi cæpit, quando Baptiſta clamabat: Pœnitentiam agite, regnum enim cælorum appropinquabit. Sed facile intellectu eſt, ipſum regnum cælorum, priſcis etiam paratum fuiſſe, ſicuti conformibus imaginis filij Dei, atque ideo præſcitis à Deo Patre. A tempore verò Ioannis donum Spiritus ſancti, & regeneratio per baptiſmum fide rapitur.

Hier. Hieron. Matt. 11: Si primus Ioannes, vt ſupra diximus pœnitentiam populis nunciauit, dicēs: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum: conſequenter à diebus illius, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Grandis enim eſt violentia in terra nos eſſe generatos, & cælorum ſedem quærere: Poſſidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam.

A diebus Ioannis 1 ſenſ. Violenti rapiunt cælum.

Hier. Et epiſt. ad Algaſiam quæſt. 1: Regnum cælorum vim, &c. vt qui homo natus eſt, Angelus eſſe deſideret: & terrenum animal cæleſte quærat habitaculum. 1 ſen.

Hier. Et epiſt. ad Militem fo. 4. quæ incipit: Etſi ignotus tibi ſim facie, &c: In Euangelio, quo ardore properandum ſit ad conuerſionem; oſtendit, cum dicit: A diebus Ioannis regnum cælorum vim patitur, & qui vim faciunt, rapiunt illud. Talis violentia Deo grata eſt quæ neminem concutit, nullius damno committitur, in hanc rapinam manus tuas verte, quæ crimen non habet, & confert ſalutem. Et quid militarium ſtipendiorum curationes cum inuidia violentię curare: cum forſitan pro tua honeſtate, etiam debitorum moderatus exactor ſis? Cum ſine cuiuſquam inuidia, & cum Dei gratia poſſis eſſe violentus, vt rapias regnum cælorum; quod ſibi auferri patitur: & gaudet Chriſtus inuadi; qui pro abundantia charitatis, & potentiæ ſuæ capax eſt largiendi, quod tenet; & quod donauerit, obtinendi?

Violentia, & rapina bona. 1 ſenſ.

Iren. Iren. lib. 4. cap. 72: Qui vim faciunt, diripiunt illud, hoc eſt, qui cum vi, & agone vigilantes inſtanter. 1. ſenſ.

Aug. Aug. ſerm. 20. de Sanctis: De perſona Ioannis Euangeliſta teſtatur: A diebus Ioannis regnum cælorum vim patitur. Nouimus quia familiariter mens humana in diuerſis huius mundi illecebris, & concupiſcentijs deuicta, fugit laborem, expetit voluptatem, & vix adducitur vt conſuetudinem à ſe vitæ prioris excludat: Sed cum cæperit cogitare vltimi diei neceſſitatem, ac futuri iudicij pondus, incitata & ſtimulata vel ſpe præmij, vel timore ſupplicij voluntarium bellum indicit paſſionibus, & vim facit deſiderijs ſuis priſtinis, & violenter vincere ipſa contendit. Non enim ſine violentia fieri poteſt, vt de abundantia, & delicijs, ad famem, & ſitim, ad abſtinentiam, & crucem tranſeat; vt ſomno prius, atque otio amicam carnem, contritione, vigilijſque conficiat. Non, inquam, ſine violentia fieri poteſt, vt vnuſquiſque iracundiam patientia, ſuperbiam humilitate commutet; amore paupertatis diuitiarum, ac ſufficientiæ affluentiam ſuperet, vinolentiam ſobrietate, luxuriam caſtitate condemnet, & homo ſubito in virum tranſformetur perfectum, & quodammodo alter reddatur ex altero; ac ſic à talibus per violentiam regnum cælorum diripitur; Duo autem ſunt abſtinentiæ, & crucis genera, vnum corporale, aliud ſpiritale; vnum à potu, atque epulis temperare. Appetitum gulæ à delectationibus, & molliſſimis ſuauitatibus coërcere, ab his, quæ per tactum, & guſtum, viſumque decipiunt, ſenſum viriliter reuocare, ac violenter abſtrahere. Alterum abſtinentiæ, & crucis genus eſt pretioſius, atque ſublimius; motus animi regere, & perturbationes illius modeſtiæ tranquillitate placare. Iræ, atque ſuperbiæ impetus quaſi feram beſtiam refrænare; litigare quotidie contra vitia ſua, increpare ſe quadam cenſura auſteritatis, & virtutis, & rixam quodammodo cum homine interiore conſerere. Pretioſa in conſpectu Dei, & glorioſa crux, cogitationes malas in poteſtatem redigere, voluntates proprias abnegare; eaſque interiori examinatione diſcutere, & regentis imperio ſubiugare. A ſermone, atque opere quo anima læditur, tamquam à cibis noxijs abſtinere. Et ſenſum ab his, quæ contraria ſunt ſpiritali temperantia ſobrium cuſtodire: Hæc qui facit perrupto paſſionis muro violenter ad cælorum regna conſcendit. Vim itaque ſibi factura eſt anima, vt palmam laborum quam ſibi ſubtrahi, multis inimicis aduerſantibus ſentit, viribus contendat eripere. Neceſſe ergo eſt cum ſummo labore ex hoc mundo rapere palmam ſalutis, & quaſi excubantibus, & circumiectis hoſtibus obſeſſos, peruigili intentione fructus decerpere, & prædam à theſauro vitæ velut de medio abreptam ſæculi huius incendio reportare. Eſt & aliud direptionis genus, quando alijs promiſſa, & oblata diripimus. Saluator ad hoc vel maximè ſuſcepta incarnatione deſcenderat, vt Iudæorum populum iuſtificaret. Sicut ipſe in Euangelio loquitur: Non ſum, inquit, miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël. Sed & diſcipuli ita incredulam ſynagogæ plebem coarguebant, vobis, inquiunt, prius oportuerat verbum Dei loqui; ſed quia vos indignos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Ergo cum Iudæi munera ſibi parata reſpuerent, publicani, & peccatores ex gentibus crediderunt, ac ſic rapit Eccleſia ſynagogæ regnum; Regnum enim noſtrum Chriſtus eſt. Rapimus itaque eum, cùm à Iudæis occiditur, ſepelitur à nobis. Rapimus itaque eum illis dormientibus, ſicut ipſi in Euangelio confitentur: Dicite, inquiunt, quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus. Surgat ergo, qui dormit, ne forte Chriſtum per negligentiam reſolutus amittat; dum mens eius in infidelitate, & in torpore, dormitat. Rapitur itaque regnum cælorum dum negatur à domeſticis, & à gentibus adoratur. Rapitur cum alijs ad ſalutem mittitur, ab alijs inuenitur. Cum enim ſui eum recuſent, ſuſcipiunt alieni. Inſectantur proprij, complectuntur inimici.

1. ſen.

Crux duplex.

1 ſenſ.

Regnum cælorum Chriſtus eſt.

Quando

Quando hæreditatem ciuis reſpuit, peregrinus inuadit, filius repudiat, ſeruus recognoſcit. Adhuc & alio ordine regnum cœlorum vim patitur. Quando illud homines acquirunt, quod Angeli perdiderunt. Quando illuc adoptati humiles adſcendunt, vnde ſuperbi incolæ ceciderunt. Ergo cum inter tantos inuidos, inter tantos latrones, & inuiſibiles inſidiatores viuamus, quibus tandem viribus cœlorum regna capiemus? Quis, inquam, niſi obediendo doctoribus, & vitijs, & iniuſtitijs ex cupiditate naſcentibus reſiſtendo, deflendo peccata, & ea ieiunijs, atque eleemoſynis redimendo. Ambr. in fine lib. 5. in Luc. habet duos priores ſenſus.

Et cap. 16. Manua: O fœlix iucunditas, & iucunda felicitas, ſanctos videre, cum ſanctis eſſe, & ſanctum eſſe, Deum videre, & Deum habere in æternum, & vltra: hæc ſedula mente cogitemus, hæc toto deſiderio deſideremus, vt ad eos cito peruenire valeamus. Si quæras, quomodo iſtud poteſt fieri, vel quibus meritis, quibusue auxilijs? audi, res iſta poſita eſt in poteſtate facientis, quoniam regnum cœlorum vim patitur, regnum cœlorum, ô homo, aliud non quærit pretium, niſi teipſum. Tantum enim valet quantum es, te da, & habebis illud. Quid turbaris de pretio? Chriſtus ſemetipſum tradidit, vt acquireret te regnum Deo Patri, ita tu temetipſum da, vt ſis regnum eius, ac non regnet peccatum in tuo mortali corpore; ſed ſpiritus in acquiſitione vitæ. Et lib. 2. Quæſt. Euangel. cap. 37: Regnum cœlorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud. Non ſolum vt quiſque iſta contemnat; ſed etiam linguas deridentium ſe talia contemnentem. Hic enim vi facta inuadit quodammodo quaſi prædator violentus regna cœlorum. Hoc enim ſubiunxit Euangeliſta, cum dixiſſet, deriſum fuiſſe Ieſum à Phariſæis, cum de contemnendis terrenis diuitijs loqueretur. Et lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 25: Sed quam verum eſt quod regnum cœlorum vim patitur. Et qui vim faciunt, diripiunt illud. Quanta enim vi opus eſt, vt homo diligat inimicos; & oderit patrem, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres? vtrumque enim iubet, qui ad regnum cœlorum vocat.

Ambr. ſerm. 15: Compellitur ergo operibus noſtris Dominus, vt nobis ſuam miſericordiam largiatur. Atque ideo ipſe in Euangelio ſancto dicit: A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cœlorum cogitur. Regnum cœlorum non niſi Chriſtus eſt Dominus, qui regnat in cœlis. Cogi autem verbum tunc ſolet dici, cum res aliqua rarior aſſidua operatione denſatur. Ex quo ergo Ioannes Baptiſta Saluatoris annunciauit aduentum: ex eo regnum cœlorum quod prius fluidum, & remiſſum apud Iudæos iacebat, credentium populorum cœpit aſſiduitate denſari, & omnis illa regni raritas prędicationum frequentatione ſolidari. Tam enim rarum fuit apud Iudæos regnum, vt tranſiret ad gentes, tam fluidum vt emanaret ad populos. Nunc autem tanta credentium cogitur denſitate, vt fixum, & ſolidum maneat ſine fine; ſicut ſcriptura dicit: Et regni eius non erit finis. Cogimus ergo regnum cœlorum, & vim quodammodo facimus, ſicut ait Euangelica lectio: Et vim facientes diripiunt illud. Vim, inquam, facimus Domino, non compellendo, ſed flendo. Non prouocando iniurijs, ſed lacrymis exorando; Non blaſphemando per ſuperbiam, ſed per humilitatem mœrendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, ſed miſericordia condonatur: beata, inquam, violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit, & vtilitatem tribuit inferenti; mala res admittitur, & de iniuria nemo cauſatur: vis admittitur, & religio propagatur. Quiſquis enim violentior Chriſto fuerit, religioſior habebitur à Chriſto.

Greg. hom. 20. in Euang: Quia verò ad magna nos opera Ioannes admonet, dicens: Facite fructus dignos pœnitentiæ; & rurſus: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas ſimiliter faciat: Iam patenter datur intelligi, quid eſt quod Veritas, dicit: A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, quæ ſupernæ verba ſententiæ, nobis ſunt magnopere perſcrutanda: nam quærendum eſt quomodo vim perpeti regnum cœlorum poſſit. Quis enim cœlo violentiam irrogat? Et rurſum quærendum eſt, ſi pati vim regnum cœlorum poteſt, & violenti rapiunt illud, cur eandem vim à diebus Ioannis Baptiſtæ, & non etiam ante, pertulerit? Sed cum lex dicat: ſi quis hæc, vel illa fecerit, morte moriatur, cunctis legentibus liquet, quia peccatores quoſque pœna ſuæ ſeueritatis perculit, non autem pœnitentia ad vitam reduxit. Cùm verò Ioannes Baptiſta Redemptoris gratiam præcurrens pœnitentiam prædicat, vt peccator, qui ex culpa mortuus eſt, per conuerſionem viuat; profecto à diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cœlorum vim patitur. Quid eſt autem regnum cœlorum, niſi locus iuſtorum? Solis enim iuſtis cœleſtis patriæ prœmia debentur, vt humiles, caſti, mites, atque miſericordes, ad gaudia ſuperna perueniant. Cùm verò quis vel ſuperbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accenſus, vel crudelitate impius, poſt culpas ad pœnitentiam redit, & vitam æternam percipit, quaſi in locum peccator intrat alienum. A diebus ergo Ioannis Baptiſtæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; quia qui pœnitentiam peccatoribus indixit, quid aliud quam regno cœlorum fieri violentiam docuit? Recogitemus ergo, fratres chariſſimi, mala quæ fecimus, & noſmetipſos aſſiduis lamentis atteramus; hæreditatem iuſtorum, quam non tenuimus per vitam, rapiamus per pœnitentiam, vult à nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti. Nam regnum cœlorum rapi vult noſtris fletibus, quod noſtris meritis debetur; Ab ſpei ergo certitudine nulla nos malorum noſtrorum qualitas, nulla frangat quantitas: præſtat magnam veniæ fiduciam latro ille venerabilis, qui non inde venerabilis vnde latro, nam latro ex crudelitate,

Margin notes: 3 ſenſ. — Quomodo [illegible] — Amb. — Aug. — Quomodo [illegible] — Aug. Luc. 19. — Aug. — Amb. — [illegible] — Greg. — A diebus Ioannis. — Regnum cœlorum quid ſit.

delitate, venerabilis ex confeſſione.

Baſ. Baſil. ſerm. de abdicatione: Caue putes eos omnes fieri ſaluos, qui intra ſuas cellas ſe contineant, & vitioſos iuxta ac bonos, neque enim ita res habet; quando ſunt quidem multi, qui ad honeſtæ vitæ genus ſe conferunt; rariſſimi autem qui ipſius iugum ſuſcipiant, violentorum eſt enim regnum cœlorum, & violenti rapiunt illud: Verba hæc Euangelij ſunt. Violentiam appellauit aſſiduam, & acrem corporis in laboribus fatigationem: Quod nullius impulſu, ſuapte, ſponte, Chriſti diſcipuli faciunt: cum & voluntatem propriam, & corporis laxamentum abnegant omne, & magiſtri ſui præcepta omnia conſeruant. Quocirca ſi tibi in animo eſt rapere regnum Dei, violentiæ te dato, ceruices tuas Chriſti ſeruitutis iugo ſubmittito, & eius loris collum tuum arctè circumquaque cohibeto. Premat illud ceruicem tuam: labore illud virtutis atterito, ieiunando, vigilando, ipſum te omnibus ſubijciendo taciturnitatem ſeruando, pſalmos aſſiduè decantando, orationibuſque, & lacrymis operam dando, & manibus laborando, cuiuſquemodi difficultates omnes tolerando, ſiue illæ à dæmonibus, ſiue ab hominibus afferantur. Caue ne quod aliquo modo elatè nimis de te ipſo ſentias, in animum inducas tuum, vt de priſtina laborum aſſiduitate quicquam remittas; Ne ſi in ipſis vitæ foribus, nempe è mundo migraturus, nudus virtutibus inuentus ſis, à cœleſti regno excludare.

1 ſenſ.

Violentia quid ſit.

Naz. Nazianz. orat. 40: Vobis prouidendum eſt, ne ad gratiam cunctàter accedatis; verum ſummam celeritatem adhibeatis, ne latro vobis anteuertat, ne adulter vos prætereat, ne auarus ſuperiores ferat, ne Sicarus bonum illud vobis præripiat, ne Publicanus, ne Scortator, ne denique quiſquam ex ijs, qui per vim in regnum irrumpunt; illudque rapiunt, vltro enim ſibi vim afferri patitur, ac propter bonitatem tyrannicè inuaditur.

Nice. Niceras in eundem Nazianzeni locum: Regnum cœlorum vim patitur, hoc eſt, per vim
1. ſenſ. rapitur, ac multo labore comparatur; & violenti rapiunt illud, qui ſibi ipſis vim adferunt, atque affectuum tyrannidem vi frangunt, &
Regnum cœlorum Chriſtus eſt. debilitant. Porro per regnum hoc loco Chriſtum intelligit, vt cœlorum regem, qui pro ſua bonitate vltro, ſummo tamen cum labore, & ærumna, capi ſe, poſſiderique ſinit, vt ſalutem aſſequamur.

Chryſoſt. Chryſoſt. homil. 10. in poſterio. ad Timoth: Quamdiu pauperes, quamdiu inopes ſumus? cœlum nobis proponitur, & circa terrena verſamur: patet cœlorum regnum ad diripiendum, nos terrenam malumus paupertatem. Immortalis aperitur vita, & nos circa ligna, & lapides, villaſque conſumimur? Eſto diues, hoc enim & ipſe volo, poſſide, affatim diripe, nulla hic culpa eſt: ſic non abundare crimen eſt: ſic non diripere culpa eſt. Quid ergo iſtud eſt? Regnum cœlorum, inquit, vim patitur, & violenti rapiũt illud. Eſto illic violentus, eſto rapax, non minuitur, quod rapitur. Neque enim ſcinditur virtus: non minuitur, neque pietas, neq; cœlorum regnum: tunc virtus augetur, dum rapis: tunc minuuntur temporalia, dum diripis. Quod inde conſtabit. Sint in ciuitate decem millia viri. Hi ſi quidem virtutem omnes iuſtitiamque rapiant, vberiorem illam fecêre: quippe in decem millibus fit, & decem millia viri fiunt iuſti: e-nimuerò niſi rapiant, minuunt: nuſquam enim apparet. Vides vt bona dum rapiantur, abundant magis: terrena vero dum fuerint direpta minuuntur. Non itaque conſeneſcamus inopia; ſed diuitias ambiamus. Diuitiæ Dei ſunt, ſi plures ſint, qui cæleſti regno fruantur. Diues, inquit, in omnes qui inuocant eum. Augete illius opes contende: augebis autem, ſi abundas, ſi inferas vim, vi enim re vera opus eſt. Cur id?
Cur vi opus. Quia plurima ſunt impedimenta, vxores, liberi, curæ, mundana negotia, atque vna dæmones, & diabolus ipſe dæmonum princeps. Vi ergo opus eſt, & tolerantia. Qui viribus agit, in laboribus eſt: Quippe omnia ſuſtinet, atque aduerſus neceſſitatem ſtat. Quo pacto? fermè impoſſibilia conatur. Huiuſmodi ergo ſunt veri, fœliceſque violenti, nos ne poſſibilia quidem conamur: Quomodo itaque conatus noſtri potiemur effectu? Quando ea quæ cupimus conſequemur? Violenti, inquit, rapiunt cœlum, violentia, & rapina opus, neque enim in promptu, atque ad manus eſt cœlorum regnum. Raptor huiuſmodi ſemper ſobrius, vigilque perdurat, & in cura, cogitationibuſque verſatur, vt rapere opportunè poſſit. Nõne aſpicitis, vt qui in bello rapere aliquid cupit, noctem totam peruigil duret in armis? Si igitur qui ſecularia rapiunt, noctem in armis, & vigilijs ducunt: quanto ſtudio egemus nos, qui molimur ſpiritualia, quæ ſunt digniſſima, rapere? At contra quibus cæleſtia conſequi propoſitum eſt, etiam die media dormimus, ac ſtertimus, ſemperque nudi, & inermes ſumus. Qui enim peccatis inuerſatur, inermis, & nudus eſt, ſicut qui iuſtitiam fouet, armatus: non eleemoſynis munimur, non nobis accenſas lampades præparamus, non vndique tegimur armis: non iter quo illuc pergatur, addiſcimus, non ſobrij vigilanteſque perſiſtimus, atque ideo nihil rapere poſſumus. Si quis regnum inuadere nititur, nonne innumeras ante ſibi mortes proponit? nonne cum ſeſe inſtruxerit armis, cum rei bellicæ peritus euaſerit, cum omnia huius rei gratia compararit, ita demum inuadere pergit? Non ita nos agimus; ſed dormitantes rapere volumus, atque ideo vacuis manibus abimus. Non vides raptores quomodo fugiant, quomodo currant, quomodo omnia impedimenta diſrumpant?

Not. 10. verſ. 11.

HIER. Matth. 11: Omnes enim Prophetæ, & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt. Non quod poſt Ioannem excludat Prophetas: Legimus enim in Actibus Apoſt. & Agabum prophetaſſe, & 4. virgines filias Philippi, ſed quod lex, & Prophetæ, quos ſcriptos legimus, quid-

Hier. Poſt Ioannem fuere Prophetæ. Act. 11. & 21.

quid

quid prophetauerunt, de Domino vaticinati ſunt; Quando ergo dicitur, omnes Prophetę, & lex vſq; ad Ioannem prophetauerunt, Chriſti tempus oſtenditur. Vt quem illi dixerunt eſſe venturum; Ioannes veniſſe oſtenderet. Hoc quod dictum eſt, ſi vultis recipere, ipſe eſt Helias: myſticum eſſe, & egere intelligentia, ſequens ſermo Domini demonſtrat, dicens: Qui habet aures audiendi, audiat; ſi enim planus eſſet ſenſus, & manifeſta ſententia, quid neceſſe fuit, nos ad illius intelligentiam præparari? Helias ergo Ioannes dicitur non ſecundum ſtultos philoſophos, & quoſdam Hæreticos, qui *metem ſichoſin* introducunt; ſed quod, iuxta aliud teſtimonium Euangelij venerit in ſpiritu, & virtute Heliæ; & eandem ſancti Spiritus, vel gratiam habuerit, vel menſuram. Sed & vitæ auſteritas, rigorque mentis Heliæ, & Ioannis pares ſunt; Ille enim in eremo, iſte in eremo; ille zona pellicea cingebatur, & iſte ſimile habuit cingulum. Ille quoniam Regem Achab, vt Ieſabel impietatis arguit, fugere compulſus eſt; Iſte quia Herodis, & Herodiadis illicitas arguit nuptias, capite truncatur: Sunt qui propterea Ioannem Heliam vocari putant, quod quomodo in ſecundo Saluatoris aduentu iuxta Malachiam præceſſurus eſt Helias, & venturum iudicem nunciaturus: ſic Ioannes in primo aduentu fecerit, & vterque ſit nuncius, vel primi aduentus Domini, vel ſecundi. Et epiſt. ad Algaſ. quæſt. 1: Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem prophetauerunt; non quod Ioannes Prophetarum ſit finis & legis; ſed ille, qui Ioannis teſtimonio prædicatus eſt. Ioannes autem ſecundum myſterium, quod in Malachia ſcriptum eſt, ipſe eſt Helias, qui venturus eſt: non quod eadem anima (vt Hæretici ſuſpicantur) & in Helia, & in Ioanne fuerit, ſed quod eandem habuerit ſancti Spiritus gratiam; zona cinctus, vt Helias; viuens in eremo, vt Helias, perſecutionem paſſus ab Herodiade, vt ille ſuſtinuit ab Ieſabel; vt quomodo Helias ſecundi præcurſor aduentus eſt, ita Ioannes venturum in carne Dominum Saluatorem non ſolum in eremo, ſed etiam in Matris vtero ſalutarit, & exultatione corporis nunciarit.

Quomodo Prophetæ vſque ad Ioannem.

Hier.

Chryſoſt. homil. 19. oper. imperfect: Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem non quia futuri non erant poſt Ioannem, fuerunt enim & Agabus, & Sylas, & multi. Sed quia Prophetia de Chriſto non erat venturo poſt eum. Ergo poſt Ioannem Prophetia quidem de Chriſto futuro ceſſauit: Prophetæ autem & fuerunt, & ſunt: Sed non qui prophetarent de Chriſto; ſed qui interpretarentur ea quæ de Chriſto ab antiquis fuerant prophetata, id eſt, Doctores Eccleſiarum. Et hom. 32. in prio. ad Corinth: Quod autem Chriſtus legem, & Prophetas ad Ioannem vſque duraſſe dicit, de Prophetis aduentum ſuum prænunciantibus eſt locutus.

Chryſoſt.

Ambr. in Pſal. 48: Hunc locum etiam intelligit, de auribus ſpiritualibus interioris hominis.

Amb.

Gaudent. Brixen. ſerm. 9: Nouerat vniuerſis ineſſe aures; ſed non omnibus audiendi, neque enim computabitur audiſſe, qui cordis hebetudine obtuſus, quid audiuit, ignorat.

Gaud.

Cypr. lib. 1. aduerſus Iudæos cap. 9: Ex hoc Matt. loco ſicut etiam ex cap. 8. Iſaiæ, docet legem, quæ per Moyſen data eſt, ceſſaturam fuiſſe. Cypr.

Aug. quæſt. 15. lib. quæſt. noui teſtamenti: Legis quidem nomen vnum eſt, ſed tripartitam habet intelligentiam. Prima enim pars legis de Deo eſt. Sic enim lex ab electione dicta eſt: vt de multis quid eligas ſcias. Inter errores ergo poſiti acceperunt, vt eligant verum, id eſt, reprobato diabolo eligant Deum. Secunda autem legis pars hæc eſt, quæ præceptis continetur, quæ ſic incipit: Honora patrem, & matrem. Tertia verò in Neomenijs, & in ſabbato eſt; & in eſcis diſcernendis, ac eligendis; & in circunciſione, & in hoſtijs pecudum offerendis. Hanc itaque legem dicit Chriſtus vſque ad Ioannem non vltra, ſeruandam. Sic enim data eſt, vt completo tempore, ceſſaret. Nec enim fuit ab initio; ſed ex cauſa data ad tempus eſt, vt adueniente Saluatore ceſſaret lex. Ergo de Deo manet tam lex præceptorum, quam natura eius.

Aug. Ex triplici legis parte conſtat, quid in ea ſit abrogatū, & quid adhuc ſeruandum. Lex ab electione dicitur. Quomodo vſque ad Ioannem.

Et tract. 4. in Ioan: In Ioanne Dominus præfigurare voluit futurum aduentum ſuum; & hoc dicere, quando dixit: Ioannes eſt Elias, quia in ſpiritu Eliæ erat Ioannes: & quod erat Ioannes ad primum aduentum, hoc erit Elias ad ſecundum aduentum. Quomodo duo aduentus iudicis, ſic duo præcones. Iudex quidem ipſe, præcones autem duo, non duo Iudices. Oportebat autem Iudicem primo venire iudicandum. Miſit ante ſe primum præconem: vocauit illum Eliam, quia hoc erit in ſecundo aduentu Elias, quod in primo Ioannes, &c. habet ibidem plura, ſicut & quæſt. 58. lib. 83. quæſt.

Aug. Hoc erit in ſecūdo aduentu Elias, quod in primo Ioannes.

Not. 11. ver. 12.

Bed. Lucæ 7: Iuſtificatur Deus ipſe per baptiſmum, dum ſe homines peccata propria confitendo iuſtificant; ſicut ſcriptum eſt: Dic tu iniquitates tuas vt iuſtificeris: Et iuſtificatur in eo quia non per contumaciam refutatur, ſed per iuſtitiam Dei munus agnoſcitur. Iuſtus enim Dominus, & iuſtitias dilexit. In eo ergo iuſtificatio Dei eſt, ſi non ad indignos, & obnoxios; ſed ad innocentes per ablutionem factos videatur, & iuſtos ſua munera tranſtuliſſe; Dauid quoq; dicit: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris; Ergo is qui peccat, & confitetur Deo peccatum, iuſtificat Deum, cedens ei vincenti, & ab eo gratiam ſperans. In baptiſmate igitur iuſtificatur Deus, in quo eſt & confeſſio, & venia peccatorum. Quod dicit, in ſemetipſos: vel contra ſemetipſos ſignificat: quia qui gratiam Dei reſpuit, contra ſemetipſum facit: vel ad ſemetipſos miſſum Dei conſilium ſtulti, & ingrati vituperantur noluiſſe recipere; Conſilium ergo Dei eſt, quo per Paſſionem, & mortem Domini Ieſu mundum ſaluare decreuit.

Bed. Quomodo iuſtificetur Deus. Eſa. 43. Pſalm. 10. Pſal. 50. In ſemetipſos, id eſt, in ſuā eorum perniciem. Conſilium Dei.

uit. Sed hoc Phariſæi, & legis periti ſpreuerunt, reſpuentes ſecretum, & ſalubre myſterium; cuius auſpicia in Ioannis prædicatione baptiſmoque præceſſerunt; ſed tamen eidem conſilio neſciendo, ac nolendo ſeruientes; iuxta quod eis Apoſtolus Petrus de Domino loquens ait; hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemiſtis, hoc ex perſona Euangeliſtæ interpoſitum dicas: audiens Chriſtum populus, de Ioannis magnitudine diſputantem intelligitur: at ſi à Domino dictum interpreteris, audiens Ioannem populus deſignatur.

Amb. 'Ambr. lib. 6. in Luc: Aperuit Lucas ſpecialibus additis, quod quaſi generalibus Matthæus ſubobſcurum reliquerat. Ille enim ait: Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs. Primum, quæ ſit illa ſapientia hic videmus expreſſum, ait enim, iuſtificauerunt, Deum.

Lucas Matthæum explanat.

Chryſoſt. Chryſoſt. homil. 38. in Matth: Lucas ad ea, quæ dicta ſunt, aliud etiam addit, quo multo magis Iudęi accuſandi eſſe videntur, dicit enim: Quoniam Publicani iuſtificauerunt Deum ſuſcipientes baptiſma Ioannis.

Duo Euãgeliſtæ hoc tractant vers. 12 Luc. ſolus habet.

Eut. Euth. Lucæ 7: Iuſtificauerunt, ſiue gratias ei egerunt, qui Baptiſtam ſibi miſerat, prouidens ipſorum ſaluti: Chriſti autem & hic ſermo eſt: Conſilium Dei vocat ipſum baptiſma, tanquam Dei præcepto factum; vt eſt Lucæ 3.

Theoph. Theophylact. Lucæ 7: Iuſtificauerunt, hoc eſt, honorauerunt; eo quod Prophetam eius ipſi ſuſcepiſſent: Phariſæi autem, & Legiſperiti, non ſuſcepto Ioanne Deum non honorauerunt.

Not. 12. verſ. 13.

Eut. EVTH. Matt. 11: Lucas habet: Cui aſſimilabo homines generationis huius? Aſſimilabo verò, id eſt, comparabo, vult autem eſſe difficile conuincere Iudæos. Puerulis Iudæos comparauit, propter eorum inſipientiam. Forum autem locus eſt publicus, in quem multitudo vndique confluit negotiationis gratia. Conſodalibus vero, hoc eſt, amicis ſuis: & ſeipſum, ac Baptiſtam intelligit, quibus acclamabant, ſiue colloquebantur Iudæi. Tibia cecinimus vobis, &c. habent autem hunc ſenſum: Oſtendimus vobis facilem viuendi normam: & non placuit, ac difficilem, & rurſus diſplicuit: Tibia namque læta canere facile eſt: lugubria verò canere difficile, & rurſum ſaltare, altero læta canente tibia delectat. Similiter plangere, ſiue lugere, aliquo lugubria canente complacet.

Duo Euãgeliſtæ hoc tractant.

Forum quid ſit.

Theop. Theophylact. Luc. 7: Erat quoddam ludi genus apud Iudæos. In partes enim duas pueri multi diuidebantur, & quaſi vitam deridebant: alij ex vna parte lamentabantur: alij ex altera tibijs canebant: Et neque lugentes curabant hi, qui ex altera parte: neque tibicines ipſos curabant hi, qui lugebant: Taxat igitur Dominus Phariſæos, qui neque lugebant cum Ioanne lugubrem vitam agente, & pœnitentiam introducente, neque eum imitabãtur: neque obtemperabant Ieſu vitam præ ſe ferente ciuiliorem: ſed ambos repellebant; nec lugentes cum Ioanne lugente; neque concinentes cum Ieſu tibijs canente, hoc eſt, remiſſiore. Et Matth. 11: Inſinuat hic Iudæorum moroſitatem, difficiles enim moribus, neque Ioannis auſteritate, neque Chriſti ſimplicitate inuitari potuerunt; ſed ſimiles fuerunt pueris contumacibus, quos neque facilitate, neque luctu quis placarit. Theop.

Aug. Aug. lib. 2. quæſt. Euang. cap. 11: De pueris ſedentibus in foro, & ad inuicem clamantibus, conuerſo ordine, ad propoſita reſpondit. Nam quod ait: Lamentauimus, & non ploraſtis: ad Ioannem pertinet; cuius abſtinentia à cibis & potu, luctum pœnitentię ſignificabat. Quod autem ait: Cantauimus tibijs, & non ſaltaſtis; ad ipſum Dominum pertinet, qui vtendo cum cæteris cibo, & potu lætitiam regni figurabat: at illi nec humiliari cum Ioanne, nec gaudere cum Chriſto voluerunt, dicentes illum dæmonium habere, iſtum voracem, & ebrioſum, & amicum Publicanorum, & peccatorum.

Baſ. Baſil. in Pſal. 29: Quod autem ſit laudabilis quidam luctus, oſtendunt pueri, vt ait Euangelium, in foro ſedentes, atque dicentes: Lamentati ſumus vobis, & non ploraſtis: Tibia cecinimus vobis, & non ſaltaſtis. Eſt autem tibia inſtrumentum muſicum, quo vtimur ad melodiam reddendam flatu cooperante. Ex quo exiſtimo quemuis ſanctum Prophetam figuratè tibiam nominari, ob motum à ſancto prouenientem ſpiritu. Ideo dicit: Inflauimus tibiam, & non ſaltaſtis. Prophetici enim ſermones, nos ad actionem ſanctæ Prophetiæ conſentaneam, & concinnantem adhortantur, quæ hic dicitur ſaltatio quædam. Sed & Prophetæ nobis lamentantur, ad luctum nos prouocantes; vt ſimul ad conſenſionem & cognitionem peccatorum noſtrorum delati, ex propheticis ſermonibus, noſtrum lugeamus exitium, laboribus multis, & ærumnis carnem noſtram affligendo.

Luctus laudabilis.

Propheta eſt tibia.

Amb. Ambr. epiſt. 36: Cantauimus vobis, & non ſaltaſtis; derelicti ſunt itaque Iudæi, qui non ſaltauerunt, qui neſcierunt manibus ſuis plaudere, aſcitæ ſunt gentes, quæ ſpiritualem Deo plauſum dederunt. Et lib. 2. de pœnitent. cap. 6: Vide ne reluctando mandatis cœleſtibus in deuotionem Iudæorum incidas, quibus dicit Dominus Ieſus: Cantauimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non ploraſtis. Vilis ſermo, ſed non vile myſterium. Et ideo cauendum ne quis vulgari quadam ſermonis huius deceptus interpretatione, putet nobis ſaltationis lubricæ hiſtrionicos motus, & ſcenæ deliramenta mandari (hæc etiam in adoleſcentula ætate vitioſa ſunt) ſed ſaltationem eam mandauit, qua ſaltauit Dauid ante arcam Domini. 2. Reg. 6. Totum enim decet quidquid defertur religioni, vt nullum obſequium, quod proficiat ad cultum, & obſeruantiam Chriſti erubeſcamus, non ergo illa deliciarum comes, atque luxuriæ ſaltatio prædicatur: ſed qua vnuſquiſque corpus attollat impigrum, nec humi pigra iacere membra, vel tardis ſinat torpere veſtigijs. Saltabat ſpiritua-

Amb.

Phil. 1. ſpiritaliter Paulus, cum ſe pro nobis extende-
ret, & poſteriora obliuiſcens, priora appetens
contenderet ad brauium Chriſti. Tu quoque
cum ad baptiſmum venis, manus eleuare, pe-
des, quibus ad æterna conſcendas velociores
habere admoneris. Hæc ſaltatio fidei ſocia, gra-
tiæ comes. Hoc eſt ergo myſterium: Cantaui-
mus vobis, noui vtique canticum teſtamenti, &
non ſaltaſtis, hoc eſt, non eleuaſtis animum ad
ſpiritalem gratiam. Lamentauimus, & non plo-
raſtis, hoc eſt, non egiſtis pœnitentiam, & ideo
derelictus eſt Iudæorum populus; quia nec egit
pœnitentiam, & gratiam refutauit: Per Ioan-
nem pœnitentia, per Chriſtum gratia. Iſtam
quaſi Dominus donat, illam quaſi ſeruus an-
nunciat. Vtrumque igitur Eccleſia cuſtodit, vt
& conſequatur gratiam, & non abijciat pœni-
tentiam. Gratia enim munus largientis, pœni-
Amb. tentia delinquentis remedium. Et ſer. 80:
Vereor ne hæc Euangelica lectio pleriſque de
Cantare, & lamentari quid ſit. vobis congruat, quæ ait: Cantauimus vobis, &
non ſaltaſtis: lamentauimus, & non ploraſtis.
Annunciauimus ergo vobis regni cœleſtis gau-
dium: & minimè corda veſtra motu quodam a-
lacritatis exultant. Prædicamus triſte iudicium,
& ſenſus veſtri ad pœnitentiam in lachrymas
non prorumpunt. Infidelitatis enim genus eſt,
in diuinis rebus nec gaudere proſperis, nec fle-
[illegible]am C[illegible]ionem [illegible]eus requirat. [illegible]altantis [illegible]ditio[illegible]s. re contrarijs. Saltationem ergo à nobis requi-
rit Dominus, non vtique ſinuoſi volubilitatem
corporis; ſed extollentis ſe fidei ſanctitatem: ſi-
cut enim qui corporaliter ſaltat, nunc in aëre
ſuſpenditur; nunc ad altiora iactatur; nunc al-
1 terius ſaltibus loca diuerſa colluſtrat; ita & qui
ſpiritualiter ſaltat, interueniente fide, modo in
aëris ſublimitatem erigitur, modo in ſiderum
altiora tollitur; modo diuerſis cogitationum
ſaltibus paradiſum, cœlumque colluſtrat. Et ſi-
2 cut qui corporaliter ſaltat, volubilitate mem-
brorum ſe exercens girum ſibi ſaltationis acqui-
rit: ita & qui ſpiritualiter ſaltat fidei alacritate
ſemper mouens, girum ſibi totius orbis aſſumit.
3 Solent autem homines, ſicut mos eſt in ſuis vo-
tis hoc eſt nuptijs præcipuè ſaltare, vel canere;
vnde & nos habemus votiuas nuptias in quibus
ſaltare, vel canere debeamus. Vota enim no-
ſtra celebrantur quando Chriſto Eccleſia copu-
latur, ſicut ait Ioannes: Qui habet ſponſam,
Io. 3. ſponſus eſt, propter has ergo nuptias ſaltare
nos conuenit. Siquidem Dauid Rex pariter, &
2. Reg. 6 Propheta, dum multa cecinerit ante Arcam
Teſtamenti etiam ſaltaſſe dicitur: Elatus enim
Ante arcã Dauid cur ſaltauerit. gaudio in ſaltationem prorupit: præuidebat e-
nim in ſpiritu Mariam de germine ſuo Chriſti
Pſal. 18 thalamo ſociandam, vnde ait: Et ipſe tanquam
ſponſus procedens de thalamo ſuo. Ideo ipſe
præ cæteris Prophetiarum authoribus plus can-
tauit: Quia lætior cunctis per hæc gaudia ſuos
poſteros coniugabat, & ad propria vota ſolito
dulcius inuitans, docuit nos quid in ipſis nu-
ptijs facere deberemus, cum ille ante nuptias
tanta exultatione ſaltauerit ante Arcam. Arcam
Arcæ, & Mariæ cõparatio. autem quid niſi ſanctam Mariam dixerimus?
Siquidem Arca intrinſecus portabat teſtamenti
tabulas; Maria autem ipſius teſtamenti geſtabat 1
hæredem. Illa intra ſemet legem: hæc Euange-
lium retinebat. Illa Dei vocem habebat: hæc 2
verbum. Veruntamen Arca intus foriſque auri
nitore radiabat: ſed & S. Maria intus, foriſque 3
virginitatis ſplendore fulgebat. Illa terreno or- 4
nabatur auro: iſta cæleſti. Et ſerm. 7. in Amb.
Pſal. 118: Ipſe quoque Dominus non dedigna-
tus eſt dicere, cantauimus vobis, & non ſaltaſtis.
Cantauit nobis in Euangelio veniam delicto-
rum, debuerunt Iudæi mentem attollere non
hiſtrionico corporis motu, ſed S. Spiritu; non
fecerunt, ideo reprehenduntur. Sed etiam cor-
poris ſaltatio in honorem Dei laudabilis habe-
tur. Denique ſaltauit Dauid ante Arcam Do- 2 Reg. 6
mini, & vidit Michol filia Saul eum ſaltantem.
Etiam initio lib. 6. in Lucam de hoc verſu 13. Amb.
multa habet.

Not. 13. verſ. 14. 15.

Chryſoſt. CHRYSOST. homil. in Pſal. 44: Chriſtus
quoque via Ioanni contraria ingreſſus eſt; ille
enim comedebat; hic vero non comedebat.
Sed & ſi erant, quæ fiebant, contraria; vnum ta-
men finem reſpiciebant, nempe eorum, qui ſa-
gena erant capiendi, ſalutem. Et homil. 31. Chryſoſt.
in Matt: Audiant hæc, qui magnam ſibi per ie-
Calũnias ne curemus. iunium gloriam adipiſci ſtudent: diſcantque
Dominum edacem, viniique potatorem appel-
latum, non erubuiſſe. Omnia enim hæc deſpi-
ciebat, vt ad finem optatum perueniret, ſicut
& factum eſt. Eundem vide hom. 38. in Matt.

Bern. Bern. ſerm. in Natiu. Ioannis Baptiſtæ: Audi
Dominum in Euangelio: Venit, inquit, Ioan-
nes non manducans, nec bibens, planè nec ve-
ſtiens: ſicut enim non eſt locuſta cibus, niſi ali-
quorum fortè irrationabilium animalium; ſic
nec pilus cameli hominum eſt indumentum.
Quid tu pilos tuos camele depoſuiſti? Vtinam
gibbum magis depoſuiſſes. Quid vos irrationa-
biles feræ, & reptilia deſerti cibos exquiſitis
delicatos? Ioannes S. homo miſſus à Deo, imo
Angelus Dei, ſicut ait Pater, hic, quo nullus
maior in natis mulierum, innocentiſſimum il-
lud corpus ſic caſtigat, ſic extenuat, ſic affligit:
vos indui feſtinatis byſſo, & purpura, & ſplen-
didè epulari: Venit Ioannes, ait Dominus, nec
manducans, nec bibens. Incentiuum feruoris
id mihi eſt, & materia humilitatis. Quis enim
in vobis eſt, fratres, qui Ioannis pœnitentiam
intuens ſuam non dico magnificare; ſed alicu-
ius ſaltem momenti reputare præſumat? Quis
audeat murmurare in laboribus ſuis, & dicere:
ſatis eſt, quod patior, nedum nimis? Quæ enim
homicidia, quæ ſacrilegia aut flagitia, ſic pu-
niebat Ioannes in ſeipſo? Accendamur ad pœ-
nitentiam, fratres, interrogemus conſcientias
noſtras, & animemur ad vltionem exigendam
de nobis, vt horrendum poſſimus euadere iu-
dicium Dei viuentis. Quidquid verò minus eſt
feruoris, humilitas ſuppleat puræ confeſſionis.
Fidelis eſt Deus, ſi confiteamur iniquitates no-
ſtras, ſi miſerias noſtras exponamus, ſi non ex-
cuſemus

cuſemus infirmitates noſtras, dimittet nobis peccata noſtra.

Aug. — Vt Chriſtus dicatur manducans, & bibens: Ioannes vero non.

Aug. lib. 16. contra Fauſtum cap. 31: Vellem autem mihi iſti dicerent, quid manducabat, & bibebat Chriſtus, qui in comparatione Ioannis non manducantis, neque bibentis, ſe dixit manducantem,& bibentem? Cum enim argueret peruerſitatem hominum vtrobique calumnias inquirentium, venit, inquit, Ioannes, non manducans, neque bibens; & dicunt, dæmonium habet: venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & vinauria, amicus publicanorum, & peccatorum. Et Ioannis quidem eſcam, & potum nouimus: non enim dictum eſt,quod omnino non biberet,ſed quod vinum, & ſiceram non biberet. Bibebat ergo aquam. Cibus autem eius, non omnino nullus erat, ſed locuſtæ, & mel ſylueſtre. Vnde ergo dictus eſt non manducans,neque bibens, niſi quia illo victu, quo Iudæi vtebantur, ille non vtebatur? Hoc ergo Dominus niſi vteretur non eius comparatione manducans, bibenſque diceretur; An fortè ideo, quia pane, & oleribus Dominus veſcebatur, quibus Ioannes non veſcebatur: Mirum ſi non manducans dicitur, qui locuſtas, & mel comedit: & manducans dicitur, qui pane, atque olere contentus eſt.

Luc. 1. Matt. 3.

Auct. Dicitur nec manducans, nec bibens, quod non adeo communibus cibis vteretur. Nam qui longè ab hominum conſuetudine agebat, locuſtis, & melle ſylueſtri pellere famem conſueuerat: cibo vtebatur non cæteris communi; ſed eo, quem præ manibus habebat, nec vllo labore longè quæſitus, vel arte paratus erat.

Not. 14. verſ. 16.

Aug. — Vt ſapientia iuſtificetur à filijs, 1 ſenſ.

AVGVST. lib. 2. quæſt. Euangel. cap. 11: Quod autem ſubiungit,& iuſtificata eſt ſapientia ab omnibus filijs ſuis: oſtendit filios ſapientiæ intelligere nec in abſtinendo, nec in manducando eſſe iuſtitiam, ſed in æquanimitate tolerandi inopiam,& in temperantia,per abundantiam non ſe corrumpendi, atque opportunè ſumendi; vel non ſumendi ea,quorum non vſus, ſed concupiſcentia reprehendenda eſt. Non enim intereſt omnino quid alimentorum ſumas, vt ſuccurras neceſſitati corporis, dummodo congruas in generibus alimentorum his, cum quibus tibi viuendum eſt. Neque quantum ſumas multum intereſt, cum videamus aliorum ſtomachum citius ſatiari, & eos tamen illi ipſi paruo, quo ſatiantur ardenter, & intolerabiliter, & omnino turpiter inhiare: alios autem pluſculo quidem ſatiari, ſed tolerabilius inopiam perpeti, & vel ante ora epulas poſitas, ſi id in tempore aut opus ſit, aut neceſſe ſit, cum tranquillitate aſpicere, neque tangere. Magis ergo intereſt non quid, vel quantum alimentorum pro congruentia hominum, atque perſonæ ſuæ, & pro ſuæ valetudinis neceſſitate quis capiat: ſed quanta facilitate, atque ſerenitate animi careat, cum his vel oportet, vel etiam neceſſe eſt carere, vt illud in animo Chriſtiani compleat,quod Apoſtolus dicit: Scio, & minus habere, ſcio,& abundare in omnibus, & in omnibus imbutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Et illud: Neque ſi manducauerimus,abundabimus; neque ſi non manducauerimus, egebimus. Et illud: Non eſt enim regnum Dei eſca, & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium. Et quia ſolent homines multum gaudere de carnalibus epulis, addidit: in Spiritu S. iuſtificatur etiam ſapientia ab omnibus filijs ſuis, qui intelligunt vtendis terrenis, tempora opportuna eſſe debere. Facilitatem verò carendi talibus, & amorem fruendi æternis non variari oportere per tempora, ſed perpetuo retineri.

Phil. 4. 1 Cor. 8. Rom. 14. 2 ſenſ.

Amb. — Duplex ſapientia. Vt ſapientia iuſtificetur à filiis ſuis, 3. ſenſ.

Amb. lib. 6. in Luc: Quæ ſit illa ſapientia, Lucas expreſſit: ait enim:Iuſtificauerunt Deum, Deus ergo ſapientia eſt: quia ſapientia Dei filius eſt. Sapientia per naturam, non per profectum. Alia eſt ſapientia Dei Patris virtus; alia ſapientia, virtus animæ. Illa nata eſt. Hæc creata. Alia ſapientia author operum; alia opus. Opus enim mentis, ſapere prudenter, ſentire viuaciter. Hæc dona naturæ ſunt. Operator autem, non creatura eſt; ſed creator: hoc eſt, non naturæ munus; ſed munerator naturæ. Bene, ab omnibus; quia circa omnes iuſtitia reſeruatur, vt ſuſceptio fiat fidelium, reiectio perfidorum,vnde plerique Græci ſic habent: Iuſtificata eſt ſapientia ab omnibus operibus ſuis. Quod opus iuſtitiæ ſit circa vniuſcuiuſque meritas ſeruare menſuram.

Ab omnibus. Varia lectio. 4. ſenſ.

Amb. 6 ſenſ. Et ſerm. 9. in Pſal. 118: Iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis: dum Chriſtus ſe offert ſupplicio, dedit iniurijs, non ſubducit opprobrijs, nec à confuſione ſputorum auertit faciem ſuam: & ideo omnes ſapientia ſua inſtruxit, & liuore ſanauit.

Hieron. 5. ſenſ. Hieron. Matt. 11: In quibuſdam Euangelijs legitur: Iuſtificata eſt ſapientia ab operibus ſuis; Sapientia quippe non quærit vocis teſtimonium, ſed operum:

Chryſoſt. 7. ſenſ. Chryſoſt. homil. 38. in Matt: Et iuſtificata eſt,ſapientia à filijs ſuis, id eſt, nulla vos potui attrahere via: quare iure me incuſare nunquam poteritis,quod de Patre,pariter dixit Propheta: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. Deus enim, quamuis ſciat nihil boni vos facturos; cura tamen, ac prouidentia ſumma erga vos vtitur, ita vt his etiam, qui impudentiſſimi ſunt, nec vmbram quidem inſulſę dubitationis relinquat.

Pſal. 50.

Euth. 8. ſenſ. Euthy. Matt. 11: Iuſtificata eſt, id eſt, iuſta habita eſt, ſiue admirationi habita eſt Dei ſapientia, quæ diſpoſuit, vt Chriſtus, ac Ioannes oppoſitis vijs incederent, propter ipſam hominum vtilitatem. Admirationi autem habita eſt à filijs ſuis, ſiue ab intelligentibus illam: Filij namque Sapientiæ ſunt, ſapientes, aut intelligentes; vel iuſtificata eſt, hoc eſt, iuſta, ac irreprehenſibilis habita eſt: vtpote quæ fecit, quidquid debuit, & omni modo vſa eſt ad illorum ſalutem.

Theophylact.

Theoph. Theophylact. Matt. 11: Iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis, hoc dicit, quandoquidem neque Ioannis vita, neque mea vobis placet, ſed omnes ſalutis vias aſpernamini, iuſtus apparebo ego, qui ſapientia ſum. 9. ſent. Nulla enim poſt hac vobis excuſatio erit, ſed omnino condemnabimini. Etenim ego quidem impleui omnia, vos autem increduli facti, iuſtum me, vtpote qui nihil intermiſerim, comprobabitis.

Et Lucæ 7: Iuſtificata eſt ſapientia, hoc eſt, honorata, non à Phariſæis, ſed à filijs ſuis, id eſt, his qui ſuſceperunt Ieſum, & Ioannem. Theop. 9 ſen.

Baſil. hom. in Pſal. 7: Filios ſapientiæ eos vocat, qui in Dei cognitione ſunt informati. Vt habes cap. 178. ad ver. 13. Baſ.

CAP. 57. *Peccatricis conuerſio.*

Matt.	*Mar.*	*Luc. 7.*	*Ioan.*

Luc. 7.

Fer. 5 poſt Domin. in Paſſ.
Fer. 6 quat. temp. Septembr.
In feſto S. Mariæ Magdalenæ.

1 ✠ ROgabat autem illum quidam de Phariſæis, vt manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit.
2 Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti.
3 Et ſtans retro, ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.
4 Videns autem Phariſæus, qui vocauerat eum, ait intra ſe, dicens: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum; quia peccatrix eſt.
5 Et reſpondens Ieſus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter, dic.
6 Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta: non habentibus illis vnde redderent, donauit vtriſque. Quis ergo eum plus diligit?
7 Reſpondens Simon dixit: Æſtimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicaſti.
8 Et conuerſus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit.
9 Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxiſti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos.
10 Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.
11 Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.
12 Et cœperunt, qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?
13 Dixit autem ad mulierem: Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace. ✠]

(Et factum eſt deinceps. cap. 67.

Not. 1.

Aug. AVG. lib. 2. de conſenſu cap. 79. Not. 1. cap. 144. habet in quibus hæc prima vnctio cum ſecunda conueniat, & ab ea differat. Ratio diſpoſitionis. Superioribus iſtud videtur proximè ſubijciendum, licet nulla ſignificetur cohærentia, niſi quod quæ deinceps Lucas narrat, ſatis indicent eſſe ſecuta. Iſtud Irenæus lib. 3. cap. 14. ijs annumerat, quæ tantum à Luca deſcribuntur. Indicat etiam Aug. loco iam citato hoc à Luca tantum narrari. Iren. Lucas ſolus hoc narrat. Aug.

Bed. Luc. 7: Pergit Euangeliſta, inquit, quæ verbis propoſuerat, etiam factis aſtruere; iuſtificatam videlicet ſapientiam ab omnibus filijs ſuis, id eſt, & iuſtis, & poſt iniuſtitiam pœnitentibus, decentiſſimo comprobans exemplo. Bed.

Not. 2. verſ. 1.

Chryſol. Cur Dominus ad Phariſæi prandium venerit.

CHRYSOL. ſer. 93: Ad prandium, & ad Phariſæi prandium veniſſe Chriſtum, ſollicitus forſitan miretur auditor. Phariſæi domum Chriſtus intrauit, non accepturus Iudaicos cibos, ſed diuinam miſericordiam largiturus: neque accubuit, pocula ſaporata melle, floribus odorata ſumpturus, ſed pœnitentis lachrymas ex ipſis oculorum fontibus potaturus. Deus delinquentium gemitus eſurit, ſitit lachrymas peccatorum. Apud eundem alia multa ſunt, de hac Euangelica lectione ſerm. 93. 94. & 95. Sicut etiam apud Paulinum epiſt. 4. ad Sulpitium Seuerum.

Paul.

Aug. Aug. ſer. 6. de verb. Dom: Diſcubuit & in domo cuiuſdam Phariſæi ſuperbi, nomine Simonis, & cum in domo recumberet, non erat in corde eius, vbi caput filius hominis reclinaret. Diſcumbebat ergo Dominus in domo cuiuſdam Phariſæi ſuperbi. In domo eius erat, vt dixi, & in pectore eius non erat.

Tho. Nyſſ. Thomas in catena Lucæ 7. ex Nyſſeno: Hæc conſcriptio quendam vtilem intellectum ſapit.

Phariſaica ſanctitas. Sunt enim plerique eorum, qui ſe iuſtificant inflati ſuſpicione vani ſenſus, priuſquam veniat verum iudicium, ſeparantes ſeipſos, velut agnos ab hœdis; nec tecto, nec eſcis cum pleriſque communicare volentes, abominantes omnes, quicunque non extremum, ſed medium tenent callem in vita. Lucas ergo plus medicus animarum, quam corporum, oſtendit ipſum Deum, & Saluatorem noſtrum, pijſſimè alios viſitantem. Vnde ſequitur: Et ingreſſus do. Phariſ. diſc. non vt aliquid de vitijs eius ſortiatur; ſed vt impartiatur de iuſtitia propria.

Ratio 4. Ratio 5.

Tit. Titus Boſtren. Luc. 7: Animaduertere hoc loco licet, Phariſæum, qui Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ad prandium vocarat, à verſipelli ſimulatione, latentique infidelitate immunem non fuiſſe, aiebat enim: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, &c. At Dominus hominem eiuſmodi eſſe certo compertum habens, nihilominus in domum illius ingredi, menſæque accumbere non dedignatur. Idem habet Theophylact. Luc. 7.

Verſipelles Phariſæi. Malos Chriſtus non auerſatur.

Eut. Euth. Luc. 7: Tanquam Prophetam eum ad conuiuium vocabat, vel inuitauit, non deuitauit hunc, ne daret occaſionem dicendi, quod cum Publicanis, & peccatoribus vna cibum caperet: Phariſæos autem faſtidiret.

Not. 3. verſ. 3.

Epiph. EPIPH. hære. 42. confutat. 10: Vox ingreſſus, corpus oſtendit: domum enim indicat, & corporis menſuram. Et accumbere, nullius eſt, quam corpus habentis magnitudine præditum, ac diſcumbens. Et mulierem rigare lachrymis pedes non imaginarios, neq; apparentes oſtendit. Vnxit enim, & rigauit, & oſculata eſt contactu corporis ſentiens.

Tert. Tertull. lib. 4. aduerſ. Marcio. cap. 18: Cum hæc fecit mulier ſolidi corporis veritatem, non phantaſma inane, tractauit.

Baſ. Baſil. Seleuciæ Archiep. orat. 2. de Lazari exſuſcitatione: Quidam diſceptant quomodo Chriſtus iſthæc à muliere in ſe fieri paſſus ſit: Verum hi obſeruent oportet, Mariam ſororem Lazari non eſſe meretricem illam, cuius apud Lucam fit mentio; hæc enim alia eſt ab illa: ſiquidem mulier illa ſcortum erat, multis flagitijs coopertum; hæc autem honeſta, & ſtudioſa, vt quæ ex inſtituto quodammodo circa Chriſti ſuſceptionem, & miniſterium eſſet occupata. Certum proinde eſt, hanc non fuiſſe illam. Sed & alteram illam Chriſtus quoque ſuſcepit. Cur autem? nempe, quo ab improbitatis vinculis illam abſoluat; tum rurſum, quo ſuam clementiam, & humanitatem palam oſtendat: Tum denique, quo apertè hinc diſcas, nullum morbi genus eſſe tantum, quod illius bonitatem vincat. Quare non tam hic ſpectandum eſt, quomodo ſuſceperit, quam quomodo mutauerit.

Sororem Lazari à peccatrice diſtinguit. Scortum hæc erat. Cur peccatricem Chriſtus admiſerit.

Orig. Orig. tract. 35. in Matth: Quæ ſecundum Lucam peccatrix refertur, non fuit auſa ad caput Chriſti venire, ſed lachrymis pedes eius lauit, quaſi vix etiam ipſis pedibus eius digna, præ triſtitia pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operante, & quæ ſecundum Lucam eſt, plorat, & multum lachrymatur, vt pedes Ieſu lachrymis lauet.

Tit. Tit. Boſtren. Luc. 7: Hæc mulier fecit, quæ feciſſe ſcribitur; circa Euangelicæ prædicationis medium, aut citius quoque, vt facile quis, ſi eam in rem curioſè inquirere vellet, deprehendere poſſet. Non ſimpliciter aut oſcitanter Domini pedes oſculatur; ſed ſerio, & ex animo, oſculatoſq; precioſo vnguento perfundit. Vtroque autem officij genere incenſum erga Chriſtum amorem oſtendit.

Quando hæc 1. vnctio contigerit. Maximus amor in Chriſtum.

Euth. Euth. Luc. 7: Hæc mulier, cum Chriſti miracula partim ipſa vidiſſet, partim ab his, qui viderant, audiſſet: Deum eſſe credidit eum, qui hæc operabatur: ideo etiam venit, ſperans remiſſionem peccatorum ſuorum ſe accepturam. Conſidera verò magnam huius reuerentiam. Stetit enim ad extremas eius corporis partes, tanquam extrema: & à tergo, tanquam audacia carens: flebat quidem propter peccata ſua: rigabat autem pedes illius lachrymis: vtpote ad pedes eius inclinata. Extergebat eos, quos lachrymis madidos reddiderat. Chriſtus cum rei cauſam noſſet, ſuſtinebat, vt etiam fides eius, feruorque pœnitentiæ apparerent, & vt merito pro his rebus, quod quærebat, acciperet. Oſculabatur quidem ipſos, tanquam eius, qui petitionem ſuam adimplere poterat, ſiue tanquam Dei: Vngebat verò vnguento, pluſquam humano modo hunc honorans, qui pluſquam homo erat.

Fides, & ſpes mulieris. Reuerentia. Cur Dominus ea ſuſtinebat.

Chryſ. Chryſoſt. hom. 6. in Matth: Illa in Euangelio meretrix, virgines quoque ipſas honeſtate ſuperauit, & incredibilis in Chriſtum amoris igne ſuccenſa, & à maximis ſordibus peccatorum largiſſimo lachrymarum fonte purgata. Quia enim perfectè incaluerat pœnitendo, bacchari (vt ita dixerim) cœpit deſiderio exagitata

Meretrix.

rata Chriſti. Siquidem continuo & crines reſoluit, & ſanctos pedes vberius diluens lachrymis, ac proprijs extergens capillis, precioſo rigauit vnguento. Et hæc quidem extrinſecus cuncta faciebat: ea verò quæ in ſecreto mentis agitabat, multo his erant ignitiora, multoque maiora, quæ tantummodo Deus ipſe cernebat. Et idcirco omnis hoc audiens congaudet illi, ac de eius virtute lætatur, ab omnique illam crimine diſcernit alienam. Si igitur nos maligni, hanc de illius ſerimus conuerſione ſententiam, intellige quanta iam benigni Dei liberalitate potiatur, quantorumque etiam ante illum diem remunerationis ex ipſa pœnitentia fructum ſibi congregarit bonorum. Sicut enim poſt vehementes imbres mundus aër, ac purus efficitur, ita etiam lachrymarum pluuias ſerenitas mentis ſequitur, atque tranquillitas; omniſque illa de peccatorum tenebris offuſa caligo diſſoluitur. Et ſicut ex aqua, & ſpiritu, ſic rurſus ex lachrymis, & confeſſione purgamur, modo ne ad oſtentationem iſtud, & laudem faciamus.

Chryſoſt. Cur Deus [illegible] & [illegible] ti[illegible] Et homil. 5. de pœnitentia: Cadentem, & peccatis obnoxium ſi terruerit, ignorantia obcœcari, ſpe quoque periclitari eum compelleret: Iuſtum verò ſi laudat, ſuæ vim virtutis debilitat, atque veluti iam beatum de induſtria ſtudioque pigritate præparabit. Propterea peccatoris quidem miſeretur, & ei blanditur, iuſtum verò terret. Terribilis eſt ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt. Et quinam fuerunt hi? Sancti. Deus enim, inquit Dauid, glorificatur in conſilio Sanctorum; magnus, & terribilis eſt ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt. Pſal. 88. Si cadentem intuetur, clementiæ manum protendit: Si ſtantem, timore iuſtitiæ, iuſtique iudicij concutit: atque hunc timore quidem confirmat, illum verò per clementiam excitat. Vis & opportunam eius noſſe bonitatem, ſimulque benignam, & accommodatam ſeueritatem? Attende diligenter, nec te contemplationis huius fugiat magnitudo. Peccatrix mulier illa, atque omni conuoluta delicto, tot peruerſorum operum, & delictorum rea, de pœnitentia ſalutem ſitiens, ſurrepſit Saluatoris conuiuio. Nam Saluatore diſcumbente in domo Simonis Phariſæi, ſubintroiuit mulier illa peccatrix, Saluatoriſque pedes tetigit, lachrymis eius rigauit pedes, & capillis exterſit, atque hanc, tot defoſſam peccatis, eleuat ille clemens, piuſque, dicens: Dimittuntur peccata tua tibi. Chriſti bonitas, & liberalitas. Igitur exuberantiam reſpice, cuius gratia dico tibi, dimittuntur ei eius peccata multa, quæ dilexit multum. Tot præuaricatrix delictorum remiſſionem retulit. Et Maria Moſi ſoror, paruo ex murmure, lepra damnatur. Peccatoribus dicit: Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, veluti niuem dealbabo. Et tenebras in lucem transfert pœnitentiæ mutatione, totque malorum aceruum bonitatis voce ſoluit. Ambulanti verò in iuſtitia dicit: Quicunque dixerit fratri ſuo, ſtulte, reus eſt gehennæ ignis. Vni verbo tantam impoſuit mulctam, ac omnibus peccatis obnoxiã tanta liberalitate donauit. Chryſ. hom. 61. in Ioann: Chryſoſt. Dicit hanc fuiſſe meretricem, & infamem.

Amb. Ambr. lib. 6. in Lucam: Sed qui caput non tenet Chriſti, vel pedes teneat, quia corpus vnum copulatum, & ſubminiſtratum creſcit in augmentum Dei. Vbi ſunt noſtræ lachrymæ? vbi gemitus? vbi fletus? Venite, adoremus, & procidamus ante eum, & ploremus ante Deum, qui fecit nos; Pſal. 94 vt ſaltem ad pedes Ieſu venire poſſimus; nondum enim poſſumus ad caput, quia peccator ad pedes, iuſtus ad caput. Habet tamen & quæ peccauit vnguentum. Defer mihi, & tu poſt peccata pœnitentiam. Quocunque vel in domum indigni, vel in domum Phariſæi audieris iuſtum veniſſe, contende præripere hoſpitis gratiam, præripere regnum cœlorum.

Aug. in Pſal. 66: Ecce illa meretrix malam famam habens in ciuitate, irrupit in alienam domum, Aug. Meretrix. quo non erat inuitata ab hoſpite, ſed ab inuitato vocata; non lingua, ſed gratia. Quomodo & a quo vocatur. Nouerat ægra habere ſe ibi locum, vbi medicum ſuum diſcumbere ſciebat. Ingreſſa eſt, quæ erat peccatrix; non audet accedere niſi ad pedes, flet ad pedes, irrigat lachrymis, tergit crinibus, vngit vnguento. Quid miratis? Terra dedit fructum ſuum, &c. Pſal. 66 Et ſer. 10. ad Fratres: Aug. In ea (ſancta conſcientia) Magdalena illa ignifera, Chriſto precioſa offert vnguenta.

Aug. Et ſerm. 11. ad Fratres: Quotidie fleas peccata, quæ commiſiſti, & quæ committere proximos vides, quaſi tua ſint vulnera. Sic enim peccatrix illa Maria non ſolum in domo Simonis, ſed etiam poſt aduentum ſancti Spiritus, hoc idem ardenter perfecit. Semper enim dolebat, ſemper in vita ſua flebat, quæ commiſerat.

Aug. Et in Pſal. 140: Agnoſcitis vocem Phariſæi, qui Dominum inuitauerat, quando mulier illa, quæ erat in ciuitate peccatrix, venit, & acceſſit ad pedes eius? Illa impudica quondam, frontoſa ad fornicationem, frontoſior ad ſalutem, irrupit in domum alienam. Sed ille, qui ibi diſcumbebat, non erat alienus. Non extranea quemlibet conuiuam; ſed ancilla Dominum ſuum ſecuta eſt. Acceſſit ad pedes, quia eius veſtigia ſequi cupiebat; lauit lachrymis, terſit capillis. Pedes Chriſti qui ſunt. Pedes Chriſti qui ſunt, niſi per quos peragrauit totum mundum? Pſal. 12 Quam ſpecioſi pedes eorum, qui annunciant pacem, qui annunciant bona! pedes ergo Domini quanti ſuſceperunt, vt ſuſcipiendo iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti acciperent, & ſuſceperunt Prophetam in nomine Prophetæ, vt mercedem Prophetæ acciperent. Matt. 10. Et quicunque potum dederit (inquit) vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine Diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Qui ergo tali humanitate pedes Domini ſuſcipit, quid impendit, niſi quæ habebat in domo ſuperflua? Capilli quid. Merito, quia capilli quaſi ſuperflui ſunt; inde illa pedes Domini detergebat. Superflua tua neceſſaria ſiunt tibi, ſi inde fueris obſecutus pedibus Domini. Illa en ad volebat. Ergo illa

 curam

curari volebat, conſcia magni vulneris. Sed nunquid magnum vulnus, & paruus medicus? Phariſæi autem nolebāt ſe tangi ab immundis, vitabant omnem contactum peccatorum, & ſi quando fortè neceſſitate tangebantur, abluebant ſe, & propè baptizabant per omnes horas, non tantum ſe, ſed & vaſa ſua, lectos ſuos, calices, paropſides, ſicut Dominus in Euangelio commemorat. Cum ergo ille Phariſæus noſſet hanc mulierem, quæ vtique ſi ad pedes illius Phariſæi accederet, repelleret eam, ne ſanctitas eius pollueretur. Habebat enim eam in corpore, non in corde; & quia non habebat eam in corde, vtique falſam habebat in corpore. Quia ergo ille eam repulſurus eſſet, cum hoc Dominus non fecit, exiſtimauit eum neſcire, quæ illa eſſet, & dixit apud ſemetipſum: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret quæ mulier illi acceſſit ad pedes; non dixit: Repuliſſet eam; ſed ſciret, quæ eſſet tanquam eſſet conſequens, vt ſi ſciret, repelleret. Ex illo ergo quod non eam repulit, etiam neſciſſe eum pro certo ſuſpicatus eſt.

Mundiſia Phariſæorum externa.

Matt. 23.

Sanctitas Phariſæorum.

ver. 4

Opinio Phariſæi de Christo.

Aug.

Et hom. 23: Vidiſtis enim, non carne, &c. lect. 7. 8. die 22. Iul.

Greg.

Gregor. hom. 33. in Euangel: Cogitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, &c. lect. 1. 2. 3. fer. 5. poſt Dom. Paſſ. Liquet fratres, quod illicitis actibus prius mulier intenta, vnguentum ſibi pro odore ſuæ carnis adhibuit. Quod ergo ſibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat; oculis terrena concupiverat, ſed hos iam per pœnitentiam conterens flebat; capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed iam capillis lachrymas tergebat, ore ſuperba dixerat, ſed pedes Domini oſculans hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum ſeruiret Deo in pœnitentia, quicquid ex ſe Deum contempſerat in culpa. Quem Phariſæus de falſa iuſtitia, &c. vt lect. 1. 2. 3. fer. 6. quat. temp. Sept.

Greg.

Et epiſt. 22. lib. 6: Scio quia omnipotentem Dominum feruenter diligitis, atque in eius miſericordia confido, quia illa de vobis ſententia ex ore Veritatis procedit, quæ de quadam ſancta muliere dicta eſt: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quomodo autem fuerint dimiſſa, in hoc etiam monſtratum eſt, quod poſtmodum eſt ſecutum: quia ad pedes Domini ſedebat, & verbum ex ore illius audiebat. In contemplatiua enim vita ſuſpenſa, iam actiuam tranſcenderat, quam adhuc Martha illius ſoror tenebat. Sepultum quoque Dominum requiſiuit, ſtudioſè ad monumentum inclinata corpus illius non inuenit. Quæ alio quoque tempore cum Maria altera Dominum poſt reſurrectionem vidit, & accedens pedes eius tenuit. Duc ergo ante oculos, quæ manus, cuius tenuerunt pedes? Illa mulier, quæ fuerat in ciuitate peccatrix; illæ manus, quæ fuerant iniquitate pollutæ, illius tetigerunt pedes, qui ad Patris dexteram, ſuper Angelorum verticem, ſedet.

Mulier peccatrix eſt ſoror Lazari.

cap. 107.

Vnica Dominum vnxit.

cap. 192. & 193

Penſemus, ſi poſſumus, quæ iſta ſuperne pietatis viſcera: vt mulier, quæ in profundo voraginis fuerat demerſa per culpam, ex amore pennis ſic in altum leuaretur per gratiam. Impletum eſt, dulciſſima filia, impletum, quod de hoc ſanctæ Eccleſiæ tempore, Prophetica nobis voce promiſſum eſt; & in die illo erit domus David fons patens in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ. Domus enim David nobis peccatoribus fons patens in ablutionem eſt, quia ab iniquitatum noſtrarum ſordibus, per David filium Saluatorem noſtrum, aperta iam miſericordia, lauamur. Et cap. 4. lib. 4. expoſit, lib. 1. Reg: An non tunc ancillam Rex Regum tulit, quando de illa magna peccatrice dixit: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: & hanc in opere ſuo poſuit, quando in caſtellum intrauit, & eum illa in domo ſua recepit. Hanc etiam in opere ſuo poſuit: quia reſurgens à mortuis, ei prædicationem ſuæ reſurrectionis iniunxit. Et hom. 8. in Ezechielem: Venit Maria Magdalenę, poſt multas maculas culpæ, ad pedes Redemptoris noſtri, cum lachrymis. Sed quis illam infudit intus, niſi qui benignè ſuſcepit foris? Quis illam ad lachrymas vrgebat per compūctionis ſpiritum, niſi qui hanc exterius coram ſimul recumbentibus recipiebat ad veniam? Redemptor igitur noſter peccatricis mulieris mentem extergebat, cum de culpa compungeret, ſuſcipiebat, vt à culpa liberaret. Et homil. 25. in Euangel: Maria Magdalenę, quæ fuerat in ciuitate peccatrix amando veritatem, lauit lachrymis maculas criminis: & vox Veritatis impletur, qua dicitur: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Quæ enim prius frigida peccando remanſerat, poſtmodum amando fortiter ardebat.

Zach. 13.

Greg.

Vna [illegible]

cap. [illegible]

Greg.

Peccatrix eſt Magdalena.

Cur Dominus [illegible]

Peccatrix eſt Magdalena.

Bern. ſerm. de 4. modis orandi: Hinc illud eſt, quod Maria Magdalenę quanquam non minus humilis Hæmorrhoiſſa illa: non ſic tamen veretur accedere, ſed rigat lachrymis pedes, capillis tergit, vngit vnguento, oſculatur ore deuoto. Vnde ſatis liquet, quod omnino iam propoſuerat in corde ſuo, à peccato deinceps abſtinere. Et ſerm. in feſto B. Mariæ Magdalenæ: Hodie miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi, & multitudo miſerationum Domini in peccatricem fœminam refuſa eſt. Filius enim virginis, peccatricis, & menſtruatæ manibus attrectatur, Deumque, atque Dei filium mulier infrunita contingit. Tangit pedes mundi, atque mundantis immunda; & veſtigijs Creatoris mulier criminoſa procumbit. Tranſit in affectum cordis præuaricatrix, & redit ad cor: & magnitudinem ſcelerum, lachrymarum multitudo condemnat. Diſſimulat pietas tangentis officium, & obſequiorum inſtantiam remuneratorius ille maieſtatis oculus felici dedignatione non inſpicit. Oſculatur Maria pedes Chriſti frequentibus oſculis, & oculis inundantibus veſtigia Redemptoris infundit, tergit crinibus, odoriferis illinit, & irrorat vnguentis. Et ſerm. 10. in Cant: Eſt vnguentum contritionis, &c

Bern.

Peccatrix eſt Magdalena.

Mulieris propoſitū.

Bern.

Peccatrix eſt Magdalena.

Cur hæc Domina ſuſtinetur.

Bern.

Vnguentū triplex.

nis,& eſt vnguentum deuotionis,eſt & pietatis. Primum pungitiuum, dolorem faciens; ſecundum temperatiuum,dolorem leniens; tertium ſanatiuum, etiam morbum expellens,nunc de ſingulis ſeorſim diſſeramus.Eſt ergo vnguentum, quod ſibi conficit anima multis irretita criminibus, ſi cum incipit cogitare vias ſuas, colligat, congerat, conterátque in mortariolo conſcientiæ multis, ac varias ſpecies peccatorum ſuorum, & intra æſtuantis pectoris ollam ſimul omnia coquat igne quodam pœnitentiæ, & doloris, vt poſſit dicere cum Propheta:Concaluit cor meum intra me,& in meditatione mea exardeſcet ignis. Ecce hoc eſt vnum vnguentum, quo anima peccatrix, ſuæ conuerſionis primordia condire debet, plagiſque ſuis recentibus adhibere: primum namque ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus.Quamdiu ergo non habet,tanquam pauper,& inops,vnde ſibi melius, ac precioſius componat vnguentum, non negligat interim parare iſtud, licet de vilibus ſpeciebus; quia cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet. Tanto autem minus vile diuinis apparebit conſpectibus,quanto plus illa ſibi viluerit in recordatione peccatorum ſuorum, tamen ſi illo viſibili, quo viſibiliter vncti à peccatrice corporei pedes Dei referuntur in Euangelio, inuiſibile hoc,& ſpirituale fuiſſe dicimus figuratum, non omnino vile reputare poterimus. Quid enim de illo legitur? & domus,inquit,impleta eſt ex odore vnguenti:peccatricis manibus diſtillabatur, & extremis mébris corporis, id eſt, pedibus fundebatur; & tamen non vſque adeo contemptibile,aut vile fuit,quin totam domum vis aromatum,& ſuauitas repleret odoris. Quod ſi attendamus quanta in vnius peccatoris conuerſione fragrantia reſpergatur Eccleſia, & quantis fiat odor vitæ ad vitam quiuis pœnitens, ſi publicè, perfectéque pœniteat, profecto & de hoc æquè indubitanter pronuntiabimus,quia domus impleta eſt ex odore vnguenti.Denique & ſupernas beatorum manſiones attingit pœnitentiæ odor, ita vt (teſte ipſa Veritate) magnum gaudium ſit inter Angelos Dei, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Et ſer.12.in Cant: Duo me vnguenta vobis tradidiſſe recordor, vnum contritionis delicta multa complectens, alterum deuotionis, multa continens beneficia. Ambo ſalubria, ſed non ambo ſuauia; primum ſiquidem pungitiuum ſentitur; quia mouet ad compunctionem amara recordatio peccatorum, & dolorem facit, cum ſequens mitigatorium ſit diuinæ bonitatis intuitu conſolationem dante, & ſedante dolorem; ſed eſt vnguentum,quod ambobus longe antecellit; & hoc appellauerim pietatis; eo quod fiat de neceſſitatibus pauperum,de anxietatibus oppreſſorum, de perturbationibus triſtium, de culpis delinquentium, & poſtremo, de omnibus quorumlibet miſerorum ærumnis, etiamſi fuerint inimici. Deſpicabiles videntur ſpecies iſtæ, ſed eſt ſuper omnia aromata vnguentum,quod ex eis conficitur. Bonum autem contritionis vnguentum, quod de recordatione peccatorum conficitur, mittiturque in pedes Domini, quia cor contritum,& humiliatum Deus non deſpiciet. Cæterum longè melius eſſe arbitror id, quod dicitur deuotionis, factum de recordatione beneficiorum Dei; quippe quod & capiti idoneum reputatur, ita vt perhibeat de ſeipſo Deus:Sacrificium laudis honorificabit me.Porro vtrumque vincit vnctio pietatis, quæ de reſpectu miſerorum fit: & per vniuerſum Chriſti corpus diffunditur.Corpus dico,non illud crucifixum, ſed quod illius acquiſitum eſt paſſione.Optimum reuera vnguentum,in cuius comparatione cætera nec reſpicere ſe oſtendit,qui ait: Miſericordiam volo, & non ſacrificium.

Margin notes (left column): Deunguē- to contri- tionis. — Pſal. 38 — Pſal. 50 — Peccatrix vnxit pedes,& caput. — Luc. 15 — Bern. — Vnguentū triplex, Contritionis, Deuotionis, Pietatis. — Pſal. 49 — Matt. 9

Magna eſt apud veteres Patres, & recentiores nonnullos ſcriptores controuerſia, num vna, vel plures fuerint Magdalenæ: & an vna, eademque ſit mulier, quæ hoc loco dicta peccatrix, Ieſu pedes vnxit, ac terſit, cum illa, quæ ſoror Lazari, Magdalena ab Euangeliſtis nuncupata, eiuſdem Domini alias pedes, & caput vnxit. Quidam enim quatuor, vt ſcribit Orig. alij tres; aliqui duas; nonnulli vnam & eandem eſſe contendunt.Origenes tres eſſe nititur probare. Idem affirmat Theophylact.Niceph.lib.1. hiſtor. cap.27. Euth. Baſil. Seleu.Tit. Alij duas tantum eſſe contendunt; vnam cuius Ioannes meminit,alteram de qua mentionem alij Euangeliſtæ fecerunt. Ita Chryſoſt.refert etiam hanc opinionem Theophylact. Quibus videtur fauere Clemens Rom. cap.6.lib. 3. conſtit.Apoſt. vbi Magdalenam à ſorore Lazari, & Marthæ diſtinguit. Verum dici poteſt ab aliquo,ea verba eſſe addita, longè poſt tempora Clementis, vt apparet ex Orige. tract. 35. in Matt. qui ſcripta Clementis authentica,& apocrypha probè nouerat, vtpote qui Clementis itinerarium citet. Si enim hoc à Clemente,viro tantæ authoritatis, dictum eſſet,quomodo latere id potuiſſet tot antiquos Patres, qui ea de re ſcripſerunt? Itaquè primus author nobis cognitus,qui plures inter ſe diſtinctas ponit fœminas, quæ Ieſum vnxerint, fuit Origen. quem ſecuti ſunt Chryſoſt. Baſil. Theophylact. Tit. Euth. & alij. Hieron. etiam Matt. 26. duas agnoſcit, ſed non eo modo,quo Chryſoſt.Eam enim quæ Domini caput vnxit à Ioanne commemorari, non inficiatur. Epiſt.148.ad Marcel. Magdalenam, & peccatricem, hoc eſt, eam, à qua dæmonia ſeptem Chriſtus expulerat, eandem fuiſſe affirmat. Et epiſt.ad Hedi. quæſt. 4. cum numerat Marias, nec inter eas recenſet Mariam Lazari, & Marthæ ſororem, planè ſignificat eandem, & vnam eſſe cum Magdalena quarto à ſe loco poſitam. Euſeb.lib.ad Marinum,opinionem de duabus Magdalenis ponit; dicens nihil prohibere quin vna,eademue dicatur. Ambroſ.lib.6. in Luc. videtur eſſe dubius, tandem admittit Magdalenam eandem fuiſſe cum peccatrice. Lib. quoque de Salomone cap. 5. Mariam, de qua dæmonia Chriſtus eiecit,Marthæ,& Lazari indicat fuiſſe ſororem. Plures eandem eſſe ſentiunt; cuius diſtinctas hiſtorias, quæ diuerſis in locis,

Margin notes (right column): An apud Euangeliſtas vnica ſit Magdalena, quæ Dominū vnxerit. — Aliqui putant eſſe quatuor. Orig. — Qui dicāt eſſe tres. Orig. Theop. Niceph. Eut. Tit. Baſ. — Qui duas. Chryſoſt. — Clem. — Euſeb. — Amb. — Qui vnam eſſe ſentiunt.

in locis, ac temporibus acciderunt, diuerſi Euangeliſtæ deſcripsêre. Hanc ſententiam tuetur Aug. Chryſol. citatus cap. 144. Greg. Innocent. lib. 2. de Sacrament. altaris cap. 56. Bed. Luc. 7. Bern. & alij multi. Autor etiam hom. 10. in diuerſos apud Origenem, vnam eandemque fuiſſe mulierem apertè confirmat, quæ in domo Simonis vnxit pedes Ieſu, cum Maria ſorore Lazari, & Magdalena, quæ cum vnguento ad ſepulchrum acceſſit. Ipſe etiam Orig. quoſdam ante ſua tempora id aſſeruiſſe agnoſcit. Sic etiam Chryſoſt. Tametſi verò plerique Latinorum, peccatricem hanc, Marthæ, & Lazari ſororem fuiſſe, illamque ſolam vnxiſſe Dominum exiſtiment. Græci tamen ſcriptores conſtanter id negant. Eam porro, quæ hic peccatrix dicitur, vnam eandemque fuiſſe ſororem Lazari, & Marthæ, de qua Ioannes ſcribit in Bethania vnxiſſe pedes Domini, eandem item, quæ in domo Simonis leproſi fracto alabaſtro vnguentum effudit ſuper caput eius; eandem denique, quæ Maria Magdalena dicta Chriſto patienti affuit, & ad Chriſti ſepulchrum vnguenta attulit, cuius omnes Euangeliſtæ meminerunt, ſentit Eccleſia. Nobis itaque nunc ſufficiat Eccleſiæ autoritas, quæ vnam, & eandem mulierem fuiſſe declarat, vt conſtat ex officio diuino. Hoc ergo iam in dubium reuocare non debemus: nec eſt hæc res, quæ ad fidei, aut morum doctrinam multum faciat: eaque de cauſa Euangeliſtæ hiſtoriam narraſſe contenti, parum curauerunt expreſſam huius rei facere mentionem.

Aug. Chryſol. Greg. Innoc. Bed. Bern. Orig.

Eccleſia vnicam recipit Magdalenam, quæ ſola Dominũ vnxit.

Not. 4. verſ. 4.

Euth. Ignorãtia Phariſæi.

EVTH. Luc. 7: Offendiculum paſſus hæc dicebat, ignorans quod cum Deus eſſet, propter peccatores homo factus erat. Neque autem Iudas hic murmurabat, neque cæteri diſcipuli, ſiquidem ille morbo auaritiæ nondum captus erat: iſti verò necdum ſermones de pauperibus infixos habebant.

Cur hic Apoſtoli nõ murmurent.

Aug.

Auguſt. in Pſal. 125: Iniqui foris quærebant munditiam, de talibus erat etiam ille Phariſæus, qui inuitauerat Dominum, quando acceſſit ad eum mulier, quæ in ciuitate peccatrix erat, & famoſa; quæ lachrymis lauit pedes Domini, terſit capillis, vnxit vnguento. Phariſæus ergo qui inuitauerat Dominum, & munditiam non habebat, niſi forinſecus corporis: intus autem in corde plenus erat iniquitate, & rapina, dixit apud ſemetipſum: Iſte ſi eſſet Propheta, ſciret quæ mulier illi acceſſit ad pedes. Vnde nouerat, vtrum ſciret, an neſciret? ſed ideo eum neſcire arbitratus eſt, quia non à ſe eam repulit. Si enim acceſſiſſet ad ipſum Phariſæum talis mulier, ille, qui munditiam tenebat quaſi in carne, exſufflaret, repelleret, abijceret, ne immunda tangeret mundum, & contaminaret eius munditiam. Quia hoc non fecit Dominus, ideo illum credidit neſciſſe qualis mulier illi accidiſſet ad pedes. Dominus autem non ſolum illam nouerat, ſed & cogitationes illius audiebat, quia etſi contactus corporis aliquid facit, ô immunde Phariſæe, caro Domini poſſet pollui contactu mulieris, an mulier mundari contactu Domini? permittebat autem medicus ægrotantem tangere medicamentum, & illa, quæ venerat, nouerat medicum, & quæ ſolebat in ſua fornicatione fortaſſe eſſe frontoſa, ſi ontoſior facta eſt ad ſalutem. Irrupit in domum quo non erat inuitata: ſed vulnera habebat, & illuc venerat, vbi medicus recumbebat. Ille autem qui inuitauerat medicum, ſanus ſibi videbatur, propterea non curabatur. Iam quæ ſequuntur in Euangelio noſtro, quomodo confuſus eſt ipſe Phariſæus, cum ei oſtenderet, quia & illam mulierem nouerat, & cogitationem cordis ipſius audiebat.

onta-ctus.

Aug. hom. 23: Quia ergo tetigit Dominum rigando, oſculando, &c. lect. 8. 9. die 2. Iul. Audiuit enim Dominus Phariſæum cogitantem. Iam hinc intelligat Phariſæus, ſi non poterat videre peccantem, qui poterit audire cogitantem. Propterea eum putabat neſciſſe mulierem, quia non eam prohibuerat à contactu pedum ſuorum.

Aug.

Bern. ſer. in feſto B. Mariæ Magdalenæ: Videt, & inuidet ſingularitatis amator, & vtrumque redarguit Phariſæi iactantia, illum ignorantiæ, præſumptionis iſtam. Sed deliberans prouidentia ſuſpendit iudicium, dum affectat obſequium, & inuectiuam retinet præparatam, donec Mariæ ſacrificium in holocauſtum pertranſeat. Gaudent Angeli ſuper peccatrice pœnitentiam agente, & odoris fragrantia cæleſtis ille conuentus aſpergitur, ſaluantemque, & ſaluandam tota miſericordiæ dulcedo pertingit: vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia, & numeroſitatem criminum præponderans pietas intercludit. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine in peccatricis confeſſione. Quam iuſta reprehenſio in Phariſæi ſuperbia, & abuſione? enumeratur obſequentis obſequium, & per obliquum tangitur indignantis iniquitas, tota litterali cohærentia Simonis inuidiam impugnante, & quia vbi ſpiritus Domini, ibi libertas, dimittuntur illi peccata multa, quæ multum diligit: imminuuntur illi, qui multum negligit.

Bern.

Simõ duo reprehẽdit.

Peccatrix eſt Maria.

Rom. 5

Peccatricis obſequia enumerantur.

2 Cor. 3

Greg. hom. 25. in Euang: Phariſæus dum pietatis fontem vellet obſtruere, dicebat: Hic ſi eſſet Propheta, &c. peccatrix lauit lachrymis maculas cordis, & corporis; & Redemptoris ſui veſtigia terſit, quæ ſua itinera praua dereliquit. Sedebat ad pedes Ieſu, verbumque de ore illius audiebat, viuenti adhæſerat, mortuum quærebat, viuentem reperit, quem mortuum quæſiuit, tantumque apud eum locum gratiæ inuenit, vt hunc ipſis quoque Apoſtolis eius videlicet nuntijs, ipſa nuntiaret.

Greg.

Vna Chriſti vita ...

Chryſoſt. hom. in Pſal. 13: Inſipiens irritauit nomen Domini, dicens Chriſtum non eſſe Deum. Hic ſi eſſet Propheta, ſciret quæ, & qualis mulier eſt, quæ eum tangit; quæ eſt peccatrix. Qui autem eum nec Prophetam quidem eſſe dicebant, quomodo poſſent Deum dicere?

Chryſ.

Not. 5.

Not. 5. verſ. 5. & ſeq.

Eut. EVTH. Luc. 7: Phariſæus intra ſemetipſum offenſus erat, quod meretricem admitteret, nec ſciret eſſe peccatricem: ipſe verò hoc cognito, maius quiddam facit, quam ſit Prophetæ, detegens ei arcanum cogitationis ſuæ. Itaque exemplo demonſtrat quod etiam hoc noſſet, ac iuſtè eam admitteret propter magnam ipſius dilectionem, quæ à fide, & pœnitentia procedebat.

Tit. Luc. 7: Chriſtus verò Dominus, qui non tantum externa verba audit; ſed intima quoque cordis ſenſa penetrat, pleneque comprehendit, tanquam Prophetarum Dominus, Phariſæi cogitata in lucem effert.

Aug. Aug. in Pſal. 140: Dominus autem ſic habebat oculos in illam mulierem, vt aures haberet in corde Phariſæi. Itaque audita cogitatione eius, propoſuit ſimilitudinem: Duo debitores, &c. Ille reſpondit, iam coactus veritate aduerſus ſeipſum proferre ſententiam: Credo, inquit, &c.

Aug. Et hom. 23: Propoſuit ergo hominum ſimilitudinem de duobus, qui debebant vni fœneratori. Etiam ipſum enim ſanare cupiebat, ne gratis apud eum panem comederet: ipſum paſcentem eſuriebat, ipſum emendare, ipſum mactare, ipſum manducare, ipſum in ſuum corpus traijcere volebat. Sicut & illi mulieri Samaritanæ, dixit: Sitio. (Ioa. 4) Quid eſt ſitio? Deſidero fidem tuam. Dicuntur ergo verba Domini in hac ſimilitudine, & agitatur vtrumque, vt & inuitator ille ſanetur cum ſuis diſcumbentibus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pariter videntibus, pariter ignorantibus, & vt illa mulier habeat fiduciam confeſſionis ſuæ, nec pungatur vlterius aculeis conſcientiæ ſuæ.

Orig. Orige. homil. 25. in lib. Numer: Ex hoc loco docet quinquageſimum; & quingenteſimum ſacros eſſe numeros. Simile habet Ambroſ. lib. de Apologia Dauid cap. 8. quinquageſimo numero, qui remiſſionis, inquit, eſt numerus. (... & 500. ... ſunt ... numeri. Amb.)

Non habentibus illis vnde redderent, &c.) Nullus poteſt per ſeipſum à debito peccati liberari, niſi diuina gratia veniam conſequatur, inquit Thom. in cate. Gloſ. Bed. & alij Lucæ 7. (Nemo ſe à ... li... ate po...)

Not. 6. verſ. 8. & ſeq.

Bern. BER. ſer. 4. in Dedicatione Eccleſiæ: Phariſæum murmurantem aduerſus medicum, qui ſalutem operabatur; & ſuccenſentem languidæ, quæ ſaluabatur, manifeſtis reuicit iudicijs, obſequia mulieris enumerans. Errabat ſiquidem, qui tanquam adhuc peccatricem horrebat, quæ diuinis inhærens veſtigijs, rigabat fletibus, tergebat crinibus, oſculo premebat, vngebat vnguento. Quis enim crimina iam deleta recenſeat, quis tangenti ſuccenſeat, quis eam peccatricem cenſeat, quæ dum commiſſa deplorat, odit iniquitatem: dum oſculatur pedes Domini, diligit iuſtitiam; & rurſum dum tergit crinibus, exhibet humilitatem: dum vngit vnguento, manſuetudinem præfert? nunquid poſſibile eſt regnare peccatū in animo contrito, & ſpiritu ingemiſcenti? aut non multa charitas operit multitudinem peccatorum? dimiſſa ſunt ei peccata multa: quoniam dilexit multum. Merito proinde iam non peccatrix, iuxta tuam, Phariſæe, ſententiam: ſed ſancta, & diſcipula Chriſti vocabitur, à quo etiam didicit iratam breui eſſe mitis, & humilis corde: nimirum hoc eſt, quod in Propheta legiſti, ſed forſitan negle- Prou. 12.
xiſti: Verte impios, & non erunt. (Murmurat Phariſæus ... duos. ... laude ... Alius error Simonis. ... eſt peccatrix.)

Eut. Euth. Luc. 7: Tu tanquam is, qui paucis obnoxius es ſupplicijs, parum me dilexiſti: hæc verò, vt quæ multis erat obnoxia, vehementer me dilexit, vt multum ſibi remitteretur: ideo quoque congruum mihi eſt, vt ei tanquam vehementer diligenti, multum remittam. Multum autem, intellige hic vniuerſum debitum. (Multum.)

Theop. Theoph. Luc. 7: Dominus rogans illum in parabolis, in medium producit debitores duos, latenterque & illum debitorem eſſe inſinuat. Et parum quidem debere videbatur, debebat igitur. Itaque neque tu potes dare etiam minus debitum: non enim habes confeſſionem ſuperbia inflatus: neque mulier, vtriſque igitur remittet.

Tit. Titus Luc. 7: Illo ad Chriſti quæſitum reſpondente Dominus viciſſim excepit, cur tu ergo huius flagitia animo pertractas? nam neque tu quoque peccati expers es, quamuis enim minus forte debes, quam illa; attamen non es ab omni prorſus noxa immunis. Et ſæpe quidem vſu venit, vt is, qui grauiter, & multum impegit, per confeſſionem à peccatis abſoluatur: alius è diuerſo, qui parum peccarat, per ſuperbiam, confeſſionis pharmacum aſpernetur: adeoque in pœnarum reatum incidat. Neque eum ob id condemnationis iudicium euadet peccator, quod paucis delictis obſtrictus teneatur; nam & propter pauca quoque condemnabitur, niſi eam confeſſionem, & pœnitentiam de paucis illis in medium afferat, quam oportet. Siquidem ad tremendum illud tribunal conſtitutus, tanquam verè peccator, liberè pro ſe loqui non audebit. Vides hanc mulierem, &c. quaſi dicat: Tune illis quidem vſus es, quæ ad manum erant: hæc autem ea etiam effudit, quæ difficillimè habentur, nam tanta lachrymarum profuſio paratu minimè facilis eſt. Et capillis ſuis terſit, nimirum quo per ea aucupetur ſanctimoniam, per quæ iuuentutem pellexerat ad noxam. Et quia intra te aiebas: Hic ſi eſſet Propheta, &c. agnoſce vel ex hoc tandem, quod illius peccata non ignorabam, quia tuas cogitationes cognoſco. Quamobrem & te, & tua cogitata, tanquam omnium gnarus, exploratè tenens, & peccatorum molem, qua hæc premitur, neutiquam neſciens, tibi dico: Remittuntur ei peccata multa.

(Aliquando qui minus peccarunt damnãtur, qui verò magis ſectantur. Damnant etiam pauca peccata, niſi pœnitentia expientur.)

(Contritionis lachrymæ nõ facilè obtinentur: Muliebres capilli ad noxam elliciunt.)

Aug. Aug. homil. 23. Reſpondit, cui ſimilitudo propoſita erat, quod reſpondere vtique ratio compellebat.

Bern. Ber. ſer. 22. in Can: In odore iuſtitiæ cucurrit Maria Magdalena, cui dimiſſa ſunt peccata

Peccatrix eſt Maria Magdalena. Alia à Simonis ei ſoc.

multa: quoniam dilexit multum. Iuſta profectò, & ſancta. & non iam peccatrix, quemadmodum Phariſæus exprobrarat, neſciens iuſtitiam, ſeu ſanctitatem, Dei eſſe munus, non opus hominis; & quia non modò iuſtus, ſed & beatus, cui non imputabit Dominus peccatum. An oblitus erat quomodo vel ſuam ipſius, vel alterius corporalem tangendo lepram fugarat, non contraxerat? ſic tactus à peccatrice iuſtus iuſtitiam impertit, non perdit, nec ſorde peccati, qua illam mundat, ſe inquinat.

Tactu Chriſtus mundat, nec inficitur.

Amb. Ambroſ. lib. de Tobia ca. 22: Laudata eſt ſententia Phariſæi, dicentis Domino: Rectè iudicaſti. Rectè iudicauit Phariſæus, qui malè cogitauit, putans quod ignoraret magis Dominus peccata mulieris, quam donaret. Sed laudatur eius ſententia, vt excuſatio ei omnis adimatur. Plus remiſſum eſt Eccleſiæ, quæ congregata eſt ex populo nationum, quoniam plus debebat Sed & ipſa plus ſoluit, non exigenti, ſed donanti, &c. Pauperes ſunt pedes Chriſti. In his Chriſtus innocens ambulat, &c. Dimiſſa ſunt ei, &c.) Aduerte quod Dominus & miſericordiam impertit, vt liberalis; & iudicium cum miſeratione diſpenſat. Ante donauit per gratiam; ſed quibus donaret, ſciebat, &c.

Simonis reſponſio cur laudetur.

Pedes Chriſti ſunt pauperes.

Amb. Et lib. 2. de pœnit. cap. 8: Oſtende medico vulnus tuum, vt ſanari poſſis: etſi non monſtraueris, nouit: ſed à te expectat audire vocem tuam, &c. ſic peccatum mulier illa in Euangelio, fœtoremque ſui erroris abſterſit, &c. ſed non omnes mulierem iſtam æquare poſſunt, quæ etiam Simoni, qui prandium Domino dabat, meritò prælata; quæ omnibus, qui volunt veniam promereri, magiſterium præſtitit, &c. tamen ſi hanc æquare non poſſumus, ſcit Dominus & infirmis ſubuenire. Eundem vid. Amb. ep. 29. & lib. 6. in Luc. & Bed. Luc. 7.

Præfertur Simoni peccatrix. Quorum ſit maxima peccatrix. Amb. Bed.

Eut. Euth. Luc. 7: Tu quidem eà etiam, quæ facilia erant non feciſti; hæc verò, quæ etiam difficilia ſunt operata eſt. Vide autem quod ab his, vnde prius ipſa venabatur perditionem, ab eiſdem nunc venata eſt ſalutem. Quæ primum fuerunt inſtrumenta peccati, ea nunc fecit inſtrumenta virtutis. Multa equidem, cum illa multa haberet, & omnia remiſſa ſunt.

Peccata mulia.

Theoph. Theophylact. Luc. 7: Vides hanc mulierem, &c. Oſtendit Dominus Simonem & arrogantem, & inſipientem fuiſſe. Arrogantem quidem, ac contumelioſum; quandoquidem etiam ipſe homo exiſtens hominem propter peccata condemnabat. Inſipientem verò, ſiquidem non intellexit, quod mulierem, quæ tantæ fidei, & charitatis ſigna præſtitiſſet, oporteret ſuſcipere, non repellere. Idcirco reprehendit eum Dominus, vtpote condemnantem eam, quæ tanta fecit, quanta nec ipſe; imò nec longè inferiora fecit, quia dixiſti, quod non ſum Propheta, ex eo quod non cognouerim hanc eſſe peccatricem; ecce reprehendo ea, quæ ſunt in corde tuo, vt cognoſcas, quod ſicut occulta tua ſcio, multò magis illa ſciam, quæ & multi alij ſciunt. Dilexit multùm, hoc eſt, magnam præ ſe tulit fidem. Qui ſimul accubuerant etiam ipſi obmurmurant, non cogitantes quod iam ad Simonem dixerat, verùm ſimiliter dictum & ad ipſos Dominus comprimens murmur illorum, & oſtendere volens, quod ſua quemque fides ſaluum faciat, non dixit: ego te ſeruo, ſed fides tua, vt ne maiori capiantur inuidia, tum quo inuidiam illorum minueret; tum vt & illos ad credendum induceret, diſcentes ex fide ſalutem eſſe. Cæterum, quod inquit, vade in pace, hoc eſt, in iuſtitia. Pax enim iuſtitia eſt, ſicut peccatum inimicitiæ cum Deo. Vade in pace, id eſt, fac ea, quæ Deo te concilient. Vide autem quod non eſt contentus ei peccata remiſiſſe, niſi & boni operationem adijciat.

Simon etiam arrogans.

Meliores ſe multi reprehendunt.

Dilectio eſt magna fides.

Aug. in Pſal. 140: Dilexit multum, quare? quia confeſſa eſt, quia fleuit, quia non declinauit cor eius in verba maligna, ad excuſandas excuſationes in peccatis, non combinata eſt cum electis eorum, id eſt, defendentibus ſe. Nam enim & huic ipſi mulieri, ſi declinaretur cor eius in verba maligna, deeſſet defenſio peccatorum. An non quotidie pares eius in turpitudine, ſed non pares in confeſſione, meretrices, adulteræ, flagitioſæ defendunt peccata ſua? ſi latuerint, negant. Si autem vel deprehenſæ, atque conuictæ fuerint, vel publicè id egerint, defendunt. Et quam facilis defenſio earum, quam cita; ſed quam præceps, quam quotidiana, & quam ſacrilega? O ſi Deus hoc nollet, non facerem, hoc voluit Deus, fortuna hoc voluit, hoc voluit fatum. Non dicit quomodo illa peccatrix ad pedes medici veniens: Domine, miſerere mei, ſana animam meam, quoniam peccaui tibi. Et iſta defenſio qualium eſt? non ſolum indoctorum, ſed etiam doctorum. Sedent, & computant ſidera, interualla, curſus, volubilitates, ſtatus, motus intendunt, deſcribunt, conijciunt, docti, magni videntur, totum hoc dictum, & magnum defenſio peccati eſt. Eris adulter, quia ſic habes Venerem, eris homicida, quia ſic habes Martem. Mars ergo homicida, non tu; & Venus adultera, non tu. Vide ne pro Marte, & Venere tu damneris. Deus enim qui damnaturus eſt, nouit quia tu es, qui dicis, non ego iudici ſcienti, &c. Et tract. 49. in Ioannem: Ecce ipſa ſoror Lazari (ſi tamen ipſa eſt quæ pedes Domini vnxit vnguento, & terſit capillis ſuis, quos lauerat lachrymis) melius ſuſcitata eſt, quàm frater eius; de magna malæ conſuetudinis mole eſt liberata. Erat enim famoſa peccatrix; & de illa dictum eſt: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Videmus multos, nouimus multos; nemo deſperet, nemo de ſe præſumat, & deſperare malum eſt, & de ſe præſumere. Et ſer. 58. de temp. Meretrix illa, quæ pedes Domini lachrymis lauit, & capillis ſuis exterſit, vbi cæleſtem medicum veniſſe cognouit, vltro ſe ingeſſit in domum, vbi rogata non fuerat, & quæ prius frontoſa erat ad perditionem, poſtea frontoſior facta eſt ad ſalutem; & ideo audire meruit, quod ei omnia fuerunt peccata dimiſſa. Nec ipſa ſe ad hoc reſeruauit, vt in fine vitæ ſuæ pœnitentiam ageret, ſed dum adhuc peccare poterat, ſic, Deo inſpirante,

Vade in pace.

Quomodo ...

ſante, voluit peccata deſerere, vt illā de adulterijs ſuis, non neceſſitas ſubtraheret, ſed volūtas, &c. & meretrici, quæ lachrymis pedes rigauerat, & capillis ſuis terſerat, totum induſit, &c.

Et homil. 23: Oritur quæſtio profectò ſoluenda, quæ attentionem veſtræ caritatis deſiderat. Dicit enim aliquis: Si cui modicum dimittitur, modicum diligit: cui autem plus dimittitur, plus diligit: expedit plus diligere, quam minus diligere, oportet vt multum peccemus, & multum debeamus, quod nobis dimitti cupiamus; vt dimiſſorem magnorum debitorum amplius diligamus. Peccatrix enim illa mulier, quanto plus debebat, tanto dimiſſorem debitorum ſuorum amplius diligebat, Domino ipſo dicente: Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Quare autem dilexit multum, niſi quia debebat multa? Denique adiunxit: Cui autem modicum dimittitur, modicum diligit. Nonne expedit, inquit, vt multùm mihi dimittatur, quam minus, vnde amplius diligam Dominum meum? videtis certè profunditatem quæſtionis; ſcio, &c. parum tibi dimiſſum putas? prorſus parum diligis, &c. dictum eſt hoc, propter Phariſæum illum, qui vel nulla, vel pauca ſe putabat habere peccata. Non enim Dominum inuitaret, niſi aliquantulum diligeret. Sed quam parum erat? non oſculum dedit, &c. O Phariſæe ideo parum diligis, quia parum tibi dimitti ſuſpicaris, non quia parum dimittitur: ſed quia parum putas eſſe quod dimittitur, &c. ſed ò tu, qui dicis te non multa commiſiſſe. Quare? Quo regente? ſoluta eſt quæſtio. Hic multa commiſit, & multorum debitor factus eſt. Ille gubernante Deo pauca commiſit. Cui deputat ille quod dimiſit, huic & iſte deputat quod non commiſit, &c. agnoſce ergo gratiam eius, cui debes, & quod non admiſiſti. Mihi debet iſte quod factum eſt, & dimiſſum vidiſti: mihi debes & tu quod non admiſiſti. Nullum eſt enim peccatum quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit rector, à quo factus eſt homo.

Hier. Hiero. lib. 2. aduer. Iouin. ex hoc loco docet non omnes in cœlo futuros æquales: Qui minus diligit, & minus ei dimittitur, vtique in minori gradu erit.

Cypr. Cyprian. lib. 3. ad Quirin. cap. 116: Hinc oſtendit plus Deum ab eo diligi, cui plura in baptiſmo peccata dimittuntur.

Vot. 7. verſ. 11. & ſeq.

Cypr. CYPR. lib. ad Nouat. cap. 3: Hinc probat lapſis pœnitentibus dandam eſſe remiſſionem: ecce, inquit, Dominus vtriſque debitoribus larga ſua pietate, debitum concedit. Ecce delicta donantem, ecce mulierem peccatricem, pœnitentem, flentem, deprecantem, & remiſſam peccatorum accipientem.

Eut. Euth. Luc. 7: Remittuntur tibi peccata) Dixit hoc illi, vt certior ipſa redderetur, & ipſe donaret indigenti, quod illa petebat. Et cœperunt, &c.) hoc & alij dixerunt, quando paralyticum curauit, fides tua, &c.) eodem modo locutus eſt ad eam, quæ ſanguinis profluuio laborabat. Vtinam animæ noſtræ fornicariæ, ſeu voluptatum amatrices pœnitentia pungerentur, & lachrymis abluerent ipſius peccati fœtorem, ac ſuauem ad Deum odorem deferrent vnguenti ipſius virtutis.

Tert. lib. 4. aduer. Marcio. cap. 18: Peccatricis pœnitentia meruit veniam: ſi pœnitentiæ ſtimulus ex fide acciderat, per pœnitentiam ex fide iuſtificatam ſe audijt ab eo, qui per Abac. pronunciauerat: Iuſtus ex fide viuet. Tert. Abac 2.

Tit. Luc. 7: Qui ſimul accumbebant.) Per hæc Euangeliſta oſtendit alios quoque vna accubuiſſe; ad quos verbum Chriſti ſpectabat. Neque enim erat illud tanquam vulgaris cuiuſpiam Prophetæ; ſed tanquam Domini vnicuique, quod æquitatis ratio poſcebat, diſtribuentis. Depoſcebat hæc autem, vt eam, quæ confitebatur, quæ lachrymabatur, quæ ad Chriſti pedes ſeſe abiecerat, quæ omnem honorem, & reuerentiam eidem impenderat, viciſſim in gratiam, & amicitiam reciperetur. Fides tua.) Credidit enim illa Chriſtum habere poteſtatem remittendi peccata. Quod autem dicit: Vade in pace; idem eſt, quod noli amplius peccare. Tit. Chriſti verba indicabant eum non eſſe vulgarem prophetā, ſed omniū Dominū. Chriſtum eſſe Deum credidit peccatrix. Vade in pace.

Aug. hom. 23: Homo putabatur Chriſtus & ab illo, qui inuitauit, & ab eis, qui pariter diſcumbebant. Neſcio quid illa peccatrix plus in Domino viderat. Nam quare fecit illa omnia, niſi vt ſibi dimitterentur peccata? nouerat ergo illum poſſe dimittere peccata. Illi autem nouerant hominem non poſſe peccata dimittere. Et credendum eſt, quod omnes, id eſt, & illi diſcumbentes, & illa mulier accedens ad pedes Domini, omnes hi nouerant hominem non poſſe peccata dimittere. Cum ergo omnes hoc noſſent, illa quæ credidit eum poſſe peccata dimittere, plus quam hominem eſſe intellexit. Quis eſt hic, &c.) Tu recumbens quaſi ſanus, medicum ignoras: quia maiori fortitan febri mentem etiam perdidiſti. Nam & phreneticus ridens ploratur à ſuis. Tenete quia homo non poteſt peccata dimittere. Illa quæ ſibi à Chriſto peccata dimitti credidit, Chriſtum non hominem tantum; ſed & Deum credidit. Et Dominus, quis eſt iſte, dicentibus, non dixit; filius Dei, verbum Dei, non hoc dixit: ſed in eo quod putabant, aliquantum eos manere permittens, ſoluit quæſtionem, & motus illorum. Qui enim videbat diſcumbentes, audiebat cogitantes, conuerſus ad mulierem: Fides tua, inquit, te ſaluam fecit. Qui me putant hominem, hominem putent: fides tua te ſaluam fecit. Medicus bonus ægros non ſolum præſentes ſanabat, ſed futuros etiam præuidebat. Futuri erant homines, qui dicerent: Ego peccata dimitto, ego iuſtifico, ego ſanctifico, ego ſano quemcumque baptizo, &c. Sed in eo Phariſæus melior, quia cum putaret hominem Chriſtum, non credebat ab homine poſſe dimitti peccata, melior ergo Iudæis, quam hæreticis apparuit intellectus. Quis eſt hic, &c.) Hoc audet ſibi homo vſurpare. Chriſtus quando à Iudæis putatus eſt

Aug. Dimittere peccata quis poſſit, Chriſtum peccatrix Deum eſſe credebat. Remiſſionem Dominus tot fidei non ſibi tribuat. Ratio 4. Ratio 5.

eſt homo, dimiſſionem peccatorum fidei dedit. Daturus erat Dominus ſanctum ſpiritum hominibus, & ab ipſo ſancto Spiritu fidelibus ſuis dimitti peccata non meritis hominum volebat intelligi.

CAP. 58. IESVS *curat dæmoniacum mutum, & cæcum: refellit calumniatores: generatio praua ſignum quærit: de immundo ſpiritu, & mulieris exclamatione.*

Matt. 12.

2 c. 45.) TVnc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus: & curauit eum, ita vt loqueretur, & videret. Et ſtupebant omnes turbæ.

3 Et dicebāt: Nunquid hic eſt filius Dauid?

5 Phariſæi autem audientes, dixerunt: Hic non eijcit dæmones, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum.

6 Ieſus autem ſciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diuiſum contra ſe, deſolabitur: & omnis ciuitas, vel domus diuiſa contra ſe, non ſtabit. Et ſi Sathanas Sathanam eijcit, aduerſus ſe diuiſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum eius?

7 Et ſi ego in Beelzebub eijcio dæmones: filij veſtri in quo eijciunt? Ideò ipſi iudices veſtri erunt.

8 Si autem ego in ſpiritu Dei eijcio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei.

9 Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi prius alli-

Mar. 3.

1 c. 46.) ET veniunt ad domum, & conuenit iterum turba, ita vt non poſſent neque panem manducare.

4 Et cùm audiſſent ſui, exierunt tenere eum; dicebant enim: Quoniam in furorem verſus eſt.

5 Et Scribæ, qui ab Hieroſolymis deſcenderant, dicebāt: Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum eijcit dæmonia.

6 Et conuocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo poteſt Sathanas Sathanam eijcere? Et ſi regnum in ſe diuidatur, non poteſt regnum illud ſtare. Et ſi domus ſuper ſemetipſam diſpertiatur, non poteſt domus illa ſtare. Et ſi Sathanas conſurrexerit in ſemetipſum, diſpertitus eſt, & non poterit ſtare; ſed finem habet.

9 Nemo poteſt vaſa fortis, ingreſſus in domum diripere, niſi prius fortem alliget; & tunc do-

Luc. 11.

Dom 3. Quad.

2 c. 108.) ET ✠ erat eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus: & admiratæ ſunt turbæ.

5 Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.

15 Et alij tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo.

6 Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſeipſum diuiſum, deſolabitur: & domus ſupra domum cadet. Si autem & Sathanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia.

7 Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia: filij veſtri in quo eijciunt? Ideò ipſi iudices veſtri erunt.

8 Porrò ſi in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.

9 Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem fortior eo

Ioan.

gauerit

Matt. 12.

gauerit fortem? & tunc domum illius diripiet.

10 Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non congregat mecum, ſpargit.

11 Ideo dico vobis; omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus: ſpiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunq; dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit cõtra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſęculo, neque in futuro.

12 Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Siquidem ex fructu arbor agnoſcitur.

13 Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? ex abundantia enim cordis, os loquitur. Bonus homo de bono theſauro profert bona. Et malus homo de malo theſauro profert mala.

14 Dico autem vobis; quoniam omne verbum ocioſum, quod locuti fuerint homines, reddẽt rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

Fer. 4. Dom. 1. Quadr.

15 ✠ Tunc reſponderũt ei quidam de Scribis, & Phariſæis, dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre.

16 Qui reſpondens ait illis: Generatio mala, & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

Mar. 3.

mum eius diripiet.

11 Amẽ dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blaſphemiæ, quibus blaſphemauerint: qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſionem in æternum; ſed reus erit æterni delicti: quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.

Luc. 11.

ſuperueniens vicerit eũ, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.

10 Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.

19 Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquoſa, quærẽs requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meã vnde exiui.

20 Et cum venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.

22 Factum eſt autẽ, cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.

23 At ille dixit: Quinimò, beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. ✠

15 Suprà.

16 Turbis autem cõcurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam eſt: ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Nam ſicut fuit Ionas ſignum Niniuitis: ita erit & filius hominis generationi iſti.

Ioan.

Matt. 12.	*Mar.*	*Luce 11.*	*Ioan.*
17 Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce pluſquàm Ionas hic.		18 Regina Auſtri ſurget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce pluſquàm Salomon hîc.	
18 Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce pluſquàm Salomon hic.		17 Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ: & ecce pluſquàm Ionas hic. (Nemo lucernam. cap.109.	
19 Cùm autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit: tunc dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui.		19 Supra.	
20 Et veniens inuenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam: tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.		20 Supra.	
21 Sic erit & generationi huic peſſimæ.			
		22 Supra.	
		23 Supra.	

Not. 1.

Ratio diſpoſitionis.

Hoc caput non potuit commodè in plura diuidi, ne ſiqui cæleſtis petitio, à reſponſione ſepararetur. Hic autem primum redit Matthæus ad continuandam hiſtoriam eorum, quæ poſt reditum è Iudæa contigerunt, cum pleraque eorum anticipaſſet. Continuam autem hiſtoriam narrari à Matthæo hinc vſque Nazareth, ac deinceps; & iſtud eſſe primum, à quo incipit, ex ſuperioribus, & inferioribus, ſi quis conferre volet, ſatis intelligetur. Matthęus porrò iis, quæ cap. 45. narrantur, cæci, & muti curationem ſubiicit; non quod in eo receſſu, de quo ibi agitur, euenerit: nam in domo contigit, Scribis præſentibus, & Phariſæis: ſed cum narrare cœpiſſet, quæ à reditu à Iudæa fecerat, ad narrationem continuandam redit. Quin & Marcus in his, & deinceps conſentit cum Matthæo eundemque ordinem ſeruat, niſi quod quædam interponat. Proximè autem electioni Apoſtolorum ſubiicit Marcus hunc reditum in domum, quando liberatus eſt dęmoniacus; non quod primo acceſſu in Capharnaum, à reditu è Iudæa, contigerit; ſed quoniam ea, quæ intermedio contigêre tempore, omiſit. Iſtud igitur & primum eſt ex Marco; & ante omnia ſequentia collocandum. Lucas verò hiſtoriam huius dæmoniaci, narrat quidem poſt 70. diſcipulorum miſſionem: Sic tamen, vt nullam cohærentiam indicet. Denique ex verſu 5. & aliquot ſequentibus, ſatis apparet de eadem re loqui Marcum, de qua Matthæus, etiamſi dæmoniaci, cæci, & muti, nullam faciat mentionem. Quod etiam Victor Antioch. Mar. 3. agnoſcit. Vid. Lucas quoque de eodem loquitur, vt patet non ſolum ex hiſtoria, ſed etiam ex Aug. Didymo, Euth. Tito Boſtren. Luc. 11. Bed. & aliis. Porro Marcus hanc blaſphemiam Scribis, Matthæus Phariſæis, Lucas turbæ aſſcribit. Varii enim varia ſunt calumniati.

Aug. Dæmoniacus ſanatur.

Aug. lib. 2. de conſen. cap. 37: Matthæus ergo ſequitur, & dicit: Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus; & curauit eum, ita vt loqueretur, & videret. Hoc non iſto ordine, ſed poſt alia multa Lucas commemorat; & mutum dicit tantum, non etiam cæcum; ſed non ex eo quod aliquid tacet, ideo de alio dicere putandus eſt. Ea enim ſequentia etiam ipſe contexit, quæ Matthæus. Et cap. 38: Sequitur Matthæus dicens: Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Nunquid hic eſt filius, &c. vſque ad illud, vbi ait: ex verbis tuis condemnaberis. Marcus non ex occaſione illius muti ſubiicit dictum de Ieſu, quod in Beelzebub eiiceret dæmonia: ſed poſt alia quædam, quæ ſolus commemorat, hoc quoque ſubnectit, ſiue alio loco id recolens, & adiungens, ſiue aliquid prætermittens, & deinde ad hunc ordinem rediens. Lucas autem pene totidem verbis hoc dicit, quod Matthæus: & quod digitum Dei appellat ſpiritum Dei, ab eadem ſententia non recedit: quin potius & aliquid docet, vt nouerimus, quemadmodum intelligamus, vbicunque in ſcriptura legerimus, digitum Dei. In aliis autem, quæ non hic dicunt Marcus, & Lucas, nulla

Matt. & Luc. de eodem muto loquente conſentiunt.

Aug.

Vt Matt. & Mar. & Luc. hic conueniât.

nulla controuerſia eſt: nec in his, quæ aliquando aliter dicunt; quia eadem ſententia eſt. Et cap.29. habet mutum illum dæmoniacũ 9.cap. Matt. commemoratum, à ſolo Matthæo poni: ideoque ab iſto eſſe diuerſum. Et cap.39: Sequitur Matthæus,& dicit: Tunc reſponderũt ei quidam de Scribis, & Phariſæis dicentes:Magiſter,volumus à te ſignum videre,&c.vſque ad illud vbi ait: Sic erit & generationi huic peſſimæ; hæc etiam Lucas narrat eo quidem loco, ſed aliquanto diſpari ordine. Nam illud quod petierunt ſignum à Domino, de cœlo, ſupra commemorauit,poſt illud de muto miraculum: & non ibi retulit quid eis ad hoc Dominus reſpondiſſet; ſed poſtea,cum turbæ concurriſſent, dicit hoc fuiſſe reſponſum eis,quos dat intelligi ſuperius à ſe commemoratos,quod de cœlo ſignum quærebant:& hoc annectit,poſteaquam interpoſuit de muliere,quæ dixit Domino:Beatus venter, qui te portauit. Hanc autem mulierem interpoſuit,cum de ſermone Domini commemoraſſet,quod ſpiritus immundus exiens ab homine redit, & inuenit mundatam domum. Poſt mulierem ergo illam,cum diceret reſponſum eſſe turbis de ſigno, quod de cœlo quærebant, interpoſita ſimilitudine Ionæ Prophetæ, deinde continuato ſermone ipſius Domini, cõmemorat dictum de Regina Auſtri, & de Niniuitis, ita aliquid potius commemorauit quod Matthæus tacuit,quàm aliquid prætermiſit eorum,quæ hoc loco ille narrauit.Quis autem nõ videat ſuperfluo quæri, quo illa ordine Dominus dixerit;cum & hoc diſcere debeamus per Euangeliſtarum excellentiſſimam authoritatem, non eſſe mendaciũ,ſi quiſquam non hoc ordine cuiuſquam ſermonem digeſſerit,quo ille,à quo preceſſit: cum ipſius ordinis nihil interſit ad rem, ſiue ita, ſiue ita ſit?

Aug. | Aug. | De ſigno cæleſti, Ionæ, Regina Auſtri, Niniuitis, & immundo ſpiritu vt Matthæus Lucæ congruit. | Mulieris exclamatio nem Lucas ſolus poſuit.

Not. 2. verſ. 1.

Eut. EVTH. Mar.3: Venit in domum.) Cuiuſdam fidelis. Vict. Victor Antioch: Neque panem manducare) neq; hic quoque requiem inuenit. Bed. Bed. Mar. 3: O quam fęlix occupatio Saluatoris, quam beata frequentia turbæ confluentis, cui tantum ſtudij ad audiendum verbum Dei, tantum fuit curę ad obtinendam ſalutem,vt auctori ſalutis cum eis,qui ſecum erãt, ne veſcendi quidem hora ſolatio vitæ miſeris impendendo, libera maneret. Vtinam Domine Ieſu,& in noſtri temporibus æui tantum gratiæ tuis fidelibus largiaris,qui Doctores ſuos aſſiduitate diſcendi, non ſolum ab appetitu carnalium voluptatum, verum etiam nonnunquam ab ipſa quoque panis quotidiani perceptione præpediant.

Ver. 2.

Hier. Hieron. Matt.12: Tria ſigna ſimul in vno homine perpetrata ſunt:cæcus videt,mutus loquitur,poſſeſſus à dæmone liberatur.Quod & tunc quidem carnaliter factum eſt; ſed & quotidie completur in conuerſione credentium, vt expulſo dæmone, primum fidei lumen aſpiciant; deinde in laudes Dei tacentia prius ora laxentur.

Tria ſimul ſiunt miracula.

Et Matt.9:Quod autem Græcè dicitur, *cophon*, magis tritum eſt ſermone communi, vt ſurdus magis,quam mutus intelligatur;ſed moris eſt ſcripturarum, *cophon*, indifferenter vel mutum, vel ſurdum dicere. Hier.

Theophylact. Matth. 12: Vias ad fidem occluſerat dæmon,oculos, aures, & linguam; ſed Ieſus ſanat.Et nunc ſi videris quempiam neque quid bonum ſit per ſe intelligentem, neque alterius ſermones ſuſcipientem, exiſtima illum cæcum, & mutum; quem vtinam ſanarit Deus tacto eius corde. Et Luc.11: *Cophos* mutus frequenter dicitur;dicitur autem & qui non audit: propriè verò,qui neque audit,neque loquitur,& ſanè qui à natiuitate non audiunt,iidem etiam neceſſariò non loquuntur. Illa enim loquimur, quæ per auditum loqui didicimus: quando autem quis non audit, non mirum ſi neque loquatur. Verum ſecus eſt ſi caſu cuiuſpiam auditus offendatur. Nam eum, qui talis eſt,loqui non prohibet:vnde qui ad Dominum adductus eſt,& lingua, & auribus impeditus erat: figura autem hic eſt humanę naturæ,quæ à dæmonibus detenta, non audire poteſt ſermonem Dei,multoque minus eloqui valet.At Dominus poſtquam venerit, dæmoneſque effugarit,dæmoniacas affectiones, & opera inquam; fecit nos audire,& eloqui veritatem:non ſolum enim ſermones Dei audire oportet,ſed etiam alijs loqui.Audiamus igitur,qui habemus in nobis diabolica opera, & putamus nos docere alios, & cupimus ab hominibus ſalutari Rabbi. Egreſſo enim dæmonio, verus ſermo, & doctrina fit. Quamdiu autem intra nos fuerit dæmonis operatio, etiamſi videamur loqui, non loquimur.

Theoph. Simul ſiũt ſigna quatuor. Quis cæcus,& mutus. | Theop. Nõ omnis ſurdus eſt mutus.

Euth. Luc.11: Illud erat mutum.) Nec ipſum loquebatur, vel audiebat; nec hominem ſinebat loqui,vel audire: non ex natura;ſed ex malitia.

Eut. Dæmoniũ quomodo mutũ erat.

Bed. Matt.12: Homo iſte Gentilem populum ſignificat, quia oblatus per prædicatores ad fidem Chriſti; cæcus, quia in viam veritatis ignorabat:mutus,quia os ad laudem conditoris non aperuit.Dęmoniacus fuit,quia per idololatriam dæmonibus ſeruiebat. Huiuſmodi ignorantiæ deditos adhuc quotidie Eccleſia pijs precibus, doctrinis, & exemplis offerre Domino non ceſſat. Et Luc.11: Dæmoniacus iſte apud Matt.non ſolum mutus, ſed & cæcus fuiſſe narratur, curatuſque dicitur à Domino, ita vt loqueretur,& videret. Bed. | Bed.

Aug. lib.1.quæſt.Euang.cap.4: Cæcus,& mutus; id eſt, qui non credit,& ſubditus eſt diabolo:qui non intelligit,& non confitetur ipſam fidem,de qua dictum eſt:Ore autem confeſſio fit ad ſalutem:vel qui non dat laudem Deo. Aug.

Ver. 3.

Euth. Matt.12: Num hic eſt filius ille Dauid. Audierant enim Prophetas annunciantes,quod de ſemine Dauid venturus eſſet Chriſtus.

Euth. Chriſtus cur Dauidis filius dicatur.

Not. 3. verſ. 4.

via. VICT. Antioch. Mar. 3: Vnde iſti venerint, vel vnde Chriſtum furere audiuerint, diſertè non exponitur: probabile fit autem, malum hoc à Scribis, & Phariſæis, qui ab Hieroſolymis venerant, ortum fuiſſe. Illi enim, cum admirabilia illius facta audiuiſſent, turbaſque ingentes vndique circumfuſas vidiſſent, inuidia ſimul, & ira perciti, & quaſi in veſaniam acti, illum furere dixerunt. Atque ita, vt eum tenerent, irruerunt, alijſque vt idem facerent, authores fuêre. Arbitrabantur enim, id illum pati, quod ipſi reuera patiebantur: furia enim aperta, & pudenda mentis veſania erat, tantarum rerum opificem, tantumque animarum curatorem, cœleſtiſque doctrinæ magiſtrum, in furorem verſum exiſtimare. Quare ſtatim de quibuſdam diſertis verbis hæc ſubdit. Scribæ, qui ab Hieroſolymis deſcenderant, &c.

Phariſæi Chriſto imponũt, quod ipſi patiebantur.

Euth. Euth. Mar. 3: Cum audiſſent domeſtici eius, multam conuenire turbam, exierunt vt eum cohiberent, & prohiberent, ne amplius ſanaret. Fortaſſis autem hi erant fratres ex Ioſeph, aut aliàs cognati. Poteſt ergo dictio, eum, referri ad Ieſum, & ad turbam: nomen enim, quod turbam ſignificat, etiam maſculinum eſt, dicebant enim: in exceſſum verſus eſt. Dicebant quidam inuidi, quod deſiperet: quia ſe totum ad dandas ſanitates tradiderat; humanitatem dicentes furorem, & miſericordiam facientes crimen: & verè hi inſaniebant. Alij verò, quæ dicta ſunt, aliter interpretantur, quod exierunt ſui, vt tenerent eum, ne diſcederet: dicebant enim quidam, quod exceſſiſſet, ſiue diſceſſiſſet à ſe, propter turbam. Vel, exierunt vt tenerent eum, ſiue adiuuarent: dicebant enim, quod exceſſiſſet, ſiue diſſolutus eſſet à vigore corporis, præ nimio labore.

Sui quinã erant.

In furorẽ verſus.

Theop. Theoph. Mar. 3: Cum audiuiſſent, inquit, qui ad illum attinebant, hoc eſt, neceſſarij eius, fortè qui eiuſdem erant patriæ, vel etiam fratres eius; exierunt vt comprehenderent eum, dicebant enim; quia in furorem verſus eſt, hoc eſt, dæmonem habet. Audientes enim quod dæmonia eijceret, & morbos ſanaret, præ inuidia opinabantur, quod dæmonium haberet, & furioſus eſſet: vnde volebant comprehendere illum, vt eum tanquam dæmoniacum ligarent. Et familiares eius ſic quidem agebant.

Sui. Tenere. In furorẽ verſus.

Bed. Bed. Mar. 3: Sed quem turba frequentat externa, videmus quãti hunc propinquorum æſtimatio pendat. Verè, ſicut ipſe dicit alibi: Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua. Quem enim cæteri quaſi authorem vitæ, & ſapientiam Dei adire, videre, & audire deſiderant; hunc propinqui quaſi mentis impotem, eſſe ligandum decernunt. Quia enim altitudinem ſapientiæ, quam audiebant, capere non poterant, quaſi alieno eum ſenſu locutum eſſe credebant: iuxta exemplum eorum, qui ſacramentum carnis eius manducandæ, & bibendi ſanguinis non ferentes, aiebant: Durus eſt hic ſermo. Quis enim poteſt audire? & propterea retro abierunt, & iam cum illo non ambulabant. Allegoricè autem, in eo quo turba ad illum conueniente frequenti, vt furioſus à ſuis contemnitur, ſalus credentium de Gentibus approbatur, & inuidia è Iudæorum, perfidiaque notatur; de quibus ait Ioannes: In propria venit, & ſui eum non receperunt.

Propinquorum in Chriſtum inhumanitas. Ioan. 6. Allegoricè. Io. 1.

Hieron. Mar. 3: Commemorat diſcipulos putaſſe quod in furorem verteretur: quia Scribæ, qui ab Hieroſolymis venerant, dicebant: Beelzebub habet. Sicut exaltantur cœli à terra; ſic exaltatæ ſunt viæ Domini, à vijs noſtris. Ad hoc namque venit, quod audiuit, & patitur, qui nobis dicit: Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, & reliqua. Sui, id eſt, qui ex illius erant familia, vel cognatione, cognati Chriſti, ob familiaritatem, quam cum ipſo habuerant, nihil magnificum de ipſo ſentire valentes quod ipſum prius communem vixiſſe vitam, & à reliquis nihil differentem eſſent experti: cum audirent, quæ de ipſo nuntiabantur, inſolita eſſe, & ſupra modum humanarum virium furore quodam, & dæmone agi dixerunt; atque hinc fieri, vt noua, atque inandita doceret, & faceret. Itaque quoniam erant cognati, iuxta leges humanas, putabant ſui eſſe officij, vt mentis impotem, & à ſpiritu quopiam arreptum, cohiberent, fortè etiam ne rebus per Ieſum nouatis, tota ſimul cognatio perderetur, & profligaretur, ſubuerentes: Cum hi Chriſtum primum merito ſuſcipere debuiſſent, vel qui eius innocentiam, à puero cognouiſſent; & eius gloria magnificè erant illuſtrandi, & cohoneſtandi.

Hie. Sunt noſtræ [illegible] Sui.

Not. 4. ver. 5.

BED. Matt. 12: Phariſæi autem audientes, &c. Quod negare non potuerant, male interpretati ſunt, quia opus Spiritus ſancti immundo ſpiritui deputabant. Et Mar. 3: Multum ſanè diſtat inter eos, qui verbum Dei pro mentis tarditate non intelligunt; & eos, qui hoc quod intelligunt, de induſtria blaſphemant, ac perſequuntur. His etenim ſpes ſalutis adhuc, ſi fortè intellexerint, reſtat: illis autem, qui nolentes intelligere, vt bene agant, & iniquitatem meditantur in cubili ſuo, quæ ſpes ſaluandi vltra remanet, cum & hoc quod pro ſalute animæ ſuæ rectè intelligendo perceperant, deteſtando, atque odijs inſequendo, reijcere contendunt? Nec ſine cauſa, qui tantum blaſphemiæ Domino inferebant, ab Hieroſolymis deſcendiſſe dicuntur: ſed futurum vtique portendebant, eum à ciuibus vrbis illius, vſque ad mortem eſſe perſequendum. Legimus quidem ſupra, quia multa turba à Galilæa ſecuta eſt eum, & ab Hieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum, & Sydonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. Turba ergo ab Hieroſolymis veniens ſecuta eſt Dominum, ſicut & ab alijs

Bed. Blaſphemia. Bed. Ab Hieroſolymis. Aliter turbæ erga Chriſtum ſe habebãt, quam Scribæ.

alijs regionibus Iudæorum, ſiue etiam Gētium. Quis enim neſcit Idumæam, Tyrum, & Sydonem, prouincias, ſiue ciuitates fuiſſe gentilium? Sed Scribę ab Hieroſolymis deſcendentes, blaſphemijs illum proſequebantur horrendis; quia ſic nimirum erat paſſionis tempore futurum, vt turba illum populi Iudæorum cum palmis, ac laudibus Hieroſolymam perduceret, Gentiles videre deſiderarent; ſed Scribæ, & ſeniores populi, de eius nece tractarent. Turbis ergo, quæ minus eruditæ videbantur, Domini ſemper facta mirantibus, illi contra vel negare hæc, vel quæ negare nequiuerant, ſiniſtra interpretatione peruertere laborabant; quaſi non hæc diuinitatis, ſed opera eſſent immundiſſimi ſpiritus, id eſt, Beelzebub, qui Deus erat Accaron. Nam Beel quidem ipſe eſt Baal, zebub autem muſca vocatur. Nec iuxta quædam mendoſa exemplaria b litera, vel d in fine nominis eſt legenda; ſed b. Beelzebub ergo Baal muſcarum, id eſt, vir muſcarum, ſiue habens muſcas, interpretatur, ob ſordes videlicet immolatitij cruoris, ex cuius ſpurciſſimo ritu, vel nomine, principem dæmoniorum cognominabant.

Vict.

Vict. Antioch. Mar.3: Quandoquidem ijs, quæ facta fuerant, glorioſéque ſubinde ab eo fiebant, contradicere omnino non poterant, alia rurſum via illius opera in calumniam rapere conantur. blaſphemant enim in Beelzebub dæmoniorum principe dæmonia eijcere. Quamobrem turbę multo in Chriſtum ęquiores, multoque in illum benigniores erant, quam Iudæorum proceres. Horum enim mentis iudicium impediebat ambitio, vanæque gloriæ cupido: illorum verò quędam tantum animi hebetudo, mentiſque caligo. Hac autem ſemel diſcuſſa, qui ante cæcutiebat, facili negotio ad veritatis lucem, veramque Dei cognitionem adducitur. Porro legiſdoctores non ex inſcitia, ſed de induſtria calumniabantur, remque à diuinis legibus alieniſſimam, Chriſto tribuere non verebantur; puta dæmonum opera dæmones ab hominum corporibus profligare.

Not. 5. verſ. 6.

Bed.

BED. Matt.12: Omne regnum diuiſum, &c.) Et eſt ſenſus: Si ergo iuxta veſtram ſententiam, in principe dæmoniorum dæmones expello, ſaltem inde poteſtis regnum meum ſtabile, fixumque perpendere, quia me ſimul cum patre tantam habere ſuper illum cernitis poteſtatem.

Bed.

Et Luc. 11: Non ad dicta, ſed ad cogitata reſpondit; vt vel ſic compellerentur credere potentiæ eius, qui cordis videbat occulta. Si autem omne regnum in ſeipſo diuiſum deſolatur, ergo Patris, & Filij, & Spiritus ſancti regnum non eſt diuiſum, quod ſine vlla contradictione, non aliquo impulſu deſolandum, ſed æterna eſt ſtabilitate manſurum. Si verò ſanctæ, indiuiduæ Trinitatis, indiuiduum, imo quia indiuiduum manet regnum, deſiſtant Arriani minorem Patre Filium, minorem Filio ſanctum dicere Spiritum. Quia quorum vnum eſt regnum, horum eſt & vna maieſtas.

Eut.

Euth. Matt. 12: Apud ſeſe hæc dicebant, timentes turbam: ipſe verò ſecretum cordis eorum publicauit. Hinc etiam Deum ſe eſſe demonſtrans. Vide autem quod primum ob id accuſatus, non obiurgauit illos, cognoſcēdam tradens ſuam potentiam, tum à pluribus ſignis, tum à doctrina, quæ inde ſecuta eſt. Quia verò rurſum idem dicentes perſeuerabant, in nullo meliores effecti, deinceps eos obiurgat, ac redarguit illorum inſaniam. Id tamen cum manſuetudine facit, inſtruens nos, vt peccātes manſuetè arguamus.

Ad cogitata reſpōdit.

Secundo ſic accuſatus reſpōdet.

Modeſtè reprehendit.

Eut.

Et Mar.3: In parabolis, id eſt, in exemplis, & ſimilitudinibus. Et Luc. 11: Cogitationes tum ſuſpicionis, quod in Beelzebub eijceret dæmonia: Nam hoc apud ſe dicebant, timentes turbam: tum conatus, quo ſignum petebant. Et nunc quidem de vno reſpōdet, poſt pauca verò de reliquo.

Theoph.

Theoph. Mar.3: Exemplis, quibus contradici non poterat, vincit inuidos Iudæos. Et Matth. 12: In vulgando cogitationes illorum Deum ſe eſſe comprobauit. Excuſat autem ſe apud illos communibus exemplis, & monſtrat inſipientiam eorum.

Chryſoſt. Ad hanc calumniā ſecundo non primo reſpondet.

Chryſoſt. homil. 42. in Matth: Calumniati iam Phariſæi fuerant, quod in Beelzebub dæmonia eijceret: ſed tunc quidem non increpauit, nec quicquam omnino ad hoc reſpondit; ſed partim à multitudine ſignorum, partim à dignitate doctrinæ ad cognoſcendam omnipotentiam ſuam inducebat. Verum quoniam in nequitia eorum perſeuerantes eadem dictitabant, reſpondit nunc, vt deitatem ſuam oſtendat. Primum, quando arcana cordium ipſorum, quæque inter eos ſecretè agitabant, proferret: deinde quando facile dæmones proijceret. Et quamuis valde impudens illa calumnia erat, cum inuidentes non conſiderent, quid dicant; ſed quicquid in buccam venerit, proferant, non neglexit tamen Chriſtus, ſed propter vtilitatem ipſorum, clementer, atque vtiliter reſpondet: vt nos doceat, ita mites eſſe erga inimicos, vt etiamſi aduerſus nos ea dicant, quæ nulla ratione nitantur, quorumque ipſi nequaquam conſcij ſimus, non conturbemur tamen, neque commoueamur; ſed æquo animo ipſis omnium rerum rationem referamus. Quod ideo maximè tunc peregit, vt vel hoc ſigno mentitos eſſe aduerſus ipſum eos confirmaret; quoniam non ſit dæmoniaci, tanta clementia, manſuetudine, humanitateque vti, nec eſt dæmoniaci arcana hominum noſſe. Nam quia impudentiſſima erat talis excogitatio; ideo etiam timore multorum perterriti, non auſi fuerant in publicum afferre; ſed mente ſecum aſſiduè verſabant. Chriſtus verò, vt viderent quoniam hæc ipſum non fugiunt, arcanas eorum cogitationes, atque calumnias non publicauit, nec verſutam malignitatem eorum effert, ſed occultorum incuſatione ſolutionem adducit, conſcientiæ ipſorum redargutionem relinquens. Vni enim ſolummodo rei maxime ſtudebat, vtili-

Modeſtè arguit.

tati peccantium, non vt in vulgus eos traduceret. Et quamquam ſi voluiſſet rationibus eos quaſi nequam homines conuincere, ac pœnas ab eis petere facile potuiſſet, hac te tamen prætermiſſa, ad illud ſolummodo reſpiciebat, vt moderatiores eos redderet, aut ſaltem à praua cogitatione ſubduceret, ac aptiores ad emendandum redderet. Quomodo igitur reſpondet? non à ſcriptura certè, cui minimè ipſi probè vacabant, falſis eam expoſitionibus ſubuertentes; verum ab his, quæ communiter ſolent fieri, arguit.

Not. 6. verſ. 7.

Hier. Filij veſtri. — HIERON. Matth. 12: Filios Iudæorum, vel exorciſtas gentis illius ex more ſignificat, vel Apoſtolos ex eorum ſtirpe generatos. Si exorciſtas, qui ad inuocationem Dei eijciebant dæmones, coarctat interrogatione prudenti, vt confiteantur Spiritus ſancti eſſe opus. Quod ſi expulſio dæmonum, inquit, in filijs veſtris Deo, non dæmonibus deputatur, quare in me idem opus non eandem habeat cauſam? ergo ipſi iudices veſtri erunt, non poteſtate, ſed comparatione, dum illi expulſionem dæmonum Deo aſſignant: vos Beelzebub principi dæmoniorum. Sin autem de Apoſtolis dictum eſt, quod & magis intelligere debemus, ipſi erunt iudices eorum, quia ſedebunt in duodecim ſolijs iudicantes duodecim tribus Iſrael.

Aug. Filij veſtri. — Aug. ſerm. 11. de verbis Domini: Filij veſtri in quo eijciunt? dixit hoc vtique de diſcipulis ſuis, illius populi filijs, qui certè diſcipuli Domini Ieſu Chriſti bene ſibi conſcij fuerant, nihil ſe malarum artium à bono magiſtro didiciſſe, vt in principe dæmoniorum eijcerent dæmones.

Aug. — Et lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 5: Per filios eorum Chriſti diſcipulos intelligit.

Chryſoſt. Filij veſtri — Chryſoſt. hom. 42. in Matt: Et hæc quidem vna ſolutio eſt. Altera vero illa, quæ de diſcipulis dicitur. Non enim vno ſolo argumento, ſed altero, atque tertio nonnunquam futiles rationes diſſoluit, multis modis volens impudentiam eorum retundere: ſic & de die ſabbathi feciſſe ipſum videmus. Cum & Dauid regem in medium produxerit, & ſacerdotum factum non tacuerit, & ſcripturam teſtem citauerit, dicentem: Miſericordiam volo, & non ſacrificium: ac denique cauſam ſabbathi adduxit, quomodo hominis cauſa factum fuit: pariter igitur etiam hic ſecundam ſatisfactionem multo quam primam clariorem ſubiunxit, dicens: Si ego in Beelzebub, &c. perſpicis etiam hic quam mitis ſit ſermo. Non enim dixit diſcipuli mei, aut Apoſtoli, ſed filij veſtri, vt ſi quidem ad eandem cum illis animi nobilitatem venire velint, magnam hinc opportunitatem, atque occaſionem naſciſcantur. Si autem in ingratitudine, ac ſopore mentis, & in nequitia permaneant, nulla ſibi ratio ad excuſationem relinquatur.

Not. 7. verſ. 8.

BED. Luc. 11. & Hiero. Matt. 12: Iſte eſt digitus, quem confitentur, & Magi, qui contra Moſen, & Aaron ſigna faciebant, dicentes: Digitus Dei eſt iſte. Quo & tabulæ lapideæ ſcriptæ ſunt in monte Sina. Igitur manus, & brachium Dei, Filius eſt; & digitus eius Spiritus ſanctus: Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vna ſubſtantia eſt. Non te ſcandalizet membrorum inæqualitas, cum ædificet vnitas corporaliter. Digitus Dei vocatur Spiritus ſanctus, propter partitionem donorum, quæ in eo dantur vnicuique propria, ſiue hominum, ſiue Angelorum. In nullis enim membris noſtris magis apparet partitio, quam in digitis. — Bed. Hier. Digitus Dei. [illegible]

Dydym. in fine libri 1. de Spiritu ſancto: Per aliud quoque ſcripturarum exemplum, Trinitatis vnitas, & natura, & virtus oſtenditur. Filius, & manus, & dextera, & brachium Patris dicitur; ſicut crebro docuimus. Ex his vocabulis vnius naturæ indifferentia demonſtratur. Spiritus etiam ſanctus digitus Dei ſecundum coniunctionem naturæ Patris, & Filij nominatur. Siquidem in vno de Euangelijs, aduerſus eos, qui ſignis Domini detrahebant, dicentes: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia; ſciſcitans Saluator ait: Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt? Si autem ego in digito Dei eijcio dæmonia; ergo ſuperuenit in vos regnum Dei. Hunc eundem locum alius Euangeliſta deſcribens, loquentem intulit filium: Si autem ego in Spiritu Dei eijcio dæmonia. Ex quibus oſtenditur digitum Dei eſſe Spiritum ſanctum. Si ergo coniunctus eſt digitus manui, & manus ei, cuius manus eſt; & digitus ſine dubio, ad eius ſubſtantiam refertur, cuius digitus eſt. Verum caue, ne ad humilia deiectus, & oblitus ſermonis, de quo nunc diſputatur, depingas in animo tuo corporalium artium diuerſitates, & incipias tibi magnitudines, & inæqualitates, & cætera corpora maiora, vel minora membra confingere, dicens: Digitum à manu, & manum ab eo, cuius eſt manus, multis inæqualitatibus diſcrepare, quia de incorporalibus nunc ſcriptura loquitur, vnitatem tantum volens, non etiam menſuram ſubſtantiæ demonſtrare. Sicut enim manus non diuiditur à corpore, per quam cuncta perficit, & operatur, & in eo eſt, cuius eſt manus; ſic & digitus non ſeparatur à manu, cuius eſt digitus. Itaque reijce inæqualitates, & menſuras, cum de Deo cogitas; & intellige digito manus, & totius ſubſtantiæ vnitatem, quo digito lex in tabulis lapideis ſcripta eſt. — [illegible]

Aug. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 5: Regnum Dei nunc dicit, quo damnantur impij, & à fidelibus, de peccatis ſuis pœnitentiam nunc agentibus ſecernuntur. — Aug. Regnum Dei.

Hiero. Matt. 12: Peruenit in vos regnum Dei, vel ſeipſum ſignificat, de quo in alio loco ſcriptum eſt: Regnum Dei intra vos eſt. Et: Melius ſtat — Hier. Regnum Dei.

ſtat inter vos, quem neſcitis; vel certè illud regnum, quod & Ioannes, & ipſe Dominus prędicauerant: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Eſt & tertium Regnum ſcripturæ ſanctæ quod auferetur à Iudæis, & tradetur genti facienti fructum eius.

Chryſoſt. Regnum Dei.

Chryſoſt. hom. 42: Quid eſt regnum Dei? aduentus ſcilicet Chriſti. Tu verò diligenter rurſus conſidera quomodo ipſos attrahit, mitigat, & ad cognitionem allicit ſuam, oſtendens eis, quod bona propria, & fęlicitatem propriam contemnant. Nam cum gaudere, & exultare debeatis, inquit, quoniam ingentia, & ineffabilia illa, quæ Prophetæ cecinerunt, largiturus vobis veni: quoniamque beatitudinis veſtræ iam tempus adeſt, vos contra facitis, non ſolum hæc bona repellentes, verum etiam calumniantes, & falſas aduerſus me cauſas confingentes. Et Matthæus quidem: Si ego in Spiritu Dei; Lucas autem: Si ego in digito Dei; ſcriptum reliquit. Qua ex re monſtratur dæmones eijcere maximæ potentiæ eſſe, ac gratiæ minimè vulgaris. Vnde ratiocinando concludi poteſt, quoniam ſi hoc eſt, certè peruenit ad vos filius Dei. Sed id quidem non apertè infert, adumbratè autem, & occultiùs, vt æquiori animo ferant, illud ipſum ſignificauit, dicens: Peruenit ad vos regnum Dei. Vides excellentiam ſapientiæ, atque præſtantiam: per ea, quibus incuſabant, monſtrabat aduentus ſui fulgorem. Deinde vt alliciat, non dixit ſolum: Peruenit regnum Dei; ſed: ad vos, inquit, hæc bona iugiter manant. Cur ergo in beatitudine veſtra tanto mœrore turbamini? Cur aduerſus veſtram ſalutem arma confertis? Hoc tempus eſt, quod Prophetæ futurum prædixerunt, hoc ſignum aduentus mei dederunt, quod hæc diuinitus fierent.

Lucas, & Matthæus idem, non eodē modo dicunt. Digitus Dei. Regnum Dei. In vos.

Iſidor.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 60: Quod quædam in Spiritum ſanctum blaſphemia ſit, inquis, ex ipſa Domini voce conſtat, his verbis vtentis: Si quis blaſphemum verbum aduerſus Spiritum ſanctum dixerit, non remittetur ei. Atque illud item perſpicuum eſt, blaſphemiam Spiritui ſancto illatam vindicari. Quod autem Spiritus ſanctus diuinæ naturæ ſit, vt tibi dilucidis, & apertis ſcripturæ teſtimonijs declaretur, poſtulaſti. Atqui tibi ſi ingenij ſolertiam adhibeas, atque ex eo loco, quem manibus tenes, aliquando longius progreſſus fueris, ex Domini vocibus quæſtionis huiuſce ſolutionem nanciſci licet. Si enim ego, inquit, in Beelzebub eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt? Si autem in Spiritu Dei ea eijcio, profectò peruenit in vos regnum Dei. Porro apud alterum Euangeliſtam apertius ita habetur: Si ego in digito Dei eijcio dæmonia. Quo loco per Dei digitum Spiritus ſanctus intelligitur. Atqui digitus, vt à nobis exemplum ſumam, ex corporis eſſentia eſt. Quamobrem à diuina eſſentia inſeparabilem, & cognatam Spiritus ſancti perſonam eſſe, per digiti vocabulum declarauit.

Spiritus ſancti diuinitas aſſeritur. Matthæus, & Lucas idem narrant. Digitus Dei eſt Spiritus ſanctus.

Not. 8. verſ. 9.

Iren. Fortis.

IREN. lib. 3. cap. 8: Sed & diabolum cum dixiſſet fortem, non in totum, ſed velut in comparatione noſtra; ſemetipſum in omnia, & verè fortem oſtendit Dominus, dicens: Non aliter aliquem poſſe diripere vaſa fortis, ſi non prius ipſum alliget fortem, & tunc domum eius diripiet. Vaſa autem eius, & domus nos eramus, cum eſſemus in Apoſtaſia: vtebatur enim nobis quemadmodum volebat; & ſpiritus immundus habitabat in nobis: Non enim aduerſus eum, qui ſe alligabat, & domum eius diripiebat, fortis erat; ſed aduerſus eos, qui in vſu eius erant homines: quoniam abſcedere fecerat, ſententiam eorum à Deo, quos eripuit Dominus. Quemadmodum & Ieremias ait: Redemit Dominus Iacob, & eripuit eum de manu fortioris eius. Si igitur non ſignificaſſet eum, qui alligat, & diripit eius vaſa, hoc autem ſolum eum fortem dixiſſet, eſſet fortis inuictus. Sed & adiecit obtinentem; tenet enim, qui alligat, tenetur autem, qui alligatur, & hoc ſine comparatione fecit, vt non comparetur Domino ſeruus apoſtata exiſtens: non enim tantum hic; ſed nec quicquam ex his, quæ conſtituta ſunt, & in ſubiectione ſunt, cōparabitur verbo Dei, per quem facta ſunt omnia, qui eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Et lib. 5. cap. 21: Quoniam enim initio homini ſuaſit tranſgredi præceptum factoris; & ideo eum habuit in ſua poteſtate; poteſtas autem eſt tranſgreſſio; & Apoſtaſia, & his colligauit hominem; per hominem ipſum iterum oportebat victum eum contrario colligari ijſdem vinculis, quibus alligauit hominem, vt homo ſolutus reuertatur ad ſuum Dominum, illa vincula relinquens, per quæ ipſe fuerat alligatus, id eſt, tranſgreſſionem. Illius enim colligatio, ſolutio facta eſt hominis, quoniam non poteſt aliquis intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi primum ipſum fortem alligauerit. Contrario ergo in ſermone eius, qui omnia fecit Dei, traducens eum Dominus, & ſubijciens per præceptum, præceptum autem Dei. Lex: fugitiuum eum, & legis tranſgreſſorem, & Apoſtatam Dei oſtendens, poſtea iam per verbum conſtanter eum colligauit, quaſi ſuum fugitiuum, & diripuit eius vaſa, id eſt, eos qui ab eo detinebantur homines, quibus ipſe iniuſtè vtebatur. Et captiuus quidem ductus eſt iuſtè, is qui hominem iniuſtè captiuum duxerat: qui autem ante captiuus ductus fuerat homo, extractus eſt à poſſeſſoris poteſtate, ſecundum miſericordiam Dei Patris, qui miſeratus eſt plaſmati ſuo, & dedit ſalutem ei per verbum, id eſt, per Chriſtum, redintegrans, vt experimento diſcat homo, quoniam non à ſemetipſo, ſed donatione Dei accepit incorruptelam.

Vaſa domus. Ierem. 31. Iren. Fortis. Vaſa.

Hiero.

Hieron. Eſaiæ 49: Nunquid tolletur à forti præda, aut quod captum, &c. Dominus noſter atque Saluator, qui prius locutus fuerat per Eſaiam, ipſe in Euangelio eundem ſenſum repetit: quomodo poteſt aliquis intrare in domum

 fortis,

Fortis. fortis, &c. Fortis, & gygas, diabolus eſt: qui omnes gentes ſuo ſubiugarat imperio, audens dicere Saluatori: (Matt. 4) Hæc omnia mihi tradita ſunt, & dabo tibi ea, ſi procidens adoraueris me. (1 Ioan. 5) Mundus enim in maligno poſitus eſt, quem nullus iuſtorum vincere potuit: Nec iuxta Amos, (A) prædam de ore leonis auferre. Propoſita ... tur quæſtione, quod nullus poſſit fortem vincere; nec ſaluare, quod ab eo raptum erat. Reſpondit Dominus ſuo aduentu omnia perpetranda: quod ſcilicet captæ prius gentes, à gygante tollantur, & omnis illius ſupellex, vniuerſaque familia Apoſtolis diuidatur. Impleto illo quod ſcriptum eſt: (Pſal. 67) Rex virtutum dilecti, & ſpeciei domus diuidere ſpolia. Et Matt. 12: (Hier. Fortis.) Non debemus eſſe ſecuri. Aduerſarius noſter fortis, victoris quoque vocibus comprobatur. (Domus.) Domus illius mundus, qui in maligno poſitus eſt, non creatoris dignitate, ſed magnitudine delinquentis. (Vaſa.) Vaſa eius nos quondam fuimus, alligatus eſt fortis, & religatus in tartarum, & Domini contritus pede: & direptis ſedibus Tyranni captiua ducta eſt captiuitas.

Chryſoſt. Chryſoſt. homil. 42. in Matth: Ad ſecundam autem ſatisfactionem ſubiunxit & tertiam, dicens: Quomodo poteſt aliquis intrare in domum, &c. Nam quoniam non poteſt Satanas Satanam pellere, à dictis manifeſtum eſt. Quoniam autem nemo extrudere fortem poteſt, niſi prius illum ſuperet. Nullus vnquam dubitauit. Quid igitur ex his conficitur? maiori robore confirmatur, quod dictum eſt, adeo enim procul abſum ne ſocio, atque coadiutore diabolo vtar, quod bellum mihi perpetuum cum eo eſt, & victum vincio, atque ſpolio: cuius rei certum illud veſtigium eſt, quia vaſa eius direpta videtis. Animaduertite qualiter in oppoſitum quam argumentatum concluditur. Illi enim inferre volebant, non propria ipſum poteſtate dæmones eijcere, ipſe autem oſtendit non ſolum dæmones eijcere, ſed principem quoque dæmonum vinculis complicatum detinere, atque illum ſua propria poteſtate viciſſe: quod à rebus factis comprobatur, nam ſi diabolus quidem princeps eſt, cæteri verò dæmones illi ſubijciuntur, quomodo illo non victo, atque perdomito ſatellites vincerentur? Mihi autem propheticè id dici videtur. Non enim ſolum dæmones vaſa diaboli ſunt; ſed vniuerſi certè homines, qui malè viuendo illi adhærent. Quare non dæmonia ſolum eijci ab eo confirmat, verum etiam totius orbis terrarum tenebras illuminaturum, & ſeducentes dæmonum artes deſtructurum prædicit. (Diripiet.) Nec dixit: rapiet, ſed diripiet; vt cum poteſtate fieri hæc ab ipſo ſignificaret. (Fortis.) Fortem autem diabolum appellauit, non quia natura talis ſit, ſed vt tyrannicas eius vires, quas prius habuit, ex noſtra ignauia habuiſſe oſtenderet.

Aug. Aug. lib. 1. quæſt. Euangel. cap. 5: Fortem illum appellat, quia ipſe tenebat, ne poſſent viribus ſuis ab illo ſe homines eruere, ſed per gratiam Dei. (Fortis. Vaſa. Alligare.) Vaſa eius dicit omnes infideles; alligauerit, dixit, poteſtatem illi ademerit impediendi voluntatem fidelium à ſequendo Chriſtum, & obtinendo regnum Dei. Et lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 31: (Aug. Primũ exorcizandi ... alligatur.) Illud etiam quod circa baptizandos in vniuerſo mundo ſancta Eccleſia vniformiter agit, non otioſo contemplamur intuitu. Cum ſiue paruuli, ſiue iuuenes ad regenerationis veniunt ſacramentum, non prius fontem vitæ adeant quam exorciſmis & exufflationibus clericorum ſpiritus ab eis immundus abigatur: vt tunc verè appareat quando princeps mundi huius mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vaſa eius diripiantur, in poſſeſſionem tranſlata victoris, qui captiuam ducit captiuitatem, & dat dona hominibus. Et lib. 2. de gratia (Aug.) Chriſti, & peccato originali cap. 40: Excepto enim quod in peccatorum remiſſionem non fallaci, ſed fideli myſterio baptizantur, etiam prius exorcizatur in eis, & exufflatur poteſtas contraria; cui etiam, verbis eorum, à quibus portantur, ſeſe renunciare reſpondent. Quibus omnibus rerum occultorum ſacratis, & euidentibus ſignis, à captiuatore peſſimo ad optimum Redemptorem tranſire monſtrantur, qui pro nobis infirmitate ſuſcepta, alligauerit fortem, vt vaſa eius eriperet, quia infirmum Dei: non ſolum eſt hominibus, verum & Angelis fortius. Et lib. 20. de Ciuit. Dei cap 8: (Aug.) Et vtique vnicuique fidelium iſte fortis tunc alligatur, (Fortis.) quando ab illo tanquam vas eius eripitur. Vtrum autem (Alligatus.) etiam illis vltimis tribus annis, & menſibus ſex, quando ſolutus totis viribus ſæuiturus eſt, aliquis in qua non fuerat ſit acceſſurus ad fidem. Nonnulla quæſtio eſt. Quomodo enim ſtabit (Dan. 12) quod dictum eſt: Quis intrat in domum fortis, vt vaſa eius eripiat, niſi prius alligauerit fortem, ſi etiam ſoluto eripiuntur? ac per hoc ad hoc, cogere videtur iſta ſententia, vt credamus illo licet exiguo tempore neminem acceſſurum eſſe populo Chriſtiano, ſed cum eis, qui iam Chriſtiani reperti fuerint diabolum pugnaturum. Ex quibus etiamſi aliqui victi ſecuti eum fuerint, non eos ad prædeſtinatum filiorum Dei numerum pertinere. Neque enim fruſtra idem Ioannes Apoſtolus, qui & hanc Apocalypſim (1 Ioan.) ſcripſit, in epiſtola ſua, de quibuſdam dixit: Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum, ſed quid fiet de paruulis? nimium quippe incredibile eſt, nullos iam natos, & nondum baptizatos, præoccupari Chriſtianorum filios illo tempore infantes, nullos etiam ipſis naſci iam diebus, aut ſi erunt, non eos à parentibus ſuis ad lauacrum regenerationis modo quocunque perduci. Quod ſi fiet quo pacto ſoluto iam diabolo vaſa iſta eripientur, in cuius domum nemo intrat, vt vaſa eius eripiat, niſi prius alligauerit eum? imo verò id potius eſt credendum, vt nec qui cadant de Eccleſia, nec qui accedant ad Eccleſiam illo tempore defuturos, ſed profectò tam fortes erunt, & parentes pro baptizandis paruulis ſuis: & hi qui tunc primitus credituri ſunt, vt illum fortem vincant, etiam non ligatum, id eſt, omnibus, qualibus

antea nunquam, vel artibus inſidiantem, vel vrgentem viribus, & vigilanter intelligant, & tolerãter ferant: ac ſic illi etiam non ligaro cupiantur. Nec ideo falſa erit Euangelica illa ſententia: Quis intrat in domum fortis, vt vaſa eius eripiat, niſi prius alligauerit fortem? ſecundum enim ſententiæ eius veritatem, ordo iſte ſeruatus eſt, vt prius alligaretur fortis, ereptiſque vaſis eius, longè, lateque in omnibus gentibus ex firmis, & infirmis ita multiplicaretur Eccleſia, vt ex ipſa rerum diuinitus prædictarum, & impletarum robuſtiſſima, etiam ſoluto vaſa poſſent auferre. Sicut enim fatendum eſt, multorum refrigeſcere charitatem, cum abũdat iniquitas etiam inuſitatis, maximiſque perſecutionibus, atque fallacijs diaboli iam ſoluti, eos, qui in libro vitæ ſcripti non ſunt, eſſe multos ceſſuros, hinc cogitandum eſt, non ſolum quos bonos fideles illud tempus inueniet, ſed nonnullos etiam, qui foris adhuc erunt adiuuante Dei gratia per conſiderationem ſcripturarum: in quibus & alia & finis ipſe prænunciatus eſt quem venire iam ſentiunt: ad credendum quod non credebant futuros eſſe firmiores: & ad vincendum etiam non ligatum diabolum fortiores. Quod ſi ita erit, propterea præceſſiſſe credenda eſt eius alligatio: vt & ligati, & ſoluti expoliatio ſequeretur: quoniam de hac re dictum eſt: Quis intrabit in domum fortis, vt vaſa eius eripiat, niſi prius alligauerit fortem?

Bed. Bed. Mar. 3: Alligauit autem fortem Dominus, hoc eſt, ab electorum ſeductione compeſcuit diabolum, & tunc domum eius diripuit: quia ereptos à diaboli laqueis eos, quos ſuos eſſe preuidit. Eccleſiæ ſuæ membris adunauit, ac per diſtinctas in ea graduum variorum dignitates ordinauit. Vel certè domum eius diripuit, quia omnes mundi partes quibus olim hoſtis dominabatur antiquus Apoſtolis, Apoſtolorumque ſucceſſoribus, vt in ſua quiſque prouincia reuocatos ab errore populos ad viam vitæ conuerteret, diſtribuit. Oſtendit ergo per parabolam, ſed iam manifeſtiſſimã Dominus, quod non concordi fallax operatione cum dæmonibus, vt calumniabantur, ſed diuerſa prorſus, atque aduerſa virtute diuinitatis, homines à dæmonibus liberaret, ideoque grande ſcelus committerent, qui hoc quod Dei eſſe cognouerant, diaboli eſſe clamabant.

(Margin: Alligare, capere.)

Bed. Et Luc. 11: Vnde & alibi princeps mundi vocatur, dicente Domino, venit enim princeps mundi, & in me nihil inueniet. Et iterum: Nunc princeps mundi eijcietur foras, de qua & hic eiectione ſubiungitur. Si autem fortior, &c.) De ſeipſo quippe loquitur, quod non concordi fallax operatione quemadmodum calumniabantur, ſed fortiori potentia victor homines à dæmonio liberaret. Arma in quibus malè fortis ille confidebat, aſtutiæ, doliq; ſunt nequitię ſpiritualis. Spolia verò eius, ipſi homines ſunt ab eo decepti. Quæ victor Chriſtus diſtribuit, quod eſt inſigne triumphantis, quia captiuam ducens captiuitatem, dedit dona hominibus, quoſdam quidem Apoſtolos, alios Euangeliſtas, hos Prophetas, illos Paſtores ordinans, & Doctores.

(Margin: Arma. Spolia.)

Not. 9. verſ. 10.

NON putet hoc quiſquam de hæreticis dictum, & ſchiſmaticis, quanquam & ita ex ſuperfluo poſſit intelligi: ſed ex conſequentibus, textuque ſermonis, ad diabolum refertur, eo quod non poſſint opera Saluatoris Beelzebub operibus comparari. Ille cupit animas hominum tenere captiuas; Dominus liberare. Ille prædicat idola; hic vnius Dei notitiam: ille trahit ad vitia; hic ad virtutes reuocat. Quomodo ergo poſſunt inter ſe habere concordiam, quorum opera diuerſa ſunt? Sic Hiero. Matt. 12. & Bed. Luc. 11. Hiero. Bed.

Bern. Bern. ſer. de conuer. ſanct. Pauli: Si quis adeo puſillanimis eſt, vt ſatis ſibi reputet, nec perſecutorem eſſe, nec coadiutorem Dei, audiat quid ipſe loquatur. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 42. in Matt: Qui non eſt mecum, &c.) Ecce quarta ad idem ſolutio. Quid enim ego quæro, aut quid volo, inquit? vniuerſos ad Deum reducere; vera ipſis virtutum tradere documenta; regnum cœlorum cunctis annunciare. Quid autem diabolus, atque dæmones quærunt? Quippe omnia, quæ eis oppoſita ſunt. Quomodo igitur qui mecum non colligit, neque mecum omnino eſt, ſua me operatione iuuat? Sed quid iuuare dico? qui etiam ſpargere, atque diſſipare mea deſiderat? qui igitur non ſolum mecum non colligit, verum etiam cuncta mea diſpergit, quomodo adeo mihi aſſentiret, vt mecum vellet dæmonia eijcere? Hoc autem non de diabolo tantummodo, verum etiam de ſeipſo dictum non iniuria poſſet quiſpiam opinari. Hoſtis quippe diaboli Chriſtus eſt, & omnia, quæ diaboli ſunt, ipſe diſpergit. Quomodo autem qui non eſt ſecum, aduerſus eum eſt? hac ipſa re ſcilicet, quia non colligit, neque congregat ſecum: quod ſi verum eſt, multo magis ipſe aduerſatur, qui aduerſus eum eſt. Nam ſi ille eſt inimicus, qui non iuuat, quanto magis erit, qui bella ſuſcitat? Hæc ab ipſo dicta ſunt omnia, vt magnas inter ſe, ac diabolum inimicitias eſſe oſtenderet. Reſponde enim obſecro, ſi aliquis, cum bellum gerendum ſit, nolit tibi eſſe auxilio: nonne idcirco aduerſus teipſum eſſe iudicabis? quod ſi alibi ſcribitur, qui non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt, non eſt profecto illud huic contrarium. cap. 90 Nam hic aduerſarium eis oſtendit, illic vero oſtendit eum aliqua ex parte cum eis eſſe. In nomine enim tuo vidimus quendam eijcientem dæmonia. Quamuis mea quidem ſententia, Iudæos hic occultius denotaſſe videatur. Qui enim aduerſus ipſum inuigilabant, & quæ ipſe congregaſſet, diſpergere conabantur, cum diabolo conſtituti ſunt, quod ſignificauit, dicens: Ideo dico vobis, omne peccatum, &c.

Aug. Aug. ſer. 11. de verbis Domini: Nec ait, qui non eſt ſub voce nominis mei: aut ſub ſpecie ſacramenti mei; ſed qui non eſt mecum, contra me eſt. Nec ait, qui non congregat ſub inuoca-

tione nominis mei; ſed qui non congregat mecum ſpargit. Non eſt ergo aduerſum ſe diuiſum regnum Chriſti, etſi homines conantur diuidere, quod emptum eſt pretioſo ſanguine Chriſti.

Not. 10. verſ. 11.

Baſ. Idem habes cap. 111 v. 11. et Luca. BASIL. in regul. breuior. interrog. 273: Quid eſt quod faciens aliquis blaſphemat in Spiritum ſanctum? Reſpon. Ex eo blaſphemia, quam Phariſæi tunc vſurparunt, de quibus etiam lata eſt huiuſmodi ſententia, perſpicuum eſt eum etiam nunc blaſphemare Spiritum ſanctum, hoc eſt, detrahere Spiritui ſancto, quicunque effectus, & fructus Spiritus ſancti, aduerſario ipſius attribuit. Quod peccatum incurrimus plerique noſtrum, qui ſecuri periculi temerè ſtrennuum ſępenumero appellamus ambitioſum, & ei qui iuſta indignatione per zelum moueatur, & eam re iudicans, iracundiæ calumniam impingimus, & ad eundem modum alia iniquis adducti ſuſpicionibus, ementitis nominibus, de aliquo dicimus.

Blaſphemia in Spiritum ſanctum.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 59: Quæſtionem mihi magnam vim habenrem, ac valde peruulgatam propoſuiſti; atque à multis quidem inueſtigatam, cæterum ab ijs ſolis, qui diuinitus afflati ſunt, perceptam & comprehenſam, nimirum quid ſibi velit id, quod ait Chriſtus: Quicunq; dixerit verbum aduerſum filium hominis, remittetur ei: quicunque autem dixerit aduerſus Spiritum ſanctum, non remittetur illi, nec in hoc ſeculo, nec in futuro: & quid cauſæ ſit, quàobrem, cum vna ſit diuina Trinitas, blaſphemia aduerſus filium minimè plectatur, verum ea ſola, quæ Spiritum ſanctum inceſſit. Audi igitur: Quicunque contumelioſum verbum aduerſus filium hominis dixerit, non iudicatur, inquir, Dominus: quoniam ij quorum mentis oculi lippiunt, Deum arcano, atque omni ſermone præſtantiori modo; cum viſibilis carnis vilitate vnitum, ægrè percipere, & contemplari poſſunt, quod videlicet abſcondita diuinitas ignoretur. Hominibus autem animi puritate præditis, quibus incarnata diuinitas apparuit, nec infidelitas animo ineſt, nec iudicij vltio denuntiatur. At verò contumelia aduerſus Spiritum ſanctum coniecta, idcirco venia caret, quoniam ipſa opera in oculis & aſpectu poſita, eos, qui contumeliam inferunt, malignitatis & ingratitudinis conuincunt. Nam cum diuinæ naturæ potentia, morbi excinderentur, ac dæmones pellerentur, hæc diuina ſigna in Beelzebub edi Iudæi per calumniam affirmabant. Quocirca Dominus hanc contumeliam, quæ diuinam eſſentiam perſpicuè impetebat, omnis veniæ expertem eſſe pronunciauit.

Cur blaſphemia in Spiritum ſanctum venia caret.

Aug. De peccato in Spiritum ſanctum tres Euangeliſtæ loquuntur. Aug. ſer. 11. de verbis Domini cap. 8: Alij quippe duo Euangeliſtæ, Marcus, & Lucas, cum de hac re loquerentur, non dixerant blaſphemiam ſeu verbum; vt intelligeremus non omnem blaſphemiam, ſed quandam; nec verbum omne, ſed quoddam. Quid ergo dixerunt? Apud Marcum ita ſcriptum eſt: Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blaſphemia quibus blaſphemauerint; qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti. Apud Lucam ita: Omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur ei: ei autem, qui in Spiritum ſanctum blaſphemauerit, non remittetur. Alijs quippe verbis, & alio loquendi modo, eadem ipſa eſt expreſſa ſententia. Et quod eſt apud Matthæum: Qui dixerit verbum contra Spiritum ſanctum; ne aliud aliquid quam blaſphemiam intelligeremus, planius alij dixerunt; qui blaſphemauerit in Spiritum ſanctum; eadem tamen res ab omnibus dicta eſt, nec aliquis eorum à loquentis voluntate diſceſſit, propter quam intelligendam verba dicuntur, ſcribuntur, leguntur, audiuntur. Et cap. 12: In Spiritu enim ſancto, quo in vnum Dei populus congregatur, ejcitur ſpiritus immundus, qui in ſeipſum diuiſus eſt. Contra hoc donum gratuitum, contra iſtam Dei gratiam loquitur cor impœnitens. Ipſa ergo impœnitentia eſt Spiritus blaſphemiæ, quæ non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Contra Spiritum enim ſanctum, quo baptizantur, quorum peccata omnia dimittuntur, & quem accepit Eccleſia, vt qui dimiſerit peccata, dimittantur ei; verbum valde malum, & nimis impium, ſiue cogitatione, ſiue etiam lingua ſua dicit, quem patientia Dei ad pœnitentiam adducat, ipſe ſecundum duritiam cordis ſui, & cor impœnitens theſauriſat ſibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique iuxta opera eius. Hæc ergo impœnitentia, ſic enim vno aliquo nomine poſſumus vtrumque appellare, & blaſphemiam, & verbum contra Spiritum ſanctum, quod remiſſionem non habet in æternum, hæc, inquam, impœnitentia, contra quam clamabant, & preco, & iudex, dicentes: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum: contra quam Dominus os Euangelicæ prædicationis aperuit; & contra quam ipſum Euangelium in toto orbe prædicandum eſſe prædixit: vbi poſteaquam reſurrexit à mortuis, ait diſcipulis: Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum, per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Hæc omnino impœnitentia non habet remiſſionem, neque in hoc ſæculo, neque in futuro: quia pœnitentia impetrat remiſſionem in hoc ſæculo, quæ valeat in futuro.

Luc. 12. Tres Euangeliſtæ dicunt. Aug. Spiritus blaſphemia impœnitentia. Mat. 3. 4. Luc. 24.

Et c. 13: Sed iſta impœnitentia, vel cor impœnitens, quamdiu quiſque in hac carne viuit, non poteſt iudicari. De nullo enim deſperãdum eſt, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit, nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impij, quantum vt reuertatur, & viuat. Hæc enim blaſphemia ſpiritus, cui nunquam eſt vlla remiſſio (quoniam non omnem, ſed quandam intelleximus, eamque perſeuerantem duritiam cordis impœnitentis, vel diximus, vel inuenimus, vel etiam, quantum exiſtimauimus, oſten-

Aug. De nullo in hac vita deſperandum. Verbum dicere in Spiritum ſanctum quid.

oſtendimus) non poteſt in quoquam, vt diximus, dum in hac adhuc vita eſt, deprehendi. Eo more ſcripturæ loquuntur, & quem nouit Eccleſiaſtica conſuetudo quiſquis vniuerſâ ſuâ vitâ, quâ iſtam gerit carnem quantalibet longitudine protendatur, quæcunque verba, vel ore, vel ſola cogitatione locutus fuerit corde impœnitenti contra remiſſionem peccatorũ, quæ fit in Eccleſia, verbum dicit contra Spiritum. Ideo autem non ſolum verbum, quod dictum fuerit contra filium hominis, ſed omne prorſus peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus; quia vbi hoc peccatum non fuerit cordis impœnitentis contra Spiritum ſanctum, quo in Eccleſia peccata ſoluuntur, cuncta alia dimittuntur. Quomodo autem hoc dimittitur, quod etiam remiſſionem impedit aliorum? Omnia ergo dimittuntur ijs, in quibus non eſt, quod nunquam dimittetur, in quibus eſt autem, quomodo hoc nunquam dimittitur, nec alia dimittuntur: quia omnium remiſſio vinculo iſtius impeditur. Non ergo propterea, quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei: quia in Trinitate maior eſt Filio Spiritus ſanctus; quod nullus vel vnquàm hæreticus dixit: ſed quoniam quiſquis reſtiterit veritati, & blaſphemauerit veritatem, quod eſt Chriſtus, etiam poſt tantam ſui prædicationem apud homines, vt verbum caro fieret, & habitaret in nobis: quod eſt filius hominis, id eſt, ipſe Chriſtus, ſi non dixerit verbum illud cordis impœnitentis contra Spiritum, de quo dictum eſt, qui non renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, & de quo item dictum eſt: Accipite Spiritum, ſi cui dimiſeritis peccatum, dimittuntur ei, id eſt, ſi pœnituerit eum, accipiet per hoc donum remiſſionem peccatorum: ſimul & huius, quod verbum dixit contra filium hominis: quia peccato ignorantiæ ſiue contumaciæ, vel cuiuſcunque blaſphemiæ non addidit peccatum impœnitentiæ contra donum Dei, & gratiam regenerationis, vel reconciliationis, quæ fit in Eccleſia Spiritu Sancto. Et cap. 14: Proinde nec illud ſentiendum eſt, quod quidam putant ideo remitti verbum quod dicitur contra filium hominis, non remitti autem quod dicitur contra Spiritum ſanctum, quia propter ſuſceptam carnem factus eſt filius hominis Chriſtus; qua carne vtique maior eſt Spiritus S. qui ſubſtantia propria æqualis Patri & vnigenito Filio ſecundum eius diuinitatem, ſecundum quam & ipſe vnigenitus filius æqualis eſt Patri, & Spiritui S. Nam ſi hoc propterea dictum eſſet, profecto de omni blaſphemia taceretur, hæc ſola irremiſſibilis videretur, quæ contra filium hominis dicitur, quaſi cum homo ſolus putatur. Cum verò præmiſſum ſit, omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus: quod etiam apud alium Euangeliſtam poſitum eſt, omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blaſphemiæ quibus blaſphemauerint, procul dubio & illa blaſphemia, quæ contra Patrem dicitur, iſta generalitate concluditur, & tamen hæc ſola irremiſſibilis definitur, quæ dicitur contra Spiritum S. nunquid nam & Pater formam ſerui accepit, qua ſit maior Spiritus ſanctus? Non vtique, ſed ideo poſt vniuerſalem commemorationem omnium peccatorum, omniſque blaſphemiæ, eminentius voluit exprimere blaſphemiam, quæ fit contra filium hominis, quia etiamſi in illo peccato fuerint homines obligati, quod commemorauit, vbi ait: Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent: quod etiam in Euangelio ſecundum Ioannem valde graue oſtendit eſſe peccatum, vbi ait de Spiritu, cum enim ſe miſſurum eſſe promitteret: ille arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me: tamen ſi non dixerit illa cordis impœnitentis duritia verbum contra Spiritum ſanctum, etiam hoc quod dictum eſt contra filium hominis, remittetur. Et cap. 21: Quiſquis igitur reus fuerit impœnitentiæ contra Spiritum, in quo vnitas, & ſocietas communionis congregatur Eccleſiæ, nunquam illi remittetur, quia hoc ſibi clauſit, vbi remittitur; & merito damnabitur cum Spiritu, qui in ſeipſum diuiſus eſt, & ipſe contra ſpiritum, qui in ſeipſum diuiſus non eſt Hoc ipſum & Euangelica teſtimonia nos admonent, ſi ea perſcrutemur attentius. Nam & ſecundum Lucam quidem non ibi hæc dicit Dominus, vbi reſpondet eis, qui dixerunt quod in principe dæmoniorum eijcit dæmones, non ei remitti, qui blaſphemauerit in Spiritum ſanctum. Vnde apparet non ſemel à Domino dictum hoc: ſed ibi quoque non negligenter prætereundum quo loco dictum ſit, loquebatur enim de his, qui eum confeſſi eſſent, vel negarent coram hominibus. Et ne ex hoc Apoſtoli Petri deſperaretur ſalus, qui eum coram hominibus ter negauit, continuo ſubiecit, & omnis qui dicit verbum in filium hominis remittetur ei; ei autem qui in Spiritum ſanctum blaſphemauerit, non remittetur, illa ſcilicet blaſphemia cordis impœnitentis, qua reſiſtitur remiſſioni peccatorum, quæ fit in Eccleſia per Spiritum ſanctum. Quam blaſphemiam Petrus non habuit quem mox pœnituit, quando amarè fleuit, victoque Spiritu qui in ſeipſum diuiſus eſt, & qui eum vexandum popoſcerat contra quem pro illo Dominus rogauit, ne deficeret fides eius, accepit etiam ipſum, cui non reſtitit, Spiritum ſanctum, vt non ſolum ei remitteretur peccatum, ſed per eum prædicaretur, & daretur remiſſio peccatorum. Apud duos autem alios Euangeliſtas, quod narratur vt de blaſphemia ſpiritus hæc ſententia diceretur, cauſa extitit ex commemoratione ſpiritus immundi, qui in ſeipſum diuiſus eſt. Dictum enim erat de Domino, quod in principe dæmoniorum eijceret dæmones, ipſe ſe Dominus ait in Spiritu ſancto eijcere dæmones, vt ſpiritus, qui non eſt in ſe diuiſus, eum, qui in ſe diuiſus eſt, vincat, atque eijciat. Ille autem homo in eius perditione maneat, qui in huius, qui in ſe diuiſus non eſt, pacẽ per impœnitentiam tranſire detrectat. Hoc enim

Cur omne peccatum [...] blaſphemia in [...] ſanctum.

[...] falſa [...]tur.

Ratio vera

Io. 1

Ioan. 3. 20

Verbum [...] ſpiritũ ſanctum quid.

Aug.

Alia ratio falſa reijcitur.

Io. 15.

Ioan. 16

Aug.

Hoc non tantum ſemel dictũ.

nim Marcus ita narrat: Amen dico vobis, quia omnia hominibus dimittuntur peccata, &c. Hæc verba Domini cum dixiſſet, ſua deinde coniunxit, dicens, quoniam dicebant ſpiritum immundum habet, vt oſtenderet hinc fuiſſe exortam cauſam vt hoc diceret, eo quod dixiſſent eum in Beelzebub principe dæmoniorum dæmones pellere; non quia eſſet blaſphemia quæ non remittitur, cum & hæc remittatur ſi recta pœnitentia conſequatur; ſed quod hinc vt dixi cauſa extitit, vt à Domino illa ſententia proferretur facta mentione ſpiritus immundi: quem aduerſum ſeipſum diuiſum Dominus oſtendit propter Spiritum ſanctum, qui non ſolum aduerſum ſe diuiſus non eſt, ſed etiam quos colligit efficit indiuiſos, peccata, quæ aduerſum ſe diuiſa ſunt dimittendo, eoſque mundatos inhabitãdo vt ſit quemadmodum ſcriptum
Act. 4 eſt in Actibus Apoſtolorum: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Cui dono remiſſionis non reſiſtit, niſi qui duritiam cordis impœnitentis habuerit. Nam & alio loco dixerunt Iudæi de Domino, quod dæmonium
Io. 8 haberet, nec tamen ibi aliquid dixit de blaſphemia Spiritus ſancti: quoniam non ita abiecerunt ſpiritum immundum, vt in ſe diuiſus ex ore ipſorum poſſit oſtendi, ſicut Beelzebub à
Aug. quo eijci poſſe dæmones dixerunt. Et cap. 22: In hac verò lectione ſecundum Matthæum multo manifeſtius aperuit Dominus quod hic vellet intelligi, id eſt, quod ipſe dicat verbum contra Spiritum ſanctum, qui veritati Eccleſiæ corde impœnitenti reſiſtit, vbi in Spiritu ſancto ſit remiſſio peccatorum. Hunc enim ſpiritum non habent, vt iam dictum eſt qui etiam Chriſti ſacramenta portantes, atque tractantes, ab eius congregatione ſeiuncti ſunt. Nam vbi dixit de diuiſione ſatanæ aduerſus ſatanam, quod ipſe in Spiritu ſancto eijceret dæmones, vtique in ſpiritu qui non eſt aduerſus ſeipſum, ſicut ille, diuiſus ibi continuo ne per illos, qui ſub nomine Chriſti extra eius ouile conuenticula ſua congregãt, quiſque putaret etiam regnum Chriſti extra aduerſum ſe eſſe diuiſum. Qui non eſt mecum, inquit, contra me eſt, & qui non congregat mecum, ſpargit: vt illos oſtenderet ad ſe non pertinere, qui extra congregando nollent congregare, ſed ſpargere. Deinde ſubiunxit, ideo dico vobis, omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non remittetur. Quid eſt hoc? Ideo ſola ſpiritus blaſphemia non remittetur. Quoniam qui non eſt cum Chriſto, contra ipſum eſt, & qui cum illo non congregat, ſpargit: Ideo vtique. Qui enim non cum illo congregat, quomodolibet ſub nomine eius congreget, non ha-
Aug. bet Spiritum ſanctum. Et cap. 23: Hic omnino, hic compulit nos non alibi intelligere fieri remiſſionem omnis peccati, omniſque blaſphemiæ, niſi in Chriſti congregatione, quæ non ſpargit: Congregatur quippe in Spiritu ſancto, qui non eſt contra ſeipſum diuiſus, ſicut ille immundus ſpiritus. Et propterea omnes congregationes, vel potius diſperſiones, quæ ſe Chriſti Eccleſias appellant, & ſunt inter ſe diuiſæ, atque contrariæ, & vnitatis congregationis, quæ vera eſt Eccleſia eius, inimicæ, non quia videntur eius habere nomen, idcirco pertinent ad eius congregationem. Pertinerent autem ſi ſpiritus, in quo ſociatur hæc congregatio, aduerſus ſeipſum diuiſus eſſet. Hoc autem quia non eſt: qui enim non eſt cum Chriſto, contra ipſum eſt, & qui cum illo non congregat, ſpargit: ideo peccatum omne, atque omnis blaſphemia dimittetur hominibus in hac congregatione, quam in Spiritu ſancto, & non aduerſus ſeipſum diuiſo, congregat Chriſtus. Ipſius autem ſpiritus blaſphemia illa, quæ fit vt corde impœnitenti huic tanto Dei dono vſque in finem vitæ iſtius reſiſtatur, non remittetur. Nam etſi quiſquam ita ſit contrarius veritati, vt Deo Ezech.
loquenti, non in Prophetis, ſed in vnico Filio, cum propter nos eum, vt nobis in eo loqueretur, filium hominis eſſe voluit, reluctetur; remittetur ei, cum pœnitendo conuerſus fuerit ad Dei benignitatem; qui cum mortem impij nollet, quantum vt reuertatur, & viuat, dedit Eccleſiæ ſuæ Spiritum ſanctum, vt quicunque in eo peccata dimitteret, dimitterentur ei. Qui verò huic dono extiterit inimicus, vt non illud per pœnitentiam petat, ſed ei per impœnitentiam contradicat, fit irremiſſibile: non quodcunque peccatum, ſed contempta, vel oppugnata ipſa remiſſio peccatorum: Atque ita dicitur verbum contra Spiritum ſanctum, cum ex diſperſione ad congregationem nunquam venitur, quæ ad remittenda peccata accepit Spiritum ſanctum. Vnum ergo ſuffugium eſt, ne ſit irremiſſibilis blaſphemia, vt cor impœnitens caueatur: nec aliter pœnitentia prodeſſe credatur, niſi vt teneatur Eccleſia, vbi remiſſio peccatorum datur, & ſocietas ſpiritus in pacis vinculo cuſtoditur. Et ad finem inchoatæ ex- Aug.
poſitionis epiſt. ad Rom: Vnde iam velut incepit elucere eum peccare in Spiritum ſanctum, In Spiritum [illegible] qui peccet.
qui operibus, quæ per Spiritum ſanctum fiunt, maleuolo animo contradicit. Quanquam enim neſciat vtrum ille ſit Spiritus ſanctus, tamen qui hoc animo eſt, vt ea opera, quibus inuidet, malit non eſſe Spiritus ſancti, non quia mala ſunt, ſed quia inuidet eis, quia ipſi bonitati eſt contrarius per malitiam ſuam, rectè in Spiritum ſanctum peccare iudicatur. Veruntamen ſi ex eo quoque hominum numero, quibus Dominus illud crimen obijcit, veniens ad fidem Chriſti, & pœnitendi cruciatibus edomita inuidia ſalutem cum lachrymis poſceret, ſicut etiam nonnulli eorum fecerunt: Quæro vtrum quiſquam tanto errore crudeſcat, vt aut neget eos ad Chriſti baptiſmum admitti oportuiſſe, aut fruſtra admiſſos eſſe contendat? Nam ſi quis per inuidiam opera diuina blaſphemat, quoniam bonis Dei, hoc eſt, donis Dei malitia ſua reſiſtit, in Spiritum ſanctum peccare, & propterea ſpem veniæ non habere exiſtimandus eſt. Attendamus vtrum ex eo numero fuerit idem Apoſtolus Paulus, dicit enim, qui prius 1 Tim. 1
fui blaſphemus, & perſecutor, & iniurioſus,

ſed

ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. An forte ideo non pertinuit ad hoc genus criminis, quia non erat inuidus? Audiamus quid alibi dicat, fuimus enim & nos ſtulti aliquando, & increduli, errantes, ſeruientes voluptatibus, & deſiderijs varijs, in malitia, & inuidia agentes, abominabiles, inuicem odio habentes. Si ergo nec Paganis, nec Hebræis, nec Hæreticis, aut Schiſmaticis nondum baptizatis, ad baptiſmum Chriſti aditus clauditur, vbi condemnata vita priore in melius commutentur, quamuis Chriſtianitati, & Eccleſiæ Dei aduerſantes antequam Chriſtianis ſacramentis ablueréntur, etiam Spiritui ſancto quanta potuerunt infeſtatione reſtiterint, ſi etiam hominibus qui vſque ad ſacramentorum perceptionem veritatis ſcientiam perceperant, & poſt hæc lapſi Spiritui ſancto reſtiterunt, ad ſanitatem redeuntibus, & pacem Dei pœnitendo quærentibus auxilium miſericordiæ non denegatur, ſi denique de illis ipſis, quibus blaſphemiam in Spiritum ſanctum ab eis prolatam Dominus obiecit, ſi qui reſipiſcentes ad Dei gratiam confugerunt, ſine vlla dubitatione ſanati ſunt: quid aliud reſtat, niſi vt peccatum in Spiritum ſanctum, quod neque in hoc ſæculo, neque in futuro dimitti, Dominus dicit, nullum intelligatur, niſi perſeuerantia in nequitia, & malignitate cum deſperatione indulgentiæ Dei? Hoc eſt enim gratiæ illius, & paci reſiſtere, de quibus nobis ſermo nunc ortus eſt. Nam hinc licet aduertere etiam ipſis Iudæis, quorum blaſphemiam Dominus arguit, non fuiſſe clauſum corrigendi ſe, & pœnitendi locum, quod idem Dominus in ea ipſa reprehenſione ait illis, aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Quod vtique nulla ratione diceretur eis, ſi propter illam blaſphemiam iam commutare animam in melius, & rectè factorum fructus generare nō poſſent, aut fruſtra etiam ſine peccati ſui dimiſſione generarent. Ergo quia Dominus in Spiritu Dei expellebat dæmonia, cæteroſq; humanorum corporum morbos, languoreſque ſanabat, non ob aliud niſi vt crederetur dicenti ſibi, agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum. Inuiſibiliter enim peccata dimittuntur, cui dimiſſioni fidem miraculis comprobat.

Tit. 3 (margin, beside "inuidus? Audiamus")

Aug. Et lib. de fide, & operibus cap. 16: Illud ſanè non abſurdè intelligunt, eum peccare in Spiritum ſanctum, & eſſe ſine venia reum æterni peccati, qui vſque in finem vitæ noluerit credere in Chriſtum: ſed ſi rectè intelligerent, quid ſit credere in Chriſtum. Non enim hoc eſt, habere dæmonum fidem, quæ rectè mortua perhibetur, ſed fidem, quæ per dilectionem operatur. De peccato in Spiritum ſanctum vide Thomam 2. 2. qu. 14. Bed. Mar. 3: Omnia peccata, & blaſphemiæ non paſſim dimittuntur omnibus hominibus; ſed ijs, qui dignam pro erratis ſuis in hac vita pœnitentiam egerint. Neque vllum habet locum prauæ aſſertionis vel Nouatianus, vt pœnitentibus eis, qui in Martyrio lapſi ſunt veniam neget eſſe tribuendam, vel Origenes vt aſſerat poſt iudicium vniuerſale, tranſactis licet ſæculorum voluminibus innumeris, cunctos peccatores, ac blaſphemos veniam peccatorum eſſe conſecuturos, atque ad regnum cæleſte perducendos. Qui ergo manifeſtè intelligens opera Dei cum de virtute negare non poſſit, ſtimulatus inuidia calumniatur, & Chriſtum Deique verbum & Spiritus ſancti opera dicit eſſe Beelzebub, iſti non dimittetur neque in præſenti ſæculo, neque in futuro. Non quod negemus, & ei, ſi pœnitentiam agere voluerit, poſſe dimitti ab eo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: ſed quod ipſi iudici & largitori veniæ credentes, qui & ſe pœnitentiam ſemper accepturum, & hanc blaſphemiam nunquam dicit eſſe remittendam, credamus hunc blaſphemum exigentibus meritis ſicut nunquam ad remiſſionem, ita nec ad ipſos dignæ pœnitentiæ fructus eſſe peruenturum. Iuxta hoc quod Ioannes Euangeliſta de quibuſdam blaſphemiæ ſuæ merito excæcatis, veraciſſimè ſcripſit: propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos. Sola ergo blaſphemia in Spiritum ſanctum, qua quiſque in ſimilitudinem diaboli, & Angelorum eius contra conſcientiam ſuam maieſtatem Deitatis oppugnare non trepidat, non habet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti, ſicut Euangeliſta manifeſtè declarat, qui poſito hoc Domini teſtimonio ſubiunxit, atque ait: Quoniam dicebant, ſpiritum immundum habet. Nam neque ij, qui Spiritum ſanctum non eſſe, neque qui hunc eſſe quidem Deum, ſed Patre, Filioque minorem credunt, & confitentur, quia non inuidentia diabolica, ſed humana ignorantia ducti faciunt hoc, irremiſſibilis blaſphemiæ crimine tenentur. Qua propriè principes Iudæorum, & quique ſimili inuidiæ peſte corrupti, maieſtatem blaſphemant, ſine fine peribunt. 1. Io. 5: Eſt peccatum ad mortem; non pro illo dico vt roget quis. Neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Ex his Chriſti verbis colligit Aug. peccata quædam poſt mortem remitti poſſe. Eſt ergo purgatorium. Sic enim ait lib. 21. de Ciui. Dei cap. 13: Temporarias pœnas alij in hac vita tantum, alij poſt mortem, alij & nunc, & tunc, veruntamen ante iudicium illud ſeueriſſimum, nouiſſimumque patiuntur. Non autem omnes veniunt in ſempiternas pœnas, quæ poſt illud Iudicium his ſunt futuræ, qui poſt mortem ſuſtinent temporales. Nam quibuſdam, quod in iſto non remittitur, remitti in futuro ſæculo, id eſt, ne futuri ſæculi æterno ſupplicio puniantur, iam ſupra diximus. Et cap. 24: Neque enim de quibuſdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro; nam eſſent, quibus, & ſi non in iſto, tamen remitteretur in futuro. Et lib. 6. contra Iulianum cap. 5: Si nulla peccata remitterentur in iudicio

Margin notes: Gal. 5 (beside "ſit credere in Chriſtum"); Aquinas; Bed. (beside "Thomam 2. 2."); 1 Ioan. 5. (beside "mant, ſine fine peribunt"); Aug. (beside "Chriſti verbis colligit Aug."); Purgatorium. (beside "rium. Sic enim ait")

iudicio illo nouiſſimo puto quod Dominus non dixiſſet de quodam peccato; non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro.

Fulg. Fulg. lib. 1. de remiſſ. peccat. cap. 24: Qui non credit intra Eccleſiam Catholicam cuncta relaxari poſſe peccata, ipſe ſibi remiſſionem peccatorum denegat, ſi de hoc ſæculo in eadem cordis impœnitentis duritia perſeuerans, alienatus ab Eccleſiaſtica ſocietate diſcedat. Talis igitur aduerſus Spiritum ſanctum dicit verbum, quod neque in hoc, neque in futuro ſit ſæculo remittendum. Ille igitur dicit irremiſſibile verbum aduerſus Spiritum ſanctum, qui diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnens, ſecundum duritiam ſuam, & impœnitens cor, theſaurizat ſibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.

Peccatum in Spiritũ ſanctum irremiſſibile. *Rom. 2*

Bed. Bed. Mar. 3: Quod verò ſecundum Matthæum dicitur, eum qui blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, vel verbum dixerit contra Spiritum ſanctum, non habere remiſſionem neque in hoc ſæculo, neque in futuro datur intelligi, quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam verò in futuro laxari. Quod enim de vno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam conceditur. Sed tamen hoc de minimis, paruiſque peccatis fieri poſſe credendum eſt, ſicut eſt aſſiduus otioſus ſermo, immoderatus riſus, vel peccatum rei familiaris, quæ vix ſiue culpa vel ab ipſis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant ſciunt aut in non grauibus culpis errore ignorantiæ, quæ cuncta etiam poſt mortem grauant, ſi adhuc in hac vita poſitis minimè fuerint relaxata. Hoc tamen ſciendum eſt, quia illic ſaltem de minimis nil quiſque purgationis obtinebit, niſi bonis hoc actibus in hac adhuc vita poſitus, vt illic obtineat promereatur.

Blaſphemia in Spiritum ſanctum.

Not. 11. verſ. 12.

Orig. ORIGEN. in epiſt. ad Rom. lib. 6. cap. 6: Fructum & bonorum, & malorum eſſe docet ſcriptura diuina, vt ipſe Saluator in Euangelijs dicit: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Non poteſt arbor bona fructum malum facere; neque arbor mala, fructum bonum facere. In quibus propoſitum, & voluntas hominis, arbor dici videtur vel bona, vel mala, fructus verò eius opera.

Idem habes cap 12. verſ. 34. ex Matth. & Luc. *Quid arbor, fructus,*

Aug. Aug. lib. 2. de actis cum fælice Manichæo cap. 4: Audi ergo de libero arbitrio, primo ipſum Dominum, vbi duas arbores commemorat: Aut facite arborem bonam, &c. Cum ergo dicit; aut hoc facite, aut illud; poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enim, niſi Deus, facere arborem poteſt: ſed habet vnuſquiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala. Non quia mala ipſa, quæ eliguntur, aliquam habeant in ſeipſis ſubſtantiam; ſed quia Deus omnia, quæ condidit, gradibus ſuis condidit, generibuſque diſtinxit, cœleſtia, & terrena, immortalia, atque mortalia: & omnia bona in ſuo genere condidit: animam habentem liberum arbitrium ſub ſeipſo, & ſupra cætera collocauit: vt ſe ſeruaret ſuperiori, dominaretur inferiori: ſi autem offenderet, pœnam ex inferiore ſentiret. Hoc ergo Dominus dicens; aut facite illud, aut facite illud; oſtendit eſſe in poteſtate quod facerent, ipſe ſecurus & certus in ſe tanquam Deus. Et quia ſi bonum eligerent, præmium eius acciperet, ſi malum eligerent, pœnam eius ſentirent. Semper autem ille iuſtus eſt aut remunerator, aut damnator.

Bene & malè agere in libero eſt hominis arbitrio. Homo nõ natura, ſed libero arbitrio fit arbor bona, vel mala.

Ver. 13.

Auguſt. lib. 1. quæſt. Euangel. cap. 6: Progeniem viperarum eos dicit; quia & diaboli filios eos appellat: in tantum enim quiſque filius eſt diaboli, in quantum eum peccando imitatur.

Not. 12. verſ. 14.

ORIG. hom. 2. in Ezech: Noui quippe quia cum in iudicio ille ordo conſederit, de quo prophetauit Daniel, & libri fuerint aperti, omnes mei conatus, omnes meæ expoſitiones proferentur in medium, ſiue in iuſtificationem, ſiue in condemnationem meam, in iuſtificationem quidem mihi erunt, quæ benedicta ſunt. In condemnationem verò, ea quæ ſecus quam veritas poſcit, explanata: ex ſermonibus, inquit, tuis iuſtificaberis, & ex ſermonibus tuis condemnaberis, quaſi habenti non omnes ſermones, de quibus iuſtificaretur, neque rurſum omnes ſermones, de quibus condemnaretur. Si aliquis à ſermonibus purus eſt alienis, & eis qui poſſent reprehendi, ex ſermonibus ſuis iuſtificabitur, & non condemnabitur. Si autem nunquam rectè locutus eſt, ſed ſemper protulit praua, ex ſermonibus ſuis condemnabitur, & non iuſtificabitur. Verum quia nos qui non ſumus ex omni parte perfecti, neque ſic dicimus vt ſemper iuſtificemur. Neque ſic è contrario ſimus peccatores vt ſemper condemnemur: & habemus alia verba, ex quibus iuſtificemur, & alia, ex quibus condemnemur. Deus ſuper ſtateram ſuam vtraque ponens expendit diligenter, & iudicat, in quibus iuſtus ſim, & in quibus ſermonibus condemnandus. Quod autem in ſermonibus hoc idem facit, & in geſtis. Neceſſe eſt enim vt ſint alia facta, in quibus iuſtificemur; & alia, in quibus condemnemur. Neque enim ſic perfectus ſum, vt omnia facta habeam in quibus iuſtus exiſtam: neque ſic peccator, vt talia cuncta fecerim, quæ me omni ex parte condemnent. Orig.

Tertul. lib. de idolo. cap. 20: Cum conuerſatio diuinæ diſciplinæ, non factis tantum, verum etiam verbis periclitetur; ſicut ſcriptum eſt: Ex ore tuo iuſtificaberis: meminiſſe debemus in verbis quoque idololatriæ incurſum præcauendum. Tert.

In eo Tertullianus quod legat; ex ore tuo; pro, ex verbis tuis; non ſolum lib. idolo. ſed etiam Aug.

etiam lib. 1. aduerſus Marcionem cap. 25. ab editionibus Græca, Latina, Syriaca differt.

Greg. Greg. Hom. 6. in Euang: Otioſum quippe verbum eſt, quod aut vtilitate rectitudinis, aut ratione iuſtæ neceſſitatis caret. Otioſa ergo colloquia ad ædificationis ſtudium vertite.

Eut. Euth. Matt. 12: Otioſum dicit calumniatorium, & vanum, vel ſuperfluum, ac nociuum: rationem verò examen, & reſponſionem.

Chryſoſt. Chryſoſt. Hom. 43. in Matth: Otioſum eſt verbum, quod rei propoſitæ non conuenit, nihilque confert vtilitati; quod mendacio iniquitat; quod ad calumniam dicitur. Quidam autem otioſa etiam aſſerunt verba, quæ vana ſunt: vt quæ profuſum mouent riſum, aut turpia, impudica, illiberalia. Ex verbis enim tuis &c. perpendis non eſſe moleſtum, aut crudele hoc iudicium. Vides quomodo hæ exactiones rationum tranquillæ ſunt. Non enim ex aliorum verbis, quæ aduerſum te dixerint; ſed ex his, quæ tu ipſe protuleris, iudex ſententiam feret. quod omnium certè iuſtiſſimum eſt. Tu enim qui iudicaris, dicendi malè, & non dicendi quoque poteſtatem habes: quare non hi, quorum aures iniurijs percuſſæ ſunt; ſed hi qui conuiciantur, per hoc referre debent. Non enim qui malè audierunt, ſed qui malè dixerunt, iudicio ſubiecti ſunt: His pericula imminent, hos cruciatus expectant. Quare qui malè audierunt, cum nullam eius rei reddituri ſunt rationem, tranquillo animo eſſe oportet. Non enim de his, quæ alij malè dixerint, rationem ſunt reddituri: qui verò de alijs malè fuerint locuti, illos tremere, ac trepidare oportet, tanquam qui ſuper his ad iudicium ſint trahendi.

Bern. Bern. ſerm. de triplici cuſtodia: Quis ſanè numeret, quantas modicum linguæ membrum contrahat ſordes, quam multiplex in labijs incircumciſis immunditia coagulatur. Quam ſit grauis pernicies oris incircumſpecti? Eſt enim lingua diſſoluta in ſermonibus ocioſis, eſt lingua impudica, eſt & magniloqua: quarum prima laſciuiæ, ſequens arrogantiæ famulatur. Eſt etiam lingua doloſa, item & lingua maledica; quarum altera in falſiloquam, & adulatoriam ſubdiuiditur: Altera verò nunc in facie contumelias irrogat, nunc detrahit in occulto. Quod ſi de omni vel ocioſo verbo quodcunque locuti fuerint homines, Deo ſunt reddituri rationem in die Iudicij: quanto diſtrictius de verbo mendaci, mordaci, & iniurioſo, de elato, vel laſciuo, de adulatorio, aut detractorio iudicabuntur? Quam vera ſententia fratres, in multiloquio non effugiendum peccatum. Vt enim præter eam cætera, ſi propterea eſt ocioſum verbum, quod nullam rationabilem cauſam habeat, quam rationem de eo reddere poterimus, quod eſt præter rationem? Nemo veſtrum, fratres, parui æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur ocioſis. Si quidem tempus acceptabile eſt, & dies ſalutis. Volat verbum irreuocabile, volat tempus irremeabile, nec aduertit inſipiens quid amittat. Libet confabulari aiunt donec hora prætereat. O donec prætereat hora, ô donec pertranſeat tempus. Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam, miſeratio conditoris indulget. Donec tranſeat tempus, quò diuinam tibi repropiciare debueras pietatem, properare ad Angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem, aſpirare ad promiſſam fœlicitatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem, ſic nimirum ſic agricolæ cum diu deſiderata affuerit opportunitas ſeminandi. Sic vinitores cum expectatum tempus putationis aduenerit, inueniſſe occupationes, & quaſi irreprehenſibiliter ſine opere diem tranſegiſſe lætantur? ſic inſtantibus nundinis inſtitores nectere moras occaſiones quærere ſolent, ne quem fortè ſibi ex eis quæſtum prouenire contingat? Sic denique pauperes mendicantes, cum multis clamoribus euocatus tandem affuerit eleemoſynarum diſtributor, diuerticula captant, & concurrentibus ſocijs vacuos ambiunt occupare receſſus, & fouere latebras in angulis platearum? Vtinam tamen vel ſolum tempus vitæ amitteretur in verbis. Sed multi in his etiam vitam amittere comprobantur: nec modo ipſi amittere, ſed adimere quoque, & hoc fratribus ſuis.

Nu. 13. verſ. 15.

EVTH. Luc. 11: Signum ab eo petebant. Non nunc tantum, ſed frequenter hoc fecerunt, ſicut alijs Matthæi capitibus ſignificatum eſt. Per præoccupationem hoc à Luca dictum eſſe notauit Aug. Ex Matt. enim conſtat quondam à Domino ſignum tale quæſitum. Et magis cohæret Matthæi narratio, quam Lucæ: grauiter enim reprehenſi Phariſæi, & Scribæ de maledicentia in Deum: cumque ex eo turbæ concurſus fieret, neque obtrectatione, qua omnia Chriſti facta calumniabantur, conquieſcerent; ſignum nouum expetunt, quaſi nullum exhibuerit. Et illud, de immundo ſpiritu, concludere hanc diſputationem videtur. Euth. Iudæi ſigna quærunt. Ratio diſpoſitionis. Aug.

Ver. 16.

Greg. lib. 2. Dialog. cap. 8: Sancti Dei homines potuerunt à Domino virtutes habere, non etiam alijs tradere. Ille autem ſigna virtutis dedit ſubditis, qui ſe daturum ſignum Ionæ promiſit inimicis: vt coram ſuperbis mori dignaretur, coram humilibus reſurgere; quatenus & illi viderent quod contemnerent, & iſti quod venerantes amare debuiſſent. Ex quo myſterio actum eſt, vt dum ſuperbi aſpiciunt deſpectum mortis, humiles contra mortem acciperent gloriam poteſtatis. Greg.

Aug. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 7: Sextæ feriæ diei partem, qua ſepultus eſt, cum præterita nocte, pro nocte, & die accipias; hoc eſt, pro Aug. Tres dies, & tres noctes.

toto die; ſabbathi noctem, & diem; & noctem Dominicam cum eodem die illuceſcente: ac per hoc accipiendo partem pro toto, habes triduum, & tres noctes. Quod enim dicuntur decem menſes prægnantis, nouem ſunt pleni: ſed initium decimi pro toto accipitur. Aug. Idem habet lib. 3. de conſ. cap. 24. & lib. 4. de Trinit. c. 6. Ionas fuit ſignum reſurrectionis Chriſti. Ion. 2.

Hier. Adultera. Ezech. 16 Tres dies, & tres noctes.

Hiero. Matt. 12: Egregiè dixit, adultera, quia dimiſerat virum, & iuxta Ezechielem, multis ſe amatoribus copulauerat. Sinecdochicè totum intelligitur ex parte: non quod omnes tres dies, & tres noctes in inferno Dominus ſteterit: ſed quod in parte Paraſceues, & Dominicæ, & tota die ſabbathi, tres dies, & totidem noctes intelligantur.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 89. in Matt: per hoc; niſi ſignum Ionæ Prophetæ, crucem, inquit, mortem, ſepulchrum, atque reſurrectionem ſignificabat.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 417: Quod autem Dominus perfidam omnem mentem, atque ipſius mandatis repugnantem, adulteram vocet, pleriſque diuinorum oraculorum locis reperies. Verbi gratia, adulterium commiſerunt, in ligno, & lapide. Et rurſum: Generatio praua, & Iſidor. adultera ſignum quærit. Et lib. 1. ep. 114: Trium Domini in ſepulchro tranſactorum dierum hæc eſt explanatio. Scriptum eſt: Quemad- Matt. 12 modum Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; Ita etiam filius hominis erit in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus. Is igitur, qui ſe Ionæ typum expreſſurum receperat, cum eum exactè noſſet (quippe qui Ioan. 2. etiam Ionæ adeſſet, cum in profundum præceps ageretur, atq; è profundo ei eeretur) eum quoque haud dubiè expleuit; tanto nimirum tem- 1. expoſ. poris ſpatio in ſepulchro commoratus, quanto Ionas in ceti ventre. Quod ſi alteram adhuc huius loci explicationem quæris, habeto. Sexta 2. expoſ. 10. 19 Matt. 27 hora Paraſceues in crucem actus eſt Dominus. Ab hac hora, ad nonam vſque tenebræ extiterunt. Hoc tu noctem intellige. Rurſus à nona lux. Hoc rurſus pro die habe. Nox rurſum Paraſceues. Tum dies ſabbati. Nox ſabbati, Dominici diei diluculum: iuxta Euangeliſtam di- Matt. 28 centem: Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in Tertia. prima ſabbati. Quod ſi tertiam ex me intelligere poſtulas, ea eſt eiuſmodi: In die Paraſceues 3 expoſ. Dominus Spiritum tradidit. En vna dies ſabbatum totum in ſepulchro exegit. Poſtea eius noctem. Luceſcente Dominica è ſepulchro ſurrexit. Id quoque dies eſt. Siquidem à parte, vt noſti, totum intelligitur. Sic autem nos quoque eorum, qui mortem obeunt, memoriam celebrare, conſueuimus. Quacunque enim diei hora quiſpiam vitam cum morte commutarit, poſtero duntaxat die interiecto, altero poſt die tertianum ipſius diem agimus. Habes, ni fal- Quarta explicatio lor, propoſitæ quæſtionis ſolutionem. Quod ſi perfectos tres dies ac noctes quærunt, qui malè pugnant, illud reſponde, quod Rex quoque, ſi admiſſa eorum, qui in metallis ac vinculis ſunt, deprecatione ac ſupplicatione, hoc ipſis pollicitus fuiſſet, ſe poſt tertium diem eos miſſos facturum ac præſtiturum diem anteuertens, eos liberaſſet, per hanc celeritatem verum magis dixiſſet. Ad eundem itaque modum Dominus, citius quam promiſerat, reſurgens, ab omnibus meritò adorabitur.

Not. 14. verſ. 17.

Hiero. Matt. 12: Condemnabunt) Non ſententiæ poteſtate, ſed comparationis exemplo. Hic, aduerbium loci, non pronomen intelligas. Ionas ſecundum 70. interpretes, triduo prædicauit; ego tanto tempore. Ille Aſſyrijs, genti incredulæ: Ego Iudæis, populo Dei. Ille peregrinis: ego ciuibus. Ille voce locutus ſimplici, nihil ſignorum faciens: ego tanta faciens ſigna Beelzebub calumniam ſuſtineo. Plus ergo eſt Iona hic) id eſt, in præſentiarum inter vos. Hier. Hic.

Aug. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 5: Nec ideo dixit, condemnabunt; quia & ipſi iudicabunt: ſed quia ex ipſorum comparatione, iſti meritò damnabuntur. Niniuitarum pœnitentia. Ionæ 3. Aug. Quomodo Niniuitæ condemnabunt.

Chryſoſt. homil. 25. in Gen: Barbari illi, Niniuitas dico, quos iterum in medium adducere operæpretium eſt, vt etiam hac ratione magis demonſtretur, & horum excellens malitia, & illorum ingens gratitudo. Etenim Dominus noſter in die illa terribili, iudicij, inquam, ſeruos, & ſeruos in medium producens, ſic condemnationem facit, quando monſtrantur ij, qui eadem bona ſortiti erant, & eorundem participes, non eandem exercuerant virtutem. Sæpe autem etiam ex inæqualibus comparationes facit, vt magis deſides, & peccatores condemnet. Quapropter in Euangelio dicebat: Viri Niniuitæ ſurgent, &c. quaſi diceret. Barbari, quorum nulla cura eſt habita, qui Prophetarum doctrinas non audierunt, qui ſigna non viderunt, qui miracula non ſpectarunt: ſed auditis tantum vnius hominis in naufragio ſeruati verbis, quæ eos, magnam deſperationem afferendo, conſilij inopes facere poterant, ita vt etiam contemnerent, quæ dicebantur. Non ſolum non deſpexerunt Prophetæ verba, ſed & in trium dierum anguſtia deprehenſi, tam diligentem, & ſtudioſam fecêre pœnitentiam, vt & ſententiam Domini reuocarent. Illi igitur, inquit, condemnabunt generationem hanc, cui tanta cura contigit, quæ Prophetarum libris enutrita, quæ ſigna, & miracula quotidie ſpectauit. Deinde vt & iſtorum incredulitatis eminentiam oſtenderet, etiam illorum ineffabilem virtutem ſubdit: quia pœnituerant ad prædicationem Ionæ. Et ecce plus quam Ionas hic. Niniuitæ quidem, inquit, viſo abiecto homine Iona, & eius ſuſceperunt prædicationem, & conſummatam fecerunt pœnitentiam. Iſti autem videntes multo maiorem, quam Ionas erat, ipſumque vniuerſi Dominum ſecum ſimul verſantem, tantaque, ac talia miracula operantem, leproſos mundantem, mortuos ſuſci- Chryſoſt.

ſuſcitantem, cæcitates naturæ corrigentem, dæmones expellentem, morbos curantem, poteſtate multa peccatorum remiſſionem præbentem; non illam, quam barbari, declarauerunt pœnitentiam.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 154: Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio, cum generatione iſta, & cõdemnabunt eam, inquit Dominus: quoniam qui legem minimè audierant, Prophetæ comminationem extimuerunt, atque figura, duntaxat, & vmbra Dominicæ ſepulturæ audita, ad inopinatum euentum metu perterriti ſunt. Nos autem, qui eum ipſum, de quo vaticinium edebatur, conſpeximus, & contrectauimus, ingrati aduerſus eum manemus, atque ad reſipiſcentiam rigidi, & inflexiles. Quocirca, fratres, ne Gentilibus quoque infideliores nos præbeamus, eamque, quam illi effugerunt, perniciem ad nos attrahamus.

Cur Niniuitæ iu dæos damnabunt.

1 Ioan. 1.

Ver. 18.

Orig. Origen. hom. 1. in Cant: Homines generationis huius, i. Iudæos carni, & ſanguini deditos. Et to. 32. in Ioan: Plus quam Salomon hic, id eſt, hoc in loco. Itaq; hic, ſecundum Origen. Hiero. & alios, aduerbium eſt, non pronomen.

Hier. Hier. Matt. 12: Iſta Regina Auſtri, & Regina Saba, de qua in Regum volumine, & in Paralipomenon legimus, quæ per tantas difficultates, gente ſua, & imperio derelictis, venit in Iudæam audire ſapientiam Salomonis, & ei multa munera detulit. In Niniue autem in Regina Saba occulta fides nationum præfertur Iſraeli.

Hier. Et in cap. 21. Prou: Condemnabit non ſua virtute, & potentia; ſed quia in eius comparatione condemnabuntur, qui deuotionem eius ſcientes cum multo facilius poſſent, ſapientiæ curam diſſimulabant habere. Cum dixiſſet Chriſtus Ionam fuiſſe ſignum Niniuitis, ſubiecit comparationem Salomonis, occaſione Ionæ. Ideo Lucæ narratio hic etiam nonnihil eſt inuerſa, vt narrationi Matthæi reſpondeat. De Regina Saba 3. Reg. 3. 2. Par. 10.

Ratio diſpoſitionis.

Iſidor Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 166: Sapientiæ fama Auſtri Reginam impulit, vt ab extremis orbis finibus, ad Salomonem ſe conferret. Te autem Dominus quotidiano clamore adducere minimè potuit, vt reſipiſcas, atque ad id, quod in rem tuam futurum ſit, oculos conijcias. Vide itaque ne ab illa condemneris: quoniam cum eam rumores, ac ſermones velut alis additis erexerint, te contra, nec aſpectus, nec Chriſti operationes vlla ex parte meliorem effecerint.

Not. 15. verſ. 19. 20.

Hier. HIERON. in cap. 1. Abac: Quanquam in Euangelio peſſimus dæmon loquatur: Vadam in domum meam, vnde exiui; non eſt ei credendum. Siquidem nulla rationalis creatura ad hoc facta eſt, vt habitaculum dæmonis ſit.

Hier. Et Matt. 12: Ex eo quod finita vel parabola, vel exemplo ſequitur: Sic erit & generationi huic peſſimæ: compellimur non ad hæreticos, & quoſlibet homines; ſed ad Iudæorum populum referre parabolam.

Aug. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 8: Cum ſpiritus immundus exierit ab homine, ſignificat quoſdam ita credituros, vt ferre non poſſint labores continentiæ, & ad ſæculum redituri ſint. Quod dictum eſt; aſſumit ſecum alios ſeptem; intelligitur, quia cum quis ceciderit de iuſtitia etiam ſimulationem habebit. Cupiditas enim carnis expulſa per pœnitentiam à conſuetis operibus, cum non inuenerit in quibus delectationibus requieſcat, auidius redit, & rurſus occupat mentem hominis. Sic cum expulſa eſſet iuſtitia, negligentia ſubſecuta eſt, vt non introduceretur tanquam habitator mundanæ domui ſermo Dei per ſanam doctrinam. Et quoniam non ſolum habebit illa ſeptem vitia, quæ ſeptem virtutibus ſpiritualibus ſunt contraria; ſed etiam per hypocriſim ſe illas virtutes habere ſimulabit, proterea aſſumptis ſecum ſeptem alijs nequioribus, hoc eſt, ipſa ſeptenaria ſimulatione redit illa concupiſcentia, vt ſint nouiſſima peiora quam erant prima. Et epiſt. 105: Poſt remiſſionem peccatorum, niſi mundatam domum habitet Spiritus ſanctus, nonne cum alijs ſeptem redit ſpiritus immundus: & erunt nouiſſima hominis illius peiora, quam erant prima? Vt autem habitet Spiritus ſanctus, nonne vbi vult ſpirat, & charitas Dei, ſine qua nemo bene viuit, diffunditur in cordibus noſtris, non à nobis; ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Aug. Aug.

Chryſoſt. hom. 3. oper. imperf: Qui Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius: propter quod caro eius poſtea peiora ei germinabit peccata. Quia non habet in ſe Spiritum ſanctum conſeruantem ſe: ſed vacua eſt domus corporis eius. Propterea Spiritus ille inueniens vacuam domum, & mundatam doctrinis fidei, quaſi ſcopis, intrans ſeptempliciter habitat in eam: quoniam verba fidei, quæ appellantur ſcopæ, ab ignorantia mundant; non à peccatis, vel concupiſcentijs. Baptiſmum autem Spiritus perficit. Quia ingrediens ſpiritus circumplectitur animam, & quaſi muro quodam inexpugnabili circuit eam, & non permittit vt carnales concupiſcentiæ, & cogitationes præualeant contra eam. Epiſtolæ ſecundæ Petri cap. 2: A quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt. Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius erat im erat illis, non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum conuerti, ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri Prouerbij: Canis reuerſus ad ſuum vomitum: & ſus lota in volutabro luti. Prou. 26: Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum ſuum: ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam. Chryſoſt. Ratio 8.

Not. 16. verſ. 22. 23.

Mulieris exclamatio. Ratio diſpoſitionis.

COLLOCANDVM hoc loco mulieris exclamationem beatificantis ventrem, qui Ieſum portauit; & vbera, quæ ſuxit, ex Luca ſatis euidenter apparet. Propterea non exiſtimaui eam ab hac hiſtoria ſeparandam, & ſeorſum ponendam.

Tit. Cur Dominus dixerit, quinimo: beati, &c. Ratio 1.

Tit. Boſtren. Epiſcop. Luc. 11: Cur muliere exclamante: Beatus venter, &c. Chriſtus intulit: quinimo, beati, qui audiunt? &c. Conuenienti planè opportunoque tempore, hoc ab eo dictum eſt: quandoquidem non deerant per id tempus, qui Dei verbum adeo non audiebant, vt eos etiam in ius vocarent, palamque condemnarent, qui audiebant. Dominus autem

Ratio 2.

oppoſitam quaſi viam ingreſſus, illos præ cæteris beatos, fortunatoſque prædicat, qui Dei verbum audiunt, auditum cuſtodiūt. Quin ob mutum quoque & ſurdum, quem paulo ante ſanauerat, illud dixiſſe videri poteſt. Hic enim, Chriſti beneficio huc iam adductus erat, vt Dei verbum audire, & diſcere; audiēdo vero, & diſcendo credere; credendo autem operari; operando demum gloriæ coronam, cum ijs omnibus, qui Domini præcepta obſeruant, conſequi poſſet.

Gradus quibus ad beatitudinem aſcenditur.

Euth. Matth. 12: Non negauit; ſed pari modo dixit: Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Eut.

Chryſoſt. hom. 45. in Matth: Non reſpondit: Nullus me portauit venter, nec vlla ipſe vbera ſuxi; ſed: Beati, qui faciunt voluntatem Patris mei. Vides quemadmodum nullibi coniunctionem hanc naturæ hominum negat; ſed præponit ſemper illam, quæ à virtutibus eſt. Chryſoſt.

CAP. 59. *Cognatio ſpiritualis carnali præfertur: hoc eſt, matri, & fratribus, diuini verbi cultores præponuntur.*

Matt. 12.	*Mar. 3.*	*Luc. 8.*	*Ioan.*
1 ADhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei.	1 ET veniunt mater eius, & fratres: & foris ſtantes miſerunt ad eum vocantes eum, & ſedebat circa eum turba.	1 c. 60.) VEnerunt autem ad illum mater, & fratres eius: & non poterant adire eum præ turba.	
2 Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui, foris ſtant, quærentes te. At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait:	2 Et dicunt ei: Ecce mater tua, & fratres tui foris, quærunt te. Et reſpondens eis, ait:	2 Et nunciatum eſt illi: Mater tua, & fratres tui, ſtant foris, volentes te videre. Qui reſpondens, dixit ad eos:	
3 Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.	3 Quæ eſt mater mea, & fratres mei? Et circunſpiciens eos, qui in circuitu eius ſedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei.		
4 Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.] ✠	4 Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & ſoror mea, & mater eſt.]	4 Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt. (Factum eſt autem. c. 35.	

Not. 1.

Aug. Ratio diſpoſitionis.

AVG. lib. 2. de conſ. cap. 40: Sequitur ergo Matthæus, & dicit: Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei, &c. vſque ad illud, vbi ait: Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. Hoc ſine dubio conſequenter geſtum intelligere debemus: præmiſit enim cum ad hoc narrandum tranſiret: Adhuc eo loquente ad turbas. Quid eſt autem adhuc: niſi illud quod loquebatur? non enim dixit: Et eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres; ſed adhuc eo loquente, quæ cum dicit, cogit intelligi hæc loquente, quæ ſuperius indicabat. Nam & Marcus poſt illud, quod de blaſphemia Spiritus ſancti, quid Dominus dixerit retulit: Et veniunt, inquit, mater eius, & fratres: prætermiſſis quibuſdam, quæ in eodem textu ſermonis Domini, & Matthæus prolixius Marco, & Lucas prolixius Matthæo poſuerunt. Lucas autem non huius rei geſtæ ordinem tenuit, ſed præoccupauit hoc, & recordatum ante narrauit. Denique hoc ſic interpoſuit, vt ſolutum appareat à nexu, & ſuperiorum, & inferiorum. Poſt commemoratas enim quaſdam parabolas Domini ita hoc de matre, & fratribus eius recordatum interpoſuit: Vene-

Tres Euangeliſtæ hoc narrant.

Venerunt autem ad illum, inquit, mater,& fratres eius, & non poterant adire eum præ turba. Non expreſſit quando ad eum venerint. Rurſus cum & hinc tranſijt, ita loquitur: Factum eſt autem, inquit, in vna dierum, & ipſe aſcendit in nauiculam,& diſcipuli eius. Et hic vtique cum dicit: Factum eſt autem in vna dierum; ſatis indicat non neceſſe eſſe, vt hæc dies intelligatur, in qua hoc geſtum eſt; vel illa quæ continuo ſequitur. Nihil itaque habet repugnantiæ cum cæteris duobus, quod Matthæus de matre, & fratribus Domini narrat, neque in verbis Domini, neque in ipſo ordine rerum geſtarum.

Tres hic Euangeliſtæ conſentiunt.

Docentem Chriſtum interpellant de matre,& fratribus quærentibus eum alloqui; quibus intendens manum in diſcipulos, ait: Ecce mater mea, &c. Matri,& fratribus præferens, qui verbum Dei audiunt,& obſeruant. Conſtat verò proximè collocandum aduentum matris,& fratrum; quia Matthæus, & Marcus ſuperioribus hoc proximè ſubijciunt, tanquam factum antequam Dominus egrederetur domum. Matthæus quippe dicit: Adhuc eo loquente,&c. & illud, foris, quo tres Euangeliſtæ verſu 1. & 2. vtuntur, ſignificat Dominum adhuc in domo fuiſſe. Porro hunc matris,& fratrum aduentum parabolæ ſeminantis obiter Lucas ſubiecit, non quod poſt eam parabolam, ſed quod proximè ante contigiſſet. Siquidem illius parabolæ, quam narrauerat occaſione, ob temporis vicinitatem, imo ferè cohærentiam, acceſſus matris, & fratrum recordatus videtur. Hæc ita ſe habere ex eo intelligi poteſt, quod Lucas, Marcum præcipuè ſequatur. Cum enim cœpiſſet narrare initio capitis octaui circuitum, priuſquam pergeret ad miſſionem, volens nonnulla omiſſa repetere, ab iſta inſigni parabola cœpit: ac deinde repetit eodem ordine de ſedata maris tempeſtate, & alijs, quæ Marcus eodem loco, & ordine poſuit. Itaque matris, & fratrum aduentus, proximè ante parabolam ſeminantis, contigerat. Mater autem ſanctiſſima cum alijs aderat, ſed non eo quo cæteri affectu, vt exiſtimaret filium in furorem eſſe conuerſum, ideoque tenendum; ſed maternis viſceribus filio compatiens multa patienti præſto erat; ſicut & paſſionis tempore occurrit. Et quemadmodum tunc filius, cum noſtram operaretur ſalutem, eam non proprio nomine, ſed communi, mulierem appellauit: ſic & in præſentia cum verbo prædicationis intentus, quaſi nullo moueretur carnis affectu in eum modum, quæ eſt mater mea, &c. voluit reſpondiſſe. A tribus autem Euangeliſtis hoc narrari, teſtantur Aug. Euth. & plures alij.

Ratio diſ[illegible].

Quomodo mater cum alijs aderat.

Vt matri Chriſtus reſpondeat.

Tres Euangeliſtæ hoc narrant. Aug. Euth.

Not. 2.

Theoph.

THEOPHYLACT. Luc.8: Hoc loco oſtenditur quod fuerit non cum carnalibus cognatis Chriſtus. Illis enim relictis ſpirituali vacabat doctrinæ. Vnde illi ad eum accedunt. Sic etiam oportet, vt omnes quibus concreditum eſt miniſterium Dei, nihil illo antiquius habeant, vel præferant. Et Matth. 12: Quæ eſt mater mea, &c. non iniuria afficiens matrem, hæc dixit. Non enim dixit: Non eſt mater mea: ſed ſi non fecerit voluntatem Dei, nihil ei proderit, quod me genuit: non enim negat naturalem cognationem: ſed apponit etiam eam, quæ eſt per virtutem: nullus enim indignus à cognatione vtilitatem capit. Et Mar. 3: Fratres Domino inuidentes acceſſerunt ad eum, vt caperent eum tanquam in furorem verſum, & dæmoniacum. Dominus igitur reſpondet quod nihil profuturum ſit matri ſuæ, eſſe matrem ſuam, niſi etiam alias virtutes poſſederit; ſimiliter neque fratribus, eſſe conſanguineos. Illi enim ſunt veri cognati Chriſti, qui voluntatem Dei faciunt. Itaque non negando matrem hæc dixit; ſed oſtendens quod non propter natiuitatem ſolam, digna fuerit hoc honore, ſed propter omnes alias virtutes, quibus prædita fuit, ita vt ſi illis caruiſſet, alij ei fuiſſent prælati. Et Luc. 8: Sunt item & parentes repellendi, ſiquidem abſque vtilitate, & fruſtra in opere Dei nos impedituri ſunt: quemadmodum & nunc Dominus facit. Quia venit totum mundum ſeruare,& omnes fratres facere, dicit: Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui ſermonem Dei audiunt. Deinde quia nuda, & ſola auditio nullum ſeruat: ſed magis condemnat, dicit: & faciunt illum. Oportet igitur audire, & facere. Porro ſermonem Dei ſuam doctrinam vocat: quæcunque enim ipſe dicebat, patris ſui erant, cui non fuit aduerſatius, vt dicat, quæ Dei non ſunt. At plerique locum hunc ſic intelligunt, quod quidam irriſerint Chriſtum docentem, & ob doctrinam ſuam factum admirabilem, vt per inuidiam dixerint: Ecce mater tua,& fratres tui ſunt foris, cupientes te videre, quia mater ipſius videbatur vilis eſſe, & fratres eius obſcuri, vtpote fabri filij, & idcirco quaſi ignobilis matrem eius, & fratres irridendo obijciebant. Proinde ſciens cogitationes eorum, nihil mihi, inquit, nocet ignobilis cognatio. Imo etiamſi quis ignobilis fuerit, ſi tamen audierit ſermonem Dei, ipſum meum cognatum facio.

Theop. Non iniuria matrē afficit, nec eam negat.

Cur ſic reſpondeat.

Theop. Cur fratres acceſſerint.

Matrē non negat.

Theoph. Quando parentes repellendi.

Cur non exeat,& ſic reſpōdeat.

Verbū Dei eſt doctrina Chriſti.

Mala intētione hoc nunciatur.

Euth. Marr. 12: Foris, id eſt, extra domum, in qua docebat, ſtabant: eo quod propter turbam ad eum accedere non poterant, ſicut dixit Lucas. Miſerunt autem ad illum, qui euocarent illum, vt ait Marcus, ſiue extra vocarent.

Eut.

Et Matt. 12: Quæ eſt mater mea, &c. Hoc dixit non abnegans matrem ſuam. Qui enim hoc facere potuit qui morti ſuæ vicinus magnam illius curam habuit? neque dedignatus eſt ipſam habere matrem. Quomodo, inquam, hoc feciſſet, qui propter reuerentiam, quam erga illam gerebat, aquam in Cana conuertit in vinum: & ſubditus erat, non ipſi ſolum, verum etiam ei, qui pater ſuus dicebatur; & erat, inquit, ſubditus illis. Si enim negaturus illam fuiſſet, aut ob eam pudore afficiendus, nequaquam ab ea natus fuiſſet. Sed quia tunc multitudinem docebat, nec æquum erat, vt hos relinqueret, & ad matrem, ac fratres procurreret, ait: Quæ huiuſmodi

Eut. Matrē non negat. Io. 19.

Ioan. 2.

Luc. 2. Cur non exeat,& ſic reſpōdeat.

iuſmodi mater mea eſt, aut qui huiuſmodi fratres mei ſunt, vt propter illorum obſequium tantæ multitudinis vtilitatem paruipendam? non ergo vilipendens illos, hunc locutus eſt ſermonem; ſed docens quod præponendam iudicet perditorum ſalutem, parentum, ac conſanguineorum obſequio. Nec mirum cum propter hos parentes, ac conſanguineos habere ſuſtinuerit. Et extenta manu in diſcipulos, &c. matrem eos nominauit, quaſi doctrinæ verbum in intelligibili animæ vtero ſuſcipientes, & congruo tempore ipſum parientes. Fratres verò tanquam à patre cœleſti adoptatos per fidē, quam in Chriſtum habebant, factoſque regni illius cohæredes. Dei autem voluntatem facit, qui Euangelica præcepta ſeruat, & cuſtodit. Itaque neque mater eius, aut fratres eius fuiſſent, niſi Dei voluntatem feciſſent. Non eſt ergo hic ſermo abnegantis conſanguinitatem illorum iuxta carnem. Neque enim dixit: non ſunt; ſed præponentis, eam quæ ſecundum virtutem eſt, ac docentis nullam illius eſſe vtilitatem, niſi & hæc adſit. Quod ſi nec Dei matri genuiſſe illum profuiſſet, niſi virtutem ſecuta fuiſſet; cui alteri proderit, viri ſancti eſſe cognatum, ſi virtutem non habeat? contingit enim, & cognatos non haberi pro cognatis, & non cognatos pro cognatis haberi: illud quidem propter vitam diſſimilem, hoc autem propter conuerſationis ſimilitudinem. O admirandam virtutem, quæ ad ſe accedentes ad tantum extollit honorem, vt ipſos Chriſti faciat eſſe cognatos.

Quomodo fideles ſint mater Chriſti, & fratres.

Vict. Victor Antioch. Mar. 3: Quæ eſt mater, &c. Inſinuat hoc loco omnibus cognatis fidei domeſticos ſe anteferre. At iſthæc interim non depromit, quod matrem vlla prorſus ratione aſpernetur, aut fratres contemnat: abſit hoc: verum quo planum faciat familiarem animæ cum Deo coniunctionem, quauis carnis cognatione potiorem ſe ducere. Propter hanc enim genere quoque propinquos amabat, & huc illos adducere contendebat. Cum is ergo, qui diſſerentem interpellabat, familiarium præſentiam, cauſam idoneam, apprimeque efficacem, cur mox illis, qui eum conuentum cupiebant, ſeſe ſiſteret, exiſtimaret; ad illorum, qui concioni præſto aderant inſtructionem opus videbatur, vt eiuſmodi quidpiam reſponderet. Sed & alia quoque datæ reſponſionis ratio reddi poteſt: nam vt ex Ioanne diſcimus, fratres illius necdum in illum credebant. Quare etiam, vt paulo ante ex Marco audiuimus, conati ſunt illum aliquando comprehendere, vinculiſque, tanquam mente captum, & furioſum, conſtringere. Quia ergo nonnulli ſaltem ex illis, eius mentis, eiuſque animi erant, mirum videri non debet, ſi Dominus non magnam aliquam illorum, tanquam cognatorum, rationem habendam putaret. Colligimus quoque, nos Chriſto ſecundum ſpiritum cognatione iunctos eſſe.

Matrē non aſpernatur Chriſtus, cur non excat. Maioris ſit apud Deū ſpiritus quam carnis cognatio.

Ioan. 7.

Not. 3.

Chryſoſt. CHRYSOST. hom. 30. operis imperfecti: Videns diabolus quia perſuadebat populis Chriſtus, eſſe ſe filium Dei, dicens: Ecce plus quam Ionas hic, & pluſquam Salomon hic: timuit enim, ne ſi filius Dei cognoſceretur, ille qui putabatur homo, ipſe derelinquatur ab omnibus. Ad conuincendos ſermones eius ſubintroduxit parentes eius carnales, vt per illorum contemplationem, diuinitatis eius obſcuraret naturam. Ideoque venit aliquis, quaſi diaboli aduocatus qui humano ore verba diabolica loqueretur dicens: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, volentes loqui tecum. Ac ſi dicat: Quid gloriaris Ieſu, de cælo dicens deſcendiſſe, qui radices habes in terra: ecce mater tua, & fratres tui. Non poteſt eſſe filius Dei, quem homines genuerunt. Non potes illum abſcondere, quem natura conuincit. Tunc Ieſus, quaſi hominem quidem aſpiciebat, tamen vere diabolus loquebatur. Et quæ eſt mater mea, & fratres mei? Neſcio parentes in mundo, qui ante mundi conſtitutionem mundum creaui. Neſcio principium ex carne, ſicut Fotinus exiſtimabat, qui iam in principio eram apud Deum. Nam quia hominem me videtis, veſtimentum meum eſt, non natura. Et extendens cautè manus ſuas ſuper Apoſtolos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Non ſpernens generationem carnalem, neque erubeſcens humanam ſuſceptionem, tale dedit reſponſum: ſed volens oſtendere, quia præponenda eſt cognatio ſpiritualis carnali. Nam carnalis cognatio non volentibus nobis neque ſcientibus contingit. Non enim vnuſquiſque veſtrûm conſuetus eſt cogitare, quorum erit filius, aut quorum cognatus. Spiritualem autem cognationem, ex propoſito vnuſquiſque per fidem ſibi acquirit. Voluntaria eſt enim obauditio, per quam quicunque voluerit voluntatem Patris facere, efficitur filius Dei, & frater Chriſti. Vnde ſapienter ſuperinduxit: Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ille mater mea, & frater eſt. In qua cognatione ſpirituali nihilominus eſt hæc Maria, quæ non per coitum carnis, ſed per gratiam fidei, credendo facta eſt mater Chriſti. Deinde matrem, & fratres Chriſti, facientes voluntatem Dei intelligimus, non ſynagogam, quæ ſecundum corpus peperit Chriſtum, cæteroſque Iudæos: ſed illam ſynagogam intelligimus matrem, quæ ſanata eſt credens in Chriſtum, non crucifigens eum, ſimiliter eſt intelligendum, & de fratribus, qui ſecundum ſpiritum erant Iudæi, non ſecundum corpus qui Chriſti erant facientes voluntatem. Et hom. 45. in Matth: Quod pridie dicebam inania ſcilicet eſſe cuncta, atque ſuperflua, cum virtus non adſit; id nunc, imo multo magis, etiam oſtenditur. Nam ego quidem dicebam, nec ætatem, nec ſerum, nec eremi habitationem, nec cætera huiuſmodi quidquam nobis conferre, ſi mens, atque animus probus non ſit, hodierno verò die maius aliquid, quam hoc ſit, ab Euangelio diſcimus. Nam neque Chriſtum in vtero geſtaſſe, neque mirabilem illum partum edidiſſe admodum profuerat, niſi virtus adfuerit. Quænam eſt mater mea, aut qui ſunt fratres

tres mei. Hæc autem dicebat non quia de matre ſua verecundaretur, aut quia natum ſe negaret ab illa. Non enim profecto ille vterus eum concepiſſet, ſi ab ea matre naſci noluiſſet. Verum vt ſignificanter exprimeret, nullam etiam eſſe matri, quoniam peperit, futuram vtilitatem, niſi vt decet vitam peragat. Præterea illud etiam probat nec matrem, nec fratres ſuos, nec quoſcunque alios, ſua fretos neceſſitudine, & conſanguinitate, virtutem negligere oportere. Nam ſi nullam mater, etiam in quantum mater, vtilitatem conſequitur, niſi virtutem colat: multo minus alij neceſſitudine ſaluabuntur: vna enim ſola, & vera, & communis nobilitas, atque neceſſitudo cum Chriſto eſt, vt voluntatem Dei facias: hic propinquitatis modus multo melior illo eſt, atque præſtantior. Quæ omnia probè tenentes, nec de filiorum geſtis gloriemur, niſi virtutes eorum imitemur: nec de parentum nobilitate quicquam nobis arrogemus, niſi probam eorum vitam ſequamur. Poteſt quippe etiam qui non genuit pater eſſe, & qui genuit eodem modo non eſſe. Nec dixit: Non eſt mater mea hæc, nec illi fratres mei, quoniam non faciunt voluntatem Patris mei: non enim condemnare fratres ſuos; ſed emendare voluit, ac ideo manſuetè vt ipſum decebat reſpondens: Qui facit voluntatem Patris mei, inquit, hic frater, & ſoror, & mater eſt. Quare ſi iſti etiam eſſe volunt, hanc viam peragant, in hac perſeuerent. Quando autem mulier illa clamauit, dicens: Beatus venter, qui te portauit; non dixit ſe non habere matrem; ſed inde matrem quoque ſuam beatitudinem conſecuturam aſſeruit, ſi patris eius faceret voluntatem, quam qui diligenter ſequuntur, & fratris, & ſororis, & matris retinent locum. O mirabilem honorem! ô virtutis incredibiles vires, quo ducitis bene viuentes homines? mulieres ſanctiſſimam illam virginem beatificarunt, quotquot vterum illum admirantur, quotquot optarunt tales fuiſſe matres, & cætera contemnere omnia. Quid igitur prohibet? Ecce namque rectam, atque facilem viam nobis propoſuit, vt non fœminis ſolum, verum etiam viris ad hunc ordinem peruenire liceat, imo vero etiam ad maiorem. Multo enim propinquiores Deo ſunt, qui voluntatem eius faciunt, quam qui ſumma carnis neceſſitudine coniunguntur. Non ergo ſimpliciter propinquitatem illam deſidera; verum etiam viam capeſſe, magnoque ſtudio confice, quæ ad hoc deſiderium te perducat.

Matrē non eſſe . . . negat. — *Matrē non negat.* — *Matrē non negat.*

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 159: Nullum Domini Euangelio impedimentum objiciatur, nec vlla animi diſtractio ſpiritualem doctrinam ſequatur, nec tumultus vtili diſputationi ſe interponat. Neque enim Chriſtus, cum à matre, & fratribus quæreretur, ipſorum vocationem admiſit, cum docendi munus auſpicabatur, atque auditorum ſaluti operam dabat: hinc nimirum illud oſtendens, ſpiritualia negotia carnalibus antiquiora eſſe debere. Atque ad hunc modum ipſius quoque diſcipuli menſarum inſpectionem, atque curam, quamuis alioqui propter pauperes neceſſariam, repudiarunt.

Iſidor. — *Spiritualia carnalibus eſſe potiora.* — *Act. 6.*

Epiph. hæreſi 42. confut. 12: Et ne te ſeducat ſermo, quem dixit Dominus: Quæ eſt mea mater, & qui fratres? non enim negans matrem hæc dixit, ſed intempeſtiuitatem euertens eius, qui dixit hoc, tanta turba circumſtante, & ad ſalutarem ipſius doctrinam profuſa, & ipſo circa ſanationes, ac prædicationes occupato: auocatio enim eſſe videbatur hoc, à ſuſceptis negotijs, quod hic impediebat ipſum, dum dicebat: Ecce mater tua, & fratres tui: tantum abeſt vt de hoc gauiſus fuerit. Non quod ignoraret veniſſe ipſos antequam audiret, &c.

Epiph. — *Matrem non negat.* — *Cur hic reſpondeat.*

Not. 4.

AMBR. lib. 6. in Luc: Moralis magiſter, qui de cæteris præbet exemplum, atque ipſe præceptor, ipſe etiam ſuorum executor eſt præceptorum. Præſcripturus enim cæteris: quoniam qui non reliquerit Patrem, aut matrem ſuam, non eſt filio Dei dignus, ſententiæ huic primus ipſe ſe ſubiecit: Non quo maternæ refutet pietatis obſequia (ipſius enim præceptum eſt: Qui nō honorauerit patrem, & matrem, morte moriatur) ſed quia paternis ſe myſterijs amplius, quam maternis affectibus debere cognoſcat: neque tamen iniurioſè refutantur parentes; ſed religioſiores copulæ mentium docentur eſſe, quam corporum. Ergo non debuerunt foris ſtare, qui Chriſtum videre quærebant. Propè eſt enim verbum in ore tuo, & in corde tuo. Intus igitur verbum, intus & lumen. Vnde & ille ait: Accedite ad eum, & illuminamini. Si enim foris ſtantes nec ipſi agnoſcuntur parentes, & propter noſtrum fortaſſe nō agnoſcuntur exemplum: quemadmodum nos agnoſcimur, ſi foris ſtemus. Nec putet aliquis offendiculum eſſe pietatis vbi mandatum legis impletur. Si enim relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna, rectè ſacramentum hoc in Chriſto ſeruatur, & Eccleſia. Et ideo parentes corpori proprio non oportuit anteferri. Ergo hic non (vt quidam hæretici tendiculas aucupantur) mater negatur, quæ etiam de cruce agnoſcitur: ſed neceſſitudini corporali præſcriptorum cæleſtium forma præfertur. Illud quoque intelligere non abhorret, qui per figuram parentum demonſtrat Iudæis, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, eccleſiam, quæ credidit præferendam. Et lib. de fuga ſæculi cap. 2: Hæc enim vera eſt ſacerdotis fuga, abdicatio domeſticorum, & quædam alienatio chariſſimorum, vt ſuis ſe abneget, qui ſeruire Deo geſtit. Rectè ergo fugaces fugacibus commendauit æternæ legis ſanctio, vt qui mundum hunc obliti ſunt, eos recipiant, qui peccata ſua condemnantes, atque opera obliuionem vitæ ſuperioris expectent, & ſæcularia quæ geſſerint abolere deſiderent. Fugitans igitur eſt ſuorum ſacri altaris eius miniſter. Vnde Dominus quaſi princeps ſacerdotum, formam Leuitis in euangelio dans, ſuo, dixit: Quæ eſt

Amb. — *Nouem hic notat.* — *Amb.* — *Cur non exeat, & ſic reſpondeat.* — *Maternæ pietatis obſequia, non refutat.* — *Exod. 20* — *Rom. 10.* — *Pſal. 33.* — *Epheſ. 5.* — *Mater non negatur.* — *Io. 19.* — *Allegoria.* — *Amb.*

eſt mater mea, aut qui ſunt fratres mei? Hoc eſt, non agnoſco matrem, non recognoſco fratres, ignoro proximos; mater mea, & fratres mei ij ſunt, qui audiunt verbum Dei, & faciunt. Solum ergo verbum Dei nouit miniſter, cum eos nouit, in quibus operatur verbum. Et lib. 7. in Luc: Etenim ſi propter te Dominus ſuæ renunciat matri, dicens quæ eſt mater mea, aut qui fratres mei? cur tu Domino tuo cupias anteferre? ſed neque ignorare naturam, neque ſeruire naturæ Dominus iubet, ſed ita indulgere naturæ, vt venereris authorem, nec ab eo parentum amore deſciſcas. Fac ergo voluntatem patris, vt Chriſti mater ſis. Multæ conceperunt Chriſtum, & non genuerunt: ergo qui parit iuſtitiam, Chriſtum parit; qui parit ſapientiam, Chriſtum parit; qui parturit Chriſtum, verbum parturit.

Amb. — Cur ſic reſpondeat. — Mater Chriſti quæ ſit.

Bed. Mar. 3: Fratres Domini non filij beatæ ſemper virginis Mariæ iuxta Heluidium; nec filij Ioſeph ex alia vxore, iuxta quoſdam, pu-mndi: ſed eorum potius intelligendi ſunt eſſe cognati. Sanè quod Dominus ad matrem, fratreſque rogatus ab officio verbi diſſimulat egredi, non maternæ refutat obſequia pietatis; cuius præceptum eſt: Honora patrem tuum, & matrem: ſed paternis ſe myſterijs amplius, quam maternis debere monſtrat affectibus: idem nobis exemplo, quod verbo commendans, cum ait: Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus. Non inimicoſè fratres contemnit: ſed opus ſpiritale carnis cognationi præferens religioſiorem cordium copulam docet eſſe, quam corporum. Myſticè autem, mater, & fratres Ieſu, ſynagoga ex cuius carne eſt editus, & populus eſt Iudæorum, qui Saluatore intus docente venientes intrare nequeunt: cuius ſpiritualiter intelligere dicta negligunt. Præoccupans enim turba eius ingreditur domum, eius auſcultatura ſermonibus, vt Euangeliſta Matthæus declarat: quia differente Iudæa, Gentilitas confluxit ad Chriſtum, atque interna vitæ myſteria quanto fide vicinior, tanto mente capacior hauſit. Iuxta quod Pſalmiſta ait: Accedite ad eum, & illuminamini. Intus verbum, intus eſt lumen. Vnde alibi: Vt intrantes, inquit, videant lumen. Si ergo foris ſtantes, nec ipſi agnoſcuntur parentes, & propter noſtrum fortaſſe non agnoſcuntur exemplum, quemadmodum nos agnoſcemur, ſi foris ſtemus? foris enim ſtantes volunt Dominum videre cognati ipſius, quum Iudæi ſpiritalem in lege ſenſum non quærentes ſeſe ad cuſtodiam litteræ foris fuerunt, & quaſi Chriſtum potius ad carnalia docenda cogunt exire, quam ſe ad diſcenda ſpiritualia conſentiunt ingredi. Cum is, qui voluntatem Dei fecerit, ſoror, & frater Domini dicitur, propter vtrumque ſexum, qui ad fidem colligitur, mirum non eſt: mirandum verò valde eſt, quomodo etiam mater dicatur. Fideles etenim diſcipulos fratres vocare dignatus eſt, dicens: Ite, nunciate fratribus meis. Qui ergo frater Domini fieri ad fidem veniendo potuerit, quærendum eſt, quomodo etiam mater eſſe poſſit. Sed ſciendum eſt nobis, quia qui Ieſu frater, & ſoror eſt credendo, mater efficitur prædicando, quaſi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit. Et mater eius efficitur ſi per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur. Et Luc. 8: Tota vitæ cœleſtis perfectio, duobus his comprehenditur verbum, ſcilicet, Dei audire, & facere: vnde Dominus parabolam ſeminis exponens, ait, eos qui auditu tantum verbum ſuſceperint, terram eſſe reprobam: bonam vero eos, qui in corde bono, & optimo, verbum quod audiunt, retineant, & fructum afferant in patientia. Qui mater Domini vocantur, eo quod illum quotidie ſuo vel exemplo, vel dicto quaſi pariant in mente proximorum. Fratres quoque ſunt eius, cum & ipſi faciunt voluntatem Patris eius, qui in cœlis eſt. Et Matt. 12: Non ſimpliciter vt æſtimatur, ſed cum dolo matrem, & fratres foris ſtare perhibebat, cupiens explorare, vtrum præponeret maternum affectum prædicationis officio. Non quaſi neſciens interrogat, aut matrem, & materteræ filios deſpiciens: quia in lege iubebat patrem, & matrem honorare: ſed oſtendere volens maiorem eſſe ſpiritalem propinquitatem, quam carnalem. Sicut alibi dixit diſcipulis ſuis: Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus. Myſticè verò mater ſynagoga, & Iudæi foris ſtare dicuntur; quia credente Gentilitate, intrare in fidem Chriſti nequibant. Sed interrogat aliquis quomodo populus Gentilis voluntatem Patris faciēs, mater Chriſti fieri poſſit: ſed quia credendo fratres, & ſorores efficiuntur, procul dubio mater fit prædicando, quando alios Deo doctrinis ad fidem generat.

Bed. Fratres Domini qui — Duodecim hic notat Beda — Cur non exeat, & ſic reſpondeat. — Allegoria. — Chriſti frater, & ſoror, — Quomodo fideles ſūt mater Chriſti. — Bed. — Allegoria.

Not. 5.

HIERON. Matt. 13: Occupatus erat Dominus in opere ſermonis, in doctrina populorum, in officio prædicandi: mater, & fratres veniunt, & foris ſtant, & ei deſiderant loqui: tunc quidam nunciat Saluatori, quod mater ſua, & fratres ſtent foris, quærentes eum. Videtur mihi iſte, qui nunciat, non fortuito, & ſimpliciter nunciare, ſed inſidias tendere Saluatori, vtrum ſpirituali operi carnem, & ſanguinem præferat. Vnde & Dominus, non quod negaret matrem, & fratres, exire contempſit: ſed quod reſponderet inſidianti, extendens manum in diſcipulos, ait: Ecce mater, &c. Iſti ſunt mater mea, qui me quotidie in credentium animis generant. Iſti ſunt fratres mei, qui faciunt opera Patris mei. Non ergo iuxta Marcionem, & Manichæū matrem negauit, vt natus de phantaſmate putaretur; ſed Apoſtolos cognationi prætulit, vt & nos, in comparatione dilectionis, carni ſpiritum præferamus. Quidam fratres Domini de alia vxore Ioſeph filios ſuſpicantur, ſequentes deliramenta apocryphorum, & à quadam eſca muliercula confingentes. Nos autem, ſicut in libro, quem contra Heluidium ſcripſimus, continetur, fratres Domini non filios Ioſeph, ſed conſo-

Hier. — Matrē non negat — Cur Dominus non exeat.

conſobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus, materteræ Domini, quæ eſſe dicitur mater Iacobi minoris, & Ioſeph, & Iudæ, quos in alio Euangelij loco, fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem conſobrinos dici omnis

Allegoria. ſcriptura demonſtrat. Dicamus & aliter. Saluator loquitur ad turbas, intrinſecus erudit nationes. Mater eius, & fratres, hoc eſt, ſynagoga, & populus Iudæorum foris ſtant, & intrare deſiderant, & ſermone eius indigni fiunt. Cumque rogauerint, & quæſiuerint, & nuncium miſerint reſponſum accipiunt: liberi eos eſſe arbitrij, & intrare poſſe ſi velint, & ipſi credere: qui tamen intrare non poterunt, niſi alios rogauerint.

Hilar. Hilar. can. 12. in Matth: Quia totum iſtud in paterna maieſtatis virtute loqueretur nuncianti ſibi, quod foris à matre atque à fratribus expectaretur, manũ in diſcipulos extendens, eos ſibi fratres eſſe, matremque reſpondit: Quicunque voluntati paternæ obſecutus eſſet, eum eſſe & fratrem, & ſororem, & matrem; formam ſeipſum vniuerſis agendi, ſentiendique conſtituens: propinquitatum omnium ius, atque nomen iam non de conditione naſcendi; ſed de Eccleſiæ communione retinendum. Cæterum non faſtidioſè de matre ſua ſenſiſſe exiſtimandus, cum ipſi in paſſione poſitus maximæ ſollicitudinis tribuerit affectum. Eſt etiam in eo topica ratio ſeruata, vt mater eius, & fratres foris ſtarent, cum vtique ingrediendi ad eum haberent, vt cæteri, poteſtatem. Sed quia in ſua venit, & ſui eum non receperunt, in matre eius ac fratribus ſynagoga, & Iſraëlitæ præfigurantur, ingreſſu eius, atque aditu abſtinentes.

(Cur Christus non ... reſpondeat.) (De matre non faſtidioſe ſenſit.) (Allegoria.)

Tert. Tertull. lib. de carne Chriſti cap. 7: Quotiens de natiuitate contenditur, omnes qui reſpuunt eam, vt præiudicantem de carnis in Chriſto veritate ipſum Deum volunt negare eſſe natum, quod dixerit: Quæ mihi mater, & qui mihi fratres? Audiat igitur & Apelles quid iam reſponſum ſit à nobis Marcioni, eo libello, quo euangelium ipſius prouocauimus; conſiderandum ſcilicet materiam pronunciationis iſtius. Primò quidem nunquam quiſquam annunciaſſet illi matrem, & fratres eius foris ſtare, qui non certus eſſet habere illum matrem, & fratres, & ipſos eſſe, quos tunc nunciabat, vel retro cognitos, vel tunc ibidem compertos.

(Luc. 8. Matrem & fratres Chriſtus vere habuit.)

Greg. Greg. hom. 3. in Euang: Ieſus conditor, & Redemptor noſter matrem ſe noſſe diſſimulat: & quæ ei mater ſit, & qui propinqui: non per cognationem carnis, ſed per coniunctionem ſpiritus deſignat, dicens: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt: ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. Quibus verbis nobis, quid aliud innuit, niſi quod obſequentes iuſſionibus ſuis multos ex Gentilitate colligit: & Iudæam, ex cuius carne eſt genitus, non agnoſcit? vnde eſt mater eius, cum quaſi non agnoſcitur foris ſtare perhibetur: quia videlicet ſynagoga idcirco ab authore ſuo non recognoſcitur: quia legis obſeruationes tenens

(Cur ſic reſpondeat.) (Allegoria.)

ſpiritalem intellectum perdidit, & ſeſe ad cuſtodiam literæ foris fixit. Sed cum is, qui voluntatem Patris fecerit, ſoror, & frater Domini dicitur; propter vtrumque ſexum, qui ad fidem colligitur, mirum non eſt: mirandum verò valde eſt, quomodo etiam mater dicatur. Fideles enim diſcipulos, fratres vocare dignatus eſt, dicens: Ite, nunciate fratribus meis. Qui ergo frater Domini fieri, ad fidem veniendo, potuerit: quærendum eſt quomodo etiam & mater eſſe poſſit. Sed ſciendum nobis eſt, quia qui Chriſti ſoror, & frater eſt credendo, mater efficitur prædicando. Quaſi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit. Et mater eius prædicando efficitur: ſi per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur.

(Soror, & frater.) (Quomodo mater.)

Nor. 6.

Aug. AVG. lib. de Fide contra Manichæos cap. 25: Sed dicunt: Quare ergo negauit matrem ſuam, quando ei dixit: Quid mihi, & tibi eſt mulier? & quando cum ei nunciaſſet, quod eum vellet videre, reſpondit: Quæ eſt mater mea, aut qui ſunt fratres mei? ac hos potius in hunc effectum cooptauit, qui facerent voluntatem patris eius? quia exemplo ſuo iam docebat negandos eſſe terrenos parentes, propter Deum. Opera enim diuina facienti terrenus affectus obſtrepere non debebat: nam ſi propterea non habebat matrem, quia negauit matrem; nec Petrus, & cæteri Apoſtoli habebant patres; quia monuit eos dicens: Et patrem ne vocaueritis vobis ſuper terram. Vnus eſt enim pater veſter, qui in cælis eſt. Quod ergo eos monuit de patre terreno, hoc de matre prior fecit. Et lib. de ſancta virginitate cap. 3: Quæ eſt mater mea, aut qui ſunt, &c. quid aliud nos docens, niſi carnali cognationi genus noſtrum ſpiritale præponere: nec inde beatos eſſe homines, ſi iuſtis, & ſanctis carnis propinquitate iunguntur; ſed ſi eorum doctrinæ, ac moribus obediendo, atque imitando cohæreſcant? beatior ergo Maria percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti. Fratribus eius, id eſt, ſecundum carnem cognatis; materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde, quam carne geſtaſſet. Et cap. 5: Et ipſæ virgines cum Maria, matres Chriſti ſunt, ſi patris eius faciunt voluntatem. Hinc enim & Maria laudabilius, atque beatius Chriſti mater eſt, ſecundum ſupra memoratam eius ſententiam: Quicunque facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe mihi frater, & ſoror, & mater eſt. Has ſibi omnes propinquitates in populo, quẽ redemit ſpiritualiter exhibet: Fratres, & ſorores habet ſanctos viros, & ſanctas fœminas, quoniã ſunt illi in cœleſti hæreditate cohæredes, mater eius eſt tota Eccleſia, quia membra eius, id eſt, fideles eius per Dei gratiam ipſa vtique parit. Item mater eius eſt omnis anima pia, faciens voluntatem Patris eius, fœcundiſſima charitate, in ijs, quos parturit, donec in ijs ipſe formetur. Maria ergo faciens voluntatem Dei corporaliter

(Cur ſic reſpondeat.) (Aug.) (Cur ſic reſpõdeat.) (Fratres qui.) (Aug.) (Frater, & ſoror Chriſti.) (Mater Chriſti.)

poraliter Chriſti tantummodo mater eſt; ſpiritualiter autem & ſoror, & mater. Et cap.6: Et coniugatæ quippe fideles fœminæ, & virgines Deo dicatæ, ſanctis moribus, & charitate, de corde puro, & conſciéntia bona, & fide non ficta, quia voluntatem Patris faciunt Chriſti, ſpiritaliter matres ſunt. Quæ autem coniugali vita corporaliter pariunt, non Chriſtum, ſed Adam pariunt: & ideo currunt vt ſacramentis imbuti Chriſti membra fiant partus earum, quoniam quid pepererint norunt. Et lib. 2. de ſer. Domini in monte cap.11: Nam fieri voluntatem Dei cum obtemperatur præceptis eius, ipſe Dominus dicit, cum ait: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui me miſit. Et ſæpe: Non veni facere voluntatem meam; ſed eius, qui me miſit. Et cum ait: Ecce mater mea, & ecce fratres mei, & quicunque fecerit voluntatem Dei, hic mihi eſt frater, & mater, & ſoror. Qui enim faciunt voluntatem Dei, in illis vtique fit voluntas Dei. Non quia ipſi faciunt, vt vult Deus; ſed quia faciunt, quod ille vult, id eſt, ſecundum voluntatem eius. Et epiſt. 38: Itane matrem terrenam non habebat imperator tuus? qui tamen cum ei nunciaretur agenti cœleſtia, reſpondit: Quæ mihi mater, aut qui fratres? & extendens manum in diſcipulos ſuos dixit, non pertinere ad cognationem ſuam, niſi qui facerent voluntatem patris eius. In quo numero profectò etiam ipſam ſanctam Mariam benignus incluſit: faciebat enim & illa voluntatem patris eius. Ita optimus magiſter, atque Dominus, & maternum nomen, quod ei quaſi priuatum, propriumque nunciauerant, quia terrenum erat in comparatione cæleſtis propinquitatis, abiecit: & eandem cœleſtem propinquitatem in diſcipulis ſuis commemorans, quo ſibi rurſum conſortio generis, cum cæteris ſanctis virgo ſancta cohæreret oſtendit. Et ne iſto ſaluberrimo magiſterio, quo contemni carnalem affectum in parentibus docuit, adminiculum error acciperet, quo matrem habuiſſe à quibuſdam negatur, alio loco diſcipulos monuit, ne ſe Patrem in terris dicant habere: vt quomodo illos manifeſtum eſt habuiſſe patres, ſic ſe habuiſſe matrem manifeſtaret; cuius tamen terrena cognatione contempta, contemnendarum talium neceſſitudinum diſcipulis præberet exemplum. Vide quæ Ber. habet, & Iuſt. martyr cap. 21.

Aug.
Mater Chriſti.
Aug.
Voluntatẽ Dei facere quid ſit.
Ioan. 4 & 16.
Aug. Chriſtus matrem agnoſcit.
Cur ita reſpondeat.
Chriſtus ſaluberrimo magiſterio & exemplo carnalem affectum ad parentes ...
Mater ... negata.
Bern. Iuſt.

Cap. 60. *Parabola ſeminantis.*

Matt. 13.	*Mar. 4.*	*Luca 8.*	*Ioan.*
1 [IN illo die exiens Ieſus de domo ſedebat ſecus mare.	1 [ET iterum cœpit docere ad mare.	*Domin. in Sexag.*	
2 Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ.	2 Et congregata eſt ad eum turba multa.	2 c.67.) + CVm autem turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad eum.	
3 Ita vt in nauiculam aſcendens ſederet: & omnis turba ſtabat in littore.	3 Ita vt nauim aſcendens, ſederet in mari: & omnis turba circa mare ſuper terram erat.		
4 Et locutus eſt eis multa in parabolis, dicens: Ecce exijt, qui ſeminat, ſeminare.	4 Et docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina ſua: Audite, ecce exiit ſeminans ad ſeminandum.	4 Dixit per ſimilitudinem: Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum.	
5 Et dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea.	5 Et dum ſeminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt illud.	5 Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & cõculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud.	
6 Alia autem ceciderũt in petroſa, vbi non habebant terram multam, & continuò exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ: ſole autem orto æſtuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt.	6 Aliud verò cecidit ſuper petroſa, vbi non habuit terram multam, & ſtatim exortum eſt, quoniam non habebat altitudinem terræ: & quando exortus eſt ſol, exæſtuauit: & eo quod non habebat radicem, exaruit.	6 Et aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.	
7 Alia autem ceciderũt	7 Et aliud cecidit in ſpi-	7 Et aliud cecidit inter	

in ſpi-

Mat. 13.		*Mar. 4.*		*Luc. 8.*	*Ioan.*
in ſpinas; & creuerunt ſpinæ, & ſuffocauerunt ea.		nas; & aſcenderunt ſpinæ, & ſuffocauerunt illud, & fructum non dedit.		ſpinas; & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud.	
Alia autem ceciderũt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum.	8	Et aliud cecidit in terram bonam:& dabat fructum aſcendentem, & creſcentem, & afferebat vnum triginta, vnum ſexaginta, & vnum centum.	8	Et aliud cecidit in terram bonam:& ortum,fecit fructum centuplum.	
9 Qui habet aures audiendi, audiat.	9	Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat.	9	Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiẽdi, audiat.	
10 Et accedentes diſcipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?	10	Et cùm eſſet ſingularis, interrogauerunt eum hi,qui cum eo erant duodecim parabolam.	10	Interrogabant autem eum diſcipuli eius, quæ eſſet hæc parabola.	
11 Qui reſpondens, ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum: illis autem nõ eſt datum.	11	Et dicebat eis: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei.	11	Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei.	
12 Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.	1	Infra.	1	Infra.	
13 Ideo in parabolis loquor eis: Quia videntes non vident; & audientes non audiunt, neque intelligunt.	13	Illis autem, qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt, vt videntes videant, & non videant;& audientes audiant, & nõ intelligant.	13	Cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant; & audientes nõ intelligant.	
14 Et adimpletur in eis prophetia Iſaię dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non videbitis.					
15 Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerũt; nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertãtur, & ſanẽ eos.	15	Nequando conuertãtur, & dimittantur eis peccata.			
16 Veſtri autem beati oculi, quia vident; & aures veſtræ, quia audiunt.					
17 Amẽ quippe dico vobis, quia multi Prophetæ, & iuſti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt.					
	13	Et ait illis: Neſcitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoſcetis?			
19 Vos ergo audite parabolam ſeminantis.			9	Eſt autem hæc parabola.	

Omnis,

	Matt. 13.		*Mar. 4.*		*Luc. 8.*	*Ioan.*
		20	Qui ſeminat, verbum ſeminat.	20	Semen, eſt verbum Dei.	
21	Omnis, qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius: hic eſt, qui ſecus viam ſeminatus eſt.	21	Hi autem ſunt qui circa viam, vbi ſeminatur verbum; & cum audierint, confeſtim venit ſathanas, & aufert verbum, quod ſeminatum eſt in cordibus eorum.	21	Qui autem ſecus via, hi ſunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant.	
22	Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud, non habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis. Facta autem tribulatione, & perſecutione propter verbum, continuò ſcandalizatur.	22	Et hi ſunt ſimiliter, qui ſuper petroſa ſeminantur: qui cùm audierint verbum, ſtatim cum gaudio accipiunt illud, & non habent radicem in ſe, ſed tēporales ſunt. Deinde orta tribulatione, & perſecutione propter verbum, confeſtim ſcandalizantur.	22	Nam qui ſupra petram, qui cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices no habent: quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.	
23	Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum audit, & ſollicitudo ſeculi iſtius, & fallacia diuitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur.	23	Et alij ſunt, qui in ſpinis ſeminantur: hi ſunt, qui verbum audiunt, & ærumnæ ſeculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes, ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur.	23	Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt, qui audierunt, & à ſollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ, euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum.	
24	Qui verò in terram bonam ſeminatus eſt: hic eſt, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert; & facit, aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.	24	Et hi ſunt, qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt, qui audiunt verbum, & ſuſcipiunt, & fructificāt, vnum triginta, vnum ſexaginta, & vnum centum.	24	Quod autem in bonam terram, hi ſunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. ✠	
		25	Et dicebat illis: Nunquid venit lucerna vt ſub modio ponatur, aut ſub lecto? nonne vt ſuper candelabrum ponatur?	25	Nemo autem lucernam accendens, operit eam vaſe, aut ſubtus lectum ponit: ſed ſupra candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen.	
		26	Non eſt enim aliquid abſconditum, quod non manifeſtetur, nec factum eſt occultum; ſed vt in palam veniat.	26	Non eſt enim occultum quod non manifeſtetur, nec abſconditum quod non cognoſcatur, & in palam veniat.	
		27	Si quis habet aures audiendi, audiat.			
		28	Et dicebat illis: Videte quid audiatis.	28	Videte ergo quomodo audiatis.	
		29	In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adiicietur vobis.			
12	Supra.	12	Qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.	12	Qui enim habet, dabitur illi: & quicunque non habet, etiam quod putat ſe habere, auferetur ab illo. (Venerunt autem ad illum. c. 59.	

Not. 1.

Aug.

AVGVST. lib. 2. de conſenſu cap. 41: Sequitur Matthæus: In illo die exiens Ieſus de domo, ſedebat ſecus mare, & congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, &c. vſque ad illud, vbi ait: Qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. Poſt illud quod narratum eſt, de matre, & fratribus Domini, hoc continuo geſtum eſſe, & eum ordinem Matthæum etiam in narrando tenuiſſe, ea res inſinuat, quia cum illuc tranſiret, ita contexuit, vt diceret: In illo die exiens Ieſus de domo, ſedebat ſecus mare, & congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ. Cum enim dicit: In illo die, niſi fortè dies more ſcripturarum tempus ſignificet, ſatis indicat, aut hoc conſequenter geſtum, aut non multa interponi potuiſſe, maximè quia & Marcus eum ordinem tenet. Lucas autem poſt illud, quod narrat de matre, & fratribus Domini, in aliud tranſit, nec eo tranſitu connectionem aliquam facit, quæ huic ordini repugnare videatur. Omnium ergo horum, quæ Matthæus Dominum locutum eſſe narrauit, quæ cum illo dixerunt Marcus, & Lucas, non habent repugnantiæ quæſtionem. Quæ autem ipſe ſolus dixit, multo magis ſine controuerſia ſunt. Nec in ipſo ordine, quamuis aliquanto diuerſum alius alium teneat, partim geſtarum rerum, partim recordationis ſuæ, video quid vel cui quiſque aduerſetur.

Ratio diſpoſitionis. — In illo die. — Lucas te[...] ne[...] ordinem. — A tribus Euangeliſtis hoc narrari.

Ratio diſpoſitionis.

Ingruentibus turbis, ex nauicula Chriſtus multa parabolicè concionatur: & quoniam parabolas, quæ iſto capite, & aliquot ſequentibus continentur, Matthæus, ſimul & Marcus. Superioribus proximè ſubiungunt; Et Matthæus dicit: In illo die; omnino apparet hæc eodem die conſequenter eſſe geſta. Et iſta quidem inſignis parabola ſeminantis, quæ prima eſt omnium, quæque paulò antequam ſecundò Chriſtus Galilæam obiret, dicta erat, cum eo pulchrè, quod de verbo Dei audiendo præceſſit, cohæret, & optimam connectionem habet cum eo, quod mox dictū eſt à Domino de beatitudine eorum, qui voluntatem Dei faciunt, & auditum Dei verbum etiam cuſtodiūt. Alio itaque loco melius collocari non potuit. Nam & Lucas hæc etiam coniunxit, quanquam diuerſo ab alijs duobus Euangeliſtis ordine. Hanc enim parabolam ſtatim poſt anticipatum circuitum collocat, ita vt cum eo circuitu proximè ſequatur hiſtoriam peccatricis mulieris: curationem verò dæmoniaci; aduentumque matris, & fratrum poſt eandem parabolam deſcripſit.

Greg.

Greg. hom. 15. in Euang. Planè ſentit hanc parabolam eſſe eandem apud Luc. & Matth. cum enim tractet hoc Euangelium ex Luca, ait Dominum hoc in loco, alio Euangeliſta atteſtante, diuitias appellare fallaces. Itaque hunc locum, ſeu hanc parabolam non ſolus Lucas, ſed etiam Matthæus, & Marcus deſcribit. Nazianzenus orat. 13. præſupponit eandem hanc parabolam à diuerſis narrari Euangeliſtis, qui diuerſo ordine ponunt illos numeros, 30. 60. 100. Teſtatur etiam Euth. Matth. 13. Mar. 4. & Luc 8. eandem deſcribi à tribus Euangeliſtis parabolam. Sic etiam Ammo. Alexand. in harmonia Euangelica.

Naz. — Eu. — Ammo.

Not. 2. verſ. 3. & ſeq.

Bern.

BERN. ſerm. de S. Benedicto: De Domino legimus, quia exijt ſeminare ſemen ſuum. Ecce & hic habemus ſemen ſuum, ſicut & prius fructum ſuum. Quam multi ſeminauerunt in te, & quam precioſum ſemen! quam malè peribis, & quam merito, ſi perierit in te tantum ſemen, ſimul & ſeminantium labor? Cui perditioni tradetis ab agricola, ſi in te perierint hæc vniuerſa? ſeminauit in terra noſtra tota Trinitas, ſeminauerunt Angeli, pariter & Apoſtoli, ſeminauerunt Martyres, & Confeſſores, & Virgines. Seminauit & filius: ipſe enim eſt, qui exijt ſeminare ſemen ſuum. Pater enim non exijt; ſed filius à Patre proceſſit, & venit in mundum: vt qui prius erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipſe pax noſtra in vtero matris. Seminauit & Spiritus ſanctus: quia & ipſe venit, & apparuerunt diſcipulis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis. Hæc tota Trinitas ſeminauit, Pater, ſcilicet, panem de cœlo; Filius veritatem; Spiritus ſanctus charitatem. Angeli quoque ſeminauerunt, quando cadentibus alijs ipſi ſteterunt.

Qui ſeminauit. — Ne pereat ſemen cauendum. — Qui ſeminant. — Exijt.

Vict.

Victor Antioch. Mar. 4: Non dicit qui ſementem faciebat ſemen iuxta viam ſparſiſſe: ſed ſemen ipſum iuxta viam cecidiſſe.

Aug.

Aug. ſerm. 42. de Sanctis: Seminatum eſt enim ab Apoſtolis, & Prophetis. Ipſe Dominus ſeminauit. Ipſe enim in Apoſtolis fuit: quia & ipſe meſſuit Chriſtus. Non enim illi aliquid ſine illo, ille perfectus eſt ſine illis. Ipſe enim illis ait: Quia ſine me nihil poteſtis facere. Seminans ergo Chriſtus iam in gentibus quid dicit? Exijt ſeminans ſeminare. Ibi mittuntur meſſores metere, hic exijt, ſeminans ſeminare impiger. Quid enim pertimuit, quod aliud cecidit in via, aliud in petroſa loca, aliud inter ſpinas? Si iſtas difficiles terras timeret, ad terram bonam non perueniret. Quid ad nos? quid nobis eſt iam de Iudæis diſputare, & loqui de palea? Hoc ſolum ad nos, ne via ſimus, ne ſaxum, ne ſpinæ; ſed terra bona. Paratum cor meum, vnde tricenum, vnde ſexagenum, vnde millenum, & centenum: Illud minus eſt, & illud plus eſt; ſed totum triticum eſt. Via non ſit, vbi conculcatum ſemen à tranſeuntibus, velut auis, auferat inimicus. Saxum non ſit, vbi modica terra ſtatim faciat germinare, quod non poſſit ſolem portare. Spinæ non ſint, cupiditates ſæculi, ſolicitudines vitæ vitioſæ. Quid enim peius ſolicitudine vitæ, quæ peruenire non permittit ad vitam? Quid miſerius, quam curando vitam, amittere vitam? Quid infælicius quam timendo mortem, cadere in mortem? extirpentur ſpinæ, paretur ager, ſuſcipiantur ſemina, perueniatur ad meſſem, horreum deſideretur, non ignis timeatur. Et de quarta feria cap. 26: Sed quoniam nos Dominus, atque paterfamilias noſter

Qui ſeminauit. — Quid non timendum ſeminanti. — Quid nobis curandum. — Aug.

Vbique ſeminandum.

p[o]ſſim, & ſine vlla diſcretione cuiuſlibet glebæ, ſemen verbi ſui iacere præcepit (inducit enim in Euangelio huius miniſtri ſimilitudinem, & dicit: Ecce exijt ſeminans ſeminare, & dum ſeminat, aliud cecidit inter ſpinas, aliud in via, aliud in petroſa, aliud in terram bonam) cum demonſtraret quæ eſſet ſpinoſa terra, homines videlicet qui verbum Dei ſpinis cupiditatum præfocant tantum ſemen, & non reddunt fructus iuſtitiæ. Similiter de alia terra petroſa, atque conculcata via, ſuæ ſimilitudinis propoſitæ reddens rationem, ad terram bonam peruenit, & ait: Quod autem cecidit in terram bonam, hi ſunt, qui cum acceperint verbum Dei, cuſtodiunt illud, & faciunt; quia non auditores legis iuſti ſunt apud Deum; ſed factores legis iuſtificabuntur. Non ergo nos, dilectiſſimi, aut timor ſpinarum, aut ſaxa petrarum, aut duriſſima via perterreat, dum tamen ſeminantes verbum Dei ad terram bonam tandem aliquando peruenire poſſimus.

Quid non timendum ſeminanti.

Paul. Pauli. epiſt. 28: Gratias Deo, quod non iuxta viam de manu ſerentis excidimus; ſed in ipſa potius via ſeminati ſumus, id eſt, in Catholicæ matris gremio conſtituti.

Not. 3. ver. 5.

Greg. Volucres in malum. GREG. lib. 19. Moral. cap. 1: In ſcriptura ſacra volucres aliquando in malo, aliquando in bono dantur intelligi. Per volucres quippe nonnunquam poteſtates aëreæ deſignantur, bonorum ſtudijs aduerſæ. Vnde Veritatis voce dicitur: Quoniam ſemen quod ſecus viam cecidit, venerunt volucres, & comederunt illud; quia nimirum maligni ſpiritus, humanas mentes obſidentes, dum cogitationes noxias ingerunt verbum vitæ à memoria euellunt. Hinc rurſum cuidam diuiti, ſuperba ſapienti, dicitur: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis nō habet, vbi caput ſuum reclinet. Vulpes valde fraudulenta ſunt animalia, quæ in foſſis, vel ſpecubus ſe abſcondunt: cumque apparuerint, nunquam rectis itineribus, ſed tortuoſis anfractibus currunt. Volucres verò, vt nouimus, alto volatu ſe in aëra ſubleuant. Nomine ergo vulpium, doloſa, atque fraudulenta: nomine autem volucrum hæc eadem ſuperba dæmonia deſignantur. Ac ſi dicat: Fraudulenta, & elata dæmonia in corde veſtro, id eſt, in cogitatione ſuperbiæ inueniunt habitationem ſuam: filius autem hominis vbi caput ſuum recliner, non habet; id eſt, humilitas mea requiem in ſuperba mente veſtra non inuenit. Quaſi enim quodam volatu volucris illa prima ſe extulit, quæ per elatam cogitationem dixit: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ero ſimilis Altiſſimo. Ecce quam alta, ſuperbè volando, petijt. Quem etiam volatum, & primis hominibus perſuaſit. Ipſi quippe volando, quaſi ſuper ſe ire conati ſunt, quando eis dictum eſt, vt guſtarent, & eſ-

Semen vt volucres comedant. cap. 34

Vulpes quales, & volucres.

Eſa 14

ſent ſicut Dij. Cumque ſimilitudinem diuinitatis appetunt, immortalitatis munera perdiderunt. Qui in terram moriendo non iſſent, ſi ſuper terram humiliter ſtare voluiſſent. At contra in bono volucres poni ſolent; ſicut in Euangelio Dominus cum ſimilitudinem regni cœleſtis, & grano ſinapis denunciaret, dixit: Cui ſimile eſt regnum Dei, & cui ſimile æſtimabo illud? ſimile eſt grano ſinapis, quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, & creuit, & factū eſt in arborem magnam, & volucres cęli requieuerunt in ramis eius. Ipſe quippe eſt granum ſinapis, qui in horti ſepultura plantatus arbor magna ſurrexit. Granum namque fuit, cum moreretur, arbor cum reſurgeret. Granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam maieſtatis. Granum quia vidimus eum, & non erat aſpectus, arbor autem, quia ſpecioſus forma præ filijs hominum. Et lib. 26. Moral. cap. 13: Sicut iumentorum vocabulo ſignatur vita hominum carnis adhuc motibus ſubditorum, ita appellatione volucrum figuratur elatio ſpirituum ſuperborum: vt per iumenta quidem terreni homines; per volucres dæmonia deſignentur. Vnde cum ſemina Dominus iuxta viam diceret cecidiſſe, ſubiungit: Venerunt volucres cœli, & comederunt ea, nimirum per volucres ſignans aëreas poteſtates.

Volucres in bonum. Cap 13. Greg. Quid per volucres ſignificetur.

Not. 4. verſ. 6.

GREG. lib. 34. Moral. cap. 7: In ſcriptura ſacra cum figuratè ſol ponitur aliquando Dominus, aliquando perſecutio, aliquando de re qualibet manifeſtæ viſionis oſtenſio, aliquando autem intelligentia ſapientium deſignatur. Per ſolem quippe Dominus figuratur, ſicut Sapientiæ lib. perhibetur, quod omnes impij in extremi die iudicij, cognita ſua damnatione, dicturi ſunt: Errauimus à via veritatis, & lumen iuſtitiæ non luxit nobis, & ſol non eſt ortus nobis. Ac ſi apertè dicant, interni nobis luminis radius non refulſit. Vnde & Ioannes ait: Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius. In ſole verò illuſtratio veritatis, in luna autem, quæ menſtruis ſupplementionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta autem Eccleſia, quia ſuperni luminis ſplendore protegitur, quaſi ſole veſtitur: quia verò cuncta temporalia deſpicit, lunam ſub pedibus premit. Rurſum ſole perſecutio deſignatur; ſicut in Euangelio Veritas dicit: Quod nata ſine radicibus ſemina, orto ſole aruerunt: quia videlicet verba vitæ in corde terrenorum hominum temporali momento virentia ſuperueniente perſecutionis ardore ſiccantur. Rurſum ſole manifeſtæ viſionis oſtenſio deſignatur, ſicut Propheta Dominum cunctorum oculis apparentem denunciat, dicens: In ſole poſuit tabernaculum ſuum, ac ſi diceret: humanitatis aſſumptæ ſacramentum in lumine manifeſtæ viſionis oſtendit. Et ſicut eidem prophetæ diuina voce per Nathan dicitur: Tu feciſti in abſcondito, ego vero faciam

Greg. Solis nomen ſignificata. 1 Sap 5. Apoc 12 2 3 Pſal. 19

ciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu ſolis. Quid enim per conſpectum ſolis, niſi cognitionem inſinuat manifeſtæ viſionis? Rurſum ſolis nomine ſapientium intellectus exprimitur: ſicut in Apocalypſi ſcriptum eſt: Quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem, & datum eſt illi æſtu afficere homines, & igni; phialam videlicet, in ſolem effundere, eſt perſecutionis ſupplicia viris ſapientiæ ſplendore fulgentibus irrogare, & datum eſt illi vt afficeret homines æſtu, & igni: quia dum ſapientes viri cruciatibus victi, male agendi errore, tanguntur, illorum exemplo perſuaſi infirmi quique temporalibus deſiderijs inardeſcunt. Ruinæ namque fortium, augmenta præſtant perditionibus infirmorum. Quia ſole acumen ſapientiæ deſignatur, per comparationem quoque à Salomone dicitur: Sapiens vt ſol permanet, ſtultus vt luna mutatur.

2 Reg. 12. — Apoc. 16 — Eccl. 27.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 372: Pulchrè quidem cœpiſti fortis animi ſpecimen exhibere: at non item nunc quoque vt ad nos affertur. Verum ſimilis es eis, quæ in petra ſata ſunt, ac ſtatim quidem exorta ſunt, verùm fructuum tempore oblanguerunt ac defecerunt. Atqui oportet eum, qui monaſtici certaminis cupiditate flagrat, ad ipſius ſubiectionem, tanquam ad turris extructionem accedere, ne alioqui, cùm præclarè ac magnificè cœperit, nec poſtea ad idem virtutis iter ſeſe extenderit, & dæmonibus riſum moueat, & Angelis mœroris cauſam præbeat, & hominibus lacrymarum materiam ſuppeditet.

Iſidor.

Not. 5. verſ. 8.

Paul.

PAVLI. epiſt. 28: Iam triceſimum fructum de veſtra inter vos continentia proferentes, & quotidianis fidei communis augmentis ſexageſimo propinquantes, & de prole virginea centeſimum pollicentes, &c.

Auguſt. lib. de ſancta virginitate cap. 44: Itane trepidabit ſanctam virginitatem etiam caſtis nuptijs, & continentiam præferre connubio; fructum centenum præire triceno? Imo verò non dubitet hanc rem illi rei præponere. Et cap. 45: Certè niſi adſit tentatio, nulla doni huius virginitatis fit demonſtratio. Hoc autem tam magnum eſt, vt eum fructum centenum quidam intelligant. Perhibet enim præclariſſimum teſtimonium Eccleſiaſtica authoritas, in qua fidelibus notum eſt, quo loco martyres, & quo defunctæ ſanctimoniales ad altaris ſacramenta recitentur. Sed quidquid ſignificet fæcunditatis illa diuerſitas, viderint qui hæc melius, quam nos intelligunt, ſiue virginalis vita in centeno fructu ſit, in ſexageno vidualis, in triceno autem coniugalis: ſiue centena fertilitas martyrio potius imputetur, ſexagena continentiæ, & tricena connubio: ſiue virginitas accedente martyrio centenum fructum impleat, ſola verò in ſexageno ſit, coniugati autem tricenum ferentes ad

Aug. Virginitas coniugio præferēda. Virginitas eſt fructus centenus. — Aug. Virginitas magnum Dei donū eſt. — Triplex diuerſitas fæcunditatis.

ſexagenum perueniant ſi martyres fuerint, ſiue, quod probabilius mihi videtur, quoniam diuinæ gratiæ multa ſunt munera, & eſt aliud alio maius, ac melius. Vnde dicit Apoſtolus: Æmulamini autem dona meliora: intelligendum eſt plura eſſe, quam vt in tres differentias diſtribui poſſint. Primum ne continentiam vidualem, aut in nullo fructu conſtituamus, aut ad coniugalis pudicitiæ meritum deponamus, aut virginali gloriæ coæquemus, aut coronam martyrij, vel in habitu animi, etiamſi deſit tentationis examen, vel in ipſa paſſionis experientia conſtitutam cuilibet illarum trium caſtitati ſine vllo incremento fertilitatis accedere exiſtimemus: deinde vbi ponimus, quod multi, ac multæ ita cuſtodiunt continentiam virginalem, vt tamen non faciant, quæ Dominus ait: Si vis eſſe perfectus, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis, & veni ſequere me. Nec audeant eorum cohabitationi ſociari, in quibus nemo dicit aliquid proprium, ſed ſunt eis omnia communia. Nihilne putamus fructificationis accedere virginibus Dei, cum hoc faciunt, aut ſine vllo fructu eſſe virgines Dei, etiamſi hoc non faciunt? Et cap. 46: Multa ergo ſunt dona, & alijs alia clariora, ac ſuperiora ſingulis ſingula. Et aliquando alter fructuoſus eſt donis paucioribus, ſed potioribus: alter inferioribus, ſed pluribus. Et quemadmodum inter ſe, vel coæquentur, vel diſtinguantur in accipiendis æternis honoribus, quis hominum audeat iudicare, dum tamen conſtet & nulla ita eſſe diuerſa, & non ad præſens tempus, ſed in æternum prodeſſe meliora? ſed Dominum tres arbitror voluiſſe fructificationis commemorare differentias, cæteras intelligentibus reliquiſſe. Nam & alius Euangeliſta ſolum commemorauit centuplum, nunquid ideo putandus eſt alia duo, vel improbaſſe, vel ignoraſſe, ac non potius intelligenda reliquiſſe? ſed, vt dicere cœperam, ſiue centenus fructus ſit Deo deuota virginitas, ſiue alio aliquo modo, vel quem commemorauimus, vel quem non commemorauimus ſit illa fertilitatis intelligenda diſtantia. Nemo tamen, quantum puto, auſus fuerit virginitatem præferre martyrio, ac nemo dubitauerit hoc donum occultum eſſe, ſi examinatrix deſit tentatio.

Dona Dei in plures tribus differentias poſſunt diſtribui. — 1 Cor. 12 — Matt. 19 — Act. 4. — Dominus non omnes fructificationis differētias commemorauit. — Virginitas martyrio non eſt præferēda.

Et lib. 1. Euang. quæſt. cap. 9: Quod dicit aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum, centeſimum martyrum propter ſanctitatem vitæ, vel contēptum mortis. Sexageſimum virginum, propter ocium interius, quia non pugnant contra conſuetudinem carnis: ſolet enim ocium concedi ſexagenarijs poſt militiam, vel poſt actiones publicas. Trigeſimum coniugatorum: quia hęc eſt ætas præliantium: ipſi enim habent acriorem conflictum, ne libidinibus ſuperentur. Et lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 26: Poſſunt etiam multo conuenientius tres illæ vbertates Euangelicæ tricena, ſexagena, centena: vt in infimo habitet pudicitia coniugalis; ſupra vidualis, atque hac ſuperior

Aug. — Virginitas eſt fructus ſexageſimus. — Aug.

Virginitas eſt fructus 100. virginalis:& ſi quid melius,ſecundum fidem ciuitatis huius intelligi & dici poteſt.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 4. in Gen: Videmus non in vanum nec fruſtra nos laborare, ſed quotidie ſemen ſpirituale in nobis creſcere: & non ſicut in Euangelio ſeminanti euenit;ita & nobis contingere. Ibi enim vna tantum pars ſalua fuit, Tres partes ſeminis pereunt. tres perierunt. Quia ſemen quod ſecus viam cecidit, ſterile manſit. & quod inter ſpinas,ſuffocatum eſt: quod autem in petram in ſuperficie manens, fructum afferre nequiuit. Hic in gratia Dei ſpes eſt, omne ſemen in terram bonam cadere, & alios facturos fructum centuplum, alios ſexagecuplum, alios trigecuplum. Hoc noſtram alacritatem fouet, hoc mentem excitat, quod ſcimus non in vanum,nec fruſtra ſermones nos facere: ſed ſobrijs auribus, & intenta mente dicta noſtra accipi. Atque hæc non adulanter charitati veſtræ dico, ſed coniecto alacritatem ex his, quæ fieri à nobis dicta ſunt. Videbam enim vos omnes auidos doctrinæ ab ore meo pendentes, & omnia facientes, ne quid vos dictorum præteriret. Præterea con- Quarta tantũ pars ſeruatur. tinuus plauſus maximè teſtabantur, quod dicta magna voluptate ſuſcipere tis.

Vict. Bona terra fructus inæqualis. Victor Antioch. Mar. 4: Ex toto ſemine quarta dumtaxat pars ſeruantur,ſed neque hoc quoque fructum ex æquo fundit; ſed magno cum diſcrimine.

Not. 6. verſ. 9.

Hier. Aures audiendi. HIERON. Matth. 13: Qui habet aures.) Prouocamur ad dictorum intelligentiam,quoties his ſermonibus commonemur. Hier. Et in Pſal. 77: Attendite populus meus legem meam: non Moyſi legem; ſed legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei, hoc eſt, quod dicit in Euangelio: Qui habet aures audiendi, Hier. audiat. Et Ioel. 1: Auditus enim in ſcripturis ſanctis, non eſt iſte, qui in aure reſonat; ſed qui corde percipitur: iuxta illud quod Dominus loquitur in Euangelio: Qui habet aures audiendi,audiat.

Greg. Aures,oculi duplices Gregor. hom. 14. in Ezech: Sed ſciendum quia oculi, atque aures corporis adſunt etiam carnalibus; eiſque ſunt in vſu rerum, quæ corporaliter videntur. Oculi verò, atque aures cordis ſolummodo ſpiritualium ſunt, qui inuiſibilia per intellectum vident, & laudem Dei ſine ſono audiunt. Has omnipotens Dominus aures quærebat, cum diceret: Qui ha- Aures audiendi. bet aures audiendi,audiat. Quis namque in illo populo eſſe tunc poterat, qui aures corporis non haberet? ſed cum dicitur: Qui habet aures audiendi,audiat:apertè monſtratur,quod illas aures quæreret, quas omnes habere non poterant.

Amb. Aures,& nares duplices. Iob 27. Ambroſ. in Pſalm. 48: Illas aures dicit interioris hominis ſpiritales, cuius & nares legimus dicente Iob: Spiritus diuinus,qui eſt in naribus meis. Non omnes homines has aures, & has nares habent. Alia eſt enim forma corporis, alia gratia ſpiritualis.

Aug. lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. Hoc eſt quod Dominus cum eis loqueretur, qui carnales aures apertas haberent, dicebat tamen: Qui habet aures audiendi, audiat. Quas vtique omnes habere procul dubio nouerat. A quo autem habeant, quicunque habent, ipſe Dominus oſtendit, vbi ait: Dabo eis cor cognoſcendi me, & aures audientes. Aures ergo audiendi ipſum eſt donum obediendi, vt qui illas haberent, venirent ad eum, ad quem nemo venit,niſi fuerit ei datum à patre ipſius. Exhortamur ergo,atque prædicamus;ſed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt: qui vero eas non habent, fit in eis quod ſcriptum eſt, vt audientes non audiant: audientes videlicet corporis ſenſu, non audiant cordis aſſenſu. Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant, hoc eſt, cur illis datum ſit à Patre,vt veniant ad filium, illis autem non ſit datum,quis cognouit ſenſum Domini, aut quis eius conſiliarius fuit.

Not. 7. verſ. 10.

HIER. Matth. 13: Et accedentes diſcipuli.) Quærendum eſt, quomodo accedunt ad eum diſcipuli,cum Ieſus in naui ſedeat:niſi fortè intelligi datur, quod dudum cum ipſo nauim conſcenderint, & ibi ſtantes ſuper interpretatione parabolæ ſciſcitati ſunt.

Ver. 11.

Aug.lib.de bono perſeuerantiæ cap. 14. Quia vobis,inquit,datum eſt,noſſe myſterium regni cœlorum; illis autem non eſt datum. Quorum alterum ad miſericordiam, alterum ad iudicium pertinet illius, cui dicit anima noſtra, Miſericordiam,& iudicium cantabo tibi Domine.

Ver. 12.

Hieron. Matt. 13: Qui enim habet, dabitur, &c.) Non inæqualitate iudicij habentibus additur, & non habentibus, id quod habere videntur, aufertur: ſed quid Apoſtolis in Chriſto habentibus fidem,etiamſi quid minus virtutum habeant,conceditur. Iudæis autem qui non crediderunt in filium Dei,etiamſi quid per naturæ bonum poſſident, tollitur. Neque enim poſſunt aliquid ſapienter intelligere, qui caput non habent ſapientiæ.

Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 1: Nunc verò, cum in illo ſit ſpes peragendi huius operis, à quo nobis in cogitatione multa de hac re iam tradita tenemus, non eſt metuendum ne dare deſinat cætera, cum ea quæ data ſunt, cæperimus impendere. Omnis enim res, quæ dando non deficit, dum habetur, & non datur, nondum habetur quomodo habenda eſt. Ille enim ait: Qui habet,dabitur ei. Dabit ergo habentibus,id eſt,cum benignitate vtentibus eo,quod acceperunt,adimplebit atque cumulabit quod dedit. Illi quinque & illi ſeptem erant panes,antequam inciperent dari eſurientibus: quod vbi fieri cępit,cophinos,& ſportas,

ſaturatis

ſatiatis tot hominum millibus, impleuerunt. Sicut ergo ille panis, dum frangeretur, accreuit; ſic ea, quæ ad hoc opus aggrediendum iam Dominus præbuit, cum diſpenſari cœperint, eo ipſo ſuggerente, multiplicabuntur, vt in ipſo hoc noſtro miniſterio, non ſolum nullam patiamur inopiam, ſed de mirabili etiam abundantia gaudeamus.

Amb. Ambroſ. ſermone 80: Volueram ergo ſubſtrahere vobis Dominicæ prædicationis eloquia; non quod iratus hoc facerem; ſed vt Euangelicam ſententiam cuſtodirem. Ait enim Dominus: Qui habet, dabitur ei: & qui non habet, id quod habet, auferetur ab eo. Habenti ergo dari iuſſit, & non habenti non ſolum non dari, ſed & id quod habet, auferri. Quæ ſententia ſuperflua vobis forſitan videtur: ego autem dico rectè, ac ſapienter Dominum præcepiſſe. Habenti ergo iubet dari. Meretur planè accipere, qui ita laborauit, vt propria ſolicitudine animæ ſuæ diuitias ſpirituales acquireret: vt puta, quis continentiæ forti propoſito, cæpit caſtimoniæ cuſtodire virtutem: meretur audire, quæ caſtitatis remuneratio ſit futura, vt ad virtutis obſeruantiam audiens remunerationis gloriam, facilius poſſit pugnam, quam cœpit atterere. Alius ad miſericordiam promptus, debet audire: quia ipſi miſerebitur Deus: & qui hanc terrenam ſubſtantiam cœleſtibus diuitijs repenſauit, neceſſe eſt, vt auſcultans viciſſitudinem cęleſtium præmiorum promptior, ac libentior opus Domini proſequatur, & ad miſericordiæ quod habet bonum largitatis addat augmentum. Ideo ait Dominus: Qui habet, dabitur ei: hoc eſt, qui diues fuerit bonis operibus, hic magis Euangelica prædicatione ditetur. Cæterum ſi fornicatori prædices, & dicas, quod virgo debeat permanere, & auaro, quod omnia ſua diſtrahere debeat, atque donare, ſtultitia illi eſt. Hanc autem prædicationem ridiculam putat, ſicut ait Apoſtolus: Animalis autem homo, non percipit, quæ ſunt ſpiritus; ſtultitia enim eſt illi: Tale enim eſt ijs prædicare quod perfectum eſt, quale ſi mendicum pannis obrutum holoſerica velis induere, & eſurientem ruſticum placenta delectare. Neceſſe eſt vt ab vtroque recuſetur oblatio. Illi enim diſplicet holoſerica, qui neceſſaria magis frigori veſtimenta deſiderat: huic placenta amara, dum eſcam magis ſaturitatis exquirit. Iſtis ergo perſonis auferenda potius ſunt, quæ ſua ſunt, ſicut ait Euangelium: Etiam id quod habet, auferetur ab eo: hoc eſt, cogendus eſt fornicator pannos ſuæ corruptionis abijcere, compellendus auarus eſt panem ſuæ cupiditatis exponere. Qui enim habet, &c.) Dixit idem Chriſtus alio tempore, loco, & occaſione, vt videte eſt cap. 164.

[Margin: Quomodo ... 1. ſenſ. — ¶ ſenſ. Quomodo tollitur ab eo qui nõ habet. — 1 Cor. 2 — Simile.]

Not. 8 verſ. 13.

Ideo in parabolis, &c.) De hoc loco vide Aug. lib. quæſt. ex Matt. cap. 14.

Ver. 14.

Et adimpleretur in eis prophetia Iſaiæ, &c.) eandem Iſaiæ 6. prophetiam citant etiam Marcus, & Lucas, ver. 13. etiamſi prophetam non exprimant. Eandem quoque in medium adducit Ioannes in hac Euangelica diſpoſitione cap. 147. ſicut & Paulus Actorum 28. & ad Rom. 11. Eſa. 6

Ver. 16.

Veſtri autem beati oculi, &c.) Huic ſimilis eſt locus cap. 105.

Ver. 16. 17.

Hieron. Matth. 13: Niſi ſupra legiſſemus auditores ad intelligẽtiam prouocatos, Saluatore dicente: Qui habet aures audiendi, audiat; putaremus nunc oculos, & aures, quæ beatitudinem accipiunt, carnis intelligi. Sed mihi videntur illi beati oculi, qui poſſunt Chriſti cognoſcere ſacramenta, & quos leuari Ieſus in ſublime pręcepit, vt candentes ſegetes aſpiciãt, & illæ aures beatæ, de quibus Iſaias loquitur: Dominus appoſuit mihi auriculam. Amen quippe dico vobis, quia multi, &c.) Videtur huic loco illud eſſe contrarium, quod alibi dicitur: Abraham cupiuit diem meum videre, & vidit, & lætatus eſt. Non autem dixit: Omnes Prophetæ, & iuſti cupierunt videre, quæ videtis; ſed: Multi. Inter multos poteſt fieri, vt alij viderint, alij non viderint: Licet in hoc periculoſa ſit interpretatio, vt inter ſanctorum merita, diſcretionem quamlibet facere videamur. Ergo Abraham vidit in ænigmate, vidit in ſpecie: vos autem in præſentiarum tenetis, & habetis Dominum veſtrum, & ad voluntatem interrogatis, & conueſcimini ei. Et in cap. 3. epiſt. ad Epheſios: Aliud eſt enim in ſpiritu ventura cognoſcere, aliud ea cernere opere completa. Vnde & Ioannes præterea maior prophetis omnibus dicitur, quia quem cæteri prophetauerunt, ipſe conſpexit, & digito demonſtrauit, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Iuxta quem ſenſum & illud exponi poteſt, multi prophetæ, & iuſti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Hæc vtique videre, & audire cupiebant; quæ futura cognouerant. Quod ſi neſciebant ventura, quomodo deſiderare poterant, quæ penitus ignorabant.

[Margin: Hier. Aures, & oculi duplices. — Io. 4 — Dubium. — Io. 8 — 1 ſolut. — 2 ſol. — Hiero. — cap. 6 — Ioannes cur prophetis omnibus maior.]

Not. 9. verſ. 21. 22.

Hier. Matt. 13: Simul intellige, quod in corde fuerit ſeminatum: & diuerſitas terræ animæ ſint credentium. Attende quod dictum ſit; continuo ſcandalizatur; eſt ergo aliqua diſtantia inter eum qui multis tribulationibus, pænisque compellitur Chriſtum negare; & eum, qui ad primam perſecutionem ſtatim ſcandalizatur, & corruit.

[Margin: Hier. Terra quid. — Diſcrimen peccantiũ.]

Ver. 23.

Hier. Gen. 3. Spinæ. Hieron. Matt. 13: Mihi videtur & illud quod iuxta literam ad Adam dicitur: Inter ſpinas, & tribulos panem tuum manducabis: hoc ſignificare myſticè, quod quicunque ſe ſæculi voluptatibus dederit, curiſq; eius iſtius mundi, panem cœleſtem,& cibum verum inter ſpinas comedat. Diuitiæ fallaces. Et eleganter adiunxit: Fallacia diuitiarum ſuffocat verbum. Blandæ enim ſunt diuitiæ,aliud agentes,& aliud pollicentes. Lubrica eſt earum poſſeſſio, dum huc,illucque circumferuntur, & inſtabili gradu, vel habentes deſerunt, vel non habentes reſarciunt. cap. 133. Vnde & Dominus diuites aſſerit difficulter intrare in regnum cœlorum, ſuffocantibus diuitijs verbum Dei,& rigorem virtutum emollientibus.

Baſ. Spinæ. Baſil. in Pſal. 45: Nonne vides quod in ſpinas delapſum verbum à ſpinis ſuffocatur? ſpinæ namque carnis voluptates, & diuitiæ, & curæ ſunt huius ſæculi. Extra hæc omnia conſtitutum eſſe opus ſit eum qui cognitionem Dei deſiderat, debetque ab omnibus perturbationibus atque affectibus vitioſis vacare,ſic demum Dei ſcientiam apprehendere. Quomodo enim animam,tot adeo quæ ipſam præoccuparint diſtractionibus cogitationum,oppreſſam Dei cognitio cogitatioque penetrabit. Nouit hoc & Pharao proprium eſſe hoc liberiore otio fruentium,vt Deum inquirant; atque ideo exprobrabat Iſraeli,dicens: Vacatis,otioſi eſtis,ac ideo dicitis: Dominum Deum noſtrum adorabimus.

Greg. Spinæ. Greg. lib. 1. Moral. cap. 4: Solet etenim rerum abundantia tanto magis à diuino timore mentem ſoluere, quanto magis hanc exigit diuerſa cogitare. Nam dum per multa ſpargitur, ſtare in intimis fixa prohibetur. Quod per ſemetipſam Veritas cum parabolam ſeminantis exponeret, indicauit,dicens: Qui ſeminatus eſt in ſpinis: hic eſt, qui verbum Dei audit,& ſollicitudo illius ſæculi,& fallacia diuitiarum, ſuffocant verbum,& ſine fructu efficitur.

Chryſoſt. Spinæ. Chryſoſt. hom. 59. in Gen: Et bene ſpinis comparauit ſollicitudinem huius ſæculi. Sicut enim ſpinæ, non ſinunt ſemen emicare, ſed denſitate ſua, ſeminatum ſupprimunt: ita & curæ temporales ſpirituale ſemen, quod in anima ſeminatur, non ſinunt fructum afferre; ſed adurunt, & ſuffocant, ſicut ſpinæ profectum eius retardantes. Deceptio diuitiarũ. Et deceptio diuitiarum,inquit, bene dixit deceptio diuitiarum. Etenim verè deceptio. Quæ enim vtilitas tot talentorum,& tantæ affluentiæ diuitiarum? profectò, inquit, magnam præbet voluptatem,& lætitiam poſſeſſio. Qualem lætitiam? & quid dico lætitiam? nonne maximè intempeſtiuas triſtitias, & mœrores naſci facit? & nondum dico magnam illam, & in futuro repoſitam,propter ipſas pœnam: Sed de ijs loquor, quæ in præſenti vita contingunt, quod ne voluptatem quidem vllam hæc res habere poteſt, ſed potius quotidianas turbationes, & amaritudines. Et mare fluctibus non ita intumeſcit, vt talem animam à cogitationibus, & affectionibus infeſtari, & in omnes tam ſuos, quam alienos, malè affici videmus. Et ſi quando partem illorum auferat aliquis: (multa enim accidunt, & multi inſidiantur vtpote famulorum malignitas, & potentium violentia:) tunc vtiq; inuenies tales vitam ſibi acerbam ducere. Paulus 1. ad Timoth. 6: Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem,& in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia,& nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide,& inſeruerunt ſe doloribus multis. Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum; ſed in Deo viuo, quis præſtat nobis omnia abundè ad fruendum,bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſaurizare, ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendat veram vitam.

Not. 10. verſ. 24.

HIERON. Matt. 13: Sicut in terra mala tres fuere diuerſitates, ſecus viam, & petroſa, & ſpinoſa loca: ſic in terra bona, trina diuerſitas eſt centeſimi, ſexageſimi,& triceſimi fructus. Et in illa autem, & in iſta non mutatur ſubſtantia, ſed voluntas, & tam incredulorum quam credentium corda ſunt, quæ ſemen recipiunt. Venit, inquit, malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius, & ſecundo, ac tertio: hic eſt, ait, qui verbum audit. In expoſitione quoque terræ bonæ; iſte eſt,qui audit verbum. Primum ergo debemus audire, deinde intelligere, & poſt intelligentiam fructus reddere doctrinarum, & facere vel centeſimum fructum, vel ſexageſimum, vel triceſimum. De quibus plenius in libro contra Iouinianum diximus, & nunc breuitor perſtringimus centeſimum fructum virginibus; ſexageſimum viduis, & continentibus; triceſimum caſta matrimonio deputantes. Honorabiles enim nuptiæ, & cubile immaculatum. Quidam noſtrum centeſimum fructum ad martyres referunt: quod ſi ita eſt, ſancta conſortia nuptiarum excluduntur à fructu bono. Hier. Terræ diuerſitates. Terra quid. 30. 60. 100

Hier. 100. 60. 30 Et epiſt. 50. ad Pammachium. Apolog. pro lib. aduerſus Iouinianum: Centeſimus, & ſexageſimus, & triceſimus fructus, quanquam de vna terra,& de vna ſemente naſcatur tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias, quia & ipſa digitorum coniunctio quaſi molli oſculo ſe complexans, & fœderans maritum pingit, & coniugem. Sexaginta verò ad viduas,eo quod in anguſtia & tribulatione ſint poſitæ. Vnde & ſuperiori digito deprimuntur: quantoque maior eſt difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abſtinere,tanto maius & præmium. Porro numerus centeſimus (quæſo diligenter lector attende) de ſiniſtra transfertur ad dexteram: & iiſdem quidem digitis; ſed non eadem manu,quibus in læua nuptiæ ſignificantur, & viduæ: circulum faciens exprimit virginitatis coronam. Oro te,qui hęc loquitur damnat nuptias? Aurum virginitatem, argen-

argentum diximus matrimonium. Centeſimum,& ſexageſimū, & triceſimum fructum de vna terra expoſuimus, & de vna ſemente generali, licet multum differat in numero. Et quis vnquam tam iniquus lector erit, vt non ex meis dictis; ſed ex ſuo me ſenſu iudicet? Et certè multo clementiores ergo coniugia fuimus omnibus penè Latinis, & Græcis tractatoribus, qui centeſimum numerum ad Martyres referunt, ſexageſimum ad Virgines, trigeſimum ad Viduas: atque ita fit iuxta illorum ſententiam, vt de bona terra, & de Patrisfamilias ſemine excludantur mariti.

Athan. Athan. epiſt. ad Ammo: Vitæ duplex cum ſit inſtitutum, vnum quidem inferius,& huius ſæculi rebus magis addictum, quod matrimonium vocamus. Alterum autem Angelicum planè, & eximium; quod virginitatem appellamus. Si ſeculare aliquis, id eſt, nuptias ipſas amplectatur, non vituperatur ille quidem; ſed tanta diuinæ liberalitatis munera non ſentiet: quanquam aliqua ſentiet tamen: quia fructum & ipſe trigecuplum ediderit. At ſi quis purum illud,& ſupra mundi conditionem exiſtens, amplexus fuerit, licet via primum ardua, & difficili incedere videatur: ampliora tamen longè, & mirabiliora gratiæ dona, quando idem perfectum, id eſt, centuplum fructum reddit, conſequetur. *Coniugati tenent fructum trigeſimū, & virgines centeſimū.*

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib. 2. ep. 144: Illud: Alius centum, alius ſexaginta, alius triginta; virginitatem, & continentiam, & matrimonium ſignificare poteſt. Poteſt etiam rurſum animæ inſtitutionem,& corporis miniſterium, & pecuniarum, largitionem deſignare. Maius enim, ac præſtantius eſt animæ ſalutem afferre, quam per corpus miniſterium præſtare, aut etiam pecunias largiri. Illud enim cum laboribus, ac ſudoribus efficitur: hoc autem ex rebus externis,& aduentitijs præſtatur.

Greg. *Senarij perfectio.* Greg. hom. 17. in Ezechiel: Sæpè iam diximus ſenario numero perfectionem boni operis deſignari: non illud ſequentes, quod conati ſunt huius ſæculi ſapientes aſtruere, dicentes idcirco ſenarium numerum eſſe perfectum: quia ſui ordine numeratus perficitur: vt cum vnus, duo, tres, dicuntur: ſenarius numerus impleatur: vel quia in tribus partibus diuiditur, id eſt, ſexta, tertia,& dimidia: videlicet, in vno duobus, & tribus: ſed idcirco ſenarium numerum eſſe perfectum, quia ſicut paulo ante dictum eſt: Sexto die perfecit Deus omnia opera ſua. Gen. 1 Quoniam verò peccatori homini legem dedit: quæ in decem præceptis ſcripta eſt, & ſexdecies ducta in ſexagenarium ſurgunt: rectè per ſexaginta cubitos bonorum operum perfectio deſignatur. Quod apertè etiam Dominus in Euangelio deſignat: qui cum parabolam ſeminantis exponeret, dixit: Aliud cecidit in terram bonam,& dabat fructum aſcendentem,& excreſcentem, & afferebat vnum triginta, & vnum ſexaginta, & vnum centum; Fructus etenim terrę bonę triginta affert, cum mens perfectionem fidei, quæ eſt in Trinitate conceperit: ſexaginta affert, cum bonæ vitæ opera perfectè protulerit; centum verò affert; cum ad æternæ vitæ contemplationem profecerit. 30, 60, 100

Not. 11. verſ. 25.

Aug. AVG. lib. 2. quæſt. Euang. cap. 12: Quod Dominus ait: Nemo autem lucernam accendens, operit eam vaſe, aut ſubtus lectum ponit, ſed ſuper candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen. Intelligendum, quia qui verbum Dei timore carnalium incommodorum abſcondit, ipſam vtique carnem præponit manifeſtationi veritatis, & ea quaſi cooperit verbum timendo prædicare: eam itaque vaſis, & lecti nomine appellauit, ſub quo lucernam ponere ait eum, qui hoc facit. *Lucernam ſub lecto, aut vaſe ponere quid ſit.*

Nunquid venit lucerna vt ſub modio,&c.) idem habetur cap. 48. & 109.

Ver. 26.

Non eſt enim aliquid abſconditum, &c.) huic ſimilis eſt locus cap. 68.

Ver. 27.

Si quis habet aures,&c.) hic verſus idem eſt cum nono, vnde manifeſtum eſt ſępius Chriſtum idem dixiſſe, etiam eodem die, & loco.

Ver. 29.

In qua menſura,&c.) Idem habes cap. 52.

CAP. 61. *Parabola Zizaniorum.*

Matt. 13.	*Mar.*	*Luc.*	*Joan.*
1 ALiam parabolam propoſuit illis, dicens:			
Dom. 5. poſt Epiph.			
2 ✠ Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo.			
3 Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abiit.			
4 Cùm autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.			
5 Accedentes autem ſerui patrisfamilias dixerunt ei: Do-			

mine,

Matt. 13. | *Mar.* | *Luc.* | *Ioan.*

mine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania?
5 Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit.
6 Serui autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea?
7 Et ait: Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis, & triticum.
8 Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.
9 Et in tempore meſſis, dicam meſſoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. ✠

Not. 1. *ver.* 1.

De parabola zizaniorum, vide Chryſol. ſer. 96. & 97.

Aug. Ager.

Aug. ſer. 18. de verbis Domini: Non vos ſeducant, qui carnaliter intelligunt, & corporaliter ſeparationem facientes, ab Eccleſiæ frumentis toto orbe diffuſis ſpiritali ſacrilegio ſeparantur. Per totum enim mundum ſeminatum eſt bonum ſemen. Bonus ille ſeminator filius hominis non in Africa ſola, ſed vbique ſparſit bonum ſemen. Quis eſt ager? nunquid nam Africa? non. Quis eſt ergo? non interpretemus nos, Dominus dicat, neminem ſinamus aliquid pro arbitrio ſuſpicari. Ager eſt, inquit, hic mundus. Quæ eſt meſſis?

Seminator boni ſeminis. Ager quid. cap. 64 ver. 4

Not. 2. *verſ.* 2.

Hier.

Hieron. Matth. 13: Quæ expoſita ſunt à Domino, his debemus accommodare fidem: quæ aut m tacita, & noſtræ intelligentiæ derelicta, perſtringenda ſunt breuiter. Homines qui dormiunt, magiſtros Eccleſiarum intellige.

Homines dormiẽtes qui.

Aug. ſerm. 233. de temp: Inimicus in figura homo dictus eſt. Et ſerm. 39. de Sanctis: Zizania ſunt peccatores: Inimicus diabolus, qui ſuperſeminauit peccata. Et ſerm. 46. de diuerſis cap. 2: Noſtis illa tria hodierno die commemorata, vbi ſemen non profecit: viam, loca ſaxoſa, loca ſpinoſa, ipſa ſunt zizania. Aliud nomen in alia ſimilitudine acceperunt. Quia quando ſimilitudines dantur, vel proprietas non exprimitur, per eas non veritas, ſed ſimilitudo veritatis exprimitur. Quod dico ſcio paucos intellexiſſe: ſed propter omnes loquimur. In rebus viſibilibus via, via eſt; ſaxoſa loca, loca ſaxoſa ſunt; ſpinoſa loca, loca ſpinoſa ſunt. Quod ſunt, hoc ſunt: quia propriè nominantur. In parabolis autem, & ſimilitudinibus, poteſt vna res multis nominibus appellari; ideo non eſt incongruum, vt dicerem vobis, via illa, loca illa, ſaxoſa illa, ſpinoſa illa, Chriſtiani mali ſunt; ipſi ſunt & zizania. Nonne agnus Chriſtus? nonne & leo Chriſtus? Inter feras & pecora, qui agnus, agnus; qui leo, leo: vtrumque Chriſtus. Illa ſingula per proprietatem: iſta vtrumque per ſimilitudinem. Plus etiam eſt quod accipit: vt per ſimilitudinem multum à ſe res diſtantes, vocentur vno nomine. Quid enim tam diſtat ab inuicem quam Chriſtus, & diabolus? tamen leo & Chriſtus eſt appellatus, & diabolus, Chriſtus leo: vicit leo de tribu Iuda. Diabolus leo: neſcitis quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret? ergo & ille leo, & iſte leo. Ille leo propter fortitudinem: ille leo propter feritatem. Ille leo ad vincendum: ille leo ad nocendum. Ipſe coluber diabolus eſt, ſerpens antiquus. Nunquid iuſſi ſumus diabolum imitari, quando nobis dixit Paſtor noſter: Eſtote ſimplices, vt columbæ, aſtuti vt ſerpentes? Et cap. 3: Hodie zizania alloquor; ſed ipſi ſunt oues zizania. O Chriſtiani mali, ô qui implendo premitis Eccleſiam malè viuendo: corrigite vos antequam meſſis adueniat. Non dicatis peccaui, & quid accidit mihi? non perdidit Deus potentiam; ſed à te exigit pœnitentiam. Hoc dico malis, & tamen Chriſtianis: hoc dico zizanijs. In agro enim ſunt: & fieri poteſt, vt qui hodie ſunt zizania, cras ſint frumentum. Ideo & triticum alloquor.

Aug. Inimicus in figura homo dicitur. Zizania. Inimicus. Aug. Ratio explicandi parabolas. Chriſtus eſt agnus, & leo. Apoc. 5. 1 Pet. 5. Matt. 10. Aug. Zizania ſunt mali Chriſtiani.

Et lib. quæſt. ex Matth: cap. 11: Cum negligentius agerent, &c. vt lect. 7. & 8. Dom. 5. poſt Epiph.

Aug.

Epiph. hære. 66. cont. Manichæos: Omnino non eſt diabolus cauſa, & author ſeminatorum zizaniorum. Statim enim declarat, dicens: Dum dormirent homines: & non dixit: Dum dormiret Paterfamilias. Cum enim nos obdormierimus à bonis operibus; cum neglexerimus iuſtitiam; cum mentem noſtram non vigilantem habuerimus ad mandatum Dei, tunc ſeminamus peccata.

Epiph. Qui dormiente zizania ſeminent. Dormire quid.

Origen. ad 13. cap. Matt: Dormientibus his, qui non agunt iuxta Chriſti præceptum dicentis: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem; Diabolus obſeruans ſuperſeminat quæ vocantur zizania, praua dogmata, &c. zizania ſunt praui ſermones, qui ſunt ex malitia nati, mali filij, &c.

Orig. Dormire quid. Zizania quid.

Bed. Matt. 13: Hæc quidem ſententia cautos nos eſſe admonet, ne dum torpemus inertia, diabolus fœditatem vitiorum ſuper ſemen bonæ voluntatis ſpargit.

Bed.

Greg. lib. 5. Moral. cap. 21: In itinere dormire, eſt in hoc præſentis vitæ tranſitu à rerum temporalium amore quieſcere, & in dierum labentium curſu, ab appetitu viſibilium mentis oculos claudere, quos primis hominibus ſeductor aperuit, &c. Et lib. 8. cap. 10: Dormire eſt in peccatis iacere. Si enim ſomni appellatione

Greg. Gen. 3. Dormire in bonam quid partem ſumitur. Greg.

tione culpa deſignata non eſſet, nequaquam Paulus diſcipulis diceret: Euigilate iuſti, & nolite peccare. Vnde & auditorem ſuum admonet, dicens: Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Et rurſum: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Vnde & Salomon peccantem increpat, dicens: Vſquequo piger dormies?

Ambr.

Ambr. lib. 3. hexame. cap. 10: Lolium, & reliqua adulterina ſemina, quæ frugibus ſæpè miſcentur, zizania nuncupari, Euangelij lectione cognouimus: ſed ea proprium quoddam genus habent non ex tritici ſemine in aliud genus ſemina decolori mutatione tranſlata degenerem traxere naturam. Hoc docet Dominus, dicens: Simile eſt regnum cœlorum, &c. Cum autem dormirent homines, &c. Aduertimus vtique quod zizania, & triticum vt nominibus, ita & genere videantur eſſe diſcreta. Aliud enim eſt ſemen diaboli, aliud ſemen eſt Chriſti, quod ſeritur ad iuſtitiam, &c. adeo diuerſa natura vtriuſque ſeminis, vt contrarius ſeminator ſit. Quod ſeminat Chriſtus regnum eſt Dei: quod ſeminat diabolus peccatum eſt. Quomodo igitur vnius generis eſſe poteſt regnum, atque peccatum.

Præcipua difficultas eſt hic, quid nomine zizaniorum intelligatur; quidam intelligunt hæreticos, vt Hier. Aug. Chryſ. Euth. & alij. Multi vero intelligunt omnes malos, ſiue peccatores. Et hic ſenſus conuenientior eſt, ac magis probandus. 1. Propter authoritatem Patrum, qui ſic exponunt vt Ambr. Aug. Greg. Theoph. & alij. Qui verò hunc locum hæreticis accommodant, non excludunt alios malos. 2. Quod hic ſenſus potior ſit, probatur ex Chriſti expoſitione. Rogatus enim hanc explicare parabolam, ait bonum ſemen eſſe filios regni: zizania vero filios nequam; quod non tantum hæreticos, ſed etiam omnes peccatores ſignificat. Deinde ait Chriſtus in eadem expoſitione, ſe miſſurum Angelos, qui de regno Dei colligant omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem; & non tantum hæreticos. Declarat autem ibi Dominus, quid nomine zizaniorum intelligat. 3. ratio, Dominus non vult adhuc colligi, & eradicari zizania: hæreticos autem vult extirpari, & non viuere. Exod. 22. Deu. 13. 18. ergo iſtud magis de peccatoribus in genere, quam de hæreticis in particulari intelligitur. 4. ratio ex fine, & ſcopo huius parabolæ ſumitur; præcedenti enim parabola oſtendit Chriſtus bonum ſemen eſſe iactum in terræ loca, & partes quatuor, & vnam tantum partem feciſſe fructum bonum: hac verò docet eam partem, quæ ſemen Euangelij recepit, non eſſe omnino puram, & omni ex parte mundam; ſed malos etiam habere bonis permixtos. Vnde Greg. hom. 38. in Euang: Ponit hanc differentiam inter cælum, infernum, & mundum, quod in cælo ſint tantum boni, in inferno ſolum mali; hic vero ſimul boni, & mali. 5. ratio, hac parabola Dominus inter alia nos docere vult quatuor veritates. 1. bonos malis debere eſſe permixtos, quamdiu ſunt in hoc mundo. 2. malos, qui ſunt in bona terra, non eſſe Chriſti ſemen; ſed non prouenire ex Chriſti opere, doctrina, vel inſpiratione, quod tales ſint; ſed diaboli. 1. Io. 3. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt. 3. malos, qui bonis permixti ſunt, permittendos eſſe creſcere, propter periculum bonorum. 4. venturum aliquādo diem, in quo mali, à bonis omnino ſeparabuntur, & mercedem accipient. Hæ autem veritates non ſolum hæreticis conueniunt; ſed etiam omnibus malis. Ergo iſta expoſitio eſt melior.

Præferenda eſt 2. ſententia
1 Ratio
2. Ratio
4 Ratio

1 Ioan. 3

Cypri. epiſt. 51. & 52. cap. 8: Per zizania, & per vaſa inhonorata, & fictilia malos intelligit, qui ſunt in Eccleſia vt aſſerit Aug. lib. 2. contra Creſc. cap. 34. & 37. & lib. 2. contra Gaudentium. Siniſtrè igitur hæc Cypri. verba detorquet Eraſmus ad hæreticos. Loquitur enim ibi Cyprianus non de hæreticis, ſed contra hæreticos, & Schiſmaticos Nouatianos, qui ſe ab Eccleſia ſeparabant, eo quod in eam reciperentur mali, & lapſi, qui Idolis ſacrificauerant. Cypr. Aug.

Not. 3. verſ. 3.

AVG. lib. quæſt. ex Matt. cap. 12: Cum enim ſpiritalis homo eſſe cœperit diiudicans omnia, tunc ei errores incipiunt apparere. Cum igitur eſſe quiſque ſpiritalis cœperit, cognoſcit errores hæreticorum, & omnino diiudicat atque diſcernit. Quidquid audierit, aut legerit abhorrere à regula veritatis. Aug. Quando apparent zizania, Zizania ſunt hæretici.

Et ſer. 46. de diuerſis cap. 1: Quando herba erat, nondum apparebat; vbi cœpit fructus boni ſeminis apparere, ibi etiam zizania claruerunt. Aug. zizania quando appareant.

Not. 4. ver. 4.

HIER. Matth. 13: Seruos Patrisfamilias, ne alios accipias, quam Angelos, qui quotidie vident faciem Patris. Hier. Serui quí ſint.

Aug. lib. quæſt. ex Matt. cap. 12: Vtrum & ipſi ſint ſerui, quos paulo poſt meſſores appellat; an quia in expoſitione parabolæ meſſores dixit eſſe angelos, nec quiſquam facile dicere auſus fuerit angelos neſciſſe, quis zizania ſuperſeminauerit, & ea tunc apparuiſſe angelis, cum herba fructum feciſſet: magis oportet intelligi homines ipſos fideles ſeruorum nomine hoc loco ſignificatos, quos etiam bonum ſemen dicit. Nec mirum ſi & bonum ſemen ipſi dicuntur: & ſerui patrisfamilias; ſicut & de ſe ait, quod ipſe ſit ianua, & quod ipſe ſit paſtor. Ex diuerſis enim ſignificationibus vna res etiam plures, & diuerſas ſimilitudines recipit: præſertim quia cum ad ſeruos loqueretur, non ait, in tempore meſſis dicam vobis, colligite primum zizania: ſed dicam, inquit, meſſoribus. Vnde intelligitur colligendorum zizaniorum ad comburendum alia eſſe miniſteria, nec quenquam Eccleſiæ filium debere arbitrari ad ſe hoc officium pertinere. Donec quis in ſpiritalibus perficiatur & quodammodo matureſcat in fructum, quem herba dedit, poteſt eum mouere, quare

Aug. Serui qui ſint.

Iidē ſunt ſerui, & bonum ſemen, Io. 10.

zizania colligere ad comburendum quinam ſit officium.

quare ſub nomine Chriſtiano tam multæ hæreticorum extiterint ſallitates. Inde etiam eſt, quod ſerui dicunt: Nonne bonum ſemen ſeminaſti,&c.

Not. 5. verſ. 5.

Hier. Cui diabolus fit inimicus homo. HIER. Matt.13: Diabolus autem propterea inimicus homo appellatur, quia Deus eſſe deſiderauit;& in Pſal. 9. ſcriptum eſt: Exurge Domine non confortetur homo. Quamobrem non dormiat, qui Eccleſiæ præpoſitus eſt; ne per illius negligentiam,inimicus homo ſuperſeminet zizania. zizania ſūt hæreſes. zizania,id eſt,hæreticorum dogmata.

Greg. zizania ſūt iurgia. Greg. paſt.curæ part.3.admonit. 24: Admonendi ſunt,qui iurgia ſeminant,vt cuius ſint ſequaces agnoſcant. De Apoſtata quippe Angelo ſcriptum eſt: Cum bonæ meſſi inſerta fuiſſent zizania: inimicus homo hoc fecit.

Not. 6. ver. 6.

Aug. AVG. lib.quæſt.ex Matt.cap.12: Cum cognouerit hanc excogitaſſe fraudem diabolum,cum contra tanti nominis authoritatem nihil ſe valere ſentiret,vt fallacias ſuas eodem nominē obtegeret: poteſt ei ſuboriri voluntas,vt tales homines de rebus humanis auferat, ſi aliquam temporis habeat facultatem: ſed vtrum facere debeat, iuſtitiam Dei cōſulit, vtrum hoc ei præcipiat,vel permittat,& hoc officium eſſe hominum velit.Hinc eſt quod ſerui dicunt: Vis imus, Aug. & colligimus ea? Et ſerm. 46. de diuerſis cap. 1: Offenſi ſunt ſerui Patrisfamilias, videntes in bona ſegete multa zizania; & voluerunt Aug. eradicare,& permiſſi non ſunt. Et cap. 4: Serui nullum volūt malum inter bonos relinquere. Nos in hoc tempore ſimiles ſumus ſeruis illis, de quibus dictum eſt: Vis imus, & colligimus ea? volebamus enim ſi fieri poſſit, nullum malum remanere inter bonos.

Iſidor Serui ſunt Angeli. Iſidor.Peluſ.lib.1.epiſt.195: Vis abeuntes colligamus zizania? aiunt Angelicæ virtutes,diuinę volūtati beneuolo ſemper animo adminiſtram operam præbere cupientes. Quoniam & ſegnitiem noſtram, ac ſocordiam, & ingentem Dei lenitatem conſpiciunt. Verum hoc facere prohibentur: ne vna cum zizanijs euellatur & triticum,hoc eſt,ne rapiatur peccator ad vitę emendationem ſpectans; ne vna cum improbis parentibus inſontes liberi ſimul exſcindantur;qui adhuc quidem ſæpe in paternis lumbis ſunt: ve- Angeli futura ignorant. rum apud Deum,vtpote occulta cernētem,iam exiſtunt. Angelorum enim claſſes, vt conſeruæ naturæ, ea, quæ nondum præſentia ſunt, ignorant. Deus autem & intelligit, & perſæpe iſtud Iob Eſau eſt filius. fecit. Neque enim Eſau peccantem, nondum edita prole, demeſſuit: ne vna quoque Iobum euelleret,qui ex eo genus duxit.Nec item Matthæum portorijs exigendis operam dantē morte affecit: ne Euangelij prædicationem impediret. Nec libidini, atque impudicitiæ ſtudentes meretrices oppreſſit; ne pœnitentiæ exempla deeſſent.Nec Petri abiurationem vltus eſt: quoniam calentes ipſius lachrymas proſpiciebat. Nec perſequentem Paulum morte abſcidit: ne orbis terrarum fines ſalute fruſtrarentur. Omnia ergo zizania, quæ meſſem expectant,nec ad pœnitentiæ fructum ſeſe conuertunt, magno igni præparantur, vt quæ ſterilitate prorſus laborarint.

Seruos putat Hiero. eſſe Angelos: ſed potius nomine ſeruorum intelliguntur prælati, & boni fideles, qui dubitant, & vnde mala proueniant,& quid Dominus de ijs fieri velit, imo etiam mirantur tot mala,deque ijs triſtantur, dolent,conquerūtur,& indignantur, quæ nec Angelis,nec alijs beatis conueniunt.Nec eſt inconueniens eoſdem eſſe ſeruos, & bonum ſemen; cum Dominus & oſtium ſit, & oſtiarius: videntur etiam ſerui à meſſoribus in parabola diſtingui. Dixit enim Chriſtus: In tempore meſsis dicam meſſoribus; non; vobis. In hunc modum Aug. not. Sunt quidem Angeli,ſerui Dei vſque ad iudicium extremum, in miniſterium miſsi, propter eos,qui ſunt electi. Heb.1. Sed non videntur hoc loco nomine ſeruorum,propter dictas rationes intelligendi. Duo quidem fauent in hoc Euangelio ijs, qui per ſeruos intelligunt Angelos;vnum eſt;vis imus,quaſi cum Deo ſint in cœlo,non in agro,& terra,ſed extra ipſum agrum. Alterum eſt: & colligimus ea: nam abducere omnes malos è vita, poteſt Angelus non homo. Iudex interſicit vnum, aut alterum malum: ſed omnes malos è mundi agro euellere non poſſunt homines. Verum ad hæc facile reſpondetur; quia poſtulant ire propter exercitiū poteſtatis; colligere vero propter zelum,conatum,& ſtudium, & quantum in ipſis eſt. Serui accedunt, quando veritatis doctrinam, & Dei voluntatem conſulunt.Sunt quaſi extra agrum, & cum Domino;ſed poſtquā ad eum venerunt, conſpectis zizanijs, adeo magnū habent zelum, vt videantur ſibi omnia cum Dei auxilio poſſe. Ex ijs quæ ſerui dicunt,& faciunt,colligere poſſumus ſeruorum Dei officium, qualitatem, &
diſpoſitionem. 1. Vidēt zizania exorta,propter- 1
ea enim adierunt Dominum, quia eis apparuerant. Sic & nos videamus in nobis, & alijs, &
quidem ſat cito defectus, & peccata. 2. Viſis zi- 2
zanijs, Dominum ſtatim,gratia conſilij,acceſſe-
runt. 3. Iuſtiſsimè mirantur. 4. Dolent, triſtan- 3
tur,iraſcuntur, & indignantur. Illa enim; non- 4
ne; vnde; cum admiratione,triſtitiam, iram, &
indignationem ſignificant. 5. Queruntur;acceſ- 5
ſerunt enim vt querelas ſuas deponerent. 6. Sci- 6
re deſiderant,vnde proueniant;credentes quod
non ex Deo. Diligenter inquiramus malorum
cauſas,nec eas in Deum reijciamus. 7. Sentiunt 7
in ſe deſiderium omnia mala tollendi. 8. Dicen- 8
tes: Vis imus,&c. Petunt à Domino conſilium,
eiuſq; voluntatem quærunt, vt ei per omnia ſe
conforment. Noſter zelus,& affectus dirigi debet ſecundū Dei voluntatē,legem, & doctrinā. Eam ergo quęramus per orationes,conſulendo
ſcripturas,ordinationes,& Dei vicarios. 9. Hic 9
etiā notanda eſt ſeruorum Dei prompta,& perfecta obediētia: item magna,& admirabilis poteſtas,cum facilitate coniuncta.

Not. 7.

Not. 7. verſ. 7.

Hier. HIER. Matth. 13: Quod autem dicitur:Ne fortè colligentes,&c. Datur locus pœnitentiæ, & monemur ne cito amputemus fratrem: quia fieri poteſt,vt ille, qui hodie noxio deprauatus eſt dogmate, cras reſipiſcat, & defendere incipiat veritatem.

Aug. Aug. lib. quæſt. ex Matt.cap. 12: Veritas ipſa reſpondet non ita hominem conſtitutum eſſe in hac vita, vt certus eſſe poſſit, qualis quiſque futurus ſit poſtea, cuius in præſentia cernit errorem: vel quid etiam error eius conferat ad profectum bonorum: non eſſe tales auferendos de hac vita; ne cum malos conatur interficere,bonos interficiat,quod fortè futuri ſunt, aut bonis obſit, quibus & inuiti fortè vtiles ſunt, ſed tunc opportunè fieri cum iam in fine non reſtat, vel tempus commutandæ vitæ, vel proficiendi ad veritatem ex occaſione, atque comparatione alieni erroris. Tunc autem hoc non ab hominibus, ſed ab Angelis fieri. Inde eſt quod reſpondet Paterfamilias:Non; ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum, ſed in tempore meſſis dicam meſſoribus, &c. Atque hoc modo eos patientiſſimos reddidit, & tranquilliſſimos. Verum intuendum, quia etiam boni, cum adhuc infirmi ſunt, opus habent in quibuſdam malorum permixtione. Siue vt per eos exerceantur, ſiue vt eorum comparatione, magna illis exhortatio fiat; vt nitantur ad melius, quibus ſublatis altitudo charitatis quaſi euulſa marceſcat, quod eſt eradicari. Nam ſic ait Apoſtolus, vt in charitate radicati, & fundati, poſſitis comprehendere. An fortè ideo ſimul eradicatur triticum, cum auferuntur zizania; quia multi primo zizania ſunt, & poſtea triticum fiunt? Qui niſi patienter cum mali ſunt tolerentur, ad laudabilem mutationem non perueniunt. Itaque ſi euulſi fuerint, ſimul eradicabitur & triticum, quod futuri eſſent, ſi eis parceretur. Et ſer. 46. de diuerſis cap. 4: Ne fortè dum vultis eradicare zizania, eradicetis ſimul & triticum. Quid boni facitis? nonne meſſem meam veſtra diligentia vaſtabitis? Nos homines ſumus, Angeli meſſores ſunt. Erimus quidem & nos, ſi curſum perfecerimus, æquales Angelis Dei; ſed modo quando ſtomachamur contra malos, adhuc homines ſumus, & nos modo audire debemus: quia qui ſe putat ſtare, caueat ne cadat. Putatis enim, fratres mei, quia iſta zizania non aſcendunt apſidas? Putatis quia deorſum ſunt, & ſurſum non ſunt? vtinam hoc non ſimus. Mihi autem minimum eſt vt à vobis iudicer. Dico ſanè charitati veſtræ, & in apſidis ſunt frumenta, ſunt zizania; & in populis ſunt frumenta, ſunt zizania. Boni tolerent malos: mali mutentur,& imitentur bonos. Omnes, ſi fieri poteſt, ad Deum pertineamus. Omnes malitiam ſæculi huius, in illius miſericordia euadamus.

Eph. 3 | Non ſolus à | 1 Cor. 10 | 1 Cor. 4

Bed. Beda Matt.13: Hic nobis patientiæ exemplum præbetur, vt ſicut paterfamilias in dolo inimici patiens fuit; ſic in aliqua nos læſione non ſtatim ad vindictam; ſed magis ad tolerantiam recurramus. Hic denique diſcretionis,& tolerandi malos habemus exemplum, ne ſi magis vlciſcendo talionem malis reddamus, bonis præbeamus ſcandalum imitationis.

Exemplũ patientiæ, diſcretionis, & toleꝛantiæ.

Bern. Bern. ſer. 12. in Pſal. 90: Parantibus ire ſeruis, & continuo ſuperſeminata colligere zizania cupientibus; prouidens paterfamilias: Sinite, inquit, vſque ad meſſem, ne fortè eradicetis ſimul & triticum. Quomodo igitur tam diu conſeruabitur inter ea? hoc plane, hoc opus præſens, hoc mandatum temporis huius. Itaque Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te. Pſal. 90

Quomodo triticũ inter zizania cõſeruetur.

In Eccleſia militante, vt mali omnes tollantur, eradicentur, & colligantur, petere non debemus:hoc quippe ad miniſterium,& officium miniſtrorum noui teſtaméti non pertinet. Quia cultores ſunt, nõ meſſores. Eorum proinde munus eſt, excolere malos, & eis exhibere opera miſericordiæ, vt perducantur ad ſalutem. Non enim miſit Deus filium ſuum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Et alibi: Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat. Sic miniſtrorum eſt ægrotos ſanare, perditos reducere, ſanos conſeruare, &c. Metere autem, & cuique ſecundum opera ſua reddere, pertinet ad Angelos in fine ſæculi, qui etiam vſque ad extremum iudicium propter electos mittuntur in miniſterium. Quidam hoc loco abutuntur, dum ex eo hæreticos non eſſe puniendos, colligere nituntur. Neque enim id Chriſtus nunc, aut alias docet: neque his verbis id agitur, vt diſciplina negligatur: neque hic locus diſciplinæ aduerſatur, quæ in Eccleſia fit, ſiue per Eccleſiaſticos, ſiue per ſeculares. Quid enim valeret illud: Auferte malum ex vobis ipſis. Et illud: Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant? Sed prohibet ne qui ſunt cultores, faciant quod meſſorum eſt: & generalem à bonis malorum ſeparationem non ante huius mundi finem vult eſſe faciendam. Vnum aut alterum zizanium auferre, diſciplina eſt: omnia autem tollere, ad meſſores pertinet: & qui hoc conantur, & tentant, ſciſmata faciunt, & in eos conuenit illud Apoſtoli: Perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos. Hic itaque locus prohibet iam meſſorem agere, & generatim, ac vniuersè malos à bonis ſegregare: eos enim debent miniſtri ad ſalutem, etiam per iuſtitiæ diſciplinam ducere. Ergo ad finem vſque ſæculi patienter ferendum eſt, malos eſſe cum bonis. A malis ſiquidem Eccleſia, vſq; ad finem mundi non perfectè mundabitur. Ideoque dicit Dominus ſeruis: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem; non negligendo diſciplinam, ſed habendo patientiam. Quaſi dicat: Eſtote contenti, quod eſtis miniſtri, cultores,& ſerui: ne velitis eſſe iudices, aut meſſores: quia nec tempus eſt, nec ad vos id pertinet, neque vobis expedit.

Cur iſ petenda non ſit malorũ eradicatio. | Io. 3 | Luc 19 | Heb. 1 | 1 Cor. 5 | Gal. 5 | Gal. 5

Not. 8. ver. 8.

Hier. Dubium. HIER. Matt.13: Illud quoque quod ſequitur: Sinite vtraque creſcere. Videtur illi præcepto eſſe

eſſe contrarium: Auferte malum de medio veſtrum; & nequaquam ſocietatem habendam cum his, qui fratres nominantur, & ſunt adulteri, & fornicatores. Si enim prohibetur eradicatio, & vſque ad meſſem tenenda eſt patientia; quomodo eijciendi ſunt quidam de
Reſpon. medio noſtrum? Inter triticum, & zizania, quod nos appellamus lolium quamdiu herba eſt, & nondum culmus venit ad ſpicam; grandis ſimilitudo eſt, & in diſcernendo, aut nulla, aut
Quomodo vtrumque euelcere permittendum. perdifficilis diſtantia. Præmonet ergo Dominus, ne vbi quid ambiguum eſt, cito ſententiam proferamus; ſed Deo iudici terminum reſeruemus, vt cum dies iudicij venerit, ille non ſuſpicionem criminis; ſed manifeſtum reatum de
Hier. ſanctorum cætu eijciat. Et in Pſal. 16: Do-
Quomodo mali à bonis ſeparandi. mine à paucis de terra diuide eos.) vox Eccleſiæ. Vult Eccleſia ſeparari à carnalibus, & à zizania, & à paleis ante diem iudicij; ſed ſine cauſa: quia à Deo accepit reſponſum, ſicut Dominus
Meſſis hic mali bonis permixti. dixit in euangelio: Sinite creſcere vſque ad meſſem, hoc eſt, vſque in diem iudicij. Quia hic Eccleſia commixta eſt cum peccatoribus, rogat pro illis, qui prædeſtinati ſunt, vt veniant, & ſeparentur ab illis, qui non ſunt prædeſtinati.
Hier. Quando mali à bonis ſegregandi. Et in Pſal. 30: Quoniam defecit in dolore) ideo in dolore; quia Eccleſia non poteſt emendare malos, nec ſegregare malos à ſanctis vſque in finem. Vnde Dominus dixit: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.

Aug. Aug. ſer. 18. de verb. Dom: Nunquid Africa eſt mundus? nunquid meſſis hoc tempus? Nunquid meſſor Donatus? per totum orbem terrarum expectare meſſem, per totum orbem terrarum creſcere in meſſem, per totum orbem terrarum zizania tolerare vſque ad meſſem. Non
Paleæ leues euolāt vos ſeducant vniuerſæ paleæ nimis leues, quæ volant ante aduentum ventilatoris ex area. Non vos ſeducant. Tenete eos ad iſtam vel ſolam ſimilitudinem zizaniorum, neque illos ſinatis loqui amplius. Ille codices tradidit? non; ſed ille codices tradidit. Quilibet tradiderit, nunquid infidelitas traditorum, fidem Dei euacuauit?
Gen. 12. Quæ eſt fides Dei? quam promiſit Abrahæ, dicens: In ſemine tuo benedicentur omnes gen-
Vtraque creſcunt vſque ad meſſem. tes. Quæ eſt fides Dei? Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. Per quid creſcere? per agrum. Quid eſt per agrum? per mundum. Hic illi dicunt, creuerat quidem vtrumque per mundum; ſed iam frumenta diminuta ſunt, & in iſtam noſtram regionem, paucitatemque reuocata. Non te permittit Dominus interpretari quod vis. Ipſe qui exponit hác parabolam, claudit os tuum, os ſacrilegum, os impium, os prophanum, os tibi contrarium, qui contradicis teſtatori etiam te ad hæreditatem vocanti. Quomodo claudit os tuum? dicendo: Sinite vtraque creſcere vſque
Frumenta non minuuntur. ad meſſem. Si iam fuit meſſis, credamus eſſe frumenta diminuta, quanquam ne tunc quidem minuentur, ſed in horreum recondentur. Si ergo vſque ad meſſem creſcunt, poſt meſſem re-
Quomodo electi pauci. conduntur, improbe, impie, quando minuuntur? Concedo in comparatione zizaniorum, ſimul atque palearum, frumenta eſſe pauciora: tamen vtraque creſcunt vſque ad meſſem. Cum enim abundat iniquitas, refrigeſcit charitas Matt. 24
multorum. Creſcunt zizania, creſcit palea, ſed quia toto agro deeſſe non poteſt frumentum, quod perſeuerando vſque in finem ſaluum fiat, creſcunt vtraque vſque ad meſſem. Et ſic propter abundantiam dictum eſt malorum: Putas veniens filius hominis inueniet fidem in terra? hocque nomine ſignificantur quæcunque legis præuaricatione imitantur eum, cui dictum eſt: Terra es, & in terram ibis: tamen & propter abundantiam bonorum, & propter eum, cui dictum eſt: Sic erit ſemen tuum, ſicut ſtellæ Gen.
cœli, & ſicut arena maris: etiam illud non tacitum eſt, quia multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac in regno Dei. Vtraque ergo creſcunt vſque ad meſſem, & ſuas ſententias in ſcripturis habent zizania, vel paleæ: ſuas autem frumenta. Quæ qui non intelligunt, confundunt, & confunduntur, atque ita perſtrepunt cæca cupiditate, vt nolint obmuteſcere vel pace facta veritate. Ecce, inquiunt, dicit Propheta: Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis. Quomodo ergo malos pro pace tolerabimus, à quibus exire, & recedere iubemur, ne tangamus immundum? Nos iſtam receſſionem ſpiritaliter intel- Quid ſit exire, & non tangere immundum.
ligimus; illi corporaliter. Nam & ego clamo cum Propheta, & qualiacunque ſimus vaſa, vitetur nobis Deus in diſpenſatione veſtra. Clamamus & nos, & dicimus vobis: Recedite, exite Eſa. 52.
inde, & immundum ne tetigeritis; ſed contactu cordis, non corporis. Quid eſt enim tangere immundum, niſi conſentire peccatis? quid eſt autem exire inde, niſi facere quod pertinet ad correptionem malorum, quantum pro vniuſcuiuſq; gradu, atq; perſona ſalua pace fieri poteſt? diſplicuit tibi quod quiſque peccauit, non tetigiſti immundum. Quid feſtinatis, inquit, ſerui zelo pleni? videtis zizania inter frumentum Zizania mali, frumenta boni.
meum, videtis malos Chriſtianos inter bonos: eradicare vultis malos: quieſcite non eſt tempus meſſis. Veniat, & frumentum vos inueniat. Quid ſtomachamini? quid ægrè toleratis malos permixtos bonis? in agro vobiſcum eſſe poſſunt, in horreo non erunt. Dictum eſt nobis: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem: Quare? tales enim eſtis vt falli poſſitis. Et lib. 1. Aug.
contra epiſt. Parme. cap. 7: Quapropter zizania, vel paleam Catholicæ ſegetis nobiſcum copioſiſsimè accuſent; ſed nobiſcum ferre patientiſſimè non recuſent. Noluit enim Dominus Hic mali ſunt cum bonis.
ante tempus eradicare zizania, & à frumentorum permixtione ſeparare: Sinite, inquit, vtraque creſcere vſque ad meſſem, & cum inuolucrum eiuſdem ſimilitudinis quærentibus diſcipulis explicaret, non ait, ager eſt Africa: ſed ait, Ager
ager eſt hic mundus. Per totum ergo mundum ſeges iſta ſeminata eſt, per totum ſuperſeminata zizania, per totum creſcit vtrumque vſque ad meſſem. Nunquid aut Donatus fuit maior meſ- Meſſores Meſſis
ſor, aut eo tempore, quo ſe iſti à terrarum orbe ſepararunt, tempus meſsis aduenerat: cum idem Dominus, ne alicui liceret interpretari quod vellet,

Nō poſſunt errare meſſores. vellet, apertiſſimè dixerit, meſſis autem eſt finis ſæculi. Meſſores autem Angeli ſunt. Tales enim meſſores errare non poſſunt, vel vt frumenta pro zizanijs colligant, vel pro frumentis zizania religent. Iſti autem cum quaſi zizania geminata fugiunt, ſe ipſos eſſe zizania demonſtrarunt, in manifeſtiſſimo ſacrilegio contra ſententiam Domini prædicantes, vt cum ille dicat: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem: iſti per tam magnum agrum, id eſt, totum mundum creſcere zizania, frumenta vero diminuta in ſola Africa remanſiſſe contendant, Chriſto regi, & principi noſtro ſacrilegam facientes iniuriam. Aug. Et epiſt. 48: Cyprianus vnitatem orbis terræ, atque omnium gentium, & diligendo tenuit, & diſputando defendit: quod eos, qui ſe tanquam iuſtos ab ea ſeparare voluiſſent, arrogantiſſimos, & ſuperbiſſimos iudicauit. Irridens eos hoc ſibi aſſumere, quod nec Apoſtolis conceſſit Dominus, vt ante tempus zizania colligerent, aut tanquam ipſis paleam ferre, & aream purgare conceſſum ſit, paleas conarentur à tritico ſeparare: quod vnumquemque peccatis alienis maculari non poſſe monſtrauit, quam ſibi omnes impiæ ſeditionis authores ſolam cauſam ſeparationis aſſumunt. Quod in eo ipſo, in quo aliter ſapuit collegas diuerſa ſentientes, nec iudicandos, nec iure cōmunionis amouendos eſſe decreuit. Plura de his Aug. lib. 2. contra epiſt. Parm. cap. 2. & lib. 3. contra literas Petil. cap. 2. 3. 4. & lib. 2. cōtra Creſcen. cap. 35. 38. & lib. contra Donaſt. poſt collationem cap. 5. 6. 8. 20. & epiſt. 171.

Ante tempus nō eſſe tollenda zizania.

Nemo peccatis alienis maculatur.

Orig. Orig. hom. 21. in Ioſue: Sicut in Euangelio permittuntur zizania, ſimul cum tritico, creſcere: eodem modo etiam hic in Hieruſalem, i. in Eccleſia ſunt quidam Iebuſæi iſti, qui ignobilem, & degenerem vitam ducunt, qui & fide, & actibus, & omni conuerſatione ſua peruerſi ſunt. Neque enim poſſibile eſt ad liquidum purgari Eccleſiam dum in terris eſt, ita vt neque impius in ea quiſquam, neque peccator reſidere videatur, ſed ſint in ea omnes ſancti, & beati, & in quibus nulla prorſus peccati maculæ deprehendatur. Sed ſicut dicitur de zizanijs: Ne fortè eradicantes zizania ſimul cum illis eradicetis & triticum: ita etiam ſuper ijs dici poteſt, in quibus vel dubia, vel occulta peccata ſunt. Neque enim dicimus de ijs, qui manifeſtè, & euidenter criminoſi, vt non de Eccleſia expellantur. Audi ergo ſcripturam dicentem, quia non potuerunt filij Iuda diſperdere Iebuſæos, ſed habitauerant cum ipſis in Hieruſalem vſque in hodiernum diem. Vnde deprecor vos, qui fideles eſtis, vt ita vitam veſtram, & conuerſationem ſeruetis, ne in aliquo vel ipſi ſcandalum patiamini, vel alijs ſcandalum faciatis.

Eccleſia hic omnino pura eſſe nō poteſt.

Qui tollēdi, qui nō.

Bed. Bed. Matt. 13: Hinc habere docemur longanimitatem patientiæ, vt in longanimitate iuſtitiam meditemur, & in iudicio patientiam non negligamus.

Patientiæ lōganimitas.

Chryſoſt. Apud Chryſoſt. hom. 13. oper. imp: In omni enim opere bono ſcandalum diaboli poſitum eſt, ſicut ſcriptum eſt de dæmonibus: iuxta ſemitam ſcandala poſuerunt mihi, vt ipſum bonum non ſit ſecurum ſi ſolum: ſed iuxta malum poſitum, ſemper tentatum ſit & probatum. Sicut enim vbicunque fuerit triticum, neceſſe eſt vt inueniatur illic & zizania: ſic vbicunque fuerit bonum Dei, illic erit & ſcandalum inimici. Quid ergo? ecce propoſuiſti facere eleemoſynam, ſed aſcendit ſuper cor tuum, velle hominibus apparere; nunquid debes ſubtrahere manum tuam, vt ne des locum vanæ cogitationi, dicens apud te: Melius eſt nec facere bonum, ne tantum inueniar propter homines facere? Abſit: ſed perfice opus tuum, ne dum vis cogitationi vanæ reſiſtere, perdas opus bonum: veniat tibi in mentem, quod Dominus ait de tritico, & zizanijs: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem; ne eradicantes zizania, ſimul eradicetis & triticum. Triticum eſt enim voluntas bona, quam ſeminat Deus in homine: zizanium autem eſt cogitatio mala, quam diabolus ſeminauit ſuper carnem. Cum ergo omni voluntati bonæ adhæreat, & deſiderium malum, ſi volueris malam cogitationem tuam ad plenum tollere, ſimul tollis & opus bonum. Nam & ipſe diabolus eo conſilio ſeminauit zizanium ſuum in tritico Dei, vt attrita zizania eius ſuffocent triticum Dei, aut ſi quis voluerit diaboli zizanium tollere, ſimul eradicet & triticum Dei. Nunquid & continens, aut virgo mox vt concupierit, iam cecidit? tantum plena voluntate non cōncupiſcat, vt velit implere concupiſcentiam ſuam: ſi autem ex neceſſitate carnis concupiuit, & contradixit concupiſcentiæ ſuæ, non peccauit: ſed magis glorioſior eſt effectus, quia vicit, tanquam ſi non fuiſſet pulſatus. Quid ergo dicit ſcriptura? ſine vt matureſcant vtraque; id eſt, adimple opus tuum, & duc ad perfectum: & ſic illa quidem vana cogitatio, quaſi zizanium exſiccatur, id eſt, ſoluitur, euacuatur, & perit: bonum autem opus quaſi triticum manet. Nam ſic intelliges ſi ex voluntate tua fuerit, illa vana concupiſcentia, aut ex neceſſitate carnis. Si ex voluntate tua fuit, doles, ſi te facientem eleemoſynam tuam nullus aſpexit: ſi autem gaudes poſtea, quia eleemoſyna tua in ſilentio facta eſt, ſcito quia concupiſcentia tua non fuit ex animo tuo, ſed ex neceſſitate carnis: & ideo quaſi zizanium aruit. Sic & continens concupiſcentiam ſuam probare poteſt: ſi ex animo eius eſt, quod concupiuit: ſic etiam poſtquam tranſierit concupiſcentia, voluntatem habet peccandi, tunc ex voluntate eius eſt concupiſcentia: ſi autem gaudet quia non præualuit aduerſus eum concupiſcentia, ſed confuſa receſſit, intelligat, quia zizanium fuit, ex neceſſitate carnis natum, & non fuit animæ eius voluntas.

Nullū bonū eſt ſecurum.

Pſal. 139

Simile.

Triticū nō eſt ſine zizaniis.

Triticum quid.

zizanium quid.

Cur diabolus zizania in tritico ſeminet.

A carne tētatus quādo peccet.

Sinere vtraque creſcere quid ſit.

Indicium conſenſus in tentationem.

Greg. Greg. lib. 19. Moral. cap. 27: Meſſio ſanctæ Eccleſiæ, non inconuenienter accipitur, cum perfectæ animæ corporibus abſtractæ, velut maturæ ſegetes, à terra deciſæ, ad cæleſtia horrea demigrant.

Greg. Moral.

Noi 9. ver. 9.

Hier. HIER. Matt.13: Quod autem dixit, zizaniorum faſciculos ignibus tradi, & triticum congregari in horrea, manifeſtum eſt hæreticos quoſque, & hypocritas fidei, gehennæ ignibus cremandos: ſanctos vero, qui appellantur triticum, horreis, id eſt, manſionibus cœleſtibus ſuſcipi.

Zizania qui ſunt. Horreum.

Hier. Frumētum deſiderat nubes. Et Iob 37: Frumentum deſiderat nubes: hoc eſt, frumentum, de quo Dominus in Euangelio ait per parabolam, dicens: Colligite zizania in faſciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. Proinde hoc viuum frumentum, Doctores quoſque Eccleſiæ, qui velut nubes portant aquas Euangelij, audire deſiderat: ſicut & illi, qui erant de hoc frumento Dominico, habitantes Antiochiæ Piſidiæ, rogabant Paulum, & Barnabam, vt loquerentur eis verbum Dei, quod fecerunt Apoſtoli, ſuadentes permanere in gratia Dei, Cornelius quoque ad Petrum ait: Nunc ergo omnes nos in conſpectu tuo adſumus audire omnia, quæcunque tibi præcepta ſunt à Domino.

Act. 14. Act. 10.

Aug. Faſciculi quid. Aug. lib. quæſt. ex Matt. cap. 12: Quæri autem poteſt quod ait: Alligate faſciculos ad comburēdum: cur non vnum faſcem, aut vnū aceruum zizaniorum fieri dixit? Niſi fortè propter varietatem hæreticorum, & non ſolum à tritico, verum etiam à ſeipſis diſcrepantium, ipſa vniuſcuiuſque hæreſeos propria conuenticula, in quibus ſingulatim ſua communione deuincti ſunt, nomine faſciculorum deſignauit: vt iam tunc incipiant alligari ad comburendum, cum à Catholica communione ſegregati, ſuas proprias quaſi Eccleſias habere cœperint: vt combuſtio earum ſit in fine ſæculi; modo alligatio faſciculorum. Sed ſi ita eſſet, non iam multi reſipiſcendo, & in Catholicam remeando ab errore deſciſcerent. Quapropter & alligatio faſciculorum in fine futura eſt, vt non confusè, ſed pro modo peruerſitatis ſuæ vniuſcuiuſque erroris pertinacia puniatur.

Quando incipiunt alligari. Quando cōburētur. Quādo fiat alligatio.

Aug. Meſſis, Meſſores. Et cap. 4: Tranſiet hyems, veniet æſtas: ecce aderit meſſis. Veniunt Angeli, qui poſſunt ſeparare, & neſciunt errare.

Aug. Zizania quid. Angeli mala bene faciunt. Bona dæmones facere non poſſunt. Et lib. 1. quæſt. Euang. cap. 10: Omnis immunditia in ſegete, zizania dicitur. Quod primo ſeparatur zizania dicitur: quia tribulatione præcedente ſeparabuntur impij à pijs: quod per bonos Angelos intelligitur fieri. Quia officia vindictæ poſſunt implere boni bono animo, quomodo lex, quomodo iudex: officia verò miſericordiæ mali implere non poſſunt.

Aug. Et ſerm. 39. de Sanctis: Meſſis hæc eſt genus humanum in conſummatione ſæculi ad iudiciū congregandum. Meſſores ſunt Angeli, qui eligunt iuſtos à peccatoribus. Ligate faſciculos, hoc eſt, rapaces cum rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidas cum homicidis, auaros cum auaris, iracundos cum iracundis, falſos teſtes cum falſis teſtibus, fures cum furibus, deriſores cum deriſoribus, ſimiles cum ſimilibus, hi ſunt faſciculi ad comburendum. Triticum autem congregate in horreum meum, id eſt, mittite iuſtos in paradiſum.

Faſciculi.

Greg. Greg. lib. 4. dial. cap. 35: Quæ nimirum veritas, iudicij ſui diem denuncians, ait: Tunc dicā meſſoribus, &c. Meſſores quippe Angeli zizania ad comburendum in faſciculos ligant, cum pares paribus in tormentis ſimilibus ſociant; vt ſuperbi cum ſuperbis, luxurioſi cum luxurioſis, auari cum auaris, fallaces cum fallacibus, inuidi cum inuidis, infideles cum infidelibus ardeant. Cum ergo ſimiles in culpa, ad tormenta ſimilia deducuntur, quia eos in locis pęnalibus Angeli deputant, quaſi zizaniorum faſciculos ad comburendum ligant.

Faſciculi.

Greg. Pœnæ inferni ordinatæ. Et lib. 9. Moral. cap. 47: Mirum eſt valde quod dicitur, vbi nullus ordo. Neque enim omnipotens Deus, qui mala benè punit, inordinata eſſe vllo modo, vel tormenta permittit; quia ipſa quoque ſupplicia, quæ ex lance iuſtitiæ prodeunt, inferri ſine ordine nequaquam poſſunt. Quomodo namq; in ſupplicijs ordo non erit, dum damnatum quemque iuxta modum criminis, retributio ſequitur vltionis? Hinc quippe ſcriptum eſt: Potentes potenter tormenta patiētur, & fortioribus fortior inſtat criminatio. Hinc in Babylonis damnatione dicitur: Quantum exaltauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. Si igitur iuxta modum culpæ pæna diſtinguitur, conſtat nimirum, quod in ſupplicijs ordo ſeruatur, & niſi tormentorum ſummam, meritorum acta dirimerent, nequaquam iudex veniens, dictum ſe meſſoribus eſſe perhiberet: Colligite primū zizania, & ligate ea in faſciculos ad comburendum. Si enim nullus in ſupplicijs ordo ſeruabitur, cur comburenda zizania in faſciculos ligantur? Sed nimirum faſciculos ad cōburendum ligare, eſt hos, qui ęterno igni tradēdi ſunt, pares paribus ſociare, vt quos ſimilis culpa inquinat, par etiam pæna conſtringat: & qui nequaquam diſpari iniquitate polluti ſunt, nequaquam diſpari tormento crucientur, quatenus ſimul damnatio conterat, quos ſimul elatio ſubleuat; quoſque non diſſimiliter dilatauit ambitio, non diſſimilis anguſtet afflictio; & par cruciet flamma ſupplicij, quos igne luxuriæ par ſuccendit flamma peccati. Sicut enim in domo Patris manſiones multę ſunt, pro diuerſitate virtutis; ſic damnatos diuerſo ſupplicio gehennæ ignibus ſubijcit diſparilitas criminis. Quæ videlicet gehenna quamuis cunctis vna ſit, non tamen cunctis vna, eademque qualitate ſuccendit. Nam ſicut vno ſole omnes tangimur, nec tamen ſub eo vno ordine omnes æſtuamus: quia iuxta qualitatem corporis, ſentitur etiam pondus caloris. Sic damnatis & vna eſt gehenna, quæ afficit, & tamen non vna omnes qualitate comburit: quia quod hic agit diſpar valetudo corporum, hoc illic exhibet diſpar cauſa meritorum. Quomodo ergo nullus ineſſe ordo ſupplicijs dicitur, in quibus profectò quiſque iuxta modum culpæ cruciatur.

Sap. 6. Apoc. 18. Ratio 2. Quid ſignificet faſciculos. 3 Ratio. 4 Ratio. Vna gehēna nō omnes vno modo punit.

Greg. Et cap. 48: Sed ſanctus vir, poſtquam vmbram mortis intulit, quanta ſit confuſio in damnatorum mente ſubiungit; quia ipſa quoque ſupplicia, quæ inordinata

nata per iuſtitiam veniunt ordinata, procul dubio in corde morientium non ſunt. Dum enim damnatus quiſq; foris flamma ſuccenditur, intus cæcitatis igne deuoratur, atq; in dolore poſitus, exterius, interiuſque confunditur, vt ſua deterius confuſione crucietur. Reprobis ergo ordo in ſupplicijs non erit; quia in eorum morte atrocius ipſa confuſio mentis ſæuit, quam tamen mira potentia iudicantis æquitas ordinat, vt pæna animam quaſi inordinata confundat. Vel certè abeſſe ordo ſupplicijs dicitur, quia quibuſlibet rebus in pænam ſurgentibus, propria qualitas non ſeruatur. Vnde ſubinfertur: Et ſempiternus horror inhabitat. In huius vitæ tormentis, timor dolorem habet, dolor timorem non habet: quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati iam cæperit quod metuebat: Infernum vero & vmbra mortis obſcurat, & ſempiternus horror inhabitat; quia eius ignibus traditi; & in ſupplicijs dolorem ſentiunt, & in doloris anguſtia pulſante ſe ſemper pauore, feriuntur, vt & quod timent tolerent: & rurſum quod tolerant, ſine ceſſatione pertimeſcant. De his enim ſcriptum eſt: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Hic flamma, quæ ſuccendit illuminat: illic ignis, qui cruciat, obſcurat. Hic metus amittitur cum tolerari iam cæperit, quod timebatur: illic & dolor dilaniat, & pauor anguſtat. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obſcuritate, &c. Quæ ſupplicia in ſe demerſos & vltra vires cruciant, & in eis vitæ ſubſidium extinguentes ſeruant, &c. Quia igitur & mors perimit, & non extinguit: dolor cruciat, ſed nullatenus pauorē fugat: flamma comburit; ſed nequaquam tenebras diſcutit; quantum per notitiam præſentis vitæ colligitur, ſupplicia ordinem non habent, quæ non ſuam per omnia qualitatem tenent; quamuis illic ignis, & ad cōſolationem non lucet, & tamē vt magis torqueat ad aliquid lucet. Et cap. 49: Nam ſequaces quoq; ſuos ſecum in tormento reprobi, flāma illuſtrante, viſuri ſunt, quorum amore deliquerunt, quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amauerunt, ipſorum quoq; eos interitus in augmentum ſuæ dānationis affligat. Quod profecto Euangelio atteſtante colligimus, &c. Qui igitur ad doloris ſui cumulum propinquorum abſentiū meminit, conſtat quia eos ad augmentum ſupplicij paulo poſt potuit etiam præſentes videre. Quid autem mirum ſi ſecum quoque reprobos aſpiciat cremari, qui ad doloris ſui cumulum eum quem deſpexerat in ſinu Abrahæ Lazarum vidit? &c. Ignis itaque qui in obſcuritate cruciat, credendum eſt quia lumen ad tormentum ſeruat. Quod ſi approbare teſtimonijs in ſua expreſſione non poſſumus, ſupereſt vt è diuerſo doceamus, &c. Sicut electis ignis ardere nouit ad ſolatium, & tamen ardere ad ſupplicium neſcit: ita è diuerſo gehennæ flamma reprobis nequaquam lucet ad conſolationis gratiam; & tamen lucet ad pænam, vt damnatorum oculis ignis ſupplicij, & nulla claritate candeat, & ad doloris cumulum delecti qualiter crucientur oſtendat. Et cap. 46: Terram miſeriæ, & tenebrarum, &c. quia foris dolor cruciat, quos diuiſos à vero lumine intus cæcitas obſcurat, &c. Natura ignis eſt, vt ex ſeipſo & lucem exhibeat, & concremationem; ſed tranſactorum vltrix illa flamma vitiorum, concretionem habet, & lumen non habet, &c. Si ignis qui reprobos cruciat lumen habere potuiſſet, is qui repellitur, nequaquam mitti in tenebras diceretur. Hinc etiam Pſalmiſta ait: Super eos cecidit ignis, & non viderūt Solem, &c. Quia illos quos gehennę flamma deuorat, à viſione veri luminis cæcat, vt & foris eos dolor combuſtionis cruciet, & intus pæna cæcitatis obſcuret, &c.

Et hom. 32. in Euang: Frumentum ſi ſeruas, perdis: ſi ſeminas reuocas, &c. Et lib. 27. Mor. cap. 22: Quid electi ſunt, niſi frumenta Dei cœleſtibus horreis recondenda? Quæ nunc in tritura areę paleas tolerant; quia in hac purgatione ſanctæ Eccleſiæ mores cōtrarios reproborum portant, quouſque hanc interius agricola ventilabro iudicij dirimat, & in ſuperna habitacula electos ſuos, quaſi munda iam grana, ſuſcipiens, æternis paleas ignibus tradat. Vnde bene per Ioannem dicitur: Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

Epiph. hæreſi 66: Dic mihi, ô Manes, animas illic ligant, aut corpora cum anima exurunt, aut ipſas animas? Apocal. 14: Et alius Angelus exiuit de templo, clamans voce magna ad ſedentem ſuper imbrem: Mitte falcem tuam, & mete: quia venit hora vt metatur, quoniam aruit meſſis terræ.

Marginalia (left): Supplicia inferni duplicitet ſunt inordinata. 1 Modus. 2 Modus. Gehenna ſimul habet pænam, & timorē. Eſa 66. Gehenna ſimul habet flammam, & tenebras. Gehenna habet oppoſita. Quomodo ignis gehennæ lucet. Greg. Luc. 16.

Marginalia (right): Dan. 3. Greg. Iob 10. Quomodo ignis gehennæ nō luceat. Matt. 22. Pſal. 57. Greg. Frumētum ſeminādū. Frumenta quid. Hic mali ſunt cum bonis. Horreum. Epiph.

Cap. 62. *Parabola ſeminis.*

Matt.		*Mar. 4.*	*Luc.*	*Ioan.*
	1	ET dicebat: Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & ſemen germinet, & increſcat, dum neſcit ille.		
	2	Vltrò enim terra fructificat, primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica.		
	3	Et cum produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis.		

Not. 1.

Bed. BED. Mar. 4: Semen homo iactat in terram, cum cordi ſuo bonam intentionem inſerit. Et poſtquam ſemen iactauerit, dormit: quia iam in ſpe boni operis quieſcit. Nocte verò exurgit ac die, quia inter aduerſa, & proſpera proficit. Et ſemen germinat & creſcit, dum ille neſcit: quia & cum adhuc metiri incrementa ſua non valet, ſemel concepta virtus ad profectum ducitur: & vltro terra fructificat, quia præueniente ſe gratia, mens hominis ſpontanea ad fructum boni operis aſſurgit. Sed hæc eadem terra primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum producit in ſpica. Herbam quippe producere, eſt inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad ſpicam vero herba peruenit cum ſe virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum verò frumentum in ſpica fructificat: quando iam in tantum virtus proficit, vt eſſe robuſti, & perfecti operis poſſit. Et cum ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt tempus meſſis. Omnipotens enim Deus producto fructu mittit falcem, & meſſem ſuam deſecat: quia cum vnumquemque ad opera perfecta perduxerit, eius temporalem vitam per emiſſam ſententiam incidit, vt granum ſuum ad cœleſtia horrea perducat. Cum ergo deſideria bona concipimus, ſemen in terram mittimus; cum verò operari recta incipimus, herba ſumus, cum autem ad perfectum boni operis creſcimus, ad ſpicam peruenimus. Cum in eiuſdem operationis perfectione ſolidamur, iam plenum frumẽtum in ſpica proferimus. Nullus itaque, qui ad bonum propoſitum adhuc in mentis teneritudine eſſe conſpicitur, deſpiciatur; quia frumẽtum Dei ab herba incipit, vt granum fiat. Habent eadem Euth. Theoph. Victor, & alij Mar. 4.

Eut. Theoph. Vict. Amb. Ambroſ. lib. 3. hexam. cap. 10: Denique hodieque fœcunditas terræ veterem affluentiam ſpontaneo vſu fertilitatis operatur. Quam multa ſunt enim, quæ adhuc ſponte generantur. Sed etiam in his ipſis quæ manu quæruntur, magna ex parte manent nobis diuina beneficia, vt frumenta ipſa quieſcentibus inferantur. Quod propoſitæ docet lectionis exemplum, dicẽte Domino, quia ſic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iactet ſemen ſuper terram, & obdormiat, inquit, & exurgat nocte, & die, & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille. Vltro enim terra fructificat, primo herbam, deinde ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica, & cum produxerit fructum, ſtatim mittit falcem; quoniam adeſt meſſis. Dormienti igitur tibi, ó homo, & neſcienti fructus ſuos vltro terra producit, dormis, & ſurgis, & frumenti per noctem incrementa miraris.

Not. 2.

Greg. GREGOR. lib. 22. Moral. cap. 20: Nemo autem infima deſerens, repentè fit ſummus: quia ad obtinendum perfectionis meritum, dum quotidie mens in altum ducitur, ad hoc procul dubio velut aſcenſionis quibuſdam gradibus peruenitur. Vnde hic quoque aptè ſubiungitur: Per ſingulos gradus meos pronunciabo illum. De his quippe meritorum gradibus per Pſalmiſtam dicitur: Ambulabunt de virtute in virtutem. Pſal. De his iterum ſanctam Eccleſiam contemplatus ait: Deus in gradibus eius dinoſcitur, dum ſuſcipiet eam. Neque enim ſicut dictum eſt repentè ad ſumma peruenitur, ſed ad virtutum celſitudinem per incrementa mens ducitur. Hinc namque eſt, quod Propheta idem iterum dicit: Exercitatus ſum, & defecit pauliſper ſpiritus meus. Quid eſt itaque quod ait: Spiritus meus, niſi ſpiritus hominis, ſpiritus videlicet elationis? & quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperata deſuper menſura proficimus: quanto in nobis quotidie de Dei ſpiritu virtus creſcit, tanto noſter ſpiritus deficit. Qui ſpiritus erroris, quia non à nobis ſubito amputatur, bene pauliſper defeciſſe perhibetur. Tunc verò in Deo planè proficimus, cum à nobis ipſis funditus defecerimus. Hæ itaque creſcentium menſuræ virtutum, ſancti viri vocibus gradus dicuntur. Electus etenim quiſque à rudimenti ſui prius teneritudine inchoans, ad robuſta poſtmodum, & fortia conualeſcit. Quod apertè in Euangelio demonſtrat Veritas, dicens: Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi iaciat homo ſementem in terram, & dormiat: & exurgat nocte, ac die, & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille. Cuius nimirum ſeminis incrementa denuncians adiungit: vltro enim terra fructificat primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum, in ſpica. Cuius profectus quoque etiam finem ſubrogat, dicens: Et cum ex ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam venit tempus meſſis. Ecce veritatis voce per qualitates frugum, diſtincta ſunt incrementa meritorum. Ait enim: Primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. An non herba adhuc tunc fuerat Petrus, cum ab ancillæ ore ſubito vnius flatu ſermonis inflexus eſt: iam quidem per deuotionem viridis, ſed adhuc per infirmitatem tener? Plenum verò frumentum in ſpica inuentus eſt, quando perſequentibus principibus reſiſtebat, dicens: Obedire oportet magis Deo, quam hominibus. Act. 5. Plenum verò frumentum in ſpica inuentus eſt, quando in tritura perſecutionis tot verbera pertulit: & tamen nequaquam palearum more imminutus eſt, ſed granum integrum manſit. Pauliſper quippe in vnaquaque anima, vt ita dicam, internæ gratiæ humor exuberat, vt herba in frugem creſcat. Nemo ergo quemlibet proximum cum adhuc herbam videt, de frumento deſperet. Ab herbarum quippe folijs, quæ huc illucque molliter defluunt ſurgentia frugum grana ſolidantur. Et hom. 15. in Ezech: Greg. Sed quia per occultam inſpirationem gratiæ, meritorum ſuorum gradibus fides creſcit, vno, eodemque tempore is, qui necdum perfectè crede-

crediderit, ſimul & [illegible] debit, & incredulus e-
rat. Hos nimirum gradus Dominus ſub meſſis
nomine deſcribit, dicens: Sic eſt regnum Dei,
quemadmodum ſi homo iaciat ſemen in ter-
ram, & dormiat, & exurgat nocte, ac die, & ſe-
men germinet, & creſcat dum neſcit ille. Vltro
enim terra fructificat, primum herbam, deinde
ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica; Et
cum ex ſe produxerit fructus, ſtatim mittit fal-
cem: quoniam adeſt tempus meſſis. Semen ho-
mo iactat in terram, cum cordi ſuo bonam in-
tentionem inſerit: & poſtquam ſemen iactaue-
rit, dormit: quia iam in ſpe boni operis quieſcit.
Nocte vero exurgit, ac die, quia in aduerſa, &
proſpera proficit; & ſemen germinat, & creſcit,
dum neſcit ille: quia dum adhuc metiri incre-
menta ſua non valet, ſemel concepta virtus ad
perfectum ducitur. Et vltro terra fructificat:
quia præueniente ſe gratia mens hominis ſpon-
taneè ad profectum boni operis aſſurgit. Sed
hæc eadem terra primum herbam, deinde ſpi-
cam, deinde plenum frumentum producit in
ſpica. Herbam quippe producere, eſt inchoatio-
nis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad ſpi-
cam vero herba peruenit, cum ſe virtus animo
concepta, ad profectum boni operis pertrahit.
Plenum verò frumentum in ſpica fructificat,
quando iam in tantum virtus proficit, vt eſſe
robuſti, ac perfecti operis poſſit. Sed cum ex ſe
produxerit fructus, ſtatim mittit falcem; quo-
niam adeſt tempus meſſis. Omnipotens enim
Deus producto fructu, falcem mittit, & meſſem
ſuam deſecat; quia cum vnumquemque ad ope-
ra perfecta perduxerit, eius temporalem vitam
per emiſſam ſententiam incidit: vt granum ſuum
ad cœleſtia horrea perducat. Cum igitur deſi-
deria bona concipimus, ſemen in terram mit-
timus. Cum vero operari recta incipimus, her-
ba ſumus. Cumque in eiuſdem operationis per-
fectione ſolidamur, iam plenum frumentum
in ſpica profecimus. Herba etenim Petrus fue-
rat, qui paſſionis tempore, per amorem Domi-
num ſequens, hunc confiteri ante ancillæ vo-
cem timebat. Erat enim iam viriditas in men-
te; quia credebat omnium Redemptorem; ſed
valde adhuc flexibilis pede conculcabatur ti-
moris. Iam in ſpicam ſurrexerat, quando eum,
quem moriturum confiteri timuerat, nuncian-
te Angelo in Galilæa viuentem videbat Sed ad
plenum granum in ſpica peruenerat, quando
veniente deſuper ſpiritu, & ſuam mentem in
illius amore roborante, ita ſolidatus eſt, vt vi-
res perſequentium caſus deſpiceret, & Redem-
ptorem ſuum liberè inter flagella prædicaret.
Nullus itaque, qui ad bonum propoſitum ad-
huc in mentis teneritudine eſſe conſpicitur, de-
ſpiciatur, quia frumentum in herba incipit, vt
granum fiat.

CAP. 63. *Parabola ſynapi, & fermenti.*

Matt. 13.	*Mar. 4.*	*Luc 13.*	*Ioan.*
1 ALiam parabolã propoſuit eis, dicens: *Dom. 6 poſt Epiph.* ✠ Simile eſt regnum cœlorum grano ſynapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo.	1 ET dicebat: Cui aſſimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud? Sicut granũ ſynapis, quod cum ſeminatum fuerit in terra.	1 (c.115.) DIcebat ergo: Cui ſimile eſt regnum Dei? & cui ſimile æſtimabo illud? Simile eſt grano ſynapis, quod acceptum homo miſit in hortum ſuum:	
2 Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus.	2 Minus eſt omnibus ſeminibus, quæ ſunt in terra.		
3 Cùm autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.	3 Et cùm ſeminatum fuerit, aſcendit, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita vt poſſint ſub vmbra eius aues cœli habitare.	3 Et creuit, & factum eſt in arborem magnam; & volucres cœli requieuerunt in ramis eius.	
4 Aliam parabolam locutus eſt eis: Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.		4 Et iterum dixit: Cui ſimile æſtimabo regnum Dei? Simile eſt fermẽto, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſata tria, donec fermentaretur totum. (c.116.	
5 Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas: & ſine parabolis non loquebatur eis.	5 Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire: ſine parabolis autem non loquebatur eis.		

 Vt im-

Matt. 13	*Mar. 4.*	*Luc.*	*Ioan.*
6 Vt impleretur quod dictum erat per Prophetam, dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. ✠			
	7 Seorſum auté diſcipulis ſuis diſſerebat omnia. (Et ait illis [illegible] cap. [illegible]).		

Not. 1.

Bis à Chriſto dictæ ſunt hæ parabolæ.

Animadvertendum Chriſtum populo ſæpius has duas parabolas propoſuiſſe, ſemel ad mare ex nauicula, vt hic ex Matt. & Mar. narratur, & alias in ſabatho in ſynagoga, vt hic ex Luca refertur, quas hoc loco viſum eſt collocandas.

Ver. 1 2. 3.

Hier. Hier. Matt. 13: Regnum cœlorum prædicatio Euāgelij eſt, &c. vt lect. 7. 8. 9. Dom. [illegible] poſt Epip. Aſſumamus & nos pennas columbæ, vt volitantes ad altiora poſſimus habitare in ramis huius arboris, & nidulos nobis facere doctrinarum, terrenaque fugientes ad cœleſtia feſtinare. Multi legentes granum ſynapis minimum omnibus ſeminibus, & illud quod in Euangelio à diſcipulis dicitur: Domine, adauge nobis fidem, & reſpondetur eis à Saluatore: Amen dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſynapis, & dixeritis monti huic, migra de loco iſto, & migrabit. Putant Apoſtolos, vel paruam fidem petere, vel Dominum de parua fide dubitare, cum Apoſtolus Paulus fidem grano ſynapis comparatam maximam indicet. Quid enim dicit: Si habuero tantam fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Ergo quod Dominus dixit fide fieri, quæ grano ſynapis comparatur, hoc Apoſtolus docet tota fide poſſe fieri.

cap. 16 146.

1 Cor. 13.

Amb. Cur fides grano ſynapis comparatur.

Ambroſ. ſer. 1: Monet fortaſſe ſenſus veſtros cur regnum Dei tam præclarum, atque tam magnificum grano ſynapis exiguo comparetur; & ſpei noſtræ, tam grande ſolatium rei viliſſimæ ſimile eſſe dicatur, præſertim cum alibi idem Dominus diſcipulis dicat: Si habueritis fidem ſicut granum ſynapis, dicetis huic monti tollere, & iactare in mare, & fiet. Igitur ſi fides mira eſt, quæ poteſt ab ipſis ſedibus montium fundamenta transferre, neceſſario ergo & granum ſynapis magnum eſt, ad cuius ſimilitudinem fidem habere compellimur. Magnum autem dixerim, non ſpecie; ſed virtute, & fidei qualitate, non oleri comparandum, ſed vigore acrimoniæ coæquandum. Nam ſi diligenter intendamus inuenimus rectè à Domino hanc ſimilitudinem comparatam. Sicut enim granum ſynapis prima fronte ſpecie ſui eſt paruum, vile, deſpectum, non ſaporem præſtans, non odorem circumferens, non indicans ſuauitatem. At vbi teri cœperit, ſtatim odorem ſuum acrimoniæ exhiber, cibum flammei ſaporis exhalat, & tanto feruoris calore ſuccenditur, vt mirum ſit in tam friuolis granis tantum ignem fuiſſe concluſum, cuius etiam ſemini cibum [illegible] homines hyemis præcipuè tempore magna pro ſtrenuitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores exerant, viſcerum interna [illegible] ſæpe etiam ex hoc capiti adhibere [illegible] vt ſi quid inualidum, ſi quid ægrotum [illegible] ſynapis igne curetur. Ita ergo & fides Chriſtiana prima fronte videtur eſſe parua, vilis, & tenuis, non potentiam ſuam oſtendens, non ſuperbiam præferens, non gratiam [illegible]. At vbi diuerſis tentationibus teri cœperit, ſtatim vigorem ſuum prodit, acrimoniam [illegible], calorem Dominicæ credulitatis aſpirat, & tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipſa feruens, & participantem ſibi ardere compellat. Sicut in ſancto Euangelio Amaon, & Cleophas dixerunt, dum enim ipſis poſt paſſionem Dominus loqueretur: Nonne cor noſtrum erat ardens in nobis in via, dum aperiret nobis Dominus Ieſus ſcripturas? Ergo granum ſynapis membrorum viſcera calefacit, fidei autem vigor cordium peccata comburit. Et illud quidem aſperum algorem frigoris remouet, hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Synapi iniquos humores decoquit corporum: fides autem libidinum fluenta conſumit. Et per illud medicina capiti procuratur, per fidem autem ſpirituale caput noſtrum, quod eſt Chriſtus Dominus, ſæpius refouetur. Sed & fides iuxta cōparationem ſynapis [illegible] fruitur; ſicut ait beatus Apoſtolus: Quoniam Chriſti bonus odor ſumus Deo. Granum ſynapis cum teritur accenditur, [illegible] nis ſuæ euomit. Synapis, inquam, [illegible] calido vapore decoquitur. Et [illegible] des Chriſtiana, quæ regnum eſt, [illegible] rem obtinet, quem ſynapis natura [illegible]. Nam ſicut cum ſynapis ſuccum [illegible] tu contriſtamur, fronte contrahimur, ad lacrymas promouemur, & ipſam ſalubritatem corporis noſtri cum quodam fletu [illegible] pimus. Illinc enim nos amaritudo [illegible], acrimonia penetrat, hinc calor [illegible] accendit, & toto perturbati corpore [illegible] ſani efficimur, cum amplius deploramus. Ita ergo cum fidei Chriſtianæ mandata [illegible] mus, contriſtamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas promouemur, & ipſam noſtram ſalutem cum quodam fletu, [illegible] quimur. Inde enim ieiunia nos [illegible] hinc peccatorum conſcientia [illegible] rimonij iactura conturbat, & [illegible] habitu magis ſalutem conſequimur [illegible]

Granū ſynapis quomodo ſit magnum, & paruum. In quibus fides, & ſynapis conueniant

Proprietates ſynapi.

Luc. 24

2 Cor. 2.

deſtramus, ſecundum quod ait Dominus: Vos plorabitis, & plangetis, ſæculum autem gaudebit. Sicut autem cum ſinapis caput forte curandum eſt, iubemur à medicis capillos demere, impedimenta omnia vniuerſa deponere vt nudo corpori perfectius medicina proueniat; ita & nostra anima, per fidem curanda eſt, præcipimur ſubſtantiam à nobis ſæculi auferri, impedimenta auri, argentique deponere, vt nudæ, & ſoli animæ congruentius ſpiritualis medicina proueniat. Quiſquis enim rebus mundi, & diuitiis ſæculi obuolutus eſt, huic fidei medicina non proderit. Ergo quod ſuccus ſynapis in corpore, hoc fides Chriſtiana operatur in anima. Diximus ſuperius ſanctis Martyribus, quia diuerſis attriti ſunt paſſionibus, naturam ſynapis poſſe congruere. Sed quoniam dicit ſcriptura: Et excreuit, & facta eſt arbor, & volucres requieuerunt in ramis eius. Arbitror hoc ipſi Chriſto Domino rectius comparari, qui naſcêdo in hominem humiliatus, vt granum eſt, aſcendendo in cælum exaltatus vt arbor eſt. Granum planè Chriſtus eſt dum patitur, arbor eſt cum reſurgit. Granum, inquam, eſt cum famem eſuriens ſuſtinet, arbor eſt cum quinque panibus ſaturat quinque milia virorum. Ibi ſterilitatem humana conditione patitur, hic ſatietatem propria diuinitate largitur. Granum autem dixerim Dominum, cum cæditur, contemnitur, increpatur, arborem autem cum cæcos illuminat, mortuos reſuſcitat, peccata condonat. Quod autem granum ſit, ipſe dicens in Euangelio ait: Niſi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Huius igitur grani, hoc eſt, Domini Saluatoris velut ſynapis acrimoniam, atque amaritudinem Iudæi minime ſuſtinentes contempſerunt ſuccum cæleſtis diſciplinæ accipere, dicentes illuminato illi cæco: Tu ſis diſcipulus eius, nos autem Moyſi diſcipuli ſumus. Quem eſſe hominem hunc putamus, qui acceptum granum velut granum ſynapis, in ſuo horto ſeminauit? Ego illum eſſe arbitror, de quo Euangeliſta refert: Ecce autem Ioſeph, qui erat Decurio ab Arimathia, acceſſit ad Pilatum, petens vt depoſitum corpus Domini ſepeliret: quod acceptum tradidit ſepulturæ, quæ in horto fuerat præparata, atque ideo ait ſcriptura: Quod acceptum homo miſit in hortum ſuum. Ergo Ioſeph hortus floſculòrum erat diuerſis odoribus plenus, ſed necdum in eo tale germen inſeuerat. Fragrabat quidem ſpecialis eius animæ hortus varia ſuauitate virtutum; ſed necdum Chriſtum cum aromatibus in cordis ſui ſecreto poſuerat. Ita dum Saluatorem in hortuli ſui monumento ſepelit, magis illum in animæ ſuæ intimis collocauit. Ramos autem huius arboris ſi requiris, inuenies, quia ramus eſt Petrus, ramus eſt Paulus, rami ſunt omnes Apoſtoli, vel Martyres, ad quos ſi quis ſe fortiter tenere voluerit, fluctibus ſæculi minimè fatigabitur, quin potius ſub vmbra illorum neque gehennæ non patietur ardorem, ſecurus à diabolicæ tempeſtatis procella. Idem eſt apud Aug. ſer. 33. de Sanctis.

Cæſarius Nazianzeni frater dialogo 1: Quomodo in grano ſynapis omnium ſeminum minutiſſimo immenſæ multitudines, & nationes Angelorum, & Archangelorum locum habebunt, niſi dicamus ſimilitudine vſum eſſe ſapientiſſimum Dominum? idque vel propter humilem voluntariæ paupertatis, vel ad noſtram tenuitatem demiſſionem, per quam nobis vmbra, & refrigerium fit dolorum præſentis vitæ, vel propter mediocritatem Euangelici gregis, qui erat ab initio, vel propter diuinitatis in ſermone acredinem, per quam cientur riues lacrymarum delicatis, & mollibus per virtutem intellectile pœnitentiæ ſynapi participantibus: quo & diuinus Vates Dauides ſe ſatiatum canit: Lauabo ſingulis noctibus lectum meum, ſtratum meum lacrymis meis rigabo. Et rurſus: Decurſibus aquarum ſubmerſi ſunt oculi mei, vel propter futurum diuinum iudicium, quod acerbum ſuperueniet iis, qui ſuperati ſunt à vitiis, quemadmodum vbique diuina pagina perhibet, & externæ doctrinæ per Platonem vlulatus lugubres in igni futuros minantur; vel propter indiuiſam, & inſeparabilem ſermonis, & carnis vnionem, & vnam hypoſtaſin, nullo verbo, aut cogitatione ſeparabilem. Nam ilico excidit diuini regni granum per digitos meus eorum, qui diuidunt, blaſphemorum manibus, includi nequaquam ſuſtinens. — Cæſar. — Quomodo minimum. — Pſal. 6

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 199: Plurimis de cauſis Dominus cælorum regnum ſynapis grano comparauit; nempe ob paupertatis, quam pro indulgenti ſua demiſſione ſubiit, vilitatem; quæ nobis vmbram, atque ab huius vitæ doloribus leuationem conciliauit: ob ouilis, in Euangelii primordiis, tenuitatem: ob naturalem ſynapis acrimoniam, qua etiam opus habet is, qui per arctam viam mercaturæ cauſa graditur: ac denique quia nec ſectione quidem amputatur: verum indiuiſam hypoſtaſim conſeruat. Nam qui Deo copulatus, atque in vnum perfectum hominem compactus eſt, eiuſmodi cum eo coniunctionem habere debet, quæ diuidi, ac ſcindi nequeat, nec vlla calamitate diuelli poſſit: verum omni ex parte cum eo coniuncta ſit. — Iſidor. — Cur grano ſynapis regnum cælorum ſimile. — Quoniã eſſe debet, cum Deo coniunctus.

Pauli. ep. 6. ad Sulpit. Seuer: Memento, granum ſynapis, de quo ſermone ſumus, ſi conteratur, accendi magis; & tum demum in vim ſuam excitari. Quamobrem debemus quaſi naturæ noſtræ in hoc reſpondere, vt aduerſis ſermonibus contriti, inardeſcamus ad fidem: & eos ipſos, qui nos, vt minimos hominum ſcilicet, quaſi granum ſynapis, quod minimum eſt ſeminum, frangere conantur, vramus. — Paul.

Aug. lib. 1. Quæſt. Euangelicarum cap. 11: Granum ſynapis ob feruorem fidei, vel quod dicatur venena expellere, maius fit omnibus oleribus, id eſt, dogmatibus. Dogmata autem ſunt placita ſectarum; id eſt, quod placuit ſingulis ſectis. — Aug. — Quomodo maius.

Greg. lib. 19. Moral. cap. 2: Rami huius arboris ſancti prædicatores ſunt. Et videamus quam latè tendantur. Quid enim de eis dicitur? In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines — Greg. — Rami. — Pſal. 18.

Volucres nes orbis terræ verba eorum. In illius ramis volucres requieſcunt, quia ſanctæ animæ quæ quibuſdam virtutum pennis à terrena cogitatione ſe ſubleuant, in eorum dictis, atque conſolationibus ab huius vitæ fatigatione reſpirant.

Not. 2. verſ. 4.

Aug. AVG. lib. 1. Quæſt. Euang. cap. 12: Mulierem ſapientiam dicit: Fermentum dilectionem: quod feruore facit, & excitat. In farinæ ſatis tribus, vel tria illa in homine, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente: vel tria illa fructifera, centeſimum, ſexageſimum, triceſimum; vel tria illa genera hominum, Noe, Daniel, & Iob. Et ſer. 32. de verbis Domini: Tria ſata farinæ, de quibus Dominus loquebatur, genus humanum eſt. Recolite diluuium. Vnde cæteri repararentur, tres remanſerunt. Tres filios habebat Noe, de ipſis reparatum eſt genus humanum. Mulier illa ſancta, quæ abſcondit fermentum, ſapientia eſt.

Mulier. Fermentũ. Tria ſata. Deut. 6. Matt. 12. Ezech. 4. Aug. Tria ſata. Gen. 9. Mulier.

Cyril. Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 17: Quid fœmina ſit, & quæ ſatorum Trinitas, aut omnino ſatum quid ſit, loco ſuo dicetur. Nunc autem de fermento ſolum dicamus. Sicut paruum (vt Paulus ait) fermenti totam maſſam fermentat: ſic paruula benedictio totum hominem in ſeipſum attrahit, & ſua gratia replet. Et hoc modo Chriſtus in nobis manet, & nos in Chriſto. Verè enim totum fermentum in totam maſſam pertranſiit.

Cyr. Cyrillus citatur paulo ante, Lucam. Fermentum. 1. Cor. 5.

Iſidor. lib. 1. ep. 201: Cœlorum regnum fermento comparatum eſt, hoc eſt, Domini, ac Saluatoris noſtri incarnationi, peccati omnis experti, quæ vniuerſum terrarum orbem conſperſit: & vnius corporis ex noſtra ſubſtantia, atque à Dei genitrice Maria ſumpti, coagmentatione, quæ homines omnes, qui ab orbe condito exſtiterunt, ad nouum ortum renouauit.

Iſidor. Fermento cur ſimile ſit regnum cœlorum.

Cæſarius dialogo 4: Cupimus ex te diſcere quomodo intelligatur parabola fermenti. Dupliciter mihi videtur intelligenda ea parabolica oratio. Verum ipſa primum recitata, deinde conſiderationem eius inferamus. Simile eſt regnum cœlorum fermento, &c. Fermento mihi videtur doctrinam, & fidem in ſe comparare Dominus: mulieri autem Eccleſiam ſuam, quam & dilexit, quemadmodum, inquit diuus Apoſtolus: Farinæ vero ſata tria, tres Noe filios, Semum, Chamum, & Iaphetum, ex quibus ſolis poſt diluuium omnes prodierunt gentes, quæ nunc in Eccleſia congregantur, quibus doctrina prædicationis, & fides veluti fermentum immiſſa, totam gentium farinam, quæ conſtat ex tribus Noe ſatis, ratione præditis, fermentauit ad cultum Dei. Quod ſi aliter dicta audire placet, fermentum intelligatur, venerandum, & diuinum corpus Dei: quod in vtero intactæ virginis ſibi circumdandum formauit, abſque ſemine conceptus, & vnitus tam animæ, quam corpori. Præterea mulier prudens merito eſſe intelligatur Sanctus ille, ac viuus, perque ſe ſubſiſtens Dei ſermo, propter fœmininam appellationem. Chriſtus enim Dei potentia, & Dei ſapientia eſt, inquit diuus Apoſtolus. Farinæ autem ſata tria, primum quidem intelligamus talium naturam, deinde mortis, poſtea arcam, in quo abſconditum per ſepulturam corpus diuinum, fermentauit omnia in reſurrectionem, & vitam. Audi etiam alio modo, eſſe tria ſata, baptiſmum, Euangelia, myſteria. Aliter tria intelligantur Apoſtoli, Vates, & Doctores. Et aliter: Præterita, præſentia, & futura. Non enim propter præſentes incarnatus, & ſolis profuit; ſed & præcedentes à morte reſuſcitauit, & poſteris ſpem reſurrectionis viuifique dedit, propterea quod à mortuis ſuſcitatus ſepultos quoſdam reſuſcitauit, & ipſe quidem cœlos eſt ingreſſus, illos autem in regionem viuentium tranſtulit, vbi Helias, & Enochus ſunt, non amplius morituros.

Cæſar. Fermentum quid. Mulier. Tria ſata. Farina. Fermentum. Farinæ ſata.

Ambroſ. ſer. 5. Fermenti vim atque virtutem omnibus notam eſſe non dubium eſt. Nam cum ſit magnitudine paruum, ſpecie ſimplex, natura commune, tantam fortitudinem intrinſecus gerit, vt cum reconditum fuerit in farina, ſuccus hoc totam maſſam faciat eſſe, quod ipſe eſt, & ita ſemper vniuerſum cumulum aſperſionis ſuæ vigore diffundit: vt omnem ipſam magnitudinem pollinis faciat fermentum, ac ſic res ipſa fortitudine ſua molem ſibi proprij vigoris acquirit. Hoc autem faciunt mulieres, vt viris ſuis ſalubriorem panem, & cibum vtilem diligenter exhibeant. Sed quoniam lex ſpiritualis eſt, & Euangelium ſpiritualiter parabolarum ratione ſubſiſtit, videamus quid ſit fermentum, quæ mulier, quæ farina. Legimus in ſancto Euangelio dicente Domino Chriſto de ſeipſo: Niſi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ergo ſi triticum Dominus, & Dominus eſt fermentum, quia fermentum non niſi de tritico fieri ſolet. Rectè ergo fermento Dominus comparatur, qui cum eſſet ſpecie homo, humilitate paruus, imbecillitate deiectus, tanta interioris ſapientiæ virtute pollebat, vt doctrinam eius mundus ipſe vix caperet, qui cum ſe cœpit per totum orbem diuinitatis vigore diffundere, ſtatim omne hominum genus in ſubſtantiam ſuam ſui poteſtate protraxit, vt & iugum Spiritus ſui ſancti infunderet omnibus, hoc eſt, Chriſtianos cunctos faceret eſſe, quod Chriſtus eſt. Nam quod homo Dominus Ieſus vnus, & ſolus eſſet in mundo tanquam fermentum in maſſa reconditum, vniuerſos homines præſtitit eſſe quod ipſe eſt. Quiſquis igitur illi fermento Chriſti adhæreſcit, efficitur, & ipſe fermentum, tam ſibi vtilis, quam idoneus vniuerſis, & de ſua certus ſalute, & de aliorum acquiſitione ſecurus. Sicut igitur fermentum cum in cumulum conſpergendum eſt farinatum, conſtringitur, comminuitur, diſſipatur, & ipſum omne diſſoluitur, vt diſperſam illam farinæ multitudinem in vnum vigorem conſtringat, atque in ſolidum corpus redigat, quod in puluere medium

dum ipſa diminutione languebat, faciatque coniunctione ſui vtilem maſſam, quod propria diſſolutione videbatur inutile. Sic ergo & Dominus Ieſus Chriſtus, cum eſſet totius mundi fermentum, diuerſis paſſionibus confractus, laceratus, & diſſolutus eſt, & ſuccus eius pro ſalute noſtra, qui eſt pretioſus ſanguis, effuſus eſt, vt admixtione ſui omne genus humanum ſolidaret, quod per diuerſa antra reſolutum iacebat. Sic enim velut fermentum quoddam nos, qui farina ex gentibus videbamur eſſe, adhæſimus. Nos, inquam, qui per totum orbem diſperſi, & diminuti penitus iacebamus, vigore paſſionis Chriſti, in ipſius corpus redacti ſumus: ſicut beatus Apoſtolus ait: Quoniam ſumus corpus Chriſti & membra. Nos igitur qui ex nationibus in pulueris modum è terræ facie iactabamur, aſperſione ſanguinis Domini in maſſam ſoliditatis eius aggregamur. Mulier autem quæ dicitur abſcondere in farina fermentum, quæ eſt niſi ſancta Eccleſia quæ quotidie doctrinam Chriſti in cordibus noſtris conatur abſcondere? Ipſa, inquam, eſt mulier, quæ in alio loco etiam molere dicitur, ſicut ait Dominus: Erunt duæ molentes, vna aſſumetur, & vna relinquetur. Molit enim ſancta Eccleſia per legem, per Apoſtolos, per Prophetas, cum catechumenos facit, & aſperitatem Gentilitatis diſſipat, atque comminuit, vt emolitos eos in farinæ modum aptos faciat fermento Dominici ſanguinis adhærere. Fermentum enim dixerim totam Domini paſſionem. Fermentum enim ſalutis noſtræ eſt ſymbolum, ſine quo fermento vel ſymbolo, nemo poteſt vitæ æternæ ſubſtantiam promereri: & quia duas Euangelium deſcribit molentes, atque vnam Eccleſiam diximus ſalubriter molere, alteram quam niſi ſynagogam accipere debemus? Molit enim & ipſa per Moyſem, & Prophetas, ſed inutiliter molit, ſicut dicit Apoſtolus de Iudæis: Æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Inutiliter, inquam, molit ſynagoga, quia maſſam ſuam Chriſti doctrina non temperat. Atque ideo euitandum præcepit ſynagogæ Dominus eſſe fermentum, dicens: Cauete vos à fermento Phariſæorum. Temperatum eſt enim ſanguinibus, & crudelitatibus Iudæorum dicentium de Domino: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Vnde ait Euangelium: Erant duæ molentes; vna aſſumetur, & altera relinquetur. Aſſumetur enim in requiem æternam ſancta Eccleſia, quæ Domino cibum ſanctitatis emoluit. Relinquetur ad molas cruenta ſynagoga, gyrum ſemper paſſura ſuæ perfidiæ.

[Margin: Epheſ. 5. — [illegible] — cap. 162 — Molere quid ſit. — Eccleſia bene molit non ſynagoga. — cap. 77 — cap. 162.]

Hiero. Matth. 13: Diuerſus eſt hominum ſtomachus, alij amaris, alij dulcibus, alij auſterioribus, alij lenibus delectantur cibis. Proponit itaque Dominus, vt iam ſupra diximus, diuerſas parabolas, vt iuxta vulnerum varietates, & diuerſa medicina ſit. Mulier iſta quæ fermentum accepit, & abſcondit illud in farinæ ſatis tribus, donec fermentaretur totum, vel prædicatio mihi videtur Apoſtolica, vel Eccleſia, quæ de diuerſis gentibus congregata eſt. Hæc tollit fermentum, notitiam ſcilicet, & intelligentiam ſcripturarum, & abſcondit illud in farinæ ſatis tribus, vt ſpiritus anima, & corpus in vnum redacta non diſcrepent inter ſe: ſed cum duobus, vel tribus conuenerint, impetrent à patre, quodcunque poſtulauerint. Diſſeritur locus iſte & aliter. Legimus in Platone, & Philoſophorum dogma vulgatum eſt, tres eſſe in humana anima paſſiones *tò logicen*, quod nos poſſumus interpretari rationabile, *tò thymicon*, quod dicimus plenum iræ, vel iraſcibile, *to epithymeticon*, quod appellamus concupiſcibile: & putat ille Philoſophus rationabile noſtrum in cerebro, iram in felle, deſiderium in iecore commorari. Et nos ergo ſi acceperimus fermentum Euangelicum ſanctarum ſcripturarum, de quo ſupra dictum eſt, tres humanæ animæ paſſiones in vnum redigentur, vt in ratione poſſideamus prudentiam: in ira odium contra vitia, in deſiderio cupiditatem virtutum. Et hoc totum fiet per doctrinam Euangelicam, quam nobis mater Eccleſia præſtitit. Dicam & tertiam quorundam intelligentiam, vt curioſus lector è pluribus, quod placuerit, eligat. Mulierem iſtam & ipſi Eccleſiam interpretantur, quæ fidem hominis farinæ ſatis tribus commiſcuerit credulitati Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Cumque in vnum fuerit fermentata, non nos ad triplicem Deum, ſed ad vnius diuinitatis perducit notitiam. Farinæ quoque ſata tria dum non eſt in ſingulis diuerſa natura, ad vnitatem trahūt ſubſtantiæ. Pius quidem ſenſus, ſed parabolæ nunquam, & dubia ænigmatum intelligentia poteſt ad auctoritatem dogmatum proficere. Satum autem genus eſt menſuræ, iuxta morem prouinciæ Palæſtinæ, vnum & dimidium modium capiens. Dicuntur & alia de hac parabola, ſed non eſt præſentis materiæ totum de omnibus dicere. Et Oſee 8: In farinæ ſatis tribus mittit fermentum Euangelica mulier, vt ſpiritus, quo ſentimus; & anima, qua viuimus; & corpus quo incedimus, in vnum ſanctum Spiritum redigantur, iuxta Apoſtolum: In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.

[Margin: Hier. — Cur diuerſis parabolis Chriſtus vtatur. — Mulier. — Fermentum — Tria ſata. — Mulier eſt Eccleſia. fermentum eſt fides. — Tria ſata. — Satum. — Hier. — Tria ſata. — Act. 17.]

Not 3. ver. 5.

Avg. lib. quæſt. ex Matt. cap. 15: Et ſine parabolis non loquebatur eis: Non quia nihil propriè locutus eſt, ſed quia nullum fere ſermonem explicauit, vbi non aliquid per parabolam ſignificauit: quamuis in eo aliqua propria dixerit: ita vt ſæpe inueniatur totus ſermo eius parabolis explicatus: totus autem propriè dictus nullus inueniatur. Explicatos autem ſermones dico, quando ex aliqua occaſione rerum incipit loqui quouſque terminet, quidquid ad ipſam rem pertinet, & tranſeat ad aliud.

[Margin: Aug. — Quomodo Chriſtus ſine parabolis non loquebatur. — Sermo explicatus quid.]

Matthæus ver. 5. dicens: Hæc omnia locutus eſt, &c. Omnes parabolas iſtas ſimul eſſe dictas ad mare propè Capharnaum inſinuat.

Ver. 6.

Hier. in Pſal. 77: Aperiam in parabolis os meum. *[Margin: Hier.]*

In parabolis quare locutus ſit Dominus. meum. Euangeliſta Matthæus, hoc ex perſona Chriſti intellexit. Cum enim introduxiſſet Dominum dicentem in parabolis, & illi non intelligerent, hoc, inquit, factum eſt, vt impleretur, quod ſcriptum eſt: Aperiam in parabolis, &c.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. in Pſal. 48: Chriſtus multa loquebatur in parabolis, ſeparatim autem eas ſoluebat diſcipulis. Quomodo parabola dignum ab indigno diſtinguat. Parabola enim dignum ab indigno diſtinguit. Dignus enim quærit inuenire ea quæ dicuntur: indignus autem prætercurrit. Quod tunc etiam vſuuenit: Iudæi enim ne difficultate quidem excitati impellebantur ad interrogandum. Ita non attendebant omnino ea, quæ dicebantur: Ad incitandum autem ad exquiſitionem ſufficit, quando fuerit aliquid adumbratum, & obſcurum. Quocirca Chriſtus quoque hoc faciebat, & loquebatur in parabolis, eos ſtimulans, & incitans, vt audire cuperent qui ſupinè dormiebant, ſed ne ſic quidem attendebant. Diſcipuli autem animum adhibebant, & cum eſſent ignorantes, vel eo nomine maximè permanebant, quoniam ignorabant, quocirca eis ſeorſum ſoluebat parabolas.

CAP. 64. *Parabolæ Zizaniorum expoſitio.*

	Matt. 13.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*
1	TVnc dimiſſis turbis, venit in domum: & acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri.			
2	Qui reſpondens ait illis: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis: ager autem, eſt mundus: bonum verò ſemen, hi ſunt filij regni: zizania autem, filij ſunt nequam: inimicus autem, qui ſeminauit ea, eſt diabolus: meſſis verò, conſummatio ſæculi eſt: meſſores autem, Angeli ſunt.			
3	Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſæculi.			
4	Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.			
5	Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.			
6	Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum.			
7	Qui habet aures audiendi, audiat.			

Not. 1.

Ratio diſpoſitionis. ISTA parabolæ zizaniorum explanatio, alio capite quam ipſa parabola continetur. Siquidem, licet eandem expoſitionem à dicta parabola ſeparare: Quoniam alio tempore, & loco habita fuit, vt ex verſu 1. manifeſtum eſt. Vnde Hieron. Matt. 13. eiuſdem parabolæ interpretationem non ſtatim poſitam aſſerit, ſed interiectis alijs parabolis ediſſertam. Dictis enim parabolis, ac demiſſis poſtea turbis, venitur in domum, & tandem accedunt diſcipuli Dominũ poſtulantes parabolæ zizaniorum interpretationem. Tunc dimiſſis turbis, venit in domum, non quamcumque, ſed in quam ſe ſolebat Capharnai recipere, & vbi hoſpitabatur, vt Euth. Matth. 13. adnotauit. Iſdem verbis ſignificat Euangeliſta Chriſtum hiſce dictis parabolis non transfretaſſe, ſed veniſſe Capharnaum.

Hier.

Eut.

Epiph. Cur Dominus parabolam exponat. Epiph. hæreſi 66: Cum autem diſcipuli ipſius in domo dicerent: Explica nobis parabolam zizaniorum, ipſe ſoluit, ac reſpondit, vt non concederet impoſtori, vt anſam haberet contra veritatem. Reſpondet igitur clare Dominus, & dicit: Qui bonum ſemen ſeminauit eſt Deus, &c. Ipſe enim negat mundum Dei eſſe. Manes Dei eſſe mundum negat. Hic autem Saluator mundum dicit eſſe agrum, patremfamilias autem, ac Dominum agri, hoc eſt, Patrem ſuum, & ſeipſum ſeminaſſe bonum ſuum ſemen. Et neque diuiſit animas à corporibus, aut corpora ab animis. Sed inimicum hominem dicit ſeminaſſe zizania, quæ ſunt mali homines. Homines autem non dicit corpora per ſe, ſed ſimul dixit malos homines. Rurſus ſimiliter bonum ſemen paterfamilias ſeminauit in agro ſuo, bonos dicit homines, & non dixit horum animas, ſed bonos cum corpore, & anima. Proinde ergo per doctrinam ſeminauit Deus bonum in hominibus, & per malignam fraudem ſubſeminat mala opera diabolus in hominibus. Hinc atque hinc non reperiemus maliciei radicem, ſed opera quæ per nos fiunt.

Aug. Mali à bonis quādo ſeparati. Aug. lib. 20. de Ciuit. cap. 5: Rurſus alio loco cum de hominum bonorum, & malorum nunc permixtione, poſtea ſeparatione, quæ vtique in die iudicij futura eſt, loqueretur, adhibuit ſimilitudinem de tritico ſeminato, & ſuper ſeminatis zizanijs, eamque ſuis exponens diſcipulis: Qui ſeminat, inquit, bonum ſemen eſt filius hominis, &c. Hic quidem iudicium vel diem iudicij non nominauit, ſed multo eum clarius ipſis rebus expreſſit, & in fine ſæculi futurum eſſe prædixit. Quomodo hic iudiciū exprimatur.

Greg. Greg. hom. 32. in Euang: Regnum Dei, fratres cariſſimi, non ſemper in ſacro eloquio venturum

turum regnum dicitur, ſed nonnunquam præſens Eccleſia vocatur. Vnde ſcriptum eſt: Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala. In illo quippe regno ſcandala non erunt, vbi profecto reprobi non admittuntur. Quo videlicet exemplo colligitur, quod hoc loco regnum Dei præſens Eccleſia vocatur.

Duo regni Dei ſignificata.

Dam. Damaſce. hiſtoriæ Barl. cap. 9: Scandala & eos, &c. accepit eo loci, &, expoſitiue, pro, id eſt, vt ſcandala ſint ipſi facientes iniquitatem.

Not. 2. verſ. 6.

Leo. LEO ſerm. de Transfiguratione cap. 3: Aperit ergo Dominus corā electis teſtibus gloriam ſuam, &c. In qua Trāsfiguratione illud quidem principaliter agebatur, vt de cordibus diſcipulorum crucis ſcandalum tolleretur, &c. Sed non minore prouidentia ſpes ſanctæ Eccleſiæ fundabatur, vt totum corpus Chriſti agnoſceret, quaſi eſſet commutatione donandum: vt eius ſibi honoris conſortium membra promitterēt, qui in capite præfulſiſſet. De quo idem Dominus dixerat, cum de aduentus ſui maieſtate loqueretur: Tunc iuſti fulgebunt, ſicut Sol in regno Patris ſui.

Corpora beatorum quantam habebunt gloriam.

Hier. Ruf. Apud Hieron. ad finem ſymboli Rufini: Vnde cum hæc, & eorum ſimilia quam plurima, ſancti Dei in repromiſſionibus habeant in reſurrectione iuſtorum: non erit iam difficile credere etiam illa quæ Prophetæ prædixerant, quod iuſti ſcilicet fulgebunt ſicut ſol, & ſicut ſplēdor firmamenti in regno Dei. Cui enim difficile videbitur eos fulgorem ſolis habituros, ac ſyderum, ac firmamenti huius ſplendore decorandos, quibus vel vita, vel conuerſatio Angelorum Dei paratur in cœlis, vel conformandi dicuntur ad gloriam corporis Chriſti? Ad quam gloriam Saluatoris ore promiſſam ſuſpiciens ſanctus Apoſtolus dixit: Quia ſeminatur corpus animale, reſurget corpus ſpirituale. Si enim verum eſt, ſicut certe verum eſt, quod iuſtos quoque & ſanctos Angelorum conſortijs ſociabit diuina dignatio; certum eſt, quod & corpora eorum in ſpiritalis corporis gloriam vertet. Nec hoc tibi contra naturalem corporis rationem videatur eſſe promiſſum. Si enim credimus ſecundum ea quæ ſcripta ſunt, quod accipiens Deus limum terræ plaſmauit hominem, & hæc fuit natura corporis noſtri, vt voluntate Dei terra verteretur in carnem: Cur tibi aut abſurdum, aut contrarium videtur, ſi ijſdem rationibus quibus terra proficiſci dicitur in corpus animale, rurſum corpus animale in corpus proficiſci ſpirituale credatur? Hæc quidem atque his ſimilia multa inuenies in ſcripturis diuinis de reſurrectione iuſtorum. Dabitur autem etiam peccatoribus, vt ſupra diximus, incorruptionis, & immortalitatis ex reſurrectione conditio, vt ſicut iuſtis Deus miniſtrat ad perpetuitatem gloriæ, ita peccatoribus ad prolixitatem confuſionis miniſtret & pœnæ.

Declaritate beatorū. 1 Cor. 15. Gen. 2. Vt electi, & reprobi ſunt immortales.

Hier. Hiero. ad illud Pſal. 36: Noli æmulari in eo.) Ne inuidus ei ſis, iudicium tuum tanquam meridies. Tunc enim iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum: & erunt clara omnia, quæ nunc abſcondita ſunt.

In iudicio clara erunt omnia.

Aug. Apud Aug. lib. de cognitione veræ vitæ cap. 46: Hinc quæſtio non minima occurrit. Cum enim Dominus dicat: Fulgebunt iuſti ſicut ſol. Et Apoſtolus: Alia claritas ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum. Stella à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum, videtur Apoſtolus Domino contrarium ſentire. Videlicet quos hic velut ſolem fulgere aſſerat, ille quoſdam velut diuerſas ſtellas, alios velut lunam, alios velut ſolem fulgere aſtruat. Sed ſciendum eſt, quod Dominus gloriam ſanctorum generaliter expreſſit. Apoſtolus autem ſingulorum gloriam pro meritis diſtinxit. Vltimus ergo in regno cœlorum vt ſol fulgebit, qui tunc ſepties clarior, quam nunc erit. Et in hac claritate tantum quiſque ab alio pro meritis differt, quantum ſtella à ſtella in claritate differt. Alij autem hos in tantum diuerſæ claritatis gloria ita præcellunt, ſicut Lucifer Pleiades, luna luciferum, ſol lunam in claritate excellunt. Hos autem omnes tantum corpus Chriſti in claritate excedit, quātum Creator creaturas tranſcendit. Vnde & in dextra Dei Patris ſedere ſcribitur, quia in gloria diuinæ maieſtatis fulgere creditur. Igitur talis viſio, & talis gloria regnum cœlorum dicitur: quia ſoli cœli, id eſt, iuſti hac viſione fruuntur, quorum primum ſumme bonum eſt, in quo habent plenum gaudium de plenitudine omnium bonorum. Et lib. de vanitate ſæculi cap. 2: Vitam ergo æternam ex omnibus præcordijs veſtris amate, quam nunquam in ſæcula finiatis. Illuc feſtinate, vbi ſemper viuatis, & vbi iam mori nunquam timeatis. Si enim ſic amatis iſtam vitam miſeram, fluidamq; vbi cum tanto labore viuitis, & vbi vix currendo, ſatagendo, ſudando, ſuſpirando neceſſarijs corporis ſatisfacitis, quāto magis amare debetis, æternam vitam, vbi nullum laborem ſuſtinebitis, vbi ſemper ſumma ſecuritas, ſumma felicitas, ſumma libertas, felix beatitudo, vbi etiam implebitur illud, quod Dominus in Euangelio dicit: Erunt homines ſimiles Angelis; & illud: Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Patris mei. Qualis putatis tunc erit ſplendor animarum, quando ſolis claritatem habebit lux corporum? Ibi iam non erit vlla triſtitia, nullus ibi labor, nullus dolor, nullus timor, nulla mors, ſed perpetua ſemper ſanitas perſeuerat: nulla ibi conſurgit malitia, nulla carnis miſeria, nulla ægritudo, nulla omnino neceſſitas. Non erit ibi fames, non ſitis, non frigus, non æſtus, non laſſitudo ieiunij, nec vlla tentatio inimici, non peccandi voluntas, nec delinquendi poſſibilitas, ſed totum lætitia, totum exultatio poſſidebit, homineſque ſociati Angelis ſine vlla carnis infirmitate regnabunt. Erit ibi iucunditas infinita, beatitudo ſempiterna, quam qui ſemel adipiſcitur, ſemper tenet, nihil hoc loco magnificentius, nihil glorioſius, nihil clarius, nihil pulchrius, nihil verius, nihil à bonitate ſyncerius, nihil illa

Dubium. 1 Cor 15 Reſponſ. De claritate beatorū. Vt ſedeat Chriſtus in dextera Patris. Talis gloria cur regnum cœlorum dicitur. Aug. Vita æterna cor amanda. cap. 11

illa abundantia copioſius. Ibi iam non formidabitur fortiſſimus hoſtis, qui cupit iugiter animas iugulare, nec facies omnino turbulenta tortoris. Non incutiet timorem barbarorum immanitas, nec vlla vlterius timebitur aduerſitas. Nemo in illo loco glorioſo indigebit veſtimento: Non eſt illic frigus, non æſtus, nec vlla aëris inæqualitas. Nullus ibi eſurit, nullus triſtatur, nullus eſt ibi peregrinus, ſed omnes qui illuc venire meruerint, ſecuri in propria patria viuent. Non vltra aduerſabitur caro ſpiritui, ſed cum Angelis inenarrabilia ſempiterna à Chriſto præmia tribuentur, & quod oculus non vidit, ſicut dicit Apoſtolus, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Ecce qualem beatitudinem perditurus eſt, qui modo ſe dum licet, emendare noluerit. Idcirco nos fratres Domino auxiliante dedignemur vltra ſeruire peccato, quibus tanta beatitudo præparatur in cœlo. Cum hac Chriſti ſententia conuenit illa Sapientiæ 3: Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Dictum hoc iterum eſt cap. 60. ver. 9.

1 Cor. 2
Sap. 3.

Cap. 65. *Parabola theſauri, margaritæ, & ſagenæ.*

Matt. 13.	*Mar.*	*Luc.*	*Joan.*
De Virgine, & Martyre: de Virgine tantum: & de Sancta non Virgine			

1 ✠ Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro.
2 Quem, qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum.
3 Iterum ſimile eſt regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.
4 Inuenta autem vna pretioſa margarita, abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.
5 Iterum ſimile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti.
6 Quam cùm impleta eſſet, educentes: & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa; malos autem foras miſerunt.
7 Sic erit in conſummatione ſeculi. Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis.
8 Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.
9 Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam.
10 Ait illis: Ideo omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera. ✠

Not. 1. verſ. 1. & 2.

Aug. Theſaurus in agro abſcondito quid ſit.

AVG. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 13: Theſaurum in agro abſconditum, dixit duo teſtamenta legis in Eccleſia, quæ quis cum ex parte intellectus attigerit, ſentit illic magna latere & vadit, & vendit omnia ſua, & emit illum, id eſt, contemptu temporalium comparat ſibi otium, vt ſit diues cognitione Dei.

Hier. *Coloſſ. 2*

Hieron. Matt. 13: Theſaurus iſte, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, aut Deus verbum eſt, qui in carne Chriſti videtur abſconditus, aut ſacræ ſcripturæ, in quibus repoſita eſt notitia Saluatoris: quem cum quis in eis inuenerit, debet omnia iſtius mundi emolumenta contemnere, vt illum poſſit habere, quem reperit. Quod autem ſequitur: quem cum inuenerit homo abſcondit: idcirco dicitur, non quod hoc de inuidia faciat, ſed quod timore ſeruantis, & nolentis perdere, abſcondit in corde ſuo, quem priſtinis prætulit facultatibus.

Hier.

Et epiſt. ad Pammachium ſuper obitu Paulinæ vxoris conſolatio: Tibi non ſufficit opes contemnere, niſi Chriſtum ſequaris. Chriſtum autem ſequitur, qui peccata dimittit, & virtutum comes eſt. Chriſtum ſcimus ſapientiam. Hic theſaurus in agro ſcripturarum naſcitur, hæc gemma multis emitur margaritis.

Amb.

Ambroſ. ſer. 2. in Pſal. 118: Præ cæteris autem Dominus Ieſus in Euangelio ſuo declarat dicens: Simile eſſe regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro. Vtique non aurum, non argentum, non pecunia comparari poteſt regno cœlorum: ſed eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, quibus ipſum regnum acquiritur. Hunc ergo theſaurum ſapientiæ, & cognitionis abſconditum in agro, in quo plantata ſunt verba ſcripturarum cœleſtium, cum inuenerit homo abſcondit illum in corde ſuo, nec diuulgat. *Pſal. 17.*

Paul.

Paulin. epiſt. 2: Deum in Chriſto, vel Chriſtum in Deo eſſe non videt occupatus, & curarum terreſtrium nube circundatus. Verbum

enim

enim carnem factum, ſapientiæ huius mundi, ſtultitia eſt: & ideo placuit Deo, ad confuſionem ſapientiæ cuius ſuperbia non cognouit hic mundus ſapientiam Dei, per ſtultitiam prædi-

1 Cor. 1. Matt. 13

cationis ſaluos facere credentes. Et hic eſt ille theſaurus agri, pro quo obtinendo, etiam ager comparandus eſt: quia videlicet ſalutis noſtræ pretium in hoc eſt, vt Deum Dei filium ad carnem ſaluandam in carne veniſſe fateamur: & hæc eſt, illa profligatis emenda patrimonijs margarita; ſed non ſtatim emitur cum eius pretium præparatur, quia plurimæ interueniunt ipſi commercio difficultates: aut enim mare interiacet, aut prædo intercipit, aut cupidior præuenit, aut præfertur opulentior.

Not. 2. verſ. 3. 4.

Hier. Pſal. 95.

HIER. in Pſal. 95: Video plura atria, video vnum atrium, tollite hoſtias, & introite in atria eius: ecce plura atria. Rurſum: Adorate Dominum in atrio ſancto eius; ecce vnum atrium. Videte ergo quoniam non poteſt de vno atrio venire ad plura atria, ſed de plurimis atrijs venitur ad vnum atrium. Vultis ſcire hoc ipſum myſterium? ecce in alio loco negociator ille, qui habebat plurimas margaritas, vendidit plures, vt emeret vnam. Et in Michea dicitur: State, inquit, in vijs Domini: & inquirite, inquit, viam Domini. Niſi ſteterimus in vijs plurimis, vnam viam inuenire non poſſumus.

Margaritæ plures & vna.

Quæ ſunt iſtæ margaritæ plures? quæ ſunt viæ plures? quæ ſunt iſta atria plura, vt inueniamus vnam margaritam, & vnam viam, & vnum atrium. Abraham, Iſaac, & Iacob, Moyſes, Ieſus Naue, Eſaias, Hieremias, Ezechiel, duodecim Prophetæ, Dauid, Salomon fuerunt atria, hoc eſt, atria noſtra ſunt. Primum in illa intramus, & de illis atrijs poſtea venimus ad atrium Euangelij, vbi inuenitur Chriſtus.

Hier.

Et Matth. 13: Iterum ſimile eſt regnum homini negociatori, &c. Alijs verbis id ipſum, quod ſu-

Margaritæ plures & vna.

pra dicitur. Bonæ margaritæ, quas quærit inſtitor, ſunt lex, & Prophetæ. Audi Marcion, audi Manichæe: Bonæ margaritæ ſunt lex, & Prophetæ, & notitia veteris inſtrumenti. Vnum autem eſt pretioſiſſimum margaritum, ſcientia Saluatoris, & ſacramentum paſſionis illius, & reſur-

Quomodo omnia vē- dēda pro vna cōparanda.

rectionis arcanum. Quod cum inuenerit homo negociator, ſimilis Pauli Apoſtoli, omnia legis Prophetarumque myſteria, & obſeruationes priſtinas, in quibus inculpate vixerat, quaſi purgamenta contemnit, & quiſquilias, vt Chriſtum lucrifaciat. Non quod inuentio nouæ margaritæ condemnatio ſit veterum margaritarum; ſed quo comparatione eius omnis alia gemma vilior ſit.

Baſ.

Baſil. in regulis fuſius diſputatis interrog. 8: Hinc quoque manifeſte ſpectare nemo, non (modo æquus interpres) intelligit. Simile enim eſt, inquit, regnum cœlorum homini negociatori, &c. Planum eſt enim pretioſam margaritam cœleſte regnum ſignificare, hoc in lo-

Margarita pretioſa quid.

co. Quod regnum nos aſſequi poſſe Dominus negat, niſi omnia ſimul, quæ habemus, diuitias, gloriam, genus, & ſi quid ſit aliud eorum, quibus plerique ambitioſius inhiant, pro eo parando neglexerimus.

Omnia pro Dei regno cōtēnēdo negligenda.

Amb. Margarita pretioſa quid.

Ambroſ. ſer. 6: Margarita enim Chriſtus eſt Dominus, quam negociator ille diues in Euangelio venditis omnibus rebus ſuis, emere feſtinauit, & maluit omnes quas habebat ſæculi gemmas amittere, tantum vt vnam Chriſti emereret margaritam. Vide Greg. hom. 11. in Euang. vt lect. 7. 8. & 9. de Sancta nec Virgine, nec Martyre. Vide Chryſoſt. hom. 48. in Matt.

Greg.

Chryſoſt.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 182: Is qui ingentis pretij margaritam quæſiuit, eamque omnibus ſuis facultatibus emit, nouus eſt Domini populus, qui paternam, & ſubſtantiam, & religionem contemnit, ac Dominum gloriæ quærit. Margarita autem idcirco appellatur, quia diuinitatis profundo copulatus eſt, ſoliſque piſcatoribus, atque ipſius interpretibus cognitus.

Iſidor. Qui margaritam emant.

Chriſtus margarita cur vocetur.

Aug. lib. quæſt. ex Matthæo cap. 13: Quæſtio eſt, cur à numero plurali ad ſingularem tranſierit, vt cum quærat homo bonas margaritas, vnam inueniat pretioſam, quam, venditis omnibus quæ habet, emat. Aut ergo negociator iſte bonos homines quærens, cum quibus vtiliter viuat, inuenit vnum præ omnibus ſine peccato, mediatorem Dei, & hominum, hominem Ieſum Chriſtum. Aut præcepta iuſtitiæ quærens, quibus ſeruatis cum hominibus recte conuerſetur, inuenit dilectionem proximi, in quo vno dicit Apoſtolus omnia contineri; vt non occides, non mœchaberis, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, & ſi quod eſt aliud mandatum, ſingulæ enim margaritæ ſunt, quæ in hoc ſermone recapitulantur: Diliges proximum tuum tanquam teipſum. Aut bonos intellectus homo quærit, & inuenit vnum illum, quo cuncti continentur: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum; eſt enim verbum Domini lucidum candore veritatis, & ſolidum firmitate æternitatis, & vndique ſui ſimile pulchritudine diuinitatis, qui Deus penetrata carnis teſtudine intelligendus eſt. Ille enim ad margaritam ipſam iam peruenerat, quæ in tegumentis mortalitatis, quaſi concharum obſtaculo inter profunda huius ſæculi, atque inter duritias ſaxeas Iudæorum aliquando latuerat. Ille ergo ad ipſam margaritam iam peruenerat, qui ait: Etſi noueramus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus. Nec vllus omnino intellectus margaritæ nomine dignatus eſt, niſi ad quem diſcuſſis omnibus carnalibus tegminibus peruenitur, quibus ſiue per verba humana, ſiue per ſimilitudines circumpoſitas operitur, vt purus, & ſolidus, & nuſquam à ſe diſſonus certa ratione cernatur. Quos tamen omnes veros, & firmos, & perfectos intellectus vnus ille continet, per quem facta ſunt omnia, quod eſt verbum Dei. Quodlibet autem horum trium ſit, vel ſi aliquid aliud occurrere potuerit, quod margaritæ

Aug. Margarita plures, & vna.

1 Tim. 2.

Rom. 13.

Exod. 20

Ioa. 1.

2 Cor. 5

Margaritæ precioſæ precium.

vnius, & precioſæ nomine bene ſignificetur, precium ejus eſt nos ipſi, qui ad eam poſſidendam non ſumus liberi, niſi omnibus pro noſtra liberatione contemptis, quæ temporaliter poſſidentur.

Omnia pro vna margarita contemnenda.

Venditis enim rebus noſtris, nullum earum maius accipimus precium, quam nos ipſos, quia talibus implicati noſtri non eramus, vt rurſus nos ipſos pro illa margarita demus, non quia tanti valeamus, ſed quia plus dare non poſſumus.

Not. 3. ver. 5.

Greg. Sagena.

GREG. lib. 33. Moral. cap. 22: Quid per ſagenas, vel gurguſtium piſcium, niſi Eccleſiæ fidelium, quæ vnam Eccleſiam Catholicam faciunt, deſignantur. Vnde in Euangelio ſcriptum eſt: Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ

Cur Eccleſia dicatur regnū cœlorum.

in mare, &c. Regnum cœlorum ſcilicet vocatur Eccleſia, cuius dum mores Dominus ad ſuperna ſubleuat, iam hæc ipſa in Domino per cœleſtem conuerſationem regnat, quæ recte etiam

Cur Eccleſia ſagenæ miſſæ in mare comparetur.

ſagenæ miſſæ in mare comparatur ex omni genere piſcium cōgreganti: quia miſſa in hoc gentilitatis ſeculū nullum reſpicit; ſed malos cum bonis, ſuperbos cum humilibus, iracundos cum mitibus, & fatuos cum ſapientibus cœpit. Idem habet homil. 11. in Euang.

Aug.

Aug. lib. quæſt. ex Matth. cap. 11: In illa plane ſagena, &c. vt lect. 9. Dom. 5. poſt Epiph.

Cæſar.

Cæſar. dialog. 4: Declara nobis parabolam ſagenæ, germana mihi videntur, prioribus etiam ea, quæ in hac parabola dicta ſunt. Simile eſt enim regnum cœlorum ſagenæ in mare proiectæ, &c.

Sagena quid.

Statum mihi videtur repræſentare ſagena, quem acceperunt Apoſtoli diuini, poſtquam ipſis dixiſſet Dominus: Sequimini me, & faciam vos piſcatores hominum. Irrationalium enim piſcium plerique ipſorum fuerant captatores. Hi nexas, & contractas ex veteri, & nouo teſtamento ſagenas demiſerunt, & velut in mari in præſenti vita, rationales pro ratione carentibus in retia concludentes, hactenus ex omni genere contrahunt, tam malos, quam bonos; iuſtos, & peccatores; concludentes eos diuina ſagena prædicationis, & abſque diſcrimine adhuc in mari laborant viri ſancti, tam litrera, quam ſpiritu. Nam corpore à pleriſque abſunt.

Eſaias. Quamdiu Eſaias ante Chriſtū fuit.

Id autem eximius inter vates Eſaias iam ante quingentos annos exclamauit: Vna cum agno paſcetur lupus, & cum hœdo conquieſcet pardalis, & bos, & aſinus vna paleas comedent; & vitulus, & leo vna paſcentur; & puer paruus, ducet ea: nullam ſeparationem ſpiritualis cœtus fore ſignificans. In eo enim ſimul rebus diuinis paſcimur, tam raptores, quam homicidæ; manſueti, & immites; à paruo puero ducti, de quo alibi idem inquit: Puer natus eſt nobis, & vocabitur nomen eius Deus, Fortis, Dominator.

Quando, & per quos fiet ſeparatio.

Quando vero conſummationis tempus aduenerit, retrahunt eam in littus, & ſecundum nutum Chriſti, vna cum Angelis ſeparationem eorum, qui inſunt facientes, flagitioſos ex medio iuſtorum ſegregabunt.

Iſidor.

Iſidor. lib. 1. ep. 2[illegible]4: Quemadmodum ſagena, quæ in mare projicitur, varia piſcium genera concludit: eodem modo ſempiternum Chriſti regnum ex omnibus hominum nationibus multitudinem excipiens, pro fidei ratione ſtatem cuique conſtituit: non generis auctoritati, non dignitatis amplitudini, non ſacerdotio, non regno hac appellatione indigno deferens tribuens: verum moribus, ac vitæ, quæ ad puritatem propenſa fuerit, atque ad virorum piſcatorum prædam ſe contulerit.

Iſidor.

Et ep. 205: Bona in vaſa colliguntur; mala autem extra ſagenam proijciuntur: nimirum cum Domini Eccleſia excutietur: quandoquidem omnes Chriſti nomine conſignati, atque in vnam compagem, & commiſſuram copulati ſunt. Et quidem in vaſa, hoc eſt, in ſempiternas manſiones, colliguntur animi, qui in veritate perſtiterunt: extra regnum autem proijciuntur hæretici, rectæque doctrinæ aduerſarij.

Cyr. Foras mitti quid ſit.

Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 40: Foras enim hoc tale quid ſignificate comperies, vt in illa apud Matthæum parabola: Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ, &c.

Ligere bonos in vaſa quid.

Nam quod collecta ſunt bona, & in vaſis depoſita, id probos, atque pios in cœleſtibus atrijs ſemper victuros ſignificat: quod autem inutilia foras eiecta dicuntur, id omnium bonorum iacturam facturos, & in iudicium caſuros impios denotat.

Foras mitti quid.

Cum igitur dicit Chriſtus: Quia eum qui venit ad me, non eijciam foras, enaſurum ab æternis ſupplicijs, integra venientem fide populum demonſtrat.

Amb. Homo eſt piſcis.

Ambroſ. lib. 5. in hexame. cap. 6: Piſcis ergo es, ô homo, audi quia piſcis es. Simile eſt regnum cœlorum reti miſſo in mare, &c. Sicut ergo boni, & mali piſces; boni ſeruantur ad precium; mali ſtatim ardent.

Bonum, & malum ſiccatum.

Bonum piſcem nec retia inuoluunt, ſed eleuant, nec hamus inter necat, atque interficit, ſed precioſi vulneris perfundit ſanguine.

Not. 4. verſ. 8.

Bern. Fletus, & ſtridor.

BERN. ſerm. 8. in Pſal. 90: Fletus quidem ob ignem, qui non extinguitur, ſtridor vero ob vermem, qui non moritur. Plane fletus ex dolore, ſtridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas; ſtridorem dentium vehementia ipſa tabeſcentis inuidiæ, & obſtinata malignitas extorquebit.

Aug. Cur fletus, & ſtridor additur.

Aug. epiſt. 120. cap. 23: Sed quia malo opere, id eſt, tenebroſo, delectantur facientes, ſecutura eſt pœna, quæ torqueat. Ideo Dominus vbi dixit tenebras exteriores, addidit etiam: Ibi erit fletus, & ſtridor dentium; ne talibus

Nullæ damnatis erit oblectationes.

oblectationibus, qualibus hic iniqui perfruuntur, quando infidelitate, atque iniuſtitia tenebreſcunt, etiam in illo ſupplicio ſe vſuros clementer exiſtiment. Quia enim volentes iniuſtè vtuntur bonis, iuſtè nolentes cruciabuntur malis.

Aug. Inferni tormenta.

Et lib. de triplici habitaculo cap. 2: Principalia duo ſunt tormenta in inferno frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis, vnde in Euangelio legitur: Illic erit fletus,

fletus, & ſtridor dentium. Fletus namque & liquefactio oculorum ex calore naſcitur; ſtridor vero dentium ex frigore. Hinc etiam beatus Iob: De aquis, inquit, niuium tranſibunt ad calorem nimium. De quibus duobus innumera pendent pœnarum genera, videlicet ſitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna anguſtiæ, pœna tenebrarum, ſeueritas tortoris, præſentia dæmonum, ferocitas beſtiarum, crudelitas miniſtrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conſcientiæ, ignitæ lachrymæ, ſuſpiria, miſeriæ, dolor ſine remedio, vincula ſine ſolutione, mors æterna, pœna ſine fine, abſentia Chriſti, quo ad viſionem eius, quæ ſola omnia ſupradicta ſuperat, & omnibus pœnis intolerabilior eſt. Væ igitur illis perenne, qui ſubire hæc omnia mala etiam ſine fine merentur, pro delectabili vnius horæ ſomno. Tanta etenim & talis eſt omnis huius mundi gloria, ad æternam comparata gloriam. Melius erit eis (quod dictum eſt de infelice Iuda) non naſci, quam malis ſuis meritis plagas inferni ſuſtinere.

Iob 24. — Maxima omnium pœna. — Matt. 27

Not. 5. verſ. 9. 10.

Aug. AVGVST. lib. quæſt. ex Matth. cap. 16: Intellexiſtis hæc omnia? dicunt ei: Etiam, &c. Vtrum iſta concluſione exponere voluit, quem dixerit in agro theſaurum abſconditum? quoniam ſanctæ ſcripturæ intelliguntur, quæ nomine duorum teſtamentorum noui, & veteris, concluduntur. Quemadmodum apud alium Euangeliſtam glutirem bis acutum tali concluſione videtur exponere, an quia in parabolis iſta locutus eſt? & cum quæſiſſet ab eis, vtrum intellexiſſent, reſponderunt ſe intellexiſſe. Fortaſſe iſta ſimilitudine vltima patrisfamilias proferentis de theſauro ſuo noua, & vetera, oſtendere voluit eum doctum habendum eſſe in Eccleſia, qui etiam ſcripturas veteres parabolis explicatas intellexerit ab iſtis nouis accipiens regulas, quia & iſta Dominus per parabolas enuntiauit, quamuis ipſe Chriſtus eſſet finis illorum, id eſt, vt in eo illa vetera complerentur: vt ſi ipſe, in quo illa complentur, & manifeſtantur, per parabolas adhuc loquitur, donec eius paſſio verbum diſcindat, vt nihil ſit occultum, quod non reueletur: multo magis illa, quæ ad commendandam tantam eius ſalutem, tam longe de illo ſcripta ſunt, parabolis operta eſſe nouerimus, quæ cum Iudæi ad litteram acciperent, noluerunt eſſe docti in regno cœlorum, neque tranſire ad Chriſtum, vt auferretur velamen, quod ſuper cor eorum poſitum eſt.

Noua, & vetera quid. — Doctus quis.

Cyrill. lib. 3. in Ioann. cap. 34: Duplici autem menſura ante ſeptimam manna colligitur, quia tempore legis exacto, & ſeptima, id eſt, Chriſti aduentu incipiente, duplici quadam Gratia, legali ſcilicet, & Euangelica, in fide homines roborantur, quod per parabolam Dominus docuit: Omnis ſcriba, inquit, regni cœlorum diſcipulus effectus diuiti homini ſimilis eſt, qui ex theſauro ſuo noua, & vetera producit. Cyr.

CAP. 66. IESVS *docens in Nazareth, ſuos arguit populares, & ab iis male accipitur.*

Matt. 13.	*Mar. 6.*	*Luc. 4.*	*Ioan.*
1 ET factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus parabolas iſtas, tranſijt inde.	1 c.40.) [ET egreſſus inde.		
2 Et veniens in patriam ſuam.	2 Abijt in patriam ſuam.	2 c.28.) ET venit Nazareth, vbi erat nutritus.	
	3 Et ſequebantur eum diſcipuli ſui.		
4 Docebat eos in ſynagogis eorum.	4 Et facto ſabbato, cœpit in ſynagoga docere.	4 Et intrauit ſecundum conſuetudinem ſuam die ſabbati in ſynagogam, & ſurrexit legere.	
		5 Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ: & vt reuoluit librum, inuenit locum, vbi ſcriptum erat:	
		6 Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſſioné,	

Mat. 13.	*Mar. 6.*	*Luc. 4.*	*Ioan.*
		& cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum,& diẽ retributionis.	
		7 Et cùm plicuiſſet librum,reddidit miniſtro, & ſedit.	
		8 Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum.	
		9 Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris.	
10 Ita vt mirarentur, & dicerent:	10 Et multi audientes, admirabantur in doctrina eius, dicentes:	10 Et omnes teſtimoniũ illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, & dicebant:	
11 Vnde huic ſapientia hæc, & virtutes?	11 Vnde huic hæc omnia? & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur?		
12 Nonne hic eſt fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas, & ſorores eius? nonne omnes apud nos ſunt? vnde ergo huic omnia iſta?	12 Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? nonne & ſorores eius hic nobiſcum ſunt?	12 Nonne hic eſt filius Ioſeph?	
13 Et ſcandalizabãtur in eo.	13 Et ſcãdalizabantur in illo.	*Fer. 2. poſt Dom. 3. Quad.*	
		14 ✠ Et ait illis: Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice, cura teipſum.	
		15 Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac, & hic in patria tua.	
16 Ieſus autem dixit eis: Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua.	16 Et dicebat illis Ieſus: Quia non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cognatione ſua.	16 Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.	
		17 In veritate dico vobis, multę viduæ erãt in diebus Eliæ in Iſraël, quando clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex, cum facta eſſet fames magna in omni terra.	
		18 Et ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.	
		19 Et multi leproſi erant in Iſraël ſub Eliſæo Propheta: & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus.	

Et non

Matt 13.	*Mar. 6.*	*Luc. 4.*	*Ioan.*
		20 Et repleti ſunt omnes in ſynagoga ira, hæc audientes: & ſurrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem.	
		21 Et duxerunt illum vſque ad ſupercilium mõtis, ſuper quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.	
		22 Ipſe autem, tranſiens per medium illorum, ibat. ✠	
23 Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.]	23 Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos, impoſitis manibus, curauit: & mirabatur, propter incredulitatem eorum.	(Et deſcendit.c.30.	
(In illo tempore audiuit. c. 69.			

Not. 1.

Aug. — Ratio diſpoſitionis.

AVG. lib. 2.de conſ. cap.30: Antequam narraret Marcus de ſecundo circuitu, & Apoſtolorum miſſione prius poſt reſuſcitatam filiam Archiſynagogi illud narrauit, vbi Dominum in patria ſua mirabantur, vnde illi eſſet tanta Sapientia, & virtutes, cum eius cognationem noſſent, quod Matthæus poſt admonitionem diſcipulorum, & poſt illa multa commemorat. Itaque incertum eſt vtrum hoc, quod agitur in eius patria Matthæus omiſſum reuocauerit, an Marcus recordatum anticiparit: quiſnam eorum ordinem rei geſtæ, & quis recordationis ſuæ tenuerit.

Aug. — Ratio diſpoſitionis. — Auguſtino incertum quo hoc loco ponendum.

Et cap. 42: Sequitur ergo Matthæus:Et factum eſt cum conſummaſſet Ieſus parabolas iſtas, tranſijt inde, & veniens in patriam ſuam docebat eos in ſynagogis eorum, &c. vſque ad illud vbi ait: Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum; à ſuperiore ſermone parabolarum ſic tranſit, præſertim quia Marcus ab iſtis parabolis, non in quod iſte, ſed in aliud tendens, in quod & Lucas, ita contexuit narrationem, vt credibilius oſtendatur hoc eſſe potius conſequenter geſtum, quod ipſi Domino continuauerit adiungunt de naui ſcilicet, in qua dormiebat Ieſus, & de illo miraculo expulſorum dæmoniorum, apud Geraſenos, quæ duo Matthæus iam ſuperius recolens interpoſuit. Nunc ergo quæ in patria ſua Dominus dixerit, vel ei dicta ſint, videamus, vtrum cum alijs duobus Marco, & Luca concordent. Nam Ioan.longe in diuerſis, & diſſimilibus narrationis ſuæ locis vel dicta eſſe Domino talia, vel eum dixiſſe commemorat, qualia hoc loco tres cęteri meminerunt,& Marcus quidem eadem prope commemorat hic omnia quæ Matth. niſi quod Dominum fabrum Mariæ filium dicit à ciuibus ſuis dictum, non ſicut Matth. fabri filium. Nec mirandum eſt, cum vtrumque dici potuerit. Eo enim & fabrum credebant,quo fabri filium Lucas autem eandem rem geſtam latius indicat, & plura ibi commemorat. Nec longè poſt baptiſmum, & tentationem eius hæc inſerit,ſine dubio præoccupans, quod multis rebus interpoſitis poſtea geſtum eſt. Vnde quiſq; poſſit aduertere, quod huic tam magnæ quæſtioni,quam de conſenſu Euangeliſtarum enodandam Deo adiuuante ſuſcepimus, plurimum neceſſarium eſt,non neſcientes aliquid eos prætermiſiſſe, aut neſcientes quemadmodum ſe ordo rerum geſtarum haberet,alium potius ordinem ſuæ recordationis tenuiſſe. Quod hinc euidentiſſimè intelligi poteſt, quia Lucas antequam aliquid narraret Dominum feciſſe Capharnaum, præoccupauit hunc locum,quem nunc conſideramus,vbi ciues eius & potentiam virtutis in eo ſtupebant, & ignobilitatem generis contemnebant. Nam & hoc eum dicit eis dixiſſe; vtique dicetis mihi: Medice cura teipſum, quanta audiuimus facta in Capharnaum,fac & hic in patria tua;cum ſecundum eiuſdem Lucæ narrationem nihil adhuc legatur feciſſe Capharnaum. Quod quia longum non eſt, & facillimum eſt,& per neceſſarium, totum inſeruimus,vnde ad hoc narrandum,& quomodo venerit. Poſteaquam baptizatum,& tentatum Dominum indicauit; ita ſequitur: Et conſummata omni tentatione diabolus receſſit ab illo, &c. Et regreſſus eſt inde Ieſus in virtute ſpiritus, &c. Et venit Nazareth vbi erat nutritus,&c.donec peragat totum narrationis ſuæ locum. Quid eſt ergo euidentius, quam hoc eum ſcientem præoccupaſſe narrandum;cum vtique tam magna ab illo in Capharnaum facta fuiſſe, & ipſe nouerit, & ipſe commemoret, quæ ſe nondum narraſſe vtique ſcit? Neque enim tantum ab ipſius baptiſmo progreſſus eſt, vt oblitus putetur, nondum ſe aliquid cómemoraſſe de ijs, quæ in Capharnaum geſta fuerant. Modo enim cœpit poſt baptiſmum aliquid narrare de Domino.

Tres Euãgeliſtæ hoc habent. — Ioan. aliqua eorum habet, quæ hic ab alijs tribus Euangeliſtis referuntur ver.14 & 16. — Chriſtus dictus eſt faber, & fabri filius. — Lucas plura hic dicit quam alij. — Lucas ante ſuum ordinem hoc poſuit.

Tatia. — Tatianus harmoniæ cap. 7: Hic orditur Dominicæ prædicationis annum ſecundum: dicit

Ieſum anni ſecundi initium docendæ patriæ dedicauiſſe. Si tertium diceret nō repugnarem. Neque enim hoc ante annum tertium contigit. Idem ipſe Tatianus cap. 4. harm. lib. Iſaiæ lectionem ad initium anni primi Dominicæ prædicationis refert. Ammonius etiam lectionem ex Iſaia ſeparat ab alijs, quæ iſto cap. narrantur, quaſi hæc diuerſis temporibus, & annis contigerint. Atqui ſatius fuerit omnia coniungere.

Tatia. Ammo.

Auct. Dictis parabolis Dominus relicta Capharnao, peregre, non habens vſquam domum, egit; neque Capharnaum tanquam domum ſuam redijt, eam tamen aliquoties vt alias ciuitates pertranſijt. Docens vero in Nazareth, nec probatus, aut ſuſceptus incredulitatis eos condemnat, & mirifico modo ex manibus ſe præcipitare tentantium euadit. Porro illud Marci: Et egreſſus inde abijt in patriam ſuam, non intelligitur de proximo egreſſu, poſt ſuſcitatam Iairi filiam: ſed de alio, qui dictis parabolis contigit: ſignificat enim Dominum, pronunciatis illis parabolis, redijſſe Capharnaum. Indeque mox in patriam contendiſſe. Quo itaque Marcus loco Nazareth, Apoſtolorumq; miſſionem poſuit: ſicut & Lucas, niſi quod hiſtoriam Nazareth præmiſerit, Matthæus etiam cum illis Nazareth deſcripſit: Apoſtolorum verò miſſionem anticipauit. Ergo antequam Dominus Nazarethum iret, dictas eſſe parabolas conſtat. Dicit etiam Hieron. Matth. 13. eum poſt parabolas in patriam ſuam tranſijſſe. Sunt igitur hæc ordine recto diſpoſita. Matthæus quoque ſignificat Dominum dictis parabolis ex eo ipſo ſolo cæpiſſe ire in patriam. Quamuis enim dixerit eum dimiſſis turbis veniſſe domum, & domi zizaniorum parabolam expoſuiſſe, & tres alias ſuperiores parabolas adieciſſe, tamen cum ait: Tranſijt inde; maximè id referri debet ad locum circa mare, vbi parabolæ turbis dictæ ſunt, vt ſignificet Dominum inde cœpiſſe Nazarethum proficiſci, & tranſeundo veniſſe Capharnaum, ac domum, quod idem ſignificat Marcus. Indicat enim præcipuè locum circa mare, vbi dictæ fuerunt parabolæ: vnde & ſoluit ad Geraſænos, & ibi eum inuenit Iairus, qua occaſione ſuperius dicta ſimul narrauit; quia tamen ita narrat quaſi Dominus ſuſcitata Capharnai filia Iairi inde abierit in patriam, hoc ipſum quod diximus inſinuat, Dominum videlicet dictis parabolis: ex eo loco cœpiſſe proficiſci in patriam, ſed per Capharnaum, ac domum, vt dicit Matth. Optime ergo Matth. & Marcus de Nazareth conſentiunt, nec dubium, quin dictis parabolis ſtatim Dominus ierit in patriam. Nam & Lucas ſequitur Marcum, nec potuit hic narrare de Nazareth: quia id ante fecerat, ſed proximè in narranda miſſione pergit. Porro ex eo quod Lucas dicit, ſecundum cōſuetudinem; &, quanta audiuimus facta in Capharnaum. Conſtat illud non contigiſſe, quo loco narratura Luca. Nam tum primum Dominus incipiebat publicè docere, nec quidquam adhuc fecerat Capharnai. Quomodo igitur nonnulli dicunt eum à Nazareth concionandi exordium feciſſe.

Hilar. Hilar. Can. 14. in Matth: Inhonoratur Dominus à ſuis, & quamquam & docendi prudentia, & operandi virtus admirationem commoueret, infidelitas tamen eorum virtutem iudicij non recipit, non enim credunt hæc in homine Deum agere; quinetiam patrem ipſius matrem, fratreſque nuncupant, & paternæ artis quodam opprobrio laceſſunt. Sed plane hic fabri erat filius, ferrum igne vincentis, omnem ſæculi virtutem iudicio decoquentis, maſſamque formantis in omne opus vtilitatis humanæ, formam ſcilicet corporum noſtrorum & materiem in diuerſa membrorum miniſteria, & ad omnia æternæ vitæ opera fingentis. In his igitur ſcandalizabantur omnes, & inter tot, quæ magnifice gerebat corporis eius contemplatione commonebantur. Quibus Dominus inhonorabilem in patria ſua prophetam eſſe reſpondit, quia in Iudæa eſſet vſque ad crucis ſententiam contemnendus, & quia penes ſolos fideles Dei virtus eſt, propter eorum incredulitatem omnibus diuinæ operibus virtutis abſtinuit.

Vere Christus erat fabri filius. Cur ... in patria non honoratur. Virtutes ibi non fecit.

Nu. 2. verſ. 10. 11. 12.

Hier. HIER. Matth. 13: Mira ſtultitia Nazarænorum: mirantur vnde habeat ſapientiam ſapientia; & virtutes virtus; ſed error in promtu eſt, quod fabri filium ſuſpicantur. Error Iudæorum ſalus noſtra eſt, & hæreticorum condemnatio. In tantum enim cernebant homines Ieſum Chriſtum, vt fabri putarent filium. Miraris ſi errent in fratribus, cum errent in patre? locus iſte plenius in ſupradicto contra Heluidium libello expoſitus eſt. Et ad finem Zach: Qui ergo vitia deſtruunt, virtutes ædificant, omneſque ſancti qui hæc remedia poſſidentes inſtaurant ſemper Eccleſiam, fabri appellandi ſunt. Vnde & Apoſtolus loquebatur, quaſi ſapiens architectus fundamentum poſui. Et iratus Dominus de Ieruſalem ablaturum eſſe ſe dicit architectum, & virum ſapientem. Et ipſe Dominus Dei omnipotentis filius, & creatoris omnium fabri filius appellatur. Et Matt. 6. Filius fabri Ieſus vocatur, & hoc myſticè, ſed fabri, qui fabricatus eſt auroram, & ſolem.

Hier. Fabri qui. 1 Cor. 3 Hier.

Aug. Aug. lib. 1. Euang. quæſt. cap. 14: Quod dixerunt, vnde huic ſapientia hæc, & virtutes? Sapientia in his, quæ loquebatur, virtutes in his, quæ operabatur. Ideoque & Apoſtolus cum dixit: Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam, virtutem ad ſigna retulit, propter Iudæos; ſapientiam autem ad doctrinam, propter Græcos, id eſt, Gentiles. Et ſer. 36. de tempore: Ioſeph ergo faber in terris, pater putabatur eſſe Domini Saluatoris. Nec ab hoc opere Deus, qui verè eſt pater Domini noſtri Ieſu Chriſti excluditur. Nam eſt & ipſe faber. Ipſe enim eſt artifex, qui huius mundi machinam non ſolum mirabili, ſed etiam ineffabili potentia fabricauit, tanquam ſapiens architectus, cœlum ſublimitate ſuſpendit; terram mole fundauit; mare

1 Cor. 1. Aug. Quomodo Chriſtus ſit fabri filius. Deus Pater eſt faber.

mare calculis alligauit. Ipſe artifex, qui in no-
Mat. 3 ſtris moribus præcidit ſuperflua opera, vtilia
quæque conſeruat. Ipſe eſt artifex, cuius ſecu-
rim ad radicem noſtram poſitam Ioannes Ba-
ptiſta cōminatur, vt omnis arbor, quæ normam
iuſtæ diſcretionis exceſſerit, exciſa radicitus
tradatur incendio: quæ autem menſuram veri-
tatis habuerit, cœleſti fabricæ deputetur.

Aug. Et lib. quæſt. ex Matth. cap. 17: Fratres apud Iudæos dici ſolere cognatos vſque adeo probatur, vt non ſolum ex propinquo generationis gradus ſicut ſunt filij, fratrum, & ſororum, qui etiam apud nos vſitatiſſime fratres dicuntur, ſed etiam auunculus, & ſororis filius, ſicut ſibi erāt Iacob, & Laban, fratres appellati inueniantur. Non ergo mirum eſt, dictos eſſe fratres Domini, ex materno genere quoſcunque cognatos, cum etiam ex cognatione Ioſeph dici potuerunt fratres eius ab eis, qui illorum Patrem, Domini eſſe arbitrabantur. *Qui fratres Domini.*

Tho. Aquinas in cate. Matt. 13: Pater Chriſti Deus eſt faber, qui totius mundi opera fabricatus eſt, arcam Noë diſpoſuit, Moyſi tabernaculum ordinauit, arcam teſtamenti inſtituit, fabrum dixerim, qui mentem rigidam explanat, & cogitationes ſuperbas excidit.

Amb. Amb. lib. 3. in Luc: Non alienum etiam videtur vt qua ratione fabrum patrem habuerit, declaremus. Hoc enim typo eum patrem ſibi eſſe demonſtrat, qui fabricator omnium, condidit mundum, iuxta quod ſcriptum eſt: In principio
Gen. 1 fecit Deus cœlum, & terram. Nam etſi humana non ſunt comparanda diuinis, typus tamen integer eſt, quod pater Chriſti igne operatur, & ſpiritu; & tanquam bonus animæ faber, vitia noſtra circundolat, cito ſecurim admouens arboribus infœcundis, ſecare doctus exigua, culminibus ſeruare ſublimia, rigida mentium ſpiritus igne mollire, & in varios vſus omne humanum genus diuerſa miniſteriorum qualitate formare.

Nonne mater eius eſt.) Idem dixerunt Iudæi alio tempore, & loco, vt ex Ioanne habetur cap. 73.

Not 3. ver. 13.

Et ſcandalizabantur in eo.) Offendebantur ſuper illo, hoc eſt, propter inuidiam ei credere non poterant. Sic Euth. Matt. 13. Eut.

Ver. 14.

Amb. Ambroſ. in Pſal. 37: Nemo, alium vulnerando, ſe ſanat. Medice cura teipſum. Si medicus, quanto magis reus prius curare ſe debet? Confiteris peccatum tuum, & medicum te profiteris in alienum? Et ſi veritatis eſt quod retorques, temporis non eſt. Peccatori enim dixit
Pſal. 49 Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas? Vſurpas tibi vt de lege arguas, qui contra legem ipſe feciſti? Quid lachrymarum tempus amittis? *Verum suo tempore dicendum.*

Ver. 16.

Idem ex Ioanne refertur cap. 26.

Prophetam Chriſtus ſeipſum appellat, quod & Moyſes cum dixit: Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris. Et hoc ſciendum quia non ſolum Chriſtus, qui eſt caput omnium Prophetarum, ſed etiam Hieremias, & Daniel, & cæteri minores Prophetæ maioris honoris, & dignitatis fuerunt apud exteros, quam apud ſuos. Sic Tho. ex Remigio, in caten. Matt. 13. *Se Chriſtus Prophetam vocat.* *A quibus Prophetæ plus fuerūt honorati.*

Euth. Matth. 13: Ab exemplo autem ſeipſum ſignificauit Chriſtus, & in patria, dixit propter totam Nazareth. Inter cognatos vero, propter eos qui quomodocumque cognati eius erant: In domo autem propter ſolos fratres eius: Omnes enim deſpiciebant eum. Illi quidem tanquam patriotam, iſti vero velut cognatum, hi autem quaſi fratrem. Lucas vocat acceptum id quod in honore eſt. Eut. *In patria; Inter cognatos. In domo.* *Acceptum*

Hieron. Matt. 13: Propemodum naturale eſt, ciues ſemper ciuibus inuidere; non enim conſiderant præſentia viri opera; ſed fragilitatis recordantur infantiæ, quaſi non & ipſi per eoſdem ætatum gradus ad maturam ætatem venerunt. Hier.

Not. 4. verſ. 17.

Amb. Ambr. in Pſal. 36: Sunt enim dies Heliæ, ſunt dies Nabuchodonoſor. Ideo Euangelium habet: In diebus Heliæ, quando clauſum eſt cœlum. Nox erat perfidis, ſed Heliæ parebat fames erat perfidis, ſed Heliæ vbertas. Neque enim eſurire poterat, cui cibum cęleſtia miniſtrabant. Nec eſuriebat, qui alios ipſe paſcebat. *Dies Heliæ quomodo intelligantur.*

Amb. Et in fragmento de fide reſurrectionis: Eum tenuiſſent & eduxiſſent eum de Nazareth, vt præcipitarent de ſupercilio montis, ſupra quem ciuitas illorum ædificata erat, quod tranſiuit per medium illorum, id eſt, elapſus eſt de manibus eorum, diuinæ virtutis fuit, non vmbræ, aut phantaſmatis.

Ver. 23.

Hier. Hier. Matth. 13: Nam quod etiam illis incredulis facere non potuerit virtutes multas, ſed ne multas, faciens virtutes, ciues incredulos condemnaret, poteſt autem & aliter intelligi, quod Ieſus deſpiciatur in domo, & in patria ſua: hoc eſt, in populo Iudæorum. Et ideo ibi pauca ſigna fecerit, ne penitus inexcuſabiles fierent, Maiora autem ſigna quotidie in gentibus per Apoſtolos facit. Non tam in ſanatione corporum, quam in animarum ſalute. Et Oſe. 5: Legi in cuiuſdam commentarijs, quod hæreticos, vel Eccleſiaſticos peccatores Chriſtus ſanare non poſſet. In tempore iudicij, vbi nulla eſt miſericordia; iuxta illud quod ſcriptum eſt: In inferno autem quis confitebitur tibi, & quod ſanare, vel liberare non poſſit, nequaquam ſua imbecillitate, ſed eorum merito, qui fero auxilium poſtularint. Quomodo & Dominus dicitur ſigna in patria ſua facere non potuiſſe, & cauſa cur non potuerit, exponitur, quia, inquit, non credebant in eum. Hæc ille dixerit. *Cur Nazarethi Chriſtus tamen pauca ſigna fecerit.* Hier. Pſal. 6 *Quomodo Chriſtus non potuiſſe dicitur.*

Euth. Matth. 13: Matthæus dixit: Non fecit ibi Euth.

Quid ſit Chriſto non poſſ.. Cur Nazarethi Chriſtus pauca tantum ſigna fecerit

ibi virtutes multas? Marcus vero nec potuit ibi ne vnam quidem virtutem operari, niſi quod paucos infirmos, impoſitis manibus curauit. Quomodo ergo dixit, quod non potuit? Quia impotentiam vocare ſolemus, non ſolum defectum potentiæ; verum etiam impedimentum huius aut alius cauſæ; ſicut etiam nunc impediebat eum incredulitas illorum, quibus beneficium præſtabatur, non poterat ergo, hoc eſt, impediebatur, & non oportebat eos inuitos beneficio afficere. Et Mar. 6: Non poterat, hoc eſt, tanquam impoſſibile dicebat. Ait enim Gregorius Theologus, quod ſimul vtrumque neceſſarium eſt, ad perficiendas ſanitates, & fides eorum, qui curandi ſint, & potentia eius, qui curare debet, nec prodeſt vnum, ſi deficiat alterum, quod illi coniunctum eſſe debet. Imo nec ſcio ſitne hoc addendum, vt iuſta & rationabilis ſit ſanitas. Neque enim iuſta ſanitas eſt, quæ his confertur, quibus per incredulitatem nocumentum eſt allatura.

Euth.

Naz. Nazianz. orat. 4: Poſſe, vel non poſſe, non ſunt ex eorum numero, quæ vno modo efferuntur, ſed ſignificata ſunt horum complura. Nam interdum dicuntur de virium defectu, & certo huius tempore, & reſpectu alicuius, verbi gratia, non poſſe puerum hunc pugilis officio fungi, vel catulum hunc cernere, vel cum illo congredi. Nam fortaſſis aliquando pugil erit, & cernet & cum hoc congredietur, tametſi cum alio non poſſit. Interdum vſurpamus de eo, quod vt plurimum accidit, verbi gratia: non poteſt vrbs ſuper montem ſita occultari, nam fortaſſis occultari aliqua poſſit, maiori quadam re aſpectum impediente. Nonnunquam vt rationi non conſentaneum, quale hoc eſt; non poſſunt filij conclauis ſponſalicij ieiunare, quouſque domi ſponſus eſt, ſiue is, qui corporeo modo cernebatur (nam tempus præſentiæ huius in terris non afflictionis erat, ſed lætitiæ, ſiue qui vt ſermo mente intelligebatur. Nam quid ieiunijs corporalibus opus eſt ijs, qui à ſermone purgantur. Nonnunquam, vt quod voluntas non admittat. Quale illud eſt, non poſſe iſtic ſigna edere propter incredulitatem recipientium. Etenim quia requirebatur vtrumque ad illas ſanationes, tum fides illorum, qui curari debebant; tum poteſtas eius, qui curare vellet, locum non habebat alterum, compari velut ſuo deficiente. Atque haud ſcio an non hoc quoque referendum ſit ad rationi conſentaneum. Non enim conſentaneum rationi erat futurum, vt illi ſanarentur, quibus obfutura erat incredulitas. Eadem ratione illud quoque dicitur: Non poteſt odiſſe vos mundus. Item hoc: Qui poteſtis bona proferre, cum improbi ſitis? Nam quî tale quid fieri nequeat, ni voluntas repugnet? Præterea quiddam eſt in ijs, quæ dicimus, quod naturæ quidem reſpectu fieri nequit, præſtari autem à Deo poteſt, ſi is velit. Eiuſmodi eſt, non eundem iterum naſci poſſe item acus non recipiens camelum. Quid enim impediret, quominus hæc fierent, ſi Deus vellet? At præter hæc omnia reſtat id, quod prorſus vel fieri contingere nequit. Cuiuſmodi eſt, quod modo inquirimus. Quemadmodum enim fieri non poſſe dicimus, vt Deus ſit improbus, vel vt Deus non ſit: (Nam hoc potius impotentiæ Dei fuerit, quam potentiæ) vel vt ſit quod non eſt, vel bis duo ſimul, & quatuor, & decem eſſe ſic etiam fieri nequit, adeoque in filium cadere non poteſt, vt is faciat aliquid eorum, quæ pater non facit, nam omnia, quæ pater habet, filij ſunt: ſicut vice verſa, quæ filij ſunt, ſunt etiam patris.

cap. 42 · cap. 39 · Quomodo ſigna Chriſtus edere non poterat · 1 Modus · 2 Modus · cap. 94 · cap. 54 · cap. 135 · cap. 64

Cap. 67. *Dominus iterum circuit prædicans euangelium, & miracula faciens: mulieresq; circumducit.*

Matt. 9.	*Mar. 6.*	*Luc. 8.*	*Ioan.*
1 (c.41.) ET circuibat Ieſus omnes ciuitates, & caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans euãgelium regni.	1 ET circuibat caſtella in circuitu docens.	1 c.57.) ET factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per ciuitates, & caſtella, prædicans, & euangelizans regnum Dei.	
2 Et curãs omnem languorem, & omnẽ infirmitatem.			
		3 Et duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus; Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant; & Iohanna vxor Chuſæ procuratoris Herodis; & Suſanna; & aliæ multæ, quę miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. (Cum autẽ turba. c.60.	
4 Videns autem turbas, miſertus eſt eis: quia erant vexati, & iacentes ſicut oues non habentes paſtorem.			
5 Tunc dicit diſcipulis ſuis: Meſſis quidem multa, operarij autem pauci.			
6 Rogate ergo Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.]			

Not. 1.

Alter Galilææ circuitus.

OBIT Dominus ciuitates,& caſtella,prædicans regnum Dei,ſequentibus Apoſtolis,& mulieribus multis, quæ ei miniſtrabant de facultatibus ſuis: miſereturque turbarum, quæ erant ſicut oues non habentes paſtorem. Cœperat autem in hoc ſecundo circuitu agere Chriſtus peregre ſine domo. Ob quam etiam cauſſam fit hic mentio mulierum, eum comitantium, & miniſtrantium. Plures vero circuitus eius deſcripſerunt Euangeliſtæ.Porro è verborum conuenientia ſatis intelligitur eundem circuitum à tribus Euangeliſtis eſſe deſcriptum, & Aug. not. 1. cap. 68.habet quod Marcus hunc locum breuiter perſtrinxiſſe videatur. Hic autem circuitus,in quo facta eſt Apoſtolorum miſſio,ſtatim ab hiſtoria Nazaræorum contigit.

Cur Lucas hic mulierum faciat mentionē. Aug.

Ver. 1. 2.

Hilar. Hilar.can. 9.in Matth: Salute gentibus data ciuitates omnes,& caſtella omnia virtute, & ingreſſu Chriſti illuminantur,& omnem infirmitatem veterni languoris euadunt.

Hier. Hiero.Matt. 9:Cernis quod æqualiter & villis, & vrbibus, & caſtellis, id eſt, & magnis, & paruis Euangelium prædicauerit, vt non conſideraret nobilium potentiam; ſed ſalutem credentium. Circuibat ciuitates: hoc habens operis,quod mandauerat pater,& hanc eſuriem, vt doctrina ſua ſaluos faceret infideles. Docebat autem in ſynagogis & villis Euangelium regni, & poſt prædicationem, atque doctrinam omnem curabat languorem, & omnem infirmitatem: vt quibus ſermo non ſuaſerat, opera perſuaderent. De Domino proprie dicitur:Curans omnem languorem, & omnem infirmitatem: nihil quippe ei impoſſibile eſt.

Circuitus cauſa. Quid docebat.

Vict. Circuibat. Vict. Antioch. Mar.6: Circuibat ciuitates,& caſtella, quo ijs omnibus, qui doctrinam illius gratanter ſuſciperent, aditus ad fidem patefieret. Cæteri vero, qui audire & credere nollent, nullam de ſua contumacia, & infidelitate excuſationem haberent.

Euth. Euth. Matth. 9:Circuibat ciuitates omnes,& vicos Iudæorum, ne quis eorum dicere poſſit, ad nos non venit. Et Lucæ 8: Annuncians regnum Dei, denuncians quod fruitio diuina requieſque ſempiterna donarentur in ipſum credentibus.

Eut. Quid docebat.

Theoph. Theoph. Matt. 9: Quoniam miſericors eſt non exſpectat illos ad ſe venientes, ſed ipſe circuit, ne habeant excuſationem, quod nullus illos docuerit. Opere autem, & ſermone trahit eos docens, & miracula faciens. Et Mar. 6: Non in ſolis ciuitatibus docebat Dominus,ſed & in vicis, vt nos diſcamus paruas non deſpicere, neque ſemper magnas quærere ciuitates; ſed & in contemtis oppidulis prædicemus, ſeminando ſermonem. Et Luc. 8: Qui cœlitus deſcenderat,vt figura,& exemplar fieret nobis in omnibus,docet nos ne pigri ſimus ad docendum, ſed circumeamus per omnia loca, & prædicemus. Quæcunque enim fecit, in admonitionem noſtri fecit.Tranſijt itaque per ſingulas ciuitates, & caſtella, duodecimque diſcipulos cohibuit ne docerent, vel prædicarent, vt diſcerent à ſe,& poſtea docerent, tam quæ docuerat, quam quæ fecerat. Porro prædicauit Dominus non bona terrena, ſed regnum cœlorum, & quem alium decuiſſet prædicare ſuperna, quam eum,qui è ſupernis deſcendit? Idcirco & nullus Prophetarum regnum cœlorum prædicauit. Quæ enim non viderunt, quo pacto prædicaſſent? Propterea & præcurſor dicebat: Qui de terra eſt, de terra loquitur, qui è ſupernis venit,quod vidit teſtatur. Vide Chryſoſt. hom. 33. in Matth.

Theop. Theoph. Quid prædicauerit. Ioa. 3. Chryſoſt.

Not. 2. ver. 3.

Eut. EVTH. Luc.8: Et mulieres,&c. Cum enim beneficijs ab eo affectæ eſſent, non diſceſſerunt ab eo. Septem dæmonia quidam pro multis interpretantur.Conſuetum eſt namque apud Hebræos ſeptem vocare quæ multa ſunt. Procuratorem vero Herodis intellige œconomum, & diſpenſatorem rerum ipſius.

Gratitudo mulierum. Dæmonia ſeptem. Procurator Herodis

Theop. Theophylact.Luc.8:Secutæ autem ſunt eum mulieres, vt diſcas, quod neque fœminas ſua infirmitas à comitatu Chriſti prohibeat. Vide item quomodo & quæ diuites erant, omnibus neglectis paupertatem cum Chriſto, & pro Chriſto delegerint: Nam quod diuites fuerint, audi, quia miniſtrarunt Domino de facultatibus ſuis; non de alienis opibus, & iniuſte partis, vti multi ſolent. Iam per ſeptem dæmonia, quæ de illa eiecta fuerunt, quidam intelligunt multa. In ſcripturis enim pro multis ſeptem accipi ſolet: fortaſſis autem dixerit quis, quod ſicut ſunt ſeptem ſpiritus virtutis, ita ſunt è diuerſo malitiæ, vt ſicut eſt ſpiritus timoris Dei, ita è diuerſo ſpiritus contemptus Dei, & impietatis eſt ſpiritus intellectus, eſt è diuerſo ſpiritus hebetudinis intellectu carentis, & ſic de alijs. Itaque niſi eijciantur ſeptem ſpiritus malitiæ ab anima, non poteſt quis ſequi Chriſtum, oportet enim primum eijci dæmonem, & tunc inhabitare Chriſtum.

Mulieres Chriſtum comitantur. Opulentæ mulieres paupertatē eligunt. Dæmonia ſeptem. Septē ſpiritus.

Bed. Bed. Luc.8: Conſuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, vt mulieres de ſubſtantia ſua, victum, atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent. Hoc quia ſcandalum facere poterat in nationibus, Paulus ſe abieciſſe memorat: nunquid non habemus poteſtatem ſorores mulieres circumducendi,ſicut & cæteri Apoſtoli faciunt? Miniſtrabant autem Domino de ſubſtantia ſua, vt meteret earum carnalia, cuius illæ metebant ſpiritualia. Non quod indigeret cibis Dominus creaturarum; ſed vt typum oſtenderet magiſtrorum, quod victu, atque veſtitu ex diſcipulis deberent eſſe contenti.

Cur Dominus, & Apoſtoli ducebant mulieres, non Paulus. Mulieres Chriſto miniſtrabant.

Not. 3. verſ. 4.

Eut. EVTH. Matt. 9: Deſtitutæ, quod nullus eas reſpice-

Vexatæ reſpiceret, diſperſæ, hoc eſt, omnino neglectæ, in modum ouium paſtore carentium: quarum hæ quidem vexatæ ſunt, ac ſeductæ huc, & illuc: aliæ autem diſperſæ, ſiue abiectæ, eo quod non ſit, qui earum curam habeat. Iudæorum enim principes non ſolum non conuertebant, aut reſpiciebant eos, qui peccauerant, neque abiectorum curam habebant, ſed & peius ipſi affecti erant, quam populi. Et Hieron. Matt. 9: Vexatio gregis, & ouium, atque turbarum, paſtorum culpa, & vitium magiſtrorum eſt.

Hiler. Hilar. can. 10. in Matth: Verborum virtutes non minus oportet introſpicere, quam rerum, quia, vt diximus, paria indictis, atque in factis ſignificationum momenta conſiſtunt. Turbarum Dominus miſeretur vexatarum, & iacentium tanquam gregis ſine paſtore diſperſi.

Bed. Bed. Matt. 9: Intuitu clementiæ ſuæ aſpexit Ieſus genus humanum per varios errores à diabolo vexatum, & miſertus eſt eis, conſtituens paſtores, magiſtros videlicet, ad viam veritatis ducentes.

Not 4. ver. 5.

Eut. EVTH. Matt. 9: Meſſem hic vocat eos, qui credituri erant, tanquam paratos, vt ad fidem colligantur, quia iam eis diſſeminata erat fama miraculorum eius: Exiuit enim fama eius, inquit, in vniuerſam Syriam: operatores vero, aut meſſores dicit diſcipulos ſuos, quos mittere volebat ad talium collectionem. Ne enim aſcita multitudine videretur propter hoc circumire ciuitates, & vicos, diſcipulos pro ſe emittit. Poteſt autem & alio modo exponi, quod meſſem dixerit, facilitatem oſtendens huiuſmodi myſterij, vtpote maiori labore præoccupato iam ac perfecto à Prophetis, qui tanquam ſemina quædam fidei, Iudæis ea quæ de Chriſto erant, auſpicati fuerant: quod etiam in Euágelio Ioannis dicebat: Alij laborauerunt, & vos in laborem illorum introiſtis. Meſſem præterea & operarios nominans, Baptiſtæ verba ad memoriam reducit. Si quidem ille de Chriſto loquens, agricolam illum induxit, facta videlicet mentione de area eius & tritico, ac palea.

[Margin: Meſſis. — Operarij. — cap. 26. — Ad memoriam Baptiſtæ verba reducit. cap. 15]

Greg. Greg. lib. 27. Moral. cap. 22: Frumentum ſuperius agricola in mũdo ſurgere, ac nubes deſiderare cõſpexerat, cum dicebat: Meſſis quidem multa, &c. qui igitur hic frumentum, illic meſſis: qui vero hic nubes, illic operarij vocantur; quia prædicatores ſancti, & nubes ſunt, & operarij; nubes videlicet, per doctrinam; operarij per vitam; nubes quia verbis fluunt: operarij, quia non deſinunt agere quod loquuntur.

[Margin: Meſſis. Operarij.]

Greg. Et cap. 5. lib. 1. expoſitionis in librum primum Regum: Meſſis quidem multa, &c.) quaſi dicat, per paucos miniſtros, velut leui manu, paucos ab infidelitate ſeparat.

Hier. Hieron. Matth. 9: Meſſis multa, populorum ſignificat multitudinem; operarij pauci penuriam magiſtrorum. Iſti ſunt operarij, de quibus loquitur Pſalmiſta, dicens: Qui ſeminant in lacrymis, in gaudio metent; Euntes ibant, & flebant portantes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Et vt apertius loquar, meſſis multa, omnis turba credentium eſt; operarij autem pauci, & Apoſtoli, & imitatores eorum, qui mittuntur ad meſſem.

[Margin: Meſſis multa, operarij pauci.]

Not. 5. verſ. 6.

Greg. GREG. cap. 1. expoſ. in lib. 1. Reg: Rogate vt miniſtros multiplicet, vt quaſi conuerſorum multitudine manum grauet.

Chryſoſt. hom. 33. in Matth: Cuius igitur rei gratia dicebat: Orate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam; cum neminem eis adiecerit? Quia videlicet, etſi numero perſonarum non addiderit, virtutem tamen, ac gratiã contulit. Hic ſignanter magnitudinem doni oſtendit, & occultius ſe eſſe Dominum meſſis patefecit. Nam cum dixiſſet: Orate Dominum meſſis, atque illi neque orauerint, neque obſecrarint quempiam; ipſe tamen continuo eos ordinauit, atque conſecrauit, vt hinc ipſum eſſe Dominum intelligerent, & verba Ioannis memoria recolligerẽt, nec obliuiſcerentur areę, aut ventilabri, aut paleæ, aut tritici. Vnde clarum fit ipſum eſſe agricolam, ipſum eſſe meſſis, & Prophetarum, qui ſemina meſſis iecerunt, Dominum. Nam ſi ad metendum operarios mittebat, clarum eſt, quod non vt aliena meterent, ipſe mitteret, ſed quæ per Prophetam ſeminauerat.

[Margin: Chryſ. ... Dominus meſſis ... — Ad memoriam ... verba reducit. — Dominus quis.]

Euth. Matt. 9: Dominum meſſis ſeipſum vocat, cui videlicet, ſeruantur huiuſmodi segetes, & ad quem colligendæ ſunt, quique poteſtatem habet illas metere: Rogate ergo, inquit, non quaſi ei opus ſit, vt illi obſecrent. Quis enim homines magis amat, quam ipſe? Sed vt diſcipulos inſtruat, vt Deum pro errantibus deprecentur.

[Margin: Eut. Meſſis Dominus quis. — Cur vt orent, mandat.]

Cyrill. lib. de recta fide ad Reginas: Notum eſt meſſem eſſe Domini, qui eſt omnium Deus. Cuius enim eſt area ſpiritualis, hoc eſt, humanum genus eius eſt & meſſis. Sed ecce præcipiens ſeipſum eſſe ſtatim illum oſtendit, emittens operarios, hoc eſt, ſanctos Apoſtolos, quibus dedit poteſtatem contra ſpiritus immundos, vt Deus. Neque eſt in viribus hominis dare quibuſdam Spiritus ſancti efficaciam, id quod Chriſtus fecit vltro. Quomodo igitur nõ eſt natura, & vere Deus, tametſi nũc verbum caro ſit? Et lib. 12. Theſaur. cap. 15: Nec vllam rem aliam meſſem appellat, quam venientiũ hominum ab idololatria ad fidem Chriſti, quorum Dominus ipſe eſt Chriſtus. Quomodo igitur non eſt Deus verus? præſertim cum etiam Paulus per pœnitentiam omnes ad Chriſtum vocet, dicens: Rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Quoniam igitur ſolus eſt Deus, qui eſt Dominus omnium, meſſis quoque huiuſmodi Dominus eſt, ipſe ſolus erat operarios in meſſem miſſurus, ſed hoc ipſe feciſſe Saluator inuenitur. Iuſſit enim Philippo, vt ſequeretur ſe Deus igitur verus eſt, & non creatura.

[Margin: Cyr. Meſſis Dominus quis. — Rogate Dominũ meſſis. — Cyr.]

CAP. 68.

CAP. 68. *Apoſtoli, accepta in dæmones, & morbos poteſtate, mittuntur ad prædicandum.*

Matt. 10.	*Mar. 6.*	*Luc. 9.*	*Ioan.*
		Fer. 5. poſt Pent.	
1 [ET conuocatis duodecim diſcipulis ſuis.	1 ET vocauit duodecim. 7 Et cœpit eos mittere binos.	1 [✠ c.40) CONuocatis autem duodecim Apoſtolis.	
2 Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos.	2 Et dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorum.	2 Dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia dæmonia.	
3 Et curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.		3 Et vt languores curarent.	
4 Duodecim autẽ Apoſtolorum nomina ſunt hæc; primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius.			
5 Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius; Philippus,& Bartholomæus; Thomas, & Matthæus publicanus.			
6 Iacobus Alphæi, & Thaddæus: Simon Cananæus, & Iudas Iſcariotes, qui & tradidit eum.			
7 Hos duodecim miſit Ieſus.	7 Suprà.	7 Et miſit illos.	
		10 Prædicare regnũ Dei. 11 Et ſanare infirmos.	
8 Præcipiens eis dicens:	8 Et præcepit eis:	8 Et ait ad illos:	
9 In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; ſed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.			
10 Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnũ cœlorum.		10 Supra.	
11 Infirmos curate.			
12 Mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite, gratis accepiſtis, gratis date.		11 Supra.	
13 Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.	13 Ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum; non peram, non panem, neque in zona æs; ſed calceatos ſandalijs, & ne induerentur duabus tunicis.	13 Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.	
14 Dignus enim eſt operarius cibo ſuo.			
15 In quamcunque autem ciuitatem, aut caſtellum			

intraue-

	Matt. 10.		*Mar. 6.*		*Luc. 9.*	*Ioan.*
	intraueritis, interrogate quis in ea dignus ſit.					
16	Et ibi manete donec exeatis.	16	Et dicebat eis: Quocunque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde.	16	Et in quamcunque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis.	
17	Intrâtes autem in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui.					
18	Et ſi quidem fuerit domus illæ digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra reuertetur ad vos.					
19	Et quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris.	19	Et quicunque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite puluerem de pedibus veſtris.	19	Et quicunque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum veſtrorum excutite.	
		20	In teſtimonium illis.	20	In teſtimonium ſupra illos.	
21	Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati.					
	In commemor. S. Pauli. In feſto S. Barnabe.					
22	✠ Ecce, ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum.					
23	Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpêtes, & ſimplices ſicut columbæ.					
24	Cauete autem ab hominibus: tradent enim vos in concilijs, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos: & ad præſides, & ad reges ducemini propter me, in teſtimonium illis, & gentibus.					
25	Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.					
26	Non enim vos eſtis qui loquimini; ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.					
27	Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient.					
28	Et eritis odio omnibus, propter nomen meum.					

Matt. 10.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*
29 Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. ✠			
In feſto S. Athanaſii.			
30 ✠ CVM autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam.			
31 Amen dico vobis, non conſummabitis ciuitates Iſraël, donec veniat filius hominis.			
32 Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum: ſufficit diſcipulo, vt ſit ſicut magiſter eius, & ſeruo, ſicut dominus eius.			
33 Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domeſticos eius? ne ergo timueritis eos.			
De Martyre.			
34 T. NIHIL enim eſt opertum, quod non reuelabitur: & occultum, quod non ſcietur.			
35 Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.			
36 Et nolite timere eos, qui occidunt corpus: animam autem non poſſunt occidere.			
37 Sed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam. ✠			
38 Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro?			
39 Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos.			
40 Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt. T.			
41 Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt.			
De Martyre non Pontifice.			
42 ✠ NOLITE arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere; ſed gladium.			
43 Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam.			
44 Et inimici hominis domeſtici eius.			
45 Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Et qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.			
46 Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.			
47 Qui inuenit animam ſuam, perdet illam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.			
48 Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit.			
49 Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Et qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet.			
50 Et quicunque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. ✠]			

Matt. 11.	*Mar 6.*	*Luc. 9.*	*Ioan.*
	51 Et exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabant.	51 Egreſſi autem circuibant per caſtella euangelizantes, & curantes vbique. ✝	
52 [ET factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus, præcipiens duodecim diſcipulis ſuis, tranſijt inde vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum. (Ioannes autem cum audiſſet. c. 56.			

Not. 1.

Aug. Miſſio Apoſtolorũ. AVG. lib. 2. de conſ. cap. 30: Sane deinceps non apparet ordo rerum geſtarum. Nam poſt hæc duo facta de cæcis, & muto dæmonio ita ſequitur: Et circuibat Ieſus ciuitates omnes, & caſtella, docens in ſynagogis, &c. Et conuocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, &c. vſque ad illud, vbi ait: Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. In hoc toto loco, quem nunc commemorauimus, multa monuit diſcipulos ſuos, ſed vtrum eum ex ordine Matthæus ſubiunxerit, an ei ordo narrandi recordatio ſua fuerit, ſicut dictum eſt, non apparet. Hunc locum breuiter videtur perſtrinxiſſe Marcus, & cum ſic ingreſſus eſt, dicens: Et circuibat caſtella in circuitu docens: & conuocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos, &c. vſque ad illud, vbi ait: Excutite puluerem de pedibus veſtris in teſtimonium illis. Sed antequam hoc narraret Marcus, prius poſt reſuſcitatam filiam Archiſynagogi, illud narrauit, vbi Dominum in patria ſua mirabantur, vnde illi eſſet tanta ſapientia, & virtutes, cum eius cognationem noſſent, quod Matthæus poſt admonitionem illam diſcipulorum, & poſt alia multa commemorat. Itaque incertum eſt, vtrum hoc quod agitur in eius patria Matthæus omiſſum reuocauerit, an Marcus recordatum anticipauerit. Quiſnam eorum ordinem rei geſtæ, & quis recordationis ſuæ tenuerit. Lucas autem continuo poſt reſurrectionem filiæ Iairi, ſubiungit hoc loco de poteſtate, & admonitione diſcipulorum, tam breuiter ſane, quam Marcus. Neque ipſe ita, vt hoc ſequi etiam in rerum geſtarum ordine appareat.

Aug de ordine dubitat.

Marcus hic vtiter hunc locu perſtrinxit.

De ordine dubium.

Lucas etiã h[illegible] eſt hic [illegible].

Auct. Mittit Chriſtus Apoſtolos, admonitionibus inſtructos, ad prædicandum Euangelium. Sic autem eos mittit, vt nulla eos rerum temporalium ſollicitudine prægrauari velit. Multaque admonet, quæ ſeruare debeant; atque nonnulla ipſis obuentura prædicit: & vt inſignis belli Dux ad fortitudinem excitat. Porro hæc Apoſtolorum miſſio proxime ſecundum circuitum ſequitur, quam Matthæus anticipat; quod in ea plurima dicta ſint, quæ ad doctrinam pertinent, quodque diutius reticere nomina, & ordinationem Apoſtolorum commode non poſſet. Planeque exiſtimo hanc miſſionem cum hic poſitum fuiſſe, niſi eandem anticipaſſet. Nam ea ſtatim ſubdit, quæ proxime poſt miſſionem, & reditum Apoſtolorum contigerunt. Itaque hic, id eſt, poſt ea, quæ Nazarethi contigerunt, ponenda fuit iſta miſſionis eius cauſa. Lucas vero eandem parabolæ ſeminantis proxime ſubijcit, ijs exemptis, quæ prius omiſſa repetit. Cum enim cœpiſſet narrare cauſam huius miſſionis, quædam ante ipſam, quæ prius contigerant, interpoſuit. In quo Marcum imitatus eſt. Et ſubieciſſet, credo hiſtoriæ Nazareth, ſi eam non anticipaſſet. Proinde Marci narratio hic ſequenda fuit. Qui etiam ſatis indicat, ſicut & Lucas, tam iſto, quam 46. cap. Non ſolum electos, conſtitutos, & ordinatos fuiſſe duodecim; ſed etiam poteſtatem accepiſſe antequam mitterentur, & ea vterentur. Idipſum ſcilicet, prius electos, & conſtitutos fuiſſe duodecim Apoſtolos, Matthæus non obſcure inſinuat. Dicit enim non facta electionis mentione, duodecim autem Apoſtolorum nomina, &c. Hic tamen ampliorem ſanandi, & eijciendi dæmones poteſtatem accepiſſe creduntur. Notandum quoque eſt eos, poteſtate prius accepta vſos, antequam à Domino mitterentur, non fuiſſe. Tres Euangeliſtas iſtam narrare miſſionem habet Aug. not. 1. Vict. Antioch. Mar. 6. Tit. Boſtren. Luc. 8. Euth. & alij. Conſtat etiam pleraque eorum, quæ hic narrantur, alijs locis, & temporibus dicta; ſed ob cohærentiam viſum eſt, omnia ſuis locis relinquere.

Tres hoc narrant. Auct. Vict. Tit. Euth.

Not. 2. verſ. 23.

HIERON. Matt. 10: Benignus & clemens Dominus, ac magiſter, non inuidet ſeruis, atque diſcipulis virtutes ſuas, & ſicut ipſe curauerat omnem languorem, & omnem infirmitatem; Apoſtolis quoque ſuis tribuit poteſtatem vt curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem in plebe. Sed multa diſtantia eſt inter habere, & tribuere; donare, & accipere. Iſte quodcumque agit, poteſtate Domini agit: illi

Hier. [illegible]

Inter pote[illegible] [illegible]

illi ſi quid faciunt, imbecillitatem ſuam, & virtutem Domini confitentur, dicentes: In nomine Ieſu ſurge, & ambula. Act. 3.

Ver. 1 & ſeq.

His ſimilia cap. 46. ex Mar. & Luc. deſcribuntur. Apoſtoli qui ſint. De eorum miſſione, poteſtate, munere, & gratia ſaniratum.

Hier. Catalogus Apoſtolorum cur ponitur. Apoſtolorum ordinē & merita Deus tantū diſtribuere.

Hier. Matt. 10: Catalogus Apoſtolorum ponitur: vt extra hos, qui pſeudoapoſtoli futuri ſunt, excludantur. Ordinem Apoſtolorum, & meritum vniuſcuiuſque, illius fuit diſtribuere, qui cordis arcana rimatur. Primus ſcribitur Simon, cognomento Petrus: ad diſtinctionem alterius Simonis, qui appellatur Cananæus, de vico Cana Galilææ, vbi aquam Dominus vertit in vinum, Iacobum quoque appellat Zebedæi: quia & alius ſequitur, Iacobus Alphæi: & Apoſtolorum paria, iugaque conſociat. Iungit Petrum, & Andream, fratres, non tam carne, quam ſpiritu; Iacobum, & Ioannem, qui patrem corporis relinquentes, verum patrem ſecuti ſunt: Philippum, & Bartholomæum; Thomam quoque, & Matthęum publicanum. Cęteri Euangeliſtæ in coniunctione nominum primum ponunt Matthęum, & poſtea Thomam: nec publicani nomen aſcribunt: ne antiquæ conuerſationis recordantes, ſuggillare Euangeliſtam viderentur: Iſte vero (vt ſupra diximus) & poſt Thomam ſe ponit, & publicanum appellat: vt vbi abundauit iniquitas, ſuperabundet & gratia. Simon Cananæus ipſe eſt, qui in alio Euangeliſta ſcribitur Zelotes. Cana quippe zelus interpretatur. Thaddæum Apoſtolum Eccleſiaſtica tradit hiſtoria, miſſum Edeſſam ad Abagarum Regem Choſdrognæ, qui ab Euangeliſta Luca Iudas Iacobi dicitur, & alibi appellatur Lebæus, quod interpretatur corculum: credendumque eſt eum fuiſſe trinomium; ſicut Simon Petrus, & filij Zebedæi Boanerges, ex firmitate, & magnitudine fidei nominati ſunt. Iudas Iſcariothes, vel à vico, aut vrbe, in qua ortus eſt, vel ex tribu Iſachar, vocabulum ſumpſit: vt quodam vaticinio in condemnationem ſui natus ſit. Iſachar enim interpretatur merces, vt ſignificetur pretium proditoris.

Apoſtoli duo ſimul copulantur.

Thomas ſe Matthæo præponit, & publicanum vocat, non ne alij Euangeliſtæ.

Rom. 5

Thaddæus ad Abagarum fuit miſſus.

Thaddæus fuit trinomius. Cur dicti Boanerges. Iſcariotes.

Aug. Lucas Apoſtolos prius nominat. Thaddæus eſt trinomius.

Aug. lib. 2. de conſ. cap. 30: In nominibus diſcipulorum, Lucas (qui eos alio loco nominat, cum prius eliguntur in monte) à Matthæo non diſcrepat, niſi in nomine Iudæ Iacobi, quem Matthæus Thaddęum appellat: nonnulli autem codices habent, Lebbæum. Quis autem vnquam prohibuerit, duobus, vel tribus nominibus hominem vnum vocari?

Vict. Apoſtolorum numerus, & nomina. Modus miſſionis. Miſſorum ordo.

Vict. Antioch. Mar. 6: Et quidem Euangeliſta Marcus numerum eorum, quos ad munus illud delegerat, accurate exponit. Matthæus autem non hoc ſolum, ſed miſſorum quoque nomina edit. Marcus rurſum miſſionis modum diſertis verbis aperit; ſcribit enim Dominum binos, & binos ſimul ad euangelizandum miſiſſe. Matthæus autem non modo qui miſſi fuerant, exprimit, verum etiam miſſorum ordinem deſcribit: Indicat namq; quis ex illis fuerit primus, quis ſecundus, & ſic deinceps vſq; ad poſtremū.

Euth. Apoſtolorum nomina cur ponantur.

Euth. Matt. 10: Quia de Petro, & Andrea; Iacobo, & Ioanne; ac ſeipſo in præcedentibus docuit, quod ſecuti fuęrint Chriſtum; de alijs vero nihil manifeſte ſcripſit: nunc illorum quoque nomina recenſet, vt ea recognoſcamus, & à falſis Apoſtolis diiudicemus: Multi enim fuerunt pſeudoapoſtoli. Hoc autem Marcus, & Lucas fecerunt. Primum vero dixit Petrum: non ſolum tanquam Andrea fratre ſuo natu maiorem; verum etiam tanquam cæteris omnibus firmitate excellentiorem. Ideo etiam nomen Petrus ei Chriſtus imponens, dixit: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Quare autem additur, qui dicitur Petrus? omnino vt diſcamus, quod Simon primum nominabatur: vt eum ab altero Simone diſtinguamus, qui cognominatur Cananęus: Iacobum prępoſuit, vt pote Ioanne natu maiorem: nam virtute Ioannes præcellebat: Philippus, & Bartholomæus. Hi poſt prædictos Chriſtum ſecuti ſunt: ideo etiam hoç ordine narrantur: Marcus & Lucas; Matthæum Thomæ præpoſuerunt, tanquam ante eum effectum diſcipulum: Matthæus vero hic ſeipſum modeſtię cauſa deiecit. Nam etiam publicanum ſe rurſum in proprium contemptum appellauit. Lucas vero loco eius, qui hic Thaddæus dicitur, Simonem Zelotem, ſiue Cananæum ordinauit. Poſtea autem Thaddæum coniunxit Iudæ Iſcarioti, & hunc Iudam nominauit: Iudam, inquit, Iacobi, & Iudam Iſcariotem, coniunxit autem hos propter nominum ſimilitudinem. Duo itaque Simon dicebantur; Simon, qui vocabatur Petrus, & Simon Zelotes, qui & Cananæus. Duo ſimiliter nomen habebant, Iacobus; puta Iacobus filius Zebedæi; & Iacobus Alphæi filius. Duo quoque Iudas dicebantur; Iudas Iacobi, qui & Lebæus, & Thaddæus; & Iudas Iſcariotes. Verum propter nominum ſimilitudines, addunt Euangeliſtæ & alia cognitionis indicia, ad diſtinctionem. Cæterum ſi Lucas propter nominum ſimilitudinem, Thaddæum Iudæ Iſcarioti coniungit, quare non pari modo Simonem Petrum cum Simone Cananæo ordinat; & cum Iacobo filio Zebedæi, Iacobum Alphæi filium. Quia Petrus cum Andrea fratre ſuo; & Iacobus cum Ioanne fratre ſuo Chriſtum ſecuti ſunt: & oportebat eos ſimul ordinari, nō ſolum quia fratres; ſed etiam quia ſimul ſecuti fuerāt. Lucas locum quoque dixit, in quo ipſos ad Apoſtolatum ſegregauit, verum non dixit, quando eos emiſit: Marcus autem modum quoque dicit, quod cœpit eos mittere binos: omnino propter mutuam conſolationem.

Cur primo loco Petrus. Cur additus Petrus. Cur mittuntur bini.

Not. 3. ver. 9.

Vict. Cur tantū ad Iudæos mittat.

VICT. Antioch. Mar. 6: Iniungit grauiter omnibus, vt miſſis Gentium regionibus, Iudæis tantum pietatis dogmata annuncient, corporumque ſanitatem ijs, qui inter hoſce fortè eguerint, impendant: quo hac ratione, & laborum magnitudo ſit minor; & diſcipulorum cum magiſtro coniunctio, & conſuetudo maior

ior: ſiquidem vbiuis Gentium euangelizare, in aliud tempus aſſernabatur.

Iſidor. Iſidor.Peluſ.lib.1.epiſt.153: In viam Gentium
Quid ſit in via Gentiū non abire. minime abire, idem eſt quod animo, & affectu cum ipſis minime conuenire. Atq; eodem modo, qui in Samaritanorum ciuitates introire prohibetur,non hoc ei imperatur,vt ab eorum contubernio abſtineat, ſed vt ne ipſorum impietatem, & improbitatem attingat.

Cypr. Cypr. epiſt.76. cap.2: Sonat adhuc in Euangelio ſuo Dominus, & maiorem intelligentiæ lucem manifeſtat,quod ijdem,qui ſe tunc à tribu Iuda,& Beniamin ſciderant, & Ieroſolymis derelictis,Samariam ſeceſſerant inter prophanos,& Gentiles computarentur. Nam cum primum diſcipulos ſuos in miniſterium ſalutis mitteret,mandauit, & dixit: In viam Nationum ne ieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne introieritis. Ad Iudæos prius mittens, Gentiles
Schiſmatici adæquātur Gentibus. adhuc præteriri iubet. Addendo autem, & ciuitatem Samaritanorum debere omitti, vbi erant ſchiſmatici, oſtendit ſchiſmaticos Gentibus adæquari.

Hier. Hieron. Matth.10: Non eſt contrarius locus iſte, ei præcepto, quo poſtea dicitur: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris,& Filij, & Spiritus ſancti.Quia hoc ante reſurrectionem, illud poſt reſurrectionem præceptum eſt, & oportebat primum aduentum Chriſti nunciari Iudæis: ne iuſtam haberent excuſationem dicentes: Ideo ſe Dominum reieciſſe, quia ad Gentes, & ad Samaritanos Apoſtolos miſerit. Iuxta tropologiam vero præcipitur nobis, qui Chriſti cenſemur nomine: Ne in via Gentium,& hæreticorum ambulemus errore,vt quorum religio ſeparata eſt,ſeparetur & vita.

Aug. Auguſt. lib. quæſt. veteris, & noui teſtamenti quæſt.77: Adhuc tempus prædicandi Gentibus non erat. Ideoque mittens diſcipulos ſuos præcepit dicens: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne introieritis; ſed ite potius ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Quamuis tempus non eſſet prædicandi Gentibus; vltro tamen venientes ad fidem non ſuſcipere, inuidiæ erat. Actorum 13: Tunc conſtantes Paulus,& Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce, conuertimur ad Gentes.

Ver. 12.

Hier. Hier.Matt.10:Ego Magiſter,& Dominus abſque pretio hoc vobis tribui; & vos ſine pretio
Gratia Dei gratuita eſſe debet Cypr. date: ne Euangelij gratia corrumpatur. Ex hoc loco gratiam Dei gratuitam eſſe debere,probat Cypr. lib. 3. ad Quirinum cap. 100.

Not. 4. verſ. 13. 14.

Vict. Euāgeliſtæ quales eſſe debeant. Vict. Antioch. Mar. 6: Et præcepit illis, ne quid tollerent in via. Tantum ait Saluator Apoſtolis, ab omni cogendæ pecuniæ ſtudio, auaritiæque ſuſpicione alienos vos eſſe volo; vt ne commeatus quidem cauſa: quæ tamen res maxime neceſſaria vulgo haberi ſolet:quidquam omnino ab ijs, apud quos hoſpitij cauſa diuertitis,accipere vos ſinam, itaque neque aurum, neque argentum, neque æs ad itineris vſum vobis à quoquam obtrudi patiamini.Sed neque peram quoque habere vos volo; quo nimirum habitu ipſo, corporiſque cultu planum fiat, quantum ab omni pecuniæ cupiditate ſeiuncti ſitis. Apud Matthæum autem non hæc tantum, ſed gemina quoque tunica, & calceamenta, & virga: quæ tenuiſſima eſt omnium: prohiberi videntur. At vero apud Marcum virga permitti, videtur; ibidem ſandaliorum vſus quoque permittitur. Verum quod de virga hic De virga, & calceamentis Euangeliſtarum concordia.
aſſeritur, tantum ſecundum quandam indulgentiam aſſertum videtur.Certe verba eiuſmodi quiddam inſinuant; habent enim niſi virgam tantum, quaſi Dominus dicat: Nihil omnino volo vos in via deferre,niſi forſan virgam qua nitamini; non peram, non panem, non in zona æs, neque calceamenta, niſi forſan ſandalia,neque duas tunicas induatis. Particula itaque, *μὴ* , neque ita late hoc loco vſurpatur,vt non abſolutè neget; ſed aliquatenus etiam permittat.Quæ de virgæ permiſſione hic dicuntur, ea cum ijs ſatis conſonant, quæ apud Lucam cap. 174.
de hoc ipſo argumento, circa paſſionis articulum exponuntur. Dominus enim diſcipulos eo loci ita affatur:quando miſi vos ſine ſacculo,& pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? hic virgæ nulla omnino ſit mentio.Quare quod apud Marcum de virga ſcribitur, inter permiſſiones habeatur. In ſumma, diſcrepantia, quæ hic ſe offert, ſi aliqua omnino eſt,tantum ſecundum externam literæ ſuperficiem eſt.

Aug. Virga duplex viſu. Quæ virga ſit vetita, & quæ cōceſſa. Sandalia ſunt permiſſa. Virga dicitur & quod ſumitur ad defenſionem,& quod ad corpus ſuſtinendum,hæc conceſſa,illa prohibita. Marcus exponit quæ virga ſit conceſſa; vt & de ſandalijs. Permiſſa enim fuerunt, quæ plantam tantum defendunt: qualibus Dominus, & Apoſtoli vt pauperes illius regionis, vtebantur; calceamenta vero erant prohibita. Matthæus & Lucas id quod prohibetur explanant;ſed poſtea hæc prohibitio reuocata eſt cap. 174. vt docet Chryſoſt. paulo Chryſoſt.
inferius.

Hier. Hiero. Matt.10: Conſequentes hæc dat præcepta euāngelizatoribus veritatis, ſi enim ſic Aurum, & argentum prohibetur.
prædicant, vt pretium non accipiant, ſuperflua eſt auri, argentique, & nummorum poſſeſſio. Nam ſi habuiſſent aurum, & argentum, videbantur nō cauſa ſalutis hominum,ſed cauſa lucri prædicare. Neque æs in ſacculis.) Qui diuitias detruncarat, propemodum & neceſſaria vitæ amputat; vt Apoſtoli Doctores veræ religionis, qui inſtruebant, omnia prouidentia Dei gubernari, ſeipſos oſtenderent nihil cogitare de craſtino. Non peram in via.) Ex hoc Pera.
præcepto arguit Philoſophos, qui vulgo appellantur *bactroperatæ*: quod contemptores ſæculi, & omnia pro nihilo ducentes, cellarium ſecum vehebant. In duabus tunicis videtur mihi Duæ tunicæ.
oſten-

oſtendere duplex veſtimentum: non quo in locis Scythiæ, & glaciali niue rigentibus, vna quis tunica debeat eſſe contentus, ſed quo in tunica veſtimentum intelligamus: ne alio veſtiti, aliud nobis futurorum timore ſeruemus. Neque calceamenta. Et Plato præcepit duas corporis ſummitates non eſſe velandas, nec aſſueſieri debere mollitiei capitis, & pedum. Cum enim hæc habuerint firmitatem, cætera robuſtiora ſunt. Neque virgam. Qui Domini habemus auxilium, baculi præſidium cur geramus? & quia quodammodo nudos, & expeditos ad prædicandum Apoſtolos miſerat, & dura videbatur eſſe conditio magiſtrorum, ſeueritatem præcepti ſequenti ſententia temperauit, dicens: Dignus eſt operarius cibo ſuo. Tantum, inquit, accipite, quantum in victu, & veſtitu vobis neceſſarium eſt. Vnde & Apoſtolus explicat, habentes victum, & veſtitum, his contenti ſumus. Et in alio loco: Communicet autem is qui catechizatur ei, qui ſe catechizat in omni bono: vt quorum diſcipuli metunt ſpiritualia, conſortes eos faciant carnalium ſuorum non in auaritia, ſed in neceſſitate. Hæc hiſtorice diximus. Cæterum ſecundum anagogen, non licet magiſtris aurum, & argentum, & pecuniam, quæ in zonis eſt, poſſidere. Aurum ſæpe legimus pro ſenſu; & argentum pro ſermone; æs pro voce; hæc nobis non licet ab alijs accipere, ſed data à Domino poſſidere. Neque hæreticorum, & philoſophorum, peruerſæque doctrinæ ſuſcipere diſciplinas: non ſæculi pondere premi, neque duplici eſſe animo, neque pedes noſtros mortiferis vinculis alligari: ſed ſanctam terram ingredientes eſſe nudos: neque habere virgam, quæ vertatur in colubrum, neque in aliquo præſidio carnis inniti, quia iſtiuſmodi virga & baculus arundineus eſt, quem ſi paululum preſſeris, frangitur, & manum transferat incumbentis 1. ad Timoth. 5. Dignus eſt operarius mercede ſua.

Calceamenta. — Cibo dignus operarius. — 1 Tim. 6. — Gal. 6 — Expoſitio anagogica. — Aurum, & argentum ſe.

Aug. Aug. lib. quæſt. ex vtroque mixtim quæſt. 104: Quod euntibus in via diſcipulis, mandaſſe videtur, vt nihil tollerent in via, pacis eſt cauſa, & gratia virtutum, & affabilitas doctrinę. Quid enim opus erat in via tollere aliquid, quibus, ſignorum cauſa omnia offerenda erant. At vbi tempus, quo ſe capi permiſit, aduenit; propter quod pax magis quam bellum imminebat, armatos iubet eſſe diſcipulos: non vt repugnaret qui pati volebat; ſed, vt dixi, vt præſcium ſe huius rei, & in poteſtate habere poſſeſſionem ſuam, oſtenderet: humiliaret autem ſe humanæ ſalutis cauſa.

In via nil ferendum. — Quando velit ſuos eſſe armatos.

Aug. Et lib. 2. de conſen. cap. 30: Solet item quæri, quomodo Matthæus, & Lucas commemorauerint, dixiſſe Dominum diſcipulis, vt nec virgam ferrēt, cum dicat Marcus, & præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum. Vt ſequatur etiam ipſe, non peram, non panem, neque in zona æs, vt oſtendat in eodem loco verſari narrationem ſuam, in quo & illorum qui dixerunt, nec virgam ferendam. Quod ita ſoluitur, vt intelligamus. Sub alia ſignificatione dictam virgam, quæ ſecundum Marcum ferenda eſt: & ſub alia illam, quæ ſecundum Matthæum, & Lucam non eſt ferenda; ſicut ſub alia ſignificatione intelligitur tentatio, de qua dictum eſt: Deus neminem tentat, & ſub alia, de qua dictum eſt: Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligitis eum, illa ſeductionis eſt, hæc probationis; ſicut iudicium aliter accipitur, de quo dictum eſt: Qui bene fecerunt in reſurrectionem vitæ; qui male fecerunt in reſurrectionem iudicij: & aliter, de quo dictum eſt: Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam, de gente non ſancta. Illud enim iudicium damnationis eſt, hoc diſcretionis. Et multa alia ſunt verba, quæ non habent vnam ſignificationem, ſed diuerſis locis congruenter poſita, diuerſo modo intelliguntur, & aliquando cum expoſitione dicuntur; vt eſt illud: Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote, vt ſenſibus perfecti ſitis. Hoc enim breuiter clauſa ſententia dici potuit. Nolite eſſe pueri, ſed eſtote pueri. Et illud: Si quis putet ſe ſapientem eſſe in vobis, in hoc ſæculo ſtultus fiat, vt ſit ſapiens. Quid enim aliud dixit, quam non ſit ſapiens, vt ſit ſapiens? Aliquando autem clauſæ ita dicuntur, vt exerceant iniquitatem: vt eſt, quod ait ad Galatas: Inuicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Qui enim putat ſe eſſe aliquid, cum nihil ſit ſeipſum ſeducit. Opus autem ſuum probet vnuſquiſque, & tunc in ſemetipſo habebit, gloriam, & non in altero. Vnuſquiſque enim proprium onus portabit. Niſi oneris nomen ſub diuerſis ſignificationibus acceperis, procul dubio putabis eundem ſibi in loquendo eſſe contrarium, & hoc in vna ſententia, tam vicine poſitis verbis. Qui cum Paulo ante diceret: Alter alterius onera portate: poſtea dixit vnuſquiſq; proprium onus portabit. Sed alia ſunt onera participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus noſtris. Illa cum fratribus ſuſtinenda communicantur: hæc propria ab vnoquoque portantur. Itaque virga intelligitur ſpiritualiter, de qua dicebat Apoſtolus: In virga veniam ad vos: & corporaliter, qua vtimur ſiue ad equum, ſiue ad aliquid aliud, opus fuerit, vt interim omittam, & alias huius nominis figuratas ſignificationes, vtrumque ergo accipiendum eſt à Domino Apoſtolis dictum, & vt nec virgam ferrent; & non niſi virgam ferrent. Cum enim ſecundum Matthæum diceret eis: Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; continuo ſubiecit: Dignus eſt enim operarius cibo ſuo. Vnde ſatis oſtendit, cur eos hæc poſſidere, ac ferre noluerit: non quod neceſſaria non ſit ſuſtentationi huius vitæ; ſed quia ſic eos mittebat, vt eis hæc deberi demonſtraret ab illis ipſis, quibus Euangelium credentibus annunciarent, tanquam ſtipendia militantibus, tanquam fructum vineæ plantatoribus, tanquam lac gregis paſtoribus; vnde Paulus dicit: Quis militat ſuis ſtipendijs vnquan? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit?

Quomodo ferenda virga, & non ferenda. — Iac. 1. — Deut. 13. — Tentatio duplex — Ioan. 5. — Pſal. 42. — 1 Cor 14. — 1 Cor. 3 — Gal. 6 — 1 Cor. 9.

Quis paſcit gregem,& de lacte gregis non percipit? Hic enim loquebatur de ijs, quæ neceſſaria ſunt prædicatoribus Euangelij, vnde Paulo poſt dicit: Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi veſtra carnalia metamus?
2 Theſ. 2. Si alij poteſtatis veſtræ participant, nonne magis nos? Sed non ſumus vſi hac poteſtate. Vnde
Datur poteſtas accipiendi neceſſaria à diſcipulis. apparet hæc non ita præcepiſſe Dominum, tanquam Euangeliſtę viuere aliunde non debeant, quam eis præbentibus, quibus annunciant Euangelium: Alioquin contra hoc præceptum fecit idem Apoſtolus, qui victum de manuum ſuarum laboribus tranſigebat, ne cuiquam grauis eſſet; ſed poteſtatem dediſſe, in qua ſcirent iſta ſibi deberi. Cum autem à Domino aliquid imperatur, niſi fiat, inobedientiæ culpa eſt: Cum autem poteſtas datur, licet cuique non vti, & tanquam de ſuo iure recedere. Hæc ergo Dominus loquens diſcipulis, id agebat, quod iſte Apoſtolus Paulo poſt apertius ita explicat.
1 Cor. 9 Neſcitis quoniam qui in tẽplo operantur, quæ de templo ſunt edunt? Qui altari deſeruiunt, altario compartiuntur? Sic & Dominus ordinauit ijs: Qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Ego autem nullius horum vſus ſum. Cum itaque dicit ita Dominum ordinaſſe, ſe autem vſum non eſſe, vtique oſtendit vtendi poteſtatem datam, non impoſitam ſeruiendi neceſſitatem. Hoc ergo ordinans Dominus, quod eum ordinaſſe dicit Apoſtolus: Qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere: Illa Apoſtolis loquebatur, vt ſecuri non poſſiderent, neque portarent huic vitæ neceſſaria, nec magna, nec minima. Ideo poſuit nec virgam, oſtendens à fidelibus ſuis omnia deberi mini-
Ver. 14. ſtris ſuis, nulla ſuperflua requirentibus. Ac per hoc addendo dignus eſt enim operarius cibo ſuo, protſus aperuit, & illuſtrauit, vnde & quare hæc omnia loqueretur. Hanc ergo poteſtatem virgæ nomine ſignificauit cum dixit, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum. Po-
Quid virga ſignificet apud Mar. & quid apud Matth. tuit enim etiam ſic breuiter dici, nihil neceſſariorum vobiſcum feretis, nec virgam, niſi virgam tantum: vt illud quod dictum eſt, nec virgam: intelligatur nec minimas quidem res. Quod vero adiunctum eſt, niſi virgam tantum intelligatur, quia per poteſtatem à Domino acceptam (quæ virgæ nomine ſignificata eſt) etiam quæ non portantur, non deerunt. Vtrumque ergo Dominus dixit; ſed quia non vtrumque vnus Euangeliſta commemorauit, putatur ille qui virgam ſub alia ſignificatione poſitam tollendam dixit eſſe contrarius ei, qui virgam rur-
Ver 13. ſus aliud ſignificantem non tollendam dixit; ſed iam ratione reddita non putetur. Sic & cal-
Calceamẽta. ceamenta cum dixit Matthæus in via non eſſe portanda, curam prohibet, quia ideo portanda cogitantur, vt non deſint. Hoc & de duabus tu-
Duæ tunicæ. nicis intelligendum eſt, ne quiſquam eorum, præter eam, quam eſſet indutus, aliam portandam putaret, ſolicitus ne opus eſſet, cum ex illa
Quid ſit calceari ſandaliis. poteſtate poſſet accipere. Proinde Marcus dicendo calceari eos ſandalijs vel ſoleis, aliquid hoc calceamentum myſticæ ſignificationis habere admonet, vt pes, neque tectus ſit, neque nudus ad terram: id eſt, ne occultetur Euangelium, nec terrenis commodis innitatur, & quod non portari, vel haberi duas tunicas, ſed expreſſius indui prohibet, dicens: Et ne induerentur duabus tunicis, quid eos monet, niſi non dupliciter, ſed ſimpliciter ambulare? Ita Dominum omnia dixiſſe, nullo modo eſt dubitandum, partim proprie, partim figurate: ſed Euangeliſtas alia iſtum, alia illum inſeruiſſe ſcriptis ſuis, quædam vero eadem vel duos, vel tres eorum quoſlibet, vel omnes quatuor poſuiſſe nec ſic tamen omnia eſſe conſcripta, quæ ab illo ſeu dicta, ſeu facta ſunt. Quiſquis autem putat non potuiſſe Dominum, in vno ſermone, quædam figurate, quædam proprie ponere eloquia, cætera eius inſpiciat, & videbit quam hoc temere, atque inerudite arbitretur. Poteſt enim iſte, vt vnum aliquid dicam, quod animo interim occurrit, quoniam monet, vt non ſciat ſiniſtra quid faciat dextra, & ipſis eleemoſynis, & Matt. 6.
quidquid illic aliud præcipitur, figurate accipiendum putare. Sane rurſum admoneo, quod oportet meminiſſe lectorem, ne tali admonitione ſæpiſſime indigeat, alijs, atque alijs ſermonum ſuorum locis Dominum multa iteraſſe, quæ alibi iam dixerat, ne forte ipſorum locorum ordo, cum vel ex alio Euangeliſta non Sæpe idem à Chriſto dictum.
conuenerit alicui eorum, hinc putet eſſe contrarium: cum intelligere debeat iterum alibi dici, quod iam alibi dictum erat: nec tantum de dictis, verum etiam de factis obſeruari debere. Nihil enim prohibet hoc idem iterum factum credere. Calumniari autem Euangelio, dum non credit iterum factum, quod iterum fieri non potuiſſe nemo conuincit, ſacrilegæ vanitatis eſt.

Ambroſ. lib. 2. off. cap. 25: Dominus ad diſci- Amb.
pulos ait: Nolite poſſidere aurum, neque argen- Auaritiam Dominus ſuccidit.
tum, neq; pecuniam, quo velut falce, pullulantem in pectoribus humanis ſuccidit auaritiam. Petrus quoque claudo, qui ex vtero matris ſuæ Act. 3.
portabatur, ait: Argentum, & aurum non habeo, ſed quod habeo do tibi. In nomine Ieſu Diuitiæ contemnendæ.
Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula. Itaque pecuniam non dedit, ſanitatem dedit. Quanto melius eſt ſalutem habere ſine pecunia, quam pecuniam ſine ſalute. Surrexit claudus, quod non ſperabat, pecuniam non accepit quam ſperarat. Sed hæc vix in ſanctis Domini reperiuntur, vt diuitiæ contemptui ſint. Eundem vide Amb.
Amb. lect. 1. fer. 5. Pent.

Chryſoſt. hom. in illum locum Pauli: Salu- Chryſoſt.
tate Priſcam, &c. Multi viduarum domos ſubuertentes, orphanos nudantes, ipſique omnibus abundantes, & lupis nihil meliores, ex alienaque miſeria viuentes, cum vident interdum fidelium aliquos pluribus veſtiri amiculis, continuo eis legem Chriſti objiciunt, & dicunt: Nonne præcepit vobis Chriſtus ne duas habea- An duabus tunicis, & calceamẽtis vti liceat.
tis tunicas, vel calceamenta? quomodo ergo vos legem illam præuaricamini? Et poſt hæc cum abunde fratrem riſerint, & probris affecerint, diſcedunt. Igitur ne talia fiant, age, & illo-

illorum obturemus impudentiam: Et poſſemus quidem ab eis facile liberari, ſi hoc vnum eis diceremus. Quale hoc? ſi Chriſtum vt fide dignum probas, Ethnice, merito hæc obijcis, & à nobis quæris: ſin ei non credis, quare legem eius nobis opponis? aut quando accuſare nos vis, dignus tibi videtur fide Chriſtus? quando autem eum admirari oportet, & adorare, nullius eſt apud te momenti totius orbis Dominus? Verum ne hæc inopia defenſionis dicere nos putent, ad ſolutionem eius quod quærebatur, veniamus. Quænam ergo ſolutio? Videndum eſt in huiuſmodi, quibus, & quando ea Chriſtus imperauerit. Non enim obiter, & nude inquirenda ſunt hæc: Sed operæ precium fuerit ſimul & perſonam, & tempus, & omnia hæc diligenter perſcrutari. Itaque quum hæc diligenter conſideramus, inuenimus quod ipſa non ſint omnibus imperata; ſed ſolis Apoſtolis: & neque illis in omne, ſed ad præſcriptum, & determinatum tempus. Et vnde hoc manifeſtum? Ex dictis ipſis: dicit enim, vocatis duodecim diſcipulis, dixit eis: In viam gentium ne abieritis, &c. Attende quanta magiſtri ſapientia. Quomodo leue hoc præceptum fuerit. Nam cum prius dixiſſet: Infirmos curate, leproſos mundate, dæmones eijcite, magnamque eis gratiam liberaliter dediſſet tunc tandem hæc imperauit, nimirum paupertatem ſignorum poteſtate leuem, & facilem reddens: neque ex his ſolum, ſed & ex multis alijs manifeſtum eſt, ſolis diſcipulis eſſe imperatum. Nam & virgines, quia oleum in lampadibus ſuis non habebant, puniuit: & alios quoque arguit, & increpat, quia eſurientem ipſum viderunt, & non pauerunt, & ſitientem non potarunt. Porro is cui non eſt æs, neque calceamentum, ſed vna tantum veſtis, quomodo abſque his alium paſcere, quomodo nudum veſtire, quomodo alium in domum inducere poterit? ſed & aliunde clarum eſſe poterat. Nam accedente, & dicente quodam: Quid faciendo vitæ æternæ hæreditatem aſſequar? cum recenſita eſſent omnia, quæ in lege præcepta, & ille curioſius percontaretur, & diceret: Hæc omnia ſeruaui ab adoleſcentia mea, quid adhuc mihi deeſt, dicit ad ipſum: Si vis perfectus eſſe, vade, vende facultates tuas, & da pauperibus, & veni ſequere me. Hic ſi præcipere voluiſſet, oportebat hoc principio dicere, & legem in ordine præceptorum ponere, & non tanquam conſilium, & exhortationem narrare. Enimuero cum dicit: Non poſſidete aurum, vel argentum: imperando dicit, cum vero dicit: Si vis perfectus eſſe: conſulendo, & admonendo dicit. Non eſt autem idem conſulere, & legem ponere. Nam qui legem ſtatuit, modis omnibus fieri vult, quod præcipit. Qui vero conſulit, & adhortatur, ſententiæ, & arbitrio auditoris permittit; vt ex dictis quod voluerit eligat, ſicque faciendorum Dominus auditor relinquitur. Propterea non ſimpliciter dixit: Vade, vende facultates tuas: ſed vt diſcas, quod in arbitrio audientium res ſitæ ſint. Vnde manifeſtum, Apoſtolis ſolis hæc fuiſſe præcepta. Verum quæſtio nondum ſoluta eſt. Nam ſi præcepta ſunt hæc ſolis Apoſtolis, quid in cauſa eſt, quod licet præceptum fuerit ne haberent calceos, vel geminas veſtes, inuenti ſunt ea poſſidentes? Nam alius poſſedit penulam, alius vero ſandalia. Quid igitur adhæc dicemus? Chriſtus neque Apoſtolos huius legis neceſſitate ſemper abſtringi voluit, ſed eos abſoluit ab hac lege, cum iam ad ſalutarem crucem iturus eſſet. Et vnde hoc liquet? ex Saluatoris ſermonibus. Nam paſſionem aggreſſurus, vocatis illis, dixit: Cum vos mitterem ſine marſupio, & pera aliquidne deerat? At hi reſpondentes dixerunt; nihil. Ipſe autem dicebat eis: Sed nūc qui habet marſupium, tollat, & peram: & qui non habet, vendat veſtem ſuam, & mercetur gladium. Iam forte dicet aliquis, Apoſtolos quidem his dictis à crimine abſolutos. Sed vltra quæritur: Quare Chriſtus contraria præceperit? Nam interdum dicit, ne poſſideatis peram: interdum autem qui habet marſupium tollat, & peram. Quare hoc fecit? ſane hæc admodum digne fecit, pro ſua ſapientia, curaque quam pro diſcipulis gerebat. Ab initio enim vocationis hoc faciebat, vt diſcipuli periculum virtutis ſuæ facerent: & poſt hac in orbem terrarum exituri, hoc exemplo animati fidenter procederent. Verum vbi iam potentiam ſuam agnoſcere cœperunt, voluit vt & ipſi domi virtutis ſpecimen aliquod præberent, permiſitque ipſiſmet ſuas ferre tentationes, ne ſcilicet perpetuo ocioſi reſiderent, & ad finem vſque in omnibus quaſi pueri geſtarentur, & quemadmodum qui artem natandi docent, principio multa diligentia diſcipulos geſtant: poſt vnum autem & alterum, & tertium diem, ſubtracta dextera, præcipiunt illis vt ſeipſos iuuent, & nonnunquam illos parumper mergi ſinunt, ita vt & multum ſalſuginis ſorbeant: ita ſane & cum diſcipulis ſuis Chriſtus faciebat. Nam initio nihil eos pati ſinebat, vel paruum, vel magnum, ſed vbique aderat muniens, & circumuallans eos, facienſque vt omnia vbertim eis affluerent: cum vero tempus eſſet, vt virilitatem ipſi ſuam declararent, ſubtraxit aliquamdiu beneficium, præcipiens eis, vt etiam per ſeipſos multa perficerent, atque hanc ob cauſam, cum non habebant calceos, vel zonam, vel baculum, vel æs, nihil eis deerat. Dicit enim: Num aliquid vobis deerat? & reſpondentes dixerunt, nihil. Cæterum quo tempore permiſit eis, vt marſupium haberent, & peram, & calceos, inueniebantur & eſurientes, & ſitientes, & nudi incedentes. Vnde liquidum, cur paſſim eos periclitari, & affligi ſinit: nempe, vt mercedem aliquam habeant. Et quemadmodum aues pullos ſuos fouentes, tamdiu in nido ſedent, donec illorum plumæ increſcant: quas dum increuiſſe viderint, eos primum circa nidos volitare docent, dein adminiculo ſuo totos deſtituunt: ita faciebat & Chriſtus. In Palæſtina enim, quaſi in nido nutricabat diſcipulos, & exin eos volare docuit præſens, & geſtans: tandem permiſit eos volare in totum orbem, dato eis mandato, ne ſibi ipſis deeſſent. Et quod

Marginal notes (left column):

Hic non ſunt omnibus præcepta: ſed Apoſtolis pro aliquo tempore

Chriſti ſapientia.

Cur Apoſtolis det poteſtatē, priuſquam inciperet paupertatem.

cap 163.

cap. 165

cap. 131

Conſulere, & præcipere differunt.

Marginal notes (right column):

Quomodo Apoſtoli habuerunt duas veſtes & calceos. 2 Tim. 4. Act. 12

Quando Apoſtoli ab hac lege ſoluti fuerint.

cap. 7

Cur Dominus ante præcepit, & poſt reuocauit.

Simile à natātibus.

Cur ſuos Chriſtus affligi permiſerit.

Simile ab auibus.

ideo omnino eos nudos, & vna tantum veſte amictos miſit, & abſque calceis ambulare iuſſit, vt ſuam virtutem, & potentiam cognoſcerent: ſciemus verum eſſe, ſi & aliud dictum audiamus. Non enim ſimpliciter dixit eis: Tollite marſupium, & peram: ſed priorum memoriam refricando, ſic dicebat: Cum mitterem vos ſine marſupio, & pera aliquidne deerat? hoc eſt, nonne omnia vbertim vobis affluebant, multaque largitate fruebamini? ſed nunc volo vos, & paupertatem experiri, & ea propter ad legem priorem obſtrictos nolo, neque à vobis idem, quod antea exiguo, vt ne quaſi per inanima organa, per vos operari exiſtimer. Adhibete & vos veſtram diligentium, & induſtriam. Quod ſi adhuc dicis: An non maius fuiſſet beneficium, ſi ſemper ita ſecure verſari eos voluiſſet? Verum non ita probati fuiſſent, ſi nullam vel afflictionem, vel perſecutionem, vel inopiam, vel anguſtiam deguſtaſſent: ſed manſiſſent ignaui, & pigri. Cæterum oportebat relucere, non ſolum beneficium, & gratiam Chriſti, ſed & ſubditorum probationem; vt ne ſint poſtea, qui dicere poſſint; Apoſtolos nihil à ſeipſis attuliſſe; ſed facta omnia opere Chriſti. Non enim difficile erat Deo vſque ad finem in eo ſucceſſu cuſtodire; ſed noluit ob varias, neceſſariaſque cauſas, quas ſæpe charitati veſtræ diximus: vna quidem hæc, quam diximus: Alia autem hac non minor, nempe vt modeſtiæ aſſuefierent. Tertia vero vt ne maior illis, quam hominibus debetur, honor exhiberetur. Itaque propter hæc, & his multo plura, cum permiſſurus eſſet eis multa inexpectata accidere, noluit priorem legem tam arctam manere; ſed eius ſeueritatem nonnihil relaxauit: vt & ita non eſſet eis grauis, & intolerabilis vita, ſi vbique derelinquerentur, & ſimul duram hanc legem ſeruare cogerentur.

[Margin: Prior lex relaxatur. — Cur ſuos Chriſtus non ſemper eſſe ſecuros de neceſſarijs voluerit. — Cur priorē legē Chriſtus abſolueret.]

[Margin: Chryſoſt.] Et hom. 9. in epiſt. ad Philip: Dixit Chriſtus: Ne poſſideatis aurum, neque argentum, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque zonam, neque baculum. Quid igitur, dic mihi? Petruſne iuxta præceptum hoc fecit, quomodo fecit, cum & zonam habuerit, & calceamenta? Audi enim quid Angelus ad eum dicat: Præcingere, inquit, & ſubliga ſoleas tuas. Atqui non tanta erat calceamentorum iſtorum neceſſitas. Potuit enim pro temporis illius ratione nudus eſſe pedes. Si vero magna calceamentorum neceſſitas eſt, in hieme eſt. Verum habebat calceamenta. Quid vero Paulus? ad Timotheum ſcribens, dicit, cura vt ante hiemem venias. Deinde præcipit, ac dicit: Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, cum venies, apporta; & libros, maxime membranas. Ecce penulam dicit. Nec poterit quiſquam dicere, quod & aliam quandam, quam geſtarit, non habuerit. Si enim omnino illam non induit, ſuperfluum erat quod afferri eum iubebat. Si vero fieri nequit quin eam geſtarit, manifeſtum eſt quod alteram habuerit. Quid autem quod biennio toto manſerit in ſuo conducto? ergo Chriſto non obediuit vas illud benedictionis, ille qui dicit, viuo vero iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus, de quo Chriſtus teſtatus eſt, dicens: Quoniam vas electionis eſt mihi iſte? Quid ergo eſt? An Chriſto aduerſati ſunt? Abſit. Imo ſtudioſè præceptis Chriſti obedierunt. Nam præcepta illa temporalia erant, & non perpetua. Et iſtud non ex coniectura dico, ſed ex diuinis ſcripturis. Quomodo? Lucas ſcribit Chriſtum dixiſſe diſcipulis: Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & zona, & calceamentis, num quid defuit vobis? Dicunt illi: Non. Poſthac ergo vobis comparate, ſed quid oportebit fieri, dic quæſo? vnam habere tunicam.? Quid ergo cum lauando fuerit Domine, nudum ſedere oportet, aut nudum circuire, exigente neceſſitate, & propter decorum agere? cogita quale fuiſſet, ſi Paulum illum ob tot, & tam præclaras res peragrantem orbem, propter indumenti defectum domi ſedere, & à tantis rebus gerendis impediri oportuiſſet. Quid vero ſi frigus fuiſſet vehementer intenſum, ac depluiſſet, aut etiam glacialis fuiſſet tempeſtas, vt torpeſcendum fuerit? nudone illi ruſus deſidendum fuiſſet? Quid autem ſi frigus corpus illius deieciſſet? An tabeſcendum fuiſſet & nihil ſequendum?

[Margin: Dubiū an Apoſtoli hoc præceptum ſeruarint. — Act. 12. — 2 Timot. 4 — Act. 28 — Hoc præceptum erat temporale — Cur Apoſtolos Chriſtus ab hac lege liberauit.]

Not. 5. verſ. 15. & ſeq.

[Margin: Amb.] AMBR. ſer. 32: Aduertit ſanctitas veſtra, fratres, Euangelicam lectionem, quemadmodum Dominus diſcipulis ſuis inter cæteras exequendas virtutes etiam hoſpitalitatis iura præſcripſerit: Ait enim in quamcunque ciuitatem introieritis, interrogate quis in ea dignus eſt, & ibi manete donec exeatis, & reliqua. Sancta plane, & diuina ſententia, quæ & diſcipulis eligendi optionē primitus detulit, & facilitatem penitus amputauit. Prouidit enim modum ſtatuendo, ne vir Sanctus aut citus eſſet in iudicando, aut leuis in hoſpite commutando: ſicut enim nobis permiſit arbitrium, ita & nos voluit tenere conſtantiam. Quam enim reprehenſibile eſt, vt vir, qui euangelium annūciat, & docet creandum non eſſe, ipſe per diuerſos incipiat oberrare, & domum cui pacem dixerat, deſerere? Hoſpitem cui benedictionem intulerat, contriſtare? magna enim hoſpitalitatis eſt gratia; nec facile violanda, omnibus aperta eſt, omnibus parata eſt, & ſanctos libenter ſuſcipit, & peccatores tolerat patienter. Sed repetamus ſanctam ipſam, diuinamque ſententiam. Si enim in litera placet, & in myſterio forſitan plus placebit. Ait igitur vt cum intramus in ciuitatem, interrogemus, quis in ea vel hoſpes dignus, vel idonea domus ſit; & ibi maneamus donec dies profectionis adueniat. Quæ ſententia altiorem nobis tribuit intellectum. Non enim mihi videtur de huius ſæculi hoſpite, vel domo iuſſiſſe, nec tam diligenter inquirere, ſed de illo magis, qui nos vſque ad diem exitus noſtri poſſit inoffenſos hoſpites, illæſoſque ſeruare. Nam huius ſæculi hoſpitem cito lædimus, cito offendimus, interdum ei & poſt triduum diſplicemus. Fidelis igitur domus, & hoſpes dignus inquiri iuſſus eſt.

[Margin: Cur ibi manendū. — Duo iura hoſpitalitatis. — Hoſpes cito læditur. Expoſitio ſpiritualis.]

eſt. Quæ domus fidelior Eccleſia? Quis hoſpes dignior Saluatore? Iſte peregrinos vt filios ſuſcipit, illa ſuſceptos reſouet vt infantes. Iſte hoſpitibus, ſicut experti ſumus, pedes lauare geſtit, illa menſam parare feſtinat. Quos enim Saluator noſter viua aqua refrigerat, hos reficit cæleſtibus cibis Eccleſia. Hunc igitur hoſpitem Euangeliſta inquiri iuſſit, & vſque ad diem exitus noſtri cum hoc habitare præcepit, ne aliqua leuitate medio tempore aliorſum forſan emigremus, hoc eſt, qui ſemel in Chriſtum credidimus, non iterum, velut tranſgreſſores, ad idola recurramus. Scriptum eſt enim: Nemo poteſt
cap. 5 duobus Dominis ſeruire. Dum enim vni placere geſtit, alterum ſentit iratum. Chriſtum igitur hoſpitem deſerere non debemus; quemadmodum & Petrus Apoſtolus cum ſuis ſimilibus, deſerentibus alijs, Dominum non reliquit. Sed
cap. 71 dicamus, quod ille ad Saluatorem dixit: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternę tu habes, & nos credimus. Ecce executor cæleſtium præceptorum, qui quoniam Chriſti non mutauit hoſpitium, meruit cum Chriſto regni cæle-
Amb. ſtis habere conſortium. Et lib. 6. in Luc: Vides executorem cæleſtium præceptorum, qui quoniam non mutauit hoſpitium, cœleſtis conſortium conſecrationis emeruit. Fides igitur in primis Eccleſiæ quærenda mandatur: in qua ſi Chriſtus habitator ſit, haud dubie ſit legenda; ſin vero populus perfidus, aut præceptor hæreticus deformet habitaculum, vitanda hæreticorum communio, fugienda ſynagoga cenſetur: excutiendus pedum puluis, ne tatiſcentibus perfidiæ ſterilis ſiccitatibus, tanquam humi arido arenoſoque mentis tuæ veſtigium polluatur. Nam ſicut corporeas infirmitates populi fidelis ſuſcipere in ſe debet Euangelij prædicator, & tanquam proprijs inania geſta pulueri comparanda, alleuare atque abolere veſtigijs, iuxta
2 Cor. 11 quod ſcriptum eſt: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Ita ſi qua eſt Eccleſia, quæ fidem reſpuat, nec Apoſtolicę prędicationis fundamenta poſſideat: ne quam labem perfidiæ poſſit aſper-
Tit. 3 gere, deſerenda eſt. Quod Apoſtolus quoque euidenter aſſeruit, dicens: Hæreticum hominem, poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita. Sed vt hoſpitij gratia deferenda cenſetur, ita etiam ſi non recipiantur, excutiendum puluerem, & egrediendum de ciuitate mandatur, quo mandato non mediocris boni denumeratio docetur hoſpitij, vt non ſolum pacem tribuamus hoſpitibus, verum etiam ſi quæ eos terrenæ obumbrant delicta leuitatis, receptis Apoſtolicæ prædicationis veſtigijs auferantur.
Amb Vide Amb. lect. 2. 3. fer. 5. Pentec.

Hier. Hieron. Matt. 10: Super ordinatione Epiſco-
Hoſpitiũ vt ſit eligẽdum. & quodnam. pi, & Diaconi, Paulus loquitur: Oportet autem eos & teſtimonium habere bonum ab his, qui foris ſunt: Apoſtoli nouam introeuntis vrbem, ſcire non poterant, quis, qualis eſſet, ergo hoſpes fama eligendus eſt populi, & iudicio vici-
Cur dignus hoſpes eligendus. norum: ne prædicationis dignitas ſuſcipientis infamia deturpetur, cum vniuerſis debeant prædicare, hoſpes vnus eligitur, non tribuens beneficium ei, qui apud ſe manſurus eſt, ſed acci- Beneficiũ accepit, qui præbet hoſpitium.
piens: hoc enim dicitur: Quis in ea dignus eſt, vt magis ſe nouerit accipere gratiam, quam dare. Occulte ſalutationem Hebræi, ac Syri ſermonis expreſſit. Quod enim Græce dicitur *chaire*, Latine aue: hoc Hebraico, Syroque ſermone appellatur: *ſchalom lach*, ſiue, *ſchalom immechah*, id eſt, pax tecum. Quod autem præcepit tale eſt; Introeuntes domum pacem imprecamini hoſpiti, & quantum in vobis eſt, diſcordiæ bella ſedate. Sin autem orta fuerit contradictio, vos mercedem habebitis de oblata pace: illi bellum quod habere voluerint, poſſidebunt. Puluis excutitur de pedibus in teſtimonium laboris ſui, quod ingreſſi ſint ciuitatem, & prædicatio Apoſtolica ad illos vſque peruenerit. Siue excutitur puluis, vt nihil ab eis recipiant, ne ad victum quidem neceſſarium, qui euangelium ſpreuerint.

Pacis imprecatio.

Domũ ingredientibus quid agendum

Vict. Antioch. Mar. 6: Ne apud ciuitatis incolas immobilis, inconſtantiſque animi ſuſpicionem veniant, ne de domo in domum tranſeant, mandat: verum in ea, in quam ſemel ingreſſi fuerunt, maneant. Cum oſtendere vellet, impune non abituros, qui Apoſtolos non receperint, aut ſermones illorum non audierint, iubet vt puluerem pedibus cohærentem, in eos excutiant, qui illos non admittunt; qui itineris, laboriſque illorum cauſa fruſtra ſuſcepti teſtis ſit. Vict. Excuſſio pulueris.

Aug. lib. quæſt. ex Matt. cap. 7: Excutite puluerem de pedibus veſtris, aut ad conteſtationem laboris terreni, quem pro illis inaniter ſuſcepiſſent, aut vt oſtẽderent vſque adeo ſe ab ipſis nihil terrenum quærere, vt etiam puluerem de terra eorum, ſibi non patiantur adhærere. Sic feciſſe Paulum, & Barnabam Antiochiæ Piſidiæ narrat Lucas Act. 13. Aug.

Not. 6. ver. 21.

ITERVM hoc dixit Chriſtus cap. 103.

Aug. lib. 1. de baptiſ. contra Donatiſtas cap. 5: Aug.
Cum enim dictum eſt quibuſdam: Tolerabilius erit Sodomis in die iudicij, quam vobis, non ideo dictum eſt, quia Sodomitæ non torquebuntur; ſed quia illi grauius torquebuntur, quanquam hoc fuerat fortaſſe occultum aliquando, & incertum. Et lib. 4. cap. 19: Aug.
Diuerſa peccatorũ ſupplicia.
Nec dubitandum eſt quidem ipſas pœnas, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non poſſidebunt pro diuerſitate criminum eſſe diuerſas, & alias alijs acriores, vt in ipſo igne æterno pro diſparibus ponderibus peccatorum, ſint diſparia tormenta pœnarum. Neque enim fruſtra ipſe Dominus dicit: Tolerabilius erit Sodomis, quam vobis in die iudicij; ſed tamen ad non poſſidendum regnum Dei, tantundem valet ex vitijs illis, quod elegeris mitius, quantum vel plura, vel vnum, quod perſpexeris grauius.
Et ſerm. 18. de verbis Apoſtoli: In igne æterno aliter ille, aliter ille torquebuntur, qui ibi erunt, tamen ibi omnes cruciabuntur, minus ille, plus ille. Quia tolerabilius erit Sodomæ in die Aug.

die iudicij, quam alteri ciuitati: & quidam circumeunt mare, & terram, facere vnum proſelytum, quem cum fecerint, faciunt eum filium gehennæ duplo, quam ſint ipſi: Puta quia alij duplo, alij ſimplo; puta quia alij plus, alij minus. Non eſt regio vbi tibi eligas locum. Quæcunque ibi mitiora tormenta ſunt, peiora ſunt, quam quæ formidas in iſto ſæculo.

Matt. 23

Hier.

Hieron. Matt. 10: Idcirco tolerabilius, quia Sodomis, & Gomorrhis non fuit prædicatum Euangelium: huic autem prædicatum eſt; & tamen non recepit Euangelium. Ergo & inter peccatores diuerſa ſupplicia ſunt.

Chryſoſt.

Etiam in futuro puniūtur, qui hic puniti ſunt.

Chryſoſt. hom. 37. in Matth: Ipſe, inquit, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum. Quod certe ſignificat puniendos quidem illos omnino, quamuis remiſſius. Nam ſi hac quoque in vita pœnas dederunt, non tamen idcirco punitionem in vita illa effugerunt. Quod ſi illi, qui tam grauiter hic puniti ſunt, ibi quoque puniuntur; quanto magis qui nullum hic perpeſſi ſunt ſupplicium? Et Conci. 3. de Lazaro: Quod autem aliqui, tum hic, tum illic puniuntur, ſi minus pro peccatorum magnitudine hic luerint pœnas, audi quid de Sodomitis dicat Chriſtus: Etenim cum dixiſſet, quicunque non receperit vos, etiam puluerem pedum veſtrorum in eos excutite; ſubiungit: Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæ, quam ciuitati illi. Quod autem dixit, tolerabilius, hunc habet ſenſum, quod illi tunc quoque forent puniendi. Nam & ante puniti fuerant, quandoquidem in hac vita dederunt pœnas.

Chryſoſ

Ver. 22.

Hier.

Hiero. Matt. 10: Lupos, Scribas, & Phariſæos vocat, qui ſunt Clerici Iudæorum.

Aug.

Oues, lupi.

Aug. contra Fortun. diſput. 2: Agnos ſuos Dominus noſter in medio luporum miſit, id eſt, homines iuſtos in medio hominum peccatorum ad prædicationem Euangelij tempore hominis ſuſcepti ab inæſtimabili diuina ſapientia, vt nos ad iuſtitiam à peccato vocaret.

Not. 7. ver. 22. & 23.

Chryſoſ

Quo, & cur ſuos Chriſtus mittat

Chriſti poteſtas.

Ego mitto

CHRYSOST. ſerm de Pentecoſte: Dicit: Mittam vos vt oues in medio luporum. Quis vnquam paſtor oues mittit in medio luporum? ſed magis ſi viderit lupos, congregat oues. At vero Chriſtus è contrario fecit. Oues ad lupos direxit, & vulneratæ à beſtijs non ſunt, ſed magis lupi ad ouium manſuetudinem ſunt conuerſi. Et vt non dicerent, oues ſumus, & mittis nos in eſcam luporum, timorem illorum vno ſermone abſtulit. Non dixit ite (nec enim virtute eorum mittebat illos) ſed ecce, inquit, ego mitto vos. Infirmi quidem vos, ſed qui mittit potens eſt. Qui es tu? ego ſum, qui cœlum extendi, qui terram fundaui, qui mare infrenaui, qui mortem diſſolui, qui chirographum, quod contra vos erat, cruci affixi, qui veterem legem immutaui, qui vos ad priſtinam patriam reuocaui, qui fortia diſſolui, & diſſoluta conforto. Quid mari fortius? ſed parua arena intolerabilem illius impetum retundit, & continet. Ecce, inquit, ego mitto vos, qui mortis, & vitæ habeo poteſtatem, qui de cælo deſcendi, &c. Ecce ego mitto vos, vt oues in medio luporum, tanquam lupus, quidam beſtiæ fiebant ouibus, vt nec fuga conſeruarent ſalutem circumuallati vndique. O virtus mittentis in medio luporum oues; in circuitu lupi, & mutati ſunt lupi, & facti ſunt oues. Nec enim natura, ſed voluntate lupi erant. Quid ergo nobis præcipit? Eſtote prudentes ſicut ſerpentes: ſerpens & ſi millies vulneretur, caput autem ſuum ſaluet, totus eſt ſanus; ſic & tu, ſi pecuniam aduerſarius tollere vult, libens cæde: & ſi omnes facultates auferre conatur, dimitte; & ſi ipſam temporalem vitam extorquere cupit, ne reſiſtas: tantummodo fidem tuam cuſtodi: illa illæſa manente, vniuerſa ingruentia mala facillima erunt. Et hom. 4. ad Antioch: Et nos igitur animam noſtram muniamus, ſiue enim pecuniarum mulcta immineat, ſiue mors, pietatem vero auferat nemo, ſumus omnibus beatiores. Hoc & Chriſto, mandauit, dicens: Eſtote igitur prudentes, ſicut ſerpentes. Sicut enim ille reliquum obijcit corpus, vt caput ſaluet, ſic & tu; ſiue pecunias, ſiue corpus, ſiue præſentem vitam, ſiue omnia amittere oporteat, vt pietatem conſerues noli triſtari. Si enim illam habens migraueris, omnia tibi cum maiori charitate Deus retribuet, & corpus cum maiori rurſum gloria reſtituet, & pro pecunijs bona omnem rationis potentiam tranſcendentia.

Lupi alij voluntate, alij natura.

Serpentis aſtutia, ſeu prudentia.

Chryſoſt.

Hier.

Serpentis aſtutia, ſeu prudentia.

Columbæ ſimplicitas

Hier. Matt. 10: Vt per prudentiam deuitent inſidias: per ſimplicitatem non faciant malum, ſerpentis aſtutia ponitur in exemplū: quia toto corpore occultat caput, & illud, in quo vita eſt, protegit: ita & nos toto periculo corporis, caput noſtrum, qui Chriſtus eſt, cuſtodiamus. Simplicitas columbarum ex Spiritus ſancti ſpecie demonſtratur. Vnde dicit & Apoſtolus: Malitia paruuli eſtote, Et Oſeæ 7: Præcepit Dominus in Euangelio, vt ſimus ſimplices quaſi columbæ, & aſtuti quaſi ſerpentes: vt imitantes ſimplicitatem columbarum, & ſerpentis aſtutiam, nec alijs nocere poſſimus, nec ab alijs patiamur inſidias: ſed ſimplicitate, & prudentia, exhibeamus hominem temperatum: quia prudentia abſque bonitate malitia eſt; & ſimplicitas abſque ratione ſtultitia nominatur. Factus eſt ergo Ephraim quaſi columba ſeducta. Et pulchrè columba ſeducta, ſiue inſipiens appellatur; quia eſt columba, & ſapiens, quæ dicit in Pſalmis: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? cuius pennæ deargentata ſunt, & poſteriora dorſi eius in virorem auri. Ephraim autem columba inſipiens, & non habens cor, in tantum brutæ mentis oſtenditur, vt Ægyptum inuocans, ad Aſſyrios perrexerit. Qui enim deprecatus Ægyptiorum auxilium eſt, ab Aſſyrijs captiuus abducitur.

1 Cor. 14.

Hier.

Duo neceſſaria prudentia, & ſimplicitas.

Pſal. 67. 14.

Greg.

Greg. lib. 1. Moral. cap. 2: Nonnulli namque ita ſunt ſimplices, vt rectum quid ſit ignorent; ſed

ſed eo veræ ſimplicitatis innocentiam deſerunt, quo ad virtutem rectitudinis non aſſurgunt: quia dum cauti eſſe per rectitudinem neſciunt, nequaquam innocentes perſiſtere per ſimplicitatem poſſunt. Hinc eſt quod Paulus diſcipulos admonet, dicens: Volo vos ſapientes eſſe in bono: ſimplices autem in malo. Hinc rurſus dicit: Noli te pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote. Hinc per ſemetipſum Veritas diſcipulis præcipit, dicens: Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes; & ſimplices ſicut columbæ. Vtraque enim neceſſario in admonitione coniunxit: vt & ſimplicitatem columbæ aſtutia ſerpentis inſtrueret, & rurſum, ſerpentis aſtutiam columbæ ſimplicitas temperaret, per columbam ſimplicitas indicatur. Et Paſtor. curæ par. 3. admonit. 12: Laudandi ſunt ſimplices, quod ſtudeant nunquam falſa dicere; ſed admonendi ſunt vt nouerint nonnunquam vera reticere. Sicut enim ſemper dicentem falſitas læſit, ita nonnũquam quibuſdam audita veritas nocuit. Vnde coram diſcipulis Dominus locutionem ſuam ſilentio temperans, ait: Multa habeo vobis dicere, ſed nunc non poteſtis illa portare. Admonendi ſunt igitur ſimplices, vt ſicut fallaciam ſemper vtiliter vitant; ita veritatem ſemper vtiliter proferant. Admonendi ſunt, vt ſimplicitatis bono prudentiam adiungant, quatenus ſic ſecuritatem de ſimplicitate poſſideant, vt circumſpectionem prudentiæ non amittant. Hinc namque per Doctorem Gentium dicitur: Volo vos ſapientes eſſe in bono, ſimplices autem in malo. Hinc electos ſuos per ſemetipſam Veritas admonet, dicens: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Quia videlicet in electorum cordibus debet & ſimplicitatem columbæ, aſtutia ſerpentis acuere, & ſerpentis aſtutiam columbæ ſimplicitas temperare, quatenus nec ſeducti per prudentiam calleant; nec ab intellectus ſtudio ex ſimplicitate torpeſcant. Et hom. 30. in Euang: Notandum eſt quod diſcipulos ſuos, nec de columba ſine ſerpente, nec de ſerpente ſine columba voluit Dominus admonere: quatenus & columbæ ſimplicitatem aſtutia ſerpentis accenderet, & ſerpentis aſtutiam columbæ ſimplicitas temperaret. Hinc Paulus ait: Nolite pueri effici ſenſibus. Ecce prudentiam ſerpentis audiuimus, nunc de ſimplicitate columbæ moneamur. Sed malitia paruuli eſtote. Hinc de beato Iob dicitur: Erat vir ſimplex, & rectus. Quæ eſt autem rectitudo ſine ſimplicitate, aut quæ ſimplicitas ſine rectitudine? Et epiſt. 31. lib. 4: In ſcriptura etenim ſacra cum in bona intelligentia ponitur ſimplicitas, ſæpe prudentiæ, aut rectitudini ſociatur. Vnde etiam de B. Iob ſcriptum eſt: Erat vir ſimplex, & rectus. Et beatus Paulus Apoſtolus admonet, dicens: Eſtote ſimplices in malo: & prudentes in bono. Et per ſemetipſam Veritas admonet, dicens: Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes; & ſimplices ſicut columbæ. Eſſe valde inutile iudicans, ſi aut ſimplicitati prudentia, aut prudentiæ ſimplicitas deſit. Vt ergo ſeruos ſuos ad cuncta eruditos efficeret, eſſe eos & ſimplices ſicut columbas, & prudentes vt ſerpentes voluit: quatenus in eis & ſerpentis aſtutia columbæ ſimplicitatem acueret, & columbæ ſimplicitas ſerpentis aſtutiam temperaret.

Aug. lib. quæſt. ex Matth. cap. 8: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, ad cauendum malum, in capite cuſtodiendo, quod eſt Chriſtus. Nam ſerpens totum corpus pro capite obijcit perſequenti. Vel quod per anguſtias ſe coarctans, veteri tunica exutus, innouetur. Quod imitantur quibus dictum eſt: Intrate per anguſtã portam, cum vetere homine exuuntur. Nam ſi cauendum malum ita moneret, vt violenter reſiſtendum eſſet malis, non ſupra dixiſſet: Mitto vos ſicut oues in medio luporum. Simplices autem ſicut columbas eſſe voluit, ad nulli nocendum. Nam hoc genus auis, nullum omnino animalium necat; non ſolum grandium contra quæ vires non habet, ſed etiam minutiſſimorum, quibus etiam perparui paſſeres aluntur. Eſt autem omnibus irrationalibus animantibus vna quædam inter ſe ſocietas; ſicut etiam rationabilibus ſua, id eſt, hominibus, non ſolum ſecum, ſed etiam cum Angelis. Diſcunt ergo ex ſimilitudine columbarum, nulli prorſus nocere ad ſocietatem ſuam pertinenti, participatione rationis. Et lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 16: Rerum autem ignorantia facit obſcuras figuratas locutiones, cum ignoramus, vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumque rerum quæ plerumque in ſcripturis, ſimilitudinis alicuius gratia, ponuntur. Nam & de ſerpente quod notum eſt, totum corpus eum pro capite obijcere ferientibus, quantum illuſtrat ſenſum illum, quo Dominus iubet aſtutos nos eſſe, ſicut ſerpentes, vt ſcilicet pro capite noſtro, (quod eſt Chriſtus) corpus potius perſequentibus offeramus, ne fides Chriſtiana, tanquam caput, necetur in nobis, ſi parcentes corpori negemus Deum; Vel illud quod per cauernæ anguſtias coarctatus, depoſita veteri tunica, vires nouas accipere dicitur, quantum concinit ad imitandam ipſius ſerpentis aſtutiam, exuendumque ipſum veterem hominem, ſicut Apoſtolus dicit, vt induamur nouo; & exuendum per anguſtias, dicente Domino: Intrate per anguſtam portam. Vt ergo notitia naturæ ſerpentis illuſtrat multas ſimilitudines, quas de hoc animante ſcriptura dare conſueuit; ſic ignorantia nonnullorum animalium, quæ non minus per ſimilitudines commemorat, impedit plurimum lectorem, ſic lapidum, ſic herbarum, vel quæcunque tenentur radicibus.

Amb. lib. de fuga ſæculi cap. 7: Quare ſicut ſerpentes? vt & ille ſpolietur ſuo, & qui alios exuere voluit, amittat quæ ſunt ipſius, non venena, ſed merita naturæ. Denique deijcitur ille cum tranſcenderis. Et lib. 3. de fide cap. 7: Præmittitur aſtutia, vt ſit tuta ſimplicitas. Sunt enim ſerpentes Euangelici, qui exuunt veterem vſum; vt induant nouos mores, ſicut ſcriptum eſt: Expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum ſecundum imaginem eius,

Marginal notes (left): Rom. 16. — 1 Cor. 14. — Duo ſimul neceſſaria, prudentia & ſimplicitas. — Greg. — Iob 16 — Rom. 16 — Greg. — 1 Cor. 14 — Iob 1. — Greg. Simplicitas quandoque ſumitur in bonum — Iob 1 — Rom. 6.

Marginal notes (right): Aug. Serpentis prudentia. — Columbæ ſimplicitas. — Aug. — Serpentis aſtutia. — Rerum ſcientiæ naturas ad ſcripturarum intelligẽtiã iuuat — Amb. Aſtutia ſerpentis. — Amb. Cur aſtutia præmittatur. — Coloſſ. 3

eius, qui creauit eum. Diſcamus ergo depoſitis vetuſti hominis exuuijs, Euangelicorum ſerpentium vias; vt more ſerpentium, ſeruare caput, fraudem cauere nouerimus. Et lib. 9. in Lucam: Eſtote aſtuti, ſicut ſerpentes. Quem locum plerique, & quia ſerpente ſuſpenſo Chriſti crux annunciata eſt, quo ſerpentium nequitia ſpiritalis virus aboleret, videtur aſtutus ita eſſe debere, ſicut Chriſtus, ſimplex ſicut ſpiritus: Imitare & tu ſerpentem illum, qui caput ſemper cuſtodiat, lætale vulnus excludat.

Amb.

Epiph.

Epiph. hære. 37: Alteram prudentiam habet ſerpens. Quando enim ſiti preſſus à latibulo procedit ad aquam vt bibat, non ſimul accipit ſecum venenum; ſed in latibulo relinquit: & ſic progreſſus potum aquarum ſumit. Proinde & ipſi hoc imitemur, vt quando ad ſanctam Dei Eccleſiam, aut ad preces, aut ad myſteria venerimus, malitiam aut voluptatem, aut inimicitiam, aut aliud quid in cogitationibus noſtris nobiſcum ne feramus; Alioqui quomodo poterimus, & columbam imitari, non à malitia remoti? Quanquam columbæ genus in multis rebus non laudetur: petulans eſt enim, & à multiplici mixtione non alienum, laſciuumque & per omne tempus voluptati deditum, debile, & infirmum: at verò propter innocentiam, & longanimitatem, & malorum in hoc animali obliuionem, imitari nos vult diuinus ſermo innocentis columbæ innocentiam: vt ſimus quidem prudentes ad bonum: ſimplices verò ad malum.

Cæſar.

Prudentia ſerpentis.

Cæſar. dialogo 4: Prudentes nos eſſe vult Dominus, vt ſerpentes, in omni periculo, aut tentatione caput conſeruantes, quod eſt Chriſtus; Quemadmodum, inquit Apoſtolus, ſerpens enim difficulter comprehenſus, totum quidem percutienti corpus exhibet, caput autem illæſum cuſtodire conatur. Et quieti ſe tradens, & dormiens, ſemetipſum rotans, medium intra totum caput communit, veluti muro conſequenti tractu circumuallans ipſum; ſed & vetuſtatem ſapienter exuit, ac in anguſto aliquo ingreſſu compreſſus, ſenium deponit, vult igitur & nos per anguſtam, & laborioſam viam preſſos, vetere homine exui, & nouo veſtiri, qui ſit ſecundum ipſius imaginem renouatus. Ad hæc etiam illius verſutiam in meliori imitari, & quemadmodum ille adulando nos in lapſum, & tranſgreſſionem ſeduxit, ita & nos aſtutè proximis accedentibus ſuggeramus, quæ ſunt fidei; reducamuſque rurſus, & coniungamus Deo. Totum itaque corpus ijs, qui propter Chriſtum flagellant, ad dilacerandum exhibentes, caput illæſum omni robore ſeruemus, quod eſt fides noſtra in Chriſtum. Neque item cœtu ſacro bene habente, & tranquillo agente, illam negligamus virtutum intentam operationem, pallium, & barbam, & baculum ſufficere nobis ad perfectionem Angelicæ conuerſationis arbitrantes, inſtrumentis vitæ nos inſtituentis inſtantes, luctam autem, & pugnam deſerentes, ex qua prouenit victoria ei, qui obſequitur, qui armatus eſt thorace, ſermone fidei. Quando-quidem prudens quidem fuit ſerpens, at non in bonum, coniungit Dominus prudentiæ innocentiam, & ſimplicitatem columbæ, ſic prudentiam commendans, vt prudentes quidem ſimus, ſed ſimpliciter, & innocenter, non ſerpendo, & humi reptando inſtar ſerpentis, ſed in cœleſtibus ad Deum ſubuolantes. Eſtote prudentes, inquit Dominus, vt ſerpens aduerſus vos, ita & vos aduerſus ipſum prudenter agite ſicut ille vos è beata vita, ita & vos ipſum è veſtro conſortio ejcite. Et ſimplices, & innocentes erga proximos; ſicut columba, nulli mortalium retribuentes mala. Tradunt enim præ cunctis auibus, cæteriſque de gentibus in aëre innocentem columbam eſſe, neque felliculum habere, qui eſt bilis organum. Prætetea virtutis, & malitiæ in duobus animalibus iſtis principia inuenimus, quum conueniens ſingula inſtrumentum habeant. Malitiam quidem velut grauem, & humi reptantem, ſerpentemque in ſimili eſſe: virtutem autem velut diuinam, atque cœleſtem in aue cœlum permeante apparentem, Dei in humanum genus benignitatem prædicantem. Conſtat enim, quod per diuinum Spiritum virtutes in mortalibus efficaces ſunt. Id quidem olim in ea, quæ ex arca diuina, à Noe emiſſa columba factum, quæ ad diuinum illum virum reuera eſt, ramum oliuæ cum folijs ferens. Per ramum quidem legem lignoſam, per pingue folium autem ſemper virentem Euangelij doctrinam ferens. Nam omnes gentes complexæ Eccleſiæ noſtra imago fuit omnigena Noe arca in natantis pelago, fluentis, & inſtabilis huius vitæ: vndique procella tentationum circumfuſa noſtra Eccleſia. Per ſerpentem paradiſo excidimus, per columbam Spiritus in cœlos ſubducti ſumus. In huius quippe forma Spiritus ſanctus omnium virtutum, apex in Iordane ſuper Ieſum deuolauit. Illum quidem filium naturalem, & non adoptiuum demonſtrans; nobis autem ſimplicitatem, & innocentiam afferens. Ne ergo ſimpliciter vt ſerpens ad ſeducendum homines prudentes ſimus, ſed ad benefaciendum recte ſapiamus. Inquit enim beneuolus ille præſtantique mente præditus Apoſtolus: Non ad ſapiendum modo, ſed ad recte ſapiendum. Et rurſus idem: Volo autem vos ſapientes quidem eſſe ad bonum, ſimplices autem ad malum, neque laudibus elati ſitis, & inflati, neque vituperijs deiecti, & animo concidentes.

Baſ.

Serpentis prudentia.

Baſil. in regul. breuior. interrog. 245: Quid eſt, prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ? prudens quidem vt ſerpens is eſt, qui in doctrina tradenda ita ſe moderatur vt adhibita circumſpectione, conſiderationeque, qua ratione id fieri, & facile fieri poſſit, omnia faciat, vt audientium animos ad auſcultandum habeat paratos. Simplex autem vt columba, qui ne ſimpliciter quidem de vlciſcendo eo, qui ſibi aduerſarius ſit, cogitat, potiuſque in inſtituto ſuo bene de illo merendi perſeuerat: Ex præcepto Apoſtoli ſic dicentis: Vos autem nolite deficere benefacientes. Ad prædicationẽ enim diſcipu-

Columbæ ſimplicitas.

2 Theſ. 3.

diſcipulos mittens Dominus, hæc ipſis mandat, vbi & ſapientia erat opus ad perſuadendum, & patientia aduerſus inſidiatores. Vt videlicet quemadmodum in paradiſo, ſerpens, & blandiore aſpectu callidè ad primos parentes acceſſit; & verborum probabilitate eos auertit [Pſal. 111.] à Deo, ac peccato ſubiunxit: Item nos quoque & perſonæ, & loci, & idonei ad agendum temporis [Matt. 24] rationem habeamus, & omnibus modis ſermones in iudicio diſponamus, vt à peccato homines auertamus, & ad Deum reducamus; & in tentationibus patientiam vſque in finem teneamus, ſicut ſcriptum eſt.

Not. 8. ver. 25. 26.

[Aug. ſtudendũ concionaturo] AVG. lib. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 15: Diſcat quidem omnia, quæ docenda ſunt, qui & noſſe vult, & docere, facultatemque docendi, vt decet virum Eccleſiaſticum, comparet. Ad horam vero ipſius dictionis, illud potius cogitet bonæ mẽti conuenire, quod Dominus ait: Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini; ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis: Si ergo loquitur in eis Spiritus ſanctus, qui perſequentibus traduntur pro Chriſto, cur non & in eis, qui [Aug.] tradunt diſcentibus Chriſtum? Et cap. 16: Quiſquis autem dicit, non eſſe hominibus præcipiendum, quid, vel quemadmodum doceant, ſi Doctores ſanctus efficit ſpiritus; potes dicere [Matt. 5] nec orandum nobis eſſe, quia Dominus ait: Scit Pater veſter quid vobis neceſſarium ſit, priuſquam petatis ab eo. Aut Apoſtolum Paulum Timotheo, & Tito nõ debuiſſe præcipere quid, vel quemadmodum præciperent alijs.

[Aug.] Et ſer. 43. de Sãctis: His primum Dominus, cum ad confeſſionem ſui nominis hortaretur, non ſolum ſe promiſit victoriæ coronatorem; ſed & certaminis adiutorem: etiam in ipſis & poſteros admonebat; quoniam quod dicebat, ſcriptum poſteris relinquebat. Illis ergo ait, exhortans eos: Cum autem adducent vos ad Principes, & poteſtates, nolite cogitare quid reſpondeatis, vel quid loquamini. Non enim vos eſtis, [Cur vetet præcogitare] qui loquimini; ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Meditari vetuit, & confiteri præcepit. Maluit enim auferre præſumptionem humanam, & gratiam dare diuinam, vt in ſemetipſis timidi, & mundo eſſent audaces. Vnde [Pſal. 58.] & in alio Pſalmo vox martyrum dicit, quaſi ex parte humanæ fragilitatis verendo: Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me. Et paulo poſt de auxilio diuino confidens, dicit: Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, de hoc loco, & eundem Aug. vide [Aug. Hier.] lib. 13. Confeſſ. cap. 33. Et Hier. Matt. 10.

Not. 9. verſ. 30.

[Amb. Honeſtum poſſibile quærendũ.] AMBR. lib. 1. offic. cap. 37: In omnibus, quæ agimus, non ſolum quid honeſtum, ſed etiam quid poſſibile ſit quærimus; ne fortè aggrediamur aliquid, quod non poſſimus exequi: vnde nos tempore perſecutionis de ciuitate in ciuitatem cædere, imo, vt ipſius verbo vtar, fugere, [Cur in perſecutione fugiendũ.] vult Dominus: ne temere aliquis, dum martyrij deſiderat gloriam, offerat ſe periculis, quæ fortaſſe caro infirmior, aut remiſſior animus ferre, ac tolerare non queat. Aliam cauſam habet Hieron. Matth. 10: Aliorum videlicet vtilitatem. Aliam Euth. Matt. 10. ex Naz. [Hier. Eut. Naz.]

Aug. epiſt. 180: Recolimus enim verba dicentis: Cum autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam. [Quando fugiendum, & quando non. Matt. 1] Quis autem credat ita hoc Dominum fieri voluiſſe, vt neceſſario miniſterio, ſine quo viuere nequeunt, deſerantur greges, quos ſuo ſanguine comparauit? Nunquid hoc fecit ipſe, quando portantibus parentibus in Ægyptum paruulus fugit, qui nondum Eccleſias congregarat, quas ab eo deſertas fuiſſe dicamus? Nunquid quando Apoſtolus Paulus ne illum comprehenderet inimicus, [2 Cor. 11. Act. 9.] per feneſtram è ſporta ſubmiſſus eſt, & effugit manus eius, deſerta eſt, quæ ibi erat Eccleſia, neceſſario miniſterio, & non ab alijs fratribus ibidem conſtitutis quod oportebat impletum eſt? Eis quippe volentibus hoc Apoſtolus fecerat, vt ſeipſum ſeruaret Eccleſiæ, quem propriè perſecutor ille quærebat. Faciant ergo ſerui Chriſti, miniſtri verbi, & ſacramenti eius, quod præcepit, ſiue permiſit. Fugiant omnino de ciuitate in ciuitatem, quando eorum quiſquam ſpecialiter à perſecutoribus quæritur, vt ab alijs, qui non ita requiruntur, non deſeratur Eccleſia, ſed præbeant cibaria conſeruis ſuis, quos aliter viuere non poſſe nouerunt. Cum autem omnium, id eſt, Epiſcoporum, & Clericorum commune eſt periculum, ij, qui alijs indigent, non deſerantur ab his, quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes tranſeant, aut qui habent remanendi neceſſitatem, non relinquantur ab ijs, per quos illorum eſt Eccleſiaſtica ſupplenda neceſſitas; vt aut pariter viuant, aut pariter ſufferant, quod eos paterfamilias volet perpeti.

Not. 10. verſ. 32. 34. 35.

VIDE cap. 52. & 169. & cap. 176. & cap. 60. & cap. 111. & Hilar. lect. 7. & 8. die 14. Octob.

[Hier.] Hieron. Matth. 10: Quod audiſtis in myſterio, apertius prædicate: quod didiciſtis abſcondite, publicè loquimini; quod vos erudiui in paruulo Iudeæ loco, in vniuerſis vrbibus, & in toto mundo audacter dicite. [1 ſenſ. 2 ſenſ. 3. ſenſ.]

[Aug.] Aug. lib. quæſt. ex Matt. cap. 1: Quod dico vobis in tenebris, id eſt, cum adhuc in timore carnali eſtis; quia in tenebris eſt timor: dicite in lumine, hoc eſt, in fiducia veritatis, accepto Spiritu ſancto. Et quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta, id eſt, quod in ſecreto auditis, calcato carnis domicilio prædicate. [Aug.] Et ſer. 17. de verbis Apoſtoli: Quid eſt, quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine? Quæ dico, & auditis mente, dicite præſumentes. Quid eſt in aure auditis? in ſecreto auditis, quia profiteri, & confi-

teri adhuc timetis. Quid eſt ergo ſuper tecta prædicate? domus veſtræ corpora veſtra, domus veſtræ carnes veſtræ. Aſcende in tectum, calca carnem, & prædica verbum. Sed prius fratres mei plangite; quod eratis, vt quod nondum eſtis, eſſe poſſitis.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. in illud Apoſtoli: Salutate Priſcam, &c. Cum audis Chriſtum dicentem: Quod audiſtis in aurem, prædicate ſuper tecta: & quod audiſtis in tenebris, dicite in luce. Non intelligitis, quaſi præcipiat relictis foris, & triuijs, 2 ſenſ. eos ſuper tecta debere prædicare; ſed cum dicit ſuper tecta, & in luce: fiduciam, & libertatem publicè prædicandi inſinuat. Cum vero 3. ſenſ. dicit; in aurem, & in tenebris, ſignificat, vt vbique terrarum narrent, quod in parua mundi parte, & in vno Palæſtinæ loco audierant. Neque enim in tenebris, & in aurem eis dicta erant; ſed ſæpe in altis montibus, in conuentibus, & ſynagogis.

Greg. Greg. lib. 11. Moral. cap. 11: Cum myſticos al-1 ſenſ. legoriarum nodos per explanationem ſoluimus, in lumine dicimus, quod in tenebris audiuimus. Greg. 1 ſen. Et hom. 6. in Ezech: Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, id eſt, apertè exponite, quæ in allegoriarum obſcuritatibus auditis.

Not. 11. ver. 36. 37.

Hilar. VIDE Hilar. lect. 8. & 9. die 14. Octobr.

Aug. Aug. lib. 14. contra Fauſtum cap. 12: Eligendum eſt igitur maledictum in corporis morte, quo maledicto & ipſum corpus in reſurrectione liberabitur: deuitandum autem maledictum in animæ morte, ne cum ſuo corpore in æterno igne damnetur. Hanc enim quæſtionem nobis Dominus ſoluit, dicens: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere; ſed eum timete, qui habet poteſtatem & animam, & corpus occidere in gehennam ignis. Tanquam diceret: Nolite timere maledictum corporalis mortis, quod temporaliter ſoluitur; ſed timete maledictum ſpiritalis mortis, per quod anima in æternum Aug. cum ſuo corpore cruciatur. Et lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 12: Neque iſtud pia fides nimirum reformidat, tenens prædictum; nec abſumentes beſtias reſurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis non peribit, nec vllo modo diceret Veritas: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere: Si quicquam obeſſet futuræ vitæ, quidquid inimici de corporibus occiſorum facere voluiſſent: niſi fortè quiſpiam ſic abſurdus eſt, vt contendat eos, qui corpus occidunt, non debere timeri ante mortem, ne corpus occidant; & timere deberi poſt mortem, ne corpus occiſum ſepeliri non ſinant. Falſum eſt ergo quod ait Chriſtus, qui corpus occidunt, & poſtea non habeant, quid faciant; In morte poteſt aliquid tyrãnus, poſt vero nihil ſi habent tanta, quæ de cadaueribus faciant? abſit vt falſum ſit, quod Veritas dixit: Dictum eſt enim aliquid eos facere, cum occidunt; quia in corpore ſenſus eſt occidendo: Poſtea vero nihil habere quod faciant: quia nullus ſenſus eſt in corpore occiſo. Aug. Et lib. 13. de Ciuit. cap. 12: Mors ſecunda. Huiuſmodi autem totius hominis mortem illa ſequitur, quam ſecundam mortem diuinorum eloquiorum appellat authoritas. Hãc Saluator ſignificauit, vbi ait: Eum timete, qui habet poteſtatem, & corpus, & animam perdere in gehennam. Quod cũ non antea fiat, quam cum anima corpori ſic fuerit copulata, vt nulla direptione ſeparentur: Mirum videri poteſt, quomodo corpus ea morte dicatur occidi, qua non ab anima deſeritur, ſed animatum ſentienſque cruciatur. Nam illa pœna vltima, ac ſempiterna, de qua ſuo loco diligentius diſſerendum eſt, rectè mors animæ dicitur: Quia non viuit ex Deo: Mors autem corporis, quonam modo, cum viuat ex anima? Non enim aliter poſſunt ipſa corporalia, quæ poſt reſurrectionem futura ſunt, ſentire tormenta. An quia vita qualiſcunque aliquod bonum eſt, dolor autem malum: ideo nec viuere corpus dicendum eſt, in quo anima non viuendi cauſa eſt, ſed dolendi? viuit itaque anima ex Deo, cum bene viuit, non enim poteſt bene viuere, niſi Deo operante in ſe, quod bonum eſt. Viuit autem corpus ex anima, cum anima viuit in corpore; ſeu viuat ipſa, ſeu non viuat ex Deo. Impiorum namque in corporibus vita, non animarum, ſed corporum: vita eſt; quam poſſunt eis animæ etiam mortuæ, hoc eſt, à Deo deſertæ, quantulacumque propria vita, ex qua etiam immortales ſunt, non deſiſtente, conferre, verum in damnatione nouiſſima, quamuis homo ſentire non deſinat, tamen quia ſenſus ipſe nec voluntate ſuauis, nec quiete ſalubris; ſed dolore pœnalis eſt: non immerito mors eſt potius appellata, quam vita.

Hier. Gehenna vnde, & à quo dicta. Hier. Matt. 10: Nomen gehennæ in veteribus libris non inuenitur, ſed primum à Saluatore ponitur. Quæramus ergo quæ ſit ſermonis huius occaſio. Idolum Baal fuiſſe iuxta Hieruſalem, ad radices montis Moria, in quibus Siloa 3 Reg. 11 fluit, non ſemel legimus. Hæc vallis & parua campi planities irrigua erat, & nemoroſa, plenaque delitijs, lucuſque in ea Idolo conſecrauerat. In tantam autem dementiam populus Iſrael venerat, vt deſerta templi vicinia, ibi hoſtias immolaret, & rigorem religionis delitiæ vincerẽt, filioſque ſuos dæmonijs incenderent, vel initiarent. Et appellabatur locus ille gehennam, id eſt, vallis filiorum Hennon. Hoc 4. Reg. 23. Regum volumen, & Paralipomenon, & Hiere- 2 Par. 28 mias ſcribunt pleniſſime. Et comminatur Deus Hier. 7. 19. 32 ſe locum iſtum impleturum cadaueribus mortuorum, vt nequaquam vocetur Topheth, & Baal, ſed vocetur Poliandrium, id eſt, tumulus mortuorum. Futura ergo ſupplicia, & pœnæ Pœnæ infernal. Duplex perpetuæ, quibus peccatores cruciandi ſunt, huius loci vocabulo denotantur. Duplicem autem eſſe gehennam nimij ignis, & frigoris in Iob 24. Iob pleniſſime legimus.

Aug. Aug. ſerm. 18. de verbis Apoſtoli: Modo cum dicis mihi gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus ſum? male timeſ?

timcs? vane times? Non audeo, quandoquidem ipſe Dominus ablato timore, ſubiecit timorem,& ait,vbi dixit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & poſtea non habent quid faciant; ſed eum timete, qui habet poteſtatem & corpus,& animam mittere in gehennā ignis: ita dico vobis,hunc timete,eum ergo Dominus timorem incuſſerit, & vehementer incuſſerit, & repetendo verbum, comminationem ingeminauerit, dicturus ego ſum, male times iſta? Non dicam,plane time; nihil melius times; nihil eſt quod magis timere debeas. Et tract. Aug. 47.in Ioan: Vnde ſcio,inquit,ſi mea non moritur? à te non occidatur,& non moritur. Quomodo, inquis, ego poſſum occidere animam ſuam? vt alia peccata interim taceam. Os quod Sap. 1. mentitur occidit animam ſuam. Quomodo,inquis,ſecurus ſum,quia non moritur?Ipſum Dominum audi dantem ſeruo ſecuritatem: Nolite timere eos qui corpus occidunt, & poſtea non habent quid faciant;ſed plane quid ait:Eum timete, qui habet poteſtatem & corpus, & animam occidere in gehennam. Ecce quia moritur,ecce quia non moritur.Quid eſt mori ipſius? quid eſt mori carni tuæ?mori carni tuæ eſt amittere vitam ſuam; mori animæ tuæ,eſt amittere vitam ſuam, vita carnis tuæ anima tua;vita animæ tuæ Deus tuus. Quomodo moritur caro amiſſa anima,quæ vita eſt eius:ſic moritur anima amiſſo Deo,qui vita eſt eius.Certe ergo immortalis eſt anima? plane immortalis eſt, quia viuit & mortua. Quod enim de vidua delicioſa, dixit Apoſtolus,de anima etiam ſi Deum ſuum amiſerit, dici poteſt: viuens mortua eſt.

Mori animam quid ſit. 1 Timot 5

Not. 12. ver. 38.

Chryſoſ. CHRYSOST. hom.9.in Matth: Dominus diſcipulis loquens,quoniam condemnationes, captiuitates,& totius orbis oppugnationes,interneciuaque prælia præcinebat, releuans eos, & conſolans, ait: Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet in terram ſine patre veſtro, qui in cœlis eſt? Hæc vero dixit, oſtendens quia nihil fieret, eo neſciente; ſed ſpectante quidem cuncta,non tamen cuncta faciente,ac ſi diceret: Nihil omnino turbemini, neque paueatis. Ille enim qui & præuidet iſta omnia,quæ & ſuſtinetis,& poteſt profecto prohibere,vobis vtique proſpiciens,curamque veſtri gerens, non prohibet: quod in noſtris quoque tentationibus cogitare oportet;& ſatis hinc idoneam conſolationem poterimus accipere.

Aug. Aug. lib.1. de Gen. ad literam,cap.21:Quod autem ore ſuo Saluator dicit, vnum paſſerem non cadere in terram ſine Dei voluntate, & quod fœnum agri poſt paululum mittendum in clibanum, ipſe tamen veſtiat: nonne confirmat, non ſolum totam iſtam mundi partem, rebus mortalibus, & corruptibilibus deputatam, verum etiam viliſſimas eius abiectiſſimaſque particulas diuina prouidentia regi?

Omnia Dei prouidētia regi.

Aug. Et lib.de Agone Chriſtiano cap.8:Sed vt hæ animæ, quæ habent voluntatem nocendi,& rationem cogitandi, ſub diuinis legibus.Ordinatæ ſunt, ne aliquid iniuſtum quiſque patiatur: ita & omnia animalia, & corporalia in genere ſuo, & ordine ſuo diuinæ prouidentiæ legibus ſubdita adminiſtrantur. Ideo Dominus dicit: Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus eorum non cadit ſuper terram, ſine voluntate patris veſtri? Hoc enim dixit, volens oſtendere quicquid viliſſimum homines putant, omnipotentia Domini gubernari. Sic enim & volatilia cœli ab eo paſci, & lilia agri ab eo veſtiri Matth. 6 Veritas loquitur, quæ capillos etiam noſtros numeratos eſſe dicit; ſed quoniam mundas animas rationales per ſe ipſe Deus curat, ſiue in optimis & magnis Angelis, ſiue in hominibus tota ſibi voluntate ſeruientibus, cætera vero per ipſos gubernat,veriſſimè dici potuit etiam illud ab Apoſtolo: Non enim de bobus cura 1 Cor. 9 eſt Deo. In ſcripturis enim ſanctis Deus homines docet,quomodo cum hominibus agant,& ipſi Deo ſeruiant: quomodo autem agant de pecoribus ſuis, ipſi ſciunt, id eſt,quomodo ſalutem pecorum ſuorum gubernent vſu, & peritia, & ratione naturali.

Not. 13. verſ. 39.

Hier. HIER. Matt.10:Quod autem ait:Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt: immenſam Dei erga homines oſtendit prudentiam, & ineffabilem ſignat affectum, quod nihil noſtrum lateat Deum,etiam parua,&ocioſè dicta,eius ſcientiam non fugiant. Derident intelligentiam Eccleſiaſticam in hoc loco qui carnis reſurrectionem negant, quaſi nos,& capillos qui numerati ſunt, & à tonſore deciſi, omnes dicamus reſurgere, cum Saluator non dixerit: Veſtri autem & capilli capitis omnes ſaluandi ſunt,ſed numerati ſunt. Vbi numerus eſt ſcientia numeri demonſtratur, non eiuſdem numeri conſeruatio.

Capilli omnes sūt numerati.

Cyr. Cyril. lib.8. in Leuit: Diſcipulorum Domini etiam capilli capitis numerati eſſe dicuntur,hoc eſt,omnes actus,omnes ſermones, omnes cogitationes eorum ſeruātur apud Dominum,quia iuſtæ,quia ſanctæ ſunt. Et Damaſc.hiſtor.Barla. cap.9.per capillos minutiſſima quæque cogitationum,& intentionum demonſtrari dicit.

Quid ſit capillos eſſe numeratos. Dam. Quid ſint capilli.

Aug. Aug. ſer. 6. de verbis Domini: Omnem curam veſtram ſuper Dominum mittite, prorſus vos ipſos totos proijcite in illum. Non ſe ſubducit vt cadatis, ille, qui nos creauit, & de ipſis capillis noſtris ſecuritatem nobis dedit. Amen dico vobis, inquit, & capilli capitis veſtri numerati ſunt, capilli noſtri numerati ſunt Deo, quanto magis mores noſtri, cui ſic noti ſunt capilli noſtri. Videte quia minima veſtra non contemnit Deus,nam ſi contemneret nec crearet. Nam & capillos noſtros ipſe vtique creauit, & numeratos habet: ſed modo cum ſint, inquis, forte peribunt, & hinc audi vocem eius. Amen dico vobis,capillus capitis veſtri non peribit. Quid times hominem homo

Quid ſint capilli.

in ſinu Dei poſitus? Tu de illius ſinu noli cadere, quicquid ibi paſſus fueris, ad ſalutem valebit, non ad perniciem.

Not. 14. ver. 40. 41.

Hilar. VIDE Hilar. lect. 9. die 14. Octobr: Idem quod hic, dicitur cap. 111. ver. 9. ex Luc. apud

Aug. Aug. lib. de vera & falſa pœnitentia cap. 5: Quod omnibus promiſit indulgentiam, alijs promiſſionibus declarat. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus: id eſt, omnis quantumcumque & quotieſcumque peccator, cuiuſcumque ordinis, etiamſi fuerit ſacerdos: Confitebor & ego eum coram Patre meo. Nam qui inuocauerit nomen Domini, id eſt, ſecundum quod nominatur Dominus, id eſt, qui inuocauerit eum ad ſe, ſeruiendo, non contradicendo, vt forſitan ſæpe fecit: omnis, id eſt, quicunque ſit ille peccator, ſaluus erit. Poſte. ad Tit. 2. Si negauerimus & ille negabit nos. Habes idem cap. 83. ver. 6. ex Mar. & Luc. & cap. 111. ver. 10. ex Luc.

Cyr. Cyrill. lib. de recta fide ad Reginas: Multi ſancti vocati ſunt ad martyrij gloriam, & conſummati ſunt tormentis, & morte Chriſtum confeſſi. Num igitur coronabuntur confirmati, & dicentes hominem eſſe communem ipſum, vel potius Deum confeſſione venerati ſunt? ſed eſt manifeſtum. Qui enim hoc negauerũt, etiam à martyrij gloria exciderunt, & Chriſtum ipſum inuenient in die iudicij illos negantem. Iam quo pacto non Deus, qui martyrij gloria coronat confitentes, quod ipſe Deus ſit vere?

Amb. Amb. lib. 1. de pœnit. cap. 2: Quam propenſus igitur ad miſericordiam ſit Dominus Ieſus, licet iſta ſatis inſtruant, tamen ipſe etiam te doceat: quia cum aduerſus impreſſionem perſecutionis inſtruere nos vellet, ait: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. & infra: Omnis ergo qui confeſſus me fuerit, &c. vbi confitetur, pro omnibus confitetur; omnes complectitur; vbi negat, non omnes negat. Sicur enim ſupra habetur: Omnis qui me confeſſus fuerit, confitebor & ego eum, id eſt, omnem. Conſequens erat vt infra quoq; ſic diceret: Omnis autem, qui negauerit me, ſed ne omnes negare videretur, ita ſubiecit: Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum. Gratiam promittit omnibus, non omnibus minatur iniuriam: quod eſt miſerationis, exaggerat, quod vltionis, extenuat. Atque ita ſcriptum eſt non ſolum in eo libro, qui ſecundum Matt. ſcribitur Euangelij Domini Ieſu Chriſti, ſed etiã in eo lectum eſt quem ſecundum Lucam reperimus: vt ſcias non ocioſè id poſuiſſe vtrumque.

Amb. Et cap. 3. Diximus quid ſcriptum ſit, colligamus ſententiam: Omnis, inquit, qui me confeſſus fuerit, id eſt, ex quacunque vita, ex quocunque ſtatu, qui confeſſus me fuerit, habebit remuneratorem me confeſſionis ſuæ. Cum dicitur: Omnis, nullus, à remuneratione, qui fuerit confeſſus, excluditur. Non ſimiliter, omnis qui negauerit, negabitur. Poteſt enim fieri vt aliquis victus ſupplicijs, ſermone neget, & corde adoret. Nunquid eadem eſt cauſa eius: qui ſponte neget, & eius quem tormenta inclinauerint ad ſacrilegium, non voluntas? Quam indignum autem, cum apud homines valeat certaminis gratia, vt apud Deum non valere aſſeratur. Nam ſæpe in hoc Athletarum ſæculari certamine etiam victos, quorum fuerint certamina probata, vulgus hominum cum victoribus coronare conſueuit, maxime quos viderit, aut forte dolo, aut fraude exciſos victoria. Chriſtus ergo Athletas ſuos, quos viderit grauibus pauliſper ceſſiſſe ſupplicijs ſine venia patietur manere? Nunquid non habebit remunerationem laboris, qui etiam quos proijcit, non in æternum proijcit? Dicit enim Dauid: Non in æternum proijciet Deus. Et contra hunc audiemus hæreſim dicentem: Proijciet in æternum? Nec in finem, inquit, miſericordiam ſuam abſcindet à generatione in generationem, aut obliuiſcetur miſereri Deus, clamet Propheta: Et ſunt qui diuinæ miſerationis quædam inducant obliuia.

Inter negãtes Chriſtũ eſt diuerſitas.

Pſal. 76.

Not. 15. verſ. 42. 43. 44.

CVM his eadem ſunt, quæ habentur cap. 113. ver. 19. 20. 21. ex Luca.

Chryſoſt. Chryſ. orat. 2. aduerſus Iudæos: Ad id quod erat propoſitum redibo, ſi prius vnam adhuc prædictionem addidero: Non veni, inquit, vt mitterem pacem ſuper terram, ſed gladium: non declarans quid ipſe cuperet, ſed rerum euentum prædicens: Veni enim, inquit, ſeparare hominem, excitare filium aduerſus patrem ſuum, & nurum aduerſus ſocrum ſuum, & filium aduerſus matrem ſuam. Vnde, hæc prædixit, ſi nihil aliud erat quam homo, & vnus quiſpiam è vulgo? Quod autem dicit hunc habet ſenſum: Quoniam eueniet. vt in eadem domo vnus ſit fidelis, alter infidelis: deinde pater velit filium ſuum pertrahere ad impietatem, hoc ipſum prędicens ait: Adeo vincet Euangelij poteſtas, vt filij quoque contemnant patres ſuos, & filiæ matres, & parentes liberos. Non ſolum autem prius habebunt familiares contemnere, verum etiam ſuam animam exponere, cunctaque ſuſtinere, ac perpeti ne pietatem à ſe repellant, aut quicquam deſerant eorum, quæ noſtræ conducunt prædicationi. Vnde hæc ille tum ſcire, tum efficere potuit, ſi fuit homo vnus quiſpiam à vulgo? vnde illi venit in mentem hæc cogitare, quod ipſe filijs eſſet magis reuerendus futurus, quam patres? Quod parentibus dulcior, quam liberi? quod vxoribus deſiderabilior, quam mariti, idque non vna in domo, neque duabus, neque tribus, neque decem, neque viginti, neque centum; ſed vbique per orbem terrarum, in vrbibus omnibus ac regionibus, in terra pariter atque in mari, & in parte mundi habitata ſimul, & inhabitabili? Nec illud poſſis dicere, dixit quidem iſta, verum haud perduxit ad effectum. Complures igitur in primordijs Eccleſiæ atque adeo nunc quoque ob pietatem haben-

Chriſtum eſſe Deũ.

Vis Euangelij.

habentur odio, eijciuntur de paternis ædibus, nec ad quicquam horum reuertuntur, abundè magnum ſolatium eſſe ducentes, quod hæc ob Chriſtum perpetiuntur. Dic mihi quis hæc vnquam potuit inter homines?

Naz. Naz. orat. 7: Hunc locum intelligit de gladio, qui eſt doctrina Euangelij, quæ diſſecandi, ac diuidendi vim habet, qua fidelis ab infideli
Naz. ſeparatur. Et orat. 39: Quid gladius ſignificat? verbi diuini ſectionem, bonum à malo diuidentem, atq; fidelem ab infideli ſecantem, ac filium, & filium, & nurum aduerſus patrem & matrem, & ſocium excitantem, nouaque & recentia aduerſus Priſca, & Vmbratica.

Greg. Greg. paſtoral. curæ part. 3. admonit. 23: De hoc loco multa, & inter alia dicit: Penſandum ergo eſt, quando ab inceptatione quieſcitur, quanta culpa ſit pax cum peſſimis tenetur: ſi Propheta tantus, hoc velut in hoſtiam Deo obtulit, quod contra ſe pro Domino prauorum inimicitias excitauit. Hinc eſt quod tribus leui aſſumptis gladijs per caſtrorum media tranſiēs: quia feriendis noluit peccatoribus parcere: Deo maius dicta eſt conſecraſſe. Hinc Phinees peccantium ciuium gratiam ſpernens, coeuntes cum Madianitis perculit, & iram Domini irati placauit. Hinc per ſemetipſam Veritas dicit: Quid putatis? quia pacem veni mittere in terram? non vtique; ſed gladium. Malorum namque cum incautè amicitijs iungimur; culpis ligamur. Vnde Ioſaphat, qui tot de anteacta vita præconijs attollitur, de Achab Regis amicitijs pene periturus increpatur.

Hier. Hieron. Eſaiæ 49: Poſuit quoque os eius quaſi gladium acutum, vt ſpiritu oris ſui interficiat impium, de quo gladio & ipſe in Euangelio loquitur: Non veni pacem mittere ſuper terram, ſed gladium; malos à bonis ſeparans. Veni enim diuidere hominē contra patrem ſuum, &c.

Aug. Aug. lib. quæſt. ex Matt. cap. 3: Aduerſus patrem ſuum) quia renunciat quis diabolo, qui fuit pater eius. Et filiam aduerſus matrem ſuam) plebem Dei aduerſus mundanam ciuitatem, hoc eſt, aduerſus pernicioſam generis humani ſocietatem, quam nunc Babylonia, nunc Ægypto, nunc Sodoma, nunc alijs, atque alijs no-
Quæ ſit ſocrus. minibus ſcriptura ſignificat. Nurum aduerſus ſocrum, Eccleſiam aduerſus ſynagogam, quæ
Gladius eſt verbū Dei. ſecundum carnem Chriſtum peperit ſponſum Eccleſiæ. Diuiduntur autem gladio ſpiritus,
Qui ſint domeſtici. quod eſt verbum Dei, & inimici hominis domeſtici eius: cum quibus antea conſuetudine implicatus erat.

Mich. 7: Nolite credere amico, & nolite confidere in duce: ab ea, quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit aduerſus matrem ſuam: nurus aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici eius. Ego autem ad Dominum aſpiciam.

Not. 16. ver. 45.

Amb AMBR. ſer. 15. in Pſal. 118: Ipſe in Euangelio euidenter expoſuit, qua ratione noſtros debeamus odiſſe, dicens: Qui diligit patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Non dixit indignos eſſe, qui parentes ſuos diligunt, ſed eos indignos ait, qui plus parentes quam Chriſtum diligunt, ſi enim ideo deferimus parentibus, quia noſtræ generationis authores ſunt, quanto magis Chriſtum oportet amare, qui ipſorum eſt author parentum? iſti dederunt, quod non poteſtatis eſt, ſed miniſterij ſui: Chriſtus donat ſalutem, qui parentum beneficia conſeruat.

Aug. lib. de ſalutaribus documentis cap. 21: Chriſtus diligendus eſt ſuper parentes noſtros; quia non nobis tribuunt parentes ea, quæ Chriſtus. Quanto quis eum plus amat, tanto fælicior & beatior efficietur. In tantum enim nos amauit, vt etiam pro nobis mori dignatus ſit: & manus eius, quæ virtutes plurimas faciebāt, clauis pro noſtra redemptione affixæ ſunt: & ori mellifluo quo ſalutaris doctrina profluxit, fel pro cibo impij porrexerunt, &c. Aug.

Orig. hom. 2. in Cantica, interprete Hier: Sanctorum charitas ordinata eſt. Volo ad intelligendum hoc quod dictum eſt, ordinate in me charitatem, aliqua exempla replicare. Te vult diuinus ſermo diligere patrem, filium, filiam: vult te ſermo diuinus diligere Chriſtum: nec dicit tibi ne diligas liberos, ne parentibus charitate iungaris. Sed quid dicit tibi? Ne inordinatam habeas charitatem, ne primum patrem aut matrem. Deinde me diligas: ne filij & filiæ pluſquam mei tenearis charitate. Qui amat patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus: Qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Recole conſcientiam tuam de patris, matris, fratriſque affectu: & conſidera qualem circa ſermonē Dei, & Ieſum habeas charitatem; ſtatim deprehendes te magis filium & filiam diligere, quam verbum: magis te parentes amare, quam Chriſtum. Quis putas ita proficit ex nobis, vt præcipuam & primam inter omnia ſermonis Dei habeat charitatem; qui in ſecundo loco liberos ponat? Iuxta hunc modum ama vxorem tuam. Nullus quippe aliquando ſuam carnem odio habuit, ſed amat vt carnem. Et erunt, inquit, duo in carne vna: & non in vno ſpiritu. Ama & Deum, ſed ama illum, non vt carnem & ſanguinem, ſed vt ſpiritum. Qui enim adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Igitur ordinata charitas eſt in perfectis. Orig.

Chryſ. hom. 10. in epiſt. ad Rom: Velle autem magnopere amari ex eo naſcitur, quod & magnopere amat. Propterea & Apoſtolis dicebat: Qui patrem, matremue pluſquam me amat, nō eſt me dignus. Quo nomine animā ipſam, rem nobis ante omnia propriā, iubet vt charitati erga ſe noſtræ poſtponamus. Nam ille maiorem in modū vult à nobis amari. Etenim & nos quoq; cum non admodū erga aliquem afficimur, illius amore non magnopere indigemus, vt præpotēs ille atque illuſtris ſit. Sin vero feruido aliquem, ac vero amore proſequimur, vt tenuis atq; humilis ille ſit, qui à nobis amatur, illius erga nos amorem magnæ gloriæ loco ponimus. Chryſoſt.

Ver. 46.

Cyr. Cyr.lib. 12.in Ioan. cap. 28: Qui non accipit crucem ſuam,& ſequitur me, nõ eſt me dignus. Quod nihil aliud ſignificat (vt ego arbitror) quam mundo propter Deum renunciare, & huic corporali vitæ,bona,quæ per fidem ſperamus, anteponere. Vide cap. 83. ver. 1. & 120. ver.3. & cap.143.ver.6.& cap.59.ver.13.Hiero.& cap.104. ver.7. & cap. 169. ver. 25.

Hier. Hier.Eccleſiaſtæ 7: Eſt iuſtus periens in iuſtitia ſua; & eſt impius longæuus in malitia ſua. Huic quid ſimile in Euangelio ait Saluator:Qui inuenit animam ſuam,perdet eam;& qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Machabæi pro lege Dei, atque iuſtitia viſi ſunt in ſua iuſtitia perire, & martyres qui ſanguinem fudêre pro Chriſto.E contrario qui ex illo tempore ſuillam carnem comederunt, & poſt aduentum Domini ſacrificauerunt Idolis ſuis, hi viſi ſunt in hoc ſæculo viuere, & propter ſuam malitiam perſeuerare longæui,ſed Dei in occulto patientiā eſt,& tribulare nunc ſanctos,vt recipiant mala in vita ſua: & peccatores non viſitare pro ſcelere,& quaſi ad victimam reſeruare, vt & illis poſſit æterna bona reſtituere, & his mala inferre perpetua.

Ver. 48.

Hier. Hier.Matt.10: Ordo pulcherrimus. Ad prædicationem mittit:docet pericula non timenda: affectũ ſubijcit religioni. Aurum ſupra tulerat: æs de zona excuſſerat. Dura Euangeliſtarum conditio. Vnde ergo ſumptus, vnde victus neceſſaria? Auſteritatem mandatorum ſpe temperat promiſſorum.Qui recipit (inquies) vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum,qui miſit me:vt in ſuſcipiendis Apoſtolis,vnuſquiſq; credentium Chriſtum ſe ſuſcepiſſe arbitretur.

Ver. 49.

Hier. Hieron. Matt.10: Qui prophetam recipit vt prophetam, & intelligit eum de futuris loquentem, hic mercedem prophetæ accipiet. Igitur Iudæi carnaliter prophetas intelligentes, mercedem prophetarum non accipient. Aliter: In omni profeſſione zizanium mixtum eſt tritico. Præmiſerat: Qui recipit vos,me recipit: & qui me recipit, recipit eum,qui miſit me: Ad ſuſceptionem magiſtrorum diſcipulos prouocauerat,poterat occulta eſſe credentium reſponſio: Ergo & pſeudoprophetas & Iudam proditorem debemus recipere, & illis alimoniam miniſtrare. Hoc Dominus ante procurans dicit, non perſonas ſuſcipiendas eſſe, ſed nomina: & mercedem non perdere ſuſcipientes, licet indignus fuerit, qui ſuſceptus ſit.

Greg. Greg. hom. 20. in Euang: Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet,quia etſi fructum vlmus non habet, vitem tamen cum fructibus portans, hæc ipſa ſua efficit, quæ bene ſuſtentant aliena.

Not. 17. ver. 50.

Vide cap. 90.ver.5. Aug.ſerm.62.de temp: Ille ergo qui non habuerit, vnde tribuat, ſufficit voluntas bona, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Sed quis erit qui ſe poſſit excuſare, cum etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe Dominus redditurum promiſerit? Et quare frigidæ dixit? Ne fortè ſe poſſet aliquis pauper de lignorum penuria excuſare, aut certè dicere, ſe vaſculum vbi aquam calefaceret non habere. Aug.

Hieron. Matt. 10: Legimus in Propheta Dauid: Ad excuſandas excuſationes in peccatis: quod multi peccatorum ſuorum, quaſi iuſtas prætendant occaſiones, vt quod voluntate delinquunt,videantur neceſſitate peccare:Dominus ſcrutator cordis & renum, futuras cogitationes in ſingulis contuetur. Dixerat: Qui recipit vos, me recipit; Sed quia hoc præceptum multi pſeudoprophetę,& falſi prædicatores poterant impedire, medicatus eſt huic quoque ſcandalo,dicens: Qui recipit iuſtum, in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. Rurſus poterat alius cauſari, & dicere: Paupertate prohibeor,tenuitas me retinet,vt hoſpitalis eſſe non poſſim.Et hanc excuſationem leuiſſimo præcepto diluit, vt calicem aquæ frigidæ toto animo porrigamus. Frigidæ, inquit,aquæ, non calidæ, ne & in calida paupertatis ex lignorum penuria occaſio quæreretur. Tale quid & Apoſtolus (vt antea iam diximus) ad Gal. præcipit: Communicet autem is qui catechizatur verbo ei,qui ſe catechizat in omnibus bonis. Et diſcipulos ad magiſtrorum refrigeria cohortatur.Quia poterat quilibet obtendere paupertatem, & præceptum eludere, priuſquam ille proponat, imminentem ſoluit quæſtionem, dicens: Nolite errare Deus non irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo, & hæc metet,& eſt ſenſus: Fruſtra cauſaris inopiam,cum aliud habeat conſcientia tua, ne putes fallere cohortantem, ſed ſcito, quod quantumcumque ſeminaueris,tantum & meſſurus ſis. Hie. Gal. 6

Ver. 51.

Vict. Antioch. Mar. 6: His ſimilia exponit Lucas quoque: verum quod de myſtica vnctione, & olei vſu hic ſubiungitur, hoc inter Euangeliſtas ſolus Marcus commemorat. Interim quæ Apoſtolus Iacobus in ſua Canonica narrat, ab his non diſſentiunt;ſcribit enim: Infirmatur quis in vobis, adducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, oleum autem inter alia,& laborum moleſtias mitigat,& lumen fouet, & hilaritatem conciliat. Oleum igitur quod in ſacra vnctione adhibetur, & Dei miſericordiam, & morbi ſanationem, & cordis illuminationem denotat.Dici tamen poteſt,orationem hæc omnia efficere, oleum autem eorum omniũ,quæ fiunt extremum tantum ſymbolum eſſe.Idem habent Eut.Theoph.Mar.6. Vict. Solus Marcus vnctionis olei meminit. Iac. 5. In ratione ſacraméti ſimul vtrũque con & efficit.

Cap. 69.

C A P. 69. *Fama* I E S V *apud Herodem, & opinio Herodis de* C H R I S T O.

	Matt. 14.		*Mar. 6.*		*Luc. 9.*	*Ioan.*
1	c.66.) [IN illo tempore, audiuit Herodes tetrarcha famam Ieſu.	1	ET audiuit rex Herodes.	1	AVdiuit autem Herodes tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo.	
		2	Manifeſtum enim factum eſt nomen eius.			
3	Et ait pueris ſuis: Hic eſt Ioannes Baptiſta:	3	Et dicebat:			
				4	Et hæſitabat, eo quod diceretur à quibuſdam.	
5	Ipſe ſurrexit à mortuis: & ideò virtutes operantur in eo. (Herodes enim tenuit. cap. 25.	5	Quia Ioannes Baptiſta reſurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo.	5	Quia Ioannes ſurrexit à mortuis.	
		6	Alij autem dicebant: Quia Elias eſt. Alij verò dicebant: Quia Propheta eſt, quaſi vnus ex Prophetis.	6	A quibuſdam verò: Quia Elias apparuit. Ab alijs autem: Quia Propheta vnus de antiquis ſurrexit.	
		7	Quo audito, Herodes ait: Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis reſurrexit. (Ipſe enim Herodes. cap. 25.	7	Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui: Quis eſt autem iſte de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.	

Not. 1.

Aug. Vt tres Euangeliſtæ conueniãt de verbis Herodis, cum mirabilia Domini audiſſet: de quo ipſo narratio nis ordine.

A V G. lib. 2. de conſ. Euang. cap. 43: Sequitur Matthæus: In illo tempore, audiuit Herodes tetrarcha, &c. Marcus hoc idem, & eodem modo dicit, ſed non eodem ordine. Nam poſteaquam diſcipulos Dominus miſit, dicens eis ne quid in via ferrent, niſi virgam tantum, terminato eo ſermone, quantum ab illa commemoratum eſt, etiam hoc ſubiecit, nulla tamen facta neceſſitate, quia hoc etiam conſequenter geſtum eſſe intelligere cogeremur, ſicut nec Matthæus: In illo tempore, dixit: non, illo die, vel hora: niſi quod Marcus non quod Herodes dixerit, ſed dicebant, inquit, quia Ioannes Baptiſta ſurrexit à mortuis. Matthæus vero de ipſo Herode; ait, inquit, pueris ſuis. Lucas etiam eum narrandi ordinem, quem Marcus, tenens, nec ipſe ſane etiam rerum geſtarum eũdem ordinem, fuiſſe credi cogens, ita hoc idem commemorat: Audiuit autem, inquit, Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant, &c. In his verbis Lucas quoque Marco atteſtatur, ad hoc dumtaxat, quod alij dixerunt, non Herodes Ioannem à mortuis ſurrexiſſe: ſed quia hæſitantem commemorauit Herodem, verbaque eius ita poſtea poſuit dicentis: Ioannem ego decollaui; quis eſt autem iſte, de quo ego audio talia? Intelligendum eſt autem poſt hanc hæſitationem confirmaſſe in animo ſuo, quod ab alijs dicebatur, cum ait pueris ſuis, ſicut Matthæus narrat, & ait pueris ſuis, hic eſt Ioannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. Audita pronuncianda ſunt hæc verba vt hæſitantem adhuc indicent. Si enim diceret nunquidnam hic eſt, aut nunquid fortè hic eſt Ioannes Baptiſta, non opus eſſet admonere aliquid de prænunciatione, qua dubitans atque hæſitans intelligatur. Nunc quia illa verba deſunt, vtroque modo pronunciari poteſt, vt aut confirmatum eum ex aliorum verbis, credentem dixiſſe accipiamus; aut adhuc, ſicut Lucas commemorat hæſitantem, præſertim quia & Marcus, qui ſuperius dixerat, ab alijs fuiſſe dictum, quod Ioannes à mortuis reſurrexit, in extremo tamen ipſum Herodem dixiſſe non tacet. Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis reſurrexit. Quæ item verba duobus modis pronunciari poſſunt, vt aut confirmantis, aut dubitantis intelligantur.

ver. 3. Varia lectio.

Ver. 1.

Aliqua videtur miracula feciſſe Chriſtus mox poſt obitum Ioannis, quæ non ſunt ab Euangeliſtis recenſita. Multa enim prætermiſerunt vt cap. 200. ex Ioanne dicitur: Illis permotus videtur Herodes.

Vict. Antioch. Mar. 6: Herodes de quo hic ſermo, primi Herodis, quo regnante Ioſeph, ab Angelo admonitus, Ieſum & matrem eius deportauit in Ægyptum, filius erat. Hunc Herodem, quod quartam tantum paterni regni par- via.

Cur Tetrarcha dicitur.

tem obtinuiſſet, Matthæus & Lucas Tetrarcham appellant: ſiquidem Romani poſt primi Herodis obitum, Iudæorum regnum in quatuor partes, ſeu Tetrarchias partiti fuerunt è quibus vna Herodi ſenioris Herodis filio, adminiſtranda obuenerat. At Marcus vero & alij præterea nonnulli, Herodem hunc Regem appellant; ſiue quod paternæ conſuetudini hoc tribuerint; ſiue quod voce hac licentioſius vſi ſint. Verum de his conſulatur Ioſephus, qui Iudæorum res ſatis accurate deſcripſit. Habet etiam Euth. & Theoph. Matt. 14. hunc Herodem fuiſſe filium eius, qui infantes in Bethleem interemit.

Cur dicitur Rex.

Not. 2. verſ. 3.

Aug. Varia lectio.

Et dicebat.) Aug. not. 1. legit pluraliter: & ſic Marcus optimè cum Luca conſentit, qui Marcum videtur explanaſſe, & legendum pluraliter aliqui ex eo colligunt, quod Marcus ſubdit: Quo audito Herodes: vbi ſe prius indicat eſſe locutum, non de Herode, ſed de ijs, qui Herodi narrabant hunc eſſe Ioannem Baptiſtam.

Ver. 4 5.

Chryſoſt.

Chryſoſt. hom. 28. in poſteriorem ad Corinth: Audi Herodem qui vbi Chriſti miracula audiuit, dicebat: Hic eſt Ioannes, ipſe excitatus eſt ex mortuis; & propter hoc operantur in illo virtutes: adeo vireſcentem habebat metum, & perpetuum certamen, & neque conſcientiæ poterat abijcere formidinem, ſed manſit Iudex ille incorruptus, confringens illum, & quotidie pœnam cædis exigens. Hæc ſcientes ne timeamus quod mala patimur, ſed quod male facimus. Nam illud quidem vincere eſt hoc autem vinci.

Ver. 7.

Chryſoſt.

Chryſoſt. hom. 25. in Matth: Poſt mortem quoque Ioannis in illo terrore vigebat. Audi itaque quid dicat: Hic eſt Ioannes quem ego interfeci. Hoc enim quod ait interfeci, non eſt ſemetipſum ſuperbius efferentis, ſed timorem ſuum vtcunque ſolantis, & conturbatæ menti ſolicitè ſuadentis, vt recordetur ipſum eſſe qui à ſe fuerat occiſus: tanta eſt vis quippe virtutis, vt poſt mortem quoque ſit viuentibus fortior.

Eut.

An Herodes putarit Ioannem à mortuis reuocatũ.

Euth. Matth. 14: Quomodo Matthæus & Marcus ſcripſerunt, quod affirmabat Herodes ipſum eſſe Ioannem; Lucas vero quod dicentibus hoc quibuſdam, Herodes potius aſſerebat non eſſe illum: Ioannem, inquit, ego decollaui. Itaque conſequens eſt, non eſſe ipſum Ioannem. Quid ergo dicemus? Quod ſuſpicatus hunc à mortuis ſurrexiſſe, ac miraculorum gratiam ob iniuſtam ſui cædem, à Deo accepiſſe: eis tamen qui hoc dicebant, aſſerebat non eſſe Ioannem, ne ad eum concurrerent, & contra ſe ſeditionem concitarent: ſuis autem famulis confidenter detegebat ſecretum. Nam *ke pedas* hoc in loco pro miniſtris poſuit Euangeliſta. Id autem eis confidit, quod hunc maxime timeret, tanquam fortiorem iam effectum; & quaſi futurum eſſet, vt deinceps eum vehementius argueret. Et vide rem admirandam: Is qui interemerat timet interemptum. Talis eſt enim qui iniquus eſt, vt & mortuos timeat: Et talis eſt qui virtutem colit, vt pauorem etiam poſt mortem immittat viuentibus.

Pueri ſunt miniſtri.

Not. 3. verſ. 4. 5.

Homo ſtimulis conſcientiæ exagitatus timet Ioannem etiam mortuum, & quamuis necatus eſſet Ioannes, tantæ nihilominus erat exiſtimationis, vt à quibuſdam reſurrexiſſe & eſſe Chriſtus putaretur, quos inter fuit Herodes. Verum Chriſtus integro iam biennio in Galilæa, vbi regnabat Herodes, prædicauerat; & omnia loca miraculorum eius fama peruaſerat; quomodo ergo hæc de Chriſto potuit exiſtimare? An quod omnes ſcirent, vnum latuiſſet Herodem? Quidam in cauſa fuiſſe putant, quo minus ea ſciuerit, quod dictis temporibus abſens eſſet in expeditione Arabica, bellum gerẽs aduerſus Aretam Regem, quod multis annis durauit, de quo Ioſephus Antiquitatum lib. 18. cap. 7. His adde incredibilem in homine de Chriſto cognoſcendo ſocordiam atque deſidiam.

Ver. 7.

Tres Euangeliſtæ cõſentiunt.

Quem ego decollaui, &c.) Hæc videtur dixiſſe Herodes, non opinione confirmata: ſed hæſitando, & metuendo. Itaque Matthæus, & Marcus à Luca non diſſentiunt.

Hier. Ioannem reſurrexiſſe cur ſit creditum.

Hieron. Matt. 14: Quidam Eccleſiaſticorum interpretum cauſas quærit: Quare Herodes iſta ſit ſuſpicatus: vt putet à mortuis Ioannem reſurrexiſſe, & ideo virtutes operari in eo; quaſi erroris alieni nobis reddenda ſit ratio: aut *metempſychoſeos* ſecta ex his verbis habeat occaſionem: cum vtique eo tempore, quo Ioannes decollatus eſt, Dominus triginta eſſet annorum; *metempſychoſis* autem poſt multos annorum circulos, in diuerſa corpora dicat animas inſinuari.

Ver. 8.

Vict.

Vict. Antioc. Mar. 6: Quo explorante cognoſceret, Chriſtus ne Ioannes ille eſſet, quem ipſe occiderat, maiorem in modum eum videre cupiebat.

Cap. 70. *Mors, & ſepultura Ioannis Baptiſtæ.*

Matt. 14.	*Mar. 6.*	*Luc.*	*Joan.*
1 c.2.5) DIe autem natalis Herodis.	1 c.25.) ET cùm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit Principibus, & tribunis, & primis Galilææ.		

Saltauit

Matt. 14.	*Mar. 6.*	*Luc.*	*Ioan.*
2 Saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.	2 Cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque recumbentibus.		
3 Vnde cum iuramento, pollicitus eſt ei dare quodcunque poſtulaſſet ab eo.	3 Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi. Et iurauit illi: Quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.		
4 At illa præmonita à matre ſua: Da mihi, inquit, hîc in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.	4 Quæ, cùm exiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptiſtæ. Cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad Regem, petiuit, dicens: Volo vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.		
5 Et contriſtatus eſt Rex. Propter iuramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, iuſſit dari, miſitque.	5 Et contriſtatus eſt Rex. Propter iuſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare; ſed miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput eius in diſco.		
6 Et decollauit Ioannem in carcere: & allatum eſt caput eius in diſco, & datum eſt puellæ: & attulit matri ſuæ.	6 Et decollauit eum in carcere: & attulit caput eius in diſco, & dedit illud puellæ: & puella dedit matri ſuæ.		
7 Et accedentes diſcipuli eius, tulerunt corpus eius, & ſepelierunt illud.	7 Quo audito, diſcipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius: & poſuerunt illud in monumento. ✠		
8 Et venie̅tes nunciauerunt Ieſu.			

Not. 1.

Duo narrant Ioannis mortē.

LVCAS poſteaquam Herodis commemorauit hæſitationem in aliud tranſit, Matthæus vero & Marcus ex hac occaſione narrāt, quemadmodum ſit ab Herode Ioannes occiſus. Hic

Aug.

Auguſt. lib. de conſ. cap. 43. & 44. Habet de hoc loco multa Chryſoſt. hom. 28. in poſterior. ad Corinth.

Eut. Ratio diſpoſitionis.

Euth. Matt. 14: Incidente occaſione de Ioanne, narrat conſequenter Euangeliſta, quomodo mortuus ſit.

Vict.

Victor Antioch. Mar. 6: Modum quo Herodes Ioannem peremit. Euangeliſta breuiter hoc loco exponit: non quod Prophetæ cædes in illud tempus incidiſſet; ſed quia narrationis ſeries, quam inſtituebat, commodè id ferebat, cum enim narraret Herodem (quod admirabilia quędam de Chriſto Domino audiuiſſet) exiſtimaſſe Ioannem, quem paulo ante interfici curaret, ex mortuis reſurrexiſſe, mox cædis cauſam, & modum ſubiungit.

Ratio diſpoſitionis.

Cur hic de Ioanne agatur.

Theoph.

Theoph. Matt. 14: Narrationis huius de Ioanne, in ſuperioribus non meminit Matthæus; eo quod ſcopus illi erat ea duntaxat ſcribere, quæ ad Chriſtum ſpectabant. Sane nec nunc meminiſſet eius, niſi & hoc ad Chriſtum retuliſſet.

Theop.

Et Mar. 6: Interſerit hoc loco Marcus narrationem de morte Ioannis Baptiſtæ occaſione ſumpta.

Auct.

Ioannis decollatio ante pleraque ſuperiora contigit; cum ob ea putaretur Ioannes reſurrexiſſe; & Lucas narret ab Herode dictum: Ioannem ego decollaui: ac certo noſcitur quando ſit necatus; & hoc narratur tantum occaſione famæ Ieſu, quam Herodes audiuit, cum putaretur Dominus eſſe Ioannes reſuſcitatus; propterea hoc loco fuit conſtitue̅da. Potuiſſet quidem præponi: at incertum quonam in loco. Melius ergo hic relinquitur, propter id quod præcedit cap. 69. & propter cohærentiam cum cap. 71. in Matthæo & Marco. Hinc etiam intelligitur legationem, diu ante miſſionem contigiſſe, non poſt; licet Matthæus ita narret.

Cur hic de Ioanne agatur.

Circa necem Ioannis tria hic indicantur: 1. ea, quæ præceſſerunt: vt conuiuium, ſaltatio, promiſſio, & petitio. 2. ponitur decollationis præceptum, & executio. 3. quæ ſecuta ſunt decollationem: vt promiſſi redditio, ſepultura, & relatio facta Ieſu. Prope Paſcha tertium Ioannes ab Herode Antipa; Herodiade per ſaltatricem filiam expetente, obtruncatur: & à diſcipulis ſepelitur. Ioannis autem Baptiſtæ cædem, imminente Paſchali feſtiuitate contigiſſe teſtatur Beda Mat. 6. & alij.

Tres huius hiſtoriæ partes.

Bed.

Not. 2. verſ. 2. 3. 4. 5. 6.

Aug.

AVG. ſer. 10. de Sanctis: Cum ſanctum Euangelium legeretur, crudele ſpectaculum ante oculos noſtros co̅ſtitutum eſt, caput ſancti Ioannis in diſco, feralis miſſus crudelitatis, propter odium veritatis. Puella ſaltat, & ſæuit mater: & inter laſciuias, & delitias conuiuantium, temere iuratur,

Corripiendi peccantes.

iuratur, & impiè quod iuratur, impletur. Factum eſt Ioanni quod ipſe prædixerat. De Domino enim Ieſu Chriſto dixerat: Illum oportet creſcere; me autem minui. Iſte minutus eſt in capite, ille autem creuit in cruce, odium peperit veritas. Non potuit æquo animo tolerari, quod homo Dei ſanctus monebat, qui vtrique ſalutem eorum quærebat, quos ſic monebat. Reſponderunt illi mala pro bonis. Quid enim ille diceret, niſi quo plenus erat? Et quid illi reſponderent, niſi quo pleni erant? Ille triticum ſeminauit, ſed ſpinas inuenit. Et ſerm.36.de Sanctis: Ioannes impietatem Regis Herodis (qui vxorem fratris inuaſerat) publica authoritate condemnans, propter iuſtitiam perdidit vitam; ſed lucratus eſt gloriam: & nos interdum pro gratia hominum, vel timore offenſionum præferimus adulationem, & vendimus veritatem; non timentes illud, quod terribiliter ſcriptum eſt: Si non annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem eius de manu tua requiram. Solent enim aliquoties Doctores Eccleſiæ, non pro negligentia peccantium ab increpatione ceſſare; ſed quia eos timent ex ipſa caſtigatione ad peiora mala prorumpere. Quando pro hac re non prædicant ſacerdotes, non poſſunt habere de taciturnitate reatum: quia ſicut viri boni interdum ex dura increpatione corriguntur, ita è contra omnes etiam ſuperbi leuiſſima admonitione ad peiora præcipitia prouocantur. Nam & in tantum prædicatores Eccleſiæ aliquoties non ex voluntate, ſed neceſſitate peccatores non arguunt, vt interdum per ſpiritale medicamentum, & charitatis artificium ſuperbos quoſque etiam indignis laudibus proſequantur: & dum erubeſcunt falſa eſſe quæ de eis dicuntur, ad emendationem vitæ, & bona opera prouocentur, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ: & qui iniqua gerit, benedicitur. Et quia vera eſt illa ſapientis veri ſententia. Sicut vera laus ornat, ita falſa caſtigat: non eſt tamen impoſſibile apud Deum, vt etiam illi qui ab humanis laudibus inuitati, bona opera exercere cœperint, Deus illis hoc in amorem & conſuetudinem vertat, ſecundum illud quod de ſapientibus, quidam dicit, bene conſueuiſſe, pudebit diſſueſcere. Et iterum, bona loquamur tranſiet ſermo in affectum. Beatus tamen Ioannes plena & perfecta libertate maluit iniuſta ſuſtinere, quam iuſta non dicere.

Io. 3 | Vt Ieſus creuerit, & Ioães ſit minutus. | Cur Ioannes ſit occiſus. | Aug. | Cur Ioannes ſit occiſus. | Corripiẽdi peccantes. | Ezech. 3. | Quando peccantes non ſunt increpãdi. | Quomodo mali aliquando recte laudentur. | Pſal. 9

Not. 3. verſ. 1.

Hier. | Qui natalitium diẽ celebrauerint.

HIER. Matt.14: Nullum alium inuenimus obſeruaſſe diem natalis ſui, niſi Herodem, & Pharaonem; vt quorum erat par impietas, eſſet & vna ſolennitas.

Eut.

Euth. Matth. 14: Moris namque Principibus erat, propria feſtiuè celebrare natalitia.

Ver. 2.

Theoph.

Theoph. Matth.14: Vide luxum, Regina ſaltat, & quanto pulcrius ſaltauit, tanto peius. Turpe enim eſt Reginæ aliquid indecorum dextrę facere. Et Mar. 6: Saltat per puellam diabolus.

Theop. | Amb.

Ambr. lib.3.de Virginibus: Debet igitur bonæ conſcientiæ mentis eſſe lætitia, non in inconditis comeſſationibus, non nuptialibus excitata ſimphonijs. Ibi enim intuta verecundia eſt, illecebra ſuſpecta eſt, vbi comes delitiarum eſt extrema ſaltatio. Ab hac virgines Dei procul eſſe deſidero. Nemo enim vt dixit quidam ſæcularium Doctor, ſaliat ſobrius, niſi qui inſanit. Quod ſi iuxta ſapientiam ſæcularem, ſaltationis aut temulentiæ author eſt, aut dementia: quid diuinarum ſcripturarum cautum putamus exemplis, cum Ioannes prænuncius Chriſti, ſaltatricis optione iugulatus, exemplo ſit, plus nocuiſſe ſaltationis illecebram, quam ſacrilegi furoris amentiam? & quoniam talis viri non ſtrictim prætereunda eſt recordatio, intereſt, vt quis, & quibus, & quam ob cauſam, quomodo, & quo tempore ſit occiſus, aduertere debeamus. Ab adulteris iuſtus occiditur, & à reis in Iudicem capitalis ſceleris pœna conuertitur. Deinde prēmium ſaltatricis, mors eſt Prophetę. Poſtremo quod etiam omnes Barbari horrere conſueuerunt, inter epulas, atque conuiuia conſumandæ crudelitatis profertur edictum. Et à conuiuio ad carcerem, de carcere ad conuiuium feralis flagitij circumfertur obſequium. Quanta in vno facinore ſunt crimina? extruitur regifico luxu ferale conuiuium, & explorato, quando maior ſolito turba conuenerit, reginæ filia intimis mandata ſecretis, in conſpectum virorum ſaltatura producitur. Quid enim potuit filia de adultera matre diſcere, niſi damnum pudoris? An quicquam eſt tam pronum ad libidines, quam inconditis motibus ea, quæ vel natura abſcondit, vel diſciplina velauit, membrorum operta nudare, ludere oculis, rotare ceruicem, comam ſpargere? Merito inde in iniuriam diuinitatis proceditur. Quid enim ibi verecundiæ poteſt eſſe, vbi ſaltatur, ſtrepitur, concrepatur? Tunc Rex, inquit, delectatus dixit puellæ, vt peteret de Rege quod vellet. Deinde iurauit, quod vel dimidium regni, ſi petijſſet, cõcederet. Vide quemadmodum ſæculares ipſi de ſæcularibus ſuis iudicent poteſtatibus, vt pro ſaltatione etiam regna donentur. Puella autem admonita à matre ſua, popoſcit afferri ſibi in diſco caput Ioannis. Quod dicit, Rex contriſtatus eſt, non pœnitentia Regis, ſed confeſſio iniquitatis eſt: quam diuinæ habet conſuetudo ſententiæ, vt qui geſſerunt impia, ipſi propria confeſſione ſe damnent; ſed propter diſcumbentes, inquit: Quid indignius, quam vt homicidium fieri iuberet, ne diſcumbentibus diſpliceret? Et propter ius, inquit, iurandum, ô religionem nouam: tolerabilius peieraſſet. Vnde non immerito Dominus in Euangelio iubet non eſſe iurandum, ne ſit cauſa periurij, ne ſit neceſſitas delinquendi. Itaque ne iuſiurandum violaretur, percutitur innocens. Quid prius horreſcam neſcio. Tolerabiliora periuria, quam ſacramenta ſunt Tyrannorum. Quis

Non ſaltandum. | Saltatio. | Vt Herodes ſit cõtriſtatus. | Tolerabilius peieraſſet.

Quis non cum è conuiuio ad carcerem curſari videret, putaret prophetam iuſſum eſſe dimitti? Quis, inquam, cum audiſſet natalem eſſe Herodis, ſolenne conuiuium, puellæ optionem eligendi quod vellet, datam, miſſum ad Ioannem ob ſolutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum delitijs? Quid cum funeribus voluptati? rapitur ad pœnam Propheta conuiuiali tempore, conuiuiali præcepto, quo non cuperet vel abſolui. perimitur gladio: caput eius affertur in diſco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo inſatiata epulis feritas veſceretur. Intuere Rex acerbiſſime tuo ſpectacula digna conuiuio. Porrige dextram, ne quid ſæuitiæ tuæ deſit, vt inter digitos tuos riui defluant ſacri cruoris. Et quoniam non exſaturari epulis fames, non reſtingui poculis potuit inauditæ ſæuitiæ ſitis, bibe ſanguinem ſcaturientibus adhuc venis execti capitis profluentem. Cerne oculos in ipſa morte ſceleris tui teſtes, auerſantes conſpectum deliciarum. Clauduntur lumina, non tam mortis neceſſitate, quam horrore luxuriæ. Os aureum illud exangue, cuius ſententiam ferre non poterat, conticeſſit, & adhuc timetur. Lingua tamen quæ ſolet etiam poſt mortem officium ſeruare viuentis, palpitante licet motu damnabat inceſtum. Portabatur hoc caput ad Herodiadem, lætatur, exultat, quaſi crimen euaſerit, quia Iudicem trucidauit. Quid dicitis vos ſanctæ fœminæ? videtis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis? ſaltet, ſed adulteræ filia. Quæ verò pudica eſt, quæ caſta eſt, filias ſuas religionem doceat, non ſaltationem. Vos autem graues & prudentes viri, diſcite deteſtabilium hominum epulas euitare. Talia ſunt conuiuia, qualia iudicia perfidorum. *Non ſaltandum.*

Not. 4.

Eut. EVTH. Matt. 14: O magnam dementiam, & daturum ſe iurauit, & petitionem in manu puellæ poſuit, & dimidium regni ſui breui ſaltatiuncula commutauit.

Theop. Theoph. Mar. 6: Fit iuſiurandum impium, & nefarium, imo ſtultum.

Chryſoſ. Chryſ. ſer. de virtutibus & vitijs: Vides quonam regnum abierit? Quidquid ipſa petieris, inquit, tradam ego tibi ad dimidium vſque regni. Miſer & infelix itane tibi mentis oculi cæcutiunt? tanti regnum facis? ſemel puella ſaltauit, & regni dimidium tradis? Quid ſi ſecundo ſaltauerit? votis exopta ne denuo ſaltet: vel ſi ſaltauerit, ne denuo placeat: ſin autem, porro vnum relinquitur, vt poſtea tibi ſit mendicandum.

Ver. 4.

Hier. Hiero. Matt: 14: Herodias timens ne Herodes aliquando reſipiſceret; vel Philippo fratri amicus fieret, atque illicitæ nuptiæ repudio ſoluerentur: monet filiam, vt in ipſo ſtatim conuiuio, caput Ioannis poſtulet: digno operi ſaltationis, dignum ſanguinis præmium.

Euth. Euth. Matth. 14: Præmonita, id eſt, edocta. Dicit ergo: Da mihi hic, id eſt, nunc in conuiuio. Marcus autem eam dixiſſe ait: Volo vt des mihi confeſtim, hoc eſt, ſtatim, repente. Nacta ſiquidem Herodias tempus opportunum, ſicut iterum ſcripſit Marcus, qui dixit: Cum dies opportunus accidiſſet, cum ad ſe ingreſſa eſſet filia interrogans, quid petitura eſſet, præcepit illi, vt ſtatim in conuiuio peteret dari ſibi caput Ioannis: metuens ne ſibi tempus illud præterlaberetur, Herodem omnino pœniteret, vbi decocto vino ad ſobrietatem rediſſet: vel etiam ne amicorum quidam deprecati Ioannem liberarent.

Amb. Ambr. lib. 5. epiſt. 33: Ioannem Baptiſtam Herodias fecit occidi.

Vict. Vict. Antioch. Mar. 6: Præmonita, id eſt, edocta, ſubornataque.

Theoph. Theoph. Matt. 14: Quare appoſuit hic? Timebat ne forte Herodes reſipiſcens, poſtea pœnitudine duceretur. Propterea vrget, dicens: Da mihi hic. Et Mar. 6: Nequam mulier dicit: Da mihi protinus, hoc eſt, ſtatim, hac hora. *Theop.*

Amb. Amb. in Pſal. 35: Nonne ea quæſiuit iniquitatem, & odium quæ coniugium deſeruit, vt inueniret adulterium? & quia ſanctus Baptiſta nuptias illicitas conſtanter increpauit, dicens Herodi: Non licet tibi eam vxorem habere, quæ maritum contra legem reliquit, & fratri mariti, quaſi ex lege conuenit: commota eſt adultera, vt eum vellet occidere. Sed cognito quod Herodem ad necem iuſti non poſſet facile inflectere, excogitauit qua via illud efficeret. Natalis erat Herodis, quem luxu nimio (vt pleriſque regibus mos eſt) celebrare conſueuerat. Adornauit filiam, vt in conuiuio regis pignus regale ſaltaret, & cum placuiſſet Herodi, quod diſplicere debuit patruo: obtulit ei, vt quod vellet præmium pro ſaltationis opprobrio poſtularet. Matrem illa conſuluit, cuius impulſu caput Baptiſtæ popoſcit, victus Herodes, quia ſacramento ſe conſtrinxerat daturum, quidquid neptis propria petiſſet, iuſſit occidi Ioannem, & caput eius afferri. Quod allatum puellæ dedit, & illa matri ſuæ pertulit. *Cur Ioannes ſit occiſus.*

Not. 5. verſ. 5.

Hiero. HIER. Matt. 14: Conſuetudinis ſcripturarum eſt, vt opinionem multorum ſic narret hiſtoricus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Ioſeph ab ipſa quoque Maria appellabatur Pater Ieſu, ita & nunc Herodes dicitur contriſtatus, quia hoc diſcumbentes putabant. Diſſimulat enim mentis ſuæ malitiam artifex homicida, cum triſtitiam in facie, & lætitiam haberet in mente. Propter iuram, ſcelus excuſat iuramento: vt ſub occaſione pietatis impius fieret. Quod autem ſubiecit; & propter eos qui pariter diſcumbebant; vult omnes ſceleris ſui eſſe conſortes: Vt in luxurioſo impuroque conuiuio cruentæ epulæ deferrentur. *Vt Herodes ſit contriſtatus.*

Vict. Vict. Antioch. Mar. 6: Seſe propter id quod occiderat

Tria Ioanni caput ademerũt.

occiderat contriſtatum aſſimulans, colligimus hinc tria, inter cætera Ioannem Baptiſtam capite mulctaſſe: nimirum adulterium, ſaltationem, & iuſiurandum. Quare ſi mentis iudicio valemus, tria hæc auerſemur vt quam maxime; ſi non propter aliud certe ne cum ijs communicemus, culpæque obnoxij euadamus, qui mortis præcurſoris authores, & cauſæ extitere.

Eut. Cur Herodes ſit cõtriſtatus.

Euth. Matth. 14: Contriſtatus eſt, tum quia magnum virum occiſurus erat, tum quia multitudinem in ſui odium concitaturus, ô muliebre mancipium: periurij teſtes habere timuiſti, iniuſtæ autem cædis tam multos habere ſpectatores non formidaſti. Te enim temere iuraſſe non oportuit; quia tamen inciteumſpectè iuraſti, melius erat peierare: è duobus namque malis, leuius eſt eligendum.

Melius peieraſſet. E duobus malis eligẽdum eſt minus

Theoph. Melius eſt peierare quam ob iuramentũ facere quid impium.

Theoph. Matth. 14: Indoluit propter virtutem. Admiratur enim virtutem & hoſtis, attamen propter iuſiurandum dat donum in humanum. Diſcamus autem hoc loco eſſe aliquando melius peierare, quam propter iuramentum, impium aliquid facere. Et Mar. 6: Inſipiens, & amore captus Herodes, iuſiurandum implet, & iuſtum propter illud occidit. Oportebat hic periurium fieri, & non tam abominabile facinus perpetrare. Non enim vbique honeſtum eſt ſeruare quod iuraris. Spiculator miles carnifex eſt, deputatus in hoc, vt occidat.

Theop. Periurium vbi licitu Spiculator

Amb. Promiſsũ non ſemper ſeruãdum.

Amb. lib. 1. offic. cap. 50: Eſt etiam contra officium nonnunquam ſoluere promiſſum, ſacramentum cuſtodire: vt Herodes, qui iurauit, quoniam quidquid petitura eſſet, daret filiæ Herodiadis, & necem Ioannis præſtitit, ne promiſſum negaret.

Fulg.

Fulg. ſer. 7: O humana dementia; vt luxurietur Herodes, necatur Ioannes. Nunquid Propheta ſuo te terruit merito, & non diuino iudicio? Res eſt extremæ dementiæ, odiſſe loquentem, nec metuere iudicantem: quaſi idcirco iam non timeas iudicem reticendum, ſi præconem poſſis necare clamantem: De quo Eſaias teſtatus eſt, dicens: Hic eſt vox clamantis in eremo; parate viam Domini, tectas facite ſemitas eius. Iam veniendum eſt ad paſſionis faſtigium. Paratum eſt conuiuiale theatrum: producitur laſciua carnifex fœmina, quæ prophetam non gladio, ſed ſaltatione proſternat. Molli puella greſſu procedit in medium, homicidium peritura, & adultero placitura: alienum in pedibus portans ſanguinem, & ſceleris poſtulatura mercedem. Sic ſaltat, vt placeat; ſic placet, vt occidat. Prô nefas, vt luxum corporis ſui mulier periculum perat capitis alieni. Quid agimus Ioannes? quem non terruit vaſta eremi ſolitudo, terrebit muliebris iſta ſaltatio? Caput tuum mulier petitura eſt. Sed melius eſt, inquit Dominus, vt vnum ex membris tuis abſcidas, quam totum corpus tuum gehennæ ignibus tradas. Et iterum: Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Ecce iam diabolo procurante ludens cœpit delectari puella, ad hoc ſolum, vt poſſit occidere Prophetam. Neſcio quid habet ſemper mul ebre nomen cum ſanctis. Et Helias, in cuius ſpiritu veniſſe Ioannem teſtatus eſt Dominus, Iezabel reginam grauem paſſus eſt inimicam, quam dum fugit, totam vitam ſuam in fuga contriuit. Cuius tantum timuit gladium, vt viuus fugiſſet in cœlum. Quocunque pacto perſequitur mulier, ſi placeat iugulat, ſi diſpliceat peius excruciat: ſed melius diſplicet cum corporis morte, ne animæ tollat, quod maius eſt, ſanitatem. Quod iam dudum dicere perhorreſco, placuit & ſaltatrix: ſed quid mirum, ſi inter dapes largas, & poculorum frequentes procellas puella laſciuiens mulceat ſenſus, inclinet affectus? vinum, & ſaltatio, duplex incendium voluptatis. Inſuper offertur, luxuria quodcunque popoſcerit præmium, ſtatim eſſe donandum, etiam ſi dimidium regni fœmina petiſſet, Salomone atteſtante, quia non eſt caput, ſuper caput ſerpentis; & non eſt malitia, ſuper malitiam mulieris. Et iterum: Commorari leoni, & draconi placebit in eremo, quam habitare cum muliere nequam. Culmine igitur regni contempto, caput Ioannis petiuit in diſco: plus odiens eum, qui interdixit inceſtum; quam diligens eum, qui promiſerat regnum. Execratur magiſtrum diſciplinæ, præſumit de mercatore luxuriæ. O nequitia fœminæ. Elegit contemnere honorem, vt lucrum faceret ſanguinem. Vere quia non cogitat de imperio, cui charior eſt turpitudo. Recens exſecti capitis ſanguis fluebat in diſco, ad pietatem prouocans bonos, terrorem malis incutiens. Hoc ſolum ſcilicet defuit regalibus menſis. Multorum credo iam capita piſcium, pecudumque præceſſerant: ſed quantum eſt ad regiam voluptatem? Potuit hoc forſitan, & priuata menſa conſpicere. Nihil actum, nihil denique procuratum eſſet, ſi defuiſſet regio prandio caput humanum. Et hoc non paſſim, aut fortè vulgare; ſed de carcere ad menſam caput allatum eſt propheta1e. Solent reges ſolennitatibus ſuis magnas, ac terrenas epulas quærere. Herodi cœpit & carcer delicias miniſtrare. Et ideo ſemper eſt Deo grata paupertas, cuius cibus non habet ſanguinem; ſed holuſculum vile manſuetam ſupplet eſuriem. Nam tribus pueris cibus, holus, & legumina fuit. Alioquin nunquam vincerent flammas, ſi vellent amare delitias. Vere quia neſcis quid agat impietas, cum eum, quem odis plus honoras, quam damnas, vtique cum argenteo diſco caput exhiberi iubes ad menſam, non eſt, vt credis, memoria crudelitatis; ſed illius iam monſtratur decus honoris. Ita enim portabitur, & ad cœlum, vt inde tibi infenſum iudicem excitet Deum.

Not. 6. verſ. 6.

Amb.

Amb. ſer. 65: Exitum vero eius Ioannis, quam beatum legimus, ſcilicet, quod pſaltria, Regis filia, poſt illam inimicam voluptatem, caput eius petierit. Quid mirum ſi pſaltria, occidit prophetam; quia luxuria ſemper eſt inimica iuſtitiæ, & quod iniquitas ſine ceſſatione, perſequitur

quitur veritatem? in quo facto grande myſterium continetur? Nam vtique ipſa pſaltria ſynagogæ eſt comparanda, quæ Chriſtum, dum luxuriatur occidit. Quod autem iſta pſaltria ſynagoga ſit, Dominus dicit ad Iudæos: Cantauimus vobis, & non ſaltaſtis. Cur autẽ à Ioannis corpore caput ablatum ſit, manifeſta res eſt. Ioannes (ſicut ſcripturis aſtruitur) typum legis gerebat: De Domino autem legimus, quia viri caput Chriſtus eſt. Ergo cum à Ioannis corpore caput eius aufertur; Chriſtus quodammodo à Iudæis legis cultoribus ſeparatur. Remanſit illis ſine Saluatore lex exanimis & truncata. Nam ex eo vtique Iudæi diuina non ſapiunt, ex quo ſine capite eſſe cœperunt.

Spiritualis expoſitio.

Luc. 16.

Hiero. Matt. 14: Ego non excuſo Herodem, quod inuitus, & nolens propter iuramentum, homicidium fecerit: qui ad hoc fortè iurauit, vt fortunæ occaſioni machinas præparet. Alioquin ſi ob iuſiurandum feciſſe ſe dicit: Si patris, ſi matris poſtulaſſet interitum, facturus fuerat, an non? Quod in ſe ergo repudiaturus fuit, contemnere debuit & in propheta. Legimus in Romana hiſtoria, Flaminium Ducem Romanum, quod accumbenti iuxta meretriculam, quæ nunquam ſe vidiſſe diceret hominem decollatum, aſſenſus ſit vt reus quidam capitalis criminis in conuiuio truncaretur; à cenſoribus pulſum curia: quod epulas ſanguini miſcuerit, & mortem quamuis noxij hominis in alterius delitias præſtiterit: vt libido & homicidium pariter miſcerentur. Quanto ſceleratior Herodes, & Herodias, ac puella, quæ ſaltauit in pretium ſanguinis, caput poſtulat prophetæ: vt habeat in poteſtate linguam, quæ illicitas nuptias arguebat. Hoc iuxta literam factum ſit. Nos autem vſque hodie cernimus in capite Ioannis Prophetæ Iudæos, Chriſtum, qui caput eſt Prophetarum perdidiſſe. Et Apologia aduerſus Rufinum: Nec magnopere glorieris, ſi facias quod ſcorpiones poſſunt facere, & cantharides. Fecerunt hæc Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem, quia veritatem non poterant audire: & linguam veriloquam, diſcriminali acu confoderunt.

Hiero. Herodes non excuſatur.

Iuramentum iteraſſe non debuit.

Flaminij factum à Romanis damnatũ.

Expoſitio ſpiritualis

Hier.

Linguã veriloquã diſcriminali acu Herodias confodit.

Greg. lib. 3. Moral. cap. 4: Ecce autem dum beati Iob vulnera, cruciatuſque conſidero: repentè mentis oculos ad Ioannem reduco, & non ſine grauiſſima admiratione perpendo, quod ille prophetiæ ſpiritu intra matris vterum impletus: atque, vt ita dixerim, priuſquam naſceretur, renatus: ille amicus ſponſi, ille quo inter natos mulierum maior nemo ſurrexit: ille ſic Propheta, vt plus eſſet quam Propheta, ab iniquis in carcerem mittitur, & pro puellæ ſaltatu capite truncatur, & vir tantæ ſeueritatis pro riſu turpium moritur. Nunquid num credimus aliquid fuiſſe, quod in eius vita, illa ſic deſpecta mors tergeret? ſed quando ille vel in cibo peccauit, qui locuſtas ſolummodo, & mel ſilueſtre edit? Quid Deo vel de qualitate ſui tegminis deliquit, qui camelorum pilis corpus operuit? Quid de conuerſatione ſua offendere potuit, qui de eremo non receſſit? Quid illum loquacitatis reatus polluit, qui diſiunctus longè ab hominibus fuit? Quando illum vel ſilentij culpa attigit, qui ad ſe venientes, tam vehementer increpauit, dicens: Genimina viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Quid eſt ergo quod Iob Dei teſtimonio præfertur, & tamen plagis vſque ad ſterquilinium ſternitur? Quid eſt quod Ioannes Dei voce laudatur, & tamen pro temulenti verbis in ſaltatricis prœmium moritur? Quid eſt quod Deus omnipotens ſic vehementer in hoc ſæculo deſpicit, quos ſic ſublimiter ante ſæcula elegit, niſi hoc quod pietati fidelium patet: quoniam idcirco ſic eos premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in ſummis; & foras vſque ad deſpecta deijcit: quia intus vſque ad incomprehenſibilia perducit? Hinc ergo vnuſquiſque colligat, quod illic ſint paſſuri, quos reprobat, ſi hic ſic cruciat, quos amat. Aut quomodo ferientur, qui in iudicio arguendi ſunt, ſi ſic eorum vita premitur, qui, ipſo iudice teſte, laudantur.

Greg. Commendatio Ioannis

Ioannes prophetiæ ſpiritu in vtero matris eſt impletus.

Ioannes priuſquam naſceretur eſt renatus

Cur Ioannem Deus tanta pati voluit.

Nõ ob leue peccatũ.

Non peccauit in cibo, in veſtitu, in conuerſatione in verbis, in ſilẽtio.

Cap. 11

Aug. in Pſal. 140: Ille qui habebat vires, non patitur perſecutionem propter Chriſtum, ne pro nomine Chriſti antecederet Chriſtum. Non occiditur à Iudæis, qui perhibebat liberum teſtimonium Chriſto, quem occiderunt Iudæi, & occiditur ab Herode, qui dicebat ei: Non tibi licet habere vxorem fratris tui. Neque enim frater eius ſine poſteritate deceſſerat: pro lege quidem veritatis, pro æquitate, pro iuſtitia: ideo ſanctus, & ideo martyr; ſed non tamen pro illo nomine, quo Chriſtiani ſumus. Quare, niſi vt impleretur ſingularis ego ſum donec tranſeam?

Aug.

Ioannes pro iuſtitia, nõ pro Chriſto eſt occiſus.

Pro Chriſto nullus ante Chriſtum occiſus.

Euth. Matt. 14: Cum miſiſſet, videlicet ſpiculatorem, aut carnificem, ſicut dixit Marcus. Clam illum occidit, ne interfectus quoque publicaret obſcœnum concubitum: & ne multitudinem haberet, factum hoc prohibentem. Deus autem id ſuſtinuit: ſimul quidem vt iuſtum amplius coronaret; ſimul etiam vt his, qui iniuſtè patiuntur, conſolationis exemplum relinqueret: & allatum eſt caput eius in lance. O fœdum ac ferale conuiuium! quomodo non vociferati ſunt qui ſimul accũbebant, conſpicientes hominis adhuc calidi caput, quod etiamnũ ſanguinem ſtillabat, ſuper menſam adductum quaſi ferculum? quomodo non exhorruerunt? Datumque eſt puellæ. Execranda merces impudentis operis: verè talis matris digna filia, quæ vbi ſemel abiecit pudorem, & in conſpectu tot virorum, ſeipſam in theatrum expoſuit, ac variè indecoros exercuit motus, crudelem ſibi parauit animum, lancemque auſa eſt contingere cæde plenam: nec ſolum contingere, verum etiam quaſi donum aliquod gratiſſimum perferens, lætiſſimè obtulit matri. Neque enim ſatis erat execrandæ matri, quod interfectus eſſet, ſed optabat quoque in manus ſumere caput, quod in ſuam inuehebatur laſciuiam ac libidinem: vt illud contumelia afficeret, ac inſectaretur conuitijs. Huiuſmodi ſunt mulieres

Eut.

Cur Ioannes clam occiſus.

Cur Ioannem Deus tanta pati voluit.

Ratio 1.

Ratio 2.

adulteræ, omnium improbiſſimæ, crudeliſſimæ, ac ſceleſtiſſimæ. Et vide quot perpetrauerit mala. Seipſam dedecore affecit, ſuumque virum Philippum, & adulterum Herodem, ac filiam. Deinde occidit quidem adulterij inſectatorem, vt adulterium committens, eos, qui tunc erant, lateret; ſed quia ipſum occidit, non ſolum illos non latuit, verum etiam poſteris publicatum eſt: ſemperque in vniuerſo mundo publicatur.

Not. 7. ver. 7.

Hier. Ioſeph. Vbi Ioannes ſit necatus. Cuius diſcipuli Ioannem ſepelierunt. HIERON. Matth. 14: Refert Ioſephus in quodam Arabiæ oppido Ioannem capite truncatum. Et quod ſequitur: Accedentes diſcipuli eius tulerunt corpus, & ipſius Ioannis, & Saluatoris diſcipulos poſſimus intelligere. *Hier. Vbi corpus Ioannis ſit ſepultum* Et epiſt. 27. in epitaphio Paulæ matris ad Euſtochium virginem: Atque inde diuertens, vidit duodecim Patriarcharum ſepulchra, & Sebaſten, id eſt, Samariam, quæ in honorem Auguſti ab Herode Græco ſermone Auguſta eſt nominata. Ibi ſibi ſunt Heliſæus, & Abdias Prophetæ, & (quo maior inter natos mulierum non *Mirabilia ſunt ad ſepulchra ſanctorũ.* fuit) Ioannes Baptiſta. Vbi multis intremuit conſternata mirabilibus: namque cernebat varijs dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulchra ſanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum. Alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere: ſuſpenſiſque pede fæminis, veſtes defluere in faciem. *Hier. Ioãnis ſepulchrum vbi ſit.* Et Abdiæ 1: Sepulchrumque eius vſque hodie cum mauſoleo Heliſæi Prophetæ, & Baptiſtæ Ioannis in Sebaſte venerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur. *Hier.* Et Michcæ 1: In Sebaſte ſancti Ioannis Baptiſtæ oſſa ſunt condita.

Theoph. Theoph. Matt. 14. Sepultum autem eſt corpus Baptiſtæ in Sebaſte Cæſarea. Venerabile autem eius caput primum in Emeſan repoſitum fuit. *Theop. Cadauer quid.* Et Mar. 6: Cadauer, id eſt, corpus. Poſtquam enim detruncatum eſt caput, corpus quod decidit, cadauer dicitur. *Expoſitio ſpiritualis.* Accipere hæc potes, & ſpiritualiter. Herodes enim dicitur populus pelliceus Iudæorum, duxit autem vxorem, vanam, & impudicam gloriam, cuius filia adhuc ſaltat, & tripudiat apud Iudæos, nempe ſcripturarum cognitio, qua ſeducuntur. Videntur enim ſibi cognoſcere ſcripturas. Veruntamen non ſic habet res. Nam Ioannem detruncarunt, hoc eſt, propheticum ſermonem: caput enim prophetiæ, Chriſtum dico, non receperunt. Etſi igitur propheticum habeant ſermonem, ſed abſque capite, hoc eſt, Chriſto, illum habent.

Vict. In beneuolentia diſcipuli Ioannis conſtãtes. Vict. Antioch. Mar. 6: Hæc exponit, quo oſtendat beneuolentiam, qua diſcipuli Ioannis magiſtrum perſequebantur, per mortem illius extinctam non fuiſſe; ſed vſque conſtantem, perſeuerantemque conſtitiſſe.

Not. 8. verſ. 8.

Hier. Quid nunciant. HIER. Matth. 14: Necem Baptiſtæ nunciant Saluatori.

Eut. Ioannis diſcipuli Chriſto beneuoli. Euth. Matth. 14: Iam erga illum beneuolentiam demonſtrantes: magis enim eos flexit calamitas.

Theoph. Theoph. Matth. 14: Quid annunciant Ieſu? non quod mortuus eſſet Ioannes? nam id fama ſtatim attulerat; ſed quod Herodes de Ieſu diceret, quod Ioannes eſſet.

Aug. Aug. lib. 2. de conſ. cap. 45: Intelligit Chriſto eſſe nuntiatum, quod Ioannes eſſet occiſus.

Ioſeph. Necis Ioannis cauſa. Vbi caput Ioannis defoſſum. Niceph. Metaph. Sur. Ioſeph. lib. 18. Antiq. cap. 5: Diuerſam prætexit cauſam necati Ioannis, ab ea, quam Euangeliſtæ referunt. De miſerabili exitu filiæ ſaltatricis, & capite Ioannis ſeorſim à corpore defoſſo per Herodiadem, vide Nicephor. lib. 1. hiſt. cap. 19. & 20. & Metaphraſt. in ſerm. de ſancto Ioanne, apud Sur. Aug. 29.

CAP. 71. *Miraculum quinque panum.*

Matt. 14.	*Mar. 6.*	*Luc. 9.*	*Ioan. 6.*
1 QVod cum audiſſet Ieſus.			
	2 ET conuenientes Apoſtoli ad Ieſum, renunciauerunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant.	2 ET reuerſi Apoſtoli, narrauerunt illi quæcunque fecerunt.	
	3 Et ait illis: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum.		
	4 Erant enim qui veniebant, & redibant multi, & nec ſpatium manducandi habebant.		

Seceſſit

Matt. 14.	*Mar. 6.*	*Luc. 9.*	*Ioan. 6.* *Dom. 4. Quad.*
5 Seceſſit inde in nauicula, in locum deſertum ſeorſum.	5 Et aſcendentes in nauim, abierunt in deſertum locum ſeorſum.	5 Et aſſumptis illis, ſeceſſit ſeorſum in locum deſertum, qui eſt Bethſaïdæ.	5 [P Oſt hæc ✠ abijt Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis.
6 Et cùm audiſſent turbæ, ſequutæ ſunt eum pedeſtres de ciuitatibus.	6 Et viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi, & pedeſtres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos.	6 Quod cum cognouiſſent turbæ, ſecutæ ſunt illum.	6 Et ſequebatur eũ multitudo magna.
			7 Quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur. 8 Subijt ergo in mõtem Ieſus: & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. 9 Erat autem proximum Paſcha, dies feſtus Iudæorum.
10 Et exiẽs vidit turbam multam, & miſertus eſt eis: & curauit lãguidos eorum.	10 Et exiens vidit turbam multam Ieſus, & miſertus eſt ſuper eos: quia erant ſicut oues non habẽtes paſtorem: & cœpit illos docere multa.	10 Et excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui cura indigebant, ſanabat.	
11 Veſpere autem facto, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicẽtes: Deſertus eſt locus, & hora iã præterijt: dimitte turbas, vt euntes in caſtella, emant ſibi eſcas.	11 Et cum iam hora multa fieret, acceſſerunt diſcipuli eius, dicẽtes: Deſertus eſt locus hic, & iam hora præterijt: dimitte illos, vt euntes in proximas villas, & vicos, emant ſibi cibos, quos manducent.	11 Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas, vt euntes in caſtella, villaſque quæ circa ſunt, diuertant, & inueniant eſcas: quia hic in loco deſerto ſumus.	
12 Ieſus autem dixit eis: Non habent neceſſe ire: date illis vos manducare.	12 Et reſpondens ait illis: Date illis vos manducare.	12 Ait autem ad illos: Vos date illis mãducare.	
			13 Cùm ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? 14 Hoc autem dicebat tentans eum. Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.
	15 Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes: & dabimus illis manducare.	15 Infra.	15 Reſpõdit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.

Matt. 14.	*Mar. 6.*	*Luc. 9.*	*Ioan. 6.*
	16 Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, & videte.		
17 Reſponderunt ei: Non habemus hic niſi quinque panes, & duos piſces.	17 Et cùm cognouiſſent, dicunt. Quinque, & duos piſces.	17 At illi dixerunt: Non ſunt nobis plus quã quinque panes, & duo piſces. 15 Niſi forte nos eamus, & emamus in omnẽ hanc turbam eſcas.	17 Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos piſces; ſed hæc quid ſunt inter tantos?
18 Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.		20 Erant autem fere viri quinque milia.	
19 Et cùm iuſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum.	19 Et præcepit illis, vt accumbere facerent omnes, ſecundum cõtubernia ſuper viride fœnum. Et diſcubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos.	19 Ait autem ad diſcipulos ſuos: Facite illos diſcumbere per conuiuia quinquagenos. Et ita fecerũt. Et diſcumbere fecerunt omnes.	19 Dixit ergo Ieſus: Facite homines diſcumbere. Erat autẽ fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri.
20 Infra.	20 Infra.	20 Supra.	20 Numero quaſi quinque milia.
21 Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, aſpiciens in cœlum, benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis panes; diſcipuli autem turbis.	1 Et acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, intuens in cœlum, benedixit, & fregit panes, & dedit diſcipulis ſuis, vt ponerẽt ante eos, & duos piſces diuiſit omnibus.	21 Acceptis autem quinque panibus, & duobus piſcibus, reſpexit in cœlum, & benedixit illis, & fregit, & diſtribuit diſcipulis ſuis, vt ponerent ante turbas.	21 Accepit ergo Ieſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.
22 Et manducauerũt omnes, & ſaturati ſunt.	22 Et manducauerũt omnes, & ſaturati ſunt.	22 Et manducauerũt omnes, & ſaturati ſunt.	
			23 Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.
24 Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.	24 Et ſuſtulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piſcibus.	24 Et ſublatum eſt quod ſuperfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.	24 Collegerũt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorũ, ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his, qui mãducauerant.
20 Manducãtium autem fuit numerus, quinque milia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis.	20 Erant autem qui mãducauerũt, quinque milia virorum.		25 Illi ergo homines cùm vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.

Not. 1.

Not. 1.

Aug. Quatuor Euangeliſtæ hoc narrant. AVGVST. lib. 4. de conſen. cap. 10: Inde tandem deſcendit Ioannes ad illos tres, cum eodem Domino in terra gradientes, vt quinque panibus quinque milia paſcantur. Idem habet (Aug.) lib. 2. de conſen. cap. 45. & 46. ac diligenter exponit quomodo, quo ordine, & qua occaſione ad miraculum de quinque panibus omnes Euangeliſtæ venerint. Sic & Euth. & alij. (Eut.)

Summa. Apoſtolos reuerſos à prædicatione, abducit in deſertum, vt quieſcant. Propè Paſcha, quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus paſcit quinque hominum milia, exceptis mulieribus, & paruulis, ſuperfluentibus duodecim cophinis fragmentorum, præmittenda fuit, vt ex huius capitis initio patet, miſſio, ante famam, & ſeceſſum; & proinde etiam ante Ioannis decollationem, quæ tantum occaſione huius famæ deſcribitur. Aliqui putant illud: quod cum audiſſet; non eſſe referendum ad
Cauſæ ſeceſſus. mortem Ioannis nuntiatum, vt habet Euth.
1 not. 5. diu enim ante mortuus fuerat, adeo vt ob ſuperiora Dominus exiſtimaretur eſſe Ioan-
2 nes reſuſcitatus; ſed quod audierit Herodem arbitratum Ieſum eſſe Ioannem reſuſcitatum: vt Matthæus interiecta nece, & ſepultura Ioannis, redeat ad id, vnde cœperat. Nam nec græci legunt relatiuum; ſed tantum ſic: Cum audiſſet Ieſus, ſcilicet, quod Herodes arbitraretur Ieſum eſſe Ioannem reſuſcitatum. Hanc enim exiſtimationem adfert Matthæus, vt cauſam ſeceſſus: tam diu enim antè narrauerat
3 miſſionem, vt reditum Apoſtolorum non commodè poſſet adferre pro cauſa, vt faciunt Marcus, & Lucas. Idem eſt ſeceſſus, cuius omnes meminerunt; & hæc omnino cohærent. Hoc
Eiuſdē ſeceſſus omnes Euangeliſtæ meminerunt. ver. 3 ordine & loco omnes iſtud narrant. Ioannes ab alijs dicta narrare non ſolet, præſertim quæ facta ſunt in Galilæa; hîc autem id fecit, vt ea occaſione diſputationem de cœleſti pane ſubijceret. Deinde propoſitum eius fuit deſcribere Paſchata. Itaque cum tertio iſto Paſchate Dominus manſerit in Galilæa, quæ Paſchali tempore ab eo geſta ſunt, deſcribit non adeo ſollicitus fuit deſcribere Paſchata, & quæ Paſchali tempore geſta ſunt, quam abdita myſteria, & maximè quæ ad diuinitatem pertinent. Ea enim Dominus fermè in ſolennitatibus, & potiſſimum Paſchalibus docuit, & propoſuit: vt primo Paſchate ſuam diuinitatem, licet occultius; & mortis ſuæ, ac reſurrectionis myſterium docuit: immo etiam baptiſmum inſtituit. Secundo Paſchate apertius Dei ſe filium eſſe, qui eadem faciat, quæ Pater; & cui honor idem debeatur, qui Patri; myſterium iudicij, & vniuerſalis reſurrectionis docuit; ſeque eum eſſe qui ſit facturus iudicium. Sic etiam in hoc tertio Paſchate ſuam diuinitatem, & myſterium Euchariſtiæ, ſuique manducandi, & bibendi neceſſitatem imponit.

Ver. 3.

Hier. Hier. Mar. 6: Et hoc propriè Marcus. Seorſum ducit quos elegit: vt inter malos viuentes, mala non intēdant: vt Loth in Sodomis, & Iob in terra Hus, & Abdias in domo Achab. Puſilla hic ſanctis requies, longus labor. Sed poſtea dicitur illis, vt requieſcant à laboribus ſuis. In arca Noe, & animalia, quæ intus erant, foris nitebantur; & quæ foris erant, intro erumpebant. Sic nimirum agitur in Eccleſia: Iudas receſſit; latro acceſſit: Quamdiu receditur à fide, nec Eccleſiæ requies eſt, ſine mœrore. Rachel plorans filios ſuos noluit conſolari. Marci propria cauſæ ſeceſſus.

Not. 2. *ver.* 1. *& ſeq.*

AVG. lib. 2. de conſ. cap. 45: Sequitur ergo Matthæus cum dixiſſet nuntiatum eſſe Chriſto quod Ioannes occiſus ſit, & ita narrationem contexit: Quod cum audiſſet, inquit, Ieſus ſeceſſit inde in nauicula in locū deſertū ſeorſum. Aug.

Hieron. Matth. 14: Audita nece Baptiſtæ ſeceſſit Chriſtus in locum deſertum. Non, vt quidam arbitrantur, timore mortis; ſed parcens inimicis ſuis ne homicidio homicidium iungerent, vel in diem Paſchæ ſuum interitum differens: in quo, propter ſacramentum, immolandus eſt agnus, & poſtes credentium ſanguine reſpergendi. Siue ideo ſeceſſit, vt nobis præberet exemplum vitandæ vltro tradentium ſe temeritatis; quia non omnes eadem conſtantia perſeuerant in tormentis, qua ſe torquendos offerunt. Ob hanc cauſam, & in alio loco præcipit: Cum vos perſecuti fuerint in iſta ciuitate, fugite in aliam. Eleganter quoque Euangeliſta non ait: Fugit in locum deſertum, ſed ſeceſſit: vt perſecutores vitauerit magis, quam timuerit. Aliter: Poſtquam à Iudæis, & Rege Iudæorum Prophetæ truncatum eſt caput, & linguam ac vocem apud eos perdidit prophetia: Ieſus tranſijt ad deſertum Eccleſiæ locum, quæ virum ante non habuerat. Poteſt & aliam ob cauſam audito Ioannis interitu ſeceſſiſſe in deſertum locum, vt credentium probaret fidem. Denique turbæ ſequutæ ſunt eum pedeſtres, non in iumentis, non in diuerſis vehiculis, ſed proprio labore pedum, vt ardorem mentis oſtenderent. Dicendum eſt tranſitoriè, quod poſtquam Dominus venerit in deſertum, ſecutæ ſunt eum turbæ plurimæ. Nam antequam veniret in ſolitudines gentium, ab vno tantum populo colebatur. Hier. cap. 61. Cur ait ſeceſſit potius quam fugit. Senſus ſpiritualis. Pedeſtres Quando multi Chriſtum ſequantur.

Vict. Antioch. Mar. 6: Venite ſeorſum, & requieſcite puſillum.) Per hoc Chriſtus Dominus Eccleſiæ Doctores, & Paſtores monet, ne externis turbis perpetuo ſe dedant; ſed priuatim ſæpe, ſecretoque agentes, animum colligant, eundemque à publicis negotijs, & occupationibus, quantum res patitur, identidem ſeuocent. Docet per hæc eadem etiam, in verbi miniſterio deſudantes, nonnunquam reſpirare, & interquieſcere, ſeſeque & corpus ſuum ſuo tempore curare, & reficere debere; maximè verò poſt miniſterium abſolutum. Vict. Eccleſiæ Doctores ſeceſſum à turbis ſæpe quærāt. Cauſæ ſeceſſus.

Poteſt & alia cauſa huius receſſus adferri, nempe diſcipulorum infirmitas. Voluit enim diſci- Auct. Cauſæ ſeceſſus.

diſcipulos ſuos ab occaſione iactantiæ,& vanæ gloriæ Dominus cuſtodire. Nam fortè libenter aliqua de ſuis miraculis audiſſent:quoniam adhuc infirmi erant.

Ver. 4.

Auct. cap. 58. Ex Mar. idem habetur cap. 58. ver. 1. ſæpius itaque hoc eis contigit vt manducandi ſpatium non haberent.

Aug. Aug. lib. 2. de conſ. cap. 45. notat ſolum Marcum id commemorate, quod ver. 3. & 4. habetur.

Ver 5.

Deſertum Bethſaidæ. Deſertum Bethſaïdæ dicebatur, non quod ab eadem parte ripæ eſſet; ſed quod interiecto mari, eſſet è regione. Ideo ſatis perceperunt, qui eum videbant abeuntem, in illud ipſum deſertum ſecedere. Itaque & eò ipſi properarunt. Nam & eo pedeſtre iter erat nonnihil circumeunti, ſiquidem Capharnaum erat in ſtagni extremo ſitum. Sunt qui putent Apoſtolos ad Dominum rediſſe Capharnaum, quod tamen certum non eſt: Imo alijs veriſimilius eſt, eos in locis Bethſaïdæ vicinis ad Dominum rediſſe.

Vbi ad Dominú Apoſtoli redierint.

Iſidor. Iſidor. lib. 1. epiſt. 233: Quod Chriſtus viros ſanguinum abominetur, nec eos duntaxat, verum etiam omnes, qui cum ipſis degunt, quod ſcilicet eorum flagitia, & ſcelera minimè vlciſcantur, in Herode oſtendit. Etenim poſt nefariam Baptiſtæ cædem, relicta regione, ſeceſſit.

Not. 3. ver. 9.

Hæc prope tertium Paſcha euenerunt. Hic teſtatur Ioannes, quando hæc facta ſint. Hoc autem Paſcha tertium numeratur, à tempore, quo Redemptor noſter Euangelij prędicationem eſt auſpicatus. Et Aug. lib. 2. de conſen. cap. 45. exiſtimat hoc continuo poſt Ioannis paſſionem eſſe factum.

Aug.

Ver. 10.

Hier. Hier. Matth. 14: In Euangelicis ſermonibus ſemper litteræ iunctus eſt ſpiritus, & quidquid primo frigere videtur aſpectu, ſi tetigeris, calet. In loco deſerto erat Dominus, ſequutæ ſunt eum turbæ, relinquentes ciuitates ſuas, hoc eſt, priſtinas conuerſationes, & varietates dogmatum. Egreſſus autem Ieſus ſignificat quod turbæ habuerint quidem eundi voluntatem, ſed vires perueniendi non habuerint: Ideo Saluator egreditur de loco ſuo, & pergit obuiam: ſicut & in alia parabola filio pœnitenti occurrerat. Viſaque turba miſeretur, & curat languores eorum: vt fides plena ſtatim proemium conſequatur.

Senſus ſpiritualis. Relinquere vrbes quid. Cur ad turbas Dominus ſit egreſſus. cap 124

Ver. 11.

Hier. Hier. Matt. 14: Omnia plena myſterij ſunt. Recedit de Iudæa; venit in deſertum locum, ſequuntur eum turbæ, relictis ciuitatibus ſuis: egreditur ad eos Ieſus: miſeretur turbis; curat languidos eorum; & hoc facit non manc, non creſcente die, non meridie, ſed veſpere, quando ſol Iuſtitiæ occubuit.

Vict. Vict. Antioch. Mar. 6: Cum iam multa hora fieret.) Cum maior iam diei pars acta eſſet, diſcipuli à Chriſto, vt turbam dimittat, petunt: allegantes tum loci ſolitudinem, tum commeatus quoque tenuitatem.

Auct. Hic peccaſſe videntur Apoſtoli, & inordinatè aliquid feciſſe: quia reprehenduntur à Domino; ſed in quo errarunt? In eo quod ſuæ prudentiæ nimis addicti erant. Debuiſſent in Domino, qui cum illis erat, magis confidere, & in neceſſitate ab eo, vt eis ſubueniret, poſtulare. Verum hoc nondum didicerant: diſcere tamen, & in eo profeciſſe, debuiſſent. Dixiſſe potius eos oportuit: Domine, tu eis tua bonitate, & potentia ſuccurre; ſicut in nuptijs vino deficiente, fecit Dei genitrix virgo, dum ait: Vinum non habent: & ſorores Lazari, dicentes: Quem amas infirmatur: ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Hæc nos docent in Domino confidere. Quando habemus Deum præſentem, in eo totam noſtram fiduciam ponere debemus: quando eſt abſens, tanquam præſentem ſuſtineamus. Debuiſſent ſe diligenter in fide exercere, & cogitare ſe Deum gloriæ præſentem habere. Non niſi humanum erat eorũ cõſilium. Dimitte.) Quaſi dicant, non eſt iam tempus cõcionis, ſed refectionis. Ad ſuam, magis quam Dei prudentiam, & prouidentiam reſpiciunt. Chriſti virtutis immemores, humana tantum ſubſidia conſiderant: nec ad diuinam potentiam animnm conuertunt. cap. n cap. 116

Not. 4. verſ. 12.

Auct. Non habent neceſſe ire.) Quaſi dicat, non eſt neceſſe hoc modo prouidere, quem vos ſuggeritis, & excogitaſtis; at ſcire deberetis alios eſſe Deo poſſibiles modos; ideoque ad eum recurrere, potius quam ad veſtrum conſilium. Facere Dominus eos ad iſtud miraculum attentos volebat, de quo nullus eorum cogitabat: vt in Deo confidere diſcerent: præſertim cum & Chriſti doctrinam audiſſent, & eius vidiſſent miracula.

Vict. Vict. Antioch. Mar. 6: Diues ille & benignus Pater, corpoream quoque menſam illis apponi iuſſit; diſcipulos tantum non eiuſmodi oratione compellans: ne de eſcis plus ſatis anxij ſitis, en ego adſum, qui magnam copiam, & affluentiam ſubminiſtrare valeo.

Greg. Greg. lib. 1. Moral. cap. 19: Filij facturi conuiuia, per domos ibant, cum prædicatores Apoſtoli in diuerſis mundi regionibus virtutum epulas audientibus, quaſi edentibus miniſtrabant. Vnde & eiſdem filijs de eſurientibus plebibus dicitur: Date illis vos manducare, id eſt, in prædicatione veſtra verbum conſolationis accipiant, &c.

Hier. Hieron. Matth. 14: Non habent neceſſe diuerſos cibos quærere, & emere ſibi ignotos panes, cum ſecum habeant cœleſtem panem. Date illis, &c.) prouocat Apoſtolos ad fractionem

panis,

panis, vt illis ſe non habere teſtantibus, magnitudo ſigni notior fiat.

Aug. Aug. lib. 2. de conſenſ. cap. 46: Sed quæritur quomodo ea quæ dixerunt, vera ſint omnia, ne narrationem alterius, narrans aliud alter excludat. Si enim Dominus ſecundum narrationem Ioannis, proſpectis turbis quæſiuit à Philippo, tentans eum, vnde illis eſcæ dari poſſent; poteſt mouere quomodo ſit verum, quod alij narrauerunt, prius dixiſſe Domino diſcipulos, vt dimitteret turbas, quo poſſent ſibi alimenta emere, de proximis locis. Quibus ille reſpondit ſecundum Matthæum: Non habent neceſſe ire; date eis vos manducare. Cui etiam Marcus, Lucaſque conſentiunt, tantum hoc prætermittentes quod ait: Non habent neceſſe ire. Intelligitur ergo poſt hæc verba Dominum inſpexiſſe multitudinem, & dixiſſe Philippo quod Ioannes commemorat, iſti autem prætermiſerunt. Deinde quod Philippus apud Ioãnem reſpondit, hoc Marcus à diſcipulis reſponſum eſſe commemorat, volens intelligi hoc ex ore cæterorum Philippum reſpondiſſe; quanquam & pluralem numerum pro ſingulari vſitatiſſimè ponere potuerũt. Quod ergo ait Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat: hoc eſt dicere, quod ait Marcus: Euntes ememus ducentis denarijs panes, & dabimus eis manducare. Quod autem commemorat idem Marcus dixiſſe Dominum: Quot panes habetis? prætermiſerunt cæteri. Quod autem Andreas apud Ioannem de quinque panibus, & duobus piſcibus ſuggeſſit; hoc cæteri, pluralem numerum pro ſingulari ponentes, ex diſcipulorum perſona retulerunt. Et Lucas quidem reſponſionem Philippi, & reſponſionem Andreę in vnam ſententiam conſtrinxit. Quod enim ait: Non ſunt nobis pluſquam quinque panes, & duo piſces, ad Andreæ retulit reſponſionem. Quod vero adiunxit: Niſi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas, videtur ad reſponſionem Philippi pertinere; niſi quod de ducentis denarijs tacuit; quanquam & in ipſius Andreæ ſententia poteſt hoc intelligi. Cum enim dixiſſet: Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces; adiunxit etiam ipſe; ſed hæc quid ſunt inter tantos? Hoc eſt dicere, niſi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas. Ex qua vniuerſa varietate verborum, rerum autem, ſententiarumque concordia, ſatis apparet, ſalubriter nos doceri, nihil quærendum in verbis, niſi loquentium voluntatem: Cui demonſtranda inuigilare debent omnes veridici narratores, cum de homine, vel de Angelo, vel de Deo aliquid narrant: horum enim voluntas verbis promi poteſt, ne de ipſa inter ſe aliquid diſcrepent.

Quid Mat. in ver. 12. ſe ei dicat.

Reſponſio Philippi, & aliorum eſt eadem.

Ver. 16 eſt ſolius Marci.

De ver. 17. & 18.

Ver. 15.

Aug. Recte hæc ſimul ex Auguſtini ſententia ordinantur.

Eut. Euthym. Matt. 14: Non dixit ego paſcam illos: hoc enim arrogantiæ videbatur; ſed diſcipulos adhortatur, vt dent illis quod edant, vt ipſis inopiam obtendentibus, iam tum ipſe neceſſitate coactus faceret quod ſuum erat. Sed Matthæus quidem, Marcus, & Lucas dicunt diſcipulos ſuggeſſiſſe Christo, de turbarum dimiſſione, quo cibaria emerent. Ioannes vero ait: Quum ſuſtuliſſet oculos Ieſus, & vidiſſet quod turba multa veniret ad ſe, ait ad Philippum: Vnde ememus panes, vt comedant hi? Hoc autem dicebat tentans eum: Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque eorum puſillum quippiam accipiat. Hæc ſane ſcripſit Ioannes. Veriſimile eſt autem primum diſcipulos ſuggeſſiſſe: deinde eum dixiſſe illis: Non neceſſe eſt illis egredi: date vos illis quod edant. Poſtmodum ſuſtuliſſe oculos, ac vidiſſe turbam aliam multam venientem; & tunc humano more tentaſſe Philippum, ſiue probaſſe an crederet ipſum poſſe omnes paſcere. Tentabat autem illum tanquam cæteris eo tempore imperfectiorem: aut etiam per hunc, ſermones ad illos dirigebat, tentans quoque & illos: Manifeſtum eſt ergo, quod ea, quæ alij dixerunt Euangeliſtæ, prætermiſit Ioannes: quæ vero illi prætermiſerunt, hæc iſte narrauit.

Apparens repugnantia.

Vt Ioãnes hic cum alijs conſentiat.

Not. 5. verſ. 16.

Aug. QVOD Marcus narrat hic Dominum dixiſſe diſcipulis, reliqui tres Euangeliſtæ omiſerunt, & ſolum deſcripſerunt reſponſum; vt obſeruauit Aug. hoc autem iniunxit illis Dominus, vt eos cognoſcere faceret omne humanum ſubſidium deficere.

Vict. Vict. Antioch. Mar. 6: Cum illi, quo Dominus tenderet, non intelligerent, animoque, propter rei difficultatem, penderent, ſciſcitatus eſt; quot panes habetis?

Amb. Amb. lib. 6. in Luc: De quinque vero panibus ſanctus Ioannes docuit me quod neſciebam, quod non docuerat ſanctus Matthæus, non docuerat ſanctus Lucas. Singulis enim diuerſa impartita eſt gratia. Docuit, inquam, me, quinque iſtos panes hordeaceos fuiſſe. Et ideo non ineptè diximus eſcam iſtam eſſe habilem corporalibus. Cur enim primo hordeaceos? quia primo lacte, deinde eſca nutriendus eſt qui accedit ad fidem. Nondum enim poteramus, & fortaſſe plerique nec adhuc poſſumus. Nam cum ſint inter nos contentiones, & diſſenſiones, nonne carnales ſumus, & ſecundum hominem ambulamus? ſuis quæque apta ſunt alimenta virtutibus: Et ideo prius hordeum, deinde triticum nobis ad alimoniam datur. Fortiori vero, ſicut Heliæ, de interioribus frumenti, panis farinaceus miniſtratur. Quem vatem non queunt contaminare, ſed paſcere peccatores.

1 Cor. 3

3 Reg. 4.

Ver. 17.

Aug. Cuiuſmodi eſſent panes, Ioannes dixit: Hordeaceos enim fuiſſe, non tacuit: quod cæteri tacuerunt, inquit Aug. lib. 2. de conſen. cap. 46.

Porro ex verbis Chriſti dicentis: Quot panes habetis? ite, & videte. Et ex reſponſo diſcipulorum: Non habemus hic niſi quinque panes, & duos piſces. Item: Non ſunt nobis pluſquam quinque panes, & duo piſces; videtur quod iſti panes fuerint Apoſtolorum. Ecce, quantum pro collegio toto Apoſtolico habuerint.

Hi panes, & piſces erant Apoſtolorum.

Ver. 18.

Hier. Hiero. Matt. 14: Audi Marcion, audi Manichæe, quinque panes, & duos piſciculos, ad ſe adferri iubet Ieſus; vt eos ſanctificet, atque multiplicet.

Eut. Liberalitas in egenos. Euth. Matt. 14: Iuſſit quidem panes, ac piſces afferri, docens quod etiam illa pauca oporteat præbere indigentibus, eoſque ſibi ipſis præponere. Illi vero quanquam ſimiliter fame cruciati, nihil aliud haberent, ſine vlla tamen contradictione obediunt.

Not. 6. verſ. 19.

Aug. AVG. lib. 2. de conſen. cap. 46: Sane prætermittere non oportet, hoc loco intentum, & ad cætera, quæ talia forte occurrerint, facere lectorem: quia Lucas dixit quinquagenos iuſſos eſſe diſcumbere; Marcus vero & quinquagenos & centenos. Quod hic ideo non mouet: quia vnus partem dicit, alter totum. Qui enim etiam de centenis retulit, hoc retulit, quod ille prætermiſit. Nihil itaque contrarium eſt. Verum tamen ſi alius de quinquagenis tantum commemoraret; alius tantum de centenis, valde videretur eſſe contrarium: nec facile dignoſceretur vtrumque dictum eſſe, vnum autem ab altero, alterum ab altero eſſe commemoratum: & tamen attentius conſideratum inueniri debuiſſe, quis non fateatur? hoc ideo dixi, quia exiſtunt ſæpe aliqua eiuſmodi, quæ parum intendentibus, & temere iudicantibus, contraria videantur, & non ſint. Eadem habet cap. 66. & 79. Aug.

Hier. Hiero. Matt. 14: Iuxta literam manifeſtus eſt ſenſus; ſpiritualis interpretationis ſacramenta pandamus. Diſcumbere iubentur ſuper fœnum; & ſecundum alium Euangeliſtam, ſupra terram, per quinquagenos, ac centenos; vt poſtquam calcauerint carnem ſuam, & omnes flores illius, & ſeculi voluptates, quaſi arens fœnum ſibi ſubiecerint, tunc per quinquagenarij numeri pœnitentiam, ad perfectam centeſimi numeri culmen aſcendant.

Euth. Eut. Ioan. 6: Turbati non ſunt diſcipuli; ſed protinus cognito quod miraculum operaturus eſſet, abſque vlla hæſitantia obediuerunt.

Greg. Ciuitas vnde dicatur. Cur Eccleſiæ dicantur. Greg. lib. 16. Moral. cap. 25: Quia ciuitates à conuiuentibus populis appellantur, non immerito ciuitatum nomine variæ ſunt fidei Eccleſiæ deſignatæ, quæ in ſingulis mundi partibus poſita, vnam Catholicam faciunt, in qua fideles omnes de Deo recta ſentientes concorditer viuunt. Greg. Et cap. 26: Hanc itaque in Euangelio Dominus conuiuantium populorum etiam per locorum diſtinctionem concordiam deſignauit: cum ſatiaturus de quinque panibus populum, quinquagenos per turmas, vel centenos diſcumbere præcepit, vt videlicet turba fidelium eſcam ſuam, & locis diſiuncta, & moribus coniuncta perciperet. Iubilæi quippe requies quinquagenarij numeri myſterio continetur, & quinquagenarius bis ducitur, vt ad centenarium perducatur. Quia ergo prius à malo quieſcitur opere, vt poſt anima plenius quieſcat in cogitatione, alij quinquageni, alij autem centeni diſcumbunt, quoniam ſunt nonnulli qui iam à prauis actibus habent requiem operis, & ſunt nonnulli qui à peruerſis cogitationibus habent iam requiem mentis. Turmæ. Quinquageni, & centeni.

Ver. 20.

Fuiſſe ibi etiam præter quinque millia virorum mulieres, & paruulos ſolus dicit Matthæus, inquit Aug. lib. 2. de conſ. cap. 46. Aug.

Not. 7. verſ. 21.

HIERO. Matt. 14: Aſpicit in cælum, vt illuc oculos dirigendos doceat. Frangente Domino, ſeminarium fit ciborum. Si enim fuiſſent integri, & non in fruſta diſcerpti, nec diuiſi in multiplicem ſegetem; turbas, & pueros, & fœminas, & tantam multitudinem alere non poterant. Frangitur ergo lex, cum prophetis, & in fruſta diſcerpitur, & eius in medium myſteria proferuntur, vt quod integrum, & permanens in ſtatu priſtino non alebat, diuiſum in partes, alat gentium multitudinem. Turbæ à Domino per Apoſtolos alimenta ſuſcipiunt. Hier. Cur in cælum Dominus aſpiciat. Ratio 1. Panes cur frangantur. Turbæ à Domino per Apoſtolos aliuntur.

Vict. Antioch. Mar. 6: Merito nunc in cælum ſuſpicit, & gratias agit: nempe quo facto hoc omnibus planum fiat, ſe id totum, quod fiebat cæleſti patri aſcribere. Vict. Cur in cælum Dominus aſpiciat. Ratio 2.

Euth. Matth. 14: Suſpexit in cælum, Patrem honorans, ac oſtendens Deo ſe non eſſe contrarium. Præterea docens non prius menſam eſſe attingendam, donec Deo gratias agamus, qui nobis alimentum ſuppeditauit, eiuſque benedictionem cælitus trahamus. Interdum ergo quaſi Deus propria authoritate miraculum operatur: quandoque vero deprecatur ob prædictas cauſas ne malos offendat. Eut. Cur in cælum aſpiciat. Ratio 3. Ratio 4. Ratio 5.

Vict. Antioch. Mar. 6: Quandoquidem Deus Opt. Max. Manna Iſraelitas, per deſertum pauerat: ipſique obijcere quandoque auſi fuerant: Nunquid & panem dare poterit? &c. Ne ea in re Patre inferior videatur, panes hic in deſerto multiplicat. Interim ne Iudæis, qui varias calumniandi occaſiones aduerſus illum venabantur, iuſtam aliquam cauillandi anſam offerat; quaſi Deo ſeſe exæquet, aut eidem quoque ſe præferat; prius ad cælum ſpectat, quam panes multiplicet, totumque, quod fiebat, & futurum erat, cæleſti Patri tribuit. Vict. Cur panes in deſerto Chriſtus multiplicet. Pſal. 77. Cur in cælum Dominus aſpiciat.

Aug. tract. 24. in Ioan: Fracti ſunt panes, poſiti ante diſcumbentes, non iam quinque panes, ſed quod adiecerat qui creauerat quod auctum erat. Breuiter vt curramus, quinque panes intelliguntur quinque libri Moyſi, merito non tritici, Aug. Panes aucti creatione. Senſus ſpiritualis. Quinque panes.

Hordeacei

tici, ſed hordeacei; quia ad vetus teſtamentum pertinent. Noſtis autem hordeum ita creatum, vt ad medullam eius vix perueniatur. Veſtitur

Hordei natura.

enim eadem medulla tegmine paleæ, & ipſa palea tenax, & inhærens, vt cum labore exuatur. Talis eſt litera veteris teſtamenti, veſtita tegminibus carnalium ſacramentorum: ſed ſi ad eius medullam perueniatur, paſcit, & ſatiat; ferebat ergo puer quidam quinque panes, & duos

Puer.

piſces. Si quæramus quis fuerit puer iſte, fortè populus Iſrael erat, ſenſu puerili portabat, nec

Duo piſces.

manducabat. Illa enim quæ portabat, clauſa onerabant, aperta paſcebant. Duo autem piſces videntur nobis ſignificare duas illas in veteri teſtamento ſublimes perſonas, quæ vngebantur ad populum ſanctificandum, & regendum, ſacerdotes, & reges, & ipſe venit in myſterio aliquando, qui per illas ſignificabatur: venit aliquando, qui per medullam hordei oſtendebatur, per paleam vero hordei occultabatur:. venit ipſe vnus vtramque perſonam in ſe portans, ſacerdotis & regis. Sacerdotis per victimam quam ſeipſum obtulit pro nobis Deo. Regis, quia regimur ab eo: & aperiuntur, quæ clauſa portabantur. Gratias illi, impleuit per ſe quod per vetus teſtamentum promittebatur. Et fran-

Panes aucti ſunt frangẽdo.

gi iuſſit panes: Frangendo multiplicati ſunt. Nihil verius. Quinque enim libri Moyſi, quam multos libros, cum exponuntur, tanquam frangendo, id eſt, diſſerendo, fecerunt? ſed quia in illo hordeo ignorantia primi populi tegebatur,

1 Cor. 3.

de quo primo populo dictum eſt, quamdiu legitur Moyſes, velamen ſupra corda eorum poſitum eſt: nondum enim ablatum erat velamen, quia nondum venerat Chriſtus: nondum velum templi fuerat, illo in cruce pendente, conſciſſum: Quia ergo ignorantia populi erat in rege, propterea illa Domini tentatio ignorantiam diſcipuli demonſtrabat. Nihil igitur vacat, omnia innuunt, ſed intellectorem requirunt. Nam & iſte numerus paſti populi populum ſignifica-

Quinque millia.

bat ſub lege conſtitutum. Cur enim quinque millia erant, niſi quia ſub lege erant, quia lex quinque libris Moyſi explicatur? vnde & quin-

cap. 5.

que illis porticibus languidi prodebantur, non ſanabantur. Ille autem ibi curauit languidum, qui & hic turbas de quinque panibus pauit.

Super fœnum diſcũbebant.

Nam & ſuper fœnum diſcumbebant, carnaliter ergo ſapiebant, & in carnalibus quieſcebãt.

Eſa. 40

Omnis enim caro fœnum. Quæ ſunt autem illa

Fragmenta ſuperflua.

fragmenta, niſi quæ populus non potuit manducare? Intelligantur ergo quædam ſecretiora intelligentiæ, quæ multitudo non poteſt capere. Quid ergo reſtat, niſi vt ſecretiora intelligentiæ, quæ non poteſt capere multitudo, illis credantur, qui idonei ſunt, & alios docere, ſicut

Cophini 12

erant Apoſtoli? Vnde duodecim cophini impleti ſunt. Factum eſt hoc & mirabiliter, quia magnum: factum eſt & vtiliter, quia ſpiritaliter factum eſt. Qui tunc viderunt, admirati ſunt, nos autem non miramur, cum audimus. Factum eſt enim vt illi viderent, ſcriptum eſt autem vt nos audiremus. Quod in illis oculi valuerunt, hoc in nobis fides.

Aug.

Quomodo & in quorum manibus facta ſit hæc multiplicatio.

Hi panes, & piſces diuina ſunt virtute multiplicati: ſiue adiacente aëris materia in ſubſtantiam panis, & piſcis conuerſa; ſiue omnipotentia Dei ad panis fractionem nouis partibus ſubſtantiæ creatis. Hæc autem multiplicatio, facta eſt primo in Chriſti manibus, vt dicit Auguſt. 2. etiam in manibus Apoſtolorum, vt Chryſoſt. ait, & Euth. & Ambroſ. 3. quoque in manibus diſcumbentium, teſte Hilar. & Ambroſ. vna tamen virtute Chriſti operante. Facta eſt omnis hæc multiplicatio, tum vt tantæ multitudini opoortuna miniſtratio fieret, tum vt virtutem diuinam ſinguli cognoſcerent; & non cibis pretio conquiſitis, ſed diuina potentia multiplicatis cibatos ſe eſſe experirentur.

Cur in omnium manibus facta ſit multiplicatio.

Chryſoſt. Panes in manibus Apoſtolorum augebantur. Super ſunt fragmẽta, non panes integri.

Chryſoſt. hom. 50. in Matt: Quinque illi panes in diſcipulorum manibus multiplicabantur, ac fontis in morem ſcaturiebant, adeo vt non ſuffecerint ſolum, verum etiam ſuperabundauerint. Non integri quidem panes, ſed fragmenta, vt oſtenderent illorum panum has reliquias eſſe, vtque ad omnes quod factum eſſet, peruenire facilius poſſet. Propterea & eſuriſſe turbas permiſit, ne quiſpiam phantaſma id fuiſſe opinaretur.

Cur Dominus eſurire turbas ſit paſſus.

Euth.

Euth. Matth. 14: Ab accubitu quidem ſuper granum, animi modeſtiam eos docet: ab eo quod nihil præter panes, & piſces præberet, tẽperantiam: ab eo vero quod omnibus pari modo, diſtribueret, æquitatem: Quinque panes quos fregerat, dedit; horum autem fragmenta in manibus diſcipulorum nouo miraculo multiplicabat. Neque enim ſolum fuerunt ſatis, donec ſatiaretur populus, ſed & diffundebantur donec ſupereſſet: ſupereſſet, inquam, ad duodecim plenos cophinos: vt etiam duodecim Apoſtoli ſuos perferrent cophinos: & ſicut manus, ita & humores haberent miniſtros, ac teſtes huiuſmodi miraculi. Marcus vero dixit, quod duos quoque piſces diuiſit eis, & quod etiam ab illis ſuſtulerunt quæ ſuperfuerant.

Panes in manibus Apoſtolorum augẽtur.

Cophini 12

Quid Marco propriũ

Hilar.

Hilar. lib. 3. de Trinitate: Sed & de quinque panibus non diſſimilis facti admiratio eſt, incrementis eorum quinque millium virorum, & innumerabilium mulierum, ac puerorum fames vincitur; fugit oculos ſenſus noſtri operis intelligentia. Quinque panes offeruntur, & franguntur, ſubrepunt in frangẽtium manibus quædam fragmentorum procreationes, non imminuitur vnde præfringitur, & tamen ſemper præfringentis manum fragmenta occupãt: fallunt momenta viſum, dum plenam fragmentis manum ſequeris, alteram ſine damno portionis ſuæ contueris, inter hæc fragmentorum cumulus augetur, præfringentes in miniſterio ſunt, edentes in negotio ſunt, eſurientes ſaturi ſunt, duodecim cophinos replent reliquię. Non ſenſus, non viſus profectum tam inconſpicabilis operationis aſſequitur, eſt quod non erat, videtur quod non intelligitur, ſolum ſupereſt vt Deus omnia poſſe credatur. Non habent itaque diuina adulationem, nec ſubeſt Deo ad placendum, fallendumque ſimulatio. Hæc filij Dei opera non de iactantiæ ſtudio ſunt profecta, ne-

In frangentium manibus fragmenta procreantur.

que

que enim ille cui innumerabilium milium milia Angelorum ſeruiunt, educatus eſt homini: Quid enim eorum quæ noſtra ſunt indigebat, per quem ſunt vniuerſa quæ noſtra ſunt? An honorem à nobis expoſtulabat? nunc à ſomno ſtupidis, nunc de luxu noctium vigilatarum feſſis, nunc poſt rixas, & cædes dierum male conſcijs, nunc poſt conuiuia ebrijs, quem Archangeli, & Dominatus, Principatus, & Poteſtates, ſine ſomno, ſine occupatione, ſine crimine, æternis & indefeſſis in cælis vocibus laudant: & laudant, quia ipſe inuiſibilis Dei imago omnes in ſe creauerit, ſæcula fecerit, cælum formauerit, aſtra diſtinxerit, terram fundauerit, abyſſos demerſerit, ipſe deinceps homo natus ſit, mortem vicerit, portas inferni fregerit, cohęredem ſibi plebem acquiſiuerit, carnem in ęternitatis gloriam ex corruptione tranſtulerit? Nihil ergo iſte eguit à nobis, vt hæc eum apud nos inenarrabilia, & intelligibilia opera, tanquam laudis egentem ornarent, ſed præuidens Deus nequitiæ, & ſtultitiæ humanæ errorem, & ſciens eouſque infidelitatem prorupturam eſſe, vt ſibi de Dei rebus iudicium præſumeret, audaciam noſtram earum, de quibus ambigeretur, rerum vicit exemplis.

Amb. Ambroſ. lib. 6. in Luc: Iam illud diuinum; quemadmodum quinque panes quinque milibus populi redundauerint. Non enim exiguo, ſed multiplicato cibo populum liquet eſſe ſatiatum. Videres incomprehenſibili quodam rigatu inter diuidentium manus, quas non fregerant fructificare particulas, & intacta frangentium digitis ſponte ſua fragmenta ſubrepere. Qui hæc legit, quemadmodum iuges aquarum miretur meatus, & liquidis fontibns ſtupeat continuos fluere ſucceſſus, quando etiam panis exundat, & naturæ ſolidioris rigatus exuberat? Hæc igitur facta ſunt, vt illa quoque quæ non cernimus, cerneremus. His euidenter illorum quoque ſe deſignauit authorem, & totius naturæ creatorem materialis exiſtere, quæ non (vt Philoſophi volunt) reperta, ſed facta, gignendis omnibus rebus ſucceſſus defluos ſubminiſtrat. Hoc quidem mirum, quidquid de fluminibus haurias, ſigno diſpendij non mutari, quidquid de fontibus auferas, vſurario quodam reparari meatu. Sed & fluminibus ſi nihil decederet, nihil videtur accedere, & fontibus vt cumulata fluenta cernuntur, ita dum minuuntur fluenta produntur. At vero hic panis quem frangit Ieſus, myſticè quidem Dei verbum eſt, & ſermo de Chriſto: qui cum diuiditur augetur; de paucis enim ſermonibus, omnibus populis redundantem alimoniã miniſtrauit. Dedit ſermones nobis velut panes, qui cum in noſtro libantur ore geminantur. Viſibiliter quoque panis iſte, incredibili ratione dum frangitur, dum diuiditur, dum editur, ſine vlla diſpendij comprehenſione cumulatur. Nec dubites vel quod in manibus miniſtrantium, vel in ore edentium cibus creſcat, quando vbique noſtri operis teſtimonium ad firmamentum credulitatis adſciſcitur, nam & cibus edentium in ore creſcebat.

In manibus diui dentium particulæ augentur.

Not. 8. verſ. 23.

Eut. Evth. Ioan. 6: Iuſſit autem colligi, quæ ſuperfuerant, non oſtentationis gratia, ſed ne phantaſia appareret quod factum erat. Ex ſubiecta autem materia, & panes multiplicauit, & piſces: non quod materia indigeret, ſicut neque poſt reſurrectionem opus illi fuit materia, ſed vt ora Marcioniſtarum obſtrueret, qui creaturam calumniantur delirantes, aſſerendo non eſſe à Deo factam.

Ver. 24.

Vict. Auth. Mar. 6: Tantam reliquiarum copiam fieri voluit, vt duodecim ſportæ inde implerentur, quas ſingulas quoque, quo miraculum euidentius euaderet, eorumque, qui interfuerant, ſenſibus tenacius infixum hæreret, in humeros tolli, & aſportari mandauit. Nam hoc quoque perfecto, obſeruatoque, diſcipuli, ob inſignem rei nouitatem; de re admirabiliter patrata, dubij adhuc hærebant, vt præſens Euangeliſta diſertis verbis paulo poſt indicat, ait namque: Non enim intellexerant de panibus; erat enim cor eorum obcæcatum. Quin alia quoque de cauſa tantam reliquiarum vim facere viſum fuit; nimirum quo publicè hinc conſtaret, tantam rerum abundantiam magis proueniſſe, ad oſtendendam facientis virtutem, quam ad explendam præſentem populi neceſſitatem. Moyſes quondam manna Iſraelitis ſuppeditabat, verum id tantum ad neceſſarium vitæ vſum: ſiquidem quod plus eo colligebatur, hoc ſtatim in putredinem vertebatur. Quare etiam vbi primum terræ Palæſtinæ fructus apprehenderunt, manna ilico deſcendere deſijt. Sic Elias quoque viduæ farinam, & oleum multiplicauit; verum tantiſper hoc ſolum, dum pluuiæ terram irrigaturæ deſcenderent: vbi enim hæ deſcendere cœpere, ſtatim quoque farinæ multiplicatio ceſſauit. Quo ergo diſcrimen inter hos, & illum appareat, magnam reſiduorum copiam reliquam fecit; ita vt illi etiam, qui ſaturati fuerant, reliquiarum vim admirarentur. Opus ergo, quod factum eſt, & admirabile eſt, & virtutis opificis manifeſtus iudex eſt. Admirabile nihilominus alicui videri queat, cur Dominus ad ſubminiſtrandam alimentorum copiam, ea poteſtate non ſemper vtatur. At non eſt id mirum: ſiquidem ſignum non temere, ſed publicæ vtilitatis cauſa fieri debet: nempe quo facientis virtus per illud manifeſtetur, & catholica rurſum fides, per illud ipſum ſtatuatur, & nutriatur. At vero vbi nulla neceſſitas vrget, nec rurſum vlla publica vtilitas impellit, ibi per media vſitata, humanæque naturæ conuenientia nitendum eſt. Quin illis quoque benignè per hoc miraculum factum eſt, qui operam ſuam ad illud in medium contulerant: nam quod Domino in communem vſum impenderant, hoc ſumma liberalitate, & beneficentia compenſatum accipiunt. Inſinuatum eſt hic denique, alimenta ab ijs percipere, quos in fide erudimus, nefas non eſſe.

Exod. 16 *Ioſue 5.* *3. Reg. 17.* *Signa duplici de cauſa eduntur.* *Apoſtoli multiplicatum recipiunt, quod in turbas cõtulerant.*

Ver. 25.

Ver. 25.

Eut. Euth. Ioann. 6: O manifeſtam guloſitatem: quum innumera prius vidiſſent, quæ hoc erant mirabiliora, nihil tale confeſſi ſunt: quum autem impleti ſunt, tunc hunc eſſe prophetam dixerunt, qui ex Moyſis promiſſione ab eis expectabatur.

CAP. 72. IESVS *fugit regnum: ſuper mare cum Petro ambulat: multos ſanat.*

Matt. 14. *In octaua SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli.*	*Mar. 6.*	*Luc.*	*Ioan. 6.*
1 ET ſtatim + compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam; & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.	1 ET ſtatim coëgit diſcipulos ſuos aſcendere nauim, vt præcederent eum trans fretum ad Bethſaïdam, dum ipſe dimitteret populum.		
			2 IESVS ergo cum cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem.
3 Et dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare.	3 Et cùm dimiſiſſet eos, abijt in montem orare.		3 Fugit iterum in montem ipſe ſolus. +
	Sabbato poſt cineres.		4 Vt autem ſerò factum eſt, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare. Et cum aſcendiſſent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum.
5 Veſpere autem facto, ſolus erat ibi: nauicula autem in medio mari, iactabatur fluctibus: Erat enim contrarius ventus.	5 ET + cùm ſerò eſſet, erat nauis in medio mari, & ipſe ſolus in terra. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis.)		5 Et tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Ieſus. Mare autem, vẽto magno flante, exurgebat.
6 Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos, ambulans ſuper mare. Et videntes eum ſuper mare ambulantẽ, turbati ſunt, dicentes: Quia phantaſma eſt. Et præ timore clamauerunt.	6 Et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare, & volebat præterire eos. At illi vt viderunt eum ambulantem ſupra mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt: omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt.		6 Cùm remigaſſent ergo quaſi ſtadia vigintiquinque, aut triginta, vident Ieſum ambulantem ſupra mare, & proximum naui fieri, & timuerunt.
7 Statimque Ieſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam; ego ſum, nolite timere.	7 Et ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis: Confidite, ego ſum, nolite timere.		7 Ille autem dicit eis: Ego ſum, nolite timere.
8 Reſpondẽs autem Petrus, dixit: Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas. At ipſe ait: Veni.			
9 Et deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad Ieſum.			
10 Videns verò ventum validum, timuit: & cùm			

cœpiſſet

Matt. 14.	*Mar. 6.*	*Luc.*	*Ioan. 6.*
cœpiſſet mergi, clamauit, dicens: Domine, ſaluum me fac.			
11 Et continuò Ieſus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti?	**		
			12 Voluerunt ergo accipere eum in nauim.
13 Et cùm aſcendiſſent in nauiculam, ceſſauit ventus.	13 Et aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus.		
			14 Et ſtatim nauis fuit ad terram, in quam ibant.
	15 Et plus magis intra ſe ſtupebant: non enim intellexerunt de panibus. Erat enim cor eorum obcæcatum.		
16 Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Verè filius Dei es. ✠			
17 Et cùm transfretaſſent, venerunt in terram Geneſar.	17 Et cùm transfretaſſent, venerunt in terram Geneſareth.		
	18 Et applicuerũt: cumq́ue egreſſi eſſent de naui.		
19 Et cum cognouiſſent eum viri loci illius, miſerunt in vniuerſam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes: & rogabant eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent.	19 Continuò cognouerunt eum, & percurrentes vniuerſam regionem illam, cœperunt in grabbatis eos, qui ſe malè habebant, circunferre, vbi audiebant eum eſſe: & quocunque introibat in vicos, vel in villas, aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent.		
20 Et quicunque tetigerunt, ſalui facti ſunt.]	20 Et quotquot tangebant eum, ſalui fiebant. ✠]		

Not. 1.

COGNITO IESVS quod vellent eum facere regem, fugit ſolus in montem: ambulat ſupra mare: atque etiam, eo iubente, Petrus.

Aug. Aug. lib. 2. de conſenſ. cap. 47: Sequitur Matthæus, & dicit: Et demiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi; & cætera vſque ad illud vbi ait: Venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Verè filius Dei es. Marcus quoque hoc idem poſt narratum de quinque panibus miraculum ita ſequitur: Et cùm ſerò eſſet, erat nauis in medio mari; & cætera ſimiliter, niſi quod de Petro ſuper aquas ambulante nihil dixit. Hoc autem ne moueat, præcauendum eſt, quod Marcus dixit de Domino cum ambularet ſuper aquas, & volebat præterire eos quomodo enim hoc intelligere potuerunt, niſi quia in diuerſum ibat, eos volens tanquam alienos præterire, à quibus ita non agnoſcebatur, vt phantaſma putaretur. Quod ad myſticam ſignificationem referri, quis vſque adeo tardus eſt vt nolit aduertere? ſed tamen turbatis, & exclamantibus ſubuenit, dicens: Confidite, ego ſum, nolite timere. Quomodo ergo eos volebat præterire, quos pauentes ita confirmat, niſi quia illa voluntas prætereundi ad eliciendum illum clamorem valebat, cui ſubueniri oportebat? Ioannes etiam adhuc cum iſtis aliquantum immoratur. Nam poſt narratum de quinque panibus miraculum, ipſe quoque hoc de laborante nauicula, & de ambulatione Domini ſuper aquas non tacet, ita contexens. Ieſus ergo cum cognouiſſet quia venturi eſſent vt raperent eum, & facerent eum regem; & cætera. Nihil hic contrarium videri poteſt, niſi quod Matthæus dimiſſis turbis eum dicit aſcendiſſe in montem, vt illic ſolus oraret. Ioannes autem in montem fugiſſe, cùm eaſdem turbas de quinque panibus pauit. Sed cum & ipſe Ioannes dicat poſt illud miraculum fugiſſe eum in montem, ne à turbis teneretur, quæ eum volebant regem facere: vtique manifeſtum eſt quod de monte in planiora deſcenderant quando

quando illi panes turbis miniſtrati ſunt. Et ideo non eſt contrarium quod aſcendit rurſus in montem, ſicut & Matthæus, & Ioannes dicunt: niſi quod Matthæus dicit,& aſcēdit.Ioannes autem, fugit: quod eſſet contrarium ſi fugiens non aſcenderet.Nec illud repugnat quod Matthæus dixit, aſcendit in montem ſolus orare: Ioannes autem, cum cognouiſſet, inquit, quia venturi eſſent vt facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. Neque enim cauſę orandi contraria eſt cauſa fugiendi:quandoquidem & hic Dominus transfigurans in ſe corpus humilitatis noſtræ, vt conforme faceret corpori gloriæ ſuæ, per id quoque docebat hanc eſſe nobis magnam cauſam orandi, quando eſt cauſa fugiendi,nec illud aduerſum eſt quod Matthæus prius eum dixit iuſſiſſe diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas, ac deinde dimiſſis turbis aſcendiſſe in montem ſolum orare: Ioannes vero prius eum fugiſſe commemorat ſolum in montem: ac deinde, vt autem ſero factum eſt, inquit, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare, & cum aſcendiſſent nauem; & cætera. Quis enim non videat hoc recapitulando Ioannem poſtea dixiſſe factum à diſcipulis, quod iam Ieſus iuſſerat antequam fugiſſet in montem, ſicut ſolet in ſermone ad aliquid prætermiſſum redire quodammodo, ſed quia ipſe reditus maxime in breuitate, ac puncto temporis factus non commemoratur, putant plerumque qui audiunt, hoc etiam poſtea factum eſſe, quod poſtea dicitur. Sic etiam quos dixerat aſcendiſſe nauem, & veniſſe trans mare in Capharnaum, dicit ad eos in mari laborantes veniſſe Dominum ambulantem ſuper aquas, quod vtique prius in ipſa nauigatione factum eſt qua veniebant Capharnaum. Lucas autem poſt narratum de quinque panibus miraculum, pergit in aliud,& ab ordine iſto digreditur.Neque enim aliquid de nauicula illa commemorat,& de via Domini ſuper aquas. Sed cum dixiſſet, & mãducauerũt omnes,& ſaturati ſunt, & ſublatum eſt quod ſuperfuit illis fragmentorum cophini duodecim. Deinde ſubiunxit: Et factum eſt cum ſolus eſſet orans,erant cum illo & diſcipuli, & interrogauit illos,dicens: Quem me dicunt eſſe turbæ? Iam deinceps aliud narrans, non quod illi tres, qui Dominum ambulantem ſuper aquas veniſſe ad nauigantes diſcipulos retulerunt. Nec ideo putari debet in illo monte, quo eum dixit Matthæus aſcendiſſe, vt ſolus oraret, dixiſſe diſcipulis: Quem me dicunt turbæ? Lucas enim videtur in hoc congruere Matthæo, quia dixit, cum ſolus eſſet orans: cum ille dixiſſet,aſcendit in montem ſolus orare; ſed omnino alibi,cum ſolus oraret,& eſſent cum illo diſcipuli,hoc interrogauit.Solum quippe Lucas fuiſſe dixit,non ſine diſcipulis,ſicut Mattheus,& Ioannes,quando ab illo diſceſſerunt:vt præcederent eum trãs mare. Iſte namque apertiſſimè adiunxit, erant cum illo,& diſcipuli. Proinde ſolum dixit, ſine turbis, quæ cum illo non habitabant. Et cap. 48: Sequitur Matthæus,dicens: Et cum trãsfretaſſent, venerunt in terram Geneſar, &c. Hæc & Marcus commemorãt ſine aliqua repugnantiæ quęſtione. Quidquid enim diuerſo modo ab alio dicitur, ab eadem ſententia non recedit. Ioannes autem ab illa nauicula ad quam Dominus ſuper mare ambulans venit, poſteaquam exierunt in terram, more ſuo in ſermone Domini intentus, cum ex occaſione panis, multa præcipueque diuina locutum eſſe commemorat: poſtque ipſum ſermonem rurſus in aliud atque aliud eius narratio ſublimiter fertur. Nec tamen in eo quod ab iſtis digreditur, aliquid ordini iſtorum, illius in alia tranſitus aduerſatur. Quid enim prohibet intelligere, & illos eſſe ſanatos à Domino,de quibus narrant Matthæus, & Marcus,& illis qui eum ſecuti ſunt trans mare, hæc eum locutum eſſe, quæ prædicat Ioannes? Quandoquidem Capernaum quo dicuntur ſecundum Ioannem transfretaſſe, iuxta ſtagnum eſt Geneſar, ad quam terram ſecundum Matthæum dicuntur exiſſe:

Quod hic à Matthæo dicitur, nô habet Lucas. cap 11 Solus, diſcipulos aliquando excludit, aliquando non.

Aug

Not. 2. verſ. 2.

Aug. Cur ſolus in monte.

AVG. lib. 4. de conſen. cap. 10: Ioannes ſolus commemorat, quod,cum vellēt eum regem facere, ſolus fugit in montem. Qua in re nihil mihi aliud videtur animam rationalem commonere voluiſſe,niſi eo ſe noſtræ menti, rationique regnare,quo eſt in excelſis,nulla cum hominibus communione naturæ; ſolus, quia vniens Patri. Hoc autem myſterium deorſum repentes carnales homines fugit:quia valde ſublime eſt.Vnde illos,& ipſe fugit in montem:quia regnum eius terreno animo requirebant: vnde & alibi dicit: Regnum meum non eſt de hoc mundo.Neque etiam hoc niſi Ioannes commemorat, volatu quodammodo æthereo ſupereminens terrenis, & gaudens luce ſolis Iuſtitiæ. Ab illo itidem monte,poſt miraculum de quinque panibus factum, cum iiſdem tribus paululum remoratus,donec mare tranſiſſent, quando ambulauit ſuper aquas.

Greg. Prælatură fugienda.

Gregor. Paſtoralis curæ parte 1. cap. 3: Hæc igitur breuiter diximus, vt quantum ſit ponderis regiminis monſtraremus: ne temerare ſacra regimina quiſquis his impar eſt, audeat: & per concupiſcentiam culminis ducatum ſuſcipiat perditionis. Hinc enim piè Iacobus prohibet, dicens: Nolite plures magiſtri fieri,fratres mei: hinc ipſe Dei hominumque mediator regnum percipere vitauit in terris, qui ſupernorum quoque ſpirituum ſcientiam, ſenſumque tranſcendens ante ſæcula regnat in cœlis. Scriptum quippe eſt. Ieſus ergo cum cognouiſſet quia venturi eſſent: vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. Quis enim principari hominibus tam ſine culpa potuiſſet, quam is qui hos nimirum regeret, quos ipſe creauerat? ſed quia idcirco in carne apparuit, vt non ſolum nos per paſſionem redimeret: verum etiam per conuerſationem doceret exemplum ſe ſe-

Iac. 3.

quentibus præbens, rex fieri noluit: ad crucis verò patibulum ſponte peruenit. Oblatam gloriam culminis fugit: pœnam probroſæ mortis appetijt: vt membra eius videlicet diſcerent fauores mundi fugere, terrores minimè timere, pro veritate aduerſa diligere, proſpera formidando declinare: quia & iſta ſæpè per tumorem cor inquinant, & illa per dolorem purgant: in iſtis ſe animus erigit: in illis autem, etiam quando ſe erexerat ſternit. In iſtis homo ſe obliuiſcitur: in illis vero ad ſui memoriam nolens etiam coactuſque reuocatur. In iſtis ſæpe & anteacta bona depereunt: in illis autem longi quoque temporis admiſſa terguntur. Nam plerumque aduerſitatis magiſterio ſub diſciplina cor premitur: quod ſi ad regiminis culmen eruperit, in elatione protinus vſu gloriæ permutatur. Sic Saul qui indignum ſe prius conſiderans fugerat: mox vt regni gubernacula ſuſcepit, intumuit, honorari namque coram populo cupiens dum reprehendi publicè noluit, ipſum qui in regem ſe vnxerat, abſcidit. Sic Dauid auctoris ſui iudicio penè in cunctis actibus placens, mox vt preſſuræ pondere caruit, in tumorem vulneris erupit, factuſque eſt in morte Vriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ fuit eneruiter fluxus. Et qui malis ante nouerat piè parcere: in bonorum quoque nece poſt didicit ſine obſtaculo retractionis anhelare, prius quippe ferire deprehenſum perſecutorem noluit: & poſt cum damno deſudantis exercitus etiam deuotum militem extinxit. Quem profectò ab electorum numero culpa longius raperet, niſi hunc ad veniam flagella reuocaſſent.

Not. 3. verſ. 1. 3.

Hier.

Apoſtoli à Chriſto inuiti ſeparantur.

HIER. Matth. 14: Diſcipulis præcepit transfretare, & compulit vt aſcenderent nauiculam: quo ſermone oſtenditur inuitos eos à Domino receſſiſſe: dum amore præceptoris ne punctum quidem temporis ab eo volunt ſeparari. Quod autem aſcendit ſolus orare: non ad eum referas qui de quinque panibus, quinque milia ſaturauit hominum, exceptis paruulis, & mulieribus; ſed ad eum qui audita morte Ioannis ſeceſſit in ſolitudinem, non quod perſonam Domini ſeparemus, ſed quod opera eius inter Deum hominemque diuiſa ſint.

Orare vt Chriſto cõueniat.

Vict.

Vict. Mar. 6: Antequam turbam dimitteret, diſcipulos nauim conſcendere compulit. Compulit autem, quia ſe ab illo diuelli non facile patiebantur: partim quidem propter animi ſtudium, quo in illum ferebantur: partim etiam quia incerti hærebant, quomodo nauigio deſtitutus, ad illos peruenire poſſet. Neque enim expendebant, Dominum ea potiſſimum de cauſa abitionem indixiſſe, quo ſuper aquas paulo poſt eum gradientem cernentes, præſentis virtutem, & magnitudinem accuratius perſpicerent. Vbi ergo turbas, quæ ideo, vt probabile ſit, ad illum accedebant, quo vel benedictione illius potirentur, vel certè, vt ſanitatem ab illo conſequerentur, dimiſiſſet, abijt in montem ibidèm precaturus. Precatur autem quo & verum hominem per hoc ſe probet, & orationis operi impigrè inſiſtendum eſſe doceat.

Diſcipuli ægre patiuntur ſe à Chriſto diuelli.

Chriſtus Dominus duplici de cauſa orationi vacat.

Chryſoſt.

Chryſoſt. hom. 50. in Matt: Quum autem dicit, compulit, declarat quod magno ſuæ amore præſentiæ detinebantur, & occaſione quidem turbæ ipſos miſiſſe videtur; id autem fecit, vt in montem ipſe ſolus aſcenderet, vt nos diſcamus non ſemper cum multis eſſe conuerſandum, neque ſemper multitudinem fugiendam; ſed alterutrum eſſe faciendum.

Apoſtoli à Domino ægre diuelluntur.

Eut.

Euthym. Matth. 14: Quum ab ipſo diſtrahi nollent, compulit illos in nauigium conſcendere, & præcedere in vlteriorem partem; hoc quidem prætextu, vt ipſe relictus dimitteret turbas: in veritate autem, vt ſecum habentes fragmentorum cophinos, per otium abſente illo curioſè fragmenta ſciſcitarentur, ac confirmarentur, quod non phantaſticè factum eſſet miraculum. Nam & propter hoc ſuperfuerant, & oportebat diſcipulos de ea re certiores fieri ſupra cæteros, vtpote qui tanquam communes omnium magiſtri in orbem erant ingreſſuri. Et hæc quidem vna cauſa eſt cur diſcipulos præmiſerit. Altera vero quia volebat ſolus in montem aſcendere, prout ſtatim ſubiungitur, docens hinc quod neque oporteat continuè multitudini immiſceri, neque ſemper fugere multitudinem; ſed vtrumque vtiliter efficere. Iam itaque & nos relictis vrbibus, earumque diſtractionibus, pedites ac leues Chriſtum ſequamur, ad ſolitudinem ſiue quietem, & ſilentium ac otium abeuntem, eique aſſiſtamus ſalutaria docenti, vt afflictionum abſtinentia ieiunantes, diuina gratia repleamur. Aptus eſt enim mons ad orationem: nox præterea & ſolitudo, ſilentium ac indiſtractionem præbent, & immobilitatem in oratione.

Cur diſcipulos ad abeundum vrgeat.

Ratio 1.

Ratio 2.

Cur fragmenta ſuperfuerint.

Ratio 3.

Documenta.

Quis aptus orationi locus.

Theoph.

Theoph. Matt. 14: Vt ſignificaret quam inuiti diuulſi eſſent à Domino diſcipuli, dixit, coegit. Semper enim ei adeſſe volebant. Dimittit autem & turbas, nolens ipſas ſubſequi, ne arrogantiæ ſtudioſus videretur. Oſtendens nobis quod oporteat abſque diſtractione mentis precari, in montem aſcendit. Omnia enim propter nos facit, neque enim ipſe precibus opus habet. Vſque ad veſperam autem precatur, docens quod nos non ſtatim ab orationibus diſcedere debeamus, ſed & nocte potiſſimum illis vacare, tunc enim maior quies. Permittit autem diſcipulos in tempeſtate, quo diſcant tentationes ferre fortiter, ſuamque agnoſcant virtutem. In medio autem maris nauigium, ſignat maiorem eſſe timorem. Et Mar. 6: Coëgit diſcipulos. Nolebant enim auelli ab eo, ſed vi ſeparabantur, partim propter amorem erga illum; partim quod dubitabant quonam modo ad ipſos rediret, cum abeſſet nauis. Dimiſſis itaque turbis, aſcendit in montem, vt oraret ſeorſum. Quiete enim, & tranquillitate opus

Apoſtoli ægre à Domino ſeparantur.

Dominus turbas cur dimittat.

Cur in montem ſeorſus aſcendat.

Diu orat.

Cur diſcipulos in tempeſtate ſinat.

Theop.

Cur Apoſtoli à Chriſto inuiti ſeparantur.

Quiete opus habẽt orationes. opus habent preces. Cæterum diſcipulos tentari permittit, vt diſcant patientiam. Nam propterea non ſtatim illis aſſiſtit, ſed tota nocte ſinit in tempeſtate eſſe, vt doceat fortes eſſe, & non in principio tentationum ſperandam requiem. Obſerua & aliud, quod daturus finem rerum difficultatibus, in maiorem illos terrorem abducit. Viſo igitur illo clamauerunt turbati tanquam in phantaſmate: & ſtatim per vocem ſuccurrit eis, dicens, ne terreamini. Deinde & per ingreſſum in nauim, maiorem illis ſecuritatem parit. Confeſtim enim conquieuit ventus. Magnum autem miraculum, ambulare ſuper mare, & reuera diuinum; & cum eſſet tanta tempeſtas, tamque contrarius ventus, miraculi incrementum erat. Apoſtoli autem cum non intellexiſſent de panibus, ex hoc miraculo in mari intellexerunt. Videtur ſanè Chriſtus propter hoc permiſiſſe illos tentari, vt quoniam à panibus eum non cognouiſſent, notitiam à mari perciperent, atque vtilitatem conſequerentur.

Cur diſcipulos ægi. tari ſinat.

Eut. Euth. Ioan. 6: Papè, quanta eſt gulæ tyrannis, quanta eſt mentis iſtorum leuitas, ac mutabilitas: repleto enim ventre omnia illiserant, & propheta, & regno dignus. Chriſtus verò fugit: oſtendens fugiendas eſſe dignitates humanas, ac terrenos honores, & deſpiciendos eſſe, qui hic clari ſunt. Atqui Propheta dicit: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Sed regnum dixit cœleſte, de quo ipſe quoque Chriſtus ait: Regnum meum non eſt ex hoc mundo. Poſtquam turbas dimiſiſſet, cum ſtupore ſignum admirati ſunt, vbi ad ſe mente rediſſent, & reuerti decreuerunt ac rapere eum, vt crearent ipſum Regem.

Dignitates fugiendæ. Zach. 9 Ioan. 18

Not. 4. verſ. 4.

Auct. PRIVS id iuſſerat Dominus; ſed vtrumque ſerum erat, cum ad mare venirent. Quod non proximè, & primo appulerint Capharnaum, intelligitur ex eo, quod poſtea Ioannes dicit: & ſtatim nauis fuit ad terram: non enim id de Capharnaum dixiſſet; ſed quia Ioannes volebat non alia narrare, quam, quæ contigerant Capharnai, eoque proficiſcebatur Dominus, non quidem recta, ſed per Bethſaidam, & vicina loca, vt per terram Geneſar. Ideo dicit, eos, cum aſcendiſſent nauim, veniſſe trans mare in Capharnaum.

Euth. Euth. Ioan. 6: Deſcenderunt non ſponte ſua, ſed à Domino coacti, vt dixit Matthæus.

Apoſtoli à Domino ſeparantur inuiti.

Ver. 5.

Hier. Hier. Matt. 14: Rectè quaſi inuiti, & retractantes Apoſtoli à Domino receſſerant: ne illo abſente, naufragia ſuſtinerent. Denique Domino in montis cacumine commorante, ſtatim ventus contrarius oritur, & turbat mare, & periclitantur Apoſtoli: & tamdiu imminens naufragium perſeuerat, quamdiu Ieſus veniat.

Hier. Tria venti ſignificata. Et Eſa. 64: Ventus in ſcripturis tripliciter ponitur: aut in tentationum magnitudine, aut in peruerſitate doctrinæ, aut ſimpliciter ventus, quo nubila congregantur, & aër in nubes cogitur. De tentationibus, illud eſt euangelicum: venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non potuerunt ſubuertere eam: quia ſuper petram ſtabili erat mole fundata. De peruerſitate doctrinæ, vt: Non circumferamur omni vento doctrinæ in malitia hominum. De vento ſimpliciter: Et non poterant nauigare, erat enim ventus contrarius. Non quo & hoc non poſſit ſentiri tropologice, ſed quo præſenti ſenſui tantum ſimilitudinem præbeat.

Aug. Apoſtolorum nauis periclitatur. Aug. ſerm. 14. de verbis Domini: Audiuimus nauicellam periclitantem, Chriſtum periclitantibus ſubuenientem, Petrum venienti Chriſto occurrentem. In quibus omnibus miraculum expectauimus, myſterium requiramus.

Eut. Euth. Matth. 14: Nunc rurſum diſcipuli fluctuant, ac periclitantur, ſicut & prius. Verum tunc quidem cum eſſent imperfectiores, aderat & ipſe ad conſolationem, quanquam dormiebat: nunc verò, cum iam profeciſſent, aberat, vt nuſquam habentes conſolationem efficiantur fortiores.

Vict. Nauis Apoſtolorum iactatur. Vict. Antioch. Mar. 6: Profunda iam nocte, ipſe quidem Dominus ſolus erat in terra; diſcipulorum autem nauigium medium iam mare obtinebat; neque vento aduerſo vehementius flante, vlterius progredi valebat. Ad euidentiorem miraculi, quod mox conſecutum eſt, demonſtrationem, non parum faciebat, quod ventis contrarijs flantibus, fluctibuſque ſecundum ventorum flatus ſeſe erigentibus, ipſe nihilo ſecius, quaſi à nullo prorſus impeditus, liberè per aquas incederet, & ambularet.

Theoph. Theoph. Ioan. 6: Dominus quidem aſcendit montem ſolus, vt probet deſiderium diſcipulorum, an inquirant eum. At illi expectabant vſque ad veſperam, ſperantes venturum ipſum: & cum non veniret, non tolerabant, ſed deſiderio quærendi illum accenſi, conſcendunt in nauim. Non enim temere, & fortè Euangeliſta tempus manifeſtauit, ſed per hoc vehementem illorum charitatem declarauit, quod neque veſpera eos retinuerit. Permiſit autem eos tempeſtate periclitari, vt facta poſt tempeſtatem tranquillitate, miraculo magis lætarentur, & indelebilis memoria ſui illorum pectoribus inſideret. Aſtitit autem illis cum tempeſtas eſſet, & ſermone timorem eijciens, & tranquillitatem in mari faciens, duplicem ſerenitatem operatur, ſedando tam animarum, quam maris turbationem. Porro in nauem non aſcendit, miraculum maius facere volens: vide enim tria miracula: vnum, quod ambularit ſuper mare: ſecundum, quod compeſcuerit fluctus: tertium, quod ſtatim nauim fecerit eſſe in terra, in quam ibant; quamuis multum abeſſet à terra cum aſſiſteret ei Dominus. Igitur tranſierunt quidem Iudæi mare rubrum, Duce Moyſe, verum ille, vt ſeruus, omnia faciebat, & precabatur: at hic omni cum poteſtate: & illic flante

Tria miracula. Exod. 14.

vento cedebat aqua, vt quaſi in arida daret tranſitum: hoc autem loco maius miraculum fit. Manens enim in ſua natura mare, in ſuperficie ſua ferebat Dominum, vt impleretur propheticum; qui ambulat ſuper mare, vt ſuper pauimentum. (Pſal. 65) Multi autem & nunc ſumus in ſpiritualibus tenebris, & periclitamur in ſpirituali mari ſubmergi; ſed excipiamus Chriſtum, & omnino à periculis ſaluabimur: & quamuis ſæpe tumultus excitent nobis quidam vel diaboli, vel homines tentantes nos, & per terrores molientes nos concutere, audiamus tamen Chriſtum clamantem: Ne timeatis, ego ſum. (Spiritualis expoſitio.) Quod autem dicit hunc habet ſenſum: Terribilia quidem prætereũt, ego ſum, ideo ne timeatis ea, quæ prætereunt: ego autem ſum, hoc eſt, ſemper manens, & ſum ſicut Deus ille, qui eſt. Itaque quia terribilia quidem temporalia ſunt, & non verè ſunt, ego autem ſum, hoc eſt, maneo, & nunquam prætereo, & verè ſum: ne perdatis veſtram in me fidem propter temporalia. Vide autem, obſecro, quomodo non ſtatim ab initio periculi, ſed in feruore apparet Chriſtus, & ſoluit metum. Sinit enim nos in medijs eſſe periculis, vt cum certauerimus in tribulatione, & preſſi fuerimus, probatiores fiamus, & vt cum mouerimus omnem noſtram virtutem, & ſapientiam, inuenerimuſque eam infirmam, ad illum confugiamus ſolum, qui ex inexpectatis ſaluare poterit. Nam cum humana mens fatigata fuerit, tunc diuina ſolus repentè ſubuenit, ac parat nos vt ad illum ſolum fugiamus, qui ſaluare poteſt, & non nobis ipſis aſcribamus ſalutem. Si voluerimus autem & nos in nauem noſtram ſuſcipere Chriſtum, hoc eſt, habitationem dare Chriſto in corde noſtro, ſtatim inueniemur in terra, in quam abimus. Quæ autem terra iſta? omnino terra promiſſionis cœlum, quæ eſt terra mitium, & eorum, qui liberati à malitia in pace viuunt.

Not. 5. ver. 6.

(Hier.) Hier. Matth. 14: Stationes & vigiliæ militares in terna horarum ſpatia diuidũtur. Quando ergo dicit: Quarta vigilia noctis veniſſe ad eos Dominum: oſtendit tota nocte periclitatos, & extremo noctis, atque in conſummatione mundi eis auxilium præbiturum. Si iuxta Marcionem, & Manichæum, Dominus noſter non eſt natus ex virgine, ſed viſus in phantaſmate: quomodo nunc Apoſtoli timent ne phantaſma videant? confuſus clamor, & incerta vox, magni timoris indicium eſt. Quod primum verſabatur in cauſa, hoc curat: & timentibus præcepit, dicens: Habete fiduciam, nolite timere. Et quod ſequitur: Ego ſum: nec ſubiungit quis ſit: vel ex voce ſibi nota poterant eum intelligere, qui per obſcuræ noctis tenebras loquebatur: vel ipſum eſſe repetebant, quem loquutum ad Moyſen nouerant: Hæc dices filijs Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos. (Exod. 3.)

(Vict.) Vict. Ant. Mar. 6: Scriptura ſacra totam noctem in quatuor vigilias deducit, ſinguliſque ex illis tres horas aſſignat, per quartam itaque noctis vigiliam deſignat decimam, aut vndecimam, aut duodecimam noctis horam. Circa vnam ergo aliquam ex tribus illis, viſus eſt eis per mare incedens, greſſumque ad illos intendens. (Nox in quatuor vigilias deducitur.) Cum ij autem ſpectaculo hoc ſuper modum conturbarentur, propterq; rei nouitatem, quod cernebatur, phantaſma eſſe arbitrarentur, nec nõ præ pauoris magnitudine, ſublata voce vociferarentur, Dominus illos compellauit, dicens: Confidite, ego ſum, nolite timere. Dominus Ieſus non prius ſuis ſe diſcipulis patefacit, quam ipſi clamoris voces ad illum deſtinant: eiuſ emque opem, & fidem implorant. Hoc enim modo excitari illius præſentiam auidius complexi ſunt. (Chriſtus inuocatus ſuis diſcipulis manifeſtat.) Quia ergo ſublata voce ad illum clamabant, trepidantes, & vociferantes eiuſmodi oratione à concepto metu abſoluit: Confidite, ego ſum, nolite timere. Neque enim eum, propter admirabilem, inuſitatumque ſuper aquas ingreſſum, tempuſque nocturnum ſatis internoſcere poterant. Quamobrem, vt voce ſeipſum manifeſtaret, omnino neceſſarium videbatur.

(Euth.) Euth. Matth. 14: Marcus autem dixit, quod etiam vidit eos laborantes in remigando. Ioannes vero quod remigauerant fermè ſtadia viginti quinque, aut triginta. Stadium autem locus eſt, ſiue menſura centum vlnarum, quæ vlna Græce *ὀργυία* dicitur, & eſt manuum, cum pectoris latitudine, extenſio, continens ſex pedes. (Stadium quid ſit.) (Vlna quid ſit.) Quartam vero noctis vigiliam nominabant antiqui, qui in exercitibus nocte vigilabant, quartam noctis partem, poſtremas videlicet tres horas. (Quarta vigilia noctis.) Permiſit ergo Chriſtus diſcipulos ad id vſque tempus fluctuare, docens vt fortes efficiamur ad pericula, quæ diſpenſatoriè inducuntur: nec facilem aut velocem quæramus liberationem. (Cur periclitari diu Apoſtolos Chriſtus permiſerit.) Præterea vt mortem præ oculis habentes, & ab ea mirabiliter liberati, agnoſcerent Deum eſſe eum, qui ſe ſeruaſſet: Nondum enim perfectam habebant certitudinem: ideo quoque poſt liberationem, adorauerunt eum, dicentes: Verè Dei filius es. Timorem, qui ab vndis erat, excipit alter timor: nec hunc ſoluit, donec clamauerunt, vt exercerentur ad ferendas tentationum ſucceſſiones. Quia nocte impediente, à perſona eum cognoſcere nequiuerunt, ſui nunc iudicium, puta vocem eis inducit, quæ illos vtroque timore liberaret.

(Theoph.) Theoph. Matth. 14: Non mox aſtitit eis, vt tempeſtatem ſedaret, docens non ſtatim petendam aduerſitatum ſolutionem, ſed ferendas fortiter: At circa quartam vigiliam. In quatuor enim partes noctem diuidunt, cuſtodes iuxta militarem diſciplinam, ſingulis per tres horas ſuam ſeruantibus cuſtodiam. (Vigiliæ noctis iuxta militarem diſciplinã partitæ.) Dominus autem poſt nonam horam noctis, ambulans ſupra aquam, tanquam Deus aſtitit. Illi autem rem tam raram ac inſolitam ſpectantes, putabant ſpectrum eſſe. Neque enim à ſpecie ipſum cognoſcebãt, partim propter noctem, partim propter metum. Ille autem animans illos, primum

eis

cis dixit: Ego ſum, qui omnia poſſum, fidite.

Dam. Damaſc. lib. 3. de fide cap. 15: Quemadmodum autem ſupra quam eſſentia ferret, procreatus eſt, ex virgine nimirum in lucem editus: ita etiam ſupra quam humana conditio ferret, ea quæ hominum erant, agebat: vt cum in fluxa, & inſtabili vnda, terrenis pedibus incederet, non in terram durata aqua, verum per eximiam diuinitatis potentiam ita comparata, vt minimè diffluerer, pedumque corporeorum grauitati cederet. Non enim humano modo humana factitabat, vt qui non homo ſolum, ſed etiam Deus eſſet.

Aug. Aug. ſerm. 14 de verbis Domini: Venit ergo Dominus ad viſitandos diſcipulos ſuos qui turbabantur in mari, quarta vigilia noctis. Quarta vigilia noctis, extrema pars noctis. Vigilia vna tres horas habet, ac per hoc nox quatuor vigilias habet, ternis horis per ſingulas vigilias diſtributis. Quarta ergo vigilia noctis, hoc eſt, pene iam nocte finita. Sic veniet in fine ſæculi, iniquitatis nocte tranſacta, ad iudicandos viuos & mortuos. Venit enim nunc, ſicut audiſtis, valde mirabiliter ambulans ſuper aquas. Surgebant fluctus, ſed calcabantur. Fremens pelagus ſub Domini veſtigijs murmurabar, ſed tamen eum volens, nolens portabat. Quantumlibet tumores ſæculi poteſtateſque conſurgant, premit eorum caput, noſtrum caput. (Noctis vigiliæ quatuor.)

Aug. Et tract. 2. in Euang. Ioan: Sed quare crucifixus eſt? Quia lignum tibi humilitatis eius neceſſarium erat. Superbia enim tumueras, & longè ab illa patria proiectus eras, & fluctibus huius ſæculi interrupta eſt via, & qua tranſeatur ad patriam, non eſt, niſi ligno porteris. Ingrate, irrides eum qui ad te venit, vt redeas? ipſe factus eſt via, & hoc per mare. Inde in mari ambulauit, vt oſtenderet in mari eſſe viam. Sed tu, qui quoniam ipſe ambulare in mari non potes, naui portare, ligno portare. crede in crucifixum, & poteris peruenire, propterea crucifixus eſt, vt humilitatem doceret, quia ſi ſic veniret vt Deus, non agnoſceretur. (Cur ſuper mare Chriſtus ambulauit.)

Aug. Et lib. contra ſer. Arrianorum cap. 15: Quis itaque neget, non Patrem, non Spiritum ſanctum, ſed Filium ambulaſſe ſuper aquas? ſolius enim filij caro eſt, cuius carnis illi pedes aquis impoſiti, & per aquas ducti ſunt. Abſit autem, vt hoc ſine Patre feciſſe credatur, cum de ſuis operibus vniuerſaliter dicat, Pater autem in me manens, facit opera ſua, aut ſine Spiritu ſancto.

Aug. Et lib. 1. Euang. quæſt. cap. 15: Quod dixerunt diſcipuli, phantaſma eſſe: ſignificat id, quod dictum eſt: Putas inueniet fidem in terra? quia quidam, qui ceſſerint diabolo, de Chriſti aduentu dubitabunt. Quod autem Petrus implorat à Domino auxilium ne mergatur, ſignificat quibuſdam tribulationibus etiam poſt vltimam perſecutionem purgandam eſſe Eccleſiam. Quod & Paulus ſignificat, dicens: Saluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Quod ſequitur, vt adorantes omnes, qui in naui erant, dicerent: Verè filius Dei es: ſignificat claritatem eius tunc manifeſtam futuram, per ſpeciem iam videntibus, qui per fidem nunc ambulant.

Not. 6. verſ. 7.

Aug. Ego ſum. A v g. ſerm. 14. de verbis Domini: Quid eſt, ego ſum, non ſum phantaſma, quod putatis; agnoſcite quem videtis.

Ver. 8.

Aug. Aug. ſer. 13. de verbis Domini: Euangelium quod recentiſſimè recitatum eſt de Domino Chriſto, qui ſuper aquam maris ambulauit, & de Apoſtolo Petro qui ambulans timendo titubauit, & diffidendo merſus, confitendo rurſus emerſit, admonet nos intelligere mare præſens ſæculum eſſe, Petrum verò Apoſtolum Eccleſiæ vnicæ typum. Illum tamen videte Petrum, qui tunc erat figura veſtra, modò fidit, modò titubat, modò immortalem cõfitetur, modò timet ne moriatur. Proinde quia Eccleſia Chriſti habet firmos, habet & infirmos, nec ſine firmis poteſt eſſe, nec ſine infirmis. Vnde dicit Apoſtolus: Debemus autem nos firmi infirmorum onera ſuſtinere. In eo quod dixit Petrus: Tu es Chriſtus filius Dei viui, firmos ſignificat. In eo autem quod trepidat, & titubat, & Chriſtum pati non vult, mortem timendo, vitam non agnoſcendo, infirmos Eccleſiæ ſignificat. In illo ergo Apoſtolo, id eſt, Petro in ordine Apoſtolorum primo & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſia, vtrumque genus ſignificandum fuit, id eſt, firmi & infirmi; quia ſine vtroque non eſt Eccleſia. Hinc eſt ergo, & quod modò lectum eſt, Domine, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. Si tu es, iube me. Non enim poſſum hoc in me, ſed in te. Agnouit quid ſibi eſſet à ſe; quid ab illo, cuius voluntate credidit ſe poſſe, quod nulla infirmitas humana poſſit. Ergo, ſi tu es, iube, quia cùm iuſſeris fiet. Quod ego non valeo præſumendo, tu potes iubendo. Et Dominus: Veni, inquit. Et ſine vlla dubitatione Petrus ad verbum iubentis, ad præſentiam ſuſtentantis, ad præſentiam regentis ſine vlla cunctatione deſiluit in aquas, & ambulare cœpit. Potuit quod Dominus, non in ſe, ſed in Domino. Fuiſtis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux, ſed in Domino. Quod nemo poteſt in Paulo, nemo in Petro, nemo in alio vllo Apoſtolorum, hoc poteſt in Domino. Ergo ambulauit Petrus ſuper aquas in iuſſu Domini, ſciens hoc ſe à ſe habere non poſſe. Fide valuit, quod humana infirmitas non valeret. Hi ſunt firmi Eccleſiæ, attendite, audite; intelligite, agite. Neque enim agendum eſt cum firmis alibi, vt ſint infirmi, ſed agendum eſt cum infirmis vt ſint firmi. Multos autem impedit à firmitate præſumptio firmitatis. Nemo erit adeo firmus, niſi qui ſe à ſeipſo ſentit infirmum: Pluuiam voluntariam ſegregans Deus hæreditati ſuæ. Quid præceditis, quid quod dicturus ſum noſtis? temperetur velocitas, vt ſequatur tarditas. Hoc dixi, & hoc dico, audite, capite, facite. Nemo adeo fit firmus, niſi qui ſe à ſeipſo ſentit infirmum. (Epheſ. 5.) (Pſal. 67.)

Pluuiam ergo voluntariam, ſicut Pſalmus dicit, voluntariam, non meritorum noſtrorum, ſed voluntariam ſegregans Deus hæreditati ſuæ, etenim infirmata eſt: tu vero perfeciſti eam: quia pluuiam voluntariam ſegregaſti, non attendens hominum merita, ſed tuam gratiam, & miſericordiam. Infirmata eſt ergo ipſa hæreditas, & agnouit ſe infirmam in ſe, vt firma eſſet in te, non firmaretur, ſi non infirmaretur, vt abs te in te perficeretur. Videns ventum validum, timuit, & cum cœpiſſet mergi, exclamauit: Domine, pereo, libera me. Præſumpſit de Domino, potuit de Domino. Titubauit vt homo, rediuit ad Dominum. Nunquid enim Dominus deſeruit titubantem, quem audiuit inuocantem? vbi eſt illud: Quis inuocauit Deum, & deſertus eſt ab eo? vbi eſt illud: Et omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit? (Ioel 2.) continuo porrigens adiutorium dextræ ſuæ, leuauit mergentem, increpauit diffidentem. Modicæ fidei, quare dubitaſti? de me præſumpſiſti, de me dubitaſti? attendite. Attendite ſæculum quaſi mare, ventus validus, & magna tempeſtas. Vnicuique ſua cupiditas, tempeſtas eſt. Amas Deum, ambulas ſuper mare, ſub pedibus tuis eſt timor ſæculi. Amas ſæculum, abſorbebit te. Amatores ſuos vocare nouit, non portare. Sed cum fluctuat cupiditate cor tuum, vt vincas tuam cupiditatem, inuoca Chriſti diuinitatem. Putatis tunc eſſe ventum contrarium, quando eſt huius ſæculi aduerſitas? Quando enim bella, quando tumultus, quando fames, quando peſtilentia, quando cuique hominum, etiam ſingulo euenit priuata calamitas, tunc putatur ventus aduerſus, ibi putatur inuocandus Deus. Quando autem temporali felicitate ſæculum arridet, quaſi non eſt ventus contrarius. Noli hinc interrogare temporis tranquillitatem, ſed interroga tuam cupiditatem. Vide ſi tranquillus eſt in te, vide ſi non te ſubuertit ventus interior. Hoc vide, magnæ virtutis eſt cum fælicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipſa ſubuertat fælicitas. Magnæ, inquam, virtutis eſt cum fælicitate luctari, magnæ fælicitatis eſt à fælicitate non vinci. Diſce calcare ſæculum, memento fidere te in Chriſto. Et ſi motus eſt pes tuus, ſi titubas, ſi aliqua non ſuperas, ſi mergi incipis, dic: Domine, pereo, libera me. Dic, Domine, pereo, ne pereas.

Aug. Et ſerm. 14. de verbis Domini: Si tu es, non miror quod ſolidam carnem ſuper liquentis elementi terga ſuſpendis. Quid enim mirum ſi conditori ſuo creatura famulatur? Hoc ego non miror, fac quod mirer, ambulet Petrus. Fac quod mirer, iube me venire ad te ſuper aquas. Scio enim quod corpus humanum naturæ lege non ſinitur in fluctibus liquidis habere fixa veſtigia, ſed accedat donum gratiæ, & paululum ceſſet lex iſta naturæ. Si tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. Tu Deus es, ego homo ſum. Voluiſti de meo habere infirmitatem, in carne quam portas, habeam, & ego de tuo poteſtatem, vt vnda me portet. Domine, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. Quomodo enim mihi in mari non erit via, ſi tu iuſſeris, qui propter nos factus es via? Nec dubitauit Petrus. Audiuit Domini verbum, & mox cucurrit ad verbum. Cito credidit, quia fidelis homo erat. Cum ſurrexiſſet ventus validus titubauit, quia homo erat. Titubatio iſta fratres, quaſi mors fidei fuit. Sed vbi exclamauit, fides iterum reſurrexit, non ambularet niſi crederet, ſed nec mergeretur, niſi dubitaret. In Petro itaque communis omnium noſtrum conſideranda conditio eſt, vt ſi nos in aliquo tentationum ventus conatus ſit ſubuertere, vel vnda ſubmergere, clamemus ad Chriſtum. Quid eſt clamemus? oremus, porriget ille manum, & eruet de profundo. Etenim manus eius deducet nos, & continebit nos dextera eius, donec nos ad ſempiterna ſua promiſſa perducat.

Amb. Ambroſ. lib. 1. de interpellatione cap. 5: Ipſe eſt Dominus, qui cœlum ſolus extendit, qui ambulat tanquam in pauimento ſuper mare, quando Petrus vidit eum ambulantem, & dixit: Domine, iube me venire ad te ſuper aquas. (Petrus in mari periclitatur.) Et iuſſit Dominus; ſed ille titubauit: & niſi porrexiſſet ei Dominus dexteram, demerſus fluctibus occidiſſet. Titubauit caro, ſaluauit dextera. Et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti? fides ergo ambulauit in Apoſtolo, non caro. Denique fides titubauit, & caro ſentire cœpit naufragium. Amb. Et in fragmento de fide reſurrectionis: Quod certè ante reſurrectionem pendulo ſuper mari ambulauit inceſſu, eiuſdem virtutis fuit, diuinæ ſcilicet; non vmbræ, aut phantaſmatis. Et hoc ipſum Apoſtolo ſuo præbuit Petro, qui cum fide ſuper aquas ambularet infidelitate poſtea mergi cœpit; qui mergi potuiſſet, niſi eum citius dextera Domini continuiſſet. Amb. Et cap. 4. lib. de incar. Dom. ſacram: Exiliuit è naui, vt occurreret Domino, non gloriæ cupidus, ſed obedientiæ præmaturus. Amb. Et ſer. 47: Petrus enim tentationibus ſuis proficit, fletibus ſuis gaudet, periculis ſuis creſcit. Sic namque in mari dum ſuper vndas temerarius viator ingreditur, nutat inceſſu, ſed conualeſcit affectu: periclitatur corpore, ſed deuotione non labitur: mergitur pedibus, ſed Chriſti dextera ſuſtentatur: ſuſtentat fides, quem vnda mergebat: & quem fluctuum procella turbabat, Saluatoris dilectio confirmabat. Ambulauit enim in mari Petrus magis dilectione, quam pedibus. Non enim videbat vbi pedum veſtigium poneret, videbat autem vbi figeret veſtigium charitatis. In naui enim poſitus conſiderat Dominum, & amore eius ductus deſcendit in mare: non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia: & dum Chriſtum reſpicit, non reſpicit elementum. Credit fide etiam inter vndas ſolidum inuenire veſtigium, iactetur licet fluctibus maris, ventis pelagus conturbetur, non tamen turbatur Petri ſemita, quæ ducit ad Dominum. Ambulat igitur ſuper aquas Petrus, & ſub pedibus eius mollis vnda non cedit. Legimus in veteri teſtamento filios Iſrael per mare rubrum ſiccis itineribus ambulaſſe, & ad ſecuritatem gradientium, ne laberetur

tur vnda, in ſoliditatem quandam eam fuiſſe mutatam. Quanto hoc melius vbi ambulante Petro, nec mutatur vnda, nec labitur, nec ſolidatur aqua, nec refugit? Melius, inquam eſt, vbi ea vnda quæ fluctuat, & ſuſtentat. Vbi idem gurges, qui mergitur, & famulatur. Illic vt portaretur per mare populus Iſrael, meatum ſuum natura perdiderat: Hic portatur in aquis Petrus, & curſum ſuum fluenta non perdunt. Temerarius ergo viator Apoſtolus noui itineris viam carpit, modo curuati gurgitis molem aſcendit, modo ſubſidentis ſinus vndam deſcendit, & inter marinos fluctus aſcenſus illi itineris deſcenſuſque non deeſt; ſed vbi turbatus ventis, exagitatus procellis incipit timere quod credidit, ſtatim ei gurges ſubtrahitur, vnda ſubducitur, mox defatiſcente fide fatiſcit ſemita: Tunc exclamans Dominum Ieſum, ſaluum ſe fieri deprecatur, quem apprehenſum manu Saluator liberat, & obiurgat, dicens: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Hoc eſt, cur tam paruæ fidei es, vt qui credendo mare ambulare cœperas, non id perſeuerando tranſires? ſcriptum eſt enim: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Sed dum cunctaris, & dubitas, iter quod ingreſſus fueras, perdidiſti. Cur, inquam, tam modicæ fidei es, vt non ea fide qua venire cœperas, peruenires? Intellige ergo quia in mari credulitas te portabat, perfidia ſubmergebat. Igitur, fratres, ſanctus Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, ſic peruenit ad Dominum, oſtendens nobis quod non niſi per pericula properatur ad Chriſtum. Multi enim diabolici fluctus ſunt in hoc mundo, tentationum multa naufragia, à quibus ita liberari poſſumus, ſi clamantibus manum ſuam Saluator extenderit. Nos ergo clamare ad Dominum non ceſſemus, ille auxilium ſolitum non denegabit. Idem ad verbum eſt apud Aug. ſerm. 16. de Sanctis.

Eut. Euthym. Mar. 6: Omiſit Marcus, quæ de Petro acciderunt: ſimiliter & Ioannes. Matthæus verò diligenter illa conſcripſit.

Greg. Greg. lib. 27. Moral. cap. 6: Quid deuotius Petro? ille per deuotionem fluidi maris dorſa calcare non timuit.

Hier. Hiero. Matt. 14: In omnibus locis ardentiſſimæ fidei inuenitur Petrus. Interrogatis diſcipulis, quem homines dicerent Ieſum, Dei filium (cap. 81) confitetur. Volentem ad paſſionem pergere, (cap. 82) prohibet; & licet erret in ſenſu, tamen non errat in affectu: nolens eum mori, quem filium Dei fuerat paulo ante confeſſus. In montem (cap. 84.) cum Saluatore inter primos primus aſcendit; & in paſſione ſolus ſequitur. Peccatum negationis, (cap. 180) quod ex repentino timore deſcenderat, amaris ſtatim abluit lachrymis. Poſt paſſionem, (cap. 197.) cum eſſent in lacu Genezareth, & piſcarentur, & Dominus ſtaret in littore, alijs paulatim nauigantibus, ille non patitur moras: ſed accinctus ependyte ſuo, ſtatim præcipitatur in fluctus. Eodem igitur fidei ardore, quo ſemper, nunc quoque, cæteris tacentibus, credit ſe poſſe facere, per voluntatem magiſtri, quod ille poterat per naturam. Iube me venire ad te ſuper aquas. Tu præcipe, & ilico ſolidabuntur vndæ: leue fiet corpus, quod per ſe graue eſt. Qui putant Domini corpus ideo non eſſe verum: quia ſuper molles aquas, molle, & aëreum inceſſerit: Reſpondeant quomodo ambulauerit Petrus: quem vtique verum hominem non negabunt. Ardebat animi fides, ſed humana fragilitas in profundum trahebat. Paululum ergo relinquitur tentationi, vt augeatur fides, & intelligat ſe non facilitate poſtulationis: ſed potentia Domini conſeruatum. Si Apoſtolo Petro, de cuius fide, & ardore mentis diximus, qui confidenter rogauerat Saluatorem, dicens: Domine, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas: quia paululum timuit, dicitur: Modicæ fidei, quare dubitaſti? quid nobis dicendum eſt, qui huius modicæ fidei ne minimam quidem habemus portiunculam?

Not. 7. ver. 9.

Aug. AVG. lib. 3. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap. 8: Dominus de terra diſcipulos petens, neceſſe habuit in vndis ambulare. Cauſa huius (Dominus ſuper aquas ambulat.) Petri fides fuit, id eſt, ne ſi Chriſtus ſolus id egiſſet, veritatem carnis dubiam relinqueret. Dum autem Petrus filius viri, & mulieris hoc faceret per imperantis Chriſti auxilium, nullam de carne virginis filij dubitationem admittit. Sed quæri poteſt vtrum Domini & Petri corporum leuigata eſt natura, vt illa aqua ſuſtineret: an aquæ ſubſtantia ſolidata eſt, vt corpora humana fulcire poſſet? quamuis ergo vtrumque hoc faceret, non contra naturam Domino præcipiente eſſet, ſi aut aquam ſolidaret, aut humanam Domini iuſſio carnem leuigaret, vbi militantes in ſcytharum oris, vt antiqui ferunt, & ſuper equorum auribus proludant: natandi arte quoque imbuti, merſo medio in profunda vix ſubeunt. Hominibus ergo illud valentibus, quid mirum ſi Domino imperante caro leuigaretur, præſertim cum reſurrectionis corpora, in tantum leuigabuntur, vt non ſolum craſſæ aqua, ſed etiam nubibus & aëre ſuſtineantur, vt Apoſtolus ait: Rapiemur ad occurrendum Chriſto (1 Theſ. 4.) in aera. Aliter ſi aquæ naturam ſolidatam eſſe quiſquam elegerit, quoniam aqua terrenam habet craſſitudinem, vt cum ſe gelu perſtrinxerit, in duriorem quam terræ ipſius ſoliditatem rigeat, & multitudinem ſuſtinere valeat, & poſtea calida aura reſoluat; vel certe ſi liquidas vndas non perſtrinxerit, natura, quæ aquis inſerta eſt, ligna quamuis grandia, & humana, cæterorumque animalium corpora, & naues liburnicas ſupernatantes ſuſtinere conſueſcit. Illa ſoliditas Domino imperante facta, nec mirum ſi etiam Petrum diffidentem non ſuſtinet, cum infideles Domino volente etiam terra non ſuſtentabat, vt Dathan, & Abiron. In naturali te- (Num. 16.) rum adminiſtratione binæ rationes deprehenduntur. Deinde inferior ratio, quotidiana rerum adminiſtratio intelligitur, vt de aqua in animalibus ſanguis fit, & vnda ſalſa per nubes

aut terræ infuſionem dulceſcit. Et ratio ſuperior inuſitata gubernatio ſit, quæ in miraculis rerum dignoſcitur, vt in ſanguinem aquam in Ægypto in momento, & intincto ligno in dulcedinem Deus commutauit.

Ver. 10. 11.

Eut. Petrus in mari periclitatur.

Euth. Matth. 14: Mare quidem non timuit, quanquam fureret: ſed de iubentis potentia confiſus, audacter ambulabat ſuper aquas, & rectè gradiebatur, vento autem magis territus eſt, ne fortè circumagendo eum euerteret. Huiuſmodi enim eſt humana natura, vt plerumque in magnis rectè ſe gerat: magis autem conuincatur, reprehenſione digna eſſe in minoribus. Conſequens itaque eſt, vt debilitata fide, per quam contra fluctus audentior erat, illius deſtitueret gratia, quæ leuem ipſum efficiebat, & demergeretur. Hæc improperans, oſtendit quod nequaquam venti violentia illum deijciebat; ſed exigua fiducia, hoc eſt, infirmitas dictæ fidei. Exiguæ ergo fidei hominem illum appellauit, vt qui ventum timens, magnam eius partem abieciſſet. Dicit itaque illi: Cur hæſitaſti? ſiue, quare primum fiduciam habens, poſtmodum timuiſti? id enim appellauit hæſitationem; nam qui contra fluctus te fortem reddebat, vtique & contra ventum te fortem reddidiſſet.

Aliquando in paruis ſuccumbimus, non in magnis.

Modicæ fidei.

Quare dubitaſti?

Cypr.

Cypr. lib. 3. ad Quirinum cap. 42: Hunc locum citat, inter alios ad probandum, fidem in totum prodeſſe, & tantum nos poſſe, quantum credimus.

Ver. 12.

Ioannes non dicit Dominum in naui non fuiſſe; ſed quod vbi cum Petro aſcendiſſet, & vellent diſcipuli, vt ſolebant, cum eo nauigare, ſimul ceſſaſſe ventum, & nauim appuliſſe. Significat enim Ioannes aliud miraculum, quod reliqui tacuerunt, quod nempe ſubito appulerint.

Not. 8. verſ. 13.

Vict.

Vict. Mar. 6: Ieſus, Petro ſecum aſſumpto, aſcendit in nauim, ſtatimque ventus conquieuit: commotionem illam ea præcipuè de cauſa accidiſſe oſtendens, quo miraculi magnitudo clarior, illuſtriorque per hæc euaderet.

Ver. 16.

Cyr.

Cyr. lib. 2. dialo. de Trinitate: Quid autem faciebant ſapientiſſimi diſcipuli, ſentientes eſſe filium, & non creaturam? Nam poſtquam ambulans in ſummis fluctibus, & liquidam, ac defluentem aquarum naturam ineffabili virtute ſubſternens pedibus, latum tranſiret pelagus, inſolitum ſanctis Apoſtolis ſpectaculum exhibebat. Vix autem ſimul ingreſſus naui vectus eſt: quamuis facile ſiquidem voluiſſet, potuiſſet etiam ipſis vehi fluctibus. Conſiderantes autem illi, & inuictam poteſtatem reputantes, adorabant, dicentes: Verè Dei filius es. Nunquid non & cum iuramento iam cauſam agentes eſſe filium Dei verè dicunt? arguentur merito vt mendaces, & à vero aberrantes, deprehendenturque & reprehendentur. Si enim eſt non filius ex genitoris ſubſtantia natus, ſed creatura potius filiationis gloria honeſtatus, & agnominationem huiuſmodi ſortitus, quam ob cauſam adorarunt. Cur autem & filium nominarunt Doctores, & veritatis præcones? Et lib. 12. theſau. cap. 14: Omnes, qui erant in illa nauicula, adorarunt ipſum, dicentes: Verè filius Dei es tu. Quid igitur dicent veritatis inimici, cum videant vniuerſum Apoſtolorum ordinem, eum cultum filio Dei reddere, vt non ſolum filium Dei appellent; ſed verè filium, quaſi iurantes addant. Nam ſi creatura eſt, quomodo verè filius Dei erit? non enim poteſt verè filius eſſe alicuius ille, qui naturaliter non habet eſſe ex eo, hoc eſt, ex ſubſtantia eius, cuius filius eſſe verè dicitur. Quod ſi diſcipulos dicant, falſam de Saluatore habuiſſe opinionẽ, quomodo Saluator tacuit, & errantes non correxit: præſertim cum in multo minoribus errantes, apertè corrigat? Quoniam igitur verè filium Dei eſſe diſcipuli adorantes dicebant; neque Chriſtus, quaſi falſa dicentes, redarguit; quis, niſi inſanus, audebit creaturam dicere ipſum, qui verè filius Dei eſt? non enim poteſt filius Dei ſimul eſſe verè, & creatura. Idem enim vere filius, & naturaliter filius ſignificat. Non ergo adoptione ipſe filius eſt, ſed naturaliter. Nam per adoptionem filij, per ſimilitudinem quandam dicuntur filij. Quare niſi prius naturaliter filium Deus habuerit, nullo modo poterimus nos ad ſimilitudinem veri filij per gratiam adoptari.

Cyr.

Hier.

Hier. Matt. 14: Ad vnum ſignum tranquillitate maris reddita, quæ poſt nimias procellas interdum & caſu fieri ſolet, nautæ atque vectores verè filium Dei confitentur, & Arrius in Eccleſia prædicat creaturam.

Vict.

Vict. Mar. 6: Quæ hactenus expoſita ſunt, ea ſolitudinem & ſeceſſum, rem apprimè vtilem, eiſque, qui familiariter cum Deo colloqui volunt, oppido neceſſariam oſtendunt: quietis namque & tranquillitatis mater eſt ſeceſſus, & ſolitudo: ſiquidem vna hæc ab omni tumultu & ſtrepitu liberos nos reddit. Oſtendunt ad hæc Chriſtianum hominem omnia incommoda, quæcunque tandem Dei permiſſu euenerint, æquo, fortique animo perferre debere: Nam Chriſtus Dominus diſcipulos hoc loco, quo patientiam illorum probet, & conſtantiam exerceat, ad tempus deſerit; tempeſtateque in medio mari coorta, tota pæne nocte cum fluctibus luctari permittit; occæcatum illorum cor, vt Marcus loquitur, ea re expergefacere; maiuſque ſui deſiderium, atque diuturniorem miraculi memoriam, eorundem pectoribus imprimere volens. Per hoc tandem, quod laborantibus non ſtatim adfuit, diſcipulos, & nos, per illos docere voluit, ne à malis in quæ forſan incidimus, liberationem è veſtigio petamus: verum vndecunque illata forti infractoque pectore perferamus; animo pertractãtes dura, & aſpera, ita

Seceſſus & ſolitudo vtilis

Aduerſis conſtãtia, patientia exercetur.

Non ſemper tutum eſt liberationem à malis vrgere.

ita ſæpe ſecedere, & conquieſcere, vt alia nonnunquam difficiliora ſuccedant, vel ſimul etiam accedant. Argumento ſint nobis Apoſtoli, qui ante propter maris procellam perterrefacti, propter peregrinum ſpectaculum, quod ſe inopinate in illorum oculos intulit, grauiſſime denuo conſternantur, & perterrefiunt: Neque enim ſola tempeſtas eorum animos turbabat, verum phantaſma quoque inſperatum, quod ſeſe videre exiſtimabant. Quodque maiori admiratione dignum videtur, quo metus hic creſcat, Dominus, neque noctis tenebras diſcutit, neque ſtatim quoque ſeipſum prodit; ſed poſt certum demum temporis interuallum. Cur ita fecit? vt hinc edocti, in rebus aduerſis animum non facile deſpondeamus; præſertim cùm vehementiores tentationes, diuturnæ eſſe plerumque non ſoleant. Fatendum eſt tamen, quo maiora lucra obueniant, Deum iuſtorum certamina interdum extendere, eoſdemque priuſquam ex vitæ huius palæſtra excedant, diu multumque nonnunquam exercere.

Vehementiores tentationes non ſunt diuturnæ.

Ver. 17.

Eut. Euth. Matt. 14: Marcus dixit, quod compulit diſcipulos ſuos conſcendere nauim, & præcedere in vlteriorem ripam ad Bethſaïdam. Ioannes vero quod venerunt traiecto mari ad Capharnaum. Sunt autem & Bethſaïda, & Capharnaum in terra Geneſareth: ſtagnum vero Geneſareth vnitum erat Tyberiadi.

Hiero. Matt. 14: Si ſciremus quid in noſtra lingua reſonaret Geneſareth, intelligeremus quomodo Ieſus per typum Apoſtolorum & nauis, Eccleſiam de perſecutione, & naufragio liberatam tranſducat ad littus, & in tranquilliſſimo portu faciat requieſcere. Hier.

Ver. 19.

Hiero. Matt. 14: Cognouerunt eum rumore, non facie: vel certè pro ſignorum magnitudine, quæ patrabat in populis, etiam vultu plurimis notus erat. Et vide quanta ſit fides hominum terræ Geneſareth: vt non præſentium tantum ſalute contenti ſint, ſed mittant ad alias per circuitum ciuitates, quo omnes currant ad medicum. Qui malè ſe habent, non tangant corpus Ieſu: neque totum veſtimentum eius, ſed extremam fimbriam, & quicunque tetigerint, ſanabuntur; fimbriam veſtimenti eius, vel minimum mandatum intellige: quod qui tranſgreſſus fuerit, minimus vocabitur in regno cœlorum. vel aſſumptionem corporis, per quam venimus ad verbum Dei, & illius poſtea fruimur maieſtate. Hier.

Cap. 73. *De pane cœleſti, eiuſq; manducatione.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioann. 6.*
			1 Altera die turba, quæ ſtabat trans mare, vidit, quia nauicula alia non erat ibi, niſi vna, & quia non introiſſet cum diſcipulis ſuis Ieſus in nauem; ſed ſoli diſcipuli eius abiiſſent: aliæ verò ſuperuenerunt naues à Tyberiade iuxta locum, vbi manducauerant panem, gratias agentes Domino.
			2 Cum ergo vidiſſet turba, quia Ieſus non eſſet ibi, neque diſcipuli eius, aſcenderunt in nauiculas, & venerunt Capharnaum, quærentes Ieſum.
			3 Et cùm inueniſſent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc veniſti?
			4 Reſpondit eis Ieſus, & dixit: Amen, amen, dico vobis, quæritis me, non quia vidiſtis ſigna; ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis.
			5 Operamini non cibum, qui perit; ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis: hunc enim Pater ſignauit Deus.
			6 Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus vt operemur opera Dei?
			7 Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille.
			8 Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum, vt videamus, & credamus tibi? quid operaris? Patres noſtri manducauerunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis manducare.
			9 Dixit ergo eis Ieſus: Amen, amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cœlo; ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.
			10 Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo.

Dixe-

Matt.	Mar.	Luc.	Ioann. 6.

11 Dixerunt ergo ad eum: Domine, ſemper da nobis panem
hunc.
12 Dixit autem eis Ieſus: Ego ſum panis vitæ, qui venit ad
me, non eſuriet; & qui credit in me, non ſitiet vnquam.
Sed dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non creditis.

Pro Defunctis.

13 ✠ OMNE quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum
qui venit ad me, non eijciam foras. Quia deſcendi de cœlo,
non vt faciam voluntatem meam; ſed voluntatem eius, qui
miſit me.
14 Hæc eſt autem voluntas eius, qui miſit me, Patris: vt om-
ne quod dedit mihi, non perdam ex eo; ſed reſuſcitem illud
in nouiſſimo die.
15 Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me, vt om-
nis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æter
nam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. ✠
16 Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum
panis viuus, qui de cœlo deſcendi; & dicebant: Nonne hic
eſt Ieſus filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem, & ma-
trem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo deſcendi?

Fer. 4. quat. temp Pentec.

17 Reſpondit ergo Ieſus, & dixit eis: Nolite murmurare in
inuicem. ✠ Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit
me, traxerit eum; & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.
18 Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.
Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.
19 Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo:
hic vidit Patrem. Amen, amen dico vobis, qui credit in me,
habet vitam æternam.
20 Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna
in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cœlo deſcendens,
vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur.

Pro Defunctis.

21 T. Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Si quis
manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis,
quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. ✠
22 Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes: Quomodo
poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?
23 Dixit ergo eis Ieſus: Amen, amen dico vobis, niſi mandu-
caueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem,
non habebitis vitam in vobis.
24 Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem,
habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo
die. T.

In feſto corporis CHRISTI.

25 ✠ Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè
eſt potus.
26 Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem,
in me manet, & ego in illo.
27 Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem:
& qui manducat me, & ipſe viuet propter me.
28 Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Non ſicut mandu-
cauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui mandu-
cat hunc panem, viuet in æternum. ✠
29 Hæc dixit in ſynagoga docens, in Capharnaum. Multi
ergo audientes ex diſcipulis eius, dixerunt: Durus eſt hic ſer-
mo, & quis poteſt eum audire?
30 Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum, quia murmurarent
de hoc diſcipuli eius, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat?

Si ergo

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 6.*
			31 Si ergo videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius?
			32 Spiritus eſt, qui viuificat; caro non prodeſt quicquam. Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt.
			33 Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.
			34 Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.
			35 Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro: & iam non cum illo ambulabant.
			36 Dixit ergo Ieſus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire?
			37 Reſpondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei.
			38 Reſpondit eis Ieſus: Nonne ego vos duodecim elegi; & ex vobis vnus diabolus eſt? Dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem: Hic enim erat traditurus eum, cum eſſet vnus ex duodecim.]

Not. 1.

Sermo quem de corpore, & ſanguine ſuo ſumẽdo fecit Chriſtus in Capharnaum.

DOMINVS occaſione panum, quos multiplicauerat, diſſerit de cœleſti pane, & corpore ſuo manducando. Igitur poſtquam Dominus Capharnaum venit, multa veri panis vitæ myſteria diſcipulis, & alijs auditoribus aperuit. Altera ergo die cum turba Ieſum quæreret, nec inuenirent, conſcendentes nauiculas nauigarunt Capharnaum, vbi Dominus eos docturus, in primis illorum impetum retundit, & ad celſiora eos perducere conatur. Qua occaſione longiori ſermone ſub tempus tertij Paſchatis multa de manducando pane cœleſti diſſerit, carnemque ſuam vere eſſe cibum, quem ſumpturi eſſent, qui vellent vitam habere æternam, dicit. Cumque hæc audientes Iudæi minus caperent, neque aſſequerentur quid ſibi vellet, inuicem diſſerebant: offenſionemque ex ijſdem verbis paſſi ſunt etiam complures diſcipulorum, vt iam ab illo recederent, nec vlterius ſequerentur. Quod videns Ieſus, conuerſus ad duodecim Apoſtolos, petit num & ipſi abire velint. Tunc Petrus vice omnium teſtatur, quod non. Monuit interim Ieſus duodecim Apoſtolos, quantumlibet ipſe eos elegiſſet, nihilominus vnum ex ipſis eſſe diabolum, intelligens nimirum & notans Iudam Iſcariothen, qui eum traditurus erat.

Aug. Aug. lib. 4. de conſ. cap. 10: Continuo rurſus ſe in verbum Domini attollit, quam magnum, quam prolixum, quam diuinum, ſupernum, & excelſum, & ex occaſione panis exortum, cum dixiſſet turbis: Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia ſigna vidiſtis; ſed quia ediſtis de panibus, & ſatiati eſtis. Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam: & inde iam talia diutiſſime atque excellentiſſime. Tunc ab iſta verbi celſitudine ceciderunt, qui poſt eum deinceps non ambulauerunt. Cui ſane inhæſerunt qui potuerunt intelligere: Spiritus eſt qui viuificat, caro autem nihil prodeſt: quia vtique & carni ſpiritus prodeſt, caro autem ſine ſpiritu nihil prodeſt.

Et lib. 3. de conſ. cap. 1: Ioannes de corpore, & ſanguine Domini in vltima cœna nihil dixit: ſed plane alibi multo vberius hic Dominum loquutum eſſe teſtatur. Aug.

Not. 2. ver. 3. 4.

Theop. Quid, & cur turbæ quærunt à Domino.

THEOPH. Ioan. 6: Illic autem inuento Domino non ſupplicant, & rogant, vt diſcant quomodo tranſierit, neque quærunt de hoc ſigno, ſed remiſsè dicunt; quando huc veniſti? Nam qui quærebant illum rapere, & facere regem, inuento eo nihil tale deliberant: ſed abiecto miraculo, inquirunt magis frui menſa ali qua li & prius, propterea exprobrat eis Dominus: Quæritis enim me, inquit, eò quòd de panibus comediſtis: & ideo mei tenemini deſiderio: vt iterum vobis menſam parem. Obſerua autem, quòd quamuis redarguat eos, non tamen dura vtitur reprehenſione. Non enim dixit. O mancipia ventris, & guloſi; ſed cum manſuetudine: corrigere enim volens, arguit illos: ſimul autem & per hoc quod detegit occulta cordis illorum, ad maiorem illos adducere volens fidem. Quod autem emendatio illorum fuerit reprehenſio, manifeſtum ex ſequentibus, vtiliſſimam enim eis doctrinam facit, & dicit. Modeſtè Chriſtus arguit. Multa Chriſtus detegit.

Greg. Sex panis ſignificata.

Greg. lib. 23. Moral. cap. 25: In ſcriptura enim ſacra panis aliquando ipſe Dominus, aliquando ſpiritualis gratia, aliquando diuinæ doctrinæ eruditio, aliquando hæreticorum prædicatio, aliquando ſubſidium vitæ præſentis, aliquando iocunditas humanæ delectationis accipitur. In pane Dominus ſignatur: ſicut ipſe in Euangelio dicit: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Rurſum per panem gratia doni ſpiritalis accipitur, ſicut per Prophetam dicitur: Qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, & Eſa 33.

clau-

claudit oculos ſuos, ne videat malum, iſte in excelſis habitabit; munimenta ſaxorum ſublimitas eius, panis ei datus eſt. Et quia per contemplationis donum gratia ſpiritali ſatiatur, aptè ſubiungitur: Panis ei datus eſt, id eſt, refectionem ſpiritalis gratiæ percipit: quia ſe à bonis infimis cœleſtia ſperando ſuſpendit. Hinc etiam de ſancta Eccleſia per Dauid Dominus

Pſal. 131.

dicit: Pauperes eius ſaturabo panibus; quia in illa mentes humilium poſitæ, ſpiritalium impleantur refectione donorum. Rurſum per panem diuinæ doctrinæ eruditio deſignatur; ſicut

Eſa. 21

per Prophetam dicitur: Qui habitatis in terra Auſtri cum panibus occurrite fugienti.

Greg.

Et cap. 26: Rurſum per panem hæreticorum prædicatio deſignatur; ſicut per Salomonem mulier hæreticæ Eccleſiæ typum geſtans, & ſtultos conuocans, dicit: Panes occultos liben-

Prou. 9.

ter edite, vel ſicut in noſtra tranſlatione ſcriptum eſt: Aquæ furtiuæ dulciores ſunt; & panis abſconditus ſuauior. Rurſum per panem ſubſidium præſentis vitæ accipitur; ſicut Iacob ad

Gen. 28

Laban tranſiens ait: Domine Deus, ſi dederis mihi panem ad manducandum, & veſtem ad induendum. Et ſicut in Euangelio Dominus turbis ſe ſequentibus dicit: Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna; ſed quia manducaſtis ex pa-

Spiritalis explanatio

nibus meis, & ſaturati eſtis: Et per eorum perſonam Dominus illos intra ſanctam Eccleſiam deteſtatur, qui per ſacros ordines ad Dominum propinquantes, non in eiſdem ordinibus virtutum merita, ſed ſubſidia vitæ præſentis exquirunt, nec cogitant quid viuendo imitari debeant; ſed quæ compedia percipiendo ſatientur. Satiatos quippe de panibus Dominum ſequi, eſt de ſancta Eccleſia temporalia alimenta ſumpſiſſe, & non pro ſignis eſt Dominum, ſed pro panibus quærere: ad religionis officium, nō pro augendis virtutibus, ſed pro requirendijs ſubſidijs inhiare. Rurſum per panem iocundi-

Thren. 1.

tas humanæ delectationis accipitur. Vnde Hieremias Propheta cum ſynagogæ perditos mores defleret, dixit: Omnis populus eius gemens, & quærens panem: dederunt pretioſa quæque pro cibo, ad refocillandum animam. Gemens enim populus quærit panem, dum praua hominum multitudo affligitur; quia non ad votum de præſentis vitæ iocunditate ſatiatur.

Not. 3. ver. 5.

Eut.

Cibus qui perit.

EVTH. Ioan. 6: Operationem verò pereuntis cibi hoc in loco appellat eam, quæ neceſſaria non eſt; ſed ſuperfluam ſiue permanentem, & continuam ſollicitudinem cibi ſenſibilis;

Labor non prohibetur

nam quæ neceſſaria eſt, non prohibetur. Ideo etiam Paulus in multis Epiſtolarum locis, non ſolum permiſit proprijs operari manibus, verum etiam præcepit, dicens: Si quis non vult

2 Theſ. 3.

operari, is nec edat. Sicut ergo de Martha di-

cap. 107

cens Chriſtus: Martha, Martha, ſolicita es, ac tumultuaris circa multa; atqui vnum eſt neceſſarium; non prohibuit hoſpitalitatem; ſed præpoſuit diuinorum ſermonum auditionem: ita & nunc dicens: Operamini non cibum qui perit, ſed qui manet in vitam æternam; non præcepit tantum operari cibum animæ, quanquam ſit magis neceſſarius, ſed admonuit corporalem cibum obiter curare; animæ verò, toto ſtudio. Operemini, inquit, toto animo, omni cura, continuè: non iam hoc, iam illud, ſed hoc amplius, illud verò minus. Ne autem iactare ſe videatur, rurſum ad Patrem recurrit, dicens: Hunc enim Pater conſignauit Deus. Conſignauit, ſiue in hoc loco appoſuit, vt hunc cibum daret vobis, vel demonſtrauit, ſuoque teſtimonio manifeſtauit. Nam & oſtendere quoque dicitur ſignare, ac ſi videlicet ſuo teſtimonio ſignauerit verum eſſe Deum.

Quomodo Pater filium ſignauit. 1 len. 2 len.

Quomodo hunc Pater ſignauit Deus, habes cap. 17. ver. 7.8.9.10.11. & cap. 84. ver. 18.

Aut.

Cyrillus lib. de recta fide ad Reginas: Quomodo non Deus viuificare valens, & per ſuam carnem aſſimilatus per omnia Deo, & patri? Hoc enim arbitror ſignificare, dicere ipſum obſignatum eſſe à Deo, quod obſignari ſignificet diligenter illius expreſſionem. Nam ſicut ſi ceræ quis aureum ſigillum infigat, vel certe ex alia materia factum, totam ex tota illius effigiem ei inſcribit: ita etiam Deus, & pater ſuæ naturæ characteres ſubſtantialiter conſpicuos habet in filio: & hoc eſt dicere, obſignatum eſſe ipſum à patre.

Cyr.

Quomodo filius eſt à Deo ſignatus.

Theoph. Ioan. 6: Quia multi ſunt cupientes ignaui viuere, & maxime Maſſeliani, qui vſi ſunt hoc dicto ad patrocinium ſuæ ignauiæ, operepretium fuerit declarare hoc dictum. Non enim hoc dixit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt corporalem quidem operationem ab eis velit amouere, & ipſos ad ocium cogere. Omnem enim maliciam docuitocioſitas: ſi oportet euidenter dicere, ipſum ocioſe velle viuere, cibus eſt qui perit: & ita eum qui Chriſtum ſequitur, oportet operari, vt habeat, quod & alijs communicet. Hoc enim habet mercedem, & promiſſionem futuri regni. Et quomodo igitur (inquiunt) dicit Dominus quod non oporteat operari cibum, qui perit? continuum circa cibos ſtudium reijciens, & ad ſpiritualia non parum, inducens. Profectò dicunt, quod per hoc Dominus corporalem operationem excludit: id quoque manifeſtum ex hoc, quod ad Martham dicit: Martha, ſolicita es, & turbaris; vno autem opus eſt: Maria bonam partem elegit: Et iterum: Ne ſolliciti ſitis in craſtinum. Et hæc quidem adferunt hi, qui per ignauiam paſci vellent. Nos autem quid dicimus? Dictum ad Martham, non de opere eſt, & operatione, vel ocio; ſed de temporis obſeruatione; & ne tempus audiendi inſumatur in occupationes parandorum ciborum. Perſuadet igitur ei ne perdat tempus doctrinæ fruſtra, propter occupationem in his quæ ventris ſunt. Quod autem dicit, ne ſolliciti ſitis: neque hoc dicto, operationem reiecit. Aliud enim ſolicitudo eſt, & aliud operatio: fieri enim poteſt vt ſolicitus non ſit, qui operatur. Docet igitur nos Dominus, ne addicti ſimus curis vitæ, neque habeamus curam, quomodo cras refocillemur: & vult vt vnoquoque

Theoph. Contra Maſſelianos.

In quo Martham Chriſtus reprehendat.

Quomodo de craſtino ſoliciti eſſe non debeamus.

quoque die operemur, dicens: Ne ſolicici ſitis de craſtino: quaſi in hunc modum diceret: Ne ſoliciti ſitis quomodo hodie operando, cras quieſcatis; ſed quotidie cibum quotidiana operatione parantes, ne ſolliciti ſitis de craſtino. Cibum autem manentem, myſticam dicit ſumptionem carnis Domini, quam nobis ipſe dat filius hominis factus. Quem pater obſignauit, hoc eſt, oſtendit, & confirmauit, quod ſit filius ſuus. Et ipſe quidem Chriſtus oſtendit ſe per miracula; ſed quia cum Iudæis loquitur, ne turbentur, ad patrem recurrit, & dicit, ab illo ſe ſignatum eſſe, hoc eſt, monſtratum, & teſtimonijs confirmatum eſſe. Quia & imago eſt patris filius, & ſignaculum, & character, intellige ab illo hunc ſignatum, ſicut imago ſigillum eſt: & ita ſe habet quod dicit, hunc enim qui videbatur filius hominis, ſignauit, pater, hoc eſt, ſignaculum ſuum, & imaginem genuit; quæ haberet in ſe omne quod ipſe habebat, & naturalem cum ipſo idenditatem.

Cibum manentem quid ſit. — *Quomodo pater illum ſignauit 2 ſenſ.* — *1. ſenſ.*

Hilar, Hilar. lib. 8. de Trinit: Sacramentum & concorporationis, & diuinitatis ſuæ Dominus exponit, fidei quoque noſtræ, & ſpei doctrinam locutus eſt, vt eſcam non pereuntem; ſed permanentem in æternum operemur, vt hanc æternitatis eſcam dari nobis à filio hominis meminiſſemus, vt filium hominis ſignatum à Deo patre ſciremus, vt hoc eſſe opus Dei noſceremus, credere in eum, quem miſiſſet. Et quis eſt quem pater miſit? nempe quem ſignauit Deus: & quis eſt quem ſignauit Deus? filius vtique hominis, eſcam ſcilicet præbens vitæ æternæ. Qui tandem ſunt quibus præbet eam? Illi namque qui operabuntur eſcam non intereuntem. Atque ita quæ operatio eſcæ eſt, eadem operatio Dei eſt, in eum ſcilicet credidiſſe quem miſit. Sed hæc loquitur filius hominis. Et quo modo eſcam vitæ æternæ filius hominis dabit? Sed ſacramentum ſalutis ſuæ neſcit, qui neſcit filium hominis dantem eſcam in vitam æternam, à Deo patre eſſe ſignatum. Hic nunc quæro, qui tandem intelligentiæ ſenſus ſit, filium hominis à patre ſignatum Deo'. Ac primum cognoſci oportet Deum non ſibi, ſed nobis locutum, & in tantum ad intelligentiam noſtram eloquij ſui temperaſſe ſermonem, quantum comprehendere ad ſentiendum naturæ noſtræ poſſit infirmitas. Namque cum ſuperius à Iudæis increpatus fuiſſet, cur ſe æqualem Deo filium Dei ſe profitendo feciſſet, reſponderat: Omnia ſe, quæ faceret pater, facere, & omne ſe à patre adeptum eſſe iudicium; etiam ſe, vt patrem, honorandum. Et in his omnibus profeſſus ante, ſe filium patris exæquauerat honore, poteſtate, natura. De hoc dixerat, vt patrem vitam in ſe habere, ita eum filio vitam in ſe habendam dediſſe; in quo ſignificauerat naturæ eius per ſacramentum natiuitatis vnitatem. Per id enim quod habet pater, ipſum illud ſignificat habendo, quia non humano modo ex compoſitis Deus eſt, vt in eo aliud ſit quod ab eo habetur, & aliud ſit ipſe qui habeat; ſed totum quod eſt, vita eſt; Natura ſcilicet, & abſoluta, & infinita, & non ex diſparibus conſtituta; ſed viuens ipſa per totum; quæ, cum qualis habetur, talis & data eſt, etſi natiuitas eius intelligatur ſignificari cui data eſt, non tamen diuerſitatem generis affert, cum talis data eſt, qualis & habetur. Poſt hanc ergo tam multiplicem, ac propriam demonſtrandæ in ſe paternæ naturæ ſignificationem, ad Apoſtolos vſus hoc dicto eſt: Hunc enim ſignauit pater Deus. Signaculorum ea natura eſt, vt omnem impreſſæ in ſe ſpeciei explicent formam, & nihil minus ex eo in ſe habeant, vnde ſignentur, & dum totum accipiunt, quod imprimitur, totum ex ſe præferunt quidquid impreſſum eſt. Verùm ad diuinæ natiuitatis non proficit exemplum, quia in ſignaculis, & materies ſit, & diuerſitas, & impreſſio per quam mollioribus naturis validiorum generum ſpecies imprimuntur. Vnigenitus verò Deus, & per ſacramentum ſalutis noſtræ, hominis filius, volens proprietatis nobis paternæ in ſe ſignificare ſpeciem, ſignatum ſe à Deo ait; & hoc ideo, quia vitæ æternæ eſcam filius hominis eſſet daturus, vt per hoc poteſtas in eo dandæ ad æternitatem eſcæ intelligi poſſit, quia omnem in ſe paternæ formæ plenitudinem ſignantis ſe Dei contineret, vt quod ſignaſſet Deus, non aliud ex ſe, quam formam Dei ſignantis afferret. Hæc quidem Dominus ad Iudæos ob infidelitatem ſuam dicti iſtius incapaces locutus eſt. Sed nobis Euangelij prædicator proprietatis huius intelligentiam, ſpiritu Chriſti, per ſe loquentis inſinuat, dicens: Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſe exinaniuit, formam ſerui accipiens. Quem enim ſignauerat Deus, aliud præterquam Dei forma eſſe non potuit. Et ideo quod ſignatum in Dei forma eſt, hoc neceſſe eſt totum in ſe coimaginatum habere quod Dei eſt. Et idcirco Apoſtolus eum quem ſignauit Deus, in Dei forma manentem Deum prædicauit. Nam aſſumpti, & counati in eo corporis ſacramentum locuturus, ait: Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Quod enim in forma Dei erat, per ſignantem ſe Deum Deus manebat. Sed quia ſuſcipienda erat forma ſerui, & obediens eſſet futurus ad mortem, non niſi rapiens eſſe ſe æqualem Deo ad ſuſceptionem formæ ſeruilis, per obedientiam exinaniuit. Non exinaniuit autem ſe ex Dei forma, id eſt, ex eo quod æqualis Deo erat. Non tamen æqualem ſe Deo per rapinam exiſtimans, quamuis in forma Dei, & æqualis Deo, per Deum ſignatus extaret. Nunc non quæro, vtrum alterius generis Deus, & qui in forma Dei Deus maneat, vt ſecundum conſignatas conſignanteſq; ſpecies in ſignaculis cernimus, cum impreſſum plumbo ferrum, & gemma ceræ ſpeciem, vel concauę in ſe imaginis fingat, vel ex tantis de ſe exprimat formæ.

Quomodo Pater filiũ ſignauit.

Not. 4. verſ. 6.7.

Eut. Evthym. Ioann. 6: Opera Dei vocant quæ Deo accepta ſunt. Interrogant autem non vt ea operentur, ſed vt etiam ipſi videantur diſcipuli, & ita ad cibi ſuppeditationem attrahant.

Baſ. Baſil. lib. 4. contra Eunomianos: Si fides noſtra in filium opus eſt Dei, hoc enim, inquit, opus eſt Dei, vt credatis in eum, quem ille miſit; ipſe Dei eſſe opus non poteſt: non enim idem fides in ipſum, & ipſe.

Tert. Tertull. lib. aduerſ. Praxeam cap. 21. Hoc loco & ſequentibus vtitur, ad probandum Dei filium ſemper antea fuiſſe.

Chryſoſt. Chryſoſt. ſerm. de fide, & lege naturæ: Cum olim Iudæi dicerent Domino: Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Reſpondit eis: Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille. Vides quomodo fidem opus vocauit? Igitur quamprimum credideris, ſimul & operibus ornatus eris. Non quod deſint opera, ſed per ſeipſam fides plena eſt operibus bonis. Opera quidem erga homines, & ex hominibus ſunt: fides autem ex hominibus erga Deum.

Aug. Quomodo fides diſtinguitur ab operibus, cum ipſa ſit opus. Auguſt. lib. 1. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 7: Sed forſitan dicunt: ab operibus fidem diſtinguit Apoſtolus; gratiam verò non ex operibus eſſe dicit: non autem dicit, quod non ſit ex fide. Ita vero eſt; ſed ipſam quoque fidem opus Dei dicit eſſe Ieſus, & hanc vt operemur iubet. Dixerunt enim ad eum Iudæi: Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille. Sic ergo diſtinguit Apoſtolus ab operibus fidem, quemadmodum in duobus regnis Hebræorum diſtinguitur Iudas, ab Iſrael, cum & ipſe Iudas ſit Iſrael. Ex fide autem ideo dicit iuſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iuſtè viuitur. Nam dicit etiam ipſe: gratia ſalui eſtis facti per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, id eſt, & quod dixi per fidem non ex vobis, ſed Dei donum eſt. Et iam fides non ex operibus, inquit, ne fortè quis extollatur: ſolet enim dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet. Quod de Cornelio dici poteſt, cuius acceptæ ſunt eleemoſynæ, & exauditæ orationes, antequam credidiſſet in Chriſtum: nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo inuocabat, in quem non crediderat? ſed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſaluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apoſtolus Petrus. Quamuis niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt ædificantes eam. Quidquid igitur & antequam in Chriſtum crederet, cum crederet, & cum credidiſſet, bene operatus Cornelius eſt, totum Deo dandum eſt, ne fortè quis extollatur. Proinde ipſe vnus magiſter, & Dominus.

Not. 5. ver. 9.

Euth. Evth. Ioan. 6: Quia putabant manna eſſe panem ab eo, quod propriè cœlum appellatur, eo quod ſcriptum eſſet, panem de cœlo dedit eis: corrigit erroneam eorum opinionem. Nam ibi ſcriptura aërem impropriè vocauit cœlum: quemadmodum etiam dicuntur volucres cœli. Et rurſum, intonuit de cœlo Dominus. Ait ergo: Non Moſes dedit tunc nationi veſtræ panem, qui propriè de cœlo ſit, ſed pater meus nunc dat vobis panem ab eo quod propriè cœlum appellatur. Nam ſicut pater propriè dicitur cœleſtis, ita & filius cœleſtis, & propriè panis, vtpote cor hominis confirmans. Siquidem ille panis figuratiuus erat, me, inquit, præfigurans, qui ſum ipſa veritas. Quemadmodum enim ille deſuper deſcendens, eos qui participabant, paſcebat, ac roborabat, ita & ego; ſed ille ab aëre, ego autem à vero cœlo: ille quidem corpora paſcebat, ac roborabat, ego vero animas. In ſequentibus autem ponit generaliorem differentiam inter figuratiuum panem, & eum qui verus eſt.

Ver. 12.

Iſidor. Chriſtus cur dictus ſit panis. Ratio 1. Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 360: Panis Dominus appellatus eſt, ipſemet ſibi hoc nomen imponens: ſi ſenſum eum, qui prima fronte ſe offert, ſpectes, quia ſalutis cibus omnibus extitit; ſi Ratio 2. autem abditum, & arcanum; quia humanæ conſperſionis fermentum copulauit, ac perpurgauit, atque diuinitatis ſuæ igne velut excoxit, atque vna cum eo perſona, atque vna adoranda hypoſtaſis factus eſt.

Not. 6. verſ. 13.

Greg. Greg. lib. 35. Moral. cap. 12: Quia ad oſtendendam virtutem obedientiæ, occaſio opportuna ſe præbuit, libet hanc paulo vigilantius, Obedientiæ laus. ſollicitiuſque diſcutere, & quanti ſit meriti demonſtrare. Sola namque virtus eſt obedientia, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit. Vnde & primus homo præceptum quod ſeruaret, accepit, cui ſe ſi vellet obediens ſubdere, ad æternam beatitudinem ſine labore perueniret. Hinc Samuel ait: Melior eſt o- 1. Reg. 15. bedientia quam victimæ, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Obedientia quippe victimis iure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tantò igitur quiſque Deum citius placat, quantò ante eius oculos repreſſa arbitrij ſui ſuperbia gladio præcepti ſe immolat. Quo contrà ariolandi peccatum inobedientia dicitur, vt quanta ſit virtus obedientiæ demonſtretur. Ex aduerſo igitur melius oſtenditur, quid de eius laude ſentiatur. Si enim quaſi ariolandi peccatum eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere,

quieſcere, ſola eſt quæ fidei meritum poſſidet, ſine qua quiſque infidelis eſſe conuincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur. Hinc per Salomonem in oſtenſione obedientiæ dicitur, vir obediens loquitur victorias. Vir quippe obediens victorias loquitur: quia dum alienæ voci humiliter ſubdimur, noſmetipſos in corde ſuperamus. Hinc in Euangelio Veritas dicit: Eum qui venit ad me, non eijciam foras: quia de cœlo deſcendi, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. Quid enim ſi ſuam faceret, eos qui ad ſe veniunt, repuliſſet? Quis autem neſciat quod voluntas filij à patris voluntate non diſcrepet? Sed quoniam primus homo quia ſuam facere voluntatem voluit, à paradiſi gaudio exiuit, ſecundus ad redemptionem hominum veniens, dum voluntatem ſe patris, ei non ſuam facere oſtendit, per manere nos intus docuit. Cum igitur non ſuam, ſed patris voluntatem facit, eos qui ad ſe veniunt, foras non eijcit: quia dum exemplo ſuo nos obedientiæ ſubijcit, viam nobis egreſſionis claudit. Hinc rurſum ait: Non poſſum ego à meipſo facere quicquam, ſed ſicut audio, iudico.

Prou. 21

Aug. Auguſt. lib. contra ſermonem Arrianorum cap. 7: Quanquam & hoc ipſum quod dicit Ieſus: Deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui me miſit; ad illud referatur quod homo primus Adam, de quo dicit Apoſtolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſijt, in quo omnes peccauerunt; faciendo voluntatem ſuam, non eius à quo factus eſt, vniuerſum genus humanum propagine vitiata, culpæ, & pœnæ fecit obnoxium. Vnde à contrario per quem liberandi fueramus, non fecit voluntatem ſuam, ſed eius à quo miſſus eſt. Ita quippe hoc loco dicitur voluntas ſua, vt intelligatur eſſe propria, contra voluntatem Dei. Neque enim cum obedimus Deo, eaque obedientia dicimur eius facere voluntatem, nolentes id facimus, ſed volentes: ac per hoc ſi volentes id faciamus, quomodo voluntatem noſtram non facimus? niſi quia ille dicitur voluntas noſtra, quando ſcriptura ita loquitur, quæ intelligitur eſſe propria contra voluntatem Dei. Hanc habuit Adam, vt in illo moreremur. Hanc non habuit Chriſtus, vt in illo viueremus. De natura quippe humana hoc rectè dici poteſt: in qua exiſtit per inobedientiam voluntas propria: quæ Dei voluntati eſſet aduerſa. Cæterum quod attinet ad diuinitatem filij, vna eademque voluntas eſt patris, & filij. Nec poteſt vllo modo eſſe diuerſa, vbi eſt natura Trinitatis immutabilis vniuerſa, vt autem mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus non faceret propriam, quæ Deo aduerſa eſt, voluntatem: non erat tãtum homo, ſed Deus & homo, per quam mirabilem ſingularemque gratiam humana in illo ſine peccato vllo poſſet eſſe natura. Propter hoc ergo ait: Deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui me miſit: vt ea cauſa eſſet tantæ obedientiæ; quæ omnino ſine vllo peccato eſſet hominis quem gerebat, quia de cœlo deſcenderat, hoc eſt, non tantum homo, verum etiam Deus erat: vnam quippe oſtendit eſſe perſonam in vtraque natura, hoc eſt, Dei & hominis: ne ſi duas faciat, quaternitas incipiat eſſe, non trinitas. Quoniam itaque gemina quidem ſubſtantia; ſed vna perſona eſt, propterea quod dictum eſt, deſcendi de cœlo, refertur ad Dei excellentiam: quod vero adiunctum eſt, non vt faciam voluntatem meam, propter Adam qui fecit ſuam, refertur ad hominis obedientiam: vtrumque autem Chriſtus, id eſt, Deus & homo, tamen obedientia in illo, quæ contraria eſt inobedientiæ primi hominis, ſecundum id quod homo eſt, commendatur. Vnde ait Apoſtolus: Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per obedientiam vnius hominis, iuſti conſtituentur multi. Idem habet cap. 18. Et lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 3: Quid eſt, ad me veniet, niſi credet in me? ſed vt fiat, pater dat.

Rom. 6.

2 Tim. 2.

Rom. 5.

Aug.

Aug. Et hom. 21: Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eijciam foras. Magnum penetrale, & dulce ſecretum, ſine tædio, ſine amaritudine malarũ cogitationum, ſine interpellatione tentationum, & dolorum. Nonne illud ſecretum eſt, quo intrabit ille, cui dicturus eſt Dominus: Serue bone, meritò intra in gaudium Domini tui? Ego & eum qui venit ad me, inquit, non eijciam foras, & qui ad me venit, humilis fit: qui mihi adhæret, humilis erit: quia non faciet voluntatem ſuam, ſed Dei, & ideo non eijcietur foras. Hæc eſt autem volũtas eius qui miſit me patris, vt omne quod dedit mihi pater, nõ perdam ex eo ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die. Ipſe illi datus eſt qui ſeruat humilitatem, & hoc accipit: qui non ſeruat humilitatem, longè eſt à magiſtro humilitatis. Vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo. Hæc non eſt voluntas in conſpectu patris mei, vt pereat vnus de puſillis iſtis. De tumentibus poſſunt perire, de puſillis nihil periet, quia niſi fueritis de puſillis iſtis, non intrabitis in regnum cœlorum. Omne quod dat mihi pater, non perdam ex eo, ſed reſuſcitabo illud in nouiſſimo die. Videte quemadmodum & hic geminam illam reſurrectionem definiat.

Fulg. Fulgent. lib. 2. ad Traſim. Reg. cap. 5: Hinc quidam, cum audiunt deſcendiſſe, deſcenſionem eius aſſirmare nituntur localem, quia neſciunt Dei, ſicut oportet conſiderare virtutem, nec valent agnoſcere, ſic pro homine Deum hominem factum, vt accepta hominis forma, maneret immutabilis diuina ſubſtantia: nec ſic intelligunt, temporaliter natum, vt ſemper fuiſſe teneant ſempiternum. Hi ſunt qui etiam conſiderare contemnunt, qualiter deſcenderit, cum perſeueraret immenſus: vel qualiter humiliatus ſit, qui maneret altiſſimus. Si enim eius natura quæratur, eſt eſſentialiter Deus: quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Eſt e-

tiam ſempiternus, quia ſempiterna Dei virtus eſt, atque diuinitas. Eſt immenſus quia de ipſo Hieremias dicit: Magnus eſt, & non habet finem: excelſus, & immenſus. Vt hæc de filio ſe dixiſſe demonſtraret, adiecit: Hic Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum. Adinuenit omnem viam diſciplinæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſthæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Altiſſimum verò quis audeat Dei filium denegare? De quo Dauid dicit: Mater Sion dicet homo, & homo factus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. De quo etiam Zacharias, naſcente Ioanne, ſic prædicat: Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius. Si ergo docetur eſſe naturaliter Deus, ſi immenſus, ſi altiſſimus, ſi eſt etiam ſempiternus, dicatur, quid melius Deo, quid maius immenſo, quid ſuperius altiſſimo, quid anterius ſempiterno? Deus igitur non diſcrepat à patre, immenſus non caret patris æqualitate, nec celſitudine priuatur altiſſimus, nec eſt origine poſterior ſempiternus. Nam quia in Deo patre nil poteſt eſſe mutabile, ex Deo natus eſt Deus: quia nihil locale, ex immenſo proceſſit immenſus: quia in Deo humile aliquid non eſt, altiſſimum generauit altiſſimus; & quia initiatum nihil in Deo poterit reperiri, ſempiternum protulit ſempiternus.

Bar. 3. Pſal. 86 Luc. 1. Chriſtus eſt naturaliter Deus, immenſus, altiſſimus, ſempiternus.

Cyr. Cyrill. Alexand. lib. de recta fide ad Theodoſium: Quamuis verum ſit dicere quod non deſcenderit quidem de cœlis caro; ſed fuerit ex Virgine ſecundum ſcripturas. Non eſt autem eſibile verbum, ſed in vnum ambo colligens, ſecundum diſpenſatiuam vnionem, naturarum proprietates innumeris à nobis videntur rationibus. Cyr. Et lib. de recta fide ad Reginas: Deſcendiſſe, inquit, ſe de cœlo, miſſumque eſſe à Deo, & patre, quamuis omnia impleat, illud, opinor, demõſtrans, & conſtituens omnibus manifeſtum, quod Deus exiſtens verbum, deſcenderit diſpẽſatiuè ad humanitatem propter nos, non dimittendo quod erat natura Deus, ſed aſſumendo magis id quod non erat, vt corpore, quod ſibi vnitum, & ſuum erat proprium; ad breue tẽpus dato morti nihil perdat ex his quæ data ſunt ipſi, ſed ſeruet potius, ac reſuſcitet illa in nouiſſimo die. Vnde dicens quod faciat voluntatem Patris, & minimè ſuam, Iudæorum inſaniam redarguit, & obliquè perſtringit, quaſi ſemper ſuam facientes voluntatem, & diuinam deſpicientes legem, nihilque facientes, quod Domino probabatur. Nam & ante teſtificatus ſuam obedientiam, illorum accuſauit inobedientiam. Dixit enim & alio loco ad illos, quaſi perſequi, & odio habere, iniuſtamque in illam ſententiam pronunciare volentes: Vos ſecundum carnem iudicatis, ego non iudico quemquam. Etſi ego iudico, iudicium meum iuſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. Itaq; diſpenſatiuè illa loquitur. Veruntamen & illud, obſecro, conſideremus. Ex cœlo deſcendens vt Deus, datos ſibi eſſe dicit à patre eos qui in ſe crediderunt, vt non perdat illos, ſed vt reſuſcitet in nouiſſimo die. Quomodo igitur ſuſcitauit? nonne ſcilicet propter ſuam reſurrectionem ex mortuis? Nam cùm viuificaſſet & ante alios ſcilicet ſuum templum, & mortis imperium concuſſiſſet, per mortem ſuæ carnis, via facta eſt humanæ naturæ, ad reſurrectionem, & ad hoc, vt poſſit corruptioni prævalere. Igitur proprium Dei verbi, quod deſcendit de cœlo, per quod factus eſt primogenitus ex mortuis, vt ſequatur & illum, qui reſurrexit ad vitam, etiam hoc quod ei datum, & non iam propter præuaricationem protoplaſti pereat, ſed ſeruetur magis propter obedientiam Chriſti. Datos autem, inquit ſibi eos, qui in ipſum fidem tenent, ac ordinant, iterum vt homo factus. Nam propria hæreditas eius, omnia quæ à patre. Quoniam autem vt dixi particeps fuit ſanguinis & carnis, iam credimus vt Deo: atque hac ratione dationis nomen ſimul aduenit. Qui enim ante carnem rex, & cum carne regnauit ſuper nos. Vnde & quaſi principatum gerere oporteat, introductus eſt, quando factus eſt, ſicut nos: Dominus, inquit, dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Igitur accipit humanè quæ ipſius ſunt, quamuis omnibus, vt Deus dominetur.

Not. 7. verſ. 14.

Amb. AMBR. in fragmento de fide reſurrectionis: Totum ergo hominem (ſicut dictum eſt) filius Dei ſuſcepit ex Virgine, totum integrum reſuſcitauit, id eſt, animam, & corpus, adimplens ſententiam ſuam, qua ait: Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, & non perdam ex eo quicquam, ſed ego ſuſcitabo illud in nouiſſimo die. Quod dictum tam de ſe, quam de membris ſuis Dominum Chriſtum dixiſſe intelligimus, qui ſuo, & membrorum ſuorum ore in omnibus ſanctis loquitur libris.

Eut. Euth. Ioan. 6: Atqui omnes tunc reſuſcitabit, & qui ſalui erunt, & qui peribunt, tam fideles, quam infideles; ſed reſurrectionem hoc loco appellat eam, quæ erit ad requiem, non quæ ad ſupplicium. Reſurrectio duplex

Ver. 16.

Amb. Ambroſ. lib. 6. de Sacramentis cap. 1: Sicut verus eſt Dei filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi filius ex ſubſtantia Patris: ita vera caro, ſicut ipſe dicit, quam accepimus, & verus eius ſanguis eſt potus. Fortè dicas: Quomodo vera? qui ſimilitudinem video, non video ſanguinis veritatem. Primo omnium dixi tibi de ſermone Chriſti, qui operatur vt poſſit mutare, & conuertere genera inſtituta naturæ. Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam eſſet horror cruoris, ſed maneret gratia redemptionis, ideo in ſimilitudinem quidem accipis ſacramentum, ſed veræ naturæ gratiam virtutemque conſequeris. Ego ſum, inquit, panis viuus, qui

Sermo Chriſti eſt operatorius.

qui de cœlo deſcendi; ſed caro non deſcendit è cœlo, hoc eſt, carnem in terris aſſumpſit ex virgine. Quomodo ergo deſcendit panis è cœlo, & panis viuus? Quia idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, conſors eſt, & diuinitatis, & corporis. Et tu quia accipis panem, diuinæ eius ſubſtantiç in illo participaris alimento.

Eut. Euth. Ioan. 6: Quando panem dedit eis, impleuitque ventrem; & prophetam eſſe dicebant, & regem creare volebant: vbi verò de cœleſti pane, & ſpirituali cibo, vitaque æterna diſſeruit, turbabantur, ac genus ipſius attenuabant, de quibus bene dixit Paulus: Quorum Deus venter eſt. Nam fingebant ſe indignari quod dixiſſet: De cœlo deſcendi; quum veriùs indignarentur quod rurſum eos non pauiſſet, ſicut ſperauerant. Si enim ob illud indignati fuiſſent, interrogaſſent vtique quomodo panis eſſet, quomodo de cœlo deſcendiſſet.

Philip. 3.

Not. 8. ver. 17.

Chryſoſt. Chrysost. hom. in Pſal. 115: Scio ego quoque aliam eſſe fidem, de qua Apoſtoli dicebant: Adijce nobis fidem, & aliam hanc per quam ſumus omnes fideles, ſigna quidem non facientes, ſed habentes cognitionem pietatis. Atqui hic quoque eſt nobis opus auxilio ſpiritus. Etenim de quopiam ſcribit Lucas, quod aperuit cor eius, vt attenderet ea quæ dicebantur à Paulo. Et Chriſtus: Nemo venit ad me, niſi Pater traxerit eum. Si hoc ergo Dei eſt, quomodo peccant qui non credunt, cum nec ſpiritus opem ferat, nec pater trahat, nec in viam deducat filius? De ſeipſo enim dicit: Ego ſum via. Hoc autem dicit oſtendens ſe opus eſſe ad hoc, vt adducantur ad patrem. Si ergo pater trahit, filius deducit, ſpiritus illuminat: quid peccant qui neque tracti ſunt, neque deducti, nec illuminati? Quoniam non præbent ſeipſos dignos vt eam ſuſcipiant illuminationem. Vide ergo hoc eueniſſe Cornelio. Neque enim hoc ille domi apud ſe inuenit, ſed eum Deus vocauit, quoniam ipſe præoccupans, ſeipſum dignum reddidit.

Act. 16. Quæſtio. Solutio. Act. 10.

Euth. Euth. Ioann. 6: Chriſtus autem non dixit, non ſolum filius Ioſephi, neque quicquam de genere ſuo docuit, ſciens quod illi nondum audire poterant, admirandum ſui partum, & multo minus æternam ſui generationem, ac natiuitatem: Ideo diſpenſatoriè ſermonem de his rebus prætermiſit, ne vno offendiculo ſublato aliud excitaret. Acceſſum ad ſe dicit, non qualemcumque; ſiquidem, & illi, & multi alij ad ipſum veniebant. Sed eum qui ex fide eſt. Quod autem dicit, hoc eſt: Merito non creditis mihi, neque enim attracti eſtis à patre, vt pote indigni. Nemo enim poteſt venire ad me, ſiue credere in me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Nam & ſuperius dixit: Omne quod dat mihi Pater ad me veniet.

Proſp. Proſp. lib. 2. de vocatione Gentium cap. 9: Sicut animus nihil virtutis capit, niſi radium veri acceperit luminis, ita gratia nihil ei quem vocat, confert, niſi oculos in eo aperuerit voluntatis, quæ in pleriſque (ſicut ſuperius diſputatum eſt) ab ipſo initio ſui ardentiſſima citis, & magnis ditatur augmentis: in pleriſque autem, tardè cunctanterque proficiens, vix ad ea incrementa prouehitur, quæ idoneam ad perſeuerandum habeant firmitatem. Dicit quidem Dominus: Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me, attraxerit eum. Sed hoc ideo dictum eſt, vt illam fidem ſine qua nemo ad Chriſtum venit, ex patris haberi munere nouerimus, ſecundum illud quod Apoſtolo dicitur: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelabit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. Qui in cordibus trahendorum hoc egit vt crederent, hoc effecit vt vellent. Non enim eſſet, vnde traherentur, ſi ſequaces fide, & voluntate non eſſet: quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt, neque accedunt qui diſſentiunt, ſed recedunt. Qui ergo veniunt, amore ducuntur: dilecti enim ſunt, & dilexerunt: quæſiti ſunt, & quæſierunt: & quod eos voluit Deus velle, voluerunt: qui ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem quæ poteſt nolle, non auferat. Alioquin nemo vnquam fidelium receſſiſſet à fide. Neminem concupiſcentia vinceret, neminem triſtitia elideret, neminem iracundia debellaret, nullius charitas refrigeſceret, nullius patientia frangeretur, & collatam ſibi gratiam nemo negligeret.

Aug. Aug. lib. 1. contra duas epiſt. Pelagianorum, cap. 3: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Vbi ne quiſquam putet aliud dictum eſſe, venire ad me, quam credere in me, paulo poſt cum de ſuo corpore, & ſanguine loqueretur, & ſcandalizati eſſent plurimi in ſermone eius, ait: Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt. Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt. Deinde ſubiunxit Euãgeliſta: Sciebat enim Ieſus ab initio qui eſſent credentes, & quis traditurus eſſet eum, & dicebat, propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo: ſententiam ſcilicet iterauit qua dixerat, nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me traxerit eum. Et hoc propter credentes, & non credentes ſe dixiſſe manifeſtauit, exponens quod dixerat: niſi pater qui miſit me traxerit eum: id ipſum alijs verbis repetendo in eo quod ait: niſi fuerit ei datum à patre meo. Ille quippe trahitur ad Chriſtum cui datur vt credat in Chriſtum. Idem habet cap. 19. Et lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 5: Niſi donum Dei eſſet etiam ipſa ad Deum noſtra conuerſio, non ei diceretur Deus virtutum conuerte nos. Et, Deus tu conuertens viuificabis nos. Et: Conuerte nos Deus ſanitatum noſtratum, & huiuſmodi alia quæ commemorare longum eſt. Nam & venire ad Chriſtum, quid eſt aliud niſi ad eum credendo conuerti? Et tamen ait: Nemo poteſt venire ad me, niſi datum fuerit ei à patre meo, dicit idem lib. 2. de bono perſeuerantiæ

Aug. Pſal. 79. Pſal. 84.

Aug. rantiæ cap.14. Et ſer. 2. de verbis Apoſtoli: Non dixit: Duxerit, ſed traxerit. Iſta violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? Crede & venis, ama, & traheris. Ne arbitreris iſtam aſperam, moleſtamque violentiam; dulcis eſt, ſuauis eſt, ipſa ſuauitas te trahit. Nonne ouis trahitur, cum eſurienti herba monſtratur? Et puto, quia non corpore impellitur, ſed deſiderio colligatur. Sic & tu veni ad Chriſtum, noli longa itinera meditari, vbi credis, ibi venis. Ad illum enim, qui vbique eſt amando venitur, non nauigando. Sed quoniam etiam in tali itinera abundant fluctus, & tempeſtates diuerſarum tentationum, in crucifixum crede vt fides tua lignum poſſit aſcendere. Non mergeris, ſed ligno portaberis. Sic ſic in huius ſæculi fluctibus nauigabat ille qui dicebat: Mihi autem ab-
Gal. 6 ſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Idem Fuſius docet tract. 26. in Euang. Ioan.

Not. 9. verſ. 18.

Aug. A v g. lib. 1. de prædeſt. Sanct. cap. 8: Quid eſt omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: niſi nullus eſt qui audiat, & diſcat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit: profecto omnis qui non venit, non audiuit à Patre, nec didicit: nam ſi audiuiſſet, & didiciſſet, veniret: Neque enim vllus audiuit, ac didicit, & non venit; ſed omnis, vt ait Veritas, qui audiuit à Patre, & didicit, venit. Valde remota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua Pater auditur, & docet vt veniatur ad filium. Ibi eſt & ipſe filius, quia ipſe eſt verbum eius, per quod ſic docet; nec agit hoc cum carnis aure, ſed cordis ſimul, eſt & ibi ſpiritus patris, & filij: neque enim ipſe non docet, aut ſeparatim docet, inſeparabilia quippe dicimus eſſe opera Trinitatis, & ipſe eſt vtique Spiritus ſanctus, de quo Apoſtolus dicit, habentes autem eundem ſpiritum fidei. Sed ideo patri hoc potiſſimum eſt attributum, quia de ipſo eſt genitus vnigenitus, & de ipſo procedit Spiritus ſanctus. Multos venire videmus ad filium, quia multos credere videmus in Chriſtum; ſed vbi & quomodo à Patre audierint hoc, & didicerint, non videmus. Nimirum gratia iſta ſecreta eſt, gratiam vero eſſe quis ambigit? Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur vt cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo pater intus auditur, & docet vt veniatur ad filium, aufert cor
Ezech. 11 lapideum, & dat cor carneum, ſicut Propheta prædicante promiſit. Sic quippe facit filios promiſſionis, & vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Cur ergo non omnes docet, vt veniant ad Chriſtum? niſi quia omnes quos docet, miſericordia docet: quos autem non docet, iudicio non docet, quoniam cuius vult miſeretur, & quem vult, obdurat; ſed miſeretur
Rom. 9 bonum tribuens: obdurat digna retribuens. Aut ſi & iſta, vt quidam diſtinguere maluerunt, verba ſunt eius, cui Apoſtolus ait: Dicis itaque mihi, vt ipſe dixiſſe accipiatur: ergo cuius vult, miſeretur, & quem vult obdurat, & quæ ſequuntur, id eſt, quid adhuc conqueritur: nam voluntati eius quis reſiſtit? nunquid reſponſum eſt ab Apoſtolo: O homo falſum eſt quod dixiſti? Non, ſed reſponſum eſt: O homo, tu quis Rom. 9
es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: quare ſic me feciſti? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem facere maſſa, & ſequentia quæ optime noſtis: & tamen ſecundum quendam modum, omnes pater docet venire ad ſuum filium. Non enim fruſtra ſcriptum eſt in Prophetis: Et erunt omnes do- Esa. 54
cibiles Dei. Quod teſtimonium cum præmiſiſſet, tunc ſubdit: Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Sicut ergo integrè loquimur, cum de aliquo litterarum magiſtro, qui in ciuitate ſolus eſt, dicimus. Omnes iſte hic litteras docet, non quia omnes diſcunt, ſed quia nemo niſi ab eo diſcit, quicumque ibi litteras diſcit: ita rectè dicimus, omnes Deus docet venire ad Chriſtum: non quia omnes veniunt; ſed quia nemo aliter venit. Cur autem non omnes doceat, aperuit Apoſtolus, quantum aperiendum iudicauit: quia volens oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, attulit in multa patientia vaſa iræ quæ perfecta ſunt in perditionem, & vt notas faciat diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Hinc eſt quod verbum crucis percuntibus ſtultitia eſt: his autem qui ſalui fiunt, virtus Dei eſt. 1 Cor 1.
Hos omnes docet venire ad Chriſtum, Deum, 1 Timot. 2
hos omnes vult ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Nam etſi illos quibus ſtultitia eſt verbum crucis, vt ad Chriſtum venirent docere voluiſſet, procul dubio venirent & ipſi. Non enim fallit aut fallitur, qui ait: Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. Abſit ergo vt quiſquam non veniat, qui à patre audiuit, & didicit. Quare, inquiunt, non omnes docet? ſi dixerimus, quia nolunt diſcere quos non docet, reſpondebitur nobis, & vbi eſt quod ei dicitur: Domine, tu conuertens viuificabis Psal. 84.
nos? aut ſi non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Eccleſia ſecundum præceptum Domini pro perſecutoribus ſuis? Nam ſic etiam voluit intelligi ſanctus Cyprianus quod dicimus: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra, hoc eſt, ſicut in eis qui iam crediderunt, & tanquàm cœlum ſunt; ita & in eis qui non credunt, & ob hoc adhuc terra ſunt. Quid ergo oramus pro nolentibus credere, niſi vt Deus in illis operetur & velle. De Iudæis certè Apoſtolus ait: Fratres, bona voluntas quidem cordis mei, & Rom. 10.
deprecatio ad Deum, pro illis ſit in ſalutem. Orat pro non credentibus, quid niſi vt credant? non enim aliter conſequuntur ſalutem. Si ergo fides orantium Dei præuenit gratiam: nunquid eorum fides pro quibus oratur, vt credant, Dei præuenit gratiam? Quandoquidem hoc pro eis oratur, vt non credentibus, id eſt, fidem non habentibus, fides ipſa donetur. Cum igitur Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam

dam non credunt; ſed qui credunt prædicatore foriníecus ſonante, intus à patre audiunt, atque diſcunt, qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque diſcunt, hoc eſt, illis datur vt credant, illis non datur; quia nemo, inquit, venit ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Ergo trahi à Patre ad Chriſtum, & audire, ac diſcere à Patre, vt veniat ad Chriſtum, nihil aliud eſt, quam donum accipere à Patre, quo credat in Chriſtum. Neque enim audiẽtes Euangelium à non audientibus, ſed credentes à non credẽtibus diſcernebat, qui dicebat: Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo. Et lib. 1. de prædeſt. Sanct. cap. 8: Habet iſtud dici, poſtea ver. 34. apertiùs.

Aug. Et lib. 1. de gratia Chriſti contrà Pelag. & Celeſt. cap. 12: Hac autem gratia qua virtus in infirmitate perficitur, prædeſtinatos, & ſecundum propoſitum vocatos, ad ſuam perfectionem, glorificationemque perducit. Qua gratia agitur non ſolum vt facienda nouerimus, verumetiam vt cognita faciamus: nec ſolum vt diligenda credamus, verumetiam vt credita diligamus.

Aug. Et cap. 13: Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt, certe ſic dicatur, vt altius, & interius eam Deus cum ineffabili ſuauitate credatur infundere, non ſolum per eos qui plantant, & rigant extrinſecus, ſed etiam, per ſeipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, ita vt non oſtendat tantummodo veritatem, verumetiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, ſimul donans, & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere. Vnde ad Theſſa. ſic Apoſtolus loquitur: De charitate autem fraternitatis non opus habetis vobis ſcribi: nam ipſi vos à Deo didiciſtis, vt diligatis inuicem. Atque vt probaret eos à Deo didiciſſe, ſubiungit: Etenim facitis illud in omnes fratres, in vniuerſa Macedonia. Tanquam hoc ſit certiſſimum iudicium quod à Deo didiceritis, ſi id quod didiceritis feceritis. Iſto modo ſunt omnes ſecundum propoſitum vocati, ſicut ſcriptum eſt in Prophetis: Docibiles Dei. Qui autem nouit quidem quid fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem: non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum litteram. Quamuis multi, quod imperat lex, facere videantur timore pænæ, non amore iuſtitiæ, quam dicit Apoſtolus, iuſtitiam ſuam, quæ ex lege eſt, tanquam ſit imperata, non data, Si autem data eſt, non dicitur iuſtitia noſtra, ſed Dei, quia ſic ſit noſtra, vt ſit nobis ex Deo, dicit enim: Vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed eam quæ ex fide eſt Ieſu, iuſtitiam ex Deo. Tantum igitur inter legem diſtat, & gratiam, vt cum lex eſſe non dubitetur ex Deo, iuſtitia tamen, quæ ex lege eſt, non ſit ex Deo, ſed iuſtitia quæ per gratiam conſummatur ex Deo: quia ex lege iuſtitia dicitur, quæ fit propter legis mandatum: iuſtitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, vt non ſit terribile, ſed ſuaue mandatum, ſicut oratur in Pſalmo: Suauis es Domine, & in tua ſuauitate doce me iuſtitiam tuam: id eſt, vt non formidine pœnæ cogar eſſe ſub lege, ſed libera charitate delecter eſſe cum lege. Præceptum quippe liber facit, qui libens facit. Et hoc modo quiſquis diſcit, agit omnino quicquid agendum didicerit.

Aug. Et cap. 14: De iſto docẽdi modo etiam Dominus ait: Omnis qui audiuit à patre meo, & didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur, audiuit quidem, & didicit ſibi, eſſe veniendum, ſed facere non vult quod didicit. Prorſus non rectè dicitur de iſto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim, ſicut Veritas loquitur: Omnis qui didicit, venit: quiſquis non venit, profectò nec didicit. Quis autem non videat, & venire quemquam, & non venire arbitrio voluntatis? ſed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit; non autem poteſt niſi adiutum eſſe, ſi venit; & ſic adiutum, vt non ſolum quid faciendum ſit ſciat, ſed quod ſcierit etiam faciat. Ac per hoc quando Deus docet, non per legis litteram, ſed per ſpiritus gratiam ita docet, vt quod quiſque didicerit, non tantum cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et iſto diuino docendi modo etiam ipſa voluntas, & ipſa operatio, non ſola volendi, & operandi naturalis poſſibilitas, adiuuatur: ſi enim ſolum poſſe noſtrum hac gratia iuuaretur, ita diceret Dominus: Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, poteſt venire ad me. Non autem ita dixit, ſed omnis, inquit, qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me.

Marginal notes: Theſ 4. — Eſa 54 — Philip. 3. — Quæ ſit iuſtitia ex lege, & iuſtitia ex Deo — Pſal. 118 — Quis agat quicquid agendum didicerit. — Docendi modus ſecundus. — Vt venire, & non venire à libero perdet arbitrio. — Duplex modus docendi. — Secundo modo docẽdi, & voluntas, & operatio iuuatur.

Not. 10. verſ. 19.

Euth. EVTH. Ioan. 6: Niſi is, qui eſt à Deo. Niſi is, qui natus eſt à Deo. Hoc enim nunc ſignificat eſſe à Deo. Et quare id non poſuit manifeſtius? Propter illorum inſenſibilitatem: ſi enim quum dixiſſet, de cœlo deſcendi; offendiculum paſſi ſunt, quidnam illis accidiſſet, ſi id etiam planius dixiſſet? Hic vidit patrem, vt pote eiuſdem naturæ, ſubſtantiæ, & ſcientiæ, & qui eſt in ſinu patris. Atqui etiam Spiritus ſanctus videt eum tanquam & ipſe eiuſdem naturæ, ſubſtantiæ, & ſcientiæ, & qui eſt in patre; ſed nondum tempus erat, vt de Spiritu ſancto doceret: nam qui de filio adhuc non crediderant, nequaquam de Spiritu ſancto crediſſent. Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternã. Hoc etiam ſuperius dixit, quum ait: Vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 5. de incomprehenſibili Dei natura: Viſionem hic rurſus cognitionem appellat. Nec vbi, nullus vidit patrem dixiſſet, tacuit; ne quis de hominibus tantum hoc dici exiſtimaret: ſed quum oſtendere vellet, nec Angelos, nec Archangelos, nec Virtutes omnino ſupernas cognoſcere, certum hoc ipſum ex his, quæ adiunxerat, reddidit. Quum enim præpoſuiſſet, non quia patrem vidit quiſquam, addidit: Niſi is, qui ex Deo eſt, hic vidit patrem, Nam ſi, nullus, tantummodo dixiſſet, complures credo

Marginal notes: Eſſe à Deo quid ſit. — Patri filius æqualis, ſicut & ſpiritus ſanctus. — Videre quid ſit. — Quomodo nullus patrem viderit.

credo

credo de natura dumtaxat humana hoc dici arbitrarentur: Nunc vero quod vbi, nullus, præpoſuit, adiunxerit, niſi filius, ea ipſa vnigeniti adiectione, omnem ſecludit creaturam. Quid igitur? Nunquid Spiritus etiam ſanctus ſecluſus eſt? Nequaquam, pars enim creaturæ ille non eſt. Vocabulum id autem, nullus, ſemper ad diſtinguendam creaturæ tantum conditionem poni ſolitum eſt. Itaque fit, vt nec ſi de patre agitur, filius remoueatur. Nec ſi de filio, ſpiritus vnquam ſecludatur. Atque vt hoc ipſum continuo explanetur, videlicet verbum hoc, nullus, non ad Spiritus ſancti ſecluſionem, ſed ad creaturæ, poſitum, dum de ea ipſa cogitatione filij vnius diſſeritur. Audiamus quid Paulus ad Corinthios ſcribat: Quis enim ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nullus cognouit, niſi Spiritus Dei. Quemadmodum igitur eo loco cum, nullus, dicatur, non ſeiungitur filius: ſic etiam hic vbi de Chriſto, nullus, poſitum eſt, non Spiritus ſecluditur ſanctus. Patet ergo hoc ita eſſe, vt propoſuimus. Quoties igitur audis, vnus, & nullus, & cætera generis eiuſdem: non Trinitatis opinionem diminui; ſed quantum inter eam & creaturam intereſt, verbis his ipſis ſignari arbitrare. Quippe cum etiam alibi dicat: Quis cognouit ſenſum Domini? Quod quidem, quis, nec filium, nec ſpiritum à cognitione ſecludere, oſtenſum iam his, quæ ſupra diximus, eſt, quum teſtimonium afferemus illud. Quis enim ſcit quæ ſint hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nullus cognouit, niſi ſpiritus Dei. Ad hæc filius ait: Nullus cognoſcit filium, niſi pater: neque patrem quis cognoſcit, niſi filius. Igitur & hoc loco ad eandem ſententiam accipe: Non quia patrem quis vidit, niſi qui eſt ex Deo, hic vidit patrem: plene, & exquiſite illum nouiſſe, & cauſam quamobrem nouerit, dicit, quoniam ex eo eſt. Cuius item documentum, quod cum nouerit exquiſite. Hinc enim apertè eum nouit, quia ex eo eſt, argumentoque eſt, ex eo quod eum plane, aperteque cognoſcit. Subſtátia namque ſubſtantiam ſuperiorem nunquam perfectè intelligere poteſt, etiamſi parum intereſt. Sed ne rationibus noſtris hęc confirmemus, ſcripturam iterum repetamus ſacram, vt inde argumenta longè potiora adducamus. Non quia patrem vidit quiſquam, niſi is, qui ex Deo eſt, hic vidit patrem. Sed quid hoc doceat, nondum id verbum cognitionem vlli plenam, exquiſitamque atteſtatur. Sed creaturam quidem minus eum noſſe ſignat, cum dicat: Non quia patrem vidit quiſquam: filium item noſſe eundem ſignificat, cum addat; niſi is, qui eſt ex Deo, hic vidit patrem. Verum exquiſite eum nouiſſe, & ita, vt ipſe ſe nouit, nondum explicatum eſt. Dixeris enim: eſſe itaque poteſt, vt nec creatura, nec filius eum expreſsè ſciant: ſed quamquam expreſſius quam creatura filius nouerit, tamen plena illa, & exquiſita comprehenſione filium quoque carere. Nam quod eum videt, quidquid tandem eſt, cognoſcere ait: perfectè autem, & abſolutè cognoſcere, & ita vt ſeipſe, nondum oſtendit. Vultis ne igitur huius quoque fidem à ſacris ſcripturis, atque à voce Domini ipſa petamus? Audi quid ad Iudæos ipſe dicat: Sicut cognoſcit me pater, & ego cognoſco patrem. Quid hac cognitione certius quæras? Interroga aduerſarium, an pater filium exquiſite nouit, omnemque eius teneat rationem, nec eum quicquam filij lateat, ſed integram, expletam, & abſolutam quandam cognitionem percallerit. Ita eſt, inquit, ergo cum audis ita filium patrem noſſe, vt & ipſe pater filium nouit: nihil præterea quærere, nihil ambigere debes: cum tam pari modo, inter ſeſe æquent cognitiones.

Omnis creatura excluditur.

Spiritus ſanctus nō excluderetur cum non ſit creatura.

Quid nullus, diſtinguat.

1 Cor. 2.

Rom. 11.

Videre Patrem quid ſit.

Cur ſolus filius patrem vidit.

Patrem filius perfecte nouit.

Pater, & filius ſe inuicem perfectiſſime nouerunt.

Not. 11. verſ. 20.

EVTH. Ioan. 6: Ego ſum panis vitæ. Præterea & hoc in ſuperioribus dixit. Eſt autem panis vitæ, tanquam doctrina nutriens animas, vitamque conſeruans, & hanc æternam. Paulatim autem hos adducit, ac leuiter, quæ ad diuinitatem ſuam ſpectant, aperit.

Euth. Panis vitæ.

Aug. hom. 27: Manna de cælo apertè de ipſo Domino exponitur. Patres veſtri manducauerunt manna in eremo, & mortui ſunt, id eſt, manna quod manducauerunt, non potuit eos à morte liberare. Non quia ipſum manna mortis fuit, ſed quia à morte eos non liberauit. De cælo veniebat manna, ſignificans eum, qui dixit: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Patres veſtri, dicit Dominus, manducauerunt manna in eremo, & mortui ſunt. Quid eſt, patres veſtri? niſi quos infidelitate imitamini, quorum vias, non credendo; & Deo reſiſtendo, ſectamini? Et ſecundum hoc dicitur: Vos ex patre diabolo eſtis. Neque enim diabolus aliquem hominem, aut potentia creauit, vel generando procreauit; & tamen dicitur pater impiorum, non propter generationem, ſed propter imitationem. De bonis quoque dicitur: Ergo Abrahæ ſemen eſtis. Patres noſtri, inquit, eundem cibum ſpiritalem manducauerunt, & eundem potum ſpiritalem biberunt. Erant enim ibi, qui quod manducabant, intelligebant: ibi erant, quibus plus Chriſtus in corde, quam manna ſapiebat in ore. Quid de alijs loquamur? Inde erat primitus Moyſes famulus Domini fidelis in tota domo eius. Idem habet lib. de vtilitate pœnitentiæ cap. 1. Et lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 25: Quod ait Dominus Ieſus: Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit, ſi quis ex ipſo manducauerit, non morietur: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum; quomodo ſit accipiendum merito quæritur. Denique ipſe dicens: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo: oſtendit, quid ſit non ſacramento tenus; ſed reuera corpus Chriſti manducare, & eius ſanguinem bibere: hoc eſt enim in Chriſto manere, vt in illo maneat & Chriſtus. Sic enim hoc dixit, tanquam diceret: Qui non in me manet, & in quo ego

Aug. Mortui ſunt.

Manna de cælo veniebat.

Patres veſtri.

Vt diabolus ſit quorundam pater.

1 Cor. 10.

Heb. 3.

Aug.

Carnem Chriſti mãducare quid ſit.

Manducatio duplex.

ego non maneo, non ſe dicat, aut exiſtimet manducare corpus meum, aut bibere ſanguinem meum. Non itaque manent in Chriſto, qui non ſunt membra eius. Non ſunt autem membra Chriſti, qui ſe faciunt membra meretricis, niſi malum illud pœnitendo eſſe deſtiterint, & ad hoc bonum reconciliatione redierint.

Not. 12. verſ. 21.

Cypr.

CYPR. de ora. Dom. cap. 8: Quando ergo dicit in æternum viuere, ſi quis ederit de eius pane, vt manifeſtum eſt eos viuere, qui corpus eius attingunt & Euchariſtiam iure communicationis accipiunt: ira contra timendum eſt, & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparatur à Chriſti corpore, procul remaneat à ſalute; comminante ipſo, & dicente: Niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.

Periculum eorum qui à Chriſti corpore abſtinent.

Elias.

Elias Cretenſis Epiſcopus in orat. 4. Naz: Panis vitalis, & cæleſtis eſt, quo nomine ſe appellat ipſe, quum in Ioannis Euangelio, inquit: Ego ſum panis ille, qui de cælo deſcendit: ſi quis hoc pane veſcatur, æternum viuet. Atque hunc vitæ panem ſeipſum vocat, hoc eſt, fidem in ipſum, itemque dogmata ſalutaria, & corpus ſuum. Nam per hæc omnia vitam noſtram præſentem, ac futuram quaſi temperat. Eaque de cauſa addidit, æternum viuet; confirmans animum noſtrum, & ad res ſpirituales magis quaſi contentum, ſtudioſumque efficiens. Atqui caro ipſius eſt viuifica; vel qui d. bet intelligi corpus illud eſſe è cælo, quod de virgine ſumpſerat? An omnino ratione vnionis cum viuo, & cæleſti ſermone, qui vita naturaliter eſt, de viuo patre genitus? Nihilo vero minus etiam reſuſcitatum ſanctum ipſius corpus viuificum eſt, & ineffabili modo vnitum cum ſermone viuificante. Propterea ipſius eſſe dicitur, & tanquam vnus cum ipſo conſideratur. Nec enim poſt incarnationem diſtinctioni locus eſt, extra quam, vt agnoſcamus ſermonem à Deo patre venientem, & adſumptum è virgine templum: non illa quidem vnum exiſtentia natura, ſed ratione congreſſus, velutique concurſus illius qui mentis intelligentia percipi nequit. Et vero quia caro Seruatoris viuifica facta eſt, quum eam geſtamus, vitam in nobis habemus. Nam illa ipſa de cauſa quoties mortuos Chriſtus excitabat, non hoc ſolo ſermone, ſoliſque diuinis mandatis efficiebat, ſed etiam in eo velut adiutricem habebat ſacroſanctam carnem ſuam, vt eam viuificam eſſe declararet, quæ vnum cum ipſo facta eſſet. Hactenus Elias.

Panis vitæ quid.

Qui caro Chriſti ſit viuifica. & cæleſtis

Eut.

Euth. Ioan. 6: Viuet in æternum, ſiue ſemper, vt pote nunquam moriturus morte animæ; mors autem animæ eſt ſeparatio à Deo, quemadmodum etiam mors corporis, eſt ipſius ab anima ſeparatio. Nam ipſa anima corpus viuificat; animam vero Deus. Atqui plures perierunt qui doctrinæ Chriſti fuerunt participes: ſed illi tali participatione male vſi ſunt; nunc autem de his eſt ſermo, qui ea bene vſi ſunt, non de illis qui eam prauorum commixtione dogmatum, aut conuerſationis prauitate corruperunt. Oſtendit ergo quod præſtantiorem illis cibum tribuat, quàm fuerit manna, quod comederunt patres eorum in deſerto: illi ſiquidem poſtquam comederunt, mortui ſunt: qui vero ex hoc edunt, viuent in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt. Duobus modis Chriſtus dicitur eſſe panis, ſecundum diuinitatem videlicet, & humanitatem. Poſtquam ergo docuit de modo, qui ſecundum diuinitatem eſt; nunc etiam docet de modo, qui eſt ſecundum humanitatem. Non autem dixit, quem do; ſed quem dabo: daturus namque erat in vltima cœna, quando ſumptum panem, actis gratijs, fregit, deditque diſcipulis, & ait: Accipite, comedite; hoc eſt corpus meum. Dabo in mortem: hic etiam crucifixionem ſuam præſignat. Dicens autem, quem ego dabo, vltroneam fuiſſe ſignificat huiuſmodi paſſionem.

Vita æterna quid. Mors animæ quid. Mors corporis quid

Obiectionis ſolut.

Chriſtus eſt dupliciter panis.

Quando dedit.

Chriſti mors voluntaria.

Not. 13. ver. 23.

Cypr.

CYPR. de Cœna Domini cap. 2: Orta fuerat aliquando, ſicut in Euangelio Ioannis legitur, de nouitate verbi huius quæſtio; & ad doctrinam myſterij huius obſtupuerant auditores, cùm diceret Dominus: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quod quidam, quia non credebant, nec poterant intelligere, abierunt retro: quia horrendum eis, & nefarium videbatur veſci carne humana; exiſtimantes hoc eo modo dici, vt carnem eius vel elixam, vel aſſam ſectamque membratim edere docerentur, cum illius perſonæ caro, ſi in fruſta partiretur, non omni humano generi poſſet ſufficere, qua ſemel conſumpta; videretur interijſſe religio, cui nequaquam vlterius victima ſupereſſet. Sed in cogitationibus huiuſmodi caro, & ſanguis non prodeſt quidquam: quia, ſicut ipſe magiſter expoſuit, verba hæc ſpiritus, & vita ſunt, nec carnalis ſenſus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat, niſi fides accedat. Panis eſt eſca, ſanguis vita, caro ſubſtantia, corpus Eccleſia: corpus propter membrorum in vnum conuenientiam; panis propter nutrimenti congruentiam: ſanguis propter viuificationis efficientiam; caro propter aſſumptæ humanitatis proprietatem. Hoc ſacramentum aliquando corpus ſuum, aliquando carnem, & ſanguinem; aliquando panem Chriſtus appellat, portionem vitæ æternæ; cuius ſecundum hæc viſibilia corporali communicauit naturæ. Panis iſte communis in carnem, & ſanguinem mutatus, procurat vitam, & incrementum corporibus: ideoque ex conſueto rerum effectu fidei noſtræ adiuta infirmitas; ſenſibili argumento edocta eſt viſibilibus ſacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quam ſpirituali tranſitione Chriſto nos vniri. Ipſe enim & panis, & caro, & ſanguis, idem cibus, & ſubſtantia, & vita factus eſt Eccleſiæ ſuæ quam corpus ſuum

ſuum appellat, dans ei participationem.

Eut. Chriſti carnem manducare nō ſolum eſt poſſibile, ſed etiam neceſſariū. Euth. Ioan. 6: Illi quidem hoc impoſſibile iudicabant: ipſe vero omnino poſſibile oſtendit: neque id tantum, ſed etiam neceſſarium. Quod etiam fecit ad Nicodemum. Addit autem & de ſanguine, ſignificans de pane, ac poculo, quæ, vt dictum eſt, daturus erat diſcipulis in vltima cœna.

Ver. 24.

Aug. Aug. ſer. 46. de verbis Domini: Chriſtus exhortatus eſt promiſſione vitæ æternæ, ad manducandum carnem ſuam, & bibendum ſanguinem ſuum.

Eut. Euth. Ioan. 6: Continuè in ſermone de ſacramentis immoratur, rei neceſſitatem oſtendens, puta quod hoc omnino fieri oporteat. Crebro ſermonem de vita & reſurrectione repetit, cupiens eum menti auditorum imprimi. Quæ ergo varijs in locis præmiſimus, ea nunc in ſummam colligenda ſunt. Ex quo omnes homines reſuſcitandi ſunt, omneſque perpetuo victuri:
Reſurrectio duplex. Intelligere conuenit reſurrectionem iuſtorum quidem, eam, quæ erit in fruitione: peccatorum vero, quæ in ſupplicio. Rurſum vitam
Vita æterna duplex. æternam iuſtorum, eam, quæ erit in requie: peccatorum autem quæ in tormentis.

Ver. 25.

Eut. Verus cibus & potus. Euth. Ioan. 6: Verus eſt cibus, ſiue aptiſſimus, vt pote animam, quæ proprijſſima hominis pars eſt, nutriens: & ſimiliter de ſanguine. Aut hoc dixit, confirmans quod non ænigmatice, neque parabolice loqueretur.

Ver. 26.

Aug. Aug. ſer. 11. de verbis Domini: Illud etiam quod ait: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo:
Dubium. quomodo intellecturi ſumus? Nunquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit
1 Cor. 11. Apoſtolus, quod iudicium ſibi manducent, & bibant, cum ipſam carnem manducent, & ipſum ſanguinem bibant? Nunquid & Iudas, magiſtri venditor, & traditor impius, quamuis primum ipſum, manibus eius confectum ſacramentum carnis, & ſanguinis eius cum cæteris
cap. 170 diſcipulis, ſicut apertius Lucas Euangeliſta declarat, manducaret, & biberet, manſit in Chriſto, aut Chriſtus in eo? Multi denique qui vel corde ficto carnem illam manducant, & ſanguinem bibunt, vel cum manducauerint, & biberint, Apoſtatæ fiunt, nunquid manent in Chri-
Solutio. ſto, aut Chriſtus in eis? ſed profecto eſt quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum ſanguinem, quomodo qui manducauerit, & biberit, in Chriſto manet, & Chriſtus in eo. Non ergo quocumque modo quiſque manducauerit carnem Chriſti, & biberit ſanguinem Chriſti, manet in Chriſto, & in illo Chriſtus, ſed certo quodam modo, quem modum vtique ipſe videbat, quando iſta dicebat.

Euth. In Chriſto manere quid ſit. Euth. Ioan. 6: In me manet, vnitur mihi per tranſſumptionem, & communicationem meæ carnis, meique ſanguinis, & vnum corpus mecum efficitur, ac particeps vitæ, quæ in me eſt: Quod ſi ille in me eſt, vtique & ego in illo.

Not. 14. verſ. 27.

AMBR. lib. 4. de fide cap. 5: Quomodo æqualis eſt patri filius, qui dixit, quod propter patrem viuit? Qui hoc proponunt, primum reſpondeant cuiuſmodi vita ſit filij, vtrum ea, quam pater largitus ſit non habenti? ſed quomodo vitam aliquando potuit non habere, cum ipſe ſit vita, ſicut ait: Ego ſum via, veritas, & vita? vita vtique ſempiterna, ſicut virtus eſt ſempiterna. Aliquando ergo, (vt ſic loquar) ſi vitam non habuit, conſiderate quid lectum ſit hodie, de Domino Ieſu, quod mortuus eſt pro nobis, vt ſiue vigilemus, ſiue dormiamus, ſimul cum illo viuamus? cuius mors, vita eſt: huius diuinitas vita non eſt: cum diuinitas vita ſit ſempiterna? An vero vita eius in patris eſt poteſtate? ſed ne corporis quidem ſui vitam in alterius fuiſſe poteſtate memorauit, ſicut ſcriptum eſt: Ego pono animam meam, vt iterum ſumam illam: nemo tollit illam à me, ſed ego pono eam à meipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam; & iterum poteſtatem habeo ſumendi eam: hoc mandatum accepi à patre meo. Eius ergo vita ſecundum diuinitatem in alterius poteſtate indicatur, cuius vita ſecundum corpus alienæ non erat ſubdita poteſtati? Aliena enim poteſtas erit, ſi non erat vnitas poteſtatis. Sed ſicut poteſtatis ſuæ eſſe ſignificat ponere animam, & liberę voluntatis: ita etiam quod ſecundum mandatum depoſuit patris, ſuæ ac paternæ voluntatis ſignificat vnitatem. Ergo ſi vitam filius neque aliquo accepit ex tempore, neque alienæ habet poteſtati ſubditam, videamus qua ratione dixerit: Sicut miſit me viuus pater, & ego viuo propter patrem. Exponamus vt poſſumus, imo ipſe potius exponat. Conſidera igitur quid ante præmiſerit, ait enim: Amen, amen dico vobis: Ante inſtruit quemadmodum audire debeas. Vere, inquit, vere dico vobis: niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Secundum filium hominis ſe dicere ante præmiſit: & tu quod ſecundum filium hominis de carne eſt loquutus, & ſanguine, ad diuinitatem putas eſſe referendum? denique addidit: Caro enim mea vera eſt eſca, & ſanguis meus eſt potus. Carnem audis, ſanguinem audis, mortis Dominicæ ſacramenta cognoſcis, & diuinitati calumniaris? Audi dicentem ipſum: Quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet. Nos autem quotieſcumque ſacramenta ſumimus, quæ per ſacræ orationis myſterium in carnem transfigurantur, & ſanguinem, mortem Domini annunciamus. Ergo poſtea quam ſe loqui ſecundum hominis filium declarauit, & carnem ſæpe repetiuit, & ſanguinem; ſubdidit poſtea: Sicut miſit me viuus pater, & ego viuo propter patrem. Et: Qui manducat me, & ipſe viuit propter me. Quomodo igitur hoc accipiendum putatur: poteſt

[Right margin notes: Amb. Quomodo filius [illegible] propter patrem, cui eſt æqualis. — 1 Theſſ. 5. — cap. 195.]

Duplex cō-paratio. poteſt enim duplex videri comparatio. Prima ita: Sicut miſit me viuus pater, & ego viuo propter patrem. Secunda: Sicut miſit me viuus pater, & ego viuo propter patrem: Ita & qui manducat me, ipſe viuit propter me. Si primam eligunt, hoc ſignificat quod ſicut miſſus ſum à patre, & deſcendi à patre, ita viuo propter patrem. Quaſi quis autem miſſus eſt, atque deſcendit, niſi quaſi filius hominis, ſicut ipſe ſuprà ſapientia dixit: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit filius hominis. Ergo ſi
Io. 3 quaſi filius hominis miſſus eſt, atque deſcendit; ita quaſi filius hominis viuit propter patrem. Denique & qui manducat quaſi filium hominis, & ipſe viuit propter filium hominis. Actum ergo incarnationis ſuæ aduentui comparauit. Quod ſi ſecunda complacuit, nonne & æqualitatem filij cum patre, & ſimilitudinem eius cum homine manifeſta diſtinctione colligimus? Nam quid eſt: Sicut ipſe viuit propter patrem, & nos viuimus propter ipſum: niſi quod
Io. 5. ſic viuificat filius hominis, ſicut pater in filio carnem viuificauit humanam? ſicut enim pater ſuſcitat mortuos, & viuificat: ſic & filius quos vult viuificat, & ipſe Dominus ſupra dixit. Æqualitas ergo filij ad patrem, per vnitatem quoque viuificationis aſtruitur, quando ſic viuificat filius, vt pater. Agnoſce ergo eius vitam, & potentiam ſempiternam. Similitudo etiam noſtra ad filium, & quædam ſecundum carnem vnitas declaratur: quoniam quemadmodum filius à patre, ſicut homo eſt viuificatus in carne.
Rom. 8. Sic enim ſcriptum eſt, quod Deus Ieſum Chriſtum à mortuis ſuſcitauit: Ita etiam nos quaſi homines viuificamur à Dei filio. Secundum hanc ergo expoſitionem, non ſolum ad conditionem humanam deriuatur gratia largitatis, ſed etiam diuinitatis æternitas prædicatur. Diuinitatis, quod ipſa viuificat; humanæ autem conditionis, quod viuificata eſt & in Chriſto. Quod ſi quis vtrumque ad Chriſti refert diuinitatem, ergo filius Dei hominibus comparatur, vt ita filius propter patrem viuat, ſicut nos propter filium Dei viuimus. Sed filius Dei vitam largitur æternam, nos aut largiri nequimus; ergo noſtri comparatione nec illi largitur. Habeant igitur Arriani fidei ſuæ præmiū, ne vitam æternam adipiſcantur à filio. Libet iam vlterius progredi. Nam ſi illis placet hunc locum ad diuinæ perpetuitatem referre ſubſtantiæ, accipiant etiam tertiam expoſitionem. Nonne euidenter videtur dicere: quod ſicut viuus pater eſt, ita viuit & filius. Quod vtique quis non aduertat ad vnitatem vitæ, quod eadem patris, & filij vita ſit, eſſe referendum? ſicut enim pater vitam habet in ſemetipſo, ſic dedit filio vitam habere in ſemetipſo. Dedit per vnitatem, dedit non vt auferat, ſed vt clarificetur in filio: dedit vt complaceat: dedit non vt pater cuſtodiret, ſed vt filius poſſideret. Sed obijciendum putant quod dixit: Ego viuo propter patrem. Vtique
Vt filius propter patrem viuat. ſi ad diuinitatem referunt: propter patrem viuit filius, quod ex patre filius eſt: propter patrem, quod vnius ſubſtantiæ cum patre: propter patrem, quod eructatum eſt verbum ex patris corde; quod à patre proceſſit; quod ex paterno generatus eſt vtero, quod fons pater filij eſt; quod radix pater filij eſt. Sed dicunt fortaſſe: ſi vnitatem putas patris, ac filij vitæ eſſe, cum filius dixerit: Et ego viuo propter patrem, nunquid vnitas eſt filij vitæ, atque hominum, cum dixerit filius: Qui manducat me, & ipſe viuit propter me? Imo plane, ſicut vnitatem fateor eſſe vitæ cæleſtis in patre, & filio, per diuinæ vnitatem ſubſtantiæ; ita vel diuinæ naturæ, vel Dominicæ incarnationis excepto priuilegio, ſocietatem nobis cum vitæ ſpiritalis in filio eſſe profiteor, per humanæ vnitatem naturæ. Qualis enim cæleſtis, tales & cæleſtes. Denique ſicut in illo ſedemus ad dexteram patris, non quod cum ipſo ſedemus, ſed quod ſedemus in Chriſti corpore; ſicut, inquam, ſedemus in Chriſto per corporis vnitatem, ita & in Chriſto viuimus per corporis vnitatem. Non ſolum autem non vereor quod ſcriptum eſt: Et ego viuo propter patrem; ſed etiam, ſi: per patrem; dixiſſet, non vererer. Pſal. 44. 1 Cor. 15.

Cyr. Cōtra eos qui duos Chriſtos ponebant. Cyr. de recta fide ad Reginas: Libenter quærerem ex his, qui vnum diuidunt in duos Chriſtos, vter ſit, qui miſſus à Deo, & patre, & viuens propter illum, exiſtatque propter hoc viuificus. Nam ſiquidem nudum, & ſecundum ſeipſum verbum, quod ex ipſo, quomodo manducatur à nobis, vt viuamus propter ipſum? Deus enim natura incorporeus eſt. Si autem ſolum, & ſecundum ipſum hominem eſſe dicunt miſſum, quomodo igitur eſt viuificus, qui viuit propter patrem? Quamuis, quomodo non omnes qui ſuper terram ſunt, inter viuentes ſumus, viuificante nos Deo, ac patre? Quandoquidem verum eſt quod viuimus in ipſo, & mouemur, & ſumus. Quum igitur omnes viuamus propter patrem, quomodo ſolum vnius hominis corpus viuificum eſt propter hoc? Hanc operationem vtique habent & alia: quandoquidem omnes, vt dixi, ſumus, & viuimus propter patrem. Quid igitur dicimus ad hæc? verbum Dei prodiens in humana forma, appellatum eſt Apoſtolus. Miſſum eſt enim, vt prædicet captiuis remiſſionem, & cæcis viſum. Viuit autem propter patrem. Etenim natum eſt ex viuente patre. Oportebat omnibus modis ſecundum naturam eſſe vitam eum, qui ex viuente, & vitam ex Deo, ac patre prognatum filium. Poſtquam autem proprium fecit corpus, quod è ſancta virgine ſumptum, viuificum fecit illud, & merito. Corpus eſt enim vitæ omnia viuificantis; propterea vnus filius, & Chriſtus, & Dominus non eſt diuidendus in duos filios: quandoquidem ipſe eſt vita quidem, vt eſt ex vita, & viuente patre; viuificus autem propter proprium corpus, vt nobis ſimilis, & homo factus eſt Deus. Act. 17. Vt filius propter patrem viuat.

Eut. Vt filius propter patrem viuat. Euth. Ioan. 6: Sicut qui ſemper viuit pater, miſit me, ita & ego immutabiliter viuo; eo quod à viuente patre natus ſum. In cognitionem nos inducit, quod principium habeat, & non ſit abſque principio, ſicut pater, aut etiam alio modo:

modo, propter patrem, id eſt, quia pater viuit: niſi enim ille viueret, neque ego viuerem: quia vero ille viuit, & ego viuo, & niſi ille haberet quæcumque habet, neque ego haberem quæcumque habeo. Siquidem nobis omnia ſunt eadem, exceptis perſonalibus proprietatibus. Quemadmodum ego viuo, quia natus ſum à viuente patre, ita & qui edit me, ipſe quoque viuet; eo quod me, qui vita ſum, ederit, vitamque participauerit.

Not. 15. verſ. 28.

Eut. EVTH. Ioan. 6: Hic puta, qui vitam præſtat ſempiternam, non mortui ſunt qui illum ederunt, videlicet ſicut patres veſtri comederunt manna, & mortui ſunt. Verum ſicut hi, qui manna illud comederunt, carne mortui ſunt, ita & qui panem hunc edunt, carne moriuntur. Sed hi ſoli quum in ſpe vitæ æternæ moriantur, non videntur mori, ſed obdormire.

Ver. 29.

Aug. Qui ſunt ſcandalizati. Quibus Chriſti ſermo durus ſit. Aug. ſer. 2. de verb. Apoſt: Scandalizati ſunt diſcipuli eius, non quidem omnes, ſed plurimi, dicentes apud ſemetipſos: Durus eſt hic ſermo, quis eum poteſt audire? durus eſt, ſed duris: id eſt, incredibilis, incredulis.

Eut. Sermo durus quis. Qui ſunt ſcandalizati. Euth. Ioan. 6: Durus eſt, hoc eſt, ægrè admitti poteſt hic ſermo, puta de ipſo comedendo: quis illum poteſt admittere? Qui verò hoc dicebant, è diſcipulis quidem eius erant, non tamen è duodecim, ſed è ſeptuaginta.

Ver. 30. 31.

Aug. Chriſtus ſumptus non deficit. Aug. ſerm. 2. de verb. Apoſt: Cogitantibus, nec ſonantibus voce, reſpondit; vt ſe auditos eſſe cognoſcerent, & talia cogitare deſinerent. Quid ſibi vult: Hoc vos ſcandalizat? putatis quia de hoc corpore, quod videtis, partes facturus ſum, & membra mea conciſurus, & vobis daturus? Quid ſi ergo videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius? certè qui integer aſcendere potuit, conſumi non potuit. Ergo & de corpore, ac de ſanguine ſuo dedit nobis ſalubrem refectionem; & tam magnam breuiter ſoluit de ſua integritate quæſtionem. Mãducent ergo qui manducant, & bibant, qui bibunt: eſuriant, & ſitiant, vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare, refici eſt; ſed hic reficeris, vt non deficiat vnde reficeris.

Eut. Chriſtus occulta nouit. Euth. Ioan. 6: Sane, & hoc diuinitatem eius demonſtrabat, puta quæ apud illos occulta erant ferre in medium: nam occulte apud ſe murmurauerant. Deficit, quid dicetis? loquitur autem de futura ſui in cælum aſſumptione. Aſcendentem, quoad humanitatem: vbi prius erat, quoad diuinitatem. Qui enim poteſt hanc carnem reddere cæleſtem, poteſt vtique & ipſam cibum hominum efficere.

Quomodo aſcendit vbi prius erat.

Cyr. Quomodo aſcẽdit vbi prius erat, & quomodo viuificat. Cyr. lib. de recta fide ad Theodoſium: An non dicimus natum eſſe ex muliere Emmanuelem? Quo igitur, vbi prius erat, vel quomodo aſcendit, vbi ſcilicet eſſe dicit illum? Quamuis natum per ſanctam virginem vnito ſibi corpore. An non & otioſam confitebimur fuiſſe terrenam carnem, ad hoc vt poſſet viuificare, quatenus pertinet ad propriam naturam? Quomodo igitur, dic oro, viuificat caro? vel quomodo intelligitur & ex cælo eſſe quod de terra? ſecundum vnionem ſcilicet cum viuente, & cæleſti verbo.

Not. 16. ver. 32.

AVG. ſer. 2. de ver. Apoſt: Tunc autem hoc erit, id eſt, vita vnicuique erit corpus, & ſanguis Chriſti, ſi quod in ſacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritaliter manducetur, ſpiritaliter bibatur. Audiuimus enim ipſum Dominum dicentem: Spiritus eſt qui viuificat, caro autem non prodeſt quicquam. Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt. Sed ſunt, inquit, quidam qui non credunt, ipſi dicebant: Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? Aug.

Ambroſ. lib. 1. de Spiri. ſanct. cap. 19: Sicut pater fons vitæ eſt, ita etiam filium plerique fontem vitæ memorarunt ſignificatum; eo quod apud te, inquit, Deus omnipotens, filius tuus fons vitæ ſit, hoc eſt, fons Spiritus ſancti; quia ſpiritus vita eſt, ſicut Dominus ait: Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt: quia vbi ſpiritus, & vita; & vbi vita, etiam Spiritus ſanctus. Plerique tamen hoc loco patrem volunt tantummodo fontem ſignificatum: quanquam videant quod ſcriptura memorauerit: Apud te, inquit, fons vitæ, hoc eſt, apud patrem filius: quoniam verbum apud Deum, quod erat in principio, & erat apud Deum. Amb. Quomodo & pater, & filius ſit fons vitæ.

Euth. Ioan. 6: Spiritum nunc vocat intellectum ſpiritualem eorum, quæ dicta ſunt. Similiter & carnem, intelligere ea carnaliter: non enim de carne ipſius, quæ viuificat, nunc ſermo eſt. Ait ergo, hæc ſpiritualiter intelligere, vitam præbet, quam ſupra dixi: carnaliter vero ea intelligere, non prodeſt quicquam. Spiritus, & vita ſunt.) Spiritualia, & viuifica ſunt: oportet nãque non ſimpliciter ea intueri, id enim eſt carnaliter intelligere, ſed aliud quidpiam imaginari, & interioribus oculis ea aſpicere, tanquam myſteria; nam hoc eſt ſpiritualiter intelligere. Euth. Quid ſpiritus. Quid caro.

Ver. 33.

Euth. Ioan. 6: Non ſolum præſcientiam, ſed & dementiam ſuam oſtendit, quia non à tempore, quo murmurare cæperunt, verum etiam ab initio cognoſcebat credentes, & tamen omnes pariter docebat. Eut. Chriſti præſcientia, & dementia.

Ver. 34.

Aug. ſer. 2. de ver. Apoſt: Sed vt doceret nos, etiam ipſum credere, doni eſſe, non meriti, ſicut, inquit, dixi vobis; nemo venit ad me, niſi cui datum fuerit à patre meo. Vbi autem hoc Dominus dixerit, ſi ſuperiora Euangelij recolamus, inueniemus eum dixiſſe: Nemo venit ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum. Mirum autem quod prædicato Chriſto crucifixo, audiunt Aug. Ipſum credere Dei donum eſt.

Cur vnus credat, nõ alter. audiunt duo, vnus contemnit, alter aſcendit. Qui contemnit, imputet ſibi: qui aſcendit, non arroget ſibi. Audiuit enim à veraci magiſtro; nemo venit ad me, niſi datum fuerit ei à patre. Gaudeat, quia datum eſt; gratias agat danti, corde humili, non arrogãti, ne quod humilis meruit, ſuperbus amittat. Nam etiam qui iam in ipſa via iuſti ambulant, ſi ſibi eam tribuerint, & viribus ſuis, pereunt de illa. Ideo humilitatem docens nos ſancta ſcriptura, per Apoſtolum dicit: Cum timore, & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini. Et ne ſibi aliquid inde darent, quia dixit: Operamini, cõtinuo ſubiunxit: Deus enim eſt, qui operatur in vobis, & velle, & operari, pro bona voluntate. Deus eſt qui operatur in vobis; ideo cum timore, & tremore vallem facite, imbrem ſuſcipite; depreſſa implentur, alta ſiccantur. Gratia pluuia eſt. Quid ergo miraris, ſi Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam? Ideo cum timore, & tremore, id eſt, cum humilitate. Noli altum ſapere, ſed time: Time vt implearis, noli altum ſapere, ne ſicceris. Phil. 2. Luc. 4.

Eut. Euth. Ioan. 6: Propterea, quia videlicet ſunt qui non credunt. Continue autem Deum patrem ſuum nominat, docens quod non ſit filius Ioſephi, ſicut illi putabant.

Not. 17. verſ. 35.

Cypr. Cypr. epiſt. 55. cap. 3: Nec præpoſitum ſeruum deſeri à quibuſdam, miretur aliquis, quando ipſum Dominum magnalia, & mirabilia ſumma facientem, & virtutes Dei patris factorum ſuorum teſtimonio comprobantem, diſcipuli ſui reliquerint. Et tamen ille non increpuit recedentes, aut grauiter comminatus eſt; ſed magis conuerſus ad Apoſtolus ſuos dixit: Nunquid & vos vultis ire? ſeruans ſcilicet legem, qua homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimet ipſe vel mortem appetit, vel ſalutem. Petrus tamen, ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens, ait: Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes? & nos credimus, & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui: ſignificans ſcilicet, & oſtendens eos, qui à Chriſto receſſerint, culpa ſua perire; Eccleſiam tamen, quę in Chriſtum credat, & quæ ſemel id quod cognouerit, teneat, nunquam ab eo omnino diſcedere; & eos eſſe Eccleſiam, qui in domo Dei permanent. Idem habet epiſt. 69. cap. 4. Abeuntes Chriſtus non increpat, nec eis minatur. Liberum hominis arbitrium. Qui à Chriſto recedunt culpa ſua pereunt. Eccleſia Chriſtum non deſerit. Qui Eccleſiam conſtituant, Cypr.

Eut. Euth. Ioan. 6: Ex hoc, id eſt, ab eo tempore abierunt retrorſum, hoc eſt, abſciſſi ſunt ab eo, qui videlicet antea murmurabant. Retrorſum autem intellige mihi ad vitam priorem, ad quam reuerſi ſunt. Quid ſit retro abire

Vet. 36.

Euth. Euthym. Ioann. 6: Non dixit, abite & vos: nam id repellentis eſſet, ſed blande interrogauit, oſtendens ſibi opus non eſſe miniſterio illorum, neque ſe circunducere illos, ad oſtentationem quodque nullum velit inuitum retinere. Sed neque ægrè tulit, aut redarguit illos, qui retrorſum abierant veluti facere, ſolemus, ducentes huiuſmodi factum, contemptum, aut iniuriam: quia omnia glorię amore facimus.

Ver 37.

Aug. Aug. de 4. fer. cap. 6: Petrus qui ſanctæ figuram portabat Eccleſiæ, reſpondit pro omnibus: Et ad quem ituri ſumus: verbum vitæ habes, & dimittimus te? Videtis dilectiſſimi quid ſit exire, quid permanere. Qui exierunt quia verbum Chriſti non intellexerunt, non iam diſcipuli, ſed hæretici remanſerunt: qui perſtiterunt, verbum vitæ tenuerunt. Quid ſit abire.

Euth. Euth. Ioan. 6: Petrus fratrum amator, pro fratribus omnibus reſpõdet: Domine, ad quem ibimus? vehementem erga illum amorem demonſtrans, quod videlicet neminem habeant, quem ei præponant, non parentes, non cognatos, non amicos, & vt ſemel dicam, neminem inter omnes. Deinde ne hoc dixiſſe videatur quaſi non ſit, qui eos ſuſcipiat, ſubiunxit: Verba vitæ æternæ habes. Verba quæ vitam concilient æternam. Vides quod verba non erant, quæ præbuerant offendiculum, ſed auditorum ſegnities: & quia carnaliter ea intelligebant, non ſpiritualiter. Conſequens etenim, ac neceſſarium fuerat, vt illa dicerentur, propter Iudæorum de manna ſermonem. Oportuit autem auditores, aut ſpiritualiter ea intelligere, aut ſi id necdum poterant, his primum ſuſceptis, poſtmodum de his diligenter interrogare. Et nos credimus, & cognouimus quod tu ſis Chriſtus filius Dei viui. 16. iuxta Matthæum capite dixit idem: Tu es Chriſtus filius Dei viui; ſed tunc quidem Chriſtus illum beatum prædicauit, propter cauſam ibi dictam. Nunc vero quia communiter dixit: Nos credimus, & cognouimus, ſeparat ab illis Iſcariotem tanquam iam fluctuantem. Verba vitæ æternæ.

Chryſoſt. Chryſoſt. homil. in Pſal. 140: Quemadmodum autem ſunt cogitata, & verba improbitatis, ita ſunt etiam verba vitæ. Et ideo Chriſto dicebant diſcipuli: Verba vitæ æternæ habes, & ad quem ibimus? Dicuntur autem verba vitæ, quæ vitam præbent, dicuntur etiam verba ſalutis, quæ ſalutem acquirunt. Quocirca dicit quidam Sapiens, ne prohibeas ſermonem in tempore ſalutis, verba improbitatis ea etiam ſunt, quæ faciunt dicentes improbos. Quemadmodum enim eſt aër peſtilens, & qui morbos procreat: ita etiam verba. Quod autem facit ille in corpore, id ea faciunt animæ, quæ illa ſuſcipit. Verba vitæ. Eccl. 4.

Not. 18. verſ. 38.

Eut. EVTH. Ioan. 6: Nonne ego vos duodecim elegi? Hoc interrogatiuè legendum eſt, & tamen vnus ex vobis, in nullo mea adiutus electione, vtpote liberum habẽs arbitrium ad virtutem, & vitium, diabolus eſt, ſiue diabolicus, & Liberum arbitrium.

 diaboli

diaboli miniſter. Significat itaque in voluntate, ac electione hominis ſitum eſſe vt ſaluetur, aut pereat. Quidam verò diabolum hoc in loco intellexerunt inſidiatorem: nihil ergo nouum quod Iudas quum eligeretur bonam habuerit voluntatem, poſtea autem ſit immutatus, tanquam libero vſus arbitrio.

Epiph. Epiph. hære.58: Diabolus eſt non natura, ſed mente.

Aug. Aug. quæſt.117. in Gen: Nulla tamen eſt facilior ſolutio quæſtionis huius, quam vt per ſynecdochen dictum accipiatur. Vbi enim pars maior eſt, aut potior, ſolet eius nomine etiam illud comprehendi, quod ad ipſum nomen non pertinet: ſicut ad duodecim Apoſtolos iam non pertinebat Iudas, qui etiam mortuus fuit cum Dominus reſurrexit à mortuis; & tamen ipſius duodenarij numeri nomen Apoſtolus in epiſtola ſua tenuit, vbi ait, eum apparuiſſe illis duodecim. Cum articulo enim hoc Græci codices habent, vt non poſſent intelligi quicumque duodecim, ſed illi in illo numero inſignes. Eo modo locutionis puto & illud à Domino dictum: Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt? vt non ad electionem etiam ipſe pertinere videatur. Non enim facilè inuenitur electorum nomen in malo. Quod ſi putauerimus & illum electum, vt per eius traditionem Domini paſſio compleretur, id eſt, malitiam eius ad aliquid electam, bene vtente Deo etiam malis; illud attendamus vbi ait, non de omnibus vobis dico, ego ſcio quos elegi: vbi declarat ad electionem non pertinere niſi bonos. Ac per hoc illud quod dictum eſt, ego vos duodecim elegi: per ſynecdochen dictum eſt, vt nomine maioris, meliorisque partis etiam illud complecteretur quod ad ipſum nomen non pertinet. Hic modus eſt in hoc eodem loco, vbi Emor pro filio ſuo Sichem, vt acciperet Dinam filiam Iacob exijt loqui cum eodem Iacob, & venerunt etiam filij eius, qui abſentes erant, & ad omnes dicit En or. Sichem filius meus elegit animo filiam veſtrã, date ergo illi eam vxorem. Quia enim potior erat patris perſona, per ſynecdochen filiam veſtram dicens, etiam fratres tenuit hoc nomine quorum non erat filia. Hinc eſt & illud, curre ad oues, & accipe inde mihi duos hædos, ſimul enim paſcebãtur oues, & hædi. Et quia potiores ſunt oues, earum nomine etiam caprinum pecus complexus eſt. Sic quia potior erat numerus vndecim filiorum Iacob qui nati fuerant in Meſopotamia, ipſorum commemoratione ſcriptura cõplexa eſt etiam Beniamin, qui non erat ibi natus, & dictum eſt: Hi ſunt filij Iacob qui facti ſunt ei in Meſopotamia Syriæ.

Aug. Et lib. de correp. & gratia cap. 7: Cum audimus: Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt? illos debemus intelligere electos per miſericordiam; illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum ſuum: illum ad effundendum ſanguinem ſuum.

Iſidor. Dei præſcientia neceſſitatẽ actionibus non affert.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 56: Non quia Dominus Iudæ voluntatem, animæque inſtitutum præuidit, idcirco ille in proditionis crimen lapſus eſt: verum quia homo nefarius proditionem parturiebat, ideo is, qui abditos, & occultos pectoris motus cernebat, futura tanquam præſentia præmonſtrauit.

Finis tertiæ partis, continentis acta IESV, *à ſecundo Paſchate, vſque ad tertium; acta nempe ſecundi anni prædicationis ſuæ.*
Anni tertij geſta nunc ſequuntur.

Pars quarta, verſatur in narrandis CHRISTI geſtis, quæ tertio anno prædicationis eius acciderunt: nempe à tertio Paſchate, vſque ad Lazari ſuſcitationem.

CAP. 74. *De lotione manuum, & impiis traditionibus.*

Matt. 15.	*Mar. 7.*	*Luc.*	*Ioan. 7.*
Fer. 4. poſt Dom. 3. Quadr.			*Fer. 3. poſt Dom. Paſſ.*
			1 [Poſt hæc autem, ✠ ambulabat Ieſus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare: quia quærebant eum Iudæi interficere.
2 [Tunc ✠ acceſſerũt ad eum ab Hieroſolymis Scribæ, & Phariſæi.	2 [Et conueniunt ad eum Phariſæi, & quidam de Scribis, venientes ab Hieroſolymis:		

Dicentes:

Matt. 15.

**

6 Dicentes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lauant manus ſuas, cum panem manducant. Ipſe autem reſpondens ait illis:

7 Infra.

8 Infra.

10 Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei, propter traditionem veſtram?

11 Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem: & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

12 Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri, vel matri: Munus, quodcunque eſt ex me, tibi proderit:& non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam.

13 Et irritum feciſtis mandatum Dei, propter traditionem veſtram.

7 Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Iſaias, dicens: Populus hic, labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me.

8 Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.

10 Et conuocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audite, & intelligite: non quod intrat in os, coinquinat hominem; ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

Mar. 7.

3 Et cùm vidiſſent quoſdam ex diſcipulis eius communibus manibus, id eſt, non lotis, manducare panes, vituperauerunt.

4 Phariſæi enim,& omnes Iudæi, niſi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum: & à foro, niſi baptizentur, non comedunt.

5 Et alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare, baptiſmata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.

6 Et interrogabant eum Phariſæi, & Scribæ: Quare diſcipuli tui non ambulant iuxta traditionem ſeniorum; ſed communibus manibus manducant panem? At ille reſpondens, dixit eis:

7 Bene prophetauit Iſaias de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum eſt: Populus hic, labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.

8 In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum.

9 Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptiſmata vrceorum,& calicum: & alia ſimilia his facitis multa.

10 Et dicebat illis: Bene irritum feciſtis præceptum Dei, vt traditionem veſtram ſeruetis.

11 Moyſes enim dixit:Honora patrem tuum, & matrem tuam: & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

12 Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri: Corban, quod eſt,donum, quodcunque ex me, tibi profuerit: & vltra non dimittitis eum quicquam facere patri ſuo, aut matri.

13 Reſcindentes verbum Dei, per traditionem veſtram, quam tradidiſtis.

14 Et ſimilia huiuſmodi multa facitis.

15 Et aduocatis iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite, nihil eſt extra hominem, introiens in eum, quod poſſit eum coinquinare: ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt, quæ communicant hominem.

Luc.

Ioan.

Matt. 15.	*Mar. 7.*	*Luc.*	*Ioan.*
	16 Si quis habet aures audiendi, audiat.		
17 Tunc accedentes diſcipuli eius, dixerunt ei: Scis quia Phariſæi, audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt?			
18 At ille reſpondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur. Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.			
19 Reſpondens autem Petrus, dixit ei: Ediſſere nobis parabolam iſtam. At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur?	19 Et cùm introiſſet in domum à turba, interrogabant eum diſcipuli eius parabolam. Et ait illis: Sic & vos imprudentes eſtis? non intelligitis, quia omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum communicare? quia non intrat in cor eius; ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas.		
20 Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.	20 Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem.		
21 Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. ✠			

Not. 1.

De vanis lotionibus

SVB idem tempus peragrabat Ieſus Galilæam, Iudæam declinans, quod iam Iudæi quærerent illum interficere. Accedentes autem ad illum Phariſæi, de diſcipulis ei, quod non lauarent manus cum manducarent, negotium faciunt. Sed redarguit eos Dominus, quod quæ ſunt foris tantum, emundent, quæ autem ſunt intrinſecus, cordis nempe immunditias, negligant; quodque præcipuum, Dei mandata conculcent, & ſuas traditiones ſeruandas conſtituant. Exprobrat inſuper Dominus, quod & in eo illi irritum fecerunt mandatum Dei propter traditionem hominum, dum contra legem Dei parentes negligerent, quodque illis debebatur, tribuerent ſacerdotibus. Demum quæ ſint quæ hominem poſſint inquinare, docet, ac numerat. Calumniantes itaque Phariſæi diſcipulos, quòd manibus illotis manducarent, confutantur. Matthæus, & Marcus iſtud proximè ijs quæ cap. 72. habuerunt ſubijciunt, idque cum aliqua temporis ſignificatione. Conſtituendum igitur hoc loco fuit præſens argumentum. Nam & Phariſæi ideo veniſſe Hieroſolymis videntur (quanquam dici poſſit hos fuiſſe nonnullos eorum, qui Ieroſolymis domum ex Paſchate redierant) quod Dominus, vt ſolebat, non veniſſet ad Paſcha. Non conſtat an Capharnai hæc contigerint. Ordinem conuenientiorem Marcus videtur ſeruaſſe: Ideo Matthæi narratio aliquantum eſt tranſpoſita. Euthym. Matth. 15. & Mar. 7. Idem à duobus illis Euangeliſtis enarrari aſſerit. Quæ hoc cap. 74. dicuntur, Tatianus harmoniæ cap. 7. & Ammonius harmoniæ cap. 83. & 84. coniungunt cum ijs quæ habentur cap. 110. Cum tamen diuerſa ſint, diuerſiſque locis, ac temporibus acciderint: Eſt nihilominus inter hæc aliqua ſimilitudo, & conuenientia: nam vtrobique agitur de manuum lotione, & humanis traditionibus, & diuinæ legis neglectu.

Ver. 1.

Ver. 1.

Habes hic cur Dominus in Iudæam ire noluerit, ſed in Galilæa manſerit, dicit enim Ioannes Chriſtum poſt ſuperiora verſatum in Galilæa; nec quicquam ſubdit ab eo in Galilæa factum. Ideo autem ait Ioannes cur Dominus in Galilæa manſerit, quod eo tempore ſoleret eſſe in Iudæa.

Eut. Dominus cur cedat. Euth. Ioan. 7: Non enim poterat, id eſt, non erat ſecurus vt verſaretur in Iudæa: tanquam de homine enim hoc dixit Euangeliſta; nam ſicut homo nunc formidat, non mortem fugiēs, Ratio 1. ſed homicidis parcens; & quia tempus ſuæ paſ- Ratio 2. ſionis nondum aduenerat: Siquidem oportebat eum interdum quidem manere inexpugnabilem, vtpote Deum, quandoq; vero tanquam hominem diſpenſatoriè cedere.

Ver. 2.

Eut. Euth. Matth. 15: In vniuerſis quidem duodecim tribubus erant Scribæ, & Phariſæi: cæteris tamen iniquiores erant, qui ab Ieroſolymis erant; vtpote Metropolim inhabitantes, ideoque faſtum maiorem præ ſe ferentes.

Theoph. Theoph. Matth. 15: Quanquam in omnibus locis erant Scribæ, & Phariſæi, magis tamen venerabiles erant Hieroſolymitani: ideo illi magis inuidebant, vtpote inanis gloriæ magis appetentes.

Ver. 3.

Vict. Victor Antioch. Mar. 7: Cum Euangeliſta accuſationem, quam Scribæ, & Phariſæi apud Chriſtum Seruatorem contra diſcipulos illius inſtituerunt, explicare deliberatum haberet; narrationi huic commodè interſerit, cuiuſmodo ſeniorum traditiones extiterint: atque tum demum quid in Apoſtolis calumniati fuerant, exponit. Cum vidiſſent, &c. Non eſt hoc eo ſenſu accipiendum, quaſi diſcipuli manus nullo modo lauerint, non ita enim res habet; verum quia à Domino edocti erant, vt ea, quæ ad explendam communem corporis neceſſitatem faciunt, pro rerum vſu, locique, & temporis commoditate adminiſtrarent; ſoli autem virtutum ſtudio ex animo incumberent; quo tempore cibus ſumendus erat, de receptis apud Phariſæos lauationibus non magnopere curabant. Hoc autem cum Scribæ, & Phariſæi animaduertiſſent, illos veluti vſitatarum traditionum tranſgreſſores, apud Chriſtum accuſabant.

Not. 2. ver. 5.

Eut. EVTH. Matth. 15: Lauabant autem pocula, vrceos, æramenta, & lectos, exiſtimantes ea hoc modo ſanctificari: aliaq; multa huiuſmodi tradebant obſeruanda, legem quidem tranſgredientes, hæc autem ridicula obſeruantes. Diſcipuli vero frequenter illotis manibus edebant, non ſectantes iſta. Quomodo enim facere poterant, quum nunquam tale quippiam obſeruaſſent; ſed ſolius virtutis curam haberent, corporales conſuetudines deſpicientes, eo quod earum tranſgreſſio nullum animæ poſſet afferre nocumentum.

Ver. 6.

Euth. Matt. 15: Viderant magnam populi fidem, & illam minuere conabantur: verum in Chriſto nihil erat quod carpere poſſent; ſed diſcipulorum accuſabant, non iniquitatem, ſed humani præcepti tranſgreſſionem. Neque enim iubebat lex diuina, ne ederent priuſquam lauarent, ſed ſeniores populi. Ait enim Marcus: Phariſæi, omneſque Iudæi, niſi crebro lauerint manus, &c. Euth.

Ver 7.

Euth. Matth. 15: Hypocritas illos dixit; quia legem ſeruare videbantur, ipſam tamen tranſgrediebantur. Eut. Cur dicā tur hypocritæ.

Ver. 9:

Vict. Mar. 7: Quandoquidem Phariſæi Chriſti diſcipulis inſultabant, non tanquam legis tranſgreſſoribus; ſed tanquam paternarum traditionum præuaricatoribus; propterea Dominus durius reprehendit illos; vt qui ſub pietatis ſchemate, inſignem abſurditatem complecterentur. Vict.

Ver. 10.

Iren. lib. 4. cap. 22: Chriſtus ait ad eos qui accuſabant eius diſcipulos, quaſi non ſeruarent traditionem ſeniorum. Quare vos fruſtramini præceptum Domini propter traditionem veſtram? Deus enim dixit: Honora patrem, & matrem. Et: Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Et iterum ſecundo ait eis. Et fruſtrati eſtis ſermonem Dei propter traditionem veſtram: Manifeſtiſſimè Dominum, & Deum patrem confitens Chriſtus eum, qui in lege dixit: Honora patrem, & matrem; vt tibi bene eſt. Verbum enim Dei confeſſus eſt legis præceptum verax Deus, & neminem alterum Deum appellauit, quam ſuum patrem. Iren.

Et cap. 25: Seniorum enim ipſorum traditio, quam ex lege obſeruare fingebant, contraria erat legi quæ data eſt per Moyſem. Propter hoc & Eſaias ait: Caupones tui miſcent vinum aqua; oſtendens quod auſtero Dei præcepto, miſcerent ſeniores aquatam traditionem, id eſt; aggredientes adulteram legem, & contrariam legi; ſicut & Dominus fecit manifeſtum, dicens eis: Quare vos tranſgredimini præceptum Dei propter traditionem veſtram? Non ſolum aut per præuaricationem fruſtrati ſunt legem Dei, miſcentes vinum aqua; ſed & ſuam legem è contrario ſtatuerunt, quæ vſque adhuc Phariſiaca vocatur. In qua quædam quidem auferūt, quædam verò addunt, quædam autem quemadmodum volunt, interpretantur, quibus vtuntur ſingulariter magiſtri eorum. Iren. Eſa. 1.

Euth. Matt. 15: Non dixit, benefaciunt tranſgrediendo, ne Iudæis contentionis occaſionem Eut.

præberet; nec dixit malefaciunt, ne huiuſmodi traditionem confirmaret. Neque eos calumniatur, qui illam tradiderant, ne tanquam contumelioſum eum auerſarentur. Sed ſtatim è diuerſo de maiori peccato accuſat; oſtendens non oportere eos, qui Dei præceptum tranſgrediuntur, accuſare illos qui hominum traditionem prætereunt. Deinde etiam dicit; quod Dei præceptum tranſgrediuntur, & propter traditionem ſuam, ac illam præcipuè in medium adducit iniquitatem, quæ tunc inde emergebat.

Theoph.

Theoph. Matth. 15: Nihil ad hoc reſpondet; ſed viciſſim reprehendit eos.

Not. 3. verſ. 11.12.

Hier. Honor quid ſit, & in quibus conſiſtat. 1 Timot. 5.

HIER. Matth. 15: Honor in ſcripturis non tantum in ſalutationibus, & officijs deferendis, quantum in eleemoſynis, ac munerum oblatione ſentitur. Honora, inquit Apoſtolus, viduas, quæ verè viduæ ſunt: hic honor donum intelligitur. Et in alio loco: Presbyteri duplici honore honorandi: maximè qui laborant in verbo, & doctrina Dei. Et per hoc mandatum iubemur boui trituranti os non claudere. Et dignus ſit operarius mercede ſua. Præceperat Dominus, vel imbecillitates, vel ætates; vel penurias parentum conſiderans, vt filij honorarent, etiam in vitæ neceſſarijs miniſtrandis, parentes ſuos. Hanc prouidentiſſimam Dei legem volentes Scribæ, & Phariſæi ſubuertere, vt impietatem ſub nomine pietatis inducerent, docuerunt peſſimos filios, vt ſi quis ea, quæ parentibus offerenda ſunt, Deo vouere voluerit, qui verus eſt pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus; vel certè ipſi parentes quæ Deo conſecrata cernebant, ne ſacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egeſtate conficiebantur. Atque ita fiebat, vt oblatio liberorum, ſub occaſione templi, & Dei, in ſacerdotum lucra cederet. Hæc peſſima Phariſæorum traditio, de alia veniebat occaſione. Multi habentes obligatos ære alienó, & nolentes ſibi creditum reddere, delegabant ſacerdotibus: vt exacta pecunia, miniſterijs templi, & eorum vſibus deſeruiret. Poteſt autem & hunc breuiter habere ſenſum: Munus quod ex me eſt, tibi proderit. Compellitis, inquit, filios vt dicant parentibus ſuis: quodcunque donum oblaturus eram Deo, in tuos conſumo cibos: tibique prodeſt, ô pater, & mater: vt illi timentes accipere quod Deo mancipatum viderant, inopem magis velint vitam ducere, quam comedere de conſecratis.

Eut. Exod. 20. 21.

Euth. Matt. 15: in lib. Exodi ambo hæc præcepta habentur.

Vict.

Vict. Mar. 7: E duobus legis præceptis parentum honorem ſecundum Dei voluntatem vrget. Altero quidem mandante, vt id fiat: altero vero pęnam mortis irrogante, ſi oppoſitum fiat, adeoque præcepti huius obſeruationem ad ſalutem apprime neceſſariam oſtendit. Iam cum talis, tantaque legis comminatio, contra legis præuaricatores promulgata extet, vos, inquit, Chriſtus Dominus, temere, pernicioſoque exemplo doctorum veſtrorum traditiones ſecuti, diuinum mandatum fæde præuaricamini. Etenim ſi quis ob dehoneſtatos parentes, munus, hoc eſt, illud Deo in ſacrificium ſeſe oblaturum promiſerit, quod patri alioqui debebat; vos id iuſtum pronunciatis. Vos, inquam, rem qua filij parentes alere, & honorare omni iure obligantur, Deo offerre licitum aſſeritis. Id quod aliud nihil eſt, quam manifeſtaria diuinæ legis, propter veſtram traditionem, euerſio, & abrogatio. Enimuero cum nefarium iuuenum auſum, inſignemque temeritatem, & in parentes impietatem increpare debuiſſetis; nec non huiuſmodi ſacrificium tamquam horrẽdam quandam abominationem repudiare (neque enim Deus eo honore, aut munere delectatur, quod in parentum iniuriam, & calamitatem redundat) adeo illud non facitis, vt vltro quoque inſtigetis; tantamque iniuſtitiam palam iuſtificetis. Chriſtus proinde increpationem illam, qua Deus eos per Prophetam increpabat, qui Eſaiæ ætate in viuis erant, nunc in Scribas, & Phariſæos quoque conuenire demonſtrat; vt qui eadem modo ſentiant, & faciant, quæ illi olim.

Iudæorum in parentes iniquitas.

Deus non recipit munus quod redundat in iniuriã parentum.

Aut.

Impij erant in ſenes valetudinarios, quibus oblationum prætextu ſubtrahebãt alimoniam, circumuentos falſa doctrina. Vnde cæcos vocat illos Chriſtus; & plantationem, quam pater cœleſtis minimè agnoſcat: ideoque breui interituram. Rectè proinde in iſtos competere Iſaiæ vaticinium, quo ait: Populus hic me, &c.

Aug. 1 ſen.

Aug. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 16: Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit: id eſt, munus quod offers cauſa mei, ad te iam pertinebit. Quibus verbis ſignificant filij, iam non ſibi opus eſſe parentum pro ſe oblationes, quod ad eam ætatem perueniſſent, vt poſſent iam ipſi offerre pro ſe. In hac ergo ætate conſtitutos, vt poſſent parentibus ſuis hoc dicere, cum hoc dixiſſent, negabant Phariſæi reos eſſe, ſi parentibus ſuis non præſtarent honorem.

Eut.

Euth. Matth. 15: Difficilis eſt horum ordo verborum, niſi primum rem enarremus. Seniores Iudæorum docuerant Iuuenes, vt prætextu diuini cultus parentes contemnerent. Si quis enim parentum peteret à filio ouem, aut vitulum, aut aliud quippiam, præcipiebant illis, vt dicerent: Munus eſt Deo, quodcumque ex me in tuum vertitur commodum, hoc eſt, Deo conſecratum eſt quodcumque à me lucrifacis: & ita docebant eos deſpicere parentes, ac legem tranſgredi. Ignominia ſiquidem eſt, legiſque tranſgreſſio, filios reſiſtere parentibus. Nam & ipſos parentes, Dei prætextu fraudabant re debita; & nec Deo illam offerebant. Hæc itaque rei narratio eſt. Nunc vero oportet & dicta interpretari. Vos autem dicitis, hoc eſt, vos interpretamini, vos docetis deceptionem illam humanam. Quiſquis dixerit patri, vel matri, munus eſt Deo conſecratum, quidquid ex me in tuum vertitur commodum, ſiue quidquid ex me lucrifacere cupis. Quidam autem

1 ſen.

tem per defectum interpretantur hoc dictum dicentes: Deus quidem hæc, vel illa præcepit: Vos autem hæc reijcientes,dicitis:Quiſquis dixerit patri, vel matri, corban, ſiue munus eſt Deo quæſitum, quodcumque me in tuum vertitur commodum,liberatus eſt. Hoc enim dicunt deficere:vtpote Iudæis notum,ad quos dirigebat ſermonem. Et non honorabit patrem ſuum,vel matrem ſuam. Et talis homo iam impudens effectus, deinceps non honorabit parentes ſuos.

Not. 4. verſ. 13.

Hiero. Eut. PROPTER traditionem veſtram, id eſt, vt traditiones veſtras ſtatueretis, inquit Hieron. epiſt.ad Algaſiam q.10.& Euth.Matt.15. Quum manifeſtè demonſtrauerit illos iniquitatis eſſe præceptores, ex conſequenti quoque diſcipulos ſuos accuſatione liberauit, quod illorum non ſeruarent traditionem,qui Dei præceptum non ſeruabant.

Ver. 15. 17. 18.

Aug. Aug. lib.16. contra Fauſt.cap. 31: Dicis enim & tu Chriſtum ſic docuiſſe ciborum indifferentiam,vt à ſuis diſcipulis quidem omnes carnes penitus remoueret; ſecularibus vero vulgo concederet omnia, quæ poſſent edi,atque aſſeueraret quod eos nihil in os intrans pollueret; quia quæ de ore impudenter procedunt, ea ſola ſunt, quæ polluant hominem. Hæc verba tua ſunt tanto impudentiore, quanto apertiore mendacio deprompta. Si ea ſola polluunt hominem, quæ mala ex ore procedunt, cur & diſcipulos Chriſti non ea ſola polluerunt, vt eos tanquam ab immundis carnibus eſſet neceſſe prohiberi?An ſæculares homines non polluuntur his, quæ in os intrant; ſed his quæ ex ore exeunt? Ergo mundiores ſunt aduerſus immunditiam, quam ſancti; ſi ſanctos,& ea quæ intrant, & ea quæ exeunt, poſſunt inquinare. Sed de cibis ſuſpicamini quidquid vultis, certè bibens,& vinauria non diceretur, niſi vinum biberet. Cur ergo & hoc vos immundum putatis? Neque enim hæc propter continentiam, diſciplinamque domandi corporis tangere prohibetis, ſed quod immunda ſint: Nam ea ſordes & fel gentis tenebrarum eſſe perhiberis, Tit. 1 contra Apoſtolum dicentem, omnia munda mundis. Ecce qui audent dicere Chriſtum indifferentiæ ciborum magiſtrum, diſcipulos tamen ſuos ab ijs prohibuiſſe,quæ immunda ipſi putant. Cum reſpondiſſet calũniantibus, quod non lotis manibus manducarent, ita ſequitur Euangelium: Et conuocatis turbis, ait illis: Audite,& intelligite; non quod intrat in os communicat hominem.Hic certè à diſcipulis compellatus, debuit eos, ſicut iſti volunt, propriè docere ab omnibus carnibus abſtinendum, vt illud quod ſupra dixit, non quod intrat in os, communicat hominem, ſed quod procedit de ore,turbis dixiſſe videretur. Sequatur ergo Euangeliſta, & dicat, quid iam non turbis, ſed diſcipulis reſponderit Dominus. At ille reſpondens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur. Sinite illos, cœci ſunt, duces cœcorum:cœcus autem, ſi cœcum ducat, ambo in foueam cadunt. Hoc vtrique ideo, quia traditiones ſuas volentes ſtatuere, mandata Dei non intelligebant.

Hiero.Matth.15: Verbum communicat propriè ſcripturarum eſt,& publico ſermone non teritur. Populus Iudæorum partem Dei eſſe ſe iactitans, communes cibos vocat, quibus omnes vtuntur homines.Verbi gratia: ſuillam carnem,oſtreas, lepores, & iſtiuſmodi animantia, quæ vngulam non findunt, nec ruminant, nec ſquammoſa in piſcibus ſunt.Vnde & in Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt: Quod Deus ſanctificauit, tu ne commune dixeris. Commune ergo quod cæteris hominibus patet, & quaſi non eſt de parte Dei,pro immundo appellatur. Non quod intrat in os, coinquinat hominem; ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.) Opponat prudens lector,& dicat: ſi quod intrat in os, non coinquinat hominem: quare idolothytis non veſcimur? Et Apoſtolus ſcribit: Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Sciendum igitur quod ipſi quidem cibi, & Dei creatura, per ſe omnis munda ſit: ſed idolorum, ac dæmonum inuocatio,ea faciat immunda. Hier. De verbo communicat. Cibi cõmunes qui dicantur. Act. 10. Dubium. 1 Cor. 10. Solutio.

Euth. Matth.15: Illos tanquam incurabiles, reliquit, vbi ſilentium eis impoſuiſſet, eoſque confudiſſet: conuertit autem ſermonem ad turbam tanquam digniorem quæ audiat. Non ſordes manuum illorarum, quæ vnà cum eſcis in os ingrediuntur,contaminant,aut conſpurcant hominem; quia nec tangunt animam: ſolum namque peccatum fœdum eſt, quod animæ nocet. Talis autem dicti huius interpretatio in promptu eſt. Aiunt autem & alteram profundius eſſe recluſam, puta quod nihil factum à Deo,naturâ impurum eſt. Ait enim Moyſes: Et vidit Deus quæcumque fecerat, & ecce bona valde. Dicunt ergo hac profundiori interpretatione ciborum reijci obſeruationem, quam Iudæi ſeruabant. Nam cum lex, quæ de cibis erat, allegoricum haberet intellectum, Iudæi qui nihil excelſum cogitare poterant, corporaliter, & pro vt in conſpicuo erant, omnia excipiebant. Eut. Solum peccatum animæ nocet. Gen. 1. Lex Moyſi de cibis abrogatur.

Ver. 17.

Hiero. Matt.15: Ex vno ſermone omnis ſuperſtitio obſeruationum Iudaicarum fuerat eliſa: qui in cibis ſumendis, abominandiſque religionem ſuam ſitam arbitrantur. Et quia crebro teritur in Eccleſiaſticis ſcripturis, ſcandalum, breuiter dicamus quid ſignificet, *ſcolon*, & ſcandalum, nos offendiculum, vel ruinam, & impaſtionem pedis poſſumus dicere. Quando ergo legimus: Quicumque de minimis iſtis ſcandalizauerit quempiam, hoc intelligimus, qui dicto, factoue, occaſionem ruinæ cuipiam dederit. Hier. Scãdalum quid ſit.

Ver. 18.

Aug. Aug. lib. 1. quæſt. Euangel. cap. 17: Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur: id eſt, carnalis cupiditas, ſecundum quam ſentientes offendebantur de prætermiſſis rerum ſignis, vel etiam traditionibus ſuis: & præcepta vitæ non curabant, quæ à cupiditate animum purgant. Aug. Et lib. de Paſtoribus cap. 10: Quoniam terret non ſolum cæcum ducentem, ſed & cæcum ſequentem: (neque enim ait, cadit in foueam ducens, & non cadit ſequens; ſed, cæcus cæcum ducens, ambo in foueam cadunt) admonuit oues, & ait, quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite.

Greg. Quando proximi ſcandalum ſit cauendum, & quãdo non. Greg. hom. 7. in Ezechielem: In noſtro bono opere aliquando cauendum eſt ſcandalum proximi, aliquando vero pro nihilo contemnendum. Quod in ipſo noſtro authore didicimus, qui dum tributum, Petro inquiſito, peteretur, prius paradigma propoſuit, per quod ſe nihil debere reſpondit. Sed poſtquam liberum ſe eſſe monſtrauit ne fortaſſe ſcandalum cuiquam faceret, ſubdidit: Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, &c. (cap. 18) Qui rurſum cum diceret, quia omne quod in os intrat, non coinquinat hominem, tunc accedentes diſcipuli dixerunt ei: Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt? At ille reſpõdens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur. Sinite illos, cæci ſunt, & duces cęcorum. Ecce magiſtra veritas ne in quorundam cordibus ſcandalum gigneretur, quod non debuit, tributum dedit. Et rurſum quia generari ſcandalum in quorundam cordibus contra veritatem vidit, in ſuo eos ſcandalo remanere permiſit. Ex qua re nobis conſiderandum eſt, quia in quantum ſine peccato poſſumus, vitare proximorum ſcandalum debemus. Si autem de veritate ſcandalum ſumitur, vtilius permittitur naſci ſcandalum, quam veritas relinquatur. Greg. Phariſæi dicuntur cæci. Libidinoſi ſunt ſpecialiter cæci. Et cap. 2. lib. 6. expoſit. in 1. lib. Reg: Superbi Phariſæi ab ipſa veritate cæci nominantur, quæ ad diſcipulos ait: Sinite eos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Quæ vtique cæcitas ſpecialiter libidinoſis aſcribitur: quia nulla ſunt vitia, quæ ſpiſſiores tenebras menti ingerant, quam libido. At nunc pleroſque videas ſtetiſſe clericos, ſacerdotes corruiſſe. Quibus certe per Samuelis imperium dicitur: Cum eſſes paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es.) Quaſi dicat: Cum in minori ordine illuminato corde pudicitiæ præcepta ſeruaueris, nunc amiſſis oculis in fornicationis barathro corruiſti.

Prosp. Proſper. apud Ambroſ. lib. 1. de vocatione Gentium, cap. 2: Quicquid non eſt eradicandum, manifeſtum eſt à patre eſſe plantatum.

Euth. Plantatio. Euth. Matt. 15: Plantationem nunc dicit traditionem ſeniorum, & præcepta hominum.

Hier. Dubium. Hiero. Matt. 15: Etiam quæ plana videntur in ſcripturis, plena ſunt quæſtionibus. Omnis, inquit, plantatio, quam non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur. Ergo eradicabitur & illa plantatio, de qua Apoſtolus ait: Ego plantaui, Apollo rigauit. (1 Cor. 3) Sed ſoluitur quæſtio ex eo quod ſcribitur: Deus autem incrementum dedit. (Solutio.) Dicit & ipſe: Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis. Et in alio loco: Cooperatores Dei ſumus. Si autem cooperatores: igitur plantante Paulo, & rigante Apolline, Deus cum operatoribus ſuis plantat, & rigat. Abutuntur hoc loco qui diuerſas naturas introducunt, dicentes: Si plantatio quam non plantauit pater, eradicabitur: ergo quam plantauit ille, non poteſt eradicari. Sed audiant illud Hieremiæ: Ego vos plantaui vineam veram, quomodo verſi eſtis in amaritudinem vitis alienæ? (Ierem. 2.) Plantauit quidem Deus, & nemo poteſt eradicare plantationem eius. Sed quoniam iſta plantatio in voluntate proprij arbitrij eſt, nullus alius eam eradicare poterit, niſi ipſa præbuerit aſſenſum. Sinite illos. &c.) Hoc eſt quod Apoſtolus præceperat: Hæreticum hominem poſt vnam, & alteram correptionem deuita: ſciens quod peruerſus ſit huiuſcemodi, & à ſemetipſo damnatus. (Tit. 3) In hunc ſenſum & Saluator pręcepit Doctores peſſimos dimittendos arbitrio ſuo: ſciens eos difficulter ad veritatem poſſe trahi, & cæcos eſſe, & cæcum populum in errorem trahere.

Not. 5. verſ. 19. 20.

Aug. A v g. lib. 16. contra Fauſt. cap. 31: Sed nondum quæſierant diſcipuli à magiſtro, quomodo ipſi, quod turbis dixerat, accipere deberent. Ecce & hoc fit. Nam contexit Euangeliſta, & dicit: Reſpondens autem Petrus, ait illi: Narra nobis parabolam iſtam. Hinc intelligimus Petrum putaſſe, non propriè, nec apertè Dominum locutum fuiſſe, cum diceret; non quod intrat in os, communicat hominem; ſed quod procedit de ore: ſed vt ſolet, obſcuritate parabolæ aliquid ſignificare voluiſſe. Videamus ergo vtrum iam ſecretius diſcipulis interrogantibus hoc dicat, quod Manichæi volunt, immundas eſſe omnes carnes, nec eos aliquid earum debere contingere. Quid ergo exprobrat quod apertam ſuam locutionem nondum intellexerint, & propriè dictum, parabolam putent? Sic enim ſequitur. At ille dixit: Adhuc & vos inſipientes eſtis, & non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in latrinam emittitur: quæ autem procedunt ex ore, &c.

Euth. Parabola quid. Euth. Matth. 15: Cum Petrus inchoaſſet, alij quoque pariter interrogauerunt. Parabolam autem vocant Hebræi ænigma, & ſermonem obſcurum. Nam quia ſuperius dixerat Chriſtus, quod egreditur de ore, hoc impurum reddit hominem. Deinde ſicut refert Marcus, ſubiunxerat: Si quis habet aures ad audiendum audiat, viſus eſt eis ſermo obſcurus, & ideo parabolam illum vocantes de ipſo interrogant. Marcus autem poſtquam dixit: Et in ſeceſſum egreditur; addit; quod purgat omnes eſcas, hoc eſt, puras relinquit. Dictæ enim ſordes in ſeceſſum egreſſæ, pura

ſæ, puta relinquũt, quæ intus remanent alimenta, quæ videlicet natura retinuit.

Hiero. Hiero. Matt. 15: Quod apertè dictum fuerat, & patebat auditui, Apoſtolus Petrus per parabolam dictum putat, & in re manifeſta myſticam quærit intelligentiam. Corripiturque à Domino, quare parabolicè dictum putet, quod perſpicuè locutus eſt. Ex quo animaduertimus (Auditores vitioſi duplices.) vitioſum eſſe auditorem: qui aut obſcura manifeſtè, aut manifeſtè dicta obſcurè velit intelligere. Omnia Euangeliorum loca, apud hæreticos, & peruerſos, plena ſunt ſcandali. Et ex hac ſententia quidam calumniantur, quod Dominus phyſicæ diſputationis ignarus, putet omnes cibos in ventrem ire: & in ſeceſſum dirigi: (Cibi non omnes mittuntur in ſeceſſum.) cum ſtatim infuſæ eſcæ, per artus, & venas, ac medullas, neruoſque fundantur. Vnde & multos, qui vitio ſtomachi perpetem ſuſtinebant vomitum, poſt cœnas, & prandia, ſtatim euomere, quod ingeſſerint; & tamen corpulentos eſſe: quia ad primum tactum liquidior cibus, & potus per membra fundantur. Sed iſtiuſmodi homines dum volunt alterius imperitiam reprehendere; oſtendunt ſuam. Quamuis enim tenuis humor, & liquens eſca, tamen cum in venis, & artubus concocta fuerit, & digeſta, per occultos meatus corporis, quos Græci πόρους vocant, ad inferiora dilabitur, & in ſeceſſum vadit.

Ver. 20.

Quibus homo codemnetur hinc intelligis.

Aug. Aug. lib. de mendacio ad conſent. cap. 16: Plerumque ſcriptura cum os dicit, conceptaculum (Os duplex.) ipſum cordis ſignificat, vbi placet, & decernitur, quicquid etiam per vocem cum verum loquimur, enunciatur. Et eſſe quidem os cordis ex hoc iam intelligi poteſt, quod vbi locutio eſt, ibi os non abſurdè intelligitur. Nec rectè diceretur, qui loquitur in corde ſuo: niſi (Pſal. 14.) & os in corde rectè intelligeretur. Manifeſtè etiam in Euangelio inuenimus os cordis, vt vno loco & corporis, & cordis ora Dominus commemoraſſe inueniatur, vbi ait: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur; quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, &c. Hic ſi vnum os, quod eſt corporis, intellexeris, quomodo intellecturus es, quæ autem procedunt de ore, de cordo exeunt: cum & ſputus, & vomitus de ore procedit? Niſi fortè tunc quiſque non coinquinatur, cum edit aliquid immundum; coinquinatur autem cum id euomit. Quod ſi abſurdiſſimum eſt, reſtat vt os cordis intelligamus à Domino expoſitum, cum ait, quæ procedunt de ore, de corde exeunt. Nam & furtum cum poſſit, (& ſæpe ita fiat) in ſilentio corporalis vocis, atque oris perpetrari, dementiſſimum eſt ſic intelligere, vt tunc putemus quemquam peccato furti contaminari, cum id fatetur, aut indicat: cum autem id tacitè committit, incoinquinatum arbitrari. At verò ſi ad os cordis, quod dictum eſt, referamus, nihil omnino peccati tacitè committi poteſt. Non enim committitur, niſi ex ore illo interiore procedat. Et lib. de continentia cap. 2: (Aug.) Itemque alio loco cum Iudæorum ſtultiloquia refutaret, quia calumniabantur diſcipulis eius non lotis manibus manducantibus; non quod intrat in os, inquit, coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Quæ ſententia ſi to- (Os duplex.) ta de ore corporis accipiatur, abſurda eſt. Neque enim quem coinquinat cibus coinquinat vomitus. Cibus quippe in os intrat, vomitus ex ore procedit. Sed procul dubio priora verba pertinent ad os carnis, vbi ait; non quod intrat in os, coinquinat hominem: Poſteriora vero ad os cordis, vbi ait; ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Deniq; cum ab illo Apoſtolus Petrus expoſitionem velut parabolæ huius exquireret, ille reſpondit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur? Hic certè in quod intrat cibus, os carnis agnoſcimus: In his vero quæ adiungit, vt agnoſceremus os cordis, non ſequeretur noſtri tarditas cordis, niſi & eum tardis ambulare veritas dignaretur. Ait enim, quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt. Tanquam diceret, cum audis de ore, de corde intellige: vtrumque dico, ſed alterum ex altero expono. Habet os interius, homo interior, & hoc diſcernit auris interior: de hoc ore quæ procedunt, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. Deinde iam relicto oris nomine, quod poteſt & de corpore intelligi, apertius quid dicat oſtendit. De corde enim exeunt, inquit, cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, hæc ſunt quæ coinquinant hominem. Nihil eſt certe iſtorum malorum, quæ perpetrari etiam membris corporis poſſunt, quod cogitatio non antecedat mala, & coinquinet hominẽ, etiamſi aliquid impediat, ne ſubſequantur opera flagitioſa & facinoroſa membrorum. Si enim poteſtas non datur, vacat manus ab hominis interfectione, nunquid ideo mundum eſt à ſcelere cor homicidæ? Aut ſi rem ſurripere alienam, non vt quis vult, poteſt? Nunquid ideo in ipſa voluntate fur non eſt? Aut ſi caſta eſt, quam vult adulterare non caſtus, ideo eam non eſt in corde mœchatus? Aut ſi meretrix non inueniatur in fornice, ideo qui eam quærit, non fornicatur in mente? Aut ſi cupienti per mendacium ledere proximum, tempus, vel locus deſit, ideo falſum teſtimonium non ore interiore iam dixit? Aut ſi quiſpiam homines timens, non audeat linguâ carnis ſonare blaſphemiam: ideo non eſt huius criminis reus, qui dicit in corde ſuo, non eſt Deus? (Pſa 13.) Ita cætera mala facta hominum, quæ nullus agit corporis motus, quæ neſcit vllus corporis ſenſus, reos ſuos occultos habent, quos etiam ſolus inquinat in cogitatione conſenſus, id eſt, interioris verbum malignum. Dominus cum dixiſſet, de corde enim exeunt cogitationes malæ: deinde quid pertineat ad cogitationes malas, adiunxit; homi-

Non omnia ſordidis mala hic enumerantur.

homicidia, adulteria, &c. Nec dixit omnia, ſed quibuſdam exempli gratia nominatis, & alia intelligenda commonuit. Quorum nihil eſt, quod fieri poſſit, ſi mala cogitatio non præceſſerit, qua intus inſtituitur, quod foris agitur: & ex ore cordis procedens, iam coinquinat hominem, etiamſi nulla facultate permiſſa, foris per membra corporis non agatur.

Aug.

Et lib. cont. Adimantum cap. 15: In Leuitico ſcriptum eſt, vt à nonnullis animalium carnibus temperetur.

Leuit. 11.

Namque huic ſententiæ illud ex Euangelio credidit opponendum, vbi Dominus dicit. Nihil eſt ingrediens in hominem coinquinans eum; ſed ea quæ procedunt ex eo coinquinant. Cum quiſpiam Catholicus Chriſtianus vtriuſque ſcripturæ venator & intellector ei reſponderit, hæc non eſſe contraria: quod illa de quorundam carnibus animalium, quibus non eſſe veſcendum, populo adhuc carnali præceptum eſt, ad ſignificationem poſita ſunt humanorum morum: quos Eccleſia, quæ corpus eſt Domini, in ſuæ vnitatis vinculum ſtabile, & ſempiternum recipere non poteſt, tanquam immundas eſcas reſpuens, & in ſua viſcera non conuertens; vt omnia illa præcepta carnali populo impoſita, futuram diſciplinam ſpiritalis populi propheťarent. Et ideo non ea repugnare ſententiæ Domini, qua veriſſimè dicit, non coinquinari hominem ijs, quæ per eſcam ingrediuntur in eum. Illa enim ſententia ſeruis onera imponit, iſta vero liberis iugum excutit ſeruitutis. Et illa tamen ſic dicta eſt, vt ſeruorum onera, fidem prænuncient liberorum: omnia enim, ſicut dixit Apoſtolus, in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem propter nos, in quos finis ſæculorum obuenit. Si ergo in figuram contingebant, quæ patiebantur; in figuram accipiebantur, quæ mouebantur.

Quomodo cibi quidā vetiti fuerint.

1 Cor. 10.

Plantatio.

Cum ergo infidelitatem Iudæorum plantationem appellaret, quam non plantauit pater cœleſtis, tamen adhuc Petrus putans eſſe illam parabolam, & propterea reprehenſos Iudæos, & cæcos dictos, quod eam intelligere non potuerint, reſpondens dixit ei: Ediſſere nobis parabolam iſtam. Et ille manifeſtiſſimè oſtendens non eſſe parabolam, ſed propriam locutionem dixit ad eos: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, &c. De non lotis autem manibus Iudæi mouerant quæſtionem, cuius occaſione Dominus generaliter de ijs, quæ in os intrant, & in ventrem vadunt, & in ſeceſſum emittuntur, hoc eſt, de alimentis noſtris, dixit ſententiam. Quanquam ergo, conuocatis ad ſe turbis, cum dixiſſe ſcriptum ſit: Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, &c. Cum ex conſequentibus declaratum ſit etiam Petro ſeorſum interroganti, audientibuſque diſcipulis, quos vtique ad culmen Eccleſiæ producebat, ita reſpōdiſſe Dominum, vt neque per parabolam ſe illa dixiſſe teſtatus ſit, & ad omnes pertinere monſtrauerit.

Aug.
Os duplex.

Et lib. 15. de Trinit. cap. 10: Vna ſententia, duo quædam hominis ora complexus eſt, vnum corporis, alterum cordis. Nam vtique vnde illi hominem putauerunt inquinari, in os intrat corporis. Vnde autem Dominus dixit inquinari hominem, de cordis ore procedit. Ita quippe expoſuit ipſe quod dixerat. Nam paulo poſt de hac re diſcipulis ſuis, adhuc & vos, inquit, ſine intellectu eſtis? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur? Hic certè apertiſſimè demonſtrauit os corporis. At in eo quod ſequitur, os cordis oſtendens: Quæ autem, inquit, procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, &c. Quid hac expoſitione lucidius?

Vt ex ore mala exeunt.

Hieron. epiſt. ad Saluiam de viduitate ſeruanda: Difficile eſt, quin potius impoſſibile, perturbationis initijs carere quempiam, quas ſignificatius Græci προπαθείας vocant: nos vt verbum vertamus è verbo, antepaſſiones poſſumus dicere, eo quod incentiua vitiorum, omnium titillant animos, & quaſi in meditullio noſtrum iudicium ſit, vel abijcere cogitata, vel recipere. Vnde & naturæ Dominus in Euangelio loquebatur: De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Ex quo perſpicuum eſt, iuxta alterius libri teſtimonium, procliuius eſſe cor hominis à pueritia ad malum: & inter opera carnis & ſpiritus, quæ Apoſtolus enumerat, mediam animam fluctuare, nunc hæc nunc illa cupientem. Nam ſine vitijs nemo naſcitur: optimus ille eſt, qui minimis vrgetur. Velut ſi egregio inſperſos reprehendas corpore næuos. Hoc eſt quod alijs verbis Propheta ſignificat: Turbatus ſum, & non ſum locutus. Et in eodem volumine: Iraſcimini, & nolite peccare. Et illud Architæ Tarentini, ad villicum negligentem: iam te verberibus enecaſſem, niſi iratus eſſem. Ira enim viri, iuſtitiam Dei non operatur. Quod de vna perturbatione dictum eſt, referamus ad cæteras, ſicut iraſci hominis eſt, & iram non perficere Chriſtiani: ſic omnis caro concupiſcit quidem ea, quæ carnis ſunt; & quibuſdam illecebris ad mortiferas animam voluptates trahit: ſed noſtrum eſt, voluptatis ardorem maiore Chriſti amore reſtringere, & laſciuiæ iumentum, frænis inediæ ſubiugare, vt non libidinem, ſed cibos quærat, ac deſideret, & ſeſſorem Spiritum ſanctum, moderato atque compoſito portet inceſſu. Quorſum iſta? vt hominem eſſe te noueris, & paſſionibus humanis, niſi caueris, ſubiacere.

Hier.
Nullus eſt ſine paſſionibus.

Vt è corde mala exeunt.

Gen. 8.

Euth. Matth. 15: Dixit etiam cap. 12. quod ex abundantia cordis os loquitur. Primum enim in corde concupiſcimus: deinde quod deſideratum eſt, per os educimus. Marcus latius enumerat, & alia. Vt autem breuiter, & apertè dicam, cogitationes malæ ſunt nocitæ concupiſcentiæ. Cædes vero, furtum, falſum teſtimonium, auaritia, dolus, & ſuperbia, nota ſunt? adulterium autem eſt, ad alienam vxorem accedere: fornicatio vero ad eam quæ virum non habet: blaſphemia autem eſſe Deo contumelioſum,

Eut.
Vt ex ore mala exeunt.

Marcus plura mala quam Matthæus enumerat.

lioſum, vel ingratum, aut illum accuſare: malicia eſt cogitare mala aduerſus aliquem, aut ſuſpicari de illo, quæ non oportet: Impudicitia eſt concubitus cum maſculo, aut ſi quæ eſt huiuſmodi laſciuia: oculum autem malum vocat inuidiã: ſtultitia verò propriè eſt nõ noſſe Deum: Dixit ſtultus, inquit, in corde ſuo, non eſt Deus. Sunt autem & alia mala innumera, quæ nunc prætermiſit Chriſtus; eo quod ſufficiant ea, quæ dicta ſunt, ad habendam etiam illorum notitiam. Hæc ergo à corde dixit egredi, quoniam ab illo principium habent. Horum autem principia concupiſcentiæ ſunt, quæ à corde ſolent emanare. Quia verò à corde, omnino etiam ab ore egrediuntur: quando in corde ebulliendo in modum mali humoris quod ſuperfluum eſt, euomi cogitur.

Psa. 13. Non omnia cordis mala ... e corde mala ... egredi.

Vt ex ore mala exeunt.

Chryſoſt. hom. 4. in 1. ad Theſſal: Ex corde namque prodeunt cogitationes malæ. Poteſt enim malus eſſe etiam qui opere nihil mali fecerit: vtpote, poteſt inuidiam habere, perfidiam, dolum, poteſt gaudere in malis, non eſſe amicus, dogmata habere peruerſa. Hæc omnia cordis ſunt.

Chryſoſt. Cur è corde mala dicuntur exire.

C a p. 75. *Filia Cananeæ liberatur à dæmonio.*

Matt. 15. *Fer. 5. poſt Dom. 1. Quadr.*	*Mar. 7.*	*Luc.*	*Ioan.*
1 ET ✠ egreſſus inde Ieſus, ſeceſſit in partes Tyri, & Sydonis.	1 ET inde ſurgens, abijt in fines Tyri, & Sydonis.		
	2 Et ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere.		
3 Et ecce mulier Cananæa à finibus illis egreſſa, clamauit, dicens ei: Miſerere mei Domine fili Dauid, filia mea male à dæmonio vexatur.	3 Mulier enim ſtatim vt audiuit de eo, cuius filia habebat ſpiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius. Erat enim mulier Gentilis, Syrophæniſſa genere. Et rogabat eum vt dæmonium eijceret de filia eius.		
4 Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos.			
5 Ipſe autem reſpondens, ait: Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.			
6 At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me.			
	7 Qui dixit illi: Sine prius ſaturari filios.		
8 Qui reſpondens, ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.	8 Non eſt enim bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.		
9 At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.	9 At illa reſpondit, & dixit illi: Vtique Domine: nam & catelli comedunt ſub menſa de micis puerorum.		
10 Tunc reſpondens Ieſus, ait illi: O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.	10 Et ait illi: Propter hunc ſermonem, vade, exijt dæmonium à filia tua.		
11 Et ſanata eſt filia eius ex illa hora. ✠	11 Et cùm abijſſet domum ſuam, inuenit puellam iacentem ſupra lectum, & dæmonium exijſſe.		

Not. 1.

Ratio diſpoſitionis. Aug. Hier. Eut. Chryſoſt.

H o c myſterium narrant Matthæus, & Marcus, ſicut teſtantur Aug. Hier. Euth. Matt. 15. & Mar. 7. Chryſoſt. hom. 53. in Matt. & alij. Quod etiam ex ſe ſatis eſt euidens.

Aug.

Auguſt. lib. 2. de conſenſ. cap. 49: Sequitur itaque Matthæus, poſt illum ſermonem Domini, vbi de non lotis manibus cum Phariſæis egit, atque ita conſerit narrationis ordinem, quantum ipſe tranſitus indicat, rerum etiam, quæ conſecutæ ſunt, ordinem ſeruans: Et ingreſſus,

greſſus, inquit, inde Ieſus, ſeceſſit in partes Tyri, & Sydonis, &c. vſque ad illud, vbi ait: Et ſa-

Marcus cũ Matthæo conuenit.

nata eſt filia eius ex illa hora. Hoc de muliere Chananæa etiam Marcus commemorat, eundem rerum geſtarum ſeruans ordinem, nec afferens aliquam repugnantiæ quæſtionem; niſi

Quid hic Marco proprium.

quod in domo dicit fuiſſe Dominum, cum ad illum venit eadem mulier, pro filia ſua rogans.

ver. 2 3.

Matthæus autem poſſet quidem facile intelligi de domo tacuiſſe, eandem tamen rem commemoraſſe; ſed quoniam dicit diſcipulos Domino

Matthæo propriũ.

ita ſuggeſſiſſe: Dimitte illam, quia clamat poſt

ver. 4.

nos: nihil videtur aliud ſignificare, quam poſt ambulantem Dominum, mulierem illam deprecatorias voces emiſiſſe. Quomodo ergo in domo, niſi quia intelligendum eſt dixiſſe quidem Marcum, quod intrauerit vbi erat Ieſus, cum eum prædixiſſet fuiſſe in domo; ſed quia Matthæus ait; non reſpondit ei verbum: dedit agnoſcere, quod ambo tacuerant, in eo ſilentio egreſſum fuiſſe Ieſum de domo illa, atque ita cætera contexuntur, quæ iam in nullo diſ-

ver. 8

cordant. Quod enim Marcus commemorat ei Dominum reſpondiſſe de pane filiorum non mittendo canibus, illis interpoſitis dicta ſunt, quæ Matthæus dicta non tacuit, id eſt, quia diſcipuli rogauerunt eum pro illa, & quia reſpondit non ſe eſſe miſſum, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael: & quia illa venit, id eſt, illa conſecuta eſt, & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me: tunc deinde dictum eſt, quod

Aug.

Euangeliſtæ ambo commemorant. Et ſer. 74. de tempore: Chananæa iſta mulier, quæ

Humilitatis, & pietatis exemplum.

heri nobis lectione Euangelica commendata eſt, præbet nobis humilitatis exemplum; & pietatis viam, ab humilitate in alta ſurgere oſtendit. Erat autem, ſicuti patet, non de populo Iſrael, vnde Patriarchæ, vnde Prophetæ, vnde parentes Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum carnem, vnde ipſa virgo Maria, quæ peperit Chriſtum. Non ergo ex iſto populo erat hæc mulier; ſed erat ex gentibus. Nam, ſicut audiuimus, ſeceſſit Dominus in partes Tyri, & Sydo-

ver. 3.

nis, & inde mulier Chananæa de finibus illis egreſſa eſt. Petebat beneficium inſtantiſſimæ curandæ filiæ ſuæ, quæ male à dæmonio vexabatur. Tyrus, & Sydon, non erant ciuitates populi Iſrael, ſed Gentium; quamuis vicinæ illi

Cur illa clamet.

populo. Clamabat ergo, auida impetrandi beneficij, fortiterque pulſabat, & diſſimulabatur

Chriſtus cur diſſimulet Ratio 1.

ab eo, non vt miſericordia negaretur, ſed vt deſiderium accenderetur: nec ſolum vt deſiderium accenderetur; ſed ſicut ante dixi, vt humilitas commendaretur. Clamabat ergo

Ratio 2.

Domino non audiente; ſed quod facturus erat

Aug.

in ſilentio diſponente. Et ſer. 209. de temp: Mulier Chananæa (quæ eſt mater Gentilium) pro filia ſua, id eſt, Eccleſia, Dominum deprecatur. Quæ tam diu poſtulauit, donec acciperet, quod petebat.

Amb.

Cur Iudæi Gentiles vicinos habuerint.

Amb. in Pſal. 43: Vnde poteſt quis colligere, quæ proprietas vniuſcuiuſque ſingularum fuerit tribuum, vt certis quibuſque finitimis iungerentur, quo paulatim etiam gentibus infunderetur cognitio cæleſtium ſacramentorum: quod vtique poteſt intelligi de illa muliere Chananæa, quæ exiuit de finibus ſuis, vt Domino Ieſu occurreret tranſeunti, & poſt habitis ſimulachris ſuis adoraret verum ſalutis authorem, cui teſtimonium dedit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quod magna eſſet fides eius. Reſplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præſentiæ lumen auguſtæ: ſed tamen quia ſponte exiuit, & miſericordiam poſtulauit, & Dominum pia voce confeſſa eſt, & quaſi faſtidio habita, in clamore petitionis propriæ perſeuerauit; non mediocrem prærogatiuam accepit iſtiuſmodi mulier, quæ prima exiuit de Gétium nationibus, & perſeueranti obſecratione, tantum Domini teſtimonium meruit reportare.

Quomodo Chriſtus miſſus ſit ad Iſrael, & ad omnes.

In quo quidem loco, velut dubitaſſe quoſdam cognoui, quid ſit quod ait: Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael: quaſi nobilitatem generis electi ad ſaluandas animas Dominus quæſiſſe videatur, qui venit vt omnes redimerentur. Sed oſtendere dignatus eſt propoſitum, quod eos, quos primo elegerat, nequaquam refutare cupiebat, & ſæpe deuios, & errantes paterno quodam reuocare quærebat affectu. Sed vbi ipſi authorem proprium reliquerunt, ſciens ſe Deum montium eſſe, non vallium; & regnum cælorum, non à faſtidientibus, ſed à colentibus diripi, paulatim conuerſus ad gentes eſt, vt & nationum plus probaretur affectus, & illorum merito pertinacia condemnaretur.

Filij qui. Canes qui.

Quid deinde ſibi vult quod ait: Non licet accipere panem filiorum, & mittere catulis? vtique filios dixit Iſraelitas, hoc eſt, populum Iudæorum: catulos autem populum nationum. Quid ergo? Diuinum, aut nobiliorum eſt accipere ſacramenta cæleſtia, & non eorum qui magis ad cognitionem myſterij cæleſtis pio mentis fe[illegible] contendunt? Et ſi Iſraelita fuerit aliquis [illegible]us, & negligens, vel contumax qui reijciat poſt ſe ſermones Dei; Chananæus autem, qui impigrè velit adquirendis mentem intendere ſacramentis, ille potius qui diſſimulat, quam iſte, qui defert ſtudium, præferendus eſt? Non vtique. Et ideo diligenter oportet intendi quid expreſſerit, qui cum dixiſſet, non licet accipere panem filiorum, & mittere catulis: reſpondente Chananæa; quia & catuli canum edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum: ſtudium eius, humilitatemque laudauit, quæ non ſibi profundum ſapientiæ à primordio vindicauit, quamuis de finibus Tyri, & Sydonis iam eſſet egreſſa; ſed micas quaſdam verbi ſalutaris, quæ de menſa dominorum ſuorum caderent, crederet colligendas.

Qui ad myſteriorũ altitudinẽ perueniat.

Qui enim diligenter & ſubtiliter ſcripturæ verba rimatur, is ad altitudinem myſteriorum peruenire conſueuit, vnde & huic dicitur: Magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Hoc eſt vt aperiatur tibi oſtium verbi, & refulgeat vitæ æternæ ſalubre myſterium. Ergo qui vicinus eſt, exeat, & Chriſtum videre deſideret, & in oratione clamet, ſicut iſta Chananæa exiuit

In quo ſit imitanda.

de finibus ſuis, & Chriſtum vidit, & iugi voce clama-

clamauit, vt eius miſericordiam reportaret. Credentibus itaque Chananæis, Iudæus in opprobrio ſit: quia ipſe non credidit, & illudi ſibi doleat, & derideri ſe ab iis, qui in circuitu ſunt, ingemiſcat.

Not. 2.

Chryſoſt. CHRYSOST. hom. de profectu Euangelij: Semper enim orandum eſt, & in afflictione, & in proſperitate, & tam ei qui in tribulationibus, quam qui in bonis. (Orandum ſemper.) Et illi quidem, qui in bonis, & proſperitate, vt immota hæc maneant, & non transferantur: huic autem qui in anguſtijs, & afflictione, vt benignam eorum viciſſitudinem ſentiat. In tranquillitate es? ora Deum vt ipſa tibi tranquillitas ſtabilis maneat. Tempeſtatem vides grauem? ora Deum vt auertat ipſam, & ex ipſa tranquillitatem faciat. (Cur Deus exaudire differat.) Exauditus es? gratias age quod exauditus es? Non exauditus es? perſeuera, vt exaudiaris. Et ſi differt aliquando Dominus, non id odio facit, neque te auerſatur; ſed differendo, diutius te ſecum ſeruare vult. Sicuti & patres filios indulgentius amantes, quo illos diutius apud ſe detineant, quos deſides vident, dedita opera morantur aliquid daturi: cæterum non opus tibi patronis apud Deum, neque multo diſcurſu, vt blandiare alijs; (Apud Deũ vt non ſit opus patronis.) ſed licet ſolus ſis, patronoque careas, & per te ipſum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris. Neque enim tam facilè Deus annuit, cum alij pro nobis orant, vt cum ipſimet oramus, etiamſi plurimis pleni (Simile.) ſimus malis. Nam & hominum, quos valde exulcerauimus, iræ quieſcunt, ſi diluculo, & meridie, & veſperi apud eos comparemus, atq; cum illis continua ac humili conſuetudine conuerſemur: & multo magis apud Deum, ſi frequens fueris: licet indignus ſis, dignus tamen eris: quoniam & indignus diutina familiaritate dignus fieri poteſt. Porro tria hæc, nempe quod indignum frequens conuerſatio dignum reddat, & quod Deus magis annuat, ſi per noſipſos oremus, quam ſi alij orent, & quod dando ſæpe differt, non vt nos vacuis manibus amandet, & animo hæſitabundo relinquat, ſed vt bonorum malorum nobis cauſa fiat. (Hæc hiſtoria dicitur parabola.) Tria hæc, inquam, ex parabola hodie nobis lecta, manifeſta facere tentabimus. Acceſſit Chananæa Chriſtum pro filio orans, quæ à dæmone agitabatur, & clamans cum tanta voce, ait: Miſerere mei, Domine, filia enim mea malè à dæmonio torquetur. Ecce alienigena mulier, & barbara, & extranea à Iudæorum iuriſdictione. Et quid aliud erat, quam canis, & indigna, quæ voti (ver. 2.) compos fieret? Non enim honeſtum eſt, inquit, vt accipiatur panis filiorum, & obijciatur canibus. Attamen precum frequētia digna facta eſt, non ſolum vt inter filios recenſeretur, quæ erat canis; ſed vt & multis laudibus honeſtata dimitteretur. Dixit enim: O mulier, magna eſt fides tua. Nulla opus eſt demonſtratione, & inquiſitione vlteriori de mulieris huius gloria. Vides quomodo mulier, quæ indigna erat, ex aſſiduitate facta eſt digna? Vis diſcere, quod etiam per noſmetipſos orantes apud Deum plus efficimus, quam dum alij pro nobis orant? clamauit hæc, & vt acceſſerunt diſcipuli, dicunt: Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Et ad illos quidem dixit: Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Quando autem ipſamet acceſſit, & perſeuerauit clamans, & dicens: Domine, etiam; nam & catuli edunt de menſa dominorum ſuorum: tunc beneficium dedit, & ait: Fiat tibi ſicut vis. Vides, quomodo repulit, cum alij precarentur: vbi vero ipſamet orans pro dono clamauit, annuit? Illis enim, inquit, non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierũt domus Iſrael; huic autem dicit: Magna eſt fides tua, fiat tibi vt vis. Similiter ab initio, & ad ingreſſum petitionis, nihil reſpondit: vbi autem ſemel, & iterum, & tertio acceſſit, tunc denique beneficium conceſſit. Et in fine docet quod dare diſtulerit: (Cur Dominus exaudire differat.) non vt eam repelleret; ſed vt patientiam mulieris omnibus monſtraret. Nam ſi propter repulſam diſtuliſſet, neque tardè ei donaſſet: & nos minimè agnouiſſemus mulieris ab initio vſque ad finem fortitudinem. Dimitte eam, inquiunt, quia clamat poſt nos. Vos auditis vocem, ego mentem video; ſcio, quid dictum ſit. Nolo theſaurum mentis ſuæ occultum permanere, ſed expecto, & ſileo, vt manifeſtetur, & omnibus clarus fiat. Cum hæc omnia non ignoremus, poſthac licet peccatores ſimus, & indigni in quos conferantur beneficia, licet ſoli ſimus, & interceſſoribus careamus, ne deficiamus orando, ne deſpondeamus animam, ſcientes magnum apud Deum patrocinium eſſe, per ſemetipſum magna alacritate ad Deum contendere: Quamuis autem differat, & ceſſet vt largiatur, neque ſic recedamus: ſcimus enim, quod miſericordiæ, magnaque erga nos clementiæ eſt ita differre, & tardare. Si ita ſenſerimus, animaque dolente, & feruida, ac excitata, & tali quali ad ipſum Chananæa acceſſit, etiamſi canes ſimus, grauibuſque in peccatis, & noſtra amoliemur mala: tantumque fiduciæ accipiemus, vt alijs quoque patrocinari poſſimus: Quemadmodum Chananæa hæc, non ſolum ipſa fiduciam, & multas laudes conſecuta eſt, ſed & filiam intollerabilibus moleſtijs eripere potuit. Nihil enim, nihil inquam, precatione ignita, & ſyncera validius eſt. (Orationis vis.) Ipſa enim & præſentia mala diſſoluit, & à futuris pœnis eripit. Vt igitur & præſentem vitam facilius tranſigamus, & ad iudicium fidentius migremus, multo ſtudio, alacritateq; ſedula precibus vacemus. Nam ſic & repoſita bona obtinere poterimus. (Chryſoſt. Cur Deus exaudire differat.) Et hom. 38. in Gen: Vt ſcias quod Deus non ſolum benefacere vult, & dona ſua dare; ſed ſolitus ſit ſua beneficia accepturos facere clariores: vide quomodo hoc & in Chananæa illa faciat, & idcirco ceſſat, & differt, vt non ſolum petitionem illius exaudiat, ſed & vt illam ipſam in toto orbe nobilem faciat. Quandoquidem cum ſupplicaret, ac diceret: Miſerere mei Domine, quia filia mea malè à dæmonio torquetur: (ver. 3) neque reſponſo eam dignatur miſeri-

cors, & clementiſſimus Dominus, alioqui pre-
ver. 5 ces noſtras ſemper præueniens. Et diſcipuli qui-
dem, neſcientes quid futurum eſſet, & quod cu-
ram ageret mulieris, nolletque theſaurum la-
tere, ac ideo non reſponderet, quaſi magis com-
patientes, acceſſerunt, inquit, & obſecrabant
eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt
nos: quaſi monſtrarent ſe iam non ferre illius
moleſtiam; dimitte enim eam, inquiunt, non
quia tam ærumnoſa eſt, non quia preces eius
rationabiles, ſed quia clamat poſt nos. Quid
igitur Dominus? volens & paulatim illius the-
ſaurum detegere, & docere quantum Apoſtoli
à ſua miſericordia abeſſent, reſponſum dat,
quod & mulieris obcæcare mentem, niſi tanto
ſuccenſa deſiderio, alacritateque viguiſſet, &
Apoſtolos ab interpellatione deterrere potuiſ-
ver. 6. ſet: Non ſum miſſus, inquit, niſi ad oues domus
Iſrael, quæ perierunt. Et hoc quidem dictum
illos absterruit, ne pro muliere intercederent;
ſed illam ſegniorem non fecit, imo fecit vt ma-
gis vrgeret. Ita enim ſe habet anima dolens, &
feruenti affectione accedens, nihil attendit
quod dicitur, ſed vnum ſolum ſpectat, quo-
modo ea, quę ſibi curæ ſunt, aſſequatur, id quod
& iſta fecit. Auditis enim his, iterum, inquit,
ver. 7. adorauit eum, dicens: Miſerere mei. Sciebat
Domini miſericordiam, & proinde magna ſe-
dulitate vtebatur. Sed vide ſapientem illum, &
ſolertem, quomodo neque ſic annuat; ſed aſpe-
rius, & vehementius illam concutiens reſpon-
ſum det. Sciebat enim fortitudinem mulieris, &
volebat eam non occultè accipere beneficium,
Cur Dominus exaudire differat. ſed ita vt diſcipuli diſcerent ex facto dilationis
cauſam, & alij omnes docerentur, quanta ſit
longanimitatis potentia, & mulieris virtus.
ver. 8. Nam dicit: Non eſt bonum ſumere panem fi-
liorum, & obijcere canibus. Hic obſecro ani-
maduerte, quæ fuerit mulieris conſtantia, quan-
ta alacritate ſuccenſa, quanta in Deum fide ala-
ta fuerit, cùm interim viſcera ipſa, vt ita dicam,
præ dolore diſſecarentur, & multum filiæ com-
pateretur: non auerſatur, nec retrocedit ob
verbi contumeliam; ſed audito canis nomine
boni conſulit, & fatetur ſe catellum, vt à ca-
num liberetur brutitate, & in filiorum alle-
getur ordinem. Audi nunc quid ad hæc mu-
lier dixerit, vt diſcas quantum, differente Deo,
lucrum concedatur. Non ſolum enim non
abegit mulierem dictorum aſperitas; ſed in ma-
iorem alacritatem excitauit, nempe poſtquam
audiuit hæc verba, inquit: Etiam Domine, nam
& catelli edunt de micis, quæ cadunt à menſa
dominorum ſuorum. Vidiſti quare hucuſque
diſtulerit? vt per verba mulieris, fidem illius
eximiam diſcamus. Vide enim quomodo ſtatim
eam laudauit, & prædicauit Dominus, dicens:
O mulier, magna eſt fides tua. Quam princi-
pio neque reſponſo dignabatur, cum admira-
tione, & laudibus dimittit. Magna, inquit, eſt fi-
des tua. Erat enim reuera ſupra naturam ma-
gna, quod cum videret ſemel, atque iterum, &
ſæpius auerſantem preces, non ſegnior fuerit
facta, neque retroceſſerit; ſed perſeuerantia
ſedula prouocauerit Dominum, ita vt voti
compos fieret. Fiat enim tibi, inquit, ſicut vis.
Vidiſtis quomodo qui prius illam neq; reſpon-
ſo dignatus fuerat, nunc largitionibus certat?
Non enim ſimpliciter annuit precibus illius,
ſed prædicauit, & celebrauit illam. Nam dicen-
do: O mulier: monſtrauit quomodo fidem e-
ius obſtupeſcat; dicendo autem: Magna eſt fi-
des tua: diuitias quoque mulieris oſtendit. De-
inde, inquit: Fiat tibi ſicut vis. Quantum vis,
quantum animo concipis, tantum prębeo. Tan-
ta enim tua perſeuerantia dignam te declarauit
tua petitione. Vidiſtis mulieris conſtantiam?
vidiſtis diuinæ dilationis cauſam, videlicet, vt
mulierem clariorem redderet? Et hom. Chryſoſt.
44. in Gen: Verum vt diſcutis etiam reipſa,
quomodo multi per ſemetipſos orantes, id
quod cupiebant, aſſequi valuerunt, operæ pre-
cium fuerit eos, quibus id contigit, in me-
dium producere, vt & nos imitemur, & ad ęmu-
lationem prouocemur. Audiamus igitur quo-
modo Chananæa illa mulier, cum eſſet alieni-
gena, & anima valde cruciaretur: vbi vidit me-
dicum animarum, & ſolem iuſtitiæ, qui exortus
eſt his, qui ſedent in tenebris, acceſſit ad eum
feruida, & alacri promptitudine, neque ideo
ſegnior facta, quod vel mulier, vel alienigena
eſſet; ſed omnibus impedimentis repulſis, vt
acceſſit, inquit; Domine, miſerere mei, quia fi-
lia mea malè à dæmonibus torquetur. Verum
qui ſcit abſcondita cordium, tacet, & non re-
ſpondet, neque ſermone eam dignatur, neque
miſeretur mulieri, quam videbat tanto cum e-
iulatu accedere; ſed differt, volens occultum
mulieris theſaurum omnibus manifeſtum fa-
cere. Sciebat enim reconditam margaritam, Cur differat Dominus exaudire.
quam latere nos nolebat: & idcirco differe-
bat, & nec reſponſo dignabatur, vt poſteris
mulieris ſedulitas magna foret doctrina. Et
vide ineffabilem Dei bonitatem. Ipſe enim,
inquit, non reſpondebat ei. Diſcipuli autem
qui miſericordiores, & maioris compaſſionis
eſſe videbantur, non audent manifeſtè dice-
re, da ei quod petit: Miſerere ei, eſto ei cle-
mens; ſed quid? Dimitte eam, quia clamat poſt
nos, quaſi dicentes: Libera nos à moleſtia, libe-
ra nos à clamore, quem excitat. Quid igitur
Dominus? Putatis me, inquit, abſque cauſa ta-
cuiſſe, & reſponſo eam non fuiſſe dignatum?
Audite: Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ pe-
rierunt domus Iſrael. Neſcitis, inquit, quod alie-
nigena mulier eſt? Neſcitis quod & vobis iam
præcepi: Ne iretis in viam Gentium? Quare tam cap. 10
temerè compaſſionem erga eam declaratis? cō-
ſidera multifariam Dei ſapientiam, quomodo,
& quum reſpondere videbatur, mulierem ma-
gis perſtringat, quam ſilendo, & quaſi lætalem
plagam dabat, prouocare paulatim eam volens,
vt diſcerent ignorantes diſcipuli, quanta in
ea lateret fides. Sed neque ſic tardior, negli-
gentiorue facta eſt, viſis diſcipulis à cœpto ſuo
deſiſtentibus, neque dixit intra ſemetipſam:
Si non potuerunt illi Dominum pro me exo-
rare, quare ego fruſtra ſequerer, & continuo
inſtarem?

inſtarem? ſed quaſi ab igne calefacta, & ſuccenſa, viſceribus, & ratione conturbatis, accedit adorans, & dicens: Domine, adiuua me. Ille autem neque ſic adiuuat mulierem, ſed reſponſum dat ſuperiore grauius: Non eſt, inquit, bonum vt tollatur panis filiorum, & detur canibus. Conſidera dilecte, & animaduerte hic animæ eius deſiderium, & fidem eximiam. Vt audiuit ſe canem dici, non grauatim tulit, non retroceſſit; ſed magna ingenuitate inquit; Etiam Domine: Nam & catuli edunt de micis menſæ dominorum ſuorum. Confiteor, inquit, catulum me eſſe, igitur ſicut catulum dignare me micis menſæ. Vidiſti mulieris fidem, & prudentiam? Suſcepit quod dictum eſt, & ſtatim id, pro quo ſollicitabat tāto ſtudio, obtinuit; obtinuitque magnis cum laudibus. Quid enim dicit Chriſtus? O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. O mulier, admirationis verbum, & dictum laude plenum. Magnam, inquit, declaraſti fidem, propterea tanta tibi erunt, quanta vis. Vide liberalitatis amplitudinem, & admirare Domini ſapientiam: an non ab initio putabamus, quam ſic repelleret eam, compaſſione carere illum? Et primum quidem non dignabatur reſponſo; poſtea autem per primum, & ſecundum reſponſum, quaſi abigebat; & eam quæ cum tanto aduenerat deſiderio, & feruore à comitatu ſegregabat. Verum à fine diſcas Dei bonitatem, quod volens eam clariorem fieri, tanta dilatione fuerit vſus. Equidem, ſi ſtatim annuiſſet, neſciuiſſemus nos mulieris virtutem: quia autem parumper diſtulit, & Domini cognouimus miſericordiam, & illius fidem eximiam. Totam autem hāc hiſtoriam in medium afferre coacti ſumus, vt diſcamus quod non tantum perficimus per alios orantes, vt per noſipſos, ſiquidem cum alacri, & vigili mente accedimus. Enimuero illa, & diſcipulos habens pro ſe orantes, nihil profecit, donec ipſa per ſe aſſiſteret, miſericordiam Domini ſibi concilians.

(Marginal notes: ver. 7. — ver. 8. — Plus proficimus per nos orando, quam per alios.)

Not. 3, ver. 1.

Euth. Dubium. E v t h. Matth. 15: Hæ ciuitates Chananæorum erant. Quomodo ergo qui diſcipulis præcepit, ne in viam Gentium abirent, ipſe abit?

Solutio. Non abit prædicaturus; ſed vt paululum requieſceret. Ideo etiam poſtquam abijſſet, ingreſſus domum, pro vt Marcus ait, neminem ſcire voluit, nec potuit latere.

Ver. 2.

Aug. Chryſoſt. Hoc à ſolo Marco dici obſeruarunt Auguſt. Chryſoſt. & alij.

Chryſol. Chryſolog. ſer. 100: Beatus Marcus cum Syrophœniſſæ mulieris commendat prudentiam, fidem refert, credulitatis extollit ardorem, ſolicitis auditoribus non paruam generat quæſtionem. Voluit, & non potuit: velle, & non poſſe, non eſt diuinæ maieſtatis; eſt infirmitatis humanæ, ſcriptum eſt enim: Omnia quęcunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. Et Apoſtolus: Voluntati eius quis reſiſtit? ſuccumbit neceſſitati, quæ non libera, & abſoluta voluntas. Leproſus dicit ad Dominum: Si vis, potes me mundare. Euangeliſta dicit: Voluit, & non potuit. Quid ait beatus Marcus? Nunquid extollenda ita eſt mulieris fides, vt inclinetur Domini poſſibilitas, & voluntas? Aut eſt tanta ſagacitas fidei, vt nolente Deo diuinum valeat inueſtigare ſecretum? Sed quid ſit, voluit, & quid, non potuit, euidentius inquiramus; promiſſionis ſuæ memor Chriſtus Iſraelitici populi primum venerat ad ſalutem, vt quod Abrahæ promiſerat, & ſemini eius Dauid, eiuſque poſteris, fidele redderet perſolutum; ſed quia indignos ſe ſua perfidia præſtiterunt; obtinuit, rapuit, traxit fides gentium, quod infidelitas ſpreuit, & perdidit Iudæorum. Audi ipſum dicentem: Non ſum miſſus, niſi ad oues perditas domus Iſrael; ſed oues luporum contagione iam rabidæ, & ipſis beſtijs propria feritate ſæuiores, laniare, & violare ſuum ſemper voluere paſtorem: atque ideo velle ſuum Chriſtus implere non poterat, non impoſſibilitate ſua, ſed nequitia perditorum, & quod alijs detulerat, alijs conferre cogebatur, dicente ipſo: Regnum cœlorum vim patitur: & qui vim faciunt, diripiunt illud. Vim fecit fides gentium, vt raperet hæreditatem patris. Ipſam hæreditatem totam diriperet filiorum, ſicut euidentius præſenti lectione monſtratur.

(Marginal notes: Pſal. 134. — Rom. 9. — Vt Chriſtus voluerit quod non potuit. — cap. 56)

Ver. 3.

Hier. Matt. 15: Inde nouit vocare filium Dauid, &c. vt lect. 1. & 2. fer. 5. poſt Dom. 1. Quad.

Chryſoſt. hom. 79. ad Antioch: Quid ergo debes orans dicere? Quod Cananæa. Sicut enim illa dicebat: Miſerere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur, ita dic & tu: Miſerere mei, anima mea malè à dæmonio vexatur. Magnus enim dæmon peccatum: dæmonium habens miſericordiam inuenit; odio peccans habetur. Miſerere mei, breue verbum, & clementiæ pelagus continet. Nam vbi miſericordia, ibi ſunt omnia bona, ſiue ſis extra Eccleſiam, clama dicens: Miſerere mei: Et ſi non mouens labia, ſed mente clamans; nam & tacentes Deus exaudit.

(Marginal notes: Hier: Vnde filiũ Dauid Cananæa vocare nouerit. — Chryſoſt. Quid à Chriſto petendum. Anima eſt Cananææ filia. Dæmō eſt peccatum.)

Ver. 4.

Hier. Matth. 15: Non de ſuperbia Phariſaica, &c. lect. 2. fer. 5. poſt Dom. 1. Quad.

(Marginal note: Hier. Cur Chriſtus diſſimulet.)

Ver. 5.

Hier. Matt. 15: Diſcipuli, illo adhuc tempore, &c. lect. 3. fer. 5. poſt Dom. 1. Quad.

(Marginal note: Hier: Cur diſcipuli pro Cananæa rogent.)

Not. 4. verſ. 6.

V i c t. Mar. 7: Dominus Cananææ animum, & in ſe ſtudium, cunctatione aliquali patefactum iri certo cognoſcens, Apoſtolorum interceſſionem ad tempus negligit. Interim ne curam illius penitus abieciſſe videatur, patitur illam accedere, patitur adorare, patitur filiæ ſanitatem iterum, iterumque efflagitare, locumque,

(Marginal note: Vict. Cur Dominus exaudire differat.)

cumque, & tempus, vt omnia hæc fiant, opportunum indulget.

Hier. Quomodo ſolum ad Iſrael Chriſtus miſſus fuerit. Cur ait, quæ perierunt.

Hier. Matt. 15: Non quod & ad Gentes non miſſus ſit, &c. lect. 3. fer. 5. poſt Dom. 1. Quad. Et ſignificanter dixit: Ad oues perditas domus Iſrael, vt ex hoc loco etiam vnam erroneam ouem de alia parabola intelligamus.

Aug. Quomodo ſolum ad Iſrael Chriſtus miſſus fuerit.

Aug. ſer. 74 de tempore. Ecce oues, de quibus dixit: Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Illis enim exhibuit præſentiam ſuam, pro illis in ſe ſæuientibus crucifixus orabat. Hanc præſentiam Chriſtus Iudæis exhibuit. Hoc ergo ait: Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael; vt illis præſentiam ſui corporis exhiberet, non vt oues, quas habebat in gentibus, contemneret, & præteriret. Ad gentes enim ipſe non venit, ſed diſcipulos miſit. Et illic impletum eſt quod Propheta dixit: Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi.

Pſa. 17.

Aug. Et tract. 3. in Euang. Ioan: Miſit enim ad nos membra ſua, & fecit nos membra ſua. Tamen ſecundum ſpeciem corporis, quam Iudæi viderunt, & contempſerunt, non apud nos fuit Chriſtus, quia & hoc de illo dictum erat, ſicut Apoſtolus ait: Dico enim Chriſtum miniſtrum fuiſſe circunciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum. Ad illos debuit venire, à quorum patribus, & quorum patribus eſt promiſſus. Ideo & ipſe ſic ait: Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Sed quid dicit Apoſtolus in ſequenti? Gentes autem ſuper miſericordia glorificare Deum. Quid & ipſe Dominus? Habeo alias oues, quæ non ſunt ex hoc ouili. Qui dixerat, Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael, quomodo habet alias, ad quas non eſt miſſus, niſi quia ſignificauit præſentiam corporalem non ſe miſſum exhibere, niſi ſolis Iudæis, qui viderunt, & occiderunt? Et multi tamen inde, & antea, & poſtea, crediderunt.

Rom. 15.

Io. 10.

Aug. Propter quos ad Iſrael Chriſtus miſſus fuerit.

Et tract. 47. in Ioan: Miſſus autem fuerat ad ipſos Iudæos, non propter quoſdam immani odio pertinaces, & perſeuerantes in tenebris; ſed propter quoſdam in ipſa gente, quas dicit oues ſuas, de quibus dicit: Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael: Nouerat etiam eas in turba furentium, & præuidebat in pace credentium. Quid eſt ergo, non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, niſi quia præſentiam ſuam corporalem non exhibuit, niſi populo Iſrael? ad gentes non perrexit ipſe, ſed miſit: ad populum vero Iſrael & miſit, & venit ipſe: vt qui contemnebant, maius iudicium ſumerent; quia etiam præſentia eſt illis exhibita. Ipſe Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit, ibi concipi, ibi naſci, ibi ſanguinem fundere voluit. Ibi ſunt veſtigia eius, modo adorantur vbi nouiſſimè ſtetit, vnde aſcendit ad cœlum. Ad Gentes autem miſit.

Nat 5. ver. 7.

Euth. Euth. Matt. 15. Sufficiebat quidem ſilentium, vt eam in deſperationem coniiceret at reſponſio multo etiam amplius deſperationem incendit. Quid ergo mulier? Quum ſeſe videret eſſe deſpoliatam, repudiatione etiam illorum, qui pro ea deprecarentur, non deſperauit: [illegible] fidem, ac perſecutionem, [illegible] pudens eſt honeſta impudentia: & iam [illegible] clamore, qui eminus fiebat, propius [illegible]. Nos autem non ita, ſed vbi ſtatim non [illegible] [illegible]imus: quum propius oporteret accedere, & feruentius orationi incumbere. Vſque tunc enim neque in illius conſpectum aut [illegible]rat accedere, indignam ſeſe reputans.

Ver. 8.

Aug. Aug. ſer. 47. de temp. Illi mulieri inſtanti reſpondit hoc; non eſt bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus: Canis es, vna es ex gentibus, idola adoras. Quid autem tam [illegible] bare canibus, quam [illegible]?

Vict. Victor. Marc. 7. Quum dicit Christus [illegible] dunt, necdum præſto eſt tempus, vt gratia & beneuolentia mea inter gentes, & alienigenas diffundatur: ſiquidem Iſrael [illegible] necdum planè repudiauit. Venit proinde Dominus ad Cananæos, non tanquam ad domeſticos, ſed tanquam ad eos, quibus olim patribus, ad quos promiſſio facta fuerat, nihil commune erat. Et quia res ita habebat, Tyrem, & Sidonis aduentum ſuum non indicauit, ſed, quantum commodè fieri potuit, [illegible]. Fecit hoc autem, ne ante tempus ad gentes migrare videretur, cum quo Iudæos, propter beneficia, quæ in illos conferebat, [illegible], quæ inter ipſos exercebat, ad [illegible] ret. Conuerſionem autem ad gentes in tempus, quod crucem, & paſſionem [illegible] que Iſraelitarum abiectionem conſequebatur, reijcere placuit. Nihilominus non potuit per omnia latere; ſed atque rationi quoque conſentaneum erat, vt ijs, qui fide [illegible] tis partibus præſtabant, nullo profectu [illegible] aut beneficio ſeſe manifeſtaret: [illegible] propter Apoſtolos, quos [illegible] certam coniecturam facere oportuit. [illegible] gentibus quoque [illegible] eſſe. Sine [illegible] [illegible] filios. Hoc ſermone [illegible], apud Chananæam non venit, [illegible] ta non fuerit, vt [illegible] Iudæis, inquam, & Gentibus, benigne facere [illegible] [illegible] adminiculatetur. Sed quod Iudæi & [illegible] velut à ſe mutuo [illegible], nullam omnino inter ſe communicationem haberent. Deus namque ita ſeſe gerere [illegible] hos ſolos ſimpliciter elegiſſet, illos omnes [illegible] pliciter repudiaſſet. Iam vero donec [illegible] tandem in Chriſtum [illegible] priſtinam in Iudæos [illegible] ter retinuit, neque gentes [illegible] rè [illegible]. Canis [illegible] dæi non [illegible] nedeſignabant. Quod hoc canis [illegible] ſuy etiam Iſraelitæ, [illegible] pit, quando cœleſtis [illegible]

[illegible]

fuit; Notum eſt enim illud Pſalmiſtæ: Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.

Euth. Euth. Matt. 15: Quantum illa augebat petitionem, tantum ipſe repulſionem. Marcus ait, quod dixerit ei: ſine primum ſaturari filios. Vndique enim oſtendebat familiaritatem, ac dilectionem erga Iudæos, eorumque procurabat honorem. Filios quidem eos vocauit tanquam ſuos, ac dilectos. Ethnicos vero catellos tanquam impuros, ac ſceleſtos. Panem autem dicit ſanitatem non corporum tantum, verum etiam animarum.

Filii qui. Catelli qui Panis.

Chryſol. Chryſolog. ſer. 100: Non dixit: Non eſt bonum mittere canibus; ſed, non eſt bonum tollere filijs, & mittere canibus: quia dare panem canibus, & ſi humanitatis non eſt, humanæ tamen eſt rationis. Canis, dormientibus dominis nocte, & cuſtos, & peruigil prodit extraneum, turbat furem, occurrit latroni, vt curam releuet, & ſolicitudinem ſeruulorum. Veruntamen quomodo tulit panem filijs, quibus toties, & taliter obtulit, tribuit, ingeſſit? Sed illi oblatum, conculcare ad ſcelus, non ad vitam ſumere ſunt conati: & tamen comminutum, & conculcatum à filijs, canis tota fide, toto deſiderio lambere feſtinauit.

Canis officium.

Not. 6. ver. 9.

Aug. APVD Aug. cap. 4. ſcalæ paradiſi: Fateor quia indigna, & peccatrix ſum.

Aug. Aug. ſer. 74. de temp: Illa ſi recederet poſt hęc verba, canis acceſſerat, canis abſceſſerat; ſed pulſando, homo factus eſt ex cane. Inſtitit enim petendo, & ex ipſo veluti conuicio humilitatem oſtendit, miſericordiam impetrauit. Neque enim commota eſt, aut ſuccenſuit quod canis appellata fuerit, petens beneficium, rogans miſericordiam; ſed ait: Ita Domine, dixiſti me canem: planè canis ſum, agnoſco nomen meum: & veritas loquitur, ſed non ideo à beneficio repellenda ſum. Prorſus canis, ſed & canes edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Modicum quoddam, & exiguum beneficium deſidero, non inuado, ſed micas quæro. Videte quemadmodum humilitas commendata eſt. Canem illã Dominus dixerat. Non dixit, non ſum; ſed dixit, ſum. Et ſer. 28. de temp: De Gentibus venimus, in parentibus noſtris lapides adorauimus. Ideo canes dicti ſumus. Recordamini quid audierit mulier illa, quæ clamabat poſt Dominum, quia erat Chananæa, idolorum cultrix, ancilla dæmoniorum: Quid dixit Ieſus? Non eſt bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus. Nunquid aduertiſtis quemadmodum canes lapides vnctos lingunt: Sic ſunt omnes ſimulacrorum cultores.

Quomodo ex cane fit homo. Humilitas Cananææ.

Humilitas

Aug.

Canes cur Gentiles vocentur.

Chryſol. Chryſolog. ſerm. 100: Merito quæ ſe canem confeſſa eſt, in hominem commutatur: & inſtè conuertuntur in canes, qui ſe filios eſſe noluerunt. Merito adoptatur in filiam, leuatur, honoratur ad menſam, quę ſe ſub menſa laudabili, & pronida humilitate deiecit: Iuſtè toro nunc epulatur micas ex pane, quæ ſuis meritis ſe intellexit, & confeſſa eſt vix mereri. Et quid plura? Hinc eſt, quod propter iuſtitiam ſuam Dominus, nec Iudæis dare potuit, nec Gentibus denegare.

Quomodo canis mutatur in hominem. Humilitas

Hiero. Matth. 15: Mira ſub perſona mulieris Chananitidis, Eccleſiæ fides, patientia, & humilitas prædicatur. Fides, qua credidit ſanari poſſe filiam ſuam. Patientia, qua totiens contempta, in precibus perſeuerat. Humilitas, qua ſe non canibus, ſed catulis comparat. Canes autem Ethnici propter Idololatriam dicuntur, qui eſui ſanguinis dediti, & cadaueribus mortuorum feruntur in rabiem. Nota quod iſta Chananitis perſeueranter primum filium Dauid, deinde Dominum vocet, & ad extremum adoret vt Deum. At illa dixit, &c. Scio me, inquir, filiorum panem non mereri: nec integros poſſe capere cibos: nec ſedere ad menſam cum patre, ſed contenta ſum reliquiis catulorum: vt per humilitatem micarum, ad panis integri veniam magnitudinem. O mira rerum conuerſio: Iſrael quondam filius, nos canes. Pro diuerſitate fidei, ordo nominum commutatur. De illis poſtea dicitur: Circundederunt me canes multi. Et videte canes: videte malos operarios: videte conciſionem. Nos audimus cum Syrophæniſſa, & muliere quæ ſanguine fluxerat: Magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Et: Filia, fides tua te ſaluam fecit.

Hier. Fides, patientia, humilitas.

Canes qui

Pſa. 21. Phil. 3.

Amb. lib. 6. in Luc: Verè hæc regnum coëgit, pertinax in precibus, ſapiens in reſponſis, fidelis in verbis. Prætereuntem reuocat, tacentem rogat, excuſantem adorat, negantem inclinat. Nonne tibi videtur eripere, cum elicit quod negatur? præripere quod alij reſeruatur? Negauerat enim Dominus panem filiorum dari canibus oportere. At illa conſenſit, & conſentiendo diripuit dicens: Vtiq; Domine. Nam & catelli edunt, &c.

Amb. Conſtans, ſapiens, fidelis.

Vict. Mar. 7: Sed neque Chananæa quoque canis appellationem grauiter tulit; verum in tali ordine conſtituta, beneficium quæſiuit, opulentæque illius gratiæ, qua Iſraelitæ potiebantur, partem aliquam impetrare ſtuduit. Quemadmodum canes quoque micarum, quæ de puerorum manibus in terram feruntur, participes euadere ſolent. Admirabilis hæc mulier: duro reſponſo à Chriſto accepto, tantum abeſt, vt ægrè, indignabundeque id ferat, vt voces, non multa tantum fide, ſed magna quoque reuerentia, & ſapientia plenas, depromat. Nam quod à Domino inter canes ſe cenſeri patienter ferr; id ſummæ vtique reuerentiæ, & pietatis argumentum erat. At vero minimam virtutis illius partem, (hoc enim micæ nomine ſignificatur) ad præſtandam integram filiæ ſanitatem ſat eſſe certò arbitrari, id excellentis fidei opus erat. Demum ex illato probro, familiaris cuiuſdam neceſſitudinis occaſionem arripere, edereque reſponſum vſque adeo admirabile, id eximiæ prudentiæ, admirandæque ſapientiæ indicium erat. Ecquid enim ait illa? Vtique Domine: nam & catelli. Quaſi dicat: magni beneficij loco duro, vel in canum ordine habe-

Vict.

Fides, reuerentia, ſapientia.

Pietas. Quid micæ

Fides.

Prudentia. Sapientia.

ne haberi; dummodo abs te, veluti aliena non excludar; ſed de menſa dominica cibum capiam; ſi non panem, certè micas temerè de menſa cadentes. Tantæ enim dominicæ menſæ ſunt opes, vt abundè mihi ſat ſit, ſi iuſtorum tuorum micis frui liceat.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. in Pſal. 43: Qui enim eſt aliquid rogaturus, & poſtulatum conſequuturus, ex data alijs gratia eum oportet petere ſimilia. Quod autem dico, eſt eiuſmodi, petit aliquis famulus à nobis donum: ſi oſtenderit alium quoque id accepiſſe, maximam afferr rationem cur id debeat accipere, niſi exemplum lædat differentia. Differentiam autem dico perſonæ, vel rei. Si enim qui accepit, talis ſit qualis qui petit, & id quod petitur, ſimile: conſiſtit exemplum. Sin autem ille quidem iure accepit, hic autem non itidem: poſtulatione maiori erit opus. Neceſſe eſt autem id quod dico, manifeſtum facere ex ſcripturis. Chananæa poſtquam audijt: Non eſt bonum accipere panem filiorum, & dare canibus. Dicit: Etiam Domine. Nam & catelli edunt de micis menſæ dominorum ſuorum. Et Paulus rurſus ſcribens dicebat: Si alij veſtræ poteſtatis ſunt participes, multo magis nos: ex perſonæ differentia ſe plus iuris habere oſtendens. 1 Cor. 9

Not. 7. ver. 10.

Aug. AVG. ſer. 74. de temp: Dominus continuo, quia ſe agnouit canem, ô mulier, inquit, magna eſt fides tua, &c. tu te agnouiſti canem, ego te iam agnoſco hominem. Petiſti, quæſiſti, pulſaſti: accipe, inueni, aperiatur tibi. Videte, fratres, quemadmodum in hac muliere, quæ Chananæa erat, id eſt, quæ de Gentibus veniebat, & typum, hoc eſt, figuram Eccleſiæ gerebat, maxime humilitas commendata eſt: etenim gens Iudæa, vt ab Euangelio repelleretur, ſuperbia inflata eſt, quòd legem accipere meruiſſet, quod de ipſa gente Patriarchæ proceſſerint, Prophetæ extiterint: Moyſes Dei ſeruus miracula magna, quæ audiuimus in Pſalmo, in Ægypto fecerit, per mare rubrum aquis recedentibus populum duxerit, legem acceperit, quam ipſi populo dederit. Et lib. de fide, & operibus cap. 16: Vnde nec illa nobis mulier Chananæa præſcribit, quia Dominus ei, quod petebat, dedit, cum ante dixiſſet: Non eſt bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus: quia ille cordis inſpector mutatam vidit, quam laudauit, & ideo non ait: O canis, magna eſt fides tua; ſed, ô mulier, magna eſt fides tua. Mutauit vocabulum, quia mutatum vidit affectum, atque illam correptionem ad fructum perueniſſe cognouit. Miror autem ſi laudaret in ea fidem ſine operibus, id eſt, fidem non talem, quæ per dilectionem iam poſſit operari: fidem mortuam: &, quod Iacobus dicere minimè dubitauit, fidem non Chriſtianorum, ſed dæmonum. Poſtremo ſi iſtam Chananæam nolunt intelligere mutaſſe perditos mores, quando eam Chriſtus contemnendo, &

[Margin: Quomodo ex cane fiat homo. — Humilitas — Pſal. 77. — Aug. — Cananææ mutatio. — Quæ fides à Chriſto laudetur. — Iac. 2.]

corripiendo redarguit, quoſcumque inuenerint tantummodo credere, vitam vero inquinatiſſimam nec ſaltem occultare, ſed etiam liberè profiteri, ac nolle mutare, ſanent filios eorum, ſi poſſunt; ſicut ſanata eſt filia Chananææ mulieris: non tamen eos faciant membra Chriſti, cum ipſi eſſe non deſinant membra meretricis. Idem ad verbum habet quæſt. 1. lib. de octo dulcitij quæſtionibus. Aug.

Vict. Mar. 7: Matthæus ſanationis cauſam fidei, Marcus ſermonis virtuti aſcribit; ſed in idem redit: efficax enim ſermo, ex efficaci fide prodibat. Vict.

* Theoph. Matt. 15: Licet pro nobis orent Sancti, vt Apoſtoli pro illa; attamen nos pro nobis ipſis petentes magis audimur. Theoph. Interceſſio Sanctorũ.

Ver. 11.

Aug. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 18: Quod & puerum Centurionis, & filiam Chananææ mulieris, non veniens ad domos eorum, ſaluat, ſignificat Gentes, ad quas non venit, ſaluas fore per verbum ſuum. Aug.

Not. 8.

CHRYSOST. hom. 53. in Matt: Et egreſſus inde Ieſus, receſſit in partes Tyri, & Sydonis, &c. Marcus autem ait, quia cum in domum veniſſet, latere non potuit. Quamobrem autem in illas partes profectus eſt? Quum obſeruationem ciborum contemnẽdam eſſe docuiſſet, tunc recto itinere, ac ordine progrediens, gentibus etiam ianuam aperit. Sic & Petrus, cum ſoluere has obſeruationes iuſſus eſſet, tunc ad Cornelium miſſus fuit. Si vero quiſpiam dixerit, & quonam modo cum diſcipulis iniunxerit, dicens: In viam Gentium ne abieritis, ille ipſe abiit? primum illud adducemus, quia non tenebatur ipſe, quæ diſcipulis ſeruanda præcepit, omnino conſeruare: deinde quia non vt prædicaturus illuc acceſſit, quod denotauit Marcus dicens, quoniam & occultauit ſeipſum, & non latuit. Quemadmodum enim rerum conſequentia poſtulabat, ne ad gentes primum proficiſceretur, ſic non erat humanitatis, vltro venientes repellere. Nam ſi fugientes ſequendi ſunt, multo magis ſequentes expectandi. Conſidera igitur omni beneficio dignam mulierem fuiſſe: Non enim auſa fuit in Iudæam abire, quando ſeipſam indignam putabat. Niſi enim is timor eam deterruiſſet, Hieruſalem ipſam profecto petiiſſet: quod partim ardore fidei ſuę, partim quia terminos ſuos egreſſa fuerat, comprobatur. Nõnulli autem & allegoricè iſtud exponunt, dicẽtes: quia quando à Iudæa Chriſtus exiuit, tunc & Eccleſia gentium terminos ſuos egreſſa, adire ipſum auſa eſt. Obliuiſcere namque, ait, populum tuum, & domum patris tui. Tam enim Chriſtus, quam mulier illa egreſſi à terminis ſuis, conuenire, & colloqui potuerunt. Ecce namque, inquit, mulier Chananæa egreſſa à finibus ſuis. Accuſare mulierem Euangeliſta videtur, vt & miraculum oſtendat, & ipſam

[Margin: Chryſoſt. — ver. 2. — Cur ad Gentes Chriſtus ierit. — Ratio diſpoſitionis. ver. 1 — Act. 10. — Cur Chriſtus ierit, quod diſcipulis vetuit. — ſolut. 1 — 2. Reſp. ver. 2. — 3. Reſp. — Senſ. allegoricus. — Pſa. 44. — Cur ait, Cananæa.]

ipſam laude dignam fuiſſe confirmet. Cum enim audiueris Chananæam, non poteris non meminiſſe iniquiſſimarum illarum gentium, apud quas etiam leges ipſius naturæ funditus euerſæ fuerant: quod cum memoria repetieris, virtutem quoque aduentus Christi diligentius cogita. Qui enim eiecti ſunt, ne Iudæos peruerterent, hi adeo ipſis Iudæis meliores fuerunt, vt terminis ſuis relictis, ad Chriſtum accederent, cum Iudæi ad ipſos venientem extruſerunt. Cum igitur acceſſiſſet mulier, nihil aliud, niſi miſerere mei exclamabat, & ingens ſpectaculum clamore ſuo concitauit. Erat enim certè miſerabilis quædam res, mulierem aſpicere tam magno dolore coactam exclamare: mulierem, inquam, & matrem, & pro filia, quæ male vexabatur, miſerabilis res erat exclamantem præ dolore aſpicere. Nec enim auſa fuit, ad magiſtri, & Domini conſpectum dæmoniacam filiam adducere, ſed illa domi iacere dimiſſa, ſola ipſa ad ſupplicandum proficiſcitur: & morbi quidem genus exponit tantummodo, nec quicquam addit, medicum autem, non domum ſuam, vt Regulus ille, adducere conatur, qui, &c. Et hom. 17. ex varijs locis in Matt: Miratur Euangeliſta: Ecce mulier, vetuſta armatura diaboli, quæ hominem de paradiſo expulit, mater peccati, initium iniquitatis, præuaricationis materia, ipſa illa mulier venit, ipſa natura. Noua res, & miranda. Iudæi fugiũt, & mulier ſequitur. Rogabat eum, dicens: Miſerere mei, &c. O præclara confeſſio! Euangeliſta fit mulier, deitatem eius, & diſpenſationem annuncians. Confitetur enim & dominationem, & incarnationem eius. Vide philoſophicam mulieris animam dicentis: Miſerere mei. Non, inquit, habeo conſcientiam bonorum operum, nec rectæ vitæ fiduciam: ad miſericordiam confugio, ad trãquillum portum peccantium: ad miſericordiam confugio, vbi ceſſat iudicium: ad miſericordiam confugio, vbi ineffabilis ſalus eſt. Dic mihi mulier, quemadmodum auſa es, cum ſis peccatrix, & iniqua, accedere ad eum? Ego, inquit, noui quid agam. Vide prudentiam mulieris. Non rogat Iacobum, non obſecrat Ioannem, neque pergit ad Petrum, nec intendit Apoſtolorum chorum, non quæſiuit mediatorem; ſed pro omnibus illis pœnitentiam accepit comitem, quæ aduocati locum impleuit, & ſic ad ſummum fontem perrexit. Propterea, inquit, deſcendit, propterea carnem aſſumpſit, & homo factus eſt, vt & ego ei audeam loqui. Surſum in cœlis Cherubin cum tremunt, & Seraphin metuunt: & deorſum meretrix, loquitur cum eo, miſerere mei. Nudus quidem ſermo, ſed immenſitatem ſalutis continens, miſerere mei: propterea, inquit, veniſti, propterea carnem aſſumpſiſti, propterea factus es, quod ego ſum. O admiranda res, ſurſum tremor, & deorſum fiducia. Miſerere mei. Non opus habeo mediatore. Miſerere mei. Quid habes opus? miſericordiam, inquit, quæro. Quid pateris? filia, inquit, mea malè à dæmonio vexatur. Egreſſa eſt aduocatrix filiæ, non affert infirmam puellam, ſed defert fidem deuotam. Hæc intra ſemetipſam conferens, & dicens: Deus eſt, ad quem vado. Abſentiam videt, occulta inſpicit, omnia nouit. Miſerere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur. Fletus peſſimus ſtimulus naturæ viſcera mea diſrumpit. Quid faciam miſera? Vide prudentiam. Non dixit, miſerere filiæ meæ; ſed, miſerere mei. Illa enim inſenſibili paſſione tenetur, neſcit quid habet, non ſentit dolorem, velatum cor habet, nequiſſimo ſpiritu obducente. Miſerere mei. Spectatricis diurnorum malorum, quotidie cruciatus meos video. Vbi vadam? quo pergam? In eremum ire non audeo, nec illam ſolam relinquere: in domo ſedere non poſſum, quia intrinſecus eſt inimicus. Fluctus in portu ſunt, in tranquillitate tempeſtas eſt. Et quo nomine eam vocabo, inuenire non poſſum. Mortuam eam dicam, ſed mouetur; viuam appellem, ſed neſcit quid faciat. Inuenire non poſſum, quo eam nomine appellem. Miſerere mei. Si mortua eſſet filia mea, non talia pateretur. Tradidiſſem vtique corpus in ſinum terræ, & tempore euoluto obliuionem malorum haberem, & dolor conquieſceret: nunc autem mortuum habeo pertinax corpus, ſine ſenſu viuum, ſpectaculum lamentabile, increſcentia per momenta vulnera paſſionum multiplicata doloribus. Cerno enim oculos eius tranſuerſos, aſpectum ſanguineum, manus intortas, crinem diſſolutum, contortum collum, ora ſpumantia, inimicum incedentem, & non apparentem, tortorum clauſum, & flagella reſonantia, neminem interrogantem, & illam cum clamore loquentem: adſum ſermocinatrix malorum meorum, præſto ſum ſtimulante natura. Miſerere mei. Peſſima tempeſtas paſſio, & timor: paſſio naturæ, timor dæmonis. Accedere non poſſum, neque contingere. Abigit me paſſio, explodit timor. Miſerere mei. Conſidera mulieris philoſophiam, inſpice animam generoſam. Non perrexit ad diuinos, non vocauit magos, non alligaturas quæſiuit, non impoſtatrices mulieres adduxit illas, quæ ſolent dæmones prouocare, & incantationibus ſuis vulnus augere. Reliquit illa omnia, dimiſit diaboli falſitates, omnia purgamenta contempſit, & venit ad ſalutarem animarum noſtrarum portum. Miſerere mei, Domine, filij Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Noſtis paſſionem, quanticumque fuiſtis patres, adiuuate ſermonem meum: quantæcumque matres vocatæ eſtis, non poteſtis interpretari tempeſtates, quas ſuſtinuit mulier illa. Miſerere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur. Vidiſti inſtantiam mulieris, vidiſti virilitatem, vidiſti longanimitatem, vidiſti fidem? Ipſe autem non reſpondit ei ſermonem. O noua rerum materies. Rogat mulier, obſecrat, deprecatur, deflet caſum ſuum, auget tragœdiam, enarrat paſſionem: & amator hominum non reſpondit, ſermo tacet, fons clauſus eſt, medicus medicamenta retinuit. Quid nouum? quid admirabile? Alios prouocas ad ſequendum, & hanc miſera-

Margin notes: Vis Chriſti aduentus. — Cananæa quid clamet. — Io. 4 — Chryſoſ. — ver. 4.

miſerabilem inſequentem abigis. Sed conſidera medici ſapientiam, qui non reſpondit ei verbum. [Cur Ieſus diſſimulet.] Cur non reſpondit? Quia fidem illius amplius prouocabat, & animum perſeuerantia exercebat, & diſcipulorum miſerationes excitabat. Dicunt quippe ad eum diſcipuli eius. [ver. 5.] Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Vos, inquit, deforis clamare auditis, ego autem intrinſecus video: grandis quidem vox ex ore procedit, ſed maior eſt mentis. Dimitte eam, quia clamat poſt nos, alius Euangeliſta dicit: ante nos. Diuerſi ſiquidem ſermones, ſed vna ſententia eſt: nec eſt mendacium in vtriſque, vtrumque enim faciebat mulier in cauſa doloris. Prius poſt tergum clamabat, & cum vidiſſet, quia non reſpondit, ante cucurrit, quaſi canis Domini veſtigia lambens. Dimitte, inquit, eam: theatrum nobis clamoribus excitauit, omne conuocauit vulgus. Et illi quidem quaſi homines ad clamorem illius erubeſcebant, ſed Dominus temperamentum miſericordiæ ſuæ nouerat. Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus, &c. Et cum hoc dixiſſet, peius eius vlcus efficit. Medicus enim erat, ſecans, non vt diuidat, ſed vt [ver. 7.] coniungat, &c. Quæ cum audiſſet, acceſſit, & adorauit eum, dicens. Domine, &c. Conſidera precantis inſtātiam, & Domini temperantiam. O clementia medici. In deſperationem adducebat eam, vt amplius rogaret, & augmentum [ver. 8.] fidei faceret. Non eſt bonum, inquit, ſumere panem filiorum. Quorum filiorum? Iudæorum videlicet. Et mittere canibus. Quibus? ſine dubio vobis. Hæc ad opprobrium dicebantur Iudæorum, qui filij vocati, canes effecti ſunt, di[Philip. 3.]cente Paulo: Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem. Nos enim ſumus circunciſio, Gentes vero canes appellatæ, facti [Gal. 4] ſunt filij, filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis. Laus Iudæorum, accuſatio illis erat. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. At [ver. 9] illa dixit: Etiam Domine. O violentia mulieris, ô intentio animi, ô profectus fidei. Medicus dicit; Non: hæc dicit, etiam. Dominus dicit; non, iſta dicit, etiam. Non quaſi procax, aut impudens reputanda eſt: ſed laudanda magis, quia expectat ſalutem. Non eſt, inquit, bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Etiam Domine, tu canem me vocas, ego te Dominum voco: tu me iniurias, ego te glorifico. Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Non reſpuo opprobrium, tantum accipiam vel eſcam canis. Dicit rem quæ in conſuetudine eſt. Tu fac, quod debetur cani: quia canem me vocas, da mihi micas. O Domine, aduocatus meæ factus es poſtulationis, abnegando promittis. Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Quid ergo? Qui abnegabat, [ver. 10.] qui repellebat, qui non reſpondebat, qui dicebat: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus; qui dicebat: Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael: in laudes mulieris ſubito erumpit, dicens: O mulier. Propterea, inquit, laudo conſtantiam eius, laudo fidem: quia iniuriata permanſit, & ratione extorſit. Si enim ab initio dimiſiſſem illam, nec illa paulatim erudita fuiſſet, nec tu ſciſſes virtutem animi eius, nec latentem fidei theſaurum: & ideo ſuſpendi donationem, vt tu agnoſceres fidem. O mulier, Deus dicit, ô mulier. Audiant hæc qui iactant, & orant, & faſtidiosè precantur. Quando dico chariſſimi, roga Deum, obſecra eum, famulare illi, dicis: rogaui ſemel, ſecundo, & tertio, & decies, & vicelies, & quidnam accepi, inquis? Ne recedas, quouſque accipias, finis poſtulati acceptio deprecantis eſt. Tunc ceſſa quando acceperis, imo magis nec tunc ceſſes, ſed tunc perſeuera, agens gratias pro eo quod accepiſti; vt perſeueret tibi quod acceperis, &c. Dicito & tu, miſerere mei Domine, quia anima mea malè à dæmonio vexatur: grandis enim dæmon peccatum eſt, & ille quidem in propatulo habens, velocius curari poteſt: qui autem occultat peccata ſua hominibus, & pœnitere non vult, ſed contemnens ſecurus delinquit, & odibilis eſt. Et ille quidem pro ipſa vexatione veniam habebit, iſte vero reſponſione priuabitur, &c. Fiat tibi ſicut vis. Vbi ſunt hæretici? nunquid dixit, rogabo patrem meum, obſecrabo genitorem meum? Nunquid oratione eguit? Non vtique: quia author ſalutis eſt, & vniuerſalis creator, & verbum Deus, ideo dixit: O mulier, magna eſt fides tua. Quamuis & pro diſpenſatione carnis orauerit, & quia magna eſt fides, copioſa effuſa eſt gratia. Vbi autem oratio neceſſaria eſt, ibi infirmum eſt vas. O mulier, magna eſt fides tua. Non vidiſti mortuum ſuſcitatum, nec leproſum mundatum, nec prophetas audiſti, nec legem meditata es, neque mare in diuiſionibus ſcindi vidiſti, nihil horum contemplata es, inſuper & deſpecta, & contempta à me es, & non receſſiſti; ſed perſeueraſti petendo. O mulier, magna eſt fides tua. Mortua eſt mulier, & præconium eius viget. Vbicunque ieris, audis Chriſtum dicentem: O mulier, magna eſt fides tua. In Gottia, in India, in Mauritania, quantumcumque ſol reſpicit terram, clamat Chriſtus, & non tacet verbum: O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Non dixit ſanetur filia tua: ſed, fiat ſicut vis. Tu, inquit, eam cura, eſto medicus, tibi committo medicamentum, vt imponas ei, fiat tibi ſicut vis. Voluntas tua curat eam. Cananæa voluntate curauit, & filius Dei, ſicut dicunt hîc, à ſemetipſo non curat, fiat tibi ſicut vis. Neque iuſſit mulier, neque imperat dæmoni, ſed ſola mulieris voluntas curauit filiam, dæmonemque fugauit. Vbi ſunt qui audent Chriſtum dicere per orationem virtutes feciſſe? vide quid dicat: Fiat tibi ſicut vis. Conſidera ſermonis germanitatem, patrem ſuum imitatur. Quando enim faciebat Deus cælum, dixit: Fiat cælum, & factum eſt cælum: fiat terra, & facta eſt terra: fiat ſol, fiant aſtra cæli, & [Gen. 1] facta ſunt vniuerſa. Iuſſio adduxit ſubſtantiam parentelæ, ſermo communionem oſtendit naturæ.

ver. 11. curæ. Et ſanata eſt, inquit, filia eius ex illa hora. Ex qua hora? Non ex qua venit mater eius domum, ſed ex qua Domini ſermo proceſſit. Et cum rediſſet domum, inuenit eam ſanæ mentis, & voluntate, imo fide eius curatam.

Cap. 76. *Surdus, & mutus, cum aliis multis languidis, curatur.*

Matt. 15.	*Mar. 7.* *Dom. 11 poſt Pentec.*	*Luc*	*Ioan.*
1 ET cùm tranſiſſet inde Ieſus, venit ſecus mare Galilææ.	1 ET iterum ✠ exiens de finibus Tyri, venit per Sydonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.		
	2 Et adducunt ei ſurdum, & mutum: & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.		
	3 Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius: & expuens tetigit linguam eius, & ſuſpiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Ephphetha, quod eſt, adaperire.		
**	4 Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur recte.		
	5 Et præcepit illis, ne cui dicerent.		
	6 Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.] ✠		
7 Et aſcendens in montem, ſedebat ibi: & acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos; & proiecerunt eos ad pedes eius.			
8 Et curauit eos, ita vt turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Iſrael.			

Not. 1.

HÆc Euangelica lectio, tres præcipuas partes habet; in prima docetur quando, vbi, & cur ſurdus, & mutus ad Chriſtum adductus ſit: in ſecunda, quonam pacto Chriſtus eum curauerit: in tertia, quid poſt curationem ſecutum ſit. In prima parte ſunt tria, quæ miraculum antecedunt; nempe Chriſti reditus, vnde, quot, [illegible] cito; adductio miſeri; & deprecatio turbæ. In hac enim prima parte dicitur acceſſiſſe Ieſus ad locum, in quo factum eſt miraculum: & infirmus ad medicum adductus; & turba pro miſero deprecata. Itaque Dominus primo exit de finibus Tyri, & [illegible] ſecundo per Sydonem [illegible], venit ad mare Galilææ [illegible] inter medios fines Decapoleos; quarto, [illegible] ad Chriſtum adducitur; ſexto, Chriſtus pro infirmo rogatur, vt ei manus imponat. In ſecunda vero parte, à Domino ſex etiam obſeruantur. nam Saluator infirmum hic à turba ſeparat, quem ſeorſum apprehendit; digitos mittit in aures; expuens linguam tangit, ſuſpicit in cælum, gemit, & dicit: Aperire. At in tertia parte, ſeptem, quæ hoc miraculum ſecuta ſunt, enumerantur. Siquidem 1. ſtatim apertæ ſunt aures; 2. ſolutum eſt linguæ vinculum; 3. loquebatur recte; 4. præcepit ne dicerent; 5. magis prædicabant; 6. amplius mirabantur; 7. dicunt: Bene omnia fecit.

Aug. ſer. 209. de temp: Poſthæc iterum curauit mutum, & ſurdum. Aug. Ratio diſpoſitionis.

Ver. 1. 7. 8.

Hier. Matt. 15: Intueamur quod ſanata Cananææ filia, reuertatur ad Iudæam, & ad mare Hier.

Gali-

Galilææ, & aſcendat in montem, & quaſi auis teneros fœtus prouocet ad volandum, ibique ſedeat, & turbæ concurrant ad eum, deducentes, ſiue portantes ſecum varijs oppreſſos infirmitatibus: quos poſtquam curauit, dedit eis cibos.

Ver. 1.

Theoph. Cur Dominus apud Gentiles non diu manet.

Theophylact. Mar. 7: Non moratur diu in gentilium locis, ſed ſtatim tranſit, ne daret occaſionem Iudæis dicendi, quod præuaricaretur legem, gentilibus ſe miſcens. Secedens igitur à finibus Tyri, & Sydonis, vadit in Galilæam.

Eut.

Euth. Mar. 7: Non immoratur in finibus Gentilium, ne à Iudæis accuſaretur, quod Gentibus commiſceretur.

Ver. 2.

Fides aliena prodeſt. Vnde hic mutus, & cæcus erat. Theoph.

Eum, qui pro ſe Dominum orare non potuit, fideles, pro illius ſalute ſoliciti, & illius calamitatem miſerati, ad Dominum ducunt, ac pro illo deprecantur; ſola manus impoſitione credentes duo ſimul mala poſſe tolli ab hoc miſero, docemur in offerentibus quid valeat aliena fides, & oratio; & quam ſolicitudinem debeamus his maximè, qui ſibi non ſufficiunt. Erat autem morbus ille à dæmone, vt aſſerit Theophylact. Mar. 7. & plures alij.

Not. 2. verſ. 3.

Eut. Cur ſeorſum ducit. Ratio 1. Ratio 2.

Euth. Mar. 7: Apprehendit eum à turba ſeorſim, hoc eſt, aſſumpſit, ſeparauit: ne miracula videretur ſpectaculo exponere, & maximè cognoſcens multitudini quoſdam immixtos eſſe qui reprehenderēt. Præterea quandoque miracula coram multis operabatur, propter ſpectantium vtilitatem: interdum vero ſeparatim, vt laudem fugeret, tanquam generatiuam ſuperbiæ. Miſit autem digitos ſuos in aures eius: vnum quidem dextræ manus, in dextram aurem, vnumque ſiniſtræ in ſiniſtram, propter anguſtiam, ac profunditatem auditus: vt hunc acuat. Poterat quoque & alio modo hunc curare; ſed ita curauit, vt ſciremus omnem partem ſancti corporis ipſius diuina plenam eſſe virtute. Ecce enim ſputum etiam immaculati oris ſui, quo linguam tetigit impeditam, diuinam quoque participabat virtutem, ac omnino excrementa diuini corporis omnia ſancta erant, vtpote talis corporis: ſolum autem operabantur dum vellet. Præterea octauo præſentis Euangeliſtæ, capite, ſputo etiam vſus eſt ad cæci curationem. Ad hæc Ioannis capite nono, quando cæcum à natiuitate curauit. Hoc autem agebat, vt fidem faceret vnitæ ſibi diuinitatis: quo enim pacto hæc operaretur, niſi Deus eſſet? Suſpexit in cælum, docens eos, qui alios erant ſanaturi ad Deum aſpicere: & virtutem ab eo petere. Ingemuit autem, motus hominis afflictionibus, ac humanæ miſerijs naturæ, quæ tum à dæmonibus, tum ab infirmitatibus adeo impetitur, propter præcepti tranſgreſſionem.

Digitos cur mittit in aures. Sputo cur linguam tangit. cap. 8. cap. 10. Cur in cælum aſpiciat. Cur gemat.

Theop.

Theoph. Mar. 7: Quod de turba ſeorſum apprehendit illum, ideo factum, quod non erat arrogantiæ ſectator, qui ſe humiliarat vſque ad noſtram inopiam, & vt plurimum noluit coram multis miracula facere, niſi forte propter videntium vtilitatem. Quum vero expuiſſet, tetigit linguam illius, vt oſtenderet omnes partes ſanctæ carnis ſuæ ſanctas, ac diuinas eſſe, adeo vt & ſputum nunc ſolueret linguæ vinculum. tametſi ſuperfluitas ſit omne ſputum; ſed in Domino admirabilia erant, ac diuina omnia. Vt autem ſuſpexit in cælum, ingemuit, fortaſſis & orans patrem quo miſericordia dignaretur hominem, & nos docens quando facturi ſimus miraculum, ad Deum reſpiciamus, & inde petamus miraculorum virtutem, fortaſſis etiam miſericordia erga humanam naturam ictus, quo pacto ſic tradita eſſet diabolo, qui illi ſic illuderet, & à quo tanta pateretur.

Cur ſeorſum. Cur ſputo linguam tangit. Cur ingemuit.

Vict.

Vict. Antioch. Mar. 7: Chriſtus, non ita ad ſuam dignitatem ſpectare videtur, ſicut ad noſtram ſalutem: neque adeo curare, vt magnum aliquod ſonet; atque illud depromat, quo nos ad ſe pertrahere queat. Quamobrem ſublimibus illius dictis, factiſque, permulta paſſim tenuia, & humilia interſeruntur. Quamobrem ſurdum, & mutum, quem obtulerant, ſeorſum accipit, quantumque res ſinit, à turba ſeiungit, tum ne ad oſtentationem diuina ſigna perficere videatur; tum maxime, quo nos hoc facto admoneat, vti animi candorem, laudatamque ab omni faſtu vacuitatem ſtudioſè ſemper conſectemur. Maioris enim facit illos, qui animi modeſtiam, morumque grauitatem impigrè conſectantur, quam qui virtutes, & ſigna operantur. Infert digitos in aures eius, cum ſolo verbo miraculum patrare valuerit: quo corpus, modo qui verbis exprimi nequit, ipſi verbum animaque intelligenti, & rationali informatum, diuinæ virtutis vim, & energiam obtinere commonſtret. Et expuens, tetigit linguam eius. Eiuſmodi quiddam, vt Ioannes exponit, in homine à natiuitate cæco obſeruatum eſt quoque. Etenim cum per Adami præuaricationem, multa incommoda, multæque peſtes, & membrorum ægritudines humanæ naturæ acciderint: (quæ quidem corporis incommoda, & vitia, præter alia, oſtendunt; in quantam miſeriam, & infirmitatem eadem illa mortalium natura per peccatum prolapſa ſit.) Chriſtus Dominus in mundum hunc ingreſſus, naturam illam læſam, & quaſſatam admirabili modo ſibi adiunxit; perque adiunctam, ac quaſi de integro in ſe ipſo reformatam, partium ſibi coniunctarum ægritudines, & morbos curauit, & integritati reſtituit. Ob hoc ergo digitis in illas inſertis, muti, & ſurdi aures aperuit, ſandique facultatem per ſaliuam linguæ impertiuit. Cælum reſpicit, partim quidem ea, quæ faciebat, ad cæleſtem patrem, tanquam ad primarium auctorem referens; partim vero humanæ naturæ calamitatem dolore, & commiſeratione proſequens. Expendebat enim, in quantam calamitatem, & miſeriam omnis bonę honeſtique inimicus hoſtis diabolus, primorumque parentum ſeducta,

In aures cur mittit. Cur cælum reſpiciat.

curia, & lapſus, illam deieciſſet.

Amb. Ambroſ. lib. de ijs, qui myſterijs initiantur cap. 1: Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere ſacramentorum carpite, quod vobis ſignificauimus, cum apertionis celebrantes myſterium diceremus: Effeta, quod eſt, adaperire: vt venturus vnuſquiſque ad gratiam, quid interrogaretur cognoſceret, quid reſponderet meminiſſe deberet. Hoc myſterium celebrauit Chriſtus in Euangelio, ſicut legimus, cum mutum curaret, & ſurdum. Sed illi os tetigit: quia & mutum curabat, & virum: In altero, vt os eius infuſæ ſonum vocis aperiret: In altero, quia tactus iſte virum decebat, fæminam non decebat.

Effeta. *Chriſtus virum tangit non mulierem.*

Amb. Et lib. 1. de ſacram. cap. 1: Ergo quid egimus ſabbato? Nempe apertionem. Quæ myſteria celebrata ſunt apertionis, quando tibi aures tetigit ſacerdos, & nares. Quod ſignificat in Euangelio Dominus noſter Ieſus Chriſtus cùm ei oblatus eſſet ſurdus, & mutus, & tetigit aures eius, & os eius. Aures, quia ſurdus erat: os, quia mutus. Et ait: Effeta, quod Hebraicum verbum eſt, & Latine dicitur, adaperire. Ideo ergo tibi ſacerdos aures tetigit, vt aperirentur aures tuæ ad ſermonem, & ad eloquium ſacerdotis. Sed dicis mihi, quare nares? Quia mutus erat, os tetigit: vt quia loqui non poterat ſacramenta cæleſtia, vocem acciperet à Chriſto. Et ibi quia viri, hic quia mulieres baptizantur, & non eadem puritas ſerui, quanta & Domini. Cum ille peccata concedat, huic peccata donentur, quæ poteſt eſſe comparatio? Ideo propter gratiam operis, & muneris non os tangit Epiſcopus, ſed nares. Quare nares? vt bonum odorem accipias pietatis æternæ, vt dicas: Chriſti enim bonus odor ſumus Deo. Quemadmodum dixit Apoſtolus ſanctus. Et ſit in te fidei deuotioniſque plena fragrantia.

Effeta, verbum eſt Hebraicũ. *2 Cor. 2*

Amb. Et in Pſal. 40: Ideo ſurdo illi, & muto aures, & labia tetigit Dominus in Euangelio, vt ſciret quid audiret in myſterio, quid etiam loqueretur, & quando loqueretur. Neque enim ocioſè ſcriptum eſt: Dominus mihi dedit linguam eruditionis, vt ſcirem quando oporteat ſermonem dicere. Scire ergo debes quid audias, ſcire quid loqui debeas, ſcire etiam quando loqui debeas.

Eſa 50

Auct. Per hoc quod Saluator ſurdum, & mutum duxit ſeorſum, inſinuatur eos, qui mente curari volunt, & gratia impleri, debere praua vitare conſortia, & Deo ſæpè in ſecreto vacare, orando, meditando, ſeipſos diſcutiendo, & peculiaria deuotionis exercitia peragendo. Pſal. 54: Ecce elongaui fugiens, &c. Pſal. 101: Similis factus ſum pelicano ſolitudinis. Itaque pijs vitanda eſt familiaritas malorum, inobedientium, & rebellium. Dat etiam Dominus hic intelligi, quod homo ſocietati malorum, & popularium admixtus, non ſit facilè capax gratiæ Dei, & ſupernæ illuminationis. 3. hoc facit Chriſtus, ad deſignandum, quod peccatores ſint aliquando ſeorſim, & ſecretè hortandi, informandi, mouendi, & docendi; ne ex humano rubore à pœnitentia ſe auertant, ſi hoc publicè fiat. Gemitum ſpiritualem quatuor prouocant: 1. amaritudo doloris in pænitentibus. 2. magnitudo laboris in peregrinantibus. 3. ſollicitudo timoris in ijs, qui alijs præſunt. 4. teneritudo amoris in contemplantibus.

Cur ſeorſum ducit. *Gemitus, in quibus fit, & vnde prouenias.*

Not. 3. verſ. 3. 4.

Greg. GREG. hom. 10. in Ezech: Fili hominis: omnes ſermones meos quos loquor ad te, aſſume in corde tuo; & auribus tuis audi, & vade, &c.) Vigilanter intuendum eſt quod voce Domini ad Prophetam dicitur: Vt prius ſermones eius audiat; & poſtmodum loquatur. Audimus enim verba Dei, ſi facimus. Et tunc ea proximis rectè loquimur, cum prius ipſi fecerimus. Quod bene Marcus Euangeliſta confirmat, cum factum Domini miraculum narrat, dicens: Adducunt ei ſurdum, & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Cuius ordinem curationis inſinuat ſubdens: Miſit digitos ſuos in auriculas, expuenſque tetigit linguam eius: & ſuſpiciens in cælum ingemuit, & ait illi: Effeta: quod eſt adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures eius: & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Quid eſt enim quod Creator omnium Deus cum ſurdum, &c. lect. 7. 8. 9. Dom. 11. poſt Pentec.

Quid audire, & loqui.

Ver. 4.

Vict. Vict. Antioch. Mar. 7: Hæc dixit, vnaque cum verbo miraculum in opus abijt: ſtatim namque apertæ ſunt aures eius, & locutus eſt rectè. Quomodo enim non rectè loqueretur, recteque audiret, cum naturæ opifex id expleret, quod naturæ deerat?

Auct. Licet Marcus non exprimat hic niſi vnum eſſe curatum; tamen plures fuerunt ſanati; vt habet Matth. Sed inter illos erat vnus, cuius cura fuit mirabilior; quia in ipſo tria miracula concurrunt: auditus enim, cum affatu ei redditus fuit; & à dæmone fuit liberatus. Et hic ſolus à Marco exprimitur. Huius autem muti, & ſurdi curationem alij tres Euangeliſtæ omiſerunt.

Ver. 5. 6.

Aug. Aug. lib. 4. de conſenſ. cap. 4: Cauendum eſt, ne quiſquam arbitretur hoc, quod ex Euangelio Marci poſui, repugnare omnibus, qui cum alijs eius pleriſque factis, & dictis oſtendunt ſciſſe quid ageretur in hominibus, id eſt, quod eum cogitationes, & voluntates eorum latere non poterant: ſicut apertiſſimè Ioannes dicit; ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eò quod ipſe noſſet omnes; & quia opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. Sed quid mirum ſi præſentes hominum voluntates videbat, qui etiam futuram negationem Petro prænunciauit, quam tum vtique non habebat, quando pro illo, vel cum illo paratum ſe mori præſumebat? Quæ cum ita ſint, quomodo huic eius tantæ ſcientiæ, & præſcien-

cap. 2

præſcientiæ non eſt contrarium, quod Marcus dicit; præcepit illis ne cui dicerent: Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant? Si enim ſciebat eos, ſicut ille, qui notas habebat & præſentes, & futuras hominum voluntates, tanto magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat; vt quid hoc præcipiebat, niſi quia pigris volebat oſtendere quanto ſtudioſius, quantoque feruentius eum prædicare debeant, quibus iubet vt prædicent; quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant? Idem habet Bed. Mat. 7.

Cur tacere iubet.

Bed.

Bed. hom. in hoc Euang: Nunquid non æſtimandum eſt, quod vnigenitus Dei filius ſignum faciens, & abſcondi hoc voluerit, & contra voluntatem illius ſit patefactum in turbas, nec potuerit ſilentio ſignum tegere ſi vellet, quia potuit facere cum voluit? An fortè nobis exemplum dare voluit, vt virtutum opera facientes, vitium iactantiæ per omnia, gloriamque videmus humanam, ne bona noſtra actio, per inanem vulgi fauorem, ſupernæ retributionis munere priuetur? Et tamen ſciamus opera noſtra ſi digna imitatione ſunt, nullatenus poſſe celari, ſed ad vtilitatem fraternæ correctionis ipſo diſpenſante patefieri qui dicit: Non poteſt ciuitas, &c. Sed & hoc dicendum, quia ſi illi virtutes dominicas tacere nequeunt qui tacendi præceptum acceperunt, multo amplius ſit nobis diuinæ gratiæ præconiis ſemper inſiſtendum, qui quotidianis inuicem nos verbis ac cæleſtibus alimonijs reficere præcipimur, &c.

Bed. — Matt. 5

Not. 4. verſ. 7.

Euth. — Idem habet Chryſoſt. hom. 53 in Matt.

Euth. Matt. 15: Interdum quidem ipſe circuiuit, ſanans eos, qui malè habent: quandoque autem ſedet expectans eos, quibus cura opus eſt: illud quidem ſua bonitate, hoc vero, vt de infirmorum fide ſumat experimentum. Frequenter autem in montem aſcendit, propter ſuæ altitudinem diuinitatis: ac docens à ſolo eleuari eos, qui Deo appropinquare cupiunt. *Cylos* (pro quo mutilos vertimus) propriè dicuntur, qui manibus carent. Vide proficientem illorum fidem. Neque enim amplius tangunt fimbriam eius, ſed proijciunt ſolum ad pedes eius.

Mutili.

Theoph. — Fides offerentium infirmos.

Theoph. Matth. 15: Vide igitur fidem illorum, quomodo & in montem aſcendant claudi exiſtentes, & cæci, non ſegnes ſunt, ſed & ad pedes Ieſus obijciuntur, vtpote illum ſupra hominem eſſe exiſtimantes, vnde & ſanitatem aſſequuti ſunt. Et tu igitur aſcende in montem mandatorum, vbi ſedet Ieſus: & ſi cæcus fueris, non valens videre per teipſum quod bonum: & ſi claudus, videns quidem quod bonum, non valens autem ad hoc peruenire: & ſi ſurdus, qui neque alium audias admonentem, neque alium admonere valeas: & ſi mutilus ſis, non valens extendere manum ad eleemoſynam: & ſi alio quodam morbo tenearis: proſternas te ad pedes Ieſu, & veſtigia vitæ illius attinge, curamque habebis.

Cæci. — Claudi. — Surdi. — Mutili.

Hiero. Matt. 15: In eo loco, vbi latinus interpres tranſtulit, debiles: in Græco ſcriptum eſt, *Cyllous* quod non generale debilitatis, ſed vnius infirmitatis eſt nomen: vt quomodo claudus dicitur, qui vno claudicat pede: ſic *Cyllos* appelletur, qui vnam manum debilem habet. Nos proprietatem huius verbi non habemus. Vnde & in conſequentibus Euangeliſta cæterorum debilium expoſuit ſanitates, horum tacuit. Obſerua quod muti, claudi, & cæci, ducuntur ad montem; vt ibi curentur à Domino.

Hier. Debiles.

Aug. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 19: Obtulerunt mutos, qui Dominum non laudant, vel non confitentur fidem: cæcos, qui non intelligunt, etiam ſi obtemperant iubentibus; ſurdos, qui non obtemperant, etiam ſi intelligant; claudos, qui præcepta non implent.

Aug. Muti qui. — Cæci. Surdi. — Claudi.

Not. 5. verſ. 8.

Euth. Matt. 15: Repente curat illos: non quod maioris ſint fidei, quam Cananæa; ſed quod Iudæi ſint: vt ingratorum obturet ora Iudæorum, demonſtrans illos maiori dignos ſupplicio. Ingratus enim quanto maioribus, pluribuſque afficitur beneficiis, tanto ad maiorem pœnam luendam eſt obnoxius. Mirabantur propter eorum multitudinem, qui curabantur; & propter curationis velocitatem. Deum ipſius Iſrael, hoc eſt, qui ab Iſraelitis colebatur.

Euth. — Cur hi citò curantur. — Cur mirabantur. — Deus Iſrael.

Chryſoſt. hom. 53. in Matth: Nec fimbria veſtimenti modo tangitur, ſed ſublimiores iam animo, qui adeunt, ad pedes ſe ipſius proiiciunt, & dupliciter fidem ſuam oſtendunt: quia claudi aſcenderunt, & quia nihil aliud quæſierunt, ſed ſolum coram eo proiecti, poſſe ſanari crediderunt. Et erat ingens omnium admiratio, cum multos qui prius ab aliis portabantur, iam ambulare viderent, ac cæcos cernere, nec ductore opus habere. Et enim multitudo eorum, qui curati fuerant, & ſumma curationis facilitas obſtupeſcere vniuerſos cogebat, perpendis quia Chananæam quidem tardius, & quaſi virtute illius inductus, tandem curauit, hos vero confeſtim vt ad eum peruenerunt: Non certè quia meliores illa fuerunt, ſed quoniam fide illa multo iſtis feruentior. Quocirca tardior tunc fuit, vt perſeuerantia mulieris oſtenderetur: At vero iſtis ſtatim quod petebant conceſſit, vt Iudæorum non credentium ora magis obſtrueret, & nullius eis defenſionis locus relinqueretur. Nam quo maiora quis beneficia conſecutus eſt, eo maiori ſubiacet culpæ, ſi nullo beneficiorum aceruo victus, in ingratitudine pertinaciter perſeuerat. Qua de re locupletes quoque, quia nulla copia rerum facti ſunt meliores, multo magis, quam pauperes, punientur. Idem habet in breui enarratione in Matt.

Chryſoſt. — Fides offerentium infirmos. — Cur mirabantur. — Cur hi citius curentur. — Chryſoſt.

CAP. 77. *Septem panibus turba multa reficitur.*

Matt. 15.	*Mar. 8.* *Dom. 6. poſt Pentec.*	*Luc.*	*Ioan.*
	1 [IN diebus illis, iterũ + cum turba multa eſſet, nec haberent quod manducarent.		
2 IESVS autem, conuocatis diſcipulis ſuis, dixit: Miſereor turbæ, quia triduo iam perſeuerant mecum, & non habent quod manducent.	2 Conuocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent.		
3 Et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.	3 Et ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via.		
	4 Quidam enim ex eis, de longè venerunt.		
5 Et dicunt ei diſcipuli: Vnde ergo nobis in deſerto panes tantos, vt ſaturemus turbam tantam?	5 Et reſponderunt ei diſcipuli ſui: Vnde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?		
6 Et ait illis Ieſus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem.	6 Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem.		
7 Et paucos piſciculos.			
8 Et præcepit turbæ, vt diſcumberent ſuper terram.	8 Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram.		
9 Et accipiens ſeptem panes, & piſces, & gratias agens, fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & diſcipuli dederunt populo.	9 Et accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit, & dabat diſcipulis ſuis, vt apponerent, & appoſuerunt turbæ. Et habebant piſciculos paucos, & ipſos benedixit, & iuſſit apponi.		
10 Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt.	10 Et manducauerunt, & ſaturati ſunt.		
11 Et quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas.	11 Et ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas.		
12 Erant autem, qui manducauerunt, quatuor milia hominum, extra paruulos, & mulieres. Et dimiſſa turba.	12 Erant autem, qui manducauerant, quaſi quatuor milia. Et dimiſit eos. +		
13 Aſcendit in nauiculam, & venit in fines Magedan.]	13 Et ſtatim aſcendens nauim cum diſcipulis ſuis, venit in partes Dalmanutha.		

Not. 1.

SEPTEM panibus quatuor milia hominum paſcit Chriſtus, ſeptem ſportis ſuperantibus.

Aug. Auguſt. lib. 2. de conſen. cap. 50: Sequitur Matthæus ita narrans: Et cum tranſiſſet inde Ieſus, venit ſecus mare Galilææ, &c. vſque ad illud vbi ait: Erant autem qui manducauerunt quatuor milia hominum, extra paruulos, & mulieres. Hoc aliud miraculum de ſeptem panibus, & paucis piſciculis, etiam Marcus commemorat, eodem pene ordine; niſi quia interponit, quod nullus alius dicit, de ſurdo, cui Dominus aures aperuit, ſpuens, & dicens: Effeta, quod eſt, aperire. Hoc ſane non abs re fuerit admonere in hoc miraculo, de ſeptem panibus, quod duo Euangeliſtæ Matthæus, Marcuſque poſuerunt; quia ſi aliquis eorum id dixiſſet, qui de illis quinque panibus non dixiſſet, contrarius cæteris putaretur. Quis enim non exiſtimaret vnum, idémque factum eſſe, non autem integrè, & veraciter, ſiue ab illo, ſiue ab alijs, ſiue ab omnibus fuiſſe narratum; ſed aut illum pro quinque panibus ſeptem dum falleretur commemoraſſe, aut illos pro ſeptem quinque, aut vtroſque mentitos, vel obliuione deceptos. Hoc & de duodecim cophinis, & de ſeptem ſportis opinaretur quaſi contrarium. Hoc de quinque milibus, & quatuor milibus

A duobus hoc ſecundum miraculum panum narratur.

Solus Marcus habet ſurdi curationem.

eorum qui paſcerentur. Sed quia illi, qui miraculum de ſeptem panibus narrauerunt, nec illud de quinque panibus tacuerunt, neminem mouet, & vtrumque factum omnes intelligunt.

Regula. Hoc ideo diximus, vt ſicubi ſimile inueniatur factum à Domino, quod in aliquo alteri Euangeliſtæ ita repugnare videatur, vt omnino ſolui non poſſit: nihil aliud intelligatur, quam vtrumque factum eſſe, & aliud ab alio commemoratum, ſicut de centenis, & quinquagenis diſcumbentibus commemorauimus: quia ſi non etiam illud vtrumque apud vnum inueniremus, contraria ſingulos dixiſſe putaremus.

Aug. Et lib. 2. de conſen. cap. 51: Sequitur Matthæus, & dicit: Et dimiſſa turba aſcendit in nauiculam, & venit in fines Magedan, &c. vſque ad illud, vbi ait: Generatio mala, & adultera ſignum quęrit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. *Eodem ordine hoc duo narrãt* Hunc ſane ordinem etiam Marcus tenens, poſt illud, de ſeptem panibus, miraculum, hoc idem ſubiecit, quod Matthæus, niſi *ver. 13.* quod Dalmanutha, quod in quibuſdam codicibus legitur, non dixit Matthæus, ſed Magedan. Non autem dubitandum eſt eundem locum eſſe ſub vtroque nomine. *Varia lectio* Nam plerique codices non habent, etiam ſecundum Marcum, niſi Magedan.

Aug. Et ſer. 209. de temp: Hoc enim etiam, quod hodie de ſancto Euangelio lectum eſt, quærit intellectorem, & cum fuerit intellectum, ſpiritale facit gaudium. *Duplex Chriſti operatio.* Et in hac lectione ſimul conſideranda eſt, in vno, eodemque Redemptore noſtro diſiuncta operatio diuinitatis, & humanitatis, atque omnimodis deteſtandus error Eutychetis, *Contra Eutychen.* qui vnam tantum in Chriſto dogmatizare pręſumit operationem. In alterutra enim parte, vel qui ſolum hominem fuiſſe dixerit, gloriam negabit conditoris: vel qui ſolum Deum, negabit miſericordiam *ver. 2.* Redemptoris. Nempe quia ſuper turbam miſeretur Dominus, ne vel media, vel longioris viæ deficiat labore, nouerunus, affectum eſſe, at- *ver. 9. 10.* que compaſſionem humanæ fragilitatis. Quod autem de ſeptem panibus, & paucis piſciculis ſatiauit quatuor milia hominum, credimus di- *Turbæ.* uinæ opus eſſe virtutis, &c. Turbas enim hic omnes gentis ſignificare creaturas intelligimus, pro quibus ipſe Dominus miſericordia com- *Non habebant quod manducarent.* mouetur, qui non haberent quod manducarent. Hic ſpiritualiter debemus intelligere, quòd ideo non habebant quod manducarent, quia gentes legem non habebant, id eſt, quinque libros Moyſi, non Prophetas, non prædicationem S. Ioannis; quia gentes non per legem, ſed per fidem venerunt ad Redempto- *Triduo ſuſtinēt me* rem. Ideo triduo perſeuerant, hoc eſt, in Natiuitate, in Paſſione, in Reſurrectione Domini, ſiue in Patre, & in Filio, & in Spiritu ſancto. Perſeuerare enim permanere eſt in confeſſione, *Matt. 10* ſicut ipſe Dominus ait: Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Dicit ergo Dominus: Non habent, quod manducent. Quia legem non habent, & dimittere eos ieiunos no- *ver 4.* lo, ne deficiant in via: vt qui per fidem Chriſti *De longe venerunt.* crediderunt, per fidem Chriſti ſaluarētur. Quidam autem ex his de longe venerunt. Longe enim erant gentes à Deo, errando per idola. Et modo omnis, qui peccat longe eſt à Deo. Adhuc Apoſtolos tenebat incredulitas, donec myſteria reuelarentur, nec recordabantur quod *Imperfectio apoſtolorum.* fecerat de quinq; panibus, & duobus piſcibus, & virtutes quidem Domini manifeſtiſſimè credimus eſſe factas in præſenti; ſed quid lateat in myſterio, ipſius gratia donante requiramus. In ſuperiori enim lectione de quinque panibus, *Duo miracula pro quo dide-rant.* & duobus piſcibus, quinque milia hominum ſatiauit: hic ſeptem panibus ſaturauit quatuor milia hominum. Ibi diſcipuli ſuggerunt Domino dicentes: Locus deſertus eſt, & hora præterijt, dimitte turbas, vt euntes in caſtella emant ſibi eſcas. Hic penitus tacent diſcipuli, *Quare hic diſcipuli tacent.* ſed ipſe Dominus pro eis ſolicitus eſt. Videamus quare tacent. Quia necdum miſſi fuerant prædicare gentibus, ſed potius ad oues perditas domus Iſrael. Prior ergo illa parabola *Miraculũ vocat parabolam.* pertinet ad Iudæos, iſta vero ad gentes. Ibi quinque panes fuerunt, hoc eſt, quinque libri Moyſi: hic vero ſeptem panes, qui ſunt ſeptiformis ſpiritus dona, ſicut ait ſanctus Eſaias *Eſa 11.* Propheta: Spiritus ſapientiæ, & intellectus, &c. Ibi duodecim cophini pleni Spiritu ſancto, hic ſeptem Eccleſiæ ſiue ſeptem candelabra aurea. Ibi duo piſces, qui ſunt duo teſtamenta, ſiue vnus liber omnium Prophetarum, vel ſancti Ioannis prædicatio: hic indefinitus numerus ponitur, quæ ſunt dona gratiarum, ſicut ait Apoſtolus, alij per ſpiritum datur ſer- *1 Cor 12.* mo ſapientiæ, &c. Ibi ſuper fœnum recumbunt, & hic ſuper terram. Vtrinque vna conuerſatio, vna gratia, vna virtus, vna deitas. Ibi ſuper fœnum diſcumbunt, hoc eſt, mortificata opera carnis: quia omnis caro fœnum, ait Pro- *Eſa 40.* pheta. Hic ſuper terram diſcumbunt, id eſt, opera terrena conculcant. Ibi quinque milia refecti, qui numerus pertinet ad Iudæos. Nam poſt aſcenſionem Domini loquente ſancto Petro quinque milia ſunt baptizati: hic autem quatuor milia, hoc eſt, de tota terra omnes gentes à quatuor cardinibus cœli, de ſeptiformis ſancti Spiritus gratia eſſe repletas in vitam æternam.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 8 in Mar: In ſuperiori parte legimus, quoniam Dominus pauerit de quinque panibus quinque milia hominum. Et de reliquijs leuati ſunt duodecim cophini fragmentorum. In illa parabola, quicquid viſum *Miraculũ vocat parabolam.* fuerat, illo tempore diſputauimus. Hæc vero hiſtoria, quæ nunc lecta eſt, & alia eſt, & ipſa *Panũ duo miracula vt conueniãt, & diſſentiant.* eſt. Ex parte enim ſimilis eſt, & ex parte diſſimilis. In illa hiſtoria legimus, quod qui paſti ſunt, paſti ſunt in deſerto: in iſta vero legimus, quod qui paſti ſunt, in monte paſti ſunt. Primum volo dicere quid ſit diſſimile. Debemus enim ſcire venas ipſas, carneſque ſcripturarum, vt cum intellexerimus ipſam ſcripturam, poſtea ſenſum videre poſſimus. Ibi legimus, quia quinque milia fuerint, qui paſti ſunt: hic vero legimus, quod quatuor milia fuerunt. Ibi legimus quod quinque panes fuerint: hic legimus,

gimus, quod ſeptem panes fuerint. Ibi legimus ſecundum Euangelium Ioannis, quod quinque panes hordeacei fuerint: hic vero legimus,quod iſti panes ſeptem frumentarij ſunt. Videtis differentiam; videtis, quia ipſum eſt, & non ipſum eſt. Non debemus igitur ſcripturas negligenter legere. Hoc ſolum eſt diſſimile, nihil eſt aliud. Videamus quid ſcriptura dicat: Legimus quoniam populus qui paſcitur, vna die tantum fuit cum Ieſu: & paſcuntur non ad meridiem, ſed ad veſperam, declinante ſole. Iſti vero, hoc eſt, quatuor milia, qui ſeptem panibus paſcuntur frumenticijs: quid dicit de illis ipſe Ieſus, non Apoſtoli ſicut in ſuperiori? Ibi enim Apoſtoli dicunt: Ecce die toto expectant te: hic vero ipſe Saluator loquitur:Ecce iam triduo ſuſtinent me.Vide quæ ſit differentia inter vnum diem, & tres. Ibi ab Apoſtolis Dominus rogatur, vt paſcat: hic Apoſtolos commonet Dominus, vt paſcant. Hic quid dicit? Si dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient. Digni erant ſollicitudine Domini, qui tribus diebus expectauerant Dominum. Deinde videamus & alia: Quinque milia hominum quinq; panes comedunt: & de quinque panum reliquijs implentur duodecim cophini. Hic quatuor milia hominum, minor quidem eſt numerus, ibi enim quinque milia, hic quatuor.Quatuor milia ergo hominum,comedunt ſeptem panes: minor ſcilicet numerus plus comedit. Multi enim vocati, pauci verò electi. Videte quid dicat: Quatuor milia hominum comedunt ſeptem panes: de quinque panibus implentur duodecim cophini.De ſeptem panibus implentur ſeptem ſportæ: de minori numero minus remanet,de maiori numero plus remanet.Iſti enim quatuor milia minor quidem in numero,cæterum maior in fide. Qui maior in fide,plus comedit: & quia plus comedit,minus ei remanet.Vtinam & nos panes frumenticios de ſcripturis plus comedere poſſimus, vt minus nobis remaneat in ſcientia. Multa ſunt, quæ dicantur. Cæterum quia in priori parabola iam explicata ſunt, tantum volumus differentiam parabolarum dicere. Etenim ſenſus in priori dictus eſt.

Miraculū vocat parabolam.

Not. 2.

Hier.

HIERON. Matt. 15: Vult paſcere quos curauit: prius aufert debilitates,vt poſtea ſanis offerat cibos. Conuocat quoque diſcipulos ſuos, & quid facturus eſt, loquitur: vt vel magiſtris exemplum tribuat, cum minoribus, atque diſcipulis communicanda eſſe conſilia,vel ex confabulatione intelligant ſigni magnitudinem, reſpondentes ſe panes in eremo non habere. Miſeretur turbæ, quia in trium numero, patri, filio,ſpirituique ſancto credebant. Et non habent quod manducent. Turba ſemper eſurit, & cibis indiget, niſi ſaturetur à Domino. Eſuriebant poſt magnas debilitates: & per patientiam futuros expectabant cibos. Non vult eos Ieſus dimittere ieiunos, ne deficiant in via.

Sanati paſcuntur.

Conſilia cum paruis conſcienda.

Periclitatur ergo qui ſine cœleſti pane adoptatam manſionem peruenire feſtinat. Vnde & Angelus loquitur ad Heliam: Surge, & manduca: quia grandem viam ambulaturus es. De hoc ſigno iam ſupra diximus, & eadem repetere, ocioſi eſt: tantum in his quæ diſcrepant, immoremur. Supra legimus: Veſpere autem facto, acceſſerunt ad eum diſcipuli,dicentes: Deſertus eſt locus,& reliqua. Hic diſcipulis conuocatis, ipſe Dominus loquitur: Miſereor turbæ; quia triduo iam perſeuerant mecum: Ibi quinque panes, erant,& duo piſces: hic ſeptem panes, & pauci piſciculi. Ibi ſuper fœnum diſcumbunt, hic ſuper terram. Ibi qui comedunt, quinque milia ſunt, iuxta panum numerum quos comedunt, hic quatuor milia. Ibi duodecim cophini replentur de reliquijs fragmentorum: hic ſeptem ſportæ. In ſuperiori ergo ſigno: quia propinqui erant, & vicini quinque ſenſuum: non ipſe Dominus eorum recordatur, ſed diſcipuli,& recordantur veſpere, vicina nocte, & inclinante iam ſole. Hic autem ipſe Dominus recordatur, & miſereri ſe dicit, & cauſam miſerationis exponit: quia triduo iam perſeuerant mecum, & dimittere eos ieiunos non vult, ne deficiant in via. Iſti qui de ſeptem panibus, hoc eſt, in ſacrato aluntur numero, atque perfecto, non ſunt quinque milia,ſed quatuor milia:qui numerus ſemper in laude ponitur, & quadrangulus lapis non fluctuat, & non eſt inſtabilis, & ob hanc cauſam etiam Euangelia in eo numero conſecrata ſunt.

3. Reg. 19.

Duo ſunt miracula panum.

Qui hæc duo miracula differant.

Laus quāternarii numeri.

Greg. homil. 31. in Ezech: Libet inter hæc, ſancti Euangelij ad medium verba deducere, cuius ſacra hiſtoria per hoc, quod factum miraculum narrat,mira,quę quotidie aguntur,denunciat. Nam confeſſi,atque ieiuni ad Dominum populi cum veniſſent, diſcipulis Dominus dixit: Miſereor ſuper turbam, &c. Turba triduo Dominum ſuſtinet, quando multitudo fidelium peccata quæ perperrauit, per pœnitentiam declinans, ad Deum ſe in opere,locutione,atque in cogitatione conuertit.Quos dimittere ieiunos in domum ſuam Dominus noluit; ne deficiant in via: quia videlicet conuerſi peccatores in præſentis vitæ via deficiunt,ſi in ſua conſcientia ſine doctrinæ ſanctæ pabulo dimittantur. Ne ergo laſſemur in huius peregrinationis itinere, paſcendi ſumus ſacra admonitione. Valde autem penſanda eſt pia ſententia, quæ proceſſit ex ore veritatis, qua dicitur: Quidam enim ex eis de longe venerunt. Eſt autem qui nihil fraudis, & nihil carnalis corruptionis expertus, ad omnipotentis Dei ſeruitium feſtinauit. Iſte de longinquo non venit: quia per incorruptionem, & innocentiam proximus fuit. Alius nulla impudicitia, nullis flagitijs inquinatur, ſolo autem coniugio expertus, ad miniſterium ſpiritale conuerſus eſt: Neque iſte venit de longinquo: quia vſus coniunctione conceſſa, per illicita non errauit: Alij verò poſt carnis flagitia, alij poſt falſa teſtimonia; alij poſt facta furta, alij poſt illatas violen-

Greg.

Qui de longe venerunt.

violentias, alij poſt perpetrata homicidia ad pœnitentiam redeunt, atque ad omnipotentis Dei ſeruitium conuertuntur, hi videlicet ad Dominum de longinquo veniunt. Quanto etenim quiſque plus in prauo opere errauit, tanto ab omnipotente Domino longiùs receſſit. Nam & prodigus filius, qui patrem deſeruit, abijt in regionem longinquam, in qua porcos pauit: quia vitia nutriuit. Dentur igitur alimenta eis etiam, qui de longinquo veniunt; quia conuerſis peccatoribus doctrinæ ſanctæ cibi præbendi ſunt, vt in Deum vires reparent, quas in flagitijs amiſerunt. Qui ſæpè à doctoribus tanto neceſſe eſt, vt largioribus cibis doctrinæ ſatientur, quanto feſſi maioribus vitijs venerunt. Et cum iam confiteri cœperint mala, quæ commiſerunt, atque confitendo relinquere, & fletibus punire, neceſſe eſt vt doctores ſancti prò eorum peccatis ſollicite exorent, quatenus menſæ Domini carnes oblationis portent. Quod quoties agunt, & in hoc pro alienis peccatis interueniunt, ſua ante Dei oculos amplius detergunt; quia ea ipſa charitate ſe iuſtificant, quia mira pietate pro alienis iniquitatibus ſe in lamentis mactant. Nec laborioſum debet eſſe doctori pro conuerſis peccatoribus lachrymas fundere, quando & ipſe qui omnia creauit, homo factus, pro noſtris iniquitatibus in cruce ſanguinem fudit.

cap. 124 Quid ſit paſcere porcos.

Amb. Quibus detur cæleſtis refectio.

Ambroſ. lib. 6. in Luc: Gratiæ cœleſtis impartitur alimentum. Sed quibus impartiatur, aduerte, &c. lect. 7. 8. 9. Dom. 6. poſt Pentec.

Theoph. Duo miracula panũ. Miraculi huius occaſio.

Theoph. Mar. 8: Etiam antea quoddam miraculum fecit Dominus, & nunc idem denuò operatur ſumpta occaſione iuſta, nempe quod tres dies manſerat turba, & abſumpta erant omnium viatica. Non enim ſemper miraculum facit in alimentis, vt ne putent quod propter cibos populus illum ſequatur, & nunc niſi periculum ex ciborum penuria fuiſſet neutiquam feciſſet miraculum.

Curam etiam corporum habet Chriſtus.

Deficient.) Ex fame, & laſſitudine. Hinc conſtat quod Chriſtus habeat curam ſanitatis, & virium noſtri corporis. Vnde Aug. epiſt. 121. ad Probam, de orando Deum, cap. 3: Ne in ijs delicijs quicquam requiras, præter integram corporis valetudinem. Hæc enim contemnenda non eſt, propter neceſſarios vſus huius vitæ, antequam mortale hoc induatur immortalitate, hoc eſt, vera, & perfecta, & perpetua ſanitate, quæ non temporali deficiens infirmitate, corruptibili voluptate reficitur, ſed cœleſti firmitate perſiſtens, æterna incorruptione vegetatur. Nam & ipſe Apoſtolus: Carnis, inquit, prouidentiam ne feceritis in concupiſcentijs; quia gerimus curam carnis, ſed ad neceſſitatem ſalutis. Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſicut item ipſe dicit. Hinc eſt enim quod Timotheum, nimium, ſicut apparet, corporis caſtigatorem, admonet, vt modico vino vtatur, propter ſtomachum, & frequentes ſuas infirmitates.

Curanda valetudo. 1 Cor. 15. Rom. 13. Epheſ. 5. 1 Timot. 5.

Not. 3. ver. 3.

Theop. Quos Dominus paſcat. Triduum quid. Baptiſma en illuminatio.

Theoph. Mar. 8: Conſidera autem & hoc, quod Chriſtus nullum vult dimittere ieiunium. Omnes enim vult delicijs ſuorum donorum alere, & maxime eos, qui triduo apud ſe manent, hoc eſt, baptizatos. Illuminatio enim dicitur baptiſma. Quia autem baptiſmus in tribus merſionibus fit, ita & triduo manent, qui per baptiſmum illuminantur.

Greg. Qui ieiuni dimittantur. Qui deficiens in via.

Greg. lib. 1. Mor. cap. 19: Dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via, id eſt, in prædicatione veſtra verbum conſolationis accipiant, ne à veritatis pabulo ieiuni remanentes, in huius vitæ labore ſuccumbant.

Amb.

Ambroſ. lib. 6. in Lucam: Bonus Dominus ſtudia exigit, vires miniſtrat. Vtinam Domine Ieſu, velis mecum iſtos ieiunos non dimittere, ſed impartitis à te epulis reficias eos, vt poſſint tuis alimonijs fortiores infirmitatem ieiunij non timere. Dicas vtinam etiam de nobis, nolo eos ieiunos dimittere; cauſam mihi dicto, quare non vis eos ieiunos dimittere? Imo iam dixiſti, quia ſi quem dimiſeris ieiunum, deficit in via, hoc eſt, deficit vel in iſtius curſu vitæ, vel antequam ad caput perueniat viæ, antequam perueniat ad patrem, & intelligat quod Chriſtus eſt ex patre, & intelligat quod Chriſtus è cœlo, & intelligat quod Chriſtus qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit; ne forte cum acceperit quod natus ex virgine eſt, incipiat non Dei virtutem, ſed hominis æſtimare. Ergo ne deficiant in via, inquit, date vos illis manducare. Miſeretur ergo Dominus, ne quis deficiat in via. Si quis ergo defecerit, non per Dominum Ieſum, ſed per ſe deficit; nec habes quod aſcribas Domino, qui vincit cum iudicatur. Quid enim dicas ei, qui in te contulit omnia firmamenta virtutum? Nonne te ipſe genuit? Nonne te ipſe pauit? Cibus eius virtus eſt; cibus eius fortitudo eſt. Sed ſi tu negligentia tua virtutem quam acceperas, perdidiſti, nõ alimentorum cæleſtium, ſed tuæ mentis tibi præſidia defuerunt.

Not. 4. verſ. 5.

Vict. Cur fiat hoc miraculum. Duo miracula panũ. Imperfectio diſcipulorum.

Victor. Antioch. Mar. 8: Apoſtoli miraculum, quod, fidei conciliandæ cauſa, Dominus in panis multiplicatione denuo repetere conſtitutum habebat, non intelligentes, vnde, aiebant, illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine? Etenim humanæ rationis iudicium conſulentes, rem illam fieri omnino non poſſe exiſtimabant.

Euth. Cur hoc miraculũ fiat in ſolitudine.

Euth. Matt. 15: Et prius, & poſtea in deſerto loco longe à ciuitatibus, ac vicis, hoc facit miraculum, ne turbis videatur à propinqua ciuitate, ac vico cibos deferre.

Theoph.

Theophyl. Matth. 15: Dicunt: Vnde nobis, &c.) Quamuis non oportebat illos oblitos eſſe, quod & prius plures pauerit in ſolitudine, ſed ſtupidi erant, vt cum poſtea hos videris

ris tanta ſapientia præditos, mireris Dei gratiam. Et Mar. 8: Vide autem & diſcipulos quam inſipienter ſe habeant, nondum credentes virtutes illius, ex prioribus ſignis. Ipſe autem non reprehendit, docens & nos, ne moroſiores, & auſteriores erga indociles ſimus, ſed ſunt, quæ illis oportet ignoſcere; vt inſipientibus.

Theoph. Imperfectio diſcipulorum. Aliorum vitia quandoque diſſimulanda ſunt.

Ver. 6. 12.

Amb. Ambroſ. lib. 6. in Luc: Non otioſus numerus, non otioſus ordo, non otioſæ reliquiæ manducantium. Cur enim plures, id eſt, quinque milia quinque panibus, hoc eſt, numero minori ſatiantur, pauciores vero, qui ſunt quatuor milia, ſeptem panibus, hoc eſt, numero redundantiore paſcuntur. Si enim facti tantum ſequamur miraculum; videtur eſſe diuinus quod de minori modo pluribus abundauit. Cur ergo quod minus eſt, ei quod eſt amplius, quaſi præſtaret, adiectum eſt? prius enim quinque milia quinque panibus, poſtea etiam quatuor milia, ſeptem panibus, ſatiata legimus. Quæramus ergo myſterium, quod miraculo præſtet. Itaque videntur illa quinque milia, quaſi quinque corporis ſenſus adhuc corporalibus proxima alimenta accepiſſe de Chriſto, quatuor vero milia, etſi adhuc in corpore ſint, & in hoc mundo, qui ex quatuor conſtat elementis, non otioſè tamen feruntur myſtice accepiſſe eſcam quietis. Iam enim æquantur mundo ſupra mundum futuri. Nam etſi in hoc mundo ſunt; intra mundum tamen non ſunt, quibus myſtice quietis impartitur alimentum. Sex enim diebus mundus eſt factus, ſeptimo requietum eſt die, & Dominus ſanctificauit eum. Vltra mundum ergo quies, vltra mundum etiam fructus quietis. Denique beati pacifici, ipſi enim filij Dei vocabuntur. Nam cum Deus ſupra mundum ſit, nemo vtique poteſt Deum videre, niſi mundum prius ſpiritali tranſcendat obtutu. Septima itaque benedictio pacatorum, ſeptem etiam illis quatuor milibus fragmentorum ſportæ ſuperſunt. Non mediocris hic panis eſt, ſabbatorum panis ſanctificatus, panis quietis. Et fortaſſe ſi primum quinque panes ſenſibiliter manducaueris, audebo & dicam, poſt quinque panes & ſeptem, tertio iam in terra non manducabis panem, ſed ſupra terram manducabis octo panes, ſicut qui ſunt in cœleſtibus. Sicut enim ſeptem panes, panes quietis; ita octo panes, panes ſunt reſurrectionis. Ergo iſti qui ſeptem aluntur panibus, triduo perſtiterunt, & fortaſſe integram reſurrectionis futuræ fidem, & conſtantiam conſecuti. Denique ſanctorum vox eſt, tribus diebus ambulabimus, vt epulemur Domino Deo noſtro.

Ep. 47

Vict. Cur pauſ numerum petat. Vict. Mar. 8: Non ignarus, quid in parato erat, interrogat: verum quo hac ratione diſcipulorum animos in virtutis ſuæ conſiderationem excitet.

Not. 5. verſ. 7. 8. 9. 10.

Amb. AMBROS. lib. 6. in Lucam: Diuidit ergo eſcas Dominus Ieſus, & ille quidem vult dare omnibus, negat nemini, diſpenſator enim eſt omnium. Sed cum ille panes frangat, & det diſcipulis, ſi tu manus non extendas tuas, vt accipias tibi eſcas, deficies in via, nec poteris in eum culpam tuam referre, qui miſeretur, & diuidit; ſed his diuidit qui cum eo etiam in deſerto permanent, qui & primo, & ſecundo die, & tertio non recedunt. Nec ſolum panis, & numeri, ſed etiam accubitionis eſt differentia. Illi enim ſupra fænum diſcumbunt, iſti ſupra terram recumbunt. Supra fænum quinque milia; ſupra terram quatuor milia. Plus eſt terram premere, quam ſupra fænum iacere. Illi enim adhuc, quibus ſenſus ſunt corporales, mollioribus delectantur, & ideo ſupra fænum recumbunt. Omnis enim caro fænum; iſti vero ſupra terram, quæ triticum; & vinum gignit, & oliuam, cibum gratiæ conſequuntur. Illi diſcumbunt; iſti recumbunt: maior eſt enim quædam requies recumbentis. Ibi duo piſces, hic ſine numero. Vnde plerique ſeptiformis ſpiritus gratiam in panibus definitam, in piſcibus quoque duplicis teſtamenti figuram intelligendam putarunt. Non piget ergo æſtimare, quod quatuor milia ex quatuor mundi collecta partibus, in quibus Eccleſia figuratur, maioris gratiæ cibum ſumant, iuxta quod ſcriptum: Quia venient ab Oriente, & Occidente, à Septentrione, & Auſtro, & recumbent cum Abraam, Iſaac, & Iacob in regno cælorum. Vnde hic gratiæ patri aguntur à Chriſto. Non enim fruſtra illic benedictio tantum, hic etiam gratiarum eſt actio. Pro Eccleſia quippe ſua Dominus patri gratias agere conſueuit: quia quæ abſcondit à ſapientibus, ea paruulis reuelauit. Benedictio igitur ſuper nos, qui inferiores ſumus. Gratiarum actio ſuper eos, qui de infirmitatibus corporum ſuorum ſacratis paſſionibus triumpharunt. Iam illud in ſuperioribus prælibauimus, quia cum quinquageni diſcumbere iubentur, licet ſacrato numero definito, tamen videtur hic fundatioris Eccleſiæ populus, qui ſine definitione numeri recumbit. Myſticum quoque eſt, quod manducans populus ſatiatur, & Apoſtoli miniſtrant. Nam & in ſatietate, repulſæ in perpetuum famis indicium deſignatur; quia non eſuriet, qui acceperit cibum Chriſti: & in Apoſtolorum miniſterio futura diuiſio Dominici corporis, ſanguiniſque præmittitur.

Quos Dominus pa. licet. Cur minor numerus plus comedat. Turbæ ſatiantur Apoſtoli miniſtrant.

Ver. 8.

Vict. Chriſti potentia. Vict. Mar. 8: Tanta potentiæ Chriſti vis, & promptitudo erat, vt audito tantum panum numero, multitudinem ſtatim ad epulandum accumbere iuſſerit, certus apparatum illum, tametſi exiguum, in omnes abunde futurum ſatis.

Euth. Euthym. Matth. 15: Similia prioribus & dicit, & facit, vt prius miraculum ex omni parte eis ad memoriam reducat.

Theoph. Cur ſuper terram. Cur gratias agat. Cur pauciora nunc ſuperent, quam ante.

Theoph. Matth. 15: Frugalitatem docens, ſuper terram recumbere iubet: & gratias agere ante cibum nos docens, gratias agit & ipſe. Rogans autem, quo pacto illic quidem, cum eſſent quinque panes, & quinque milia aliti eſſent, duodecim cophini ſuperfuerunt: Hic autem, cum eſſent pauciores paſcendi, & plures panes; ſeptem ſportæ? Dici igitur poſſet quòd ſportæ maiores eſſent cophinis; vel ne æqualitas, miraculi eos obliuiſci faceret. Nam ſi nunc quoque ſuperfuiſſent duodecim cophini, obliti fuiſſent ob æqualitatem, quia iterum miraculum feciſſet in panibus. Tu autem & hoc ſcias quod quatuor milia, hoc eſt, qui quatuor virtutes recte poſſident, hi ſeptem panibus, hoc eſt, magis ſpiritualibus, & perfectis ſermonibus paſcuntur. Septenarius enim numerus, ſeptem ſpiritualium donorum eſt ſymbolum. Diſcumbunt autem ſuper terram; quia omnibus terrenis ſuperiores ſunt, & calcant ea: ſicut & quinque milia ſuper fœnum diſcubuerunt, hoc eſt, carnem & gloriam ſubiecerunt. Omnis enim caro fœnum; & omnis gloria hominis ſicut flos fœni. Septem autem ſportæ hoc loco reſiduæ, eo quod ſpiritualia & perfectiora fuerunt, quæ non potuerunt comedere. Illa igitur ſupererant, quæ ſeptem ſportæ capiunt, hoc eſt, quæ ſolus ſanctus Spiritus ſcit. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.

[Margin: Cur ſuper terram. — Eccl 4. — Eſa. 40. — 1 Cor. 2.]

Ver. 9.

Vict. Chriſtus virtute propria ſigna faciebat.

Vict. Mar. 8: Quaſi cæterorum hominum more, virtutem, & energiam circa id, quod propoſitum erat, à Deo accipiat, gratias illi agit, cùm tamen eiuſmodi vim, non aliunde, vt ſancti viri ſolent; ſed à ſe ipſo peteret; huc enim ea Euãgeliſtæ Lucæ oratio ſpectat: Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Vt alibi ſemper; ita hic quoque Dominus decorum ſeruat. Vtitur namque diſcipulorum opera ad miniſterium: Quandoquidem alijs miniſtrare, ſecundum diſcipulatus rationem Apoſtolis ex inſtituto incumbebat.

[Margin: cap. 47 — Chriſtus vbique obſeruans decori.]

Not. 6. verſ. 10. 11. 12.

Vict. Vnde miraculum fiat manifeſtum.

VICT. Mar. 8: Omni ex parte miraculum fit manifeſtum: primò quidem ex eorum ſaturitate, qui epulati fuerant: mox vero ex eſcarum copia, quæ ſuperfuerant: Poſtremo autem ex eorum multitudine, qui ad ſaturitatem vſque manducauerant. Cæterum hactenus tantum benefactoris munere vſi ſunt conuiuæ, quatenus neceſſitas poſtulabat. Nam etſi magna reliquiarum vis ſuperfuiſſet, nihil tamen inde ſecum aſportarunt. Admonemur autem exemplo hoc percommodè, rerum vſum ex neceſſitate ſpectandum, & metiendum eſſe: nihil autem vnquam, grauiori neceſſitate ſecluſa, propter habendi ſtudium ſubducendum.

[Margin: Non plus ſumendum, quam ſit neceſſe. Rerũ vſus ex neceſſitate ſpectandus.]

Theop. Neceſſariis contenti ſimus.

Theoph. Mar. 8: Diſce & hoc iuxta hiſtoriam, quod debemus his, quibus indigemus, contenti eſſe; & nihil amplius quærere. Ecce enim turbæ, quæ comederunt, & ſaturatæ fuerunt, non acceperunt ſecum reliquias panum; ſed diſcipuli has geſtarunt, quemadmodum & in cophinis factum fuerat. Sic igitur & nos, vſu nobis congruo, eſſe contentos decet.

Ver. 11.

Euth. Cur pauciora nunc ſuperent, quã ante.

Euth. Matt. 15: Quomodo ibi duodecim cophini ſuperfuerant, hic autem ſportæ ſeptem; cum oporteret hic magis ſupereſſe? plures enim erant hic panes, & pauciores, qui manducauerant. Dicit Chryſoſtomus ſportas cophinis fuiſſe fortaſſe maiores. Vel aliò quoque modò. Ita diſpoſitum erat, vt huiuſmodi fragmentorum diuerſitas, ac inæqualitas, indelebilem vtriuſque miraculi memoriam conſeruaret. Præterea & aliter. Ibi quidem cophinos æquali numero cum Apoſtolis fecit: hic autem ſportas æquali numero cum panibus: vtrinque docens facile ei eſſe quod velit facere. Iam vero ſecretius etiam conſiderare oportet de illis quinque millibus, & de his quatuor millibus. Quinquies mille ſunt imperfecti in virtute: quater autem mille ſunt perfectiores. Multi ſiquidem ſunt & iſti, & illi: ſemper tamen imperfectiores numero vincunt perfectiores. Edunt autem iuxta Chriſtum, hoc eſt, ſpiritualiter intelligunt: imperfectiores quidem pauciora documenta, propter imbecillitatem; perfectiores vero plura, propter eorum fortitudinem. Superſunt tamen plura ab imperfectioribus, eo quod pauciora edant: à perfectioribus autem pauciora, eo quod pluribus alantur. Hæc ſanè diximus nos ſimplicius, ac manifeſtius: alij vero ſe ipſos in ſubtiles diſputationes demittentes, multam, & anxiam contraxerunt, de minimis rebus, diſceptationem, ac moleſtiam: nec id in præſenti tantum loco, verum etiam in alijs multis conſiderationibus, quas pro moleſtis habentes prætercurrimus.

[Margin: Mille 5. & 4.]

Amb. Cur pauciora nunc reſtent, quã ante.

Amb. lib. 6. in Luc: Cur autem quinque millibus hominum plus redundat, quatuor millibus minus? Quia quatuor millia iſta triduo cum Chriſto fuerunt, & ideo ampliorem cæleſtis pabuli alimoniam receperunt. Nec otiosè, quæ turbæ ſuperſunt, à diſcipulis colliguntur; quia ea, quæ diuina ſunt, apud electos facilius poſſis, quam apud populos, reperire. Vtinam mihi contingat audire: collige quæ ſuperſunt. Si audiero, & fecero, habebo multa, quæ turbæ, habebo multa, quæ pueri, & mulieres edere nequiuerunt. Beatus ille, qui poteſt colligere, quæ etiam doctis ſuperſunt. Videamus quomodo colligat. Dicit lex: Non mœchaberis. Fregit hunc panem Chriſtus, diuiſit hoc verbum, non aliunde adijciens, ſed de ſuo partiens. Qui viderit, inquit, ad concupiſcendum mulierem, iam mœchatus eſt eam. Habes fragmentum, de ſuo addidit: Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum. Habes aliud: Et ſi dextra tua ſcandalizat te, abſcinde eam. Et: Qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur. Vides ex vno, quam multa fragmenta. Moſes dicit, quod Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Paulus dixit: Hæc ſunt duo teſtamenta. Diui-

[Margin: Reliquiæ cur a diſcipulis colligantur. — Exod. 20. — cap. 48. — Gen. 21. — Gal. 4.]

ta. Diuiſit hoc verbum, & inuenit myſterium. Beatus ergo qui colligit, quæ diuidit Chriſtus.

Ver. 13.

Theoph. Theoph. Matt. 15: Secedit Ieſus. Nullum enim ſignum plures, vt eum ſequerentur, incitabat, quam illud quod in multiplicandis panibus fecerit: ita vt etiam (quemadmodum ait Ioannes) in regem aſſumpturi erant illum. Vnde & ſecedit, quo tyrannidis effugiat ſuſpicionem.

Theop. Et Mar. 8: Poſt ſignum hoc ſeptem panum, ſtatim ſecedit in alium locum, timens ne quo pacto turba tanto miraculo excitata, quid nouarum rerum moliretur, regemque ſe faceret.

Eut. Euth. Matt. 15: Non abijt pedeſtri itinere, ne ſequentes glorificarent eum. Marcus autem dicit quod ſtatim nauim ingreſſus cum diſcipulis ſuis, venit in partes Dalmanutha: vtrumque enim cognomen regio illa habebat.

Vict. Vict. Mar. 8: Seruator vna cum diſcipulis nauim iam conſcendit, cum antea illud non feciſſet. Diſcimus hinc autem, non ſemper tentationes, non ſemper pugnas adducere, verum ante tentatos pugniſque defatigatos ſuo quoque tempore ab einſmodi miſerijs & laboribus recreare, & refocillare. Vt enim ſua abſentia laborem, & moleſtiam; ita ſua præſentia à moleſtijs, & laboribus quietem indulgere ſolet.

CAP. 77. *Reprehenduntur ſignum è cœlo quærentes.*

Matt. 16.	*Mar. 8.*	*Luc.*	*Ioan.*
1 [ET acceſſerunt ad eum Phariſæi, & Sadducæi tentantes: & rogauerunt eum, vt ſignum de cœlo oſtenderet eis.	1 ET exierunt Phariſæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo ſignum de cœlo, tentantes eum.		
2 At ille reſpondens, ait illis: Facto veſpere dicitis; ſerenum erit: rubicundum eſt enim cœlum. Et mane: Hodie tempeſtas: rutilat enim triſte cœlum.			
3 Faciem ergo cœli diiudicare noſtis: ſigna autem temporum non poteſtis ſcire?			
	4 Et ingemiſcens ſpiritu, ait:		
5 Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei.	5 Quid generatio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis, ſi dabitur generationi iſti ſignum.		
6 Niſi ſignum Ionæ Prophetæ.			

Not. 1.

Chryſoſ. ver. 1. 5 CHRYSOST. hom. 54. in Matth: Marcus autem dicit, quod cum acceſſiſſent, & quærerent, ingemuit ſpiritu, ac dixit: Quid generatio iſta ſignum quærit? ita quod cuiuſuis animam hæc interrogatio ad iram poſſet concitare: non commouetur tamen ille miſericors, & protector hominum: ſed tanquam miſeros, ac incurabili morbo laborantes, miſeratur eos, qui

Cur acceſſerint. poſt tot, tantaque ſuæ virtutis ſigna, vt tentarent acceſſerunt. Non enim vt crederent quærebant, ſed facultatem reprehendendi inueſtigabant. Nam ſi quaſi credituri ipſum adijſſent,

cap. 75 dediſſet vtique. Nam qui Cananææ dixit: Non eſt bonum panem filiorum canibus mittere, & tamen præbuit ei, quod quærebat: multo magis iſtis petentibus præſtitiſſet. Idcirco etiam

Cur hi ſint hypocritæ. Varia lectio. hypocritas appellauit, quia aliud ore proferebant, aliud mente tegebant. Quamuis inde quoque pateat, nulla illos fide adijſſe, quod

Non enim omnes habent, hypocritæ. increpati, & redarguti non permanſerunt, neque dixerunt: quia ignoramus, idcirco diſcere quærimus. Quæ porro ſigna de cælo petebant? Certe, vt ſolem ſiſteret, aut lunam frænaret, & inhiberet, aut fulmina proijceret, aut aëra commutaret, aut huiuſmodi aliquid faceret. Quid

Quæ ſigna de cælo. autem ipſe ad hæc ait? faciem cæli diiudicare ſcitis, & ſigna temporum non poteſtis? Vide mitiſſimum, ac humillimum animum. Non enim ſolum negauit, vt prius; verum etiam, quamuis non diſcendi gratia quęrerent, cauſam ſubiecit, quare negauit. Sicut enim in cælo, inquit, aliud tempeſtatis, aliud ſereni temporis ſignum eſt; & nullus, ſigno tempeſtatis conſpecto, tranquillitatem expectat: neque in tranquillo tempore tempeſtatem ſcrutatur: eodem quoque modo in me cogitare oportet. Aliud enim tempus huius aduentus eſt, aliud futuri. His miraculis quæ in terra facimus, vobis nunc opus eſt: quæ vero in cælo fiunt, illi tempori reſeruantur. Nunc enim quaſi medicus veni, tunc quaſi iudex adero: nunc quaſi errabundas oues reducam, tunc vero factorum rationes repetam. Et nunc quidem occultius, tunc vero apertiſſimè cælo implicato, ſole abdito, luna obſcurata veniam, tunc virtutibus cælorum commotis, quaſi fulgur ſubito meus aduentus

omnibus apparebit; ſed horum opportunum nunc tempus non eſt: non enim ad hæc, ſed ad paſſionem veni, atque ad mortem. Non audi-
Eſa 42 ſtis Prophetam dicentem: Non contendet, neque clamabit, neque audietur foris vox eius? Et
Pſal. 71. alium Prophetam rurſus: Deſcendet ſicut pluuia in vellus. Quod ſi quis ea ſigna comme-
Exod. 7. morat, quæ Pharaonis tempore facta fuerunt, ſciat non iniuria tunc ad incutiendum hoſti terrorem illa facta fuiſſe, quibus non eget, qui ad amicos, ac domeſticos venit. Quomodo autem & magna illa, quæ petitis faciam, cum parua hæc non credatis? parua quantum ad oſten-
Quæ ſigna ſint aliis maiora. tationem dico, nam virtute quidem multo hęc illis maiora fuerunt. Quid enim peccatorum remiſſioni exæquabitur? aut quid maius excogitari poteſt, quam mortuos excitare, dæmo-
Phariſæorum cæcitas. nia depellere, diſſolutam corporis compaginem verbo conſolidare? Tu autem cordis eorum tarditatem, & mentis cæcitatem conſide-
Ver. 5. ra, quomodo cum audierunt, quia non dabitur eis ſignum, niſi Ionæ Prophetæ, non interrogarunt. Oportebat enim certè, cum non ignorarent, quæ illi prophetæ accidiſſent, cumque iam iterum idipſum audirent, diligentius rogare, vt diſcerent quidnam erat quod dicebatur. Idem habet Vict. in Mar. Euth. & Theoph. in Matt.

Ver. 1. 2.

Hier. Varia lectio. Hier. Matth. 16: Hoc in pleriſque codicibus non habetur: ſenſuſque manifeſtus eſt, quod ex elementorum ordine, atque conſtantia, poſſint & ſereni, & pluuiæ dies prænoſci. Scribæ autem, & Phariſæi, qui videbantur legis eſſe Doctores, ex Prophetarum vaticiniorum potuerunt intelligere Saluatoris aduentum.

Not. 2. verſ. 1.

Eut. cap. 58 EVTH. Matth. 16: Alij quoque tentatores ante hos ſignum de cælo quæſiuerunt ab eo, ſicut prædictum eſt, & ibi aliam etiam quæras cauſam.

Theoph. Inter ſe pugnantes côtra Chriſtum conſentiunt. Signa de cælo quæ ſint. Theoph. Matt. 16. & Mar. 8: Tametſi dogmatis diſſideant Sadducæi, & Phariſæi; nihilominus tamen contra Chriſtum conſpirant. Signum autem è cælo petunt, vt ſiſtere ſolem, vel lunam; fulmina deducere, aërem immutare. Arbitrabantur enim eum non poſſe facere ſignum de cælo, tanquam qui in Beelzebub facere ſolum poſſet ſigna in terra. Quippe exiſtimabant quod ſigna, quæ ſuper terram fiebant, diabolica virtute, & in Beelzebub fierent. Ignorabant ſiquidem inſipientes, quod & Moyſes
Exod. 7. 8. 9. 10. in Ægypto multa ſigna ſuper terram fecerat; & ignem è cælo deſcendiſſe ſuper pecora Iob, à
Iob 1. diabolo erat: atque adeo non omnia, quæ è cælo, à Deo: neque omnia, quæ in terra, à dæmonibus. Ipſe autem eis morem non gerit.

Theop. Theophylactus obſeruandum hic inſinuat, quomodo impietas ſecum perpetuo pugnat, præterquam vbi illi cum pietate negotium eſt. Maxime enim inter ſeſe diſſidebant Phariſæi, & Sadducæi: contra Ieſum tamen vno animo conſpirabant. Hic & hodie videre eſt hæreticos inter ſe ſumme diſſidentes opinionibus; ad Eccleſiam tamen oppugnandam eſſe maxime concordes.

Ver. 2. 3. 4.

Aug. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 20: Quod dixit: Facto veſpere dicitis, ſerenum erit, rubicundum eſt enim cælum: id eſt, ſanguine paſſionis Chriſti, id eſt, in primo aduentu indulgentia peccatorum datur: & mane, hodie tempeſtas, rubet enim cum triſtitia cælum: id eſt, quod ſecundo aduentu igne præcedente venturus eſt. Signa temporum dixit de aduentu ſuo, vel paſſione; cui ſimile eſt roſeum cælum veſpere. Et item de tribulatione ante aduentum ſuum futura, cui ſimile eſt mane roſeum cum triſtitia cælum. Aug.

Euth. Matt. 16: Hypocritas hos nominauit, non ſolum tanquam alia dicentes, & alia ſentientes; verum etiam tanquam habentes ſe pro ſapientibus, cum eſſent inſipientes. Eut. Cur hi ſint hypocritæ. Varia lectio: quia nô omnes legunt, hypocritæ.

Not 3. verſ. 5.

AVG. lib. 2. de conſ. cap. 51: Hoc etiam & alibi dixit idem Matthæus; vnde etiam, atque etiam retinendum eſt, ſæpius Dominum eadem dixiſſe, vt quod exiſtente contrario ſolui non potuerit, bis dictum intelligatur. Nec illud moueat, quod Marcus non dicit reſponſum eſſe, quærentibus ſignum de cælo, idem quod Matthæus de Iona, ſed ait Dominum reſpondiſſe, ſignum non dabitur ei. Intelligendum eſt enim, quale petebant, hoc eſt, de cælo; prætermiſit autem dicere de Iona, quod Matthæus commemorauit. Aug. cap. 51. Dominus ſæpe dixit eadem. Marcus, & Matthæus conſentiũt. Si dabitur ſignum.

Vict. Mat. 8: Quæ dicuntur hoc loco, huc tendunt: quodnam ſignum improbæ generationi huic, quæ temerè à Deo recedit, dabitur aliud, quam quod is viciſſim recedet ab illa? Cuius quidem rei argumentum extitit, ſeceſſio illa, qua eos mox deſeruit, alioque abijt. Merito proinde Chriſtus Dominus diuortium hoc animo pertractans, ſpiritu ingemuit. Quo enim fine ad Iudæos venerat? nonne vt mortem, extremaque omnia illorum cauſa ſubiret? Quid autem eius rei gratia contra præſtiterunt illi? Aliud ſane nihil, quam quod in ſumma nequitia ætatem tranſigentes, tantum illum benefactorem quotidie in ſe ſuamque perniciem prouocarent. Vict. Ingens Iudæorum erga Chriſtum ingratitudo.

Euth. Matt. 16: Marcus vero dixit, quod etiam ingemuit ſpiritu ſuo, hoc eſt, ingemuit à ſpiritu, ab animo, quod nos poſſumus dicere, ab intimo cordis. Nam cum tentantes ipſos cognouiſſet, ingemuit, propter incurabilem illorum malitiam. Et Mar. 8: *Ti*, vero ſignificare poteſt, quid: id eſt, ad quid, quare, aut potius, quod, hoc eſt, quale ſignum? ſciebat namque ob quam cauſam huiuſmodi ſignum requirerent. Si dabitur, id eſt, non dabitur: hoc enim linguæ Hebraicæ idioma eſt. Euth. Spiritu ingemiſcit. Eut. Quid quæris. Si dabitur.

Theoph.

Theoph. Mala. Adultera. Signum Ionæ de cælo eſt. Theoph. Matth.16: Natio mala, vtpote tentans: & adultera, vt deficiens à Deo, & adhærens diabolo. Niſi ſignum Ionæ Prophetæ.) Hoc eſt, quod in ventre magni cæti, hoc eſt, mortis, factus triduanus, reſurget. Hoc autem ſignum etiam è cęlo eſſe dixeris. In morte enim eius, obtenebratus eſt ſol, creatura omnis im-

Dabitur ei. mutata eſt. Vide autem ſermonem: Signum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ: Ipſis enim data ſunt ſigna, hoc eſt, propter ipſos facta ſunt; tametſi non crediderint.

Theoph. Si dabitur ſignum. Et Mar. 8: Non dabitur, ſupple tale, quale petebant, hoc eſt, de cælo.

Not. 4.

Hilar, HILAR. can.16. in Matt: Adſunt Phariſæi,

ver. 1. & Sadducæi, legis fiducia inſolentes, dedignanteſque opera virtutum; fidei ſignum oſtendi ſibi de cęlo precantur. Humilitatem in Chriſto carnis, & corporis contuentes, doctrinam ex his, quæ ſub hominis habitu gerebat, dedi-

ver. 2. 3. 4. gnantur accipere. Quorum inſolentiam, & inanitatem irridens, multa eos de natura cæli conijcere ſolere reſpondit, cum rubicundo aut ritu, aut veſpere, ſerenum, nimboſumue pronunciant. Porro autem ignorare eos temporum ſigna, cum omnis lex, & prophetæ aduentus ſui indicia, ex operum, quæ gereret, admiratione ſignificent, vt quemadmodum fidem tempeſtatis cæli, vel matutini, vel veſperis rubor redderet; ita manifeſtam temporum cognitionem, virtutum, atque operum indicia præſtare deberent. Sed ortus è cælo ſignum his terreſtre

ver 5. Ionæ ſignum terreſtre, ac è cælo. Chriſti. & Ionæ conuenentia. conſtituit, vt eos intra confeſſionem humilitatis corporeæ contineret, dandum dicens Ionæ ſignum. Huic ſe Dominus comparat, quem ad futuræ paſſionis effectum in prædicationem pœnitentiæ ad Niniuitas pari ſpecie pręmiſerat. Namque Ionas, ventis deſæuientibus, proiectus è naui eſt, & deuoratus à cæto, & poſt triduum viuus emiſſus, non retentus à monſtro, non cibi conditione confectus, ſed, contra humani corporis naturam integer, & illæſus in auras ſuperas, virtute Dominicæ præfigurationis, euadit. Hoc ergo poteſtatis ſuæ ſignum conſtitutum eſſe demonſtrat, ipſe remiſſionem peccatorum per pænitentiam prædicans, de Hieruſalem, vel Synagoga, immundorum ſpirituum dominante flatu, eijciendus, & Pilati poteſtati, id eſt, ſeculi iudicio tradendus, & à morte, tanquam elementi eiuſdem monſtro, glutiendus, & poſt triduum ex ea, contra conditionem hominis, quam aſſumpſerat, non retentus, viuus, atque incorruptus emergens. Ea igitur quæ in homine de conceptu virginis ſumpto, diuinarum erant plena virtutum, cognoſci, atque intelligi de ſe voluit, & prophetæ ſigno, & hominis exemplo.

CAP. 79. *Fermentum praua doctrina cauendum.*

Matt. 16.	*Mar. 8.*	*Luc.*	*Ioan.*
1 ET relictis illis, abijt.	1 ET dimittens eos, aſcendit iterum nauim, & abijt trans fretum.		
2 Et cùm veniſſent diſcipuli eius trans fretum, obliti ſunt panes accipere.	2 Et obliti ſunt panes ſumere.		
	3 Et niſi vnum panem non habebant ſecum in naui.		
4 Qui dixit illis: Intuemini, & cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum.	4 Et præcipiebat eis dicens: Videte, & cauete à fermento Phariſæorum, & fermento Herodis.		
5 At illi cogitabant intra ſe, dicentes: Quia panes non accepimus.	5 Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus.		
6 Sciens autem Ieſus, dixit: Quid cogitatis intra vos, modicę fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis?	6 Quo cognito, ait illis Ieſus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? Nondum cognoſcitis, nec intelligitis?		
	7 Adhuc cæcatum habetis cor veſtrum? oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis?		
8 Neque recordamini quinque panum, in quinque milia hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis?	8 Nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque milia, quot cophinos fragmentorum plenos ſuſtuliſtis?		
	9 Dicunt ei: Duodecim.		
10 Neque ſeptem panum in quatuor milia hominum, & quot	10 Quando & ſeptem panes in quatuor milia, quot ſportas frag-		

Matt. 16.	Mar. 8.	Luc.	Ioan.
ſportas ſumpſiſtis?	mentorum tuliſtis?		
	11 Et dicunt ei: Septem.		
12 Quare non intelligitis:	12 Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?		
13 Quia non de pane dixi vobis: Cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum?			
14 Tunc intellexerunt, quia non dixerit cauendum à fermento panum, ſed à doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum.			

Not. 1.

Aug. De fermẽto Phariſæorum Matt. & Mar. re, & ordine conueniũt. — AVG. lib. 2. de conſenſ. cap. 52: Sequitur Matthæus, & relictis illis abijt. Et cum veniſſent diſcipuli eius trans fretum, obliti ſunt panes accipere. Qui dixit illis: Intuemini & cauete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum: & cætera, vſque ad illud vbi ait: Tunc intellexerunt quia non dixerit cauendum à fermento panum, ſed à doctrina Phariſæorum & Sadducæorum. Hæc eadem etiam Marcus & eodem ordine digerit.

Eut. — Euth. Mar. 8: Præſens caput manifeſtius ſcripſit Matthæus.

Ver. 1.

Hier. — Hiero. Matt. 16: Relictis Scribis & Phariſæis. Recte abiit trans fretum, & gentium ſecutus eſt populos.

Theoph. — Theophylact. Matth. 16. & Mar. 8: Reliquit Phariſæos Dominus, vt incorrigibiles. Vbi enim ſpes eſt correctionis, ibi immorandum eſt: vbi autem illa defuerit, inde tranſeundum.

Chryſoſ. — Chryſoſt. hom. 54. in Matth: Quia non diſcendi, ſed tentandi gratia iſta dicebant, ideo ipſis relictis abiit.

Hilar. — Hilar. canone 16. in Matth: Non ſicut locis aliis legitur: Dimiſſis turbis abiit, ſed quia infidelitatis error inſolentium animos obtinebat, non dimiſiſſe eos ſcribitur, ſed reliquiſſe.

Euth. — Euth. Matt. 16: Marcus autem ait, quod conſcenſa naui rurſum abiit in vlteriorem ripam.

Ver. 2.

Eut. — Euth. Matt. 16: Obliti ſunt panes ſumere qui videlicet eis ſufficerent. Marcus autem dicit, quod vnum tantum panem habebant ſecum in naui.

Not. 2. verſ. 4.

Hier. — HIERO. Matth. 16: Qui cauet à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum, legis, ac litteræ præcepta non ſeruat, traditiones hominum negligit, vt faciat mandatum Dei. Hoc eſt fermentum, de quo & Apoſtolus loquitur: Modicum fermentum totã maſſam corrumpit. (1 Cor. 5.) Iſtiuſmodi fermentum, quod omni ratione vitandum eſt, habuit Marcion, & Valentinus, & omnes hæretici. Fermentum hanc vim habet, vt ſi farinæ mixtum fuerit, quod paruum videbatur, creſcat in maius, & ad ſaporem ſuum vniuerſam conſperſionem trahat, ita & doctrina hæretica, ſi vel modicam ſcintillam in tuum pectus iecerit, in breui ingens flamma ſuccreſcit, & totam hominis poſſeſſionem ad ſe trahit. Et Amos 4: In Euangelio dicitur: Cauete vobis à fermento, id eſt, doctrina, Phariſæorum. — Hier.

Chryſoſt. — Chryſoſt. hom. 54. in Matth: Quare non aperte dixit, cauete diligenter à doctrina eorum? quia cum ſciret præteritarum rerum iam eſſe oblitos, in memoriam ipſis eas reducere voluit, ac ita occaſione ab ipſis habita opportune reprehendit, adeo vt nullam criminatio hæc moleſtiam afferre videatur. Et quamobrem, inquies, tunc non increpauit, quando dixerunt: Vnde nobis in ſolitudine tot panes, præſertim cum non parua opportunitas reprehendendi ſibi daretur? Ne videretur cum oſtentatione ad ſigna procurrere, quamuis coram multitudine reprehendendi opportunitas non eſt ei, qui ambitionem & inanem gloriam contemnit. Nunc vero hæc idcirco etiam iuſtior eſt increpatio, quia bis iam eodem miraculo facto tales adhuc permanerent. Idcirco altero miraculo facto tunc ipſos increpati cogitationes enim ipſorum in medium producit.

Hilar. — Hilar. cano. 16. in Matt: Abſoluta omnis de fermento Phariſæorum, & Sadducæorum obſcuritas eſt. Quod autem abſtinere ſe eo Apoſtoli iubentur, non admiſceri doctrinæ Iudæorum monentur, quia legis opera in effectum fidei, & præformationem rerum conſequentium conſtituta ſint, vt in quorum tempora, atque ætatem veritas contigiſſet, nihil vltra in veritatis ſimilitudine ſpei poſitum arbitrarentur, ne doctrina Phariſæorum Chriſtum neſciens effectus veritatis Euangelicæ corrumperet.

Vict. — Victor. Mar. 8: Et ſi vero Matthæus ſcribat: Cauete vobis à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum: Marcus vero à fermento Phariſæorum & Herodianorum: Lucas autem à fermento Phariſæorum tantum, nulla tamen interuenit hic pugna: Siquidem omnes tres primarios illos nominarunt, puta Phariſæos: duo autem inter poſteriores ſecernunt; alter namque Phariſæis adiungit Sadducæos, alter Herodianos. At neuter interim, vel hos, vel illos ſolos extitiſſe aſſerit. Veriſimile fit autem Marcum, ad narrationis explorationem, Herodianos, quos Mat-

Matthæus prætermiſerat, cæteris adieciſſe.

Theoph. Theoph. Mar. 8: Singulari autem diſpenſatione fit vt diſcipuli obliuiſcantur panum, quo meliores euadant obiurgati, & intelligant Domini virtutem. Nam quum dixiſſet cauendum à fermento Phariſæorum, hoc eſt, doctrina, illi eum putabant de panum fermento loquutum. Vnde merito perſtringuntur tanquam ſtupidi, & non intelligentes virtutem Chriſti, qui

Cur doctrina Phariſæorum ſit fermentū. poſſit ex nihilo facere panes. Fermentum ideo nominat doctrinam Phariſæorum & Herodianorum, quia amara eſt, malitiæque veteris plena. Quicunque enim malitia inueteratus eſt, & nihil ſpirituale poteſt dicere quod auditoris faucibus ſit dulce, ille fermentum habet, ac mordacem veteris malitiæ doctrinam, quæ illum obedientem ad pænitudinem tandem ducat.

Qui ſint Herodiani Herodiani autem erant doctores quidam nuper orti, dicentes Herodem eſſe Chriſtum, & illi eſſe credendum.

Theoph. Et Matt. 16: Quemadmodum fermentum amarum eſt, & vetus, ita & Phariſæorum, & Sadducæorum doctrina mordet animas, amara exiſtens, & veteres ſeniorum traditiones introducens. Et ſicut fermentum temperatura eſt aquæ, & farinæ, & ſic doctrina Phariſæorum mixta eſt ex ſermone, & ex vita corrupta. Non dixit autem illis manifeſte, cauete à doctrina Phariſæorum, vt memores eos faceret ſigni panum.

Euth. Euth. Matt. 16: Marcus vero dixit, quod etiam præcepit eis, dicens: Videte, & cauete à fermento Phariſæorum, & fermento Herodis. Illa autem reduplicatio, videte, cauete, præcepti, ſiue admonitionis exaggerationem demonſtrat.

Doctrinā vocat fermentum. Fermentum vero Phariſæorum, Sadducæorum, ac Herodis, vocat doctrinam Phariſæorum, Sadducæorum, ac Herodianorum. Hanc vero doctrinam vocauit fermentum, vtpote acetoſam, ac Marcidam.

Not 3. ver. 5.

Hier. Quomodo panes non habebant. HIERO. Matt. 16: Quærat aliquis, & dicat: Quomodo panes non habebant, qui ſtatim, impletis ſeptem ſportis, aſcenderunt in nauiculam: & venerunt in fines Magedan: ibique audiunt nauigantes, quod cauere debeant à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum? Sed ſcriptura teſtatur quod obliti ſint, eos ſecum tollere.

Ver. 7.

Hier. Hieron. Matt. 16: Per occaſionem præcepti, quod Saluator iuſſerat, dicēs: Cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum: docet eos quid ſignificent quinque panes, & ſeptem: quinque milia hominum, & quatuor milia, quæ paſta ſunt in eremo: quod licet ſignorum magnitudo perſpicua ſit, tamen & aliud in ſpirituali intelligentia demonſtretur. Si enim fermentum Phariſæorum, & Sadducæorum non corporalem panem, ſed traditiones peruerſas, & hæretica ſignificat dogmata: quare & cibi, quibus nutritus eſt populus Dei, non veram doctrinam integramque ſignificent.

Chryſoſ. Chryſoſt. hom. 54. in Matt: Vides tanta eum ferri in eos acrimonia, vt nunquam alibi ſic vehementer increpaſſe ipſos videatur. Cur igitur ita facit? vt rurſum ciborum obſeruationem qua præoccupati erant, eijceret: quapropter tunc quidem ſolummodo dixit, ſine intellectu eſtis: non intelligitis? Nunc vero magna cum vehementia, modicæ fidei, ait: Non enim ſemper verborum remiſſio laudabilis eſt. Quare ſicut magna vti libertate apud eum ipſis concedebat, ſic etiam, ſi opus erat, reprehendebat; vt hac varietate rebus accommodata, mirabili ſua diſpenſatione, ſalutem eis conferret. Tu autem animaduerte quomodo manſuetudo increpationi permixta eſt. Quaſi enim excuſando increpata reſponderit, dixit: Nondum intelligitis, nec recordamini quinque panum, &c. Nam idcirco tam eorum qui manducarunt, quam reliquiarum numerum poſuit, vt & præterita memoria colligerent, & ad futura ſe attentiores præberent: atque vt videas quantum hæc increpatio valuit, & quomodo mentes eorum quaſi ſomno grauatas excitauit, ipſius Euangeliſtæ verba diligenter conſidera. Nam cum Ieſus nihil amplius dixiſſet, ſed ſolummodo increpaſſet, atque ſubiunxiſſet, quomodo non intelligitis, quia non de panibus dixi vobis, attendite à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum, tunc tandem Euangeliſta illud addit: Et tunc intellexerunt, &c. Quanquam ipſe non fuiſſet iſtud interpretatus. Vides quam multa præclara vehemens efficit increpatio. Nam à Iudaicis obſeruationibus eos abduxit, & deſidia remota multo attentiores reddidit, & ad maiorem fidem inuitauit, vt iam non formident, neque contremiſcant, ſi quando pauciores habere panes videantur, ne inediæ malo pereant, ſed omnia hæc, ceu caduca, omnino negligant.

Moral. docu. Sic igitur etiam nos non vbique, neque ſemper aſſentari ſubiectis velimus, nec optemus vt principes nobis adulentur. Nam vtriſque remedijs iſtis mens hominum, atque animus indiget. Vnde & Deus vniuerſum quoque orbem terrarum ita gubernat, vt modo hoc, modo illud adhibeat, nec ſecunda ſemper concedat, nec aduerſa per ſe ſola eſſe permittat.

Eut. Euth. Matt. 16: Marcus vero grauius eos increpaſſe ait.

Cur non potius corripuit. Et quare non tunc improperauit potius eis, quando dixerunt: Vnde nobis in deſerto panes tam multi? Quia non erat æquum, vt hos coram multis confunderet.

Chriſti charitas, & diſcretio. Simul etiam expectans, donec edito duplici miraculo, grauior, ac efficacior redderetur accuſatio.

Not 4. verſ. 12.

Eut. EVTH. Matth. 16: Ecce iam obſeruationem quoque ciborum illis improperat.

Ver. 14.

Eut. Euth. Matth. 16: Vidiſti præmiſſam increpationem: vide etiam fructum eius: excitauit enim

Moral. doct.

nim mentem illorum, quæ dormiebat, & intellexerunt. Siquidem oportet non vbique mitem eſſe præceptorem, ſed quandoque aſperum fieri: & interdum quidem liberè ſe tradere diſcipulis ad refocillationem: interdum vero increpare ad correptionem: & hac varietate illorum procurare ſalutem.

Cap. 80. *Cæcus in Bethſaida curatur.*

Matt.	*Mar 8.*	*Luc.*	*Joan.*
	1 Et veniunt Bethſaïdam: & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, vt illum tangeret.		
	2 Et apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & exſpuens in oculos eius, impoſitis manibus ſuis, interrogauit eum, ſi quid videret.		
	3 Et aſpiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes.		
	4 Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos eius, & cœpit videre, & reſtitutus eſt, ita vt clarè videret omnia.		
	5 Et miſit illum in domum ſuam, dicens: Vade in domum tuam: & ſi in vicum introieris, nemini dixeris.		

Not. 1.

Aug. Ratio diſpoſitionis. Hoc ſolus Marcus habet.

AVG. lib. 2. de conſen. cap. 53: Marcus interpoſuit primo de cæco illuminato, quod ſolus ipſe commemorat, de illo qui dixit Domino, video homines ſicut arbores ambulantes.

Vict. Bethſaida infidelis. ver. 1

Victor Mar. 8: Ingreditur Dominus in fide deſtitutam Bethſaïdam, cæco ad illum adducto, vt eum tangat, rogant. At non ſana, neque integra offerentium fides erat. Quare qui miraculi ſpectatores fierent, indigni habiti ſunt.

Cur cæcus ſeorſum ducatur. ver. 2. Cur expuit in oculos, & manus imponit.

Etenim Chriſtus Dominus hominem ſeorſum apprehendit, apprehenſumque extra vicum duxit; mox in oculos illius exſpuens, manumque eidem imponens, nunquid videat, interrogat. Exſpuit, manuſq; imponit, per hoc oſtendens, verbum diuinum, actionemque verbo adiunctam, opera, quæ admirabilia habebantur, & erant, abſoluere. Manus enim operationis eſt ſymbolum, & organum, verbi autem, quod de ore procedit, vis, opus ipſum perficit.

Cur petat, num quid videat.

Interrogat, num quid videat, cum alias illud facere non conſueuiſſet. Deſignabat per hoc autem, tum offerentes, tum eum quoque, qui oculis captus offerebatur, fidei infirmitate laboraſſe. Tantum non enim cæcutientem eiuſmodi oratione affabatur: Fiat tibi ſecundum fidẽ tuam. Siquidem imperfecta illa ſanatio, fidem illius debilem admodum extitiſſe, arguebat.

Quid ſit videre homines vt arbores ambulantes. ver. 4. Cur manus iterũ imponit.

Fatebatur namque homines, quaſi arbores obambulantes ſeſe videre, hoc eſt, omnino obſcure, & imperfecte. Repetit manuum impoſitionem, quo ex fidei, quam ante hauſerat, guſtu, hominem ad fidei incrementum, paulatim proueheret, adeoque perfecte tandem illuminet. Ipſum autem viſionis incrementum, & acceſſio, id, quod modo dicebatur, nempe fidei incrementum, & acceſſionem confirmat. Poſteaquam enim dixerat: Et cœpit videre, ſtatim ſubiungit: Et reſtitutus eſt ita, vt clarè videret omnia: cum externo nimirum, tum interno quoque animæ oculo. Quandoquidem Chriſtus Dominus integrè, hoc eſt, ſecundum corpus, & animam ſanauit illum. Reſpexit itaque, & mentis, & corporis oculis clarè. Par eſt autem, vt nos quoq; diuinorum diſcipulorum Chriſti exemplo, Seruatori dicamus: Adauge nobis fidem.

Miſit eum domum ſuam.

Vade in domum tuam, &c. quaſi dicat: ſeruatus es; è Sodomis egreſſus es; in monte Eccleſiæ (hæc enim eſt domus tua) ſerua teipſum.

Bethſaida infidelis, eius interpretatio.

Bethſaïda autem, venatorum vicum, vel domum, ſonat. Cuius incolæ fuere indigni, qui admirabile illud opus viderent, vel audirent. Obſerua itaque quod dico: ne denuo illuc ingrediaris, ne forte captiuus in illorum voluntatem abripiare.

Theoph.

Theoph. Mar. 8: Apparet Bethſaïdam incredulitate multa laboraſſe: ideo & miſeram eam dicit Chriſtus, ſicut Matthæus inquit: Væ tibi Chorozaim, væ tibi Bethſaïda: quia ſi in Tyro, & Sydone factę fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, pridem reſipuiſſent. Huc igitur cum veniſſet Ieſus, adducunt ad eum cæcum. Non erat autem pura adducentium fides; vnde &

Cur ſeorſum ducit. Cur expuit in oculos, & manus imponit.

Dominus educit cæcum è pago, & ſic ſanat illum. Expuit vero in oculos cæci, & manus imponit; vt diſcamus nos, quod ſermo diuinus, & operatio illum ſubſequens, ad miracula facienda efficax ſit. Manus enim, operationis ſymbolum eſt: ſputum autem ſermonis, eo quod ex ore ſit.

Cur paulatim curat.

Et quia neque cæcus ille perfectam habuit fidem, idcirco non ſtatim ipſum reſpicere facit, ſed ſenſim, vtpote integra carentem fide. Iuxta fidei enim magnitudinem & ſanitas datur.

Cur domũ mittit.

Prohibet autem ne ingrediatur in pagum ſuum, eo quod, ſicut dixi, increduli erant homines, & animæ eius nocuiſſent.

Cur aliis dici vetat.

Sed neque Chriſtus hoc de ſe alicui dici vult, vt ne in incredulitate ſua perſeuerantes illi, in grauius inciderent iudicium.

Senſ. ſpiritualis.

Et nos quamdiu in hoc pago, id eſt, mundo agimus, anima ſumus cæci: educti autem è mundo & ſæcularibus negotijs,

gotijs, à Chriſto ſanamur. Poſtquam autem ſancti fuerimus, dicit nobis ne vltra reuertamur in pagum, ſed in domum. Domus autem vniuſcuiuſque noſtrum cælum, & manſiones quæ illic ſunt.

Aut. Euth. Mar. 8: Eduxit eum.) Non enim, digni erant vici illius incolæ vt fieri viderent huiuſmodi miraculum. Nam quum alia multa vidiſſent, manſerant increduli. Sputo ac manibus hunc ſanat: oſtendens quod ſermo coniunctus operibus miraculum operari poteſt. Sermonis quidem ſignum eſt ſputum: vtrumque enim ab ore egreditur, operis verò manus. Sermonem autem dico laude dignum: ſimiliter & operationem. Dictum eſt autem de ſimili altero quoque modo, viceſimo capite præſentis Euangelij. Primo verò cæcum hunc imperfecte curauit, vtpote imperfecte credentem: ideo etiam interrogauit eum ſi quid videret, vt qui parum adhuc reſpiciebat, per modicum aſpectum crederet perfectius ac ſanaretur perfectius: ſapiens enim erat medicus. Et reſpiciens dicebat, video homines. Obſcure videlicet. Quoniam velut arbores cerno ambulantes. Propter viſus obſcuritatem. Deinde rurſus impoſuit manus ſuper oculos eius, ac fecit eum reſpicere, & reſtitutus eſt, videbatque omnes dilucide. Augmentum fidei augmentum promeruit ſanitatis. Et dimiſit illum in domum ſuam, præcepitque ei dicens, neque in vicum ingrediaris, nec cuiquam dicas in vico. Propter eorum incredulitatem qui in illo erant, & ne fidem eius peruerterent.

Not. 2.

Bed. *Morbi corporales ſignificant morbos ſpirituales.* Bed. Mar. 8: Cuncti, qui à Domino curantur languores, ſpiritualium ſunt ſigna languorum, quibus anima per peccatum æternæ morti propinquat. Sicut enim in ſurdo, & muto à Domino ſanato, ſanatio mentis inſinuatur eorum, qui neque audire verbum Dei, neque loqui nouerant; & mox in refectione turbæ eſurientis, quæ Dominum ſecuta fuerat, ſuauitas figuratur illa, qua diligentium ſe, & quærentium ſolet corda nutrire: ita in hoc cæco paulatim curato à Domino, illuminatio deſignatur cordiũ ſtultorum, ac longè à via veritatis ab errantium. *Cur petût vt tangat.* Rogabant autem eum, vt illũ tangeret; ſcientes quia tactus Domini ſicut leproſum mũdare, ita etiam cæcum illuminare valeret. Tangimus autem Dominum nos, cùm ei fide integra, & ſyncera adhæremus. *Dominũ tangere quid ſit.* Quem profecto tactum nobis eſſe ſaluberrimum exemplo mulieris, quæ fimbriam eius fœlici audacia tetigit, ediſcimus. *Tangi à Domino quid ſit.* Tangit nos Dominus, cum mentem noſtram afflatu ſui ſpiritus illuſtrat, atq; ad agnitionem nos propriæ infirmitatis, ſtudiumq; bonæ actionis accēdit. *Cur manũ apprehendit.* Apprehendit manum cęci, vt eum ad executionē bonæ operationis, quam pro diutina cordis obſcuritate non nouerat, cõfortaret. Eduxit extra vicum, vt à vita vulgari ſegregatus, voluntatē ſui conditoris, qua illuminari mereretur, liberius ſedulo corde ſcrutaretur. *Cur ſeorſum ducit.* Quiſquis enim lumē æternitatis videre deſiderat, non exempla turbarum, ſed ducatum neceſſe eſt ſemper ſui redemptoris ſequatur. Ideo cęcum hunc Dominus paulatim, & non ſtatim repente curat, quem vno mox verbo, ſi vellet, poterat curare; vt magnitudinem humanæ cæcitatis oſtenderet, quæ quaſi pedetentim, & per quoſdam profectuum gradus, ad lucē diuinæ viſionis ſolet peruenire: ſeu, vt ſuæ nobis gratiæ crebra daret indicia, per quam ſingula noſtræ perfectionis incrementa, vt proficere aliquid poſſint, nec deficiant, adiuuat. *Cur paulatim curat.* De ſputo autē oris Domini, quod gratiam ſpiritus eius deſignet, ſæpe dictum eſt: De tactu manuum eius, quod virtutem adiutorij ipſius inſinuent nulli dubium eſt. Sputum quippe ab intus de capite Domini procedit: manus vero ſunt membra corporis exterius poſita. Expnens ergo in oculo cæci Dominus, imponit manus ſuas vt videat, quia cæcitatē generis humani, & per inuiſibilia diuinæ pietatis dona, & per exhibita foris ſacramenta aſſumptæ humanitatis abſterſit. Primo autē is qui curabatur videbat homines velut arbores ambulantes, hoc eſt, formã quidem corporum inter vmbras aſpiciens, ſed nulla membrorum lineamenta viſu adhuc caligante diſcernere valens quales condenſæ arbores à longe ſpectãtibus vel certe in luce nocturna ſolent apparere, ita vt nòn facile arbor an homo ſit poſſit dignoſci. Quia primus nimirũ cuique virtutis introitus eſt, hominum vitam moreſq; cæterorum inſpicere, vt quidquid vſpiam boni viderit, imitetur, quidquid mali, caueat ac deteſtetur. Sed quiſquis ita deſipit, ac lõgi temporis obſcuritate depreſſus eſt, vt inter bonum, & malum, fidem, & perfidiam, ſyncera pietatis opera, & ſimulationē iuſtitiæ adhuc diſcernere neſciat, quaſi ambulantes homines inſtar arborum cernit, quia facta multitudinis abſque luce diſcretionis videt. Et quid talibus ſupereſt, niſi vt diuina dignatio, quæ ei curam hominis conſiderandi tribuit, etiam donum conferat diſcernendi quæ maximè hominum vita ſequenda, quorum ſit audienda doctrina? Vnde apte dicitur, quia ſecunda impoſitione manuum ſuarum Dominus ei lucem clare omnia videnda reſtituerit. Clare namque videt omnia qui cæcus fuit, cum is qui illuminari intus meruit, manifeſtè didicerit quomodo credendum, qualiter viuendum, quæ pro fide veritatis atque operatione iuſtitiæ præmia ſint in futuro ſperanda. Et miſit illum in domum, &c. Quod eum in domum ſuam ire præcepit, myſticè admonet omnes qui agnitione veritatis illuſtrantur, vt ad cor ſuum redeant, & quantum ſibi donatum ſit ſollicita mente perpendant, collatiſq; ſibi beneficijs digna operum executione reſpondeant. Quod vero eum ſicut & multos quos ſanauit alios ſanationem ſuam ſilentio tegere iubet, exemplum ſuis tribuit, ne de his quæ faciunt mirandis fauorem vulgi requirant, ſed diuinis tantum aſpectibus vbi & merces operum reſtat, ſint placere contenti. *Dicere cur velit.*

Cap. 81. *Claues Petro confitenti promittuntur.*

Matt. 16.	*Mar. 8.*	*Luc. 9.*	*Ioan.*
In feſto SS. Apoſtolor. Petri, & Pauli. 1 ✠ Venit autem IESVS in partes Cæſareæ Philippi.	1 Et egreſſus eſt Ieſus, & diſcipuli eius in caſtella Cęſareę Philippi.		
		2 Et factum eſt, cùm ſolus eſſet orans, erãt cum illo, & diſcipuli.	
3 Et interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe filium hominis?	3 Et in via interrogabat diſcipulos ſuos dicẽs eis: Quem me dicunt eſſe homines?	3 Et interrogauit illos, dicens: Quem me dicunt eſſe turbæ?	
4 At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.	4 Qui reſponderunt illi, dicentes: Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, alij verò quaſi vnum de Prophetis.	4 At illi reſponderunt, & dixerunt: Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò, quia vnus Propheta de prioribus ſurrexit.	
5 Dicit illis Ieſus: Vos autem, quem me eſſe dicitis?	5 Tunc dicit illis; Vos verò, quem me eſſe dicitis?	5 Dixit autem illis: Vos autem, quem me eſſe dicitis?	
6 Reſpondens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui.	9 Reſpondens Petrus, ait ei: Tu es Chriſtus.	6 Reſpondens Simon Petrus, dixit: Chriſtum Dei.	
7 Reſpondens autem Ieſus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi; ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.			
8 Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam.			
9 Et portæ inferi non prę valebunt aduerſus eã.			
10 Et tibi dabo claues regni cœlorum.			
11 Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. ✠			
12 Tunc præcepit diſcipulis ſuis, vt nemini dicerent, quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus.	12 Et comminatus eſt eis, ne cui dicerent de illo.	12 At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc.	

Not. 1.

Aug. A V G. lib. 2. de conſ. cap. 53: Sequitur Matthæus, venit autem Ieſus in partes Cæſareæ Philippi, & interrogat diſcipulos ſuos, &c. vſque ad illud, vbi ait: Et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Hoc, eodem pene ordine, Marcus narrat. Lucas autem, poſt miraculum illud de quinque panibus, hoc recordatur, atque inſerit. Cuius recordationis ordo, ſicut ſupra iam oſtendimus, nihil repugnat ordini iſtorum. Sed poteſt illud mouere, quod Lucas Dominum interrogaſſe diſcipulos ſuos, quem illum dicerent homines, tunc dixit, cum eſſet ſolus orans, & adeſſent etiam ipſi. Porro

Tres Euãgeliſtæ hoc narrant.

Dubium.

vet. 2.

ver. 3 ver. 8. Simoni quando Petri nomen ſit impoſitum. cap. 20

Porro autem Marcus in via dicit illos hoc ab eodem interrogatos: Sed eum mouet, qui putat quod nunquam orauit in via. Iam etiam ipſe me recolo dixiſſe, ne quis arbitretur, quod hic Petrus, nomen acceperit, vbi illi ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Non enim accepit hoc nomen, niſi vbi Ioannes commemorat ei dictum eſſe, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Vnde nec illo loco, vbi Marcus duodecim diſcipulos nominatim commemorans, dixit appellatos Iacobum, & Ioannem filios tonitrui, arbitrandum eſt nomen accepiſſe Petrum; quia dixit illic quod impoſuerit ei nomen, vt vocaretur Petrus: hoc enim recolendo dixit, non quod tunc factum ſit.

Bed. Hic habes fidei perfectionem & robur.

Bed. hom. de hac euang. lectione: Lectio ſancti Euangelij, quam modo fratres audiſtis, tanto intentius cogitanda, ac ſine obliuione eſt iugiter retinenda; quanto conſtat quia magnam nobis fidei perfectionem commendat, magnum eiuſdem perfectæ fidei contra omnia tentamenta robur æque demonſtrat. Si enim ſcire volumus, quomodo in Chriſtum credi oporteat, quid lucidius eo, quod ait ad eum Petrus: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Rurſus, ſi audire delectat, quantum hæc fides valeat, quid apertius eo, quod ait Dominus de Eccleſia, quæ ſuper eum ædificanda erit; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam?

Not. 2. verſ. 1.

Hier. Locus in quo hæc contigerunt. cap. 15. ver. 2. Hic eſt terminus Iudææ contra Septentrionem. Vbi ſit origo Iordanis. Duo Iordanis fontes. Bed. Eut.

HIERON. Matth. 16: Philippus iſte eſt frater Herodis, tetrarcha Itureæ, & trachonitidis regionum: qui in honorem Tiberij Cæſaream Philippi, quæ nunc paneas dicitur, appellauit; & eſt in prouincia Phænices, imitatus Herodem patrem, qui in honorem Augusti Cæſaris appellauit Cæſaream, quæ prius turris ſtratonis vocabatur, & ex nomine filiæ eius Iuliadem trans Iordanem extruxit. Ille locus eſt Cæſareæ Philippi, vbi Iordanis oritur ad radices Libani, & habet duos fontes, vnum nomine Ior, & alterum, Dan: qui ſimul mixti Iordanis nomen efficiunt. Idem ad verbum dicit Beda Marci 8. Matth. 16. & hom. in hanc euangelicam lectionem. Habet ſimilia Euth. Matt. 16.

Theoph. Cur eius ſit mentio qui Cæſaream condidit. Cæſarea duplex. Eut.

Theophylact. Matth. 16: Meminit eius, qui ciuitatem condidit; quia eſt & alia Cæſarea ſtratonis; & non in illa; ſed in hac, illos interrogat. Procul enim à Iudæis abducit diſcipulos; vt nullum timentes, liberè, ac fidenter dicant. Idem habet Euth. Matth. 16.

Ver 3.

Hier. Cur ait filium hominis. Filius hominis, ſeu Adam. Pſal. 4. Cur ait, homines.

Hieron. Matth. 16: Non dixit: Quem me dicunt eſſe homines; ſed filium hominis: ne iactanter de ſe quærere videretur; & nota, quod vbicunque ſcriptum eſt, in veteri teſtamento, filius hominis; in Hebræo, filius Adam, poſitum ſit. Illud quoque, quod in Pſalmo legimus: Filij hominum vſquequo graui corde: in Hebræo dicitur, filij Adam. Pulchre autem interrogat, &c. vt lect. 7. die 29. Iunij.

Fulg.

Fulg. lib. 3. ad Traſi. cap. 15: Ad hanc vnitatem perſonæ ſine vlla confuſione vtriuſque ſubſtantiæ cognoſcendam, Chriſtus diſcipulos interrogat, dicens: Quem me dicunt homines eſſe filium hominis?

Iſidor. Cur hoc Chriſtus quærit.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 235: Non ea de cauſa Chriſtus, qui pectus ipſum penetrat, ex diſcipulis ſuis percontabatur; quem me dicunt homines eſſe? quod variam hominum de ſe opinionem ignoraret: ſed vt hac ratione certam omnibus confeſſionem traderet, quam ab eo inſpiratus Petrus, tanquam baſim, ac fundamentum iecit, ſuper quod Dominus Eccleſiam ſuam extruxit.

Vict. Cur petit quod nouit. Vulgi ſententiam cur primo quærat.

Vict. Mar. 8: Interrogat, quod norat; quia ex reſponſione, quam daturi erant, aliquod operæ pretium colligere inſtituebat. Inter cætera enim interrogatione illa effectum voluit; vt diſcipuli rectius de ipſo ſentirent, & loquerentur, quam cęteri opinatores. Cur in ipſo ſtatim orationis exordio, quid ipſi de illo ſentirent, non percunctatur; ſed primo omnium vulgi ſententiam de ſe exquirit? vt aliorum de ipſo iudicia depromentes, poſteaque, quid ipſimet de Chriſto ſtatuerent, interrogati, per interrogationis modum, in ſublimiorem ſenſum aſſurgerent, apud ſe decernentes, par non eſſe, vt ipſi ęque abiecte, & humiliter de illo iudicarent, atque cæteri mortalium, propter hoc ipſum quoque non in ipſo mox prædicationis initio, ſententiam illorum exquirit; ſed poſt multa demum miracula, & ſigna perfecta, multaque, de rebus ſublimibus, ſuaque diuinitate, vltro, citroque cum illis agitata, & diſputata. Chriſtus Dominus œconomiam ſuam ſecundum carnem omnibus perſuaſam, exploratamque cupiens, paſſim filium hominis ſe vocat.

Cur filium hominis ſe ç huius vocet.

Dam.

Damaſc. orat. de Dom. Transfig: Non quod hominum ignorantiam ignoraret, hoc ſciſcitatus eſt is, qui nihil non exploratum habet: verum vt eam hac ratione tanquam caliginem quandam ſpiritualibus oculis incumbentem, per ſcientiæ lumen diſcuteret.

Bed. Cur petat quod nouit. Idē habet Bed. Matt. 16. Omnes Apoſtoli rogantur, pro omnibus reſpondet vnus. & omnes in vno laudantur.

Bed. in hom: Non autem quaſi neſciens ſententiam de ſe, vel diſcipulorum, vel extraneorum inquirit; ſed ideo diſcipulos quid de ſe ſentiant interrogat, vt confeſſionem rectæ fidei illorum digna mercede remuneret. Nam, ſicut interrogatis generaliter omnibus, Petrus reſpondit, vnus pro omnibus; ita, quod Petro Dominus reſpondit, in Petro omnibus reſpondit. Ideo quid alij de ſe ſentiant inquirit, vt expoſitis primo ſententijs errantium, diſcipuli probarentur veritatem ſuæ confeſſionis non de opinione vulgata, ſed de ipſo percepiſſe Dominicæ reuelationis arcano. Pulchre homines appellat eos, qui de filio hominis tantum loqui nouerant, quia diuinitatis eius arcana neſciebant. Nam qui diuinitatis eius myſteria capere norunt, merito ſupra homines eſſe dicuntur, Apoſtolo atteſtante, qui ait: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit

1 Cor 2. Eſa. 64.

Deus diligentibus ſe. Qui, cum hæc de hominibus, hoc eſt, humana ſolum ſapientibus corde, aure, & oculo præmitteret, mox de ſe, ac de ſui ſimilibus, qui generalem humanitatis

Ibidem.

ſcientiam tranſcenderant, adiecit: Nobis autem reuelauit Deus, per ſpiritum ſuum. Cui ſimile eſt, quod hic Dominus cum interrogaſſet diſcipulos, quem eum dicerent homines eſſe, & illi diuerſas diuerſorum opiniones præmiſiſſent, dicit illis: Vos autem quem me eſſe dicitis? Quaſi ab hominum generalitate illos ſequeſtrans, & deos ac Dei filios per adoptionem

Pſal. 8.

factos inſinuans, iuxta illud Pſalmiſtæ: Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Idem habet Matt. 16. & Mar. 8.

Ver 5.

Fulg.

Fulg. lib.3. ad Traſi.cap. 15: Cum illi opinionem vulgi protinus indicarent, tunc proprie ab eis qualitas veræ fidei expetitur, vt erroris humani falſitas auferatur.

Not. 3. ver. 4.6.7. 8.9.12.

Amb. Opinio vulgi non eſt ocioſa. ver. 4

AMBR. lib. 7. in Lucam: Nec turbæ quidem ocioſa opinio eſt, quia alij Heliam, quem venturum putabant; alij Ioannem, quem decollatum ſciebant; aut vnum de Prophetis prioribus ſurrexiſſe credebant. Sed hoc quærere ſupra nos eſt, alterius ſcientiæ, alterius pruden-

1 Cor. 2.

tiæ eſt. Nam ſi Paulo Apoſtolo ſatis eſt, nihil ſcire niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum; quid amplius mihi deſiderãdum eſt ſcire, quam Chriſtum? In vno enim hoc nomine, & diuinitatis, & incarnationis expreſſio, & fides eſt paſ-

Aliter Petrus reſpõdet, quam cæteri Apoſtoli.

ſionis. Et ideo licet cæteri Apoſtoli ſciant, Petrus tamen reſpondet præ cæteris: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Complexus eſt itaque omnia, qui & naturam, & nomen expreſſit, in quo

Quædam nobis vitãdæ quæſtiones.

ſumma virtutum eſt. Etiamne nos de generatione Dei ſerimus quæſtiones, cum Paulus iudicauerit nihil ſe ſcire, niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum? Petrus nihil amplius, quam Dei filium putauerit confitendum? Nos & quando, & quomodo natus ſit, & quantus ſit, humanæ infirmitatis contemplatione rimamur? Sciuit Paulus quod in iſtis magis offendiculum quæſtionis, quam ædificationis profectus eſſet; & ideo iudicauit nihil ſe ſcire, niſi Chriſtum Ieſum. Sciuit Petrus quod in filio Dei omnia ſint. Omnia enim dedit pater filio. Si omnia dedit, æternitatem, quam habet, maieſtatemque transfudit. Sed quo prolabor longius? fidei meæ finis Chriſtus eſt, finis fidei meæ Dei filius eſt. Non licet mihi ſcire generationis ſeriem, non licet tamen

ver. 7.

neſcire generationis fidem. Crede igitur ſic, quemadmodum Petrus credidit, vt & tu beatus ſis, vt & tu audire merearis: Quoniam non caro, & ſanguis tibi reuelauit, ſed Pater meus qui in cælis eſt. Caro enim, & ſanguis non queunt, niſi quæ terrena ſunt, reuelare. At vero, qui ſpiritu loquitur myſteria, non carnis, & ſanguinis magiſterio, ſed diuinæ inſpiratione funda-

Gal. 1

tur. Noli ergo acquieſcere carni, & ſanguini, ne carnis, & ſanguinis præcepta haurias, atque ipſe ſanguis, & caro fias. Qui enim carni adhæret, caro eſt: & qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Non permanebit, inquit, ſpiritus meus in hominibus iſtis in æternum, propter quod caro ſunt. Sed vtinam caro, & ſanguis non ſint, qui audiunt, ſed à carnis, & ſanguinis remoti cupiditatibus poſſint dicere ſinguli: Non timebo quid faciat mihi caro. Qui enim carnem vicerit, Eccleſiæ fundamentum eſt: & ſi æquari Petro non poteſt, imitari poteſt. Magna ſunt enim Dei munera, qui non ſolum nobis, quæ fuerant noſtra, reparauit; verumetiam quæ ſunt ſua propria conceſſit. Refert tamen quid ſibi velit, quod non alium turba opinabatur, niſi aut Heliam, aut Hieremiam, aut Ioannem Baptiſtam. Et Heliam forte, quia raptus ad cælum eſt. Sed non Helias Chriſtus, ille rapitur, iſte regreditur. Ille, inquam, rapitur per turbinem, iſte rapinam non arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Ille petitis ignibus vindicatur, hic perſecutores ſuos maluit ſanare, quam perdere. Cur autem Hieremiam putabant? fortaſſe quia ſanctificatus in vulua eſt. Sed non hic Hieremias. Ille ſanctificatur, iſte ſanctificat. Illius ſanctificatio cœpit ex corpore, hic ſanctus ex ſancto. Cur etiam Ioannem putabant, niſi forte quia in matris vtero poſitus Domini præſentiam ſentiebat? ſed non hic Ioannes. Ille adorabat in vtero, hic adorabatur. Ille baptizabat in aqua, Chriſtus in ſpiritu, ille pœnitentiam ſuadebat, hic peccata donabat. Et ideo Petrus non expectauit populi ſententiam, ſed ſuam prompſit, dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui: qui eſt, ſemper eſt, nec cœpit vt eſſet, & eſſe non deficit. Magna autem Chriſti gratia, qui omnia prope vocabula ſuã diſcipulis ſuis donauit. Ego ſum, inquit, lux mundi; & id tamen, quo ipſe gloriatur, diſcipulis nomen indulſit, dicens: Vos eſtis lux mundi. Ego ſum panis viuus. Et: Nos omnes vnus panis ſumus. Ego ſum vitis vera; & tibi dicit: Plantaui te vitem fructuoſam omnem veram. Petra eſt Chriſtus. Bibebant enim de ſpiritali ſequenti petra, petra autem erat Chriſtus. Etiam diſcipulo ſuo huius vocabuli gratiam non negauit, vt & ipſe ſit Petrus, quod de petra habeat ſoliditatem conſtantiæ, fidei firmitatem. Enitere ergo & tu, vt petra ſis. Itaque non extra te, ſed intra te petram require. Petra tua actus eſt, petra tua mens eſt, ſupra hanc petram ædificetur domus tua, vt nullis poſſit nequitiæ ſpiritalis euerberari procellis. Petra tua fides eſt, fundamentum Eccleſiæ fides eſt. Si petra fueris, in Eccleſia eris, quia Eccleſia ſupra petram eſt. Si in Eccleſia fueris, portæ inferi non præualebunt tibi. Portæ inferi, portæ mortis ſunt, portæ autem mortis, portæ Eccleſiæ eſſe non poſſunt. Quæ autem ſunt portæ mortis, hoc eſt, portæ inferi, niſi ſingula quæque peccata? Si fornicatus fueris, portas mortis ingreſſus es. Si fidem læſeris, portas penetraſti inferi. Si peccatum mortale commiſeris, portas mortis intraſti. Sed potens eſt Deus, qui

1 Cor. 6. Gen. 6. Pſal. 55. ver. 4. Chriſti, & Heliæ differentia. Chriſtus in quo à Hieremia & Ioanne diuerſus. ver. 6. Tu es. Æternitas. Ioa. 8. Ioan. 6. Ioan. 15. Ierem. 2. 1 Cor. 9. Cur dicatur Petrus. Portæ inferi quæ. Peccata.

qui exaltet te de portis mortis, vt annuncies omnes laudes eius, in portis filiæ Sion. Sunt enim portæ Eccleſiæ, ſunt portæ caſtitatis.
Pſal. 9. Sunt portæ iuſtitiæ, quas iuſtus intrare conſueuit, dicens: Aperite mihi portas iuſtitiæ, & ingreſſus in eas confitebor Domino. Sed vt
Pſal. 117 portæ mortis, portæ inferi: ita & porta iuſtitiæ Dei porta eſt. Hæc enim porta Domini, iuſti intrabunt per eam. Et ideo fuge pertinaciam delictorum; ne portæ tibi poſſint inferi præualere. Si enim dominatum fuerit peccatum in te, mortis porta præualuit. Fuge ergo contentiones, & diſſenſiones, ſtrepitus, tumultuſque diſcordiæ, ne per portas mortis ingreſ-
Ver. 12. ſus incurras. Dominus enim Ieſus Chriſtus prædicari ſe primo noluit, ne vllus ſtrepitus naſceretur. Et fortaſſe ideo hoc addidit, quia ſciebat Dominus difficile paſſioni, & reſurrectioni etiam diſcipulos credituros. Et ideo paſſionis, & reſurrectionis ſuæ aſſertorem ſe eſſe maluit, vt ex facto fides, non ex auditu diſcordia naſceretur. Ergo Chriſtus noluit gloriari, ſed maluit ignobilis videri, vt paſſionem ſubiret. Et tu qui ignobilis natus es, glo-
1 Cor. 4. riaris? Eadem tibi, qua Chriſtus ambulauit, gradiendum eſt via. Hæc eius agnitio, hæc eius imitatio, per ignobilitatem, & bonam famam, vt glorieris in cruce Domini, ſicut ipſe eſt gloriatus. Sic ambulauit Paulus, & ideo gloriatur di-
Gal. 6 cens: Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Not. 4. verſ. 3. & ſeq.

Hilar. De fide cur Apoſtoli rogētur. HILAR. can. 16. in Matth: Igitur quia ſummum in fide iſta bonum eſt, à diſcipulis requirit, quem ſe homines eſſe dicerent: & adiecit, hominis filium. Hæc enim confeſſionis tenen-
Chriſtum eſſe Dei & hominis filium, eſt credendū. da ratio eſt, vt ſicut Dei filium, ita & filium hominis meminerimus, quia alterum ſine altero nihil ſpei tribuit ad ſalutem. Editis itaque quæ diuerſæ de eo erant, hominū opinionibus, quid
Ver. 3. 6. de ſe ipſi ſentiant quærit. Petrus, reſpondit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Sed Petrus conditiones propoſitionis expenderit. Dominus enim dixerat: Quem me homines eſſe dicunt, filium hominis? Et certe filium hominis contemplatio corporis præferebat; ſed addendo,
Quem me. quem me eſſe dicunt; ſignificauit præter id quod in ſe videbatur eſſe aliud ſentiendum, erat enim hominis filius. Quod igitur de ſe opinandi iudicium deſiderabat: Non illud arbitramur, quod de ſe ipſe confeſſus eſt, ſed occultum erat, de quo quærebatur, in quod ſe credentium fides debebat extendere.

Aug. Petrus Apoſtolorū primus. Aug. ſer. 13. de verbis Domini: Ipſe enim Petrus in Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promptiſſimus, ſæpe vnus reſpondit pro
Petrus reſpōdet pro omnibus. omnibus. Ipſe denique Domino Ieſu Chriſto requirenti, quemnam homines dicerent eum eſſe, & opiniones varias hominum diſcipulis reſpondentibus, rurſuſque Domino interrogante, & dicente: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondit Petrus: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Vnus pro multis dedit reſponſum, vnitas in multis. Tunc ei Dominus ait: Beatus es Simon, &c. Deinde addidit: Et ego dico tibi, Ver. 2.
tanquam diceret, quia tu dixiſti mihi: Tu es Chriſtus filius Dei viui: & ego tibi; tu es Petrus. Simon quippe ante vocabatur. Hoc autem nomen ei vt Petrus appellaretur, à Domino impoſitum eſt, & hoc vt ea figura ſignificaret Eccleſiam. Quia enim Chriſtus petra, Petrus populus Chriſtianus. Petra enim principale nomen eſt, ideo Petrus à petra, non petra à Petro, quomodo non à Chriſtiano Chriſtus; ſed à Chriſto Chriſtianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram, quam confeſſus es, ſuper hanc petram, quam cognouiſti, dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui, ædificabo Eccleſiam meam, id eſt, ſuper meipſum filium Dei viui, ædificabo Eccleſiam meam. Super me ædificabo te, non me ſuper te. Nam volentes homines ædificari ſuper homines, dicebant: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ipſe eſt Petrus. Et alij qui nolebant ædificare ſuper Petrum, ſed ſuper petram, ego autem ſum Chriſti. Apoſtolus autem Paulus vbi cognouit ſe eligi, & Chriſtum contemni, Diuiſus eſt, inquit, Chriſtus? nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? quomodo non in Pauli, ſic nec in Petri, ſed in nomine Chriſti, vt Petrus ædificaretur ſupra petram, & non petra ſuper Petrum. Et ſerm. 33. de verbis Apoſtoli: Modo cum euangelium legeretur audiſtis, cum quæſiſſet Dominus ipſe Ieſus Chriſtus quem illum dicerent homines filium hominis. Reſponderunt diſcipuli opiniones alienas, & dixerunt: Alij Ioannem Baptiſtam, alij Heliam, alij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. Qui hæc confitebantur, vel confitentur, Ieſum Chriſtum pluſquam hominem non nouerunt. Si autem Ieſum Chriſtum pluſquam hominem non nouerunt, Ieſum Chriſtum vtique non norunt. Si enim tantummodo homo eſt, nihil amplius, non eſt ipſe Ieſus Chriſtus. Vos ergo, inquit, quem me eſſe dicitis? Reſpondit Petrus vnus pro omnibus, quia vnitas in omnibus: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Ecce habes confeſſionem veram, confeſſionem plenam. Iungere enim debes vtrumque quod de ſe Chriſtus, & quod de Chriſto Petrus. Quid de ſe Chriſtus? quem me dicunt homines eſſe filium hominis? Quid de Chriſto Petrus? Tu es Chriſtus filius Dei viui. Vtrumque coniunge, & venit Chriſtus in carne. Hoc de ſe Chriſtus, quod minus eſt, hoc de Chriſto Petrus, quod maius eſt. Reſpondit de veritate humilitas, & de humilitate veritas: hoc eſt, de veritate Dei humilitas, & de humilitate hominis veritas. Quem me dicunt homines eſſe, inquit, filium hominis? Dico ego quod factus ſum propter vos, dic tu Petre, quis eſt qui fecit vos?

Chriſtus petra Petrus populus chriſtianus.

1 Cor. 1.

Aug.

Petrus pro omnibus reſpondet.

Petri confeſſio est vera & plena.

Not. 5. verſ. 5. & ſequ.

Euth. EVTH. Matt. 16: Cum diceret illis, vos autem

tem quem me eſſe dicitis, ſignificauit turbas non recte dicere.

Vict. Vict. Mar. 8: Quid ad hoc quæſitum, Apo-
Os Apoſtolorum Petrus. ſtolorum os Petrus, qui nuſquam non ſeruidum ſeſe declarat? Omnibus interrogatis, ſolus ipſe: Tu es filius Dei viui, reſpondit. Hunc locum Matthæus, præſenti Euangeliſta, accura-
Cur hic nonnulla Marcus omittat. tius exponit. Marcus namque, ne quid in Petri magiſtri ſui gratiam dicere videatur, compendio contentus, exactiorem hiſtoriæ explanationem prætermittit.

Theoph. Theoph. Matth. 16: Petrus verè confitetur
Qualé Dei filium Petrus intelligat. ipſum eſſe filium Dei. Non enim dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viuentis, abſque articulo, ſed cum articulo, ille filius, hoc eſt, ille ipſe,
Filius Dei cum articulo. qui ſolus, & vnicus: non gratia filius, ſed qui ex ipſa patris ſubſtantia genitus: quia & multi Chriſti erant, Sacerdotes, & Reges omnes, ſed Chriſtus cum articulo vnus eſt.

Cyr. Cyril. lib. 9. in Ioan. cap. 55: Per principem
Petrus conſortij Apoſtolici princeps. conſortij ſui non dubitaſſe illos exclamare: Tu es Chriſtus filius Dei viui, &c.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 236: Hæc verba: Tu es
Dux in Chriſto natura. Chriſtus filius Dei, duarum naturarum coniunctionem ſignificant, quam Dei filius in ſeipſo, noſtræ ſalutis cauſa, modo deitati conſentaneo, effecit.

Bed. Bed. in hom: Deum viuum appellat ad di-
Cur ait, Dei viui. ſtinctionem falſorum Deorum, quos vario deluſa errore Gentilitas, vel de mortuis ſibi hominibus inſtituit, vel maiore dementia de inſenſibili materia quos adoraret creauit, de qualibus canitur in Pſalmo: Simulacra Gentium ar-
Pſal. 113. gentum, & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, &c. Notet autem dilectio veſtra, quam miranda diſtinctione ſit factum, vt cum de vtraque eiuſdem Domini,
Quid de ſe Chriſtus ait, & quid Petrus de Chriſto. & Saluatoris noſtri natura, ab ipſo Domino, & à fideli eius diſcipulo eſſet proferenda ſententia, Dominus ipſe humilitatem aſſumptæ humanitatis profiteatur, diſcipulis excellentiam diuinæ æternitatis oſtentet. Dominus de ſe quod minus eſt, diſcipulus de Domino intimat maius quod eſt. Dominus de ſe quod factus eſt propter nos, diſcipulus declarat de Do-
Cur ſe Chriſtus hominis filium ſæpius, quam Dei vocet. mino, quia ipſe eſt, qui fecit nos. Sic & in Euangelio Dominus multo crebius ſe filium hominis, quam filium Dei appellare conſueuit, vt nos admoneat diſpenſationis, quam pro nobis ſuſcepit. Sed nos neceſſe eſt tanto humilius diuinitatis eius alta venerari, quanto illum meminimus pro noſtra exaltatione ad humanitatis infima deſcendiſſe. Si enim ſacramenta incarnationis eius, quibus, redempti ſumus, potentiam diuinitatis, qua creati ſumus pia ſemper mente recolimus, fit vt ipſi quoque cum Petro ſupernæ beatitudinis mercede donemur.

Fulg. Fulg. lib. 3. ad Traſi. cap. 15: Petrus Apoſtolus reuelationis diuinæ firmamento ſubnixus, generalis ſalutis confeſſus eſt ſacramentum. Tu es, inquit, Chriſtus filius Dei viui. Quid eſt hoc? Quantum ad ignaros, congruit interrogationi reſponſio. Petrus enim de filio hominis interrogatur; & ipſe Dei filium confitetur. Nunquid interrogantem Ieſum minus audiuit; aut ipſe veritatem in confeſſione non tenuit? abſit. Vnus, idemque Chriſtus, Dei & hominis eſt filius.
Quomodo error hominis, ore laudari potuit veritatis? Sed quod vere Chriſtus fuit, hoc interrogans dixit. Et quod vere Chriſtus fuit, hoc ex ore Petri confitentis audiuit. Filius enim hominis Chriſtus, Dei viui filius fuit. Nec immerito diuina voce promeruit beatitudinem, qui propria voce, fidei protulit veritatem. Etiam ipſe Chriſtus Dei ſe vtique iam confeſſus eſt filium, cum à patre ſuo, qui eſt in cœlis, Petro aſſeruit reuelatum. Nec hoc tamen otioſe prætereundum exiſtimo, quod Chriſto primum ſe filium hominis nuncupanti, Petrus dicit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Etenim Dei filius, Cur ſe Chriſtus vocet filiū hominis, & Petrus Dei filiū.
carnis humilitate ſuſcepta, debuit in ſe ſacramentum magnæ pietatis oſtendere: homo vero redemptus, debuit in hominis filio, veram diuinæ natiuitatis ſubſtantiam prædicare. Vt dum à Redemptore, beneficium gratuitæ miſerationis oſtenditur, à redempto, diuinæ confeſſionis obſequium redderetur. Et nemo verum Deum de natura patris ambigeret, quem ex hominis natura verum hominem cognouiſſet.

Leo ſerm. 2. in natali Apoſtol. Petri, & Pauli: Leo
Hoc enim obtinuit, dilectiſſimi, illa confeſſio, quæ à Deo patre inſpirata. Apoſtolico cordi, omnium humanarum opinionum incerta tranſcendit, & firmitatem petræ, quæ nullis impulſionibus quateretur, accepit. Euangelica ſiqui- ver. 13.
dem referente hiſtoria, omnes Apoſtolos Dominus, quid de ſe homines opinentur, interro- ver. 15.
gat. Et tam diu ſermo reſpondentium communis eſt, quamdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At vbi quid habeat diſcipu- Petrus in Domini cōfeſſione, & Apoſtolica dignitate primus.
lorum ſenſus, exigitur, ille primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolica dignitate. Ideo beatus es, quia pater meus te docuit, nec opinio te terrena fefellit, ſed inſpiratio cæleſtis inſtruxit: & non caro, & ſanguis, ver. 17
ſed ille me tibi, cuius ſum vnigenitus, indicauit. Et ego, inquit, dico tibi, hoc eſt, ſicut pater meus tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ita ego notam tibi facio excellentiam tuam. Petri excellentiam Chriſtus notam facit.
Quia tu es Petrus, id eſt, cum ego ſim inuiolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, tamen tu quoque petra es, quia Cur Petrus ſit petra.
mea virtute ſolidaris; vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, & Eccleſiæ meæ cœlo inſerenda ſublimitas, in huius fidei firmitate conſurget. Hanc confeſſionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. Vox enim iſta, vox vitæ eſt, & ſicut confeſſores ſuos in cœleſtia prouehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur beato Pe- ver. 18. 19.
tro Apoſtolo, tibi dabo claues regni cœlorum, &c. Tranſiuit quidem in Apoſtolos alios vis iſtius poteſtatis; ſed non fruſtra vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ſingulariter hoc creditur; quia cunctis Eccleſiæ rectoribus, Petri forma proponitur. Manet ergo

Petri priuilegium.

ergo Petri priuilegium, vbicunque ex ipſius fertur æquitate iudicium: nec nimia eſt vel ſeueritas, vel remiſſio, vbi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod Petrus aut ligauerit, aut ſoluerit. Plane idem habet ſer. 3. in anniuerſario die aſſumptionis ſuæ.

Leo.

Cur merito Petrus à Chriſto laudetur.

Et ſer. 11. de Paſſione Domini: Merito beatus Petrus Apoſtolus in huius vnitatis confeſſione laudatus eſt: qui cum Dominus quid de ipſo intelligerent diſcipuli, ſcrutaretur, omnium celerrime ora præueniens: Tu es, inquit, Chriſtus filius Dei viui. Quod vtique non reuelante vidit carne nec ſanguine, quorum obiectu interiores oculi poterant impediri: ſed ipſo ſpiritu patris in corde operante credentis, vt ad regimen totius Eccleſiæ præparatus, primum diſceret, quod doceret, & pro ſoliditate fidei, quam erat prædicaturus, audiret: Tu es Petrus, &c.

Leo.

Et hom. de Transfiguratione Domini: Interrogauerat diſcipulos ſuos Dominus, inter diuerſas aliorum opiniones, &c. vt lect. 2. ſabb. quat. temp. Quadr.

Leo.

Et epiſt. 10. cap. 5: Cum autem ipſe Dominus noſter, atque Saluator fidem diſcipulorum ſuorum ſuis interrogationibus erudiret. Quem (inquit) dicunt homines eſſe filium hominis? Cumque illi diuerſas aliorum opiniones retexuiſſent, vos autem (ait) quem me eſſe dicitis? Me vtique qui ſum filius hominis, & quem in forma ſerui, atque in veritate carnis aſpicitis, quem me eſſe dicitis? Vbi B. Petrus, diuinitus inſpiratus, & confeſſione ſua omnibus gentibus profuturus: Tu es (inquit) Chriſtus filius Dei viui. Nec immerito beatus eſt pronunciatus à Domino, & à principali petra ſoliditatem & virtutis traxit, & nominis, qui per reuelationem patris, eundem & filium Dei eſt confeſſus, & Chriſtum quia vnum horum ſine alio receptum, non proderat ad ſalutem; ſed æqualis erat periculi, Dominum Ieſum Chriſtum aut Deum tantummodo ſine homine, aut ſine Deo ſolum hominem credidiſſe.

Credendũ eſt Chriſtum eſſe Deum, & hominem.

Leo.

Et epiſt. 15. cap. 1: Dicente Domino: Quem me eſſe dicunt homines filium hominis? varias quidem diuerſorum opiniones diſcipuli memorarunt; ſed cum ab ijs, quid ipſi crederent, quæreretur, princeps Apoſtolorum plenitudinem fidei breui ſermone complexus: Tu es (inquit) Chriſtus filius Dei viui, hoc eſt, tu, qui es vere filius hominis, idem vere es filius Dei viui. Tu, inquam, verus in deitate, verus in carne, & ſalua geminæ proprietate naturę vtrinque vnus. Quod ſi Eutyches intelligenter, ac viuaciter crederet, nequaquam ab huius fidei tramite deuiaret. Propter quam ei reſpondetur à Domino: Beatus es Simon Bar-Iona, &c.

Petrus princeps Apoſtolorum.

Leo.

Et epiſt. 97. cap. 3: Sancti Hilarij Pictauienſis Epiſcopi, & Confeſſoris, in libro ſecundò inter cætera: Vnum igitur, hoc eſt, immobile fundamentum, vna hæc fælix fidei petra, petri ore confeſſa: Tu es (inquit) Chriſtus filius Dei viui, tanta in ſe argumenta ſuſtinens veritatis, quantæ peruerſiatum quæſtiones, & infidelitatis calumniæ mouebuntur.

Not 6. ver. 7.

Vict.

Vict. Antioch. Mar. 8: Et quidem Petri, qui orthodoxè de illo ſenſerat, confeſſionem probat: aliorum vero Apoſtolorum fidem ex proprio eiuſdem Petri teſtimonio confirmat: Ad cæteros autem quod attinet, omnes quidem per admirabilia opera, quæ faciebat, in ſtuporem, & admirationem rapit; at non omnes ad fidem quoque per hæc adducit. Sane, quæ in omnium oculos incurrebant, ea, vt hominem eſſe arbitrarentur, compellebant; verum illuſtria illius opera, vt Ioannem, aut Hieremiam, aut vnum è prophetis ex mortuis reſurrexiſſe opinarentur efficiebant.

Omnes quidem opera & doctrinam Chriſti mirantur, ſed non omnes credunt.

Cyr.

Cyril. Alex. lib. 4. dialogorum: Tam veræ de illo ſententiæ remunerationem, non multo poſt reportauit, Chriſto dicente: Beatus es Simon. &c. Petri autẽ fides ſic in filium non inconſiderate fiebat, & tumultuarie, nec ex humanis mentibus ſcaturiebat; ſed ex ineffabili eruditione ſuperna, Deo, ac patre manifeſte ſuum filium indicante; & immittente in animas ſinceras, certam de illo manifeſtationem. Minime enim mentiebatur Chriſtus, dicens: Caro, & ſanguis non reuelauit, &c. Iam ſi beatus Petrus tam nobiles honores aſſecutus eſt, filium Dei viuentis illum confeſſus; quomodo non ter miſeri, & abiecti, qui id etiam, quod Deo, ac patri bene habere, & verum eſſe videtur, tanta, temeritate contumela afficiunt, quique ſubſtantiæ illius fructum ad facturam detrahunt? &c. Idem habet lib. 12. theſau. cap. 14.

Theoph.

Cur Marcus nonnulla hic omiſerit.

Theoph. Mar. 8: Quid autem ad confeſſionem Petri dixerit Dominus, & quomodo beatificarit illum, Marcus quidem prætermiſit, ne videretur ad gratiam Petri præceptoris ſui hæc dixiſſe: Matthæus autem non omiſit.

Theoph.

Cur Petrus beatus.

Petri ſententiam probans alias reprobat.

Bar-Iona.

Qualis Dei filius ſit Chriſtus.

Reuelatio quid ſit.

Et Matt. 16: Beatum dicit Petrum, quia à diuina gratia ſcientiam acceperat: approbans autem Petrum, oſtendit conſequenter aliorum hominum opiniones falſas. Dixit autem illum Bar-Iona, hoc eſt, filium Iona: quaſi ita diceret, ſicut tu Ionæ filius, ita ego patris mei cæleſtis, conſubſtantialis illi exiſtens, ſum. Reuelationem autem ſcientiam dicit, quia abſcondita, & ignota ei à patre erant reuelata.

Euth.

Euth. Matth. 16: Atqui prius etiam diſcipuli ſedata tempeſtate filium Dei eſſe confeſſi ſunt, dicentes: Vere Dei filius es, nec tamen beati prædicati ſunt. Et alij quidam Deum eſſe crediderunt; ſed nullum illorum beatificauit. Quid ergo dicendum eſt? Quod omnes, qui ipſum eſſe Dei filium confeſſi ſunt, aut Deum eſſe crediderunt, non natura, & proprie hæc illum eſſe opinabantur, ſed adoptione, & ſecundum excellentiam virtutis, veluti etiam omnes ſanctos; Dei filios eſſe dicunt. Solus autem Petrus vere Chriſtum, & natura & proprie filium Dei hunc eſſe intellexit. Ideo quoque volens Chriſtus diſcipulis demonſtrare, quod ſolus hic recte cognouerit, & ſine errore confeſſus ſit, ipſum beatificat, tanquam aſſecutum diuinam de ſe reuelationem.

Qualẽ Dei filium eſſe Chriſtum Petrus intellexerit.

Cur Petrũ Chriſtus beatificet.

Quid ſit caro & ſanguis. *Bar-Iona.*

lationem. Caro enim, inquit, & ſanguis, hoc eſt, homo, non iuirinuit te ad ſacram hanc de me confeſſionem, ſed pater meus, tanquam huiuſmodi confeſſione dignum. Quod autem dicitur Bar, Hebraica dictio eſt, ſignificans filium: erat ſiquidem filius cuiuſdam Iona.

Hilar. Petri confeſſionis præmium. Domini carnem & ſanguinem videtur intelligere. Petrus deitatē Chriſti primus cognoſcit. Eccleſiæ fundamentū Petrus. Cœli ianitor.

Hilar. can. 16. in Matth: Et dignum plane confeſſio Petri præmium conſecuta eſt; quia Dei filium in homine vidiſſet. Beatus hic eſt, vt vltra humanos oculos intendiſſe, & vidiſſe laudatus eſt, non id quod ex carne, & ſanguine erat, contuens; ſed Dei filium, cæleſtis patris reuelatione, conſpiciens; dignuſque iudicatus, qui, quod in Chriſto Dei eſſet, primus cognoſceret. O in nuncupatione noui nominis fælix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cæli Ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata autoritas ſit in cælo, vt quæ in terris aut ligata ſunt, aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant & in cælo.

Hilar. Petrus Eccleſiæ fundamentū.

Et lib. 6. de Trin: Poſt ſacramenti confeſſionem beatus Simon ædiſicationi Eccleſiæ ſubiacens, & claues regni cœleſtis accipiens, &c.

Amb. ver. 3.4. Solius Petri confeſſio laudatur. Petri, & Arrianorū confeſſio diuerſa. Tu es. Chriſti æternitas Filius Dei.

Ambroſ. lib. de incarnat. Dom. ſacramenta cap. 4: Cum interrogaſſet, quem me dicunt eſſe homines, cum alij dicerent Heliam, alij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis: nullius ſententiam prædicauit. Cum Petrus dixiſſet: Tu es filius Dei viui; hunc ſolum non immerito laudauit. Ergo Ioannes dicit, Petrus dicit, Chriſtus probauit, & tu non probas Arriane? Nec Ioanni & Petro putas eſſe credendum, quos vel ſolos pro teſtimonio gloriæ ſuæ, Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad omnium fidem credidit abundare? Petrus dicit: Tu es; non dicit, tu eſſe cæpiſti. Petrus dicit: Tu es filius Dei; non dicit: Tu es creatura. Dixit hoc Ioannes. Si adhuc non credidiſti, quia non intellexiſti myſterium ſupra ſapientiam recumbentis, repetiuit Petrus. Commendauit vtrumque Chriſtus, alterum iudicio, alterum myſterio: id enim addidit, vt legeres quod in Chriſti pectore recumbebat, & intelligeres quod eius caput, in quo principale omnium ſenſuum eſt, arcano quodam ſapientiæ replebatur. Sed ſi non putas intelligendum eſſe myſterium; ſaltem noli impugnare iudicium. Laudatur Petrus, quia Dei filium credidit, quem videbat; quia ſe ab imperitæ plebis rudibus adhuc opinionibus ſeparabat. Denique cum interrogaſſet Dominus, quid homines de filio hominis æſtimarent, cum diceretur vulgi ſententia, Petrus tacebat. Taces ergo Simon, & reſpondentibus alijs adhuc taces, cum ipſe ſis primus, qui etiam non interrogatus interrogas, nec times, ne reprehendaris à Domino, quia non reſpondes interroganti? Ideo, inquit, non reſpondeo, quia non interrogor meam, ſed alienam ſententiam. Legi enim: Vt non loquatur os meum opera hominum. Opus autem eſt perfidorum, perfidias prædicare. Ergo taceo adhuc, quia nondum id quod ſentio interrogor, non proferam labijs quod animus non probauit. Erit tempus quando reſpondeam, interrogabor & ipſe quid ſentiam, tunc demum reſpondebo quod meum eſt. Meum eſt enim fidem loqui, pietatem aſſerere, gratiam prædicare. Non igitur quaſi pigrior ſenſu, voce tardior tacet, nec quaſi faſtidioſus differt vocis obſequium, ſed quaſi cautus periculum vulgaris opinionis euitat, qui periculum non euitabat ſalutis. Denique in poſterioribus habes, quia exiliuit è naui, vt occurreret Domino, non gloriæ cupidus, ſed obedientiæ præmaturus. Hic ergo qui ante reticebat, vt doceret nos, quod impiorum nec verbum debeamus iterare: hic, inquam, vbi audiuit; vos autem quid me dicitis? ſtatim loci non immemor ſui, primatum egit. Primatum confeſſionis vtique, non honoris: primatum fidei, non ordinis, hoc eſt dicere: Nunc nemo me vincat, nunc meæ partes ſunt, debeo compenſare quod tacui, debet prodeſſe quod ſilui. Lingua mea non habet ſpinas, ſine impedimento fides debet exire; dum alij cænum, alienæ licet, prolatæ tamen impietatis euacuant, quia aut Heliam, aut Hieremiam, aut vnum ex prophetis, Chriſtum eſſe dixerunt, habuit iſta vox cænum, habuit iſta vox ſpinas: dum alij in hoc lauant cænum, dum in alijs enodantur ſpinæ, vox noſtra filium Dei Chriſtum reſultet: mihi eſt ſermo, cui nullas ſpinas expreſſa reliquit impietas. Hic eſt ergo Petrus, qui reſpondit præ cæteris Apoſtolis, imo pro cæteris, & ideo fundamentum dicitur; quia nouit non ſolum proprium, ſed etiam commune ſeruare. Huic aſtipulatus eſt Chriſtus, reuelauit pater. Nam qui veram generationem loquitur patris, à patre aſſumpſit, ex carne non ſumpſit.

Ioannes vnde ſapientiam hauſit. Cur Petrus laudatur. Interrogāte Chriſto vt Petrus taceat, & loquatur. Petrus eſt primus. Pſal. 16. cap. 21. Quid ex Petri ſilentio diſcamus. Petrus præ, & pro cæteris reſpondet. Petrus cur fundamentum ſit.

Amb. Fides Petri non eius caro eſt fundamentum Eccleſiæ. Omnes hæreſes Petri confeſſio excludit.

Et cap. 5: Fides ergo eſt Eccleſiæ fundamentum, non enim de carne Petri, ſed de fide dictum eſt, quia portæ mortis ei non præualebunt, ſed confeſſio vincit infernum. Et hæc confeſſio non vnam hæreſim excludit. Nam cum Eccleſia multis, tanquam bona nauis, fluctibus ſæpe tundatur, aduerſus omnes hæreſes debet valere Eccleſiæ fundamentum. Dies me citius defecerit quam nomina hæreticorum diuerſarumque ſectarum. Aduerſum omnes tamen generalis iſta eſt fides, quia Chriſtus eſt Dei filius, & ſempiternus ex patre, & natus ex virgine.

Hier. De Chriſti carne, & ſanguine hic locus intelligitur.

Apud Hieron. de vera circunciſione: Cuius caro, & ſanguis? nunquidnam Petri ipſius caro, & ſanguis obſtabant, quin filius Dei diceretur? Nō, inquam, ſed ipſius Domini caro, & ſanguis, in quibus dum homo cernitur, quod erat Dei filius; nam credebatur eſſe quod erat. Impoſſibile enim hominibus videbatur Deum credere, cum hominem viderent, & tantam illam maieſtatem, in qua inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, quam ipſe non capit mundus, in corpuſculo deſpectæ etiam imaginis incluſam. Ait ergo: Non hæc caro mea tibi, & ſanguis, me eſſe Dei filium, prodiderunt. Nam iſta non patiuntur me hoc credi,

Not. 7. verſ. 5. 6. 7.

Hier. Hier. Matth.16: Prudens Lector attende, &c.lect. 8. & 9. die 29. Iunij. & addit: Alij ſimpliciter accipiunt, quod Simon, id eſt, Petrus, ſit filius Ioannis, iuxta alterius loci interrogationem: Simon Ioannis diligis me? Qui reſpondit: Domine tu ſcis. Et volunt ſcriptorum vitio deprauatum; vt pro Bariohanna, hoc eſt, filius Ioannis: Bariona ſcriptum ſit, vna detracta ſyllaba. Iohanna autem interpretatur Domini gratia: vtrunque autem nomen myſticè intelligi poteſt, quod & columba Spiritum ſanctum, & gratia Dei, donum ſignificet ſpirituale. Illud quoque quod ait: Quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, Apoſtolicæ narrationi comparatur, in qua ait: continuo non aquieui carni, & ſanguini: carnem ibi & ſanguinem, Iudæos ſignificans: vt hic quoque ſub alio ſenſu demonſtretur: quod ei, non per doctrinam Phariſæorum, ſed per Dei gratiam, Chriſtus Dei filius reuelatus ſit.

(cap. 197)

Bed. Bed. in hom: Conſtat ergo, quia poſt veram Chriſti confeſſionem, vera beatitudinis præmia reſtant. Sed intueamur attentè, quale quantumue ſit nomen illud, quo perfectum ſui nominis confeſſorem glorificat: vt huius etiam nos, veraciter eum confitendo, mereamur eſſe conſortes. Beatus es, inquit, Simon Bar-Iona. Bar-Iona Syriacè, Latinè dicitur filius columbę. Filius autem columbæ rectè vocatur Apoſtolus Petrus, quia videlicet columba multum ſimplex eſt animal: & ipſe prudenti, ac pia ſimplicitate Dominum ſequebatur, memor illius præcepti, quod cum ſuis condiſcipulis ab eodem magiſtro ſimplicitatis, ac veritatis accepit: Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes; & ſimplices ſicut columbæ. Vel certe quia Spiritus ſanctus ſuper Dominum in columbæ ſpecie deſcendit, rectè filius columbæ nuncupatur, qui ſpiritali gratia plenus extitiſſe monſtratur. Et iuſta laude dilectorem, confeſſoremque ſuum Dominus remunerat, cum eum ſancti Spiritus filium eſſe teſtatur, à quo ipſe filius Dei viui aſſeueratur: quamuis hoc ipſum multum diſſimiliter fieri, nullus fidelium dubitat. Dominus enim Chriſtus filius Dei per naturam; Petrus, ſicut & cæteri electi, filius eſt ſancti Spiritus per gratiam. Chriſtus filius Dei viui, quia de ipſo na-
2 tus eſt: Petrus filius Spiritus ſancti; quia de ipſo
3 renatus eſt. Chriſtus filius Dei ante tempora, ipſe eſt enim Dei virtus, & Dei ſapientia, quæ dicit: Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio. Petrus filius Spiritus ſancti ex eo tempore, quo, ab ipſo illuminatus, gratiam diuinæ cognitionis accepit. Et quia vna voluntas, eadem eſt operatio ſanctę Trinitatis, rectè cum dixiſſet: Beatus es Simon Bar-Iona, id eſt, filius gratiæ ſpiritalis, protinus adiunxit: quia caro, & ſanguis, &c. Pater quippe filio columbę reuelauit, quia vna eſt gratia Patris, & Spiritus ſancti, eadem quoque & Filij, quod facillimis ſacrę ſcripturæ probabitur exemplis. Dicit namque de patre Apoſtolus: Miſit Deus Spiritum filij ſui in corda noſtra. Dicit ipſe filius de Spiritu ſancto: Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre. Dicit de Spiritu ſancto Apoſtolus: Hęc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus diuidens ſingulis pro vt vult. Pater ergo mittit ſpiritum, filius mittit ſpiritum, ſpiritus ipſe vbi vult ſpirat, quia profectò vt diximus, vna eſt voluntas, & operatio Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et propterea conuenienter dicitur, quia Pater, qui in cęlis eſt, reuelauerit Filio columbę myſterium fidei, quod ei caro, & ſanguis reuelare nequibat. Caro autem, & ſanguis rectè intelliguntur homines ſapientia carnis inflati, columbinæ ſimplicitatis neſcij, ideoque à ſapientia ſpiritus omnimodis auerſi. De quibus ſupra dictum eſt, quia Chriſtum non intelligẽtes, alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Heliam, alij vero Hieremiam, aut vnum ex prophetis eſſe dicerent. De qualibus dicit Apoſtolus: Carnalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei.

(Bar-Iona. Idē habet Bed. Matt. 16. — cap. 68 — cap. 17. — Aliter Chriſtus, quam Petrus, eſt Dei filius. — 1 — Prou. 8. — Gal. 4 — cap. 17 — 1 Cor. 12. — Caro, & ſanguis quid ſit. Idē habet Bed. Matt. 16. — 1 Cor. 2.)

Not. 8. verſ. 8. & ſeq.

Leo. Leo ſer. 2. in anniuerſ. die Aſſumpt: Soliditas enim illius fidei, quæ in Apoſtolorum principe eſt, laudata, perpetua eſt: & ſicut permanet, quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit. Manet ergo diſpoſitio veritatis: & beatus Petrus, in accepta fortitudine petræ perſeuerans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris eſt ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cælorum ianitor conſtituitur, dum ligandorum, ſoluendorumque arbiter, manſura etiam in cælis iudiciorum ſuorum definitione, præficitur: qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas, per ipſa appellationum eius myſteria noſceremus. Qui nunc plenius, & potentius ea, quæ ſibi commiſſa ſunt, peragit: & omnes partes officiorum, atque curarum in ipſo, & cum ipſo, per quem eſt glorificatus, exequitur. Si quid itaque à nobis rectè agitur, rectèque diſcernitur: ſi quid à miſericordia Dei quotidianis ſupplicationibus obtinetur: illius eſt operum, atque meritorum, cuius, in ſede ſua, viuit poteſtas, excellit autoritas. Hoc enim obtinuit, dilectiſſimi, illa confeſſio, quæ à Deo patre Apoſtolico inſpirata cordi, omnia humanarum opinionum incerta tranſcendit: & firmitatem petræ, quæ nullis impulſionibus quateretur, accepit. In vniuerſa namque Eccleſia, tu es Chriſtus Filius Dei viui, quotidie Petrus dicit: Et omnis lingua, quæ Dominum confitetur, magiſterio huius vocis imbuitur. Hæc fides diabolum vincit, & captiuorum eius vincula diſſoluit. Hæc erutos mundo, inſerit cælo, & portæ inferi aduerſus eam præualere non poſſunt. Tanta enim diuinitus ſoliditate munita eſt: vt eam nec hæretica vnquam corrumpere prauitas, nec pagana potuerit ſuperare perfidia. Et ep. 89. cap. 1: Leo.

(Petri confeſſio & dignitas permanet. — Petrus eſt petra, fundamentū, regni cælorum ianitor.)

Hunc

Hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, vt æterni templi ædificatio, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri ſoliditate conſiſteret, hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ contra illam inferi præualerent. Verum hanc petræ iſtius ſacratiſſimam firmitatem, Deo (vt diximus) ædificante, conſtructam, nimis impia vult præſumptione violare, quiſquis eius poteſtatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus ſuis, & id, quod accepit à veteribus, non ſequendo.

Petrus Eccleſiæ fundamentū.

Epiphan. hæreſ. 59: Sanctus ille Petrus, ac ſummus Apoſtolorum, qui vere nobis factus eſt firma petra fundans fidem Domini, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia per omnes modos, primum quidem, quia confeſſus eſt Chriſtum filium Dei viuentis, & audiuit, ſuper hanc petram firmæ fidei ædificabo Eccleſiam, quandoquidem manifeſtè confeſſus eſt ipſum filium Dei verum. Nam quod dixit filium Dei viuentis, oſtendit filium genuinum eſſe, cum appoſitione viuentis. Et paulo poſt initium libri anchoratus: Quemadmodum teſtatur Princeps Apoſtolorum, qui dignus factus eſt beatus prædicari à Domino, quod patet ipſi reuelaſſet. Si itaque pater reuelat ipſi filium verum, & beatus prædicatur, idem etiam rurſus reuelat ſanctum ſuum ſpiritum. Ipſe autem Dominus conſtituit eum primum Apoſtolorum, petram firmam ſuper quam Eccleſia Dei ędificata eſt, & portæ inferorum non valebunt aduerſus illam. Portæ autem inferorum ſunt hæreſes, & hæreſiarchæ. Iuxta omnem enim modum in ipſo firmata eſt fides, qui accepit clauem cælorum, & ſoluit in terra, & ligat in cælo. In hoc enim omnes quæſtiones, ac ſubtilitates fidei inueniuntur.

Epiph. Petrus ſūmus Apoſtolorum Petrus firma petra fundans fidem. Eccleſiæ fundamentum. Cur ait, Dei viui. Epiph. Princeps Apoſtolorum Cur Petrus dicitur beatus. Primus Apoſtolorū. Petra firma. Super quā Dei eccleſia eſt ædificata.

Hieron. Matt. 16: Quid eſt quod ait: Et ego dico tibi? Quia tu mihi dixiſti: Tu es Chriſtus filius Dei viui, & ego dico tibi, non ſermone craſſo, & nullum habente opus, ſed dico tibi: quia meum dixiſſe, feciſſe eſt. Sicut ipſe lumen, Apoſtolis donauit, vt lumen mundi appellarentur: cęteraque ex Domino ſortiti ſunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat in Petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen. Ac ſecundum metaphoram petrę, recte dicitur ei: ædificabo Eccleſiam meam ſuper te. Et lib. 1. aduerſus Iouinian: Super Petrum fundatur Eccleſia. Inter duodecim vnus eligitur; vt, capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. Et epiſt. 54. ad Marcellam aduer. Montanum: Apoſtolus Petrus, ſuper quem Dominus fundauit Eccleſiam, &c. Et epiſt. 140. ad principiam: Super petram Chriſtum ſtabili radice fundata eſt Catholica Eccleſia.

Hier. Chriſtus dicendo facit. Eccleſia ſuper Petrum ædificata. Hier. Petrus Eccleſiæ fundamentū. Hier. Hier. Chriſtus Eccleſiæ fundamētum.

Bed. in hom: Petrus, qui Simon antea dicebatur, ob fortitudinem fidei, & confeſſionis ſuæ conſtantiam, à Domino Petri nomen accepit: quia videlicet illi firma, ac tenaci mente adhæſit, de quo ſcriptum eſt: Petra autem erat Chriſtus. Et ſuper hanc petram, id eſt, ſuper Dominum Saluatorem, qui fideli ſuo cognitori, amatori, confeſſori participium ſui nominis donauit, vt videlicet à petra Petrus vocaretur: ſupra quam ædificatur Eccleſia, quia non niſi per fidem, & dilectionem Chriſti, per ſuſceptionem ſacramentorum Chriſti, per obſeruantiam mandatorum Chriſti, ad ſortem electorum; & æternam pertingitur vitam, Apoſtolo atteſtante, qui ait: Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.

Bed. Petrus cur ita dictus ſit. 1 Cor. 10. Fundamētū eccleſiæ Chriſtus. 1 Cor. 3.

Pauli. ep. 16. ad Delphinum: Niſi ſupra petram, quæ eſt Chriſtus, fundetur hæc domus, non poterit ventis ſpiritalium nequitiarum, & torrentibus ſecularium tentationum reſiſtere.

Paul.

Theoph. Matt. 16: Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quod ſupra eum ædificauit Eccleſiam. Quia enim confeſſus erat eum Dei filium Petrus, dixit quod hæc confeſſio, quam confeſſus eſt, fundamentum ſit futurum credentium: ita vt omnis homo extructurus fidei domum, hoc iacturus ſit fundamentum. Nam licet innumeras condamus virtutes, non habeamus autem fundamentum rectam confeſſionem, inutiliter ædificamus. Cum autem dixit, Eccleſiam meam, oſtendit ſe Dominum vniuerſi: Deo enim ſeruiunt omnia. Portæ autem inferi, temporales ſunt perſecutores, qui ad infernum mittere conantur Chriſtianos. Et hæretici quoque portæ ſunt ad infernum ducentes. Multis igitur perſequutoribus, & multis hæreticis præualuit Eccleſia. Eſt autem & vnuſquiſque noſtrum Eccleſia, quæ ſit domus Dei. Si igitur in confeſſione Chriſti confirmati fuerimus, portæ inferi, hoc eſt, peccata, non præualebunt nobis. De his enim portis exaltatus Dauid dicebat: Qui exaltat me de portis mortis. Quales portæ, ô Dauid? duę: cædis ſcilicet, & adulterij.

Theoph. ſuper Petrum ædificanda eccleſia. Cur ait, meam Pſal. 118 Portæ inferi, quæ. Perſecutores. Hæretici. Peccata. Pſal. 9.

Euth. Matt. 16: Super hanc firmitatem ædificabo Eccleſiam meam, ſiue, te ponam fundamentum credentium: Eccleſia enim fideles ſunt. Non præualebunt aduerſus eam: non dominabuntur Eccleſię. Portas autem inferorum dicit blaſphemias, quę à gentibus, ac hęreticis proferuntur, vtpote ad æternum introducentes cruciatum: vel ſupplicia ab illis inflicta, quaſi ad mortem carnis inducentia.

Eut. Petrus eſt fundamētum eccleſiæ. Portæ inferi, quæ. Blaſphemiæ.

Cyrill. lib. 4. Dialogorum: Petram opinor per agnominationem, aliud nihil, quam inconcuſſam, & firmiſſimam diſcipuli fidem vocauit; in qua Eccleſia Chriſti ita fundata, & firmata eſſet, vt non laberetur, & eſſet inexpugnabilis inferorum portis, in perpetuum manens.

Cyr.

Greg. in Pſal. 5. pęnitentialem: In hoc initio fundata eſt terra, quia in ipſo fundata eſt Eccleſia. Hinc namque Apoſtolus dicit: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Hinc ipſe Dei, & hominum mediator, ad Apoſtolorum principem ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Ipſe eſt enim petra,

Greg. 1 Cor. 3. Chriſtus eſt fundamentum eccleſiæ. Princeps Apoſtolorum.

petra, à qua Petrus nomen accepit, & ſuper quam ſe ædificaturum Eccleſiam dixit.

Amb. Ambroſ. in caput ſecundum epiſt. ad Epheſ: Super iſtam petram ædificabo Eccleſiã meam, hoc eſt, in hac Catholicæ fidei confeſſione ſtatuo fideles ad vitam.

Chryſoſt. Fides in Chriſtum eſt petra. Chryſoſt. hom. in Pſalm. 39: Fides enim in Chriſtum, petra, quæ frangi non poteſt, iure dicitur. Et ideo cum Petrus eam expoſuiſſet, & dixiſſet: Tu es Chriſtus filius Dei viui; ipſe ſubiunxit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. Et hom. 2. in Pſal. 50: Audi denique quid Petro dixerit Chriſtus columnæ, & fundamento fidei, qui ob robur confeſſionis vocatus eſt Petrus, dicente Domino: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et hom. 19. ex varijs in Matth. locis, dicit vniuerſalem Eccleſiam in Petro eſſe fundatam; vt videre licet not. 32. cap. 92. hom. 3. in Matth: Petrus factus eſt Eccleſiæ fundamentum.

Chryſoſt. Petrus eſt columna, & fundamentum fidei. Cur Petrus ita dictus ſit.

Not. 9. verſ. 9.

Iſidor. Portæ inferi. ISID. Peluſ. lib. 1. epiſt. 238: Per inferi portas diuinus ſermo impiorum hominum cœtus, atque hæreſum blaſphemias intelligit: quibus omnibus obſiſtens Dei Eccleſia, eas quidem frangit, & expugnat; ab ijs autem vinci non poteſt.

Chryſoſ. Chryſoſt. oratione ſecunda aduerſus Iudæos: Prædixit Petro: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Proinde dic age Iudæe, quid habes, quod reprehendas, aut redarguas ex ijs, quæ dicta ſunt? quid habes quod doceas hanc prædictionem eſſe mendacem? An non teſtimonium cum rebus conſentit, etiamſi mille modis ipſe contendas in aduerſum? Quot enim bella aduerſus Eccleſiam concitata ſunt, quot exercitus inſtructi, quot arma mota, quod non afflictionum, & vindictę genus excogitatum, ſartagines, catapulta, lebetes, fornaces, lacus, & præcipitia, beſtiarum dentes, maria, & proſcriptiones, aliaque innumera tormentorum genera, neque dictis memoranda, neque factis toleranda? Atque hæc non tantum ab extraneis, verum etiam à noſtris domeſticis. Nam ciuile quoddam bellum occuparat omnia, vel quouis potius ciuili bello pernicioſius. Neque enim ciues modo cum ciuibus, verum etiam cognati cum cognatis, domeſtici cum domeſticis, amici cum amicis conflictabantur: Nihil tamen horum diſſoluit Eccleſiam, ac ne inferiorem quidem reddidit. Atque id ſane mirum & incredibile, quod hæc in ipſis ſtatim primordijs mota ſunt. Nam ſi tum irruiſſent hæc acerba, poſteaquam iam radices egerat, & per omnes mundi partes plantatum eſſet Euangelium, haud perinde fuiſſet admirandum, non fuiſſe ſubuerſam Eccleſiam. Cæterum cum in ipſo doctrinę exordio nuper iacto fidei ſemine, teneris etiamnum auditorum mentibus, tot procellæ bellorum eruperint, res noſtras non ſolum nulla ex parte fuiſſe diminutas, verum etiam multam acceſſionem adiunctam fuiſſe: hoc nimirum ſuperat omne miraculum, &c.

Vt portæ inferi aduerſus Eccleſiam nõ præualeãt.

Et demonſtratione quod Chriſtus ſit Deus: Duodecim erant diſcipuli ſequentes ipſum, & Eccleſiam referebant, quamuis nullus tunc eam mente conciperet: ſiquidem nec nomen Eccleſiæ erat: ſed florebat ſynagoga. Quid igitur dicit? Orbe ferme toto in impietate detento, prædixit: Super petram hanc ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Examina quid hoc ſibi verbum vult, & videbis perſpicuam eius veritatem. Nam non ſolum hoc mirum eſt, quod ædificauit eam per totum mundum, ſed quia inuictam fecit, & inuictam, licet tot bella inſurgant. Hoc enim eſt, quod portæ inferi non pręualebunt aduerſus eam. Pericula, ait, quæ mortem generant, pericula; quæ ad infernum deducunt. Vidiſti prædictionis veritatem? vidiſti euentus certitudinem, ac robur? vidiſti verba in operibus relucentia, & virtutem abſque armis omnia facile conficientem? ne ideo quia paucis dicitur: Ædificabo Eccleſiam, tranſcurras obiter: ſed conſidera, & cogita tecum, quid ſit in tam breui tempore omnem ſub ſole terram tantis Eccleſijs impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos perſuaderi, vt patrias leges irritent, conſuetudinem ſtabilitam, & radicatam reuellant, altaria, & templa, & ſtatuas, & ſacrificia, & profana feſta, & immundum odorem, ſicut fimum aliquem, aboleant: & excitent altaria vbique gentium in regione Romanorum, Perſarum, Scytharum, Maurorum, Indorum, & vltra orbem noſtrum. Nam & Britannicæ inſulæ extra hoc mare ſitæ, & quæ in ipſo oceano ſunt, virtutem verbi ſenſerunt (ſunt enim etiam illic fundatæ Eccleſiæ, & erecta altaria.) illius, inquam, verbi, quod tunc dictum, quod & in omnium animabus, inque omnium labijs plantatum.

Chryſoſ. Eccleſia eſt inuicta.

Aug. ſer. 15. de Sanctis: Petrum fundamentum Eccleſiæ Dominus nominauit: & ideo dignè fundamentum hoc Eccleſia colit, ſupra quod Eccleſiaſtici ædificij altitudo conſurgit. Et ſer. 16. de Sanctis: Denique pro ſoliditate deuotionis, Eccleſiarum petra dicitur; ſicut ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim dicitur, eo, quod primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius corporis Chriſtiani compagem molemque contineat. Et ſer. 26. de Sanctis: Audiſtis frequenter ipſum Petrum à Domino petram nuncupatum, ſicut ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Si ergo Petrus petra eſt, ſupra quam ædificatur Eccleſia, &c. Optima Apoſtolorum nomina, petra, & vas, neceſſaria ſunt domui Saluatoris. Domus enim petrarum fortitudine conſtruitur, vtilitate vaſis ornatur. Petra ad firmitatem, ne labantur ſuſtentat populos, vas ad cuſtodiam, ne tententur operit Chriſtianos. Ambroſ. ſer. 68. idem habet. Et ſer. 124. de temp: Totius

Aug. Petrus Eccleſiæ fundamentũ. Aug. Cur Petrus ſit eccleſiarum petra? Hæc etiam habet Amb. ſer. 47. & Gratian. diſt. 50. cap. 55. fideliot. Aug. Petrus eſt petra, & fundamẽtum eccleſiæ. Aug.

tius corporis morbum in ipſo capite curat Eccleſiæ; & in ipſo vertice, componit membrorum omnium ſanitatem; in ipſa confeſſionis Chriſti crepidine, in ipſo immobilis fidei fundamento, in Petro ſcilicet illo, qui dixerat: Etiamſi me oporteat mori tecum, non te negabo. *[Caput Eccleſiæ, ac vertex.] [Immobile fidei fundamentū cap. 174 Aug.]*

Et ſerm. 28. de Sanctis: Solus inter Apoſtolos meruit audire: Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis, lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum. *[Fundamentū, & columna, & clauis.]*

Et lib. 2. de baptiſ. contra Donatiſtas cap. 1: Cyprianus in epiſtola ad Quintum ita loquitur: Nam nec Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circumciſione diſceptaret, poſtmodum ſe vindicauit, ſeu aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit. *[Aug. Cypr.] [Petrus Eccleſiæ fundamentū.]*

Et lib. 1. retract. cap. 21: In hoc libro (contra epiſtolam Donati) dixi, in quodam loco, de Apoſtolo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata ſit Eccleſia, qui ſenſus etiam cantatur ore multorum, in verſibus beatiſſimi Ambroſij, vbi de gallo gallinaceo ait: Hoc, ipſa petra Eccleſiæ, canente, culpam diluit. Sed ſcio me poſtea ſæpiſſime ſic expoſuiſſe, quòd à Domino dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, vt ſuper hanc intelligeretur, quem confeſſus eſt Petrus, dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui, ac ſi Petrus ab hac petra appellatus, perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc petram ædificatur, & accepit claues regni cœlorum. Non enim dictum eſt illi: Tu es petra, ſed tu es Petrus, petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon, ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior, eligat lector. *[Aug.] [Fundamentum eccleſiæ.] [Amb.] [Vterque ſenſus probatur.]*

Bed. in hom: Portæ inferi doctrinæ ſunt nequam, quæ ſeducendo, imprudentes ad inferos trahunt. Portæ quoque inferi & tormenta, & blandimenta ſunt perſecutorum, quæ infirmos quoſque deterrendo, vel emolliendo à ſtabilitate fidei, introitum eis æternæ mortis aperiunt. Sed & praua fidelium opera, ineptaque colloquia portæ vtique ſunt inferi, in quantum ſuis vel fautoribus, vel ſequacibus iter perditionis oſtendunt. Nam & fides ſi non habet opera, mortua eſt in ſemetipſa: & corrumpunt bonos mores colloquia mala. Multæ ſunt itaque portæ inferi, ſed harum nulla, Eccleſiæ, quę ſupra petram fundata eſt, præualet: quia qui fidem Chriſti intimo cordis amore perceperit, omne quicquid exterius periculi tentantis ingruit, facillime contemnit. At quicunque credentium fidem vel opere, vel negatione deprauatus prodiderit, non hic ſupra petram, Domino cooperante, domum ſuæ poſſeſſionis ædificaſſe, ſed iuxta alterius loci parabolam, ſuper arenam, ſine fundamento, poſuiſſe credendus eſt, hoc eſt, non ſimplici, ac vera intentione Chriſtum ſequi, ſed terrenam quamlibet, fragilemque ob cauſam, habitum prætendiſſe Chriſtiani. Et Matt. 16: Portas inferi hæreticam prauitatem nominat, ſiue vitia, & peccata: vnde mors ad animam venit. *[Bed.] [Portæ inferi, quæ. Hæreſes, Perſecutores.] [Peccata.] [1 Cor. 15.] [Iac. 2.] [cap. 52] [Bed.]*

Not. 10. verſ. 8. 9.

PETRVS pro omnibus Apoſtolis, ex reuelatione diuina, confeſſus deitatem Chriſti, beatus appellatur: atque rem conſequitur omnino maximam, factus ſuper inuiſibili fundamento Chriſto, & ipſe viſibile fundamentum Eccleſiæ: quod nulla inferorum vis concutere, & conuellere poſſit: &, datis ei clauibus, poteſtas in Dei regnum introducendi, & ab eo excludendi confertur. Quod ſuper petram, id eſt, Petrum Chriſtus ædificarit Eccleſiam, & conſequentia ſermonis oſtendit, & plerique patres interpretantur. Cæterum Petrus eam prærogatiuam non niſi ex fidei confeſſione promeruit. Quo ſenſu, ſuper fidem Petri Eccleſiam eſſe fundatam aliqui dixerunt: non quod illam à Petri perſona ſepararent; ſed ne vno extincto Petro, etiam Chriſti fides, ipſaque Eccleſia corruiſſe, ac interijſſe videretur: cum Dominus Petro, fidem eius nunquam defituram, ſit pollicitus. De hac immobili veritate apud innumeros authores multa leguntur. *[Quid Petro datum.]*

Etiam ex Aug. ſententia verum eſt, ſupra Petrum eſſe fundatam Eccleſiam, vt conſtat ex ſuperioribus: Et ſicubi affirmauit eam ſupra Chriſtum eſſe fundatam, non ſupra Petrum, ipſe ſe explicat, cum Chriſtum primariam petram eſſe vult, & Petrum ſecundariam eſſe minime negat. Ita enim exponit hunc locum; & illico dictum ſuum interpretatur, ſer. 13. de verb. Dom. Quinimo reuocat plane, dum lib. 1. retract. cap. 21. lectori liberum relinquit, vtram malit ſententiam ſequi. Ac interim aduerte, illis verbis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. potius Petrum pronunciari fundamentum Eccleſiæ, quam Chriſtum: quem eſſe primum, & maximum Eccleſiæ fundamentum nullus ambigebat. Hoc conſtat ex verbis Euangelij. Hoc ex ſententia Eccleſiæ, quam Aug. minime diſſimulat, hoc veterum patrum chorus confirmat. Areopag. de paſſione Petri, & Pauli ad Timoth. Clem. epiſt. 1. ad fratrem Dom. Anaclet. epiſt. ad Epiſcopos per Italiam. Pius 1. epiſt. ad vniuerſos Chriſti fideles. Marcellus 1. ad Epiſcopos Antiochenæ Prouinciæ. Eutychianus ad Epiſcopos Bethicę. Cypr. epiſt. 55. & 59. & lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 3. de habitu virginum epiſt. 73. cap. 2. qui omnes Chriſti Martyres fuerunt. Tert. lib. de præſcript. hæreticorum cap. 22. lib. de monoga. lib. de pudici. Baſil. citatus cap. 46. Hilar. not. huius & ſequentis capitis. Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum. Ambr. ante citatus. Hieron. citatus hoc & ſequenti cap. Iſa. 2. Ezech. 41. Hiere. 16. Abd. 1. Amos 7. lib. 1. cont. Iouin. & lib. 1. cont. Pelag. Leo 1. Greg. Proſp. Aquitanicus de vocat. Gentium lib. 2. cap. 28. Paulinus epiſt. 4. ad Seuerum. Maximus ſermone de Petro, & Paulo, qui incipit: Glorioſiſſimus. Iſidor. lib. de patrib. noui teſt. Bern. lib. 2. de conſid. conſe- *[Auguſtinus habet eccleſiam ſupra Petrum eſſe fundatam.] [Petrum eſſe fundamentum eccleſiæ.] [Traditio.]*

ſentiunt Græci quoque, vt Orige. lib. 5. in cap. 5. epiſt. ad Rom. Et hom 5. in Exod. hom. 35. in Matt. & hom. de diuite & paupere. Baſil. conc. de pænitent. & lib. 2. cont. Euno. Chryſ. hom. 55. & in Encomio Petri, & Pauli. Epiph. hæreſ. 30. Cyr. lib. 2. in Io. cap. 12. lib. 4. dialog. de Trinit. Theodoret. in Cant. Theophylact. Euth. Matt. 10. & 16. Alexandrina ſynodus ſub Athanaſio, epiſt. ad Felicem 2. Synodus 8. general. act. 1. vbi Nicolai Pontificis epiſtolam comprobat duabus Romanis ſynodis probatam, recentiores alios prætermittimus.

Greg. — Eccleſia eſt in fide ſtabilis.

Greg. in Pſal. 5. pænitentialem: Sancta Eccleſia, in hoc ſæculo, à Catholica fide nequaquam deficiet, & in futuro, cum Deo æterna ſtabilitate permanebit. Nam quod in hac vita nullis aduerſitatibus frangenda ſit, nullis perſequutionibus ſuperanda; ipſe, ſuper quem ædificata eſt, euidenter oſtendit, cum ait: Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Portæ inferi hæreſes ſunt, quæ dum multos in fide infirmos, fucata verborum calliditate, decipiunt, quaſi infernorum eis aditum pandunt. Sunt etiam portæ inferi, quædam poteſtates huius mundi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iſte, qui hoc tempore Eccleſiam perſequitur, nunquid non omnes portæ inferi? Quis cogitare ſufficiat, quanti promiſſionibus eorum deuorati ſunt? Quanti eorum metu perterriti? Quanti afflictionibus eorum ſuperati? Quos omnes perpetuæ mortis profundum abſorbuit, & ad cruciandum, damnationis æternæ infernus admiſit. Sed Eccleſia, in illius, de qua dictum eſt, petræ ſoliditate fundata, nec minarum ventis concutitur, nec perſecutionum fluminibus mouetur, nec corporalium pœnarum incommodis titubat, nec mortis ipſius timore vacillat. Illi vero, qui inferni aditum ſequacibus ſuis, vtpote portas aperiunt, eam impugnare, & perſequi modis omnibus non deſiſtunt. In quo quid aliud faciunt, niſi quod veritatis verba euacuare contendunt? Non præualebunt aduerſus eam portæ inferi dicit Dominus: & tamen vt ei præualeant conantur.

Eccleſia ſuper ſe ſtabilitam ædificata. Portæ inferi, quæ. Hæreſes. Tyranni perſecutores. Portæ inferi non præualebūt Eccleſiæ.

Aug. — Eccleſia oppugnatur, non expugnatur.

Aug. lib. 1. de ſymbolo cap. 5: Eccleſia ſancta, vna, vera, catholica, contra omnes hæreſes pugnans, pugnare poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa; ipſa autem manet in radice ſua: portæ inferorum non vincent eam.

Hier. — Portæ inferi, quæ. Peccata. Hæreſes.

Hieron. Matth. 16: Ego portas inferi reor vitia, atque peccata, vel certe hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum. Nemo itaque putet de morte dici, quod Apoſtoli conditioni mortis ſubiecti non fuerint, quorum martyria videat coruſcare.

Mors non eſt porta inferi.

Amb. — Petro non præualebunt inferi portæ.

Ambroſ. lib. de bono mortis cap. 12: Et ideo quoniam ibi viuorum regio, hic vtique mortuorum. An non mortuorum hæc regio, vbi vmbra mortis, vbi porta mortis, vbi corpus eſt mortis? Denique, donatur Petro, ne forte portæ inferi præualeant ei. Portæ inferi iſtæ, ſunt terrenæ. Vnde & ille ait: Qui exaltas me de portis mortis. Sicut enim ſunt portæ iuſtitiæ, in quibus ſancti Domino confitentur; ita ſunt criminum portæ, in quibus impij Dominum negauerunt. Et ſerm. 77: Cum ſanctis ergo Martyribus quieſcentes, euadimus inferi tenebras, eorum proprijs meritis, attamen conſocij ſanctitate. Ait enim Dominus Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt ei. Si ergo Apoſtolo, & Martyri Petro, inferni porta non præualet: quiſquis ſociatur martyri, tartaro non tenetur. Martyres enim inferni porta non poſſidet, quoniam eos paradiſi regna ſuſcipiunt. Nam videmus eos vtique iam regnare. Cernimus enim ab ijs frequenter obſeſſos immundiſſimis dæmonibus homines liberari, ita vt cæleſti medicina, & captiua anima de diaboli laqueis eruatur, & ipſe diabolus, vinculis igneis alligatus, producatur de ſua captiuitate captiuus, vt qui prædam paulo ante ceperat, ipſe ſubdatur in prædam.

Portæ terrenæ, mortis. Pſal. 9. Portæ iuſtitiæ. Portæ criminum. Amb. Portæ inferi Petro non præualent.

Amb.

Et in Pſal. 40: Retro erat Petrus, & ſequebatur eum cum à Iudæis, ad Caiphæ domum Synagogæ principis, duceretur. Ipſe eſt Petrus, cui dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Vbi Petrus, ibi Eccleſia: vbi Eccleſia, ibi nulla mors, ſed vita æterna. Et ideo addidit: Et portæ inferi non præualebunt ei: & tibi dabo claues regni cælorum. Beatus Petrus, cui non inferorum porta præualuit, non cæli porta ſe clauſit: ſed è contrario deſtruxit inferni veſtibula, patefecit cæleſtia. In terris itaque poſitus, cælum aperuit, inferos clauſit.

Not. 11. ver. 16.

Hier. — Qui abſoluunt clauibus.

Hier. Matt. 16: Iſtum locum Epiſcopi, & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, vt vel damnent innocentes, vel ſoluere ſe noxios arbitrentur: Cum apud Deum non ſententia ſacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Leuitico de leproſis, vbi iubentur, vt oſtendant ſe ſacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc à ſacerdote immundi fiant: non quo ſacerdotes leproſos faciant, & immundos, ſed quo habeant notitiam leproſi, & non leproſi, vt poſſint diſcernere, qui mundus, quiue immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum ſacerdos mundum, vel immundum facit; ſic & hic alligat, vel ſoluit Epiſcopus, & Presbyter: non eos, qui inſontes ſunt vel noxij; ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierint varietates, ſcit qui ligandus ſit, quiue ſoluendus.

Leuit. 14.

Bed.

Bed. Matt. 16: Quidam non recte intelligentes, arbitrantur ſe poſſe damnare innoxios, & reos abſoluere, quod nequaquam poſſunt.

Greg.

Greg. lib. 4. epiſt. 32. ad Mauricium Imperatorem: Cunctis enim Euangelium ſcientibus, liquet; quod voce Dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo totius

Petrus omnium Apoſtolorum princeps.

 Eccleſiæ

Petro cõmiſſa totius Eccleſiæ cura.

Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur: Petre amas me? paſce oues meas. Ipſi dicitur: Ecce ſatanas expetijt cribrare vos, ſicut triticum; & ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Ipſi dicitur: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Ecce claues regni cæleſtis accipit, poteſtas ei ligandi, & ſoluendi tribuitur. Cura ei totius Eccleſiæ, & principatus committitur. Et lib. 6. epiſt. 37. ad Eulogium epiſc. Alexan: Quis enim neſciat, ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine: vt Petrus à petra vocaretur? Cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claues regni cælorum.

Greg. Petrus Eccleſiæ fundamentum.

Bed. Cur Petrus claues præ aliis accepit. Nullus abſque Petri fide ſaluatur. Claues quid ſint.

Bed. in homil: Qui regem cælorum maiori præ cæteris deuotione confeſſus eſt, merito præ cæteris ipſe collatis clauibus regni cæleſtis donatus eſt, vt conſtaret omnibus, quia abſque ea confeſſione, & fide regnum cælorum nullus poſſet intrare. Claues autem regni cælorum ipſam diſcernendi ſcientiam potentiamque nominat, qua dignos recipere in regnum, indignos ſecludere deberet à regno. Idem habet Matt. 16.

Bed.

Theoph. Dei eſt dicere, dabo.

Theoph. Matth. 16: Tanquam Deus magna poteſtate dicit, dabo tibi. Sicut enim Pater dedit tibi reuelationem, ſic ego claues. Claues autem intelligas, quæ ligant, & ſoluunt, hoc eſt, delictorum vel indulgentias, vel pœnas. Habent enim poteſtatem remittendi, & ligandi, qui ſicut Petrus, Epiſcopatus gratiam aſſecuti ſunt. Quamuis autem Petro ſoli dictum ſit; dabo tibi: omnibus tamen & Apoſtolis conceſſæ ſunt. Quando? cum dixit: Quorumcumque remiſeritis peccata, remittuntur. Etenim cum dixit: Dabo, futurum tempus ſignat, hoc eſt, poſt reſurrectionem.

Claues quid ſint. Non ſoli Petro datæ claues. cap. 195. Quando datæ ſint claues.

Eut. Petri honor. Dei eſt hæc facere. Claues regni cælorũ quid ſint. Non ſoli Petro datæ claues. Petro cur primum dentur claues. Petrus Chriſtum eſſe Dei filiũ primus confeſſus eſt.

Euth. Matth. 16: Alium quoque ponit honorem cum confeſſus eſſet ipſum Dei filium eſſe legitimum, iam ei demonſtrat ſuæ diuinitatis dignitatem, dicens: Ædificabo ſuper te Eccleſiam meam: & dabo tibi claues regni cælorum, videlicet vt ad illud introducas, ſiquidem clauigeri eſt introducere. Atqui donum hoc, cæterorum etiam fuit Apoſtolorum; ſed primum huic datum eſt; quia primus hic filium Dei legitimum eſſe Chriſtum faſſus eſt: ideo quoque poſt Saluatoris in cælum aſſumptionem, præ omnibus longe docuit tempore, multoſque introduxit ad fidem.

Amb. Petro datũ eſt quod ſolius Dei erat.

Ambroſ. in Pſal. 38: Ideo Dominus, quod ante erat iudicij ſui, dedit Apoſtolis, peccata remittendi æquitatem: ne cito ſoluenda, diu ligata manerent. Tibi, inquit, dabo claues regni cælorum: vt & ſoluas, & liges. Hoc Nouatianus non audiuit, ſed Eccleſia Dei audiuit. Ideo ille in lapſu, nos in remiſſione. Ille in pœnitentia, nos in gratia. Quod Petro dicitur, Apoſtolis dicitur. Non poteſtatem vſurpamus, ſed ſeruimus imperio: ne poſtea, cum venerit Dominus, & ligatos inuenerit, quos oportuit ſolui, commoueatur aduerſus diſpenſatorem, qui ligatos ſeruauerit ſeruos, quos Dominus iuſſerat ſolui. Vide auctorem eundem ſerm. 38.

Nouatianus.

Quod Petro, etiam Apoſtolis dictum.

Amb.

Aug.

Aug. tract. 118. in Euang. Ioan: In Apoſtolis cum eſſet etiam ipſe numerus duodenarius, id eſt, quadripartitus in ternos, & omnes eſſent interrogati: ſolus Petrus reſpondit: Tu es Chriſtus filius Dei viui; & ei dicitur: Tibi dabo claues regni cælorum; tanquam ligandi, & ſoluendi ſolus acceperit poteſtatem; cum & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam perſonam gerens ipſius vnitatis, acceperit. Ideo vnus pro omnibus, quia vnitas eſt in omnibus.

In Petro datæ claues omnibus.

Not. 12. ver. 11.

Bed. Claues nõ ſoli Petro datæ ſunt.

Bed. in hom: Soluendi, atque ligandi poteſtas, quamuis ſoli Petro videatur à Domino data, abſque vlla tamen dubietate noſcendum eſt, quia & cæteris Apoſtolis datur, ipſo teſte, qui poſt paſſionis, reſurrectioniſque ſuæ triumphum, apparens eis inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Nec non etiam nunc in Epiſcopis, ac Presbyteris, & omni Eccleſiæ, officium idem committitur, vt videlicet agnitis peccantium cauſis, quoſcunque humiles, ac vere pœnitentes aſpexerit, hos iam à timore perpetuæ mortis miſeratus abſoluat, quos vero in peccatis, quæ egerint, perſiſtere cognouerit, illos perennibus ſupplicijs obligatos inſinuet. Vnde alias Dominus de correpto ſemel, & iterum, ac tertio, ſed non pœnitente fratre præcepit, dicens: Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. Et ne leue quiſquam putaret, Eccleſiæ iudicio condemnari, mox terribiliter adiunxit. Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Omni igitur electorum Eccleſiæ, iuxta modum culparum, vel pœnitentiæ, ligandi, & ſoluendi datur autoritas. Sed ideo beatus Petrus, qui Chriſtum vera fide confeſſus, vero eſt amore ſecutus, ſpecialiter claues regni cælorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit; vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab vnitate fidei, vel ſocietatis illius quolibet modo ſemetipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam poſſint regni cæleſtis ingredi.

Cur Petro ſpecialiter claues datæ ſint.

Schiſmatici non poſſunt ſaluari.

Chryſoſt. In cælo eſt carcer.

Chryſoſt. hom. 36. in Acta Apoſtolorum, ex hoc loco Euangelij, carcerem in cælo eſſe concludit.

Euth. Matth. 16: Etiam & hoc clauigeri proprium eſt, ligare autem, dicit non ignoſcere: ſoluere vero, ignoſcere. Promittit ergo: quod cunque

que

que peccatum non condonaueris ſuper terram, neque in cælo condonabitur à Deo: & quodcumque condonaueris hic, erit & ibi condonatum. Sed & Marcus, & Lucas breuitatis cauſa Petri reſponſionem per compendium dixerunt: Ideo & beatitudinem eius, & plurium honorem tacuerunt: ſimul etiam ſcientes eum abunde honoratum. Matthæus vero diligentiæ gratia hæc omnia conſcripſit, pariter etiam Apoſtolorum principem honorans.

Not.13. ver.12.

Vict. Cur Ieſus taceri ad... voluit, ſe Chriſtum eſſe.

VICT. Antioch. Mar. 8: Matthæus hoc loco ita ſcribit, & præcepit diſcipulis ſuis, vt nemini dicerent, quia ipſe eſſet Chriſtus. Voluit enim opinionem, quam de ipſo habebant, adhuc tectam manere, quo crucis paſſioniſque ſcandalis e medio ſublatis, puram tandem ſynceramque fidem illorum mentibus imprimat.

Theoph.

Theoph. Matth. 16: Volebat Chriſtus ante crucem obſcurari ſuam gloriam. Nam ſi audiuiſſent homines ante paſſionem quod Deus eſſet, & deinde vidiſſent eum pati, quomodo non fuiſſent offenſi? propterea reticuit ſe multis, vt poſt reſurrectionem abſque offendiculo à multis ſciretur, Spiritu ſancto etiam miraculorum operationibus adæquante.

Theoph.

Et Mar. 8: Volebat enim adumbrari gloriam ſuam, ne poſtea multi in ſe ſcandalizarentur, & propterea ob incredulitatem ſuam maiori ſupplicio fierent obnoxij.

Euth.

Euth. Matt. 16: Marcus autem dixit: Et interminatus eſt illis, ne cui de ſe dicerent. Lucas vero, interminatus præcepit eis, ne cui hoc dicerent. Vnde liquet quod hic in Matthæo ſumitur verbum, διεστείλατο, pro præcepit; & apud Marcum, ἐπετίμησεν, hoc eſt, interminatus eſt, pro confirmando præcepit: & ſimiliter eius participium, ἐπιτιμήσας, apud Lucam. Vt nemini dicerent, quod ipſe eſſet Chriſtus, naturalis videlicet Dei filius, ſicut Petrus confeſſus eſt. Neceſſarium ſi quidem erat, vt hoc ab ipſo patre reuelaretur, ab ipſo autem filio ante mortem ſuam confirmaretur, & à ſuis diſcipulis cognoſceretur, vtpote qui popularibus perfectiores erant, & quaſi communes orbis magiſtri: populares verò id nunc ſcire noluit, vſque ad reſurrectionem ſuam à mortuis: ne ſi nunc diſcerent illum natura eſſe Dei filium, & natura Deum: poſtea videntes eum ignominioſe contumeliis affectum & indigna patientem, ac acerbè contemptum, offenderentur: & rurſum ad priorem incredulitatem recurrerent, neque ab ea reuocarentur. Nam ſi diſcipuli etiam, qui popularibus perfectiores erant, offenderunt non ſolum hæc conſpecta, verum etiam de his rebus habiti ſermones: quid non paſſæ fuiſſent imperfectæ turbæ, dum hæc conſpexiſſent, maxime ignorantes paſſionis myſterium, quod ipſis quoque diſcipulis erat receptu difficile? Nam & hi, quando poſt Saluatoris in cælum aſcenſionem, venit ſuper eos Spiritus ſanctus, tunc demum diuina gratia repleti, humanis cogitationibus abiectis, omnia cognouerunt myſteria. Verum ſemper ad id vſque tempus, omnia ad humanitatem pertinentia offendebant illos. Propter hoc ergo vt dictum eſt, noluit à popularibus ſciri, quod natura Dei filius eſſet, & natura Deus, idque multis modis præcepit diſcipulis. Quando vero completis ac finitis omnibus, quæ offendere poterant, prædicaturus illum erat natura Deum eſſe, ſol obſcuratus, velum templi diſciſſum, terra concuſſa, petræ diruptæ, & corpora ſanctorum, qui dormierant, excitata, ipſeque glorioſe à mortuis reſurgens, tunc ſane effulſit virtus diuinitatis eius, & indubitata erat demonſtratio. Simul quoque immiſſurus erat Spiritus ſanctus intellectum, non ſolis diſcipulis, ſed omnibus etiam credentibus: & tunc iam demum omnibus publicari volebat, & diuinitatis, & paſſionis ſuæ myſterium, vt abſque vllo offendiculo prædicatio procederet.

Bed.

Cur Ieſus taceri adhuc velit ſe Dei eſſe filium.

Bed. Matt. 16: Cauſas autem tunc prohibitæ prædicationis exponit, cum ſubiungit: Exinde cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis, &c. Eſt autem ſenſus. Tunc me prædicate, cum ita ſuero paſſus: quia nunc non prodeſt Chriſtum prædicare, & maieſtatem eius diuulgare, quem poſt paululum viſuri ſunt flagellatum, & crucifixum.

Bed.

Et Mar. 8: Idcirco ſe ante paſſionem, & reſurrectionem noluit prædicari, vt completo poſtea ſanguinis ſacramento, opportunius Apoſtolis diceret: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. (Cap. 198.) Quia non prodeſſet eum publicè prædicari, & eius vulgari in populis maieſtatem, quem poſt paululum flagellatum viſuri ſint, & crucifixum multa pati à ſenioribus, & ſcribis, & principibus ſacerdotum.

Hilar.

Cur Ieſus taceri voluit.

Hilar. can. 16. in Matth: Iubet etiam diſcipulis, ne loquantur quod ipſe eſſet Chriſtus; alios enim ſpiritus ſui teſtes eſſe oportebat; legem videlicet, & prophetas. Cæterum reſurrectionis teſtimonium proprium eſt Apoſtolorum.

Amb.

Cur Ieſus taceri voluit.

Amb. lib. 7. in Luc: Et fortaſſe ideo hoc addidit, quia ſciebat Dominus difficile paſſioni, & reſurrectioni etiam diſcipulos credituros. Et ideo paſſionis, & reſurrectionis ſuæ aſſertorem ſe eſſe maluit, vt ex facto fides, non ex auditu diſcordia naſceretur.

Gloriæ Chriſtus ignobilitatem prætulit.

Ergo Chriſtus noluit gloriari, ſed maluit ignobilis videri, vt paſſionem ſubiret. Et tu, qui ignobilis natus es, gloriaris? Eadem tibi, qua Chriſtus ambulauit, gradiendum eſt via. Hæc eſt agnitio, hæc eius imitatio, per ignobilitatem, & bonam famam, vt glorieris in cruce Domini, ſicut ipſe eſt gloriatus. (2 Cor. 4.) Sic ambulauit Paulus, & ideo gloriatur dicens: Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. (Gal. 6.)

Lucas, & Matthæus conciliantur.

Sed videamus, cur, ſecundum Matthæum, reperiamus admonitos diſcipulos, ne cui dicerent, quod ipſe ſit Chriſtus, hic autem ſcriptum ſit, increpatos eſſe, ne cui dicerent, quod eſſet multa paſſurus, & reſurrecturus. Videris quod in vno

Chriſti nomine omnia ſint. Ipſe eſt enim Chriſtus, qui natus ex virgine; ipſe eſt, qui admirabilia fecit in populo; ipſe, qui mortuus eſt pro peccatis noſtris, & reſurrexit à mortuis, vnum horum ſi retraxeris, retraxiſti ſalutem tuam. Nam etiam hæretici habere ſibi Chriſtum videntur. Nemo enim Chriſti nomen negat; ſed negat Chriſtum, qui non omnia, quæ Chriſti ſunt, confitentur. Multis igitur ex cauſis iubet tacere diſcipulos, vt fallat principem mundi; vt declinet iactantiam, doceat humilitatem; ſimul ne rudes, & imperfecti adhuc diſcipuli maximæ prædicationis molibus opprimantur. Etiam illud conſideremus, vtrum hic primum mandauerit diſcipulis, ne cui dicerent, quia ipſe eſſet Chriſtus, an verò & antè mandauerit, quando Apoſtolos duodecim deſtinauit, denuncians illis: In viam Gentium ne abieritis, &c. Itaque nec hic mandatum videtur, vt Chriſtum Dei filium prædicarent. Ordo igitur diſputationis, eſt ordo tractatus. cap. 44.

Cap. 82. Christi *mors, & reſurrectio prædicitur, Petruſq; reprehenditur.*

Matt. 16.	*Mar. 8.*	*Luc. 9.*	*Ioan.*
1 EXinde cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati à ſenioribus, & ſcribis, & principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere.	1 ET cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari à ſenioribus, & à ſummis ſacerdotibus, & ſcribis, & occidi, & poſt tres dies reſurgere.	1 DIcens: Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à ſenioribus, & principibus ſacerdotum, & ſcribis, & occidi, & tertia die reſurgere.	
	2 Et palam verbum loquebatur.		
3 Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum.	3 Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.		
4 Dicens: Abſit à te, Domine, non erit tibi hoc.			
5 Qui conuerſus.	5 Qui conuerſus.		
	6 Et videns diſcipulos ſuos, comminatus eſt Petro.		
7 Dixit Petro: Vade poſt me Sathana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt: ſed ea, quæ hominum.	7 Dicens: Vade retro me Sathana: quoniam non ſapis quæ Dei ſunt: ſed quæ ſunt hominum.		

Not. 1.

Argumẽti ſumma. Christvs Petrum deterrentem ſe à morte, quam prædixerat, acriter increpat. Quanta enim ſe maneat calamitas, denique & mors ipſa, in quam conſpiraturi ſint Iudæorum, Scribæ, Phariſæi, & Antiſtites; ac ſe tertio die ſurrecturum Chriſtus indicat. Quæ Petrus audiens, cum occulte, ceu parum ſit conſulte acturus, ſi ſponte illa ſuſcipiat, increpuit. Quocirca Ieſus Petrum à ſe abegit, Satanam eum vocans: qui diuinæ voluntati repugnet, & in humanis dumtaxat rebus ſit oculatus. Porro hæc eodem ordine ſubnectunt Marcus, & Lucas, quo Matthæus. Proinde rebus, & ordine conueniunt; Lucas tamen de Petro, quod paſſioni Chriſti contradixerit, tacet. Hæc Aug. lib. 2. de conſenſ. cap. 54.

Ratio diſpoſitionis. Tres Euangeliſtæ concordant. Aug.

Hieron. Matth. 16: Sæpe diximus nimij ardoris, amoriſque quam maximi, fuiſſe Petrum in Dominum Saluatorem: quia ergo poſt confeſſionem ſuam, qua dixerat: Tu es Chriſtus filius Dei viui; & præmium Saluatoris, quod audierat: Beatus es Simon Bar Iona: quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi; ſed Pater meus, qui in cœlis eſt: repente audiuit à Domino, oportere ſe ire Hieroſolymam, ibique multa pati à ſenioribus, & ſcribis, & principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere: non vult deſtrui confeſſionem ſuam, nec putat fieri poſſe, vt filius Dei occidatur. Aſſumitque eum in affectum ſuum, vel ſeparatim ducit, ne præſentibus cæteris condiſcipulis magiſtrum videntur arguere, & cœpit increpare illum amantis affectu, & optantis dicere: Abſit à te, Domine, vel, vt melius habetur in Græco,

Hier. Aſſis Petrus ardentior.

ver. 2.

Aſſumit, de ſcelere explicatur. Chriſtum ſecum aſſumat.

Græco, [Greek] Hoc eſt, propitius ſis tibi Domine, non erit tibi hoc. Nō poteſt fieri, nec recipiunt aures meæ, vt Dei filius occidendus ſit. Ad quem Dominus conuerſus ait: Vade retro me, ſatana, ſcandalum mihi es. Satanas interpretatur aduerſarius, ſiue contrarius. Quia contraria, inquit, loqueris voluntati meæ, debes aduerſarius appellari. Multi putant, quod non Petrus correptus ſit, ſed aduerſarius ſpiritus, qui hæc dicere Apoſtolum, ſuggerebat. Sed mihi hic error Apoſtolicus, & de pietatis affectu veniens, nunquam incentiuum diaboli videbitur. Diabolo dicitur: Vade retro. Petrus audit: Vade retro me, hoc eſt, ſequere ſententiam meam. Meæ voluntatis eſt, & patris, cuius veni facere voluntatem, vt pro hominum ſalute moriar: tu tuam tantum conſiderans voluntatem, non vis granum tritici in terram cadere, vt multos fructus afferat. Prudens lector inquirat, quomodo poſt tantam beatitudinem: Beatus eſt Simon Bar-Iona. Et: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quod ligaueris, vel ſolueris ſuper terram, erit ligatum, vel ſolutum in cælo; nunc audiat: Vade retro me ſatana, ſcandalum mihi es. Aut quæ ſit tam repentina conuerſio, vt poſt tanta præmia, ſatanas appelletur. Sed ſi conſideret, qui hoc quærit, Petro illam benedictionem, & beatitudinem, ac poteſtatem, & ædificationem ſuper eum Eccleſiæ in futuro promiſſam, non in præſenti datam intelliget. Ædificabo, inquit, ſuper te Eccleſiam meam, & portæ inferi, non præualebunt aduerſus eam, & dabo tibi claues regni cælorum: omnia de futuro. Quæ ſi ſtatim dediſſet ei, nunquam in eo prauæ confeſſionis error inueniſſet locum.

ver. 4 — *Satanas quid ſignificet.* — *Cur Petrus dicatur ſatanas* — *An ipſe Petrus hic reprehendatur, & vnde hic eius error veniat.* — *Chriſtus aliter Petro, quam ſatanæ loquutus.* — *Ædificida ſuper Petrū Eccleſia*

Et epiſt. ad Algaſiam quæſt. 5: Non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum: humano quippe timore perterritus, paſſionem Domini formidabat. Et quomodo audiens, multa eum pati, & occidi, timebat; ſic audiens, & tertia die reſurget, gaudere debuerat; & triſtitiam paſſionis, reſurrectionis gloria mitigare.

Hiero. Dupliciter Petrus ſapiebat quæ ſunt hominis, non Dei.

Not. 2. ver. 1.

Victor. Mar. 8: Poſteaquam diuinitatis ſuæ ſenſum illis impreſſit, doctrinam de cruce, & paſſione mox ſubiungit. Sed neque hoc quoque modo, quod dicebatur, ſatis intelligebant. Erat enim verbum iſtud, vt Lucas ſcribit, abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur; & quod eum oportebat reſurgere. Et timebant eum interrogare; non quidem eſſetne omnino moriturus; verum qua ratione, quoue modo futurum id erat. Neque enim quorſum, quod de reſurrectione dicebatur, tenderet, aſſequebantur. Ducebant namque ſatius eſſe, prorſus non mori, quam mori iterumque reſurgere. Alijs itaque omnibus perturbatis, & hæſitantibus, rurſum Petrus, tanquam cæteris ardentior in medium proſilit, deque eo, quod quæſtionem habebat, audenter inquirit.

Vict. Quando Chriſtus paſſionem ſuam clare prædixerit — *cap. 18* — *Alijs Petrus ardentior.*

Eut. Matt. 16: Ex eo tempore, ex quo firmiter cognouerunt diſcipuli, quod naturalis eſſet Dei filius: tunc enim demum cæpit demonſtrare ſiue prædicere illis, quæ paſſurus erat: vt hæc præſcientes, tempore paſſionis non offenderentur, neque ſuſpicarentur, quod propter naturæ imbecillitatem pateretur. Quo enim pacto id fieret de eo, qui prænouit, & prædicit, ac feſtinat potius vt patiatur.

Euth. Quando Chriſtus paſſionem ſuam clare prædixerit.

Bed. Mar. 8: Notandum quod eum, qui multa pati, & occidi, & reſurgere debebat, filium hominis appellat: quia paſſo in carne Chriſto, diuinitas impaſſibilis manſit.

Bed. Cur paſſurus dicatur filius hominis.

Theoph. Matt. 16: Prædicit illis paſſionem, ne inexpectata illa veniente offendantur, putantes quod inuitus, & non præſciens paſſus eſſet. Poſtquam enim audiuerunt, per confeſſionem Petri, quod filius ſit Dei. Tunc reuelauit illis & paſſionem. Poſt triſtia autem ſubdit & lętitiam, nempe quod die tertio reſurgeret. Id quod reuelatum erat, Petrus recte confeſſus eſt; in eo autem quod nō reuelatum, lapſus: vt ſciamus, quod abſque Deo neque ille loquutus eſt magnum quiddam. Nolens igitur Petrus Chriſtum pati, & ignorās reſurrectionis myſterium, dixit: Propitius eſto tibi Domine, nequaquam erit tibi hoc. Petrum rectè quidem loquentem, beatum prædicat Chriſtus, irrationabiliter autem formidantem, & nolentem ſe pati, perſtringit dicens: Vade poſt me ſatana. Satanas autem aduerſarius dicitur. Vade igitur poſt me, hoc eſt, ne obſiſtas, ſed ſequere voluntatem meam. Vocat autem ſic Petrum; quia etiam ſatânæ diſplicebat pati Chriſtum. Dicit igitur, tibi quidem iuxta humanam rationem videtur mihi indecens paſſio, non intelligis autem, quod Deus per hanc, ſalutem operetur, & quod hoc me maxime deceat.

Theoph. Cur Domi nus paſſionem ſuam prædicat. — *ver. 1. quando paſſionem ſuam reuelet.* — *ver. 3. Cur iam Petrus erret, non prius.* — *Satanas quid ſit.* — *Vade poſt me.* — *Cur Petrus vocetur ſatanas.*

Et Mar. 8: Quando deprehendit eos confeſſos ſe eſſe verum illum Chriſtum, tunc tandem & crucis ſacramentum eis manifeſtat, tametſi non omnino nude: neq; enim ſic, quid diceret, intellexiſſent, neque intelligebant quid eſſet reſurgere. Vnde putabant melius eſſe omnino non pati. Vnde & Petrus incępit eum increpare, quod temere in mortem ſe offerret. Potuiſſet enim non pati. At Dominus monſtrans ad ſalutem, ſuam paſſionem pertinere, & ſolum ſatanam eum nolle pati, ne ſaluetur homines: Satanam nominat Petrum, tanquam idem cum ſatana ſentientem, nolentemque ſe pati, ſed magis ſe opponentem, Satanas enim idem eſt quod aduerſarius. Vade autē poſt me, inquit, hoc eſt, ſequere voluntatem meam, & non obluctetis, neque ex aduerſō mihi ſtes, ſed poſt me ſequaris. Humana dicebat ſapere Petrum, eo quod humilia quædam, & carnalia ſapiebat, volens mollius agere, & non crucifigi, nec in tentationes incidere Dominum, propter mundi ſalutem.

Theoph. — *Cur Petrus dicatur ſatanas.* — *Vade poſt me.* — *Humana ſapere.*

Ver. 2.

Euth. Mar. 8: Manifeſte, ac ſine vllo tegumento, hunc dicebat ſermonem.

Eut.

Ver. 3. *ver.* 3.

Eut. Aſſumēs.

Evth. Matt. 16: Aſſumens, hoc eſt, ſeorſim accipiens. Audito enim quod moriturus eſſet, grauiter tulit. Nam id ſua diuinitate indignum putauit: ideoque quaſi iam ſumpta libertate, eo quod beatificatus eſſet, ſeorſim increpauit illum, ſiue reprehendit. Dicens: Propitius tibi ſis Domine, non erit tibi hoc. Tanquam conſulens, hoc ait, vt ingenuus amicus. Quod autem dicitur, propitius tibi ſis, conſueto more loquutus eſt. Moris enim erat, hoc dicere eum, qui indignaretur abſurdum quippiam dicenti: Vt, propitius tibi ſit Deus, ob talem ſermonem. Id vero quod addit, non erit tibi hoc, tantundem eſt, ac ſi diceret: Ne contingat tibi hoc, quod dicis.

Bed.

Bed. Mar. 8: Quomodo increpauerit eum, Matthæus exponit apertius, dicens: Et aſſumens Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.

Cyr. Ex amore Petrus errat.

Cyr. lib. 12. in Ioan. cap. 28: Petrus quondam intolerabilem crucis putans paſſionem, nec myſterij viros adhuc intelligens, ex amore dicebat: Propitius eſto tibi Domine, ne fiat tibi hoc. Ad quem Chriſtus: Vade retro Satana, &c. Vnde non paruam vtilitatem nos colligere poſſumus.

Morale docu.

Diſcimus enim, quando tempus ad certamina vocat, ne, ſi etiam qui chariſſimi nobis ſunt prohibeant, turpe forſan putantes, mentem vllo modo illis adhibeamus. Non enim à ſatana differt, qui ſcandala ponit, & quibuſcunque modis poteſt, à recta ſententia homines ſeducit.

Cur Petrus dicatur ſatanas.

Ver. 4.

Vict. Quomodo tam cito Petrus, quod reprehendatur, agit. Quando Petrus erret & quando non.

Vict. Antioch. Mar. 8: Et quidnam hoc eſt? Illene, qui diuina reuelatione paulo ante ditatus, fœlixque à Chriſto Domino prædicatus fuerat, tam cito prolabitur, & impingit? Verum hoc mirum non eſt, ſiquidem nullam ille de Chriſti paſſione, & cruce notitiam è cœlo acceperat. Chriſtum Dei filium eſſe, hoc ei diuinitus patefactum fuerat; at crucis vero, & reſurrectionis myſterium, ipſum adhuc fugiebat. Erat enim, vt Lucas ait, verbum iſtud abſconditum ab eis. Dominus autem, hoc loco, clare oſtendit, tantum abeſſe, vt inuitus ad paſſionem veniat, vt Petrum, ne id fiat, diſſuadentem, palam quoque increpet, ſathanamque appellet.

cap. 138 Dominus ſe non inuitum pati oſtendit.

Chriſtus Petrum cur tam ſeuere increpet. Petrus cur dicatur Satanas.

Cur Dominus Petrum mortem ſibi diſſuadentem, tanta cum vehementia, & grauitate increpat? Neque enim ſathanam ex eo locutum dicit; ſed ipſummet Petrum ſathanam vocat: quia is indignum illud arbitrabatur, quod ſaluti noſtræ quam maxime conueniebat, Chriſtus igitur ſuperuacaneam illius curam, & anxietatem comprimere volens, ait: Vade poſt me, &c. quaſi dicat: Tu indignum cenſes, male me ab aduerſarijs tractari & pati, & tamen res ita non habet. Ad ſathanam, cum Ieſum in deſerto tentaret, dictum non eſt: Vade poſt me ſathana, ſed dictum eſt: Vade ſathana; ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, &c. Ad Petrum vero, qui peccatis adhuc obſtrictus erat, adeoque poſt Ieſum non ibat, dicitur: Vade poſt me ſathana; ſcandalum enim es mihi. Quapropter ſi ſancti Ieſum pone ſequuntur, conſequens fit, illos Ieſum poſt terga reijcere, qui ab illo diſcedunt, eiuſdemque ſermones non audiunt. Petrus proinde à Chriſto audit: Vade poſt me, hoc eſt, ſequere me; neque voluntati meæ, qua ſponte cruci me ſubmitto, in poſterum aduerſere, neque ſermones meos poſt tergum, vt in Pſalmis eſt, cum peccatoribus, reijce.

Chriſtus aliter Petro, quam ſatanæ loquitur.

Vade poſt me. Qui Ieſum poſt ſe reiiciunt. Vade poſt me. Pſal. 49.

Cyr.

Cyril. Alexand. lib. 12. theſau. cap. 14: Chriſtus diſcipulos in minoribus errantes aperte corrigit. Petro non recte reſpondenti: Vade ſatana poſt me, inquit.

Eut. Cur Petrus coram aliis reprehendatur.

Euth. Matth. 16: Marcus autem dixit, quod conuerſus, & intuitus diſcipulos ſuos, increpauit, ſiue corripuit Petrum. Etenim voluit illos quoque increpationem audire, ac caſtigari, qui idem quod Petrus patiebantur. Sathanam autem eum vocat, quaſi in hoc ſathanam imitantem, quod Chriſtum occidi nolebat. Siquidem neque ſatanas Chriſtum occidi volebat, vt mendaces viderentur prophetiæ, quæ de morte eius loquebantur: & ne mors carnis huius, fieret mors ſuæ poteſtatis, quanquam ipſe propria victus malitia Iudæos ad eius cædem incitauit. Poteſt autem & aliter dici: quod quia ſatanas aduerſarius dicitur, Petrus autem prohibens Chriſtum mori, non ſequebatur eius voluntatem, ſed aduerſabatur, ait ei Saluator: Abi poſt me ſatana, hoc eſt, ſequere me aduerſarie. Obſtaculo, impedimento mihi es, aduerſarius meæ voluntati. Deinde dicit etiam cauſam propter quam aduerſatur. Quia non ſapis, &c. Hoc, inquit, pateris, quia non diuino, ſed humano modo ſapis. Etenim ſi diuina guſtares, vtique dignum me iudicares, qui moriar pro mundo: quia vero humana ſapis, potius indignum me iudicas, qui moriar. Tu vero mihi conſidera eum, qui paulo ante maximè beatus prædicatus eſt, nunc maxime increpatum, & ad correptionem ſuæ audaciæ: & vt intelligas, quod Saluator non ſit perſonarum acceptor: cum enim rectè loquutus eſt, beatum prædicauit illum: quando autem non rectè, increpauit. Rectè quidem locutus eſt in his, quæ per reuelationem diuinitus accepit: non rectè verò loquutus eſt in his, quæ à ſeipſo dixit.

Cur Petrus dicatur ſatanas. Satanas quid ſit. Vade poſt me. Reprimēda eſt nimia audacia. Vitanda perſonarū acceptio. Petrus quādo bene loquatur, & quando male.

Hilar.

Hilar. can. 16. in Matth: Vt enim Dei munus eſt, Chriſtum in ſpiritu Deum noſſe, ita zaboli opus eſt, Chriſtum in homine neſcire. Atque eiuſdem periculi res eſt, vel corpus dicere, ſine Deo; vel Deum, ſine corpore. Corpus autem carnis huius in æternitate ſpiritus, Deo nullum eſt, verum humanæ ſalutis cauſa Chriſtus in corpore eſt, quod aſſumpſit ex homine. Igitur poſt prædicationem paſſionis, accipiens diabolus facultatem (vſque ad tempus enim ab eo receſſerat) quia incredibile ſatis Apoſtolis videretur, eum, in quo Deus erat, eſſe paſſibilem, ſumens hanc humanæ infidelitatis occaſionem, opinionis iſtius Petro inſinuauit affectum. Denique

quod Petri error à diabolo venerit.

nique ita paſſionem deteſtatus eſt, vt dixerit: Abſit; quo verbo rerum deteſtandarum execratio continetur. Sed ſciens Dominus zabolicæ artis inſtinctum, Petro ait: Vade retro poſt me, id eſt, vt exemplo ſe paſſionis ſequatur. In eum vero, per quem opinio hæc ſuggerebatur, conuerſus, adiecit: Satana, ſcandalum mihi es. Non enim conuenit exiſtimare, Petro ſatanæ nomen, & offenſionem ſcandali, deputari, poſt illa indultæ & beatitudinis, & poteſtatis tanta præconia. Sed quia infidelitas omnis diaboli opus eſt, Petri reſponſione Dominus offenſus, cum opprobrio nominis, infidelitatis iſtius eſt deteſtatus authorem. Et in Pſal. 131: Cum quædam de paſſione ſua, locutus ad diſcipulos fuiſſet, & Petrus tanquam indignum hoc Dei filio deteſtatus eſſet, Petro cui ſuperius claues regni cælorum dederat, ſuper quem Eccleſiam ædificaturus erat, aduerſus quam portæ inferi nihil valerent, qui quæ in terris vel ſoluiſſet, vel ligaſſet, ea in cælis vel ſoluta perſiſterent, vel ligata. Hunc itaque tali conuicio deteſtantem hoc ſacramentum paſſionis excepit. Vade poſt me ſathana, ſcandalum mihi es. Tanta enim ei religio fuit pro humani generis ſalute patiendi, vt Petrum primum filij Dei confeſſorem, Eccleſiæ fundamentum, cæleſtis regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicem cæli, ſathanæ conuicio nuncuparet. Vide Leonem lect. 3. ſabb. quat. temp. Quadrag.

Vade poſt me.

Diabolo, non Petro, hæc dici.

Hierony mo not. 2 hæc opinio non probatur, nec Vict. not. 10 nec Cyril. not. 10. & 9.

Petrus Eccleſiæ fundamentũ.

Conuicio Petrus à Ieſu exceptus

Petrus filij Dei cõfeſſor primus.

Petrus Eccleſiæ fundamentum, & cæleſtis regni ianitor.

Cap. 83. *Quidnam ſit* Christvm *verè ſequi.*

Matt. 16. *De Mart. Pont.*	*Mar. 8.*	*Luc. 9.*	*Ioan.*
1 TVnc Ieſus dixit diſcipulis ſuis: ✠ Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.	1 ET conuocata turba cum diſcipulis ſuis, dixit eis: Si quis vult me ſequi, deneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.	1 DIcebat autem ad omnes: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum: & tollat crucem ſuam quotidie; & ſequatur me.	
2 Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam.	2 Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam.	2 Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet illam.	
3 Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.	3 Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, & euangelium, ſaluam faciet eam.	3 Nam qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam faciet illam.	
4 Quid enim prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur: animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?	4 Quid enim proderit homini, ſi lucretur mundum totum, & detrimentum animæ ſuæ faciat?	4 Quid enim proficit homo, ſi lucretur vniuerſum mundum; ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat?	
5 Aut quam dabit homo commutationẽ pro anima ſua?	5 Aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua?		
	6 Qui enim me confuſus fuerit, & verba mea in generatione iſta adultera & peccatrice: & filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris ſui, cum Angelis ſanctis.	6 Nam qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua, & Patris; & ſanctorum Angelorum.	
7 Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis: & tunc reddet vnicuique ſecundum opera eius. ✠			
	8 Et dicebat illis:		
9 Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo.]	9 Amen dico vobis, quia ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.]	9 Dico autem vobis, verè ſunt aliqui hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei.	

Nu. 1.

DOMINVS conuocatis turbis, de tollenda ſua cruce ab vnoquoque, ac de ſequendo ſe, diſciplinam tradit.

Aug. Ratio diſpoſitionis.

Aug. lib. 2. de conſ. cap. 55: Sequitur Matthæus: Tunc Ieſus dixit, &c. Hoc & Marcus ſubiungit, eundem ordinem ſeruans; ſed ipſe non dicit de filio hominis venturo cum Angelis ſuis, vt reddat vnicuique ſecundum opus ſuum. Commemorat tamen, etiam illud dixiſſe Dominum: qui enim me confuſus fuerit, & mea verba in generatione iſta adultera, & peccatrice, & filius hominis confundet eum, cum venerit in gloria ſua cum Angelis ſanctis. Quod intelligi poteſt ad eandem ſententiam pertinere, qua dixit Matthæus; vt reddat vnicuique ſecundum opus ſuum. Lucas quoque eadem, eodemque ordine annectit, non multum diuerſo verborum modo; eadem tamen ſententiarum veritate ſimillimus.

Tres hoc tractant, & conueniunt.

Hier. Sui abnegatio quæ ſit. Col. 3. Gal. 2.

Hier. Matt. 16: Qui deponit veterem hominem, cum operibus ſuis, denegat ſemetipſum, dicens: Viuo autem non ego, viuit vero in me Chriſtus: tollitque crucem ſuam, & mundo crucifigitur. Cui autem mundus crucifixus eſt, ſequitur Dominum crucifixum. Et epiſt. ad Alga. quæſt. 3: Quæſtio tertia; quem ſenſum habeat, quod in Euangeliſta Matthæo ſcriptum eſt: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum. Quæ eſt ſui abnegatio? aut quomodo qui ſequitur Saluatorem, ſeipſum abnegat? De quo in tertio commentariorum eiuſdem Matthæi libro, ita breuiter locutus ſum. Qui deponit veterem hominem cum operibus ſuis, negat ſeipſum, dicens: Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Chriſtus: tollitque crucem ſuam, & mundo crucifigitur. Cui autem mundus crucifixus eſt ſequitur Dominum crucifixum. Petro pro timore correpto, loquebatur ad omnes diſcipulos: ſiue conuocauit turbam cum diſcipulis ſuis, vt Marcus poſuit: aut, iuxta Lucam, dicebat ad cunctos: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Cuius exhortationis hic ſenſus eſt. Non eſt delicata in Deum, & ſecura confeſſio. Qui in me credit, debet ſuum ſanguinem fundere. Qui enim perdiderit animam ſuam in præſenti, lucrifaciet eam in futuro. Quotidie, credens in Chriſtum, tollit crucem ſuam, & negat ſeipſum. Qui impudicus fuit, verſus ad caſtitatem, temperantia luxuriam negat. Qui formidoloſus, & timidus, aſſumpto robore fortitudinis, priorem ſe eſſe neſcit. Iniquus, ſi ſequatur iuſtitiam, negat iniquitatem. Stultus, ſi Chriſtum confiteatur, Dei virtutem, & Dei ſapientiam, negat ſtultitiam. Quod ſcientes, non ſolum perſequutionis tempore, & neceſſitate martyrij, ſed in omni conuerſatione, opere, cogitatione, ſermone negemus noſmetipſos, quod ante fuimus: & confiteamur eos, qui in Chriſto renati ſumus. Ideirco enim Dominus crucifixus eſt, vt & nos, qui credimus in eum, & peccato mortui ſumus, crucifigamur cum ipſo, dicamuſque quod Apoſtolus Paulus docuit: Cum Chriſto crucifixus ſum. Et: Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Qui cum Chriſto crucifixus eſt, ſpoliet principatus, & poteſtates, & triumphet eas in ligno. Vnde & in Euangelio ſecundum Matthæum, in typum eorum qui in Domino credituri erant, & ſe cum illo crucifixuri, Simon Cyræneus portat crucem eius, quam (iuxta alios Euangeliſtas) prior ipſe portauit.

Hier. Hieronymus ſe in Matthæū ſcripſiſſe teſtatur. Col. 3. Gal. 2. Pro timore Petrus eſt correptus. Hiero. tres Euangeliſtas côneétit. quotidie. Gal. 2. cap. 27.

Vict. Antio. Mar. 8: Iſthæc huc tendunt. Tu Petre me pati volentem increpas; ego autem dico tibi, non id tantum in noxam, & detrimentum tibi ceſſurum, ſi meum ſtudium impedire, meamque crucem ægrè ferre perrexeris; verum te quoque partem mecum non habiturum, niſi tute itidem crucem tuam tuleris, mortemque, mei cauſa, oppetieris. Et quia tantum ea in re monumenti poſitum eſt, vt vobis multis quidem partibus ſatius ſit, mori, quàm non mori: hoc enim damni, illud vero lucri cauſam adiunctam habet, propterea non ad te Petrum tantum, ſed ad vos omnes ſermonem dirigo. Si quis vult me ſequi. Non dicit: Et ſi vos non volueritis, ego nihilominus pati vos volo; ſed quomodo? ſi quis vult me ſequi; quaſi dicat: Ad bona, & honeſta prouoco, non ad mala & odioſa: nec quenquam huc compello, ſed amicè tantum inuito. Hæc autem dicens, magis attrahit: qui enim vim adfert, decorum non ſeruat; qui autem auditori libertatem facit, validius allicit. Delinitio enim, & obſequium, quauis violentia fortiora ſunt. Et quid nam eſt, inquis, ſeipſum denegare? facili negotio, quid illud ſit aſſequemur, ſi quid alterum negare ſit, exploratum habuerimus. Igitur qui alterum vel fratrem, vel famulum, vel alia quacunque neceſſitudine coniunctum negat, ſiue flagris illum concidi videat, ſiue perſequutionem pati, ſiue captiuum abduci, ſiue cum alio quocunq; incommodo conflictari, quaſi prorſus ab illo alienus ſit, neque quicquam commune cum eo habeat, non illi aſſiſtit, neque defendit, neque, quod ad ſe quidem attinet, quicquam omnino eius cauſa ſuſtinet. Ad eum itaque modum, Dominus nos erga corpus noſtrum affectos vult eſſe, quodcunque tandem illud patiatur. Non dixit autem ille; ne nimium ſibi indulgeat, aut ne carni ſuæ nimium parcat; ſed vehementius inſurgens, abneget, vel abiuret ſemetipſum, inquit, hoc eſt, nihil cum ſeipſo, vel cum ſua carne commercij habeat; verum ita ſe gerat, ac ſi non ipſe, ſed alius quiſpiam crucem toleret. Et tollat crucem ſuam. Indicat per hæc, hominem Chriſtianum non quouis modo, aut gradu, ſeipſum abnegare debere; ſed vſque ad mortem, mortem autem crucis; idque non ſemel, aut bis in vita tantum; ſed per totam vitam abſolutè fieri oportere. Et ſequatur me. Contingit enim non raro aliquem grauia quædam perpeti, neque Chriſtum

Vict. Pro Chriſto mori lucrum, non damnum. Cur ait: Si quis vult. Deus ad bona prouocat non vi compellit. Obſequium vi potentius. quid ſit ſeipſum negare. Dominus non quiduis, ſed ſeriam mortificationem à nobis exigit. Cur ait: Tollat crucem. Cur ait: quotidie. Nemo Chriſtianus non in vita crucē ferre debet. Cur ait: ſequatur me.

ſtum tamen ſequi; quia nimirum non patitur propter Chriſtum.

Not. 2.

Theoph. THEOPH. Luc. 9: Quoniam de ſeipſo dixerat, quod oporteat filium hominis multa pati, infert commune quoddam, ac generale, quod non ſolus ego mortem ſuſtinebo, ſed & omnes, qui me volunt ſequi, debent ſeipſos abnegare, nullam communionem cum carne habentes, ſed deſpicientes ſeipſos. Crucem autem dicit, hoc loco, mortem contemptiſſimam. Nulla enim mors tam contempta fuit, ſicut crucis. Oſtendit itaque, quod ſi quis voluerit eius diſcipulus eſſe, mori debet, non glorioſa morte, ſed contemptibili, & ſicut condemnatus occidi. Quoniam autem multi ignominioſa morte occiduntur, ſed ſicut latrones, ac malefactores: propterea adjicit hoc; & ſequatur me, hoc eſt, omnem virtutem exerceat. Qui enim voluerit animam ſuam ſeruare, perdet illam, hoc eſt, qui voluerit viuere iuxta mundum, hic occidit animam. Erubeſcit Chriſtum qui dicit: Quomodo credam in crucifixum, & illuſum Deum? & ſermones illius erubeſcit, qui Euangelij ſimplicitatem irridet. Talem autem erubeſcet & Dominus in gloria ſua, hoc eſt, in ſecundo aduentu. Quod autem dicit, hunc ſenſum habet: Sicut ſi quis pater familias habet ſeruum malum, erubeſcit nominare illum ſeruum proprium: ita & ego (inquit) erubeſcã nominare ſeruum meum eum, qui abnegauit me. Et quia ſupra dixit: Qui perdit animam ſuam, ſaluabit illam: volens monſtrare quænam bona tales mereantur, dicit: Sunt quidam ex his, qui hic ſunt, qui non morientur donec viderint regnum Dei, hoc eſt, gloriam in qua futuri ſunt iuſti. Hoc autem dixit de transfiguratione ſua. Transfiguratio enim figura fuit futuræ gloriæ: & ſicut in hac Ieſus mirabiliter fulgurauit, ita pari forma tunc & iuſti fulgebunt. Sunt igitur, inquit, quidam Ioannes, Iacobus, & Petrus, hi non præoccupabuntur morte, donec viderint in qua gloria futuri ſunt qui me confitentur. Viderunt autem hoc in transfiguratione.

Crux quid ſit. *Cur addit: Sequatur me.* *Gloria Chriſti eſt ſecundus eius aduentus.*

Theoph. Et March. 8: Quandoquidem Petrus increpat eum volentem crucifigi, aduocat turbam: & audientibus omnibus Petrum acrius alloquitur: Tu me, inquit, reprehendis Petre, quod crucem tollo? Ego autem dico tibi, quod neque tu, neque quiſquam ſaluabitur, niſi moriatur pro bono & veritate: Cęterum vide quod non dixit, etiamſi non velit quis, moriatur, ſed quicunque vult. Nullum enim cogo. Ad bona voco, non ad mala, vt & compellam: & ita ſi quis non vult, non eſt his dignus. Quid ſit autem abnegare ſemetipſum, dicemus, ſi didicerimus quid ſit abnegare alium. Qui enim abnegat alium, fratrem fortaſſis, vel familiarem, vel patrem, etiamſi flagellari illum viderit, & occidi, non aduertit, non dolet, non compatitur ſemel ab eo alienatus: ſic quoque & nos vult corpus noſtrum deſpicere, vt ſiue flagella, ſiue aliud quid patiatur, ne illi parcamus. Tollat autem crucem ſuam, hoc eſt, ignominioſam mortem. Ignominioſa enim tunc videbatur crux. Præterea, quia multi in crucem agebantur latrones, addit, quod cum crucifixione etiam omnem aliam virtutem habeat. Hoc enim eſt, & ſequatur me. At quoniam graue hoc eſſe videbatur, & crudele quod imperat nobis, vt nos morti exponeremus, dicit quod hoc modo plus habeat miſericordiæ. Nam quiſquis perdiderit animam ſuam propter me, non tanquam latro qui occiditur, vel tanquam is qui ſuſpenditur (hoc enim non eſt propter me) talis inueniet animam ſuam: ſicut contra ſi quis videatur lucrari, perdet eam, ſi in tempore Martyrij non reſtiterit. Ne mihi dixeris quod lucratus ſit vitam. Nam ſi præterea addideris, quod vniuerſum etiam mundum lucratus fuerit, nihil profuerit. Neque enim diuitijs ſalus repenſari poteſt. Siquidem enim hoc eſſet: Is qui lucratus eſſet mundum, animam verò perdidiſſet, tunc vtique daret cum in flammia cruciaretur, & à ſupplicio liberaretur. At non eſt tunc talis quædam commutatio illic. Proinde & hoc loco confutabimus Originiſtas dicentes quod futura ſit quædam animarum reparatio, poſtquam punitę fuerint iuxta peccatorum ſuorum rationem. Audiant enim quod illic non repenſetur quippiam pro anima. Proinde neque tantum ſubire licet ſupplicium, quantum pro peccato rependendum eſt.

Abnegare ſeipſum quid ſit. *Crux quid ſit.* *Cur addit: Sequatur me.* *Origeniſtę confutātur*

Et Matt. 16: Tunc, quando? Cùm Petrum increpaſſet. Volens enim oſtendere errare Petrum prohibentem ſe pati; dicit: Tu quidem me prohibes, ego autem dico tibi, non ſolum, ſi non patiar, tibi damnoſum eſſe; ſed neque tu ſaluari poteris, niſi & ipſe moriaris; & quiſquis alius, ſiue vir, ſiue mulier, ſiue pauper, ſiue diues. Dicit autem: Vult, vt oſtẽdat liberum arbitrium, & non coactam virtutem. Poſt Chriſtum autem ſequitur, non ſolùm is, qui illum confitetur filium Dei; ſed & qui per omnia grauia tranſit, & illa ſuſtinet. Abneget autem ſemet-ipſum dixit, perfectam abnegationem per præpoſitionem ab, ſignificans: exempli gratia, ne habeat communionem quãdam cum corpore, ſed contemnat ſeipſum: ſicut conſueuimus dicere; quod quis quempiam negarit, hoc eſt, non habuit eum pro amico, vel noto. Sic igitur omnes docet nullam cum corpore habere communionem, id eſt, amicitiam; ita vt & crucem tollant, hoc eſt, mortem eligãt, & cum ſtudio inquirant etiam mortem ignominioſiſſimam, qualis crux apud veteres fuit. Sed & ſequatur me, inquit. Multi enim crucifiguntur latrones, & fures; at illi non ſunt diſcipuli mei. Sequatur igitur, hoc eſt, omnem aliam virtutem præ ſe ferat. Abnegat autem ſeipſum, & qui heri quidem intemperatus erat, hodie autem caſtus & ſobrius. Talis erat Paulus, qui abnegauit ſemetipſum, cùm diceret: Viuo autem non iam ego; viuit autem in me Chriſtus. Tollit autem crucem, qui mortificauit, & crucifixit ſeipſum mundo.

Theoph. *Cur ait: Vult liberum arbitrium.* *Quid ſit Chriſtum ſequi.* *Abnegare ſeipſum quid ſit.* *Crucem tollere quid ſit.* *Cur ait: Sequatur me.* *Qui ſe abnegent.* *Gal. 2.* *Crucẽ qui tollant*

Eut. Euth. Math. 16: Marcus, & Lucas aiũt etiam

ad

Quid plus hic dicant Marcus, & Lucas, quā Matthæus. vers. 1.
Cur hæc dicantur.

ad turbas,& ſimpliciter ad omnes hæc illum dixiſſe. Dixit aut hæc confirmans, non ſolum non eſſe indecens, vt ipſe moriatur; ſed neque poſſe quempiam ſuum eſſe diſcipulum, niſi & ille moriatur pro honeſto. Si quis, inquit, vult poſt me venire, ſiue ſequi me, tanquam diſcipulus, & imitator, abneget ſemetipſum, dico ſuæ ſimpliſiue voluntatem, voluptatem, ac vitæ amorem: aut ſuum proprium corpus, non parcens illi laboranti,& afflicto; ſed exponat illud periculis: Et tollat crucem ſuam, ſiue ferat in memoria ſuam mortem. Per crucem enim mortem ſignificauit, quia tunc mortis inſtrumentum erat crux: ſemper ſuipſius cædem expectet, ſemper ad mortem paratus ſit, & quotidie voluntate moriatur. Alio etiam modo præſens dictum interpretati ſumus decimo capite. Vide autem quomodo dixerit. Si quis vult, ſiue vir, ſiue mulier, ſiue præſidens, ſiue cui alius præſidet. Si velit: neminem enim inuitum cogit. Ne putes autem quod mala pati ſolum ſufficiat: nam & latrones & deprædatores, ac magi, alijque praui homines innumera mala patiūtur, addidit: Et ſequatur me; docens non ſolum oportere talia pati, ſed etiam ſe ſequi, hoc eſt, per veſtigia conuerſationis ipſius incedere.

Abnegare ſe quid ſit.
Suā crucē tollere quid ſit.
Quotidie.
Cur ait: ſi quis vult
Cur ait: Sequatur me.
Chriſtum ſequi, quid ſit.

Bed.
Quando ſuos Dominus ad patiētiam inuitet.

Bed. Mar. 8: Poſtquam diſcipulis myſterium ſuæ paſſionis, & reſurrectionis oſtendit, hortatur eos, vna cum turba, ad ſequendum ſuæ paſſionis exemplum. Et omnibus quidem propter ſe tribulationem perpeſſis, ſalutem in futuro promittit animarum: non tamen omnibus, verum perfectioribus, quanta ipſe paſſurus, quodue à mortuis eſſet reſurrecturus, aperuit. Vbi formam dicendi miniſtris verbi præfixit, vt capacitatem conſiderantes auditorum, pro ſuo quemque modo inſtruere meminerint, neque infirmis auditoribus altiora, quam capiunt arcana committant. Tunc autem noſipſos abnegamus, cum vitamus, quod per vetuſtatem fuimus, & ad hoc nitimur, quo per nouitatem vocamur. Penſemus quomodo ſe Paulus abnegauerat, qui dicebat: Viuo autem iam non ego. Extinctus quippe fuerat ſæuus ille perſecutor, & viuere cœperat prædicator pius. Si enim ipſe eſſet, pius profecto non eſſet. Sed qui ſe viuere denegat, dicat vnde eſt, quod ſancta verba per doctrinam veritatis clamat. Protinus ſubdit: Viuit verò in me Chriſtus. Ac ſi apertè dicat: Ego quidem à memetipſo extinctus ſum, quia carnaliter non viuo; ſed tamen eſſentialiter mortuus non ſum, qui in Chriſto ſpiritaliter viuo. Dicat ergo Veritas, dicat: Si quis vult poſt me ſequi, deneget ſeipſum. Quia niſi quis à ſemetipſo deficiat, ad eum, qui ſuper ipſum eſt, non appropinquat. Nec valet apprehendere quod vltra ipſum eſt, ſi neſcierit mactare quod eſt. Sed iam qui ſe à vitiis abnegat, exquirendæ ei virtutes ſunt, in quibus creſcat. Nam cum dictum eſt: Si quis vult poſt me ſequi, deneget ſeipſum. Protinus adiungitur: Et tollat crucem ſuam,& ſequatur me. Duobus etenim modis crux tollitur; cum aut per abſtinentiam afficitur corpus; aut per compaſſionem proximi affligitur animus. Penſemus qualiter vtroque modo Paulus crucem ſuam tulerat, qui dicebat: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte alijs prædicans, ipſe reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audiuimus crucem carnis: nunc in compaſſione proximi audiamus crucem mentis. Ait: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Perfectus quippe prædicator, vt exemplum daret abſtinentiæ, crucem portabat in corpore. Et quia in ſe trahebat damna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde. Et Matt. 16: Alter Euāgeliſta dicit, quotidie crucem eſſe portandam. Et Luc. 9: Pulchre poſuit, ad omnes; quia ſuperiora, quæ ad fidem Dominicæ natiuitatis, vel paſſionis pertinent, cum ſolis ſeorſum diſcipulis egit.

Doctrina capacitati auditorum accommodanda.
Qui ſeipſos abnegent.
Dupliciter crux tollitur.
Bed.

Nar. 3. ver. 2.3.

Victor. Mar. 8: Quod dicit, eiuſmodi eſt; non duriter, ſed clementer, & indulgenter vobiſcum agens, hæc præcipio: Nam qui puero plus ſatis indulget, perdit eum; qui autem peccanti non parcit, ſeruat eum. Quando quidem dixerat: qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam ſuam, &c. Ne hunc, & illum interitum, hanc rurſum, & illam ſalutem, eiuſdem rationis eſſe arbitreris; verum vt quantum inter hunc, & illum; hanc rurſum, & illam intercedat, intelligas; addit: Propter me, & Euangelium.

Vict.
Simile.
Cur addat: Propter me, & Euangelium.

Theoph. Matt. 16: Ad Martyrium adhortatur nos. Inuenit enim animam ad præſens, hoc eſt, ſeruat, negans; qui & poſtea perdit. Perdit autem animam, ſed propter Chriſtum, qui de eo teſtificatur: qui & inueniet eam in incorruptione, & vita æterna.

Euth. Matt. 16: Marcus autem dixit: Propter me, & Euangelium; hoc eſt, propter me, & meam doctrinam. Et Luc. 9: Quicunque voluerit animam ſuam à morte ſeruare, tempore Martyrij, factus animæ amator; at non Chriſti amator: perdet eam in futuro ſæculo, hoc eſt, in ſupplicium proijcietur. Quicunque illa priuatus fuerit per martyrium, hic ſeruabit eam in futuro ſæculo.

Theo.
Euth.
Marcus aliquid addit, quod alij omiſerunt.

Ver. 4.5.

Victor. Mar. 8: Monet per hæc, animæ ſalutem extra Deum inſanabilem, omni que interitu quodammodo peiorem eſſe, quippe cum nihil extra illum exiſtat, quod illam vere beare, aut ſeruare queat. Neque mihi dixeris, quod à multis periculis illam aſſeruaris, aut magnam, per eam, & propter eam, opum vim congeſſeris: Nam vt vniuerſum terrarum orbem in tuam poteſtatem redegiſſes, quid, quæſo commodi inde referres, ſi animæ tuæ iacturam feciſſes? Neque enim aliam habes animam, per quam ſemel deperditam, redimere, aut recuperare valeas. Pecuniæ, domus, mancipia, aliaque eiuſmodi ſemel amiſſa, redintegrari poſſunt. At

Vict.

vero

vero animæ ſuæ detrimentum ſemel paſſus, nullam reliquam habet animam, quam pro amiſſa impendat. (*Simile.*) Et quid mirum, ſi res cum anima ita habeat, cum ſimile quid etiam in corpore vſuuenire ſoleat? Nam etſi innumeris diadematis redimitus fueris; attamen ſi corpus ſua natura morbidum, aut immedicabiliter ægrum nactus ſis, non poteris hoc vitium emendare, etiam ſi totum regnum inſumpſeris.

(*Theoph.*) Theoph. Matth. 16: Sic igitur & fugamus, quod totum mundum lucreris; ſed quæ vtilitas; (*Simile.*) ſi corpus bene habeat, & anima male afficiatur? quemadmodum ſi materfamilias lacera veſte, & ancillæ fulgido ornatu incedant. Neque in futuro ſæculo poterit quis dare commutationem pro anima ſua: hic quidem poteſt dare lachrymas, & eleemoſynam, & ieiunare; illic autem non. Iudex enim tunc nos excipiet, dona reſpuens: Nam iuxta opera ſua iudicabit vnumquemque. Eſt autem & metuendus. Veniet enim in gloria ſua, & cum Angelis, & non contemptibilis.

(*Euth.*) Euth. Matth. 16: Impoſſibile quidem eſt, quempiam totum mundum lucrifacere: ſi tamen poſſibile foret, nulla eſſet vtilitas. Siquidem omnia, quæ mundi ſunt, mortalia ſunt; anima vero immortalis: & horum ſane delectatio temporalis; illius vero ſupplicium ſempiternum. Deinde auget & terrorem. Inde enim plerunque meliores reddere ſolet auditores. (*Eut.*) Et Luc. 9: Aut ſuipſius iacturam faciat; declaratiuum eſt præcedentis, puta, ſeipſum perdat. Perditionem vero, & iacturam nominat æternam condemnationem, & ſupplicium. (*Euth.*) Et Matt. 16: Si enim neque mundus totus correſpondens eſt animæ rationali, quid dabit quiſpiam commutationis, vt hanc ab æterno ſupplicio eripiat? Certe nihil. Omnibus itaque relictis, huius curam habere ſolius oportet, cuius iactura eſt maxime mortalis, & ob quam perditam nulla poteſt dari commutatio.

Not. 4. ver. 6.

(*Aug. Varia lectio.*) Avg. lib. 2. de conſenſ. cap. 55. pro, in gloria patris, legit in gloria ſua.

(*Fides confeſſio ad ſalutem eſt neceſſaria.*) Vict. Mar. 8: Non ſat eſt, ſi fidem animo retineas, aut corde tantum credas, ſed opus eſt præterea confeſſione, quæ fit ore: ſiquidem hanc Dominus à nobis depoſcit. Neque enim fruſtra ſua nos gratia inungit; verum quo libero ore eum profiteamur, maioremque dilectionis affectum in medium adferamus; adeoque illuſtriores hac ratione euadamus. (*Adultera quæ ſit.*) Quemadmodum adultera eſt, & adultera appellatur, quæ, marito deſerto, alteri viro ſui copiam facit; (*Anima adultera quæ ſit.*) ita anima, quæ Deum legitimum ſponſum ſuum deſerit, eiuſdemque præcepta non cuſtodit, adultera vocatur: atque peccatrix exiſtit. Qui ergo coram id genus hominibus dominatum meum negauerit, aut doctrinam Euangelicam palam confeſſus non fuerit, is dignas olim impietatis ſuæ pœnas penſurus eſt: ſiquidem in ſecundo tremendoque illo aduentu auditurus eſt: Amen, amen dico vobis, neſcio vos. Ea propter ſi quid boni hic feceris, neque iuſtam tamen in hoc ſæculo mercedem receperis, ne conturberis.

(*Fulg. Fidem negat qui eã nõ aſſerit.*) Fulg. lib. 1. ad Traſ. cap. 1. Docet quod fidem nolle aſſerere, ſit fidem negare: & inter alia hæc dicit: Cauſam huius perditionis inſinuans adiecit: nam qui me erubuerit, &c. Nec immerito talis ſeruus & abijcitur, & punitur: quoniam vno, eodemque ſilentio firmat errorem, qui terrore, ſeu tepore poſſeſſus, ſilendo non adſtruit veritatem. Dominicam quoque gloriam, qui non firmarit, euacuat: & diuinam contumeliam, qui non refutarit, adcumulat. Plerumque miles ignauus regia caſtra, ſomnolento corpore depreſſus, oppugnantibus tradit: dum competentibus excubijs non defendit.

(*Eut.*) Euth. Mar. 8: Quiſquis, pudore tactus, non auſus fuerit confiteri me eſſe Deum, meoſque ſermones eſſe Dei, propter incarnationis humilitatem, afflictiones, & crucem: me quoque pudebit confiteri illum eſſe meum, quum venero, non iam abiectus, vt nunc, ſed glorioſus, ſicut pater meus. (*Etiam fidei cõfeſſio ad ſalutem eſt neceſſaria.*) Oportet enim non modo credere, verum etiam libere prædicare. Adulteram vero impiorum generationem appellauit: (*Cur generatio dicatur adultera.*) vtpore à Deo, qui pietatis, ac virtutis ſator eſt, deficientem: ac dæmoni adhærentem, qui impietatem, ac malitiam ſeminat. (*Eut. Vt Chriſtus veniet in gloria ſua, Patris, & Angelorum.*) Et Luc. 9: Verum quomodo & Patris, & ſanctorum Angelorum? Quia gloria patris, gloria eſt ipſius, quum vnum ſint. Ego & Pater, inquit, vnum ſumus: gloria vero Angelorum, etiam ipſius eſt: Dominus enim illorum eſt.

Ver. 7.

(*Aug. Varia lectio*) Aug. lib 2. de conſenſ. cap. 55. legit, opus eius, non opera eius. Et lib. 3. hypog: Quomodo vnicuique ſecundum ſua opera redderetur in die iudicij, niſi liberum eſſet arbitrium? Et infra: Propter liberum arbitrium, quo bona, & mala operantur homines, dictum eſt: Vnicuique reddet ſecundum opera ſua. (*Aug.*) Et ſer. 35. de verb. Apoſt: Non dixit quod reddat vnicuique ſecundum miſericordiam ſuam, ſed ſecundum opera ſua. Hic enim eſt miſericors, ibi iuſtus. (*Aug.*) Et ſer. 38. de Sanct: Non dixit: ſecundum fidem ſuam; ſed: vnicuique ſecundum opera ſua.

(*Hier.*) Hieron. Matt. 16: Petrus, ad prædicationem Dominicæ mortis ſcandalizatus, ſententia, Domini fuerat increpatus: prouocati diſcipuli, vt abnegarent ſe, & tollerent crucem ſuam, & morientium animo ſequerentur magiſtrum. Grandis terror audientium, & qui poſuit, principe Apoſtolorũ perterrito, etiam alijs metum (*Cur de ſua gloria nũc agat.*) injicere: idcirco triſtibus læta ſuccedunt, & dicit: Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis. Times mortem? audi gloriam triumphantis. Vereris crucem? auſculta Angelorum miniſteria. (*Cur dr. vnicuique ſecundum opera.*) Et tunc, inquit, reddet vnicuique ſecundum opera eius. Non eſt diſtinctio Iudæi, & Ethnici; viri, & mulieris; pauperum,

rum, & diuitum, vbi non perſonæ, ſed opera conſideratur.

Eut. Eadem eſt Patris, & Filij gloria.

Euth. Matth. 16: Simul demonſtrauit quod eandem habeat cum patre gloriam. In gloria, inquit, patris ſui. Quod ſi eandem habet gloriam, eiuſdem vtique ſubſtantiæ eſt, & potentię, ac diuinitatis: quorum enim gloria eſt eadem, horum & cætera quoque ſunt eadem.

Cyr. Eſa 42.

Cyril. lib. 12. theſaur. cap. 14: Si vere dictum per Deum patrem eſt: Nō dabo gloriam meam alteri; quomodo eam dat filio, ſi creatura eſt, & non eiuſdem ſubſtantiæ cum patre? Sed nefas eſt opinari non vere dictum eſſe à patre: Non dabo gloriam meam alteri. Dedit autem ipſam filio, vt Euangelium loquitur. Eiuſdem igitur eſſentiæ, atque naturæ filius, & Pater eſt, Spiritu etiam ſancto ſemper connumerato. Quomodo ergo creatura erit filius, ſi eiuſdem ſubſtantiæ cum patre eſt?

Eadem eſt Patris, & Filij gloria. Spiritus ſanctus eiuſdem eſt cum Patre, & Filio eſſentiæ.

Not. 5.

Bed. Simile.

Bed. Mar. 8: Sic dicitur fideli, qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, &c. ac ſi agricolæ dicatur, frumentum ſi ſeruas, perdis; ſi ſeminas, renouas. Quis enim neſciat, quod frumentum cum in ſemine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit? Sed vnde putreſcit in puluere, inde vireſcit in renouatione. Quia vero ſancta Eccleſia, aliud tempus habet perſecutionis, atque aliud pacis: Redemptor noſter ipſa eius tempora deſignauit in præceptis. Nam perſecutionis tempore, ponenda eſt anima. Pacis autem tempore, ea, quæ amplius dominari poſſunt, frangenda ſunt deſideria terrena. Vnde & nunc dicitur: Quid enim proderit homini, &c. Cum perſequutio ab aduerſarijs deeſt, valde vigilantius cor cuſtodiendum eſt. Nam pacis tempore, quia licet viuere, licet etiam ambire. Plerumque autem & auaritiam vincimus, ſed adhuc obſtat, quod vias rectitudinis minori tenemus cuſtodia, perfectioni. Nam ſæpe labentia cuncta deſpicimus, ſed tamen adhuc humanæ verecundiæ vſu præpedimur, vt rectitudinem, quam ſeruamus in mente, nondum exprimere valeamus in voce. Et tantum Dei faciem ad iuſtitiæ defenſionem negligimus, quantum humanas facies contra iuſtitiam veremur. Sed huic quoque vulneri congruum ſubiungitur medicamentum, cum Dominus dicat: Qui enim me confeſſus fuerit, &c. Sed ecce nunc apud ſe homines dicunt: Nos iam Dominum, & ſermones eius non erubeſcimus: quia aperta eum voce confitemur. Quibus ego reſpondeo, quod in hac plebe chriſtiana ſunt nonnulli, qui Chriſtum ideo confitentur, quia cunctos chriſtianos eſſe conſpiciunt. Non ergo ad probationem fidei vox ſufficit profeſſionis: quam defendit à verecundia profeſſio generalitatis. Et tamen vbi ſe quiſque interroget, vt in confeſſione Chriſti ſe veraciter probet: ſi non iam nomen eius erubeſcit: ſi plenè virtuti mentis humanum pudorem ſubdidit. Certè enim perſecutionis tempore erubeſcere poterant fideles, ſubſtantijs denudari, de dignitatibus deijci, verberibus affligi. Pacis autem tempore, quia hæc à noſtris perſecutionibus deſunt eſt aliud vbi oſtendamur nobis; veremur ſæpe à proximis deſpici, dedignamur iniurias verbi tolerare: Si contingat iurgium forsaſſe cum proximo erubeſcimus priores ſatisfacere. Cor quippe carnale dum huius vitæ gloriam quærit, humilitatem reſpuit. Et Matt. 16: Felices, qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando.

Duo Eccleſiæ tempora.

ver. 4.

ver. 6.

Chriſtum quis vere confiteatur.

Bed.

Not. 6. ver. 9.

Theoph. Cur hoc addat.

Theoph. Matt. 16: Dixerat venturum filium hominis in gloria ſua. Ne igitur incredulus fies, dicit quia ſunt hic quidam, qui, iuxta quod capere poſſunt, videbunt in transfiguratione gloriam ſecundi aduentus. Interim autem oſtendit, in qua gloria erunt, qui propter ipſum paſſi fuerint. Sicut enim tunc caro eius fulgurauit, ita pro ſua portione fulgebunt ſancti. Significat autem obſcurius hoc loco Petrum, & Iacobum, & Ioannem, quos in montem aſſumpſit, & oſtendit illis regnum ſuum, hoc eſt, futurum ſtatum, in quo venturus eſſet ipſe, & iuſti futuri. Dicit igitur quod quidam, qui hic ſunt, non morientur, donec viderint me transfigurari. Vide autem, quod ſtantes in bono, & firmi ſunt illi, qui vident Ieſum clarius transformari, & proficiunt ſemper in fide, & mandatis. Et Mar. 8: Quia autem de gloria ſua dicebat, volens eis declarare, quòd non hoc in vanum per arrogantiam loqueretur, dicit, quod ſunt quidam ex his ſtantibus, nempe Petrus, & Iacobus, & Ioannes, qui non morientur, donec oſtendero eis in transfiguratione, quanta cum gloria venturus ſim in ſecundo aduentu. Nihil enim aliud erat transformatio, quam ſecundi aduentus ſignificatio. Sic enim tunc & ipſe fulgebit, & ſancti eius.

Curait: de ſtantibus. Qui gloriā Chriſti videant.

Theoph.

Aug.

Hunc verſum nonum ponit eodem modo, quo nos, Aug. lib. 2. de conſ. cap. 56.

Eut. Cur hoc addat.

Euth. Matt. 16: Poſtquam de ſeipſo dixit, quod futurum eſſet, vt veniat in gloria, cum ſatellitio, ac comitatu, & præmiſſione angelorum cognito quod diſcipuli de hoc ſermone diffiderent, confirmat illum: præmittens quod non multo poſt, quidam ſe viſuri eſſent in gloria: hanc enim regnum nunc vocauit. Significabat autem ſuæ transformationis ſplendorem, quem poſt breue tempus demonſtraturus erat Petro, Iacobo, & Ioanni: Nam de his dixit: Sunt quidam hic ſtantes. Regnum autem ſuum, ſiue gloriam ſuam, ſplendorem illum nominauit, cum quo poſtmodum deſcenſurus eſt, quando reddet vnicuique, iuxta id quod operatus eſt. Venientem vero dixit, hoc eſt, apparentem.

Chriſti regnum, & gloria quid.

Rom. 2. Venientem.

Hier. Cur hoc addat.

Hieron. Matth. 16: Terrorem Apoſtolorum ſpe medicari voluerat promiſſorum, dicens: Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis. Inſuper authoritate Iudicis addita, & reddet vnicuique ſecundum opera ſua.

ſua. Poterat Apoſtolorum tacita cogitatio, iſtiuſmodi ſcandalum ſuſtinere. Occiſionem, & mortem nunc dicis eſſe venturam. Quod autem promittis te affuturum in gloria patris, cum Angelorum miniſterijs, & iudicis poteſtate, hoc in dies erit, & in tempora longa differetur. Præuidens ergo occultorum cognitor, quid poſſent obijcere, præſertim timorem, præſenti compenſat præmio. Quid enim dicit? Sunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo: vt qualis eſt poſtea venturus, ob incredulitatem veſtram præſenti tempore demonſtretur.

Bed. Regnum Dei quid ſit.

Bed. Mar. 8: Regnum Dei hoc loco, præſens Eccleſia vocatur. Et quia nonnulli ex diſcipulis vſque adeo in corpore victuri erant, vt Eccleſiam Dei conſtructam conſpicerent, & contra mūdi huius gloriam erectam, conſolatoria promiſſione nunc dicitur: Sunt quidam de hic ſtantibus qui non guſtabunt mortem, donec videāt regnum Dei veniens in virtute.

Cur hoc addatur.

Sed cùm tanta Dominus ſubeundæ mortis præcepta ederet, quid neceſſarium fuit vt ad hanc ſubito promiſſionem veniret? Quod ſi ſubtiliter attendamus, quanta diſpenſatione pietatis agatur, agnoſcemus. Diſcipulis enim rudibus etiam de præſenti vita aliquid promittendum fuit, vt poſſent robuſtius in futura ſolidari. Hic Iſraelitico populo ex Ægypti terra liberando, repromiſſionis terra promittitur, vt dum vocandus eſſet ad bona cæleſtia, terrenis promiſſionibus ſuaderetur. Vnde rectè quoque per Pſalmiſtam dicitur: Dedit eis regiones Gentium, & labores populorum poſſederunt, vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant. Sic ergo hoc loco rudibus diſcipulis veritas loquens, videndum regnum Dei promittit in terra, vt hoc ab eis fidelius in cælo præſumatur. Quod ſi regnum Dei hac ſententia futuram in cælis beatitudinem velimus accipere, & hoc quidam de aſtantibus non poſt multos dies in monte viderunt. Quod pia vtique prouiſione factum eſt, vt contemplationis ſemper manentis gaudij, tametſi raptum, atque ad breue momentum delibata, fortius inſtantia ſæculi tranſeuntis aduerſa tolerarent.

Cur ait: guſtabunt mortem.

Decentiſſimo ſane verbo ſanctos mortem guſtare teſtatur, à quibus nimirum mors corporis quaſi libando guſtatur, vita vero animæ veraciter poſſidendo tenetur.

Leo.

Leo ſerm. de Transfiguratione Domini: Petri laudatæ intelligentiæ celſitudo inſtruenda erat de inferioris ſubſtantiæ ſacramento, ne Apoſtolica fides ad gloriam confitendæ in Chriſto deitatis euecta, infirmitatis noſtræ receptionem indignam impaſſibili Deo, atque incongruam iudicaret; & ita iam in Chriſto humanam crederet glorificatam eſſe naturam, vt nec ſupplicio poſſet affici, nec morte diſſolui. (cap. 16) Et ideo dicente Domino, quod oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati à ſenioribus, & ſcribis, ac principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere; cum beatus Petrus, qui ſuperno illuſtratus lumine, de ardentiſſima filij Dei confeſſione feruebat, contumelias illuſionum, & crudeliſſimæ mortis opprobrium religioſo, vt putabat, & libero faſtidio reſpuiſſet, benigna à Ieſu increpatione correptus, & ad cupiditatem participandæ cum eo paſſionis animatus eſt. Subſequens enim exhortatio Saluatoris hoc inſpirauit, hoc docuit, vt volentes eum ſequi, negarent ſe ſibi, & pro ſpe æternorum, leuiſſimum ducerent temporalium detrimentum: quia is demum animam ſuam ſaluam faceret, qui eam pro Chriſto perdere non timeret. Vt ergo iſtam fœlicis conſtantiæ fortitudinem toto Apoſtoli corde conciperent, & nihil de ſuſcipiendæ crucis aſperitate trepidarent, vt de ſupplicio Chriſti non erubeſcerent, nec pudendam ſibi eam patientiam crederent, quæ ſic ſubitura erat ſæuitiam paſſionis, vt non amitteret gloriam poteſtatis: (Chriſtus cur coram diſcipulis transfiguratus ſit.) Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & fratrem eius Ioannem, & conſcenſo cum eis ſeorſum monte præcelſo, claritatem ſuæ gloriæ demonſtrauit: quia licet intellexiſſent in eo maieſtatem Dei, ipſius tamen corporis, quo diuinitas tegebatur, potentiam neſciebant. Et ideo proprie, ſignanterque promiſerat quoſdam de aſtantibus diſcipulis, non prius guſtare mortem, quàm viderent filium hominis venientem in regno ſuo, (Chriſti regnum quid ſit.) id eſt, in regia claritate, quam ſpiritaliter ad naturam ſuſcepti hominis pertinentem, his tribus viris voluit eſſe conſpicuam. Nam illam ipſius deitatis ineffabilem, & inacceſſibilem viſionem, (De qua gloria hic agatur.) quæ in æternam vitam mundis corde ſeruatur, nullo modo, mortali adhuc carne circundati, intueri, poterant.

Dam. an Ioānes. an ſit mortuus.

Damaſc. orat. de Dom. Transfig: Si tanquam de vno dixiſſet: Eſt quidam de hic ſtantibus; idem fortaſſe ſignificari conieciſſemus, quod per ea verba; Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? quod de Ioanne Theologo dictum eſt, vt qui vſque ad Chriſti aduentum, mortis omnino expers, perſtiturus ſit. Sic enim iam, nonnulli præſtanti eruditione viri hunc locum expoſuerunt. At quoniam diuinus ſermo plures fore, qui eum cernerent, indicauit, atque adeo opus ſubſecutum eſt, locum non dabit ijs, qui huiuſce loci explicationem, adhuc modum intelligere voluerint.

Hilar.

Hilar. can. 17. in Matth: Docet Dominus & rebus, & verbis, & fidem ſpei noſtræ æqualiter ſermo, atque opus inſtruunt. Graue enim onus infirmitati humanæ impoſuerat, vt cum (Cur hoc addat.) ſenſum vitæ homines ex viuendi affectu habere cæpiſſent, fructum eius, qui præſens corporibus blandiebatur amitterent, negarentque ſe ſibi, id eſt, quod eſſe cæpiſſent, eſſe ſe nollent, cum ſenſus huius exordium ex affectu voluntatis habuiſſent. Deinde opinionem ſpei ambiguæ incertæque ſequerentur, cum in his, quæ præſentia haberentur, illecebræ gaudij blandientis exiſterent. Opus ergo erat veri ac manifeſti exempli autoritate, vt contra vim ſen-

ſuumque iudicij optabile fieret, præſentium damnum, lucro deinceps non ambiguo futurorum. Igitur poſtquam & tollendam crucem, & perdendam animam, & damno mundi commutandam vitæ æternitatem monuerat, conuerſus ad diſcipulos ait: Quoſdam ex his futuros, qui guſtaturi mortem non eſſent, donec filium hominis in regni ſui gloria contuerentur. Ex conditione autem guſtatus, tenuem quandam fidelibus libationem, mortis oſtendit.

Cur ait: guſtabunt mortem.

Chryſoſt.

Chryſoſt. hom. 57. in Matt: Quoniam multa de periculis, multa de morte, multa de paſſione ſua, & de cæde diſcipulorum locutus eſt, & aſpera complura, atque ardua eis iniunxit: quę omnia, cum ad præſentem vitam ſpectarét, imminere iam, atque incumbere videbantur: bona vero, quæ pollicebatur, longiore ſpe erant expectanda; vt puta, quia ſeruarent animam ſuam, ſi perderent eam: quia in gloria patris ſui venturus ſit, & præmia redditurus: vt viſu etiam certiores faceret, quantum capere poſſint, gloriam ſuam, qua cum venturus eſt, in præſenti vita ipſis vult oſtendere, & iam viſuros pollicetur, ne aut ſua, aut Domini morte poſt hoc doleant, & maxime Petrus. Et vide quid agit, cum de regno, gehenna diſſeruerit: quando enim dixit: Qui inuenit animam ſuam, perdet eam, & quicunque perdet eam gratia mei, inueniet ipſam: & quia vnicuique ſecundum opera ſua reddet: regnum, & gehennam deſignauit. Cum igitur de vtriſque diſſeruerit, regnum quidem vt oculis cernatur concedit. Gehennam autem minime. Quare ſic? quoniam rudioribus, ac ineptioribus id neceſſarium erat, probis vero, & iam perſpicacibus ſatis fuit à melioribus confirmari: præterea hoc multo magis ipſum decebat: non tamen omnino illam partem prætermiſit, ſed eſt quando atrocitatem gehennæ quaſi ante oculos oratione proponit: veluti quando Lazari effigiem deſcripſit, & eius meminit, qui denarios centum repetijt, & illius qui ſordida veſte veſtitus erat.

Cur hoc addat.

Cur potius gloriam, quam gehennam oſtédeut.

C A P. 84. *Domini transfiguratio.*

Matt. 17. *Dom. 2. Quadr.* *Sab. 4. temp. Quad.* *In feſto Transfigur. Dom.*	*Mar. 9.*	*Luc. 9.*	*Ioan.*
1 [ET poſt dies ſex + aſſumit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius.	1 [ET poſt dies ſex aſſumit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.	1 FActum eſt autem poſt hæc verba, fere dies octo, & aſſumpſit Petrum, & Iacobum, & Ioannem.	
2 Et ducit illos in montem excelſum ſeorſum.	2 Et ducit illos in montem excelſum ſeorſum ſolos.	2 Et aſcendit in montem, vt oraret.	
3 Et transfiguratus eſt ante eos.	3 Et transfiguratus eſt coram ipſis.		
4 Et reſplenduit facies eius ſicut ſol.		4 Et facta eſt, dum oraret ſpecies vultus eius altera.	
5 Veſtimenta autem eius, facta ſunt alba, ſicut nix.	5 Et veſtimenta eius, facta ſunt ſplendentia, & candida nimis, velut nix. 6 Qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.	5 Et veſtitus eius albus, & refulgens.	
7 Et ecce, apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes.	7 Et apparuit illis Elias cum Moyſe: & erant loquentes cum Ieſu.	7 Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes, & Elias.	
		8 Viſi in maieſtate, & dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem. 9 Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant ſomno. 10 Et euigilantes viderũt maieſtatem eius, & duos	

Reſpon-

Matt. 17.	Mar. 9.	Luc. 9.	Ioan.
		viros, qui ſtabant cum illo.	
		11 Et factum eſt, cùm diſcederent ab illo.	
12 Reſpondens autem Petrus, dixit ad Ieſum: Domine, bonum eſt nos hic eſſe:	12 Et reſpondens Petrus, ait Ieſu: Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe:	12 Ait Petrus ad Ieſum: præceptor, bonum eſt nos hic eſſe:	
13 Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.	13 Et faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ vnum.	13 Et faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moyſi, & vnum Eliæ.	
	14 Non enim ſciebat quid diceret.	14 Neſciens quid diceret.	
	15 Erant enim timore exterriti.		
16 Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos.	16 Et facta eſt nubes obumbrans eos.	16 Hæc autem illo loquente, facta eſt nubes, & obumbrauit eos.	
		17 Et timuerunt, intrantibus illis in nubem.	
18 Et ecce vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.	18 Et venit vox de nube, dicẽs: Hic eſt filius meus chariſſimus: audite illum.	18 Et vox facta eſt de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus: ipſum audite.	
		19 Et dum fieret vox, inuentus eſt Ieſus ſolus.	
20 Et audientes diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde.			
21 Et acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere.			
22 Leuantes autem oculos ſuos, neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum.	22 Et ſtatim circumſpicientes, neminem amplius viderunt, niſi Ieſum tantum ſecum.		
23 Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Ieſus, dicens: Nemini dixeritis viſionẽ, donec filius hominis à mortuis reſurgat. ✠	23 Et deſcendentibus illis de monte, præcepit illis, ne cuiquam, quæ vidiſſent, narrarent: niſi cum filius hominis à mortuis reſurrexerit.		
	24 Et verbum continuerunt apud ſe.	24 Et ipſi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his, quæ viderant.	
	25 Conquirentes quid eſſet: cum à mortuis reſurrexerit.		

Not. 1.

Summa. Ieſus orans transfiguratus in monte, ſpecimen edit gloriæ beatorum.

POST dies octo ferme, aſſumens ſecum Petrum, Iacobum, & Ioannem, ducit eos in montem excelſum, ſeorſum; & dum oraret, transfiguratus eſt ante eos, adeo vt ſicut ſol facies eius reſplenderet. Viſi ſunt Moyſes, & Elias loquentes cum eo, de exceſſu, quem Hieroſolymis impleturus erat, quid tunc Petrus dixerit, ac cætera, quæ ſunt ſecuta, Euangeliſtæ fuſius proſequuntur.

Aug. Aug. lib. 2. de conſ. cap. 56: Hæc viſio Domini in monte, coram tribus diſcipulis, Petro, Iacobo, & Ioanne, vbi etiam de cælo, illi teſtimonium

Tres hoc narrant.

nium paternæ vocis perhibitum eſt, à tribus Euangeliſtis, eodem ordine, commemoratur, & ad eaſdem omnino ſententias; ſed cætera ſecundum ea genera locutionum diuerſa, ſine vlla ſententiarum diuerſitate, quæ multis locis ſuperius demonſtrauimus, videri à legentibus poſſunt.

Eut. Eut. Luc. 9: De hac transformatione manifeſtius ſcripſit Matt. Quæ prætérijt Matt. ea Lucas expreſſit: quæ vero prætermiſit Lucas, ea ſcripſit Matthæus.

Ver. 1.

Aug. Numeri diſſonātia cōciliatur. Aug. lib. 2. de conſen. cap. 56: Quod autem Marcus poſt ſex dies factum dicit, ſicut Matthæus; Lucas autem poſt octo, non contemnendi ſunt, ſi quos mouet; ſed ratione reddita inſtruendi. Dies enim quando enunciamus, dicentes: Poſt tot dies, aliquando non annumeramus eum, in quo loquimur, & eum, quo res ipſa futura eſt, quam prǣnunciamus, vel pollicemur; ſed medios, poſt quos re vera plenos, atq; integros illud futurum eſt hoc fecit Matthæus, & Marcus, excepto eo die, quo hęc loquebatur Ieſus, & illo, quo exhibuit memoratam in monte viſionem, medios dies intuentes dixerunt: Poſt ſex dies. Quod ille annumeratis finalibus, id eſt, primo, atque vltimo, dixit: Poſt octo dies, eo loquendi modo. quo pars pro toto cōmemoratur. (Lucas dies octo per ſynechdochen poſuit.)

Auct. Aug. Sic etiam diſſonantiam apparentem dierum ſoluit idem Aug. lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 35. & lib. 1. quæſt. Euangelicarum cap. 7.

Hier. Hieron. Matt. 17: Quare Petrus, & Iacobus, & Ioannes in quibuſdam Euangeliorum locis ſeparentur à cæteris: aut quid priuilegij habeant extra alios Apoſtolos, crebro diximus: Nunc quæritur, quomodo poſt ſex dies aſſumpſerit eos, & duxerit in montem ſeorſum: Cum Lucas Euangeliſta octonarium numerum ponat. Sed facilis reſponſio eſt: quia hic medij ponuntur dies: ibi primus additur, & extremus. Non enim dicitur: Poſt dies octo aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem; ſed die octauo. Ducere ad montana diſcipulos, pars regni eſt. Ducuntur ſeorſum: quia multi vocati, pauci vero electi. (Quomodo poſt ſex, & poſt octo dies. — Cur ait: In montem. Cur ait: Seorſum.)

Auct. Andr. Dam. Amb. Vict. Theoph. Epiph. Euth. Chryſoſ. Hanc difficultatem de ſex, & octo diebus, eodem modo reſoluit Andreas Cretenſis orat. de Transfig. Domini. Damaſ. ora. de Domini Trāſfig. Amb. l. 7. in Luc. Vict. Antio. Mar. 9. Theoph. Matt. 17. Mar. 9. & Luc. 9. Euth. Matt. 17. Epiph. hęrc. 69. in fine. Chryſoſt. hom. 57. in Matt. hom. 10. in Marcum, & cæteri omnes.

Bed. Cur die 8. transfiguretur. Bed. hom. de hac Euang. lectione: Octaua autem die Dominus promiſſam futuræ beatitudinis gloriam diſcipulis manifeſtat, vt & oſtēſa cęleſtis vitę dulcedine, cunctorum, qui hæc audire poſſint, corda refoueat, & octonario dierū numero, verum tempore reſurrectionis gaudium doceat eſſe vēturum. Nam & ipſe octaua die, id eſt, poſt ſextam ſabbati, qua crucem aſcendit, ac ſeptimam ſabbati, qua in ſepulchro quieuit, à mortuis reſurrexit: Et nos poſt ſex huius ſæculi ætates, in quibus pro Domino pati, & laborare gaudemus, ac ſeptimam ſabbati animarum quę interim in alia vita geritur, octaua proſecto ætate reſurgemus. Nam quod Matthæus Dominū, Marcuſq; poſt ſex transfiguratum dicunt dies, nec tēporis ordine, nec ratione myſterij diſcrepant à Luca, qui octo dies dicit: quia illi medios tantum ponunt dies, vnde & abſolute poſt ſex dies factum commemorant. Hic primum, quo hæc Dominus promiſit, & vltimū, quo ſua promiſſa compleuit, adiungit: Ideoq; temperatius, fere dies octo, ponit. Et in oratione myſtica, illi poſt ſex mundi ætates ſanctis ab omni labore quieſcendum; hic vero tēpore octauo deſignat eſſe reſurgendum. Vnde pulchre & ſextus Pſalmus pro octaua ſcribitur, cui initium eſt: Domine ne in furore tuo arguas me: quia nimirum per ſex ætates, quibus operari licet, precibus eſt inſiſtendum, ne in octauo retributionis tempore, à iudice corripiamur irato. Quod & ipſe Dominus voluit hoc loco nos, oſtenſo ſuæ orationis exemplo, docere; de quo, ſecundum Lucam, dicitur: Quia aſcendit in montem, vt oraret. In montem namque oraturus & transfiguraturus ſic aſcendit, vt oſtendat eos, qui fructum reſurrectionis expectant, qui regem in decore ſuo videre deſiderant, mente in excelſis habitare, & continuis precibus incumbere debere. Tres ſolummodo diſcipulos ſecum ducit, vel quia multi ſunt vocati, pauci vero electi, vel quod hi, qui nunc fidem, qua imbuti ſunt, ſanctæ Trinitatis incorrupta mente ſeruauerint, tunc æterna eius merentur viſione lætari. Idem habet Mar. 9. Luc. 9. & Matt. 17. Itaque fere dies octo: quia poſt ſex integros, & aliquam duorum extremorum partem. (Cur poſt ſex dies. — Quomodo [illegible] — Cur [illegible] octo [illegible] — Cur [illegible] Lucas [illegible] — Cur in montem [illegible] — Iſa. 33. Secum tres ſolum ducit. — Matt. 20. — Bed.)

Vict. Victor Antioch. Mar. 9: Hi tres tanquam Coriphæi, primas inter Apoſtolos obtinebant.

Cur tres aſſumpſit. Eut. Euth. Matt. 7: Quare autem ſolos hos tres aſſumpſit, non modo tantum, ſed & alias frequentius, ſicut in progreſſu inueniemus? Quia cæteris diſcipulis præſtantiores erant: Petrus quidem, eo quod valde diligeret eum, propter fidei feruorem; Ioannes vero, quia plurimum diligebatur ab illo, propter virtutum excellentiam; Iacobus autem, quia grauis admodum erat Iudæis, intantum vt Herodes occiſo illo maximam præſtiterit gratiam Iudæis. Vide autem quomodo Matthæus non occultauerit illos, qui ſibi prępoſiti ſunt. Hoc autem & Ioannes, pleriſque in locis, facit, præcipua Petri encomia libenter deſcribens: Apoſtolorum namque chorus expers erat inuidiæ. Ideo autem quum dixiſſet Chriſtus, ſunt quidam de hic ſtantibus, horum occultauit nomina, ne cæteris contriſtaret: nam indignos ſeſe arbitrati, doluiſſent ſe deſpici. Habet idem Chryſoſt. hom. 57. in Matt. (Matthæus nō occultat, qui ſibi præferuntur. — Chryſoſt.)

Dam. Cur non omnes Apoſtoli gloriam Domini viderint. Damaſc. oratione de Transfigur. Domini: Quidnam autē cauſæ eſt, quamobrem quidam duntaxat, ac non omnes, parem gratiam conſecuti ſint? An non omnes diſcipuli, & Apoſtoli? An non omnes ſimul atque vocati ſunt, æque ſecuti ſunt? An non omnes parem curandorum morborum gratiam nacti ſunt? Cur igitur non omnes

omnes etiam hoc quoque, proſpectum omnem ſuperante, ſpectaculo donati ſunt: An non Dominus à perſonarũ acceptione alienus eſt? Omnes quidem diſcipuli: at non omnes auaritiæ morbo cæcurientes. Omnes diſcipuli: at non omnes præ inuidiæ lippitudine oculorum perſpicacia priuati. Omnes diſcipuli: at non omnes proditores. Omnes Apoſtoli: at non omnes per deſperationem laqueo guttur implicantes, ac malum malo corrigentes. Omnes Chriſti amore præditi: at vnus pecuniæ ſtudio flagrans, Iudas, inquam, Iſcariotes. Vnus hic dumtaxat indignus erat, qui diuinitatem ſpectaret. Tollatur, inquit, impius, vt non videat gloriam Dei. Hic igitur ſolus à reliquis miſſus factus, vt liuore, atque inuidia laborans, maiori furore incendebatur. Oportebat autem omnes gloriæ ſpectatores fieri, qui cruciatuum poſtea futuri erant. Idcirco Apoſtolorum principes ſuæ gloriæ, & claritatis teſtes adſciſcit. Tres porro numero, vt Venerandum Trinitatis myſterium ſubindicaret. Atque ſub duobus, ac tribus teſtibus ſtabit omne verbum. Ad hunc modum proditori quidem proditionis crimen occludit. Apoſtolis autem ſuam diuinitatem patefecit. Iudas etenim Andream cum cæteris infra manſiſſe conſpiciens, excuſandi facinoris ſui cauſa hoc dicere non poterat, ſe ob eam cauſam ad Dominum vendendum impelli, quod huiuſmodi ſpectaculo caruiſſet. Hac de cauſa factum eſt, vt Andreas, reliquuſque item Apoſtolorum chorus infra manſerit, ratione quidem loci corporeo modo diſiunctus, at per charitatis vinculum, animique agitationem copulatus. Et poſt ſex dies, vt diuini Euangeliſtæ Matthæus, & Marcus ſcribunt, vt autem ſingulari ſapientia præditus Lucas, factum eſt poſt ſermones hos tanquam dies octo. Proprie autem, ac vere octo, ac ſex dies à veritatis præconibus commemorantur. Neque enim in his verbis diſſenſio eſt: verum ſumma concordia, ab eodem ſpiritu promanans. Non enim ipſi ſunt, qui loquuntur; ſed ſpiritus Dei, qui in ipſis loquitur. Cum enim venerit Paracletus, inquit, ipſe vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia. Quocirca qui poſt ſex dies, dixerunt, ſubtractis extremis, hoc eſt, primo & vltimo, medios tantum receuſuerunt. Qui autem octo numerat, & hos, & illos enumerat. Nam ſic quoque illos numerare apud homines in vſu poſitum eſt. Et quidem ſenarius, vt primus, ac perfectus numerus, vſurpatur. Ex ſuis enim partibus perficitur. Huius enim ternarius dimidium eſt, binarius tertia pars, vnum ſexta pars: quæ quidem in vnum conflata, perfectum eum, abſolutumque reddunt. Ac proinde ſenarium ij, qui harum rerum periti ſunt, perfectum appellarunt. Quinetiam ſex dierum ſpatio rerum omnium, quæ in oculorum ſenſum cadunt, congeriem Deus ſermone ſuo effecit. Perfectos porro eos eſſe, qui diuinam gloriam conſpexerint vero ſimile eſt, illam, inquam, ſpectaculum omne ſuperantem, illam ſolam perfectione omni ſubli-

Ephe. 6.

Cur Apoſtolis Chriſtus gloriã ſuam oſtẽdit.

Cur tres ſint aſſumpti.

1 Cor. 13.

Quomodò poſt ſex, & octo dies.

Senarij perfectio.

miorem, atque antiquiorem. Eſtote enim, inquit, perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Octonarius autem idcirco adhibetur; quia futuri æui figuram gerit. Etenim ſeptem ſæculis vita præſens concluditur. Octaua vero futura vita prædicatur, quemadmodum magnus ille Theologus Gregorius dixit, illum Salomonis locum exponens, date partem ſeptem, hoc eſt, vt ille inquit, præſenti huic vitæ: atque etiam octo, id eſt, futuræ. Conueniebat porro vt in octaua, ea quæ ad octauam pertinebant, perfectis reuelarentur. Vt enim ille diuinus vere diuinarum rerum interpres Dionyſius dixit, ſic Dominus à perfectis famulis ſuis conſpicietur, quemadmodum in monte Tabor ab Apoſtolis conſpectus eſt. Ac de dierum enumeratione hæc nobis explicata ſint. Iam vero quid cauſæ eſt, quamobrem Petrum, & Iacobum, & Ioannem aſſumpſerit? Petrum, vt teſtimonium, quod vere præbuerat, à patre exhibitum fuiſſe oſtenderet, ac ſententiæ ipſe ſuæ fidem aſtrueret; nempe quod pater cæleſtis hoc ei teſtimonium patefecerat. Atque etiam vt antiſtitem, quique totius Eccleſiæ gubernacula ſuſcepiſſet. Iacobum autem, vt qui ante omnes Apoſtolos pro Chriſto mortem oppetiturus, ipſiuſque calicem bibiturus, ac baptiſmum, ipſius cauſa, ſuſcepturus eſſet. Ioannem denique vt virginem, & puriſſimum Theologiæ organum: quo Dei gloriam omni tempore ſublimiorem conſpicatus, illud poſtea: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, intonaret. Vnde etiam tonitrui filius appellatus eſt.

Matt. 5

Octonarius futuri æui figurã gerit.

Naz.

Areop.

Cur hos tres aſſumpſerit.

Totius Eccleſiæ Petrus gubernacula ſuſcepit.

Ioan. 1.

Cur Ioannes dictus ſit tonitrui filius.

Not. 2. ver. 2.

VICT. Mar. 9: Poterat ſane in domo gloriam ſuam diſcipulis patefacere; verum quod montis celſitudo quandam cum maieſtatis illius celſitudine cognationem haberet, quos ſecum ex diſcipulis aſſumpſit, in montem excelſum ſubduxit. Quod tres illos ſolos ſeorſum aſſumpſiſſe ſcribitur, illud Dominum, quæ acciderant, per id tempus inuulgari noluiſſe, myſtice deſignat.

Euth. Matth. 17: Subducit illos in montem excelſum, vt à nullo alio conſpici poſſit: ideo etiam addit, ſeorſim. Nihil enim faciebat ad gloriam, ſed omnia ad vtilitatem. Præterea vt diſcamus oportere à terrena ſubleuari humilitate eum, qui diuina contemplatione dignus habendus eſt.

Theoph. Matth. 17: In montem excelſum ſubducit illos, oſtendens quod niſi quis exaltetur, non dignus ſit diuinis contemplationibus. Seorſum autem, ſolitus enim eſt Chriſtus clariora miracula in occulto facere: vt ne, ſi apud multitudinem vt Deus conſpiceretur, homo ſecundum apparentiam exiſtimaretur.

Et Mar. 9: In montem autem excelſum ſubduxit, quo glorioſius fiat miraculum.

Et Luc. 9: In montem aſcendit, vt oraret. Oportet enim nos ſolitarios eſſe, & aſcendere, & nullis

Vict.

Cur Dominus in mõte potius, quàm in domo ſuã transfiguratus ſit.

Cur Dominus tres tantũ ſuæ transfigurationi adhibuerit.

Cur in mõtem, & ſeorſum.

Theoph.

Cur in mõtem

Cur ſeorſum.

Theoph.

Theoph.

nullis terrenis rebus intendere orando.

Bed. Cur ait: Seorſum. Bed. Matth. 17: Bene addidit, ſeorſum; quia tunc iuſti à prauis ſeparantur, quorum nunc vitijs premuntur: licet fidei intentione diiuncti ſint.

Bed. Cur in mõtem orare. Et Luc. 9: In montem namque oraturus, & ſic transfigurandus aſcendit, vt oſtendat eos, qui fructum reſurrectionis expectant, qui regem in decore ſuo videre deſiderant, mente in excelſis habitare, & continuis precibus incumbere debere.

Bern. Bern. ſerm. 4. in Aſcenſ. Domini: Vt quid enim aſcendit vt transfiguraretur niſi vt doceret nos cogitatione aſcendere ad futuram illam gloriam, quæ reuelabitur in nobis?

Dam. Damaſc. orat. de Transfigur. Dom: Quid autem eſt, cur diſcipulos in montem excelſum ſubducat? Montes quid in ſcriptura ſignificẽt. Montes figurato ſenſu virtutes ſcriptura nominat. Omnium porro virtutum apex, ac velut arx quædam eſt charitas. 1 Cor. 13. Hac enim perfectio definitur. Nam ſi quos hominum, & Angelorum linguis loquatur, atque habeat fidem, ita vt etiam montes transferat, & omnem ſcientiam, & nouerit omnia myſteria, & tradiderit corpus ſuum vt ardeat, charitatem autem non habuerit, factus eſt æs ſonans, aut cymbalum incaſſum, atque inarticulatè tinniens, nihilique æſtimabitur. Operæpretium eſt igitur, vt terrena terræ relinquentes, ac ſupra corpus humilitatis aſſurgentes, atque ad ſublimiſſimam, ac diuinam charitatis ſpeculam enecti, ita demum ea, quæ aſpectum omnem ſuperant, intueamur. Nam qui ad ſummum charitatis verticem peruenit, quodammodo à ſe excedens, eum, qui cerni non poteſt, perſpicit, atque corporeæ nubis caliginem mentis luminibus officientem præteruolans, atque in animæ ſerenitate conſtitutus, in iuſtitiæ ſolem liquidius oculos defigit, tametſi non prorſus huiuſmodi ſpectaculo expleri queat. Oratio ſeceſſum requirit. Hanc autem vocem, ſeorſum, idcirco adiungit Euangeliſta, vt oſtendat orationis cauſa in ſemotum locum ſecedendum eſſe. Seorſum. Mater enim orationis eſt ſolitudo: oratio autem, diuinæ gloriæ demonſtratio. Nam cum occluſis omnibus ſenſibus nobiſcum ipſi, & cum Deo verſamur, atque ab externa huiuſce mundi iactatione velut in libertatem vindicati, intra noſipſos ſumus, tum demum perſpicue Dei regnum in nobiſipſis cõſpicimus. Luc. 17 Regnum enim cælorum, hoc eſt, Dei regnum, intra nos eſt, quemadmodum Chriſtus pronũciauit. Cæterum alio modo ſerui, & alio Dominus orabat. Diſcrimẽ inter Chriſti & hominum orationem. Etenim ſerui metu, atque amore per poſtulationem ad Dominum accedunt, atque oratio hoc menti affert, vt ad Deum peregrinetur; & cum eo copuletur, eamque per ſe alit, & corroborat. Cur Chriſtus orauit. At vero ſancta illa mens, cum Deo verbo per hypoſtaſim vnita ſit, quo tandem pacto orabit? Quonam item modo Dominus orans aſtabit? An non perſpicuum eſt, ea de cauſa ipſum oraſſe, quia perſonam noſtram adſciſcebat, atque vt nos erudiret; viamque nobis, qua ad Deum per precationem aſcenderemus, muniret; doceretque per orationem nobis diuinam gloriam conciliari, illudque etiam oſtenderet, ſe Deo minime inimicum, & aduerſarium eſſe; tum præterea, vt patrem, tanquam ſui principium, & cauſam, honore afficeret; carnemque per naturam ſuam graſſari permitteret, vt per ſeipſam & robur concipiat, & erudiatur, atque ad præſtantiorum diſciplinam, & habitum perueniat? Quinetiam vt tyrannum, ſedulo, an Deus eſſet, obſeruantem ineſcaret. Nam hoc miraculorum potentia prædicabat. Ob eam cauſam diuinis humana nunquam non miſcet, tanquam ſcilicet ſub eſca hamum occultans. Sic enim is, qui diuinitatis ſpe tanquam eſca quadam obiecta hominem in fraudem induxerat, merito per carnis aſſumptionem ineſcabitur. Exod. 14. Moyſis & Chriſti gloriæ diſcrimen. Cernens enim eum inter orandum effulgẽtem, ſtatim ei faciei Moyſis glorificatæ in mentem venit. Verum Moyſes quidem gloria externe aduẽtante glorificatur: at Dominus Ieſus haudquaquam aſcititium gloriæ ornamentum habebat, verum ex inſita diuinæ gloriæ claritate manans. Quænam porro inuocatio erat, Propheta Dauid doceat, aperte proloquens, ipſe inuocabit me, pater meus es tu, Deus meus & ſuſceptor ſalutis meæ. Pſal. 88. Pater nimirum vt Dei, ac filij, quique ante ſæcula, atque omnem eſſentiam, à patre effulſerit. Deus autem & ſuſceptor ſalutis, vt incarnati, quique noſtram in ſeipſo naturam, atque humanitatis perſonam ſubierat. Vnde etiam ſubiunxit: Et ego primogenitum ponam illum. Rom. 8. Primogenitus enim inter multos fratres extitit, qui æque ac nos carnis, & ſanguinis particeps factus eſt. Atque, vt quidem Deus verbum, filius ſempiternus, haudquaquam poſtea factus eſt: vt autem homo, poſtea quoque factus eſſe dicitur: vt in eo filietatis proprietas ab omni mutatione aliena maneat. Ipſe caro factus, carne Dei filio facta, iam inde à primo ortus momẽto propter hypoſtaticam vnionem ipſe hoc factus eſſe dicitur, per diuinitatem quidem exiſtens, factus autem inſtar hominis. Tractat etiam Dam. lib. 3. de fide cap. 24. cur, & quomodo Chriſtus orauerit.

Ver. 3. 4. 5. 6.

Hier. Qualem ſe Dominus in transfiguratione oſtenderit. Hieron. Matt. 17: Qualis futurus eſt tempore iudicandi, talis apparuit Apoſtolis. Quod autem dicit, transfiguratus eſt ante eos: nemo putet priſtinam eum formam, & faciem perdidiſſe, vel amiſiſſe corporis veritatem, vel aſſumpſiſſe corpus vel ſpirituale, vel aereum: Qualis transfiguratio erat. ſed quomodo transformatus ſit, Euangeliſta demonſtrat, dicens: Et reſplenduit facies eius ſicut ſol.) Vbi ſplendor faciei oſtenditur, & candor deſcribitur veſtium; non ſubſtantia tollitur, ſed gloria commutatur. Certe transformatus eſt Dominus in eam gloriam, qua venturus eſt poſtea in regno ſuo. Qualem gloriam Chriſtus oſtenderit. Transformatio ſplendorem addidit, faciem non ſubtraxit. Eſto, corpus ſpirituale fuerit: num & veſtimenta mutata ſunt, quæ in tantum fuere candida, vt alius Euangeliſta dixerit: Qualia fullo ſuper terram non poteſt facere. Quod autem fullo ſuper terram poteſt facere, corporale eſt, & tactui ſubiacet, & non ſpirituale, & aereum, quod illudat oculis, & tan-

& tantum in phantaſmate conſpiciatur. Vide Leonem lect. 1. ſab. quat. temp. Quad. & lect. 7. 8. & 9. Dom. 2. Quadr. & Chryſoſt. lect. 7. & 8. die 6. Aug.

Leo. Chryſoſt.

Bed. Qualis transfiguratio erat. Qualem gloriam Chriſtus oſtenderit.

Bed. in hom: Transfiguratus Saluator, non ſubſtantiam veræ carnis amiſit, ſed gloriam futuræ vel ſuæ, vel noſtræ reſurrectionis oſtendit. Qui qualis tunc Apoſtolis apparuit, talis poſt iudicium cunctis apparebit electis. Nam in ipſo tempore iudicandi, & bonis ſimul, & malis in forma ſerui videbitur, vt videlicet impij quem ſpreuere, Iudæi quem negauere, milites quem crucifixere, Pilatus Herodeſque quem iudicauere, queant agnoſcere iudicem. Veſtimenta autẽ Domini recte ſancti eius accipiuntur, teſte Apoſtolo, qui dicit: Quicunque ergo in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. (Gal. 3) Quæ videlicet veſtimenta, Domino in terris conſiſtente, deſpecta, aliorumque ſimilia videbantur; ſed ipſo montem petente, nouo candore refulgent; quia nunc quidem filij Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus: videbimus enim eum ſicuti eſt. (1 Ioan. 3.) Vnde bene de eiſdem veſtimentis ſubditur: Qualia fullo ſuper terram non poteſt candida facere. (Fullo quis ſit.) Nam quia ille hoc loco intelligendus eſt fullo, quem pœnitens Pſalmiſta precatur: Amplius laua me ab iniuſtitia mea, & à delicto meo munda me, (Pſal. 50.) non poteſt ſuis fidelibus in terra dare claritatem, quæ eos conſeruata manet in cælis. (Bed.) Idem habet Matt. 17. Mar. 9. & Luc. 9.

Not. 3. ver. 3.

Dam.

DAMASC. oratione de Transfig. Domini: Nunc viſa ſunt, quæ hominum oculis cerni non poterant, nimirum terrenum corpus diuinum ſplendorem emittens, mortale corpus deitatis gloriam fontis inſtar fundens. Nam & verbum caro, & caro verbum facta eſt, etiamſi neutrum horum à ſua natura deſciuerit. O miraculum mentem omnem ſuperans? non externe corpori gloria acceſſit, ſed interne ex Dei verbi deitate, modo quodam omnem ſermonem excedente ipſi perſonaliter vnita. Ergo in monte Tabor aſſumptis ijs, qui ſummis virtutum ornamentis præditi erant, transfiguratus eſt ante eos. Coram diſcipulis transfiguratur, qui ſemper eodem modo glorificatus eſt, ac diuinitatis fulgore collucet. Etenim citra vllum temporis ſpatium ex patre genitus, ſempiternum diuinitatis radium habet non autem poſtea ipſum eſſe, atque ipſam gloriam nanciſcens. Quanquam enim ex patre eſt: at ſine principio tamen, ac tempore eſt ſuamque gloriæ claritatem habet. Atque aſſumpta carne idem ipſe eſt, eandem gloriæ claritatem retinens. Ac gloriam quidem caro, ſimul atque ex nihilo in ortum producta eſt, obtinuit, diuinitatiſque gloria corpori quoque gloriam conciliauit. Vnus enim eſt Chriſtus, qui & hoc, & illud eſt, eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, atque eiuſdem nobiſcum naturæ, ac generis. Quanquam igitur nunquam ſanctum illud corpus diuinæ gloriæ expers fuit: verum à primo hypoſtaticæ vnionis momento inuiſibilis diuinitatis gloria perfectè locupletatum eſt, ita vt vna eademque eſſet Verbi, ac carnis gloria: at cum ea gloria in corpore ſub aſpectum cadente obſcura eſſet, ab ijs, qui carnis vinculo conſtringebantur, nec ea, quæ Angelorum quoque proſpectum fugiebant, capere poterant, cerni non poterat. Transfiguratur itaque, non quod non erat aſſumens, nec in id, quod non erat, migrans: verum id, quod erat, Diſcipulis ſuis declarans, eorum nimirum oculos aperiens. Atque hæc ſententia eſt horum verborum: Transfiguratus eſt ante eos. Idem enim ipſe manens, præter id quod prius cernebatur, aliud nunc diſcipulis apparere videbatur.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 239: Domini, ac Saluatoris noſtri in monte transfiguratio, noſtram (Iſidor.) à morte ad vitam excitationem præſignat. (ver. 3.) Quam quidem etiam vſque ad ipſius reſurrectionem, tacitam apud ſe temere ſpectatores iubebantur: vtpote tum fidem inuenturam, vt quæ iam reipſa perſpiceretur. Moſis autem, & Heliæ præſentia hoc teſtabatur, eum & viuis, & mortuis dominari.

Ver. 4.

Aug. lib. 3. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ (Aug.) cap. 10: Licet in hac oſtenſione, Domini facies (Vnde hic ſplendor erat.) ſolari ſplendore fulſerit, non tamen ipſa caro ſplenduit; ſed diuinitas latens in corpore, luminis ſui portiunculam conſpiciendam foris videntibus, quantum poterant, conceſſit.

Et ſer. 28. de diuerſis: Splenduit vultus eius, ſicut ſol, hoc ſignificat Euangelij claritatem. (Aug.)

Euth. Luc. 9: Orans autem transformatus (Eut.) eſt vt diſcamus, quod oratio transformat, ac illuſtrat hominem, ſi fiat quemadmodum oportet. (Cur orãdo ſit träsformatus.)

Epipha. hære. 69. in fine: Fulgebat facies eius (Epiph.) inſtar ſolis, facies in carne, ſimul exiſtens in deitate. Caro videlicet, quæ ex Maria, & ex noſtro genere erat, & transformabatur in gloriam, honorem, ac perfectionem deitatis acquirens, & gloriam cœleſtem; quam non habebat caro ab initio: verum hic in co vnitione Dei verbi accepit.

Damaſc. oratione de Transfiguratione Domini: (Dam.) Ac ſolis quidem inſtar, ipſius facies lucet (etenim luci materia carenti perſonaliter vnitur, eique iuſtitiæ ſol efficitur) atque ipſius veſtimenta tanquam nix albeſcunt: veſtimentum enim non per vnionem glorificatum eſt: verum per quandam dumtaxar affectionem, ac non item hypoſtatice. Et reſplenduit facies eius, ſicut ſol, eius, inquam, qui pro ingenti ſua potentia ſolem hunc lumine perfudit, eius qui lucem ſole antiquiorem procreauit, ac ſolis luminare, vt lucis conceptaculum eſſet: poſtea fabricatus eſt. Ipſe enim lux vera eſt quæ ex vera, & materia carente luce ſempiterne gignitur, illud, inquam, Patris ſubſtantiale verbum, ille gloriæ ſplendor, ille naturalis Dei, ac patris ſubſtantiæ character. Eius, inquam, facies reſ-

plenduit ſicut ſol Quid ais Euangeliſta? Quid ea, quæ vere incomparabilia ſunt, comparas? Quid ea confers ac componis, quæ nullam collationem admittunt? Dominuſne inſtar famuli? Lumenne illud quod ferri, propiuſque adiri non poteſt, inſtar huius quod ab omnibus conſpicitur, effulſit? At non comparo, inquit, neque confero ſolum illud ingenitum lumen, ac diuinæ gloriæ ſplendorem, qui nullius rei ſimilitudinem gerit: verum quia mihi cum iis, qui carnis catenis vincti ſunt, oratio eſt, id quod inter corpora præſtantiſſimum ac præclariſſimum eſt, exempli cauſa accipio: non quod quã ſimillimum ipſi ſit (neque enim fieri poteſt, vt quod increatum eſt, in rebus creatis ita exprimatur, vt nullum omnino diſcrimen inſit.) Verum quemadmodum ſol quamuis vnus ſit, duplicem tamen ſubſtantiam habet, alteram videlicet lucis, quæ prius orta eſt, alteram corporis, quod poſt creatum eſt: corpore autem per totum in ſeipſo manente, lumen perpetuo vnitum eſt, atque in omnes terræ fines diffunditur: eodem modo Chriſtus quoque ſempiternum, & inacceſſum etiam de lumine lumen in temporario & creato corpore factus, vnus eſt iuſtitiæ ſol, vnus Chriſtus in duabus à diuiſione remotis naturis agnoſcendus. Ac quidem corpus illud ſanctum circunſcriptum & definitum erat. Neque enim cum in Thabor ſtaret extra mõtem pertingebat: at deitas captum omnium excedebat, atque vltra omnia erat, atque corpus ſolis in modum ſplendet. Corporis ſiquidem ille lucis ſplendor fuit. Etenim communia quidem ea omnia vnius Dei verbi incarnati extiterũt, tam quæ ad carnem, quam quæ ad circunſcriptionis expertem diuinitatem attinebant. Et aliud erat id ex quo communes erant gloriæ dotes, aliud rurſum id ex quo communes paſſiones intelliguntur. Cæterum vincit diuinitas, atque claritatem ſuam & gloriam ita corpori impertit, vt interim ipſa inter paſſiones quoque paſſionum expers maneat. Ad hunc modum reſplenduit facies eius ſicut ſol. Non quod ſole ſplendidior non eſſet; ſed quantum intueri poterant ſpectatores. Nam ſi vniuerſam gloriæ claritatem oſtendiſſet, an non illi protinus exarſiſſent. Reſplenduit facies eius ſicut ſol. Quod enim ſol inter res ſenſui ſubiectas eſt, hoc Deus inter eas, quæ intellectu percipiuntur.

Not. 4. ver. 5.

Amb. Iſa. 1. AMBROS. apol. Dauid. cap. 12: Inde & per Iſaiam Dominus locutus eſt, &c. vt niuem dealbabo, &c: hæc eſt nix intelligibilis, de qua ait, quod Domini Ieſu, in Euangelio, refulſerunt veſtimenta ſicut nix. Eo quod peccatum non cognouerit. Caro enim, qua ſe induit veniens in hunc mundum, ab omni fuerat munda delicto. Et ſer. 11. in Pſal. 118: Neſcit vtrem bonum iſta nix lædere; nix, quæ diuini ſplendore fulget eloquij. Nix hæc refrigerat, non adurit; fœcundat ſata, &c. Præceptio continentiæ eſt, &c. Et forte ideo cum Ieſus reſurrectionis ſuæ demonſtraret gloriam, veſtimenta eius erant candida, ſicut nix; vt non ſolum alienus ipſe æſtimaretur à contagione peccati, verum etiam, ne quicunque reſuſcitatur, congelatis coniugij cupiditatibus, reſurgere frigidus videretur, &c.

Quid veſtimentorũ Chriſti albedo ſignificet.

Amb. Niuis proprietates.

Greg. lib. 32. Mor. cap. 5: In qua transfiguratione quid aliud, quam reſurrectionis vltimæ gloria nunciatur? In monte enim veſtimenta eius ſicut nix facta ſunt, quia in ſupernæ claritatis culmine ſancti omnes ei, luce iuſtitiæ fulgentes, adhærebunt.

Greg. Quid ... Chriſtus ... Quid ... Chriſti albedo ſignificet.

Aug. ſer. 28. de diuerſis: Veſtimenta eius facta ſunt candida, ſicut nix: hoc ſignificat Eccleſiæ mundationem, cui dictum eſt per Prophetam: Et ſi fuerint peccata veſtra ſicut fenicium; tanquam niuem dealbabo. Et lib. 3. de mirab. ſacr. ſcrip. cap. 10: Vnde ergo veſtimenta candorem niuis habuerunt, dum neque de carne, neque de diuinitate erant; niſi forte vt per carnem diuinitas foris illuxit; ſic & caro illuminata de diuinitate, per veſtimenta radiauit?

Aug. Iſa. 1. Aug. Vnde veſtimẽtis Chriſti albedo erat.

Cypr. de reſurr. Chriſti cap. 3: Mutati ſumus in transfiguratione, &c. & veſtimenta eius candorem omnem exuperantia Apoſtolorum hebetauere conſpectum: ſed momentaneus ille decor, imaginem non ſpeciem, ſimilitudinem non ſubſtantiam; partem non plenitudinem transformationis mirifice explicauit. Sed neque eandem gloriam, quam ante oſtendit; ſed quod videre conſueuerant, hoc viderunt; & dilata eſt claritatis illius, quam nobis pollicitus eſt, plenitudo, &c.

Cypr. Quã gloriam Chriſtus oſtendit.

Damaſ. orat. de Transfig. Dom: Veſtimenta eius facta ſunt alba vt lux. Vt enim aliud eſt ſol (eſt enim fons luminis, ea vi præditus, vt pure ac liquido perſpici nequeat) aliud lumen quod ex eo in terram venit (illud enim diuinæ ſapientiæ & benignitatis operatione cernitur ac proſpicitur: ne alioqui bonorum prorſus expertes exiſtamus) ad eundem modum facies quidem vt ſol ſplendet, veſtimenta autem eius lucis inſtar alba fiunt, nimirum diuinæ lucis communicatione condecorata.

Dam.

Not. 5. ver. 7.

HIER. Matt. 17: Scribis, & Phariſæis tentantibus ſe, & de cælo ſigna poſcentibus, dare noluit; ſed prauam poſtulationem confutauit reſponſione prudenti. Hic vero, vt Apoſtolorum augeat fidem, dat ſignum de cælo: Elia inde deſcendente, quo conſcenderat, & Moyſe ab inferis reſurgente: Quod & Achas per Iſaiam præcipitur, vt petat ſibi ſignum de excelſo, aut de inferno. Nam quod dictum eſt: Apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes, & in alio refertur Euangeliſta nunciaſſe ei, quæ Hieroſolymis paſſurus eſſet: lex oſtenditur, & Prophetæ: qui & paſſionem Domini, & reſurrectionem crebris vocibus nunciarunt.

Hier. Cur hoc ſignum cælus Apoſtolis. Eſa. 7. Cur hic ſint Moyſes, & Elias.

Et Mal. 4. In Moyſe legem, in Elia prophetiam ſignificans, &c. Saluator ſecum habebat Moyſen, & Eliam in candidis veſtibus. Lex, & omnis

Hier.

nis Prophetarum chorus Chriſti prædicat paſſionem.

Bed. Cur hic ſint Moyſes, & Elias. Deut. 34. 4 Reg. 2.

Bed. in hom: Moyſes,& Helias,quorū vnum mortuum,alterum in cælis raptum legimus,viſi in maieſtate cum Dominus,vt Lucas ſcribit;futuram in illo omnium ſanctorum gloriam ſignificant: qui videlicet tempore iudicij,vel viui in carne reperiendi, vel ab olim guſtata morte reſuſcitandi, & pariter ſunt regnaturi cum illo. 1 Theſ. 4 Atteſtante etenim Apoſtolo: Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: deinde nos, qui viuimus,qui relinquimur ſimul rapiemur cum illis obuiam Domino in aera,& ſic ſemper cum Domino erimus. Aliter Moyſes, & Helias, hoc eſt, legiſlator, & prophetarum eximius, apparent, & loquuntur cum Domino in carne venientc, vt oſtendant ipſum eſſe, quem cuncta legis,& prophetarum oracula promiſerunt. Cur in mōte appareāt. Apparent autem non in infimis,ſed in monte cum illo, quia nimirum ſoli illi, qui mente terrena deſideria tranſcendunt,maieſtatem ſanctæ ſcripturæ, quæ in Domino eſt adimpleta, perſpiciunt. Exod 34. Denique & filij Iſrael videre Moyſen,ſed ad Deum in montana ſubeūtem ſequi non merentur, ad ſe quoque reuerſum non ſine velamine cernunt. 4 Reg. 2. Heliam nouere,ſed ſolus triumphum aſcendentis cum filijs prophetarum contemplatur Heliſæus. Quia multi paſſim ſcripturæ verba legimus,ſed quam celſa in Chriſti myſterijs ſplendeat, perpauci perfectiores intelligunt. Bed. Idem habet Mar. 9. Luc. 9. & Matt. 17. vbi addit: Lucas hoc loco manifeſtius ſcribit. Moyſes, & Helias oracula legis, & prophetiæ deſignant, quæ in Domino completa, & nunc doctis patent,& in futuro electis manifeſtius patebunt. Deut. 34. In Moyſe quidem,qui mortuus eſt,hi qui ante diem iudicij à morte ſunt reſuſcitandi; & in Helia, qui necdum mortuus eſt, hi,qui viui ſunt inueniendi,deſignātur,quia ſimul obuiam Domino in aera rapientur,& ad vitam æternam ducentur.

Chryſoſt. Cur hic ſint Moyſes, & Elias.

Chryſoſt. hom. 57. in Matt: Cuius autem rei gratia Moſen,& Heliam produxit? Multas quidem dicere quis cauſas poſſet, & primum quoniam turbæ, alij Heliam, alij Hieremiam, alij priſcorum prophetarum vnum opinabantur: Idcirco Moſem,& Heliam cæterorum prophetarum vertices producit, vt quam magnum ſit inter ſeruos,& Dominum diſcrimen oculis cernerent; vtque recte laudatum crederent Petrum, qui filium Dei eum confeſſus eſt. Deinde quoniam aſſidue quaſi tranſgreſſorem legis Iudæi accuſabant,& blaſphemare putabant,quaſi gloriam patris nihil ad eum pertinentem vendicaret. Dicebant enim, hic non eſt à Deo, quia ſabbatum non ſeruat. Et rurſus: De bono opere non lapidamus te,ſed de blaſphemia,& quia tu homo cum ſis, Deum te facis; vt ipſa re monſtretur, quod ex inuidia hæc criminarentur, quodque neutri horum criminum ſubijceretur, nec legis præuaricator eſſet, nec alienam gloriam ſibi acquireret,ęqualem ſe patri faciendo; eos produxit in medium, quorum alteruter in alterutra iſtarum rerum perfulſit. Moſi enim legem dedit, quare non fuiſſet paſſus Moſes Deut. 34 conculcari legem vt Iudæi credebant,nec præuaricatorem eius, & legumlatori hoſtem lator ipſe vnquam coluiſſet. Helias autem pro gloria Dei zelo vtique commotus fuiſſet, quare non aſtitiſſet ei, qui æqualem ſe patri dicebat,ſi non eſſet; nec paruiſſet illi, qui ſibi, quod non habebat, vendicaret. Ad hæc omnia, illud etiam poſſumus dicere, vt tam mortis,quam vitæ habere poteſtatem liquido, ac vere crederetur, vtique ſupernorum, & inferorum Dominus oſtenderetur, idcirco Moſen iam mortuum, & Heliam, qui nondum id paſſus eſt, in medium produxit. Quartam vero cauſam (quarta enim eſt prioribus connumerata) Euangeliſta quoque ipſe tetigit. Quænam igitur illa eſt? vt crucis gloriam oſtendat, & tam Petrum quam reliquos,qui paſſionem formidabant, conſolaretur, & ad ſublimius erigeret. Non enim tacebant, inquit, ſed loquebantur de gloria,* quam Paſſio dicitur gloria. completurus erat in Hieruſalem, de cruce videlicet, ac paſſione: ſic enim ipſum ſemper ap- Varia lectio. pellabant. Accedit ad hæc omnia virtus quoque virorum illorum ſingularis, atque præcipua, quam maxime à diſcipulis flagitabat. Nam quoniam dixit: Si quis vult poſt me venire, tollat crucem ſuam, & ſequatur me: hac de cauſa eos, qui centies pro Dei præceptorum cuſtodia,& populi, qui ſibi creditus fuerat, mortem ſuſcepiſſent, in medium producit: quorum vterque cum animam perdiderit, inuenit eam: vterque ſane magna libertate aduerſus tyrannos Exod. 2 locuti ſunt: alter aduerſus Ægyptium, alter aduerſus Acab; 3 Reg. 17. &, quod magnum eſt, pro ingratis hominibus, & inobedientibus, à quibus in atrocia pericula compulſi ſunt: qui etſi priuati, ac abſque poteſtate fuerant, propoſitum tamen habuerunt ab idolorum cultu populum eripere: quorum alter tardus lingua, & voce tenuis; alter etiam aliquo modo ruſticior; & vterque ſæcularium diuitiarum apprimè contemptor. Nam neque Moſes quicquam poſſidebat, nec Helias præter Meloten aliquid habebat, præſertim cum veteris eſſent teſtamenti, neque tanta gratia ſignorum pollerent. Nam etſi mare Moſes ſcidit, ſed Petrus ſuper maria deambulauit, montes transferre poterat, varios morbos curabat, immaniſſimos dæmones pellebat, & ſola vmbra corporis miraculoſa agebat, & vniuerſum orbem ad Chriſtum reduxit. Si vero etiam Helias mortuum ſuſcitauit: ſed ab iſtis mille, vel antequam ſpiritu eſſent donati, fuerant excitati. Produxit igitur illos etiam propter hoc in medium, vt eos, qui maxime populares fuerunt, imitarentur, & animi robur, atque conſtantiam ſequerentur, fierentq; mites, vt Moſes, Zelotæ, vt Helias; & de alijs ſimiliter ſoliciti. Alter enim triennem annonæ inopiam, 3 Reg. 17. ad emendandum Iudaicum populum, intulit; alter dicebat, ſi quidem dimiſeris eis peccatū, dimitte; ſi autem non, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. Ad hæc omnia, ſuæ quoque gloriæ Apoſtolos admonebat, cum aſſiſtere feciſſet, non vt ad ſimilem ſolum, ſed vt ad maiorem

rem certando ſtatum conſcenderent. Quare quando dixerunt, dicamus ignem de cælo deſcendere, & Heliæ, qui hoc fecit, meminerunt, neſcitis, reſpondit, cuius ſpiritus eſtis: Ad patientiam eos,ac malorum tolerantiam, per doni præſtantiam exercebat.Non putet autem aliquis Heliam nos tanquam imperfectum vilipendere: perfectum enim illum omnino,temporum tamen ſuorum conſideratione,arbitramur fuiſſe. Nam cum puerilior tunc, vt ita dicam, mens hominum fuerit, non tam exquiſita egebat doctrina. Hac quoque ratione Moſem perfectum æſtimamus fuiſſe; & tamen plus ab Apoſtolis petitur, quam ab illo fuit deſideratum. Niſi enim abundauerit iuſtitia veſtra,inquit,plus quam Scribarum,& Phariſæorum,nõ intrabitis in regnum cælorum. Non enim in Ægyptum ſolum, ſed in vniuerſum terrarum orbem, non minore Idololatriæ inſania furentem,mittebantur: neque vt cum Pharaone colloquerentur, ſed vt aduerſus ipſum diabolum vitioſitatis principem arma ſumerẽt. Illud certe ipſis luctamen fuit propoſitum,vt diabolum vincirent,& vaſa eius omnia raperent: quæ quidem fecerunt, non mare diuidentes, ſed impietatis profundum maioribus inſurgens fluctibus virga Ieſſe dirumpentes.Et expende diligenter, quot, quantaque erant, quæ illis terrorem incutiebant, mors, paupertas, infamia, & mille paſſiones,quæ omnibus magis terrebantur,quã tunc mari rubro Iudæi; perſuaſit tamen eis, vt omnia deſpicerent, & quaſi ſicco itinere ſecuri pertranſirent. Ad hæc igitur omnia ipſos confirmans, viros adduxit,quorum virtus apud veteres rutilauit.

4 Reg. 1. — *Heliæ perfectio.* — *Moyſis perfectio. Apoſtoli ſint illis perfectiores.* — *cap. 48*

Auguſt. epiſt. 119. cap. 15: In perſona quippe Moyſi, lex; in perſona Heliæ, prophetæ accipiuntur; inter quos & in monte glorioſus apparuit, vt euidentius emineret, quod de illo dicit Apoſtolus, teſtimonium habens à lege,& à prophetis. Et lib.3.de mirab.ſac.ſcript.cap.10: Moyſes,& Helias ſpecialiter ad talem oſtenſionem, velut legis, & prophetiæ principes, ad finem conducuntur; vel ideo, vt Moyſi cornuta facies, in quam non poterant filij Iſrael intendere; Et Elias curru igneo raptus, comparato Chriſto,obſcurarentur,&c. Sed dum Elias manens in corpore, vel ad talem conductionem venerat; quid de Moyſe dicendum eſt? vtrum in corpore iterum ad hanc oſtenſionem aderat? An ex aere ſimulatum,ſicut Samuel viſus eſt,habitum fingebat? Et ſi ſuo corpore venit indutus, ſi hac vice reſurrectionem ſuam, quæ cæteris non niſi in nouiſſimo eſt futura,compleuit. De qua quæſtione auctores vna, eademque ſententia prolata non differenter dicunt, quod dum Dominus cum tribus diſcipulis ſuis, & Helia, non cum imaginatis,ſed veris corporibus conueniſſe non dubitantur, & ipſe Moyſes in ſuo vero corpore de ſepulchro reſumpto videtur;ſed Dominus Ieſus primogenitus mortuorum, rectè creditur Moyſi iterum poſt hanc viſionem corpus ſepulturæ commendaſſe,vt ipſum in nouiſſimo die, quando reſurgent mortui, aſſumere ſperetur. Et cap. 13. idem obiter dicit. Et lib. de quinque hæreſibus cap.7: Qui ſunt Moyſes, & Elias, niſi lex, & prophetæ? loquebantur cum illo, quia locuti erant de illo, oſtendebant quæ prædixerant, manifeſtabant quem prophetauerant. Putas, quid loquebantur? vt Iudæi conuincerentur, &c. loquebatur,& gratia, leuitas, & aſperitas, &c. Et tract.17.in Ioan: Per Moyſen ſignificatur lex,per Heliam ſignificantur prophetæ, per Dominum ſignificatur Euangelium,&c.apparuit medius inter Moyſen, & Heliam, tanquam Euangelium teſtimonium haberet à lege, & prophetis. Et lib. de cura pro mortuis gerenda cap.15. docet aliquando nonnullos ex mortuis ad viuos mitti,idque in propria perſona; vt factum eſt in Samuele, & Moyſe. Et cap.16. dubitat an apparitiones ſanctorum fiant Angelorum miniſterio, an in perſona ſanctorum: Et ſer. 28. de diuerſis: Helias, & Moyſes colloquebantur ei: quia Euangelij gratia teſtimonium habet à lege, & prophetis. In Moyſe lex, in Helia prophetæ.

Aug. Cur hic ſint Moyſes, & Helias. — *Aug.* — *An Moyſes, & Helias ibi vere fuerint.* — *Aug.* — *Aug.* — *Aug. Aliquando mortui ad viuentes mittuntur.* — *Aug.*

Hilar. cano. 17. in Matt: Quod autem Moyſes, & Helias ex omni ſanctorum numero aſſiſtunt, medius inter legem, & prophetas Chriſtus in regno eſt. Cum his enim Iſraelem, quibus teſtibus prædicatus eſt,iudicabit; ſimulque vt & humanis corporibus decreta eſſe reſurrectionis gloria doceretur, tum quando Moyſes conſpicabilis adſtitiſſet.

Hilar. Cur hic ſint Moyſes, & Helias.

Damaſc.orat. de Domini Transfig: In hoc mortuorum reſurrectioni fides aſtruitur; ac mortuorum, & viuorum Dominus eſſe declaratur: vt qui ſcilicet ex mortuis Moſem aſſumpſerit, viuum autem Eliam teſtem adhibuerit, qui iam olim è terra in æthercam regionem igneo curru ſubuectus fuerat. In hoc nunc quoque prophetarum præſtantiſſimi vaticinantur, Domini per crucem ex hac vita deceſſum indicantes. His ita peractis, vt tum veteris, tum noui teſtamenti Dominus declararetur; atque hæreticorum, quorum inſtar ſepulchri guttura ſunt, ora obſtruerentur; ac mortuorum reſurrectioni fides conciliaretur, atque viuentium, & mortuorum Dominus crederetur is, cui teſtimonium præbebatur, Moſes, & Elias, vt ſerui Domino, in gloria aſtant, atque vna cum eo colloquentes à conſeruis conſpiciuntur. Oportebat ſiquidem ipſis, conſeruorum ſuorum, ac Dei famulorum gloria animique fiducia conſpecta, Domini benignitatem, & indulgentiam admirari, atque zelum inde maiorem concipere, & ad ſuſcipienda certamina confirmari.

Dam.

Amb. lib. de Incarnationis Domi. Sacram. cap.4: Quaſi ad teſtimonium veteris, & noui teſtamenti, Moyſes cum Helia aſciſcitur. Et lib. de benedict.patriarch.cap.6: Ideoque inter Moyſen, & Heliam medius apparuit, vt oſtenderet nobis, quod in eorum ſermonibus requiem habeat, per quos plerique peccatis renunciantes credunt in Deum viuum: vel quod ipſi ſint teſtes reſurrectionis eius, & beatæ quietis. Et lib.1. de Iacob. cap. 8: Neque enim

Amb. Cur hic ſint Moyſes, & Helias. — *Amb.*

minus

minus beatus Helias, quam Moyſes; cum alter cibi indigus, melotide vili, ſine filijs, ſine ſumptu, ſine comite: alter populi ductor, lætus ſobole, ſuccinctus potentia, diuerſo genere, meritum æquale fundauerint, ſicut in Euangelio declaratum eſt, quando cum Domino Ieſu in reſurrectionis gloria refulſerunt. Videtur enim parem his, quaſi paribus gloriæ ſuæ teſtibus dediſſe mercedem.

Moyſes, & Helias pares.

Orig. Orig. hom. 6. in Leuit: Moyſes, & Helias ſimul cum Ieſu apparuerunt in gloria, vt ſcias quia lex, & prophetæ, & Euãgelia in vnum ſemper conueniunt, & in vna gloria permanent.

Eut. Cur hic ſint Moyſes, & Helias. Euth. Matt. 17: Propter multas cauſas ſecum aſtare fecit Moſen, & Eliam. Quia enim turbæ dicebant: Hi quidem Ioannem eſſe Baptiſtam, alij autem Eliam, alij vero Ieremiam, aut vnum veterum prophetarum; conſtituit coram ſe, tanquam ſeruos, eos qui in veteri teſtamento inſigniores refulſerant, vt diſcrimen, quod eſt inter ſe, & illos, appareat; & quantum ipſe ab illis differat. Hæc itaque vna fuit cauſa. Altera rurſum: quia accuſabant illum, de legis tranſgreſſione, dicentes: Non eſt hic à Deo, quia ſabbatum non cuſtodit: rurſuſq; blaſphemiæ eum accuſabant, & quod Dei gloriam ſibi vendicaret dicentes, de bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia homo quum ſis, facis te ipſum Deum; Aſtare fecit coram ſe Moſen, vt oſtenderet quod ſi legis tranſgreſſor eſſet, nequaquam in modum ſerui legiſlator ſibi aſtitiſſet: Eliam vero, vt appareat quod ſi blaſphemus eſſet, nequaquam is, qui ſemper Dei gloriam vehementer amauerat, ac tuitus fuerat, tanquam ſeruus illi aſtaret, qui Deo contrarius eſſet. Tertia quoque cauſa, vt mortis, vitæque Dominus cognoſceretur. Moſes enim mortuus erat, Elias autem viuus: & vt videntes poſtmodum diſcipuli illum morientem, intelligerent quod hæc voluntarie pateretur; & cogitarent, quod nequaquam moreretur inuitus, qui mortis vitæque eſſet Dominus. Poteſt & alia addi cauſa, quod hos propter diſcipulos adduxit, vt ad eorum imitationem excitarentur. Siquidem Moſes linguæ tardioris erat. Elias vero durior, ac aſperior: ambo etiam inopes erãt, & aduerſus tyrannos magna loquendi libertate vſi ſunt, Moſes quidẽ aduerſus Pharaonem, Elias vero aduerſus Acab: & à peruerſis hominibus, qui à ſe magnis affecti erant beneficijs, plurima paſſi ſunt pericula; & nec ſic deſtiterunt eos ad bonum ſemper dirigere. Vtque vehementius imitarentur. Moſis quidem clementiã, Eliæ vero zelum, quem pro Deo gerebat: vtriuſque autem adminiſtrationem, laborumque tolerantiam millies namque, quod in ſe erat, pro Dei beneplacitis moriebantur, & pro populo ſibi concredito, ſuaſque perdendo animas, inuenerunt eas. Colloquebantur autem cum eo, oſtendentes quod lex, quæ per Moſen data erat, ac ſermo, qui per prophetas de morte eius fuerat, conformiter cum illo præſignauerant: ille quidem in figuris victimarum, hic autem in diuerſis vaticinijs. Lucas vero dicit quod etiam hi in gloria ſine ſplendore apparuerunt: vt diſcamus quod omnes qui ſecundum Deum vixerunt diuinum induunt ſplendorem. Quid autem colloquebantur cum eo? Rurſus hoc docuit Lucas, dicens quod dicebant, exceſſum eius, quem completurus erat Hieroſolymis: exceſſum vocans ab hac vita exitum, ſiue tranſitum. Quædam autem exemplaria non ἔξοδον, id eſt, exceſſum, ſed δόξαν, id eſt, gloriam habent: nam gloria quoque appellatur crux ipſa. Alijs ſiquidem omnibus probrum erat: vtpote magnorum pœna criminum, ſoli vero Chriſto gloria facta eſt; magni videlicet erga nos amoris præmium. Quis enim gratum habens animum, audiens quod qui omni dignus erat honore, huiuſmodi pro noſtra ſalute perpeſſus eſt ignominiam, non glorificabit illum? Eſt & altera ratio, iuxta quam dicitur Crux gloria eius, quam ſuo referemus tempore. Interim vero Moſes, & Elias dicebant exceſſum eius, & gloriam eius, hoc eſt, loquebantur de exitu, vel de gloria eius, ſiue de cruce eius, quomodo crucifigendus erat. Dignum eſt autem vt inquiramus. Vnde diſcipuli poſt tam multos annos Moſen, & Eliam agnouerunt. Neque enim apud Hebræos erant imaginum tabulæ. Dicimus ergo quod in libris quidam vetuſtiorum Hebræorum ſpecies inſignium virorum poſteris reliquerant, quas legentes, inde eos agnoſcebant. Veriſimile quoque eſt, ex traditionibus viua voce traditis, in memoria habitas fuiſſe illorum ſpecies, aut figuras. Fortaſſe autem & ex diuina reuelatione illos agnouerunt. Aut etiam aliter: iuxta Chriſtum apparent Moſes & Elias, ſignificantes quod myſteria legalia, ac prophetalia in vnũ intendunt Chriſtum, & ea, quæ Chriſti ſunt, præſignant.

Quid loquebantur.

Quid Lucas hic ſolus dicat.

Cur Moyſes, & Helias appareant in gloria.

ver. 8. Paſſio dicitur exceſſus, & gloria

Varia lectio.

Moyſen, & Heliam quomodo Apoſtoli nouerunt.

Theoph. Paſſio dicitur exceſſus. Theoph. Matt. 17: De quo colloquebantur? de exceſſu, inquit Lucas, quem impleturus erat in Ieruſalem, hoc eſt, de cruce. Quare autem Moyſes, & Elias viſi ſunt? vt oſtendatur quod & legis & prophetarum ſit Dominus; viuentiumque ac mortuorum. Elias quidem eſt propheta, & viuit adhuc: Moyſes autem legiſlator, & mortuus eſt. Quin & vt appareat quod non ſit legi aduerſarius, neque Deo. Non enim Moyſes adſtitiſſet ſuo aduerſario; neque Elias tantus zelotes ipſum tuliſſet, ſi Deo fuiſſet contrarius: Præterea vt ſuſpicionem tollat eorum, qui ipſum Eliam, vel vnum ex prophetis dicebant. Vnde autem cognouerunt diſcipuli quod Moyſes, & Elias fuerint? non enim à lineamentis facierum, quia imagines hominum facere tunc impium videbatur. Videtur igitur quod ex ſermonibus, quos tunc inter ſe conferebant, agnouerint eos. Fortaſſis enim alter quidem dicebat, nempe Moyſes; Tu es, cuius ego paſſionem præfiguraui occiſo agno, & perfecto paſcha. Alter autem Elias; Tu es, cuius reſurrectionem ego præfiguraui in viduæ filio. Et talia quædam. Oſtendens igitur illos diſcipulis, docet eos tales imitari, & manſuetos quidem eſſe, & populares, ſicut Moyſes: zelotas autem, & conſtantes, ſicut Elias: &, ſi quando tempus vocet,

Cur hic ſint Moyſes, & Helias.

Quomodo Apoſtoli Moyſen, & Heliam nouerunt.

vocet, periclitantes pro veritate, ſicut illi.

Theoph. Et Mat. 9: Elias, & Moyſes videntur colloquentes multis de cauſis, ſed duæ ſufficiunt. Quia enim dixerant diſcipuli populum dicere, quod Chriſtus ſit vel Elias, vel alius ex prophetarum numero; oſtendit eis prophetarum præcipuos, vt & inde diſcant, quantum inter ſeruum, & Dominum interſit. Vna quidem cauſa hæc eſt. Alia autem, quia multi eum putabant aduerſarium Deo, & quod ſolueret ſabbatum, ac legem præuaricaretur, oſtendit in monte prophetas, quorum vnus legiſlator, alter æmulator fuerat. Neque enim colloquium habuiſſent tales prophetæ cum eo, qui viſus fuiſſet ſoluere legem, niſi ipſis placuiſſent ea, quæ diceret.

Cur hic ſint Moyſes, & Helias.

Theoph. Et Luc. 9: Moyſes autem & Elias, adſtiterunt cum eo orante, vt monſtretur quod non ſit aduerſarius legi, & prophetis. Nam ſi talis fuiſſet, non legis dator Moyſes, & feruentiſſimus prophetarum Elias, ſe illi aſſociaſſent, vel cum ipſo ſtetiſſent. Dicebant autem exceſſum eius, quomodo illum completurus erat Ieroſolymis, hoc eſt, mortem.

Mors dicitur exceſſus.

Tho. Thom. par. 3. quæſt. 45. ar. 3. habet cur ex hominibus, non angelis, teſtes huius transfigurationis aſſumantur. Item cur aliqui ex ijs, qui Chriſtum præceſſerunt; & aliqui ex poſterioribus. Item quod Moyſes, & Elias ibi verè fuerint, non tantum imaginariè; & an in proprijs animabus, & corporibus, &c. Item cum omnes prophetæ Chriſto perhibeant teſtimonium, cur Moyſem, & Eliam potius, quam alios, teſtes habere voluit. Ob multas rationes hi in medium adducuntur. 1, quia turbæ dicebant eum eſſe Eliam, vel Ieremiam, aut vnum ex prophetis, capita ſecum ducit prophetarum, vt hinc appareat differentia ſeruorum, & domini. 2. Moyſes legem dedit, Elias pro gloria Domini æmulator fuit. Vnde per hoc, quod ſimul cum Chriſto apparent, excluditur calumnia Iudæorum accuſantium Chriſtum, tanquam legis tranſgreſſorem, & blaſphemum, ſeu Dei gloriam ſibi vſurpantem. 3. vt oſtendat ſe habere poteſtatem mortis, & vitæ, & eſſe iudicem viuorum, & mortuorum; per hoc quod Moyſen mortuum, & Eliam adhuc viuentem, ſecum ducit. 4. loquebantur de paſſione, & morte Chriſti; vt ſuper hoc animi diſcipulorum confirmarentur, in medium eos inducit, qui pro Deo ſe morti expoſuerunt, &c. 5. vt diſcipuli imitarentur Moyſis manſuetudinem, & Eliæ zelum. 6. vt oſtenderet ſe per legem, quæ data eſt per Moyſen, & per prophetas, inter quos Elias fuit præcipuus, eſſe prædicatum.

Act. 10.

Cur hi duo ſunt cum Chriſto.

Not. 6. ver. 11. & ſequent.

Aug. AVG. lib. 2. de conſen. cap. 56: Quod Lucas ait de Moyſe, & Elia, & factum eſt dum diſcederent ab illo, ait Petrus ad Ieſum: Præceptor, bonum eſt nos hic eſſe: & cætera, non debet putari contrarium ei, quod Matthæus, Marcuſque ita coniunxerunt, Petrum hoc ſuggeſſiſſe, quaſi adhuc Moyſes, & Elias cum Domino loquerentur. Non enim expreſſerunt quod tunc, ſed tacuerunt potius, quod iſte addidit, illis diſcedentibus hoc Petrum de tribus tabernaculis faciendis Domino ſuggeſſiſſe.

Et lib. Soliloquiorum cap. 22: Et obſecro ſumma veritas te per te, non permittas me in aliqua conſolatione vana conſolari quam in te, ſed peto vt omnia mihi amareſcant, vt tu ſolus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæſtimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur. Tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcorauit: tua dulcedo craticulam beato Laurentio dulcem fecit: pro tua dulcedine ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas ſecurus ad crucem & gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc enim tua dulcedo ipſos Apoſtolorum principes ſic repleuit, vt pro ipſa crucis patibulum vnus eligeret, alter quoque caput ferienti gladio ſupponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque guſtanda veneni poculum intrepidus Ioannes potauit. Hanc vero vt guſtauit Petrus omnium interiorum oblitus clamauit quaſi ebrius, dicens: Domine, bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic tria tabernacula: hic moremur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus. Sufficit nobis Domine videre te, ſufficit, inquit, tanta dulcedine ſatiari. Vnam enim ſtillam dulcedinis ille guſtauit, & omnem aliam faſtidiuit dulcedinem. Quid putas dixiſſet, ſi magnam illam multitudinem dulcedinis diuinitatis tuæ guſtaſſet, quam abſcondiſti timentibus te? Hanc tuam dulcedinem ineffabilem & illa guſtauerat virgo, de qua legimus quod lætiſſima & glorianter ibat ad carcerem, quaſi ad epulas inuitata. Hanc (vt reor) & ipſe guſtauerat qui dicebat, quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te: quique monebat: Guſtate & videte; quoniam ſuauis eſt Dominus. Hæc eſt enim illa beatitudo Domine Deus noſter, quam expectamus daturum te nobis, pro qua tibi Domine continue militamus, pro qua tibi mortificamur tota die, vt in tua vita tibi viuamus. Et ſer. 28. de diuerſis. Placuit Petro tria fieri tabernacula. Delectabat eum montis ſolitudo: tædium patiebatur à tumultu rerum humanarum. Sed tria tabernacula quare quærebat; niſi quia vnitatem legis, prophetiæ, & euangelij nondum ſciebat?

Aug.

Act. 1

Act. 5.

Pſal. 30.

Pſal. 33.

Aug.

Hieron. Matt. 17: Qui ad montana conſcenderat, non vult ad terrena deſcendere: ſed ſemper in ſublimibus perſeuerare. Si vis, faciamus hic tria, &c. Erras Petre, ſicut & alius Euangeliſta teſtatur. Neſcis quid dicas. Noli tria tabernacula quærere, cum vnum ſit tabernaculum euangelij, in quo lex & prophetæ recapitulanda ſunt. Si autem quæris tria tabernacula, nequaquam ſeruos cum Domino conferas: ſed fac tria tabernacula, imo vnum Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: vt quorum eſt vna diuinitas, vnum

Hier.

vnum ſit & in pectore tuo tabernaculum.

Greg. Greg. lib. 8. Moral. cap. 41: Iuſti nec oblata bona hic pro magno ſuſcipiunt, nec illata mala valde pertimeſcunt: ſed cum bonis præſentibus vtuntur, ventura mala metuunt: & cum de malis præſentibus gemunt, bonorum ſequentium amore conſolantur; ſicque temporali refouentur ſubſidio, ſicut viator in ſtabulo vtitur lecto, pauſat, & recedere feſtinat; quieſcit corpore, ſed ad aliud tendit mente, nonnunquam vero & aduerſa perpeti appetunt, in tranſitorijs proſperari refugiunt, ne delectatione itineris, à patriæ peruentione ſequeſtrentur, ne greſſum cordis in via peregrinationis figant, & quandoque ad conſpectum cæleſtis patriæ ſine remuneratione perueniant. Gaudent deſpici, nec dolent ſe neceſſitatibus affligi. Qui ergo contra præſentia ſe aduerſa non muniunt, quaſi contra æſtus, & pluuias habere tabernaculum nolunt. Vnde & Petrus iure reprehenditur, quia needum mentis perfectione roboratus, veritatis claritate cognita, in terra figere tabernaculum conatur. Iuſti itaque hic ſe conſtruere negligunt, vbi peregrinos ſe, & hoſpites nouerunt. Quia enim in proprijs gaudere deſiderant, eſſe in alieno fælices recuſant. Iniuſti autem quanto longius ab æternæ patriæ hæreditate diuiſi ſunt, tanto in terra altius fundamenta cogitationis figunt.

Petrus merito reprehenditur

Greg. Et lib. 2. expoſ. in lib. 1. Reg. cap. 3: Meritò igitur, tanto ſubuectus culmine, Domino dicit; loquere; quia eò interni auditus gaudiò ſibi complacet, quo in exterioribus ſuis nihil placet: & manere cum colloquente ſecum tanto ardentius cuperet, quanto ad infima ſua libentius nunquam deponi voluiſſet. Etiam autore Deo cum Domino dicimus; loquere, ipſo donante dicimus; ſed tamen quo affectu id ei perfectiores electi dicant, dicere non valemus: quia quod deſiderij eſt ineffabilis, non exprimitur locutione rationis. Quem profectò affectum bene Petrus inſinuat, qui, cum transformato Domino in monte aſſiſteret, refulgentemque faciem eius ſicut ſol cerneret, & ad inſtar niuis albentia veſtimenta eius conſpexiſſet, ait: Bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis, faciámus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Qui enim dicit: Bonum eſt nos hic eſſe, ſi poſſet, ab illa viſione tantæ gloriæ nunquam deponi voluiſſet. Dum enim dicit Petrus: Domine, bonum eſt nos hic eſſe; & Samuel dicit: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus: voces quidem diuerſæ ſunt, affectiones æquales. Hoc enim ſignificat Petrus in monte transfigurato Domino, quod Samuel à veniente, & ſtante Domino ſecundo vocatus.

In quo Petrus ab Euangeliſta reprehendatur.

Sed etſi quaſi neſciens Petrus quid diceret, ab Euangeliſta reprehenditur; huic tamen ſenſui contrarium non videtur. Euangeliſta quippe non affectum Petri, ſed rationem reprehendit: quia cum Domino aſſumptus in gloria ſeorſum, ſic eſſe ſemper cupiebat, & pro redemptione communi eum ad ignominiam crucis deſcendere nolebat. Neſciebat ergo quid diceret; ſed ardenter quod videbat, amabat: quia profectò tantum bonum videbat, quod ſic non amari nullatenus poterat. Vnde etſi iuſte Petrus reprehenditur, ei tamen rationabiliter indulgetur: quia amore tantæ maieſtatis per fruitionem vincebatur. Veruntamen cum de dicendi ignorantia Petrus arguitur, eiuſdem ignorantiæ cauſa memoratur. Nam ſubdens Euangeliſta, ver. 11.
ait: Erant enim timore exterriti. Illa enim internæ maieſtatis ineffabilis pulchritudo electam mentem, cui ſe delectabiliter oſtendit, aliquando mirabili pauore concutit: ne de viſionis magnitudine ad elationem proſiliat, ſi eam, quam blanda contemplatio ad tam ſumma euehit, prouector ſuus ſpiritus timoris moderamine non refrænat. In vna quidem, & eadem reuelatæ gloriæ viſione, & bonitas redemptoris aſpicitur, ineffabiliter blandiens, & æquitas illius ineffabiliter terrens; vt quo videntis animus de reſpectu Dei bonitate dulcius paſcitur, conſideratione æquitatis territus caueat, ne inaniter ſatietur. Vnde & Samuel, cum ad diuinæ locutionis familiaritatem ſuſtollitur, ei non læta de electorum profectu, ſed de magnorum defectu terribiliter nunciantur. Nam ſubditur: Et ait Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Iſrael, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius.

Amb. Ambroſ. lib. 7. in Luc: Premit enim incomprehenſibilis ſplendor diuinitatis noſtri corporis ſenſus. Nam ſi ſolis radium è regione oculorum contuentium corporea nequit acies ſuſtinere, quomodo Dei gloriam humanorum ferret corruptela membrorum? Eoque purior, & ſubtilior exhauſta concretione vitiorum, corporis habitus in reſurrectione formatur. Et ver. 9. 10.
fortaſſe ideo grauati ſomno erant, vt reſurrectionis viderent ſpeciem. Poſt quietem itaque euigilantes viderunt maieſtatem eius. Nemo enim niſi vigilans gloriam videt Chriſti. Delectatus eſt Petrus, & quem ſeculi huius illecebroſa non caperent, gratia reſurrectionis illexit. Bo- ver. 12.
num eſt, inquit, nos hic eſſe. Hinc & ille: Diſſol- Phil. 1.
ui enim, & cum Chriſto eſſe, multo melius. nec laudaſſe contentus, non ſolum affectu, ſed etiam factorum deuotione præſtantior, ad exædificanda tabernacula tria impiger operarius ver. 13. 14.
communis obſequij miniſterium pollicetur. Et quamuis neſciret quid diceret, tamen pollicebatur officium: in quo non inconſulta petulantia, ſed præmatura deuotio fructus pietatis accumulat. Nam quod ignorabat, conditionis fuit; quod promittebat, deuotionis. Sed non cupit humana conditio in hoc corruptibili, in hoc mortali corpore facere tabernaculum Deo. Siue in animo, ſiue in corpore, ſiue alio aliquò loco, fuge quærere, quod non licet ſcire. Si Petrus neſciuit, quemadmodum tu potes ſcire? ſi neſciuit ille, qui promiſit, & qui corporis terminos magnitudine animi neſciebat, quemadmodum ſcire nos poſſumus, deſidia quadam mentis intra preſepium carnis incluſi? Denique placuit tanta deuotio Deo.

Not. 7.

Amb. Cur taceri velit. AMBR. in Pſalmi 45. enarrationem præfatione: Ergo in occultis cordis noſtri occulta ſapientiæ recondamus, non temerè aliquibus diuulgemus, niſi ſacramentorum conſortibus, quos Dominus vocauit ad gratiam ſuam, qui ſe in abſcondito vult rogari, quoniam ſolus eſt, qui abſcondita, & occulta cognoſcat. Denique ipſe Dominus Ieſus ad percipiendam legem ſolum Moyſem, non abſque Ieſu tamen, in montem voluit aſcendere. In Euangelio quoque Petro, Ioanni, & Iacobo ſolis ex omni numero diſcipulorum reſurrectionis ſuæ gloriam reuelauit. Ita occultum ſuum voluit eſſe myſterium: & admonebat frequenter, ne cui facilè, quæ viderunt, annunciarent, ne offendiculum quiſquam ſubiret infirmior, qui vim ſacramentorum fluctuanti ingenio haurire non poſſet. Introierunt ergo in nubem, vt abdita, & occulta cognoſcerent, atque ibi audierunt vocem Dei dicentis: Hic eſt filius meus dilectus, in quo complacui, ipſum audite. Quid eſt, hic eſt filius meus dilectus? Hoc eſt, noli errare Simon, vt ſeruulis filium Dei conferendum putes. Hic eſt filius meus: non Moyſes filius: non Elias filius: quamuis alter aperuerit mare, alter clauſerit cælum. In verbo enim Domini vterque naturam vicit elementi; ſed illi miniſterium præbuerunt: Hic eſt qui ſolidauit aquas, cælum ſiccitate clauſit, & quando voluit, in imbres reſoluit. Vbi teſtimonium reſurrectionis adſciſcitur, adſtipulantur miniſteria ſeruulorum. Vbi gloria Domini regentis oſtenditur, ſeruulis ſplendor abſconditur. Namque ipſos ſtellarum globos ſol exortus obducit, & omnia earum lumina mundano ſub ſole vaneſcunt. Quomodo ergo ſub æterno ſole iuſtitiæ, atque illo fulgore diuino videri poterant ſtellæ carnales? vbi ergo ſunt illa lumina, quæ noſtris antè oculis quodam miraculo refulgebant? Tenebræ ſunt vniuerſa comparatione lucis æternæ. Alij miniſterijs ſuis Deo placere feſtinent. Hic ſolus eſt verum lumen, & æternum, in quo Pater complacet, vel in quo beneplacitum eſt mihi, vt meum ſit, quidquid hic fecit: & quicquid ego feci, filij opus
Ioan. 10. eſſe iure credatur. Ipſum audite dicentem: Ego, & pater vnum ſumus. Non dixit: Ego, & Moyſes vnum ſumus: non dixit ſibi, & Eliæ vllum diuinæ gloriæ eſſe conſortium. Quid tria tabernacula præparatis? non in terris habet iſte tabernaculum, ſed in cælo.

Chryſoſ. Chryſoſt. epiſt. 5. ad Theodorum lapſum: Et quemadmodum puellus regius primum alitur cibo non admodum ſplendido, terretur minis pædagogi, ne per indulgentiam lapſus, paterna ſe indignum reddat hæreditate: mox regiam nactus maieſtatem, omnia hæc mutat, præſidet cum magna libertate, veſtitus purpura, diademateque ornatus, & ſtipatus numeroſo ſatellitio, abiectis ab anima rebus humilibus, ac ſub amaris, in quorum tunc locum omnia magnifica, omnia iucunda ſucceſſerunt: ſic tum veniet omnibus ſanctis. Atqui ſermonis elegantia, & vires nihil poſſunt: ad montem illum oratione pergamus, vbi Dominus transformatus eſt: contemplemur eum ſplendentem, ſicut reſplenduit, quamquam nec tunc quidem vniuerſum nobis futuri ſæculi ſplendorem exhibuit: quia fuit, quod tunc apparuit, attemperatio quædam pro captu noſtro, neutiquam accurata rei demonſtratio, quod à verbis Euangeliſtæ manifeſtum eſt. Quidnam ait? Splenduit, inquit, ſicut ſol. Cæterum incorruptibilium corporum gloria non tantam lucem demittit, quantam illud corruptibile corpus, neque talem eiuſmodi oculi mortales capere ſufficiunt. Ad hanc quidem viſionem oculi requiruntur incorruptibiles, & immortales. Verum in monte tum apparuit tantum lucis, quantum ferre potuerunt citra læſionem aciei, atque afflictionem oculorum contuentium in illud, quod tamen aliter cecidit: prociderunt enim in faciem. Dic obſecro, ſi quis te in theatrum induceret, vbi magna multitudo hominum ſederet amicta ſtolis aureis; & in medio omnium oſtenderet alium quendam adornatum eximiè gemmis, regio veſtitu inſignem, coronam habentem in capite, deinde polliceatur te aſſumpturum in numerum eorum, num omnia faceres quæ ipſe iuſſerit? Euola nunc in cælos animo, in illud intende theatrum, quod non coijt ex huiuſmodi viris. Conuentus eſt illic eorum qui exuperãt omne precium auri, lapidum precioſorum, radiorum ſolis, & omnis viſibilis formæ, non hominum ſolum, ſed eorum qui hominibus antecellunt, Angelorum, Archangelorum, Thronorum, Dominationum, Principatuum, Poteſtatum. De rege ipſo nihil ſatis idoneum dici poteſt, adeo ſermonem, & mentem omnem excedit eius pulchritudo, formoſitas, ſplendor, gloria, maieſtas, magnificentia. Tantumne bonorum à nobis ipſis ſummouebimus, quo declinemus exigui tẽporis laborem? Quod ſi quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamen eſſet. Præterea gehennam, tormentaque omnia conuenit ſuſtinere, vt videre queas Chriſtum venientem in gloria ſua, & conſcribi ordini ſanctorum. Audi quid Petrus dicit: Bonum eſt nos hic eſſe. Si Petrus qui vidit obſcuram quandam imaginem futurorum, omnia continuo reiecit ab animo propter voluptatem inditam animæ à tali aſpectu: quid dicemus, quando rerum veritas aderit, quando regijs cubiculis adapertis, contueri licebit ipſum regem, non per ænigma, nec per ſpeculum, ſed facie ad faciem? non amplius, inquam, Pœna damni, quam ſenſus eſt grauior.
per fidem, ſed per ſpeciem: ſunt quidam abſurdi iudicij, ij dumtaxat amant effugiſſe gehennam, contra ego multo durius eſſe tormentum quoddam aſſero, quam gehenna eſt, hoc eſt, non aſſecutum eſſe tantam gloriam, & illinc elapſum eſſe. Nec opinor equidem tanto dolore lugendum de malis gehennæ, quanto neceſſe eſt caſum deplorare, cuius de cælis excidimus, qui eſt nimirum cruciatus omnium duriſſimus.

ſimus. Quando regem videmus frequenti ſatellitio palatium adæquitantem eos qui illi proxime cohærent, ſermonis, concilijque, & maieſtatis eius participes, felices indicamus, noſque miſeros: licet enim infinitis bonis abundauerimus, & harum rerum nihil ſentimus, ſuſpicientes in gloriam ſanctorum. Adde quod compertiſſimum eſt, ſæculi faſtum eſſe dubium, & infirmum propter vim bellorum, propter inſidias, & inuidiam, propter hoc quod vel extra teli iactum, & extra periculi ſuſpicionem, per ſe tamen ne huius quidem faciendus eſt: Cæterum tuta perpetuaque erit fælicitas regnante rege omnium, qui poſſidet non modo quæ terra, verumetiam quæ ambitu cæli continentur: imo terram pugno complectitur, & palmo cælos, quia omnia ſuſtinet verbo potentiæ ſuæ, cui gentes cunctæ pro nihilo computantur, & adhuc dubitamus, an ſummum ſit ſupplicium, à choro qui eſt apud Deum, excludi? Adhuc amabimus, ceu bonum præcipuum effugiſſe gehennam? Quid anima ſic affecta miſerius.

Chryſoſt. Et hom. 57. in Matt: Quid igitur, ait feruentiſſimus ille Petrus? Bonũ eſt nos hic eſſe. Nam quoniam audiuit iturum ad Ieroſolymam vt pateretur, metuens adhuc illi, ac tremens, & poſt increpationem accedere quidem non audet, nec rurſum iſtud idem dicere: Propitius tibi ſis: præ metu tamen illo eadem alijs verbis occultius ſuggerit. Nam cum montem, & ſolitudinem viderit, exiſtimauit quod multam haberet à loco ſecuritatem; nec ſolum propter locum, verumetiam propterea quod ipſe amplius Ieroſolymam non accederet. Volebat enim ipſum ibi perpetuò manere: quocirca & tabernaculorum mentionem fecit. Cogitabat enim ſi non aſcenderet in Ieroſolymam, non moriturum Chriſtum, quia ibi audiuit ſcribas eum aggreſſuros: hæc cum dicere non auderet apertè, occultius adſtruit, dicens: Bonum eſt nos hic eſſe, vbi

4 Reg. 1 Moyſes, & Elias quoque adſunt. Elias qui de

Exod. 33. cælo fecit ignem deſcendere: Moyſes qui ingreſſus in caliginem cum Deo collocutus eſt: præterea nullus ſciret nos hic eſſe. Vides quanto Chriſti ardore incendebatur. Non enim quærere debes quam prudenter hortabatur, ſed quam feruidus charitate Chriſti, quamque inflammatus eſſet. Nam quòd non pro ſe tantum, quantum pro Chriſto timeret, quando mortem & inſidias Chriſtus prædicabat, ipſum audias dicẽtem: Animam meam pro te ponam: etſi oportuerit me tecum mori, non te negabo: vnde factum eſt, vt in medio periculo conſtitutus tam ingenti caterua circumfuſus non modo non fugerit, verum etiam gladio arrepto ſacerdotis ſerui aurem abſciderit. Non itaque pro ſe, at pro magiſtro expaueſcebat. Deinde quia bonum eſt nos hic eſſe, abſolutè dixerat, timens ne iterum increparetur, emendauit ſeipſum, dicens: Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Quid facis Petre? nonne paulo ante à ſeruis eum ſeparaſti? cur ſeruis modo connumeras? perpendis quomodo ante crucem erant imperfectiores. Nam etſi pater ei reuelauit, ſed non continuè reuelationem ſecum tenebat; ſed pauore, non quo diximus ſolum, ſed etiam eo, qui tunc viſu ipſum inuaſit, turbatus fuit: quod alij Euangeliſtæ ſignificant, & confuſionem mentis à viſione illa factam oſtendunt. Oſtendens Lucas magno fuiſſe omnes terrore deiectos; grauati erant ſomno, ait: Et cum euigilaſſent, viderunt gloriam eius. Somnum enim hic vocauit magnam reſolutionem virium, quæ ab illa viſione facta fuit. Nam veluti oculi ex nimio fulgore obtenebrantur, ſic tunc illis euenit, non enim id in nocte, ſed in media die accidit, & ſplendoris excellentia, imbecillitatem oculorum grauabat. Quid deinde? Ipſe quidem nihil locutus eſt, ſed nec Moyſes, nec Elias; pater autem omnibus maior, & fide dignior, magnam ex nube vocem emittit. Quamobrem ex nube? Sic ferè ſemper Deus videtur. Nubes enim, & caligo in circuitu eius, & ſedet in nube leui. Et qui poſuit nubem aſcenſum ſuum. Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Et, quaſi filius hominis veniens in nubibus. Vt igitur credant ab ipſo Deo vocem venire, à nube vox emittitur, quæ luciddiſſima erat. Adhuc enim, inquit, eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit illos, & ecce vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Quando enim minatur, tenebroſam nubem oſtendit, quemadmodum in Sina. Intrauit enim, ait, in nubem, & in caliginem Moyſes, & velut vapor, ita ferebatur fumus. Et Propheta de minis eius diſſerens, tenebroſa, inquit, aqua in nubibus aëris, hic vero, quia non terrere, ſed docere volebat, lucida nebula videtur. Et Petrus quidem dicebat: Faciamus hic tria tabernacula. Ipſe autem tabernaculum nullis factum manibus oſtendit: ideo ibi fumus, & vapor fornacis, hic vox, & lux ineffabilis. Vt autem nulla dubitatio emergeret de quonam è tribus vox emitteretur, vtque de Chriſto ſolum dictum eſſe intelligerent, illis iam duobus, Moyſe ſcilicet, & Elia remotis, vox fertur: Hic eſt filius meus dilectus. Nullo metu Petre monearis, oportet enim iam te omnipotentiam eius non ignorare, ac de reſurrectione certiorem eſſe: verum quoniam adhuc dubitare videris, ſaltem à voce Patris fidentior eſto. Si enim omnipotens Pater eſt, proculdubio etiam filius omnipotens eſt, quod ſi adhuc formidas, & paueſcis, non ſolum filium eſſe, verumetiam dilectum ſcito. Hic eſt enim, ait, filius meus dilectus. Quod ſi amatur, ne metuas: nemo perdit, quem amat. Noli ergo turbari, nõ potes tu magis ipſum diligere, quam à parente ametur. In quo mihi bene complacui. Non enim quia genuit, idcirco tantummodo diligit; verumetiam quia cum ſit ipſi æqualis in omnibus, eiuſdem etiam penitus eſt voluntatis. Duplex igitur, immo vero triplex dilectio eſt, quia filius, quia dilectus, quia bene in ipſo ſibi complacuit. Quid porro ſignificat, in quo mihi bene complacui? ac ſi diceret, in quo requieſco, in quo acquieſco, & oblector.

Margin notes (right column): Somnus quid. — Cur pater ex nube loqui ac. — Pſal. 96. — Pſal. 103. — Act. 1. — Mat. 13. Dan. 7. — Cur nubes erat lucida — Exod. 24. — Pſal. 17. — Cur Ieſus ſit ſolus. — Pater filiũ triplici ratione diligit.

Quæ ideo ita ſe habent, quia per omnia patri æqualis, vnam cum Patre voluntatem habet: & cum permaneat filius, vnum omnino eſt cum Patre. Ipſum, inquit, audite; quare ſi crucis patibulum ſuſtinere vult, non contradicas.

Dam.
Cur Petrus in mõte illo manendum putabat.

Damaſc. orat. de Transfiguratione Domini: Quid autem Petrus, poſtquam diuinæ huius reuelationis ſpectaculo ei frui contigit? Tanquam ſpiritu afflatus, atque extra ſe raptus. Bonum, inquit ad Dominum, eſt hic nos eſſe. Nec mirum. Caliginem enim cum luce commutat. Ac ſanè cernitis, quam ſol hic noſter pulcher ſit, quam decorus, quam iucũdus, quam charus, & expetendus, quam fulgidus, ac præclarus, quam etiam vita hæc ſuauis, & amabilis, quam omnes velut mordicus retinere ſtudent; nihilque non agunt, vt ne ea priuentur. Quanto igitur lucem illam, ex qua lux omnis illuminatur, & ſuauiorem, & magis expetendam eſſe putatis? & ipſammet vitam, à qua vita omnis viuificatur, & impertitur: in qua omnes viuimus, mouemur, & ſumus, quanto tandem amabiliorem, & iucundiorem? An non totus eſt dulcedo, ac totus deſiderabilis? nulla eſt oratio, nulla mentis agitatio, quæ præcellentiæ modum coniecturã aſſequi queat. Comparationem omnem vincit, nec ſub menſuram cadit. Quonam enim modo menſura definiri poſſit, quod circunſcriptionis expers eſt, nec vel ipſis mẽtibus comprehendi poteſt? Hoc lumẽ aduerſus omnem naturam palmam obtinet. Hæc vita eſt, quæ de mundo triumphauit. An non igitur bonum eſt, à bono minime ſeiungi? Non abſurde ſane Petrus hoc proloquutus eſt. Verum quoniam omnia tempore ſuo bona ſunt, ac ſuum cuique rei tempus eſſe Salomon pronunciauit, oportebat porro non ijs dumtaxat, qui illic erant, bonum circunſcribi, ſed ad omnes, qui fide præditi eſſent, diffundi, ac propagari; quo plures eſſent, qui beneficium perciperent, quod quidem per crucem, ac mortem perficiendum erat, haudquaquam ei bonum erat illic manere, qui figmentum ſuum, cuius cauſa carnem induerat, ſuo ſanguine redempturus erat. Si in monte Tabor manſiſſetis, nequaquam, ô Petre, pollicitatio tibi facta exitum nacta fuiſſet. Non enim regni clauiger extitiſſes non latroni paradiſus patuiſſet: non ſuperba, atque inſolens tyrannis deleta fuiſſet: non orci regia in prædam conceſſa fuiſſet: non Adamus ſaluti reſtitutus, non Eua redempta; non Patriarchæ, ac Prophetæ, & iuſti ex imis inferni receſſibus erepti fuiſſent; non denique humana natura incorruptibilitatem induiſſet. Niſi diuinitatem Adamus præmaturè experiuiſſet, quod cupiebat, conſecutus fuiſſet. Quocirca Petre, ne ea, quæ bona ſunt, præpropere quæras. Erit id aliquando, cum hoc ſpectaculo in ſempiternum frueris. Dominus non tabernaculorum, ſed vniuerſæ Eccleſiæ ducem, & moderatorem te conſtituit. Diſcipuli tui, hoc eſt, oues tuæ, quas bonus ille paſtorum princeps fidei tuæ commiſit, ſermones tuos in opus perduxerunt, vt qui nimirum hodierno die Chriſto, ipſiuſque famulis Eliæ, ac Moyſi, tabernaculum conſtruxerint. Hæc porro non ratione, atque animi conſideratione proloquebatur Petrus, verum ſpiritus futura prædicentis inſtinctum. Non enim ſciebat quid diceret, ait diuiniſſimus Lucas. Ac Marcus etiam cauſam hanc affert; erant enim timore perterriti. Hæc loquente Simone, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Atque diſcipuli maiore timore obſeſſi ſunt, Ieſum Saluatorem, ac Dominum cum Moyſe, & Elia intra nubem conſpicientes. Atque olim quidem ille Dei ſpectator diuinam caliginem ſubibat, legis videlicet opacitatem ſubindicans. Vmbram enim, vt ex Paulo audire licet, futurorum lex habebat, non ipſam veritatem. Ac tum Iſraeliticus populus in Moyſis faciem, quæ abolenda erat, intendere non potuit. Nos autem reuelata facie Domini gloriam intuemur, à gloria in maiorem gloriam transformati, tanquam à Domino Spiritu. Ac proinde nubes, non caliginoſa, ſed lucida obumbrauit. Etenim myſterium à ſæculis, & generationibus abſconditum detectum eſt: ac perpetua, & ſempiterna gloria oſtenditur.

Act. 17. — HocPetrus non abſurde dixit. — Eccl. 3. — ver. 14. — Exod. 19. — Cur hic nubes ſit lucida. — Heb. 10. — 2 Cor. 3.

Chryſoſt. hom. 57. in Matt. Monet hũc ver. 14. à Marco, & Luca dictum eſſe: nõ autem à Matt. ſic etiam Euth. Matt. 17. & Dam. & Theoph. — Chryſoſt.

Not. 8. ver. 18.

Hier.
Petro non filius, ſed pater reſpondet.

HIER. Matt. 17: Quia imprudenter interrogauerat, propterea reſponſionem Domini non meretur; ſed pater reſpondet pro filio, vt verbum Domini cõpleretur: Ego teſtimonium non dico pro me; ſed pater, qui me miſit, ipſe pro me dicit teſtimonium. Nubes autem videtur lucida, & obumbrat eos, vt qui carnale è frondibus, aut tentorijs quærebant tabernaculum, nubis lucidæ operirentur vmbraculo. Vox quoque de cælo patris loquentis auditur, quæ & teſtimonium perhibeat filio: & Petri errore ſublato, doceat veritatem, imo per Petrum cæteros Apoſtolos: Hic eſt, ait, filius meus dilectus: huic figendum eſt tabernaculum, huic obtemperandum. Hic eſt filius, illi ſerui ſunt. Moyſes, & Elias debent & ipſi vobiſcum in penetralibus cordis ſui Domino tabernaculum præparare.

Cur hic nubes ſit lucida.

Dam.

Damaſc. orat. de Transfigur. Dom: Hic, inquam, qui nunc homo cernitur, filius meus dilectus eſt. Hic, qui nuper homo factus eſt, qui humiliter, & abiecte vobiſcum verſatur, cuiuſque nunc facies reſplenduit, hic, inquam, filius meus: dilectus eſt ſeculis omnibus antiquior, ſolus ex ſolo, vnigenitus, ſine tempore, & ſempiternè ex me Patre progreſſus, quique & ex me; & in me, & mecum, & ſemper eſt, nec exiſtentiæ ratione me poſterior: ex me, inquam, vt ex paterna cauſa, atq; ex mea ſubſtantia genitus (vnde etiã mihi conſubſtantialis eſt) in me, quia ſine vlla ſeparatione, atque exceſſu genitus. mecum denique, vt qui per ſe perfecta perſona ſit, ac non ſermo, qui ore proferatur, atq; in aërem dilabatur. Ob idque in eo acquieſco, ac mihi bene

bene complaceo. Benigna ſiquidem Patris voluntas in vnigenito ſuo filio vniuerſi orbis ſalutem operata eſt. Benigna patris voluntas in vnigenito filio rerum omnium connexionem Cur paruus mundus homo dicatur. effecit. Nam cum paruus mundus homo ſit, vt qui eſſentiæ omnis, tum in aſpectum cadentis, tum oculorum aciem fugientis, nodum ac vinculum in ſeipſo ferat, atque & hoc & illud ſit, re vera benigna omnium rerum Domini, & Creatoris ac gubernatoris voluntas hoc tulit, vt in vnigenito, & conſubſtantiali filio ſuo diuinitatis & humanitatis, ac per eam conditarum Heb. 1. omnium rerum, connexio fieret, vt ſit Deus omnia in omnibus. Hic eſt filius meus, ille, inquam, gloriæ meæ ſplendor, ille ſubſtantiæ meæ caracter: per quem Angelos etiam feci, Pſal. 12. per quem cælum fundatum eſt, ac ſtabilita terra: qui fert omnia verbo virtutis ſuæ, & ſpiritū Pſal. 50. oris ſui, hoc eſt, per ſpiritum vitæ Authorem ac principalem. Ipſum audite. Qui enim hunc ſuſcepit, me ſuſcipit, qui eum, non herili authoritate, ſed paterno modo, miſi. Vt enim homo mittitur: vt autem Deus, in me manet, & ego in eo. Qui vnigenitum meum filium non honorat, me Patrem non honorat, qui miſi eum. Ipſum audite. Habet enim æternæ vitæ verba. Hic eſt, non ſeruus, aut legatus, aut Angelus, ſed filius meus dilectus, ipſum audite.

Amb. Ambr. de fide lib. 1. cap. 5: Hic eſt filius meus Eſt. dilectiſſimus. Eſt, inquit, quod indeſinenter eſt. Pſal. 118. Vnde & Dauid: In æternum, inquit, Domine, permanet verbum tuum in cælo. Quod enim manet, nec ſubſtantia, nec æternitate deficit.

Bern. Bern. ſerm. 1. in Epiph: In quo mihi bene complacui. Vere enim, hic eſt, in quo non eſt, quod patri diſpliceat, quod oculos maieſtatis Ioa. 8. offendat. Vnde & ipſe ait: quia quæ placita ſunt ei facio ſemper.

Cyr. Cyrill. theſauri lib. 12. cap. 14: Quomodo poteſt filius Dei creatura eſſe, cum ſit ex ipſo Deo, & in ipſo; non autem ad extra productus, ſicuti creaturæ: ſed vere, atque ſecundum naturam filius; de quo Pater deſuper clamat: Hic eſt filius meus? &c.

Leo. Leo ſerm. de Transfigur. Domini cap. 6: Præ- Domini claritas erat temperata. ſens quidem erat in filio pater, & in illa Domini claritate, quam ad diſcipulorum temperarat aſpectum, non ſeparabatur ab vnigenito geni- Diſtinctio perſonarū in Deo. toris eſſentia; ſed ad commendandam proprietatem vtriuſque perſonæ, ſicut viſui ſignificauit filium ſplendor ex corpore, ſic auditui patrem vox nunciauit ex nube. Qua voce accepta, diſ- Quid Apoſtoli timuerint. cipuli quod in faciem ceciderunt, & timuerunt valde: non de patris tantùm, ſed & de filij ma- Vna Patris, & Filij deitas. ieſtate tremuerunt. Altiori enim ſenſu vnam vtriuſque intellexerunt deitatem. Et quia in fide non erat hæſitatio, non fuit in timore diſcretio. Latum ergo illud, & multiplex teſtimonium fuit, & plus in verborum virtute, quam in ſono vocis auditum eſt. Dicente enim patre: Qualis filius ſit Chriſtus. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite; nonne euidenter auditum eſt: Hic eſt filius meus, cui ex me & mecum eſſe, ſine tempore eſt? Quia nec genitor genito prior, nec genitus eſt genitore poſterior. Hic eſt filius meus: quem à me non ſeparat deitas, non diuidit poteſtas, non decernit æternitas. Hic eſt filius meus: non adoptiuus, ſed proprius; non aliunde creatus, ſed ex me genitus: nec de alia natura mihi factus comparabilis, ſed de mea eſſentia mihi natus æqualis. Hic eſt filius meus: per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil; quia omnia, quæ facio, ſimiliter facit, & quidquid operor, inſeparabiliter mecum, atque indifferenter operatur. In patre enim eſt filius, & in filio pater; nec vnquam vnitas noſtra diuiditur. Et cum alius ego ſim, qui genui; alius ille, quem genui: non aliud tamen de illo vobis fas eſt cogitare, quam de me ſentire poſſibile eſt. Hic eſt filius meus: qui eam, quam mecum habet æqualitatem, non ra- Phil. 2. pina appetijt, nec vſurpatione præſumpſit; ſed manens in forma gloriæ meæ, vt ad reparandum genus humanum exequeretur commune conſilium, vſque ad formam ſeruilem inclinauit incommutabilem deitatem.

Hilar. ante medium lib. 3. de Trinit. habet Hilar. Chriſtum peculiari modo eſſe Dei filium, ſcilicet origine, veritate, & natiuitate: non autem adoptione, nuncupatione, aut creatione.

Greg. in fine expoſ. in lib. 1. Reg: De hoc igi- Greg. tur recte Prophetæ præcipitur: Surge, & vnge eum, ipſe eſt enim. Petrus quoque Apoſtolus non ſolum Propheta, ſed ſummus Patriarcha; vidit inenarrabilem lucem fuſam deſuper; nubem obumbrantem, clamantem patrem: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Ibi dicitur: Ipſe eſt enim. Hic dicitur: Hic eſt filius meus dilectus. Ibi, quia in typis oſtendebatur, quaſi abſcurior cernitur, dum dicitur: Ipſe eſt. Hic autem, quia iam reuelata claritas eius erat, præſentior cernitur, quia dicit: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Hic ergo vngendus eſt, hic laudandus, & perpetuis fauoribus demulcendus. Sed quis digne laudare ſufficiat, cum non ſufficiat gloriam videre, quam laudat? Quid eſt, quod Petrus cadit, cum Cur audita voce Petrus cadat. vocem audit inſonantem tanti verba præconij? ſed paruulus erat, adhuc videbat, quod videre non ſufficiebat. Videbat, & quia videndo cadebat, ſignificat quod ad id non poterat attingere, quod merebatur videre. Nemo poteſt dice- 1 Cor. 12. re Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto. Quia ergo Petrus nondum illam plenitudinem ſpiritus acceperat, prædicare Ieſum quaſi paruulus non valebat. Ergo ſurgere iubetur prius; & viſionem nemini dicere, donec à mortuis reſurrexiſſet. Poſt reſurrectionem quippe accepturus erat Spiritum ſanctum. Vnde ſcriptum eſt: Ioan. 7. Nondum erat ſpiritus datus; quia Ieſus nondum fuerat glorificatus. Non debebat ergo Petrus ante reſurrectionem, viſionem dicere; quoniam quidem bene vidit, ſed antequam ſpiritum haberet, nō intellexit. Quid eſt ergo, quod ad Samuelem Dominus ait: Surge, & vnge eū. Quid eſt, quod ſurgere iubetur, vt vngat; niſi quia multum oportet eum erigi ad ſuperna, qui ſublimitatem Domini geſtit prædicare? Sed

quantum erectus erat Petrus, qui ad tanta videnda ſuſtollebatur? ſed ſi ille adhuc altiorem ſtatum perfectionis expectat, quis tantæ prædicationis officium ſubire non metuat? Si prophetam Dominus ſurgere admonet: Prædicare Dominum audet qui per lapſum prauitatis iacet? Hinc eſt enim quod vnicuique prædicatori per Eſaiam præcipitur: Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion.

Eſa. 40.

Aug. Aug. orat. de quinque hæreſibus cap. 7: Videamus quid dicit Euangeliſta; videamus ſi admiſſum eſt conſilium Petri. Adhuc, inquit, eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube dicens: Omnes audiamus, nemo aures claudat. Audiant pagani irriſores; audiant Iudæi perſecutores; audiant Manichæi phantaſmatum ſomniatores; audiant hæretici erroneſ litigatores; audiant, & maxime audiant etiam Catholici fideles Dei cultores. Iſti audiãt, vt inſtruantur; illi, vt corrigantur; aut iſti audiant, ne ſeducantur; illi vt puniantur. Quid dicit vox de nube? Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Vbi eſtis, qui aduerſamini filio Dei? Pater dicit: Hic eſt filius meus: & tu dicis, non habet filium Deus? Tu pagane, quid ſtas foris, & murmuras? intra huc in ſcholam Dei, aperi aures cordis tui, audi vocem Domini tui, & diſce filium Dei. Quo fugietis Iudæi, qui occidiſtis filium Dei? Quò fugietis? vbi vos abſcondetis? Qui montes, quæ petræ ſuper vos caſuræ ſunt? Et ſi in cauernis petrarum vos abſconderitis, inde extraham vos, dicit Dominus. Sed & vos venite, intrate, conſilium meum audite, deſperare nolite, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico. Sæuiſtis, occidiſtis, ſanguinem Chriſti fudiſtis, filio Dei increduli fuiſtis, in periculo poſiti eſtis. Quid facere nunc debetis, niſi vt credentes baptizemini, & viuatis? ſanguinem, quem fudiſtis, non eſt quod horreatis. Fuſus eſt ſanguis medici, & factus eſt medicamentum frenetici. Quid dubitatis? Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Quid tu Manichæe? quamdiu phantaſmata ſomniabis? euigila, & vide, nubila tonant. Quid tonant: Hic eſt filius meus dilectus. Vide in terra hominem verum, audi de cælo Deum verum. Vide in terra hominis filium, audi de cælo Dei eſſe filium. Vtrumque verum eſſe cognoſce, id eſt, Deum, & hominem; filium Dei, & filium hominis, vnum, eundemque eſſe Deum, & hominem. Agnoſce hominem, & placabis Deum. Caue ne offendas in petra, ne mortis patiaris ruinam: quia quod tu ſomnias, vanitas eſt: quod Deus tonat veritas eſt. Audi tu Sabelliane, audi de cælo Patrem, vide in terra filium, & noli dicere, idem pater, qui filius. Audi & tu Arriane, & in Patre, & in Filio noli errare, ſed ſequere veritatem, & vide diuinitatem. Domine audiamus; quid dicis de filio tuo? Hic eſt, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Et quid aliud? Ipſum audite. Deo gratias. Intonuit præceptum Dei, & remotum eſt conſilium Petri. Gratias tibi Deus æterna virtus, gratias tibi Deus Pater omnipotens, qui & filium tuum oſtendiſti, & mihi doctorem dediſti. Recedat Sabellianus, recedat Arrianus, recedant cæteræ peſtes, recedat omnis iniqua doctrina. Doceat Deus, non iniquus Arrius: doceat Dei filius, non filij aduerſarius.

Hæreſes omnes hic refutátur.

Pſal. 36.

Conſilium Petri non admitti.

Cypr. Cypr. epiſt. 63. cap. 6: Et quod Chriſtus debeat ſolus audiri, pater etiam de cælo conteſtatur, dicens: Hic eſt filius meus dilectiſſimus, in quo bene ſenſi, ipſum audite. Quare ſi ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putauerit, ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus, prior fecerit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem.

Aug. Aug. ſer. 28. de diuerſis: Nube Petrus emendatus eſt, ecce vnum tabernaculum nubes fecit: tu tria quare quærebas? Loquitur Elias; ſed hunc audite. Loquitur Moyſes; ſed hunc audite. Loquuntur prophetæ, loquitur lex: ſed hunc audite, vocem legis, & linguam prophetarum. Ipſe in illis ſonuit: ipſe in ſeipſo, quando eſt dignatus, apparuit. Hunc audite; hunc audiamus. Quando euangelium loquebatur putate quia nubes erat, inde nobis vox ſonuit, hunc audiamus, quod dicit faciamus, quod promiſit ſperemus.

Aud. De voce patris filium proteſtantis: Cur Pater bis manifeſtauerit naturalem Chriſti filiationem: quo modo Pater ſemel tantum loqui dicatur: quod tam in baptiſmo, quam in transfiguratione tota Trinitas apparuit: Cur Spiritus ſanctus ſub ſpecie columbæ in baptiſmo; hîc vero ſub ſpecie nubis apparuerit: Item cur Ieſus hic præcipiatur audiendus, non in baptiſmo: vide Tho. par. 3. qu. 39. ar. 8. & q. 45. ar. 4. Tho.

Not. 9. ver. 17.

Aug. Avg. lib. 2. de conſ. cap. 56: Addit etiam Lucas, intrantibus illis in nubem, factam eſſe vocem de nube; quod illi (Matt. & Mar.) non dixerunt; ſed nec contradixerunt.

Euth. Euth. Luc. 9: Moyſes quidem, & Elias intrauerant in ſpiſſitudinem nubis, ad loca omnino inter ſe ſeparata: diſcipuli vero quum etiã propter Domini transformationem eſſent exterriti, veluti dixit Marcus; videntes etiam quod hoc modo ipſi ſupernaturaliter in nubem reciperentur maximè timuerunt.

Ver. 19.

Ambr. Ieſus ſolus appa-ret. Ambr. lib. 7. in Lucam: Itaque dum tres eſſent, vnus eſt factus, tres in principio videntur, vnus in fine. Perfecta enim fide vnum ſunt. Denique hoc etiam Dominus Patrem orat, vt omnes vnum ſimus. Nec ſolum Moyſes, & Elias in Chriſto vnum ſunt, ſed etiam nos vnum corpus ſumus Chriſti. Ergo & illi tanquam in vno corpore recipiuntur in Chriſti corpus, quia & nos vnum erimus in Chriſto Ieſu. Aut fortaſsis quia lex, & prophetæ ex verbo: quæ autem ex verbo cœperunt, in verbo deſinunt. Finis enim legis eſt Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti.

Theoph. Theoph. Luc. 9: Inuentus eſt Ieſus ſolus: vt ne

ne quis putet, quod, Hic eſt filius meus: de Moyſe, vel Elia dictum ſit. Fortaſſis etiam hoc ſignificat, quod vſque ad tempus quoddam apparebant lex, & prophetæ, ſicut & hoc loco Moyſes, & Elias: Deinde ſolus Chriſtus, præteritis illis, apparuit: nunc enim euangelium ſeruatur, legalibus abolitis.

Ver. 20.

Hier. Cauſæ timoris. Hier. Matt. 17: Triplicem ob cauſam pauore terrentur, vel quia ſe erraſſe cognouerant, vel quia nubes lucida operuerat eos, aut quia Dei Patris vocem loquentis audierant: quia humana fragilitas conſpectum maioris gloriæ ferre non ſuſtinet, ac toto animo, & corpore contremiſcens ad terram cadit. Quanto quis ampliora quæſierit, tanto magis ad inferiora collabitur, ſi ignorauerit menſuram ſuam.

Amb. Apoſtoli cadentes Ieſum adorant. Ambr. lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 11: Putaſne illos vel cum prociderent adoraſſe, cum fulgorem diuini luminis corporalibus oculis ſuſtinere non poſſent, & ſplendor lucis æternæ aciem viſus mortalis obduceret? Aut quid aliud tunc temporis dixerunt illi, videntes gloriam eius, niſi: Venite adoremus, & procidamus ante eum?

Ver. 21.

Hier. Hieron. Matt. 17: Quia illi iacebant, & ſurgere non poterant, ipſe clementer accedit, & tangit eos: vt tactu timorem fuget, & debilitata membra ſolidentur. Quos manu ſanauerat, ſanat imperio. Nolite timere. Primum timor expellitur, vt poſtea doctrina tribuatur.

Greg. Greg. hom. 9. in Ezech: Ecce diuina vox iacenti Prophetæ iuſſit, vt reſurgeret. Sed ſurgere omnino non poſſet, niſi in hunc omnipotentis Dei ſpiritus intraſſet: quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem poſſumus, ſed hæc implere non poſſumus, ſi ipſe non adiuuat qui iubet. Sic Paulus cum diſcipulos admoneret, dicens: Cum metu, & tremore
Phil. 2. veſtram ipſorum ſalutem operamini: ilico quis in eis hæc ipſa bona operaretur adiunxit, dicens: Deus eſt enim qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate. Hinc eſt quod
Ioan. 15. ipſa Veritas diſcipulis dicit: Sine me nihil po-
Dubium. teſtis facere. Sed in his conſiderandum, quia ſi bona noſtra ſic omnipotentis Dei dona ſunt, vt in eis aliquid noſtrum non ſit, cur nos quaſi pro meritis æternam retributionem quærimus? Si autem ita noſtra ſunt, vt dona Dei omnipotentis non ſint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? Sed ſciendum eſt quia mala noſtra, ſolummodo noſtra ſunt: bona autem noſtra, & omnipotentis Dei ſunt, & noſtra: quia ipſe aſpirando nos præuenit vt velimus, qui adiuuando ſubſequitur, ne inaniter velimus; ſed poſſimus implere quæ volumus. Præueniente ergo gratia, & bona voluntate ſubſequente, hoc quod omnipotentis Dei donum eſt, fit meritum noſtrum. Quod bene Paulus breui
1 Cor. 15 ſententia explicat, dicens: Plus illis omnibus laboraui. Qui ne ſuæ videretur virtuti tribuiſſe quod fecerat, adiunxit: Non autem ego, ſed gratia Dei mecum. Quia enim cæleſti dono præuentus eſt, quaſi alienum ſe à bono ſuo opere agnouit: non autem ego. Sed quia præueniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bono, quod libero arbitrio eamdem gratiam eſt ſubſecutus in opere, adiunxit: ſed gratia Dei mecum. Ac ſi diceret: In bono opere laboraui, non ego, ſed & ego. In hoc enim quod ſolo Domini dono præuentus ſum: non ego. In eo autem quod donum voluntate ſubſecutus: & ego. His igitur breuiter contra Pelagium & Celeſtinum dictis, ad exponendi ordinem redeamus.

Ver. 22.

Hieron. Matt 17: Rationabiliter, poſtquam ſurrexerunt, non viderunt niſi ſolum Ieſum: ne ſi Moyſes, & Elias perſeueraſſent cum Domino, patris vox videretur incerta: cui potiſſimum daret teſtimonium. Vident ergo Ieſum ſtantem ablata nube; & Moyſem, & Eliam euanuiſſe: quia poſtquam legis & prophetarum vmbra diſceſſerit, quæ velamento ſuo Apoſtolos texerat, vtrumque in euangelio reperitur. Hier. Ieſus cur ſolus apparet.

Ver. 23.

Hierô. Matt. 17: Futuri regni præmeditatio, & gloria triumphantis, demonſtrata fuerat in monte; non ergo vult hoc in populos prædicari; ne & incredibile eſſe, pro rei magnitudine; & poſt tantam gloriam; apud rudes animos, ſequens crux ſcandalum faceret. Hier. Cur taceri vult.

Ambro. præfatione in pſalmi 45. enarrationem: Dominus iuſſit, ne cui dicerent, quod vidiſſent. Huic ergo tua occulta ſeruato, cui Dauid ſua occulta mandabat, dicens: Ab occultis meis munda me Domine. Munda enim debent eſſe receptacula, in quibus ſunt pietatis occulta myſteria. Vide eundem not. 7. Amb. Pſal. 50.

Dam. orat. de Transfigur. Dom: Hoc Dominus imperauit. Quanam de cauſa id contigerit, exponam. Cum imperfectos, vt opinor, diſcipulos eſſe compertum haberet (neque enim plene adhuc, atque integre ſpiritum perceperant) hoc idcirco ab eo factum eſt, ne aut eorum pectora mæſtitia perfunderentur; aut proditorem inuidiæ rabies in furorem ageret. Dam. Cur taceri velit.

Theoph. Matt. 17: Propter humilitatem denunciat nulli dicendum; atque etiam ne offendantur, qui audiunt talia, poſtea ipſum crucifigi videntes. Putaſſent enim impoſtorem fuiſſe, hæcque ſolum apparenter feciſſe. Theoph. Cur taceri vult. Et Mar. 9: Quam ob cauſam interdicit Dominus diſcipulis, ne quid dicant cuipiam de transfiguratione? vt ne ſcandalizentur homines, ſi cum tam honorifica de Chriſto audiſſent, poſtea viderent ipſum crucifigi. Igitur poſtquam à mortuis ſurrexit, tempeſtiuum erat de Chriſto dicere glorioſa, quæ ante crucem erant facta. Theoph.

Chryſoſt. hom. 57. in Matth: Mandauit eis, ne cuiquam dicant, donec à mortuis reſurrexerit. Nam quanto maiora de ipſo dicebantur, tanto difficiliora tunc creditu multis videbantur; Chryſoſt.

tur; & ſcandalum quod à cruce oriebatur, multo magis inde creſcebat: idcirco ſilentium iuſſit; neque id ſimpliciter, ſed cum paſſionis mentione, quaſi cauſam exponat, quare opus ſilentio ſit. Non enim perpetuum indixit ſilentium, ſed donec à mortuis reſurrexerit, atque hic quod iucundum erat ſolum dixit: aſperum vero, atque amarum, ſilentio tradidit. Quid igitur poſtea? nonne id poſt reſurrectionem ſcandalum paſſi ſunt? minime: de tempore enim quod crucem præcedebat, agitur. Nam poſtea & ſpiritu recepto, & ſignis clara voce atteſtantibus, cæteriſque rebus omnibus, ad declarandam omnipotentiam ipſius vndiq; confluentibus, nullo ſcandalo poterant commoueri. Idem habet Euth. Matt. 17. *Eut.*

Ver. 23. 24. 25.

Vict. Cur taceri velit. Victor Mar. 9: Silentium indicit: nam quo Apoſtoli plura, maioraque de illo ſparſiſſent, eo res apud turbas incredibilior viſa fuiſſet; ſcandalumque, quod ex cruce poſtea ortum eſt, latius ſe diffudiſſet. Ob id ergo, quæ viderant ſilentio tegere mandat. Neque hoc tantum; verum paſſionis quoque mentionem orationi interſerit, cauſam oblique pandens, cur transfigurationis ſacramentum, tantiſper tacitum habere, nullique omnino patefacere iuſſerit, dum à mortuis reſurgeret. Ad hæc, quod difficultatem, mœroremque ciere poterat, puta crucem, & mortem, reticens, dulce tantum propinat. Illi vero, quod de reſurrectione propoſuerat, non intelligentes, rem quidem taceri iuſſam, apud ſe continuêre; at vero quorſum, quod de reſurrectione ex mortuis dixerat, ſpectaret, id ſerio inter ſe diſquiſiuerunt.

Eut. Quid tacuerunt. Euth. Mar. 9: Verbum, quod erat de reſurrectione eius à mortuis, tenuerunt apud ſeſe, nulli alij narrãtes; vel, verbum, quod erat de transformatione illius: Diſputantes quidnam eſſet, à mortuis reſurgere. *De quo, & cur diſputent.* Quum enim neminem vidiſſent ſeipſum à mortuis ſuſcitaſſe, neq; etiam audiſſent, opinabantur & hoc parabolam eſſe, & diſputabant quid ſignificaret.

Cap. 85. *Aduentus Eliæ.*

Matt. 17.	*Mar. 9.*	*Luc.*	*Ioan.*
1 ET interrogauerunt eum diſcipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primum venire?	1 ET interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Phariſæi, & Scribæ, quia Eliam oportet venire primum?		
2 At ille reſpondens, ait eis: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.	2 Qui reſpondens, ait illis: Elias cum venerit, primo reſtituet omnia.		
3 Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum; ſed fecerunt in eo, quæcunque voluerunt. Sic & filius hominis paſſurus eſt ab eis.	3 Et quomodo ſcriptum eſt in filium hominis, vt multa patiatur, & contemnatur. Sed dico vobis, quia & Elias veniet (& fecerunt illi, quæcunque voluerunt) ſicut ſcriptum eſt de eo.		
4 Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis.			

Not. 1.

Summa. Duos eſſe Christi præcurſores. DOCET hic Saluator, duos eſſe Chriſti præcurſores, & Elias, ſicut & aduentus.

Aug. Ratio diſpoſitionis. Aug. lib. 2. de conſenſ. Euang. cap. 57. Notat primos tres verſus eſſe in Matt. & Mar. non autem in Luc. & quartum in Matt. duntaxat: ſic enim habet: Sequitur Matt. Et interrogauerunt eum diſcipuli eius dicentes: Quid ergo ſcribæ, &c. Hoc idem Marcus, etiam hunc ordinem ſeruans, commemorauit; & in nonnulla diuerſitate verborum, nuſquam tamen ab eiuſdem ſententiæ veritate, diſceſſit. Sed ipſe non addidit, intellexiſſe diſcipulos, quod Ioannem Dominus ſignificaſſet, dicendo quod Helias iam venerit.

Hier. Cauſa propoſitæ huius quæſtionis. vers. 1. Hier. Matth. 17: Niſi cauſas nouerimus, quare interrogauerint diſcipuli ſuper Eliæ nomine, ſtulta videtur, & extraordinaria eorum interrogatio. Quid enim pertinet ad ea, quæ ſupra ſcripta ſunt, de Eliæ aduentu quærere? Traditio Phariſæorum eſt, iuxta Malachiam prophetam, qui eſt nouiſſimus in duodecim, quod Elias veniat ante aduentum Saluatoris, & reducat cor patrum ad filios, & filiorum ad patres, & reſtituat omnia in antiquum ſtatum. *Malach. 4.* Eſtimant ergo diſcipuli transformationem gloriæ hanc eſſe, quam in monte viderant, & dicunt; Si iam veniſti in gloria, quomodo præcurſor tuus non apparet? maxime quia Eliam viderant receſſiſſe. Quando autem adijciunt: Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire: primum dicendo, oſtendunt, quod niſi

Elias venerit, non ſit, ſecundum ſcripturas, (ver. 2.) Saluatoris aduentus. At ille reſpondens ait illis: Elias quidem venturus eſt. Ipſe, qui venturus eſt in ſecundo Saluatoris aduentu, iuxta corporis fidem, nunc per Ioannem venit in virtute, & ſpiritu. Fecerunt in eo quæcunque voluerunt. (ver. 3.) Hoc eſt, ſpreuerunt, & decollauerunt eum. (Dubium.) Quæritur autem, cum Herodes, & Herodias Ioannem interfecerint, quomodo ipſi Ieſum quoque crucifixiſſe dicantur: cum legamus eum à Scribis, & Phariſæis interfectum? Et (Reſp.) breuiter reſpondendum, quod & in Ioannis (In necem Ioannis conſenſerunt Iudæi, & Herodes in Chriſti necem.) nece Phariſæorum factio conſenſerit, & in occiſione Domini Herodes iunxerit voluntatem ſuam: qui illuſum, atque deſpectum remiſerit ad Pilatum, vt crucifigeret eum. Et Malach. (Hier.) 5: Dominus noſter in Euangelio, Eliam prophetam, Ioannem Baptiſtam interpretans, loquitur: Si vultis ſcire, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. De quo & hic idem propheta, quem nunc diſſerimus, ſcribit in fine: Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. (Quomodo Ioannes ſit Helias.) Quomodo autem Elias Ioannes ſit, dedit nobis viam intelligentiæ: in virtute, & ſpiritu eum veniſſe commemorans. (Hier.) Et Malachiæ 4: Iudæi, & Iudaizantes hæretici ante ἠλειμμένον ſuum, Eliam putant eſſe venturum, & reſtituturum omnia. Vnde & Chriſto in Euangelio proponitur quæſtio: Quid eſt quod Phariſæi dicunt, quod Elias venturus eſt? Quibus ille reſpondit: Elias quidem veniet: & ſi creditis, iam venit: in Elia (Hier.) Ioannem intelligens. Et epiſtola ad Algaſiam q. 1: Ioannes autem ſecundum myſterium, quod in Malachia ſcriptum eſt, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt: non quod eadem anima (vt hæretici ſuſpicantur) & in Elia, & in Ioanne fuerit; ſed quod eamdem habuerit ſancti Spiritus gratiam: (Ioannes in quibus ſit Heliæ ſimilis.) zona cinctus, vt Elias; viuens in eremo, vt Elias; perſecutionem paſſus ab Herodiade, vt ille ſuſtinuit ab Iezabel; vt quomodo Elias ſecundi præcurſor aduentus eſt, ita Ioannes venturum in carne Dominum Saluatorem non ſolum in eremo, ſed etiam in matris vtero ſalutarit, & exultatione corporis nunciarit. (Hier.) Similia habet in cap. 11. & 14. Matth. (Greg.) Et Greg. hom. 7. in Euang.

Ver. 2.

(Greg. Quomodo Elias omnia reſtituet.) Greg. lib. 35. Mor. cap. 9: In Euangelio quoque Veritas dicit: Elias veniet, & ille reſtituet omnia. Nunc enim amiſit Iſraelitas Eccleſia, quos conuertere prædicando non valuit; ſed tunc Elia prædicante, dum quotquot inuenerit, colligit, velut plenius recipit, quod amiſit.

(Aug.) Aug. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 21: Quod dixit Dominus; Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia: id eſt, vel eos quos perſecutio Antichriſti conturbauerit: vel vt ipſe reſtituat moriendo quæ debet.

Not. 2.

(Chryſoſt.) CHRYSOST. hom. 58. in Matt: Quid igitur dicunt ſcribæ, &c. Non ergo à ſcripturis id (ver. 1.) ſciebant, ſed quoniam ſcribæ illis declarabant, vulgo hæc opinio ferebatur: quemadmodum & de Chriſto, ideo & Samaritana dicebat: Meſſias venit, & cum ille venerit, nunciabit nobis (cap. 26.) hæc omnia. Ab ipſis quoque interrogatus fuit Ioannes, Eliaſne es tu, aut Propheta? late namque, vt dixi, hæc de Chriſto, & de Elia opinio (cap. 16.) animas hominum occupauerat; non tamen recte ab illis hæc interpretabantur. Diuinæ namque ſcripturæ duos aduentus Chriſti teſtantur, (Duo Chriſti aduentus & præcurſores.) quorum alter iam factus eſt, alter vero futurus eſt: quos ſignificauit Paulus, dicens: Apparuit gratia Dei, ſalutifera omnibus hominibus: erudiens nos; vt abnegantes impietatem, & ſæculares cupiditates, modeſtè, iuſtè, ac piè viuamus. Ecce de primo aduentu; audies (Tit. 2) nunc quomodo & alterum ſignificans, ſubiunxit: Expectantes beatam ſpem, & aduentum magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Sed prophetæ quoque vtriuſque mentionem faciunt, & ſecundi cui præcurſorem Eliam aſſerunt futurum: primi enim Ioannes fuit præcurſor, quem etiam Eliam Chriſtus appellabat, (Cur Ioannes dicatur Elias.) non quia Elias eſſet, ſed quoniam miniſterium Eliæ faciebat: Nam ſicut ille ſecundi aduentus præcurſor erit, ſic primi fuit Ioannes. (Error Iudæorum.) Sed ſcribæ iſta confundentes, & populum peruertentes, ſecundi aduentus ſolummodo recordabantur, & dicebant ad plebem: Si Chriſtus hic eſſet, iam Elias veniſſet: quapropter diſcipuli quoque dicunt, quare igitur ſcribæ, Eliam oportere prius venire, aſſerunt? Hac de cauſa Phariſæi miſerunt ad Ioannem, ac interrogabant, Eliaſne es tu? nullam prioris aduentus mentionem facientes, quam ſolutionem attulit Chriſtus? quia ſcilicet Elias quidem tunc veniet, ſcilicet ante ſecundum meum aduentum; & nunc iam Elias venit, ipſum Ioannem ita vocans. Si vero (Quomodo Elias omnia reſtituet.) Theſbitem quæritis, veniet: ideo dicebat, Elias quidem veniet, & reſtituet omnia. Quænam omnia? Quæcunque Malachias propheta dicebat: (Malach. 4.) Mittam enim vobis Eliam Theſbitem, ait, qui reſtituet cor patris ad filium, ne veniens percutiam terram penitus. Vides exactam diligentiam propheticæ prædicationis? (Cur Theſbitem addit.) Nam quoniam propter miniſterij ſimilitudinem Ioannes quoque poterat Elias nominari, ne confuſio fiat, patriam adſcripſit, Eliam Theſbitem appellans: Ioannes enim non erat Theſbites. (Mal. 4. De ſecundo, non de primo aduentu agitur.) Aliud etiam ſignum addit, dicens: Ne percutiam terram penitus, ſecundum, atque terribilem illum aduentum ſignificans: non enim ad feriendam terram primo venit. Non veni, ait, vt mundum iudicem, ſed vt ſaluem. Quod dixit, vt expreſſe ſignificaret, ante illum aduentum, quo iudicium exercetur, Theſbitem eſſe (Eliæ aduentus cauſa.) venturum: cauſam quoque cur venturus ſit docuit. Quænam vero cauſa eſt? vt Iudæis credere in Chriſtum perſuadeat, ne omnes illo aduenienti penitus perdantur. Quam rem ipſe in (Quomodo Elias omnia reſtituet.) memoriam reducens, inquit: & reſtituet omnia, incredulitatem videlicet Iudæorum, qui tunc erunt reſidui, ad fidem conuertet. Exquiſitiſſime

Cur ait, cor patrū ad filios, nō contra.

ſiciſſime autem dictum eſt; qui reſtituet, non filij cor ad patrem, ſed patris ad filium. Iudæorum enim filij Apoſtoli erant, ad quorum dogmata pectora patrum, id eſt, Iudæorum generis mentem conuertet. Tunc intellexerunt diſcipuli, &c. Nam & ſi nec ſcribæ, nec ſcripturæ id dixerunt, tamen quoniam acutiores, & attentiores facti ſunt, cito illud intellexerunt, & maxime quia iam ante dixerat, ipſe eſt Elias, qui venturus erat. Hoc loco autem, quod iam venerit, & rurſus quod Elias veniet, & reſtituet omnia. Sed ne turberis, neque in ſermone vllum eſſe errorem putes, ſi modo quidem venturum eſſe, modo vero iam veniſſe dixerit. Ambo enim hæc vera ſunt. Quando enim dicit: Elias quidem veniet, & reſtituet omnia: ipſum Eliam dicit; & eam, quæ tunc futura eſt, Iudæorum conuerſionem. Quum vero dicebat; ipſe eſt qui venturus erat; ipſum Ioannem, propter miniſterij ſimilitudinem, Eliam vocabat. Nam & prophetæ vnumquemque ex approbatis regibus Dauid appellabant: & Iudæos propter morum deprauationem Sodomorum principes, & filios Æthiopum nuncupabant. Sicut enim ille ſecundi aduentus; ita iſte primi præcurſor fuit: quamuis & illa de cauſa Eliæ nomine Ioannem appellet, vt & valde ſe veteri ſcripturæ concordem, & hunc aduentum prædicatione prophetæ confirmari oſtendat, ac ideo ſubiecit: Iam venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt ei quæcunque voluerunt. Quid eſt, quæcunque voluerunt? In vincula coniecerunt, contumelijs affecerunt, occiderunt, caput diſco portarunt: ſic & filius hominis paſſurus eſt ab ipſis. Opportunè iterum de paſſione ſua facit mentionem, partim à Ioannis paſſione dolorem eorum mitigans; partim quia mirabilia ſigna confeſtim operatus eſt. Inuenies enim ſæpius, ſi diligentius obſeruaueris, quandocunque de paſſione ſua locutus eſt, & ante, & poſt illicò miraculo ſeipſum egiſſe. Tunc denique incepit oſtendere, quoniam oporteret eum abire in Ieroſolymam, & multa pati. Tunc iſtud quando ſignificat? quando prædicatus fuit Chriſtus, & filius eſſe Dei, quando in monte mirabilem eis viſionem oſtendit, & de gloria ipſius prophetas colloquentes Apoſtoli viderunt, tunc apertius de paſſione prædixit. Poſteaquam enim Ioannis hiſtoriam narraſſet, ſubiunxit, ſic & filius hominis paſſurus eſt ab ipſis: deinde poſt paululum eiecto dæmone, quem diſcipuli expellere non potuerunt. Cum enim in Galilæam reuerterentur, dixit eis Ieſus, tradendus eſt filius hominis in manus peccatorum hominum, & interficient eum, & in tertia die reſurget. Hoc autem faciebat, vt magnitudine miraculorum magnitudinem doloris minueret, & ſolamen omnimodo ipſis præberet, vt hic ex memoria Ioannis eos conſolatus eſt. Si autem quiſpiam roget, ſi tot, tantaque aduentu Eliæ bona futura teſtatur, cur ipſum modo non miſit? Quia certè quamuis Chriſtum Eliam eſſe putarent, non crediderunt tamen ei. Alij enim, inquit, te Eliam eſſe dicunt, alij Ieremiam, & inter Ioannem, & Eliam præter temporum ſpacia nihil intereſt. Quomodo igitur tunc credituri ſunt, inquies? ſiquidem Elias cuncta reſtituet, non modo tunc quia notus, verum etiam quoniam vſque ad illum diem amplior magis, atque amplior gloria Chriſti ſolaribus iam radijs erit ſulgentior: ad quæ omnia cum prædicatio illius accedat, ad Chriſti fidem impellens, facillimè ſuſcipient. Cum autem dicat: Et non cognouerunt eum: excuſare illos videtur: & partim quia inuiſè paſſurus ab ipſis eſt, diſcipulos conſolatur: partim quia ſignis duobus dolorem obruit, altero iam in monte facto, altero iam futuro. Cum verò hæc audiſſent, aut mærore paſſionis preſſi, aut interrogare veriti, quando venturus ſit Elias, non quæſierunt. Frequenter enim quando vident ipſum nolle quidpiam apertè dicere, tunc tacent.

Quomodo Elias dicitur venisse, & venturus.

Quomodo Elias omnia reſtituet.

Cur Ioannes dicatur Elias.

Simile.

Quæ Ioannes ſit paſſus.

Cur Dominus iterum ſuæ paſſionis meminerit.

Dubium

Cur Heliæ tēpore potius quam Ioannis, & Christi credituri ſint Iudæi.

Beda Mar. 9: Reſtituet omnia, vtique illa, quæ Propheta Malachias oſtendit. Reſtituet & hoc, quod morti debet, ac diu viuendo diſtulit. Quod etiam hic Dominus conſequenter intimauit, cum protinus adiunxit: & quomodo ſcriptum eſt in filium hominis vt multa patiatur, & contemnatur. Id eſt quomodo de Chriſti paſſione multifarie Prophetæ multa ſcripſerunt; ſic & Elias cum venerit, multa paſſurus eſt contemnendus ab impijs. Reſtituet ergo omnia primo videlicet corda hominum illius æui, inſtituendo ad credendum Chriſto, ac reſiſtendum perfidiæ Antichriſti. Deinde ipſe ſuam animam propter martyrium fidei Chriſti ponendo. De quo in Apocalypſi plenius myſtico ſermone narratur. Sed dico vobis, quia & Elias venit, & fecerunt illi quæcunque voluerunt, ſicut ſcriptum eſt de eo. Ipſe qui venturus eſt in ſecundo Saluatoris aduentu iuxta corporis fidem, nunc per Ioannem venit in virtute, & ſpiritu. Feceruntque ei quæcunque voluerunt, hoc eſt, ſpreuerunt, & decollauerunt eum.

Bed. Vt Elias omnia reſtituet.

Apoc. 11.

Orig. tractatu 3. in Matth: Sermo interrogationis diſcipulorum dicentium: Quid ergo dicunt ſcribæ, ad aliquid eorum, quæ ſuperius ſcripta ſunt, reſpicit: propter quod in quantum valemus, tentemus hoc facere manifeſtum. Diſcipuli qui cum Chriſto aſcenderant ſuper montem, recordabantur traditionum ſcribarum de Elia propheta, quoniam ante aduentum Chriſti erat venturus, vt præparet animas quæ ſuſcipiant eum. Viſio autem quæ facta erat in monte, in qua etiam Elias viſus eſt, videbatur eis non conuenire cum traditione ſcribarum de Elia: quia non ante Chriſtum eis videbatur Elias veniſſe; ſed cum Chriſto. Ideo falſam exiſtimantes traditionem ſcribarum propter huiuſmodi viſionem, de Elia dixerunt: Quid ergo dicunt Scribæ, quoniam oportet Eliam venire primum? Tu enim nobis manifeſtatus es ante Eliam. & priuſquam ille, ad hanc vitam humanam veniſti. Ad hoc reſpondit Ieſus, non reprobans quidem quæ à ſcribis tradita fuerant de Elia; ſed alium Eliæ aduentum ante

ſe indi-

Orig. tra. 3.

Scribæ in aliquo errant circa Heliam, & in aliquo non.

ſe indicans factum, quem ignorauerant Scribæ. Ignorantes autem eum quodammodo participes facti interfectionis eius, fecerunt ei quanta voluerunt; ſimiliter facturi Christo. Quod dicit propter Ioannem, Elias iam venit, non

Hæreſis tranſcorporationis

anima Eliæ eſt intelligenda, vt ne incidamus in dogma tranſcorporationis, quod alienum eſt ab eccleſiaſtica veritate. Nam & contrarium eſt

2 Cor. 3.

his, quæ dicit Apoſtolus: quæ videntur, temporalia eſſe: & mundum iſtum finem habere,

Matt. 24

& ei quod ipſe Dominus ait: Cælum, & terra

Pſal. 102.

tranſibunt: & prophetico ei quod ait: In initio terram tu fundaſti Domine, & opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt. Si enim, ſecundum opinionem eorum, eadem anima bis poteſt fieri in corpore, ſecundum ſtatum eumdem, ab initio ſæculi, vſque in finem, interrogo quare ſit bis? Si propter peccatum, quare non & ter, & frequentius ſit in corpore anima, vt propter vitam hanc, & peccata, quæ committuntur in ea, patiatur pœnam tranſcorporationis, quæ ſola, ſecundum opinionem, animabus peccatricibus infertur cauſa vindictæ? Quæ ſi conſequenter inferatur, non erit citò vt anima deſinat iterum, atque iterum ſuſcipere corpus. Semper enim propter delicta præcedentia reuertetur, & ſic locum non habebit conſummatio mundi. Si enim ſecũdum hoc argumentum ei animæ datur non redire ad corpus quæ non habet omnino peccatum, per quot annos exiſtimas vnam animam inueniri, quæ omnino munda ſit à peccato, & non habeat opus transfigurationem ſuſcipere? tantum & ſic vna quadam anima ſemper ex definito numero animarum tranſlata, & iam non reuertente ad corpus, deficiet aliquando per aliqua innumerabilia ſecula natiuitas, mundo redacto ad vnum aliquem vel duos, vel tres. Poſt quos cum & ipſi fuerint propter perfectam iuſtitiam ſuam irreuertibiles facti, conſummabitur mundus, deficientibus videlicet qui reuertantur ad corpus. Quod ſcripturarum non placet veritati. Sciunt enim multitudinem peccatorum eſſe inueniendam in tempore conſummationis, ſecundum quod ipſe Dominus manifeſtat, di-

Luc. 18.

cens: Tamen cum venerit filius hominis, putas

Luc 17

inueniet fidem ſuper terram? Item alibi: Sicut fuit in diebus Noe, ita erit aduentus filij hominis. Sicut enim fuerunt ante diluuium manducantes, bibentes, & nuptum tradentes, donec intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & tulit omnes: ſic erit & aduentus filij hominis, & erit eis, qui tunc fuerint peccatores, punitio, non in tranſcorporatione, ſed in igne. Vnde neceſſarium qui tranſcorporationis dogma defendunt gentiles, quaſi conſequentias ibi dicere cupientes, denegant mundum eſſe aliquando conſummandum. Contra quos reſpondemus. Si non conſummatur mundus, ſed erit ſine fine, non eſt Deus omnia ſciens priuſquam fiant; ſed ſorte ex parte vnum, vel alterum ſcit futurum priuſquam fiat, omnia autem neſcit: quæ enim nata ſunt ſine fine, definitione aliqua comprehendi non poſſunt: & conſequens eſt, vt nec prophetiæ poſſint fieri de omnibus, quaſi ſine fine omnibus conſtitutis. Adhuc dicimus eis, qui putant animam Ioannis, animam fuiſſe Eliæ, & primum quidem vocatum Eliam, poſtea Ioannem, quare Angelus, qui viſus eſt Zachariæ, ita dixit: Ecce Elizabet vxor tua concipiet, & pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem? Si enim anima ipſa fuit Eliæ,

cap. 1.

oportuit & ſecunda vice natum vocari Eliam, aut oſtendi aliquam mutati nominis cauſam, ſicut in Abram, & in Abraham: & in Saram, & in Sarai, & in Iacob, & in Iſrael, & in Simonem, & in Petrum. Tamen nec ſic ratio valida vincitur: quoniam illorum in vna, eademque vita mutata ſunt nomina. Sed dicit aliquis eorum: Si non Eliæ fuit anima Ioannis, quare Saluator Eliam appellauit Ioannem? Et puto quod Gabriel, in verbis, quæ locutus eſt Zachariæ, demonſtrauit, quod Eliæ tranſlatum eſt nomen in Ioannem, dicit enim ita: & ipſe præcedet ante eum in ſpiritu, & virtute Eliæ, conuertere corda patrum ad filios, & incredulos ad ſapientiam Sanctorum. Et non dixit, ipſe præcedet ante eum in anima Eliæ. Manifeſte enim ſcriptura cognoſcit aliud eſſe animam, aliud autem eſſe ſpiritum; ſicut teſtatur Paulus dicens: Deus autem ſanctificet vos ad perfectum, & integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus conſeruetur in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et apud Danielem: Benedicite ſpiritus, & animæ ſanctorum Dominum. Elias ergo Ioannes, non propter animam, eſt appellatus; ſed propter ſpiritum, & virtutem: quę non contriſtant virtutem ſcripturę, ſi primum fuit in Elia ſpiritus, & poſtea in Ioanne factus eſt, ſicut conuenienter Apoſtolus ait: Spiritus prophetarum, prophetis ſubiectus eſt, non animæ prophetarum prophetis ſubiectæ ſunt. Adhuc ad confirmationem eorum, quæ Angelus dixit: Et ipſe præcedet in ſpiritu, & virtute Elię; accipiamus de quarto libro regnorum, quod eſt tale. Et factum eſt, cum tranſiſſet, dixit Elias ad Eliſæum. Pete, quid faciam tibi, priuſquam tollar à te. Et dixit Eliſæus: Fiat ſpiritus tuus duplex in me. Et dixit Elias: Dure petiſti: Tamen ſi videris me aſcendentem à te, fiat tibi ſic: ſi autem non, non fiat. Et quoniam dixerat: Si videris me, fiat: ſi non, non fiat: volens ſcriptura oſtendere, quia factum eſt ſic Eliſæo, ſicut ipſe petierat, ſic addit: Et aſcendit Elias in commotione quaſi vſque in cælum, & Eliſæus intuebatur, & ipſe exclamauit, & dixit: Pater, pater, agitator Iſrael, & non vidit eum amplius. Quoniam ergo vidit, propterea requieuit ſpiritus, non anima Eliæ in Eliſæo. Item poſtquam percuſſit aquas Iordanis Eliſæus, & ſciſſæ ſunt inde, & inde, tranſijt Eliſæus, & viderunt eum filij prophetarum, qui erant in Iericho, & dixerunt: Requieuit ſpiritus Eliæ in Eliſæo. Et venerunt, obuiam ei, & adorauerunt eum in terra. Hoc diximus, vt intelligamus Ioannem dictum Eliam, non propter eandem animam; ſed propter eumdem ſpiritum; ſicut & diſcipuli intellexerunt Chriſti. Quoniam autem ſpiritus Eliæ in Eliſæo quidem

Cur Ioannes dictus ſit Helias.

Anima, & ſpiritus differunt.

1 Theſ. 5.

Dan. 3.

1 Cor. 14.

4 Reg. 2.

Cur Ioannes dictus ſit Elias.

ver. 4.

Cur Ioannes potius quam Heliſæus dictus ſit Elias.

quidem tantum requieuit, Ioannes autem præceſſit ante Chriſtum, non ſolum in ſpiritu, ſed etiam in virtute Eliæ, ideo Eliſæus quidem non eſt dictus Elias; Ioannes autem dictus eſt ipſe eſſe Elias. Et ſi ſermo aliquis intelligatur Elias inferior eo verbo quod erat in principio apud Deum, & ſic poteſt procedere vt videatur Elias eſſe verbum quod præmittitur quaſi ad exercitationem hominum præparatorum, vt fiant perfecti ad ſuſceptionem verbi perfecti. Et hunc ipſum ſenſum, ſicut potuimus, ex parte tetigimus ſupra, vbi tractauimus: Et ſi vultis ſuſcipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. Qui habet aures audiendi, audiat. Adhuc autem videamus quod ait: Et fecerunt ei quanta voluerunt, ad quem refertur: vtrum ad ſcribas, de quibus interrogantes diſcipuli dicebant: Quid ergo dicunt ſcribæ? Sed non inuenimus aliquid paſſum Ioannem à ſcribis; niſi forte, quia non crediderunt ei, aut niſi forte, quod ſuperius diximus, ſocij fuerant facti in eis, quæ intulit Herodes Ioanni. Alius autem dicit, quod ait: Et fecerunt ei quanta voluerunt; non ad ſcribas referri, ſed ad Herodem, & Herodiadem, & filiam eius. Propter hoc autem quod ſequitur: ſic & filius hominis patietur ab eis, conſequenter dicitur, ſi primum ad ſcribas pertinet, & hoc ad ſcribas. Si autem primum ad Herodem, & Herodiadem, & filiam eius, & ſecundum ad ipſos. Nam inuenitur & Herodes in morte Chriſti fuiſſe conſcius, & omnis domus eius.

cap. 56. ver 3.

Qui Ioanni fecerunt quod voluerunt,

Vt Ioannes paſſus ſit à ſcribis.

A q[illegible] [illegible] ſit paſſus.

C A P. 86. *Dæmonium, quod expellere non potuerunt Apoſtoli, eijcitur.*

Matt. 17.	*Mar. 9.*	*Luc. 9.*	*Ioan.*
		1 Actum eſt autem in ſequenti die;	
2 Et cùm veniſſet ad turbam;	2 Et veniens ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos; 3 Et Scribas cõquirentes cum illis. Et confeſtim omnis populus videns Ieſum, ſtupefactus eſt, & expauerunt: & accurrentes ſalutabant eum. 4 Et interrogauit eos: Quid inter vos conquiritis? *Fer. 4. quat. temp. Sept.*	2 Deſcendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.	
5 Acceſſit ad eum homo genibus prouolutus ante eum, dicens: Domine, miſerere filio meo: quia lunaticus eſt, & male patitur. Nam ſæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.	5 Et ✠ reſpondens vnus de turba, dixit: Magiſter, attuli filium meum ad te, habentem ſpiritum mutum, qui vbicunque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit.	5 Et ecce vir de turba exclamauit, dicens: Magiſter, obſecro te, reſpice in filium meum: quia vnicus eſt mihi; & ecce ſpiritus apprehendit eum, & ſubitò clamat, & elidit, & diſſipat eum cum ſpuma; & vix diſcedit dilanians eum.	
6 Et obtuli eum diſcipulis tuis: & non potuerunt curare eum.	6 Et dixi diſcipulis tuis, vt eijcerent illum, & non potuerunt.	6 Et rogaui diſcipulos tuos vt eijcerent illum, & non potuerunt.	
7 Reſpondens autem Ieſus, ait: O generatio incredula, & peruerſa: quouſque ero vobiſcum? vſquequo patiar vos? afferte huc illum ad me.	7 Qui reſpondens eis, dixit: O generatio incredula: quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me.	7 Reſpondens autem Ieſus, dixit: O generatio infidelis, & peruerſa: vſquequo ero apud vos, & patiar vos? adduc huc filium tuum.	
	8 Et attulerunt eum: & cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbauit illum: & eliſus in terram volutabatur ſpumans.	8 Et cùm accederet, eliſit eum dæmonium, & diſſipauit.	
	9 Et interrogauit patrem eius: Quantum tempo-		

Et incre-

Matt. 17.	Marc. 9.	Luc. 9.	Ioan.
	ris eſt, ex quo ei hoc accidit?		
	10 At ille ait: Ab infantia, & frequenter eum in ignem, & in aquas miſit, vt eum perderet; ſed ſi quid potes, adiuua nos, miſertus noſtri.		
	11 Ieſus autem ait illi: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.		
	12 Et continuò exclamãs pater pueri, cum lachrymis, aiebat: Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam.		
	13 Et cùm videret Ieſus concurrentem turbam;		
14 Et increpauit illum Ieſus.	14 Comminatus eſt ſpiritui immundo.	14 Et increpauit Ieſus ſpiritum immundum.	
	15 Dicens illi: Surde, & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum.		
	16 Et exclamans, & multum diſcerpens eum.		
17 Et exijt ab eo dæmonium.	17 Exijt ab eo.		
	18 Et factus eſt ſicut mortuus, ita vt multi dicerent: Quia mortuus eſt.		
	19 Ieſus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & ſurrexit.		
20 Et curatus eſt puer, ex illa hora.		20 Et ſanauit puerum.	
		21 Et reddidit illum patri eius, ſtupebant autem omnes in magnitudine Dei.	
22 Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum ſecretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere illum? Dixit illis Ieſus:	22 Et cùm introiſſet in domum, diſcipuli eius ſecretò interrogabãt eũ: Quare nos non potuimus eijcere eum? Et dixit illis:		
23 Propter incredulitatem veſtram. Amẽ quippe dico vobis, ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illuc: & tranſibit: & nihil impoſſibile erit vobis.			
24 Hoc autem genus non eijcitur, niſi per orationem, & ieiunium.	24 Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & ieiunio. +		

Not. 1.

Ratio diſpoſitionis.

Avg. lib. 2. de conſenſ. cap. 58: Sequitur Matthæus, & dicit: Et cum veniſſet ad turbam, acceſſit ad eum homo, genibus prouolutus ante eum, dicens: Domine, miſerere filij mei, quia lunaticus eſt, & male patitur, & cætera, vſque ad illud, vbi ait: Hoc autem genus non eijcitur, niſi per orationem, & ieiunium. Hoc & Marcus, & Lucas eodem etiam ordine memorant,

rant, ſine vlla repugnãti e quæſtione. Hæc idem
referri à tribus Euangeliſtis aſſerunt eum Vict.
Vict. Ant. Antioch. in Mar. Euth. in Matth. Mar. & Luc.
Theoph. Eut. Theoph. & alij, notat enim Euth. in Matth. &
Luc. hæc Marcum ſcripſiſſe latius.

Orig. Origenes tract. 4. in Matt: Qui patiuntur, aut
In monte qui fiat, & qui non. qui patiuntur domeſtici ſunt, cum plebe ha-
bentur, non in monte; propterea populi cauſa
ad diſpenſationem deſcendit humanam, qua-
ſi de monte excelſo diuinitatis: quemadmo-
dum diſcipulorum electorum conſequentium
ſe gratia aſcendit in montem excelſum, & ibi
ſe transformauit in gloriam ſuam. Nam prius
quidem deſcendit, propter ignorantes ſe, ad
humilitatem humanam, cum autem factus fue-
rit eis notus, ducit eos ad notitiam diuinitatis
2 Cor. 5. Cur deſcenderit. ſuæ, vt dicant cum Apoſtolo: Si autem noui-
mus ſecundum carnem Chriſtum, ſed iam non
nouimus. Deſcendit ergo ad turbam, vt qui
non poterant aſcendere ſurſum, propter infir-
mitates animarum ſuarum, produicentur ab
eo. Et nunc ergo non acceſſiſſet ad eum homo
genibus prouolutus, dicens: Domine, miſerere
filio meo; niſi cum diſcipulis ſuis electis veniſ-
Varii à Chriſto ſanantur. ſet ad turbam. Conſiderandum eſt autem in
quibus quidem infirmitatibus qui patiuntur
credunt, & deprecantur pro ſua ſalute; aut tan-
gunt fimbriam veſtimenti eius, & ſanantur; in
quibus autem ipſi quidem, qui patiuntur, non
faciunt hoc, pro eis autem qui faciunt: vt puta
Centurio pro puero ſuo; Regulus pro filio;
Archiſynagogus pro filia; Chananæa pro filia
ſua vexata; & nunc qui genibus prouoluitur
pro filio ſuo lunatico. Cum his conſiderabis
& illud, quando à ſemetipſo Saluator, etiam à
nullo rogatus, ſanat; ſicut paralyticum eum,
cap. 41 qui triginta & octo annos in infirmitate ha-
bebat. Ipſæ enim ſaluationes ad alterutrum in
idipſum comparatæ, & diſcuſſæ, multa eis, qui
poſſunt audire abſconditam in myſterio ſa-
pientiam, Dei dogmata demonſtrabunt de dif-
ferentijs infirmitatum animæ, & de modo ſal-
Multa hic tractanda, vt. 1 uationis eius. Sed quoniam nunc non de om-
nibus; ſed de propoſita dictione ſermo eſt mi-
1 hi, videamus moraliter primum quem eſſe lu-
2 naticum hunc dicere poſſumus; deinde quem
3 exiſtimemus patrem eius rogantem pro eo; ter-
tio quid eſt cadere patientem non ſemper; ſed
frequenter, aliquoties quidem in ignem, ali-
4 quoties autem in aquam; & quid eſt, quod mi-
nime potuit à diſcipulis Chriſti ſanari; ſed ab
ipſo Domino Ieſu. Nam & iſta eſt ratio. Siqui-
dem omnis languor, & omnis infirmitas, quam
ſanauit Saluator tunc in populo, referuntur ad
infirmitates ſpiritales animarum, ſecundum
differentias paſſionum, vt ſolutos quidem ani-
Qui ſint paralytici. mos, & iacentem habentes animam ſuper cor-
pus, paralyticos animo exiſtimemus: cæcos au-
Cæci. tem animo eſſe, qui mente ſua non conſide-
Surdi. rãt quod iuſtum eſt, vel iniuſtum: ſurdos autem
animo, qui non ſunt ad ſuſceptionem ſalutarium
Lunatici. verborum parati: ſecundum ea conueniens eſt,
vt de lunatico requiramus. Eſt ergo paſſio hæc,
mutatio à melioribus ad deteriora: quia nihil

diſtat à ſanis, qui patiuntur hoc, in tempore,
quo [illegible] in illa ipſa [illegible] Ta-
bet autem [illegible] aliquis in quo-
dam hominibus, qui frequenter [illegible]
ſunt eſſe in caſtitate, vel in [illegible] &
ſecundum [illegible] voluntatem. Aliquando
tem quaſi quadam comprehenſione ſpiritus à paſ-
ſionibus comprehenduntur, & cadunt [illegible]
ſtatu boni, in quo ſtare putabantur, & [illegible]
[illegible] ad ſeductionem ſæculi huius, & ad
cæteras concupiſcentias carnales. Forſitan autem
precabis, ſi huiuſmodi homines [illegible]
dicam, ſpiritaliter lunaticos eſſe, qui deijciun-
tur à ſpiritalibus nequitijs in cæleſtibus, &
malè habent frequenter in tempore, quo com-
prehenſi fuerint à paſſionibus animæ earum,
& cadunt in ignem incendij, quando adulte-
rantes (ſicut ait Oſeus) ſunt ſicut clibanus i-
gnis ardens. Huiuſmodi autem homines in-
terdum cadunt in aquam, quando rex omnium,
qui ſunt in aquis, draco, deijcit eos à libertate
animæ, in profundum fluctuum maris, id eſt,
in mala peſſima vitæ iſtius humanæ, quæ mari
aſſimilatur. Commendat autem hanc noſtram
de lunatico interpretationem, quod dicit Sa-
pientia, de conſtantia quidem iuſti: Sapiens ſi-
cut ſol permanet; de inconſtantia autem pec-
catoris ita; inſipiens autem ſicut luna immu-
tatur. Et eſt videre in talibus impetus quoſdam,
quaſi operum bonorum ſubrepere, ita vt ſub-
ripere poſſint ab hominibus laudes, ab eis ta-
men hominibus, qui neſciunt occultam incon-
ſtantiam cordis eorum. Vides autem eos [illegible]
iterum, & quod videbatur in eis lumen, inue-
nitur non eſſe lumen diurnum, ſed nocturnum,
& lunare; & tamdiu minui, vt nec videatur lu-
men eſſe omnino, quod exiſtimabatur lumen.
Forſitã ergo Angelus, qui ſortitus eſt lunaticum
illum talem (ſi tamen dicendum eſt omnem ani-
mam hominis ſub aliquo Angelo conſtitutam,
quaſi ſub aliquo patre) pater huiuſmodi lunati-
ci appellatur, deprecans quaſi pro filio medi-
cum animarum vt liberet eum, qui non potest
ſanari à paſſione, per verbum humile diſcipu-
lorum Chriſti. Si autem etiam mutum, & ſur-
dum dæmonium intelligi moraliter oportet, di-
cimus quoniam ipſe impetus irrationabilis, qui
boni ſpeciem videtur habere, mutum, & ſur-
dum dæmonium eſt dicendum, quod à verbo
expellitur Chriſti ſolius: quoniam ille [illegible]
eſt, nec videt iuſtum, vel iniuſtum, quemadmo-
dum cæcus; nec recipit admonitionem diſcipu-
lorum Chriſti, quẽadmodum ſurdus. Ideo opus
eſt ei Chriſti ſermone, vt qui faciebat irrationa-
bile prolatione, quæ putarentur à videntibus
bona, iam de cætero, ſine ratione bona [illegible]. Se-
cundum verbum autem doctrinæ Chriſti diffi-
ciles ſunt ad ſanandũ huiuſmodi paſſiones, pro-
pter quod fortiter deijciuntur, poſtquã [illegible]
ea, quæ putabantur bona; & eſt operatio, quæ
operatur in illis mala, & ſic magna, & fortis in-
ter omnia mala, vt monti aſſimiletur, qui [illegible]
latur à patiente, nec [illegible], niſi per orationem
eius, qui paſſiones huiuſmodi [illegible]
[illegible]

Qui ſint in ignem [illegible] [illegible]

Qui eſt pater lunatici.

Dæmonis muti & ſurdi.

[illegible] difficile [illegible]

omni enim fide montes huiuſmodi transfe-
runtur. Omnis autem fides grano ſinapis com-
paratur,ſicut poteſt fieri manifeſtum ex eo qui-
dem, quod ſcribitur. Si habueritis fidem, ſicut
granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc
1 Cor. 13. illuc, & tranſibit. Apud Apoſtolum autem: Si
habuero omnem fidem, ita vt montes transfe-
ram.Ideo arbitror,quoniam omnis fides grano
ſinapis comparatur;quoniam contemnitur qui-
dem fides ab hominibus, & modicum aliquid,
& vere apparet, cum vero conſecutum fuerit
bonam animam, id eſt, recti hominis terram,
ſemen huiuſmodi fit arbor magna, ita vt ſine
pennis quidem nemo, pennati autem, qui ſunt
ſpiritaliter volucres cæli, habitent in ramis e-
Senſus literalis. ius. Sed quoniam oportet & ipſa verba inter-
pretari,primum quæramus quare lunaticus ap-
Cur dicatur lunaticus. pellatur, qui à ſpiritu immundo vexatur, &
quare paſſio ipſa nomen accepit à luna, quæ
poſt ſoleum, magnum luminare vocatur. Me-
Medicorũ opinio. dici ergo loquantur ſibi quæ volunt, qui nec
immundum ſpiritum arbitrantur, ſed corpo-
ralem aliquam paſſionem, & dicunt humida
moueri in capite ſecundum aliquam compara-
tionem ad lumen lunare, quod humidam ha-
Sententia Orig. bet naturam. Nos autem,qui Euangelio ſumus
credentes, dicimus hanc paſſionem immũdum
ſpiritum in hominibus operari. Obſeruat enim
Vt hæc paſſio fiat à dæmone. quædam ſchemata lunæ, & ſic operatur, vt ab
obſeruatione quorundam ſchematum lunæ pa-
ti homines mentiatur, & per hoc culpabilem
Dei creaturam oſtendit:vt omnes ſicut diximus
iniquitatem in excelſo loquantur,qui exiſtimãt
ex efficientia ſtellarum conſiſtere cauſam om-
nium infirmitatum, ſiue generalium, ſiue ſpe-
cialium,criminãtes opera Dei, & quaſdam qui-
dem ſtellas dicentes maleficas,quaſdam autem
beneficas, cum nulla ſtella à Deo ſit facta, vt
malefaciat. Secundum Ieremiam enim,ſicut in
Thren. 3. Lamẽtationibus dicit: De ore Domini non pro-
cedent mala, & bona. Forſitan autem ſicut iſte
immundus ſpiritus obſeruat quędam lunę ſche-
mata vt operetur in eo qui propter aliquas cau-
ſas traditus eſt: ſic & alij dæmones ſecundum
aliqua ſtellarum ſchemata inſidiantur eis, qui
non præbuerunt ſe dignos cuſtodia Angelo-
rum ſanctorum, vt non ſol, ac luna; ſed etiam
ſtellæ cęteræ blaſphementur ab hominibus,qui
in excelſum iniquitatem loqui non dubitant,
& ponere in cælos os ſuum. Poſt hæc videa-
mus,quod loquens ad Patrem lunatici Domi-
nus dixit: O generatio incredula, & peruerſa;
quouſque ero vobiſcum? vſquequo patiar vos?
nam quoniam non potuerunt eum ſanare, ne-
que ipſi diſcipuli Ieſu quaſi adhuc modicæ fidei
ver. 5. conſtituti, propterea dixit: O generatio incre-
dula, & ſi illis dixit: O generatio incredula,
nobis quid dicet? Et quod ait, peruerſa, oſten-
dit quoniam ex peruerſitate malitiæ eſt intro-
ducta extra naturam facta. Puto autem pro-
pter peruerſitatem totius humani generis,qua-
ſi grauatus malitia eorum, & conuerſatione
cum eis,dixit: Vſquequo ero vobiſcum? quo-
uſque patiar vos? Videamus etiam illud,quod
dicit: Hoc genus non eijcitur,niſi in ieiunijs, ver. 21.
& orationibus: & ſi aliquando oportuerit nos
circa curationem tale aliquid patientium per-
manere, non adiuremus,neque interrogemus, Quomodo
neque loquamur quaſi audienti ſpiritui im- eijciendi ſint dæ-
mundo; ſed permanentes in orationibus, & mones.
ieiunijs impetremus patienti ſalutem à Deo,
& abigamus ieiunijs,& orationibus noſtris ſpi-
ritus malignos.

Not. 2.

CHRYSOST. hom.58.in Matt:Valde hunc Chryſoſt. ver. 8.
hominem infirmum in fide, ſcriptura oſtendit, Pater lu-
quod multis manifeſtum eſt; vel quia Chriſtus natici fuit infirmus
dixit,omnia eſſe credenti poſſibilia: vel quia il- in fide.
le dicebat iuua incredulitatem meam, vel quia
iuſſum à Chriſto dæmoni fuit, ne amplius in
eum intraret, vel quia rurſus ille Chriſto dice-
bat,ſi potes. Cæterum, ſi hominis illius infide-
litate factum eſt, ne dæmonium exiret, quare Cuius in-
diſcipulos criminatur? vt oſtendat,quod etiam fidelitas cauſa fuit
abſque fide adducẽtium curare poterant. Nam vt dæmon nõ exiret.
quemadmodum petentis fides à minoribus mi- Cur hic A-
racula elicuit: ſic virtus eorum, qui faciunt, poſtoli reprehendan-
quamuis parum credant adeuntes,perficere po- tur.
teſt, quæ ambo in ſcripturis inueniuntur. Cor-
nelius enim ſua fide gratiam ſpiritus inuitauit, Act. 10.
& ab Eliſæo, minime credens mortuus ſuſcita- 4 Reg. 13.
tus eſt. Nam & qui proiecerunt, non propter
fidem, ſed propter metum,ac ſimpliciter,& te-
mere proiecerunt, & latronum periculum me-
tuentes, aufugerunt: ipſe autem proiectus mor-
tuus erat,& ſola ſancti corporis virtute ſurrexit.
Quare non latet, quia & diſcipuli hac in re ti-
tubarunt,quamuis non omnes.Columnæ nam- Viri huius
que Apoſtolorum non aderant; ſed improbita- improbitas.
tem huius hominis illud quoq; ſignificat,quod
diſcipulos,magna turba præſente,ad magiſtrum
accuſat. Chriſtus vero ipſos coram turba excu- Apoſtolos
ſans, maiorem culpam illi attribuit, dicens: O Chriſtus
generatio incredula,& peruerſa: vſquequo vo- apud alios excuſat.
biſcum ero? vſquequo ſuſtinebo vos? Non ad Culpam in
hunc hominem ſolum dirigit ſermonem, ne quos reij-
conturbaret eum; ſed ad vniuerſum Iudæorum ciat.
genus: multos enim commotos fuiſſe credibile Cur in plurali loqui-
eſt; maleque de diſcipulis ſuſpicatos. Cum au- tur.
tem dicit,quouſque vobiſcum ero? quam mori Domino
ſitiat, quantumque ad patrem redire deſide- quid moleſtum ſit.
ret: & quia non ſit ſibi moleſta paſſio; ſed cum
huiuſcemodi hominibus conuerſatio, oſtendit.
Nec tamen increpatione Iudæorum ſermonem
terminauit, ſed adiecit. Adferte huc ipſum ad Cur petat
me. Interrogauitque quanto hæc tempore pa- quamdiu hoc ſit
tiatur, tum vt diſcipulos hinc defenderet; tum paſſus.
vt meliore ſpe pater ductus crederet poſſe fi-
lium liberari, quem tamen diſcerpi à dæmone
permiſit, non ad oſtentationem, quippe turbis
coeuntibus increpauit ipſum; ſed propter pa-
trem,vt ſi trepidare ſola vocatione dæmonium
videret, ſaltem hoc pacto ad futuri miraculi
fidem duceretur. Sed poſtquam ille,ab ineun-
te reſpondit ætate, & adiuua me ſi potes; reſ-
pondit Chriſtus,omnia eſſe poſſibilia credenti,

rurſum in eum culpam reijciens. Et quandoquidem leproſus dicebat: Si vis, potes me mundare, potentiæ ipſius teſtimonium ferens, ipſum laudans, atque confirmans verba eius, reſpondebat: Volo, mundare. Nunc vero, cum iſte nihil dignum omnipotentiæ Chriſti attulerit, dicens: Si potes, adiuua me: perpende quomodo ab errato eum reuocat: Omnia, inquit, credenti poſſibilia ſunt, ac ſi diceret, tanta virtus mea eſt, vt alij meo nomine miracula poſſint conficere, quare ſi credis, vt decet, tam filium tuum, quam alios facile curabis. His dictis dæmoniacum liberauit. Tu autem non hinc ſolum prouidentiam, ac benignitatem eius conſidera; ſed ex illo tempore, ex quo dæmoni fuit permiſſum in hominem intrare. Iam enim diu mortuus homo eſſet, niſi diuina prouidentia fuiſſet protectus. Nam qui in ignem, & aquam eum immittebat, interfeciſſet profecto, niſi diminutus frænaretur: quod ſimiliter illi paſſi fuiſſent, qui nudi deſerta petentes, lapidibus ſeipſos cædebant. Non turberis autem ſi lunaticus eſt appellatus: patris enim dæmoniaci hæc vox fuit. Cæterum & Euangeliſta multos lunaticos curatos fuiſſe alibi ait, à communi omnium conſuetudine ipſos nominans. Vt enim elemento illi, ac luminari dæmones detrahant, ſecundum lunares rurſus aggrediuntur, & remittunt homines. Vnde hæc falſa opinio apud multos conualuit, quod luna, varietate ſui curſus, operetur: quod minime verum eſt. Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum ſecreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere illum? Timuiſſe mihi videntur Apoſtoli, ne conceſſam ſibi gratiam amiſerint: data enim ſibi aduerſus immundos ſpiritus poteſtas fuit; quare ſeorſum accedentes interrogare non verecundantur. Nam ſi reipſa potentia eorum fuiſſet redarguta, cur puduiſſent verbis confiteri quod opere apparebat? Seorſum autem, & remotis arbitris faciunt, quoniam de arcana, & magna re quæſituri erant. Quid igitur Chriſtus? propter incredulitatem veſtram ait. Si enim habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic; tranſi hinc, & tranſibit: & nihil impoſſibile vobis erit. Si vero quiſpiam dicet, & quando montes tranſtulerunt? Reſpondebimus, quia multo maiora fecerunt. Multos enim mortuos excitauerunt; æquale quippe non eſt, montes tranſponere, & animam hominis reuocare. Dicunt autem nonnulli, poſtea quoſdam, ſanctitate illis multo minores, id re poſtulante, feciſſe. Vnde patet, quia ſi opus fuiſſet, montes quoque tranſtuliſſent: ideo non dixit; tranſponetis omnino montes; ſed tranſponere poteritis. Si autem non fecerunt, non eſt argumentum impotentiæ: Maiora enim ab ipſis facta non ignoramus, ſed quoniam res non poſtulauerat, noluerunt; quamuis poſſit etiam aliquid tale factum eſſe, & non ſcriptum. Non enim omnia miracula ſanctorum conſcripta ſunt. Nonne igitur, inquies, tantam fidem tunc habebant? Non certe. Ita enim imperfectiores erant, vt non ſemper iidem eſſent. Vnde Petrus quoque modo beatificatur, modo increpatur: & reliqui de inſcitia eius [illegible] ſermone de fermento non intellexerint. [illegible] ergo & nunc ex imperfectione [illegible] accidit, [illegible] firmitate langueient, quod [illegible] ante crucem patiebantur. Fidem autem hic [illegible]norum [illegible] & ſinapis meminit, cuius maxima virtus eſt. Nam cum minima ſit, magnitudine virtutis cæteris omnibus vehementior eſt. Vt igitur oſtenderet ſinceræ fidei minimum ingentia poſſe, ſinapis mentionem fecit. Neque hic ſtetit, ſed montes addidit, & vlterius progreſſus, nihil (inquit) vobis erit impoſſibile. Tu vero & diſcipulorum philoſophiam, qui [illegible]am impotentiam non occultarunt, & Spiritus ſancti virtutem admirare, qui paulatim homines, vt granum quidem ſinapis fidem habentes, ſic in ſumma erexit, vt largos fluuios, & copioſos fidei fontes [illegible] gererent. Genus autem hoc, inquit, non eijcitur, niſi per orationem, & ieiunium. Vniuerſum dæmonum genus, non lunaticorum ſolummodo, intellexit. Et vide quomodo iam in ipſis ieiunij ſemina iecit: nec mihi ea, quæ rara ſunt, dicas, quod ſcilicet abſque ieiunio eiecti dæmones aliquando fuerint. Si vnus, [illegible] ſic expulit; impoſſibile tamen eſt, ſi quis id patitur, & in delicijs viuit, ab hoc furore liberari. Huiuſmodi enim morbo laborantibus [illegible] maxime opus eſt. Sed ſi fide opus eſt, inquies, cur ieiunare oportet? quia vna cum fide non paruas vires affert ieiunium. Cumque maioris philoſophiæ ſingulare opus ſit, Angelum ex homine facile reddit, & virtutibus incorporeis mirum in modum reluctatur, quamuis non ieiunio ſolum, ſed oratione quoque, ac multo magis oratione opus ſit. Expende igitur, quæ [illegible], quot, quantaque vna ex vtriſque iunctis emanent. Qui enim orat, & ieiunat vt oportet, is multis rebus non indiget, qui vero multis non indiget, nunquam fiet auarus: & qui non eſt auarus, pronior ſemper ad miſericordiam erit. Qui ieiunat leuior eſt, & vigilanter orat, & cupiditatis incendia extinguens, ac animum [illegible] humilians, facile Deum placat. Idcirco & Apoſtoli fere ſemper ieiunabant. Qui orans ieiunat, binas poſſidet alas quibus ventos ipſos volando prætervehitur: non enim oſcitat, nec extenditur, nec torpet orando, quæ multi patiuntur, ſed igne ardentior, & terra ſuperior eſt, quare terribilis hoſtis dæmonibus redditur.

N[illegible].3.ve[illegible].1.

BEDA Mar. 9: Notanda in omnibus locis diſtantia mentis [illegible]barum & turbæ. Erat enim cum diſcipulis turba, erant & Scribæ, ſed adueniente Domino, mox omnis turba ſtupefacta expauit, cumque ſalutans accurrit. Scribæ nihil deuotionis, fidei, humilitatis, & reuerentiæ ei exhibuiſſe narrantur. Quid autem cum diſcipulis Domini turbæ ſiue ſcribæ conquirerent, Euangeliſta non dicit. Poteſt vero (ni fallor) aptè intelligi de hoc quæſtionem fuiſſe

moram,

cap. 15.

Chriſti benignitas.

cap. 16
Cur, & à quo dicatus lunaticus.

ver. 19.

Cur hoc Apoſtoli quærant.

Cur hoc ſecreto petunt.

An Apoſtoli montes tranſtulerint.
Act. 20.

Montes aliqui tranſtulerunt.

Tunc imperfecta eſt Apoſtolorum fides.

[illegible]

ver. 20

[illegible]

[illegible]

Ieiunij [illegible]

[illegible]

Bed.

Scribarum [illegible]

motam, quare ipſi cum eſſent diſcipuli Saluatoris, ſaluare dæmoniacum, qui in medio erat poſitus, non poſſent. Quod ex ſequentibus Euangelij verbis poteſt conijci, dum dicitur: Et interrogauit eos: quid inter vos conquiritis? &c.

Vict. Vict. Mat. 9: Cur Scribæ & Phariſęi cùm nouem illis diſcipulis, quos Dominus ſecum in montem non aſſumpſerat, diſputationem inſtituunt? Occaſione ex Chriſti Seruatoris abſentia capta, eos doloſè capere, & circumuenire poſſe arbitrabantur. At vero Dominum tepente conſpicati, aut non illi (erant enim qui Ieſum contemplarentur, indigni) ſed plebei, viſo illo inexpectato in admirationem ipſos abripiente, vniuerſi mox in ſtuporem verſi ſunt. Statim proinde, qui de turba erant, accurrunt, venientemque blanda ſalutatione excipiunt: nam cum hi ab omni praua affectione eſſent alieni, perpetuo cum illo agere geſtiebant.

Ver. 5.

Hiero. Lunaticus quis ſit. Quid ſit in ignem aut aquam cadere. Hieron. Matt. 17: Quam ob cauſam dæmon obſeruans lunæ curſum corripiat homines: & per creaturas infamare ſtudeat Creatorem: ſupra diximus. Mihi autem videtur iuxta tropologiam lunaticus eſſe, qui per horarum momenta mutatur ad vitia, nec perſiſtit in cæpto, ſed creſcit, atque decreſcit; & nunc in ignem fertur, quo adulterantium corda ſuccéſa ſunt: nunc in aquas, quæ ſolent extinguere charitatem.

Aug. Quid ſit in ignem, aut aquam cadere. Aug. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 22: Quod dixit, ſæpe cadit in ignem, & aliquando in aquam: ignem ad iram, quod alta petat: aquam ad voluptates carnis.

Ver. 4.

Hier. Accuſat Apoſtolos. Hieron. Matt. 17: Quod autem dicit: Obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum; latenter accuſat Apoſtolos: Cum impoſſibilitas curandi, interdum non ad imbecillitatem curantium; ſed ad eorum, qui curandi ſunt, fidem referatur, dicente Domino: Fiat tibi ſecundum fidem tuam.

Eut. Incredulitas patris. Euth. Matth. 17: Non potuerunt, propter offerentis incredulitatem, licet enim eum adduxerat, non tamen indubitanter credebat; quod dæmonem fugare poſſent. Hoc autem, & ex eo manifeſtum eſt, quod dixit Chriſtus: O generatio incredula: & rurſus ab eo quod dixit adducens: Si quid potes adiuua nos, & ex eo quod interrogauit Chriſtus, ſi potes credere; & iterum ab eo quod ipſe reſpondit, credo Domine, auxiliare incredulitati meæ, hæc latius ſcripſit Marcus.

Vict. Victor Mat. 9: Diſce hinc, quaſi ex alio rurſum capite, hominis huius ingratitudinem, & iniquitatem, neque enim ſeorſum, & ſecreto, ſed tota turba præſente, & audiente, Chriſtum Dominum aduerſus Apoſtolos interpellat.

Not. 4. ver. 7.

HIER. Matt 17: Non quod tædio ſuperatus ſit, manſuetus, ac mitis, qui non aperuit, ſicut agnus coram tondente, os ſuum: nec in verba furoris eruperit; ſed quod in ſimilitudinem medici, ſi ægrotum videat contra ſua præcepta ſe gerere, dicat: Vſquequo accedam ad domum tuam, quouſque artis perdam induſtriam: me aliud iubente, & te aliud perpetrante? In tantum autem non eſt iratus homini, ſed vitio; & per vnum hominem Iudæos arguit infidelitatis; vt ſtatim intulerit: afferte eum huc ad me. Hier. Simile.

Hilar. can. 17. in Matth: Crediderunt quidem Apoſtoli; ſed nondum erant perfectæ fidei. Nam Domino in monte demorante, & ipſis cum turbis reſidentibus, quidam tempore, eorum fidem relaxauerat. Atque idcirco ait: Generatio incredibilis, & peruerſa, &c. Quia ſe abſente antiquæ infidelitatis conſuetudo ſubrepſerat. Docet igitur, eos nihil ſalutis afferre poſſe, qui medio euangeliorum, & iterati aduentus ſui tempore à fide, tanquam Domino abſente, deceſſerint. Hilar.

Ver. 8.

Euth. Mat. 9: Permiſit hæc ipſum pati, vt viderent, qui præſentes erant, à quibus calamitatibus liberandus eſſet, vtque, poſtquam vidiſſet pater eius dæmonium, viſo Chriſto, turbari, ad fiduciam, de eius virtute, induceretur. Euth. Cur Dominus hoc permiſit.

Victor Mar. 9: Inter accedendum, vt diabolus illum conturbaret, vel, vt Lucas habet, elideret, & diſſiparet, permiſit. Hoc autem non ad oſtentationem; ſed ob ægri pueri parentem; nempe vt animaduerſo, diabolum ex eo ſolo conturbari, quod illum accerſebat, ad futuri miraculi fidem excitetur. Vict.

Bed. Mar. 9: Allatum Domino puerum ſpiritus conturbat, & elidit: quia ſæpe dum conuerti ad Dominum poſt peccata conamur, maioribus, nouiſque antiqui hoſtis pulſamur inſidijs. Quod ob id vtique callidus facit aduerſarius, vt vel odium virtutis incutiat, vel expulſionis ſuæ vindicet iniuriam. Hinc eſt enim (vt de ſpecie tranſeamus ad genus) quod Eccleſiæ ſanctæ primordijs, tot grauiſſima inferebat certamina perſecutionum, quod ſuo regno dolebat ſubito animarum illata fuiſſe diſpendia. Bed.

Ver. 9.

Euth. Mat. 9: Interrogauit, vt illo reſpondente cognoſcerent audientes, quod iam olim perdidiſſet eum, niſi diuinitus fuiſſet colubitus. Eut. Cur Dominus petit huius paſſionis tempus.

Ver. 11.

Vict. Mat. 9: Dominus non abſque decenti modeſtia, & manſuetudine, quid poſſet, declarans, ait: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Non dixit: Mihi poſſibilia ſunt Vict. Chriſtus modeſte potentiam ſuam declarat.

omnia; ſed credenti poſſibilia ſunt omnia. Significat per hoc autem, qui ſyncera, incorruptaque in Chriſtum fide ornati ſunt, eos nihil non poſſe. Ægri proinde genitorem ad fidei lumen excitans, credenti omnia poſſibilia dicit.

Fide ornati poſſunt omnia.

Euth. Euth. Mar. 9: Potentiam illius in fide repoſuit: hinc quidem dirigens eum ad fidem: illinc verò de ſeipſo modeſtè ſapiens, ac loquens.

Bed. Bed. Mar. 9: Aptum Dominus reſponſum reddidit petenti. Ipſe enim ait: Si quid potes adiuua nos. Et Dominus: Si potes, inquit, credere, poſſum vos, miſertus, adiuuare. Quia fides non ficta, omnia, quæ ſalubriter petit, impetrare meretur. Cui contra leproſus, qui fideliter clamabat: Domine, ſi vis, potes me mundare; congruum ſuæ fidei accepit reſponſum: Volo, mundare.

Aptum Chriſti reſponſum.

Aug. Aug. lib. quæſt. ex vtroque mixtim quæſt. 115: Si credis, ait, omnia poſſibilia ſunt credenti. In voluntate vtique poſuit meritum: quia fidei bonum eſt, non naturæ. Fides autem res accedens eſt, quæ excitat ad exercitium voluntatem: vt quia in natura non eſt, voluntas quæ in natura eſt, ſuſcepta fide meritum ei collocet apud Deum. Ita enim eſt natura hominum, ſicut lapis, qui cum ignem non habet in ſubſtantia, habet tamen in potentia, vt opere creet, quod non videtur habere: quia non exiſtit: ſed quaſi in ſemine, ita eſt in potentia, vt per exercitium generetur, & ſi defuerit exercitium, non fit: quia & ſemen niſi exerceatur, non generat, ſed ipſum ſolum manet. Acceſſio ergo facit vt generet. Ita & homo fidem non habet in natura, ſed ſemen fidei habet, quod niſi fuerit prouocatum, & excitatum, fructum non dabit, id eſt, fidem non habebit.

In voluntate meritum. Fides voluntatem excitat. Simile.

Ver. 12.

Vict. Victor. Mar. 9: At vide, quomodo is euidentius adhuc ſuam incredulitatem prodat; ait namque: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Atqui ſi credebat, vt ſe credere aiebat, qua ratione adiuua Domine incredulitatem meam, dicit? Non vnius rationis eſt fides: eſt enim fides inchoata, eſt rurſum conſummata. Exorſus igitur credere, vt Dominus virtute ſua, quod deerat, adijceret, opus habebat. Sic diſcipuli quoque ad Saluatorem aiebant: Adauge nobis fidem.

Dubium. Eſt fides inchoata, & conſummata. cap. 128

Greg. Greg. lib. 10. Moral. cap. 13: In vnum ergo terra, mareque coarctatur, cum vnam, eandemque mentem, & certitudo ſolidæ fidei roborat, & tamen ex aliquantula mutabilitate perfidiæ, aura dubietatis verſat. An non in ſuo pectore coarctari terram, mareque cognouerat, qui & per fidem ſperans, & per infidelitatem fluctuans, dicebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam? Quid itaque eſt, quod & ſe credere aſſerit, & adiuuari in ſe incredulitatem quærit, niſi quod coarctari in ſuis cogitationibus terram cum mari deprehenderat: qui & exorare certus iam per fidem cæperat, & adhuc incertus vndas perfidiæ ex incredulitate tolerabat? Quod tamen occulta fieri diſpenſatione permittitur; vt cum mens iam ſurgere ad rectitudinem cæperit, prauitatis ſuæ reliquijs impugnetur: quatenus hæc ipſa impugnatio, aut reſiſtentem exerceat, aut delectationibus ſeductam frangat. Et lib. 22. cap. 21: Hos autem virtutum gradus non magni laboris eſt prendere, cum ab vna ad alteram tranſitur. Sed ſubtiliſſima diſputatione res indiget, cum mens penſare nititur, in vna, eademque virtute quibus profectus ſui gradibus eleuetur. Vt enim prima elementa virtutum, fidem ſcilicet, & ſapientiam loquar, obtineri ſingula perfectè nequeunt, niſi ad hæc diſtinctis, ordinatiſque modis, quaſi quibuſdam gradibus, aſcendamus. Ipſa enim fides, quæ ad bona alia perfectè capeſſenda nos imbuit, plerumque in exordijs ſuis, & nutat, & ſolida eſt, & iam certiſſimè habetur, & tamen de eius fiducia adhuc ſub dubitatione trepidatur. Pars namque eius prius accipitur, vt in nobis poſtmodum perfectè compleatur. Si enim certo gradu in credentis mente non proficeret, requiſitus in Euangelio pater ſanandi pueri non dixiſſet: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Adhuc ergo aſcendebat ad fidem, quam iam perceperat, qui vno, eodemque tempore clamabat ſe & iam credere, & adhuc ex incredulitate dubitare. Hinc eſt etiam, quod Redemptori noſtro à diſcipulis dicitur: Adauge nobis fidem: vt quæ iam accepta per initium fuerat, quaſi per augmenta graduum ad perfectionem veniret.

Cur Deus permittat hanc impugnationem. Greg. Virtutum gradus. Incrementa fidei.

Et Hom. 15. in Ezech: Si quidam gradus in cordis aſcenſione non eſſent, Pſalmiſta non diceret: Ambulabunt de virtute in virtutem. Nec mirum ſi de virtute in virtutem gradus ſunt, quando vnaquæque virtus, quaſi quibuſdam gradibus agitur, & ſic per incrementa meritorum ad ſumma perducitur. Alia namque ſunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Si enim & ipſa fides ad perfectionem ſuam non quibuſdam gradibus duceretur, ſancti Apoſtoli minimè dixiſſent: Adauge nobis fidem. Et quidam venit ad Ieſum, qui curari voluit filium ſuum; ſed requiſitus an crederet, reſpondit: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Penſate ergo quod dicitur: ſi credebat, cur incredulitatem dicebat? Si vero incredulitatem habere ſe nouerat, quomodo credebat? &c. Bed. Mar. 9. idem habet.

Greg. Pſal. 83. Bed.

Not. 5. ver. 14.

HIERO. Matth. 17: Non ille qui patiebatur, ſed dæmon debuerat increpari: ſiue increpauit puerum, & exiuit ab eo dæmon: quia propter peccata ſua, à dæmone fuerat oppreſſus.

Hier. Quem Dominus increpauit.

Euth. Matth. 17: Et imperauit ei Ieſus. Hoc eſt præcepit. Marcus autem, & Lucas dicunt, quod imperauit ſpiritui immundo. Siquidem vtrique imperauit: dæmoniaco quidem vt reſipiſceret, dæmoni verò vt fugeret. Et Mar. 9: Et amplius in eum ne ingrediaris. Hoc dixit, præuidens quod futurum erat, vt dignus eſſet pro-

Euth. Euth. Cur Ieſus præcipiat ne amplius redeat.

propter ſuam incredulitatem, vt rurſum ad eum reuerteretur. Prohibet ergo eum, ne cuiquam videatur, quod prius non fuerit eiectus.

Bed. Bed. Mar. 9: Bene Dominus, qui ſpiritum immundum repellit ab homine, ſimul ne amplius in eum ingrediatur imperat: quia ille veraciter à dæmoniaca dominatione liberatur, qui ad peccata, à quibus ſemel pœnitẽdo mundatus eſt, vitat male viuendo reuerti.

Ver. 16.

Greg. Quos dæmõ magis vexet. Greg. lib. 32. Moral. cap. 18: Plerumque vero Behemoth iſte iam cor malè ſubditum poſſidet, ſed tamen diuina illum gratia repellit, & manus miſericordiæ eijcit, quem ad ſe captiua voluntas introduxit. Cumque à corde expellitur, acriores infigere iniquitatum ſtimulos conatur, vt eos tentationum fluctus mens ab illô impugnata ſentiat, quos etiam poſſeſſa neſciebat. Quod bene in Euangelio exprimitur, cum exire ab homine immundus ſpiritus Dominò iubente narratur. Nam cum dæmoniacus puer fuiſſet oblatus, ſcriptum eſt: Comminatus eſt Mar. 9. Ieſus ſpiritui immundo, dicens: Surde, & mute ſpiritus, ego tibi præcipio, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum; & exclamans, & multum diſcerpens eum, exiuit ab eo. Ecce eum non diſcerpſerat cum tenebat, exiens diſcerpſit: quia nimirum tunc peius cogitationes mentis dilaniat, cum iam termino egreſſus ſui diuina virtute compulſus appropinquat. Et quem mutus poſſederat, cum clamoribus deſerebat: quia plerumque cum poſſidet, minora tentamenta irrogat: cum verò de corde pellitur, acriori infeſtatione perturbat. Bene itaque dicitur: Stringit caudam ſuam quaſi cedrum, quia & cor poſſidens ſemper in malitia ex poſterioribus creſcit, & cor deſerens vehementioribus cogitationum ſtimulis percutit. Et hom. 12. in Ezech: Greg. Sed mox vt animus amare cęleſtia cæperit, mox vt ad viſionem pacis intimæ tota ſe intentione collegerit, antiquus ille aduerſarius, qui de cælo lapſus eſt, inuidet, & inſidiari amplius incipit, & acriores, quam conſueuerat, tentationes admonet, ita vt plerumque ſic reſiſtentem animam tentet, ſicut ante nunquam tentauerat, quando poſſidebat. Vnde ſcriptum eſt: Fili, ac-Eccl. 2. cedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Vnde & dæmoniacus, qui à Domino ſanatur, ab exeũte dæmone diſcerpitur, ſicut ſcriptum eſt: & clamans, & multũ diſcerpens eum, exijt ab eo. Quid eſt enim quod obſeſſum hominem antiquus hoſtis, quem poſſeſſum non diſcerpſerat, deſerens diſcerpſit, niſi quod plerumque dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quam prius excitauerat, Exod. 7. quando hoc quietus poſſidebat? Vnde & Iſraelitæ quoque ad Moyſen, & Aaron dicunt: Videat Dominus, & iudicet: quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone, & ſeruis eius, & præbuiſtis ei gladium, vt occideret nos. In Moyſe enim, & Aaron, lex, & prophetæ figurati ſunt. Et ſæpe apud ſe infirmus animus quaſi contra ſacra eloquia murmurat: quia poſtquam verba cæleſtia audire, & ſequi cæperit, regis Ægypti aduerſitas, id eſt, maligni ſpiritus tentatio excreſcit. Debet ergo vigilanter doctor proficienti animæ, quæ illam tentationes ſequantur innoteſcere, vt cautam ſe valeat contra maligni ſpiritus inſidias præparare.

Bern. Ber. ſer. 5. de aduentu Dom: Ait Apoſtolus: Infælix ego homo: quis me liberabit de corpore Rom. 7. mortis huius? ſciebat nimirum non prius liberandum ſe eſſe à peſſima illa radice, quæ carni infixa eſt, à lege peccati, quæ eſt in membris noſtris, donec & ab ipſo corpore ſolueretur. Vnde & cupiebat diſſolui, & cum Chriſto eſſe; Phil. 1. ſciens quod peccatum ſeparans inter nos, & Deum, penitus auferri non poterit donec liberemur à corpore. Audiſtis de quodam, quem Dominus curauit à dæmonio, quoniam collidens, & multum diſcerpens eum dæmon exiuit ab illo. Itaque dico vobis, genus illud peccati, quod totiens conturbat nos, (concupiſcentias loquor, & deſideria mala) reprimi quidem debet, & poteſt, per gratiam Dei, vt non regnet in nobis. Nec demus membra noſtra arma iniquitatis peccato, & ſic nulla damnatio Rom. 6. eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu: ſed non eijcitur niſi in morte: quando ſic diſcerpimur, vt anima ſeparetur à corpore.

Bed. Bed. Matt. 17: Exiuit clamans, & multum diſcerpens eum: ſiue vt odium incuteret virtutis; ſiue vt ſuæ vindicaret expulſionis iniuriam.

Eut. Euth. Mar. 9: Clamauit, ſignificans quod violenter expelleretur.

Not. 6. ver. 18.

Greg. Qui quos putent mortuos. Greg. lib. 10. Moral. cap. 28: Quaſi ſtultus ergo deſpiciunt, qui, ſcilicet, ea non habent, quæ ipſi vtique vel habendo, vel ſolummodo amando mirantur: & quaſi mortuos deputant, quos nequaquam ſecum viuere carnaliter penſant. Qui enim ab huius mundi appetitu moritur, à terrenis mentibus profectò omni modò extinctus æſtimatur. Quod bene noſtri miraculum Redemptoris ſignat, cum ab immundò ſpiritu hominem liberat, de quo nimirum ſcriptum eſt: Clamans, & multum diſcerpens eum, exijt ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita vt multi dicerent, quia mortuus eſt. Ieſus autèm tenens manum eius, eleuauit eum, & ſurrexit. Velut mortuus quippe oſtenditur, qui à maligni ſpiritus poteſtate liberatur; quia quiſquis iam terrena deſideria ſubegit, vitam in ſe carnalis conuerſationis extinguit, & mundo mortuus apparet: quia poſſeſſore prauo, qui per immunda deſideria ſe agitabat, caret. Quem multi mortuum dicunt: quia qui ſpiritaliter viuere neſciunt, eum, qui carnalia bona non ſequitur, extinctum funditus arbitrantur.

Ver. 22.

Eut. Euth. Matt. 17: Tunc accedentes diſcipuli, &c. Marcus vero dixit, quod quum ipſe domum

Cur Apoſtoli cauſã quærãt nõ expulſi à ſe dæmonis.

mum ingreſſus eſſet interrogauerunt. Interrogant autem, timentes ne forte perdiderint, quam acceperant virtutem, aduerſus ſpiritus immundos.

Vict.

Victor Mar. 9: Videntur Apoſtoli anxij fuiſſe, ne forte gratiæ, quæ illis concredita erat, iacturam feciſſent: acceperant enim poteſtatem contra immundos ſpiritus. Quare rubore poſito, & cauſam interrogant, & ſeorſum illum compellant.

Hilar.

Hilar. can. 17. in Matt: Diſcipuli mirantur ſe eijcere dæmonem non potuiſſe, cum omnis poteſtas non ſolum dæmonum fugandorum, verum etiam mortuorum excitandorum eſſet indulta.

Ver 23.

Aug. Granum ſinapis eſt fidei humilitas. Mons eſt elatio.

Aug. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 22: Quod dicunt diſcipuli: Quare nos non potuimus eijcere eum; ne illis miraculis faciendis extollerentur in ſuperbiam, admoniti ſunt potius per humilitatem fidei, quaſi per ſinapis granum, elationem terrenam, quæ montis nomine ſignificata eſt, curare vt tranſiret.

Aug.

Et cap. 29: Quod Dominus dicit diſcipulis ſuis; dicetis monti huic, tolle te, & iacta te in mare: de ſuperbia dixit, quæ ad ſæculares pertinet. Hoc ſibi ſeruus Dei dicere debet, vt eam à ſe repellat, quia ipſi non congruit: vel quod per eorum fidem, quia per eos Euangelium prædicatum eſt, ipſe Dominus, qui mons appellatus eſt, ablatus eſt à Iudæis, vt in gentes, tanquam in mare, porro iaceretur.

Mons eſt Chriſtus.

Aug.

Et tract. 40. in Euang. Ioan: Nec in radice arboris apparet aliqua pulchritudo; totum tamen quidquid te delectat in arbore, de radice ſurrexit. Si vides radicem, & non delectaris; vides arborem, & miraris. Stulte quod miraris, inde ſurrexit, quo non delectaris. Parum aliquid videtur fides credentium, non habes ſtateram vnde appendas. Audi ergo quo perueniat, & vide quanta ſit; ſicut & ipſe Dominus in alio loco dicit: Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis. Quid humilius, quid vehementius, quid minutius, quid feruentius?

Fides radici arboris eſt ſimilis.

Hier.

Hiero. Matt. 17: Putant aliqui fidem grano ſinapis comparatum paruam dici, quo regnum cælorum grano ſinapis conferatur, cum Apoſtolus dicat: & ſi totam fidem habuero, ita vt montes transferam. Ergo magna eſt fides, quæ grano ſinapis coæquatur. Montis tranſlatio non eius ſignificatur, quem oculis carnis aſpicimus; ſed illius, qui à Domino tranſlatus fuerat ex lunatico. Quod enim ait: Dicetis monti huic; tranſi hinc, & tranſibit: de dæmone intelligitur. Ex quo ſtultitiæ coarguendi ſunt, qui contendunt Apoſtolos, omneſque credentes, ne paruam quidem habuiſſe fidem: quia nullus eorum montes tranſtulerit. Neque enim tantum prodeſt montis de alio in alium locum tranſlatio, & vana ſignorum quærenda oſtenſio, quantum in vtilitatem omnium iſte mons transferendus eſt: qui per prophetam dicitur corrumpere omnem terram.

1 Cor. 13.

Mons eſt dæmon.

Amb.

Ambro. quoque in Pſal. 45. Nomine montis in hac Domini ſententia dæmonem intelligit.

Mons eſt diabolus.

Euth. Matt. 17: Chriſtus coram multitudine incredulitatem offerentis pro cauſa reddit: ſeorſim vero diſcipulorum cauſatur incredulitatem. Etenim hi etiam priuſquam aggrederentur, diffidebant ſe poſſe laborantem curare; quum tamen alios multos curaſſent: & ita quum locarentur, non potuerunt. Optime ergo coram multis multorum incredulitatem reprehendit: ſemotis autem; arbitris ſuorum diffidentiam. Neque enim æquum erat, vt coram multis confunderet communes orbis præceptores. Si habeatis fidem ſicut granum, &c. fidem nunc dicit, non de hoc, quod ipſe ſit Deus; ſed ad facienda ſigna. Dicit enim: ſi habeatis fidem adeo acrem, & vehementem, ac feruentem, ſicut granum ſinapis: illud enim talis eſt qualitatis: credentes ſine vlla trepidatione, quod facturi eſtis ſigna, tantam habebitis virtutem, vt ipſos etiam montes transferatis, ſi volueritis. Tantam autem fidem aliquem habere, videtur quidem facile, eſt tamen etiam excelſum valde. Naſcitur ſiquidem ex libertate ad Deum: rurſum talis libertas eſt ex mẽte placide compoſita. Eſt autem magni certaminis ex placabilitate acquirere talem erga Deum libertatem, vt credat illum daturum quidquid poſtulabitur. Petite, inquit, & dabitur vobis. Quod ſi palam non fecerunt tranſmigrare montes Apoſtoli, ne mireris: non enim hoc ideo fuit quod non poſſent, ſed quia noluerunt, vtpote huiuſmodi neceſſitate, aut vtilitate ſeſe illis non offerente: poſt hos namque ſancti alij, Apoſtolis longe inferiores, vrgente neceſſitate montes demigrare fecerunt, iuxta dominicam ſententiam. Poteſt quoque mons dici diabolus, propter opinionis ſuæ elationem; quem facilè ſancti à ſua ſede commouent, quando volunt. Et nihil impoſſibile erit vobis. Non ſolum, inquit, montes transferetis, imo nihil etiam aliud impoſſibile erit vobis.

Euth. Chriſtus Apoſtolorũ honori conſulit. Apoſtolorum infidelitas.

Quid hic ſit fides.

Tal[illegible] vnde veniat.

An Apoſtoli [illegible] montes [illegible].

Mons [illegible] dæmon.

Chryſoſt. hom. 29. in prio. epiſt. ad Cor: Alij autem fides.) Fidem non eam dico, quæ dogmatum eſt; ſed ſignorum; de qua Chriſtus: Si habueritis, inquit, fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic; tranſi hinc, & tranſibit. Et Apoſtoli pro hac precabantur, dicentes: Adde nobis fidem. Ipſa enim mater ſignorum eſt.

Ch[illegible] Quid hic ſit fides. cap. 12.

Hilar. can. 17. in Matth: Quærentibus à ſe cur dæmonium eijcere non potuiſſent, reſpondit. De inopia fidei effectum fuiſſe, ne poſſent: quæ ſi in illis tanquam granum ſinapis eſſet, monti huic, vt à loco in locum tranſiret, cum efficiendi poteſtate præciperent: Sed iam de monte deceſſerat, & inter turbas hæc loquebatur. Itaque & ſe granum ſinapis nuncupauit omnium minimum, & diabolum montem cognominauit: quia in illo ſpirituales nequitiæ ſunt; cæleſteſque virtutes, per eos eijciendas, & in altitudinem maris, tanquam in profundum inferni, abijciendas, quos in hanc efficaciam ieiunium, & oratio proſequentur. Tenebimus quoque etiam eum ordinem, vt ſub diſcipulorum nomine Phariſæorum, & ſcribarum perſona

Hilar.

Granum ſinapis eſt Chriſtus. Mons eſt diabolus.

perſona tractetur, quibus lex curandum vt diſcipulis populum tanquam pater filium, cum Dominus abeſſet obtulerit. Qui, peccatis dominantibus, nunc in ignem iudicij decidebat, nunc in aquam, diuturnarum ſordium ſuarum conſuetudine, mergebatur. Hi igitur nihil opis attulerunt, quia demorante Moyſe cum Domino in monte, effecti fuerunt infideles, vt typica ratio impleretur.

Not. 7. ver. 24.

Vict. Dæmones quomodo vincantur. Ieiunij neceſſitas.

Vict. Antioch. Mar. 9: Per duo hæc, aſſerit Dominus, omne dæmoniotum genus profligari poteſt. Diſcis hinc autem, quo modo Chriſtus Seruator noſter, doctrinam de ieiunio proponat; eiuſdemque neceſſitatem, & vſum tacitè inſinuet. Neque mihi hic nunc paucorum quorumdam, qui citra ieiunium dæmonia eiecerunt, exemplum opponas: nam etſi de vno forſan, aut altero malignos dæmones increpante, & profligante, verè iſtud aſſeri queat; attamen dæmonum vim patientes, ſimulque gulæ & carnis voluptatibus operam dantes, citra ieiunium ab ea inſania quandoque liberari, quodammodo impoſſibile eſt. Quem enim gulæ dæmonium ſanciauit, illum ieiunij, & abſtinentię pharmacum ſanet oportet.

Obiectionis ſolutio.

Solo ieiunio ſanatur.

Euth. Dæmones quomodo vincantur.

Euth. Matth. 17: Genus dæmonum omnium non alio modo egreditur, niſi per orationem, & ieiunium: non ſolum eius, qui ſanat, ſed eius etiam, qui patitur. Oratio ſiquidem dæmoni admodum terribilis eſt. Hanc autem fortiorem reddit, & valde potentem efficit ieiunium, non ſinens corporis ſatietatem remittere firmitatem, aut fumos, qui ab ea aſcendunt, turbare cerebrum, mentemque confundere: itaque corpore firmo, menteque ſine diſtractione operante, vehementius igne omnique re terribilius aſcendit oratio: ideo has ſemper coniunctas eſſe oportet. Et Mar. 9: In nullo, id eſt, per nihil, ſeu per nullum alium modum.

Eut. In nullo.

Chryſoſt. Dæmones quomodo vincantur.

Chryſoſt. hom. 1. de pœnit: Sed haud timete tremendum Principem, ieiunium audientes: non enim nobis, ſed dæmoniotum naturæ tremendum eſt. Etenim ſi lunaticus fuerit quis, ieiunij ei faciem oſtende, atque lapidibus ipſis immobilior manet, timore ſuffocatus, & veluti vinculo quodam detentus: idque potiſſimum, cum viderit ieiunio adiunctam ſociam contubernalemque orationem: propterea & Chriſtus dicit: Hoc genus dæmonij non eijcitur, niſi in ieiunio, & oratione. Cum itaque noſtræ ſalutis hoſtes ſic perſequatur, atque inimicis vitæ noſtræ tam ſit timendum; nonne & amare, & diligere id decuit? Si enim crapulam, ebrietatemque timere oportuit, non ieiunium timeri debet. Illa ſiquidem noſtras poſt terga ligans manus, vitiorumque tyrannidi veluti cuidam prauæ Dominæ, ſeruos nos, captiuoſque reddit; ieiunium verò ſeruos exiſtentes nos, atque ligatos inueniens, vincula remittit, & tyrannide liberat, priſtinamque in libertatem reducit. Igitur quando & inimicos noſtros expugnat, ſeruituteque nos liberat, atque ad priorem nos reducit libertatem, quam aliam maiorem eius, quam ad noſtrum habet genus, amicitiæ rationem exquiris? etenim maximum rationis indicium id eſſe videtur. Et ſermo. 2. de ieiunio plane idem eſt cum iſto, ſed ab alio verſus.

Chryſoſt.

Bed. Dæmones quomodo vincantur.

Bed. Matth. 17: In hoc non ſolum Apoſtolos, ſed & omnes ad vitam inſtituit: vt nouerimus quæque maiora tentamenta hoc remedio eſſe ſuperanda. Et Mar. 9: Dum docet Apoſtolos, quomodo dæmon nequiſſimus debeat expelli, omnes inſtituit ad vitam, vt ſcilicet nouerimus, grauiſſima quæque vel immundorum ſpirituum, vel hominum tentamenta, ieiunijs, & orationibus eſſe ſuperanda. Iram quoque Domini, cum in vltionem noſtrorum ſcelerum fuerit accenſa, hoc remedio ſingulari poſſe placari. Ieiunium autem generale eſt, non ſolum ab eſcis, ſed & à cunctis illecebris abſtinere carnalibus, immo ab omnibus vitiorum continere paſſionibus. Sic & oratio generalis non in verbis ſolum eſt, quibus diuinam clementiam inuocamus; verum etiam in omnibus, quæ in obſequium noſtri conditoris, fidei deuotione gerimus, teſte Apoſtolo, qui ait: Semper gaudentes, ſine intermiſſione orate. Quomodo enim quis omnibus horis, atque momentis, ſine intermiſſione Deum poteſt inuocare ſermonibus? Sed tunc ſine intermiſſione oramus, cum ea ſolum opera gerimus, quæ nos pietati noſtri commendent auctoris. Quo nimirum ieiunio, & qua oratione, iuuante Domino cunctas antiqui hoſtis debellabimus, ac propulſabimus inſidias.

Bed. — Ieiunij, & orationis virtus. — Ieiunium generale. — Oratio generalis quid ſit. — Orare ſine intermiſſione quid ſit.

Leo. Ieiunij vtilitas.

Leo ſer. 2. de ieiunio ſeptimi menſis cap. 2: In omni agone certaminis Chriſtiani, vtilitas continentiæ plurimum valet; ita vt quidam ſæuiſſimorum ſpiritus dæmonum, qui ab obſeſſis corporibus nullis exorcizantium fugantur imperijs, ſola ieiuniorum, & orationum virtute pellantur; dicente Domino: Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi in ieiunio, & oratione. Grata ergo eſt Deo, & terribilis diabolo, ieiunantis oratio: nec latet, quantum acquirat ſaluti ſuæ, quæ tantum præſtat alienæ.

Aug. Vis ieiunij.

Aug. ſer. 65. de tempore: Videte ergo chariſſimi, quanta ſit ieiuniorum virtus, vt id facere ieiunia valeant, quod Apoſtoli nequiuerant. Et ſerm. 230: Aduerſus dæmonum nequitiam, quæ nobis Dominus arma oſtendit, debemus vtrique retinere. Hoc, ait, genus, in nullo eijcitur niſi in oratione, & ieiunio. Hæc cum plena fide exercentur, pietas eſt. Pietas autem ad omnia vtilis eſt, profeſſionem habens vitæ præſentis, & futurę. Inſpiciamus ergo vtiliter orationis fructus, & ieiunij, quia ipſa ſunt arma aduerſus improbas cogitationes. Ieiunium purgat mentem, ſubleuat ſenſum, carnem ſpiritui ſubijcit. Ieiunium cor facit contribulatum, & humiliatum, quod Deus non ſpernit. Ieiunium concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verum lumen accendit, &c.

Aug. Dæmones quomodo vincantur. — Ieiunium, & oratio ad piũ Dei cultũ pertinent. — Ieiunij vtilitates. — Pſal. 50.

Cap. 87.

Cap. 87. *Iterum* Christi *mors, & reſurrectio prædicitur.*

Matt. 17.	*Mar. 9.*	*Luc. 9.*	*Ioan.*
1 COnuerſantibus autem eis in Galilæa.	1 ET inde profecti prętergrediebantur Galilæam.		
	2 Nec volebat quemquam ſcire. Docebat autem diſcipulos ſuos.		
		3 OMnibusque mirantibus in omnibus, quæ faciebat.	
4 Dixit illis Ieſus: Filius hominis tradendus eſt in manus hominum.	4 Et dicebat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum.	4 Dixit ad diſcipulos ſuos: Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos; filius enim hominis futurum eſt vt tradatur in manus hominum.	
5 Et occident eum, & tertia die reſurget.	5 Et occident eum, & occiſus, tertia die reſurget.		
	6 At illi ignorabant verbum.	6 At illi ignorabant verbum iſtud.	
		7 Et erat velatum ante eos, vt non ſentirent illud.	
	8 Et timebant interrogare eum.	8 Et timebant eum interrogare de hoc verbo.	
9 Et contriſtati ſunt vehementer.			
	10 Et venerunt Capharnaum.		

Not. 1.

Summa. Prædicente Domino ſuam paſſionem contriſtantur Apoſtoli.

Aug. Ratio diſpoſitionis. Tres Euangeliſtæ hic re, & ordine narrationis conſentiunt, vt notat Aug. lib. 2. de conſenſ. Euangeliſtarum cap. 59. vbi ſic habet: Sequitur Matthæus dicens: Conuerſantibus autem eis in Galilæa, &c. Hoc eodem ordine Marcus, Lucaſque commemorant.

Ver. 4.

Hier. Cur prædicit paſſionem. Hieron. Matth. 17: Semper proſperis miſcet triſtia: vt cum repente venerint, non terreant Apoſtolos, ſed à præmeditatis ferantur animis. Si enim contriſtat eos, quod occidendus eſt, debet lætificare quod die tertio dicitur reſurrecturus. Porro quod contriſtantur, & contriſtantur vehementer, non de infidelitate venit: alioquin ſcierant & Petrum eſſe correptum: quare non ſaperet ea, quæ Dei ſunt; ſed quæ hominum: verum quia pro dilectione magiſtri nihil de eo ſiniſtrum, & humile patiuntur audire.

Vict. Vict. Antioc. Mar. 9: Quandocunque Chriſtus Dominus, de ſua morte, & cruce verba facit, ſtatim miraculum aliquod adiungit. Et quidem ante, & poſt traditam doctrinam, non raro hoc facit; prout multis paſſim locis obſeruare id licet. Et inde, ſcribit Matthæus; cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati, &c. Tunc, inquam, quando Apoſtoli illum Chriſtum, & Dei filium eſſe confeſſi ſunt. Rurſum quando admirabilem vultus ſui ſplendorem diſcipulis in monte oſtendit; deque ſingulari illius gloria, & maieſtate vterque propheta prolixè diſſeruit, ſuæ iterum perpeſſionis, & mortis mentionem intulit. Etenim vt primum transfigurationis hiſtoriam Euangeliſta abſoluerat, ſtatim ſubiunxit: Et cœpit docere eos, quoniam oporteret filium hominis multa pati. Tandem poſteaquam hoc loco obſtinatum dæmonem, quem diſcipuli eijcere non valebant, expulerat, ilico, quæ hic modo citata ſunt, ſubnectit. Faciebat hoc autem, quo miraculorum magnitudine, mæſtitiæ, quam de morte illius conceperant, magnitudinem nonnihil diminueret, & mitigaret. Cur prædicit paſſionem.

Theoph. Cur prædicit paſſionem. Theoph. Matth. 17: Subinde memoriam facit paſſionis, ne exiſtiment quod inuitus patiatur; & interim hoc agit, vt exerceat eos, & ne terreantur, ſi hoc inexpectatum eueniat. Coniunxit autem triſtibus læta, ſcilicet, quod reſurget. Læta miſcet triſtibus.

Theoph. ſurget. Et Marc 9: Vbique miraculorum operationibus interſerit ſermonem de paſſione, vt ne putent ipſum propter impotentiam pati. Dixit igitur quod durum erat, quia occident: & ſubdit quod iucundum, quia tertio die reſurrecturus eſſet: vt diſcamus quod ſemper læta ſequuntur ad triſtia, & in triſtibus non fruſtra mœreamus, ſed ſperemus meliora.

Bed. Bed. Luc. 9: Sane quod ait, ponite vos: expreſſius, & vi intentiore legendum. Vos, qui meo diſcipulatui familiarius adhæretis; quibus incerta, & occulta ſapientiæ meæ manifeſtius aperui, cæteris diuina tantum facta mirantibus, ſanguinis quoque precioſi, quo mundus eſt redimendus, euentum mente recondite.

Not. 2. ver. 6. 9.

Euth. Evth. Matt. 17: Vide ergo quomodo licet ibi Petrus fuerit increpatus, & poſtmodum intulerit pater, vt eum audirent, ipſe quoque reſurrectionem poſt tres dies promiſerit: nec ſic tamen ferre potuerunt, ſed contriſtati ſunt: & non vtcunque, ſed vehementer. Hoc autem factum eſt, eo quod ignorarent virtutem eorum, quæ dicebantur, ſicut Marcus, & Lucas dixerunt. Diuina autem diſpenſatione occultabatur ab illis verbi cognitio, tanquam ab imperfectis, & qui necdum poterant ad ſupernaturale eius penetrare myſterium. Verum ſi illud ignorabant, quomodo contriſtati ſunt vehementer? Non penitus ignorabant, ſed de morte eius intelligebant, quum de ea ſæpius audiſſent, & de hac contriſtati ſunt vehementer: de reſurrectione vero ignorabant, de qua etiam ſæpius audierant, nec tamen poterant intelligere quid ea eſſet. Dicit enim Marcus inter alia, quod conquirebant inter ſe quid eſſet, à mortuis reſurgere. Suſpicabantur namque hanc etiam quandam eſſe parabolam. Siquidem poſt reſurrectionem aperuit mentem illorum, vt intelligerent ſcripturas de omnibus. Et Luc. 9: Ignorabant verbum iſtud, non quod erat de paſſione, & occiſione; ſed de reſurrectione.

Quid ignorabant. *cap. 14.* *Eut.*

Vict. Vict. Mar. 9: Dominum iſtiuſmodi de ſua morte, & reſurrectione prædicantem audientes, quorſum ea prædicatione tendat, non interrogant: ſiue quod nimia animi triſtitia preſſi non poſſent; ſiue etiam quod metu impediti, non auderent. Sæpe enim, cum nolle ipſum diſertis verbis aliquid exponere animaduertunt, ſilent omnino. *Cur non interrogent.*

Theop. Theoph. Luc. 9: Illi autem ignorabant verbum hoc, & erat abſconditum ab eis. Et quare hoc fuit? vt ne ante tempus triſtitia afficerentur, & timore exterrerentur. Itaque Deus condeſcendens infirmitati illorum, & quaſi pueros moderabatur illos, neque concedit eis vt intelligant hoc, quod de cruce dicebatur. Vide autem & illorum reuerentiam, quomodo præ reuerentia interrogare non audebant, imo præ timore. Nam timor augmentum eſt pietatis, & reuerentiæ: ſicut & reuerentia, vel pietas contractus timor eſt. *Quid, & cur ignorent.*

Bed. Bed. Mar. 9: Hæc ignoratio diſcipulorum, non tam de tarditate ingenij eorum, quam de amore naſcitur Saluatoris, qui carnales adhuc, & myſterij crucis ignari, quem Deum verum cognouerant, moriturum credere nequibant. Et quia per figuras eum ſæpe loquentem audire ſolebant, horrentes euentum mortis eius, etiam in eis, quæ de ſua traditione, & paſſione aperte loquebatur, figuratè aliud ſignificari volebant. *Quid, & cur ignorabant.*

Ver 10.

Verſu 1. & 7. Marcus ſignificat Dominum fuiſſe iam in itinere ad relinquendam Galilæam: quod vero Matthæus verſu 1. dicit, hunc ſenſum habet: cum adhuc eſſent in Galilæa; & nunc eam eſſent relicturi. Porro non veniebant Capharnaum, quaſi domum; ſed tantum prætergredientes. Videtur enim Dominus habitationem eam reliquiſſe ab illo egreſſu; quo Nazaretum fuit profectus; & ſemper ab eo tempore fuiſſe peregrinatus.

Cap. 88. *Didrachma ſoluitur.*

Matt. 17.	*Mar.*	*Luc.*	*Joan.*
1 ET cùm veniſſent Capharnaum, acceſſerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſoluit didrachma? Ait: Etiam. 2 Et cùm intraſſet in domum, præuenit eum Ieſus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Ieſus: Ergo liberi ſunt filij. 3 Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me, & te.]			

Not. 1.

Not. 1.

Aug. Diſpoſitio huius 12. 10. A V G. lib. 2. de conſ. Euang. cap. 59: Sequitur Matthæus: Et cum veniſſent Capernaum, acceſſerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, &c. vſque ad illud, vbi ait: Inuenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me, & te. Hoc ſolus iſte commemorat; quo interpoſito, eundem ordinem ſequitur, in quo cum eo etiam Marcus, & Lucas pariter ambulant.

Solus Mat. hoc dicit.

Hier. Hieron. Matt. 17: Poſt Auguſtum Cæſarem, Iudæa facta eſt tributaria, & omnes cenſi capite ferebantur. Vnde & Ioſeph, cum Maria cognata ſua profectus eſt in Bethlehem. Rurſum quoniam nutritus erat in Nazareth, quod eſt oppidum Galilææ, Capharnaum vrbi ſubiacẽs: ex more poſcunt tributa. Et pro ſignorum magnitudine, hi, qui exigebant, non audent ipſum repetere, ſed diſcipulum conueniunt, ſiue malicioſe interrogant, vtrum reddat tributa, an contradicat Cæſaris voluntati, iuxta quod in alio loco legimus: Licet tributa Cæſari ſoluere, an non? Qui didrachma accipiebant, ſeorſum conuenerant Petrum. Cumque intraſſet domum, antequam Petrus ſuggereret, interrogat Dominus, ne ſcandalizentur diſcipuli ad poſtulationem tributi, quum videant eum noſſe quæ abſente ſe geſta ſunt.

ver. 1.

Cur Petrũ, non Chriſtum interrogent.

cap. 12.

Cur Petrũ Chriſtus interrogat. ver. 2.

Euth. Exod. 30. Num. 3. Euth. Matt. 17: Primogeniti omnes Hebræorum, ſingulis annis didrachma pendebant Deo, in gratiarum actionem: eo quod olim Ægyptiorum primogenita perdiderat. Quia ergo Chriſtus etiam primogenitus erat, quo hæc congregabant, ad ipſum quidem accedere verebantur, honorantes eum propter miracula; ad Petrum autem, tanquam principem iam diſcipulorum, accedunt: nec exigunt, ſed cum manſuetudine interrogant.

Cur Petrũ non Chriſto adeant.

Modeſte rogant.

Theoph. Exod. 30. Num. 3. Theoph. Matth. 17: Deus pro primogenitis Hebræorum voluit conſecrari ſibi tribum Leui. Inuentus eſt autem numerus tribus Leui viginti duo millia. Primogeniti autem chiliades viginti duo & ducenti, & ſeptuaginta tres. Pro his igitur, qui erant vltra tribum Leui, & primogeniti erant, decreuit Deus dari didrachmũ Sacerdotibus. Hinc igitur facta eſt conſuetudo, vt ſimpliciter omnes primogeniti penderent didrachmum, qui eſt quinque ſicli, id eſt, ducenti oboli. Vnde quia Dominus primogenitus erat, pendebat & ipſe. Reueriti autem fortaſſis Chriſtum propter miracula, quæ faciebat, non illum interrogant, ſed Petrum. Vel potius deceptores erant: quaſi ita dicerent: Præceptor veſter legi contrarius, num id admittit, vt perſoluat didrachmum?

Cur Petrũ non Chriſtum interrogant.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 59. in Matth: Quænam ſunt iſta didrachma? Quando Ægyptiorum primogenita Deus interfecit, tunc Leuiticam tribum pro ipſis accepit; quoniam huius tribus minor numerus erat, quam primogenita Iudæorum fuiſſent, pro deficientibus, ad ſupplendum numerum, ſiclum iuſſit deferri. Conſuetudo igitur ex illo tempore obtinuit, vt primogeniti hoc vectigal perſoluerent: cumque ita primogenitus eſſet Chriſtus, Petrus quoque diſcipulorum primus eſſe videretur, ipſum adeunt. Puto autem quoniam in Capharnaum, quæ patria Chriſti putabatur, illud geſſerunt, per ſingulas ciuitates id vectigal petere ſolitos fuiſſe. Non fuerunt autem auſi Chriſtum aggredi, ſed Petro, nulla fere acrimonia, nec vt criminantes, ſed vt interrogantes dixerunt: Magiſter veſter non ſoluit didrachma? Nam etſi de ipſo conuenientem, decentemque non habebant opinionem, hominem eum nudum putantes; tamen propter ſigna, quæ fecerat, nonnihil reuerentiæ ipſi attribuebant. Quid igitur Petrus? Vtique ait. Ita illis quidem ſoluturum eſſe reſpondit, Chriſto autem, vt erubeſcens forſan hac de re quicquam dicere, nihil retulit: ſed mitis ille, quem nihil fugere poteſt, præueniens, ait: Quid tibi videtur Simon? &c.

Modeſte Petrum, nõ Chriſtum interrogãt.

ver. 2.

Hilar. Hilar. can. 17. in Matth: Itaque Petrum poſt conuentionem ſilentem tali ſermone præuenit: Quid tibi videtur Simon? &c.

Aut. Didrachma quid ſit. Exod. 30. Num. 3. Ioſeph. Didrachma hoc, videtur illud eſſe, quod à Domino imperatum eſt filijs Iſrael, à vigeſimo anno, & ſupra, in vſum tabernaculi. Exod. 30. Quod perſeueraſſe vſque ad excidium templi, Ioſ. lib. 7. de bel. cap. 26. autor eſt. Et poſt à Veſpaſiano iuſſum inferri, à ſingulis vbique terrarum agentibus Iudæis, in Capitolium. Nam quod ex illato exemplo Regum terræ, tributum fuiſſe putant, quod Romanis Iudæi perſoluerent, non probatur. Argumentationis autem vis hæc eſt, ſicut Reges Gentium à filijs tributum non exigunt, eadem ratione Dei filium immunem eſſe à tributo, quod Deo penditur, ad vſum templi: Verum cum Reges non à filijs tributum exigere ſolere Dominus monſtraſſet, inde neceſſe, nec ſuos, per quandam ſimilitudinem, tributi lege teneri probat: vt qui eſſent filij cæleſtis Regis, ipſe quidem natura; illi vero peculiari quadam ratione, vt Sacerdotes, & ſacrorum miniſtri, quod obſeruatum legimus in lege naturæ, Gen. 47. Et legibus Romanorum, Dion. Rom. hiſt. lib. 2. Ergo lege Chriſti iam mundum obtinente, & Chriſtianis regnantibus, ceſſante omni ſcandalo, æquum eſt maxime, vt Eccleſiaſtici immunes ſint à tributis. Vnde Hieron. in hunc locum: nos pro illius honore, &c.

Gen. 47. Dion.

Hier.

Hilar. Hila. can. 17. in Matt: Dominus didrachmam ſoluere poſtulatur, hoc enim omni Iſraeli lex pro redemptione animæ, & corporis conſtituerat in miniſterio templi ſeruientium. Sed lex, vt ſcimus, futurorum vmbra eſt. Non enim æris precium Deus deſiderabat, vt tam exigua impenſa criminibus corporis, atque animæ quædam redemptio concederetur. Vt igitur inſcriptos nos, & profeſſos, & Chriſti nomine conſignatos offeramus in Chriſto, qui verum Dei templum eſt, pro teſtimonio filij Dei, huius didrachmæ oblatio conſtituta eſt.

Not. 2. ver. 2.

Aug. A V G. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 23: Quod dixit

xit Chriſtus, ergo liberi ſunt filij: in omni regno intelligendum eſt liberos eſſe regni filios, id eſt, non eſſe vectigales. Multo ergo magis liberi eſſe debent in quolibet regno terreno, filij regni illius, ſub quo ſunt omnia regna terræ.

Hier. Hieron. Matt.17: Dominus noſter, & ſecundum carnem, & ſecundum ſpiritum filius regis erat: vel ex Dauid ſtirpe generatus, vel omnipotentis verbum patris: ergo tributa, quaſi Regum filius, non debebat; ſed qui humilitatem carnis aſſumpſerat, debuit adimplere omnem iuſtitiam. Noſque infælices, qui Chriſti cenſemur nomine, & nihil dignum tanta facimus maieſtate. Ille pro nobis, & crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit: nos pro illius honore tributa non reddimus, & quaſi filij regis, à vectigalibus immunes ſumus.

Bed. Bed. Matt.17: Qui ex vtraque ſubſtantia Regis filius natus erat, ſoluere tributa non debebat; ſed per aſſumptam humanitatem, vt crucem pro nobis ſuſtinuit, ſic & tributa dedit.

Cyr. Cyrill. lib. de recta fide ad Reginas, quod Deus ſit Chriſtus, ex Matt: Quomodo liberum ſe eſſe dicit, & extra legem, nec cenſus debitorem, & filium vere, ſi non eſt Deus vnione, quæ eſt per hypoſtaſin, carnis, & ſanguinis particeps? Perſoluit autem didrachmum, qui ſuper legem filius, quaſi factus ſub lege. Qui autem homo eſt, non intelligitur ſuper legem. Nam quomodo haberet ſecundum naturam libertatem, ſi non intelligeretur Deus in humana forma? (Cyr.) Et lib. 2. in Ioan. cap. 92: Lex à ſingulis Iudęorum medietatem didrachmi quaſi tributi loco, Deo offerri iubebat (Exod. 30.): non quoniam pecuniam Deo colligere vellet, ſed quod per figuras maiora doceret. Primum quia nemo ſui capitis Dominus eſt, ſed vnum omnes habemus Dominum, quem tributi depoſitione profitemur: deinde in re corporali ſpiritale tributum deſcribebat: Honora, inquit (Prou. 3.), Dominum ex tuis iuſtis laboribus, & primitias ei offeras à tuis fructibus iuſtitiæ, quod iam Euangelica doctrina cultu légali ceſſante effectum eſt. Non enim corruptibili materia, & exteriore colendum eſſe Deum, arbitramur didrachmum attribuentes; ſed vt veri adoratores in ſpiritu, & veritate adoramus, hunc ſenſum in lege illa latuiſſe putandum eſt. Cum igitur in Hieroſolymis eſſet Dominus, ab exactoribus didrachmi dictum fuiſſe Petro ſcribitur (Capharnai non Ieroſolymis tunc erat Dominus.): Magiſter veſter non ſoluit didrachmum? Ieſus autem antequam à Petro quicquam audiſſet, præuenit eum, dicens: A quibus Reges terræ capiunt ſenſum? à filijſne eorum, an ab alienis? Cumque ab alienis Petrus reſpondiſſet, liberi ergo ſunt filij: Ieſus ſubiecit; ſed ne ſcandalizemus eos, accipe, inquit, hamum, & vade in mare, & primum qui aſcenderit piſcem tolle, & aperiens os eius, inuenies ſtaterem, quem da pro me, & te. Vides ſub tributo nolle filium fieri: vides ipſum non pari vt ſub iugo ſeruitutis, vt cæteri, eſſe credatur. Cum enim liberam naturæ ſuæ dignitatem eſſe cognoſcat, nihil ſe Deo Patri debere ſeruile affirmat. Liberi enim, inquit, ſunt filij.

Argumentatur Dominus nec ſe, nec ipſos diſcipulos debere; ſed tamen ad vitandum ſcandalum ſoluere. Porro in hoc facto indicatus eſt Petri quidam primatus: cum pro ſe, & pro illo, tributum ſolui iuſſit, quaſi quandam ſecum excellentiam capitis habente. Quando autem proximi ſcandalum ſit cauendum, & quando non, docet Greg. citatus cap. 74. Et Baſ. in Moralibus reg. 33. cap. 4. & 5. (Auct. — Primatus Petri. — Scandalũ quando ſit cauendum. — Greg. — Baſ.)

Iren. Iren. lib. 5. cap. 24: Dominus tributorum exactoribus, iubet pro ſe, & pro Petro dare tributum. Quoniam miniſtri Dei ſunt, in hoc ipſum deſeruientes.

Bed. Bed. Matt. 17: Stater, id eſt, confeſſio, duo habet didrachmata; & merito, quia pro peccatore, & iuſto reddebatur, diuiſum eſt pretium.

Naz. Nazianz. oratione 4. quæ eſt prima de filio: Dat vectigal, ſed de piſce ſumptum, ſed imperat ijs, qui vectigal ab ipſo poſcebant.

Elias. Elias Cretenſis Epiſcopus, in eundem locum Nazianz: Vectigal hoc Gregorius pro cenſu dixit, hoc eſt, pro didrachmo, quod Chriſtus pro ſe, ac inter diſcipulos eximio illo (Petrus diſcipulorũ eximius.), pendere non recuſauit: non quod deberet, aut vectigali ſubiectus eſſet; ſed ne offenderentur ij, qui didrachmum poſcebant. Oſtendit hoc ipſo per interrogationem, qua Petrum hoc modo compellat: Quid tibi videtur, Simon? à quibus, quęſo, reges terreni vectigalia, vel cenſum exigunt? à ſuiſne liberis, an vero ab alienis? Cui cum Petrus reſpondiſſet, ab alienis: dixit ei Chriſtus. Filij ergo liberi ſunt. Ne tamen offendiculum eis præbeamus, ad mare progreſſus, rete in id immittito: primumque piſcem, qui emerſerit, tollito. Cumque aperueris os eius, ſtaterem inuenies. Hoc ſumpto, pro me, ac te illis didrachmum ſoluito. Horum autem verborum huiuſmodi eſt ſententia (Senſus litteralis.): Sum equidem liber, & immunis à penſione cenſus. Nam ſi reges terreni à liberis ſuis nihil exigunt, ſed à ſubiectis imperio ſuo: multo magis immunem me eſſe ab exactione hac conuenit, qui non regis alicuius terreni, ſed cæleſtis ſum filius, & ipſe rex huius vniuerſi. Vides quo pacto per hanc de vectigali doctrinam oſtendat ſe Deum vniuerſalitatis huius eſſe (Se Deum eſſe Chriſtus oſtendit.), atque etiam in mare imperium vſurpare? Nec enim quiddam erat exiguum, prædicere de immo fundo primum piſcem illapſum in retia vectigal illud ſoluturum (Chriſti præſcientia.). Itaque didrachmum pendit, quod non debebat. Cæterum didrachma prius quam à Cæſare Iudæa cenſa eſſet, pendebatur pro primogenijs nõ Regibus, ſed Sacerdotibus: ad memoriam cædis primogeniorum in Ægypto (Exod. 10. Num. 3.), ac libertatis, ſalutiſq; Iudæorum. Quia vero Chriſtus etiam primogenitus erat, idcirco & ipſe didrachmum pendit, & quidem duplicatum. Dat enim denarium pro ſe, ac Petro illo inter Apoſtolos eximio (Petrus Apoſtolorũ eximius.). Et denarius certe in Euangelijs ſtater appellatur. Nec illud negligendum, quod cum poſſet è terra ſtaterem producere, non hoc fecit; ſed è mari miraculum edidit, vt (Cur è mari.)

myſterium nobis proponeret dignum conſideratione. Nam nos reuera piſces eramus, de amaris vitæ fluctibus extracti, velut è mari, per Apoſtolica retia: tenentes in oribus noſtris Chriſtum,qui regius eſt ſtater, datus pro redēptionis duorum pretio, nimirum animi,& corporis noſtri: vel pro duobus illis populis, pro Iudæis, & Ethnicis, æque rediuens pauperes, ac diuites. Nam & vetus illa lex,nullam excuſationem admittens, æque à pauperibus, ac diuitibus drachmæ vectigal exigebat.

Not. 3. ver. 3.

Amb: Didrachmum quid ſit.

AMBR. epiſt. 1. lib. 1: Ergo didrachmum redemptio eſt, imo dimidium didrachmi. Redimit autem nos à morte, redimit à ſeruitute,ne ſubiecti ſimus mundo, cui renunciamus. Vnde Dominus in Euangelio dicit ad Petrum, vt vadat ad mare,& mittat hamum, in ore piſcis inuentum ſtaterem ſumat, & det pro Domino,&

Exod. 30. Num. 3.

pro ſe exigentibus didrachma. Hoc eſt igitur didrachma quod exigebatur ſecūdum legem, ſed non debebat illud filius Regis, ſed alienus. Quid enim ſe Chriſtus redimeret ab hoc mūdo, qui venerat,vt tolleret peccatum mundi? Quid ſe à peccato redimeret,qui deſcenderat,vt omnibus peccatum dimitteret? Quid ſe redimeret à ſeruitute, qui ſe exinaniuerat, vt vniuerſis libertatem daret? Quid ſe redimeret à morte, qui carnem ſuſceperat, vt morte ſua omnibus reſurrectionem acquireret? Non vtique opus habuit redemptione redemptor vniuerſorum, ſed ſicut circumciſionem accepit, vt legem impleret, & ad baptiſmum venit, vt impleret iuſtitiam: ita etiam didrachma, exigentibus ſolutionem, non recuſauit; ſtatim ſtaterem pro

Chriſtus plus ſoluit, quam lex requirebat.

didrachmā iuſſit pro ſe, & Petro dari. Maluit enim ſupra legem ſoluere, quàm id quod erat legis negare. Oſtendit autem contra legem Iudæos facere, qui ab vno didrachmum exigerent, cum dimidium didrachmi exigendum

Stater habet duas drachmas.

Moyſes præſcripſerit. Et ideo & pro ſe, & pro Petro tanquam ſingulas drachmas in ſtatere ſolui mandauit. Bonus autem cenſus Chriſti, qui ſtatere ſoluitur: quia ſtatera iuſtitia eſt, iuſtitia autem ſupra legem. Denique finis legis

Vbi ſtater ſit inuentus.

Chriſtus eſt, ad iuſtitiam omni credenti. Hic ſtater in ore piſcis inuenitur,illius piſcis,quem capiunt piſcatores hominum, illius piſcis, qui ponderat ſermones ſuos, vt igne examinatos proferat. Hunc ſtaterem neſcierunt Iudæi,

Lex dimidium didrachmi exigit.

quem proditori dederunt. Lex autem dimidium didrachmi pro redemptione animæ exigit, quam drachmam Deo deputat,quia totum didrachmum vindicare non poterat. Vix enim in Iudæo, vel portio deuotionis poterat inueſtigari. Qui autem verus eſt liber,verus Hebræus, totus eſt Dei: totum quod habet, libertatis eſt. Nihil habet illius, qui libertatem

Exod. 21.

recuſat, dicens: Dilexi Dominum meum, & vxorem,& infantes:non abibo liber. Quod non ſolum ad Dominum; ſed etiam ad eius refertur infirmitatem, qui ſe ſubiecerit mundo, quod diligat mundum, vel mentem ſuam, id eſt,non huius authorem voluntatis. Nec ſolum ad vxorem,ſed etiam ad delectationē refertur, quæ domeſticam,non illam ęternam curam ſuſcipit. Huic ergo ad limen,& oſtium ſuum,Dominus ſuus aurem pertundit; vt meminerit ſermonis ſui, quo ſeruiturem elegit. Et ideo tu Chriſtiane iſtum ne imiteris:quia tibi ſcriptum eſt,non vt didrachmi dimidium (ſi tamen vis perfectus eſſe) Deo offeras, ſed vt omnia tua vendas, & des pauperibus; nec vt portionem ſeruitutis mundo reſerues, ſed vt totum te abneges,& Domini crucem tollas, & ſequaris eū.

Cur lege didrachmi dimidium exigebat.

Cognouimus itaque ideo dimidium didrachmi lege poſtulari,quia dimidium generi huius mūdi ſeruabatur, id eſt, conuerſationi ſæculari, & vſui domeſtico,& poſteritati reſeruabatur,quibus neceſſe erat,& ſortem ex ſorte,id eſt,tranſmiſſionis deputari.

Aug: Quid ſit ſtater, didrachma, drachma.

Aug. ſer. 6. de verbis Apoſtoli: Qui primus ſurrexerit,id eſt,primogenitus à mortuis:Aperi, inquit, os eius, & inuenies ibi ſtaterem, id eſt, duas didrachmas, quatuor drachmas: quia didrachma, id eſt,duo drachmata in capite exigebatur. Inuenies ibi ſtaterem; hoc eſt, quatuor drachmata, da eis pro me, & te. Quid eſt? Ipſe Chriſtus, Petrus Eccleſia Chriſti, Eccleſiæ quatuor Euangelia. Myſterium latebat, Chriſtus tamen tributum non debitum perſoluebat. Sic perſoluit & mortem, non debebat, & perſoluebat. Ille niſi indebitum ſolueret,nunquam nos à debito liberaret.

Hier: Chriſti præſcientia, & virtus.

Hieron. Matth. 17: Quid primum mirer in hoc loco, neſcio: vtrum præſcientiam an magnitudinem Saluatoris. Præſcientiam,quod nouerat piſcem habere in ore ſtaterem, & quod primus ipſe capiendus eſſet. Magnitudinem,atque virtutem: ſi ad verbum eius,ſtatim ſtater in ore piſcis creatus eſt, & quod futurum erat, ipſe loquendo fecerit. Videtur autem mihi ſe-

Hic piſcis primum Adam ſignificat.

cundum myſticos intellectus,iſte eſſe piſcis,qui primus captus eſt, qui in profundo maris erat, & in ſalſis amariſque gurgitibus morabatur, vt per ſecundum Adam liberaretur primus Adam: & id quod in ore eius, hoc eſt, in confeſſione fuerat inuentum, pro Petro, & Domino redderetur. Et pulchre id ipſum quidem datur precium, ſed diuiſum eſt; quia pro Petro quaſi pro peccatore precium reddebatur. Dominus autem noſter peccatum non fecerat, nec dolus

Stater.

inuentus eſt in ore eius. Stater dicitur,qui duo habet didrachma: vt oſtenderetur ſimilitudo carnis, dum eodem & ſeruus, & Dominus li-

Chriſti paupertas

berantur. Sed & ſimpliciter intellectum ædificat auditorem, dum tantæ Dominus fuerit paupertatis, vt vnde tributa pro ſe, & Apoſtolo redderet, non habuerit. Quod ſi quis obijcere voluerit: & quomodo Iudas in loculis portabat pecuniam? Reſpondebimus, res pauperum in ſuos vſus conuertere, nefas putauit: nobiſque idem tribuit exemplum.

Bern.

Bern. ſer. 2. in Aſcenſ. Domini: Qui in ore piſcis,cum ipſo piſce, ſtaterem inueniri prædixit, patet procul dubio,quia maris,& omnium,quę

in

in mari mouentur, Dominus fuit.

Cæſar. Cæſar. dialog. 4: Quid ſignificat Dominus, Petro mandans, vt abeat, & hamum mittat, & aperto ore piſcis primum egreſſi, inuentum ſtaterem det pro ſe & illo, ijs qui exigunt cenſum, & didrachma? Non extra duplicem ſenſum etiam iſta mihi dicta videntur. Staterem enim, quem Petrus ex profundo in piſce accipere iuſſus eſt hamo, noſtram formam puto, quæ velut in profundo, vtpote in hac vita contecta affectibus, & ſubmerſa fluctibus peccati, fluctuat. Sin minus hoc, eam detentionem noſtri, quæ in orco per mortem facta eſt, quam in ſemetipſo ad primum exemplar Dominus reuocat, pro ſe, & Petro dari ſtaterem iubens, tanquam noſtri ſimilis homo factus, noſtris affectibus obnoxius, & ad dandũ tributum requiſitus, excepto quod vitioſitati non ceſſit, nec obſequens factus eſt, vel declinans ad deterius. Pro ſe autem, & Petro ſtaterem præbens, pro Eccleſia voluntarius patitur. Dicit enim ei: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo meam Eccleſiam. Per ſemetipſum autem docet ipſam. Ædificatio enim animarum, rerum diuinarum inſtitutio eſt, lapidem habens in caput anguli primarium magiſtrum omnium, nempe Chriſtum, de quo, inquit, carminum ille diuinorum autor: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, per legem nimirum Iudæi, hic factus eſt in caput anguli. Et rurſus idem in perſona lapidis, inquit: In capite libri ſcriptum eſt de me. Id quod Ioannes reuelauit, dum clamat: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, videlicet carni vnitum, & per ſemetipſum erudiens eum per illa, quæ de piſce dicta ſunt, & de ſtatere, neque Regi, neque Principi reſiſtendum, citra noxam aliquid præcipienti, ſed æquo animo ſe tributo ſubmittendum. Simul & Deum ſe his ipſis demonſtrauit. Vnde enim ipſi cognoſcere licuiſſet, ſi homo erat, ſecundum temulentiam eorum, qui ipſius diuinitatem impugnant, quod piſcis in profundo ſtaterem habetet in ore, & quod non in carne, ſed in ore teneretur? Deinde quod primus ille ad hamum eſſet adducendus? & num ſua ſponte piſcis accedens ad hamum veniret, ſicque Dei eſſet, vtpote qui prædixiſſet capturam animalis ſtaterem in aperto ore tenentis? Si verò, quod verius eſt, inuiſibili diuinitatis virtute duxit ipſum ad hamum: is verè fuit, qui ceto præcepit, vt ſuſciperet quidem Ionam, illæſum autem cuſtodiret in profundo, ſicque ſaluum, & incolumem in terram rurſus eijceret. Siquidem piſcis ille, ſtatere iacente in profundo accepto, ad laqueum natabat, & primus ipſe, Deus eſt, qui eum præmonſtrauit. Quid enim, inquit: Piſcis primus omnium ſui generis capietur? vel quod potius, & magis eſt conſentaneum, ipſius neceſſitatis tempore, is, qui omnia ex nihilo produxit, facto ſtatere, ipſum in piſcem natatilem impoſuit, & ad piſcatorem flexit, qui quidem manifeſte ille eſt, qui Petro præcepit hamum in mare iacere. De quo Rex ille ſimul, & diuinorum carminum auctor inquit: Deus noſter in cælo, & in terra, & in marinis, & in omnibus abyſſis, quæcunque voluit fecit.

Senſ. myſticus. *Alius ſenſus myſticus.* *cap. 1* *Se Deum eſſe Chriſtus oſtendit.* *Chriſti præſcientia.* *Chriſti potentia.*

Not. 4. ver. 3.

Chryſoſt. CHRYSOST. hom. 59. in Matt: Vide quemadmodum nec omnino recuſat, nec ſimpliciter iubet dare tributum; ſed prius monſtrauit non eſſe his vectigalium legibus ſe ſubiectum, tunc demum dari iuſſit: alterum ne illi, alterum ne iſti ſcandalum patiantur. Non enim vt debitor reddidit, ſed vt illorum infirmitati conſuleret. Et certè alibi, cum de cibis diſſereret, ſcandalum nullo modo conſideraſſe, ſed penitus ſpreuiſſe videtur. Ita nos decet temporum, & opportunitatum rationem habere, ac ſcire quando, quibuſque in rebus contemnenda, vel curanda ſcandala ſint. Sed dationis etiam modo ſeipſum demonſtrat. Nam vt rerum omnium Dominum ſe eſſe oſtenderet, vtque maris ipſius ditionem habere videretur, non à reconditis, ſed mirabili quodam modo inuentam pecuniam deferri iubet: & quamuis tum increpatione; tum quia virtute ſua, ſuper fluctus Petrus ambulauit, maris Dominus demonſtraretur; tamen alio quodammodo, nec minus mirabili, id ipſum impræſentiarum oſtendit. Non erat quippe paruum, prædixiſſe à profundiſſimis fluctibus eum piſcem hamum hauſurum, qui vectigal erat ſoluturus. Ita imperio eius; quaſi verriculo in mari demerſo, ille captus eſt piſcis, in quo ſtater reſeruabatur. Diuina igitur, ac ineffabili eius virtute, munera pelagus offerebat, & vndique ſubiectionem ſuam oſtendebat; vel quia increpatum ex furore in tranquillitatem ſubito ſe conuertit; & quando ipſum ferociens conſeruum ſuſcepit, ac ſuſtinuit, ac nunc rurſum quando exactoribus pro ipſo cenſum perſoluit. Da eis, inquit, pro me, & te. Vidiſti honoris excellentiam, vide nunc quanta philoſophia vtitur Petrus. Hunc enim locum Marcus, qui Petri diſcipulus fuit, ideo non ſcripſiſſe videtur, quoniam ingens hinc honor magiſtro deferebatur. Sed negationem quidem ille quoque diligentiſſimè ſcripſit: hæc verò quæ ad magiſtri laudem pertinent, ipſo forſan deprecante, ne magnifica de eo diceret, omnino ſiluit. Pro me verò, inquit, & te: quoniam & Petrus primogenitus erat. Miraris omnipotentiam Chriſti? mirare diſcipuli etiam fidem, qui ad rem ita natura incredibilem illico paruit, cuius quidem fidei retributionem confeſtim habuit, Chriſto in tributi ſolutione coniunctus.

cap. 14. *Scandalũ aliquando cauendum, aliquando non.* *Se Deum eſſe Chriſtus oſtendit.* *Chriſti præſcientia, & potentia.* *Honoris Petri excellentia.* *Marcus Petri diſcipulus.* *Cur Marcus locum hunc omiſerit.* *Petri humilitas.* *Petri fides, & obedientia.*

Chryſoſt. hom. in Pſal. 71: Orta eſt ergo in diebus eius iuſtitia. Qualis eſt iſta iuſtitia, niſi ſtater ille inuentus in interioribus piſcis, à Petro de mari leuatus? De quo ſtatere dixit Petro: Da filijs regni huius pro me, & te. Ergo iſta iuſtitia qualis eſt, niſi vt Dominus carne induta, & hominem oculis humanis demonſtraret, & diuinitatem occultaret? Quanta iuſtitia, vt traderet ſe pro omnibus hominibus, & pro Eccleſia vbiq; diffuſa? Quanta iuſtitia, niſi vt omnia toleraret iniuſta

Chryſoſt. *Qualis iuſtitia orta ſit in diebus Chriſti.*

iniuſta ex improbitate Iudæorum,& ſuam iuſtitiam demonſtraret ferocitati eorum? Hæc iuſtitia monſtrata eſt omnibus hominibus,vt qui vidiſſet mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœcharetur eam in corde ſuo;nulli malum pro malo reddere;cum omnibus hominibus pacem habere; pro inimicis orare. Ecce orta eſt in diebus eius iuſtitia.

Iſidor. Iſid.lib.1.ep.206:Stater ille,quem in piſce abſtruſum Petrus capere iuſſus eſt, formã noſtram vitioſis affectionibus coopertam deſignabat, quam Dominus in ſeipſo ad primigenium exemplar reuocat.Suo autem nomine hunc dari præcepit, vt homo effectus,atque omnibus noſtris conditionibus ſubiectus: nec Imperatori, cum ea imperat, quæ minime noxia, & pernicioſa ſunt,obluctari permittens: & diuinæ potentiæ vim,ac facultatem oſtendens.

Stater quid ſit.

Regi noxia non iubenti parendum.

CAP. 89. *De primatu, & humilitate: ſeu de diſputantibus, quis maior: & de puero.*

Matt. 18.	*Mar. 9.*	*Luc. 9.*	*Ioan.*
		1 Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior eſſet.	
	2 Qui cum domi eſſet, interrogabat eos: Quid in via tractabatis?		
	3 At illi tacebant: ſiquidem in via inter ſe diſputauerant, quis eorum maior eſſet.		
	4 Et reſidens vocauit duodecim.		
In feſto S. Michaelis. 5 [In illa hora + acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum,dicentes:Quis, putas, maior eſt in regno cœlorum?			
	6 Et ait illis: Si quis vult primus eſſe,erit omnium nouiſſimus, & omnium miniſter.		
		7 At Ieſus videns cogitationes cordis illorum.	
8 Et aduocans Ieſus paruulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit:	8 Et accipiens puerum, ſtatuit eum in medio eorum:	8 Apprehendit puerum, & ſtatuit illum ſecus ſe, & ait illis:	
9 Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnũ cœlorum.			
10 Quicunque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cœlorum.			
	11 Quem cum complexus eſſet, ait illis:		
12 Et qui ſuſceperit vnũ paruulum talem, in nomine meo, me ſuſcipit.	12 Quiſquis vnum, ex huiuſmodi pueris, receperit in nomine meo, me recipit.	12 Quicunque ſuſceperit puerum iſtum, in nomine meo, me recipit.	
	13 Et quicunque me ſuſceperit, non me ſuſcipit; ſed eum, qui miſit me.	13 Et quicunque me receperit, recipit eum, qui me miſit.	
		14 Nã qui minor eſt inter vos omnes,hic maior eſt.	

Not. 1.

Not. 1.

Apoſtolis de primatu contendentibus, docet Chriſtus humilitatem ſectandam.

Aug. Aug.lib.2.de conſen. cap. 61: Sequitur ergo idem Matthæus, & dicit: In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Quis putas maior eſt in regno cælorum?&c. vſque ad illud, vbi ait: Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo, de cordibus veſtris. Ex iſto aliquanto prolixiore Domini ſermone, nō omnia, ſed quædam Marcus, eundem ſequens ordinem, poſuit; quædam etiam ipſe, quæ Matthæus non dicit, inſeruit. Totus autem ſermo quouſq; eum conſiderandum ſuſcepimus, à Petro ſolo interpellatur quærente, quoties fratri debeat ignoſci; talia enim Dominus loquebatur, vt ſatis elucear, etiam hoc, quod Petrus interrogauit, eique reſponſum eſt, ad eundem pertinere ſermonem. Lucas autem, niſi illud de paruulo, quem conſtituit ante diſcipulos imitandum, cum de ſua magnitudine cogitarent, nihil hoc ordine ſeruato commemorat. Si qua enim alia ſimiliter dixit, quæ & in iſto ſermone ſunt poſita, alibi & ex alijs occaſionibus dicta recoluit. Sicut Ioannes de remiſſione peccatorum, quod tenebuntur, ſi cui tenuerint; & dimittentur, ſi cui dimiſerint, poſt reſurrectionem à Domino dictum commemorat; cum Matthæus in hoc ſermone Dominū hoc dixiſſe meminerit, quòd & Petro ante dictum fuiſſe idem ipſe teſtatur. Eadem itaque ſæpe, ac pluribus locis Ieſum dixiſſe, necubi moueamur, ſi ordo dictorum quibuſdam repugnare putabitur, ſicut iam toties commendauimus, meminiſſe debemus, ne hoc ſemper admonere neceſſe ſit.

Cap. 93. *Dominus eadem ſæpe dixit.*

Ver. 3.

Euth. Eut.Mar.9: Tacebant præ pudore, quaſi iam condemnati.

Ver. 4.5.

Bed. Contentionis Apoſtolorū occaſio. Bed. Mar. 9. & Luc.9: Inde orta videtur diſputatio diſcipulorum de primatu: quia viderant Petrum, Iacobum, & Ioannem ſeorſum ductos in montem, ſecretumque eis ibi aliquod eſſe creditum. Sed & Petro ſuperius, iuxta quod Matthæus narrat, claues regni cælorum promiſſas, Eccleſiamque Domini ſuper eum ædificandam eſſe, rati ſunt vel ipſos tres cæteris, vel omnibus Apoſtolis Petrum eſſe prælatum. Sunt qui putant, hanc cogitationem diſcipulis ex eo motam, quod Dominus, iuxta Matthęum, ſtaterem de ore piſcis ſumptum, his, qui tributa exigebant, pro ſe, & Petro, quaſi cæteris eminētiore, dederit, vtpote qui ipſi Domino ſit in tributi redditione comparatus. Sed diligens lector, hanc inter eos quæſtionem, & ante didrachma redditum, inueniet fuiſſe verſatam. Denique Matthæus hoc in Capharnaum memorat eſſe geſtum. Dicit autem Marcus: Et venerunt Capharnaum, qui cum domi eſſent, interrogabat eos, quid in via tractabatis? At illi tacebant. Siquidem inter ſe in via diſputauerunt; quis eſſet illorum maior. Verum ſiue hac, ſiue illa, ſiue vtrâque fuerint occaſione commoti, videns Ieſus cogitationes eorum, & cauſas errorum intelligens, vult deſiderium gloriæ humilitatis contentione ſanare.

Hieron. Hieron. Matth.18: Poſt inuentum ſtaterem, &c. lect.7.die 29. Sept.

Chryſoſt. Chryſoſt.hom.59.in Matth: Humanum quid paſſi diſcipuli ſunt, quod Euangeliſta quoque ſignificauit, dicens: In illa hora, quando, ſcilicet, cæteris omnibus Petrum prætulit. Nam cum ex Iacobo, & Ioanne alter primogenitus eſſet, nihil tamen tale pro ipſis feciſſe videtur: veriti autem turbationem profiteri ſuam, non aperte, quare Petrum ipſis præponeret, ſed confuſe: Quis ergo maior eſt, interrogarunt: Quando tres illos præferri conſpexerunt, nihil tale paſſi ſunt: cum vero ad vnum delatus honor eſt, tunc nimirum doluerunt: quamuis non ex hac re ſolum, ſed ex alijs quoque multis inflammati fuerunt: Tum quia dixit illi: Dabo tibi claues regni cælorum; tum quia: Beatus es tu Simon Bariona; tum etiam hic: Da eis pro me & te. Tum denique quia liberius eum multo Chriſto colloqui conſpiciebant. Quod ſi non interrogaſſe; ſed ſecum id cogitaſſe Marcus ſcribit, non ſunt oppoſita profecto hæc, ſed valde inter ſe conſonant, nec ſemel, ſed bis, ac tertio hæc eos cogitaſſe crediderim, & tunc demum interrogaſſe. Tu vero non ſolum crimen conſidera, ſed illud quoque tecum expende, primum quod nulla eis de rebus huius ſæculi quæſtio eſt: deinde quod poſtea hac quoque turbatione ſuperata, alteri alteris in primatu cedebant. Nos vero neque ad hos quidem defectus eorum deuenire poſſumus, nec quis futurus ſit maior in regno cælorum, ſed quis in terris maior ſit, quis ditior, quis potentior, quærimus.

Contentionis occaſio. *Marcus cū Matthæo concordat.* *Qui de re Apoſtoli diſputent.*

Vict. Victor Antioch. in cap. 9. Mar: Chriſto Domino de cruce, & morte ſua verba ad diſcipulos ſuos faciente, cogitatio, vt Lucas narrat, intrauit in eos, quis eorum maior videretur. Vt autem Marcus habet, in via ea de re inter ſe diſceptauerant. Dominus ergo, vt Marcus, & Lucas exponunt, occaſione ex propria illorum cogitatione, & diſceptatione ſumpta, quid per viam inter ſe contuliſſent, interrogat. Matthæus autem (quod is narrationem ab exordio non auſpicetur) notitiam, quam Seruator de illorum cogitatis, dictiſque habebat, reticet: Inducit autem quæſtionem, quam ipſimet diſcipuli Chriſto propoſuere, doctrinamque inde erratam: ſiquidem de primatu ad hunc modum quęſiuiſſe ſcribit: In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Quis putas maior eſt in regno cælorum? nam cum certo illis perſuaſum eſſet, omnia, tam ea videlicet, quæ cogitarent, quam ea rurſum, quæ ſeorſum inter ſe diſſeruerant, Domino manifeſta eſſe, de cogitatis æquè, ac de diſputatis ſententiam illius exquirunt. Apoſtoli proinde (bonum fortaſſis, & licitum hoc eſſe rati) primatum, adeoque honoris prærogatiuam

Contentionis occaſio.

tiuam ambiunt. Nam vt quiſque maior,& illuſtrior eſt: ita maiorum quoque honorum cupidus eſt.

Theoph. Contentionis occaſio.

Theoph.Luc.9: Morbus inanis gloriæ Apoſtolos inuaſit. Mihi videtur ortum id inter illos, eò quòd dæmoniacum non ſanarint. Veriſimile enim quod ſuper hoc contenderint, dicentibus ſingulis, quod non propter ſuam, ſed alterius cuiuſdam infirmitatem puer ille ſanatus non fuerit: & inde accenſa lis eſt, quis eorum maior eſſet. At Dominus vitiis ſingulorum cordibus, præuenit: & priuſquam morbus incrudeſceret, curauit radicitùs eijci, morbi enim ab initio facilè vincuntur: cum vero incruduerint curatu difficiles ſunt.

Not.2. ver.8.

Euth.

EVTH. Matt. 18: Et accerſito puero, &c. Marcus autem ait: Et amplexatus illum, dixit eis. Lucas vero, quod ſtatuit eum iuxta ſe. Omnia autem facta ſunt. Primum ſiquidem ſtatuit eum in medio illorum: deinde iuxta ſe: poſtmodum amplexatus eſt illum. Vult autem per exemplum de puero ſedare hunc illorum affectum.

Hier.

Hieron. Matt.18: Vel ſimpliciter quemlibet paruulum: vt ætatem quæreret, & ſimilitudinem innocentiæ demonſtraret. Vel certè paruulum ſtatuit in medio eorum ſeipſum, qui non miniſtrari, ſed miniſtrare venerat: vt eis humilitatis tribueret exemplum. Alij paruulum interpretantur Spiritum ſanctum, quem poſuerit in cordibus diſcipulorum, vt ſuperbiam in humilitatem mutaret.

Ver. 9.

Baſ. Pueri conditiones.

Baſil. in regul. breuior. interrog. 217: Quomodo regnũ Dei accipiemus vt paruulus? Nempe ſi ad doctrinam Domini tales nos præbuerimus, qualis eſt paruus, in percipiendis diſciplinis, qui non contradicit, neque ſe, diſputans aduerſus magiſtros, defendit; ſed tradita ſibi præcepta, cum fide, atque obedientia ſuſcipit.

Chryſoſt. Dominus humilitatẽ me præcipit. Pueri conditiones.

Chryſoſt. hom. in Pſal.130: Si non humiliter ſentiebam, &c. Quod autem dicit, eſt eiuſmodi: non ſolum fui liber à vitio, arrogantia inquam, nec ſolum ab iis, qui illa præditi ſunt, alienus: verum etiam contrariam ei virtutem ſupra modum ſuſcepi, nempe humilitatem, moderationem, contritionem. Illud ipſum Chriſtus quoque iuſſit ſuis diſcipulis, dicens: Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut puelli, non ingrediemini in regnum cælorum. Talis, inquit, fuit mea humilitas, qualis infantis, qui pendet ab vbere matris. Quemadmodum enim ille adhæret matri continenter, eſt omnis arrogantiæ purus, viuit in innocentia ſumma, & ſimplicitate: ita ego etiam in Deum me gerebam, ei perpetuo adhærens.

Eut. Qui regnũ aſſequentur.

Euth. Matth.18: Vos quidem de primatu in regno cælorum interrogatis: Ego autem dico vobis, quod niſi conuerſi fueritis, à prauitate ad ſynceritatem, & efficiamini innocentes vt pueri, in illud omnino non ingrediemini. Puer ſiquidem eſt ſimplex, non curioſus, neque vanæ gloriæ cupidus, ſine faſtu, liber eſt & ab inuidia, æmulatione, ſui amore, contentione, &c, vt ſemel dicam, ſolutus eſt ab omni voluntario affectu, non per exercitium, ſed per ſimplicitatem. Si quis ergo diſceſſerit à voluntarijs affectionibus efficietur ſicuti puer, habens per exercitium, quod habent pueri per ſimplicitatem. Oportet enim imitari puerum, qui multas habens virtutes, ob nullam illarum extollitur.

Pueri conditiones.

Hilar. Qui regnũ obtinebũt.

Hil. can.18. in Matt: Non niſi reuerſos in naturam puerorum, &c. lect.7.8.& 9. die 8. Maij.

Iſidor. Sicut paruuli eſſici quid ſit.

Iſidor. Peluſ. lib.1. ep.207: Cum Dominus id à nobis expoſcit, vt ad puerorum ſimilitudinem accedamus, non id à nobis exigit, vt ad infantiam redeamus, quemadmodum ipſe, Nicodemi inſtar, exiſtimas: verum vt improbitatem abiuremus, ſicque nos comparemus, vt puerilis in nobis ſimplicitas inſit. Atque hoc per ea, quæ dixit, oſtendit; non enim dixit: Niſi paruuli efficiamini; ſed, ſicut paruuli; nimirum per huiuſce particulæ, ſicut, acceſſionem, rei imitationem declarans.

Hier. 1 Cor. 14.

Hier. Matt.18: Non præcipitur Apoſtolis, vt ætatem habeant paruulorum; ſed vt innocentiam, & quod illi per annos poſſident, hi poſſideant per induſtriam vt malitia, non ſapientia, paruuli ſint.

Not. 3. ver. 10.

Hier. Pueri conditiones.

HIER. Matth. 18: Sicut iſte paruulus, cuius vobis exemplum tribuo, non perſeuerat in iracundia; non meminit læſus; non, videns pulchrã mulierẽ, delectatur; non aliud cogitat, & aliud loquitur; ſic & vos niſi talem habueritis innocentiam, & animi puritatem, non poteritis regna cælorum intrare. Siue aliter. Qui imitatus fuerit me, & ſe in exemplum mei humiliauerit; vt tantum ſe deijciat, quantum ego deieci, formam ſerui accipiens; hic intrabit in regnum cælorum.

Ambr. Quomodo peruenitur ad regnum. Rom. 12.

Ambr. ſer.10: Si diligenter audiſtis Euangelicam lectionem, intelligere poteſtis, quæ miniſtris, ac ſacerdotibus Dei reuerentia debeatur, vel qua ipſos clericos inuicem humilitatis ſedulitate oporteat præuenire. Ait enim Dominus percontantibus diſcipulis: Quis eorum in regno cælorum maior eſſet futurus, ſtatuto coram omnibus puerulo. Quicunque humiliauerit ſe, ſicut puer iſte, hic maior erit in regno cælorum. Vnde intelligimus, quod humilitate peruenitur ad regnum, ſimplicitate penetratur ad cælum. Quiſquis ergo cupit diuinitatis tenere faſtigia, humilitatis ima ſectetur. Quicunque vult fratrem præuenire regnando, prius præueniat obſequendo, ſicut ait Apoſtolus: Honore inuicem præuenientes; vincat eum officijs, vt poſſit vincere ſanctitate. Si enim te non læſit frater, obſequium meretur vt diligas. Quod ſi forſitan læſit, obſequium magis meretur, vt vincas. Hæc enim noſtræ Chriſtianitatis ſumma eſt, vt amantibus viciſſitudinem, lædentibus patientiam rependamus.

pendamus. Qui ergo fuerit patientior ad iniuriam, potentior conſtituetur in regno. Non enim ad imperium cælorum peruenitur ſuperbia, diuitijs, præfectura; ſed humilitate, pauperie, lenitate.

Ver. 11.

Eut. Euth. Mar. 9: Et amplexatus illum, &c. Ante hoc alia quoque dixit, quæ Matth. conſcripſit.

Ver. 12.

Eut. In nomine meo quid ſit. Euth. Matth. 18: Quod autem dicit, in nomine meo, hoc eſt, propter me, & quia talis, eſt meus. Vide ergo quantum talem amet: Hunc, inquit, ſuſcipiens, me ſuſcipit.

Theoph. Theoph. Matt. 18: Non ſolum, inquit, oportet vos humiles eſſe, ſed & ſi alios humiles, propter me in honore habueritis, mercedem accipietis. Me enim accipitis, quando pueros, hoc eſt, humiles ſuſcipitis.

Hier. Hieron. Matt. 18: Qui talis fuerit, vt Chriſti imitetur humilitatem, & innocentiam, in eo Chriſtus ſuſcipitur. Et prudenter, ne cum delatum fuerit Apoſtolis, ſe putent honoratos, adiecit: non illos ſui merito, ſed magiſtri honore ſuſcipiendos. (Cur additur, in nomine meo.)

Hilar. Hilar. can. 18. in Matt: Si qui autem in Chriſti nomine tales receperint, Chriſti recepti præmium conſequentur.

Ver. 13.

Eut. Euth. Matth. 18: Marcus vero addidit; quiſquis autem me ſuſcipit, non me ſuſcipit, &c. Eſt autem ſenſus omnium dictorum talis. Quicunque ſuſceperit eum, qui factus eſt veluti puer, per illum quidem me ſuſcipit; per me autem patrem meum, qui miſit me. Pater ſiquidem appropiat ſibi eum, qui mihi defertur, honorem: ego vero delatum, illi, qui factus eſt veluti puer. Quid igitur tali ſuſceptione beatius, per quem ſuſcipit quis beatam Trinitatem? Nam ſi Filium, & Patrem, vtique & Spiritum ſanctum: inſeparabilis ſiquidem eſt beata Trinitas. Nondum autem tempus tunc erat docendi de Spiritu ſancto. Quod vero addit: Non me ſuſcipit, per vſum loquendi dictum eſt. Frequenter enim dicere ſolemus: Quod mihi facis, non mihi facis, ſed Deo. Ideo etiam Lucas, reliquis poſitis, illud reliquit, tanquam loquendi proprietatem. (Quomodo dicatur, nō me ſuſcipit.)

Ver. 14.

Eut. Euth. Luc. 9: Hic finis eſt intentionis, propter quam puerum iuxta ſe ſtatuit. Minimum autem dixit humillimum. Similia quoque dixit vigeſimo Euangelij ſecundum Matthæum capite. (cap. 139)

Cypr. Cypr. lib. de zelo, & liuore cap. 3: Quicunque es inuidus, & malignus; videris, quam ſis eis, quos odiſti, inſidioſus, pernicioſus, infeſtus. Nullius magis, quam tuæ ſalutis, inimicus es. Quiſquis ille eſt, quem zelo perſequeris, ſubterfugere, & vitare te poterit: tu te non potes fugere: vbicunque fueris, aduerſarius tuus tecum eſt, hoſtis ſemper in pectore tuo eſt, pernicies intus incluſa eſt, ineluctabili catenarum nexu ligatus, & vinctus es; zelo dominante, captiuus es, nec ſolatia tibi vlla ſubueniunt. Perſeuerans malum eſt, hominem perſequi ad Dei gratiam pertinentem: calamitas ſine remedio eſt, odiſſe fœlicem. Cypr. Et cap. 4: Et idcirco, fratres dilectiſſimi, huic periculo conſulens Dominus, ne quis zelo fratris, in laqueum mortis incurreret, cum eum diſcipuli interrogarent, quis inter illos maior eſſet: Qui fuerit, inquit, minimus in omnibus vobis, hic erit magnus. Amputauit omnem æmulationem reſpōſo ſuo, omnem cauſam, & materiam mordacis inuidiæ eruit, & abſcidit. Diſcipulo Chriſti zelare non licet, non licet inuidere. Exaltationis apud nos non poteſt eſſe contentio, de humilitate ad ſumma creſcimus, didicimus vnde placeamus. Cypr. Et lib. 3. ad Quirinum cap. 5: Humilitatem, & quietem in omnibus tenendam, apud Eſaiam dicit Dominus, &c. De hoc ipſo κατὰ Lucam qui minimus erit in omnibus vobis, hic erit magnus.

Cap. 90. *In* Christi *nomine ſigna facientem, etſi eum non ſequatur, minime prohibendum.*

Matt.		*Mar. 9.*		*Luce 9.*	*Ioan.*
	1	Reſpondit illi Ioannes, dicens: Magiſter, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum. Ieſus autem ait: Nolite prohibere eum.	1	Reſpondens autem Ioannes, dixit: Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eijcientē dæmonia, & prohibuimus eum: quia nō ſequitur nobiſcum. Et ait ad illum Ieſus: Nolite prohibere:	
	2	Nemo eſt enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me.			
	3	Qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.	3	Qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.	
	4	Quiſquis enim potū dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.			

Not. 1.

Aug. Ratio diſpoſitionis

Aug. lib. 2. de conſenſ. cap. 61: Marcus quædam, quæ Matt. non dicit, inſeruit. Et cap. 63: Lucas autem, cum commemoraſſet illud, quod eis dixit, quærentibus inter ſe quiſnam maior eſſet, adiunxit de illo, quem viderunt eijcientem dæmonia, cum eum non ſequeretur.

Ver. 1.

Tit. A Ioanne hoc non ex inuidia dictum eſt

Tit. Boſtrorum Epiſcopus Luc. 9: Quod de Ioanne fratre Iacobi, Dominum eiuſmodi oratione compellante: Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non ſequitur nos; Euangeliſta hoc loco exponit, id non ita accipiendum eſt, quaſi Apoſtoli inuidia perciti, hoc dixerint: non enim inuidebant; ſed an alijs quoque munus hoc, Apoſtolis alioqui proprium, exercere liceret, à Chriſto diſcere cupiebant. Quamobrem ipſe eos, de quæſito hoc anxios, inſtituens, ita reſpondit: Ne inhibeatis eum, qui conterit Sathanam in nomine meo. Talis enim vobis non aduerſatur. Iam qui vobis, qui me diligitis, non aduerſantur, pro vobis faciunt. Si qui enim ſunt, qui quæ ad gloriam meam ſpectant, implere ſatagunt, illi non ex ſe, ſed gratia mea præuenti, ea præſtant.

Cauſa prima cur id Ioannes petat.

Theoph. Quid Ioannem ad iſtud mouerit.

Theoph. Mar. 9: Non zelotypia quadam, vel inuidia ductus tonitrui filius prohibet illum, qui dæmonia eijcit; ſed volens omnes, qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, etiam ſequi ipſum, & vnum eſſe corpus omnes diſcipulos. Nam in principio prædicationis, quidam, vanæ gloriæ ſtudio capti, voluerunt & ipſi ſigna facere. Videntes autem nomen Ieſu multum valere, ſuper infirmos hoc dicebant, ſignaque faciebant, alioqui gratia diuina indigni. Volebat enim Chriſtus dilatari prædicationem etiam per indignos.

Signa faciebant in Chriſti nomine etiā non credentes.

Vict. Ioannem quid mouerit.

Victor. Mar. 9: Non inuidia, non praua aliqua æmulatione percitus, tonitrui filius hæc aiebat; verum omnes, qui Chriſti nomen inuocabant, Chriſtum itidem ſequi, vnaque cum Chriſti diſcipulis ætatem agere debere perſuaſum habebat. Cuiuſmodi autem erat is, de quo Ioannes hæc dicit? breuiter reſpondere hic licet, multos, in Chriſtum alioquin non credentes, apud Iudæos extitiſſe, qui iſtiuſmodi gratias, & prærogatiuas acceperant. Qualis erat is, de quo hoc loco ſermo eſt: hic enim dæmonia eijciebat, neque tamen cum Chriſto viuebat. Talis quoque erat Iudas Iſcariothes; nam etſi ille nequam eſſet, ſoloque corpore Chriſtum ſequeretur, miraculorum tamen gratia ornatus erat. Quin in veteri teſtamento comperti ſunt quoque, indigni alioqui, qui ad aliorum vtilitatem, eiuſmodi gratia pollerent. Quia ergo non omnes æque apti ad omnia erant; neque parium virtutum, eiuſdemque animi omnes; verum alij vitæ integritate; alij excellentis fidei dono præſtabant; propterea illos quidem, vt magnum fidei ſtudium oſtendant, hortatur: hos vero, vt, propter illuſtrem fidei gratiam, ad interiorem vitæ rationem contendant, admonet. In ſumma Chriſtus Dominus neminem ab ſe repellebat; verum omnes ad gratiæ ſuæ communionem clementer inuitabat.

Quid ſit Apoſtolos ſequi. Quis hic à Ioanne prohibitus fuerit.

Iudas malus ſigna faciebat.

Euth. Cauſa prohibitionis.

Euth. Mar. 9: Addidit & cauſam prohibitionis, eo quod non ſequatur nos. Quidam enim eorum, qui crediderant, gloriæ amore capti, imitabantur Apoſtolos; & per inuocationem nominis Chriſti expellebant dæmones. Non ſequebantur tamen; propter continentiam, & aſperum viuendi modum ipſorum.

Cur non ſequebatur Apoſtolos.

Bed. Ioannem quid mouerit.

Beda Mar. 9. & Luc. 9: Ioannes præcipua deuotione Dominum amans, ideoque redamari dignus, excludendum beneficio putauit eum, qui non vtatur officio: ſed docetur, neminem à bono, quod ex parte habet, arcendum; ſed ad hoc potius, quod nondum habet, eſſe prouocandum.

Not. 2.

Theoph. Ioannem quid mouerit.

THEOPH. Luc. 9: Quænam ſermonis illius conſequentia, quem dixit Ioannes, ad ea, quæ dixit Dominus? Vtique magna. Quia enim dixerat Dominus, quod minor in vobis, hic erit magnus; timere cœpit Ioannes, ne forte malum quid feciſſent, homine per arrogantiam, & ſuperbiam prohibito. Nam prohibere aliquem ab aliquo, non minorem arguit eum qui prohibet; ſed maius quiddam de ſe ſentientem, quam de eo, qui prohibetur ab ipſo. Proinde Ioannes timebat, ne fortè ſuperbius egiſſet, prohibito homine. Cuius igitur gratia prohibuerunt hominem? non inuidentes, ſed indignum illum iudicantes, qui miraculum operaretur. Non enim aderat, cum illis gratia agendorum miraculorum daretur, neque ad hoc à Domino emiſſus erat, ſicut alij, neque Chriſtum vſquam ſequebatur. Quid igitur Dominus: Sinite, inquit, eum hoc facere. Conterit enim & ipſe ſathanæ caput. Et quia non obſtat nobis ad prædicationem, non cooperatur diabolo proinde pro nobis eſt. Qui enim non eſt contra Deum, pro Deo eſt: quemadmodum qui non congregat cum Deo, ille cum diabolo eſt. Admirare autem, obſecro, virtutem nominis Chriſti, quomodo & per indignos, & eos, qui non erant eius diſcipuli, gratia operetur, & ſolum nominati. Ita & per ſacerdotes, etiam ſi indigni fuerint, operatur gratia, & ſanctificantur omnes, etiam ſi impurus fuerit ſacerdos.

Ea prohibitio arrogantiæ tribuebatur.

Nominis Chriſti virtus.

Per malos etiam ſacerdotes datur gratia.

Amb. Ioannem quid mouerit.

Amb. lib. 7. in Luc: Quod autem propenſo ſtudio charitatis Ioannes plurimum diligens, & ideo redamatus plurimum, excludendum putat à beneficio eum, qui non vtatur obſequio, rectè non reprehenditur, ſed docetur. Non reprehenditur, quia amore faciebat: ſed docetur, vt nouerit infirmorum eſſe, firmorumque diſtantiam. Et ideo Dominus etſi fortiores remunerat, tamen non excludit infirmos. Sinite eos, & nolite prohibere. Qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt. Bene Domine: nam & Ioſeph, & Nicodemus, occulti diſci-

A Chriſto Ioannes docetur, nō reprehenditur.

diſcipuli propter metum, in tempore tamen, ſuum tibi officium non negarunt. Sed tamen, quia alibi dixiſti: Qui non eſt mecum, aduerſum me eſt, & qui mecum non colligit, diſpergit; aperi nobis, ne videatur eſſe contrarium. 2 ſolut. Et puto, quia ſi quis mentium conſideret ſcrutatorem, dubitare non debeat vniuſcuiuſque 4. ſolut. cap. 34 factum mente diſcerni. Denique alij dicit: Sequere me. Alij vulpes foueas habent. Ille cogitur, iſte remouetur vt ſcias, quia deuotus admittitur, indeuotus excluditur.

Theoph. Mar. 9: Videtur autem Dominus ſibi contradicere. Dixerat enim alibi: Qui non eſt mecum, contra me eſt; nunc dicit: Qui non eſt contra nos, pro nobis eſt. Videntur quidem hæc diuerſa; non ſunt autem. Nam cum dicit: Qui non eſt mecum, contra me eſt, de dæmonibus eſt dictum, qui ſtudent à diuinis abſtrahere, & quæ Dei ſunt, diſpergere. Quod autem nũc, dictum de hominibus, qui ad Deum quoſdam adducunt per miraculorum operationem. Theoph. cap. 158 ver 10. 3. ſolut.

Cap. 91. *A paruulorum offenſione cauendum.*

Matt. 18.	*Mar. 9.*	*Luc.*	*Ioan.*
1 Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt: expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.	1 Et quiſquis ſcandalizauerit vnum, ex his puſillis credentibus in me: bonum eſt ei magis, ſi circundaretur mola aſinaria collo eius, & in mare mitteretur.		
2 Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala: veruntamen væ homini illi, per quẽ ſcandalum venit.			
3 Si autem manus tua, vel pes 6 tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proijce abs te.	3 Et ſi ſcandalizauerit te manus tua, abſcinde illam.		
4 Bonum tibi eſt ad vitam ingre- 7 di debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum.	4 Bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem, ire in gehennam, in ignẽ inextinguibilem.		
	5 Vbi vermis eorum non moritur: & ignis non extinguitur.		
6 Supra.	6 Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum.		
7 Supra.	7 Bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis inextinguibilis.		
	8 Vbi vermis eorum non moritur: & ignis non extinguitur.		
9 Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum: & proijce abs te.	9 Quod ſi oculus tuus ſcandalizat te, eijce eum.		
10 Bonum tibi eſt cum vno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.	10 Bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.		
	11 Vbi vermis eorum non moritur: & ignis non extinguitur.		
	12 Omnis enim igne ſalietur: & omnis victima ſale ſalietur.		
	13 Bonum eſt ſal. Quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis?		
	14 Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.]		
15 Videte ne contemnatis vnum, ex his puſillis.			
16 Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis, ſemper vident faciẽ Patris mei, qui in cœlis eſt. ✠			

Venit

Matt. 18.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*
17 Venit enim filius hominis ſaluare quod perierat. 18 Quid vobis videtur: Si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis, nonne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam, quæ errauit? 19 Et ſi contigerit vt inueniat eam: amen dico vobis, quia gaudet ſuper eam magis, quam ſuper nonaginta nouem, quæ non errauerunt. 20 Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis.			

Not. 1. ver. 1.

Chryſoſ. CHRYSOST. hom. 59. in Matt: Hunc autem ſermonem, non præmijs ſolum in animum penetrare facit: verumetiam terrore pœnarum corroborat, dicens: Qui autem ſcandalizauerit vnum de paruulis, &c. Nam quemadmodum, qui hos paruulos propter me honorant, cælum poſſidebunt, inquit, immo vero cælo quoque ipſo maius aliquid, atque præſtantius: ſic & qui deſpiciunt, atque vituperant, (hoc enim ſcandalizare hic ſignificat) maximo plectentur ſupplicio. Nec mireris ſi ſcandali vocabulo, contumeliam, & vituperationem intellexit, cum multi propter puſillanimitatem, non parum, ſi contempti, viruperatique ſint, ſcandalizentur. Detrimentum autem, quod, huius criminis cauſa, homines inuadet, & acerba ſupplicia, ab his, quæ nobis notiſſima ſunt, præ oculis poſuit. Nam cum rudiores commouere ſummopere velit, ſenſibilioribus vtitur exemplis. Quare in hoc etiam loco, atrocitatem punitionis exprimēs, qua contemptores paruulorum poſſit commouere, ſenſibilem pœnam molæ, ac ſubmerſionis in medium attulit. Et quamuis ſecundum rerum conſequentiam, qui non ſuſceperit vnum horum paruulorum, non ſuſcipiet me, dici conueniebat, quæ res omne punitionis genus excedit: tamen quia rudes, atque inſenſatos, etiam ſi multum iſtud metuendum ſit, non admodum commouere ſolet, molam potius, & ſubmerſionem poſuit: Nec dixit molam collo eius ſuſpenſum iri; ſed, expediet ipſi, ſi hoc patietur: vt oſtendat grauius quoddam, atque acerbius malum iſtum expectare. Quod ſi hoc intolerabile iure videtur, quanto magis illud? Ita vtrinque terribilem comminationem effecit, comparationem quidem exempti notiſſimi ante oculos adducens, exceſſum vero multo maiorem hac, illos cogitare compellens. Vides quomodo radicitus arrogantiæ tumorem euulſit? quomodo vanæ gloriæ vlcus curauit? quomodo edocuit nulla in re primatus dignitatem expetendam? quomodo animos primatus honorem deſiderantium induxit, vt vbique, ac ſemper in vltimo ſe velint ordine collocare? Nihil certe arrogantia, atque ſuperbia peius, quæ mentis quoque vires, natura hominibus conceſſas, ita deijcit, vt amentes, ac valde ſtolidas efficere videatur. Nam quemadmodum ſi quis cum ſtatura tricubitali ſit, inſtar montium, immo etiam altiorem ſe putet, ac ideo ſeipſum, quaſi montes exceſſurus, erigat, nullum aliud argumentum inſaniæ ſuæ quæremus: Sic cum inflatum videris hominem, qui meliorem ſe cæteris arbitretur, contemnique opinetur, ſi cæteris hominibus conferatur, nullum iam aliud ſignum vecordiæ hominis exquiras. Tanto quippe ridiculoſior his eſt, qui natura ſtulti ſunt, quanto ipſe ſponte hunc ſibi morbum iniecit: nec hac re ſolum miſer; verum etiam quia in miſeriæ fundum, abſque ſuæ miſeriæ ſenſu, ſe præcipitauit. Quando enim is peccata ſua vt oportet cognoſcet? Quando nimium ſe delinquere ſentiet? Certe, quaſi vile mancipium, & miſerum captiuum, diabolus eum abduxit, agitatque verberibus, & mille contumelijs, quocunque velit. Nam in tantam amentiam plerumque eos impellit, vt perſuadeat aduerſus liberos, & vxores præ tumore inſoleſcere, atque etiam aduerſus ſuos maiores.

Scandalizare quid ſit.

Pœna ſcandalizantiū. Cur molæ, & ſubmerſionis meminit.

Cur ait. expedit

Superbiæ malitia.

Aug. Aug. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 24: Quod Dominus dicit, qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis; id eſt, ex humilibus, quales vult eſſe diſcipulos ſuos, non obtemperando, vel etiam contraueniendo, ſicut de Alexandro ærario Apoſtolus dicit: Expedit ei, vt mola aſinaria ſuſpendatur collo eius, & præcipitetur in profundum maris, id eſt, congruit ei, vt cupiditas rerum temporalium, cui ſtulti, & cæci colligantur, eum deuinctum pondere ſuo deducat ad interitum.

1 Tim. 4.

ſenſ. myſticus.

Greg. ſenſ. myſticus. Greg. lib. 6. Moral. cap. 26: Quid per mare, niſi ſæculum, quid per molam aſinariam, niſi actio terrena ſignatur? Quædum colla mentis per ſtulta deſideria conſtringit, hanc in laboris circuitum mittit. Sunt itaque nonnulli, qui dum terrenas actiones deſerunt, & ad contemplationis ſtudia, humilitate poſtpoſita, vltra intelligentiæ vires ſurgunt, non ſolum ſe in errorem deijciunt; ſed infirmos quoſque à gremio vnitatis diuidunt. Qui ergo vnum de minimis ſcandalizat, melius illi fuerat alligata collo mola aſinaria in mare proijci: quia nimirum peruerſæ menti expedibilius eſſe potuiſſet, vt occupata mundo, terrena negotia ageret, quam per contemplationis ſtudia ad multorum perniciem vacaret. Et parte 1. Paſtoralium cap. 2: Per molam quippe aſinariam, ſæcularis vitæ circuitus, ac labor exprimitur, & per profundum maris extrema damnatio deſignatur. Qui ergo ad ſanctitatis ſpeciem deductus, vel verbo cæteros deſtruit, vel exemplo meliꝰ

Greg. ſenſ. myſticus.

melius profectò fuerat, vt hunc ad mortem, ſub exteriori habitu, terrena acta conſtringerent, quam ſacra officia cæteris in culpa imitabilem demonſtrarent: quia, nimirum, ſi ſolus caderet, vtcunque hunc tolerabilior inferni pæna cruciaret.

Amb. Puſilli qui ſint. Ambroſ. ſer. 10: Puſillos hîc non ætate pueros, ſed malitia paruulos dicit; ſicut Apoſtolus ait: Malitia paruuli eſtote, vt ſenſibus perfecti ſitis. (1 Cor. 14.) Qui ſunt iſti niſi clerici idonei, & monachi religioſi, vel laici? Quiſquis igitur irreuerens, aut contumelioſius exciterit, hac velut pæna plectetur, vt informi ſaxo religato illi ad collum, præcipitetur in mare. Sed videamus cur ſcandalizantibus chriſtianis iſta pæna data ſit, aut quid ſibi velit ipſa ſententia. Puto enim illa aliquod myſterium contineri. Quaſi vero non ſufficeret in mare homini demergendo ſaxum qualecunque non magnum, aut enorme, ſed molæ aſinariæ lapis ei religetur ad collum, vt cum perituro homine, pereat res vſui neceſſaria. (Senſ. myſticus.) Sed puto hoc magis eſſe, quod in ſcripturis aſini figura populus Gentilium nuncupatur, qui clauſis oculis circa ignorantiæ molam erroris ſui gyro pertrahitur, & in illa curſus directione veſtigijs ſæpe redeuntibus inuitus vſui laborat alieno. Nonne enim tibi videtur molam aſinariam voluere Gentilis populus, quamdiu imperitiæ ſuæ labore verſatur? naturæ quidem vinculis alligatus, vt verbum Dei molat, Deum cæli quærat, ſed opertæ mentis cæcitate ſuffuſus: vt vultus animi erigere ad Deum, cordis oculos leuare non poſſit ad cælum. Sed quoniam molam aſinariam ſaxum eſſe conſtat, videamus ſi & paganorum talis eſt mola. Talis planè eſt. Saxi enim mola eſt paganorum Iupiter, Herculeſque lapideus, circa quos cæcis oculis frequenti errore circumeunt. Cæcos, inquam, dixerim eorum oculos, qui putant ſe videre quod non vident. Aſpicientes enim ſaxum, Deum ſe videre confingunt. Attamen qui molam voluit, conſummandi aliquando finem operis habet, exeundi ſpem gerit laboris. Cui verò mola aſinaria ad collum ſuſpenditur, portat lapidem, qui portare iugum Domini recuſauit. Aſinus ergo ad molam, cæcus ad lapidem, Gentilis ad ſaxum, qui adorat eum, quem non videt, nec agnoſcit. Deus enim non in manu factis habitat, nec in metallo, aut ſaxo cognoſcitur. Hic ergo Gentilis populus, cum perſecutionem Chriſtiano intulerit, hac pæna plectitur, vt cum ſua ſacrilega mola, iudicandi ſæculi fluctibus demergatur.

Amb. Puſilli ſcādalizantur. Et ſerm. 21. in Pſal. 118: Puſillorum eſt exagitari ſcandalo. Vnde & Dominus ait: Quicunque ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis minimis. Non ſolum puſillos, ſed etiam minimos dixit, (Pœna ſcandalizantiū.) quos perturbant ſcandala; & ideo graui obnoxius pænæ eſt, vt legiſti, quicunque turbauerit infirmæ mentis infantiam. Sicut enim grauiori dignus eſt ſupplicio, qui perſuaſerit crimen infantulo, & incautam præcipitarit ætatem: ita qui inualidum, & inſipientem, & improuidum circumſcripſerit perſuaſione erroris, aut excogitatione cordis affectum.

Vict. Puſilli qui ſint. Vict. Mar. 9: Puſilli inprimis dicuntur, qui in illum credunt: Tum illi rurſum, qui nomen illius inuocant, eſto eum non ſequantur: Tum illi tandem, qui aliud nihil valentes, aquæ tantum frigidæ poculum, propter nomen illius, offerunt. Eiuſmodi ergo nemo ſcandalizare, nemo offendere, nemo ſupplantare audeat.

Hier. Puſilli ſcādalizantur. Hiero. Matt. 18: Nota, quod qui ſcandalizatur, paruulus eſt: maiores enim ſcandala non recipiunt. Quanquam hæc generalis poſſit eſſe ſententia aduerſus omnes, qui aliquem ſcandalizant: tamen iuxta conſequentiam ſermonis, etiam contra Apoſtolos dictum intelligi poteſt: qui interrogando, quis maior eſſet in regno cælorum, videbantur inter ſe de dignitate contendere: & ſi in hoc vitio permanſiſſent, poterant eos, quos ad fidem vocabant; per ſuum ſcandalum perdere, dum Apoſtolos viderent inter ſe de honore pugnare. (Cur molæ, & ſubmerſionis meminit. Pœna ſcādalizantiū.) Quod autem dixit: Expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius: ſecundum ritū prouinciæ eius loquitur: quo maiorum criminum iſta, apud veteres Iudæos, pæna fuerit, vt in profundum, ligato ſaxo, demergerentur. (Cur ait, expedit.) Expedit autem ei, quia multo melius eſt pro culpa breuem recipere pænam, quam æternis ſeruari cruciatibus. Non enim vindicabit Dominus bis in idipſum.

Not. 2. ver. 2.

Euth. EVTH. Matth. 18: Prædixit damnum, quod ab offendiculis proueniet, vt expectantes ea, ſemper vigilent, non ſoli Apoſtoli, ſed & omnes. (Mundus quid.) Mundum ſiquidem eos dicit, qui in mundo ſunt. Offendicula verò impedimenta rectæ (Scandalū quid ſit.) conuerſationis. Deplorat autem mundum propter offendicula, vt qui ab illis multa paſſurus ſit. Neceſſe eſt enim vt veniant offendicula. (Dubium. Cur peccata puniuntur, ſi neceſſe eſt fieri ſcādala.) Propter hoc dicunt quidam: Si neceſſe eſt, vt veniant offendicula, neceſſe eſt vt fiant peccata. Si autem neceſſe eſt, vt fiant peccata, iniuſtè pœnas luunt peccatores: nam quod ex neceſſitate fit, culpa caret. Quibus dicimus, quod neceſſè eſt, vt veniant offendicula, propter neceſſitatem dæmonum: non eſt autem neceſſe, vt virtuti dediti offendiculum patiantur: id enim in ſua voluntate ſitum eſt, cùm liberum habeāt arbitrium. Vt ergo veniant offendicula, non in nobis ſitum eſt: vt autem offendiculum patiamur, omnino in nobis ſitum eſt. Sciens ergo Chriſtus, quod omnino futura ſint offendicula, prædicit de illis, vt, ſicut dictum eſt, caueamus: non tamen ideo ventura ſunt, quod prædixerit: ſed propterea prædixit; quia ventura erant. Veruntamen væ homini, per quem offendiculum venit. Offendiculum quidem à dæmone ſeminatur: ab homine verò alitur, & augetur, ac recipitur, qui prauam, & corruptam habet voluntatem, quem etiam nunc deplorat, tanquam dæmonis miniſtrum.

Amb. Amb. in cap. 11. ad Corinth: Sciendo nonnullos mente corruptos verſutia diaboli, dicit: Opor-

Oportet hæreſes eſſe; non vtique voluit, nec optauit; ſed quia ſunt, futurum dixit: ſicut & Dominus. Oportet, inquit, venire ſcãdala: & oportet filium hominis pati: præſcius, quia Iudas proditor erat futurus.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 27. in prior. ad Corint: Chriſtus inquit: Neceſſe eſt, vt veniant ſcandala, ſed non arbitrij libertatem his verbis tollit, neque neceſſitatem aliquam, & violentiam vitæ imponit. Sed quod proculdubio, ob prauam hominum mentem, futurum erat, prædixit: quod quidem futurum erat, non quia prædixit, ſed ob eorum, qui curari non poterant, volũtatem. Non enim quod hæc prædixerit, idcirco hæc facta ſunt; ſed cùm proculdubio futura eſſent; ideo prædixit. Nam ſi neceſſitatis eſſent ſcandala, & non voluntatis eorum, qui ea mouent, ſuperfluum eſſet, quod dixit: Væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Idem fusè habet Chryſ.
Chryſoſt. hom. 60. in Matth. Et hom. 18. ex varijs in Matth. locis: Videtur quidem ſpecialiter deſignare Iudam, quoniam neceſſe eſt vt pateretur Dominus Ieſus: niſi enim paſſus fuiſſet, genus humanum ſaluari non poterat. Quod autem
1 Cor. 1. paſſio Domini ſcandalum ſit, Apoſtolus dicit: quia crux Domini ſcandalum eſt Iudæis, & ſtultitia Gentibus. Videtis igitur quoniam neceſſe eſt venire Domini paſſionem, id eſt, ſcandalum crucis. Veruntamen væ homini illi, per quem venit ſcandalum. Nunc neceſſe fuit, & vtile vt pateretur Ieſus; ſed væ Iudæ, per quem venit
Mundus quid ſit. nobis vtilitas. Mundum iſtum, terrenum locum dicit: neque vero de cælo, & terra intelligere debemus mundum; ſed mundum hic intelligamus terrenum. Ideo quod dixit Dominus: Regnum meum non eſt de iſto mundo: ſi
Ioan. 18. eſſem de mundo, amaret me mundus. Et dici-
Ioan. 15 tur ad Apoſtolos: Vos non eſtis de mundo. Et in multis locis, terrenus mundus interpretatur. Væ igitur mundo, hoc eſt, terreno loco, ab ſcandalis. Neceſſe enim eſt, vt veniant ſcandala: non quia neceſſe, ſed quia mundo neceſſe vt
Dubium. Peccata cur puniuntur ſi neceſſe eſt fieri ſcandala. veniant. Videte, quod dicimus ſubtile eſt: ſi neceſſe eſt, vt veniant ſcandala, ergo abſque culpa eſt ille, per quem venit ſcandalum. Sed nos dicimus, ſcandalum non venit, niſi in terreno mundo. Vis non tibi venire ſcandalum? noli eſſe terrenus. Propterea dico, mundus terrenus ſcandalum habet, terra iſta neceſſe eſt vt habeat ſcandalum. Noli portare terrenum, ſed cæleſtem, & ſcandalum non habebis. Veruntamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit, generaliter diſputauit.

Hier: Cur peccata puniuntur, ſi neceſſe eſt fieri ſcãdala. Hiero. Matt. 18: Non quod neceſſe ſit venire ſcandala: alioquin ſine culpa eſſent, qui ſcandalum faciunt; ſed cum neceſſe ſit in iſto mundo fieri ſcandala, vnuſquiſque ſuo vitio ſcandalis patet. Simulque per generalem ſententiam percutitur Iudas, qui proditioni animam præparauerat. Neceſſe eſt quidem venire ſcandala: væ tamen ei eſt homini, qui, quod neceſſe eſt vt fiat in mundo, vitio ſuo facit, vt per ſe fiat.
Hilar. Vide Hilar. lect. 8. die 8. Maij.

Not. 3. ver. 3.

Theoph. Qui ſint manus, pes & oculi. Theoph. Matth. 18: Per manum, pedem, & oculos, intellige amicos, quos membrorum loco habemus. Etenim ſi hi tales fuerint, qui nobis noceant, hoc eſt, ſi familiares amici fuerint, oportet contemnere eos, vt membra putrida, & execrare, ne & alijs noceant. Atque ita ex his manifeſtum eſt, licet neceſſe ſit euenire ſcandala, hoc eſt, qui noceant, non eſſe tamen neceſſe, vt nocumentum accipiamus. Si enim fecerimus quemadmodum ait Dominus, & abſciderimus à nobis eos, qui nocent, etiamſi amici fuerint, nihil inde damni accipiemus.
Theoph. Et Mar. 9: Poſtquam interminatus eſt his, qui ſcandalizant, quod expediret eis, ſi proijcerentur in mare: nunc admonet eos, qui ſcandalizantur, vt caueant ſibi ab his, qui parati ſunt offendere, & ſcandalizare alios. Nam ſiue pes, ſiue manus, ſiue oculus fuerit, qui ſcandalizat te, hoc eſt, quantumuis ſit tibi familiaris, etiamſi tibi ſanguine iunctus ſit, vel vtilis, amputa illum, hoc eſt, renuncia eius amicitiæ, & familiaritati.

Euth. Qui ſint manus, pes & oculi. Euth. Matt. 18: Non de membris corporis hoc dicit, ſed de cognatis, & amicis, ac miniſtris, quos horum membrorum loco habemus: quẽadmodũ quinto capite particularius enarrauimus. Sed ibi de affectu erat ſermo; hic autem de qualicunque nocumento. Vide autem nunc quod *kyllon*, hoc eſt, mutilum, vocat eum, qui manibus caret. Vere ergo nihil eſt adeo noxium ſicut prauorum conſortium. Quod ſi etiam in membris noſtris amputamus frequenter quædam ex illis, quando & ipſa immedicabilia manſerint, & cætera corrumpunt: multo magis in cognatis, & amicis, ac miniſtris facere hoc oportet, vbi nobis obſtaculo fuerint, aut impedimento ad rectam conuerſationem. Præſtat enim ſine illis ſaluum fieri, quam cum illis perire.

Vict. Qui ſint manus, pes & oculi. Victor Mar. 9: Non de corporis membris hæc tradit, ablit; ſed de amicis: ſiquidem hos neceſſariorum membrorum loco habemus. Nihil enim æque exitiale, nihil æque noxium eſt, atque prauorum hominum conſuetudo. Nam quidquid vis, aut neceſſitas poteſt, hoc ipſum quoque valet amicitia, & familiaritas; idque tam in rebus turpibus, & flagitioſis, quam in honeſtis, & ſalutaribus. Ea propter Dominus magna cum ſeueritate, illos omnes abſcindere, miſſoſque facere iubet, qui animos noſtros lædere, peſtemque aliquam ſpiritalem eiſdem affricare nati ſunt: porro autem, vt grauia illis interminatur, qui ſcandalum offerunt; ita eos, qui ex aliorum conſortio facile offendi, aut lædi poterant, grauiter admonet, vt ſtudioſe eos omnes deuitent, diligenterque obſeruent, qui ſcandala ſeminare ſoliti ſunt; etiamſi eiuſmodi ſint familiariſſimi, ſummaque neceſſitudine coniuncti. Nam etſi talium abſciſſio, membrorum truncationem æmuletur; attamen ſatius eſt hanc pœnam tolerare, quam

propo-

propoſitam perditionem adire.

Hier. Qui ſint manus, pes & oculi.

Hieron. Matth. 18: Igitur omnis truncatur affectus, &c. lect. 8. die 29. Sept.

Itaque non frater, non vxor, non filij, non amici, non omnis affectus, qui nos excludere poteſt à regno cælorum, amori Domini præponatur. Nouit vnuſquiſque credentium, quid ſibi noceat, vel in quo ſollicitetur animus, ac ſæpe tentetur. Melius eſt vitam ſolitariam ducere, quam ob vitæ præſentis neceſſaria, æternam vitam perdere.

Bern. Qui ſint manus, pes, & oculi. Scandalum externum, & interius. Tripliciter fit ſcandalum interius.

Bern. ſerm. 2. de ſancto Michaele: Iam vero quem non moueat quod ſequitur in Euangelio? Si oculus tuus ſcandalizauerit te, erue eum, & cætera. Nunquid enim corporalem hunc oculum monemur eruere, aut vnam ex manibus iſtis, ſimiliter & vnum abſcindere pedem? Abſit à nobis huiuſmodi carnalis omnino, & nimis ridiculoſa cogitatio. Sed poſtquam ab interioribus ſcandalis deterruit nos ſermo diuinus aſperè ſatis, ſicut audiſtis; conſilium dat, quid de eo nobis agendum ſit ſcandalo, quod interius patimur, contrariam inuenientes legem in membris noſtris. Ipſe enim nouit figmentum noſtrum, quod eiuſmodi ſcandalum non tam facilè à nobis valeat euitari. Porro tripliciter fieri ſcandalum iſtud, quotidiano nobis noſſe licet experimento. Interdum e-
1 nim eſt in nobis ſpiritualis intentionis oculus ſimplex, & qui gratiæ magis, quam noſter dicendus ſit; ſed ſcandalizat nos oculus noſter, & qui verè à nobis eſt, dum voluntas noſtra aliam minus caſtam importune ingerit intentionem. Sed habemus iam ſuper hoc ſalubre conſilium Saluatoris. Erue eum, inquit, & proijce abs te. Hoc autem fiet, ſi non conſentias,
2 ſi abijcias, ſi reſiſtas. Simul modo de manu, ac pede eſt intelligendum. Cum enim bonis operibus intentos, ad alia opera trahere voluntas propria conatur, manus noſtra eſt quę nos ſcandalizat; ſed abſcindi debet, & proijci à nobis, vt
3 non ei conſentiamus. Sic etiam proficere in ſancta conuerſatione, & aſcendere per gradus ſcalæ, quæ Iacob apparuit, ac iuxta quod ait
Pſal. 83. Pſalmiſta: De virtute in virtutem ite, deſiderantes, ſæpius ſcandalum patimur à pede quodam puſillanimitatis, & negligentiæ noſtræ, qui nimirum deſcendere magis, ac remiſſius ire conatur; ſed abſcindi eum neceſſe eſt, vt pes gratiæ qui ſtat in directo, currere poſſit ſine offenſione, ſine ſcandalo, ſine impedimento. Quod autem dicit, bonum nobis eſſe ad vitam intrare cum vno oculo, aut manu, aut pede, quam duos habentes ire in gehennam ignis: eos notat qui voluntatem ſuam, ſiue bona, ſiue mala ſit, æquè ſequuntur, & ingrediuntur duabus vijs, nunc bona, nunc mala ſectãtes, ſecundum quod variantur deſideria ſua. Quibus meritò vtilius fuerat gratiæ in omnibus inhærere, & vbi obuiat propria voluntas, abſcindere, & à ſeipſis abijcere eam. Eſt autem cum multo tempore in abſciſſione propriæ voluntatis noſtræ exercitati aliquatenus eam domamus, vt diſcat iam non ſuperbire, ſed magis ſine omni ſcandalo, vel contradictione Deo ſubiecta ſit anima noſtra, nec iam abijcere neceſſe ſit oculum noſtrum, nempe qui ſimplici adhærens oculo, factus eſt & ipſe ſimplex, aut certe iam non alter eſt oculus, ſed vnus cum eo, Apoſtolo teſte: Quoniam qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt cum eo. 1 Cor. 6. Quod autem de oculo dictũ eſt, de manu quoque, & pede eodem modo eſt intelligendum. Cuius enim voluntas ex affectione, & cum deſiderio gratiæ cohæret, vt nec concupiſcat mala agere, nec bona minora, nec minus bene, quam gratia ſuggerit: hic plane perfectus eſt vir. Sed pax iſta potius eſt felicitatis: abſciſſio verò ſcandalorum, & tentationum victoria, fortitudinis; illã, inquam, gloriæ, hæc virtutis.

Not. 4. ver. 5.

Vict. Iſa. 66. Quid ſit vermis. Quis, & quomodo vermis ſit immortalis. Ignis inextinguibilis.

VICT. Mar. 9: Adfert in rei huius argumentum Eſaiæ prophetæ oraculum, quo impiorum vermem, nunquam intermoriturum prædicatur. Omni enim ſupplicio grauius eſt, immortalem illum vermem perpetuo, citra vllam prorſus intermiſſionem, auide vorantem, direque corrodentem circumferre. Deſignatur autem hoc vermis nomine impura, ſcelerataque conſcientia: ſiquidem vna hæc animam peccatricem, nulliuſque boni ſibi conſciam, inutilis pænitentiæ aculeis, inſtar edacis vermis, continuo pungit, & rodit. Vnuſquilibet ergo ſceleratorum, ſuipſius accuſator erit. Etenim dum ea ſecum perpendet, animoque iugiter reuoluet, quæ in mortali hac vita improbe geſſit, vel inuitus ſe reum confiteri compelletur, propriæ nimirum conſcientiæ ſtimulis actus, eiuſdemque contra ſe teſtimonio aperte conuictus. Ad hunc itaque ſenſum peccatorum vermis, immortalis dicitur: neque enim, quæ de vermi hic diſputantur, ad ſenſilem aliquem vermem, qui impiorum corda apud inferos rodat, transferenda ſunt. Et ignis eorum non extinguitur. Vt ignis, qui peccatores incendit, alibi æternus; ita hoc loco inextinguibilis appellatur. Sunt autem qui per inextinctum hunc ignem, pollutæ, improbæque conſcientiæ iudicium, & æſtimationem deſignatam putent. Quandoquidem iudicium illud, per & propter immortalem vermem, inſtar æſtuantis ignis in impijs vſque graſſatur, flammæque more viſcera illorum perpetuo depaſcitur.

Ver. 9.

Greg. Quidam pereunt contemplando.

Greg. lib. 6. Moral. cap. 26: Sæpe enim qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus preſſi ceciderunt; & ſæpe qui occupati bene humanis vſibus viuerent, gladio ſuæ quietis extincti ſunt: hinc namque eſt, quod nonnulli inquieti ſpiritus, dum plus exquirunt contemplando, quam capiunt, vſque ad peruerſa dogmata erumpunt, & dum veritatis diſcipuli eſſe humiliter negligunt, magiſtri errorum fiunt. Hinc per ſemetipſam Veritas dicit: Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Bonum eſt tibi cum vno oculo in

lo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Duæ quippe vitæ, actiua videlicet, & contemplatiua, cum conſeruantur in mente, quaſi duo oculi habentur in facie. Dexter namque oculus, vita contemplatiua eſt, ſiniſter actiua. Sed ſunt nonnulli vt diximus, qui diſcretè intueri ſumma, & ſpiritalia nequaquam poſſunt, & tamen alta contemplationis aſſumunt, atque idcirco in perfidiæ foueam, intellectus praui errore, delabuntur. Hos itaque contemplatiua vita, vltra vires aſſumpta, cogit à veritate cadere, quos in ſtatu ſuæ rectitudinis humiliter poterat ſola actiua cuſtodire. Quibus rectè hoc quod præfati ſumus, Veritas dicit: Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Bonum tibi eſt cum vno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Ac ſi apertè diceret: Cum ad contemplatiuam vitam idonea diſcretione non ſufficis, ſolam ſecurius actiuam tene. Cumque in hoc quod pro magno eligis, deficis, eo contentus eſto, quod pro minimo attendis, vt ſi per contemplatiuam vitam à veritatis agnitione compelleris cadere, regnum cælorum per ſolam actiuam valeas ſaltem luſcus intrare. De his vide caput 48. verſ. 23. & Aug. lib. 1. de ſer. Dom. in monte cap. 24.

Duæ vitæ, actiua, & contemplatiua. — Aug.

Ver. 12.

Victor Antioch. Mar. 9: Cognatum eſt huic, illud Paulinum: Vniuſcuiuſque opus, quale ſit, ait ille, ignis probabit. Eſt autem præſens hic locus, ex illo Leuitici petitus: Quicquid obtuleris ſacrificij, ſale condies. Rurſum: In omni oblatione offeres ſal. Obſeruamus autem præceptum hoc ſecundum myſticum ſenſum, legemque ſpiritus, ſi omni dono ſacrificij noſtri, quod plurimum per orationem exhibetur, aliud donum, quod in vſum proximi cedat, hoc eſt, eleemoſynam adiunxerimus; quo hac nimirum ratione, gratiam in conſpectu Domini inueniamus. Dicimur rurſum ſacrificij noſtri munera ſale condire; ſi iuxta diuinarum literarum præſcriptum, Deo illa litauerimus, & obtulerimus: vniuſcuiuſque proinde opus, hîc quidem ſale, ibi vero igne ſalietur. Quod ſi verò ſacrificium noſtrum hîc quoque igne condiendum eſt, diuino illo, cæleſtique igne, quem Dominus in terram mittere venerat, condiatur: ita vt, iuxta Pauli doctrinam, ſpiritu poſthac feruentes ſimus.

Vict. 1 Cor. 3. — Leuit. 2. — Vt omnis victima ſale ſit condienda. — Rom. 12.

Ver. 14.

Baſil. in regul. breuior. interrog. 266: Quid eſt ſal illud, de quo Dominus præcepit, cum dixit: Habete in vobis ſal, & pacifici eſtote inter vos? Et quid item illud, de quo Apoſtolus ait: Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus? Et hoc in loco etiam ex contextu, & ſerie vtriuſque capitis, ſenſus perſpicuus eſt. Etenim ex verbis quidem Domini, nihil aliud docemur, quam vt nullam cauſam demus mutuæ diſiunctionis, mutuiue diſſidij; ſed vt ad vnitatem ſpiritus nos ſemper conſeruemus in vinculo pacis. Ex verbis autem Apoſtoli: Si quis in memoria habuerit illum, qui dixit: Si comeditur panis abſque ſale, & ſi eſt guſtus in verbis inanibus: docebatur profectò diſponere ſermones ſuos ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus, tempore opportuno, & decenti ordine vtens, ad hoc, vt faciliores ad auſcultandum habere auditores poſſit, ac magis morigeros.

Baſ. Quid ſit habere ſal. — Col. 4. — Vt ſermo eſſe debeat ſale conditus. Epheſ. 4. Iob 6. Pſal. 1. Pſal. 140. 1 Cor. 14.

Victor Mar. 9: Ecquidnam, inquit Baſilius, eſt ſal, quod Dominus hoc loco vnumquemlibet habere præcipit, dicens: Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos? Ecquid rurſum Apoſtolus vult, dum ait: Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus? Plana horum ſententia ex ijs colligenda, & ſtatuenda eſt, quæ hiſce vtrobique adiunguntur. Domini itaque verbis docemur, ne quam vnquam mutuæ auerſionis, aut diſſidij materiam ſubminiſtremus; verum vti ſpiritûs vnitatē in vinculo pacis perpetuò indiuulſam conſeruare ſtudeamus. Per Apoſtoli autem verba, vnuſquilibet noſtrûm dicti illius admonetur: num quis panem manducare poteſt abſque ſale? num quis ſapor in verbis inanibus ineſſe poteſt? Admonemur per hæc, inquam, vti orationem noſtram ad fidei ædificationem, hoc eſt, eo modo, & ratione inſtituamus, vti gratiam apud eos, qui audiunt, conciliet, interque loquendum, tempus opportunum, ordinemque compoſitum, & ad fidem auditoribus faciendam idoneum, obſeruemus.

Vict. — Vt ſermo debeat eſſe ſale conditus.

Not. 5. ver. 15.

Hier. Matt. 18: Supra dixerat per manum, &c. lect. 9. die 29. Sept.

Hier. Qui ſint oculi, manus, & pedes.

Quantum in vobis eſt, nolite contemnere, ſed per veſtram ſalutem etiam illorum quærite ſanitatem. Sin autem perſeuerantes in peccatis videritis, & vitijs ſeruientes: melius eſt ſolos ſaluos fieri, quam perire cum pluribus.

Euth. Matth. 18: Poſtquam ergo prauos fugere admonuit, bonos honorare iubet. Ait enim: Videte ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis. Qui hominibus quidem puſilli videntur, propter abiectionem, & ſimplicitatem; vere tamen magni ſunt, propter virtutem. Ne vnum quidem horum deſpicere oportet; manifeſtum eſt ergo quod neque duos omnino, neque plures. Vide Hilar. lect. 9. die 8. Maij.

Eut. — Puſilli qui. Ne vel vnus eſt contemnendus. — Hilar.

Ver. 16.

Chryſoſt. hom. 3. in epiſt. ad Coloſſ: Primum iuxta numerum Gentium erant Angeli; nunc vero non ſecundum numerum Gentium, ſed ſecundum numerum fidelium. Vnde liquet? Audi Chriſtum dicentem: Videte, inquit, ne contemnatis vnum ex paruulis iſtis. Nam Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt. Etenim vnuſquiſque credentium Angelum habet. Nam & ab initio quiſque virorum celebrium, ac probatorum, Angelum

Chryſoſt. — Quiſque fidelis habet Angelum.

Gen. 48.

gelum habebat, quemadmodum Iacob dicit: Angelus, qui paſcit me, & qui liberauit me, à iuuentute mea. Si ergo Angelos habemus, ſobrij ſimus, tanquam ſi pædagogi quidam adeſſent. Adeſt namque & dæmon. Propterea oramus, ac dicimus, petentes Angelum pacis. Et vbique pacem petimus.

Euth. Ratio 1. Cur honorandi ſint paruuli. Iuſti ab Angelis cuſtodiuntur. Pſal. 33.

Euth. Matth. 18: Deinde etiam aliunde venerandos illos facit. Dico enim vobis quod Angeli, &c. Inde manifeſtum eſt iuſtos habere Angelos cuſtodes. Dicit enim Dauid: Caſtra metabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Quos autem ſeruant Angeli, qui tantam apud Deum habent libertatem, vt ſemper videant Deum, qui in cælis eſt, vere hos deſpicere non oportet: & ſi non propter illorum virtutem, at ſaltem propter cuſtodes eorum. Faciem vero Patris, hoc eſt, Patrem meum.

Quid ſit facies Patris. Bern.

Bern. ſerm. 5. in Dedicatione Eccleſiæ: Ipſam audi in Euangelio Veritatem: Angeli eorum, ait, (haud dubium quin paruulorum) in cælis ſemper vident faciem Patris: ſic videlicet paruulorum cuſtodiæ deputati, vt non priuati vllo modo beatitudine ſua.

Sic Angeli nos cuſtodiũt, vt ſua beatitudine nõ priuentur. Hier. Animarũ dignitas. Hier. Quiſque habet Angelum. Act. 12.

Hieron. Matth. 18: Magna dignitas animarum, &c. lect. 9. die 29. Sept. Et Eſa. 66: Quod autem vnuſquiſque noſtrum habeat Angelos, multæ ſcripturæ docent, è quibus illud eſt: Nolite contemnere vnum de minimis iſtis, &c. Et puella Rhode Petrum Apoſtolum nunciante, alij Angelum ipſius eſſe credebant. Si autem hoc de minimis dicitur, & de vno homine, quanto magis de omnibus ſanctis; & præcipue de Apoſtolis ſentiendum eſt? quorum Angeli quotidie vident faciem Patris, iuxta illud, quod ſcriptum eſt: Circundat Angelus Domini in circuitu timentium eum. Et Iacob de ſe loquitur: Angelus, qui liberauit me.

Pſal. 33. Gen. 48.

Ver 17.

Euth. Ratio 2. Cur honorandi paruuli.

Euth. Matth. 18: Deinde aliam quoque ponit rationabiliorem cauſam, cur eos deſpicere non oporteat. Venit, inquit, in mundum, ſiue incarnatus eſt, vt ſaluaret eos, qui antea perditi erant. Quod ſi ego tantam illorum habui curam, quomodo vos deſpicietis illos?

Ver. 18.

Greg. Ouis errãtis parabolam duo Euangeliſtæ habent.

Greg. hom. 34. in Euang: Quod hic Euangeliſta nempe Lucas dicit: In deſerto; alius videlicet Matthæus, dicit: In montibus; vt ſignificet in excelſis; quia nimirum oues, quæ non perierant, in ſublimibus ſtabant.

Hier.

Hieron. Matt. 18: Conſequenter ad clementiam prouocat, quia præmiſerat, dicens: Videte, ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis, & ſubiungit parabolam nonaginta nouem ouium in montibus relictarum, & vnius errantis, quam paſtor bonus, quia propter nimiam infirmitatem ambulare non poterat, humeris ſuis ad reliquum gregem reportauit. Quidam putant iſtum eſſe paſtorem, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo; ſed exinaniuit ſe, formam ſerui accipiens: factus obediens patri, vſque ad mortem, mortem autem crucis: & ob id ad terrena deſcenderit, vt ſaluam faceret vnam ouiculam, quæ perierat, hoc eſt, humanum genus. Alij vero in nonaginta nouem ouibus, iuſtorum putant numerum intelligi, & in vna ouicula, peccatorum; ſecundum quod in alio loco dixerat: Non veni iuſtos vocare, ſed peccatores; non enim opus habent ſani medico; ſed hi qui ſe male habent. Iſta parabola, in Euangelio ſecundum Lucam, cum alijs duabus parabolis, decem drachmarum, & duorum filiorum, ſcripta eſt.

Cur impoſuit humeris.

Quis ſit paſtor. Phil. 2. Quæ ſint 99. oues. Quæ ſit vna ouis. Luc. 5. Ouis errãtis parabolam duo Euangeliſtæ ſcripſerunt. Eut.

Euth. Matt. 18: Deinde ponit & parabolam, qua demonſtrat amoris ſui magnitudinem. Quod ſi homo errantem irrationalem ouem non deſpicit, cum tamen multas habeat non errantes, multo magis Deus rationalem non deſpicit, cuius miſericordia ad humanam eſt, ſicut mare totum ad vnam aquæ guttam. Et Luc. 15: Hanc autem parabolam ſcripſit & Matthæus.

Eut.

Ver. 19.

Eut.

Euth. Matth. 18: Neque enim tantum gaudemus de his, quæ ſecurè poſſidemus, quantum de eo, quod, poſtquam perditum erat, inuentum eſt. Etenim cum illa ſemper habeamus, nõ adeo ſentimus gaudium, quod de ipſis habemus: quum autem illud perdiderimus, ac vehementer contriſtati ſimus, tanquam damno affecti, vbi inuenerimus, vehementer gaudemus, tanquam illud lucrati.

Ver. 20.

Hier.

Hieron. Matt. 18: Refert ad ſuperius propoſitum, de quo dixerat: Videte ne contemnatis vnum ex puſiliis iſtis, & docet idcirco parabolam poſitam, vt puſilli non contemnantur. In eo autem quod dicit: Non eſt voluntas ante patrem veſtrum, vt pereat vnus de puſillis iſtis; quotiens aliquis perierit de puſillis iſtis, oſtenditur quod non voluntate patris perierit.

Euth. Ita. Pater.

Eut. Matt. 18: Ita) ſicut docuit parabola. Patrem vero diſcipulorum ſeipſum nominat, non ſolum tanquam ipſorum præceptorem, ſed etiam tanquam creatorem. Scire enim oportet, quod interdum patrem ſuum dicit patrem diſcipulorum: interdum verò ſeipſum. Coram patre veſtro autem, hoc eſt, in patre veſtro. Nam & hic ſermo linguæ proprietas eſt. Verum quomodo ſignum non dedit quo puſillos cognituri ſimus vt eum, qui dignus eſt ignorantes, nullum deſpiciamus, ſed omnium curam habeamus.

Ante Patrem. Cur non dixit, quomodo puſillos cognoſcamus.

C A P. 92. *Frater peccans arguendus, eique ignoſcendum.*

Matt. 18. *Fer. 3. poſt Dom 3. Quadr.*	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*
1 ✠ SI autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum, inter te,& ipſum ſolum. 2 Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. 3 Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos: vt in ore duorum, vel trium teſtium, ſtet omne verbum. 4 Quòd ſi non audierit eos,dic Eccleſiæ. 5 Si autem Eccleſiam non audierit: ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. 6 Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. 7 Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re,quamcumque petierint, ſiet illis à Patre meo,qui in cœlis eſt. 8 Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. 9 Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vſque ſepties? 10 Dicit illi Ieſus: Non dico tibi vſque ſepties; ſed vſque ſeptuagies ſepties. ✠			

Not. 1. ver. 1.

Baſ. B A S I L. in reg. breu.interr.232: Si quis iniuria affectus ab aliquo,tenendæ animi ſui lenitatis cauſa, patientiæque, ea de te cum nemine loquatur, atque hoc modo exiſtimet ſe reddere iudicium Deo,nunquid hic faciat ſecundum Deum? Cum Dominus dixerit modo: Dimittite,ſi quid habetis aduerſus aliquem: modo vero; Si peccauerit in te frater tuus,vade,& corripe eum,&c.Hic lenitatis quidem animi ſui fructum in eo oſtendere debet, vt preces Deo ex ſincero animi affectu pro eo, à quo læſus ſit,adhibeat,verbaq; illa vſurpet:Domine, ne ſtatuas (Act. 7) illi hoc peccatum: ne, vt iratus fratri ſuo, reus efficiatur iudicio: admonitione vero leni,& caſtigatione aduerſus ipſum iniuriæ auctorem vti: quo videlicet illum quoque ab ira liberet, quæ venit in filios contumaciæ. Si vero in hoc negligens fuerit, & tenendæ videlicet patientiæ ſuæ cauſa id diſſimulanter tulerit, dupliciter (Matt. 5.) peccatum incurrit: & quod præcepto illi non (Epheſ. 5.) paret, caſtigatione caſtigabis fratrem tuum,& non ſumes propter eum peccatum: & taciturnitate illa peccantis particeps efficitur: & quod quem caſtigationibus lucrari potuerat, ſicut Dominus præcepit, in malo eum patitur perire.

Hier. in te. Hieron. Matth. 18: Si peccauerit in nos frater noſter, & in qualibet cauſa nos læſerit, dimittendi habemus poteſtatem, immo neceſſitatem: qua præcipitur, vt debitoribus noſtris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccauerit, non eſt noſtri arbitrij. Dicit enim ſcriptura diuina: Si peccauerit homo in hominem, rogabit pro eo ſacerdos. Si autem in (1 Reg. 2.) Deum peccauerit, quis rogabit pro eo? Nos, è contrario, in Dei iniuria benigni ſumus; in noſtris contumelijs exercemus odia. Corripiendus eſt autem frater ſeorſum: ne ſi ſemel pudorem, ac verecundiam amiſerit, remaneat in peccato. (Cur clam.)

Amb. Cur clam. Ambroſ. lib. 8. in Luc: Corripe eum inter te, & ipſum: plus enim proficit amica correptio, quam accuſatio turbulenta. Illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet. Seruetur potius quod prodi metuat qui mouetur. Bonum quippe eſt vt amicum magis te, qui corripitur credat, quam inimicum. Facilius enim conſilijs acquieſcitur, quam iniuriæ ſuccumbitur. Vnde & Apoſtolus:Corripite, inquit, fratrem, vt erubeſcat, non vt inimicum eum exiſtimetis. (2 Theſ. 3.) Infirmus enim cuſtos diuturnitatis eſt timor. Pudor autem bonus magiſter officij. Qui enim metuit,reprimitur, non emendatur: quem pudet facere, in naturam vertit. Pulchre (Cur ait, in te.) autem poſuit: Si peccauerit in te; non enim æqua conditio, in Deum,hominemque peccare. Denique Apoſtolus qui diuini eſt verus interpres oraculi: Hæreticum, inquit, poſt vnam (Tit. 3) correptionem deuita: quia non æque perfidia vt culpa veniabilis. Et quoniam plerunque per imperitiam error obrepit, corripiendum præcipit, vt aut pertinacia vitetur, aut prolapſio corrigatur.

Aug. Iniuriam paſſus quid facere debeat. Aug. ſerm. 16. de verbis Domini: Hoc ergo debet facere, qui fecit iniuriam. Qui autem paſſus eſt,quid debet? Quod audiuimus hodie,

ſi pec-

ſi peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si neglexeris, peior es. Ille enim iniuriam fecit, & iniuriam faciendo, graui ſe ipſum vulnere percuſſit. Tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, & negligis? Peior es tacendo, quam ille conuiciando. Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam non pro nobis. Nam glorioſum eſt iniurias obliuiſci; ſed obliuiſcere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui.

Cur clam.

Ergo corripe inter te, & ipſum ſolum, intuens correctioni, parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum ſuum; & quem vis correctiorem, facis peiorem. Corripe ergo inter te, & ipſum ſolum. Hæc cum ita ſint, quid eſt, quod ait Salomon, quod hodie ex alia lectione primitus audiuimus? Annuens oculis cum dolo, congerit hominibus mæſtitiam: qui autem arguit palam, pacem facit. Si, qui arguit palam, pacem facit, quomodo ergo; corripe illum inter te, & ipſum ſolum? Metuendum eſt, ne ſibi contraria ſint præcepta diuina. Sed intelligamus eſſe ibi ſummam concordiam; non, quemadmodum quidam vani, ſapiamus, qui errantes opinantur contraria ſibi eſſe duo teſtamenta in libris veteribus, & nouis, vt ideo putemus hoc ipſum eſſe cōtrarium, quoniam illud eſt in Salomonis libro, hoc in Euangelio. Si enim aliquis imperitus, & calumniator diuinarum ſcripturarum diceret, ecce vbi ſibi contradicunt duo teſtamenta. Dominus dicit: Corripe illum inter te, & ipſum ſolum. Salomon dicit: Qui arguit palam pacem facit: ergo neſcit Dominus quid præcepit: Salomon vult contundi frontem peccantis; Chriſtus parcit pudori erubeſcentis. Ibi enim ſcriptum eſt: Qui arguit palam, pacem facit; hic autem: Corripe illum inter te, & ipſum ſolum; non palam, ſed in ſecreto, & occultè. Vis noſſe, quiſquis talia cogitas, non ſibi repugnare duo teſtamenta, quia illud in libro Salomonis, hoc in Euangelio reperitur? Apoſtolum audi: Certe Apoſtolus miniſter eſt noui teſtamenti. Audi ergo Apoſtolum Paulum in Timotheo præcipientem, & dicentem: Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Iam non Salomonis liber cum Euangelio, ſed Pauli Apoſtoli epiſtola, videtur confligere. Salomonem paululum, ſine iniuria, ſeparamus; Chriſtum Dominum, & Paulum eius ſeruum, audiamus. Quid dicis Domine? Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te, & ipſum ſolum. Quid dicis Apoſtole? Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Quid facimus? Controuerſiam iſtam, velut iudices, audimus? Abſit. Imo ſub iudice conſtituti pulſemus, vti nobis aperiri impetremus, fugiamus ſub alas Domini Dei noſtri. Non enim Apoſtolo ſuo contrarium locutus eſt; quia & in illo ipſe locutus eſt, ſicut dicit: An vultis experimentum eius accipere, qui in me loquitur Chriſtus? Chriſtus in Euangelio, Chriſtus in Apoſtolo. Chriſtus ergo vtrunque dixit: Vnum ore ſuo, alterum ore præconis ſui; quia quando præco de tribunali aliquid dicit, non ſcribitur in geſtis; præco dixit; ſed ille dixiſſe ſcribitur, qui præconi, quod diceret, imperauit. Duo ergo iſta præcepta, fratres, ſic audiamus, vt intelligamus; & inter vtraque præcepta pacati conſtituamur; cum corde noſtro nos concordemus, & ſcriptura ſancta in nulla parte diſcordat. Verum eſt enim omnino vtrunque, verum eſt. Sed diſcernere debemus, aliquando illud, aliquando illud eſſe faciendum: aliquando corripiendum fratrem inter te, & ipſum ſolum; aliquando corripiendum fratrem coram omnibus, vt & cæteri timorem habeant. Si aliquando illud, aliquando illud fecerimus, concordiam ſcripturarum tenebimus, & in faciendo, atque temperando non errabimus. Sed dicit mihi aliquis, quando facio illud, quando illud: ne tunc corripiam inter me, & ipſum ſolum, quando debeo coram omnibus corripere, aut tunc corripiam coram omnibus, quando debeo in ſecreto corripere? Cito videbit charitas veſtra, quid quando facere debeamus; ſed vtinam facere pigri non ſimus. Intendite, & videte. Si peccauerit, inquit, in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Quare, quia peccauit in te. Quid eſt, in te peccauit? Tu ſcis, quia peccauit. Quia enim ſecretum fuit, quando in te peccauit, ſecretum quære cum corrigis quod in te peccauit. Nam ſi ſolus noſti quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, ſed proditor. Attendite quemadmodum vir iuſtus Ioſeph, tanto flagitio, quod de vxore fuerat ſuſpicatus, tanta benignitate pepercit, antequam ſciret, vnde illa conceperat, quia grauidam ſenſerat, & ſe ad illam non acceſſiſſe nouerat. Reſtabat itaque certa adulterij ſuſpicio; & tamen quia ipſe ſolus ſenſerat, ipſe ſolus ſciebat. Quid de illo ait Euangelium? Ioſeph autem cum eſſet vir iuſtus, & nollet eam diuulgare. Mariti dolor non vindictam quæſiuit. Voluit prodeſſe peccanti, non punire peccantem. Cum, inquit, nollet eam diuulgare, voluit eam occultè dimittere. Hæc eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit ei in ſomnis, & indicauit quid eſſet; quia non violauit viri thorum, quia de Spiritu ſancto conceperat Dominum amborum. Peccauit ergo in te frater tuus? ſi tu ſolus noſti, tunc vere in te ſolum peccauit. Nam ſi multis audientibus tibi fecit iniuriam, & in illos peccauit, quos teſtes ſuæ iniquitatis effecit. Dico enim, fratres chariſſimi, quod & voſipſi, in vobiſipſis poteſtis agnoſcere. Quando me audiente, fratri meo quiſque iniuriam facit, abſit vt à me iniuriam illam alienam putem. Prorſus & mihi fecit, immo mihi plus fecit, cui putat placere quod fecit. Ergo ipſa corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipſa vero corripienda ſunt ſecretius, quæ peccantur ſecretius. Diſtribuite tempora, & concordat ſcriptura: Sic agamus, & ſic agendum eſt, non ſolum quando in nos peccatur, ſed quando peccatur ab aliquo, vt ab altero neſciatur, in ſecreto debemus corripere, in ſecreto

Hhh 3 arguere;

Margin notes (left column): Prou. 10. / Eccl. 3. / Quando palā, quando clam arguendi ſunt peccantes. / Prou. 27. / Teſtamenta duo non repugnant. / 1 Timot. 5. / 1 Cor. 13.

Margin notes (right column): Solutio. / Quid eſt, in te. / cap. 7 / Quid, in te. / Quæ palā, quæ clam.

Cur clam. Correctio nis modus. & notæ.

arguere; ne volentes publicè arguere, prodamus hominem. Nos volumus corripere, & corrigere, quid ſi inimicus quærit audire quid puniat? Nouit enim neſcio quem homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo nouit. Ego volo illum publicè corripere,& tu quæris inſcribere. Prorſus nec prodo, nec negligo, corripio in ſecreto, pono ante oculos Dei iudicium, terreo cruentam conſcientiam, perſuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi eſſe debemus. Vnde aliquando homines reprehēdunt nos,quòd quaſi non corripiamus, aut putant nos ſcire quòd neſcimus,aut putant nos tacere quod ſcimus: Sed fortè quod ſcis, & ego ſcio, ſed non coram te corripio, quia curare volo,non accuſare. Sunt homines adulteri in domibus ſuis, in ſecreto peccant; aliquando nobis produntur ab vxoribus ſuis plerunque zelantibus,aliquando maritorum ſalutem quærentibus. Nos non prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus, vbi contigit malum, ibi moriatur malum. Non tamen vulnus illud negligimus,ante omnia oſtēdentes homini in tali peccato conſtituto, ſauciamque gerenti conſcientiam,illud vulnus eſſe mortiferum.

Vt liceat occultum alicuius peccatum alteri communicare.

Aug. Et in fine ſerm.15.de verb. Dom: Certe, ſi quis, quod ſolum eſt verum,diſtinguit tempora, & ſoluit quæſtionem, verum eſt. Si peccatum in ſecreto eſt, in ſecreto corripe.Si peccatum publicum eſt,& apertum,publicè corripe: vt ille emendetur, & cæteri timeant.

Quæ clam, quæ palā.

Not. 2. ver. 2.

Hier. Hier. Matt.18: Et ſi quidem audierit, lucrifacimus animam eius,& per alterius ſalutem, nobis quoque acquiritur ſalus.

Aug. Aug.ſer. 16.de verb. Dom: Quare illum corripis?&c.vt lect.1.2.3.poſt Dom.5.Quadr.

Ver. 3.

Hier. Hier.Matt.18:Sin autem audire noluerit,adhibeatur frater. Quod ſi nec illum audierit,adhibeatur & tertius, vel corrigendi ſtudio, vel conueniendi ſub teſtibus.

Amb. Ambr.epiſt.64.lib.8: Si leges publicas interrogemus,accuſatorem exigunt:ſi Eccleſiæ,duobus,inquit,& tribus teſtibus ſtat omne verbum; ſed illis teſtibus,qui ante heſternum,& nudiuſtertius,non fuerint inimici, ne irati nocere cupiant;ne læſi vlciſci ſeſe velint.Inoffenſus igitur affectus teſtium quæritur, ita tamen vt accuſator prius in medium procedat.

Deut. 17. Teſtis idonei conditio.

Ver. 4.

Hier. Hiero. Matt.18: Si nec illos audire voluerit, tunc multis dicendum eſt, vt deteſtationi eum habeant; & qui non potuit pudore ſaluari, ſaluetur opprobrijs.

Quando Eccleſiæ dicendum.

Euth. Euth.Matth.18: Eccleſiam nunc vocat præſides fidelium Eccleſiæ. Renuncia illis quæ circa hunc aguntur:fortaſſe illi immutabunt eum veritum dignitatem ipſorum.

Eccleſia quid.

Not. 3. ver. 5.

Euth. Eᴠᴛʜ. Matth.18: Sit tibi deinceps incommunicabilis cum quo nullam ineas vitæ ſocietatem, tanquam immedicabili. Ethnicis autem infidelibus coniunxit publicanos, propter pecuniæ amorem,& auaritiam; incompaſſibilitatem, & iniuſtitiam. Audiamus ergo qui huiuſmodi affectionibus ſumus obnoxij.

Cur publicani cum Ethnicis [illegible]

Hier. Hier.Matt.18: Quando autem dicitur: Sit tibi ſicut Ethnicus,& Publicanus:oſtenditur maioris eſſe deteſtationis, qui ſub nomine fidelis agit opera infidelium,quam hi qui aperte gentiles ſunt. Publicani enim vocantur ſecundum tropologiam, qui ſæculi ſectantur lucra, & exigunt vectigalia per negociationes,& fraudes,ac furta,ſceleratáque periuria.

Publicani [illegible]

Aug. Aug.lib. 1. contra aduerſarium legis, & prophetarum cap.17: Illud enim quod ait: Si nec Eccleſiam audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus: grauius eſt, quam ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubrigeretur.

Hæc pœna quam ſi gladio.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 70. ad Antioch: Si contra me peccantem, poſtquam me non audierit, ita præcipit auerſari: in ſeipſum, & in Deum peccantem qualiter habere debeo,vos iudicate.

Peccatum triplex, in Deum, in ſeipſum, in proximum.

Cyr. Cyrill. lib.3. in Leuit: Euangelicum præceptum in eo perfectius datum eſt, quod iudicandi peccati modum, diſciplinamque conſtituit. Non vult enim te, ſi forte videris peccatum fratris tui,continuo euolare ad publicum, & proclamare paſſim, ac diuulgare aliena peccata,quod eſſet vtique non corrigentis, ſed potius infamantis. Solus, inquit, inter te,& ipſum corripe eum. Vbi enim ſeruari ſibi myſterium viderit ille,qui peccat,ſeruabit & ipſe emendationis pudorem: ſi vero diffamari ſe viderit,illico ad denegandi impudentiam conuertetur: & non ſolum non emendaueris peccatum, ſed & duplicaueris. Diſce ergo ex Euangelicis præceptis ordinem. Primo,inquit,corripe eum ſolus inter te, & ipſum. Secundo, adhibe tecum duos alios, vel tres. In ore,inquit, duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Tertio vero,dic Eccleſiæ. Quomodo quidem tertio correptionem mandabat ad Eccleſiam deferendam: ita ſecundo vult duos, vel tres adhiberi, quibus præſentibus correptus, ſi emendare ſe non vult, quum ad Eccleſiam delatum fuerit eius peccatum, poſſit dudum adhibitis teſtibus confutare.Frequenter enim accidit, vt volens quis Euangelicum implere mandatum,calumniator videatur, ſi crimen deferat ad Eccleſiam, & deficiat teſtibus. Ne hoc ergo accidat, idcirco duos,vel tres teſtes in ſecunda correptione ei iuſſit adhiberi. Quum ergo & Euangelij tale mandatum ſit, & lex præcipiat, quia ſi tacuerit, accipiet peccatum: ſciendum eſt quod ſi quis ea, quæ videt in delicto proximi ſui, vel non indicat ſecundum regulam ſuperius datam, vel in teſtimonium vocatus,non quæ vera ſunt dixerit,peccatum,quod commi-

Ratio arguendi peccantem in Euangelio, non lege traditur.

Cur [illegible] ver. 2

Correptionis ordo.

Teſtes cur adhibendi.

Peccat qui non corripit.

ſerit

ſerit ille, quem cęlat, ipſe ſuſcipiet, & pęna commiſſi reuoluetur ad conſcium.

Not. 4. ver. 6.

Eut. EVTH. Matt. 18: Eſt autem nunc orationis ſenſus iſte. Quidquid vos in terra cenſueritis, aut ſententia decreueritis, hoc Deus in cælo ratum habebit, ſiue eos, qui ſunt incurabiles ab Eccleſia amputaueritis, ſiue poſtmodum reſipiſcentes receperitis. Hæc autem comminatus eſt, non vt hæc fiant, ſed vt quiſque territus, & Eccleſiæ amputationem, & Dei ſententiam mutet, ac liberetur, & eam euadat. Nam & propter hoc, primum, ſecundum, ac tertium tribunal conſtituit, & tandem iudicauit eum abijciendum: vt ſi primum non audiret, obediret ſecundo: ſi autem & hoc deſpiceret, timeret vel tertium: quod ſi etiam hoc contemneret, iam tunc abiectionem formidaret amaram, ſupernamque ſententiam, quæ hac abiectione magis formidanda eſt, & ita omnino corrigeretur.

Cur Domi nus iſta cõminatur. Tribunal triplex.

Hier. Hier. Matt. 18: Quia dixerat: Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus, & poterat contemptoris fratris hæc occulta eſſe reſponſio, vel tacita cogitatio: ſi me deſpicis, & ego te deſpicio: ſi tu me condemnas, & mea ſententia condemnaberis: poteſtatem tribuit Apoſtolis, vt ſciant, qui à talibus condemnantur, humanam ſententiam diuina ſententia roborari: & quodcunque ligatum fuerit in terra, ligari pariter & in cælo.

Aug. Aug. lib. 1. contra aduerſarium legis, & prophetarum cap. 17: Nam ibi quoque ſubiunxit: Amen dico vobis, quæ ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis: vt intelligeretur, quanto grauius ſit punitus, qui velut relictus eſt impunitus.

Quam ſit grauis hæc pœna.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 70. ad Antioch: Si quis autem noſtra contemnit vincula, ſurſum eum Chriſtus corrigat, dicens: Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Nam ſi nos quoque miſeri, & nihili pendendi, & contemptu digni (ſicut verè digni ſumus) non tamen noſ-ipſos vlciſcimur, nec iram vindicamus, ſed noſtræ curam gerimus ſalutis; reueremini precor, & confundimini. Si quis enim amicum tolerat acrius æquo inſurgentem, intẽtionem conſiderans, quod beneuolè, non inſolenter hoc agit: multo magis Doctorem increpantem, non autoritate tyrannica iſta dicẽtem, neque quaſi principis loco conſtitutum, ſed curatoris: nec enim poteſtatem oſtentare volentes, hæc dicimus. Quomodo namque, qui nec in eorum experientiam venire volemus? ſed dolentes pro vobis, atque gementes. Ignoſcite mihi, nec vllus Eccleſiaſtica deſpiciat vincula. Non enim qui ligat eſt homo, ſed Chriſtus, qui nobis hanc contulit poteſtatem, & tanti Dominos honoris homines conſtituit. Nam nos quidem ad ſoluendum duntaxat, vbi poteſtate vellemus, quinimo nec huius neceſſitatem vellemus habere: Nullum enim volumus apud nos eſſe captiuum. Non ita miſeri ſumus, & ærumnoſi, licèt valdè ſimus viles. Si verò coacti fuerimus ignoſcite. Nec enim ſponte, vel volentes; ſed plus vobis dolentes ligatis injicimus vincula. Si quis autem hæc contemnat, iudicij tempus aderit, quod eum doceat. Reliquum autem nolo dicere, ne mentem veſtram conſternem. Nam nos quidem primum, ne trahamur in neceſſitatem, optamus. Quod ſi venerimus, noſtrum implemus officium, vincula injicimus. Si quis autem hæc diruperit, ego iam quod meum eſt erogo, & iam innocens ſum. Ratio verò tibi ponetur apud eum, qui me ligare præcepit. Tu verò dic: Si Rege coram ſedente, lictorum aliquis aſtantium iuſſus ſit aliquem in ordine poſitorum vincire, & imponere compedes: ille verò non tantum hunc repulerit, verùm & contriuerit vincula: lictor eſt-ne qui paſſus eſt iniuriã? nónne verò multo magis Rex, qui præcepit? Nam ſi quæ fiunt contra fideles, ipſe ſibi vendicat: eo, qui docere ſtatutus eſt, contumeliam paſſo, multo magis, tanquam ipſe ſit paſſus contumeliam, afficietur. Sed abſit, quod aliquis eorum, qui ſunt in hac Eccleſia, in horum veniat vinculorum neceſſitatem. Sicut enim ſpecioſum eſt non peccare; ita eſt vtile increpationem ſuſtinere. Obiurgationem itaque feramus, & laboremus nunquam peccare: quod ſi peccauerimus, ſuſtineamus redargutionem. Sicut bonum quidem non percuti, quod ſi tamen accidat, vulneri medicinam imponere: Itidem & hic, ſed nunquam accidat nos talium medicaminum indigere. Audiuimus enim meliora de vobis, & quæ ſalutem apprehendant, etſi ſic loquamur. Vehementius autem loquuti ſumus ad cautelam majorem. Me namque melius eſt audacem à vobis, immitem, & inſolentem putari, quàm quæ Deo placent vos non facere.

Simile.

Et hom. 5. de verbis Iſa. vidi Dominum: Quanquam enim nobis admirandus videtur thronus regius ob gemmas affixas, & aurum, quo obcinctus eſt: tamen rerum terrenarum admonitionem ſortitus eſt, nec vltra poteſtatem hanc prætera quicquam habet authoritas. Verum ſacerdoti thronus in cælis collocatus eſt, & de cæleſtibus negotijs pronunciandi habet authoritatem. Quis hæc dicit? Ipſe cælorum rex: Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Quid cum honore conferri poſſit? à terra iudicandi principalem authoritatem ſumit cælum. Nam iudex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſeruum, & quidquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in ſupernis comprobat. Itaque medius ſtat ſacerdos inter Deum, & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, & noſtras petitiones illuc perferens; Dominum iratum reconcilians vtrique naturæ, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus. Eoque Deus ipſum regale caput ſacerdotis manibus ſubiecit, nos erudiens, quod hic princeps, eſt illo maior. Siquidem id quod minus eſt, benedictionem accipit ab eo, quod præſtantius eſt.

Chryſoſt.

Sacerdos medius inter Deũ & hominem.

Not. 5. ver. 7.

Euth. Cur non omnes orantes exaudiantur.

EVTH. Matt. 18: Quod ſi duo multo magis plures. Quomodo ergo frequenter aliqui duo in dilectione exiſtentes, & Deum concorditer de aliquo poſtulantes, non exaudiuntur? Quia non ſunt ſimiles Apoſtolis. Neque enim ſimpliciter dixit, ſi duo conſenſerint: ſed ſi duo ex vobis, hoc eſt, ſimiles vobis, virtutem colentes: vel quia non ea præſtant, quæ poſſunt: vel inutilia petunt: vel aduerſus eum, qui moleſtia affectus eſt deprecantur: vel pro indigno poſtulant: vel omnino aliqua alia ratio adeſt, quæ cauſet repulſam: qua ſublata, qui vitam degunt ſecūdum virtutem, & in amore viuunt, ac concorditer petunt, ſtatim conſequuntur: mentiri enim non poteſt, qui promiſit. Atqui etiam vnus virtuti deditus, ſi ſic petat, exaudietur. Sed non tantum, quantum duo conformes. [Ex vobis.]

Baſ. Matt. 21.

Baſ. in regul. breu. interrog. 261: Cum Dominus ſpoponderit, ac dixerit: Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Et item: Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcumq; petierint, fiet illis, [Matt. 18.] quid eſt, quod rogata quædam etiam ſancti, non obtinuerunt? Sicut etiam Apoſtolus: Sic enim eſt apud ipſum: [2 Cor. 12] Pro hoc ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me. Qui tamen quod rogauerat, non impetrauit. Similiterque Hieremias Propheta, & Moyſes. Cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus in oratione ſua dixerit: [Matt. 26.] Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: & ſtatim deinceps adiunxerit: [Luc. 22.] Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat; primo quidem ſcire illud conuenit, non eſſe permiſſum nobis, vt quæ volumus omnia petamus. Quin ne intelligimus quidem, quid expediat nobis petere. Quid enim oremus, ſicut oportet, neſcimus. Quocirca in adhibendis rogationibus, magna vndique circumſpectione vti debemus, vt ea ſint ex voluntate Dei. Si autem non audiamur, intelligendum eſt, opus eſſe aut perſeuerantia, aut contentione maiore, quemadmodum admonemur ex ea parabola Domini, per quam docemur ſemper oportere orare, & non defatigari: & quemadmodum alio in loco, dictum eſt ab ipſo eodem Domino, cum ait propter improbitatem eius tamen ſurget, & dabit quotquot habet neceſſarios. [Luc. 18.] [Luc. 11.] Aut emendatione, & diligentia, ex eo quod dictum eſt à Deo per prophetam ad quoſdam his verbis: [Eſa. 1.] Cum extenderitis manus veſtras ad me, auertam faciem meam à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lauamini, mundi eſtote, &c. Quod autem etiam nunc manus multorum inficiantur, & ſint plenæ ſanguine, de hoc vero nihil eſt, quod ambigant, qui fidem habent iudicio illi Dei, quod aduerſus eum pronunciauit, qui annunciare in populum iuſſus, obtinuerit, his verbis: [Ezech. 3.] Sanguis peccatoris requiretur de manu ſpeculatoris. Quod cum veriſſimum, ac certiſſimum eſſe ſibi Apoſtolus perſuaſiſſet, dicebat: Mundus ſum ego à ſanguine omnium; [Act. 20.] non enim ſubterfugi, quin annunciarem vobis omne conſilium Dei. Quod ſi qui tantummodo obtinuerit, is reus futurus eſt ſanguinis eorum, qui peccauerint, quid dicendum ſit de iis, qui factis, dictiſue alios ſcandalizant. Fit autem interdum, vt rogantis indignitas cauſa ſit, quãobrem non impetretur, quod rogatum ſit: quemadmodum in Dauid, qui cum ſupplex rogaſſet à Deo, vt liceret ſibi ædificare domum Deo, prohibitus eſt: & licet à Dei gratia excluſus non eſſet, nihilominus tamen hoc, quod petebat idoneus qui impetraret iudicatus non eſt. Nam Hieremiam apparet non auditum fuiſſe, propter malitiam illorum, pro quibus orabat. Quin & incidit plerunque, vt omiſſa ex negligentia idonea occaſione, in qua rogationem fieri oportuiſſet animaduertamus poſtea alieno tempore nos & incaſſum rogare. De eo autem, quod eſt apud Apoſtolum: Pro hoc ter [2 Cor. 12] Dominum rogaui, vt diſcederet à me: ſcire conuenit earum calamitatum, quæ vel in rebus externis, vel in corpore ipſo nobis eueniunt, variam atque multiplicem eſſe rationem quippe Deum eſſe, cuius vel numine, vel permiſſu illæ nobis contingant, idque ad maiorem vtilitatem noſtram, quã ea fuiſſet ſi ab his liberi fuiſſemus. Si quis ergo intelligens potuerit, calamitatem ſuam eſſe eiuſmodi, à qua ſi liberari velit, precatione opus ſit, ac poſtulatione: nimirum is auditur, ſi eo modo poſtulet quemadmodum duo illi cæci in euangelio, & decem leproſi, & alij item complures. Si vero rationem quis non intellexerit, quamobrem in tentationem inciderit (nam eſt plerunque, cum oblatas ſibi tentationes patientia peruincere debet) & cum eæ perferendæ tolerantes eſſent vſque in finem, deprecetur, is non auditur. Et cauſa eſt, quoniam non accommodat ſe ad propoſitum benignitatis Dei. Illud autem, ſi duo ex vobis conſenſerint: quid ſibi velit, apertè ſeries ipſa loci declarat. Ibi enim de eo agitur, qui verbis corrigit eum, qui peccauit, & qui corripitur. Quod videlicet cum Deus nolit mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat: ſi qui correptus ſit, animo indoluerit, & in idem propoſitum venerit cum eo, vnde corripiatur, de omni re, hoc eſt, de omni peccato, ſi relaxationem petierint, dabitur eis à clementiſſimo Deo. Etenim niſi cum corripiente conſenſerit is qui corripitur, non iam relaxatio fit: ſed religatio: conuenienter verbis illis, quæ deinceps ſequuntur, quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo. Completur enim iudicium illud, ſi autem Eccleſiam etiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.

Cæſar. Duo ſunt anima, & corpus.

Cæſ. dial. 3: Inquit enim ipſe in Euangelio: Amen dico vobis: ſi duo ſuper terram conſenſerint. Animam indicans, & corpus; dominam, & famulam; ſi conſenſerint in idem: caro quidem ſeruiens, anima autem in virtute progreſſus faciens, ne nimia auſteritate depreſſa grauetur, & laboribus renunciet famula: neque vice verſa

verſa ad vitioſas affectiones, & voluptatem per hanc deijciatur Domina, ſed vt cum conſenſu pari virtutis regula inter ſeſe currant vnà, ſeque comitentur. Nam ſi conſenſerint iſta duo, nempe anima, & corpus, de quocunque rogauerint, continget eis, inquit Dominus, ſiquidem ab ipſo petierimus, bona videlicet, contingent.

Amb. Duo ſunt anima, & corpus. 1 Cor. 9.

Ambr. lib. de inſtit. virg. cap. 2: Qui ſunt iſti duo, niſi anima, & corpus? vnde & Paulus caſtigabat carnem ſuam, & ſeruituti redigebat, vt eſſet animæ, tanquam imperatrici ſuæ, caro ſubdita, & mentis imperijs obtemperaret, ne eſſet in vno homine diſſidium, ac bellum intra ſe gereret, & legi mentis repugnaret lex corporis. Duo igitur iſta diuerſa, ratione quadam, & pace iungebat; ſecundum quod ipſe aſſerit, dicens:

Ephes. 2.

Quia Chriſtus eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem ſepis, ſoluit inimicitias in carne ſua: ne id ageret, quod nollet; atque id faceret, quod odiſſet. Iſti ergo ſunt

Pſal. 55.

duo, anima, & caro. Vnde & Dauid ait: Non timebo quid faciat mihi caro: quam aduerſarium

Homo interior, & exterior.

animæ ſuæ noſſet. Quæ tamen duo vt euidentius exprimamus non ſolum duo ſunt, ſed etiam duo homines, vnus interior, alter exterior. Iſti duo ſi ſibi propoſiti in æqualitatem concurrát, vt cogitationes factis, & cogitationibus facta conueniant, vitæ noſtræ rota, ſine vlla offenſione, voluetur; vt quemadmodũ ſcriptum eſt:

Pſal. 76.

Fiat vox tonitrui in rota. Iſti igitur duo vnum ſunt, nec ſolum vnum, ſed vnus homo. Vnde

Ephes. 2.

& Apoſtolus ait: Vt duos conderet in vno homine, faciens pacem, & reconciliaret vtroſque in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo, vt in vtriſque acceſſum habeamus in vno ſpiritu ad patrem. Sunt enim duo homines, vetus, & nouus. Vetus ille peccato obnoxius & obſoletus, ac veſtimenti veteris ſimilitudine attritus, & falſus, quem in baptiſ-

Rom. 6.

mate affigimus cruci. Vnde Apoſtolus ait: Quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt cruci, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato. Vetus ergo affigitur, vt moriatur peccato, vt nouus reſurgat, qui renouatur per gratiam. Diximus de duobus. Forſitan dicat aliquis: Quid de tribus dicis, quoniam ſic habet

ver. 8.

ſcriptura: Vbi enim ſunt duo, vel tres cõgregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum? Hinc quoque ratio manifeſta eſt; quia idem

1 Theſ. 5. Tres ſunt ſpiritus, anima, & corpus.

Apoſtolus dicit: Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus, ſine querela in die Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Vbi ergo tres iſti integri, ibi Chriſtus eſt in medio eorum: qui hos tres intus gubernat, & regit, ac fideli pace

Amb.

componit. Et lib. 7. in Luc: Vnde & Apoſtolus, non in carne, ſed in ſpiritu ambulare nos præcipit, vt ſanctificati per lauacrum regenerationis, veterem hominem, cum ſuis deſiderijs, exuentes, indui nouum, qui ſecundum Chriſtum creatus eſt, non iam in vetuſtate literæ, ſed in nouitate ſpiritus gradiamur, quo poſſit nobis etiam reſurrectionis tempore incorrupta corporis, & animæ, & ſpiritus manere communio: & tunc omnia, quæ petimus, impetremus. Quod pleriſque videtur etiam Dominus ſignificaſſe, cum dicit: Si duobus ex vobis conuenerit ſuper terram, de omni re, quamcumque petieritis, fiet vobis à patre meo, qui in cælis eſt. Itaque alij duos, animam, & corpus, accipiunt, alij animam, & ſpiritum: vt ſi in terra, hoc eſt, in corpore ſibi anima ſpirituſque conſentiant, nec ſe impugnent inuicem diuerſis cupiditatibus, omnia in effectum videantur orata poſſe deduci. Quod ita fit cum fuerint vtraque vnum, ſi ſubtractis inimicitijs, vel ſolutis, duo condantur in vnum nouum hominem, id eſt, anima, & ſpiritus, vt oremus ſpiritu, oremus & mente, licet plerique duos populos accipiant, ex Iſrael, & Gentibus, in vnum reſurrectionis tempore congregandos, vt fiat in æternum manſura perfectio, & id, quod ex parte eſt, deſtruatur. Plerique autem virum, & vxorem conſentientes ſibi ſtudio charitatis accipiunt. *Duo ſunt vir, & vxor.*

Amb.

Et epiſt. 82. lib. 10: Si duo ex vobis, &c. Quanto magis vbi plena eſt in nomine Domini congregatio? vbi vniuerſorum poſtulatio congruit, dubitare vos nequaquam oportet, ibi Dominum Ieſum, & voluntatis authorem, & petitionis arbitrum fore, & ordinationis præſulem, vel largitorem gratiæ.

Greg.

Greg. epiſt. 31. lib. 12. & epiſt. 110. lib. 7: Si ergo adeſſe dignatur, vbi duo, vel tres fuerint; quanto magis non deerit, vbi plures conueniunt ſacerdotes?

Hier.

Hieron. Matt. 18: Omnis ſupra ſermo nos ad concordiam prouocarat. Igitur & præmium pollicetur, vt ſollicitius feſtinemus ad pacem; cum ſe dicat inter duos, & tres medium fore:

Exemplũ.

iuxta illud exemplum tyranni, qui duos amicos captos, cum vnus ad viſendam matrem reuertiſſet, & amicum pro ſe vadem dediſſet, ſic probare voluit, vt vno tento, alterum dimitteret: cumque reuertiſſet ad condictam diem, admirans amborum fidem, rogauit vt ſe haberent tertium. Poſſumus & hoc ſpiritualiter intelligere, quod vbi ſpiritus, & anima, corpuſque conſenſerint, & non inter ſe bellum diuerſarum habuerint voluntatum, carne concupiſcente aduerſus ſpiritum, & ſpiritu aduerſus carnem, de omni re, quam petierint, impetrent à patre. Nullique dubium, quin bonarum rerum poſtulatio ſit, vbi corpus ea vult habere, quæ ſpiritus. *Tres ſunt, ſpiritus, anima, & corpus.*

Not. 6. ver. 8.

Euth. Non ſolus pater dat.

EVTH. Matt. 18: Quia vero dixit; fiet illis à patre meo: docet conſequenter, quod non ſolus pater dat, ſed etiam ipſe: ideo conſequenter dicit. Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. In nomine meo, hoc eſt, propter me, propter mea præcepta, & non propter aliam cauſam. Vbi ergo ita congregati fuerint, ibi ſum in medio eorum, colligans, & cuſtodiens eos, ac complens eorum petitiones. Non autem dixit; ero; ſed, ſum, protinus. Deus vero inter hos *In nomine meo. Eſſe in medio. ſum, non, ero. Vt Deus alibi ſit.*

quidem

quidem eſſe dicitur, inter illos vero non eſſe: non tanquam loco circumſcriptus. neque enim loco circumſcribi poteſt: ſed quod virtus eius inter dignos libenter commoretur.

Theoph. Sum, non ero. Theoph. Matt. 18: Non dixit autem, ero (non enim tardat, vel cunctatur) ſed ſum, hoc eſt, iam illic inuenior. Intelligas item quod quando conſpirauerint ſpiritus, & caro, & non concupinerit contra ſpiritum caro, tunc erit in medio Dominus. Duo ſunt ſpiritus, & caro. Conſpirant autem, & tres virtutes animæ, rationalis, iraſcitiua, & deſideratiua; ſed & ſi vetus, ac noua leges conſpirarint, inuenitur in medio ipſarum Chriſtus ab vtraque prædicatus. Tres qui ſunt. Duo ſunt lex vetus, & noua

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 4. in poſter. ad Theſſal: Si in medio eſt, vbi duo, vel tres cogregati ſunt, multo magis eſt in medio veſtri. Quod enim quis apud ſeipſum precatus accipere non poterit, hoc cum multitudine precatus accipiet. Quare? Quia etiam ſi non propria virtus, tamen concordia multum poteſt. Vbicunque, inquit, duo, vel tres congregati fuerint. Quare de duobus dixit? Etenim ſi vnus alicubi fuerit in nomine tuo, quamobrem non & illic es? Quia omnes ſimul eſſe volo, & non diuelli. Conſtringemus itaque nos inuicem, & colligemus per charitatem: nemo nos ſeparet. Si quiſquam eſt, qui queritur, ſi quiſquam læſus eſt: non hoc in animo contineat, ſiue erga proximum, ſiue erga nos. Hanc à vobis gratiam peto, vt noſipſos accedatis, & queramini, & à nobiſipſis excuſationem accipiatis. Et hom. in Pſal. 13. Si autem venit in medium duorum, vel trium ſanctorum, multo magis inuenitur in generatione iuſtorum, vbi eſt vita inexpugnabilis, vbi conuerſatio, quæ caret triſtitia, vbi eſt quies immortalis, hæreditas inſeparabilis, regnum, quod caret ſucceſſione, ad quod Chriſtus vocat, dicens: Venite benedicti patris mei.

Chryſoſt. Et hom. 42. ad Antioch: Vbi Chriſtus eſt medius, ibi magna multitudo. Vbi Chriſtus, ibi neceſſarium eſt & Angelos eſſe, neceſſarium & Archangelos, & alias virtutes. Non igitur eſtis ſoli, omnium habentes Dominum.

Baſ. Baſil. in reg. breui. interrog. 225: Cum Dominus dixerit; vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum: qui hoc nos poterimus promereri? Qui in alicuius nomine congregati ſunt, prorſus ij animi illius propoſitum ſcire debent, à quo congregati ſunt; atque ad ipſum ſeſe accommodare; quo videlicet gratiam ab illo inueniant, ac non malitiæ, aut negligentiæ iudicium incurrant. Vt enim qui vocari ab aliquo ſunt, ſi is metere vult, ad metendum ſe parant: itemque, ſi ædificare, ad ædificandum: ſic quoque qui vocati ſumus à Domino, illorum Apoſtoli verborum debemus meminiſſe, obſecro ergo vos vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus, in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. (Simile. — Epheſ. 4.) Apertius autem totum hoc nobis Dominus oſtendit per eam, quam vni facit promiſſionem, his verbis: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Quemadmodum igitur ex mandatorum obſeruatione manſio apud eum fit, eodem modo etiam in medio duorum, vel trium eſt, ſi ſe illi ad voluntatem ipſius conformauerint. Qui vero contra, non ex dignitate vocationis, neque vt voluntati Domini pareant, congregati ſunt, ij licet in vnum in nomine Domini conueniſſe videantur, illud tamen nihilominus audiunt: Quid me vocatis, Domine, Domine; & non facitis quæ dico?

Bern. Ber. ſerm. de aquæ ductu in Natiuit. beatæ Mariæ: Amat ſemper media Ieſus, diuerticula ſemper, & reclinatoria reprobat filius hominis, Dei, & hominum mediator.

Not. 7. ver. 9.

Hier. cap. 7. Hiero. Matt. 18: Hæret ſibi ſermo dominicus, & in modum funiculi triplicis, rumpi non poteſt. Supra dixerat: Videte ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis; & adiecerat: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum; & præmium repromiſerat, dicens: Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re impetrabunt, quam petierint; & ego ero in medio eorum. Prouocatus Apoſtolus Petrus interrogat, quoties fratri in ſe peccanti dimittere debeat, & cum interrogatione profert ſententiam; vſque ſepties?

Euth. Euth. Matt. 18: Quum de dilectione, ac iniuriarum obliuione docuiſſet Dominus: interrogat rurſus diſcendi cupidiſſimus Petrus, ignorans quod ſemper oporteat ignoſcere peccantibus. Num vſque ſepties? De hoc tanquam per additamentum interrogat: arbitratus videri hoc magnanimi, ac patientiſſimi animi.

Baſ. Baſil. in regul. breu. interrog. 15: Quid eſt illud, quoties peccauerit in me frater meus, & dimittam ei? & cuiuſmodi ea peccata ſunt, quæ in mea poteſtate eſt dimittere. Poteſtas dimittendi non abſolute data eſt: ſed ſi dicto audiens fuerit, qui pænitens ſit, & conſenſerit cum eo, qui animam ipſius curat. De ijs enim qui eiuſmodi ſunt, ſcriptum eſt: Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis eſt. Illud autem, de cuiuſmodi peccatis hoc intelligi debeat, ne quæri quidem arbitror oportere, cum teſtamentum nouum nihil hac de re nobis diſtinctè tradiderit: ſed prorſus cuiuſcunque peccati condonationem ijs, quos vere, & vt par eſt, pænituerit, polliceatur: & maxime Dominus ex propria perſona pollicitus ſit, de omni re. (Quod omne peccatum ignoſcendum.)

Not. 8. ver. 10.

Baſ. Basil. hom. 11. Exau: Septuageſima ſeptima generatione ab Adam ſe conſpicuum mundo exhi-

exhibuit, ac viſendum Chriſtus. Nouit & Petrus myſterium ſeptenarij, dicens: Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vſque ſepties? Reſpondit Dominus: Non dico tibi vſque ſepties; ſed vſque ſeptuagies ſepties. Myſterium ſeptenarij aliqua ex parte intellexit Petrus. Nondum tamen exacte didicerat, vt qui diſcipulus adhuc eſſet: vſque ſepties: At ne doctor quidem receſſit à ſeptenione. Prout ſciuit, dicebat diſcipulus: ſupergreſſus eſt diſcipulum opulentia pietatis Dominus. Quoties peccabit, & dimittam? Quid ni dixit: vſque ſexies, aut octies, ſed vſque ſepties? Cur non item Dominus: vſque centies, & centies, ſed ſeptenionem multipliciter auxit? Et quidem Petrus non de alio quoquam numero rogauit, neque Dominus canonem prætergreſſus eſt ſeptenarij. Petrus videlicet obſeruauit hunc eſſe antiquariæ traditionis canonem, ſeptenionem in ſe complecti ſacramẽti alicuius ſignificationem, nempe remiſſionis peccatorum, perfectæ quietis, & recreationis, cuius ſignum ſabbatum eſt, dies à mundi generatione ſeptimus. Petrus quidem ſepties: Dominus verò, ſeptuagies ſepties, peccata puniuntur ſepties. Eumne in modum omnis qui occiderit Cain, ſeptenam perſoluet vltionem? Illic non octo, ſed ſeptem. Parumper
Gen. 4. operitor, & myſterium apprehendes. Septies punitur primum illud peccatum. Secunda cædes Lamech. De Cain enim expetita eſt vltio ſepties, verum de Lamech ſeptuagies ſepties. En vides, quod Petri ſeptena remiſſio reſpondet vltioni Cain? Cum interim dominica condonatio ſeptuagies ſepties, vltioni ſeptuagies ſeptenæ reſpondet de Lamech ſumptæ. Quanta fuit offenſio, tanta & condonatio. Vbi modicum peccatum, ibi & modica remiſſio. Qui remiſit modicè, modicè & diligit. Vbi abundauit
Rom. 5. peccatum, ſuperabundauit & gratia. Quod igitur illud eſt myſterium? Octaua dies, ſæculum illud dicitur, nimirum iudicij, in quo peccator, ſepties; & qui ſupra modum peccator eſt, punietur ſeptuagies ſepties. Iuſtus itidem ſeptemplici honore potietur, qui excellenter iuſtus eſt, honorabitur ſeptuagies ſepties. Et quidem nũc Dei erga nos benignitas ænigmaticis præluſionibus ſubindicat, quæ futura olim ſunt: tum ipſo nimirum præſente, nulli non perſpicuè veritas inclareſcat. Hæc enim quo quiſque præmio dignum ſe exhibuerit, nihil obſcurè eſt oſtenſura. Dominus igitur hic per confeſſionem, ac pænitentiam placatus, ſeptuplam retributionem peccatoribus debitam remittet.

Auct. Quid 77. Sed vſque ſeptuagies, &c. Numerum hunc multiplicauit Chriſtus, vt ſignificaret hic non eſſe ſtatum; ſed fratri toties remittendum, quo-
Eut. ties peccauerit. Vnde Euthymius Matth. 18: Septuagies ſepties, inquit Chryſoſtomus, non ſignificat hic numerum, ſed immenſum, continuum, & ſemper. Nam ſicut *myriaces*, hoc eſt, decies millies, ſignificat frequenter, apud Græcos; ita ſane & ſepties apud Hebræos, & multo magis ſeptuagies, ac inſuper, quod ex vtroque compoſitum eſt, ſeptuagies ſepties. Quia ergo infinities in Deum peccamus, infinitis vicibus iuſſit ignoſcere his, qui in nos delinquunt, ſi ſemper reſipiſcant: eum namque, qui non reſipiſcit, poſt tertiam monitionem repelli iuſſit tanquam Ethnicum, & Publicanum: quo modo enim remittet quis ei, qui remiſſionem non quærit? Quid 77. Cui non condonandum.

Theoph. Matt. 18: Quod autem ſeptuagies ſepties dixit, non concludit veniam numero. Abſurdum enim ſedere, & numerare vſque dum quadringenta nonaginta habeas: (tot enim faciunt ſeptuagies ſepties) ſed immenſum numerum ſignat: quaſi dicat. Quoties quis lapſus fuerit, & pænitentiam agét, concede ei veniam. Theoph. Numero q; venia non cõtinetur. 77. ſunt 490. Senſ. verus

Hiero. Matt. 18: Reſpondit Ieſus; non vſque ſepties; ſed vſque ſeptuagies ſepties, id eſt, quadringentis nonaginta vicibus, vt totiens peccanti fratri dimitteret in die, quotiens ille peccare non poſſit. Hier. 77. ſunt 490. Et 2. expoſitione in Pſal. 119: Dico tibi; non ſepties, ſed ſeptuagies ſepties, hoc eſt, quadringenties nonagies. Si voluerimus computare de mane vſque ad veſperam, tanta peccata facere non poſſumus quadringenta nonaginta. Tamen quid dicit Dominus? Si ſeptuagies ſepties peccauerit in die, & conuerſus rogauerit te, dimitte ei. Sed dicis; non ex toto corde conuertitur, mentitur. Nos dimittamus Deo iudicium, rogat me, deprecatur: non dicit hoc verè, Deus nouit. Ego vocem audio: Chriſtus cor intelligit: ego ſuſcipio quod audio; ſuſcipiat Chriſtus quod nouit. Deinde vide mercedem tuam; mentitur ille; tu verum ſuſcipis: illius interfectio eſt; tua ſalus eſt. Hoc totum quare locutus ſum? Quoniam in monaſterijs, & maxime in cœnobijs ſolent eſſe iſta vitia. Non erubeſcimus? non dolemus? dimiſimus matres, dimiſimus patres, dimiſimus fratres, dimiſimus ſorores, dimiſimus vxores, dimiſimus filios, dimiſimus patrias noſtras, dimiſimus domos, dimiſimus cellulas noſtras, dimiſimus cellas, in quibus nati ſumus, & nutriti; & dimiſimus ſeruos cum quibus nutriti ſumus: venimus in monaſterium: & propterea hęc dimiſimus omnia, vt propter rem friuolam rixam cum fratribus faciamus in monaſterio? Dimiſimus poſſeſſionem, dimiſimus patriam, dimiſimus ſæculum: & propter calamum rixam facimus in monaſterio? Si verbum amarum audiero, ferre non poſſum, æſtuat in corde meo; ſcribitur in medullis meis diebus decem, aut quindecim: non poteſt tolli de corde meo: loquor fratri meo, qui mihi iniuriam fecerat, & pacem labijs promitto, & corde venenum teneo. Frequenter & oculi, & vultus mentis indicium ſunt. Quando cor noſtrum vulneratum eſt contra aliquem, non poſſumus eum aſpicere rectis oculis: vultus ipſe, & oculi, quaſi ſpeculum animæ noſtræ ſunt. Quid dicit ſcriptura? & non poterant lingua mentiri, quod cor intus non continebat. Hoc igitur dico & vobiſipſis; & mihi; neque enim ad hoc prædico, vt quaſi me ſecurum faciam. Hier.

Nicet. ad orat. 44. Naz. in ſanctam Pentec: Nicet.

Sed

Sed vſque ſeptuagies ſepties, hoc eſt, reſipiſcenti in infinitum offenſam condonabis. En quomodo ſcriptura remiſſionis peccatorum numerum ſeptenario definiat. Nam cum Petrus dixiſſet, vſque ſepties? Non ad alium numerum tranſijt Dominus, verum ſeptenarium multiplicans in ipſo remiſſionis terminum conſtituit. Porro ſeptuagies ſeptem, 490. efficiunt. Nec tamen hoc numero venia circumſcribitur: verum per eum ſemper condonandam eſſe noxam proximo; & quoties peccatum confeſſus fuerit, ac reſipuerit, ignoſcendum ei eſſe docemur.

77. ſunt 490.

Proximo ſemper ignoſcendum.

Chryſoſt.

Chryſoſt. hom. 19. ex varijs in Matth. locis: Septies cum auditis, nolite ad numerum attendere, quaſi vſque ſepties peccauerit frater, aut ſeptuagies ſepties. Septies ponit, id eſt, toto tempore, quia in ſeptenario numero venientes dies ad primum redeunt. Nam ille, qui dicebat: Septies in die laudabo te: non quod ſepties laudauerat, & tacuerat: ſed ſignificabat omni tempore. Debemus ergo toto tempore, debita fratribus, id eſt, peccata, dimittere. Nunquam iracundiam retinere, nihilominus quia Petrus hoc interrogabat, in quo vniuerſalis Eccleſia fundata eſt: ideoque cognoſcimus in eadem Eccleſia toto tempore dimitti peccata. Ergo cognoſcitur ſepties de Cain illo, qui occidit fratrem ſuum, vt ſepties vindictam exolueret, qui eum occideret. Iſtud peccatum quod commiſit Cain, Eccleſia dimittit; ideo de ſeptenario numero interrogabat primus Apoſtolus Petrus. Superaddidit ille magiſter bonus, patiens, & manſuetus, dicens: Non tãtum dico vſq; ſepties, ſed vſq; ſeptuagies ſepties. Et hoc iã demõſtratur nobis de Lamech illo, qui habuit duas vxores, qui dicebat: Audite, audite, mulieres Lamech, occidi virum in vulnere meo. Ergo de Cain ſcriptum eſt, ſepties exoluet vindictam, qui occiderit eum: de Lamech autem, ſeptuagies ſepties. Ecce iam, fratres, declarauit nobis veritas omnia peccata dimitti in Eccleſia ſancta catholica. Et quamuis grauia, quamuis crimĩnoſa, quamuis execrabilia, dimittit illa omnia pater bonus, qui non vult mortem morientis, tantum vt reuertatur, & viuat. Ecce ſepties in Cain, ecce ſeptuagies ſepties in Lamech; vt ad ſpem reuertantur peccatores, & non deſperent de granditate peccatorum ſuorum, reuertentes præuaricatores ad cor: vt corde contrito, & humiliato confeſſi Deo, dimittatur eis omne peccatum vſque ad nouiſſimam culpam.

Pſal. 118.

Vniuerſalis Eccleſia in Petro eſt fundata.

Gen. 4.

Petrus eſt primus Apoſtolus.

Quid ſit 77.

Chryſoſt.

Quid ſit 77

Et Hom. 62. in Matt: Quia quidem oratione nullum omnino numerum poſuit; ſed indefinite, continue, ac ſemper ſignificauit. Nam ſicut millies, infinite deſignat; ſic quando hic numerus dicitur, plerumque multa indefinite, atque indiſtincte denotantur: veluti cum dicitur; quia ſterilis peperit ſeptem, per id ſcriptura multos ſignificat. Non ergo certo numero indulgentiam concluſit; ſed continuo, atque ſemper indulgendum eſſe denotauit. Idem habet Hom. 20. ex varijs in Matt. locis.

Septē pro multis ponitur. 1 Reg. 2.

Chryſoſt

Amb.

Ambroſ. lib. 2. de Iacob cap. 6: Quid ſibi etiam vult quod ſepties adorauit? Hæreret ſolutio, niſi illud occurreret, quod Petro interroganti in Euangelio, ſi frater meus in me peccauerit, quoties dimittam ei? vſque ſepties? Reſpondit Dominus Ieſus: Non ſolum ſepties; ſed vſque ſeptuagies ſepties. Hoc igitur prophetico ſpiritu ſanctus patriarcha ſignificat, in aduenientem reſpiciens, qui non ſolum vſque ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſepties veniam fratri laxari iuberet, vt eius contemplatione conuentus Eſau, iniuriam, quam ſe accepiſſe putabat, remitteret fratri: & quamuis læſus, in gratiam rediret: quia propterea carnem ſuſcepturus erat Dominus Ieſus, & venturus in terras, vt multiplicatam nobis donaret veniam delictorum.

Gen. 32. Cur ſeptiẽ fratrem Iacob ſepties adorauit.

Aug. ſer. 15. de verbis Domini: In remiſſionem vbi venia petitur, & ab ignoſcente debetur, hoc poteſt mouere, quod & Petrum mouit; quoties debeo, inquit, ignoſcere? ſufficit vſque ſepties? non ſufficit, ait Dominus: non dico ſepties, ſed ſeptuagies ſepties. Iam tu enumera quoties in te peccauerit frater tuus. Si potueris peruenire vſque ad ſeptuageſimam culpam, & octauam, vt tranſeas ſeptuagies ſepties, tunc moliris vindictam. Itane verum eſt quod dicit? Et vere ita ſe res habet, vt ſi peccauerit ſeptuagies ſepties, ignoſcas; ſi autem peccauerit ſeptuagies octies, iam liceat tibi non ignoſcere? Audeo dicere, vt & ſi ſeptuagies octies peccauerit, ignoſcas. Si autem peccauerit, vt dixi, ſeptuagies octies, ignoſce. Et ſi centies peccauerit, ignoſce. Et quid dicam toties, & toties? omnino quoties peccauerit, ignoſce. Ergo ego auſus ſum ſupergredi modum Domini mei? ille in ſeptuageſimo & ſeptimo numero ignoſcendi limitem fixit; hunc ego limitem tranſilire præſumam? Non eſt verum, non ſum auſus plus aliquid. Ipſum meum Dominum audi loquentem in Apoſtolo ſuo, vbi modus, & numerus præfixus non eſt. Ait enim; donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſum aliquem habet querelam, ſicut Deus in Chriſto donauit vobis. Audiſtis formam. Si ſeptuagies ſepties peccata tibi Chriſtus donauit, ſi hucuſque ignouit, & vltra negauit, pone & tu limitem, & tu vlterius noli ignoſcere. Si autem Chriſtus millia peccata peccatorum inuenit, & tamen omnia donauit, noli ſubducere miſericordiam, ſed poſce illius numeri ſolutionem. Non enim ſine cauſa Dominus ſeptuagies ſepties dixit, cum omnino nulla culpa ſit, quam non debeat ignoſcere. Ecce ille ipſe ſeruus, cuius debentis inuentus eſt debitor, qui decem millia talentorum debebat. Seruus autem ille quantum ei debebat? Centum denarios debebat. Iam plus eſt, quam ſeptuagies ſepties: & tamen iratus eſt Dominus, quia ei non dimiſit. Non ſolum enim centum plus ſunt, quam ſeptuaginta ſeptem: ſed centum denarij forte mille aſſes ſunt. Sed quid ad decem millia talentorum? Ac per hoc omnes culpas, quæ in nos committuntur, parati ſimus ignoſcere, ſi nobis deſideramus ignoſci. Si enim conſideremus peccata noſtra, & nume-

Aug.

Col. 3.

cap. 18.

& numeremus quid facto, quid oculo, quid aure, quid cogitatione, quid innumerabilibus motibus; neſcio vtrum dormiamus ſine talento. Ergo quotidie petimus, quotidie diuinas aures orando pulſamus, quotidie nos proſternimus, & dicimus: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quæ debita tua? omnia an aliquam partem? reſpondebis omnia: Sic ergo & tu debitori tuo. Hanc ergo regulam ponis, hanc conditionem loqueris. Hoc pacto, & placito quando oras, commemoras vt dicas: Dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quid ſibi ergo vult ſeptuagies ſepties? Audite, fratres, magnum myſterium, admirabile ſacramentum. Quando Dominus baptizatus eſt, Lucas Euangeliſta ſanctus ibi commemorauit generationes eius, quo ordine, qua ſerie, quo ſtemmate ad illam generationem ventum fuerit, qua natus eſt Chriſtus. Matthæus cœpit ab Abraham, & venit vſque ad Ioſeph deſcendendo: Lucas autem aſcendendo cœpit numerare, quare ille deſcendendo, ille aſcendendo? Quia Matthæus generationem Chriſti commendabat, qua deſcendit ad nos: ideo quando natus eſt Chriſtus, cœpit numerare deſcendendo. Lucas autem quia tunc cœpit numerare, quando baptizatus eſt Chriſtus, ibi eſt initium aſcenſionis. Iſte aſcendendo numerare cœpit; numerando autem compleuit generationes ſeptuaginta & ſeptem. A quo numerabat? Intendite à quo. Exorſus eſt numerare vſque ad ipſum Adam, qui primus peccauit, & nos cum peccati obligatione generauit. Peruenit vſque ad Adam, & numerantur generationes ſeptuaginta ſeptem, hoc eſt, à Chriſto vſque ad Adam, quas dicimus ſeptuaginta ſeptem. Et ab Adam vſque ad Chriſtum ſeptuaginta ſeptem. Si ergo nulla generatio prætermiſſa eſt, nulla culpa præteritur, vbi non debet ignoſci. Nam ideo ipſius ſeptuaginta ſeptem generationes numerauit, quem numerum Dominus in peccatorum remiſſione commendauit: quoniam à baptiſmo cœpit numerare, vbi omnia peccata ſoluuntur. Et in hoc, fratres, adhuc accipite ſacramentum maius. In ſeptuageſimo ſeptimo numero myſterium eſt remiſſionis peccatorum. Tot generationes inueniuntur à Chriſto, vſque ad Adam. Deinde paulo diligentius interroga ipſius numeri ſecretum, latebraſque eius inquire, pulſa diligentius, vt aperiatur tibi. Iuſtitia lege Dei conſtat. Verum eſt: Nam lex in decem præceptis commendatur: ideo ille debebat decem millia talentorum. Ipſe eſt ille memorabilis Decalogus ſcriptus digito Dei, traditus populo per Moyſem famulum Dei. Debebat ergo ille decem millia talentorum, omnia peccata ſignificat, propter numerum legis. Debebat & ille centum denarios, non minus ab eodem numero. Nam & centies centum fit decem millia, & decies deni fit centum. Et ille decem millia talentorum, & ille decies dena. A legitimo enim numero non receſſum eſt, in quo vtroque inuenies vtraque peccata. Vterque debitor, & vterque veniæ deplorator, & impetrator; ſed ille ſeruus malus, ſeruus ingratus, iniquus, noluit rependere quod accepit, noluit præſtare quod illi indigno præſtitum fuit. Videte ergo fratres, quiſquis incepit à baptiſmo, liber exit, dimiſſa ſunt illi decem millia talentorum: & cum exierit, inuenire habet conſeruum ſuum debitorem. Obſeruet ergo ipſum peccatum, quia numerus vndenarius tranſgreſſio legis eſt. Lex enim denarius, peccatum vndenarius. Lex enim per decem, peccatum per vndecim. Quare peccatum per vndecim? quia tranſgreſſio denarij eſt vt eas ad vndenarium. In lege autem modus fixus eſt, tranſgreſſio autem peccatum eſt. Iam vbi tranſgrederis denarium, ad vndenarium venis. Adeo magnum myſterium figuratum eſt, quando iuſſum eſt tabernaculum fabricari. Multa ibi numeroſa dicta ſunt, in magno ſacramento. Inter cætera vela cilicina iuſſa ſunt fieri, non decem, ſed vndecim; quia per cilicium oſtenditur cõfeſſio peccatorum. Quid autem amplius quæris? vis noſſe omnia peccata contineri numero iſto ſeptuageſimo ſeptimo? Septimum ſolet pro toto computari; quoniam ſeptem diebus voluitur tempus; & finito ſeptenario, rurſus ad caput reditur, vt eadem forma voluatur. Per huiuſmodi formæ reuolutiones ſecula tranſeunt, à ſeptenario tamen numero non recedunt. Omnia enim peccata dixit, quando ſeptuagies ſepties dixit; quia illud vndecim ductum ſepties, fiunt ſeptuagies ſepties. Omnia ergo dimitti peccata voluit, qui ea ſeptuageſimo ſeptimo numero præſignauit. Et lib. 2. de conſen. Euang. cap. 4: Ideo in eo numero, qui eſt penes Lucam, & ipſe Chriſtus à quo incipit enumeratio, & Deus, ad quem peruenit, connumerantur, & fit numerus ſeptuaginta ſeptem, quo ſignificatur omnium prorſus remiſſio, & abolitio peccatorum: quam etiam ipſe Dominus per huius numeri myſterium euidẽter expreſſit, dicens, remittendũ eſſe peccanti, non ſolũ ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſepties. Nec fruſtra iſte numerus ad peccatorum omnium pertinet mundationem, ſi diligentius inquiratur. Denarius quippe tanquam iuſtitiæ numerus, in decem præceptis legis oſtenditur. Porro peccatum eſt legis tranſgreſſio. Et vtique tranſgreſſio denarij numeri congruenter vndenario figuratur, vnde & vela cilicina iubentur in tabernaculo vndecim fieri. Quis autem dubitet ad peccati ſignificationem cilicium pertinere? Ac per hoc quia vniuerſum tempus ſeptenario dierum numero voluitur, conuenienter vndenario ſepties multiplicato ad numerum ſeptuageſimum & ſeptimum cuncta peccata perueniunt. In quo numero etiam fit plena remiſſio peccatorum: expiante nos carne ſacerdotis noſtri, à quo nunc iſte numerus incipit: & reconciliante nos Deo, ad quem nunc iſte numerus peruenit per Spiritum ſanctum, qui in columbæ ſpecie in hoc baptiſmo, vbi numerus iſte commemoratur apparuit. Et ſerm. 15. de verbis Domini: Iam ergo obſecrant pueri indiſciplinati, & volunt

Margin notes: Myſterium numeri 77. — cap. 3 Lucæ. — cap. 1. Matt. Cur Matthæus deſcendat, Lucas vero aſcendat. — Cur Lucas generationes 77. numeret. — 10000. talenta ſunt omnia peccata. — 11 legis eſt tranſgreſſio. — Cur cilicia 11. — Aug. — Cur Lucas generationes 77. numeret. — Numerus 77 quid ſignificet. — 11. ſignificat peccatum. Exod. 26. Cur 11. vela cilicina. — Aug.

& nolunt vapulare, qui ſic præſcribunt nobis, quando volumus dare diſciplinam; peccaui, ignoſce mihi. Ecce ignoui; & iterum peccaui; ignoſce, ignoui. Peccat tertio, ignoſce, tertio ignoui. Iam quarto vapulet. Et ille: Nunquid ſeptuagies ſepties te fatigaui? Si hac præſcriptione ſeueritas diſciplinæ dormiat, repreſſa diſciplina, ſæuit impunita nequitia. Quid ergo faciendum eſt? Corripiamus verbis, &, ſi opus eſt, verberibus; ſed delictum dimittamus, culpam de corde abijciamus; ideo enim Dominus ſubdidit, de cordibus veſtris, vt ſi per charitatem imponitur diſciplina, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam pium, quam medicus ferens ferramentum? Plorat ſecandus, & ſecatur; plorat vrendus, & vritur. Non eſt illa crudelitas, abſit vt ſæuitia medici dicatur. Sæuit in vulnus, vt homo ſanetur: quia ſi vulnus palpetur, homo perditur. Sic ergo iſta monuerim, fratres mei, vt fratres noſtros, qui peccauerint, omni modo diligamus de corde noſtro.

Remiſſio non tollit diſciplinam.

Cur ait: De cordibus veſtris cap. 93. ver 14. Simile.

Charitatem in eos non dimittamus, & diſciplinam, cum opus eſt, demus: ne per ſolutionem diſciplinæ creſcat nequitia, & incipiamus propter Deum accuſari; quia recitatum eſt nobis; peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Et lib. 1. contra aduer. legis, & Prophetarum cap. 17: Ignoſcendi autem miſericors manſuetudo, propter quam dictum eſt, non ſolum ſepties, verumetiam ſeptuagies ſepties fratri remittenda eſſe peccata, non ad hoc valet, vt ſit iniquitas impunita, aut torpens, & dormiens diſciplina; quod potius obſit, quam diligens, vigilanſque vindicta. Claues quippe regni cælorum ſic dedit Chriſtus Eccleſiæ, vt non ſolum diceret: Quæ ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis; vbi apertiſſimè bonum, non malum pro malo reddit Eccleſia: verum & adiungeret: Quæ ligaueritis in terra, erunt ligata & in cælo: quia bona eſt & vindicandi iuſtitia.

1 Timo 5.

Aug.

Cap. 93. *Parabola Regis ponentis rationem cum ſeruis ſuis.*

Matt. 18.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*

Dom. 21. poſt Pentec.

1 In illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis parabolam hanc: ✠ Aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini Regi,
qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis.
2 Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus,
qui debebat ei decem milia talenta.
3 Cùm autem non haberet vnde redderet, iuſſit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia,
quæ habebat, & reddi.
4 Procidens autem ſeruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.
5 Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.
6 Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios.
7 Et tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes.
8 Et procidens conſeruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.
9 Ille autem noluit: ſed abijt, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum.
10 Videntes autem conſerui eius, quæ fiebant, contriſtati ſunt valde: & venerunt, & narrauerunt Domino ſuo omnia, quæ facta fuerant.
11 Tunc vocauit illum Dominus ſuus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.
12 Nonne ergo oportuit, & te miſereri conſerui tui: ſicut & ego tui miſertus ſum?
13 Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadúſque redderet vniuerſum debitum.
14 Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo, de cordibus veſtris. ✠]

Not. 1.

Not. 1.

Aug. ver. 23. Avg. lib. 1. quæſt. Euang. cap. 25: Quod oblatus eſt Domino debitor decem milium talentorum, & iuſſit eum venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi; (10000. talenta quid.) intelligendum eſt decem præceptorum legis eum fuiſſe debitorem: & pro cupiditate, atque operibus (Vxor, & filii quid.) ſuis, tanquam vxore, & filijs, pœnas ſoluere debuiſſe; quod eſt precium eius: precium enim venditi, ſupplicium damnati intelligitur. Quod (ver. 9.) dixit; noluit ignoſcere conſeruo ſuo; ſed abijt, & miſit eum in carcerem: & reliqua; intelligendum, tenuit contra eum hunc animum, vt ſupplicia illi vellet. (ver. 10. Conſerui qui.) Conſerui autem, qui narrauerunt Domino, quæ fiebant, poteſt intelligi Eccleſia, quæ & illum ſoluit, & illum ligat.

Orig. Orig. tract. 7. in Matth: Propoſitum quidem (Propoſitū parabolæ.) parabolæ vult docere, faciles nos eſſe ad indulgendum eis, qui nocuerint nobis, maximè ſi poſtquam nocuerint, ſatisfaciant nocitis nobis, & deprecentur dari ſibi veniam eorum, quæ offenderunt. Illud quoque nos inſtruit, quod etiam eorum peccatorum, quæ iam nobis à Domino indulta ſunt, reuocationem faciet Deus, etiam poſt indulgentiam, niſi indulſerimus offendentibus nos ita ex corde, vt nec modicam aliquam memoriam offenſionum earum apud nos reſeruemus. Poſt hanc parabolæ voluntatem, eſt quidem & ſimpliciter per ſingula verba eam diſcutere vniuerſam, vt negotietur quis ex ipſa diſſenſione dictorum, quæ (Allegoriæ ſemina.) ſingula diligenter inquirit. Eſt & ſublimior expoſitio, & myſterialior, ſecundum quam rationis eſt quærere, quis eſt rex, & qui ſerui, & quod principium ponendi rationem cum ſeruis ſuis, & quis eſt debitor talentorum multorum, & quæ vxor eius, & filij eius, & quæ omnia eius, quæ rex vendi præcepit, vt reddatur debitum de facultatibus eius: quid eſt egredi eum, qui accepit indulgentiam talentorum multorum: vel quis eſt ille conſeruus vnus, qui non patrifamilias, ſed ſeruo indulgentiam debitorum ſuorum conſecuto, debebat: & quid ſibi vult numerus centum denariorum, & quid eſt effocare, & dicere: Redde quod debes: & quis eſt ille carcer, in quem conſeruum ſuum detruſit indulgentiam conſecutus talentorum multorum: & qui conſerui, qui ſunt contriſtati, Domino nunciantes omnia facta, & qui ſunt tortores, quibus traditus eſt is, qui conſeruum ſuum detruſit in carcerem, & quomodo redditit tortoribus traditus omne quod debuit, vt iam nihil deberet.

(Chryſoſt. Deus maxime odit inimicitias.) Chryſoſt. hom. 27. in Gen: Nihil omnium Deus ita odit, & auerſatur, vt hominem vltionis auidum, & in animo ſuo perpetuas aduerſus proximum ſeruantem inimicitias. Tantum enim eius peccati damnum eſt, vt miſericordiam Dei reuocet, nec locum habere ſinat. Quod vt ſciatis, Euangelicam vobis parabolam refero. Quomodo ille decem millium talentorum debitor, remiſſionem omnium à Domino conſecutus, eo quod ſupplicabat, & orabat. Miſericordia enim motus, inquit, Dominus noſter, & fœnus ei remiſit. Vidiſti miſericordiam Domini? Ille procidit, ſupplicat, orat, vt longius ſibi tempus præfiniatur. Longanimis eſto in me, inquit, & omnia tibi reddam. Sed bonus Dominus, miſericors, noſtrique curam agens, (Deus plus dat, quam petamus.) ſupplici bene volens, non ſolum quantum petijt, ſed quátum ne cogitare quidem auſus fuit, dedit. Is enim eius mos eſt, vt vincat, & præueniat petitiones noſtras. Illo itaque orante, vt ſeueritatem Dominus remitteret, & promittente ſoluturum ſe omnia, Dominus bonitate ſua vincens noſtra delicta, miſericordia motus, inquit, dimiſit eum, fœnuſq; totum ei dimiſit. Vidiſti quid ſeruus orauerit, & quantum ei Dominus dimiſerit? vide è diuerſo, & ſerui inſolentiam: debebat enim iuxta tantam miſericordiam, & indicibilem beneficentiam ſibi exhibitam, & ipſe proximo fuiſſe compatientiſſimus. Verum ipſe plane diuerſo modo egit. Egreſſus enim, inquit, ille decem millium talentorum debitor, & remiſſionem aſſecutus. (ver. 6. 7.) Audite, obſecro, diligenter: nam quæ illi acciderunt, ſufficiunt ad corripiendas animas noſtras, & ad perſuadendum vt tollatur grauis ille morbus è mente noſtra. Hic igitur, inquit, egreſſus, inuenit vnum è conſeruis ſuis, qui debebat ſibi centum denarios. Vide quantum intereſt. Hic conſeruus debebat centum denarios; illic Dominus erat, qui repetebat decem millia talentorum. Nihilominus quia vidit ſupplicantem, & orantem, dimiſit. At iſte apprehenſum ſeruum ſtrangulabat, dicens: Redde mihi ſi quid debes. Et quidnam conſeruus, qui ſupplicabat, dixit? Vide quomodo ſubinde Euangeliſta verbum, conſeruus, verſat non temere, ſed vt diſcamus quod pares illi nihil differebant. Veruntamen conſeruus ei ſupplicabat eodem modo vt ille antea Domino, dicens: Longanimis eſto in me, & omnia tibi reddam. Ille autem, inquit, egreſſus, conijcit hunc in carcerem, donec omne debitum ſibi dinumeraret. O ſummam ingratitudinem! habebat adhuc in recenti memoria quāta Dominus liberalitate ſecum egerat, neque ſic aliqua compaſſione motus eſt: ſed prius quidem ſuffocabat, nunc vero in carcerem conijcit. Cæterum vide quid ſit. Vt viderunt, inquit, conſerui illius, contriſtati ſunt: & vt (ver. 10.) venerunt ad Dominum, rem omnem manifeſtarunt. Non ille quidem, qui ita male affectus (Qui accuſent.) erat (quomodo enim potuiſſet ille, qui in carcerem coniectus?) ſed alij conſerui, & qui nulla iniuria affecti, quaſi iniuria affecti, ita mæſti erant, dominoque, quem acceſſerunt, narrauerunt. Iam vide & Domini indignationem. Tunc accerſito eo, inquit, dicit: Serue male. Vere hic vi- (Quando vocet, nequam.) dere licet, quantum malorum ſit iniuriatum reminiſci. Quoniam cum decem millia talenta conſumpſiſſet, non vocauit eum malum; ſed nunc, quia conſeruo crudelis fuit. Male ſerue, inquit, omne debitum illud remiſi tibi, quia rogaſti me. Vide quomodo declarat excellentem eius malitiam. Num aliquid amplius feciſti? inquit.

quit. Nonne paucula tantum verba dixiſti, & ſuſcepta petitione tua totum illud grande, & indicibile debitum remiſi? Nonne & te miſereri oportebat conſerui tui, ſicut ego tui miſertus eram? Qua dignus eris venia? Ego Dominus tãtum pondus debitorum propter pauca illa nuda verba dimiſi: tu autem conſeruo tuo, qui eſt eiuſdem naturæ, non es miſertus, neque inflecti potuiſti, neque recordatus eorum, quæ à me tibi conceſſa, vllam compaſſionem præ te tuliſti; ſed inhumanus fuiſti, & crudelis, conſeruoque miſereri noluiſti; idcirco hic tandem re ipſa diſces quantorum tibi ipſi malorum author fueris. Et iratus Dominus eius, tradidit illum tortoribus. Vide & nunc ipſum iraſci ob inhumanitatem erga ſeruum, & tortoribus illum tradere: Id quod prius non fecit cum tot debitorum reus eſſet, nunc fieri iubet. Tradidit enim illum tortoribus, donec omne debitum redderet: Donec, inquit, decem millia talenta, quæ iam remiſſa erant, dinumeraret. Magna, & ineffabilis Dei miſericordia; cum in ſe quidem peccatum eſt, ad nudas tantum preces totum remittit: cum autem in conſeruum videt crudelem, & inhumanum, ſuam reuocat liberalitatẽ, monſtrans illi re ipſa quod non tam illum, quam ſeipſum offendiſſet. Et ſicut conſeruum in carcerem coniecit, donec debitum redderet: ita & ipſe tortoribus traditur, donec quod debebat rependat.

Talenta & denarij ſunt peccata. Hæc de talentis, & denarijs non ſimpliciter dixit, ſed de peccatis erat ſermo, & delictorum magnitudine: vt diſcamus

Scopus parabolæ, ver. 34. quod nos quidem infinitorum peccatorum pœnas Domino debentes, propter ineffabilem illius miſericordiam, remiſſionem ab ipſo accipimus. Si vero erga conſeruos, & proximos, & eos, qui eandem, quam nos, naturam ſortiti ſunt, crudeles, & inhumani fuerimus, & quæ in nos commiſſa ſunt non dimiſerimus, ſed pro re ſingula importuni fuerimus (quantum enim intereſt inter centum denarios, & decem millia talenta: tantum & inter ea, quæ nos in Dominum, & ea, quæ alij in nos deliquerunt) tunc & nos in indignationem Domini incidemus; & ea quæ iam antea dimiſſa erant, ſoluere iterum in tormentis cogemur. Porro vt diligenter diſcamus parabolam hanc ob animarum noſtrarum ſalutem à Domino adductam, audi quæ inferuntur:

Pater veſter. Varia lectio. Sic & Pater veſter cæleſtis faciet vobis, inquit, ſi non vnuſquiſque fratri ſuo remiſeritis è cordibus veſtris delicta illorum. Magnum parabolæ lucrum, modo attendere voluerimus. Quid enim tantum poterimus dimittere quantum nobis à Domino dimittitur? Et nos quidem ſi hoc voluerimus, conſeruis remittimus, ipſi vero à Domino remiſſionem accipimus. Et vide vt diligenter ſingula ſunt dicta. Non enim dixit ſimpliciter, ſi non dimiſeritis hominibus peccata, ſed, ſi non vnuſquiſque fratri ſuo è cordibus veſtris delicta illorum.

De cordibus. Aduerte quomodo vult cor noſtrum in quiete, & tranquillitate eſſe, & mentem noſtram à perturbationibus alienam, affectionibuſque omnibus liberam, plurimumq; nos erga proximum miſericordię ſtudium declarare. Et alio quoque loco iterum dicit: Si dimiſeritis hominibus delicta illorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis. Ne igitur putemus, quod dum benefacimus, alteri gratificemur, aut magnum quoddam beneficium apud illum deponamus. Nam ipſi ſumus, qui beneficio fruimur, & multum lucri inde nobis conciliamus. Sicut etiam ſi hoc non fecerimus, omnino nihil eos lędere poterimus, nobiſipſis autem intolerabilem gehennæ pęnam paramus. Idcirco obſecro, vt cogitantes hęc, nunquam admittamus, vt eorum, qui nos contriſtarunt, vel alias offenderunt, iniuriæ reminiſcamur, vel inimico animo erga illos afficiamur; ſed conſiderantes quanta hoc nobis afferat beneficia, & quantam ad Dominum fiduciam: & ante omnia, quod reconciliari cum ijs, qui nos iniuria affecêre, peccatorum noſtrorum abſumptio quędam eſt. Feſtinemus, & anhelemus, vt paratum inde lucrum reputantes, tam officioſi in eos ſimus, qui nos offendêre, quam ſumus in eos, qui vere nobis benefaciunt. Nam ſi ſapimus, non ita nobis prodeſſe poterunt qui candidi in nos ſunt, & demereri cupiunt, atque ij, per quos diuino fauore digni efficimur, & peccatorum ſarcinis exoneramur.

Not. 2.

Aug. A v g. ſerm. 15. de verbis Domi: Dominus narrauit ſimilitudinem valde terribilem, quia ſimile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui poſuit rationem cum ſeruis ſuis, in quibus inuenit debitorem decem milium talentorum. Et cum iuſſiſſet vt omnia, quæ habebat, & omnis eius familia, & ipſe venderetur, & debitum ſolueretur, aduolutus genibus Domini ſui rogabat dilationem, meruit remiſſionem. Miſertus eſt enim Dominus eius, ſicut audiuimus, & omne debitum dimiſit illi. At ille debito liber, ſed iniquitatis ſeruus, poſteaquam egreſſus eſt à facie Domini ſui, inuenit etiam ipſe debitorem ſuum, qui debebat, non decem milia talentorum, quantum ipſius debitum fuit; ſed centum denarios. Cæpit eum ſuffocatum trahere, & dicere, redde quod debes. At ille rogabat conſeruum, ſicut & ipſe rogauerat Dominum, ſed non talem iſte inuenit conſeruum, qualem ille Dominum. Non ſolum remittere illi debitum noluit, ſed nec dilationem dedit, contortum rapiebat ad ſolutionem, iam debito dominico libero diſplicuit conſeruis, & renunciauerunt Domino ſuo quod actum eſſet, & Dominus fecit adeſſe ſeruum, & dixit ei: Serue nequam, cum mihi tanta deberes, miſertus tui omnia dimiſi tibi. Nonne ergo & te oportebat miſereri conſerui tui, ſicut & tui miſertus ſum? Et iuſſit omnia, quæ illi dimiſerat exigi. Ergo hanc ſimilitudinem ad noſtram inſtructionem propoſuit, & admonendo perire nos noluit. Sic, inquit, & vobis faciet Pater veſter cæleſtis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque veſtrum fratribus veſtris ex corde veſtro. Pater veſter. Varia lectio. Ecce, fratres, res in aperto eſt, admonitio vtilis, & valde ſalubris.

ſalubris. Obedientia debetur, vt quod iuſſum eſt, impleatur: quia omnis homo, debitor eſt Dei,& debitorem habet fratrem ſuum. Quis eſt enim, qui non ſit debitor Dei, niſi in quo nullum poteſt inueniri peccatum? Quis eſt autem, qui non habet debitorem fratrem, niſi in quem nemo peccauit? Putaſne quiſquam in genere humano reperiri poteſt, qui non & ipſe aliquo peccato obſtrictus ſit fratri ſuo? Debitor eſt ergo omnis homo, habens tamen & ipſe debitorem. Ideo Deus iuſtus conſtituit tibi regulam in debitore tuo, quod faciet & ipſe cum ſuo.

Omnes ſunt debitores, & mendici.

Duo miſericordiæ opera.

Duo ſunt enim opera miſericordiæ, quæ nos liberant, quæ breuiter ipſe Dominus poſuit in Euangelio: Dimittite,& dimittetur vobis: date, & dabitur vobis, dimittite, & dimittetur vobis, ad ignoſcendum pertinet. Date,& dabitur vobis, ad præſtandum beneficium pertinet. Quod ait de ignoſcendo, & Deus tibi ignoſcit quod peccas, & habes alium cui tu poſſis ignoſcere. Rurſus quod pertinet ad tribuendum beneficium, petit te mendicus,& tu es Dei mendicus. Omnes enim quando oramus mendici Dei ſumus, ante ianuã magni patrisfamilias ſtamus. Imo etiam proſternimur, ſupplices ingemiſcimus aliquid volentes accipere,& ipſum aliquid ipſe eſt Deus. Quid à te petit mendicus: panem. Et tu quid petis à Deo, niſi Chriſtum, qui dicit: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi? Ignoſci vobis vultis? Ignoſcite, remittite, & remittetur vobis. Accipere vultis? date,& dabitur vobis. Puto enim quia decem milia talentorum, vt parum ſit, decem milia peccatorũ ſunt. Nolo enim dicere vnum talentum, quod omnia peccata concludat. Nemo contra ſe teneat non ignoſcendo, ne contra illum teneatur, quando orat. Dicit illi Deus: Dimitte,& dimittuntur tibi. Si ego prior dimiſi, dimitte vel poſtea. Nam ſi non dimiſeris, reuocabo te, & quicquid tibi dimiſeram, replicabo tibi. Non enim mentitur veritas, non fallit, aut fallitur Chriſtus, qui ſubiecit dicens: Sic & vobis faciet pater veſter, qui eſt in cælis. Inuenis patrem, imitare patrem. Si enim imitari non vis, exhæredari diſponis. Faciet ergo vobis iſta, inquit, pater veſter cæleſtis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratribus veſtris, ex cordibus veſtris. Ne dicas in lingua, ignoſco, & corde differas. Supplicium enim oſtendit tibi Deus, minando vindictam. Nouit Deus vbi dicas. Vocem tuam homo audiuit, conſcientiam tuam Deus conſpicit. Si dicis dimitto, dimitte. Melius eſt cum clamas ore, & dimittis in corde, quam blandus ore, crudelis in corde.

Talenta ſunt peccata, ver. 2.

Pater veſter. Varia lectio.

De cordibus.

Ver. 2.3.

Hier. Quis debitor 10000, talentorũ.

Hic ſenſus reiicitur.

Hieron. Matth. 18: Scio quoſdam iſtum, qui debebat decem millia talenta, diabolum interpretari, cuius vxorem & filios venundatos, perſeuerante illo in malitia, inſipientiam, & malas cogitationes intelligi volunt. Sicut enim iuſti vxor, dicitur Sapientia: Sic vxorem iniuſti, & peccatoris, appellari ſtultitiam. Sed quomodo ei dimittat Dominus decem millia talenta; & ille nobis conſeruis ſuis centum denarios non dimiſerit: nec Eccleſiaſticæ interpretationis eſt, nec à prudentibus viris recipiendæ. Vide ex eodem Hieron. lect. 7. 8. 9. Dom. 21. poſt Pent.

Ver. 4.

Chryſoſt.

Orabat eum.) Calamitate preſſus, ait Chryſoſt. hom. 62. in Matth.

Ver. 5.

Chryſoſt. Dei bonitas.

Deus plus dat, quam petamus.

Cur Deus non niſi rogatus det.

Chryſoſt. hom. 62. in Matth: Perſpexiſti rurſus mirabilem exaggerationem miſericordiæ. Dilationem ſolummodo temporis, ac propagationem quandam ſeruus poſtulauit, ille autem multò magis quàm petijt, videlicet totius æris alieni donationem vltro præbuit. Ita patet ab initio etiam voluiſſe. Ipſum, tamen non prius id facere, niſi debitor ſupplicaret, vt donum non modò ſuum, verumetiam petitionis illius eſſe videretur: quod fecit, vt coronam quoque ſeruus conſequeretur: totum tamen ad Dominum merito refertur. Nam etſi procidit debitor, atque rogauit, ex cauſa tamen indulgentiæ vniuerſam rem Domino attribui videmus. Commotus enim miſericordia dimiſit eum, nec antequam ſupplicaret, vt cum videretur aliquid ipſum quoque feciſſe, non maiore confunderetur rubore; vtque calamitate ſua perductus facilis ad ignoſcendum conſeruo fieret. Sed ad hoc vſque probus, ac placens fuit. Nam nec debitum negauit,& redditurum ſe vniuerſum promittens procidit, atque orauit, & quaſi vt delinquentem ſe condemnauit, cum magnitudinem peccati non ignorauerit.

Chryſoſt. Peccata ſunt debita.

Cur Deus malis ſit clemens, & bonis exactus.

Et homil. 5. de pænit: Atque aliud conſidera, frater: quoniam quidem peccata quaſi debita deſcribuntur, peccatoribus quidem & ipſam principalem ſortem elargitur Deus, & debita dimittit: à iuſtis vero etiam vſuras exigit. Et acceſſit ad eum, qui debebat decem millia talenta, ita vt pænitentia multa, multiſque precibus iudicem mitigauerit,& dixerit: Domine, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Non immoratus ipſe clemens, piuſque Deus vt redderet; ſed in confeſſione debiti ſolutionem fecit; & debitori quidem decem millium talentorum vniuerſa dimiſit, & ipſam etiam priorem ſortem: à iuſtis vero & vſuras repetere promittit. Quare, inquit, non dediſti argentum meum ad menſas, & veniens cum vſuris recepiſſem? Hæc dico, non quaſi Deo odioſè ſeſe ad iuſtos habente: Deo enim nihil iuſto acceptius. Sed, quod paulò ante diximus, ſolatur peccatorem, quò eleuet; iuſtum, quo ſtatuat, terret. Et quibuſdam quidem multa dimittit peccata, quaſi inimicis, & inſtans; quibuſdam vero & nimis exactè, de minimis etiam quærit; nihil his ad perfectionem deficere volens. Et quod in mũdo eſt pauper, id circa Deum eſt peccator. Nihil peccante eſt pauperius, nihil ditius eſt iuſto.

Pœnitentiæ vis.

Euth. Matt. 18: Vide pænitentiæ vires, ac Domini humanitatem. Pænitentia ſiquidem facit

ſeruum à malitia cadere: ſtans enim firmus in prauitate, non poterat remiſſionem accipere; Dei vero humanitas, ſiue benignitas omnino ignouit, & æs alienum remiſit. Atqui ſeruus non omnimodam remiſſionem, ſed longanimitatem, ac protelationem quærebat. Diſce ergo Deum plura conferre, quam nos poſtulemus: tanta eſt Dei benignitas, & humanitas, etiam cum durior videtur, puta iubendo venundari eum, & omnia, quæ illius erant. Idem habet Theoph. Matt. 18.

Dei bonitas. Deus plus dat, quam petamus. Deus eſt clemens, etiam cum durus videtur. Theoph.

Not. 3. ver. 6.

Chryſoſt. Peccatorũ differentia.

Chrysost. hom. 62. in Matth: Perſpicis quantum inter peccata, & peccata diſcrimen eſt? quantum enim centum denarij à decem millibus talentis diſtant: tantum, immo vero multò plus, ea, quæ in hominem peccata, diſtãt ab his, quæ in Deum committuntur: quod tum differentia perſonarum, tum crebritate, immo vero continentia peccandi perſpicitur. Nam cum peccantes nos homo quiſpiam videat, veriti à peccãdo deſiſtimus: cum autem Deus quotidie delinquentes perſpiciat, nequaquam veremur; ſed omnia intrepidè facimus, atque dicimus: neque hac ratione ſolum, verumetiam & propter collata beneficia, & honoris gratiam, quo diuinitus præditi ſumus, aduerſus Deum delicta grauiora redduntur. Quæ verò ſequuntur, indigna omnino prioribus ſunt. Nam cum exijſſet, inquit, non multo tempore poſt, ſed confeſtim beneficij magnitudinem ante oculos adhuc habens, tanto munere, tantaque liberalitate Domini abuſus eſt.

Beneficio ſtatim abutitur.

Eut. Euth. Matth. 18: Non poſt longum tempus, ſed ſtatim: beneficentiam faciens tramitem ad id, quod neque Deo gratum eſt, neque hominibus.

Theoph. Theoph. Matt. 18: Nullus enim, qui in Deo manet, compaſſionis expers eſt; ſed ille egreſſus erat, & à Deo nunc alienus.

Egreſſus.

Ver. 7.

Chryſoſt. Serui crudelitas.

Chryſoſt. hom. 62. in Matt: Vidiſti humanitatem, & miſericordiam Domini; vide nunc inauditam ſerui crudelitatem. Audiatis hæc, quicunque pecuniarum gratia ſimilia in dies committitis. Nam ſi in peccatis id fieri non licet, quanto minus in pecunijs licebit?

Ver. 9.

Chryſoſt. Serui crudelitas, & auaritia.

Chryſoſt. hom. 62. in Matth: Ne verba quidem ipſa veritus eſt, quibus ſalutem acquiſiuit: his enim ipſe dictis, decies mille talentorum debitum euitauit. Ita nec portum quidem cognouit, quo, tutatus à naufragio, euaſit; Nec modus ipſe ſupplicationis ad miſericordis Domini memoriam eum reduxit; ſed omnia illa, crudelitate, ac auaritia oblitus, omni fera ſæuius in conſeruum inſiliebat. Quid facis homo? Non ſentis aduerſus teipſum mucronem adigere, ac ſententiam, ac munus Domini reuocare? Sed ille nihil horum cogitauit, nec rei ſuæ meminit, nec vllo modo remiſit. Et certe, non æquali de re iſte ſupplicabat, cum pro talentis hic decem millibus, alter autem pro centum denarijs ſupplicauerit: & ille conſeruo ſe proſtrauit, iſte Domino: & cui omnino indultum fuit, is nec pro rogationem quidem conceſſit: vinculis enim, atque carcere ipſum oppreſſit.

Ver. 10.

Chryſoſt. hom. 62. in Matth: Quod alij ſerui non ferentes, totam rem ad Dominum retulerunt. Ne hominibus quidem iſtud placuit, nedum Deo. Condoluerunt itaque illi, qui nihil debebant.

Chryſoſt. Conſerui qui ſint.

Euth. Matt. 18: Incompaſſibilitas non à Deo ſolum habetur odio; ſed neque manſuetis hominibus grata eſt.

Eut. Conſerui qui ſint.

Theoph. Matt. 18: Videntur hi conſerui eſſe Angeli, oſores mali, & amantes boni, non quod ignoranti Domino hæc dicant, ſed vt tu diſcas, quod Angeli nobis ad tutelam dati ſint, & quod inhumanis, & immiſericordibus indignentur.

Theop. Conſerui qui ſint. Angeli nos cuſtodiunt.

Not. 4. ver. 11.

Chrysost. hom. 62. in Matth: Animaduerte quam mitis ſit Dominus, quaſi conſtitutus in iudicio ſatisfactionem reddit, quare donationem illam vniuerſam reuocauit; immo vero non ipſe reuocauit, ſed ille, qui accepit, euertit. Quid enim ait? Serue nequam; omne debitum illud dimiſi tibi, quia rogaſti me; nonne oportuit etiam te miſereri conſerui tui? Nam & ſi dura hæc res tibi videtur, oportebat tamen & lucrum iam acquiſitum, & futurum perſpicere. Graue, & oneroſum præceptum hoc eſt; ſed oportet magnitudinem quoque præmij conſiderare, nec illud tecum ſolummodo vertas, quia ille te cõtriſtauit, ſed tu cum magis Deum offendiſſes, ſola deprecatione reconciliatus es. Quod ſi tibi oneroſum, ac durum nimis, eum, qui te contriſtauit, diligere videtur: ſed multo magis oneroſum eſt gehennæ ſupplicijs in æternum torqueri; quod ſi illi oppoſuiſſes, cognouiſſes ſanè multo leuius hoc, quam illud, atque facilius eſſe. Et quando quidem decem milia talenta debebantur, non conuiciatus debitori, ſed miſertus fuit: Quando vero aduerſum conſocium crudelitatem exercuit, tunc nequam, atque improbum ſeruum appellauit. Audiamus, qui aliena rapimus: nobis enim hæc quoque dicuntur. Audiamus omnes, qui crudelitate occupati neminem miſeramur: audiamus, inquam, quia non in alios, ſed aduerſus noſipſos ſæuitiam exercemus. Quare cum peccati alieni recordaris cogita te tibiipſi, non alij detrimentum inferre. Tua enim non proximi peccata in faſcem colligis: & tu quidem quicquid aduerſus delinquentem operatus fueris in præſenti vita, hæc vt homo facis. Deus verò non ita, ſed maioribus, ac æternis te ſupplicijs puniet. Tradidit enim eum, ait, tortoribus, donec vniuerſum debitum perſolueret. Id eſt, ad perpetuitatem

Chryſoſt. Dei bonitas. Quando nequam vocet. Donec ſignificet perpetuitatem.

tem cum ſupplicij tradidit: nunquam enim perſoluturus eſt. Nam quoniam beneficijs melior fieri non potuiſti, reliquum eſt, vt pœna torquearis. Et quamuis chariſmata hæc, & dona irreuocabilia ſint, tantum tamen malignitas valuit, vt hanc quoque legem ſuperauerit. Quid igitur deterius memoria peccatorum, ac vltione, quæ tot, tantaque diuina dona euertere poſſe videatur? nec quieens, ſed ira commotus eum tradidit. Quando enim vendi eum iuſſit, nulla ira fuit in verbis: ideo nec vendidit; ſed humanitatis maxima fuit occaſio. Nunc autem hæc ſententia non parua cum moleſtia ad compunctionem, atque ſupplicium terminatur.

Cur beneficium nocet.

Iratus quando,

Euth. Matth. 18: O immenſam manſuetudinem! Ex æquo diſceptat cum eo, qui omni ſermone indignus eſt; & patienter, ac leuiter eum conuincit, qui per ſe condemnatus eſt; oſtenditque quod ipſe ſibiipſi priorem etiam gratiam ſubuertit, & ex eo vltionem adduxit. Et cum non poſſet ſoluere, non eum ſceleſtum nominauit, ſed eius potius miſertus eſt: quando verò erga conſeruum non eſt motus compaſſionis affectu, tunc & ſceleſtum appellauit, & puniuit. Audiamus nos, qui non compatimur, & horreamus: ſciamus quod ipſi noſipſos omnino condemnamus, Dei miſericordiam, quam erga nos exhibuit ſubuertentes, æternumque ſupplicium attrahentes.

Euth. Dei bonitas,

Quando nequam vocat.

Ver. 12.

Chryſ. hom. quod nemo læditur niſi à ſemetipſo: Vis autem videre quantum mali habeat vindictæ cupiditas? Miſericordiam Dei auffert ab homine, & conceſſam iam gratiam infringit, ac reuocat. Scriptum eſt enim in Euangelio, quod is, qui multorum talentorum debitor fuerat, & veniam precatus à Domino impetrauerat, cum conuerſus ad ſeruum ſuum, qui ei parum pecuniæ debebat, hoc eſt, qui in eum parum peccauerat, exigere eum cœpit, vindictam ſcilicet ſumere, & eò quod immitis fuit erga indulgentiam conſerui, ipſe de ſe ſententiam tulit, vt non ſolum iam conceſſa non frueretur indulgentia, ſed & tortoribus traderetur, atque vniuerſam debiti ſummam, cum ſupplicijs, pœnaque perſolueret: & ita pro vindictæ deſiderio munus diuinæ perdidit indulgentiæ. Pro his, quæſo te, videntur expetendæ diuitiæ, vt tibi facilior via pateat ad interitum? Nonne pro his maximè oportebat eas, veluti inimicum grauiſſimum, & hoſtem peſſimum, ac totius mali auctorem vitari? Sed paupertas, inquis, difficile negocium eſt: interdum enim & blaſphemare cogit homines per penuriam, & multa inhoneſta, & indigna committere. Non paupertas hæc, ſed puſillanimitas facit: nam & Lazarus pauper fuit, & valde pauper, cuius paupertati addebatur etiam ægritudo, & ægritudo amariſſima, quæ ipſam paupertatem redderet duriorem.

Chryſoſt.

Peccata ſunt debita. Debitum exigere eſt vindictam ſumere.

Aug. lib. 1. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 12: Redire dimiſſa peccata, vbi fraterna charitas non eſt, apertiſſimè docet in Euangelio de illo ſeruo, quem cum inueniſſet debitorem decem millium talentorum deprecanti omnia dimiſit: ille autem conſeruum ſuum, qui ſibi debebat centum denarios, cum miſeratus non fuiſſet, iuſſit eum Dominus reddere, quæ ei dimiſerat. Tempus ergo, quo accipitur indulgentia per baptiſmum, tanquam tempus eſt reddendæ rationis, vt omnia debita, quæ inuenta fuerint, dimittantur. Non tamen ille ſeruus poſtea dedit conſeruo ſuo mutuam pecuniam, quam cum ille non poſſet reddere, non eius miſertus eſt; ſed iam ei debebat conſeruus eius, cum ipſe rationem Domino ſuo reddens, tanti numeri debito ſolueretur: nec dimiſerat conſeruo ſuo quod ei debebat, & ſic acceſſerat vt ei dimitteret Dominus. Hoc indicant verba conſerui dicentis: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Alioquin diceret. Iam mihi hoc dimiſeras, cur iterum repetis? Hoc & ipſius Domini verba manifeſtius aperiunt. Ait enim: Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios. Non dixit, cui iam debitum centum denariorum dimiſerat, ſi enim dimiſerat, non ei debebat. Quia ergo dixit, debebat ei: manifeſtum eſt, quod non dimiſerat. Et melius quidem fuerat atque hoc potius congruebat tanto debitori reddituro rationem, & expectanti miſericordiam Domini ſui, vt prior ipſe conſeruo dimitteret, quod ei debebatur, & ſic ad rationem reddendam vbi miſericordia Domini imploranda erat, accederet. Nec tamen illud, quod nondum conſeruo dimiſerat, impediuit Dominum eius, quo minus in illo tempore accipiendæ rationis, dimitteret ei omnia, quæ debebat. Sed quid profuit quandoquidem in caput eius propter odiorum perſeuerantiam rurſus omnia continuo replicata ſunt? Sic non impeditur baptiſmi gratia, quo minus omnia peccata dimittat, etiam ſi odium fraternum, in eius, cui dimittuntur, animo, perſeuerat. Soluitur enim heſternus dies, & quicquid ſupereſt ſoluitur etiam ipſa hora, momentumque ante baptiſmum, & in baptiſmo. Deinceps autem reus eſſe continuo incipit, non ſolum conſequentium, ſed etiam præteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus, quæ dimiſſa ſunt, peccatis: & hæc ſæpe contingunt in Eccleſia.

Aug. Quando peccata redeant.

Not. 5. ver. 13.

Eᴠᴛʜ. Matth. 18: Quo ad vſque ſolueri.) hoc eſt, continuè, & ſemper: poſtea enim nunquam ſoluet. Ex ea parabola manifeſtè accipito, peccata, quæ in Deum committimus, infinitis modis plura eſſe his, quæ delinquunt in nos fratres noſtri. Nam quiſque noſtrum Deo debitor eſt decem millium talentorum, hoc eſt, multi, ac magni reus debiti: debemus enim illi multas, graueſque pœnas, propter magna, grauiaque peccata. Quiſque autem eorum, qui in nos deliquerunt, nobis debitor eſt centum denariorum, videlicet, parui, viliſque debiti, ſi confera-

Eut. Donec, ſignificat perpetuitatem Peccatorũ differentia.

conferatur ad decem millia talentorum. Cum ergo Deo tanta debeamus, niſi erga noſtros debitores miſericordia vſi fuerimus, ſubuertemus etiam quæ iam nobis ſupplicantibus remiſerat: & poſtmodum omnium pœnæ à nobis, ſine vlla compaſſione, expetentur.

Theoph. Donec, perpetuitatem ſignificat. Theoph. Matt. 18: Quonſque reddat quod debebatur: hoc ſignificat quod tamdiu puniatur, donec reddat. Nunquam autem reddet quod debebat, videlicet, pœnam, quam meruerat: ſemper ergo punietur.

Ver. 14.

Chryſoſt. Pater meus. Chryſ. hom. 62. in Matth: Non dixit, Pater veſter, ſed, Pater meus. Non enim digni ſunt iſti, quorum pater Deus vocetur, cum ita nequam ſint, vt homines odio perſequantur. Duo exiguntur. Duo enim hinc eum quærere diligenter animaduerte: vt & nos ipſos peccantes culpemus, & aliorum peccata dimittamus: ita hoc poſtremum propter alterum facilius reddit. Nam qui ſua cogitat peccata, ad dandam conſeruo veniam, De cordibus. non ore ſolum, ſed corde facilior eſt.

Theoph. Pater meus. Theoph. Matt. 18: Non dixit, Pater veſter, ſed, Pater meus. Indigni enim ſunt tales, qui De cordibus. Deum habeant patrem. De cordibus autem vult remitti, non de ore dumtaxat. Cogita igitur quantum malum ſit vindictæ cupiditas: Quando beneficiū reuocetur. quandoquidem etiam donationem Dei reuocat, & irritat. Tametſi enim dona Dei ea ſint, quorum non pœniteat illum, reuocantur tamen hac ratione, & irritantur.

Euth. Scopus parabolæ. Euth. Matt. 18: Propter hunc ſermonem totam compoſuit parabolam, exemplo illum confirmans, quo facilius reciperetur. In principio ſiquidem parabolæ ſeipſum poſuit regem, ac legiſlatorem: Cur patri hoc tribuit. poſt finem vero ipſius, patri vltionis auctoritatem attribuit, ne iactabundus ipſe videretur: ſimulque oſtendens vnam vtriuſque eſſe auctoritatem. De cordibus. De cordibus veſtris autem, hoc eſt, ex corde, & non tantum ab ore.

Baſ. Baſil. in reg. breu. interrog. 42: Quid ſi parato ad ſatisfactionem eo, qui contriſtauerit, redire in gratiam nolit, qui contriſtatus ſit? Manifeſtum eſt Domini iudicium aduerſus hunc in parabola illa ſerui aduerſus conſeruum ſuum, qui rogatus cum animum nollet inducere vt patientiam adhiberet, videntes, inquit, conſerui eius, narrauerunt Domino ſuo. Iratus autem Dominus, priſtinam gratiam in eum ſuam reuocauit, & tradidit illum tortoribus quoaduſque redderet quod debebat.

Bed. Bed. Matt. 18: Sic & pater meus cæleſtis, &c.) ex quibus videlicet dictis conſtat, quia ſi hoc, quod in nos delinquitur, non ex corde dimittimus: & illud rurſus à nobis exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudebamus.

Hier. Hiero. Matth. 18: Formidoloſa ſententia, &c. lect. 9. Dom. 21. poſt Pent.

An peccata redeant, Tho. Aug. Si, & quomodo peccata dimiſſa redeant, habet Th. par. 3. qu. 88. Cur addatur; de cordibus veſtris, habet Aug. ſer. 35. de verb. Dom. vt videre eſt cap. 92.

Cap. 94. Iesvs, *Galilea relicta, Ieroſolymam ad diem feſtum tabernaculorum clam proficiſcitur.*

Matth. 19.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioann. 7.*
1 [ET factum eſt, cū conſūmaſſet Ieſus ſermones iſtos.			
			2 ERat autem in proximo, dies feſtus Iudæorum, Scenopegia.
			3 Dixerunt autem ad eum fratres eius: Tranſi hinc, & vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis.
			4 Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipſe in palam eſſe. Si hæc facis, manifeſta teipſum mundo.
			5 Neque enim fratres eius credebant in eum.
			6 Dixit ergo eis Ieſus: Tempus meū nondum aduenit: tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.
			7 Non poteſt mundus odiſſe vos: me autem odit.
			8 Quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala ſunt.
			9 Vos aſcendite ad diem feſtum hūc: ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum. Quia meum tempus nōdum impletum eſt.

Migrauit

Matt. 19.	*Mar. 10.*	*Luca 9.*	*Ioan. 7.*
			10 Hæc cùm dixiſſet, ipſe manſit in Galilæa.
11 Migrauit à Galilæa. (Et venit, &c. c. 122.	11 [ET inde exurgens.	11 FActum eſt autem dum complerentur dies aſſũptionis eius, & ipſe faciem ſuam firmauit vt iret in Ieruſalem.	11 Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum.
			12 Non manifeſte; ſed quaſi in occulto.

Not. 1.

Aug. — AVG. lib. 2. de conſ. Euang. cap. 62: Sequitur Matthæus ita narrans: Et factum eſt cum conſummaſſet Ieſus ſermones iſtos, &c. vſque ad illud, vbi ait: Qui poteſt capere, capiat. Hoc & Marcus commemorat, eundem ordinem tenens. (Aug.) Et cap. 63: Lucas autem inde iam digreditur ab iſtis duobus, vbi ait eum firmaſſe faciem ſuam vt iret in Ieruſalem. Ac poſt multa interpoſita occurrit eis rurſus, ad commemorandum illum diuitem, cui dicitur: Vende omnia, quæ habes. (Aug. Fratres qui ſint.) Et lib. 4. cap. 10: Deinde ſuis fratribus, id eſt, cognatis carnis ſuæ, ſuggerentibus vt aſcendat ad diem feſtum, quo poſſit innoteſcere multitudini, quanta altitudine reſpondit? (ver. 7.) Tempus meum nondum aduenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Non poteſt mundus odiſſe vos, &c. Hoc eſt ergo, tempus veſtrum ſemper eſt paratum: quia vos diem illum concupiſcitis, de quo propheta (Ierem. 17) dicit: Ego autem non laboraui ſubſequens te Domine, & diem hominis non concupiui, tu ſcis: hoc eſt, volare ad lucem verbi, & concupiſcere illum diem, quem videre concupiuit (Ioa. 8.) Abraham, vidit, & gauiſus eſt.

(Auct. Diſpoſitio huius ratio. Hunc vltimum Chriſti aſcenſum è Galilæa in Iudæam omnes Euangeliſtæ ponunt.) Ordo ſequentium vt rectè conſtituatur, aliqua ſunt hic notanda. Primum, eandem eſſe migrationem Chriſti è Galilæa, quam nunc Matthæus, & Marcus ſubiungunt, cum ea, quam Ioannes hoc loco deſcribit: poſt hanc enim Chriſtus in Galilæam non redijt; vt Euangeliſtæ ſatis apertè ſignificant. Ergo vna eſt, & eadem, eaque vltima. Secundum de hac Domini è Galilęa profectione Lucas etiam hic agit: & male quidam opinantur, eam Domini profectionem, quam Lucas hic ponit, factam eſſe poſt illa, quæ capite 122. narrantur. Non enim illius nunc meminit; ſed huius, quando, videlicet, Ieſus vltimo Galilæam reliquit. Prius quippe deſcripſit quæ à Domino geſta ſunt in Galilæa, ſicut Matthæus, & Marcus: quibus mox hanc profectionem ſubiungens, eam, de qua loquitur, ex Galilæa eſſe factam, non ex Iudęæ finibus, ſatis indicat. Deinde per Samariam, eundo in Ieruſalem, tranſiuit. Ex Galilæa ergo hoc iter inſtituerat. Media enim erat inter Galilæam, & Hieruſalem Samaritanorum regio; vt habetur cap. 26. ver. 2. A finibus autem Iudææ, qui ſunt vltra Iordanem, vt quis aſcendat Hieruſalem, Samariam tranſeat, non eſt neceſſe. Nec veriſimile eſt Dominum, relictâ via recta, in Samariam declinaſſe: cùm ſuis Apoſtolis ciuitates Samaritanorum intrare prohibuerit. Denique hæc Domini aſſumptio, quam Lucas habet, poſt illum in fines Iudęæ receſſum facta eſſe non poteſt: quia vno tantum, aut altero menſe, paſſionem Domini præceſſit. Atqui tam breui temporis ſpatio; eâ omnia contigiſſe; quæ à Luca narrantur, non eſt veriſimile, maxime quæ de ordinatis ſeptuaginta duobus diſcipulis, iiſdemque miſſis, ac reuerſis, dicuntur. Hæc porro Domini profectio ſex menſibus, aut circiter ante Chriſti paſſionem contigiſſe videtur. De hoc ergo receſſu omnes Euangeliſtæ agunt. Tertium, diuerſas Euangeliſtæ (Cauſæ huius profectionis.) huius migrationis vltimę cauſas indicant: Ioannes enim, feſtiuitatis gratia; alij vero, in Iudæa mortis ſubeundæ gratia, eum è Galilæa ſignificant aſcendiſſe. (Quoties Dominus è Galilæa in Iudæam ierit, & inde ſit eò reuerſus.) Quoties autem Chriſtus è Galilæa in Iudæam aſcenderit; & quoties redierit in Galilæam ex Iudæa, à Ioanne diligenter eſt notatum. Prima Chriſti profectio è Galilæa in Iudæam, ex quo Ioannes cæpit ſuæ legationis munus exercere, deſcribitur cap. 17. ver. 1. Ioannes enim prædicabat, & baptizabat in deſerto Iudææ, vt dicitur cap. 15. ver. 5. Primus verò Chriſti regreſſus è Iudæa in Galilæam, cap. 20. ver. 9. Secundus Chriſti aſcenſus è Galilæa, in Iudæam, cap. 22. ver. 2. Secundus autem Chriſti regreſſus è Iudæa, in Galilæam; cap. 26. ver. 1. Et cap. 27. ver. 12. At tertius Chriſti aſcenſus è Galilæa, in Iudæam, cap. 42. ver. 1. & tertius reditus è Iudęa in Galilæam pręſupponitur cap. 44. & 45. à nullo tamen Euangeliſtarum aperte deſcribitur. Quartus porro, & vltimus Chriſti aſcenſus è Galilæa in Iudæam iſto cap. 94. exprimitur. Poſt hac receſſit quidem Ieſus aliquoties ab Hieruſalem: non tamen in Galilæam, aut extra Iudæam. Ab hoc enim aſcenſu ad feſtum ſcænopegiæ, nullus amplius indicatur in Galilæam reditus; cum tamen Ioannes antea ſemper id ſtudioſe fecerit. Satis quoque aparet ex narrationis continuatione Dominum poſtea ſemper in Iudæa verſatum eſſe. Quartum non omnia, quæ poſt hanc Do-

mini

mini profectionem è Galilæa, Lucas commemorat, poſt eam contigerunt: ſiquidem nonnulla per recapitulationem narrat, quæ à Domino dicta, aut facta ſunt, cum eſſet in Galilæa. Quintum, Lucas à cap. 9. vſque ad 19. frequenter profectionis Domini mentionem facit, vt cap. 10. 13. 17. & 18. tamen non ſcribit eum veniſſe Hieruſalem, niſi cap. 19. ne quem hæc narratio perturbet, aduertendum eſt illa loca, quibus dicitur à Luca Dominum iuiſſe Hieruſalem, non accipienda de vna, & eadem profectione, quæ tum completa fuerit, cum id factum eſt, quod Lucæ 19. ſcribitur. Nam poſt migrationem è Galilæa, patet ex Ioanne Dominum bis veniſſe Hieruſalem, vt cap. 97. 121. & 136. videre licet: & prope eam ſemel, vt ex cap. 149. conſtat: ſolius tamen illius aduentus in Hieruſalem Lucas mentionem fecit, quo inſidens aſinæ, vrbem intrauit: quia non ſtatuerat commemorare alia Domini facta, vel dicta in Hieruſalem, quam ea, quæ circa eius paſſionem ibi contigerunt; ſicut etiam Matthæus, & Marcus. Sextum, poſteaquam Lucas narrare cæpit Dominum, relicta Galilæa, inſtituiſſe iter in Hieruſalem, multa eius menti occurrerunt à Chriſto dicta, vel facta in Galilæa, quæ in ſua narratione prætermiſerat, vtilia tamen erant cognitu: ea iudicauit ante paſſionis, & eorum, quæ ad eam pertinent, deſcriptionem, per recapitulationem inſerenda eſſe. Hinc eſt quod multa commemoret ſine alicuius ordinis, & cohærentiæ ſignificatione, quæ prius habita ſunt in Matthæo, & Marco, etiamſi veriſimile ſit quædam eorum à Matthæo, & Marco per anticipationem eſſe narrata: & quædam bis, vel ſæpius à Domino eſſe dicta, eo nimirum loco, ac tempore, quo Mattheus, aut Marcus ea referunt: & rurſum eo, quo Lucas ea ponit. Quod cum non rarò fieri potuerit, totam pene ſequentem Lucæ narrationem ſeorſum collocauimus; quamuis in multis, cum hiſtoria Matthęi, & Marci pręhabita coincidat.

Not. 2. ver. 2.

Euth. Scenopegia.

Evth. Ioan. 7: Dies feſtus Iudęorum Scenopegia.) Hic celebrabatur in memoriam diei, quo primum Moſes diuinum fixit tentorium, quod à Beſeleel ſabricatum eſt.

Theoph. Tria feſta Iudæorū. Paſcha.

Theoph. Ioan. 7: Operęprecium fuerit dicere de feſtis, quę faciunt Iudæi. Tria enim erant; vnum Paſcha, quod fecerunt egreſſi ex Ægypto; quod & primum apud ipſos erat: ſecundum Pentecoſte, quod celebrabant quidem vt liberati à malis, quibus in ſolitudine affligebantur: cum autem in terram promiſſionis ingreſſi eſſent, ac tunc primum frumenti fructum guſtaſſent, manipulos in feſto illo, tanquam primitias, offerebant. Tertium Scenopegia, quod celebrabant in gratiarum actionem, propter conuectas fruges menſe Septembri. Tunc enim gratias agebant Domino, conuectis omnibus fructibus. Ideo & tabernacula fiebant, & quaſi ſub dio agentes lætabantur. Vnde pſalmos quoſdam Dauid, qui inſcripti ſunt, pro torcularibus; quidam compoſitos eſſe dicunt in hoc feſtum. Nam tunc torcularia ſua implebant, & vuas premebant, propterea quę agebant gratias, & Pſalmis vtebantur, atque alijs in gratiarum actionem. Talis eſt pſalmus 8. Ideo & Propheta in ipſo meminit bonorum homini à Deo datorum. Significant autem etiam hæc; Paſcha, tranſitum noſtrum ex infidelitate ad fidem: Pentecoſte, ingreſſum in Eccleſiam, vt terram aliam promiſſionis; quando ſcilicet & panem manducamus ſumentes diuina myſteria. Non enim ſimul atque credidermus, tranſiuerimuſque ab incredulitate, mox & panem comedimus; ſed oportet primum baptizari, vt digni fiamus, qui ſtemus cum baptizatis in Eccleſia, & tunc de pane participemus. Scenopegia autem, reſurrectionem, quando omnes quidem fructus noſtrorum operum conſummantur, tabernaculaque noſtra per mortem deſtructa, iterum conſtituuntur. Sunt & alij diuiniores ſermones de his feſtis, at de his nunc non eſt dicendi tempus. Exponimus enim hoc, quod multis vtilius.

Pentecoſte

Scenopegia.

Quid hæc feſta ſignificent.

Bed.

Bed. Ioan. 7. & hom. in Euangelium feriæ tertiæ poſt Dom. Paſſ: Scenopegia, eſt dies feſtus, quo Iudæi menſe ſeptimo in tabernaculis ſub ramis arborum habitare diebus ſeptem iubebantur, ad memoriam habitationis illorum in eremo. Iſte erat dies feſtus, quem Iudæi magna ſolennitate celebrabant, velut reminiſcentes beneficiorum Domini, qui eos eduxit de terra Ægypti. Dies feſtus azimorum Iudæorum dicitur non vnus dies, ſed quotquot illius feſtiuitatis fuerunt, quaſi vnum diem feſtum, propter vnius feſtiuitatis conſuetudinem, nominare ſolebant.

Scenopegia.

Leuit. 23.

Quomodo dicatur dies feſtus

Aug. tract. 28. in Ioan: Quid ſit Scenopegia, ſcripturas qui legerunt, nouerunt. Faciebant die feſto tabernacula, ad ſimilitudinem tabernaculorum, in quibus habitauerant, cum ex Ægypto educti peregrinarentur in eremo. Iſte erat dies feſtus, & magna ſolennitas. Celebrabant hoc Iudæi velut reminiſcentes beneficia Domini, qui occiſuri erant Dominum. Hoc ergo die feſto, quia plures erant dies feſti. Sic enim appellabatur apud Iudęos dies feſtus, vt non eſſet dies vnus, ſed plures.

Aug. Scenopegia.

Quomodo dicatur dies feſtus.

Ver. 3. 4. 5.

Beda Ioan. 7: Fratres Domini, vſitatiſſimo ſanctæ ſcripturæ more, conſanguinei ſanctæ Mariæ ſemper virginis dicebantur. Nam Abraham, & Loth; & Laban, & Iacob fratres ſunt dicti, cum eſſet Laban auunculus Iacob. Cum ergo audieritis fratres Domini, Mariæ, cogitate conſanguinitatem, non iterum parientis vllam progeniem. Opera Domini diſcipulos non latebant, ſed iſtos latebant. Iſti enim fratres, id eſt, conſanguinei, Chriſtum conſanguineum habere potuerunt: credere autem in eum, ipſa propinquitate, faſtidierunt: quare in eum non credebant? Quia humanam gloriam requirebant, dicentes ad eum: Tranſi hinc, & vade in

Bed. Fratres Domini.

Iudæam,

Cur ei cõſulant Hieroſolymã ire.

Iudæam, &c. Nam his verbis oſtenditur, gloriam ipſius carnaliter quærere eos, quaſi dixiſſent, facis mirabilia, ſed abſcondite. Tranſi in Iudæam, vt principatus gentis, & ciuitas caput regni videant mirabilia tua. Innoteſce, appare omnibus, vt laudari poſſis ab omnibus.

Aug. Fratres Domini qui.

Aug. tractatu 28. in Ioannem: Fratres eius ſic accipite, ſicut noſtis: non enim nouum eſt quod auditis. Conſanguinei virginis Mariæ, fratres Domini dicebantur. Erat enim cõſuetudinis ſcripturarum appellare fratres quoſlibet conſanguineos, & cognationis propinquos, & extra vſum noſtrum, non quo more nos loquimur. Nam quis dicat fratres auunculum, & filium ſororis? ſcriptura tamen etiam huiuſmodi cognationes fratres appellat. Nam Abraham, & Loth fratres ſunt dicti, cum eſſet Abraham patruus Loth: & Laban, & Iacob fratres ſunt dicti, cum eſſet Laban auunculus Iacob. Cum ergo auditis fratres Domini, Mariæ cogitate conſanguinitatem, non iterum parientis vllam propaginem. Sicut enim in ſepulchro, vbi poſitum eſt corpus Domini, nec antea, nec poſtea mortuus iacuit: ſic vterus Mariæ nec antea, nec poſtea quicquam mortale concepit. Diximus fratres qui fuerint: audiamus quid dixerint.

In quo ſit Maria ſepulchro Domini ſimilis.

Theoph. Diſcipuli Domini qui.

Theoph. Ioan. 7: Tranſi hunc, & vade illuc, vt & diſcipuli tui, hoc eſt, turbæ, quæ te ſequuntur, videant quæ facis. Non enim de duodecim dicit; ſed de ijs, qui illum alias ſequebantur. Arguebant autem eum fratres eius, propter duas affectiones, timorem, & vanam gloriam; ideo & dicunt; nullus enim in occultò facit aliquid, id quod eſt formidinis: & quærit ipſe palam eſſe, id quod vanæ gloriæ. Si hæc facis, manifeſta te ipſum mundo. Hoc autem loco inſinuant: Haud bonam opinionem habemus de his, quæ à te fiunt. Nam ſi hęc facis vt bona, manifeſta te ipſum. Si autem te occultaris, manifeſtum quod mala faciens occultetis. Quod Ioannes opera quinque menſium in intermedio ſiluerit, manifeſtum hinc. Cum enim miraculum panum faceret, Paſcha erat, quod habebatur apud Iudæos primo menſe, quem Romani Martium vocant: nunc autem Scenopegia menſe fiunt Septembri. Quare igitur hoc Ioannes fecit? eo quod non erat opus omnia enumerare. Et aliter; Euangeliſtæ illa ſtuduerunt dicere propter quę reprehenſio aliqua, vel controuerſia ſubſequebatur apud Iudæos. Hęc Theoph. addi poteſt, quod Ioannes ea ſoleat omittere, quæ ſufficienter ab alijs ſunt enarrata.

Chriſtus hic in duobus arguitur.

Quod ſit timidus, & vanæ gloriæ cupidus.

Male de operibus Chriſti opinabantur.

Euth. Fictio fratrum.

Euth. Ioan. 7: Fingunt quidem de bonis ſuadere tanquam cognati, & amici familiares; finis verò eorum prauus erat, ab inuidia procedens: conabantur ſiquidem illum in Iudæam pellicere, vt ab illis occideretur, qui eum quærebant interficere. Cauſam autem prætexebant, quod oporteret diſcipulos quoque eius, qui ibi erant, ſiue turbas, quæ illum in Iudæa ſequebantur, intueri ſigna, quæ ipſe ederet. Nemo enim in occultò facit quippiam, & quærit ipſe palam eſſe. Iuxta faciliorem intellectum, & qui in promptu eſt, videntur illum incitare vt tráſeat; iuxta profundiorem verò, ſcommata in eum iaciebant, tanquam in timidum ſimul, & glorię cupidum. Siquidem in occulto quidem quippiam facere, timidi eſt: quærere autem palam eſſe, ſiue manifeſtum, & glorioſum, gloriæ cupidi eſt. Si hęc facis. Manifeſta teipſum mundo. Si hæc ſigna verè, & non apparenter facis, manifeſta teipſum omnibus Iudęis. Suſpicabantur namq; ſigna hæc phantaſticè fieri. Hinc ergo manifeſtum eſt, quod etiam ibi miracula ediderit; quæ omnia prętercurrit Ioannes, quẽadmodum alia multa; feſtinans magis ad ea, quæ nouam aliquam afferebant narrationem; & quorum alij nullam fecerant mentionem. Deinde cauſam etiam dicit talis ſuſpicionis. Neque enim fratres eius credebant in eum; tanquam in Deum. Attamen hi qui tunc tales erant, magni poſtmodum effecti ſunt, multaque à multis pro illo paſſi.

Chriſti mortem quærebãt.

Diſcipuli Domini qui.

Chriſtum vident vt timidum & gloriæ cupidum.

Male de operibus Chriſti opinabãtur.

Cur Ioannes acta quinque menſium, omiſerit.

Chryſoſt. Fratres in quibus ſuerint, In quo eorum incredulitas cõſiſtat.

Chryſoſt. hom. 47. in Ioannem: Et quodnam verbum incredulitatis protulerunt, ſi rogabant, vt ſigna faceret? maxima quidem, & aſpera, & intempeſtiua quadam confidentia locuti ſunt: putabant enim cognationis gratia oportere ſe fidenter loqui. Et videtur quidem principium amicorum eſſe: verum aſperrimè dicunt. Nam & formidinis, & inanis gloriæ eum inſimulant. Siquidem cum dicunt: Nemo in occulto aliquid facit, &c. & formidinis arguere, & ſuſpicari videntur, an quæ faceret Ieſus, vere faceret. Illa autem particula. Et quærit ipſe palam eſſe: habet inanis gloriæ ſuſpicionem. Vnde igitur eis tanta incredulitas? A voluntate, & inuidia. Conſanguinitas enim ſolet quodammodo inuidiæ haberi. Sed quoſnam hoc in loco diſcipulos appellat? Turbam ſequentem, non duodecim. Cum autem aliquod nouum dicit Chriſtus, vel aliquid, quod contra ipſum fore videatur, occurrit, hoc Euangeliſtæ proſequuntur: Quale nunc eſt, quod fratres eius in eum non credebant. Neque enim parum hoc reprehendi poſſe videtur, & dignum ſanè eſt admiratione, quod tam apertè, tam verè loquantur; vt neque pudeat dicere, quæ magiſtro contumelioſa eſſe viderentur. Verum omnium maximè ea narrare feſtinarunt.

Chriſtum vt timidũ, & gloriæ cupidum inſimulãt. Male de operibus Chriſti opinabãtur. Vnde ſit eorum incredulitas. Diſcipuli Domini qui.

Cyr. Fratrum incredulitas.

Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 32: Nondum verbum Dei, qui Saluatoris fratres putabantur, inhabitare in eo cognoſcentes, communi opinione ferebantur, putantes à Ioſeph ipſum natum fuiſſe. Miracula vero videntes occultius ab eo in Galilæa fieri, ad inanem gloriam hortantur; quaſi ad hoc ille ſigna faceret, vt laudem ab hominibus conſequeretur. Aſcendere autem in Iudæam ei ſuadent, ac ibi ſigna facere: non vt credant in eum diſcipuli eius, ſed vt miraculoſa opera videant: nam ſi vis cognoſci, dicunt, noli hæc clam facere; ſed in Iudæa, vt plures in regione frequenti diſcipulos facias. Addidit autem neceſſariò, nondum etiam illos in Ieſum crediſſe, ne tam friuola, deiectaque verba credentes dicere viderentur.

Cur eſt ſuadeant Hieroſolymam aſcendere.

Not. 3.

Not.3. ver.6.

Aug. AVG. tract. 28. in Ioan: Quid eſt hoc? Nondum venerat tempus Chriſti? Quare ergo Chriſtus venerat, ſi tempus eius nondum venerat? Nonne audiuimus Apoſtolum dicentem: Cum autem venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum? Si ergo in plenitudine temporis miſſus eſt, quando debuit, miſſus eſt, quando oportuit, venit. Quid ergo eſt, tempus meum nondum venit? Intelligite, fratres, quo animo illi loquebantur, qui quaſi fratrem ſuum monere videbantur. Dabant ei conſilium conſequendæ gloriæ, veluti ſeculariter, & terreno affectu monentes, ne eſſet ignobilis, & lateret. Quòd ergo ait Dominus: Tempus meum nondum venit, illis reſpondit, qui ei conſilium de gloria dabant. Tempus gloriæ meæ nondum venit. Videte quam profundum ſit, de gloria illi admonebant; ſed ille voluit altitudinem humilitatem præcedere, & ad ipſam celſitudinem per humilitatem viam ſternere. Nam & illi diſcipuli vtique gloriam requirebant, qui volebant ſedere, vnus ad dexteram eius, & alter ad ſiniſtram. Attendebant quò, & non videbant qua via. Dominus eos, vt ordinatè venirent ad patriam, reuocauit ad viam. Excelſa eſt enim patria, humilis via: patria eſt vita Chriſti, via eſt mors Chriſti. Patria eſt manſio Chriſti, via paſſio Chriſti. Qui recuſat viam, quid quærit patriam? Denique & illis hoc reſpondit, quærentibus altitudinem: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Ecce quà venitur ad celſitudinem, quam deſideratis. Calicem quippe commemorabat humilitatis, atque paſſionis. Ergo & hîc: Tempus meum nondum venit, tempus autem veſtrum, id eſt, mundi gloria, ſemper eſt paratum. Hoc eſt, tempus de quo in prophetia loquitur Chriſtus, id eſt, corpus Chriſti: Cum accepero tempus ego iuſtitias iudicabo. Modo enim non eſt tempus iudicandi, ſed iniquos tolerandi.

Chryſoſt. Chryſ. hom. 47. in Ioan: Quid Chriſtus? vide quam accommodate, non dixit; qui eſtis vos, qui mihi conſulitis, & me docetis? ſed: Tempus meum nondum aduenit. Hic & aliud quiddam videtur poſſe ſignificari. Fortaſſe enim eum tradere Iudæis conſultabant, & ob hoc reſpondit: Tempus meum nondum aduenit, hoc eſt, crucis, & mortis. Quid ante tempus, vt moriar, properatis? Vos etſi ſemper cum Iudæis verſemini, non interficient vos, qui eiuſdem eſtis ſententiæ: mihi autem quam primum mortem machinabuntur. Itaque vobis quidem ſemper tempus eſt: cum non impendeat periculum: mihi autem tunc tempus erit, cum ero crucifigendus, & moriturus. Et quod hoc intelligar ex ſequentibus perſpicuum eſt. Non poteſt mundus odiſſe vos. Quomodo enim, qui eadem vultis, & ad idem tenditis? Me autem odit, quia reprehendo eum, quòd mala ſint opera eius. Hoc eſt tangere, & benignè reprehendere. Hinc iram vincere, & non indignari, etiam ſi abiecti ſint qui nobis conſulant, erudimur. Nam ſi non credentium, & iniquum, & à charitate abhorrens conſilium æquo animo fert; quam nos conſequemur veniam, qui terra ſumus, & puluis, cum conſulentes iniquo animo ferimus, maxime ſi paulo abiectiores ſint, tanquam indignum arbitrantes? Conſidera hic quæſo, quam benignè illatam confutat contumeliam. Dicentibus illis, manifeſta teipſum mundo; reſpondit: Me mundus odit. Tantum enim abeſt, inquit, vt quæram ab hominibus gloriam, vt non deſiſtam eos reprehendere; & cum ſciam & odium ex hoc mihi, & mortem comparari. Vt vbi reprehendit, inquit? imo quando ceſſauit? Nonne dixit, nolite putare, quia ego accuſaturus ſum vos apud patrem, eſt qui accuſat vos Moyſes? Et: Ego cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis. Et: Quomodo poteſtis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis. Ex his & aliud innuitur, quod ex libera Chriſti repræhenſione, non ex ſolutione ſabbati Iudæorum odium in eum oriebatur.

Cyr. Cyr. lib. 4. in Ioan. cap. 35: Latet vt plurimum ſenſus ſermonis eius. Scriptum eſt enim, quod erit homo occultans ſermones eius, quod ad vtilitatem audientium factum fuiſſe nemo non inſanus negabit. Nondum igitur, inquit, palam faciendi omnia tempus adeſt. Quum Iudæorum animus ſine ira doctrinam meam ferre, aut pati nequeat: nec etiam tempus adeſt, vt gentibus hæc omnino tradantur, cum nondum penitus à gratia Iudæi reſilierint. Meæ igitur (inquit) manifeſtationis tempus nondum adeſt, veſtrum autem adeſt, paratumque eſt: nihil enim prohibet, ne ad meliora poſſitis accedere. Præterea quæcunque maiori diſpenſationi res ſubiacent, non omni tempore commodè aguntur, quales Chriſti res erant: res autem eorum, qui maiora negligunt, & humiliora ſequuntur, quouis tempore ſuſcipi poſſunt. Quas ob res meum quidem nondum, veſtrum autem tempus ſemper paratum eſt.

Theoph. Theoph. Ioan. 7: Vel & aliter hoc intelligendum. Nam qui beatos facit lugentes in hoc ſæculo, ſimilia & nunc loquitur, & quæ ad omnes ſanctos pertinere poſſunt. Non eſt enim, inquit, tempus feſtiuitatis, cum videam in plenitudine Iudæorum omnem vigere malitiam. Luctus enim & lamenti tempus eſt, cum veritati quidem obſiſtunt, diuina autem voluntas non ſeruatur. Igitur propter hæc mihi non eſt tempus feſtiuitatis. at vos quidem, vtpote qui cum Iudæis conſpiratis, & mundo addicti eſtis, non mirum ſi feſtum agatis cum his, qui vobis ſimiles ſunt.

Not. 4. ver. 7. 8.

Cyr. CYRIL. lib. 4. in Ioan. cap. 34: Commode his verbis & illos terreſtribus rebus nonnihil adhuc inhiantes arguit, & alteram artificioſiſſime affert reſponſionem: quia oſtendit adhuc eos ignorare quis ipſe ſit, ac ideo longè ab eo diſiectos eſſe, vt qui huius mundi magis quam

virtutis

virtutis vitam admirantur. Fuit autem Saluatori noſtro conſuetudo, parua cauſa data, multa vtiliter audientibus dicere. Semper igitur, inquit, ſimile ſibi quiſque amare ſolet, & morum ſimilitudo mirifice ad amorem conglutinat. Videtis quia mundus non odit vos: ſentitis enim vt ipſe: me autem odit, quia perperam operantem accuſo, quare vos abſque periculo in ſolennitatem iſtam proficiſci poteſtis, ego autem minime. Loquar enim omnino ſi venero, quæ illi conducunt. Sed veritas odium parit, & iram voluptuoſi animi incendit, cum nolit delitioſam vitam contemnere. Hinc diſcimus, non inconſiderate arguendos eſſe, neque coram hominibus increpandos.

Amos 5.

Non argue, inquit, malos, ne te odio habeant. Non enim abſq; detrimento eſſe odium poteſt: Quare dicendum potius eſt ad audientium aures: pronus enim ad peccandum mundus eſt, peccata vero redargutione relinquuntur, quorum vel nominatio ſola, redargutio quædam eſt. Nam qui prauitatem ipſam vituperat, illos reprehēdere videtur, qui praui ſunt. Quando igitur ad arguendum neceſſario doctor vocatur, cum aliter curatio haberi poſſe non videatur, tunc quia moleſtè fert, qui redarguitur, multa ex odio mala naſcuntur. Propterea Chriſtus ait odio ſe haberi à mundo: quia mundus monitionem, quæ increpationis aliquid ſemper habet, ferre non poteſt. Animus enim voluptati deditus, grauiter fert, ſi à voluptate reuocatur. Hæc dixit Saluator, non quia nullo ſe modo in ſolennitatem aſcenſurum oſtendere velit, nec quia ab vtili redargutione animum remouerit; ſed quia opportuno tempore cuncta erat facturus. Simile quid etiam diſcipulis dicit. Cum enim eos conſolaretur propter futuras aduerſus eos in prædicatione veritatis tentationes. Si è mundo, inquit, fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret: quoniam vero de mundo non eſtis, propterea mundus vos odit. Mundum verò in his omnibus non viſibiles creaturas appellat, ſed eos, qui res caducas, atque inſtabiles toto animo amplectuntur, qui virtutis amicos quaſi hoſtes oderunt. Diligunt autem omnes, qui cum ſimili turpitudine teneantur, virtutis inimici ſunt.

Mundus quid ſit.

Ver. 9.

Chryſoſt.

Chryſoſt. hom. 47. in Io: Vos aſcendite, &c. vt ea ſe dixiſſe oſtenderet non rogandi aut adulandi gratia, ſeu non rogans eos vel indigens ipſis vt oſtendat ſe ipſorum comitatu non opus habere; ſed vt eis Iudæorum cęremonias permitteret. Sed cur aſcendit, cum ſe aſcenſurum negaſſet? Non dixit ſimpliciter, non aſcendam: ſed adhuc, id eſt, vobiſcum, quia tempus meum nondum impletum eſt. Atqui in futuro paſchate crucifigendus erat. Cur ergo non aſcendit? Et ſi quia tempus non erat, non aſcendit, nullo pacto erat aſcendendum: Sed non propterea aſcendit vt pateretur, ſed vt doceret. Cur clam, cum apertè poſſet in medio eorum eſſe, & iram, & furorem ſedare, quod ſæpe fecit? Noluit frequenter hoc facere, fuiſſet ſane maius diuinitatis argumentum, ſed cum metu remanſiſſe putaretur, & incarnationem, & fiduciam confirmauit, quod cum paſſionis tempus præuideret, id maximè eligeret, vt aſcenderet Hieroſolymam, dicens autem: Aſcendite ad diem feſtum, id dicit, nolim arbitremini, quod nolentes cogere velim mecum maneatis. Ea autem particula, quia nōdum impletum eſt tēpus meum, ſignificantis eſt oportere adhuc & ſigna fieri, & conciones haberi, vt per audientiam, & paſſionem eius plures crederent, vt diſcipuli magis confirmarentur. Hinc nos benignitatem, hinc manſuetudinem erudiamur.

Eut. Quomodo dicat: Non aſcendam.

Euth. Ioan. 7: Non dixit, non aſcendam, ſed nondum aſcendam, hoc eſt, non nunc aſcendam; eo quod nunc viuat, ac vigeat excandeſcentia Iudæorum. Irrationalis namque temeritatis eſt, ſeſe in manifeſtum conijcere periculum. Tempus meum; tempus vitæ meæ, qua in terra viuo. Quanquam enim circa futurum paſcha crucifigendus erat: adhuc tamen oportebat miracula operari, ac docere, multoſque ad fidem attrahere. Non eſt ergo ſermo timoris, ſed diſpenſationis. Nam ſi tunc in Iudæam abijſſet, omnino ipſum occidere tentaſſent: Quod ſi captus tanquam homo occiſus fuiſſet, datum fuiſſet impedimentum his, quæ dicturus, aut facturus erat: ſi vero non fuiſſet captus, ſed tanquam Deus euaſiſſet, incarnationi eius non fuiſſet habita fides. Tempus itaque debito modo diſponit.

Vt ſuum tempus dicat nondū impletū.

Theoph. Cur fratres ad feſtum præmittat. Duo reſpōdet ad obiecta duo.

Theoph. Ioann. 7: Mittit fratres ad feſtiuitatem, oſtendens, quod non cogat cum eo manere, ſi quidem nolint. Attende autem quomodo ad duo crimina, quæ intēdebant illi, metum dico, & vanam gloriam; duo etiam reſponſa dat. Ad metum quidem dicendo; arguo opera mundi, hoc eſt, eorum, qui mundum ſapiunt. Non autem arguiſſem, ſi quidem meticuloſus eſſem, vt putatis. Ad vanam autem gloriam, non compellendo eos, vt ſecum maneant. Nam ſi inanis gloriæ crimini fuiſſet obnoxius, neutiquam illos à ſe dimiſiſſet: quia arrogantibus magnæ pompæ cordi ſunt. Tempus enim meum nondum impletum eſt; ſignificat quod nondum eſt tempus mortis, & crucis. Oportet enim me adhuc in carne viuere, vt plura ſigna faciam, & plures doctrinas exponam, atque ita vt plures turbas in fide inſtruam, & diſcipulos meos confortem, tam per plura ſigna, quam per doctrinas. Nondum igitur, inquit, vrget tempus mortis; vt obijciam me his, qui contra me inſaniunt: propterea neque ad feſtum aſcendo.

Mundus quid ſit.

Qui pōpa gaudeant.

Vt Ioan tēpus nondum ſit impletum.

Aug. Quomodo ſe non aſcenſurum dicat.

Aug. tract. 28. in Ioan: Ego non aſcendo ad diem feſtum iſtum; ad quem, ſupple, me vultis aſcendere, ſcilicet ad primum, vel ſecundum diem: aſcendit autem poſtea.

Cyr. Quomodo ſe non aſcenſurum dicat.

Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 35: Apertiſſimè, modo nolle ſe vnà cum Iudæis feſtum agere diem, & vmbras cum illis ſequi, Dominus affirmat. Nam quod ad paucos, & ad fratres dictum eſt,

Fratrum ſocietatẽ non ſpreuit. ad totum genus Hebræorum pertranſit. Non enim ſocietatem fratrum ſpreuit; quippe qui cum eis in Galilæa verſabatur, nec dubito quin propter opinionem cognationis etiam commoneret. Sed per fratres, totum Iudæorum genus intelligit, quibus cum ſolennem, feſtumque diem per vmbras negat ſe celebraturum.

Not 5. verſ. 11. 12.

Tit. TIT. Boſtr. Luc. 9: Ecquid eſt, quod de aſſumptionis illius diebus, Euangeliſta hic dicit? Quid per dies aſſumptionis Chriſti denotet. Aduentante iam tempore, quo eum ſalutarem crucem noſtri cauſa ſubire oportebat; caloque repetito, Deo patri dextra aſſiſtere, conſtituit Ieroſolymam aſcendere; nec amplius huc, illuc diuagari, vicoſque, & ciuitates obire: hoc enim denotatur verbis illis: Et ipſe faciem firmauit, vt iret in Ieruſalem.

Theoph. Aſſumptio Chriſti quid ſit. Theoph. Luc. 9: Quid eſt quod dicit, dum complerentur dies aſſumptionis eius? hoc eſt, cum inſtabat tempus, quò, poſtquam ſuſtinuiſſet ſalutarem paſſionem pro nobis, oportebat aſſumi in cælum, & conſidere Deo, & Patri. Tunc igitur, cum appropinquabat tempus paſſionis eius, & aſſumptionis ex hoc mũdo, decreuit nõ vltra hinc, & inde obambulare; ſed aſcendere Ieroſolymam. Itaq; quod obfirmauit faciẽ Faciẽ quomodo firmauit in Ieruſalem. ſuam, hoc declarat, quod ſtabilierit, & firmarit ſententiam quod velit aſcendere Ieroſolymam.

Euth. Aſſumptio Chriſti quid ſit. Euth. Luc. 9: Dies aſſumptionis ipſius dicit præfinitum tempus dum à terra aſſumeretur in cælum: iam enim inſtabat ſui interemptio, ac Faciẽ quomodo firmauit in Ieruſalem. reſurrectio, & aſſumptio: obfirmauit faciem ſuam, hoc eſt, direxit vt iret Ieroſolyma, progrediens ad paſſionem, ne reſpiciendo quidem in tergum. Scriptum eſt enim in libro quoque Pſal. 31. Pſalmorum: Obfirmabo ſuper te oculos meos: ſiue infigam, dirigam, indeclinabiliter aſpiciam. Hier. Simili modo hunc Lucæ textum exponit Hier. vt videre licet cap. 95.

Auct. Lucas his verbis: Ipſe faciem ſuam firmauit, &c. Noſtrum Saluatorem mox recta in Ieruſalem eſſe profectum ſatis indicat. Vt iret) nimirum è Galilæa, cum nunc eam in totum relinqueret. Nam dicitur Samariam pertranſiſſe; quod non fecit niſi è Galilæa in Ieruſalem) ſubaudi, moriturus: non tamen id primò in Ieruſalem acceſſu, relicta iam Galilæa, contigit: ſed tertio; quem Dominus iam tum ſpectabat. Tres enim priores Euangeliſtæ ſolius poſtremi aſcenſus in Ieruſalem faciunt mentionem. Non manifeſtè.) Hoc ipſum prius dictum eſt cap. 87. ver. 1. & 2. ex Marco.

Cyr. Cyrill. lib. 4. in Ioann. cap. 36: Quanquam igitur dixerit non aſcenſurum ſe in illum diem feſtum; quoniam tempus ſuum nondum impletum erat: fratribuſque permiſerit, vt ſi vellent aſcenderent: aſcendit tamen poſt eos, nec Iſa 53. Quomodo aſcendit, & non aſcenſurũ dixit. aliter dixit, nec aliter fecit. Quomodo enim, cuius in ore mendacium inuentum non eſt? ſed non aſcendit feſtum diem acturus; ſed admoniturus potius, & ad vitam æternam doctrina illos ſua reuocaturus. Nam quod iſte ſuorum ſenſus verborum ſit, inde apertiſſimè patet, quia non aſcendis ſimul cum fratribus, ſed latentius, illis omnino diſſimilis, qui ad feſtum diem hilari animo pergebant. Quando autem ad ſalutarem ibat paſſionem, tunc non occulte, ſed pullo innectus aſinæ, in figura populi noui, magna adoleſcentulorum multitudine præcedente, per quos venturi populi multitudo ſignificabatur, aſcendebat. Clamabant autem qui præcedebant: Benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis. Quoniam ergo latenter aſcendit, non ad diem feſtum, ſed ad docendum ſe Ieroſolymam petiiſſe oſtendit: nondum enim (vt diximus) Hebræos omnino reliquit. Dixiſſe vero ipſum quod non aſcendet, & tamen aſcendiſſe, in libro Exodi priſcis temporibus figura ſignificatum inuenies. Nam cum Moyſes in cacumine Huius figura. Exod. 33. montis diutius moraretur, legem à Deo expectans, quum que vitulum (Dei pietate neglecta) Hebræi colerent, nequitia hominum irritatus, perdere genus eorum minatus fuit. Et tandem dixit ad Moyſen: Vade, & aſcende hinc tu, & Exod. 33. populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti, ad terram, quam iuraui Abrahæ dicens: Semini tuo dabo ipſam; & mittam ante faciem tuam Angelum meum. Reſpondit Moyſes Niſi tu nobiſcum venias, non educes me hinc. Et quomodo cognoſci poterit inueniſſe me, ac populum tuum apud te gratiam, niſi nobiſcum veneris? Tunc dicit Dominus ad Moyſen: Et hoc verbum, quod dixiſti faciam, inueniſti enim gratiã apud me. Vides prius dictum eſſe à Deo, propter populi peccatum, non aſcenſurum ſe cum illis, ſed Angelum quendam miſſurum; Poſtea vero propter Moyſen. & patrum memoriam venia data, cum illis ſeipſum præſentem fore promittit? Similiter igitur etiam hic, quum propter incredulitatem Iudæorum iturum ſe negauerit, tamen propter ſanctos paucos, & ſolicitationes ſuas aſcendit: non vt ad feſtum diem, ſed vt ſalutarem illis doctrinam proponeret: nec Angelo ad hoc miniſterium vtitur, ſed ipſe ſalutaris doctrinæ miniſter fit.

Chryſoſt. hom. 48. in Ioan: Quæ ſecundum Chryſoſt. humanam imbecillitatem à Chriſto facta ſunt, non tantum incarnationem confirmant, ſed etiam ad virtutem inſtituunt. Nam ſi omnia tanquam Deus feciſſet, quid ſcire potuiſſemus in humanis rebus incidentes, quid facere nos oporteret? vt exempli gratia, ſi hoc in loco homicidis Iudæis obuiis iram ſedaſſet, & hoc frequenter feciſſet, nos autem idem non potentes offenderemus: vnde nobis conſtaret quid eſſet faciendum, verum interimere eos, an moderatione vti, vt ſermo procederet? Hoc nos Chriſtus docet, cum inquit: Hæc cum dixiſſet Ieſus, manſit in Galilæa. Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſtè, ſed quaſi in abſcondito. Hæc particula, vt aſcenderunt fratres eius: oſtendit noluiſſe ſe cum illis aſcendere, & ideo manſiſſe. Neque palam cum eis verſatus eſt, vt volebant, ſed cum liberè ſemper alias verſatus eſt,

eſt, hic quaſi in occulto aſcendit. Non dixit, occultè; ſed quaſi in occulto. Ita enim videbatur, quemadmodum dixi, vt nos doceret in huiuſmodi rebus moderatione vti. Præterea non erat par, iratis illis, & excandeſcentibus ſe ita exponere.

Eut. Poſtea cur aſcendit. Euth. Ioan. 7: Cum eis non aſcendit, propter dictam cauſam, & ne manifeſtarent eum Iudæis, poſtmodum autem aſcendit, quum iam furor illorum reprimi inciperet, vt ſcirent, qui timorem eius arguebant, quod timidus non eſſet, ſed congrua diſpenſatione vteretur. Non manifeſtè, ſed velut in occulto. Quaſi latenter: adhuc enim verebatur, expectans donec perfectè defetbuiſſet ferocitas illorum, & ne cognoſceretur etiam à fratribus ſuis. Cur veluti in occulto.

Theoph. Theoph. Ioan. 7: Quare dicens fratribus, non aſcendo ad diem feſtum, aſcendit? Non dixit ſimpliciter, non aſcendo; ſed nunc, hoc eſt, vobiſcum. Nam principio quidem aſcendere detrectabat, vtpote feruentibus furore Iudæis. Poſt hæc autem cum feſtum ſoluendum eſſet, aſcendit, quando & inſaniam illorum veriſimile erat mitigatam eſſe. Et aliter quoque, non fecit contraria his quæ dixit. Non enim aſcendit diem feſtum acturus, ſed docturus. Et non cum hilaritate, qua ſolent celebraturi ferias, ſed clam. Deliteſcit autem, vt confirmet ſe hominem. Nam ſi comparuiſſet, inſaniuiſſent vtique contra eum, occidere illum cupientes, & ſi non permiſiſſet eis hoc facere, eo quod nondum inſtaret tempus paſſionis, ſed è medio eorum effugiſſet paſſionem, haberi potuiſſet quod non verè, ſed apparenter tantum fuiſſet incarnatus: & propterea fugit, & ſecedit vt homo, quod hominis erat faciens. Quomodo aſcendit, & ſe non aſcenſurū dixit. Cur clam aſcendat.

CAP. 95. CHRISTVS à Samaritanis prohibetur hoſpitio.

Matt.	Mar.	Luc 9.	Ioan.
		1 ET miſit nuncios ante conſpectum ſuum. Et euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi. 2 Et non receperunt eum: quia facies eius erat euntis in Ieruſalem. 3 Cùm vidiſſent autem diſcipuli eius Iacobus, & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus, vt ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos? 4 Et conuerſus increpauit illos, dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. 5 Filius hominis non venit animas perdere: ſed ſaluare. Et abierunt in aliud caſtellum. (Factum eſt autem ambulantibus, &c. c. 34.	

Not. 1.

Summa. HOSPITIVM CHRISTO negant Samaritani, ac diſcipuli vltionem ob id expetentes, redarguuntur. Porro hæc miſſio nunciorum non pertinebat ad celebritatem, vt aſcenſus eſſet perſpicuus; ſed potius ad eum occultandum. Quamobrem iter etiam commune Dominus vitauit.

Tit. Tit. Boſtr. Luc. 9: Præmittit hos ad Samaritanos, vt denuncient, cupere ſe apud illos diuertere, etſi repulſam iſtic accepturos non ignoraret. Facit hoc autem, tum vt omnem illis excuſationis cauſam adimat: tum maximè, vt nonnulla hinc vtilitas ad diſcipulos accedat. Qui enim perpeſſionis tempus vicinum iam tum habens, Ieroſolymam aſcendebat inſanas Iudæorum furias ibidem experturus; ne iniqua eum pati cernentes, offenderentur, neque, ſi qui ipſos aliquando, vel contumelia afficerent, vel iniuſtè inſectarentur, animo frangerentur, aut patientiæ, & manſuetudinis obliuiſcerentur; propterea Samaritanorum petulantiam, quaſi quoddam futurorum incommodorum præludium, & præ exercitamentum, venire permiſit: tantum non eiuſmodi oratione illos compellans. Quamuis Samaritani vos non exceperint, nihilominus meis, qui Dominus ſum, veſtigijs inſiſtentes, æquanimiter, vt ſanctos decet, perdurate. Cur Chriſtus diſcipulos miſerit ad Samaritanos, quos ſciret repulſam accepturos.

Theoph. Theoph. Luc. 9: Porro nuncios ante faciem ſuam emittit, vt parent ipſi diuerſoriū. Et ſciens quod à Samaritanis non eſſent ſuſcipiendi, nihilominus tamen illos emittit, vt omnem Samaritanorum auferat excuſationem, ne dicere poſſent; ſuſcepiſſemus illum, ſi quoſdam præ ſe miſiſſet. Interim & diſcipulis eius vtile hoc erat, vt videntes poſtea in cruce illi opprobrati, minus ſcandalizarentur; ſed ex hoc facto magis diſcerent, quod ſicut nunc contemptus à Samaritanis patienter tulit, atque diſcipulos increpauit exaſperantes eum contra contumelioſos; ita & tunc cum crucifigeretur, non vt impotens, ſed vt longanimis ferat. Prodeſt etiam in hoc diſcipulis, quod illos ſuo exemplo docet patientes eſſe. Illi quidem ad Eliam reſpicientes, quibus quinquaginta viros, cum quinquagenarijs principibus exuſſerat, exaſperabant Dominum contra eos, qui ſe iniuria affe-

affecerant: erant enim adhuc imperfecti. Cæterum Chriſtus docens legem ſuam ſublimiorem quam vitam Eliæ, increpat eos, atque à tali ſententia abducit, cum docuiſſet manſuetè ferendos illos, qui iniuria afficiebant.

Eut. Euth. Luc. 9. Facies eius, hoc eſt, ipſe à parte totum. Non receperunt, inquit, eum; quia pergebat Ieroſolyma ad ini micos ipſorum, nam Samaritani inimico animo affecti erant ad Ieroſolymitas.

Not. 2.

Hier. HIERON. epiſt. 151. ad Algaſiam q. 5: Quid ſibi velit, quod ſcriptum eſt in Euangelio ſecundum Lucam: Et non receperunt eum: quoniam facies eius erat obfirmata vadens in Ieruſalem. Feſtinans Dominus pergere in Ieruſalem, vt complerentur dies aſſumptionis eius, & Paſcha celebraret, de quo dixerat: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha comedere vobiſcum antequam patiar: & bibere calicem, de quo ait: Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? omnemque doctrinam ſuam patibulo roboraret, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum: obfirmauit faciem ſuam, vt iret Ieruſalem. Obfirmatione enim, & fortitudine opus eſt ad paſſionem ſponte properanti. Vnde
Ezech, 2. & Ezechieli, cui dixerat Deus: Fili hominis in medio ſcorpionum tu habitas, & ne timeas eos: obfirma, inquit, faciem tuam; & dedi faciem tuam æneam, & frontem tuam ferream: vt ſi forſitan ſurrexiſſet contra eum malleus vniuerſæ terræ, quaſi incus duriſſima reſiſteret, malleumque contereret, de quo ſcriptum eſt. Quomodo confractus eſt & contritus eſt malleus
Ierem. 50 vniuerſæ terræ? Et miſit nuncios, id eſt, Angelos ante faciem ſuam. Iuſtum enim erat, vt Dei filio Angeli miniſtrarent. Siue Angelos Apoſtolos vocat: quia & Ioannes præcurſor Domi-
Malach 3 ni Angelus appellatus eſt. Cumque ingreſſi eſſent vicum Samariæ, vt præpararent ei, non ſuſ-
1 ratio cur Dominus à Samaritanis non ſuſcipiatur ceperunt illum: quia facies eius erat vadens in Ieruſalem. Hoſtili inter ſe Samaritani, atque Iudæi diſcordant odio: & cum omnes oderint gentes, proprio contra ſe furore bacchantur, dum vtrique de legis poſſeſſione contendunt: & in tantum ſe mutuo perſequuntur, vt poſtquam Iudæi de Babylonia ſunt reuerſi, ædificationem templi Samaritani ſemper impedierint. Cumque vellent & ipſi cum eis ædificare templum, reſponderunt Iudæi: Non licet no-
1 Eſdr 4, bis, & vobis ædificare domum Domini. Denique pro ſumma iniuria Phariſæi exprobrabant Domino: Nonne dæmonium habes, & Samaritanus es? & in parabola de Ieruſalem deſcendentis Iericho, Samaritanus ponitur pro ſigno, atque miraculo, quod malus benefecerit: & ad puteum Samaritanæ ſcriptum eſt: Non enim coutuntur Samaritani Iudæis. Videntes ergo Samaritæ Dominum Ieruſalem pergere, id eſt, ad hoſtes ſuos, quod audierant à diſcipulis eius, qui ad parandum hoſpitium venerant, Iudæum eſſe cognoſcunt: & quaſi Iudæum, atque alienum, & eum, qui ad inimicos pergeret, ſuſcipere noluerunt. Quanquam & illo nobis 2. ratio cur Dominus à Samaritanis non ſuſcipiatur
ſubijciatur intelligentia, quod voluntatis Domini fuerit non ſuſcipi à Samaritis: quia feſtinabat ire Ieruſalem, ibique pati, & ſanguinem fundere: ne occupatus ſuſceptione Samaritica, & doctrina gentis illius, paſſionis differret diem, ad quam venerat ſuſtinendam. Vnde dicit & in alio loco: Non veni niſi ad oues perditas domus Iſrael. Et Apoſtolis præcepit: Ciuitates Samaritanorum non intrabitis; volens tollere omnem occaſionem perſecutionis Iudaicæ, ne poſtea dicerent: crucifiximus eum; quia ſe inimicis noſtris, & hoſtibus iunxerat. Facies igitur eius erat pergentis Ieruſalem. Et idcirco iuxta aliam intelligentiam, non receperunt eum Samaritæ, quia feſtinabat ingredi Ieruſalem. Vt autem eum non reciperent, fuit Dominicæ voluntatis. Denique Apoſtoli in le- ver. 6.
ge verſati, in qua tantùm iuſtitiam nouerant, oculum pro oculo, dentem pro dente, vlciſci Leu. 24.
nituntur iniuriam: & imitari Eliam, ad cuius vocem duos pentecontarchos militum ignis Deut. 19.
abſumpſerat; dicuntque ad Dominum: Vis di- 4 Reg. 1
cimus, vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat eos? Pulchrè vis (inquit) dicimus: Nam & Elias dixerat: Si homo Dei ſum, ignis deſcendat de cælo ſuper vos. Ergo vt Apoſtolorum ſermo efficientiam habeat, voluntatis eſt Domini. Niſi enim ille iuſſerit, fruſtra dicunt Apoſtoli, vt ignis deſcendat ſuper eos: & quodammodo verbis alijs hoc loquuntur. Si ad ſerui Eliæ iniuriam ignis deſcendit de cælo, & non Samaritas, ſed Iudæos conſumpſit incendium: quanto magis ad contemptum filij Dei, in impios Samaritas debet flamma ſæuire? E regione Dominus, qui non ad iudicandum venerat, ſed ad ſaluandum, non in poteſtate, ſed in humilitate: non in patris gloria, ſed in hominis vilitate, increpat eos, quod non meminerint doctrinæ ſuæ, & bonitatis Euangelicæ, in qua dixerat: Qui te percuſſerit in maxillam, præbe ei & alterã. Et: Diligite inimicos veſtros. Varia lectio.
Hieron. legit hoc loco: Quoniam facies eius erat obfirmata vadens in Ieroſalem. Illa tamen vox obfirmata, in Latinis bibliorum exemplaribus deeſt, ac in ipſo etiam codice Græco. Repetijt autem eam vocem Hiero. ex præcedentibus eiuſdem Euangelij verbis.

Not. 3.

AMBR. lib. 7. in Luc: Quod vero diſcipulos increpauit, quia ignem ſuper eos deſcendere cupiebant, qui non receperant Chriſtum, oſtenditur nobis non ſemper in eos, qui peccauerint, vindicandum: quia nonnunquam amplius prodeſt clementia tibi ad patientiam, lapſo ad correctionem. Denique Samaritani citius crediderunt, à quibus hoc loco ignis arcetur. Simul diſce, quia recipi noluit ab ijs, quos ſciebat non ſimplici mente conuerſos: nam ſi voluiſ- Amb. Clementia vtilitas. A quibus non vult recipi Dominus.

voluiſſet,ex indeuotis deuotos feciſſet. Cur autem non receperint eum, Euangeliſta ipſe memorauit dicens: Quia facies eius erat euntis in Ieruſalem. Diſcipuli autem recipi intra Samariam geſtiebant, ſed Dominus quos dignatur, vocat: & quem vult religioſum facit. Nec diſcipuli peccant, qui legem ſequuntur. Sciebant enim & Phinees reputatum ad iuſtitiam, quia ſacrilegos interemerat: & ad preces Eliæ ignem deſcendiſſe de cælo, vt prophetæ vindicaretur iniuria. Sed vindicetur qui timet; vindictam non quærit, qui non timet. Simul oſtenditur nobis in Apoſtolis fuiſſe merita Prophetarum, quando eandem ſibi poteſtatem, quam Propheta magnus emeruit, imperandi iure præſumunt. Et bene præſumunt,quia ad ſermonem ſuum ignis de cælo deſcenderet, quoniam filij ſunt tonitrui. Dominus autem mire omnia; nec illum temerè ſe offerentem recipit; nec in hos indeuotè Dominum refutantes proprium commouetur; vt oſtenderet, quia non habet vltionis ſtudium perfecta virtus: nec vlla ſit iracundia, vbi plenitudo eſt charitatis: nec excludenda infirmitas, ſed iuuanda. Procul à religioſis indignatio: procul à magnanimis cupiditas vltionis; procul etiam à prudentibus inconſiderata coniunctio,& incauta ſimplicitas.

Apoſtoli non peccant. Num. 25. 4 Reg. 1

Euth. Luc. 9: Diſcipuli eius Iacobus, & Ioannes,&c. Suſpicor hos fuiſſe præmiſſos. Itaque irati ſunt quod præceptorem ſpreuiſſent: interrogauerunt ergo an contemptores vlciſci oporteret, vtpote zelotem Eliam imitantes. Increpauit autem illos Chriſtus tanquam clemens: inſtruens eos, vt incredulorum iniurias patienter ferrent. Siquidem ſciebat quod ſe ſuſcepturi non eſſent Samaritani: miſit tamen diſcipulos, vt illis non parentibus, & his iraſcentibus obiurgaret ac doceret eos non inſurgere in illos qui contemnerent. Futurum enim erat, vt cum Euangelium annunciarent, à multis repudiarentur. Non ſibiipſis autem,ſed de illius potentia confidentes,dixerunt: Vis dicamus, vt ignis de cælo deſcendat?

Eut.

Tit. Boſtr. Luc. 9: Igitur cum ex diſcipulis eius quidam dicerent: Domine, vis dicamus, &c. acriter ſtatim illos increpuit, celeremque eorundem bilem, vi quadam diuina compreſſit; ac, vt ad omnia aduerſa patienter ſe præbeant, grauiter admonuit; non tum ſolum,ſed poſtea quoque,ſi forſan,dum ſublunarem hunc orbem percurſuri ſunt, in impios quoſdam quandoque incidant, qui diuini verbi prædicationem non ferant. Quod autem dicunt: Vis dicamus, &c. id arguit noui teſtamenti gratia necdum fuiſſe imbutos; ſed veteris conſuetudinis imperfectioni obſtrictos adhuc hæſiſſe. Dicebant hoc enim in Eliam,qui bis quinquaginta viros vna cum ducibus illorum igne abſumpſerat, mentis oculum conijcientes.

Tit. Increpantur Apoſtoli.

CAP. 96. *Decem leproſi curantur.*

Matt.	*Mar.*	*Luc. 17.*	*Ioan.*
		Dom. 13. poſt Pentec.	

1 (c. 128.) ET factum eſt, ✠ dum iret in Ieruſalem, tranſibar per mediam Samariam,& Galilæam.
2 Et cum ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi,qui ſteterunt à longè.
3 Et leuauerunt vocem, dicentes: Ieſu præceptor, miſerere noſtri.
4 Quos vt vidit, dixit: Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.
5 Et factum eſt, dum irent,mundati ſunt.
6 Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum:
7 Et cecidit in faciem, ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus.
8 Reſpondens autem Ieſus, dixit: Nonne decem mundati ſunt? & nouem vbi ſunt?
9 Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.
10 Et ait illi: Surge, vade,quia fides tua te ſaluum fecit: ✠
(Interrogatus autem à Phariſæis, &c. c. 129.)

Not. 1.

Summa.

CHRISTVS in itinere à Samaritanis affectus iniuria, ob id bene facere in Samaria non deſtitit. Nam ingreſſurus quendam Samariæ vicum, in via decem leproſos occurrentes, & opem eius implorantes, dimiſſos ad ſacerdotes, inter eundum mundauit: & collaudauit Samaritanum, qui ſolus ex illis ad ipſum gratias acturus, redijt. adeo ſe pauci Deo grates, & acceptæ gratię memores exhibent. Indicatur hic mira Chriſti benignitas, patientia, & charitas: vt qui etiam repulſus, non ceſſet ope ſua indigentibus miſereri: atque inter eos etiam illi; à cuius populo repulſam paſſus fuerat. Porro vt bene intelligatur quando factum ſit hoc miraculum decem leproſorum curatorum, primò notandum eſt eam Domini profectionem in Ieruſalem, de qua præcedenti cap. 93. agitur per Galilæam, & Samariam, vt ex Euangelio conſtat, factam eſſe. Secundò notandum eſt ex nullo colligi poſſe Dominum poſt hanc profectionem redijſſe in Galilæam, aut Samariam rurſum tranſijſſe: immo contra potius ex Euangelio patere Dominum relicta iam penitus Galilæa, poſthac ſemper in Iudæa, & finibus eius diuerſatum eſſe. Tertio notandum eſt, quod Lucas hoc miraculum poſt multa interpoſita, contigiſſe, cum Dominus proficiſcens in Ieruſalem, tranſiret Galilæam, & Samariam, ſic deſcribat, vt nullum ſignificet cum ijs, quæ ibi præcedũt, ordinem. Merito igitur hoc loco inſerendum videtur præſens miraculum, & in eo receſſu contigiſſe intelligitur. Poſt enim non euenit, quia Dominus in Galilæam amplius non redijt, nec per Samariam deinceps tranſiuit. Aliàs verò cum Dominus per Samariam iter faceret, non videtur accidiſſe; ſed iam cum poſtremo Galilæam relinqueret, & ab ea per Samariam omnino migraret. Cur vero Lucas alio id loco deſcripſerit, Beda Luc. 17. his verbis inſinuat: hæc lectio ſuperiori ea ratione coniungitur, quod ibi fidem per humilitatem augeri debere parabola data decernitur; hic autem manifeſtius ipſis rebus oſtenditur, non fidei tantum agnitam rationem, ſed executam fidei operationem eſſe, quæ ſaluum faciat credentem, detque gloriam Patri, qui eſt in cælis.

Quando hoc miraculum contigerit. — Ratio diſpoſitionis. — Cur Lucas hoc alibi, non hic poſuerit. — Bed.

Amb. Amb. lib. 8. in Luc: in fine cap. de virtute fidei: Poſt hanc, ſubaudi, parabolam de grano ſynapis, reprehenduntur ingrati.

Aug. Aug. lib. 2. quæſt. Euang. cap. 40: In decem leproſis quos Dominus ita mundauit, cum ait: Ite, oſtendite vos ſacerdotibus: multa quæri poſſunt, quæ merito quærentes mouent. Non ſolum de numero, quid ſibi velit quòd decem ſunt, & quod vnus ex illis ſolus gratias egit: hæc enim liberè quæruntur, vt etiam non inueſtigata vel nihil, vel non multum impediant intentionem legentis; ſed illa potius, cur eos ad ſacerdotes miſerit, vt cum irent mundarentur: nullum enim eorum, quibus hæc corporalia beneficia præſtitit, inuenitur miſiſſe ad ſacerdotes, niſi leproſos. Nam & illum à lepra mundauerat, cui dixit: Vade, & oſtende te ſacerdotibus, & offer pro te ſacrificium, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis. Deinde qualis mundatio ſpiritalis poſſit intelligi eorum, quos ingratos extitiſſe redarguit. Secundum corpus enim facile eſt videre poſſe hominem non habere lepram, & tamen animi eſſe non boni. Secundum ſignificationem autem huius miraculi, conturbat conſiderantem, quomodo mundus dici poſſit ingratus. Quærendum igitur eſt, quid ipſa lepra ſignificet. Non enim ſanati, ſed mundari dicuntur, qui ea caruerunt. Coloris quippe vitium eſt, non valetudinis, aut integritatis ſenſuum, atque membrorum. Leproſi ergo non abſurdè intelligi poſſunt, qui ſcientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Non enim vel abſcondunt imperitiam ſuam, ſed pro ſumma peritia proferunt in lucem, & iactantia ſermonis oſtentant. Nulla porro falſa doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat. Vera ergo falſis inordinatè permiſta in vna diſputatione, vel narratione hominis, tanquam in vnius corporis colore apparentia, ſignificant lepram tanquam veris, falſiſque colorum fucis humana corpora variantem, atque maculantem. Hi autem tam vitandi ſunt Eccleſiæ, vt, ſi fieri poteſt, longius remoti, magno clamore Chriſtum interpellent, ſicut iſti decem ſteterunt à longe, & leuauerunt vocem dicentes: Ieſu præceptor, miſerere noſtri. Nam & quod præceptorem vocant, quo nomine neſcio, vtrum quiſquam Dominum interpellauerit pro medicina corporali, ſatis puto ſignificare lepram falſam eſſe doctrinam, quam bonus præceptor abſtergit. Sacerdotum vero Iudæorum nemo ferre fidelium dubitat figuram fuiſſe futuri ſacerdotij Regalis, quod eſt in Eccleſia, quo conſecrantur omnes pertinentes ad corpus Chriſti, ſummi, & veri principis ſacerdotum. Nam nunc & omnes vnguntur, quod tunc regibus tantum, & Sacerdotibus fiebat. Et quod ait Petrus ad Chriſtianum populum ſcribens: Regale ſacerdotium: vtrumque nomen illi populo conuenire declarauit, quo illa vnctio pertinebat. Cætera itaque vitia, tanquam valetudinis, & quaſi membrorum animæ, atque ſenſuum per ſeipſum, internis & conſcientia, & intellectu Dominus ſanat, & corrigit: doctrina vero, vel imbuendi per ſacramenta, vel catechizandi per ſermonem ſonantem, atque lectionem, vbi color quidam intelligitur verus, atque ſyncerus, quia in promptu eſt, & foris eminentiſſimus: (Non enim in occultis cogitationibus, ſed in manifeſtis operationibus hæc aguntur:) Eccleſiæ propriè contributa eſt. Itaque & Paulus voce Domini audita: Quid me perſequeris? Et: Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris: ad Ananiam tamen miſſus eſt, vt illo ſacerdotio, quod in Eccleſia conſtitutum eſt, Sacramentum doctrinæ fidei perciperet, & verus eius approbaretur color. Non quia non poteſt per ſeipſum Dominus omnia facere, nam quis alius

Quæ hic tractari poſſint. — Cur tantũ leproſos Chriſtus ad ſacerdotes miſerit cap. 51. — Vt ingratus ſit mũdus. — Cur leproſi dicantur mundati, non ſanati. — Leproſi ſunt hæretici. — Longe ſtẽt; quia ſunt vitandi. — Cur præceptorem vocent. — Sacerdotiũ legis figura eſt ſacerdotij Euangelici. — 1 Pet. 2. — Cur ad ſacerdotes leproſi mittantur. — Act. 9.

alius hæc facit etiam in Eccleſia? ſed vt ipſa ſocietas congregatorum fidelium approbando inuicem, atque communicando veræ fidei doctrinam in omnibus, quæ dicuntur verbis, vel ſignantur Sacramentis, tanquam vnam ſpeciem veri coloris obducat. Ad hoc etiam pertinet, quod idem dicit Apoſtolus: Deinde poſt annos quatuordecim aſcendi Ieroſolymam, cum Barnaba, aſſumpto & Tito. Aſcendi autem ſecundum reuelationem, & expoſui cum eis Euangelium, quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem ijs, qui videbantur eſſe aliquod, ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem. Cum cognouiſſent, inquit, gratiam quæ data eſt mihi, Iacobus, Petrus, Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis. Ipſa enim collatio vnam doctrinæ ſpeciem, excluſa omni varietate, monſtrabat, quod ſalubriter etiam Corinthios monet, dicens: Obſecro autem vos, fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes. Cornelius etiam, cum eleemoſynæ eius acceptæ, & preces eius auditæ illi ab Angelo nuntiarentur: propter doctrinæ tamen, ſacramentorumque vnitatem ad Petrum iubetur mittere; tanquam illi, & ſuis diceretur: Ite, oſtendite vos ſacerdotibus. Nam & cum irent mundati ſunt. Iam enim ad eos venerat Petrus, ſed tamen ipſi nondum accepto baptiſmatis Sacramento, nondum ſpiritaliter ad ſacerdotes peruenerunt: & tamen infuſione Spiritus ſancti, & admiratione linguarum, eorum mundatio declarata eſt. Quæ cum ita ſe habeant, iam facile eſt etiam illud videre, fieri poſſe vt quiſquis in Eccleſiæ ſocietate doctrinam integram, veramque aſſequatur, & omnia ſecundum Catholicæ fidei Regulam ediſſerat, & diſtinguat à creatore creaturam, eoque manifeſtetur varietate mendaciorum tanquam lepra caruiſſe: & tamen ingratus ſit Domino Deo mũdatori ſuo, qui elatus ſuperbia, gratiarum agendarum pia humilitate non ſubditur, ſimiliſque efficitur illis, de quibus dicit Apoſtolus: Qui cum cognouiſſent Deum, non vt Deum magnificauerunt, aut gratias egerunt. Quod enim dicit eos Deum cognouiſſe, oſtendit quidem à lepra fuiſſe mundatos; ſed tamen ſtatim accuſat ingratos. Ideoque tales ingrati, in nouenario numero tanquã imperfecti remanebunt. Vnum enim ſi addatur ad nouem, quædam effigies vnitatis impletur: quo fit tanta completio, vt vltra iam non progrediatur numerus, niſi rurſus ad vnum redeatur, & hæc per infinitatem numeri regula cuſtodiatur. Nouem itaque indigent vno, vt quadam vnitatis forma coagulentur, vt decem ſint: vnum autem non eis indiget, vt cuſtodiat vnitatem. Quamobrem vt illi nouem, qui gratias non egerunt, reprobi effecti, à conſortio vnitatis excluſi ſunt: ita vnus ille, qui gratias egit, vnicæ Eccleſiæ ſignificatione approbatus, atque laudatus eſt. Et quia illi erant Iudæi, amiſiſſe per ſuperbiam declarati ſunt regnum cælorum, vbi maxime vnitas cuſtoditur. Iſte vero, qui erat Samaritanus, quod interpretatur cuſtos, illi, à quo accepit, tribuens quod accepit, & quodammodo cantans illud è pſalmo: Fortitudinem meam ad te cuſtodiam: per gratiarum actionem Regi ſubiectus, humilitatem regni humili deuotione ſeruauit.

Gal. 2

1 Cor. 1.

Act. 10.

Rom. 1.

Cur ingrati ſint nouem.

Pſal. 58.

Tit. Boſtr. Epiſc. Luc. 17: Seruator noſter Ieſus Chriſtus, illuſtris miraculi opere, gloriam ſuam pandit, quo, vel hac ratione, excordem, amentemque Iſraelem ad fidem pertrahat. Verum vt ex leproſorum quorundam ſanatione clare cognoſcere licet, perſtitit ille in ſua obſtinatione, & infidelitate, æquè ac antè. Hi enim ſecundum Moſaicæ legis præſcriptum, è ciuitatibus, & caſtellis, tanquam mundi, excluſi, Chriſto iter facienti obuiam venerunt, eundemque, vt à morbo, quo tenebantur, ſeſe liberaret, enixè rogauerunt. Is autem, cum benignus, & clemens eſſet, ſortis illorum miſertus, lepram profligauit. E quorum numero nouem erant Iudæi, vnus autem Samaritanus. Cum autem abirent, ſacerdotibus, vt iuſſi erant, ſeſe oſtenſuri, inter eundum ſanitate potiti ſunt. Et quidem nouem in ingratam obliuionem lapſi, non ſunt reuerſi, vt darent gloriam Deo: vnus autem ſolus, & ille quidem alienigena, debitam gratiarum actionem obtulit. Promptiores namque, propenſioreſque fuerunt hi ſemper ad fidem amplectendam, quàm ingrati Iudæi.

Tit.

Chriſtus miraculo provocat Iſraelem ad fidem, ſed fruſtra.

Promptiores ad fidẽ Gentes quam Iudæi

Theophylact. Luc. 17: Hinc diſcere quis poteſt, quod nihil cuiquam obeſt, ad hoc vt Deo placeat, etiamſi maledicti generis ſit, modo bonam voluntatem habeat. Aſſyrij enim erant Samaritani: vt nullus Gentilis deſperet; & nullus de Sanctis parentibus glorietur.

Theoph.

Iſid. ſub finem lib. Allegor. in ſacram Script: Decem leproſi, qui mundantur à Domino, hæretici ſignificantur, qui in varietate colorum, diuerſitatem habent ſchiſmatum. Quique ideo ad ſacerdotes mittuntur, vt deterſa omni varietate errorum, vnitatis percipiant Sacramentum.

Iſidor.

Leproſi ſunt hæretici.

Cur leproſi ad ſacerdotes mittantur.

Greg. lib. 5. Moral cap. 11: Sed quia eoſdem amicos beati Iob, hæreticorum tenere ſpeciem ſuperius diximus: nunc eorum verba quomodo hæreticis congruant, indagemus. Nam quædam valde rectè ſentiunt, ſed tamen inter hæc ad peruerſa dilabuntur. Habent quippe hoc hæretici proprium, vt malis bona permiſceant, quatenus facile ſenſui audientis illudant. Si enim ſemper praua dicerent, citius in ſua prauitate cogniti, quod vellent, minime perſuaderent. Rurſum, ſi ſemper recta ſentirent, profecto hæretici non fuiſſent. Sed dum fallendi arte ad vtraque deſeruiunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala vt recipiantur abſcondunt: ſicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit: dumque hoc, quod dulce eſt, primo attactu delibatur: etiam illud, quod eſt mortiferum, indubitanter abſorbetur. Itaque hæretici permiſcent recta, peruerſis, vt oſtendendo bona, auditores ad ſe trahant: & exhibendo mala, latenti eos peſte corrumpant. Aliquando tamen prædicatione ſanctæ Eccleſiæ atque exhortatione correcti,

Greg.

Hæretici cur veris falſa permiſcent.

Simile.

ab hac ſenſus ſui diuerſitate ſaluantur. Vnde & amici Iob reconciliationis ſuæ ſacrificium eiuſdem ſancti viri manibus offerunt, atque ad ſuperni iudicis gratiam, vel adducti reuocantur. Quos bene in Euangelio, illa decem leproſorum mundatio deſignat. In lepra quippe & pars cutis in fulgorem ducitur, & pars in colore ſano retinetur. Leproſi itaque hæreticos exprimunt, qui dum rectis praua permiſcent, colorem ſanum maculis aſpergunt. Vnde & bene vt ſaluentur, clamant: Ieſu præceptor. Quia enim in eius verbis, ſe erraſſe ſignificant, hunc ſaluandi præceptorem humiliter vocant: cumque ad cognitionem præceptoris redeunt, mox ad formam ſalutis recurrunt.

Leproſi ſunt hæretici.

Cur præceptorem vocant.

Aug. Aug. lib. 2. de viſit. infir. cap. 4: Nos autem non abnegamus, quin ſit ad Deum frequenter referenda confeſſio peccatorum. Beatus etenim qui tenebit, & allidet paruulos, vel maximos ſuos ad petram, petra autem Chriſtus eſt. Sed teſtamur, & teſtatur illud ſana doctrina, ne tibi applaudentium fauces auribus, quoniam prius eges ſacerdotis (qui mediator ſit ad Deum tuum) ſalubri iudicio: alioquin & ſub lege, & ſub gratia; Ite, & oſtendite vos ſacerdotibus; reſponſum diuinum, quomodo conſummaretur? Confitemini alterutrum peccata veſtra, quomodo compleretur? Ergo cicatricum tuarum arbiter, Dei vice Dominus adhibeatur presbyter, & reuela ei vias tuas, & ipſe tibi exhibebit antidotum reconciliationis.

Pſal. 136

1 Cor. 10.

Sacerdos eſt mediator ad Deum.

Iac 5.

Aug. Apud Aug. lib. de vera & falſa pœnit. cap. 10: Quem ergo pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrymis oſtendat, repræſentet vitam ſuam Deo per ſacerdotem; præueniat iudicium Dei per confeſſionem. Præcepit enim Dominus mundatis, vt oſtenderent ora ſacerdotibus: docens corporali præſentia confitenda peccata, non per nuncium, non per ſcriptum manifeſtanda. Dixit enim: Ora mõſtrate, & omnes, non vnus pro omnibus. Non alium ſtatuatis nuncium, qui pro vobis offerat munus à Moyſe ſtatutum. Sed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis, ex miſericordia enim hoc præcepit Dominus, vt neminem pœniteret in occulto. In hoc enim quod per ſeipſum dicit ſacerdoti: Et erubeſcentiam vincit timore offenſi, fit venia criminis, fit enim per confeſſionem veniale, quod criminale erat in operatione. Etſi non ſtatim purgatur, fit tamen veniale, quod commiſerat mortale. Multum enim ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentiæ dominans, nihil eorum, quæ commiſit, nuncio Dei denegauit. Mundati enim ſunt leproſi, dum irent oſtendere ora ſacerdotibus, antequam ad eos peruenirent. Vnde patet Dominum ad cor reſpicere, dum ex neceſſitate prohibetur ad ſacerdotes peruenire. Sæpe quidem eos quærunt ſani, & læti; ſed dum quærunt, antequam perueniant ad eos, moriuntur.

Quomodo & quibus confitendum.

De pæ. d. 1. c. Quem pœnitet. & d. 5. c. ſunt plures. 4. ſeu. d. 17. cap. ſed quod ſacerdotibus.

Not. 3. ver. 8.

Bern. BERN. ſerm. contra vitium ingratitudinis, vbi eſt, dilectiſſimi, quod toties canitis: Quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei? Heu, heu, non inuenitur, qui redeat, & agat gratias Deo, niſi hic alienigena. Nonne decem mundati ſunt? & nouem vbi ſunt? Meminiſtis credo verba Saluatoris hæc eſſe, nouem illorum ingratitudinem arguentis. Bene ſiquidem oraſſe, obſecraſſe, poſtulaſſe leguntur, qui leuauerunt vocem dicentes: Ieſu fili Dauid, miſerere nobis. Sed defuit eis quarta, quam adiecit Apoſtolus gratiarum actio, quando nec redierunt, nec egerunt gratias Deo. Multos quoque videmus vſque hodie ſatis importunè petentes quod ſibi deeſſe cognouerint: ſed paucos admodum nouimus, qui dignas ſuper acceptis beneficijs gratias agere videantur. Nec reprehenſibile quod inſtanter petimus; ſed plane petitioni negat effectum, quod inuenimur ingrati. Et forte hoc etiam clementia eſſe videtur, ingratis negare quod poſtulant, ne contingat nobis, vt tanto grauius de ingratitudine iudicemur, quanto magis, accumulaſtis beneficijs, ingrati probabimur exſtitiſſe. Ergo miſericordiæ res eſt in hac parte ſubtrahere miſericordiam; quemadmodum iræ, & indignationis miſericordiam exhibere, eam ſane de qua per Prophetam ipſe pater miſericordiarum loquitur, dicens: Miſereamur impio, & non diſcet facere iuſtitiam. Quã multos enim videmus, & plangimus fratres, qui dummodo maneat habitus, & tonſura, ſalua ſibi omnia arbitrantur? non conſiderantes miſeri, quemadmodum ingratitudinis vermis interiora corrodens, ob hoc tantum corticem, quem vident transforare diſſimulet, ne forte recogitent, & erubeſcant, ipſaque verecundia emendentur. Qui ſic interdum in nonnullis conſumpta eſſe interiora vniuerſa præſumit, vt non vereatur, ad ea quoque, quę foris apparent, venenatum ducere caput: niſi forte quos videmus manifeſte apoſtatare à Deo, repente fieri peſſimos arbitramur: & non magis paulatim defeciſſe, cum comederint alieni robur eorum, & neſcierunt. Vides ergo non omnibus prodeſſe, quod à lepra ſecularis conuerſationis, cuius peccata manifeſta ſunt, emundantur; ſed nonnullis penis in occulto ingratitudinis vlcus oriri, quod tanto periculoſius ſit, quanto interius. Et bene Saluator hinc in euangelio, nouem illos vbi ſint quærit; quoniam longe eſt à peccatoribus ſalus. Sic enim & primum hominem poſt peccatum, vbi ſit interrogat; & in iudicio neſcire ſe profitebitur operarios iniquitatis, cum legamus in Pſalmo: Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit. Nec ſine cauſa in nouenario inuenti ſunt, qui non redeunt ad Saluatorem, in quo nimirum numero, quaternario quinarius iungitur, & eſt non bona mixtio corporeę ſenſualitatis, & Euangelicæ traditionis. Quod tunc fieri ſolet, cum ſic volumus quatuor euangelijs obedire, vt quinque corporis ſenſus pariter oblectare velimus. Fœlix autem Samaritanus ille, qui cognouit ſe nihil habere, quod non accepiſſet; idcirco

Pſal. 38.

Iſa. 26.

Non omnibus prodeſt à lepra mundari.

Cur quærit, vbi ſint.

Pſa. 1.

Cur nouē ingrati.

idcirco ſeruauit depoſitum, & cum gratiarum actione ad Dominum eſt reuerſus. Fœlix qui ad ſingula dona gratiæ, redit ad eum, in quo eſt plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur. Omnino enim ſola nos à profectu côuerſationis impedit ingratitudo noſtra, dum quodammodo amiſſum reputans dator, quod ingratus accepit, cauet ſibi de cætero, ne tanto plura amitteret, quanto plura conferret ingrato. Fœlix proinde, qui ſe alienigenam reputans, etiam pro quibuſque minimis beneficijs, non minimas refert gratias, gratuitum eſſe non dubitans, neque diſſimulans, quod alieno impenditur, & ignoto. Nos autem miſeri, & miſerabiles, cum in initio adhuc alienos nos æſtimamus, timorati ſatis, ſatis deuoti, & humiles inuenimur, tam facile poſtmodum obliuiſcimur, quam gratuitum ſit, quidquid accepimus, & præſumentes non bene, quaſi de familiaritate Dei, nequaquam aduertimus, quod mereamur audire: quoniã inimici Domini domeſtici eius.

Ver. 9.

Leo ſer. in oct. Apoſt. Pet. & Pauli cap. 2: Tangat obſecro, dilectiſſimi, cor veſtrum illa ſententia Saluatoris, qui cum decem leproſos miſericordiæ virtute mundaſſet, vnum tantum dixit ex eis, ad agendas gratias, reuertiſſe: ſignificans, videlicet, de ingratis, quod huic pietatis officio, etiamſi corporis aſſecuti ſunt ſanitatem, non tamen ſine animi impietate defuerunt. Ne ergo iſta ingratorum nota etiam vobis, dilectiſſimi, poſſit adſcribi, reuertimini ad Dominum, intelligentes mirabilia, quæ in nobis dignatus eſt operari, & liberationem noſtram, non ſicut opinantur impij, ſtellarum effectibus, ſed ineffabili omnipotentis Dei miſericordiæ deputantes, qui corda furentium Barbarorum mitigare dignatus eſt. Ad tanti vos beneficij memoriam toto fidei vigore conferte. Grauis negligentia maiore ſatisfactione curanda eſt. Ad emendationem noſtram vtamur lenitate parcentis. Leo.

CAP. 97. IESVS *in Templo die feſto Scenopegiæ docet.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan.*
			1 IVdæi ergo quærebant eum in die feſto, & dicebant: Vbi eſt ille?
			2 Et murmur multum erat in turba de eo: Quidam enim dicebant: Quia bonus eſt: alij autem dicebant: Non; ſed ſeducit turbas.
			3 Nemo tamen palàm loquebatur de illo: propter metum Iudæorum. ✠
			Fer. 3 poſt. Dom. 4. Quadr.
			4 ✠ IAM autem die feſto mediante, aſcendit Ieſus in Templum, & docebat.
			5 Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit?
			6 Reſpondit eis Ieſus, & dixit: Mea doctrina non eſt mea; ſed eius qui miſit me.
			7 Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, vtrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.
			8 Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit.
			9 Qui autem quærit gloriam eius, qui miſit eum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt.
			10 Nonne Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere?
			11 Reſpondit turba, & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere?
			12 Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini.
			13 Propterea Moyſes dedit vobis circunciſionem; (non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus) & in ſabbato circunciditis hominem.
			14 Si circunciſionem accipit homo in ſabbato, vt non ſoluatur lex Moyſi: mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato?
			15 Nolite iudicare ſecundùm faciem: ſed iuſtum iudicium iudicate.

Dicebant

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 7.*
			16 Dicebant ergo quidam ex Ieroſolymis: Nonne hic eſt, quem quærunt interficere? Et ecce, palàm loquitur, & nihil ei dicunt. 17 Nunquid verè cognouerunt principes, quia hic eſt Chri- ſtus? Sed hunc ſcimus vnde ſit: Chriſtus autem cùm venerit, nemo ſcit vnde ſit. 18 Clamabat ergo Ieſus in Templo docens, & dicens: Et me ſcitis, & vnde ſim ſcitis: & à meipſo non veni; ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis. 19 Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit. 20 Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo miſit in il- lum manus: quia nondum venerat hora eius. 21 De turba autem multi crediderunt in eum, ✠ & dice- bant: Chriſtus, cùm venerit, nunquid plura ſigna faciet, quàm quæ hic facit?

Not. 1.

Aug. Avg. lib. 4. de conſen. Euan. cap. 10: Indè iam ad diem feſtum cum aſcendiſſet in templum, quæ illum Ioannes locutum eſſe commemorat, quam mirabilia, quam diuina, quam excelſa: quod ipſi venire non poſſent quo eſſet iturus: quod & ipſum noſſent, & vnde eſſet ſcirent, & eſſet verus, qui eum miſerit, quem illi neſcirent: tanquam diceret, & vnde ſim, ſcitis; & vnde ſim, neſcitis. Quo quid aliud voluit intelligi, niſi ſecundum carnem notum ſe illis eſſe potuiſſe, & gente, & patria; ſecundum diuinitatem autem incognitum. [ver 20,]

Ver. 1. 2.

Aug. Aug. tract. 28. In Ioannem: Quærebant eum; antequam aſcenderet. Vnde murmur? contentione. Quæ fuit contentio? Quidam enim dicebant; quia bonus eſt: alij autem; non; ſed ſeducit turbas. De omnibus ſeruis eius hoc dicitur modo. Quicunque eminuerit in aliqua gratia, ſpiritali profectu, alij dicunt; quia bonus eſt; alij quia non, ſed ſeducit turbas, vnde hoc? Quia vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Et tract. 29: Dictum hoc eſt ad eorum ſolatium, qui poſtea prædicantes verbum Dei, futuri erant vt ſeductores, & veraces. Si enim ſeducere decipere eſt, nec Chriſtus ſeductor, nec Apoſtoli eius, nec quiſquam ſeductor debet eſſe Chriſtianus. Si autem ſeducere, aliunde aliquem ad aliud perſuadendo ducere eſt, quærendum eſt vnde, & quo. Si à malo ad bonum, bonus ſeductor eſt: ſi à bono ad malum, malus ſeductor eſt. In hac ergo parte, qua ſeducuntur homines de malo ad bonum, vtinam omnes ſeductores & vocemur, & ſimus.

[De bonis; varia dicũtur. — Col. 3. — Aug. — Seducere quid ſit.]

Ver. 3.

Aug. Aug. tract. 28. in Ioan: Qui non loquebantur de illo propter metum Iudæorum? Qui dicebant; bonus eſt: non qui dicebant; ſeducit turbas. Qui dicebant; ſeducit turbas: ſonitus eorum audiebatur, tanquam aridorum foliorum. Seducit turbas, clarius ſonabant. Bonus eſt, preſſius ſuſurrabant. Modo autem, fratres, quamuis nondum venerit illa gloria Chriſti, quæ nos æternos factura eſt, modo tamen ita creſcit Eccleſia eius, ita eam dignatus eſt per cuncta diffundere, vt iam ſuſurretur, ſeducit turbas, & clarius perſonet, bonus eſt.

Ver. 4.

Aug. tract. 28. in Ioan: Die feſto mediante, id eſt, cum iam illius diei feſti tot dies præterijſſent, quot remanſiſſent. Ipſam enim feſtiuitatem, quantum intelligendum eſt, diebus plurimis celebrabant. Aug.

Not: 2: ver. 5.

Avg. tract. 29. in Ioan: Omnes quidem, quantum arbitror, mirabantur, &c. lect. 1. & 2. fer. 3. poſt Dom. 4. Quadra. [Aug. Mirantur, non conuertuntur.]

Ver. 6.

Aug. tract. 29. in Ioan: Quid ergo Dominus reſpondit eis admirantibus quomodo ſciret litteras quas non didicerat? Mea, inquit, doctrina, non eſt mea; ſed eius qui miſit me. Hæc eſt profunditas prima: videtur enim paucis verbis quaſi contraria locutus. Non enim ait; iſta doctrina non eſt mea: ſed, mea doctrina non eſt mea. Si non tua, quomodo tua? Si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis vtrumque; & mea doctrina, & non mea. Nam ſi dixiſſet, iſta doctrina non eſt mea, nulla eſſet quæſtio. Nunc vero, fratres, primitus intendite quæſtionem, & ſic ordine expectate ſolutionem. Nam qui non videt quæſtionem quæ proponitur, quomodo intelliget quod exponitur? hoc eſt ergo in quæſtione quod ait, mea, non mea. Breuiter ergo dico charitati veſtræ: hoc videtur mihi dixiſſe Dominus Ieſus Chriſtus: Mea doctrina, non eſt mea; ac ſi diceret: Ego non ſum à meipſo. Quamuis enim filium patri dicamus, & credamus æqualem, nec vllam in eis eſſe naturæ vel ſubſtantiæ diſtantiam, nec inter generantem, atque generatum aliquod interfuiſſe temporis internallum; tamen hoc ſeruato, & cuſtodito iſta dicimus, quod ille pater eſt, ille filius. [Aug. — Quomodo Chriſti doctrina non eſt Chriſti.]

filius. Pater autem non eſt, ſi non habeat filium; & filius non eſt, ſi non habeat patrem: ſed tamen filius Deus de Patre, Pater autem Deus, ſed non de filio. Pater filij, non Deus de filio; ille autem filius patris, & Deus de patre. Dominus enim Chriſtus, dicitur lumen ex lumine. Lumen ergo quod non ex lumine, & lumen æquale quod ex lumine, ſimul vnum lumen, non duo lumina. Et lib. 1. de Trinit. cap. 11: Secundum formam ſerui non eſt doctrina ipſius; ſed illius, qui eum miſit. Et cap. 12: Quid illic dicemus, vbi ait: Mea doctrina non eſt mea? quomodo mea, quomodo non mea? Non enim dixit; iſta doctrina non eſt mea; ſed mea doctrina non eſt mea: quam dixit ſuam, eandem dixit non ſuam. Quomodo iſtud verum eſt, niſi ſecundum aliud ſuam dixerit, ſecundum aliud non ſuam? Secundum formam Dei ſuam, ſecundum formam ſerui non ſuam. Cum enim dicit: Non eſt mea; ſed eius, qui me miſit: ad ipſum verbum nos fecit recurrere. Doctrina enim Patris eſt verbum Patris, qui eſt vnicus filius. Et lib. 2. cap. 2: Mea doctrina non eſt mea; ſed eius, qui me miſit. Nam & ex forma ſerui poteſt accipi, ſicut iam in lib. ſuperiore tractauimus. Et ex forma Dei, in qua ſic æqualis eſt patri, vt tamen de Patre ſit. In Dei quippe forma, ſicut non eſt aliud filius, aliud vita eius; ſed ipſa vita filius eſt: Ita non eſt aliud filius, aliud doctrina eius; ſed ipſa doctrina filius eſt. Ac per hoc, ſicut id, quod dictum eſt, dedit filio vitam: non aliud intelligitur, quam genuit filium, qui eſt vita: ſic etiam cum dicitur: Dedit filio doctrinam, bene intelligitur, genuit filium, qui eſt doctrina: vt quod dictum eſt: Mea doctrina non eſt mea; ſed eius, qui me miſit; ſic intelligatur, ac ſi dictum ſit; ego non ſum à meipſo; ſed ab illo, qui me miſit.

Aug. Aug. Amb.

Ambroſ. lib. 2. de fide cap. 4: Hic eſt, qui dicit: mea doctrina non eſt mea; ſed eius, qui me miſit. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina vtrum ex Deo eſt, an ego à meipſo loquar. Alia ergo ex Deo doctrina, alia ex homine. Itaque Iudæi cum doctrinam eius ſecundum hominem quærerent, vt dicerent, quo modo hic litteras nouit, cum non didicerit? Reſpondit Ieſus, & dixit: Mea doctrina non eſt mea. Nam cum ſine eruditione litterarum doceat, non quaſi homo, ſed potius vt Deus videtur docere, qui doctrinam non didicerit, ſed inuenerit. Adinuenit enim omnem viam diſciplinæ, vt ſupra lectum eſt. Nam vtique de filio Dei dictum eſt: Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum, qui adinuenit omnem viam diſciplinæ. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Quomodo ergo ſecundum diuinitatem doctrinam ſuam non habet, qui adinuenit omnem viam diſciplinæ antequam videretur in terris? Et lib. 5. de fid. cap. 3: Mea doctrina non eſt mea: non eſt enim, inquit, ſecundum carnem, mea: quia quæ diuina ſunt, non ſunt carnis eloquia.

Bar. 3. Amb.

Not. 3. ver. 7.

A v g. tract. 29. in Ioann: Quid eſt hoc, ſi quis voluerit voluntatem eius facere? Sed ego dixeram, ſi quis crediderit, & hoc conſilium dederam, ſi non intellexiſti, inquam, crede. Intellectus enim merces eſt fidei. Ergo noli quærere intelligere vt credas; ſed crede vt intelligas: quoniam niſi credideritis, non intelligetis. Quid eſt, cognoſcet? hoc eſt, intelliget. Quid eſt autem; ſi quis voluerit voluntatem eius facere? hoc eſt, credere. Sed quia, cognoſcet, hoc eſt, intelliget, omnes intelligunt. Quia vero quod ait: Si quis voluerit voluntatem eius facere, hoc pertinet ad credere, vt diligentius intelligatur, opus eſt nobis ipſo Domino noſtro expoſitore, vt indicet nobis vtrum reuera, ad credere pertineat facere voluntatem patris eius. Quis neſciat hoc eſſe facere voluntatem Dei, operari opus eius: id eſt, quod illi placet? Ipſe autem Dominus aperte alio loco dicit: Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem ille miſit. Hæc in te ſit, & intelliges de doctrina Dei. Quid enim intelliges? Quia doctrina iſta non eſt mea, ſed eius, qui me miſit: id eſt, intelliges quia Chriſtus Dei filius, qui eſt doctrina patris, non eſt ex ſeipſo; ſed filius eſt patris. Sabellianam hæreſim ſententia iſta diſſoluit. Sabelliani enim dicere auſi ſunt, ipſum eſſe filium, qui eſt & pater: duo eſſe nomina, ſed vnam rem. Si duo eſſent nomina, & res vna, non diceretur: Mea doctrina non eſt mea. Vtique ſi tua doctrina non eſt tua, ô Domine, cuius eſt, niſi alius ſit, cuius ſit? Quod dixiſti, Sabelliani non intelligunt, non enim Trinitatem viderunt, ſed ſui cordis errorem ſecuti ſunt: Nos cultores Trinitatis, & vnitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & vnus Dei, intelligamus de doctrina Chriſti, quomodo non eſt eius; & ideo dixit ſe non à ſeipſo loqui: quoniam Chriſtus patris eſt filius: & pater Chriſti eſt pater: & filius de Deo patre, Deus eſt: pater autem Deus, non de filio Deo Deus eſt.

Aug. Cognoſcere quid ſit. Velle patris voluntatem facere quid ſit. Sabellij hæreſis. Perſonarũ diſtinctio.

Ver. 8.

Ambroſ. lib. 2. de fide cap. 4: Qui à ſemetipſo, inquit, loquitur, gloriam ſuam quærit. Vide vnitatem, quæ & patrem ſignat, & filium. Non poteſt non eſſe qui loquitur; ſed non poteſt à ſemetipſo eſſe quod loquitur, in quo naturaliter ex patre ſunt omnia. Quid eſt autem; gloriam ſuam quærit? hoc eſt, non diuiſam à patre gloriam. Nam vtique & verbum Deus habet gloriam. Denique dicit; vt videant gloriam meam, ſed illa verbi gloria, eadem patris gloria eſt, ſicut ſcriptum eſt; Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Ita igitur ſecundum diuinitatem Dei filius ſuam gloriam habet, vt patris, & filij vna ſit gloria. Non eſt ergo minor in claritate, quia vna gloria. Non minor diuinitate, quia plenitudo diuinitatis in Chriſto eſt:

Amb. Phil. 2.

Not. 4.

Not. 4. ver. 13.

Tho. Tho.1.2.quæſt.103.ar. 1. ad 3: Sacramentum circunciſionis præcepto diuino fuit ſtatutum ante legem, vt patet Gen. 17. Vnde non poteſt dici ſacramentum legis, quaſi in lege inſtitutum; ſed ſolum quaſi in lege obſeruatum. Et hoc eſt, quod Dominus dicit: Circunciſio non ex Moyſe eſt, ſed ex patribus eius.

Quomodo circunciſio ſit ex patribus, non ex Moyſe.

Ver. 14.

Amb. Ambroſ.ſer.14.in Pſal.118: Venerat non vt in portione, ſed vt vniuerſo humano generi ſubueniret, dicens: Mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato. Hoc eſt, totum, non vt facultatum collatione ditaret, non vt honorum inſignibus, non vt gloriæ ſæcularis cumularet augmento. Hæc enim non habent beatitudinis, & gratiæ plenitudinem; ſed totum, hoc eſt, quod longitudinem vitæ complecteretur æternæ. Neque enim communis vitæ ſimilis, vitá in dextera eſt ſapientiæ; ſed longitudo vitæ eſt, vt qui accipit vitam à ſapientia, non exiguitatem vitæ; ſed perpetuitatem, & æternitatis longitudinem adipiſcatur.

Not. 5. ver. 15.

Bern. BER. ſerm. 5. in Quadrageſima: Sed quid in Euangelio dicit Dominus? Nolite, ait, iudicare ſecundum faciem; ſed iuſtum iudicium iudicate. Quod eſt autem iuſtum iudicium, niſi iudicium fidei? Quoniam iuſtus ex fide viuit. Ergo iudicium fidei ſequere, & non experimentum tuum; quoniam fides quidem verax, ſed experimentum fallax. Quæ eſt ergo veritas fidei, niſi quod promittit ipſe filius Dei? Et epiſt. 247: Non vos moueat hominis facies miſeranda, vilis habitus, vultus ſupplex, demiſſa ſupercilia, verborum humilitas; ſed nec ipſæ quidem lachrymulæ currentes, vt aiunt, ad nutum eius, doctę mentiri. Hæc omnia in facie ſunt, & ſcitis qui dixerit: Nolite ſecundum faciem iudicare. In his, atque ſimilibus forma pietatis exiſtit; ſed non ſemper & virtus. Veſtimenta ouium ſunt hæc, frequenter (ſicut deſignauit Dominus) vſurpata à lupis, in ſtragem maximam ouium, dum non ſe abſcondunt, quoniam illi abſcondite veniunt.

Iuſtum iudicium quid ſit. Bern. Secundum faciem iudicare quid ſit. Veſtim. ēta ouium.

Aug. Diſſicile eſt rectè iudicare. Aug. tract.30. in Ioan: Hoc vitium, fratres, quod Dominus notauit hoc loco, euadere in hoc ſæculo magni laboris eſt, non perſonaliter iudicare, ſed rectum iudicium retinere. Admonuit quidem Dominus Iudæos, ſed monuit & nos: illos conuicit, nos inſtruxit, illos redarguit, nos exacuit.

Ver. 16.

Aug. Aug. tract. 29. in Ioan: Ille, qui latebat, docebat, & palam loquebatur, & non tenebatur: Illud enim vt lateret, erat cauſa exempli; hoc poteſtatis.

Quod Chriſtus latebat, erat exēpli, quod palā docebat, poteſtatis.

Ver. 17.

Aug. Aug. tract.31. in Ioan: Hæc opinio apud Iudæos vnde nata fuerit, quod Chriſtus cum venerit, nemo ſcit vnde ſit. Non enim inaniter nata eſt. Si conſideremus ſcripturas, inueniemus, fratres, quomodo ſanctæ ſcripturæ dixerint de Chriſto, quoniam Nazaręus vocabitur. Ergo prædixerunt vnde ſit. Ruſus ſi locum natiuitatis eius quæramus, tanquam inde ſit, vbi natus eſt; nec hoc latebat Iudæos, propter ſcripturas, quæ iſta prædixerant. Nam cùm eum, viſa ſtella, magi quærerent adorare, venerunt ad Herodem, & dixerunt quid quærerent, & quid vellent. Ille autem conuocatis eis, qui legem ſciebant, quæſiuit ab eis, vbi Chriſtus naſceretur. Illi dixerunt: In Bethleem Iudæ: & teſtimonium etiam propheticum protulerunt. Si ergo prophetæ prædixerant & locum, vnde erat origo carnis eius, & locum, vbi eum peperit mater eius, vnde nata eſt iſta opinio apud Iudæos, quam modo audiuimus, Chriſtus cum venerit, nemo ſcit vnde ſit, niſi quia vtrunque prædicauerant, & prænunciauerant ſcripturæ? Secundum hominem prædixerunt ſcripturæ vnde eſſet, ſecundum Deum latebat impios, & quærebat pios. Ad hoc enim & iſti dixerunt, Chriſtus cum venerit, nemo ſcit vnde ſit: quia hanc illis opinionem generauerat, quod per Eſaiam dictum eſt: Generationem autem eius quis enarrabit? Iſa. 53.

Quomodo neſcitur, vnde ſit Chriſtus.

Not. 6. verſ. 18.

Aug. AVG. tract. 31. in Ioan: Denique & ipſe Dominus ad vtrunque reſpondit, & quia nouerāt eum vnde eſſet, & quia non nouerant: vt atteſtaretur propheticæ ſanctæ, quæ de illo ante prædicta eſt, & ſecundum humanitatem infirmitatis, & ſecundum diuinitatem maieſtatis. Audite ergo verbum Domini, fratres, videte quemadmodum confirmauit eis quod dixerunt: Chriſtus cum venerit, nemo ſcit vnde ſit. Clamabat ergo docens in templo Ieſus: Et me ſcitis, & vnde ſim ſcitis, & à meipſo non veni; ſed eſt verus, qui me miſit, quem vos neſcitis. Hoc eſt dicere, & me ſcitis, & me neſcitis: hoc eſt dicere, & vnde ſim ſcitis, & vnde ſim neſcitis. Vnde ſim ſcitis, Ieſus à Nazareth, cuius etiam parentes noſtis. Solus enim in hac cauſa latebat virginis partus, cui tamen teſtis erat maritus. Ipſe enim hoc poterat fideliter indicare, qui potuit maritaliter & cælare. Hoc ergo excepto virginis partu, totum nouerant in Ieſu, quod ad hominem pertinet. Facies ipſius nota erat, patria ipſius nota erat, genus ipſius notum erat, vbi natus eſt ſciebatur. Rectè ergo dixit, & me noſtis, & vnde ſim ſcitis, ſecundum carnem, & effigiem hominis, quam gerebat; ſecundum autem diuinitatem, & à meipſo non veni, ſed verus eſt, qui me miſit, quem vos neſcitis, ſed vt eum ſciatis, credite in eum, quem miſit, & ſcietis. Vnde oſtenderet eis, vnde poſſent ſcire, quod neſciebant, ſubiecit: Ego ſcio eum; ergo à me quærite

Iudæos partus virginis latebat.

vt ſciatis eum. Quare autem ſcio eum? Quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit. Magnifice vtrunque monſtrauit. Ab ipſo, inquit, ſum; quia filius de patre, & quicquid eſt filius, de illo eſt, cuius eſt filius. Ideo Dominum Ieſum dicimus Deum de Deo, patrem non dicimus Deum de Deo, ſed tantum Deum: Et dicimus Dominum Ieſum lumen de lumine; patrem non dicimus lumen de lumine; ſed tantum lumen. Ad hoc ergo pertinet quod dixit, ab ipſo ſum. Quod autem videtis me in carne, ipſe me miſit. Vbi audis, ipſe me miſit, noli intelligere naturæ diſſimilitudinem, ſed generantis authoritatem. Et tract. 33: Non tenebatur, quia nondum pati dignabatur. Aug.

CAP. 98. CHRISTVM *laudant qui ad eum comprehendendum miſſi fuerant: & Nicodemus eum defendit.*

Matt. | *Mar.* | *Luc.* | *Ioan 7.*

Fer. 2. poſt Dom. Paſſ.

1 AVdierunt Phariſæi turbam murmurantem de illo hæc: & + miſerunt principes, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent eum.
2 Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum, & vado ad eum, qui me miſit.
3 Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire.
4 Dixerunt ergo Iudæi ad ſemetipſos: Quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eum? nunquid in diſperſionem Gentium iturus eſt, & docturus Gentes? Quis eſt hic ſermo, quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ſum ego, vos non poteſtis venire?
5 In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis, ſtabat Ieſus, & clamabat, dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.
6 Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.
7 Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. +
8 Nondum enim erat Spiritus datus: quia Ieſus nondum erat glorificatus.
9 Ex illa ergo turba, cum audiſſent hos ſermones eius, dicebant: Hic eſt verè Propheta. Alij dicebant: Hic eſt Chriſtus.
10 Quidam autem dicebant: Nunquid à Galilæa venit Chriſtus? Nonne ſcriptura dicit: quia ex ſemine Dauid, & de Bethleem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus?
11 Diſſenſio itaque facta eſt in turba, propter eum.
12 Quidam autem ex ipſis volebant apprehendere eum: ſed nemo miſit ſuper eum manus.
13 Venerunt ergo miniſtri ad Pontifices, & Phariſæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis illum?
14 Reſponderunt miniſtri: Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.
15 Reſponderunt ergo eis Phariſæi: Nunquid & vos ſeducti eſtis?
16 Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis?
17 Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti ſunt.
18 Dixit Nicodemus ad eos, ille, qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipſis: Nunquid lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo, & cognouerit quid faciat?
19 Reſponderunt, & dixerunt ei: Nunquid & tu Galilæus es?
20 Scrutare ſcripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non ſurgit.
21 Et reuerſi ſunt vnuſquiſque in domum ſuam.]

Not. 1.

Summa. ADVERSANTES, & apprehendere conantes ſermone reprimit.

Aug. Aug. lib. 4. de conſ. Euangeliſtarum cap. 10: Ibi etiam de dono Spiritus ſancti locutus, oſtendit quis eſſet, quando munus altiſſimum dare potuiſſet.

Ver 5.

Amb. Ambr. ſerm. 19. in Pſalm. 118: Ieſus Dominus clamabat: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Et voce verè magna clamabat, qui vocabat homines ad regnum cælorum, ad illum venerabilem potum, quo vitæ æternæ fluctus infunditur Et tu cum oras, magna ora, id eſt, ea ora quæ Quæ orãdo petenda. æterna ſunt, non caduca. Ora quæ diuina ſunt, atque cæleſtia, vt ſis ſicut Angeli in cælo. Noli orare pro pecunia, quia ærugo eſt: noli pro auro, quia metallum eſt: noli pro poſſeſſione, quia terra eſt. Iſta oratio ad Deum non peruenit, non audit Deus, niſi quod dignum ſuis ducit eſſe beneficijs, ſed audit piam vocem plenam de- Amb. uotionis, & gratiæ. Et epiſt. 82. lib. 10: Primum Helias in Berſabe eſt, conceſſit ad ſanctæ legis myſteria, diuinique iuris ſacramenta. Poſtea ad torrentem mittitur, ad illum fluminis impetum, qui lætificat ciuitatem Dei. Vtrumq; aduertis vnius authoris teſtamentum: vetus ſcriptura, quaſi puteus, profunda, atque obſcurior: vnde cum labore haurias, non plenam, quia adhuc qui impleret eam, non venerat. Denique poſtea ait: Non veni legem ſoluere, ſed implere. Ideo ad fluuium tranſire ſanctus à Chriſto iubetur, quoniam qui de nouo teſtamento biberit, non ſolum flumen eſt, ſed flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ; flumina intellectus, flumina cognitionis, flumina ſpiritualia, quæ tamen perfidiæ aruerunt tempore, ne ſacrilegi biberent, potarent perfidi.

Aug. Auguſt. lib. Medit. cap. 37: Trahe os ſitientis animæ in ſuperna fluenta æternæ ſatietatis. Imo trahe me ad te fontem viuum, vt inde pro captu meo bibam, vnde ſemper viuam, Deus meus, vita mea. Tu enim dixiſti ore tuo ſancto & benedicto: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Fons vitæ da ſitienti animæ ſemper bibere ex te, vt ſecundum ſanctam, & veridicam promiſſionem tuam, de ventre meo fluant aquæ viuæ. Fons vitæ reple mentem meam torrente voluptatis tuæ, & inebria cor meum ſobria ebrietate amoris tui, vt obliuiſcar quæ vana ſunt, & terrena, & te ſolum iugiter habeam in memoria mea, ſicut ſcriptum eſt: Memor fui Dei, & delectatus ſum. Da mihi Spiritum ſanctum tuum, quem ſignificabant illæ aquæ, quas ſitientibus daturum te promiſeras.

Cypr. Cypr. ep. 63. cap. 3: Hunc locum de baptiſmo

Hier. intelligit; ſicut & plures alij; teſte Hieron.

Elias. Elias Cretenſis ad orationem 4. Nazianz: Qui credit in me, ex eius aluo (quemadmodum eſt in ſacris litteris) amnes aquæ viuæ profluent, quibus in verbis κοιλία, ſiue aluus cordis ſignificationem habet, hoc eſt, illius partis animi, quæ & intelligit, & ratiocinatur. De hac promanaturam ait aquam viuam, hoc eſt, doctrinam ſpiritualem, quæ auditorum animos irriget. Et quidem adeo longæuam, & non marceſcentem fidei vim eſſe demonſtrat in his verbis, vt non illorum modo qui tum credebant, corda rigando efficere fertilia; ſed aliorum etiam pectora velut mundare poſſit bonum illud diuinitus datum, inſtar fluminei cuiuſdam riui. Nam cuiuis certè patet, Seruatorem appellaſſe amnes promanaturos de aluo credentium, gratiam illam quæ per doctrinam ſpiritus percipi poteſt:

Gregor. lib. 18. Moral. cap. 22: In petris riuos excidit, id eſt, in duris Gentilium cordibus Greg. Iob 28. fluuios prædicationis aperuit, ſicut per Prophetam quoque de irriganda dicitur ariditate Gentilium: Poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua in exitus aquarum. Pſal. 106. Atque in Euangelio promittit Dominus dicens: Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina aquæ viuæ de ventre eius fluent. Quod promiſſum tunc audiuimus, etiam nunc completum videmus. Ecce enim in ſanctis prædicatoribus, & non ex Iudæa progenitis, per cunctam Eccleſiam in toto orbe diffuſam, fluenter cæleſtium mandatorum vbertim manant ore Gentilium. Quia enim in petris riuos aperuit, ex duris quoque cordibus fluuius ſanctæ prædicationis emanauit. Et hom. 1[illegible]. in Greg. Ezech: In ſacro eloquio nonnunquam venter pro mente poni conſueuit. Vnde & per Hieremiam dicitur: Ventrem meum doleo. Quod Hier. 4. quia de ſpiritali, & non corporeo ventre dixerat, adiunxit: Senſus cordis mei conturbati ſunt. Neque enim ad ſalutem populi pertinebat, ſi Propheta ventrem corporeum ſe dolere prædicaret. Sed ventrem doluit, qui mentis afflictionem ſenſit. Sed cur exemplum prophetæ proferimus, cum teſtimonium Domini apertius habeamus? Et neceſſe eſt, vt cum per ſemetipſam Veritas loquitur, propheta taceat, quia lucerna claritatem non habet in Sole. Ait enim: Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Quia enim de mente fidelium ſanctæ prædicationes defluunt, quaſi de ventre credentium aquæ viuæ flumina decurrunt.

Not. 2. verſ. 6.

ORIGEN. hom. 12. in Numeres: In alio au- Orig. tem Euangelij loco, iam non fons, neque puteus; ſed amplius aliquid dicitur: Qui credit, inquit, in eum, ſicut ſcriptura dicit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Vides ergo quia qui credit in eum, non ſolum puteum, ſed & puteos; & non ſolum fontes, ſed & flumina habet intra ſe. Fontes autem, & flumina, non quæ iſtam mortalem vitam ſolentur; ſed quæ æternam conferant.

Hieron. Zachar. 14: Aquam autem viuam re- Hier. ctè à nobis doctrinam Saluatoris expoſitam, Aqua viua quid ſit. ſciet ille, qui biberit, & qui Saluatorem audierit

prædi-

prædicantem: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viuentis, & ſalientis in vitam æternam. Et ruſum:Qui credit in me (ſicut dicit ſcriptura) de ventre eius egredientur flumina aquæ viuentis. Sicut enim qui biberit de doctrina eius,habebit in ſe fontem viuentem, ſic qui crediderit in eo, iuxta id quod ſcripturarum vocibus continetur,flumina aquæ viuentis egredientur de ventre illius. Aquas viuentes multi ad baptiſmum referunt, quæ in vere, & in æſtate, hoc eſt, in Paſcha,& Pentecoſte ſitientibus largiẽdæ ſunt: quando implebitur quod ſcriptum eſt: Lauamini mundi eſtote.

Aug. Aug.lib.2.contra Creſconium cap.13: Hanc Spiritu ſancto mundanre lætificat, de quo clamabat dicens: Si quis ſitit, veniat,& bibat: non aquam viſibilem commendans, quæ datur in baptiſmatis Sacramento,quam & boni,& mali habere poſſunt,quamuis ſine illa boni ſalui fieri non poſſunt. Quæ quamuis Eccleſiæ ſit,tamẽ etiam foras profluit, cum & apud illos inuenitur,qui ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; ſicut aqua in aliquo ex illis memorabilibus quatuor fluminibus negari non poteſt quod ſit aqua paradiſi, quamuis non ſit in ſolo paradiſo, quæ etiam extra inde manauit. Et cap.14: Non ergo hanc aquam,ſed aquæ nomine inuiſibile Dei donum ſanctum Spiritum commendabat dicens: Si quis ſitit,veniat, & bibat: ſicut euidenter Euangeliſta teſtatur, adiungens:Hoc autem dicebant de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

Non vult hoc intelligi de baptiſmo.

1 Ioan. 2.

Aug.

Not. 3. ver. 8.

Hier. HIER. epiſt.ad Hedibiam quæſt. 9:Ego autem audacter,& tota libertate pronuncio,ex eo tempore, quo Apoſtoli Domino crediderunt, ſemper eos habuiſſe Spiritum ſanctum:nec potuiſſe ſigna facere,abſque Spiritus ſancti gratia; ſed pro modulo,atque menſura. Vnde Saluator clamabat in templo dicens: Qui ſitit,veniat ad me, & bibat: & qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Et in eodem loco infert: Nondum enim erat Spiritus datus; quia Ieſus nondum fuerat glorificatus non quod non eſſet Spiritus ſanctus, dicente Domino Saluatore: Si autem ego in Spiritu ſancto eijcio dæmonia; ſed quia erat in Domino, necdum totus in Apoſtolis morabatur. Quamobrem terrentur ad paſſionem eius, & negant, & Chriſtum ſe neſcire iurant. Poſtquam autem baptizantur in Spiritu ſancto, & infunditur in eos Spiritus ſancti gratia,tunc libere loquuntur ad principes Iudæorum: Obedire magis Deo oportet, quam hominibus: mortuos ſuſcitant: inter flagella lætantur, fundunt ſanguinem pro Chriſto,& ſupplicijs ſuis coronantur. Nondum ergo erat ſpiritus in Apoſtolis, nec de ventre eorum fluebant gratiæ ſpiritales; quia Dominus necdum fuerat glorificatus. Quæ ſit autem gloria, ipſe in Euangelio loquitur: Pater glorifica me gloria, quam apud te habui, prius quam mundus eſſet. Gloria Saluatoris,patibulum triumphantis eſt. Crucifigitur vt homo, glorificatur vt Deus. Denique ſol fugit; luna mutatur in ſanguinem; terra motu inſolito contremiſcit; aperiuntur inferi; mortui ambulant; ſaxa rumpuntur. Hæc eſt gloria,de qua loquebatur in Pſalmo: Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara.

Quando Apoſtoli Spiritum ſanctum acceperint.

De qua Chriſti gloria hic agatur.

Aug. Aug.lib.4.de Trin.c.20: Et quod dicit Euangeliſta, Spiritus nondum erat datus, quia Ieſus nondum erat clarificatus:quomodo intelligitur, niſi quia certa illa Spiritus ſancti datio,vel miſſio,poſt clarificationẽ Chriſti futura erat,qualis nunquam antea fuerat? neque enim antea nulla erat,ſed talis non fuerat. Si enim antea Spiritus ſanctus non dabatur, quo impleti prophetæ locuti ſunt, cum aperte ſcriptura dicat, & multis locis oſtendat Spiritu ſancto eos locutos fuiſſe: cum & de Ioanne Bapt. dictum ſit; Spiritu ſancto replebitur iam inde ab vtero matris ſuæ: & Spiritu ſancto repletus Zacharias inuenitur pater eius,vt de illo talia diceret:Et Spiritu ſancto Maria,vt talia de Domino, quẽ geſtabat vtero, prædicaret: Spiritu ſancto Simeon,& Anna, vt magnitudinẽ Chriſti paruuli agnoſcerent:quomodo ergo ſpiritus nondum erat datus,quia Ieſus nondum erat clarificatus,niſi quia illa datio, vel donatio,vel miſſio Spiritus ſancti,habitura erat quandam proprietatẽ ſuam in ipſo aduentu, qualis antea nunquam fuit? nuſquam enim legimus, linguis, quas non nouerant homines locutos,veniente in ſe Spiritu ſancto,ſicut tunc factum eſt,cum oporteret eius aduentum ſignis ſenſibilibus demonſtrari,vt oſtẽderetur totum orbem terrarum, atque omnes gẽtes, in linguis varijs conſtitutas, crediturus in Chriſtum, per donum Spiritus ſancti, vt impleretur quod in Pſalmo canitur: Non ſunt loquelæ,neq; ſermones,quorum non audiuntur voces eorum, &c. Et quæſt. 62.lib.83. quæſt: Quæritur vtrum qui baptizati ſunt illo tempore, quo ſcriptum eſt: Dominum per diſcipulos ſuos baptizaſſe plures, quam Ioannes, acceperint Spiritum ſanctũ. Alio enim loco Euangelij ſic dicitur: Spiritus enim nondum erat datus: quia Ieſus nondum erat glorificatus. Et facillime quidem ita reſpondetur,quod Dominus Ieſus,qui etiam mortuos ſuſcitabat, poterat neminem illorum mori ſinere,donec poſt eius clarificationem,id eſt, reſurrectionem à mortuis,& aſcenſionem in cælum, acciperent Spiritum ſanctum;ſed occurrit animo latro ille, cui dictum eſt: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo:qui nec ipſum baptiſmum acceperat. Quanquam Cornelius, & qui cum eo ex gentibus crediderãt,Spiritum ſanctum,etiam priuſquam baptizarentur, acceperint; non tamen video quomodo & ille latro ſine Spiritu ſancto dicere potuerit: Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum. Nemo enim dicit Dominus Ieſus,ait Apoſtolus,niſi in Spiritu ſancto. Cuius fidei fructum ipſe Dominus monſtrauit, dicens: Amen dico tibi,

Quomodo Spiritus ſanctus nondum erat datus.

Quid ſignificet donũ linguarũ.

Pſal. 18.

Aug.

Act. 10.

1 Cor. 12.

hodie mecum eris in paradiſo. Quomodo ergo ineffabili poteſtate dominantis Dei, atque iuſtitia deputatum eſt etiam baptiſmum credēti latroni, & pro accepto habitum in animo libero, quod in corpore crucifixo accipi non poterat: Sic etiam Spiritus ſanctus latenter dabatur ante Domini clarificationem: poſt manifeſtationem autem diuinitatis eius, manifeſtius datus eſt. Et hoc dictum eſt: Spiritus autem nondum erat datus; id eſt, nondum ſic apparuerat, vt omnes eum datum eſſe faterētur: ſicut etiam Dominus nondum erat clarificatus inter homines, ſed tamen clarificatio eius æterna nunquam eſſe deſiſtit: Sicut & aduentus eius ea ipſa dicitur demonſtratio in carne mortali: Nam illuc venit vbi erat, quia in ſua propria venit, & in hoc mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt. Sicut ergo Domini aduentus intelligitur demonſtratio corporalis, tamen ante hanc demonſtrationem ipſe in omnibus prophetis ſanctis tanquam Dei verbum, & Dei ſapientia locutus eſt: ſicut & aduentus Spiritus ſancti, demonſtratio Spiritus ſancti eſt ipſis etiam oculis carneis, quando viſus eſt ignis diuiſus ſuper eos, & cœperunt loqui linguis. Nam ſi non erat in hominibus Spiritus ſanctus ante Domini viſibilem clarificationem, quomodo dicere potuit Dauid. Et Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me? Aut quomodo impleta eſt Eliſabeth, & Zacharias vir eius vt prophetarent, & Anna, & Simeon, de quibus ſcriptum eſt, quod impleti ſunt Spiritu ſancto, vt illa, quæ in Euangelio legimus, dixerint? vt autem quædam latenter, quædam vero per creaturam viſibilem viſibiliter Deus operetur, pertinet ad gubernationem prouidentiæ, qua omnes diuinæ actiones, locorum, temporumque ordines, diſtinctione pulcherrima peraguntur, cum ipſa diuinitas nec teneatur, nec migret locis, nec tendatur varietateue temporibus. Quomodo autem ipſe Dominus ſecum habebat vtique Spiritum ſanctum in ipſo homine, quem gerebat, quando vt baptizaretur venit ad Ioannem, & tamen poſteaquam baptizatus eſt, deſcendere in eum Spiritus ſanctus viſus eſt in columbę ſpecie: ſic intelligēdum eſt & ante manifeſtum, & viſibilem aduentum Spiritus ſancti quoſcunque homines ſanctos eum latenter habere potuiſſe. Ita ſane hoc diximus, vt intelligamus etiam iſta ipſa viſibili demonſtratione Spiritus ſancti, qui aduentus eius dicitur, ineffabili vel etiam incogitabili modo largius in hominum corda plenitudinem eius infuſam.

Quomodo Spiritus ſanctus nondum erat datus.

Pſal. 50.

Et lib. de Trin. & vnit. Dei cap. 4: A quibuſdam dubitari ſolet, an Spiritum ſanctum habuerunt Apoſtoli illo tempore, quo fuerunt cum Chriſto Domino, ſecundum quod Euangeliſta dicit: Spiritus nondum erat datus: quia Ieſus nōdum erat glorificatus. Et in alio loco ait: Si diligitis me, præcepta mea ſeruate: & ego rogabo patrē, & alium paracletum dabit vobis, vt vobiſcum ſit in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, neq; cognoſcit eum. Vos autem videtis eum, & cognoſcitis eum: quia apud vos manet, & vobiſcum eſt. Et etiam poſt reſurrectionem ſuam legitur inſufflaſſe, & dixiſſe diſcipulis: Accipite Spiritum ſanctum. In Pentecoſte vero legitur Spiritus ſanctus in Apoſtolis deſcendiſſe. Ad hæc dicendum, quia vnus ſpiritus eſt, ſed dona habet multa. Non eſt dubium quin ſpiritus erat cum eis: quia vbi Chriſtus eſt, Spiritus ſanctus eſt. Et quia venturum Spiritum ſanctum à Patre promiſerat Chriſtus, non defuit in hoc indifferens eius diuinitas. Trium ergo officiorum formæ doni Spiritus ſancti in Apoſtolis ſunt oſtenſæ: quarum prima hæc eſt, quæ ad ius Eccleſiaſticum pertinet, in regenerandis: Eccleſiaſtica poteſtas intelligitur eſſe in officijs Epiſcoporū, & Sacerdotum, qui omnia in traditione Dominica per Spiritum ſanctum agere debent: vnde illis dicit Ieſus: Quorum tenueritis peccata, tenebuntur: & quorum remiſeritis, remittuntur eis. Secunda eſt, quæ in Pentecoſte data eſt, quæ generalis eſt: non ſolum enim in Apoſtolos, verum etiam in omnes credentes decidit Spiritus ſanctus. Tertia forma eſt, quæ ſolum Apoſtolis, vel ordinatis in initio conceſſa eſt; in ſignis, ac virtutibus faciendis, vſque dum fidei ſemina iacerentur ad cremētum. Semina enim fidei ſunt virtutes per Apoſtolos factæ: Ipſi enim Apoſtoli Antiſtites politi ſunt huiuſmodi veritatis, qui per ſigna, & prodigia rationabilem eſſe fidem noſtram teſtantur. Igitur Spiritus ſanctus datur omnibus generaliter credentibus, ſed ſi manet in eis: in ſignis vero, & prodigijs filij Dei eſſe probantur. Etiam Spiritus ſanctus non manet quandoque in homine, ſed vocatus aduenit, vt ſuggerat neceſſaria, & recedat. Similiter & in traditione, vel ordinatione, de foris gratiam & tuitionem præſtat deuotis fidei, & commendatiores habeantur per inſpirationem eius. Hæc eadem habet Aug. lib. quæſt. vet. & noui teſtam. cap. 93. Et tract. 52. in Ioann: Sic & illud quod dictum eſt: Spiritus autem nondum erat datus, quia Ieſus nondum fuerat glorificatus, poteſt ſimilem habere quæſtionem, & ſimilem ſolutionem. Non enim ſine Spiritu ſancto futura prænunciauerunt prophetæ: aut non etiam Dominum infantem in Spiritu ſancto Simeon ſenex, & Anna vidua cognouerunt; & Zacharias, & Elizabeth, qui de illo nondum nato, ſed iam concepto, tanta per Spiritum ſanctum prædixerunt. Sed ſpiritus nondum erat datus, id eſt, illa abundantia gratiæ ſpiritalis, qua congregati linguis omnium loquerentur; ac ſic in linguis omnium gentium futura prænunciaretur Eccleſia, qua gratia ſpiritali populi congregarentur, qua longe, lateque peccata dimitterentur, & milia milium Deo reconciliarentur.

Aug.

Ioan. 20.

Act. 2

Formæ trium officiorum in Apoſtolis dono Spiritus ſancti.

Aug.

Quomodo Spiritus ſanctus nondum erat datus.

Quid ſignificet donū linguarū.

Ver. 20.

Bonau. Luc. 2: Quoniam Nazaræus vocabitur. Et Eſaiæ 9: Aggrauata eſt via maris trans Iordanem Galilææ. Sed hoc non cognouerunt Scribæ, qui dixerunt, Ioan. 7: Scrutate ſcripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non ſurgit.

Bona.

CAP. 99.

C A P. 99. *Mulier in adulterio deprehenſa liberatur.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan 8.*
			Sabb. poſt Dom. 3. Quadr.

1 [✠ IESVS autem perrexit in montem Oliueti: & di-
luculo iterum venit in templum.
2 Et omnis populus venit ad eum, & ſedens docebat eos.
3 Adducunt autem Scribæ, & Phariſæi mulierem in adul-
terio deprehenſam: & ſtatuerunt eam in medio.
4 Et dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa
eſt in adulterio: in lege autem Moyſes mandauit nobis
huiuſmodi lapidare: tu ergo quid dicis?
5 Hoc autem dicebant, tentantes eum, vt poſſent accuſare
eum.
6 Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in
terra.
7 Cùm ergo perſeuerarent interrogantes eum, erexit ſe, &
dixit eis: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapi-
dem mittat. Et iterum ſe inclinans ſcribebat in terra.
8 Audientes autem, vnus poſt vnum exibant, incipientes à
ſenioribus. Et remanſit ſolus Ieſus, & mulier in medio
ſtans.
9 Erigens autem ſe Ieſus, dixit ei: Mulier, vbi ſunt qui te
accuſabant? nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo, Do-
mine.
10 Dixit autem Ieſus: Nec ego te condemnabo: vade, &
iam amplius noli peccare. ✠

Not. 1.

Summa.

ADVLTERAM mulierem Chriſtus abſoluit.

Aug.

Aug. lib. 4. de conſenſ. Euang. cap. 10: Rurſus illuc de Oliueti monte regredientem, quæ & quanta narrat locutum, poſt veniam illi adulteræ datam, quæ velut lapidanda oblata illi à tentatoribus fuerat, quando digito ſcribebat in terra: tanquam illos tales in terra ſcribendos ſignificaret, non in cælo; vbi monuit diſcipulos ſe ſcriptos eſſe gauderent. Aut quod ſe humiliando, quod capitis inclinatione monſtrabat, ſigna in terra faceret: aut quod iam tempus eſſet, vt in terra, quæ fructum daret; & non in lapide ſterili, ſicut antea, lex eius conſcriberetur.

ver 6. Cur Dominus in terra ſcribebat.

Amb.

Ambr. epiſt. 58. lib. 7: Cum adulteram repeiſſent Iudęi, obtulerunt eam Saluatori, captantes, vt ſi abſolueret eam, videretur legem ſoluere, qui dixerat: Non veni legem ſoluere, ſed adimplere; ſi damnaret, videretur aduerſum finem veniſſe propoſiti ſui. Hoc igitur præuidens Dominus Ieſus, inclinato capite, ſcribebat in terra. Quid ſcribebat, niſi illud propheticum: Terra, terra, ſcribe hos viros abdicatos, quod de Iechonia lectum eſt in Hieremia propheta? Cum Iudæi interpellant, in terra ſcribuntur nomina Iudæorum. Cum adeunt Chriſtiani, non ſcribuntur in terra fidelium nomina, ſed in cælo. In terra autem ſcribuntur abdicati à patre proprio, qui patrem tentant, & contumelias irrogant authori ſalutis. Cum interpellant Iudæi, inclinat caput Ieſus, & quia non habet vbi reclinet caput ſuum, iterum erigit quaſi dicturus ſententiam, & ait: Qui ſine peccato eſt, prior lapidet eam. Et iterum inclinato capite ſcribebat in terrà. Audientes illi, exire cæperunt ſinguli incipientes à ſenioribus, vel quod ipſi plura haberent crimina, qui diu vixerant, vel quia priores vim intellexerunt ſententiæ, quaſi prudentiores: & cæperunt ſua magis peccata deflere, qui alieni criminis venerant accuſatores. Recedentibus ergo illis remanſit ſolus Ieſus, & eleuans caput ad mulierem, ait: Vbi ſunt qui te accuſabant? nemo te lapidauit? Et illa reſpondit: Nemo. Dicit ei Ieſus: Nec ego te damnabo; vade, & à modo vide ne pecces. Non damnat quaſi redemptio, corrigit quaſi vita, quaſi fons abluit. Et quia quando ſe inclinat Ieſus, ideo inclinet vt iacentes eleuet, ideo ait remiſſio peccatorum: Nec ego te damnabo.

Quid ſcribebat.

Ierem. 22

Cur in terra ſcribebat.

Quinam in terra ſcribātur.

Cur ſe Chriſtus erigat.

Cur ſeniores primi exeant.

Cur ſe Dominus inclinet.

Amb.

Et epiſt. 76. lib. 9: Oblata erat à Scribis, & Phariſæis Domino Ieſu adulterij rea, & hac oblata fraude, vt ſi eam abſolueret, legem ſoluere videretur: ſin vero damnaret, propoſitum ſui mutaret aduentus; quia peccata omnium remiſſurus aduenit. Denique ſupra ait: Ego non iudico quemquam. Offerentes ergo eam, dixerunt: Hanc mulierem inuenimus publicè mœchan-

 tem.

Leu. 20 tem. Scriptum eſt enim in legem Moyſi, omnem mœcham lapidari. Tu verò quid dicis de ea? Quæ cum dicerent, Ieſus inclinato capite digito ſcribebat in terra. Et cum exſpectarent
ver 7. vt audirent eum, erigens caput dixit: Qui ſine peccato eſt, prior lapidet eam. Quid tam diuinum, quam iſta ſententia, vt is peccata puniat, qui exors ipſe peccati ſit? quomodo enim feras alieni vltorem, & proprij criminis defenſorem? Nonne ſe magis ipſe condemnat, qui in alio damnat quod ipſe committit? Hoc autem dixit:
Quid ſcribebat. Et ſcribebat in terra. Quid? vtique dicens: Feſtucam, quæ in oculo eſt fratris tui vides; trabem autem, quæ in oculo tuo eſt non vides. Libido enim velut feſtuca eſt, cito accenditur, propere conſumitur. Sacrilegium perfidiæ, quo Iudæi negabant propriæ ſalutis authorem, ſceleris magnitudinem perſonabat. Scribebat au-
Cur in terra ſcribebat. tem in terra digito, quo legem ſcripſerat. Peccatores in terra ſcribuntur, iuſti in cælo, ſicut habes dictum ad diſcipulos: Gaudete, quia no-
Cur ſecundo ſcribat. mina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Secundò autem ſcripſit, vt gemino teſtamento Iudæos ſcias eſſe damnatos. Audientes autem hoc verbum exierunt foras, vnus poſt vnum, incipientes à ſenioribus; & ſedebant cogitantes de ſe. Et re-
Cur exibāt manſit ſolus Ieſus, & mulier in medio ſtans. Bene ait quod exierunt foras, qui nolebant eſſe cum Chriſto, foris littera eſt, intus myſteria. Sequebantur enim diuinarum lectionum quædam velut arborum folia, non fructum, qui viuebant in vmbra legis, & Solem iuſtitiæ videre non poterant. Denique deſcendentibus illis remanſit ſolus Ieſus, & mulier in medio ſtans.
Ieſus ſolus remanet. Donaturus peccatum, ſolus remanet Ieſus, ſicut ipſe ait: Ecce venit hora, & iam venit, vt diſpergamini vnuſquiſque in ſua, & me ſolum relinquatis. Non enim legatus, neque nuncius, ſed ipſe Dominus ſaluum fecit populum ſuum. Solus remanet; quia non poteſt hoc cuiquam hominum cum Chriſto eſſe commune, vt peccata condonet. Solius hoc munus eſt Chriſti, qui tulit peccatum mundi. Meruit & mulier abſolui, quæ recedentibus Iudæis, remanſit ſola cum Chriſto. Eleuans autem caput Ieſus dixit mulieri: Vbi ſunt qui te accuſabant? nemo te lapidauit? Et illa reſpondit: Nemo Domine. Et ait ad illam Ieſus: Nec ego te damnabo, vade, & amodo vide ne pecces. Vide Lector diuina myſteria, & clementiam Chriſti. Cum accuſatur mulier, caput Chriſtus inclinat: Eleuat autem vbi defecit accuſator. Ita nullum damnari vult, abſolui omnes. Breuiter autem omnes hæreticorum interimit quæſtiones dicendo: Nemo te lapidauit? Qui dicunt Chriſtum diem neſcire iudicij, vel qui ait: Sedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis; ecce & hic ait: Nemo te lapidauit? Quomodo vtiq; interrogat quod videbat? Sed interrogat nobis, vt noſceremus non eſſe lapi-
Cur interrogat quod videt. datam. Eſt etiam humani affectus hæc conſuetudo, vt interrogemus ſæpiſſime quod videmus. Et ideo mulier reſpondit: Nemo Domine. Hoc eſt dicere: Quis poteſt lapidare quam ipſe non damnas? Quis poteſt alium ſub tali ſententiæ conditione punire? Cui reſpondit Dominus: Nec ego te damnabo. Aduerte quomodo propriam ſententiam temperauit, vt Iudæi de abſolutione mulieris calumniari nihil poſſent, ſed in ſe magis calumniam retorquerent, ſi queri vellent. Dimittitur enim mulier, non abſoluitur: quia deerat accuſator, non quia innocens approbatur. Quid ergo quererentur, qui priores à perſecutione criminis, & ab executione ſupplicij deſtiterunt? Addidit autem deuiæ: Vade, & amodo vide ne pecces. Emendauit ream, non crimen abſoluit. Etenim ſeueriore ſententia culpa damnatur, ſi vnuſquiſque crimen ſuum oderit, & in ſe incipiat condemnare delictum. Etenim cum reus occiditur, perſona magis, quam culpa punitur. Vbi vero culpa deponitur, abſolutio, perſonæ eſt, pœna peccati. Quid eſt ergo: Vade, & amodo vide ne pecces? hoc eſt, ex quo te Chriſtus redemit, corrigat gratia, quam pœna non emendaret, ſed plecteret.

Not. 2. verſ. 1.

Aug. AVG. ſer. 47. de verbis Dom. qui eſt ſumptus ex tract. 33. in Ioan: Inde Ieſus perrexit in montem Oliueti. In montem fructuoſum, in montem vnguenti, in montem chriſmatis. Vbi enim decebat docere Chriſtum, niſi in monte Oliueti? Chriſti enim nomen à chriſmate dictum eſt. Chriſma autem Græce, Latine vnctio nuncupatur. Ideo autem nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit. Mons Oliueti.

Bed. Bed. Ioann. 8: Mons Oliueti, ſublimitatem Dominicæ pietatis, & miſericordiæ deſignat: & ipſa vnctio olei feſſis, ac dolentibus membris ſolet adferre leuamen. Sed & hoc, quod oleum & virtute, ac puritate præeminet, & quemcumque ei liquorem ſuperfundere volueris, confeſtim hunc tranſcendere, eique ſuperferri conſueuit, gratiam miſericordiæ cœleſtis non inconueniẽter inſinuat. De qua ſcriptum eſt: Suauis Dominus vniuerſis; & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Pſal. 144.

Ver. 5.

Aug. Aug. ſerm. 47. de verbis Dom: Nunc iam attendite, vbi ab inimicis tentata ſit Domini manſuetudo. Vt poſſent accuſare eum. Vnde accuſare? Nunquid ipſum in aliquo facinore deprehenderant, aut illa mulier ad eum aliquo modo pertinuiſſe dicebatur? Quid eſt ergo, tentantes eum, vt poſſent accuſare eum? Intelligamus, fratres, admirabilem manſuetudinem in Domino fuiſſe. Animaduerterunt eum nimium eſſe mitem, nimium eſſe manſuetum; de illo quippe fuerat ante prædictum: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime. Specie tua, & pulchritudine tua, intende proſpere, procede, & regna: propter veritatem, & manſuetudinem & iuſtitiam. Ergo attulit veritatem vt doctor, manſuetudinem vt liberator, iuſtitiam vt cognitor. Propter hæc eum eſſe regnatu- Pſal. 44.

gnaturum, in Spiritu ſancto propheta prædixerat. Cum loqueretur, veritas agnoſcebatur: cum aduerſus inimicos non moueretur, manſuetudo laudabatur. Cum ergo de duobus iſtis, id eſt, de veritate, & manſuetudine eius, inimici liuore, & inuidia torquerentur; in tertio, id eſt, iuſtitia, ſcandalum poſuerunt. Quare? Quia lex iuſſerat adulteros lapidari. Et vtique lex quod iniuſtum erat, iubere non poterat. Si quis aliud diceret, quam lex iuſſerat, iniuſtus deprehenderetur. Dixerant ergo apud ſemetipſos; verax putatur; manſuetus videtur: de iuſtitia illi quærenda calumnia eſt: Offeramus ei mulierem in adulterio deprehenſam; dicamus quid de illa in lege præceptum ſit: ſi eam iuſſerit lapidari, manſuetudinem non habebit. Si eam dimitti cenſuerit, iuſtitiam non tenebit. Vt autem manſuetudinem, inquiunt, non perdat, in qua iam populis amabilis factus eſt, ſine dubio eam dimitti debere dicturus eſt. Hinc nos inueniemus accuſandi occaſionem, & eum reum faciemus tanquam legis præuaricatorem, dicentes ei: Hoſtis es legis, contra Moyſen reſpondes, imo contra eum, qui per Moyſem legem dedit: reus es mortis, cum illa & tu ipſe lapidandus es. Poſſet his verbis, atque his ſententijs inflammari inuidia, feruere accuſatio, flagitari damnatio. Sed cui hoc? peruerſitas rectitudini, fallitas veritati, corruptum cor directio, ſtultitia ſapientiæ. Quando illi laqueos præpararent, in quos non prius ipſi caput immitterent?

Ratio I. cur Dominus adulteræ pepercerit.

Bern. Bern. ſer. 3. de Annunciatione Dominica: In Chriſto nihil inimici aliud, vnde occaſionem ſtruendę calumniæ caperent, inuenerunt. Compatietur, aiunt, peccatrici, nec ſibi oblatam vllatenus occidi patietur. Tenebitur itaque manifeſtus aduerſarius legis, cum abſoluerit lege damnatum. *Aug.* Vide Aug. lect. 1. 2. & 3. ſabb. poſt Dom. 3. Quad.

Ver. 6.

Amb. Ambr. lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 2: Culpa graphio ſcribitur, gratia ſpiritu deſignatur. Hoc digito myſticè etiam Dominus Ieſus inclinato capite ſcribebat in terra, cum à Iudæis adultera eſſet oblata, ſignificans per figuram, quando de peccatis alterius iudicamus, noſtri nos debere meminiſſe peccati.

Cur in terra ſcribebat.

Eut. Euth. Ioan. 8: Ieſus deorſum inclinatus, digito ſcribebat in terra: quod frequenter facere ſolent, qui reſpondere nolunt importuna, indignaque rogantibus: cognita enim eorum machinatione, fingebat ſe in terra ſcribere, nec his attendere, quæ dicebant.

Bed. Bed. Ioan. 8: Per inclinationem Ieſu, humilitas; per digitum, qui articulorum compoſitione flexibilis eſt, ſubtilitas diſcretionis exprimitur. Porro per terram, cor humanum, quod vel bonarum, vel malarum actionum ſolet reddere fructus, oſtenditur. Poſtulatus ergo Dominus iudicare de peccatrice, non ſtatim dat iudicium; ſed prius ſe inclinans deorſum, digito ſcribit in terra: ac ſic demum, quam obnixè rogatur iudicat: nos videlicet typicè inſtituens, vt cum quælibet proximorum errata conſpicimus, non hæc ante reprehendendo iudicemus, quam ad conſcientiam noſtram humiliter reuerſi, digito eam diſcretionis ſolerter exculpamus: & quid in ea conditori placeat, quidue diſpliceat, ſedula examinatione dirimamus, iuxta illud Apoſtoli: Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi ſpiritu manſuetudinis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.

Inclinatio, digitus, terra quid ſint.

Aug. Aug. ſer. 47. de verbis Domini: Ecce Dominus in reſpondendo & iuſtitiam ſeruaturus eſt, & à manſuetudine non receſſurus. Non eſt captus cui tendebatur, ſed potius capti ſunt qui tendebant, quia in eum, qui eos poſſet de laqueis eruere, non credebant. Quid ergo reſpondit Dominus Ieſus? Quid ergo reſpondit Veritas? Quid reſpondit Sapientia? Quid reſpondit ipſa, cui calumnia parabatur, iuſtitia? Non dixit, non lapidetur, ne contra legem dicere videretur. Abſit autem vt diceret lapidetur. Venit enim non perdere quod inuenerat; ſed quærere quod perierat. Quid ergo reſpondit? Videte quam plenum ſit iuſtitia, plenum manſuetudine, & veritate. Qui ſine peccato eſt veſtrum, inquit, prior in illam lapidem mittat. O reſponſio ſapientiæ, quomodo eos intromiſit in ſemetipſos? foris enim calumniabantur, ſeipſos introrſecus non perſcrutabantur: adulteram videbant, ſe non perſpiciebant. Præuaricatores legis legem implere cupiebant, & hoc calumniando: non vere, tanquam adulteram à caſtitate damnando. Audiſtis Iudæi, audiſtis Pharisæi, audiſtis legis doctores, legis cuſtodem, ſed nondum intellexiſtis legiſlatorem. Quid vobis aliud ſignificat, cum digito ſcribit in terra? Digito enim Dei lex ſcripta eſt, ſed propter duros in lapide ſcripta eſt. Nunc iam Dominus in terra ſcribebat, quia fructū quærebat. Audiſtis ergo, impleatur lex, lapidetur adultera, ſed numquid in illa punienda, lex implenda eſt à puniendis? Conſideret ſe vnuſquiſque veſtrum, intret in ſemetipſum, aſcendat tribunal mentis ſuæ, conſtituat ſe ante conſcientiam ſuam, cogat ſe confiteri. Scit enim qui ſit: quia nemo ſcit hominum quæ ſunt hominis niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt vnuſquiſque in ſe intendens, peccatorem ſe inuenit. Ita plane. Ergo aut iſtam dimittite, aut ſimul cum illa pœnam legis excipite. Si diceret, non lapidetur adultera, iniuſtus conuinceretur, ſi diceret, lapidetur, manſuetus non videretur. Dicat quod dicere debet & manſuetus, & iuſtus. Qui ſine peccato eſt veſtrum prior in illam lapidem mittat. Hæc vox iuſtitiæ eſt, puniatur peccatrix, ſed non à peccatoribus, impleatur lex, ſed non à præuaricatoribus legis. Hæc vox omnino iuſtitiæ eſt, qua iuſtitia illi tanquam trabali telo percuſſi, ſeſe inſpicientes, & reos inuenientes, vnus poſt vnum omnes receſſerunt. Relicti ſunt duo miſera, & miſericordia. Dominus autem cum eos illo telo iuſtitiæ percuſſiſſet, nec dignatus eſt cadentes attendere, ſed auerſo ab eis obtu-

Aug. Reſpondet lapidanti. *Cur in terra ſcribat.* *Exod. 3.* *I Cor. 2.* *Cur iterū in terra ſcribat.*

tu, rurſum digito ſcribebat in terra.

Bern.

Bern. ſer. 3. in Annunciatione Dominica: Inclinans ſe, & ad miſericordiam flexus (neque enim Iudaici cordis erat) digito ſcribebat, non iam in lapide, ſed in terra. Neque hoc tantum ſemel, ſed hic quoque duplex ſcriptura, ſicut apud Moyſen tabulæ duæ. Et forte veritatem, & gratiam, ſcribens, & iterum ſcribens, terræ impreſſiſſe videtur, ſecundum quod Ioannes Apoſtolus ait: Lex per Moyſen data eſt; gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Conſidera denique an videri poſſit de tabula veritatis legiſſe, vnde refelleret Phariſæos: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat. Verbum quidem abbreuiatum; ſed viuum, & efficax, & ancipiti gladio penetrabilius. Quam grauiter enim ad verbum hoc, ſaxea corda tranſfoſſa, quam vehementer hoc vno lapillo contritæ ſint lapideæ frontes, rubor ipſe confuſionis, & clandeſtinus probauit abſceſſus. Meruit quidem adultera lapidari, ſed is punire geſtiat, qui dignus non eſt etiam ipſe puniri. Is præſumat à peccatrice exigere vltionem, qui eandem excipere non meretur. Alioquin ipſe ſibi vicinior, à ſe incipiat: in ſe prius ſententiam ferat, exerceatque vindictam.

Not. 3. ver. 7.

Greg.

Iuſti ſimul & manſueti eſſe debemus.

GREG. lib. 1. Moral. cap. 10: Plerunque nos cum rectitudinem iuſtitiæ exequimur, manſuetudinem relinquimus: & cum manſuetudinem ſeruare cupimus, iuſtitiæ rectitudinem declinamus. Dominus autem in carne veniens, ſimplicitatem cum rectitudine tenuit, quia nec in manſuetudine diſtrictionem iuſtitiæ, nec rurſum in diſtrictione iuſtitiæ virtutem manſuetudinis amiſit. Vnde cum quidam deducta adultera hunc tentare voluiſſent, vt in culpam, aut immanſuetudinis, aut iniuſtitiæ laberetur, ad vtraque reſpondit dicens: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat. Dat ſimplicitatem manſuetudinis, qui ſine peccato eſt veſtrum. Dat zelum iuſtitiæ, primus in illam lapidem mittat. Vnde ei Propheta dicit: Intende proſpere, procede, & regna: propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam. Veritatem quippe exſequens, manſuetudinem cum iuſtitia conſeruauit: vt nec zelum rectitudinis in manſuetudinis pondere amitteret, nec rurſum pondus manſuetudinis zelo rectitudinis perturbaret.

Pſal. 44.

Eut.

Reſpondet ſapienter.

Cur ſeceſſo ſcribit inclinatus.

Euth. Ioan. 8: Vide ſapientiam eius, qui ipſa eſt ſapientia. Nam ſagaciter illorum decepit machinationes; ſimul & ſeruando legem, & parcendo mulieri. Rurſumque inclinatus ſcribebat in terra: vt dum ipſe in eos non reſpiceret, erubeſcerent leuius redarguti: vtque ita illo in ſcribendo occupato, liceret eis ſenſim abſcedere, antequam manifeſtius condemnarentur: nam ſua ſumma benignitate etiam ipſis parcebat.

Bed.

Bed. Ioan. 8: Et quidem iuxta morem conſuetudinis humanæ poteſt intelligi, quod ideo Dominus coram tentatoribus improbis inclinari, & in terra ſcribere voluerit, vt alio ſuum vultum intendens, liberum eis daret exire, quos ſua reſponſione perculſos, citius exituros, quam plura interrogaturos eſſe, præuiderat. Sed figurate nos admonet, quod & ante datam, & poſt datam ſententiam inclinans ſcripſit in terra, vt & prius quam peccantem proximum corripiamus, & poſtquam debitæ caſtigationis illi miniſterium reddiderimus, nos ipſos digna humilitatis inueſtigatione perpendamus: ne forte aut eiſdem, quæ in ipſis reprehendimus, aut alijs quibuſlibet ſimus facinoribus irretiti: ſicut forte fieri poterit, vt qui homicidam reum mortis eſſe iudicauerit, ipſe in ſeipſo per odium, fraternæ mortis reus eſſe, ante oculum conditoris inueniatur. Similiter, qui fornicationis crimen in fratre accuſat, in ſeipſo ſuperbiæ facinus non videat. Ideo iubetur iudex alieni criminis, digito diſcretionis in corde ſuo deſcribere, ne forte reus in ſeipſo inueniatur. Quid igitur nobis in huiuſmodi periculis remedij? Quid reſtat ſalutis, niſi vt cum peccantem conſpicimus alium, mox inclinemur deorſum, id eſt, quam deiecti ex noſtræ conditionis fragilitate ſimus, ſi non nos diuina pietas ſuſtentet, humiliter inſpiciamus? Digito ſcribamus in terra, id eſt, diſcrimine ſolerti penſemus, an cum beato Iob dicere poſſimus; neque enim reprehendit nos cor noſtrum, in omni vita noſtra. Bene, qui inclinatus ſcripſit in terra, erectus miſericordiæ verba depromit: quia quod per humanæ infirmitatis ſocietatem promiſit, per diuinæ virtutem potentiæ hominibus donum pietatis impendit.

Aug. ep. 54: Ita nec legem improbauit, quæ huiuſmodi ream iuſſit occidi; & illos terrendo ad miſericordiam reuocauit, quorum iudicio hæc poſſet occidi. Puto quod hac ſententia Domini audita, ſi præſens fuit etiam maritus ipſe, qui violatam ſui thori fidem vindicari poſtulabat, exterritus, animum ad voluntatem parcendi, ab vlciſcendi cupiditate deflexit. Nam quomodo eſt admonitus accuſator, ne ſuas perſequeretur iniurias; quando ipſi iudices ita ſunt à iudicando prohibiti, qui in adultera punienda, non priuato dolori compellebantur ſeruire, ſed legi? Aug.

Ver. 8.

Bern. ſer. 3. in Annunciat. Dom: In veſtrum, ô Phariſæi, caput tota veſtræ malignitatis adinuentio retorquetur. Diffiditis cauſæ, qui iudicium ſubterfugitis. Nam illa quidem, ſine iniuria legis, abſoluitur, quæ ſine accuſatore relinquitur. Sed conſideremus, fratres, quonam hinc abeant Phariſæi. Videtiſne duos ſenes, (nam à ſenioribus exire cœperunt) quomodo in pomerio Ioachim abſconduntur? Suſannam quærunt vxorem eius: ſequamur eos: nam iniqua cogitatione pleni ſunt contra eam. Conſentire nobis, aiunt ſenes, aiunt Phariſæi, aiunt lupi, qui ab alterius paulo ante, licet errantis, ouiculæ fuerant deuoratione fruſtrati. Con-

Bern.

ratio 1. cur adulteræ parcatur.

Dan. 13.

Conſentire nobis, & commiſcere nobiſcum. Inueterati dierum malorum; modo accuſabatis adulterium, modo adulterium ſuadetis? Sed hęc eſt tota iuſtitia veſtra; & quæ palam arguitis, eadem agitis in occulto. Hinc fuit quod exiſtis vnus poſt vnum, cum ille omnium conſcius occultorum, veſtras tam validè percuſſiſſet conſcientias, dicens: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat. Merito proinde ad diſcipulos Veritas ait: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Alioquin dicemus, aiunt, contra te teſtimonium. Semen Chanaan, & non Iuda: nec hoc quidem Moyſes in lege mandauit. An qui decreuit adulteram lapidare, mandauit accuſare pudicam? An qui iuſſit adulteram lapidibus opprimi, etiam iuſſit contra inſontem teſtimonium ferri? Imo vero ſicut adulteram, ſic etiam falſum teſtem non impunitum eſſe præcepit. Sed qui gloriamini in lege, per legis præuaricationem Deum inhonoratis. Ingemuit Suſanna, & ait: Anguſtiæ mihi ſunt vndique, vndique enim mors. Hinc quidem corporea, inde ſpiritualis. Si hoc, inquit, egero, mors mihi eſt: Si autem non egero, non effugiam manus veſtras. Veſtras, ô Phariſæi, manus, nec adultera effugit, nec pudica: veſtras accuſationes, nec ſanctus, nec peccator euadit. Diſſimulatis peccata veſtra, vbi inueneritis aliena. Alioquin ſi quis forte ſuum non habet, veſtrum ei impingitis crimen. Quid tamen Suſanna facit inter mortem, & mortem, animæ ſcilicet, & corporis vndique anguſtiata? Melius eſt mihi, inquit, abſque opere incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei. Nimirum ſciebat iſta, quam horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis. Nam homines cum occiderint corpus, animæ non habent vltra quid faciant: ille autem timendus eſt, qui poteſtatem habet & corpus & animam mittere in gehennam. Quid familia Ioachim tardat? Irruat per poſticum, nam in pomerio clamor auditur. Clamor vt luporum grauium, & balantis ouiculę inter eos. Sed non patitur ab eis innoxiam deuorari, qui ab ipſis eorum faucibus tam dignanter eripuit, etiam eripi non merentem. Merito proinde cum duceretur ad mortem, erat cor eius fiduciam habens in Domino, quem vſque adeo timuiſſet, vt timorem omnem poſtpoſuiſſet humanum, & ipſius legem, & ſimul vitæ præpoſuiſſet & famæ. Non enim dictus fuerat ſermo huiuſcemodi aliquando de Suſanna. Sed & parentes eius iuſti erant, & vir eius honoratior omnium Iudæorum. Merito igitur à iuſto iudice, iuſtam de iniuſtis obtinuit vltionem: quæ tam vehementer iuſtitiam eſuriuit, vt propter eam contemneret mortem corporis, opprobrium generis, luctum inconſolabilem amicorum.

Iuſtitia Phariſaica.

Cur exeãt vnus poſt vnum.

cap. 4.

Dan. 13.

Not. 4. verſ. 9. 10.

Bern. BER. ſer. 3. in Annunc. Dom: Cæterum adhuc minus eſt. Etſi accuſatores refellit hæc veritas; ſed ream needum abſoluit. Nec ego te condemnabo, &c. O vox miſericordiæ, o auditus lætitiæ ſalutaris. Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam: quia in te ſperaui Domine. Sola nimirum ſpes apud te miſerationis obtinet locum, nec oleum miſericordiæ, niſi in vaſe fiduciæ ponis. Sed eſt infidelis fiducia, ſolius vtique maledictionis capax; cum videlicet, in ſpe peccamus. Quanquam nec fiducia, illa dicenda ſit, ſed inſenſibilitas quædam, & diſſimulatio pernicioſa, &c. Hæc vera hominis fiducia à ſe deficientis, & innitentis Domino ſuo. Hæc inquam vera fiducia, cui miſericordia non denegatur, propheta atteſtante: Quoniam beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius. Nec parua itaque ſuppetit nobis in nobis quidem timoris, in ipſo autem cauſa fiduciæ, ſuauis & mitis eſt copioſæ miſericordiæ præſtabilis ſuper malitia multus ad ignoſcendum. Credamus ſane vel inimicis, qui in eo nihil aliud, vnde occaſionem ſtruendæ calumnię caperent inuenerunt. Et nos fratres, ſi à Chriſto audiuimus, nec ego te condemnabo: ſi peccare iam nolumus contra ipſum: ſi in Chriſto volumus piè viuere, neceſſe eſt ſuſtineamus perſequutionem, ne malum pro malo, aut maledictum pro maledicto reddamus. Alioquin qui patientiam non ſeruauerit, perdet iuſtitiam, hoc eſt, vitam perdet, hoc eſt, perdet animam ſuam. Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Ita prorſus eſt. Ipſe retribuet, ſed ſi ei vindictam ſerues, ſi non tollas ab eo iudicium, ſi non reddas retribuentibus tibi mala. Faciet iudicium, ſed iniuriam patienti: in æquitate iudicabit, ſed pro manſuetis terræ.

Pſal. 142.

Spei, & fiduciæ vtilitas.

Fiducia mala.

Quæ ſit bona fiducia.

Aug. Aug. ſer. 47. de verbis Dom: Audiuimus vocem iuſtitiæ, audiamus & manſuetudinis. Plus enim credo territa erat illa cum audiſſet à Domino dictum; Qui ſine peccato eſt veſtrum, prior in illam mittat lapidem. Illi ergo attendentes ſe, & abſceſſu ipſo confeſſi de ſe, reliquerant mulierem cum grandi peccato, ei, qui erat ſine peccato. Et quia illa hoc audierat; Qui ſine peccato eſt, prior in illam lapidem mittat, ab illo ſe ſperabat puniendam, in quo peccatum inueniri non poterat. Ille autem qui aduerſarios eius repulerat lingua iuſtitiæ, leuans in eam oculos manſuetudinis. Interrogauit eam, nemo te condemnauit? Reſpondit illa: Domine, nemo. Et ille: Nec ego te condemnabo: à quo te forte damnari timuiſti; quia in me peccatum non inueniſti. Nec ego te condemnabo. Quid Domine? faues ergo peccatis? non plane. Ita attende quod ſequitur: Vade, deinceps iam noli peccare. Ergo & Dominus damnauit, ſed peccatum, non hominem: nam ſi peccatorum fautor eſſet, diceret, nec ego te condemnabo, vade, & viue vt vis: de mea liberatione eſto ſecura, ego quantumcumque peccaueris, te ab omni pœna etiam gehennæ, & inferni terroribus liberabo. Non hoc dixit: Intendant ergo qui amant in Domino manſuetudinem,

An mulier ſe à Chriſto puniendam timuerit.

Chriſtus non fauet peccatis.

dinem, & timeant veritatem: etenim dulcis,& rectus Dominus. Amas quod dulcis eſt, time quod rectus eſt. Tanquam manſuetus dixi;tacui: ſed tanquam iuſtus; nunquid ſemper tacebo? Miſericors, & miſerator Dominus. Ita planè, adhuc adde longanimis, adhuc adde, & miſericors; ſed time quod eſt in nouiſſimo, & verax. Quos enim modo ſuſtinet peccantes,iudicaturus eſt contemnentes. An diuitias longanimitatis, & manſuetudinis eius contemnis? Ignoras quia patientia Dei ad pænitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam cordis tui, & cor impænitens,theſaurizas tibi iram in die iræ,& reuelationis iuſti iudicij Dei,qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Manſuetus Dominus, longanimis Dominus, miſericors Dominus; ſed & iuſtus Dominus, & verax Dominus largitur tibi ſpacium correctionis,ſed tu plus amas dilationem, quam emendationem. Malus fuiſti heri, hodie bonus eſto; & hodiernum diem in malitia peregiſti,vel cras mutare. Semper exſpectas, & de miſericordia Dei tibi plurimum polliceris, quaſi ille qui tibi per patientiam promiſit indulgentiam, promiſerit tibi etiam prolixiorem vitam. Vnde ſcis quid pariat craſtinus dies? Rectè dicis in corde tuo: Quando me correxero, Deus mihi omnia peccata mea dimittet. Negare non poſſumus,quod correctis, atque conuerſis indulgentiam Deus promiſit. Nam in quo Propheta mihi legis, quia promiſit correctio indulgentiam;non mihi legis, quia promiſit tibi Deus longam vitam. Ex vtroque igitur homines periclitantur

Qui ſpe decipiantur.

& ſperando, & deſperando: contrarijs rebus, contrarijs affectionibus. Sperando quis decipitur? qui dicit: Bonus eſt Deus, miſericors eſt Deus, faciam quod mihi placet, quodlibet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam deſideria animæ meæ. Quare hoc? Quia miſericors eſt Deus, bonus eſt Deus, manſuetus eſt

Qui deſperatione periclitantur.

Deus: ſpe iſti periclitantur. Deſperatione autem, qui cum inciderint in grauia peccata, putantes ſibi non poſſe iam ignoſci pænitentibus, & ſtatuentes ſe ad damnationem ſine dubio deſtinatos, dicunt apud ſemetipſos, iam damnandi ſumus, quare non quod volumus facimus animo gladiatorum ferro deſtinatorum? Ideo moleſti ſunt deſperati. Iam enim quod timeant non habent, & vehementer timendi ſunt. Iſtos deſperatio necat, ſpes illos. Inter ſpem, & deſperationem fluctuat animus. Metuendum eſt ne te occidat ſpes, & cum multum ſperas de miſericordia, incidas in iudicium. Metuendum eſt rurſus, ne te occidat deſperatio, & cum putas iam tibi non ignoſci quæ grauia commiſiſti, non agas pænitentiam, & incurras in iudicem ſapientiam, quæ dicit; & ego veſtræ perditioni

Prou. 1.

ſuper ridebo. Quid ergo agit Dominus cum periclitantibus vtroque morbo? Illis qui ſpe

Eccli. 5.

periclitantur, hoc dicit, ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Illis qui deſperatione peri-

Ezech. 8.

clitantur, quid dicit? In quacunque die iniquus conuerſus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiſcar. Propter illos ergo qui deſperatione periclitantur propoſuit indulgentiæ portum: propter illos qui ſpe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Quando veniat vltimus dies, neſcis. Ingratus es, quia hodiernum habes in quo corrigaris. Sic ergo dixit ad iſtam mulierem, nec ego te condemnabo: ſed facta ſecura de præterito, caue futura, nec ego te condemnabo: deleui quod commiſiſti, obſerua quod præcepi, vt inuenias quod promiſi.

Cur adulteræ Chriſtus parcat.

Bed. Ioan. 8: Quoniam miſericors, & pius eſt, præterita relaxat: Quoniam iuſtus eſt, & iuſtitiam diligit, ne amplius iam peccet, interdicit.

Bed. Iuſtitiæ, ac miſericordiæ temperamentum

Aug. lib. 2. de adulr. coniug. cap. 6: Nunc autem poſtquam Chriſtus ait adulteræ, nec ego te condemnabo, vade,deinceps noli peccare. quis non intelligat, debere ignoſcere maritum, quod videt ignouiſſe Dominum amborum, nec iam ſe debere adulteram dicere, cuius pænitentis crimen diuina credit miſeratione deletum? Et cap. 7: Sed hoc videlicet infidelium ſenſus exhorret, ita vt nonnulli modicæ, vel potius inimici veræ fidei,credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus ſuis, illud quod de adulteræ indulgentia Dominus fecit, auferrent de codicibus ſuis: quaſi permiſſionem peccandi tribuerit qui dixit, deinceps noli peccare: aut ideo non debuerit mulier à medico Deo illius peccati remiſſione ſanari,ne offenderentur inſani. Neque enim quibus illud factum Domini diſplicet, ipſi perfectè pudici ſunt: nec eos ſeueros caſtitas facit, ſed potius ex illo ſunt hominum numero, quibus Dominus ait: Qui ſine peccato eſt veſtrum, prior in eam lapidem iaciat. Niſi quod illi conſcientia territi receſſerunt,& tentare Chriſtum, atque adulteram perſequi deſtiterunt: iſti autem & ægroti medicum reprehendunt, & in adulteras adulteri ſæuiunt: quibus ſi diceretur, non quod illi audierunt; qui ſine peccato eſt: quis enim ſine peccato? ſed qui ſine iſto peccato eſt, prior in illam lapidem mittat: tunc forſitan cogitarent, qui indignabantur quod adulteram non occiderent, quanta illis Dei miſericordia parceretur vt adulteri viuerent. Et cap. 8: Non igitur exhorreant viri, quod adulteræ Chriſtus ignouit; ſed potius cognoſcant etiam periculum ſuum, & ſimili morbo laborantes, ad eundem Saluatorem ſupplici pietate confugiant: & quod in illa factum legunt, etiam ſibi neceſſarium eſſe fateantur, vt adulteriorum ſuorum medicinam ſuſcipiant, adulterare iam deſinant, laudent in ſe Dei patientiam, agant pænitentiam, ſumant indulgentiam, mutent de pœna fœminarum, & de ſua impunitate ſententiam. Et lib. de vera, & falſa pænit. cap. 13. Dixit enim Dominus, vade, & amplius iam noli peccare: non dixit; ne pecces: ſed, nec voluntas peccandi in te oriatur, quod quomodo ſeruabitur, niſi dolor continue in pænitentia cuſtodiatur? Hinc ſemper doleat, & de dolore

Aug.

Adultera pœnitens.

Aug.

Aug.

Adultera pœnitens.

Aug. Cur ait: Noli peccare.

lore gaudeat, & de doloris pænitentia, ſi contigerit, ſemper doleat. Et non ſit ſatis quod doleat, ſed ex fide doleat, & non ſemper doluiſſe doleat.

Leo. Cur adulteræ Chriſtus parcat.

Leo Pa. primus ſer. 11. de Paſſ. Dom. cap. 4: Chriſtus non ſolum corporeis infirmitatibus medebatur; ſed etiam vulnera debilium curabat animarum, dicens Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: dicens & oblatæ ſibi adulteræ: Nec ego te condemnabo, vade, & amplius noli peccare; vt per omnia opera ſua oſtenderet, in illo aduentu ſuo, Saluatorem mundi ſe veniſſe, non iudicem.

Eut.

Euth. Ioan. 8: Nec ego te condemno: nam ſi illi, cum homines ſint, te non condemnauerunt; multo magis ego, qui Deus ſum, legiſque Dominus, te non condemno. Satis enim erat talis diuulgatio, & coram tot aduerſarijs erubeſcentia pro ſupplicio: maxime cum ſciret, quod illam toto corde pœniteret.

C A P. 100. I E S V M *in templo rurſus docentem, Iudæi conuitiis, & lapidibus obruere conantur: ſe vero ille ſubducit.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 8.*

Sabb. poſt Dom. 4. Quadr.

1 I T E R V M ergo ✠ locutus eſt eis Ieſus, dicens: Ego ſum lux mundi.
2 Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris; ſed habebit lumen vitæ.
3 Dixerunt ergo ei Phariſæi: Tu de teipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum.
4 Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum.
5 Quia ſcio vnde veni, & quò vado: vos autem neſcitis vnde venio, aut quò vado.
6 Vos ſecundùm carnem iudicatis: ego non iudico quenquam.
7 Et ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt: quia ſolus non ſum; ſed ego, & qui miſit me, Pater.
8 Et in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt.
9 Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de meipſo: & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater.
10 Dicebant ergo ei: Vbi eſt Pater tuus?
11 Reſpondit Ieſus: Neque me ſcitis, neque Patrem meum: ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.
12 Hæc verba locutus eſt Ieſus in gazophylacio, docens in templo.
13 Et nemo apprehendit eum: quia necdum venerat hora eius. ✠

Ferꝰ 2. poſt Dom. 2. Quadr.

14 ✠ D I X I T ergo iterum eis Ieſus: Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini: quò ego vado, vos non poteſtis venire.
15 Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet ſemetipſum, quia dixit: Quò ego vado, vos non poteſtis venire?
16 Et dicebat eis: Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. Vos de mundo hoc eſtis: ego non ſum de hoc mundo.
17 Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris: ſi enim non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.
18 Dicebant ergo ei: Tu quis es?
19 Dixit eis Ieſus: Principium, qui & loquor vobis.
20 Multa habeo de vobis loqui, & iudicare; ſed qui me miſit, verax eſt: & ego, quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.
21 Et non cognouerunt, quia Patrem eius dicebat Deum.
22 Dixit ergo eis Ieſus: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum, & à meipſo facio nihil.
23 Sed ſicut docuit me Pater, hæc loquor:

Et qui

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 8.*

24 Et qui me miſit, mecum eſt: & non reliquit me ſolum, quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper. ✝

25 Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

26 Dicebat ergo Ieſus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos: Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis: & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.

27 Reſponderunt ei: Semen Abrahę ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis?

28 Reſpondit eis Ieſus: Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.

29 Seruus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum. Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.

30 Scio quia filij Abrahæ eſtis: ſed quæritis me interficere: quia ſermo meus non capit in vobis.

31 Ego, quod vidi apud Patrem meum, loquor: & vos, quæ vidiſtis apud Patrem veſtrum, facitis.

32 Reſponderunt, & dixerunt ei: Pater noſter Abraham eſt.

33 Dicit eis Ieſus: Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.

34 Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum, quam audiui à Deo. Hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris veſtri.

35 Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non ſumus nati. Vnum Patrem habemus Deum.

36 Dixit ergo eis Ieſus: Si Deus Pater veſter eſſet, diligeretis vtique me: ego enim ex eo proceſſi, & veni: neque enim à meipſo veni; ſed ille me miſit.

37 Quare loquelam meam non cognoſcitis? quia non poteſtis audire ſermonem meum.

38 Vos ex patre diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere.

39 Ille, homicida erat ab initio: & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo.

40 Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax eſt, & pater eius.

41 Ego autem ſi veritatem dico, non creditis mihi.

Dom. Paſſion.

42 ✝ QVIS ex vobis arguet me de peccato?

43 Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

44 Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.

45 Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

46 Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo; ſed honorifico Patrem meum.

47 Et vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam. Eſt qui quęrat, & iudicet.

48 Amen, amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.

49 Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus, quia dęmonium habes. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ; & tu dicis: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum?

50 Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? Et Prophetæ mortui ſunt. Quem teipſum facis?

51 Reſpondit Ieſus: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt.

52 Eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt; & non cognouiſtis eum: ego autem noui eum.

53 Et ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax: ſed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo,

Abraham

Matt.	Mar.	Luc.	Ioan. 8.
			54 Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum; vidit, & gauiſus eſt.
			55 Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?
			56 Dixit eis Ieſus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.
			57 Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum.
			58 Ieſus autem abſcondit ſe: & exiuit de templo. ✠]

Not. 1.

Summa. RVRSVM docens in templo, manibus ſe lapidare volentium eripit.

Aug. Aug. lib. 4. de conſenſ. Euangeliſtarum cap. 10: Ergo poſt hæc, lucem mundi ſe dixit, & qui eum ſequeretur, non ambulaturum in tenebris; ſed habiturum lucem vitæ. Dixit etiam ſe eſſe principium, quod & loqueretur eis. Quo nomine vtique ſe diſtinxit ab illa luce, quam Qualis lux ſit Chriſtus. fecit, tanquam lux, per quam facta ſunt omnia, vt illud quod ſe dixerat lucem mundi, non ſic acciperetur quemadmodum diſcipulis ait: Vos eſtis lux mundi. Illi enim tanquam lucerna, quæ non eſt ponenda ſub modio; ſed ſuper candelabrum: ſicut & de Ioanne Baptiſta: Ille erat, inquit, lucerna lucens, & ardens; ſed ipſe ſicut principium, de quo dictum eſt: Nos omnes de plenitudine eius accepimus. Ibi dixit, ſe filium eſſe veritatem, quæ niſi liberauerit, nemo erit liber. ver. 26.

Bed. Diſpoſitio ⁊ ratio. Bed. Ioann. 8: Quia poterant dubitare aliqui, an poſſet Ieſus, quem verum hominem nouerant, dimittere peccata, dignatur ipſe apertius, quid diuinitas valeat, oſtendere. Poſt repulſam namque tentatorum nequitiam, poſt ſolutam peccatricis culpam, iterum locutus ver. 12. eſt: Ego ſum lux mundi, &c. Vbi manifeſte docet, non ſolum qua auctoritate mulieri peccata, dimiſerit; ſed etiam quod ipſe ſit vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Ver. 1.

Naz. Naz. orat. 5: Lux, vt animorum ſplendor, qui & ſermone, & vita purgantur.

Elias. Elias Cretenſis ad orationem 4. Naz: Mundi Cur Chriſtus ſe mũdi lucem dicat. ſe lucem appellat, ſignificans hac voce gloriam in diuinitate inacceſſam. Propterea quod ſplendore cognitionis illuſtret eos, quibus oculi animi purgantur, quodque occupatos ab ignorationis caligine, ſua luce perfundat. Nam ſi ignoratio, & peccatum caligo eſt: ſequetur cognitionem, diuinamque vitam eſſe lucem. Ego ſum, æternitaté denotat. Cur non ait, in me eſt lux. Non ſunt duo filij. Quod ait: Ego ſum. Heic verbum, ſum, coæternitatem ipſius denotat. Non dixit autem: In me lux illa eſt; ſed: ego lux illa ſum: ne quis Chriſtum in duos filios diuidat poſt aſſumptæ humanæ naturæ adminiſtrationem. Nam vnus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, vt, inquit Apoſtolus, tam ante carnem, quam poſt carnem aſſumptam. Vtque rem breuiter rurſus exponam, de bono patre, bonus filius; de luce ingenito, lux æterna emicuit. Et ad orationem 10: Lucem Elias. ipſe in Euangelijs ſe appellat: Ego ſum, ait, lux mũdi. Quæ quidem appellatio tribuitur ei, propterea, quod tenebras ignorationis abigát, & lucem diuinæ cognitionis ſplendere faciat in ijs, qui ad eum, puru quaſi quodam, inclinant.

Ambroſ. epiſt. 11. lib. 3: Eſt enim lux mundi. Amb. Non vtique lux viſibilis, ſed animarum, quæ in Qualis lux ſit Chriſtus. hoc mundo ſunt, intelligibilis claritudo, quibus ſe ſplendenti lumine rationabilis infundit prudentiæ, &, vt prædicatur in Euangelio, incorporeæ virtutis, inflammans vapore ſecreta mentium, animorumque penetralia. Si quis igitur incola eſſe cupit illius ciuitatis ſupernæ, incola videlicet conuerſatione, ac moribus, non diſcedat ab ea, non exeat, non reflectat veſtigium, non corporis dico, ſed mentis veſtigium. Non reuertatur retro. Retro luxuria, retro impuritas eſt. Vide Aug. lect. 1. 2. 3. Aug. ſabb. poſt Dom. 4. Quad.

Not. 2. verſ. 2.

CHRYSOST. hom. de eruditione diſciplinæ: Sequitur autem Chriſtum, qui inſiſtit mandatis eius, qui per viam doctrinæ eius ambular, qui per veſtigia, & per vias eius currit, qui imitatur illa, quæ Chriſtus fecit, & docuit: ſicut & Petrus Apoſtolus ſuadet, & præcipit, dicens: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt ſequamini vias eius, & in veſtigijs eius ambulemus. Chryſoſt. Quid ſit Chriſtum ſequi. 1 Pet. 2.

Ver. 4.

Pro intelligentia eorum, quæ hoc verſu 4. continentur vide cap. 43.

Euth. Ioan. 8: Quidam vero aiunt, quod illud tanquam homo dixerit, hoc autem tanquam Deus, oſtendens ſe non nudum eſſe hominem, prout ipſi ſuſpicabantur. Eut.

Ver. 6.

Ambroſ. epiſt. 20. lib. 5: Ego vos non iudico, id eſt, ego vniuerſorum redemptio, ego peccatorum remiſſio vos non iudico; quia me non recepiſtis. Non iudico, qui libenter indulgeo. Ego non iudico, qui ſanguine meo redimo peccatores. Ego non iudico, qui deleo iniquitates, & memor non ero. Ego non iudico, qui malo vitam quam mortem peccatoris. Ego non iudico; quia non damno, ſed iuſtifico confitentes: Amb.

fitentes:

ſitentes: Moyſes vos accuſat, ille vos arguit, in quem ſperatis: ille accuſat vos, quia iudicandi non habet poteſtatem, quæ eius debetur authori. Ille ergo, in quem ſperatis, accuſat: iſte in quem ſperare noluiſtis, abſoluit. Magna, Iudæi, imprudentia. Merito accuſantur in criminibus ſuis, quia accuſatorem elegerunt, & bonum iudicem refutarunt. Ideoque deeſt illis abſolutio, pœna non deeſt.

Elias. Vt Chriſtus neminem iudicet. Cur Chriſtus neminem iudicet.

Elias Cretenſis ad orationem 4. Naz: Neminem iudicare ſeruator dicitur haud alia ratione, quam humanæ naturæ. Nam quatenus Deus eſt, etiam ipſe totum terrarum orbem iudicabit. Præſertim quum iudicium omne filio datum ſit. Vel etiam hoc eo dicitur, quod opera cuiuſque ſua iudicent ipſum. Vel quod non idcirco miſſus ſit, vt mundum iudicet (etenim hoc ad alterum eius aduentum pertinet) ſed vt per ipſum mundus ſeruetur.

Ver. 7. 8. 9.

Amb.

Ambroſ. lib. 5. de fide cap. 2: Dominus cum diuerſitatem inter ſe hominum deſignaret, qui nihil habent inter ſe, quod poſſit ad vnitatem indiuiduæ ſubſtantiæ pertinere: in lege veſtra, inquit, ſcriptum eſt, quod duorum hominum teſtimonium verũ eſt. Et cum præmiſiſſet, duorum hominum teſtimonium verum eſt, vbi venit ad ſuum, & patris teſtimonium, non dixit; verum eſt teſtimonium noſtrum, quia duorum deorum teſtimonium eſt: ſed ego, inquit, ſum qui teſtimonium perhibeo de meipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me pater. Supra quoque ſimiliter ait: Et ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum; ſed ego, & qui miſit me pater. Itaque & infra, & ſupra & patrem ſignauit, & filium, nec pluralitatem admiſcuit, nec diuinæ vnitatem ſubſtantiæ ſeparauit. Euidens eſt igitur, quia quod vnius eſt ſubſtantiæ, ſeparari non poteſt, etiamſi non ſit ſingularitatis, ſed vnitatis. Singularitatem hanc dico, quæ Græce *monotes* dicitur. Singularitas ad perſonam pertinet, vnitas ad naturam.

Fulg.

Fulg. lib. 3. ad Traſi. cap. 3. ait hoc loco diſcerni Patris, & Filij perſonas.

Aug. Diuinæ perſonæ ſunt tres teſtes.

Aug. lib. 3. contra Maximi. cap. 22: Teſtes vero eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, quis Euangelio credidit, & dubitat, dicente filio: Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de me, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me pater? vbi etſi non eſt commemoratus Spiritus ſanctus, non tamen intelligitur ſeparatus. Sed nec de ipſo alibi tacuit, eumque teſtem ſatis apertè monſtrauit. Nam cum illum promitteret, ait: Ipſe teſtimonium perhibebit de me. Hi ſunt tres teſtes, & tres vnum ſunt, quia vnius ſubſtantiæ ſunt.

Not. 3. ver. 12.

Amb. Gazophylaciũ quid ſit.

AMBR. epiſt. 76. lib. 9: Quid eſt gazophylacium? Collatio fidelium, ſumptus pauperum, requies egenorum.

Euth.

Euth. Ioan. 8: Gazophylacium theſauri repoſitorium erat, & quidem in templo.

Bed.

Beda Ioan. 8: Gazophylacium locus eſt, vbi theſauri conduntur, quod templo adhærebat.

Ver. 14. & ſequ.

Aug.

Vide Aug. lect. 1. 2. & 3. fer. 2. poſt Dom. 2. Quadr.

Ver. 19.

Aug. Principium dicitur relatiue.

Aug. lib. 5. de Trinitate cap. 13: Dicitur ergo relatiue pater, idemque relatiue dicitur principium, & ſi quid forte aliud; ſed pater ad filium dicitur, principium vero ad omnia, quæ ab ipſo ſunt. Item dicitur relatiue filius, relatiue dicitur & verbum, & imago; & in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur. Nihil autem horum Pater dicitur. Et principium dicitur filius. Cum enim diceretur ei: Tu quis es? Reſpondit: Principium, qui & loquor vobis. Sed nunquid Patris principium? Creatorem ſe quippe oſtendere voluit, cum ſe dixit eſſe principium, ſicut & Pater principium eſt creaturæ, eo quod ab ipſo ſunt omnia. Nam & Creator relatiue dicitur ad creaturam; ſicut Dominus ad ſeruum. Et ideo cum dicimus & Patrem principium, & Filium principium, nõ duo principia creaturæ dicimus, quia & Pater, & filius ſimul ad creaturam vnum principium eſt, ſicut vnus creator, ſicut vnus Deus. Si autem quidquid in ſe manet, & gignit aliquid, vel operatur, principium eſt ei rei, quam gignit; vel ei, quam operatur, non poſſumus negare etiam Spiritum ſanctum recte dici principium: quia non enim ſeparamus ab appellatione creatoris. Et ſcriptum eſt de illo quod operetur, & in ſe vtique manens operatur. Non enim in aliquod eorum, quæ operatur, ipſe mutatur, & vertitur. Et quæ operatur vide Apoſtolum. Vnicuique autem, inquit, datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum, alteri autem fides in eodem ſpiritu, alij donatio curationum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diiudicatio ſpirituum, alij genera linguarum. Omnia autem hæc operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens propria vnicuique prout vult, vtique ſicut Deus. 1 Cor. 12.

Aug.

Et cap. 14: Quis enim tanta illa poteſt operari, niſi Deus? Idem autem Deus, qui operatur omnia, in omnibus. Nam & ſigillatim ſi interrogemur de Spiritu ſancto, veriſſime reſpondemus, quod Deus ſit, & cum Patre, & filio ſimul vnus Deus eſt. Vnum ergo principium ad creaturam dicitur Deus, non duo, vel tria principia. Ad ſe autem inuicẽ in Trinitate, ſi gignens ad id quod gignitur principium eſt, pater ad filium principium eſt, quia gignit eum. Vtrum autem & ad Spiritum ſanctum principium ſit Pater, quoniam dictum eſt; de Patre procedit: non parua quæſtio eſt: quia ſi ita eſt, non iam principium ei tantum rei erit, quã gignit, aut facit, ſed etiam ei, quam dat.

Aug.

Et cap. 15: Si ergo & quod datur, principium habet eum, à quo datur, quia non aliũde accepit illud, quod ab ipſo procedit,

fatem-

fatendum eſt Patrem,& Filium principium eſſe Spiritus ſancti; non duo principia. Sed ſicut Pater,& Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiue vnus Creator, & vnus Dominus; Sic relatiue ad Spiritum ſanctum vnum principium. Ad creaturam vero Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus vnum principium, ſicut vnus Creator, & vnus Dominus.

Fulg. Fulg. lib. 2. ad Traſ. cap. 5: Veritas eſt Catholicæ atque Apoſtolicæ fidei retinenda; quæ ſicut Chriſtum propterea finem nominat, quia non ſolum in illa ſubſtantia qua natus eſt naturaliter ſempiternus ex patre, ſed etiam in ea, quam in tempore ſumpſit ex matre, credit ſine fine perpetuum: ſic eum ideo iuſtè prædicat, veraciterque principium, quoniam in diuina quam habet, ſubſtantia, genitoris ſemper aſſerit coæternum. Non autem ambigitur, vero principio nihil anterius: vero fine nihil poſterius inueniri. Principium igitur Chriſtus, quia ſempiternus omnia præcedit: finis Chriſtus, quia perpetuus, vniuerſa concludit. Principium Chriſtus, quia ipſe inchoauit perficienda: finis Chriſtus, quia ipſe perficit inchoata. Principium Chriſtus quoniam ab ipſo habent, quæ non fuerunt, vt ſint: finis Chriſtus, quoniam ab ipſo habent quædam quæ eſſe cæperunt, vt ſemper ſint.

Vt ſit Chriſtus principium, & finis.

Amb. Ambr lib. 3. de fide cap. 4: Nec de principio reſidet aliquid quæſtionis, cum interrogatus in carne: Tu quis es? Reſponderit: Principium, quod & loquor vobis. Quod non ſolum ad diuinitatis æternitatem refertur, ſed etiam ad documenta virtutum. Ex hoc enim & Deum ſe probauit æternum, quia omnium ipſe principium eſt, & vniuſcuiuſque virtutis author eſt, quia Eccleſiæ caput eſt, ſicut ſcriptum eſt: Quia ipſe caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis. (Col. 1.) Et lib. 5. cap. 5: A meipſo non veni. Et alibi: Ego ſum principium, quod & loquor vobis. Quaſi homo à ſe non venit. Quaſi Dei filius non ex homine principium habet, ſed ſum, inquit, ipſe principium quod loquor vobis. (Amb.)

Varia lectio. Principiū cur dicatur.

Bern. Bernard. lib. 5. de conſideratione: Quid eſt Deus? principium. Ex hoc ipſe de ſe reſponſum dedit. Multa in rebus dicuntur principia, ſed reſpectu poſteriorum. Alioquin ſi ad aliquid præcedens reſpicias, ipſum potius principium dabis. Quamobrem ſi quæras verum, ſimplexq́; principium, inuenias oportet quod principium non habuerit. Ex quo vniuerſum cæpit, ipſum profecto minime cæpit. Nam ſi cæpit, aliunde cæperit neceſſe eſt. A ſe enim cæpit nihil. Niſi forte quis putauerit, quod non erat, dare ſibi potuiſſe vt eſſe inciperet, aut fuiſſe aliquid antequam eſſet. Quod vtrumque quia ratio non conſentit, conſtat nihil ſibimet extitiſſe principium. Quod vero aliud principium habuit, primum non fuit. Verum ergo principium nequaquam cæpit, ſed totum ab ipſo cæpit. Hactenus Patres, qui hunc locum ſic interpretantur. Ego ſum rerum omnium principium: in quo nempe Deus omnia fecit. Nam ſicut Pater principium rerum omnium dicitur, tanquam cauſa, & origo; ſic & filius: quod per eum Pater omnia fecerit. Aliqui tamen ſic intelligunt: ſum id, quod à principio vobis loquor, ac toties inculco, & repeto, nempe panis vitæ, panis viuus, qui de cælo deſcendit, lux mundi, &c.

Ver. 22.

Chryſoſt. Chryſoſt. homil. 89. in Matth: Et rurſus alio quodam modo virtutem Crucis ſignificando dicebat: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum. Tale quippe aliquid dicitur: Cum me crucifixeritis, ac iam victoriam conſecutos vos putaueritis, tunc potiſſimum vires meas cognoſcetis. Nam ciuitas eorum poſt paſſionem Chriſti perijt, Iudaica ceſſarunt, diſciplina ciuilis, & ſua libertas euanuit: prædicatio vero floruit, & ad extremas vſque orbis oras Euangelicus ſermo peruenit, & terra ſimul, ac maria, frequentata, deſertaque loca omnipotentiam eius prædicant.

Cyr. Cyrill. lib. 2. de recta fide ad Reginas: Quando igitur dicit, exaltabitis filium hominis, tunc ſcietis quod ego ſum. Nam crucifixus quidem eſt humanè, reuixit autem diuinè: & creditus eſt propter reſurrectionem, quod Deus eſt, & filius Dei ſecundum veritatem. Si autem creditum eſt à nobis, non quod alium ſuſcitarit, ſed ipſe magis ſuſcitatus ſit, omnino ferè neceſſarium propter diſpenſationem, proprium eius corpus intelligi, quod paſſum mortem, annunciantes, & confitentes reſurrectionem iuſtificamur per fidem. Igitur idem, vnuſque, & ſolus exiſtens Chriſtus Ieſus, mori quidem vt homo ſecundum carnem dicitur, ſurrexiſſe verò diuinè, vt vita.

Eut. Euthym. Ioann. 8: Cognoſcetis autem hoc à ſignis, quæ tunc fient, quibus contradici non poterit, & à reſurrectione mea à mortuis, inſuper etiam ab ira diuina, quæ tunc gentis comprehendet Iudæorum: Siquidem poſtquam illum crucifixerunt, & ſtupenda illa ſigna facta ſunt, ſcribit Lucas, quod omnes turbæ, quæ ſimul acceſſerant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur. (cap. 23. ver. 48.) Cognoſcebant enim quod vere diuinus homo eſſet, & illi compararetur creatura: quum autem loqui non auderent propter timorem principum, percutiebant pectora ſua, ſignificantes dolorem interiorem. Suſpicabantur namque futurum eſſe, vt malum aliquod irremediabile propter illud omne genus Iudæorum concuteret. Nam & Centurio, & qui cum eo erant ſeruantes Ieſum, vt ait Matthæus, quum vidiſſent quæ fiebant, vehementer territi ſunt, dicentes: Vere Dei filius erat iſte. Sed & ipſi principes Iudæorum cognouerunt tunc, quod Dei filius erat, & Deus, quanquam propriam conculcauerunt conſcientiam, nimia inuidia, ac inſania. Ait enim rurſum Matthæus: Ecce quidem de cuſtodibus venerunt in ciuitatem, & renunciauerunt principibus ſacerdotum vniuerſa, quæ acciderant: & congre-

Cur à paſſione Chriſtum Iudæi cognoſcēt.

gati cum ſenioribus, accepto conſilio, pecunias multas dederunt militibus, dicentes: Dicite, diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus, & cætera. Præterea

Ioſeph. quoque Ioſephus, qui & ipſe Iudæus erat peritiſſimus, ſcribens calamitates Iudæorum, quæ ab eo tempore cœperunt, ac Ieroſolymorum captiuitatem, fatetur propter Chriſtum effuſam eſſe aduerſus eos diuinam iram: & occiſa eſſe à Romanis tam multa ipſorum millia. Quia enim quum eos curare vellet, agnoſcere eum noluerunt. Ideo affecti ſupplicio, quis eſſet cognouerunt.

Not. 4. ver. 26.

Amb. Timere, & cognoſce. re differũ. AMBR. ſerm. 10. in Pſal. 118: Diſtat igitur inter cognoſcere, & timere, vt eo reueretamur. Denique Euangelij lectio docere nos debet Ait enim Dominus ad eos, qui credebant ei ex Iudæis, ſi manſeritis in verbo meo, cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Si manſeritis, inquit, cognoſcetis. Vides quia non à principio potuit cognoſcere quicunque timens Deum verbum eius audiuit?

Aug. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 18: Itaque in illo quia & id quod ortum erat tranſijt ad æternitatem, tranſiturum eſt & noſtrum, cum fides peruenerit ad veritatem. Iam enim credentibus vt in verbo fidei manerent, & inde ad veritatem, ac per hoc ad æternitatem perducti à morte liberarentur ita loquitur. Si manſeritis in verbo meo, verè diſcipuli mei eritis. Et quaſi quærerent, quo fructu ſecutus ait: Et cognoſcetis veritatem. Rurſus quaſi dicerent: Quid prodeſt mortalibus veritas? Et veritas, inquit, liberabit vos. Vnde, niſi à morte, à corruptione, à mutabilitate. Veritas quippe immortalis, incorrupta, incommutabilis permanet. Vera autem immortalitas, vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas, ipſa eſt æternitas.

Aug. Et ſerm. 48. de verbis Domini: Dicit autem ille de vobis, & nobis: Si manſeritis in verbo meo, non vtique in meo, qui modo loquor, ſed in eius qui modo in Euãgelio loquebatur: Si manſeritis in verbo meo, inquit, verè diſcipuli mei eritis. Ad diſcipulum parum eſt accedere, ſed manere: non ergo ait, ſi audieritis verbum meum, aut ſi acceſſeritis ad verbum meum, aut ſi laudaueritis verbum meum: Sed videte quid dixerit, ſi manſeritis in verbo meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Quid diximus fratres? manere in verbo Dei, labor eſt, an non eſt? ſi labor eſt, attende magnum præmium. Si labor nõ eſt, gratis accipis præmium. Maneamus ergo in eo, qui manet in nobis. Nos ſi non manſerimus in illo, cadimus. Ille autem ſi in nobis non manſerit, non ideo domum perdidit. Nouit ille manere in ſe, qui nunquam deſerit ſe. Abſit autem ab homine vt maneat in ſe, qui perdidit ſe. Ergo nos in illo manemus indigentia, ipſe in nobis manet miſericordia. Iam ergo ſi propoſitum eſt quod facere debeamus, quid accepturi ſumus, videamus. Indixit enim opus, & [illegible] mercedem. Quid eſt opus? Si manſeritis in [illegible] verbo meo. Breue opus. Verbo, breue, [illegible] opere: Si manſeritis. Quid eſt ſi manſeritis? ſi [illegible] in petra ædificaueritis. O quam magnum eſt, fratres, hoc ſuper petram ædificare [illegible] magnum eſt. Venerunt flumina, flauerunt venti, deſcenderunt imbres, & impegerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat ſupra petram. Quid eſt ergo in verbo Dei manere, niſi nullis tentationibus cedere? Præmium quid eſt? Cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Compatimini nobis, qui vocem meam ſentitis obtuſam. Adiuuate me tranquillitate. O præmium. Cognoſcetis veritatem. Fortè aliquis diceret, & quid mihi prodeſt cognoſcere veritatem? Et veritas liberabit vos. Si non delectat veritas, delectet libertas. In conſuetudine Latinæ linguæ liberari duobus modis dicitur. Et maximè in eo conſueuimus audire hoc verbum, vt quicunque liberatur, intelligatur periculum euadere, moleſtijs carere. Liberari autem propriè dicitur liberum fieri. Quomodo ſaluari ſaluum fieri, ſanari ſanum fieri, ſic liberari liberum fieri. Ideo dixi, ſi non delectat veritas, delectat libertas. Hoc in Græca lingua euidentius ſonat, nec poteſt aliter intelligi. Et vt noueritis, quia aliter intelligi non poteſt, loquente Domino reſponderunt Iudæi, nos nemini ſeruiuimus vnquam, quomodo dicis; veritas liberabit vos? id eſt, veritas liberos vos faciet, quomodo dicis nobis, qui nemini vnquam ſeruiuimus? quos vides, inquiunt, non habere ſeruitutis neceſſitatem, quomodo eis polliceris libertatem? Audierunt quod debuerunt; ſed non ſic [illegible] debuerunt. Quid audierunt? Quia dixit, veritas liberabit vos. Attendiſtis vos, qui non ſeruiſtis homini, & dixiſtis, nemini ſeruiuimus vnquam. Omnis Iudæus, & Græcus, diues, & pauper, honoratus, & priuatus, Imperator, & mendicus, omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Omnis, inquit, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, ſi agnoſcant homines ſeruitutem, videbunt vnde accipiunt libertatem. Ingenuus eſt aliquis, captiuatur à barbaris, ex ingenuo factus eſt ſeruus. Audit homo miſerator, conſideret ſe habere pecuniam, fit redemptor, pergit ad barbaros, dat pecuniam, redimit hominem, plane reddidit libertatem, ſi abſtulit iniquitatem. Sed quis abſtulit iniquitatem? homo homini? Ille, qui [illegible] apud barbaros, à redemptore ſuo redemptus eſt. Et multum intereſt inter redemptorem, & redemptum, tamen ſub domina [illegible] te conſerui ſunt. Interroga redemptum, habes peccatum? habeo, inquit. Interroga redemptorem, habes peccatum? habeo, [illegible] nec tu te iactes redemptum, nec [illegible] redemptorem, fugite ambo ad verum liberatorem. Parum eſt; quia quidam peccato ſerui [illegible] ni dicti ſunt; & mortui dicuntur. Quid [illegible] homo ne faciat illi captiuitas, [illegible] iniquitas. Quid enim quia videtur [illegible]

nunquid

Matt. 8. nunquid ideo errauit ille, qui dixit: Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos? ergo mortuos omnes ſub peccato ſerui mortui, ſeruiẽdo mortui, moriendo ſerui. Quid ergo liberat à morte, & à ſeruitute, niſi in mortuis liber? quid eſt
Pſal. 87. in mortuis liber, niſi inter peccatores ſine peccato? Ergo, fratres, qui credimus in Chriſtum,
Ioa. 1. maneamus in verbo eius. Si enim manſerimus in verbo eius, verò diſcipuli eius ſumus. Non enim ſoli illi duodecim, ſed omnes, qui manemus in verbo eius, verò diſcipuli eius ſumus, & cognoſcemus veritatem, & veritas liberabit
Ioan 14 nos, id eſt, Chriſtus filius Dei, qui dixit: Ego ſum Veritas, liberos nos faciet, hoc eſt, liberabit nos, non à barbaris; ſed à diabolo; non à corporis captiuitate, ſed ab animæ iniquitate. Solus eſt, qui ſic liberat. Nemo ſe liberum dicat, ne ſeruus remaneat. Non remanebit in ſeruitute anima noſtra, quia quotidie dimittuntur debita noſtra.

Not. 5. ver. 28.

Greg. GREGOR. lib. 4. Morál. cap. 42. Scriptum eſt: Omnis qui peccat, ſeruus eſt peccati, quia nimirum quiſquis ſe prauo deſiderio ſubijcit, iniquitatis dominio dudum libera mentis colla ſupponit, ſed huic dominio contradicimus, cum iniquitati, quæ nos cæperat, reluctamur: cum conſuetudini violenter reſiſtimus: & deſideria peruerſa calcantes, contra hanc ius nobis libertatis ingenitæ vendicamus, cum culpam pænitendo percutimus, & maculas ſordium fletibus lauamus. Plerumque autem iam mens quidem quod ſe peruerſe egiſſe meminit, deplorat: Iam praue acta non ſolum deſerit, ſed amariſſimus etiam mentis punit: & tamen dum eorum, quæ egit, reminiſcitur, grauiter iudicij pauore tenetur. Iam ſe perfectè conuertit, ſed adhuc ſe perfectè in ſecuritatem non erigit: quia dum quanta ſit diſtrictio extremi examinis penſat, inter ſpem formidinemque ſollicita trepidat, quia iuſtus iudex veniens, quid de perpetratis reputet, quid relaxet, ignorat. Nam quam praua commiſerit, meminit; ſed an commiſſa digne fleuerit, neſcit: ac ne culpæ immanitas modum pænitentiæ tranſeat, metuit. Et plerumque culpam iam veritas relaxat; ſed mens afflicta adhuc de venia, dum valde ſibi eſt ſollicita, formidat. Seruus ergo hic iam fugit Dominum; ſed liber non eſt; quia peccatum ſuum homo iam corrigendo, & pænitendo deſerit; ſed tamen adhuc diſtrictum iudicem, de eius retributione, pertimeſcit. Ibi ergo ſeruus à Domino liber erit, vbi iam de peccati venia dubietas non erit. Ibi iam ſecuram mentem culpæ ſuæ memoria non addicit, vbi non ſub terrore animus trepidat; ſed de eius indulgentia liber exultat. Sed ſi nulla ibi homo peccati ſui memoria tangitur, ereptum ſe vnde gratulatur? Aut quo modo largitori gratias refert de venia, quam accepit: ſi interueniente obliuione tranſactæ nequitiæ, pænæ ſe eſſe debitorem neſcit? neque enim negligente prætereundum eſt, quod Pſalmiſta ait: Miſericordias tuas, Domine, in æternum cantabo. Pſal. 88. Quomodo enim Dei miſericordias in æternum cantat, qui ſe fuiſſe miſerum ignorat? Et ſi miſeriæ tranſactæ non meminit; vnde largitori miſericordiæ laudes reddit? Sed rurſum quærendum eſt, quomodo electorum mens perfecta eſſe in beatitudine poterit, ſi hanc inter gaudia, memoria ſui reatus tangit? Aut quomodo perfectæ lucis clareſcit gloria, quam reducta ad animum obumbrat culpa? Sed ſciendum eſt, quia ſicut ſæpe nunc triſtium læti reminiſcimur, ita tunc tranſactæ nequitiæ, ſine læſione noſtræ beatitudinis, recordamur. Plerumque enim incolumitatis tempore ad Similã. memoriam dolores præteritos, ſine dolore, reducimus: & quo ægros nos recolimus, eo nos incolumes plus amamus. Erit ergo & in illa beatitudine culpæ memoria, non quæ mentem polluat, ſed quæ nos arctius lætitiæ aſtringat: vt dum doloris ſui animus ſine dolore reminiſcitur, & debitorem ſe medico verius intelligat: & eo magis acceptam ſalutem diligat, quo moleſtiæ meminit, quam euaſit. In illa itaque lætitia, ſic tunc ſine tædio mala noſtra conſpicimus, ſicut nunc in luce poſiti, ſine vlla cordis caligine animo tenebras videmus: quia etſi obſcurum eſt quod mente cernimus: de iudicio eſt hoc luminis, non de paſſione cæcitatis. Et in æternum ergo laudes miſericordiæ largitori noſtro referimus, & nequaquam miſeria conſcientiæ grauamur, quia dum mala noſtra ſine aliquo mentis malo reſpicimus: & nunquam erit quod corda laudantium de tranſactis iniquitatibus polluat, & ſemper erit quod hæc ad laudem liberatoris accendat. Quia autem ſic ibi conuerſi peccatoris animus culpæ ſuæ memoria tangitur, vt tamen nulla eiuſdem memoriæ confuſione deprimatur; congruè ſubiungitur: Et ſeruus liber à Domino ſuo.

Aug. Aug. lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 15: Hoc naturalis ordo præſcribit; ita Deus hominem condidit. Nam dominetur, inquit, piſcium maris, & Gen. 1. volatilium cæli, & omnium repentium, quæ repunt ſuper terram. Quæ ſerui tus ſit naturalis, & quæ non. Rationalem factum ad imaginem ſuam, noluit niſi irrationabilibus dominari: Non hominem homini, ſed hominem pecori. Gen. 46. Inde primi iuſti, paſtores pecorum magis, quam reges omnium conſtituti ſunt; vt etiam Seruitus orta ex peccato. ſic inſinuaret Deus, quid poſtularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe ſeruitutis iure intelligitur impoſita peccatori. Quando primum facta ſit mentio ſeruitutis. Proinde nuſquam ſcripturarum legimus ſeruum, antequam hoc vocabulo Noë iuſtus peccatum filij vindicaret. Nomen itaque iſtud culpa meruit, non natura. Gen. 9. Origo autem vocabuli ſeruorum in Latina lingua inde creditur ducta: Serui vnde dicti. quod hi, qui iure belli poſſent occidi, & victoribus cum ſeruabantur, ſerui fiebant, à ſeruando appellati; quod etiam ipſum ſine peccati merito non eſt. Nam & cum iuſtum geritur bellum, pro peccato contrario dimicatur: & omnis victoria cum etiam malis prouenit, diuino iudicio victos humiliat, vel

emendans peccata, vel puniens. Teſtis eſt homo Dei Daniel, cum in captiuitate poſitus peccata ſua, & peccata populi ſui confitetur Deo: & hanc eſſe cauſam illius captiuitatis pro dolore teſtatur. Prima ergo ſeruitutis cauſa peccatum eſt: vt homo homini conditionis vinculo ſubderetur: quod non fit, niſi Deo iudicante; apud quem non eſt iniquitas, & nouit diuerſas pœnas meritis diſtribuere delinquentium. Sicut autem ſupernus Dominus dicit: Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: ac per hoc multi quidem religioſi dominis iniquis, non tamen liberis ſeruiunt, quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Et vtique felicius ſeruitur homini, quam libidini; cum ſæuiſſimo dominatu vaſtet corda mortalium, vt alia omittam, libido ipſa dominandi. Hominibus autem illo pacis ordine, quo alijs alij ſubiecti ſunt: ſicut prodeſt humilitas ſeruientibus, ita nocet ſuperbia dominantibus. Nullus autem natura, in qua prius Deus hominem condidit, ſeruus eſt hominis, aut peccati. Verum & pœnalis ſeruitus ea lege ordinatur, qua naturalem ordinem conſeruari iubet, perturbari vetat: quia ſi contra eam legem non eſſet factum, nihil eſſet pœnali ſeruitute coercendum.

Dan. 9.

Cauſa ſeruitutis eſt peccatum.

Iniqui Domini non ſunt liberi, quia ſuis affectibus, & perturbationibus ſeruiunt.

2 Pet. 2.

Peius eſt peccato, quam homini ſeruire

Nulla eſt ſeruitus hominis à natura.

Florentinus Iuriſconſultus lib. 4. inſtitutorū: Serui ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captiuos vendere iubent, ac per hoc ſeruare, nec occidere ſolent. Mancipia vero dicta ſunt, quod ab hoſtibus manu capiuntur. Quæ verba ſunt in lib. Pandect. Iuſtiniani 1. hic mos à Lacedæmonijs manauit, teſte Plinio lib. 7.

Flor. Serui vnde dicti ſint. Mancipia vnde dicta.

Chryſoſt. ſerm. 1. de ieiunio: Ieiunemus à cibis, ſed primum à peccatis. Primum enim bonum eſt liberari à malis. Malitia autem eſt, quæ virtuti opponitur, inuidia, furtum, & homicidium, & bellum, & quæcunque mala dicuntur, & ſunt. Qui in malis eſt, in pœnam habet malitiam. Nam gehenna eſt malitiæ præſentis pœna. Non enim affligeret ſecando medicus, niſi ob præcedentem malitiam corriperet. Primum malum eſt in malitia deprehendi. Impius, & alienus à Deo, etiamſi nunquam proijciatur in gehennam, bonis priuatur. Qui non continet, à concupiſcentijs læditur: qui inuidet, afflictione ſua tabeſcit: qui furatur, erubeſcit, & metuit: qui occidit, non credit vitæ ſuæ. Primum malum eſt eſſe malum. Etiamſi non ſecat medicus, ægrotat æger: etiamſi non punit Deus (nam longanimus eſt) in morbo eſt, qui peccat. Dicit enim: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Igitur qui peccat, ante peccatum ſeruus factus eſt, etiam habet pœnam.

Chryſoſt.

Iren. lib. 3. cap. 8: Seruientes peccato, ſeruos peccati vocat. non tamen ipſum peccatum Dominum appellat.

Iren.

Aug. quæſtionum ſuper Geneſim lib. 1. cap. 153: Commendatur in Patriarchis, quod pecorum nutritores erant à pueritia ſua, & à parentibus ſuis. Et merito, nam hæc eſt, ſine vlla dubitatione, iuſta ſeruitus, & iuſta dominatio; cum pecora homini ſeruiunt; & homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum eſt cum crearetur: Faciamus hominē ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & habeat poteſtatem piſcium maris, & volatilium cæli, & omnium pecorum, quæ ſunt ſuper terram. Vbi inſinuatur rationem debere dominari irrationabili vitæ. Seruum autem hominem, homini vel iniquitas, vel aduerſitas dominari fecit. Iniquitas quidem, ſicut dictum eſt: Maledictus Chanaan, erit ſeruus fratribus ſuis. Aduerſitas vero, ſicut accidit ipſi Ioſeph, vt venditus à fratribus ſeruus alienigenæ fieret. Itaque primos ſeruos, quibus hoc nomen in Latina lingua inditum eſt, bella fecerunt. Qui enim homo ab homine ſuperatus, iure belli poſſet occidi, quia ſeruatus, eſt ſeruus appellatus: inde & mancipia, quia manu capta ſunt. Eſt enim ordo naturalis in hominibus, vt ſeruiant fœminæ viris, & filij parentibus: quia & illic iuſtitia eſt hæc, vt infirmior ratio ſeruiat fortiori. Hæc igitur in dominationibus & ſeruitutibus clara iuſtitia eſt, vt qui excellunt ratione, excellant dominatione: quod cum in hoc ſæculo per iniquitatem hominum perturbatur, vel per naturarum carnalium diuerſitatem, ferunt iuſti temporalem peruerſitatem, in finem habituri ordinatiſſimam, & ſempiternam felicitatem.

Aug. Gen. 46. Seruitus naturalis.

Gen. 1.

Vnde ſit ſeruitus. Gen. 9.

Gen. 37.

Serui vnde dicti.

Vnde dicta mancipia.

Nor. 6. ver. 29.

GREG. cap. 2. lib. 6. expoſit. lib. 1. Reg: Qui perpetratione peccati immundi ſpiritus ſeruus efficitur, nec carnis cogitationes libere poteſt vitare, nec ad alias cito recurrere. De victoribus ergo dicitur, noluerunt ea diſperdere, qui potuerunt: quia ante caſum à liberis facile peccata vitantur, ſed ſi nolunt vitare cum poſſunt, poſtea non poſſunt ſi volunt: quia perfecte valde non poſſunt. Quibus vtique per ſe Veritas dicit: Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis. Quaſi dicat: Quia ſponte liberi eſſe deſiſtis, poteſtatem adipiſcendæ libertatis in vobis iam non habetis.

Greg.

Aug. lib. 14. de Ciuit. cap. 11: Arbitrium igitur voluntatis tunc eſt vere liberum, cum vitijs, peccatiſque non ſeruit: Tale datum eſt à Deo, quod amiſſum proprio vicio, niſi à quo dari potuit, reddi non poteſt. Vnde Veritas dicit: Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis. Idipſum eſt autem, ac ſi diceret: Si vos filius ſaluos fecerit, tunc vere ſalui eritis. Inde quippe liberator, vnde Saluator. Et lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. cap. 2: Quis autem noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem perijt per peccatum, ſed illa, quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam, propter quod natura humana diuina indiget gratia, dicente Domino: Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis: vtique liberi ad bene, iuſteque viuendum. Nam liberum arbitrium vſque adeo in peccatore non perijt, vt per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant; & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet.

Aug.

Aug. Quæ per peccatum libertas perierit, & quæ non.

In peccatore liberum arbitrium.

Rom. 6.

libet. Vnde & Apoſtolus: Cum eſſetis, inquit, ſerui peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Ecce oſtenduntur etiam peccato minime potuiſſe, niſi alia libertate, ſeruire. Liberi ergo à iuſtitia non ſunt, niſi arbitrio voluntatis: liberi autem à peccato non fiunt, niſi gratia Saluatoris. Propter quod admirabilis doctor etiam verba ipſa diſcreuit: Cum enim ſerui eſſetis, inquit, peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in his, in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illorum mors eſt. Nunc autem liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificatione, finem vero vitam æternam. Liberos dixit iuſtitiæ, non liberatos. A peccato autem non liberos; ne ſibi hoc tribuerent; ſed vigilantiſſime maluit dicere; liberatos, referens hoc ad illam Domini ſententiam: Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis. Cum itaque non viuant bene homines, niſi effecti filij Dei, quid eſt, quod iſte libero arbitrio vult bene viuendi tribuere poteſtatem, cum hæc poteſtas non detur, niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, dicente Euangelio: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri?

cap. 1

Iren.

Iren. lib. 3. cap. 21: Pro, liberauerit, habet, manu miſerit, id eſt, ſoluto miſerrimæ omnium captiuitatis iugo, in libertatem filiorum Dei aſſerueit. Vt enim mancipium dicitur teſte Aug. not. 5. qui manu captus belli iure occidi poterat: ſic manu miſſus, cui libertatis copia fiebat, certis ritibus, & verbis iſtis: hunc hominem liberum eſſe volo.

Mancipiũ vnde dicatur. Manu miſſus vnde dicatur.

Not. 7. ver. 33.

Chryſoſt.

CHRYSOST. hom. 45. in Matth: Præcurſor Ioannes cum dicit: Genimina viperarum, ne videamini dicere; patrem habemus Abraham; noluit oſtendere, quia non eſſent ex Abraham ſecundum naturam; ſed quia nihil ipſis proderat eſſe filios Abrahæ, niſi etiam virtute illi coniungerentur, quod & Chriſtus denotat, dicens: Si filij eſſetis Abrahæ, opera vtique Abrahæ faceretis. Nec enim carnis coniunctione ab Abraham eos ſeparare volebat, ſed admonebat, vt nobiliorem hac, atque veriorem inueſtigarent propinquitatem. Et ſer. de Zachæo ex Luca: Si filij Abrahæ, inquit, eſſetis: facta patris veſtri faceretis. Non poteſt eſſe filius, quem diuerſi ſeparant actus. Non poteſt patris cenſeri nomine, qui fuerit diuerſus in opere. Si Abrahæ es filius, imple paternos affectus. Quæ fecit, comple: quæ docuit, exerce: quæ docuit, imitare. Vnde tibi filij nomen imponis, quem nec actus, nec natura commendat: quem nec fides, nec genus probat: quem nec mores, nec proſapia indicat: quem paterna monita, factis diſſidentibus, ſeparant? In te eſt, vt poſſis: quia in te eſt, vt velis.

Chryſoſ.

Not. 8. verſ. 36.

Aug.

AVG. lib. contra ſerm. Arrianorum cap. 3: Quod autem miſerit pater filium, negari non poteſt. Sed conſiderent, ſi poſſunt, quomodo eum miſerit, cum quo ipſe venit. An ille mentitus eſt qui ait, non ſum ſolus, quoniam pater mecum eſt? Sed quomodolibet miſſum intelligant: nunquid ideo diuerſa natura eſt, quia pater mittit, & mittitur filius? Niſi forte poteſt homo pater mittere hominem filium, vnius eiuſdemque ſubſtantiæ, & non poteſt Deus: cum homo miſſus ab homine mittente ſeparetur, quod Deus non poteſt. Sed ignis mittit ſplendorem ſuum, nec poteſt ſplendor miſſus ſeparari ab igne mittente; quamuis & iſta, quia creatura eſt viſibilis, non omni ex parte huic rei ſit comparabilis: cum enim ſplendorem mittit ignis, longius peruenit ſplendor, quo ignis non peruenit. Vnde ſplendor ab igne, qui eſt in lucerna, miſſus, ſi loqui poſſet, non vtique poſſet verum dicere in pariete, quo ſine lucernæ igne peruenit, ignis qui me miſit, mecum eſt. Potuit autem miſſus à patre filius dicere; pater mecum eſt. Cum igitur hæc à patre miſſio filij prorſus ineffabilis ſit, nec capi vllius cogitatione poſſit, quomodo hinc oſtendant filium alterius, atque inferioris eſſentiæ, non inueniunt, quandoquidem nec homo miſſus ab homine, diuerſam naturam mittentis, & miſſi eſſe demonſtrat. Et cap. 4: Hic autem etiam hoc poteſt intelligi, vt eo ipſo à patre miſſus filius eſſe dicatur, quod filius hominibus apparuit in carne, non pater. Quis enim mittitur illò, vbi eſt? vbi autem non eſt ſapientia Dei, quæ eſt Chriſtus, de qua legitur: Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter? Cum ergo vbique ſit etiam filius, quo mittendus fuerat, vbi non erat, niſi apparendo ſicut apparebat?

Quomodo ſit filius à patre miſſus.

Simile.

Aug. Quomodo ſit filius à patre miſſus.

Not. 9. verſ. 38.

Amb.

AMBROS. lib. 4. in Luc: Sicut enim qui filij promiſſionis ſunt, æſtimantur in ſemen bonum: ita etiam qui filij erroris ſunt, æſtimantur in ſemen malum. Nam & Iudæi ex patre diabolo, non vtique carnis ſucceſſione, ſed criminis.

Quomodo Iudæi ſint filij diaboli.

Aug.

Aug. lib. contra Adamantium cap. 5: Hoc autem, quod in Euangelio eſt, vos ex patre diabolo eſtis: peccatoribus, & infidelibus dicitur. Tribus enim modis in ſcripturis ſanctis filiorum nomen accipitur. Vno, ſecundum naturam; quo modo Iſaac filius Abrahæ, vel etiam cæteri Iudæi, qui ex eadem origine veniunt. Alio, ſecundum doctrinam; vt filius eius in ea re quiſque appelletur, à quo aliquid didicit: ſicut filios ſuos appellat Apoſtolus, qui ab illo didicerunt Euangelium. Tertio, ſecundum imitationẽ; ſicut filios Abrahæ nos vocat Apoſtolus, qui eius fidem imitamur. Duobus ergo modis peccatores infideles Iudęi, filij diaboli vocantur à Domino; vel quod ab ipſo impietatem didicerunt; ſicut de ipſo diabolo Apoſtolus dicit: Qui nunc operatur in filios diffidentiæ, vel quod eum imitantur; quod magis pertinet

Filius dicitur multis modis.

Gen. 21.

1 Cor. 4.

Gal. 4

Vt Iudæi ſint filij diaboli.

Epheſ. 2.

ad id, quod de illo dictum eſt: Et in veritate non ſtetit: quia & ipſi Iudæi in veritate legis, quæ ſibi data eſt, non ſteterunt: eo quod Domino atteſtante, & dicente: Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi: ille enim de me ſcripſit. Filij autem diaboli dicuntur homines, cum imitantur eius impiam ſuperbiam, & à luce, atque celſitudine decidunt ſapientiæ, & non credunt veritati: quales Dominus arguit, cum dicit: Vos ex patre diabolo eſtis, &c. Cui loco Euangelico Propheta conſonat dicens: (Pſal. 81.) Ego dixi dij eſtis, & filij altiſſimi omnes: Vos autem vt homines moriemini, & ſicut vnus ex principibus cadetis. (Aug.) Et lib. 1. tetract. cap. 22: Quod dixi tribus modis filiorum nomen accipitur, minus conſiderate dictum eſt: & alios enim quoſdam modos, ſine dubio, prætermiſimus; ſicut dicitur filius gehennæ, vel filius adoptiuus. Qui vtique nec ſecundum naturam, nec ſecundum doctrinam, nec ſecundum imitationem dicuntur. Quorum trium modorum, tanquam ſoli ſint, exempla reddidimus. (Aug.) Et tract. de vtilitate pœnitentiæ cap. 1: Quid eſt enim, patres veſtri, niſi quos infidelitate imitamini, quorum vias, non credendo, & Deo reſiſtendo, ſectamini? (Vt Iudæi ſint filij diaboli.) ſecundum quem intellectum quibuſdam dicit; vos à patre diabolo eſtis? Neque enim diabolus aliquem hominem vel potentia creauit; vel generando procreauit; & tamen dicitur pater impiorum, non propter generationem, ſed propter imitationem: Sicut è contra de bonis dicitur: Ergo ſemen Abrahæ eſtis; cum loquatur gentibus, quæ ſtirpem carnis ex Abrahæ genere non ducebant. Filij enim erant non naſcendo, ſed imitando. (Aug.) Et lib. (Quis ſit filius diaboli.) quæſt. veteris, & noui teſtamenti cap. 80: Filius autem diaboli eſt, qui natus, malis rebus imbuitur; vt his ſtudeat, quæ inimica ſunt creatori, multos aſſerens deos, & his immolandum, quaſi mundi rectoribus. Hic ſi reſipiſcat, & iuxta naturam ſuam ſentiat, ad creatorem ſe conferens, filius Dei erit: ac per hoc, neque filij (Quomodo nec Dei filij, nec diaboli naſcamur) Dei ſunt, qui naſcuntur; neque filij diaboli. Quid enim dicit Saluator Iudæis; vos de patre diabolo eſtis, & concupiſcentias patris veſtri vultis facere? Vides ergo operibus, & confeſſione filios creari diabolo: hos autem eſſe filios Dei, qui confitentes proprium eſſe Deum patrem Chriſti, recte verſantur. (Aug.) Et cap. 90: Si diabolus ipſe eſt Satanas, quid eſt vt inter cætera dicat ad Iudæos Saluator; vos de patre diabolo eſtis, & concupiſcentias patris veſtri vultis facere: Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in eo. Cum loquitur mendacium, ex ſuis proprijs loquitur, quia mendax eſt, ſicut & pater eius? (Diabolus nomen eſt commune.) Diabolus non ſpeciale nomen eſt, ſed commune cum cæteris. In quocunque enim opera diaboli fuerint inuenta, ſine dubio, diabolus appellandus eſt. Operis enim nomen eſt, non naturæ. (Quis pater Iudæorum) Itaque hoc in loco patrem Iudæorum Cain ſignificat, cuius imitatores volentes eſſe Iudæi, Saluatorem peremerunt. Hinc dicit eum, quia ſe parricidio maculauit, & reum fecit mortis, in veritate non ſtetiſſe: ab ipſo autem forma data eſt fratricidij. Iſtum ipſum dicit, cum loquitur mendacium; de ſuis proprijs loqui; vt oſtenderet vnumquemque non niſi propria voluntate peccare. Sed quia imitator diaboli eſt, adiecit; mendax eſt, ſicut & pater eius. Hic enim, vt primum hominem morte condemnaret, ſimulauit ſe neſciſſe, quid præceptum fuiſſet ei à Deo. Sic & Cain interrogatus, finxit ſe neſcire vbi eſſet frater ſuus Abel, quem occiderat. Hoc ergo in loco diabolum Cain eſſe dixit: patrem autem eius diabolum, cuius opera ſecutus eſt. Diaboli enim filius diabolus eſt. Sed, diabolus ille, qui eſt Satanas, Patrem in malicia ſua nullum habet. Ipſe enim ſibi in malo author eſt. Prior enim ipſe peccauit, aut per (Qui ſint diaboli, & Abrahæ.) hoc quicunque imitati illum fuerint, filij eius dicentur, & ille pater eorum. Etenim nos in fide Abraham Patrem habemus, quia prior ipſe credidit Deo: ac per hoc nomine eius cenſemur, fideles enim dicimur ſicut & ille. Et ſer. 14. (Aug.) de verbis Apoſtoli: Propter ipſam imitationem (1 Cor 4.) dicitur impijs: Vos à Patre diabolo eſtis. Nam conſtat in Catholica fide, quod diabolus nec generauerit noſtram naturam, nec condidit, ſola in illa ſeductio eſt præcedentis, imitatio conſequentis. Denique quomodo dictum eſt de Adam, in quo omnes peccauerunt, legatur mihi alicubi, omnes in diabolo peccauerunt. Aliud eſt illo præcedente, & ſeducente peccare, aliud in illo peccare: quia ſecundum propaginem carnis in illo eramus omnes antequam nati eſſemus, tanquam in parente, tanquam in radice ibi eramus ſic venenata eſt iſta arbor, ibi eramus. Nam quia ad diabolum, hoc eſt, principem peccati, & vere primum peccatorem, non pertinet origo, ſed imitatio cum de illo ſcriptura loqueretur, inuidia, inquit, diaboli, mors intrauit in orbem terrarum. (Sap. 2.) Imitantur autem eum qui ſunt ex parte ipſius. Imitando eum, fiunt ex parte ipſius. Nunquid dictum eſt in illo peccauerunt? Cum vero de Adam diceretur propter originem: propter poſteritatem, propter propaginem viſcerum, in (Rom. 5.) quo omnes, inquit, peccauerunt.

Chryſoſt. hom. in Pſal. 108: Dicit filios, eos (Chryſoſt. Vt Iudæi filij ſint diaboli.) qui fuerunt ſocij, ac participes eorum improbitatis. Scit enim ſcriptura appellare filios, & eos qui ſunt cognatione filij, & eos qui fuerunt ſocij aliquorum improbitatis, etiamſi non ſint natura filij; vt quando dicit; vos filij diaboli eſtis. Atqui non erant Iudæi natura diaboli filij. Quomodo enim eſſent filij eius, qui eſt incorporeus, cum ipſi ſint carne circumdati? ſed ſocietate imbrobitatis attraxerunt ad ſe cognationem. Ita etiam eos eijcit à cognatione Abrahæ, dicens: Si eſſetis filij Abrahæ, opera Abrahæ faceretis.

Not 10. verſ. 39.

(Aug.) AVGVST. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 13: Petilianus dixit; falſidicos, & mendaces ſic identidem obiurgat: Filij diaboli eſtis: ab initio

initio enim ille accuſator fuit; & in veritate non ſtetit. Aug. reſp: Non ſolemus legere; ille accuſator fuit: ſed ille homicida fuit. Quærimus autem vnde fuerit diabolus homicida ab initio, & inuenimus quod primum hominem occiderit, non gladium ſtringendo, aut aliquam vim corporaliter infligendo; ſed perſuadendo peccatum, & à paradiſi felicitate deijciendo. Quod tunc paradiſus, hoc nunc Eccleſia. Diaboli ergo filij ſunt, qui homines ab Eccleſia ſeducendo interficiunt. Et lib. 11. de Geneſi ad litteram cap. 16: Quando ergo deijecerit ſuperbia diabolum, vt naturam ſuam bonam praua voluntate peruerteret, ſcriptura non dicit: ante tamen factum fuiſſe, & ex hac eum homini inuidiſſe, ratio manifeſta declarat. In promptu eſt enim omnibus hoc intuentibus, non ex inuidentia ſuperbiam naſci, ſed ex ſuperbia potius inuidentiam. Nec fruſtra putari poteſt ab initio temporis diabolum ſuperbia cecidiſſe nec fuiſſe vllum antea tempus quo cum Angelis ſanctis pacatus vixerit, & beatus: ſed ab ipſo primordio creaturæ, à ſuo creatore apoſtataſſe, vt illud quod Dominus ait: Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non ſtetit: vtrumque ab initio intelligamus, non ſolum quod homicida fuit, verum etiam quia in veritate non ſtetit. Et homicida quidem ab illo initio, ex quo homo potuit occidi: non autem potuit occidere, antequam eſſet qui occideretur. Ab initio ergo homicida diabolus, quia ipſe occidit hominem primum, ante quem nullus hominum fuit. In veritate autem non ſtetit, & hoc ab initio, ex quo ipſe creatus eſt qui ſtaret ſi ſtare voluiſſet. Et lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 13: Quid Dominus ait de diabolo in Euangelio: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit ſic eſſe capiendum, vt non ſolum homicida fuerit ab initio, id eſt, in initio humani generis, ex quo vtique homo factus eſt, quem decipiendo poſſet occidere: verum etiam ab initio ſuæ conditionis in veritate non ſteterit: & ideo nunquam beatus cum ſanctis Angelis fuerit, ſuo recuſans eſſe ſubditus creatori, & ſuperbia ſua velut priuata poteſtate elatus, ac per hoc falſus, & fallax: quia nec quiſquam poteſtatem omnipotentis euadit. Et qui per piam ſubiectionem noluit tenere quod vere eſt, affectet per ſuperbiæ elationem ſimulare quod non eſt: vt ſic intelligatur etiam quod B. Ioannes Apoſtolus ait: Ab initio diabolus peccat, hoc eſt, ex quo creatus eſt iuſtitiam recuſauit, quam niſi pia, Deoque ſubdita voluntas habere non poſſit. Huic ſententiæ quiſquis acquieſcit, non cum illis hæreticis ſapit, id eſt, Manicheis. & ſi quæ aliæ peſtes ita ſentiunt, quod ſuam quandam propriam tanquam ex aduerſo quodam principio diabolus habeat naturam mali, qui tanta vanitate deſipiunt, vt cùm verba iſta Euangelica in authoritate nobiſcum habeant: Non attendant non dixiſſe Dominum, à veritate alienus fuit, ſed in veritate non ſtetit: vbi à veritate lapſum intelligi voluit, in qua vtique ſi ſtetiſſet eius particeps factus, beatus cum ſanctis Angelis permaneret. Et in Pſalm. 133: Quid eſt, qui ſtatis? qui perſeueratis; quia dictum eſt de quodam, qui Archangelus fuit; & in veritate non ſtetit, & dictum eſt de amico ſponſi; amicus autem ſponſi ſtat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Et in Pſal. 134: Illi autem ſtare dicuntur, qui in mandatis eius perſeuerant.

[Margin: Vera lectio. — Quomodo diabolus homicida fuit ab initio. — Qui ſint filij diaboli. — Aug. — Diabolus quando peccauerit incertum. — Diabolus ab initio peccauit. — Aug. — 1 Ioan. 3. — Aug. Stare quid ſit. — Aug.]

Iren. lib. 5. cap. 22: Dominus ait, Diabolus mendax eſt ab initio, & in veritate non ſtetit. Et cap. 25: Ab initio homicida eſt, & in veritate non ſtetit.

[Margin: Iren. — Lectio vera.]

Not 11. verſ. 40.

AVG. tractatu 5. in Ioan: Quæ ab homine ſunt, mendacia ſunt, ſicut ipſe dixit Dominus noſter Ieſus Chriſtus: Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur. Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum. Si quid autem homo habet veritatis, atque iuſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, vt ex eo, quaſi guttis quibuſdam irrorati, & in hac peregrinatione interim conſolati, ne deficiamus in via; venire ad eius requiem, ſatietatemque poſſimus. Si ergo qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur: qui loquitur veritatem, de Deo loquitur.

[Margin: Aug.]

Chryſoſt. homil. 5. in Marcum: Pater, inquit, mendax eſt, & veritatem non loquitur: ſicut & Pater eius, qui eſt Pater Iudæorum. Vtique diabolus ab initio mendax eſt. Et quis eſt Pater diaboli? vide quid dicat: Pater enim veſter mendax eſt: ab initio mendacium loquitur. Sicut & pater eius. quaſi dicat, hoc eſt, diabolus mendax eſt, & mendacium loquitur. Et pater eſt ipſius mendacij. non quod diabolus alium patrem habeat, ſed quod mendacij pater, diabolus eſt, propterea dicit: mendax eſt, & ab initio mundi veritatem non loquitur, hoc eſt, mendacium loquitur, & eſt pater eius, hoc eſt, ipſius mendacij.

[Margin: Chryſoſt. Et pater eius, quomodo intelligatur.]

Sic ibi Chryſoſt. Illis ergo verbis: mendax eſt, & pater eius: non vult dicere Chriſtus; Quod pater diaboli ſit mendax: vt hæretici quondam intellexerunt: ſed quod ipſe diabolus, ſit pater mendacij. Sic Epiph. hæreſi 38. & 39.

[Margin: Auct. — Epiph.]

Leo Papa primus ſerm. 6. de paſſione Domi: cap. 5: Ille mendax eſt ab initio, & in ſola viget arte fallendi: vt humanam ignorantiam, falſæ ſcientiæ oſtentatione decipiat, ſitque eorum nunc malignus impulſor, quorum poſt futurus eſt improbus accuſator. Et epiſt. 64. cap. 2: Illa Redemptoris noſtri dicta, (ver. nimirum 38. 39. & 40.) quam ſint diuinæ autoritatis, apparet, dum contra hoſtes fidei ſic aptantur, vt de ipſis dubitare dictum non liceat.

[Margin: Leo — Leo.]

Not 12. verſ 42.

GREG. hom. 18. in Euang: Penſate, fratres chariſſimi, manſuetudinem Dei, &c. lect. 7. Dom. Paſſio.

[Margin: Greg. Manſuetudo Chriſti.]

Ver. 44.

Ver. 44.

Greg. — Greg. hom. 18. in Euang: Sed terribile eſt valde quod ſubditur, &c. lect. 7. & 8. Dom. Paſſi.

Ver. 45.

Eut. — *Cur Samaritanum vocent.* — Euth. Ioan. 8: Per interrogationem legendum eſt. Vocabant autem eum Samaritanum, vtpote non exacte ſeruantem legem, ſicut illis videbatur, neque traditiones ſeniorum: tales ſiquidem erant Samaritani. Dæmonium vero habentem, tanquam Dei honorem in ſeipſum detruantem: nam tales ſunt dæmones: ſed hic tanquam is, qui in veritate Deus erat, illi vero quaſi ſeductores. — *Cur dicunt cum habere dæmonium.*

Elias. — *Cur Samaritanum vocent.* — Elias Cretenſis in orationem 4. Nazia: Vocant autem Chriſtum Dominum Samaritanum, fortaſſe propterea quod præcepta legalia pro adiaphoris, ſiue indifferentibus haberet, & Sabbati violationem flocci penderet. Nam apud Samaritanos accuratè Iudaiſmus non obſeruabatur; ſed ipſorum cultus ex peregrinis etiam, Græciſque moribus aliquid miſtum habebat. Deinde à dæmonio Chriſtum obſeſſum aiunt, quod in more ſit dæmonijs, debitum honorem Deo in ſeſe transferre: ſineque verecundia Dei gloriam rapere, quod ipſum & à Chriſto fieri putabant, quum ſe, qui eſſet homo, in Dei ſedem quaſi collocaret his ipſis verbis: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Oſtendit enim ſe ſuos ſermones verba Dei appellare. Hoc modo, atque his de cauſis Samaritanus à Iudæis Chriſtus audijt. — *Cur cum dæmonem habere dicant.*

Greg. — Greg. hom. 18. in Euang: Hoc quod de reprobis veritas loquitur, ipſi hoc de ſemetipſis reprobi iniquis ſuis operibus oſtendunt.

Ver. 46.

Greg. — Greg. hom. 18. in Euang: Accepta tanta contumelia, &c. lect. 9. Dom. Paſſi. Cuſtos namque humani generis venerat, & ſi Samaritanum ſe non eſſe diceret, eſſe ſe cuſtodem negaret. Sed tacuit quod recognouit, & patienter repulit. Quod dictum fallaciter audiuit, dicens: Ego dæmonium non habeo. In quibus verbis quid aliud niſi ſuperbia noſtra confunditur? quæ ſi exagitata vel leuiter fuerit, atrociores iniurias reddit, quam acceperit: facit mala quæ poteſt, minatur, & quæ facere non poteſt. Ecce iniuriam ſuſcipiens Dominus non iraſcitur, non contumelioſa verba reſpondet: Qui ſi eiſdem iſta dicentibus reſpondere voluiſſet; dæmonium vos habetis: verum profecto diceret: quia niſi impleti eſſent dæmonio, tam peruerſa de Deo loqui non poſſent. Sed accepta iniuria, etiam quod verum erat, dicere veritas noluit, ne non dixiſſe veritatem, ſed prouocatus, contumeliam reddidiſſe videretur. Ex qua re quid nobis innuitur, niſi vt eo tempore, quo à proximis ex falſitate contumelias accipimus, eorum etiam vera mala taceamus; ne miniſterium iuſtæ correptionis, in arma vertamus furoris? Sed quia quiſquis Dei zelo vtitur, ſæpe à prauis hominibus dehoneſtatur, in ſemetipſo nobis Dominus patientiæ præbuit exemplum. — *Chriſti patientia.*

Euth. — Euth. Ioan. 8: Dæmonium non habeo, Deum non dehoneſto, ſicut dæmones; nec ipſum honore ſuo deijcio.

Orig. — *Samaritanum ſe Chriſtus eſſe non negat.* — Orig. hom. 34. in Luc. habet vnam rationem cur Samaritanum ſe Chriſtus eſſe minime neget. At vero to. 26. in Ioan. rei eiuſdem tres habet rationes. Aug. quoque ſer. 57. de verb. Dom. docet cur Chriſtus Samaritanum ſe eſſe confirmet, tantum abeſt vt neget. Dicit idem conc. 1. in Pſal. 30. & 136. & tract. 43. in Ioan.

Not. 13. ver. 47.

Greg. — GREG. hom. 18. in Euang: Sed quid nobis ad iſta faciendum ſit, adhuc exemplo nos admonet, cum ſubiungit. Ego autem non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, & iudicet. Scimus certe quod ſcriptum eſt; quia pater omne iudicium dedit filio: & tamen ecce idem filius iniurias accipiens, gloriam ſuam non quærit. Illatas contumelias patris iudicio reſeruat, vt nobis profecto inſinuet, quantum nos eſſe patientes debemus, dum ſe adhuc vlciſci non vult, & ipſe qui iudicat. — *Patientiæ exemplum.*

Eut. — Euth. Ioan. 8: Vide autem quod quando patrem ſibi dixerunt eſſe Deum, libere reſpondit, & grauiter eos obiurgauit: quando vero contumelia eum affecerunt, modeſte reſpondit, ac mitiſſime. Hinc enim nos docuit, vt admiſſa in Deum vindicemus, in nos autem negligamus. Nam & ipſe factam in ſe iniuriam prætermittens, ad admonitionem conuertitur. — *Zeli & patientiæ exemplum.*

Ver. 48. 49.

Greg. — Greg. hom. 18. in Euang. Cum vero malorum peruerſitas creſcit, non ſolum prædicatio non debet minui, ſed etiam augeri. Quod ſuo Dominus exemplo nos admonet, qui poſtquam habere dæmonium dictus eſt, prædicationis ſuæ beneficia largius impendit, dicens: Amen, amē dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum. Sed ſicut bonis neceſſe eſt, vt meliores etiam per contumelias exiſtant, ita ſemper reprobi de beneficio peiores fiunt, nam accepta prædicatione, iterum dicunt; nunc cognouimus quia dæmonium habes. Quia enim æternæ morti inhæſerant, & eamdem mortem cui inhæſerant, non videbant, dum ſolam mortem carnis aſpicerent, in veritatis ſermone caligabant, dicentes: Abraham mortuus eſt, & Prophetæ mortui ſunt: & tu dicis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum. Vnde & ipſi veritati eumdem Abraham & prophetas quaſi venerantes præferunt. Sed aperta nobis ratione oſtenditur, quia qui Deum neſciunt, Dei quoque famulos falſo venerantur.

Ver. 54.

Greg. — Gregor. hom. 18. in Euangel: Et notandum quod vidit eos Dominus aperta ſibi impugnatione reſiſtere, & tamen eis ſe iterat[illegible] deſi-

[illegible] voce

nit voce prædicare, dicens: Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt. Tunc quippe diem Domini Abraham vidit, cum in figura ſummæ Trinitatis, tres Angelos hoſpitio recepit: quibus profecto ſuſceptis, ſic tribus, quaſi vni locutus eſt; quia & ſi in perſonis numerus trinitatis eſt, in natura vnitas diuinitatis eſt.

Quando, & quomodo Abrahā diem Chriſti viderit.

Aug.

Aug. ſerm. 70. de Tempore: Diem, inquit, meum vidit, quia myſterium Trinitatis agnouit. Vidit Patrem diem, Filium diem, Spiritum ſanctum diem, & in his tribus vnum diem: ſicut & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, & hi tres vnus Deus. Nam & ſigillatim ſingulæ quæque perſonæ plenus Deus, & totæ tres ſimul vnus Deus. Nam & illis tribus menſuris ſimilaginis, propter vnitatem ſubſtantiæ non incongrue Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus intelligitur.

Aug.

Et lib. 2. cont. Pelag. & Celeſt. cap. 27: Illud quod ait Dominus Ieſus: Abraham concupiuit diem meum videre, & vidit, & gauiſus eſt: ſi diem ſuum voluit ſuum tempus intelligi, teſtimonium profectò perhibuit Abrahæ, quod fide fuerit incarnationis eius imbutus. Secundum hunc enim habet tempus; diuinitas verò eius omne tempus excedit; quia per illam vniuerſa facta ſunt tempora. Quod etſi quiſquam de die ſempiterno accipiendum putauerit, qui nullo finitur craſtino, nullo præuenitur heſterno, hoc eſt, de ipſa æternitate, in qua coæternus eſt patri, quomodo id verè concupiſceret Abraham, niſi eius noſſet futuram mortalitatem, cuius quæſiuit æternitatem: aut ſi ad hoc aliquis horum verborum ſenſum coarctat, vt dicat nihil intelligendum in eo, quod ait Dominus, quæſiuit diem meum, niſi quæſiuit me, qui ſum dies permanens, hoc eſt, lumen indeficiens, velut cum dicimus vitam filij, de qua loquitur Euangelium dicens; ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo; non aliud ipſum aliud eius vitam, ſed eumdem ipſum filium intelligimus vitam, qui dixit: Ego ſum via, veritas, & vita: Et de quo dictum eſt: Ipſe eſt verus Deus, & vita æterna: vt hanc eius æqualem patri diuinitatem videre cupiuerit Abraham, nequaquam incarnatione eius præcognita, ſicut eum nonnulli etiam Philoſophi quæſiuerunt, qui nihil de eius carne didicerunt: nunquid & illud, quod iubet Abraham ponere manum ſeruum ſuum ſub fæmore ſuo, & iurare per Deum cæli, aliter quiſquam rectè intellecturus eſt, niſi Abraham ſciſſe in qua venturus eſſet Deus cæli, carnem de illo fæmore propagari?

Gen. 24.

Iren. Vt Abrahā diē Chriſti viderit.

Iren. lib. 4. cap. 11: Chriſtus Patribus manifeſtatus eſt. Et cap. 12: Et hoc ipſum docens, dicebat Iudæis: Abraham Pater veſter exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauiſus eſt. Quid enim? Credidit Abraham Deo, & deputatum eſt ei ad Iuſtitiam. Primum quidem, quoniam ipſe eſt factor cæli, & terræ ſolus Deus. Deinde autem, quoniam faciet ſemen eius quaſi ſtellas cæli, hoc eſt, quod à Paulo dicitur, quemadmodum luminaria in mundo. Iuſte igitur derelinquens terrenam cognationem omnem, ſequebatur verbum Dei, cum Verbo peregrinans, vt cum verbo moraretur.

Iren. Gen. 22. 6

Et cap. 13: In Abraham enim prædidicerat, & aſſuetus fuerat homo, ſequi verbum Dei. Etenim Abraham ſecundum fidem ſuam ſecutus præceptum verbi Dei, prono animo vnigenitum, & dilectum filium ſuum conceſſit ſacrificium Deo: vt & Deus beneplacitum habeat, pro vniuerſo ſemine eius dilectum, & vnigenitum filium ſuum præſtare ſacrificium in noſtram redemptionem. Propheta ergo cum eſſet Abraham, & videret in ſpiritu diem aduentus Domini, & paſſionis diſpoſitionem, per quem ipſe quoque, & omnes, qui ſimiliter, vt ipſe crediderit, redimit Deo, ſaluari inciperent, exultauit vehementer, non incognitus igitur erat Dominus Abrahæ, cuius diem concupiuit videre: ſed neque Pater Domini: didicerat enim à verbo Domini, & credidit ei. Quapropter & deputatum eſt ei ad iuſtitiam à Domino. Fides enim quæ eſt ad Deum altiſſimum iuſtificat hominem, & proptet hoc dicebat: Extendam manum meam ad Deum altiſſimum, qui conſtituit cælum & terram.

Iren.

Et cap. 15: Et Abraham ergo à verbo cognoſcens Patrem, qui fecit cælum, & terram, hunc Deum confitebatur: & doctus repræſentatione, quod inter homines homo futurus eſſet filius Dei, per cuius aduentum, ſemen eius erat futurum quaſi ſtellæ cæli, concupiuit eam diem videre, vti & ipſe complecteretur Chriſtum: & per Spiritum prophetiæ eam videns, exultauit. Propter quod & Simeon ex ſemine eius re implebat gratulationem Patriarchæ, & dicebat: Nunc, remittis ſeruum tuum Domine, &c. & Angeli autem gratulationem magnam, vigilantibus nocte paſtoribus enunciauerunt. Sed & Maria ait: Magnificat anima mea Dominum; & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo: deſcendente quidem exultatione Abrahæ in eos, qui erant ex ſemine eius, euigilantes, & videntes Chriſtum, & credentes ei: reciproca autem rurſus, & regrediente exultatione à filijs in Abraham; qui & concupierat diem aduentus Chriſti videre. Bene igitur Dominus noſter teſtimonium reddebat ei dicens: Abraham Pater veſter exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauiſus eſt.

Aug. Quando Abraham Chriſtum vidit.

Cum Iren. dicit Abraham repræſentatione doctum, ad illam trium apparitionem, de qua Gen. 18. reſpicit. Porro vnum ex illis tribus fuiſſe Dei filium, quem Abraham adorauerit, Deumque vocauerit, magna concordia docent Iuſtinus in dialogo: Tert. lib. de carne Chriſti. Et lib. 3. cont. Marc. Euſeb. lib. 1. hiſt. ca. 1. Atha. ſer. 3. cont. Arria. Hila. lib. 4. de Tri. Cyr. Ieroſo. cate. 11. & 12. Ambro. lib. 2. de Abraham ca. 5. Aug. lib. 2. de Trin. ca. 10. & 11.

Euth.

Euth. Ioannis 8: Diem ſuum dicit diem paſſionis. Gauiſus eſt propter ſalutem mundi: præcognouit namque myſterium crucifixionis Chriſti, deſiderauit videre diem ipſius, & vidit illum perfiguratum, & adumbratum, in die quo filium

Quando Abraham diē Chriſti viderit.

filium ſuum Iſaac obtulit in holocauſtum. Didicit enim quod ſicut ipſe non pepercit filio ſuo dilecto propter Deum, ita neque Deus parciturus eſſet filio ſuo dilecto propter hominem. Et quemadmodum ille portauit ligna holocauſti ſui, ita & ipſe portaturus eſſet lignum mortis ſuæ. Veruntamen ſicut illo non paſſo ſuppoſitus eſt aries: ita & hoc manente impaſſibili, humanitas eius occiſa eſt. Quod ſi diem eius videre deſiderauit, vtique hoc erat tanquam maioris.

Chriſto minor Abraham

Orig. Orig. homil. 10. in Geneſ. Iſaac (inquit ſcriptura) creſcebat, & confortabatur, id eſt, gaudium creſcebat Abrahæ reſpicienti non ad ea, quæ videntur, ſed quæ non videntur, non enim gaudebat de præſentibus Abraham neque de diuitijs mundi, & actibus ſæculi. Sed vis audire Abraham vnde gauderet? audi Dominum ad Iudæos dicentem: Abraham pater veſter deſiderauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauiſus eſt. Per hoc ergo creſcebat Iſaac, per quod Abrahæ viſio illa quæ videbat Chriſti diem, & ſpes quæ in ipſo eſt, gaudia cumulabat. Atque vtinam efficeremini etiam vos Iſaac, & eſſetis gaudium Matris veſtræ Eccleſiæ. Sed vereor ne adhuc in triſtitia, & gemitu Eccleſia filios pariat. An non eſt ei triſtitia, & gemitus, cum vos non conuenitis ad audiendum Dei verbum, & vix feſtis diebus ad Eccleſiam proceditis? & hoc non tam deſiderio verbi, quam ſtudio ſolennitatis, & publicæ quodammodo remiſſionis obtentu.

Moralis admonitio.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 47. in Geneſ. Chriſtus Iudæis dicebat: Abraham Pater veſter exultauit, vt videret diem meum: & vidit, & gauiſus eſt. Quomodo vidit, qui temporibus præceſſit? per figuram, per vmbram. Sicut enim hic ouis oblata eſt pro Iſaac; ita & rationalis agnus oblatus eſt pro mundo. Oportebat enim in vmbra deſcribi, & præſignari antea veritatem.

Quando, & quomodo Abraham diem Chriſti viderit.

Leo. Leo ſerm. 5. de Epiphania Domini cap. 4: Hunc diem Abraham vidit, & gauiſus eſt, quum benedicendos fidei ſuæ filios in ſemine ſuo, quod eſt Chriſtus, agnouit, & omnium ſe futurum gentium patrem credendo proſpexit, dans gloriam Deo, & pleniſſime ſciens quoniam quod promiſit, potens eſt facere.

Not. 15. ver. 55.

Putatus fit Chriſtus eſſe fere quinquagenarius.

EVTH. Ioannis 8: Quinquaginta annos nondum habes, &c. Putabant eum ferme eſſe quinquagenarium: propter multam eius peritiam, & experientiam. Quædam autem exemplaria habent, quadraginta, quod videtur eſſe verius.

Greg. Greg. hom. 18. in Euangelia: Sed carnales mentes audientium, oculos à carne non ſubleuant, dum in eo ſolam carnis ætatem penſant, dicentes: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?

Ver. 56.

Theoph. Theophylact. Ioannis 8: Vide, non dicit, antequam Abraham fieret, ego eram: ſed, ſum. Iſtud enim verbum, ſum, Deo propriè conuenit; eo quod perpetuus ſit, & ſempiternus, id quod hoc verbum ſignificat. Itaque ſicut & Pater eius in veteri lege hoc verbo vtitur: Ego ſum, qui ſum: de Abraham vero dixit, fieret, merito, tanquam de corruptibili. Nam qui factus eſt, & corrumpitur. Verbum autem ſum, diuinam, & ab omni corruptione alienam ſempiternitatem ſignificat. Quapropter & Iudæi exiſtimantes hoc blaſphemum verbum; (ſoli enim Deo conuenit) tulerunt lapides contra eum.

Sum cui conueniat, & quid ſignificet. Exod. 3.

Iren. Iren. lib. 4. cap. 27: Sed neque Abrahæ amicitiam, propter indigentiam, aſſumpſit, Dei verbum exiſtens ab initio perfectus: antequam enim Abraham eſſet, ego ſum, inquit: ſed vt ipſi Abrahæ donaret æternam vitam exiſtens bonus, quoniam amicitia Dei immortalitatis eſt condonatrix, his, qui aggrédiuntur eam.

Greg. Greg. hom. 18. in Euang: Quos benigne Redemptor noſter à carnis ſuæ intuitu ſubmouet, & ad diuinitatis contemplationem trahit, dicens: Amen, amen dico vobis, antequam fieret Abraham ego ſum. Ante enim, præteriti temporis eſt, ſum, præſentis; & quia præteritum, & futurum tempus diuinitas non habet, ſed ſemper eſſe habet, non ait: ante Abraham ego fui, ſed ante Abraham ego ſum. Vnde & ad Moyſem dicitur: Ego ſum qui ſum: Et dices filijs Iſrael, qui eſt miſit me ad vos. Ante ergo, & poſt, Abraham habuit, qui & accedere potuit per exhibitionem præſentiæ. Et recedere per curſum vitæ. Veritas vero ſemper eſſe habet; quia ei quidquam nec priori tempore incipitur, nec ſubſequenti terminatur. Exod. 3.

Hiero. Apud Hieron. epiſt. de Aſſumptione B. Mariæ ad Paulam, & Euſtochium: Dominus ad Iudæos: Antequam Abraham fieret, inquit, ego ſum. Quibus vtique verbis oſtendit, ſe, qui loquebatur, in eo ſemper fuiſſe myſterio vnitatis: Quam vt commendaret: antequam Abraham fieret, inquit, ego ſum. Nam Abraham antequam fieret, humanitatis eſt breuitas. Ego, autem, ſum, æternitas naturæ declaratur. In qua nimirum æternitate iam ſe fuiſſe qui loquebatur, per ſacramentum ſuæ incarnationis inſinuat. Quod Apoſtolus Iudas volens apertius dilucidare: Ieſus, inquit, populum ex Ægypto ſaluans: ſecundo eos, qui non crediderunt, perdidit. Et alibi Paulus: Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt: non quod iam eſſet Ieſus, aut Chriſtus natus ex Maria: ſed quia in illo vnico filio Dei iam vnitas perſonæ commendabatur, quæ occulta erat in myſterio. Quod & alibi euidenter Paulus: Qui elegit nos, inquit, ante mundi conſtitutionem in ipſo: Quia profecto quidquid Deus fecit ab initio, Chriſtus fecit totum per vnitatem ſacramenti. Et ideo iam Ieſus erat in filio, qui populum educebat, & Chriſtus in eo, qui tentabatur. Quoniam ſemper per ſacramenti vnitatem in Deo fuiſſe non dubitatur alioqui niſi ita credideris, aut Chriſtus Deus non erit omnino, aut contra prophetam Deus recens eſſe videbitur.

No. 6.

Not. 16. *verſ.* 57. 58.

Greg. GREGOR. homil. 18. in Euang: Sed ſuſtinere iſta æternitatis verba mentes infidelium non valentes, ad lapides currunt, & quem intelligere non poterant, obruere quærebant. Quid autem contra furorem lapidantium Dominus fecerit, oſtenditur, cum protinus ſubinfertur: Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo. Mirum valde eſt, fratres chariſſimi, cur perſecutores ſuos Dominus ſe abſcondendo declinauerit, qui ſi diuinitatis ſuæ potentiam exercere voluiſſet, tacito nutu mentis, in ſuis eos ictibus ligaret, aut in pœnam ſubitæ mortis obrueret. Sed quia pati venerat, exercere iudicium nolebat. Certe ſub ipſo paſſionis tempore, & quantum poterat oſtendit, & tamen hoc, ad quod venerat, pertulit. Nam cum perſecutoribus ſuis ſe quærentibus diceret: Ego ſum; ſola hac voce eorum ſuperbiam perculit, & omnes in terram ſtrauit. Qui ergo & hoc in loco potuit manus lapidantium non ſe abſcondendo euadere, cur abſcondit ſe, niſi quod homo inter homines factus Redemptor noſter, alia nobis verbo loquitur, alia exemplo? Quid autem nobis hoc exemplo loquitur, niſi vt etiam cum reſiſtere poſſumus, iram ſuperbientium humiliter declinemus? Vnde & per Paulum dicitur: Date locum iræ. Quanta humilitate iram proximi ferre debeat, perpendat homo, ſi furores iraſcentium, abſcondendo ſe, declinauit Deus. Nemo ergo ſe contra acceptas contumelias erigat. Nemo conuitijs conuitium reddat. Imitatione etenim Dei: glorioſius eſt iniuriam tacendo fugere, quam reſpondendo ſuperare. Sed contra hoc ſuperbia dicit in corde: turpe eſt, vt acceptam iniuria taceas. Quiſquis conſpicit quia contumeliam accipis, & taces: non putat quia patientiam exhibes, ſed crimina agnoſcis. Sed vnde vox iſta in corde noſtro contra patientiam naſcitur, niſi quia in imis cogitationem fiximus; & dum in terra gloriam quærimus, placere ei, qui nos de cælo conſpicit, non curamus? Accepta ergo contumelia meditemur in opere vocem Dei: Ego non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, & iudicet. Hoc autem, quod de Domino ſcriptum eſt: abſcondit ſe; intelligi & aliter poteſt. Multa quippe Iudæis prædicabat, ſed prædicationis eius verba deridebant. Deteriores quoque ex prædicatione facti ſunt, qui vſque ad iaciendos lapides peruenerunt. Et quid abſcondendo ſe Dominus ſignificat, niſi quod eis ipſa veritas abſconditur, qui eius verba ſequi contemnunt? Eam quippe, quam non inuenit humilem, veritas fugit mentem. Et quam multi ſunt hodie, qui Iudæorum duritiam deteſtantur, quia prædicationem Domini audire noluerunt, & tamen quales illos arguunt fuiſſe ad fidem, tales ipſi ſunt ad operationem. Præcepta Domini audiunt, miracula cognoſcunt, ſed conuerti à ſuis prauitatibus renuunt. Ecce vocat, & redire nolumus. Ecce ſuſtinet, & eius patientiam diſſimulamus. Dum ergo tempus habemus, fratres, prauitatem ſuam vnuſquiſque deſerat, Dei patientiam pertimeſcat, ne quem nunc tranquillum deſpicit, iratum poſtmodum nequaquam euadere poſſit.

Cur ſe abſcondēdo, perſecutores declinat.

cap. 179.

Morale docu.

Rom. 12.

Euth. Ioann. 8: Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum, veloces ad cædem, exaſperati ſunt enim, putantes iniuria affectum eſſe Abraham: ſimul etiam vbi cognouiſſent, quod Dei æternitatem ſibi vendicaret. Ieſus autem occultatus eſt; per diuinitatis potentiam inuiſibilis eis effectus. Exiuit de templo; vt illorum ſedaret furorem. Pertranſiens per medium illorum; Quum illi eum videre non poſſent. Et quare non diſſoluit illorum virtutem, & manifeſte receſſit? Quia nec ſic credituri erant. Etenim tempore paſſionis, ſupinos illos deiecit, eorumque aſpectus obſcurauit, & non crediderunt. Nam anima reproba nihil eſt peius. Licet enim ſigna videat ac prodigia; ſuam tamen ſemper retinet impudentiam.

Euth. Cur Iudæi Chriſtum lapidare voluerint.

Ieſus quomodo ſe abſcondit.

Elias Cretenſ. ad orationem quartam Nazianz: Ieſus autem occultatus eſt, quum per medios ipſos euaſiſſet. Et occultatus eſt, non ſub parietes currens, neque quidquam aliud ſuo corpori obijciens: ſed per diuinitatis ſuæ potentiam ſeſe oculis quærentium eripiens: id quod Gregorius heic ſignificare voluit, quum ait: Lapidibus petitur, ſed non capitur. Quemadmodum vero lapidibus petitur vt homo, neque tamen capitur; ſic per medios ipſos tranſit vt Deus.

Elias. Quomodo ſe Dominus abſcōdecit.

Theoph. Ioan. 8: At ipſe iterum deliteſcit, ſe humilians, ne ante tempus moriatur. Quomodo autem ſe occultat? non in angulum templi ſe coniecit, neque in domunculam quandam fugit, neque poſt parietem, vel columnam ſe incuruauit; ſed ſua magna poteſtate inuiſibilem ſe fecit inſidiatoribus, quamuis per medium illorum exiret. Et præteriuit ſic, hoc eſt, tranſiuit ſimpliciter ſic, & abſque labore. Vide autem quomodo ipſe quidem omnia, quæ debebat, impleuit. Nam ipſe quidem ſatis eos docuit, & de ſe, & de patre; & monſtrauit eis nobilitatem, & libertatem veram, quæ à peccatis libera eſt; & quod ſola ſeruitus peccati fœda: & in ſumma, nihil eorum, quæ oportebat, reliquit: illi autem lapidabant eum. Ideo relinquit illos: quia non vltra correctionem recipiebant.

Theoph.

Quomodo ſe Chriſtus abſcondit.

CAP. 101. *Oculi eius, qui à natiuitate cæcus fuerat, aperiuntur.*

Matt. | *Mar.* | *Luc.* | *Ioan. 9.*

Fer. 4. poſt Dom. 4. Quadr.

1 [ET † prætericns Ieſus vidit hominem cœcum à nati-
uitate.
2 Et interrogauerunt eum diſcipuli eius: Rabbi, quis pec-
cauit, hic, aut parentes eius, vt cœcus naſceretur?
3 Reſpondit Ieſus: Neque hic peccauit, neque parentes
eius; ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.
4 Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies
eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari.
5 Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.
6 Hæc cùm dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſpu-
to, & liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei: Vade, laua
in natatoria Siloe, quod interpretatur, Miſſus.
7 Abijt ergo, & lauit: & venit videns.
8 Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mendi-
cus erat, dicebant: Nonne hic eſt, qui ſedebat, & mendi-
cabat?
9 Alij dicebant: Quia hic eſt: alij autem: Nequaquam; ſed
ſimilis eſt ei. Ille verò dicebat: Quia ego ſum.
10 Dicebant ergo ei: Quomodo aperti ſunt tibi oculi?
11 Reſpondit: Ille homo, qui dicitur Ieſus, lutum fecit, &
vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, &
laua: & abij, & laui, & video.
12 Et dixerunt ei: Vbi eſt ille? Ait: Neſcio. Adducunt eum
ad Phariſæos, qui cœcus fuerat.
13 Erat autem ſabbatum, quando lutum fecit Ieſus, & ape-
ruit oculos eius.
14 Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi, quomodo vi-
diſſet. Ille autem dixit eis: Lutum mihi poſuit ſuper oculos,
& laui: & video.
15 Dicebant ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo
à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit.
16 Alij autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator
hæc ſigna facere? Et ſchiſma erat inter eos.
17 Dicunt ergo cœco iterum: Tu, quid dicis de illo, qui ape-
ruit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta eſt.
18 Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cœcus fuiſſet,
& vidiſſet: donec vocauerunt parentes eius, qui viderat.
19 Et interrogauerunt eos, dicentes: Hic eſt filius veſter,
quem vos dicitis, quia cœcus natus eſt? quomodo ergo
nunc videt?
20 Reſponderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus, quia
hic eſt filius noſter, & quia cœcus natus eſt.
21 Quomodo autem nunc videat, neſcimus: aut quis eius
aperuit oculos, nos neſcimus: ipſum interrogate, ætatem
habet, ipſe de ſe loquatur.
22 Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos:
Iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur
eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret.
23 Propterea parentes eius dixerunt: Quia ætatem habet,
ipſum interrogate.
24 Vocauerunt ergo rurſum hominem, qui fuerat cœcus, &
dixerunt ei: Da gloriam Deo, nos ſcimus, quia hic homo
peccator eſt.
25 Dixit ergo eis ille: Si peccator eſt, neſcio: vnum ſcio, quia
cœcus cum eſſem, modo video.

Dixerunt

Matt.	Mar.	Luc.	Ioan 9
			26 Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?
			27 Reſpondit eis: Dixi vobis iam, & audiſtis: quid iterum vultis audire? nunquid & vos vultis diſcipuli eius fieri?
			28 Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis: nos autem Moyſi diſcipuli ſumus.
			29 Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autem neſcimus vnde ſit.
			30 Reſpondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile eſt, quia vos neſcitis vnde ſit, & aperuit meos oculos.
			31 Scimus autem, quia peccatores Deus non audit; ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit; hunc exaudit.
			32 A ſeculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.
			33 Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quicquam.
			34 Reſponderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus; & tu doces nos?
			35 Et eiecerunt eum foras.
			36 Audiuit Ieſus, quia eiecerunt eum foras: & cùm inueniſſet eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei?
			37 Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt, Domine, vt credam in eum?
			38 Et dixit ei Ieſus: Et vidiſti eum: & qui loquitur tecum, ipſe eſt.
			39 At ille ait: Credo, Domine: & procidens adorauit eum. ✠
			40 Et dixit Ieſus: In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.
			41 Et audierunt quidam ex Phariſæis, qui cum ipſo erant, & dixerunt ei: Nunquid & nos cæci ſumus?
			42 Dixit eis Ieſus: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis: Quia videmus: peccatum veſtrum manet.]

Not. 1. verſ. 1.

Amb. AMB. epiſt. 75. lib. 9: Præteriens Dominus Ieſus vidit à generatione cæcum. Ergo nec nos præterire debemus quem prætereūdum Dominus non putauit, præſertim cum à generatione cæcus fuerit; quod non ocioſe eſt poſitum. (Cur ait, à natiuitate.) Eſt enim cæcitas, quæ plerumque vi ægritudinis aciem obducit oculorum; eademque temporis ſpatio mitigatur. (Varia cæcitas.) Eſt cæcitas, quæ humorum infuſione generatur. Ea quoque vitio plerumque ſublato, medicinæ arte depellitur: vt cognoſcas, quia quod iſte ſanatur, qui à generatione ſua cæcus eſt, non artis eſt, ſed poteſtatis. Donauit enim Dominus ſanitatem, non medicinam exercuit. Eos enim ſanauit Dominus Ieſus, quos nemo curaret.

Ver. 2. 3. 5:

Amb. Ambr. ep. 75. lib. 9: Quam ſtolidi autem Iudæi, qui interrogant, hic peccauit, an parentes? debilitates corporum referentes ad merita delictorum. Et ideo Dominus ait: Neque hic peccauit, neque parentes eius; ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Quod enim naturæ defuit, creatori competit reformare, qui author naturæ eſt. Vnde addidit: Cum in hoc mundo ſum, lux ſum huius mundi. Hoc eſt, omnes poſſunt videre, quia cæci ſunt, ſi me lumen requirant. Accedite & vos, & illuminamini, vt videre poſſitis.

Cyr. Cyril. lib. 6. in Ioan. cap. 9: Præterea de quodam ab vtero matris cæco Saluatorem diſcipuli interrogarunt, dicentes: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? nam quoniam in propheticis ſcribitur libris, quod peccata parentum filijs Deus retribuit; (Exod. 20.) hac de cauſa cæcum fuiſſe natum hominem illum Apoſtoli arbitrabantur. Quid igitur Chriſtus? Nec iſte (inquit) peccauit, nec parentes eius; ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Quomodo autem non peccaſſe aſſerit eos, qui quum homines fuerint, non erraſſe proculdubio non potuerunt? Manifeſtū igitur atque conſpicuum eſt, quia verba Domini, tempus quod natiuitatem illorum præceſſerat, reſpicit, quo tempore nec fuerunt, nec peccare potuerunt. (Quomodo dicatur nō peccaſſe.) Hoc enim modo veritatis integritas in verbis veritatis, id eſt Chriſti, conſpicietur.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 32. operis imperfecti: Ideo ergo natura rerum conuertitur contra naturam ſuam interdum, vt ſemper Deus naturarum opifex in memoriam reducatur, & ſemper neceſſarius

ceſſarius ſit factor ſuæ naturæ: & non ſolum ſemel, ſed quotidie opera ſua facere videatur. Propterea in Euangelio de cæco, qui ſic natus fuerat, Dominus dicit: Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei. Non ſolum ſimpliciter intelligendum eſt, ſicut multi putant, vt cæco ſanato Dei potentia cognoſcatur, id eſt, operans Deus; alioqui omnibus infirmitatibus ſanatis, Dei potentia cognoſcitur; ſed ideo in illius perſona hoc dicit, quia contra regulam naturæ ſine oculis erat creatus, vt in tranſuerſione naturæ opus Dei intelligatur dum emendatur natura.

Chryſoſt. Quomodo dicatur nō peccaſſe.

Et hom. 55. in Ioannem: Neque hic peccauit, neque parentes eius. Hoc non abſoluit eos à peccato. Non enim ſimpliciter dixit: Neque hic peccauit, neque parentes eius; ſed addidit: Vt cæcus naſceretur. Peccauit namque hic, & parentes eius; ſed non propterea cæcus eſt. Hæc autem dixit, non quod hic propterea cæcus non eſſet, alij autem nonnulli propter has cauſas, propter parentum peccata, viſum amiſerint. Neque enim eſt peccante alio, alium puniri: nam ſi hoc conceſſerimus, concedemus & ante natiuitatem peccaſſe. Vt ergo dicendo: Neque hic peccauit; non intelligit à natiuitate peccare quempiam, & puniri: ita dicendo, neque parentes eius; non eſt intelligendum, quod propter

Ezech. 18.

parentes aliqui puniēdi ſint filij. Nam Ezechielis teſtimonio hanc tollit dubitationem; Viuo ego, dicit Dominus, ſi erit parabola hæc, qua dicitur: Patres comederunt vuam acerbam, & dētes filiorum obſtupeſcunt. Et Moyſes inquit:

Deut. 24.
Exod. 20.

Non morietur pater pro filio. Et de quodam Rege, inquit, quod propterea id non fecit, ſeruans legem Moyſi: quod ſi quis diceret, & quomodo ſcribitur: Qui reddit peccata parentum in filios, in tertiam, & quartam generationem? Illud reſpōdebimus, non eſſe communem omnibus ſententiam, ſed in quoſdam, qui ex Ægypto egreſſi ſunt, hoc eſt, ex quo ex Ægypto egreſſi, poſt ſigna, & miracula parentum, peiores facti ſunt illis, qui nihil tale viderāt, eadem quæ patres ſui patientur, cum eadem audiant. Et quod de his ſermo habeatur, ſi quis diligentius leget, certo intelliget. Qua ergo gratia cæcus natus eſt? Vt manifeſtetur gloria Dei. Occurrit alia dubitatio; an non aliter poterat gloria Dei manifeſtari? Quidni? neque enim dicit non potuiſſe; ſed & in hoc vt manifeſtaretur. Ergo iniuriam propter Dei gloriam accepit? Quam iniuriam dic quæſo, etiam ſi eum omnino non produxiſſet, ac formaſſet? Ego vero etiam ex cæcitate beneficium accepiſſe dico. Vidit enim interioribus oculis. Quid oculi Iudæis contulerunt? Maius ſupplicium; cum videndo cæci eſſent. Quid cæcitas huic obfuit, propter quam vidit? Itaque vt mala huius vitæ, mala non ſunt; ita neque bona; ſed peccatum duntaxat malum. Cæcitas autem non eſt malum. Qui vero quod non erat, vt eſſet, effecit; poterat & ſic dimittere. Quidam dicunt hanc particulam, vt, non eſſe cauſalem, ſed euentus; vt illud: In iudicium veni in hunc mundum; vt non videntes,

Quomodo peccata parentum viſitentur in filiis.

Vt ſignificat aliquando cauſam, aliquando euentum.

videant: & qui vident, cæci fiant. Non enim venit, vt videntes fierent cæci. Et Paulus: Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis; vt ſint inexcuſabiles. At non propterea manifeſtauit, vt priuarentur; ſed vt conſequerentur excuſationem. Et alibi: Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum. Verum non propterea ſubintrauit; ſed vt prohiberetur peccatum. Ecce his in locis euentus aduerbium, tanquam enim optimus quidam domus diſpenſator, partim perfecit, partim imperfectū reliquit; vt per hæc de vniuerſo incredulis rationem redderet. Ita & Deus tanquam domum quandam ruinam minantem, corpus noſtrum conglutinat, & perficit; manum aridam ſanat, diſſoluta membra corroborat, claudos dirigit, leproſos mundat, ægrotos excitat, debilia crura confirmat, mortuos ad vitam reuocat, lippos oculos purificat, non habentibus largitur: quæ omnia cum naturalis ſint imbecillitatis, meliora Chriſtus efficiens, ſuam indicat poteſtatem. Hanc autē particulam; vt manifeſtetur gloria Dei, de ſe, non de patre dicit. Patris enim gloria manifeſta erat. Nam cum ex limo formatum à Deo hominem audiſſent, ideo Chriſtus nunc ad eum modum oculum finxit. Si enim dixiſſet: Ego ſum, qui ex terra formaui hominem; arduum viſum eſſet auditoribus; re autem oſtenſum iam negari non poterat. Quamobrem ipſe in ſputo, & puluere commixto abſconditam gloriam manifeſtauit: neque enim paruum erat, vt creaturę opifex putaretur. Ab hoc enim & alia aggreſſus eſt, & à parte totum eſt creditum. Maioris namq; fides, minus etiam confirmat. Vniuerſæ enim creaturæ homo eſt præſtantiſſimus, & inter membra noſtra oculus: propterea non ſimpliciter, ſed hoc modo oculos effinxit. Nam licet portione paruus ſit, maxime tamen neceſſarius, vt inquit Apoſtolus Paulus: Et ſi dixerit auris, non ſum oculus, non ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore? Quæcunque enim in nobis ſunt, diuinæ ſunt ſapientiæ indicium: multo magis oculus, qui totum corpus gubernat, ac regit. Oculus ornat non os tantum, ſed totum corpus. Oculus lucerna eſt omnium membrorum. Quod enim ſol mundo, hoc oculus corpori. Extincto ſole, omnia perduntur, & perturbantur: ita amiſſis oculis, pedes inutiles ſunt, & manus, & animus. Corrumpitur enim cognitio, his enim Deum cognouimus. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea, quæ ſunt intellecta conſpiciūtur. Non enim corporis lucerna tantum oculus eſt, ſed animę potius. Quare vt regio quodam loco, in altiore corporis parte ſedem ſortitus eſt, & cæteris præfertur ſenſibus. Hunc igitur formauit Chriſtus, & ne materia eum nunc, neque in principio luto indigniſſe arbitrareris: qui enim maiora, cum nihil eſſent, ſine materia effecit, longe magis, & hæc effeciſſet. Vt ergo intelligas non neceſſitatis cauſa hoc feciſſe; ſed eſſe eorum, quæ in principio facta ſunt, opificem; illito luto inquit: Vade, & lauare. Vt intelligas nihil mihi luto opus eſſe ad fingendos oculos, ſed vt manifeſtetur in eo gloria mea.

Quod

Rom. 1.
Rom. 5.
De ſe Chriſtus hic loquitur, & Deum vocat.
1 Cor. 12.
Rom. 1.

Quod autem de ſe dixerit, vt manifeſtetur gloria Dei, addidit, me oportet facere opera eius
Ver. 4. qui miſit me. Hoc eſt, manifeſtare meipſum, & facere eadem, quæ pater: non ſimilia; ſed eadem: quod maioris eſt conuenientiæ, neque de his etiam, quæ vel minimum differunt, dici poteſt. Quis ergo contradixerit, cum eadem, quæ pater, operatus ſit? Neque enim tantum finxit oculum, aut aperuit, ſed viſum largitus eſt: quod ſane argumentum eſt etiam animam inſpirandi, qua non operante, oculus etiam perfectus minime videre poteſt. Quare & animæ vigorem, & membrum arterijs, neruis, venis, ſanguine, & cæteris omnibus, ex quibus corpus noſtrum conſtat, perfectum, largitus eſt. *Viſum largitus eſt.*

Iſidor. De cæco nato. Iſidor. lib. 2. epiſt. 272: Apoſtoli vtpote Sapientiæ diſcipuli, ac veritatis amantes, Saluatorem defixos in cæcum oculos habentem, ac propemodum eos ad interrogandum prouocantem conſpicientes, duo peruulgata dogmata, & de quibus magnæ apud homines quæſtiones excitantur, ipſi proponunt. Quoniam enim Græci animam peccaſſe, ac propterea luendarum pœnarum cauſa in corporis demiſſam eſſe tradiderunt; ac rurſum Iudæi maiorum peccata ad nepotes tranſire exiſtimabant, quod videlicet ſcriptum ſit, peccata patrum in filios vſque ad tertiam & quartam generationem, idcirco ad eum, vt omnia, priuſquam oriantur, noſcentem, hæc verba habuerunt: Quis peccauit? hic, (vt gentiles aiunt) an parentes eius, (vt Iudæi aſtruunt) vt cæcus naſceretur? veritas autem non obliquum, & ſinuoſum, nec ænigmatum inuolucris plenum reſponſum dedit; verùm rectum, ac quauis perſpicuitate dilucidius, & ſplendidius: Vtrumque enim his verbis euertit: neque hic peccauit; (quonam enim pacto priuſquam in ortum prodijſſet?) nec parentes eius, in hoc videlicet, vt cæcus naſceretur. Ad interrogationem enim reſpondit. Veriſimile namque eſt eos peccaſſe, imo planè peccauerunt: at non propterea ipſi calamitatis cauſam præbuerunt. Quid igitur affertur, quamobrem cæcus natus ſit? nimirum vt manifeſtentur opera Dei in illo. Hoc eſt, claudicare permiſſa eſt natura, vt artificis gloria prædicetur.

Iren. Iren. lib. 5. cap. 15: Interrogantibus eum diſcipulis, qua ex cauſa cæcus natus eſſet; vtrumne ſua, an parentum culpa? ait: Nec hic peccauit, neque parentes eius; ſed vt manifeſtentur opera Dei in ipſo. Opera autem Dei plaſmatio eſt hominis. Hāc enim operationē fecit, quemadmodum ſcriptura ait: Et ſumpſit Dominus limum de terra, & plaſmauit hominem: quapropter Dominus expuit in terram, & fecit lutum, & ſuperliniuit illud oculis; oſtendens antiquam plaſmationem, quemadmodum facta eſt, & manum Dei oſtendens his, qui intelligere poſſunt, per quam è limo plaſmatus eſt homo. Quod enim in veteri plaſmate prætermiſit artifex, verbum hoc manifeſte adimpleuit vti manifeſtarentur opera Dei in ipſo, nec tam alteram requireremus manum, per quam plaſmatus eſt homo, neque alterum patrem: ſcientes quoniam quæ plaſmauit nos initio, & plaſmat in ventre manus Dei, hæc in nouiſſimis temporibus perditos exquiſiuit nos, ſuam lucrifaciens, & ſuper humeros aſſumens ouem perditam, & cum gratulatione in cohortem reſtituens vitæ. Qui autem in ventre plaſmat nos verbum Dei, ait Hieremiæ: Priuſquam plaſmarem te in vtero, noui te, & priuſquam progredereris de vulua, ſanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te. Sed & Paulus ſimiliter ait: Quando autem complacuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, vt euangelizarem eum in gentibus. Cum ergo in ventre à verbo plaſmemur, idipſum verbum ei, qui à natiuitate cæcus fuerat, formauit viſionem: eum qui in abſcōdito plaſmator noſter eſt manifeſte oſtendens, quoniam ipſum verbum manifeſtum hominibus factum fuerat, & antequam plaſmationem Adæ diſſerens, & quomodo factus eſt, & per quam plaſmatus eſt manum, ex parte totum oſtendens. Qui enim viſionem formauit Dominus, hic eſt qui vniuerſum hominem plaſmauit, voluntati patris deſeruiens. *Opera Dei.* *Gen. 2.* *Iob 10. f.* *Hier. 1.* *Gal. 1.*

Tho. Thom. 1. 2. quæſt. 87. art. 7. ad 1: Huiuſmodi defectus eorum, qui naſcuntur, vel etiam puerorum ſunt effectus, & pœnæ originalis peccati, & manent etiam poſt baptiſmum; & quod non ſint æqualiter in omnibus, contingit propter naturæ diuerſitatem, quæ ſibi relinquitur. Ordinantur tamen huiuſmodi defectus, ſecundum diuinam prouidentiam, ad ſalutem hominum, vel eorum, qui patiuntur, vel aliorum, qui pœnis admonentur; & etiam ad gloriam Dei.

Bed. Bed. Ioa. 9: Habebant quidem illi peccatum; ſed non ipſo peccato factum eſt, vt cæcus naſceretur. Quare ergo cæcus natus eſt? vt manifeſtetur, quid à me ſit agēdum, non ſolum in hoc cæco; ſed etiam in cæcitate totius humani generis.

Not. 2. ver. 4.

Chryſoſt. CHRYSOST. hom. 55. in Ioan: Me oportet operari, dum dies eſt. Quid hoc ſignificat? quam habet conſequentiam? ſane magnam. Tale enim eſt quod ait, donec dies eſt, dùm licet hominibus in me credere, dum hæc durat vita, laborandum eſt. Venit nox, hoc eſt, futurum tempus. Quando nemo poteſt operari. Non dixit, quando non potero operari; ſed nemo poteſt operari, id eſt, quando non eſt amplius fides, neque labores, neque pœnitentia. Quod enim opus fidem appellet, dicunt ei: Quid faciemus vt operemur opēra Dei? Reſpondet, hoc eſt, opus Dei; vt credatis in eum, quem ille miſit. Quomodo ergo hoc opus nemo poteſt tunc operari? quoniam fides non eſt; ſed velint, nolint, omnes acquieſcent veritati. Verum ne quis ad ambitionem hæc referret, eorum gratia omnia facere profitetur, qui in hac tantum vita habent credendi poteſtatem, & non amplius ibi quicquam ſibi poſſunt proficere. Ideo neque accedentem ad ſe cæcum curauit. Nam quod curari mereretur, & ſi vidiſſet, credidiſſet, & procuraſſet *Donec dies eſt.* *Opus Dei eſt fides.* *Cæci fides.*

riſſet ad Ieſum: Neque ſi præſentem à quoquam audiſſet, accedere neglexiſſet, ex ſequentibus conſtat, ex eius videlicet fortitudine, & fide. Poterat enim ſecum cogitare, & dicere, quid hoc? lutum fecit, & liniuit oculos meos, & dixit: Vade, lauare; non potuit me prius curare, & inde ad Siloam mittere? Sæpenumero illic me laui, & multi mecum, & nihil profeci. Si quid poſſet, coram oſtendiſſet. Quemadmodum & 4 Reg. 5 Naaman aduerſus Heliſæum dicebat: Iuſſus enim lauare ſe in Iordane, non credidit, cum magna eſſet tunc Heliſæi opinio. Chriſtus autem non diffidit verbis Ieſu, neque contradixit, neque quicquam cogitauit huiuſmodi. Quid lutum illinire oportuit? Hoc potius cæcum redderet: Quis vnquam hoc pacto curatus eſt? Nihil tale reputauit. Ecce fides firma, & prompta. Venit nox, quod indicat poſt crucem, impios ſibi curæ futuros, & multos alliciendos. Adhuc dies eſt, poſt quem penitus eos abſcindit, vt ſtatim ſignificauit.

Cyr. Cyril. dialog. lib. 6: Ad hanc conſuetudinem Chriſti veniamus; tale autem quiddam facere, apud ſanctos potiſſimum Apoſtolos, ſolebat, ſi interrogarent quid, quod maiorem opinionem doctrinæ præ ſe ferebat, abſque ſcrutatione vlteriore faciebat narrationem, & diligenter vrgebat, vt quam ſubtiliſſime tentaretur. Quod ſi quid ſcire volebant, quod ſupra captum eorum, comprimebat quiete, & ſuadebat eis diligentiſſime, vt vellent inquirere decentiora, & facerent ea, per quæ fierent clari, & apud Deum ex operibus bonis, decentiſſimam haberent claritatem. Volentes igitur, neſcio quo pacto, ea, quæ ſupra menſuram propriam petere, vt quieti ſint, perſuadens, rationibuſque neceſſarijs placans, quod neque Angelis, inquit, reuelauit pater, neque ipſi filio fecit notum, ſiquidem eſſet purus, & ſicut ipſi homo ſuper terram, nec natura eſſet Deus. Vrgentibus ergo, & inſtantibus vt cognoſcant, quodammodo adhuc etiam increpat dicens: Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ poſuit pater in poteſtate ſua; ſed accipietis virtutem Spiritus ſancti venientis ſuper vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & in Samaria, & vſque ad extremum terræ. Vides quomodo minime quidem curioſe inquirere permittit, quæ ſupra illos ſunt; affert autem quaſi quod in manibus & decentius. Nam is erat ei mos. Vnde & cæcum à natiuitate adducebant aliquando, exeuntem ex ſacerdotum veſtibulis, diuini diſcipuli. Deinde arbitrabantur adhuc ſectari Iudaica, argumentum faciebant doctrinæ infirmum, dicebantque: Quis peccauit, hic, an parentes eius, vt cæcus naſceretur? Quoniam autem diuina iudicia attingebant, & quod ſic inueſtigabile, incomprehenſibileque hominibus, declarari ſibi volebant, & vltra quam decebat, ibant, prædicando iterum eos cohibuit in hoc, ne velint ſapere curioſa, & quæ ſuper hominis ſcientiam, amouebat, & amorem bonorum operum habere, bonorumque ſtudiorum hortabatur, dicens: Neque hic peccauit, neque

Vt Dominus curioſa quærentibus reſpondeat.

Act. 1.

Cæcus vnde exibat.

Apoſtolorum quæſtio curioſa erat.

parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius, qui miſit me, dum dies eſt, venit nox, quando nullus operari poterit. Audis quo pacto auferendo opinionem quaſi indecoram, & Iudaicæ ruditati congruentius vult, oportere benefacere magis quam velle ſcire ea quæ ſuper homines ſunt, diuinæque naturæ tribuit, ſcire natura, & per ſe, quod implere velit.

Greg. in pſal. 4. Penitent: Quæ ſunt hæc patris opera, quæ in die dicit, & non nocte operanda, niſi ſalutifera agri intellectualis cultura? Greg. Opera Dei quæ ſint.

Not. 3. ver. 4. 5.

CHRYSOST. hom. 55. in Ioan: Quamdiu in mundo ſum, lux ſum mundi. Quod & alio in loco dixit, credite donec lux vobiſcum eſt. Cur ergo Paulus noctem præſentem vitam appellauit, Chriſtus diem? idem dicit, non verbis, ſed ſententia: inquit enim, nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Noctem, præſentem vitam appellat, quoniam in tenebris verſamur, vel propter eius ad diem illam comparationem. Chriſtus autem noctem futurum tempus appellat, quoniam peccatores nihil operari poterunt. Nox à Paulo præſens vita appellatur, quia in tenebris ſunt, qui in peccatis, & incredulitate degunt. Quamobrem fideles alloquens ait: Nox præceſſit, dies autem appropinquauit, ac ſi luce illa eſſent fruituri, & noctem, veterem vitam intellexit. Abijciamus, inquit, opera tenebrarum. Ecce quod illis noctem eſſe dixit: quare perſequitur; vt in die honeſte ambulemus, vt lucem illam conſequamur. Nam ſi huius ſæculi lux tam pulchra eſt, conſidera qualis illa futura ſit: quanto enim ſolaris lux lucernæ lumen excedit, tanto, imo longe magis illa ſolarem, quod inde ſignificauit: Sol obſcurabitur, ad illius videlicet ſplendoris comparationem, vt non appareat. Quod ſi in hac vita vt ſplendidas nobis domos, & ſalubres comparemus, magnam pecuniarum vim ædificando anxij conſumimus: conſidera qui nobis ſubeundi ſint labores, vt clariſſimam nobis in cælis domum ædificemus, vbi lux illa ineffabilis. Hic enim & pugnæ, & contentiones de terminis, & parietibus; illic minime, nulla inuidia, nullus liuor, nulla de limitibus contentio: & hæc, ſine dubio, relinquenda, illa perpetuo permanſura eſt: hæc tempore conſumitur, & multis ſubiecta eſt periculis, illa perpetuo manet: hanc pauper ſibi comparare non poteſt, illam duobus poteſt obolis quiuis emere: vt vidua illa. Quamobrem quam iam moleſtiſſime fero, quod tot nobis bonis propoſitis deſidemus, animo deſicimus.

Chryſoſt.

Rom. 13.

Dies. Nox.

Nox cur hæc vita dicatur.

Nox cur tempus futurum dicatur.

Ver. 6.

Iren. Ire. lib. 5. aduerſus hæreſ. cap. 15: Et quoniam in illa plaſmatione, quæ ſecundum hominem eſt, in tranſgreſſione factus eſt homo, indigebat lauacro regenerationis, poſtquam liniuit lutum,

lutum ſuper oculos eius, dixit ei: Vade in Siloam,& lauare; ſimul & plaſmationem, & eam, quæ eſt per lauacrum regenerationem reſtituens ei. Et propter hoc lotus venit videns, vt & ſuum cognoſceret plaſmatorem, & diſceret homo eum,qui donauit ei vitam. Excidunt itaque & hi, qui à Valentino ſunt, dicentes, non ex hac terra plaſmatum eſſe hominem, ſed à fluida materia, & effuſa. Ex qua enim terra Deus ei formauit oculos, ex hac manifeſtum eſt quoniam & ab initio plaſmatus eſt homo. Non enim conſequens erat, aliunde quidem oculos, aliunde autem reliquum corpus plaſmatum eſſe: quemadmodum nec conſequens eſt, alterum quidem corpus, alterum vero plaſmaſſe oculos. Sed idem ipſe, qui ab initio plaſmauit Adam, cum quo & loquebatur Pater:Faciamus hominem ſecundum imaginem,& ſimilitudinem noſtram, in nouiſſimis temporibus ſemetipſum manifeſtans hominibus, ei, qui ab Adam cæcus fuerat,formauit viſionem.

Ver. 4. 6. 7.

Amb. Ambroſ. epiſt. 75. lib. 9: Quid ſibi vult,quod is,qui vitam refundebat imperio, ſalutem præcepto dabat,dicens mortuo: Exi foras; & egreſſus eſt Lazarus de ſepulchro; dicens Paralytico: Surge,tolle grabatum tuum, & ſurrexit Paralyticus; & cœpit grabatum ipſe portare,in quo,ſolutus membris omnibus, portabatur? Quid,inquam,ſibi vult,quod expuit, & fecit lutum,& ſuperunxit oculos cæci,& dixit ei: Vade,& laua in Siloa, quod interpretatur Miſſus; & abijt, & lauit,& videre cœpit? Quæ iſta ratio eſt? Magna, ni fallor. Plus enim videt,quem Ieſus tangit,ſimul & diuinitatem,& ſanctificationem eius aduerte. Quaſi lux, tetigit,& lumen infudit.Quaſi ſacerdos, per figuram baptiſmatis myſteria gratiæ ſpiritualis impleuit. Expuit, vt aduerteres quia interiora Chriſti lumen ſunt. Et vere videt,qui Chriſti mundatur internis; lauat ſaliua eius; lauat ſermo eius; ſicut habes; iam vos mundi eſtis, propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Quod autem lutum fecit, & ſuperunxit oculos cæci, quid aliud ſignificat, niſi vt intelligeres, quia ipſe hominem luto illito reddidit ſanitati, qui de luto hominem figurauit, & quod hæc caro luti noſtri, per baptiſmatis ſacramenta æternæ vitæ lumen accipiat? Accede & tu ad Siloam, hoc eſt, ad eum qui miſſus eſt à patre, ſicut habes: Mea doctrina non eſt mea,ſed eius,qui me miſit. Diluat te Chriſtus, vt videas. Veni ad baptiſmum, tempus ipſum adeſt: veni feſtinus, vt & tu dicas: Abij, & laui, & videre cœpi; vt & tu dicas: Cæcus eram, & videre cœpi; vt & tu dicas,ſicut iſte,refuſo lumine,ait: Nox præceſſit,dies appropinquauit.Nox erat cæcitas. Nox erat,cum Iudas accepit buccellam à Ieſu, & tunc introiuit in eum ſathanas,Iudæ nox erat,in quo diabolus erat. Ioanni dies erat, qui in Chriſti pectore recumbebat, Petro quoque dies erat, cum lumen Chriſti videret in monte. Nox erat alijs, ſed Petro dies erat. At vero ipſi Petro nox erat,quando Chriſtum negabat. Denique gallus cantauit, & flere cœpit, vt emendaret errorem. Iam enim dies appropinquabat. Et lib. 3. de Sacramentis cap. 2. Solus Ioannes quid ait? Tulit lutum, & liniuit ſuper oculos eius,& dixit ei: Vade, laua in Siloam, & exurgens iuit, & lauit,& venit videns. Conſidera & tu oculis cordis tui. Videbas quæ corporalia ſunt corporalibus oculis. Sed quæ ſacramentorum ſunt, cordis oculis adhuc videre non poteras. Ergo quando dediſti nomen tuum, tulit lutum, & liniuit ſuper oculos tuos. Quod ſignificat vt peccatum tuum fatereris, vt conſcientiam tuam recognoſceres, vt pænitentiam ageres delictorum,hoc eſt,ſortem humanæ generationis agnoſceres. Nam etiam ſi non confiteatur peccatum, qui venit ad baptiſmum,tamen hoc ipſo implet confeſſionem omnium peccatorum, quod baptizari petit, vt iuſtificetur,hoc eſt,vt à culpa ad gratiam tranſeat. Nolite ocioſum putare. Sunt quidem, ſcio certè aliquem fuiſſe, qui diceret cum illi diceremus: In hac ætate magis baptizari debes. Dicebat ille: Quare baptizer? peccatum non habeo. Nunquid peccatum contraxi? Hic lutum non habuit quod ei Chriſtus non lauerat, hoc eſt, non ei aperuerat oculos. Nullus enim homo ſine peccato. Ergo agnoſcit ſe hominem, qui confugit ad baptiſmum Chriſti. Itaque & tibi impoſuit lutum,hoc eſt,verecundiam,prudentiam, conſiderationem fragilitatis tuæ, & dixit tibi:Vade in Siloam.Quid eſt Siloas? quod interpretatur, inquit, miſſus. Hoc eſt, vade ad illum fontem, in quo crux Domini prædicatur. Vade ad illum fontem, in quo omnium Chriſtus redemit errores. Iſti, lauiſti, veniſti ad altare, videre cœpiſti, quæ ante non videras. Hoc eſt,per fontem Domini,& prædicationem Dominicæ paſſionis, tunc aperti ſunt oculi tui, qui ante corde videbaris eſſe cæcatus, cœpiſti lumen ſacramentorum videre.

Amb. Solus Ioannes de hoc cæco agit.

Hieron. Eſaiæ 8: Legimus in Euangelio ſecundum Ioannem, quod cæcum à natiuitate, cuius oculos, luto ex ſaliua ſua facto,Dominus lauerat, miſerit ad aquas Siloë,quibus cum cæcus lauiſſet lutum, cæcitate deterſa, clarum oculorum lumen accepit, quod poſt ſigni magnitudinem indicat non aliter cæcitatem Iudæorum, & omnis increduli poſſe ſanari; niſi doctrina aquarum Chriſti, quæ abſque ſtrepitu, & clamore verborum leniter fluit, tenebræ prioris fugentur erroris. Hier.

Et Zachariæ 3: In eo, qui à natiuitate cæcus fuit,oculos reſtituros ſuper populo gentium interpretantur. Hier.

Aug. ſerm. 104.de temp: Cæcum à natiuitate lumine oculorum illuminauit viſibili opere,vt inuiſibili illa virtute cæcitatem Iudæorum cognitionis ſuæ lumine illuſtraret. Aug.

Et tractatu 44. in Ioannem: Si quid ſignificet hoc quod factum eſt cogitemus genus humanum eſt ille cæcus. Hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus,nó ſolum mortis, ſed etiam iniquitatis, Si enim cæcitas eſt infidelitas, & illu- Aug.

illuminatio fides, quem fidelem quando venit Chriſtus inuenit? quandoquidem Apoſtolus natus in gente Prophetarum dicit: Fuimus & nos aliquando natura filij iræ, ſicut & cæteri: ſi filij iræ, filij vindictæ, filij pœnæ, filij gehennæ. Quomodo natura, niſi quia peccante primo homine vitium pro natura inoleuit? ſi vitium pro natura inoleuit, ſecundum mentem omnis homo cæcus natus eſt. Si enim videt, non opus habet ductore. Si opus habet ductore & illuminatore: cęcus ergo eſt à natiuitate. (Venit Dominus. Quid fecit? magnum myſterium commendauit. Expuit in terram, de ſaliua ſua lutum fecit. Quia verbum caro factum eſt, & inunxit oculos cæci, inunctus erat, & nondum videbat. Miſit illum ad Piſcinam, quæ vocatur Siloe. Pertinuit autem ad Euangeliſtam commendare nobis nomen huius piſcinæ, & ait, quod interpretatur miſſus. Iam qui ſit miſſus agnoſcitis niſi enim ille fuiſſet miſſus, nemo noſtrum eſſet ab iniquitate dimiſſus. Lauit ergo oculos in ea piſcina, quæ interpretatur miſſus. Baptizatus eſt in Chriſto. Si ergo quando eum in ſemetipſo quodammodo baptizauit, tunc illuminauit: Quando inunxit, fortaſſe catechumenum fecit. Poteſt quidem aliter atque aliter tanto Sacramenti exponi profunditas, & pertractari, ſed hoc ſufficiat charitati veſtræ.

Epheſ. 2.

Cęci ablutionem in Siloa, ſacrum adumbraſſe baptiſma ſentiunt Patres Nyſ. lib. de Baptiſmo. Iren. Tertull. libro de Baptiſmo. Ambr. Aug. & alij.

Auſt. Nyſſ. Iren. Tert. Amb. Aug.

Not. 4. ver 21.

Hier. HIERON. epiſt. ad Lætam de iuſtitutione filiæ: Et quomodo, inquies, peccata patrum filijs non redduntur, nec filiorum parentibus, ſed anima quæ peccauerit, ipſa morietur? hoc de his dicitur, qui poſſunt ſapere; de quibus in Euangelio ſcriptum eſt: Ætatem habet, loquatur pro ſe.

Ver. 24.

Greg. Greg. cap. 2. lib. 2. expoſitionis in primum librum Regum: An non tunc puer ſacerdotis crudam carnem petijt, cum illuminato à Domino eo, qui cæcus fuerat natus, diceretur? Da gloriam Deo, nos ſcimus quia hic homo peccator eſt. Quid eſt dicere, da gloriam Deo, niſi non huic curationis tuæ laudes tribuas; quia Deus non eſt. Et quia peccator aſſeritur, non ſolum Deus eſſe negatur; ſed etiam homo iuſtus. Cui profecto crudam, quam petebat, carnem præbere noluit, coctam obtulit: quia quem ſalutis ſuæ authorem inſtanter aſſeruit, ex oſtenſo tantæ admirationis ſigno, non ſolum hominem ſanctum, ſed verum Deum eſſe monſtrauit.

Ver. 26.28.

Amb. Ambroſ. epiſt. 75. libri noni: Interrogabant Iudæi cæcum, quomodo vidiſti? Grandis amentia. Interrogabant quod videbant: Interrogabant cauſam, cum factum viderent. Et maledixerunt ei dicentes: Tu ſis diſcipulus eius. Maledictio eorum benedictio eſt, quia benedictio illorum maledictio eſt. Tu ſis, inquiunt, diſcipulus eius. Tunc proſunt, quando nocere ſe credunt.

Ver. 31.

Aug.tractatu 44. in Ioannem: Scimus autem quia peccatores Deus non exaudit, &c. adhuc inunctus loquitur. Nam & peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, fruſtra ille publicanus oculos in terram demittens, & pectus ſuum percutiens diceret: Deus propitius eſto mihi peccatori. Et iſta confeſſio meruit iuſtificationem, quomodo iſte cæcus illuminationem. Et lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap.8: Quod ſcriptum eſt in Euangelio: Deus peccatores non audit; ſed ſi quis Deum colit, & voluntatem eius fecerit, ipſum exaudit: non à Domino dictum eſt, ſed ab illo, qui oculos corporis iam quidem reſtitutos habebat, ſed ei oculi cordis nondum patebant, vnde ipſum Dominum adhuc prophetam putabat. Nam eum poſtea cognitum Dei filium adorauit. Ipſe autem Dominus, cum in vno templo orarent Phariſæus, & Publicanus, Publicanum confitentem peccata ſua magis iuſtificatum dicit, quam Phariſæum iactantem merita ſua. Idem habet homil. 43.

Aug. Luc. 18. Aug. Aug.

Not. 5. ver. 38.

TERTVL. lib. aduerſus Traxæam cap. 22: Super cæcum illum Patris opera dicit ſe facere oportere. Cui poſt reſtitutionem luminum: Tu, inquit, credis in filium Dei? & interroganti quis eſſet iſte, ipſe ſe demonſtrans, vtique filium demonſtrauit, quem credendum eſſe dixerat. Tert.

Ver. 39.

Cyrillus lib. de recta fide ad Theodoſium: Diſcat autem quis: & aliter ipſum per fidem non excludi, ſed abſque omni diſtinctione, & differentia recipi illam, quaſi in propria perſona, quamuis ſit factus homo, nam vt cæcum à natiuitate ſanauit, & inſolitum ei, ac dulce lumẽ implantauit, merito eum omnes admirabantur. Sed ille, qui à morbo liberatus, à Iudæis iudicabatur, & confitebatur medicum. Chriſtus autem illum inueniens dicebat: Tu credis in filium Dei? illo vero clamante: Quis eſt Domine, vt credam in illum? Reſpondit ei dicens: Et vidiſti eum, & qui loquitur tibi, ille eſt: At ille dixit: Credo Domine, & adorauit eum. Quamuis quomodo non omnibus manifeſtum, quod diuina & ſumma natura omnino inuiſibilis? Deum enim nemo vidit vnquam, ſicut ſcriptum eſt. Igitur ſiquidem ſic diuiſeris ab eo humanitatem, quod iſtuc ipſum verbum prodiens ex Deo Patre nudum & ſolum vis credi, cur non potius natura diuina exiſtimabitur eſſe ea, quæ iuſſerit illum bene habere? Oſtendit autem corporaliter, vt & oculis præſens videretur. Dicebat enim, & vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ille

Cyr. Ioa. 1.

ille eſt. An non carnem monſtraſſe dicemus? Et quomodo poſtea ipſe caro eſſet, niſi intelligatur ſecundum vnionem, quod exiſtat propria eius: quemadmodum ſcilicet in nobis fieret, ſi oſtenderet quis, non diuiſum neque imperfectè hominem nobis ſimilem ex anima, & corpore, & iam ſola carne oſtenſa.

Ver. 40.

Hier. Hieron. in cap.6. Eſaiæ: Non eſt credulitas Dei, ſed miſericordia vnam perire gentem vt omnes ſaluæ fiant: Iudæorum partem non videre, vt omnis mundus lumen accipiat. Vnde & ipſe Dominus in Euangelio Sacramentum cæci à natiuitate, qui receperat oculos, vertit ad Tropologiam, & dicit: In iudicium ego veni in hunc mundum, vt videntes non videant, & non videntes videant.

Ver. 40. 42.

Aug. Aug. tractatu 44. in Ioannem: Cum ſit cæcitas ipſa peccatum, ſi cæci eſſetis, id eſt, ſi vos cæcos aduerteretis, ſi vos cæcos diceretis, & ad medicum curreretis; ſi ergo ita cæci eſſetis, non haberetis peccatum, quia veni ego auferre peccatum. Nunc vero dicitis, quia videmus, peccatum veſtrum manet. Quare? Quia dicendo, videmus, medicum non quæritis, in cæcitate veſtra remanetis. Hoc eſt ergo quod paulo ante non intellexeramus, quod ait: Ego veni, vt qui non vident, videant. Quid eſt, vt qui non vident videant? Qui ſe non videre confitentur, & medicum quærunt, vt videant: & qui vident, cæci fiant. Quid eſt, qui vident, cæci fiant? qui ſe putant videre, & medicum non quærunt, in ſua cæcitate permaneant. Ergo iſtam diſcretionem vocauit iudicium, cum ait: In iudicium veni in hunc mundum, quo diſcernit cauſam credentium, & confitentium à ſuperbis ſe videre putantibus, & ideo grauius excæcatis, tanquam dixerit ei, peccator confitens, & medicum quærens: Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta. Illorum ſcilicet, qui dicunt, videmus, & eorum peccatum manet. Non autem iam illud iudicium iam intulit mundo, quo de viuis, & mortuis in fine ſæculi iudicabit. Secundum hoc enim dixerat: Ego non iudico quenquam, quoniam prius venit non vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Et tractatu 53: Vt impleretur quod dixerat ipſe Dominus. Ego veni, vt non videntes videant, & videntes cæci fiant. Cæci enim facti ſunt Phariſæi doctores, illuminati ſunt populi neſcientes legem, & in authorem legis credentes. Idem habet ſerm. 47. de verbis Domini.

Quid iudicium. Pſa. 4. Aug. Aug.

Ver. 42.

Hier. Hier. Ezech. 12: Habitat autem propheta in medio populi Deum ad amaritudinem prouocantis, qui habet oculos, & non videt; aures, & non audit, non vitio ſenſuum, ſed pertinacia prauitatis. Vnde & Dominus ad Iudæos: Si cæci, inquit, eſſetis, peccatum non haberetis, voluntariam cæcitatem in illis arguens, atque condemnans.

CAP. 102. *De vero paſtore, & ouibus.*

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 10.*
			Fer. 3. Pentecoſt. 1 [✠ AMen, amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium; ſed aſcendit aliunde: ille fur eſt, & latro. 2 Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium. 3 Huic oſtiarius aperit: & oues vocem eius audiunt: & proprias oues vocat nominatim: & educit eas. 4 Et cùm proprias oues emiſerit, ante eas vadit: & oues illum ſequuntur: quia ſciunt vocem eius. 5 Alienum autem non ſequuntur; ſed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. 6 Hoc prouerbium dixit eis Ieſus: Illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis. 7 Dixit ergo eis iterum Ieſus: Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ouium. 8 Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones: & non audierunt eos oues. 9 Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. 10 Fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat. 11 Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. ✠ *Dom. 2. Poſt Paſcha.* 12 ✠ EGo ſum paſtor bonus. 13 Bonus paſtor animam dat pro ouibus ſuis.

Merce-

Matt.	*Mar.*	*Luc.*	*Ioan. 10.*
			14 Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & diſpergit oues. 15 Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt: & non pertinet ad eum de ouibus. 16 Ego ſum paſtor bonus: & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. 17 Sicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. 18 Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor. ✠ 19 Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam. 20 Nemo tollit eam à me; ſed ego pono eam à meipſo: & poteſtatem habeo ponendi eam: & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. 21 Hoc mandatum accepi à Patre meo. 22 Diſſenſio iterum facta eſt inter Iudæos, propter ſermones hos. 23 Dicebant autem multi ex ipſis: Dæmonium habet, & inſanit: quid eum auditis? 24 Alij dicebant: Hæc verba non ſunt dæmonium habentis: nunquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?

Not. 1.

Aug. Ordo. Avg. lib. 4. de conſ. Euang. cap. 10: Inde poſteaquam illuminauerit à natiuitate cæcum, ex ipſa occaſione in prolixo eius ſermone demoratur Ioannes, de ouibus, & paſtore; & ianua, & poteſtate ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam; in quo excellentiſſimam poteſtatem ſuæ diuinitatis oſtendit. Et tract. 45. in Ioan: Cum Dominus dixiſſet: In iudicium enim ego veni in hunc mundum: vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant: quidam ex Phariſæis dixerunt: Nunquid & nos cæci ſumus? Quibus reſpondit Dominus: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc autem dicitis, quia videmus: peccatum veſtrum manet. His verbis ſubiunxit ea, quæ hodie cum recitarentur, audiuimus: Amen, amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro. Dixerunt enim ſe cæcos non eſſe; videre autem tunc poſſent, ſi oues Chriſti eſſent. Vnde ſibi vſurpabant lumen, qui furebant contra diem? Propter illorum ergo vanam, & ſuperbam, & inſanabilem arrogantiam Dominus Ieſus iſta contexuit, in quibus ſalubriter nos, ſi aduertamus, admonuit. Multi enim ſunt, qui ſecundum quandam vitæ huius conſuetudinem dicuntur boni homines, boni viri, bonæ fœminæ, innocentes, & quaſi obſeruantes ea, quæ in lege præcepta ſunt, deferentes honorem parentibus ſuis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falſum teſtimonium aduerſus quenquam perhibentes, & cætera, quæ in lege mandata ſunt, velut obſeruantes. Chriſtiani non ſunt, & plerunque ſe iactant quomodo iſti: Nunquid & nos cæci ſumus? Quia vero iſta omnia quæ faciunt, & neſciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt, Dominus de grege ſuo, & de oſtio, qua intratur ad ouile, ſimilitudinem propoſuit in hodierna lectione. Dicant ergo Pagani, bene viuimus. Si per oſtium non intrant, quid prodeſt eis, vnde gloriantur? Ad hoc enim debet vnicuique prodeſſe viuere, vt detur illi ſemper viuere: Nam cui non datur ſemper viuere, quid prodeſt bene viuere? Quia nec bene viuere dicendi ſunt, qui finem bene viuendi vel cæcitate neſciunt, vel inflatione contemnunt. Non eſt autem cuiquam ſpes vera, & certa ſemper viuendi, niſi agnoſcat vitam, quod eſt Chriſtus: & per ianuam intret in ouile. Quærunt ergo plerunque tales homines etiam perſuadere hominibus vt bene viuant, & Chriſtiani non ſint. Per aliam partem volunt aſcendere, rapere, & occidere, non vt bonus paſtor conſeruare, atque ſaluare. Fuerunt ergo quidam Philoſophi de virtutibus & vitijs ſubtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, ratiocinationes acutiſſimas concludentes, libros implentes, ſuam ſapientiam buccis crepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus; nos ſequimini, ſectam noſtram tenete, ſi vultis beatè viuere. Sed non intrabant per oſtium. Perdere volebant, mactare, & occidere. Quid de iſtis dicam? Ecce ipſi Phariſæi legebant; & in eo quod legebant, Chriſtum ſonabant: venturum ſperabant, & præſentem non agnoſcebant. Iactabant ſe etiam ipſi inter videntes, hoc eſt, inter ſapientes, & negabant Chriſtum, & non intrabant per oſtium. Ergo & ipſi, ſi quos forte ſeducerent, mactandos, & occidendos, non liberandos ſeducerent. Et hos dimittamus. Videamus illos, ſi forte ipſi intrant per oſtium, qui ipſius Chriſti nomine gloriantur,

Summa.

Aug. Ordo.

Ver. 11.

tur. Innumerabiles enim ſunt, qui ſe videntes non ſolum iactant, ſed à Chriſto illuminatos videri volunt: ſunt autem hæretici. Forte ipſi per ianuam intrauerunt? Abſit. Sabellius dicit: Qui filius eſt, ipſe eſt pater; ſed ſi filius, non eſt pater. Non intrat per oſtium, qui filium dicit patrem. Arrius dicit: Aliud eſt pater, aliud eſt filius. Recte diceret, ſi diceret, alius, non aliud. Quando enim dicit aliud, ei contradicit, à quo audit; ego, & pater vnum ſumus. Nec ipſe ergo per oſtium intrat. Prædicat enim Chriſtum, qualem ſibi fingit, non qualem veritas dicit. Nomen habes, rem non habes. Alicuius rei nomen eſt Chriſtus, tene ipſam rem, ſi vis prodeſſe tibi nomen. Alius, neſcio vnde, ſicut Fotinus, Chriſtus homo eſt, inquit, Deus non eſt. Nec ipſe intrat per oſtium, quia Chriſtus homo, & Deus eſt. Et quid opus eſt multa percurrere, & multa vana hæreſum enumerare? Hoc tenete, ouile Chriſti eſſe Catholicam Eccleſiam. Quicunque vult intrare ad ouile, per oſtium intret, Chriſtum verum prædicet, non ſolum Chriſtum verum prædicet, ſed Chriſti gloriam quærat, non ſuam. Nam multi quærendo gloriam ſuam, oues Chriſti ſparſerunt potius, quam congregauerunt. Humilis eſt enim ianua Chriſtus Dominus. Qui intrat per hanc ianuam, oportet humiliet ſe, vt ſano capite poſſit intrare. Qui autem ſe non humiliat, ſed extollit, per maceriam vult aſcendere. Qui autem per maceriam aſcendit, ideo exaltatur, vt cadat. Tectè tamen adhuc loquitur Dominus Ieſus, nondum intelligitur. Nominat oſtium, nominat ouile, nominat oues. Commendat hæc omnia, ſed nondum exponit. Legamus ergo, quia venturus eſt ad ea verba, in quibus nobis aliqua, quæ dixit, dignetur exponere, ex quorum expoſitione, dabit nobis fortaſſe etiam illa, quæ non expoſuit, intelligere. Paſcit enim manifeſtis, exercet obſcuris. Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde; væ miſero, quia caſurus eſt. Sit ergo humilis, per oſtium intret, plano pede veniat, & non offendet. Ille, inquit, fur eſt, & latro, qui oues ſuas vult dicere oues alienas. Ad hoc ſuas, id eſt, furto ablatas, non vt ſaluet, ſed vt occidat. Ergo fur eſt, quia quod alienum eſt, ſuum dicit: latro, quia & quod furatus, occidit.

ver. 1. Sabellij hæreſis. Arrij hæreſis. Fotini hæreſis. Ouile Chriſti quid ſit.

Not. 2. ver. 1. 2.

Greg. GREG. homil. 15. in Ezech: Nunquidnam ipſe venit ad ſemetipſum? An ita eſt quia & in Euangelio ipſe teſtatur, dicens: Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro? Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium. Et paulo poſt dicit: Ego ſum oſtium. Atque iterum ſubiungit: Ego ſum paſtor bonus. Si ergo paſtor intrat per oſtium, ipſe eſt oſtium, ipſe paſtor, ipſe proculdubio intrat per ſemetipſum. Ecce dum Ezechielis ſenſum enodare cupimus, de Euangelio etiam quæſtionem ligamus. Quærendum nobis itaque eſt, qualiter & ipſe intret, & per ſemetipſum intret. Dominus enim, ac Redemptor noſter cum ſancta Eccleſia quam redemit, ſecundum carnem vna ſubſtantia eſt, Paulo atteſtante, qui ait: Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea: pro corpore eius quod eſt Eccleſia. Huius capitis corpus, Eccleſia eſt, & huius corporis caput Chriſtus. De quo ſuo capite exultat corpus, id eſt, ſancta Eccleſia, cum per Pſalmiſtam dicit: Nunc autem exultauit caput meum ſuper inimicos meos. Quia enim quandoque ipſa etiam exaltanda eſt, iam nunc caput ſuum ſuper inimicos ſuos exaltatum gaudet in cælis. Cum ergo electi quique ad vitam perueniunt, quia membra eius per eum intrant ad eum, ipſe per ſe intrat ad ſe. Ipſe enim in ſuis membris eſt, qui intrat; ipſe caput, ad quod intrantia membra perueniunt. Quod Ezechiel propheta multipliciter inſinuat, qui virum veniſſe dicit ad portam, & quæ eadem porta ſit oſtendit. Et epiſt. 47. lib. 7: Ipſa quoque per ſe veritas dicit: Qui non intrat per oſtium in ouile ouium; ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro. Qui autem per oſtium intrat, paſtor eſt ouium. Qui paulo poſt ſubijcit, dicens: Ego ſum oſtium. Ille ergo ad ouile ouium intrat per oſtium, qui intrat per Chriſtum. Ipſe autem per Chriſtum ingreditur, qui de eodem Creatore, ac Redemptore humani generis vera ſentit, & prædicat, & prædicata cuſtodit. Culmen regiminis ad officium portandi oneris ſuſcipit, non ad appetitum gloriæ tranſitorij honoris. Curæ quoque ſuſcepti ouilis ſolerter inuigilat, ne oues Dei aut peruerſi homines praua loquentes dilanient, aut maligni ſpiritus oblectamenta vitiorum ſuadentes deuaſtent. Certe beatum Iacob, qui pro vxoribus ſuis diu ſeruierat, dixiſſe meminimus: Viginti annis fui tecum, oues tuæ, & capræ tuæ ſteriles non fuerunt. Arietes tui gregis non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi. Ego damnum omne reddebam, quidquid furto perierat, à me exigebas. Die, noctuque æſtu vrebar, & gelu, fugiebat ſomnus ab oculis meis. Si igitur ſic laborat, & vigilat, qui paſcit oues Laban, quanto labori, quantiſque vigilijs debet intendere, qui paſcit oues Dei? Idem habet epiſt. 40. lib. 9.

Vt oſtium per oſtium intret. Col. 1. Epheſ. 1. Pſal. 26. Greg. Qui per oſtium intrent. Ge. Greg.

Cyprian. lib: ad Nouatianum cap. 1: Audi in Apocalypſi Dominicam vocem iuſtis te obiurgationibus increpantem: Dicis, inquit, diues ſum, & ditatus ſum, & nullius rei egeo: & neſcis quoniam tu es miſer, & miſerabilis, & cæcus, & pauper, & nudus. Has opes, has diuitias paupertatis, pro certo poſſidere ſe credat, quiſquis, Chriſti Eccleſia derelicta, ratione cæca apud temerarios illos ſchiſmatum duces, & diſſenſionis authores, conuerti non trepidat; quos Ioannes Antichriſtos appellat; quos Euangeliſta paleis ſimilat; quos Dominus Chriſtus fures, & latrones deſignat, ſicut ipſe in Euangelio declarat, dicens: Quia qui non introijt per oſtium in ouile ouium, ſed deſcendit per alteram partem, ille fur, & latro eſt. Item in eodem quoque ait: Omnes qui venerunt, fures ſunt, & latrones. Qui iſti ſunt, niſi deſertores fidei, &

Cypr. Apoc. 3. 1 Ioan. 2. Matt. 3.

tranſ-

tranſgreſſores Eccleſiæ Dei, qui contra ordinationem Dei nituntur: quos merito Spiritus ſanctus per prophetam increpat, dicens: Feciſtis
Eſa. 30.
conſilium non per me, & conuentionem non per ſpiritum meum: Adijcere peccata ſuper peccata.

Not. 3. ver. 3.

Naz.
Oues habent nomina.

N A z. orat. 11: Has nominatim voco (nec enim nominibus carent, ſicuti ne ſidera quidem, quæ numerãtur, & appellationes ſuas habent) hæ me ſequuntur.

Elias.

Elias Crete. ad eandem 11. orationem Nazi: Nominatim has voco. Quod inde ſequitur, ex vate Dauide, cuius hæc ſunt verba: Qui numerat multitudinem ſiderum, & omnibus appel-
Quid ſit nominatim vocare.
lationes ſuas tribuit. Quorum vtreque cognitio quædam accurata ſignificatur. Nam de hominum conſuetudine nouiſſe dicimur eos maxime, quos nominatim compellamus. Itaque Greg. etiam hoc ſignificare volens: Has, inquit, oues meas nominatim voco. Quod autem ſub-
Quæ ſoleant numerari, & nominari.
ijcit, non enim nominibus carent: ſublimius omnino quiddam continet. Nam ea quæ eximia diuinaque ſunt, cenſentur apud Deum digna quę numerentur, & nominatim vocẽtur: cũ vilia, & ignominioſa ſacris in litteris neque numerentur, neque nominentur. Adeoque licet obſerues, in lib. Numerorum, neque fæminam numerari, tanquam imbecillem, neque puerum, tanquam contemptui expoſitum, neque ſeruum, propter indignitatem ſtatus, neque mixti generis quenquam, velut alienigenam ne humi quidem repentium vnus eſt numerus. Nam qui repunt humi, & in pectore, ac ventre quaſi tractim ſerpunt, neque numerantur, ne-
Oues habent nomina.
que nominantur. At de ouibus ſuis Seruator ait: Nominatim eas voco. Non enim nominibus carent, ſicut & eximius hic vir dicit: quemadmodum ne ſidera quidem nominibus carent, quippe quæ à Deo tum numerantur, tum
Sancti sũt ſidera.
nominantur. Nec aberrabit, qui ſiderum appellatione accipiet omnes, quotquot in religioſa pietate claruerunt; iuxta dictum illud: Vos e-
Cap. 5.
ſtis lux mundi, & tanquam luminaria lucetis in mundo. Neque vero Dauides hoc ita protulit, quaſi Deus ignoret antequam numerarit: ſicut cæteroquin ignorantium eſt, per numerationem quantitatem numeratorum percipere. Nimirum qui omnia nouit ante ortum ipſorum, ad rerum ſubiectarum cognitionem numeri doctrina non eget; ſed numerare ipſum multitudinem ſiderum Dauides ait, eaque nominatim appellare, vt ſignificet per numerum hunc, Deum accurate noſſe, quæ nobis ignota ſunt. Nam nobis vſu venit, vt accuratam quantitatis cognitionem ex numero conſequamur.

Aug.
Nominatim vocare quid ſit.
2 Tim. 2.

Aug. tractatu 45. in Ioannem: Proprias oues vocat nominatim. Habet enim nomina eorum ſcripta in libro vitæ. Hinc dicit Apoſtolus: Nouit Dominus qui ſunt eius.

Not. 4. ver. 7.12.

N A z. orat. 5. Dicitur oſtium, vt introductor, Paſtor, vt qui loco herbido ſtabulet ad a- Naz. Cur Ieſus dicitur oſtium, & paſtor.
quam requietis paſtum præbeat, inde viæ dux ſit, aduerſus bellua propugnet, reflectat id quod errat, amiſſum reducat, fractum obliget, Paſtores officium.
lãguore correptum corroboret, validum cuſtodiat, per ſermones Paſtoriciæ ſcientiæ ad caulam ſuam colligat.

Elias Cretenſis ad eandem orationem Na- Elias. Cur oſtium.
zianz: Oſtium vocatur, vt qui eos, quotquot præclare totam virtutum viam abſoluerunt per actionis inculpatum curriculum, ad cognitionem introducat, mirificeque lucentes ſapientiæ theſauros illis oſtendat. Pulſemus igitur, & portæ nobis aperientur. Deum nemo cognouit, niſi filius, & cui filius reuelauerit. Præterea Dominus ſeipſum, & oſtium, & viam vocat, quod ipſe prior virtutum in actione verſatus, nos quoque docuerit, adeoque author eiuſmodi nobis operum fuerit. Appellat & paſtorem ſeſe, cum ait: Ego ſum præclarus ille Paſtor, qui vi- Cur paſtor dicitur.
tam pro ipſis ouibus ponit. Vocatur autem paſtor, vt qui loco herbido ſtabulet, & requietis ad aquam paſtum præbeat. Locus autem ille graminoſus eſt Eccleſia. Gramẽ ſunt fideles ipſi Gramen quid.
virtute florentes: vel etiam ipſa Chriſtianorum fides, quæ ſemper vireſcit. Nam fides Ethnica inſtar fæni & conſenuit, & emarcuit. Vel denique per gramen hoc intelligi poſſunt religioſæ pietatis dogmata, quæ & alunt animum, & pinguefaciunt. Per aquam requietis accipimus viua ſacræ ſcripturæ oracula, non modo potum ſuppeditantia: ſed etiam alentia cunctos, qui ſitim quandam, & famem illius aquæ ſentiunt. Patet hoc vel ex eo, quod requietis aqua dicitur. Nam qui & comedit, & bibit, is requieſcit, appellat aquam requietis ipſum etiam baptiſmum, vt qui ſordes abſtergat, moleſtoque peccati nos onere leuet. Sunt autem hæc verba Dauidis Vatis, qui ait: Dominus me paſcit, ac nihil mihi deerit. In loco herbido me ſtabulauit, ad requietis aquam mihi paſtum præbuit. Has igitur ob cauſas paſtor dicitur, quoque porro etiam vitæ dux ſit ad caulam illam ſuperam; quod gregem aduerſus belluas propugnet, videlicet malos genios, & eos homines, qui ab illis agitantur, ac ſtudio dilacerandi gregem ipſius dicuntur. Quod item conuertat id quod errat, amiſſum reducat: quemadmodum vniuerſam naturam humanam, vel Paulum, eiuſque ſimiles ab errore conuerſos ad vitam illam ſuperam reduxit, qua excideramus. Quod item fractum obliget cuiuſmodi fuerunt Publicanus Scortum vocat Magdalenam.
ille, ſcortum, latro, alijque tales. Quod languore correptum corroboret v. g. Petrum, cui quid humanitus acciderat, cũ ipſum negaſſet. Quod valetudine præditum integrat; & pingue cuſtodiat, non more paſtorum, qui nomen hoc falſo vſurpant, laborum moleſtijs obruat. Talis eſt præclarus ille paſtor, qui vitam pro ouibus ponit. Cui longe diſſimiles ſunt ſcelerati paſtores, Qualis [illegible]
falſoque

falſoque nomen hoc vſurpantes,aduerſus quos Deus per Ieremiam Vatem clamans ait: O paſtores Iſraelicorum, en ipſi lac deuoratis, lanas ad veſtitum vſurpatis, oues meas non paſcitis, languore correptum non corroboraſtis, fractum non obligaſtis, errans non reflexiſtis, amiſſum non quæſiuiſtis, validum labore obruiſtis. Nam illi non tantum ſalutis male adfectorum curam nullam habebant; ſed etiam recte valentes laboribus multis grauando de induſtria perdere conabantur. Eſt autem vinculum illud, quo paſtor bonus confracta obligat. Oratio conglutinans ad diſtractionem ſpectantia.

Not 5. verſ 8.

Hier. HIER. Oſeæ 7: Per illos ingreſſus eſt fur, & latro diabolus in Eccleſiam,ſiue ipſa doctrina hæreticorum ingreſſa eſt quaſi fur,& latrunculus, de quibus Saluator dicit in Euang: Omnes, qui venerunt ante me, fures fuerunt, & latrones. Fures inſidiantur, & occulta fraude decipiunt; latrones audacter aliena diripiunt: qui enim furantur, nocte furantur, & in tenebris. Vnde ſignificanter ait: Quod fur ingreſſus clam ſit,& latrunculus expoliet foris. Non enim poſſunt expoliare veſte Chriſti quos docuerunt, niſi eos de Eccleſia foris eduxerint, & in peruerſa doctrinarum ſuarum via fecerint ambulare. Fures, & latrones, qui venerunt ante Dominum, non Moyſen & Prophetas, qui ſemper Seruatoris ore laudantur; ſed Pſeudoprophetas debemus accipere; & poſtea hæreticos, qui non miſſi ſunt a Domino,ſed ſua voluntate venerunt.

Qui ſint fures, & latrones.

Qui venerint,

Aug. Qui venerint. Aug. lib. 16. contra Fauſtum cap. 12: Veniſſe ita vult intelligi, quia miſſi non ſunt; nam qui miſſi ſunt, ſicut Moyſes, & ſancti Prophetæ, non ante ipſum, ſed cum ipſo venerunt: quia non eum per ſuperbiam præcedere voluerunt; ſed eum per ipſos loquentem humiliter portauerunt. Aug. Et lib. 2. contra aduerſarium legis,& Prophet. cap. 4: Illud quoque ait dixiſſe Dominum: Ego ſum ianua ouium. Omnes alij, qui ante me venerunt, fures ſunt, & latrones. Non autem ita ſcriptum eſt; ſed ita: Omnes, quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones. Vera lectio Veniſſe quippe hoc loco intelligi voluit eos, qui miſſi non fuiſſent: Quos arguit etiam Hieremias, Hier. 14. dicens: Hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, & ego non miſi eos, illi autem, quos inſanus iſte blaſphemat, à Domino miſſi ſunt, non ſponte venerunt. Vide eundem tract. 45. in Ioan.

Aug. Iſidor. Iſidorus Peluſio. lib. 3. epiſt. 119: Hic locus: Omnes qui venerunt ante me fures ſunt, & latrones, non de Prophetis, & lege dictum eſt, quemadmodum ijs placet,qui vetus teſtamentum reijciunt (per hanc enim ad fidem quoque velut porrecta manu ducti ſunt,qui fidem amplexi ſunt, Chriſtum videlicet audientes, ſcripturas ſurſum ac deorſum proferentem, tanquam de ipſo teſtimonium præbentes:) verùm de falſis prophetis, de quibus ipſe dixit, non mittebam eos,& ipſi currebant. Non enim dixit, omnes qui miſſi ſunt; ſed, qui venerunt. Nam Prophetæ quidem miſſi ſunt. Moſes quippe audiuit. Veni, mittam te in Ægyptum. Eſaias item dicentem Deum audiuit. Quem mittam, & quis ibit ad populum hunc? Et dixit: Ecce ego, mitte me. At verò pſeudoprophetæ, & qui ad principes ac præfectos currebant (quales erant Theudas,& Iudas Galilæus,& Ægyptius ille Sicariorum præfectus,) non miſſi, ſed oſtentationis ſtudio flagrantes,ſeque ipſos creantes,& ordinantes,atque ambitione laborantes,ſuapte deſciuerunt. Quod autem de his ipſis hæc dicta ſint,liquet ex eo quod ſequitur. Fur enim, inquit,non venit,niſi vt furetur,& mactet,& perdat. Omnes enim ij,qui ipſis paruerunt, quod veritatem adulterare tentaſſent, obtruncati ſunt,atque interierunt,dictoque citius omnino extincti ſunt.

Not. 6. ver. 9.

CYPR. lib. 2. aduerſ. Iudæos cap. 27. & lib. 3. cap. 24: Hinc probat quod perueniri non poſſit ad Deum Patrem, niſi per Filium eius Ieſum Chriſtum. Cypr.

Greg. hom. 13. in Ezech: In ſancto Euangelio loquitur, dicens: Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Ingredietur videlicet ad fidem, egredietur autem ad ſpeciem, paſcua vero inueniet in æterna ſatietate. Hinc etiam Pſalmiſta ait: Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum. Cuſtodit enim Dominus vniuſcuiuſque animæ introitum, quo intrat ad fidem, exitum quoque, quo exit ad ſpeciem, vt neque intrans Eccleſiam erroribus ſupplantetur, neque ab hac temporali ad æternam exiens,ab antiquo hoſte rapiatur. Et epiſt. 16. lib. 12: Quæ videlicet paſcua tunc inuenimus, quando huius vitæ hyeme carentes, de æternæ vitæ,quaſi de noui veris viriditate ſatiamur. Et homil. 14. in Euang: Ingredietur quippe ad fidem,egredietur verò à fide ad ſpeciem, à crudelitate ad côtemplationem; paſcua autem inueniet in æterna refectione. Oues ergo eius paſcua inueniunt, quia quiſquis illum corde ſimplici ſequitur, æternæ viriditatis pabulo nutritur. Quæ autem ſunt iſtarum ouium paſcua, niſi interna gaudia ſemper virentis paradiſi? Paſcua, namque electorum ſunt, vultus præſens Dei, qui cum ſine defectu conſpicitur, ſine fine mens vitæ cibo ſatiatur. In iſtis paſcuis de æternitatis ſatietate lætati ſunt, qui iam laqueos voluptuoſæ temporalitatis euaſerunt. Ibi hymnidici Angelorum chori. Ibi ſocietas ſupernorum ciuium. Ibi dulcis ſolennitas à peregrinationis huius triſti labore redeuntium. Ibi prouidi Prophetarum chori. Ibi iudex Apoſtolorum numerus. Ibi innumerabilium martyrum victor exercitus tanto illic lætior, quanto hic durius afflictus. Ibi Confeſſorum conſtantia, præmij ſui perceptione

Greg. Pſal. 120. Greg. Greg. Ingredi. Egredi. Paſcua.

ptione conſolata. Ibi fideles viri, quos à virilitatis ſuæ robore voluptas ſæculi emollire non potuit. Ibi ſanctæ mulieres, quæ cum ſæculo & ſexum vicerunt. Ibi pueri, qui hic annos ſuos moribus tranſcenderunt. Ibi ſenes, quos hic & ætas debiles reddidit, & virtus operis non reliquit. Quæramus ergo, fratres chariſſimi, hæc paſcua, in quibus cum tantorum ciuium ſolennitate gaudeamus. Ipſa nos lætantium feſtiuitas inuitet. Certe ſicubi populus nundinas celebraret, ſi ad alicuius Eccleſiæ dedicationem denunciata ſolennitate concurreret, feſtinaremus omnes ſimul inueniri, & intereſſe vnuſquiſque ſatageret. Grauı ſe damno afflictum crederet, ſi ſolennitatem communis lætitiæ non videret. Ecce in cæleſtibus electorum ciuium lætitia agitur, viciſſim de ſe omnes in ſuo conuentu gratulantur, & tamen nos ab amore æternitatis tepidi, nullo deſiderio ardemus, intereſſe tantæ ſolennitati non quærimus, priuamur gaudijs, & læti ſumus. Accendamus ergo animum, fratres, recaleſcat fides in id quod credidit, inardeſcant ad ſuperna, noſtra deſideria: & ſic amare iam ire eſt. Ab internæ ſolennitatis gaudio nulla nos aduerſitas reuocet, quia etſi quis ad locum propoſitum ire deſiderat, eius deſiderium quælibet viæ aſperitas non immutat. Nulla nos proſperitas blandiens ſeducat, quia ſtultus viator eſt, qui in itinere amœna prata conſpiciens, obliuiſcitur ire quo tendebat. Toto ergo deſiderio ad ſupernam patriam animus anhelet, nil in hoc mundo appetat, quod conſtat qua citius relinquat, vt ſi cæleſtis paſtoris veraciter oues ſumus, quia in viæ delectatione non figimur, æternis paſcuis in peruentione ſatiemur.

Notæ ver.12.13.

Chryſoſt. CHRYSOST. hom. de cruce, & latrone: Luxum non poſſumus formidare, bono, & diligenti muniti paſtore. Ego, inquit, ſum paſtor bonus. Tyranni impij crudelitate non terremur, manſueti regis veſtigijs inhærentes.

Baſ. Vt rex, & paſtor conueniat. Baſil. hom. 26: Dauid à pecudum paſtura peruenit ad regnum, ſorores, quædam ſunt paſtura, & regni adminiſtratio. Niſi quod illa irrationalium, iſta vero rationalium animantium curam habet. Ita ſcilicet ad maiorem illa ſcientiam tranſitum habet. Quapropter Dominus vtramque complexus & paſtor eſt, & rex, irrationales paſcens, maiori ratione præditos ſub regni gubernationem includens. Vis diſcere quantæ dignitatis ſit paſtor? Dominus, inquit, paſcit me. Quomodo vero regiæ gubernationis ſoror eſt paſtura? Quis eſt iſte, inquit, Rex gloriæ? Qui illic paſtor, hic rex dicitur. Nec putes illum ab alijs quidem paſtorem vocari, ipſum vero id appellationis pudoris gratia non agnoſcere, quin ipſe degeneres paſtores compeſcens, in ſeipſum veræ paſturæ teſtimonium transfert. Ego, inquiens, ſum paſtor ille bonus. Atcet degeneres, & veritatem ſibi ipſi vendicat. Ego ſum paſtor ille bonus. Dic [illegible] pa- Quis ſit bonus paſtor. ſtor, & quis ſit bonus ille. Ipſe hoc interpretatur. verus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Mercenarius vero, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, illi nihil eſt curæ, quando lupum venientem videt. Hic quærit Eccleſia, ſi Dominus paſtor eſt, quis ſit mercenarius paſtor. Num diabolus? & ſi diabolus mercenarius paſtor eſt, quis ſit lupus. At lupus Quis ſit lupus. diabolus eſt beſtia immitis, rapax, inſidioſa, communis omnium hoſtis. Habeat propriam appellationem mercenarios paſtor. Tunc quidem mercenarios paſtores Dominus eos vocauit, qui tunc degenerauerant. Sunt vero & nunc, qui non vt proſint ouibus paſtores agunt, quibus proprie mercenariorum appellatio conuenit. Tunc principes Sacerdotum notabantur, & Phariſæi, & omnis illa Iudaica ſecta, Illos dixit mercenarios eſſe paſtores, qui non veritatis, ſed quæſtus ſui gratia, paſcendi poteſtatem vſurparent, qui vano prætextu precationibus inſtabant, vt panem comederent viduarum, & orphanorum. Mercenarij ſunt, qui propriam compendium curant. Qui præſentia ſectantes, ad futura non aſpiciunt: Mercenarij ſunt non Paſtores, & nunc mercenarij multi ſunt, qui pro miſera gloriola vitam ſuam impendunt, ac produnt, qui iam quoque contra ſana Domini verba ſciſma ſuſcitant. Cum enim & tum ea Dominus dixiſſet, ſciſma inter Iudæos oriebatur. Quidam dicebant, dæmonium habent, quidam vero, dæmon oculos cæcos, vt videant, illuminare non poteſt. Vides veterem hunc eſſe ſchiſmatis morbum? mox enim ventilabrum, id eſt, paleas ſecernit a frumento, & quod leue eſt, & inſtabile ſeiungit ab eo, quod alendi vim habet. Quod autem ſpiritali conueniens eſt alimoniæ, agricolis deputatur. Quapropter ſchiſma factum eſt, & alij iſto, alij alio modo præſtantes fuerunt. Iudæorum eſt in partes ſcindi.

Greg. Greg. hom. 14. in Euang. Audiſtis, fratres chariſſimi, ex lectione Euangelica eruditionem veſtram, &c. lect. 7. & 8. Dom. 2 poſt Paſc.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. in Pſal. 113: Hoc enim maxime oſtendit principem, quod ſcilicet ſuorum curam gerat, eiſque prouideat, ac proſpiciat. Et ideo dicebat Chriſtus: Paſtor bonus non dixit, honoratur, & colitur; ſed animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, hoc eſt, principatus, hoc eſt, paſcendi ſcientia, ſua negligere, & eorum, quos regit, curam gerere. Quod eſt enim medicus, hoc eſt, princeps, vel potius pluſquam medicus. Medicus enim arte ſalutem comparat, princeps autem etiam proprijs periculis.

Chryſol. Vis amoris. Chryſol. ſerm. 40: Fortem faciat vis amoris; quia nil durum, nil amarum, nil graue, nil lethale computat amor verus. Quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœnæ? quæ mortis amorem præualent ſeparare perfectum? Amor impenetrabilis eſt lorica, reſpuit iacula, gladios excutit, periculis inſultat, mortem ridet; ſi amor eſt, vincit omnia. Sed quæramus, vtrum ſit ouibus commoda mors iſta paſtoris, quæ deſtituit oues, quæ Dum paſtor ouibus [illegible]. lupis tradit inerme pecus, quæ ſic charum gregem

gem ferinis morſibus derelinquit, direptioni dat,& exponit morti,ſicut ipſius paſtoris Chriſti probatur ex morte. Ex quo namque poſuit ipſe animam ſuam pro ouibus ſuis: ſeque Iudaico furore permiſit occidi, oues eius Gentilium velut prædonum diripiuntur incurſu: mactandæ in carceribus velut latronum clauduntur antris, à perſecutoribus quaſi ſæuientibus lupis ſine ceſſatione laniantur, ab hæreticis quaſi ab extraneis canibus rabido dente carpuntur. Hoc Apoſtolorum peremptus probat chorus: hoc martyrum toto orbe diffuſus clamat ſanguis: hoc Chriſtianorum membra data beſtijs, conſumpta ignibus, demerſa fluminibus, patenter demonſtrant: quod vtique totum, ſicut mors intulit; ita vita potuit prohibere paſtoris. Ideo pro te paſtor amorem morte probat, quia cum videat ouibus imminere diſcrimen, cum gregem defenſare non poſſit; mauult mori, antequam mali de ſuis ouibus quid videat.

Cur, & quando paſtor moriatur pro ouibus.

Ambr.

Ambr. ſerm. 20. in Pſal. 118: Inuenio in Euangelio, quod Dominus Ieſus multorum affectus, & officia ſuſcepit, vt doceret quomodo nos in his conuerſari oporteret officijs. Suſcepit perſonam paſtoris, & ait: Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Ideoque pro rationabili grege ſeipſum paſſioni corporis non negant, vt ouem laſſam crucis ſuæ humeris ſuperponens, pij oneris functione recrearet.

Not. 8. ver. 14. 15.

Greg.

GREG. homil. 14. in Euang: Sunt nonnulli, qui dum, &c. lect. 9. Dom. 2. poſt Paſc. Iſtæ ſunt etenim mercedes mercenarij, vt pro eo ipſo, quod in regimine laborat, hic quod quærit inueniat, & ab hæreditate regis in poſterum alienus exiſtat. Vtrum vero paſtor ſit an mercenarius cognoſci veraciter non poteſt, ſi occaſio neceſſitatis deeſt. Tranquillitatis in tempore, plerumque ad gregis cuſtodiam, ſicut verus paſtor, ſic etiam mercenarius ſtat: ſed lupus veniens iudicat, quo quiſque animo ſuper gregis cuſtodiam ſtabat. Lupus etenim ſuper oues venit, cum quilibet iniuſtus & raptor, fideles quoſque atque humiles opprimit. Sed is qui paſtor eſſe videbatur, & non erat relinquit oues,& fugit: quia dum ſibi ab eo periculum ingeri metuit, reſiſtere eius iniuſtitiæ non præſumit. Fugit autem non mutando locum, ſed ſubſtrahendo ſolatium. Fugit, quia iniuſtitiam vidit & tacuit. Fugit, quia ſe ſub ſilentio abſcondit. Quibus bene per prophetam dicitur: Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini. Ex aduerſo quippe aſcendere eſt quibuſlibet poteſtatibus prauè agentibus, rationis libera voce contraire, & in die Domini pro domo Iſrael in prælio ſtamus. In prælio ſtamus, ac murum opponimus: ſed fideles innocentes contra peruerſorum iniuſtitiam ex iuſtitiæ authoritate vindicamus. Quod quia mercenarius non facit, cum venientem lupum viderit, fugit. Sed eſt alius lupus qui ſine ceſſatione quotidie non corpora, ſed mentes dilaniat, malignus videlicet ſpiritus, qui caulas fidelium inſidians circuit, & mortes animarum quærit. De quo lupo mox ſubditur: Et lupus rapit, & diſpergit oues. Lupus venit, & mercenarius fugit, quia malignus ſpiritus mentes fidelium in tentatione dilaniat, & is qui locum paſtoris tenet, curam ſolicitudinis non habet. Animæ pereunt, & ipſe de terrenis commodis lætatur. Lupus rapit, & diſpergit oues, cum alium ad luxuriam pertrahit, alium ad auaritiam accendit, alium in ſuperbiam erigit, alium per iracundiam diuidit, hunc inuidia ſtimulat, illum fallacia ſupplantat. Quaſi ergo lupus gregem diſſipat, cum fidelium populum diabolus per tentationes necat. Sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo feruore dilectionis excitatur; quia dum ſola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. Vnde & mox adiungitur: Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. Sola enim cauſa eſt vt mercenarius fugiat, quia mercenarius eſt. Ac ſi apertè diceretur: Stare in periculo ouium non poteſt, qui in eo quod ouibus præeſt, non oues diligit, ſed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere ſe contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat.

Vnde mercenarius à vero paſtore diſcernatur.

Quando lupus ſuper oues veniat.

Quid ſit fugere.

Ezech. 13.

Diabolus eſt lupus.

Quomodò lupus diſpergat oues.

Cur mercenarius in ouium periculo non ſtet.

Aug.

Auguſt. ſerm. 49. de verbis Dom. cap. 10: Mercenarius, quando videt lupum inſidiantem ouibus, fugit. Hoc Dominus dixit. Quare? Quia non eſt ei cura de ouibus. Tamdiu eſt ergo vtilis mercenarius, quamdiu non videt lupum, quamdiu non videt furem, & latronem. Cum autem viderit, fugit. Et quis eſt de mercenarijs, qui non fugit de Eccleſia, quando videt lupum, aut latronem? Abundant lupi, abundant latrones, ipſi ſunt, qui aſcendunt: per alteram partem aſcendunt. Qui ſunt iſti qui aſcendunt? Qui de parte donati volunt deprædari oues Chriſti. Ipſi per alteram partem aſcendunt, non per Chriſtum intrant; quia non ſunt humiles. Quia ſuperbi ſunt, aſcendunt. Quid eſt aſcendunt? Extolluntur. Vnde aſcendunt? Per alteram partem. Vnde de parte dici volunt, qui in vnitate non ſunt. De altera parte ſunt, & de ipſa parte aſcendunt, id eſt, extolluntur, & volunt tollere oues. Quomodo aſcendunt? videte; Nos, inquiunt, ſanctificamus, nos facimus iuſtos. Ecce, quò aſcenderunt.

Quando mercenarius fugiat

ver. 1.

Qui aſcendant.

Not 9. verſ. 16. 17. 18.

Baſ.

Baſil. hom. 26: Hæc ad blaſphemiæ ſuæ ſtructuram rapuit hæreticus. Ecce, inquit, dictum eſt, cognoſcunt me meæ, & cognoſco oues meas. Quid ergo vocat cognoſcere? An eſſentiam ſuam intelligere? An magnitudinem emetiri? An ea contra diuinitatem ſentire, quæ tu ore impudenti, & temerario pronuntiaſti? vel non ex præcedentibus menſuram cognitionis huius

Quid ſit cognoſcere.

huius intelligis, quid in Deo cognoſcamus? Oues meæ, inquit, vocem meam audiunt. Ecce quomodo cognoſcatur Deus. Ex eo, quod præcepta illius audimus: ex eo, quod illa audientes, opere adimplemus. Hæc demum eſt cognitio Dei, obſeruantia videlicet præceptorum Dei, non inanis illa curioſitas, non eſſentiæ Dei, & ſupra mundanorum inueſtigatio, non rerum inuiſibilium conſideratio. Cognoſcunt me meæ, & cognoſco meas. Satis tibi ſit ſcire, paſtorem eſſe bonum, animam ſuam poſuiſſe pro ouibus. Terminus hic ſit diuinæ cognitionis. Quantus vero ſit Deus, & quæ illius menſura, & qualis eſſentia, talia ſciſcitanti ſunt periculoſa, ei qui rogatur perplexa, & talium medicina eſt ſilentium. Oues meæ, vocem meam audiunt. Audiunt, inquit, non diſputant. Hoc eſt, non ſunt inobedientes, non contendunt. Audiſti filium, at non ita generationis modos. Neque igitur vel à me petere, vel ipſi rationi ſubijcere, de quibus nulla poteſt haberi ratiocinatio, neque per ſchiſma quod coniunctum eſt ſeparare velis. Hac te ratione præoccupans Euangeliſta communiuit, ac cautum reddidit. Audiſti mane, & continuo audis: In principio erat verbum, ne filium humanam eſſe progeniem putes, quæ ex non exiſtente prouenerit. Verbum illum eſſe dixit, propter impaſſibilitatem: vitam, propterea quod tempori ſubiectus non eſt: principium, vt natum patri coniungeret. Vides motigeram ouiculam, quomodo audiat vocem Domini? In principio, inquit, & erat, & verbum. Ne dicas, quomodo erat? Et, ſi erat, genitus non eſt. Et, ſi genitus eſt, non erat. Ouicula non eſt iſta dicẽs: Pellis ouilla eſt; intus vero lupus latet. Qui hæc dicit, pro inſidiatore habeatur; oues meæ, vocem meam audiunt.

Quid ſit cognoſcere Deum. *Quid ſit vocem audire.* *cap. 1 Cur dit. In principio erat. Cur dicitur verbũ. Cur dicitur vita Cur dicitur principium.*

Elias in orationem 11. Nazian: Quum autem duplex ſit cognitio, adfectionis peculiaris vna, altera noticiæ: ſecundum vtramque ſuas ſe noſſe dicit oues, & viciſſim à ſuis agnoſci. Nam characteres, notaſque ſuas, nimirum rectæ ſententiæ cernens in diſcipulis ſuis, peculiari quodam amore ſe erga ipſos, & ipſos erga ſe adfectos ſtatuit: itidemque ratione noticiæ ſuas ſe oues agnoſcere, viciſſimque ſe à ſuis agnoſci non dubitat.

Elias. Cognitio eſt duplex.

Baſil. hom. in Pſal. 28: Dominus de Iudæorum atrio, & ouili loquutus dixit: Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, oſtendens nimirum, & aliud quoddam ouile, vere ſanctum eſſe, in quod congregandæ ſint oues Chriſti, ij videlicet, qui ex gentibus ad ſalutem ſunt prædeſtinati, hoc eſt, Eccleſiam hanc, in qua veri adoratores adorant in ſpiritu, & veritate.

Baſ. Quæ ſint aliæ oues. Duplex ouile.

Cæſar. dialog. 4: Quod dixit Dominus, quoniam & alias oues habeo: conſtat nos dici, qui non ſumus ex eo ouili, vtpote Iudaico, quorum prima fuit manifeſtatio, Domini videlicet Diuorum Apoſtolorum, & cum ipſis, atque per ipſos conuerſorum fidelium Iudeorum. Nondum enim id, quod ex gentibus conſtat, fuit ante ſalutarem paſſionem, eo quod nondum eſſet prædicatum nobis, neq; baptizati eſſemus, id quod

Cæſar. Quæ ſint aliæ oues. Duplex ouile.

poſt reſurrectionem per Apoſtolos ſuos Chriſtus effecit, noſque ad fidele Iudæorum ouile ſimul induxit, ſumuſque oues fideles vnus grex ſub vno paſtore, ſummo pontifice, ſummoque paſtore Chriſto paſti, & cuſtoditi. Vnus enim Dominus, vna fides, vnum baptiſma, inquit is, qui ſummi quidem paſtoris diſcipulus, cuiuſuis vero ſub cælo magiſter eſt, eximius Apoſtolus.

Greg. hom. 14. in Euang: Quia Redemptor noſter culpas ficti paſtoris innotuit, iterum formam, cui debeamus imprimi, oſtendit, dicens: Ego ſum paſtor bonus. Atque ſubiungit: Et cognoſco oues meas. Hoc eſt, diligo: Et cognoſcũt me meæ. Ac ſi patenter dicat, diligentes obſequuntur. Qui enim veritatem non diligit, adhuc minime cognouit. Quia ergo audiſtis, fratres chariſſimi, periculum noſtrum, penſate in verbis Dominicis etiam periculum veſtrum. Videte ſi oues eius eſtis; videte ſi eum cognoſcitis, videte ſi lumen veritatis ſcitis. Scitis autem dico, non per fidem, ſed per amorem. Scitis dico, non ex credulitate, ſed ex operatione: Nam idem ipſe, qui hoc loquitur Ioannes Euangeliſta, teſtatur dicens: Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Vnde & in hoc loco Dominus protinus ſubdit: Sicut nouit me pater, & ego agnoſco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Ac ſi apertè dicat: In hoc conſtat, quia & ego agnoſco patrẽ, & cognoſcor à patre, quia animam meam pono pro ouibus meis, id eſt, ea charitate qua pro ouibus morior, quantum patrem diligam, oſtendo. Quia vero non ſolum Iudæam, ſed etiam Gentilitatem redimere venerat, adiungit: Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor. Redẽptionem noſtram, qui ex gentili populo venimus, Dominus aſpexerat, cum ſe adducere, & alias oues dicebat: Hoc quotidie fieri, fratres, aſpicitis, hoc reconciliatis gentibus factum hodie videtis. Hodie quaſi ex duobus gregibus vnum ouile efficit; quia Iudaicum, & Gentilem populum in ſua fide coniungit: Paulo atteſtante, qui ait: Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Dum enim ad æternam vitam ex vtrâque natione ſimplices eligit, ad ouile proprium oues deducit. De quibus profecto ouibus rurſum dicit: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis. De quibus & Paulo ſuperius dicit: Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.

Greg. *quid ſit oues cognoſcere. quid ſit ab ouibus cognoſci.* *1 Ioan. 2.* *quæ ſint aliæ oues.* *Duos populos Chriſtus redemit.* *Epheſ. 2.* *ver. 9.*

Not. 10. ver. 19.

Chrysost. homil. in Pſalm. 44: Audimus autem ipſum quoque rurſus dicentem: Propterea Pater me diligit, quia ego pono animam meam pro ouibus. Nunquid eum non diligebat antea? Quomodo ergo dixit: Hic eſt filius meus dilectus? Sed hoc poſuit volens oſtendere quantum, & quam præclarum ab eo fieret facinus.

Chryſoſt. *Matt. 3.*

Ver. 20.

Ver. 20.

Elias.

Elias Cretenſis in orat. 4. Naz: Habeo poteſtatem ponendi, &c. Quibus in verbis declaratur, Chriſti paſſionem voluntariam eſſe; ac præterea, quod anima, quæ ponitur, ac ſumitur, alia ſit à ponente, ſumenteque deitate. Aliam, atque aliam dico, non in perſonas duas Chriſtum diuidens, ſed oſtendens naturarum diſcrimen.

Chryſoſt.

Chryſoſt. hom. 71. in Ioan: Poteſtatem habeo ponendi animam meam, &c. Quamdiu ergo retinere voluit, nemo contra valuit, cum autem permiſit, tunc facile fuit auferri. Et ſerm. 5. de Iuda proditore: Mors inuitis imperat, volentibus ſeruit. Ergo quod volens moritur, non caſus eſt, ſed poteſtas. Poteſtatem habeo, inquit, ponendi animam meam, &c. Vbi animam ponendi poteſtas eſt, & ſumendi; ibi moriendi non eſt neceſſitas; ſed voluntas. Si nemo, vtique nec mors. Deniq; nec mors tollere, nec infernus potuit hanc tenere: qua iubente tremens, etiã vinctas animas, quas tenebat, amiſit. Et hom. in Pſal. 40: Poteſtatem habeo accipiendi ipſam, dicebat Chriſtus, vt qui ipſe ſeipſum ſuſcitaturum oſtenderet.

Chryſoſt.

Ver. 19. 20. 21.

Ambr.

Animam hominis non eſſe mortalem.

Amb. lib. de bono mortis cap. 10: Vides igitur, quia non moritur cum corpore, quę & ponitur, & reſumitur, & in manus Dei Patris commẽdatur? ſed ne forte dicas, ſpeciale eſſe, quod Chriſti eſt, & quamuis ille, quæ ſunt hominis ſuſceperit; tamẽ quia alterius eſt cauſa, & iſtud aſtruere: ne tempus craſtinetur, audi dicentem: Quid ſcis an nocte hac à te tua anima repoſcatur?

Aug.

Ex qua natura hoc dicatur à Chriſto.

Et apud Aug. lib. quæſtiuncularum de Trinitate. Ex qua natura dicit: Poteſtatem habeo ponendi animam meam? Reſponſio, Omnium quæ in Chriſto ſunt operum authoritas, ex diuinitate eſt: tamen carni conuenit dicere: Poteſtatem habeo ponendi animam meam, non diuinitati. Diuinitas enim non dimiſit animam, poſtquam aſſumpſit eam in vtero virginis, caro dimiſit, dum emiſit ſpiritum in cruce Chriſtus. Et Amb. lib. 5. de fide cap. 5: Mandatum quod eſſet oſtendit, dicens: Pono animam meam, &c. Vides ideo dictum, vt oſtenderet liberam ſibi ponendæ, ac reſumendæ animæ poteſtatem: Siue igitur mandatum, ſiue, vt aliqui Latini habent, præceptum, non vtique ſecundum diuinitatem; ſed ſecundum incarnationem datur, ad ſubeundæ victoriam paſſionis.

A carne, non à deitate anima Chriſti ſeparata fuit, Amb.

Cap. 103. *Selectio, & miſſio diſcipulorum ſeptuaginta duorum.*

Matt.	*Mar.*	*Luc. 10.*	*Ioan.*

In feſto S. Marci. & S. Lucæ.

1 c. 34.) [POſt hæc autem ✠ deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos.

2 Et miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipſe venturus.

3 Et dicebat illis: Meſſis quidem multa: operarij autem pauci.

4 Rogate ergo Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.

5 Ite, ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos.

6 Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta.

7 Et neminem per viam ſalutaueritis.

8 In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui.

9 Et ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra: ſin autem, ad vos reuertetur.

10 In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua: nolite tranſire de domo in domum.

11 Et in quamcunque ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis.

12 Et curate infirmos, qui in illa ſunt: & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei.

13 In quamcunque autem ciuitatem intraueritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem, qui adhæſit nobis de ciuitate veſtra, extergimus in vos.

14 Tamen hoc ſcitote, quia appropinquauit regnum Dei. ✠

15 Dico vobis, quia Sodomis, in die illa, remiſſius erit, quam illi ciuitati.

Not. 1.

Diſpoſitio ius ratio. Hoc loco, inter ea, quæ ſuperioribus capitibus poſita ſunt ex Ioanne; & illa, quæ in eodem Euangeliſta ſequuntur de geſtis Encæniorum tempore, interponendum omnino videtur, quod Lucas ſcribit de ordinatis, & miſſis ſeptuaginta duobus diſcipulis, cum alijs multis ſequentibus. Nam quæ ex Ioanne, per aliquot capita ſunt poſita, continuo inter ſe ordine hærent, & facta ſunt in Hieruſalem omnia; vt veriſimile ſit, ea contigiſſe ſtatim poſt ſcęnopegiæ feſtum: à quo, vſque ad feſtum Encæniorum, aliquot menſes interceſſerunt. Conuenientiſſimè ergo tempore illo intermedio factam ſeptuaginta duorum diſcipulorum ordinationem & miſſionem intelligitur. Quæ nec ante feſtum tabernaculorum facta eſſe potuit: cum dicat Lucas, eam poſt aſcenſum Chriſti in Hieruſalem accidiſſe: quem ad feſtum tabernaculorum fuiſſe conſtat ex Ioanne. Nec poſt Encæniorum feſtum: cum poſt illud, vſque ad paſſionem Chriſti, breue nimis ſit tempus, quam vt videri poſſit in ipſo factam hanc miſſionem, cum alijs multis, quæ narrantur ab Euangeliſtis. Sed ab illo ſcænopegiæ feſto, vſque ad dictam Chriſti paſſionem, plures menſes interceſſerunt, quibus conuerſatus eſt Dominus in Iudæa, & finibus eius; vt commodè fieri potuerint, quæ ſequuntur: non autem poſt Encænia. Idem quoque oſtendit optima huius capitis, cum ſuperiori connexio. Nam cum ibi ſe bonum eſſe paſtorem docuerit: hic, turbarum miſertus, quod vexarentur, & iacerent ſicut oues non habentes paſtorem, conſtituit, velut bonus paſtor, eos, qui ſecum populum ſalutari doctrina paſcerent; Summa. deſignatiſque alijs ſeptuaginta duobus diſcipulis, emittit eos, præclatis monitis inſtructos, ad prædicandum.

Not 2. verſ. 1. 2.

Aug. Avg. lib. 2. quæſt. Euangelicarum cap. 14: De ſeptuaginta duobus diſcipulis, ſicut vigintiquatuor horis totus orbis peragitur, atque à Myſterium 72. diſcipulorum. ſole luſtratur; ita myſterium illuſtrandi orbis, per Euangelium trinitatis, in ſeptuaginta duobus diſcipulis intimatur. Vigintiquatuor enim ter, in ſeptuaginta duobus ponimus. Quod au-Bini cur mittantur. tem binos mittit, ſacramentum eſt charitatis; ſiue quia duo ſunt charitatis præcepta, ſiue quia omnis charitas, minus quam inter duos eſſe Aug. 72. diſcipuli. non poteſt. Et ſer. 42. de Sanct: Tunc adiecit duodecim diſcipulis ſuis, quos & Apoſtolos nominauit, alios ſeptuaginta duos; & miſit illos omnes, ſicut ex verbis eius apparet, ad paratam meſſem.

Euſeb. Euſeb. lib. 1. hiſto. cap. 12. quorundam diſcipulorum nomina exprimit.

Bed. 12. Apoſtoli repreſentant Epiſcopos, & 72. diſcipuli presbyteros. Bed. Luc. 10: Sicut duodecim Apoſtolos, formam Epiſcoporum exhibere, ſimul & præmonſtrare, nemo eſt qui dubitet; ſic & hos ſeptuaginta duos, figuram presbyterorum, id eſt, ſecundi ordinis ſacerdotum, geſſiſſe ſciendum eſt. Tametſi primis Eccleſiæ temporibus, vt Apoſtolica ſcriptura teſtis eſt, vtrique presbyteri, vtrique vocabantur Epiſcopi. Quorum vnum ſapientiæ maturitatem, alterum induſtriam curæ paſtoralis ſignificat. Bene autem ſeptuaginta duo mittuntur. Cur 72. mittantur. Siue quia totidem mundi gentibus Euangelium prædicandum erat, vt quomodo duodecim tribus Iſrael, ita & hi propter exteras gentes deſtinarentur imbuendas. Seu quod ipſo prædicantium numero totus orbis, per Euangelium ſummæ, & indiuiduæ Trinitatis illuſtrandus intimabatur. Sicut ſolem hunc conſtat triduanum ſuæ lucis ambitum mundo per ſeptuaginta duas horas adflare ſolitum. Nam & Dominus ipſe ſe diem, ſuos vero Apoſtolos horas appellat, dicens: Nonne duodecim horæ ſunt diei? ſi quis ambulauerit in die, non offendit. cap. 11. Et in Pſalmis præcipitur bene: Nunciate diem de die ſalutare eius, hoc eſt, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Sed & multis ſanctæ ſcripturæ locis, per tres dies myſterium Trinitatis oſtenditur, præcipuè quia Dominus tertia die ſurrexit à mortuis. Sed & in veteri teſtamento populus ad montem Sinai perueniens die tertia legem accepit. Idem fluuium Iordanem, quo baptiſmi gratia commendata eſt, tertia quam adierat die, tranſiuit.

Aug. Cur 72. ſint electi. Itaque Beda numeri diſcipulorum rationem aſſignans, ideo ſeptuaginta duos miſſos dicit: quia totidem mundi gentibus prædicandum erat Euangelium: ſicut in prima miſſione duodecim ſunt ordinati, propter duodecim tribus Iſrael, quibus Euãgelium primo erat prædicandum. Nam poſt linguarum confuſionem factam in conſtructione turris Babel, fuiſſe in mundo linguas ſeptuaginta duas, colligi ſolet ex 10. cap. Gen. vbi ſeptuaginta duæ perſonæ, à quibus diuiſæ ſunt gentes in terra iuxta linguas ſuas, ponuntur. Apoſtoli conſtituti ſunt à Domino tãquam Epiſcopi, & primo loco in Eccleſia: diſcipuli vero 72. tanquam alij ſacerdotes, & ſecundo loco, ac ſecundi ordinis miniſtri.

Epiph. De Marco. Epiph. hæreſ. 51: Statim porro poſt Matthæum inſequutus eſt Marcus, iuſſus à ſancto Petro Romæ Euangelium edere, & vbi ſuſcepiſſet, mittitur à ſancto Petro in Ægyptiorum regionem. Hic autem vnus erat de 72. diſcipuli. ſeptuaginta duobus, diſperſis ob verbum quod dixerat Dominus: Niſi quis ederit meam carnem, &c. De Luca. Ecce tertium Euangelium id quod eſt ſecundum Lucam: hoc enim demandatum fuit Lucæ, qui & ipſe vnus de ſeptuaginta 72. diſcipuli. duobus ob ſermonem Domini diſſipatus fuit; verum per ſanctum Paulum rurſus ad Dominum reflexit, qui & Euangelium ipſi prædicare commiſit. Epiph. Et hæreſi 20: Aſſumptus eſt (Chriſtus) in cælum, &c. Miſſis prædicatoribus in vniuerſum orbem terrarum Simone Petro & Andrea, &c. Demiſit porro etiam alios ſeptuaginta duos ad prædicandum, ex quorum numero fuerunt ſeptem vidui præfecti, &c. Act. 6. Ante hos vero Mathias, qui Iudæ loco connumeratus eſt inter Apoſtolos. Act. 1. Poſt hos autem

ſeptem,

ſeptem, & Mathiam ante ipſos, Marcum, Lucam, Iuſtum, Barnabam, & Apellem, Rufum, Nigrum, & reliquos ſeptuaginta duos. Poſt hos deinde omnes, & vna cum ipſis, Paulum ſanctum Apoſtolum, per propriam vocem de cęlo, Apoſtolum, ſimulque præconem gentium, & completorem Apoſtolicæ doctrinæ elegit. Quę comperimus ſanctum Lucam de numero ſeptuaginta duorum diſperſorum exiſtentem ad ſe conuertiſſe, & ſibi ſectatorem feciſſe, cooperatorem in Euangelio, ſimulque Apoſtolum.

72. diſcipuli.

De Luca.

Titus Boſtrenſis Lucæ 10: Non citra cauſam Chriſtus Dominus, Deus, & Dominus noſter duodecim Apoſtolis ſeptuaginta duos diſcipulos adiunxit: Cernebat enim magnam eorum futuram multitudinem, qui olim in ipſum credituri erant. Tendebat enim non Iſraeli tantum tetia, ſed gentium quoque gregibus; Hæc ergo auctioris numeri ratio extitit.

Tit. 72. cur electi.

Hiero. epiſt. 127. ad Fabiolam manſione ſexta: Nunquam priùs occurrerunt fontes puriſſimi, niſi vbi magiſtrorum doctrina prorupit. Nec dubium quin de duodecim Apoſtolis ſermo ſit: de quorum fontibus deriuatæ aquæ, totius mundi ſiccitatem rigant. Iuxta has aquas ſeptuaginta creuerunt palmæ, quos & ipſos ſecundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euangeliſta teſtante, duodecim fuiſſe Apoſtolos, & ſeptuaginta diſcipulos minoris gradus: quos & binos ante ſe Dominus præmittebat. De quibus & Paulus refert, quod apparuerit Dominus primum vndecim, deinde Apoſtolis omnibus: alios volens intelligi primos, & alios ſecundos Chriſti diſcipulos.

Hier. 12 fontes ſunt 12 Apoſtoli. Exod. 15. Num. 33. 70. palmæ ſunt 70. diſcipuli Apoſtolorum & diſcipulorum diſcrimen.

Ambroſ. ſer. 24: Apoſtoli ergo ſunt fontes, qui totius terræ faciem doctrinæ ſuæ flumine rigauerunt, & fatigatis gentium populis potum diuini myſterij propinarunt. Septuaginta autem palmas, iuxta fontes Apoſtolicos generatas, ſeptuaginta illos diſcipulos dixerim, qui ſecundo ab Apoſtolis gradu, propter ſalutem hominum à Domino diriguntur: quos Lucas Euangeliſta deſcribens, binos, & binos aſſerit deſtinatos. Qui vere velut palmæ, poſt curas hominum, cum exultatione redeuntes, gloriantur apud Dominum, ſibi & dęmonia eſſe ſubiecta: Recte igitur comparantur palmis, qui palmarum præmio, diaboli extitere victores.

Amb. 12. fontes ſunt 12. Apoſtoli, 70. palmæ 70. diſcipuli. Apoſtolorum & diſcipulorũ differentia.

Cur palmis diſcipuli comparentur.

Euthymius Lucæ 10: Multi credituri erant, & pluribus prædicatoribus opus erat. Duodecim ſiquidem Apoſtoli primus erat chorus: ſeptuaginta vero, ſecundus. Hos autem duodecim, & ſeptuaginta præfigurabant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta trunci palmarum in Ælim, ad quam venerunt Iſraelitæ, vbi mare rubrum pertranſiſſent.

Euth. Diſcipuli cur electi. Diſcrimẽ Apoſtolorum, & diſcipulorũ. 70. diſcipuli. 12. fontes ſunt Apoſtoli. 70. palmæ ſunt diſcipuli.

Theoph. Lucæ 10: Scriptum eſt in Exodo, quod filij Iſrael venerint in Elim, & duodecim fontes aquarum fuerint illic, & ſeptuaginta palmæ. Quod igitur tunc per hiſtoriam, & in figura factum, nunc vere euenit. Elim aſcenſus interpretatur: quod nihil aliud vult, quam quod ſi non ſimus cum Iudæis in litera legis permanentes, ſed aſcendentes in Chriſtianiſmum ad perfectiorem intelligentiam, & incrementum ſpirituale, inueniemus duodecim fontes, præcipuos illos duodecim Apoſtolos dico, qui omnis doctrinæ dulciſſimi fontes ſunt: inueniemus item & ſeptuaginta palmas, nimirum ſeptuaginta diſcipulos, qui fontes quidem non dicuntur, palmæ tamen ſunt; veluti qui ab Apoſtolis educandi, & docẽdi erant. Nam quamuis Chriſtus illos elegerit, fuerunt tamen inferiores illis duodecim, & diſcipuli illorum poſtea, ac comites. Palmæ igitur illæ à fontibus, Apoſtolos dico, educatæ fuerunt. Nobis autem fructum dulcem quodammodo, & auſterum ſuppeditarunt. Talis enim ſanctorum doctrina eſt, non omnimo dulcis, & adulans, neque omnino auſtera, & verberans; ſed vtriuſque particeps, & tenera condita ſale, gratiamque habens: Vnde & Paulus dicit: Sermo veſter in gratia ſale ſit conditus. Deſignat autem ſeptuaginta diſcipulos Dominus, propter eorum multitudinem, qui doctrina opus habebant. Sicut enim agri frugiferi multos quærunt meſſores, ſic quum multi, & innumerabiles eſſent credituri, multis indigebant magiſtris. Ecce Hieron. Ambr. Euth. & Theophylact. ſeptuaginta diſcipulos comparant ſeptuaginta palmis, quę ih Elim iuxta duodecim fontes aquarum creuerant.

Theoph. Exod. 15. 12. fontes ſunt Apoſtoli. 70. palmæ diſcipuli.

Diſcrimẽ Apoſtolorum & diſcipulorũ.

Palmis cur diſcipuli cõparẽtur.

Col. 4.

Diſcipuli cur electi.

Qui palmis diſcipulos cõparent.

Quoniam de numero diſcipulorum textus Euangelij cap. 103. verſu primo, & cap. 105. verſu primo reperiuntur diuerſi, dum hi codices habent ſeptuaginta duos, alij vero tantummodo ſeptuaginta: inde orta eſt de iſtorum diſcipulorum numero controuerſia, num ſeptuaginta duntaxat, vel ſeptuaginta duo, rei veritate, fuerint. Scribunt ſeptuaginta fuiſſe Græcorum codices: ijque Syriaco textui ſunt conformes. Eis etiam conſentiunt Euthymius, & Theophylact. Notatione 6. Præterea Euſebius Cæſarienſis lib. primi Eccleſiaſticę hiſtoriæ cap. 14. citat Clementem dicentem lib. diſpoſitionum 4. Cepham, cui Paulus in faciem reſtitit, vnum fuiſſe ex ſeptuaginta diſcipulis. Ad hæc Irenęus cap. 13. lib. 3. & Dorotheus in compendio rerum Apoſtolicarum, & Propheticarum, & inter Latinos Patres Damaſus epiſtola 4. quæ eſt de Con. Epiſcopis, & Canon 13. Cõcilij Neocæſarienſis, quem Damaſus profert, mentionem ſeptuaginta duntaxat diſcipulorum faciunt. Porro latini Euangeliorum Codices, diſcipulos iſtos numero ſeptuaginta duos fuiſſe, conſtantiſſimè tradunt. Et ſi authoritate antiquorum res agitur, ſeptuaginta duo reperiuntur. Tatianus enim in ſua Euangelica harmonia cap. 6. legit ſeptuaginta duos. Ammonius itidem in concordia Euangelica cap. 17. Et Clemens Papa conſtitutionum lib. 2. cap. 59. Anacletus etiam Papa, antiquitate, pontificatu, & martyrio celeberrimus, epiſtola 3. quæ eſt de Patriarchis, primatibus, & reliquis Epiſcopis, dicit ad Apoſtolorum adiumentum electos à Domino diſcipulos ſeptuaginta duos: quorum præsbyteri locum tenent. Inſuper conſentiunt Patres Epiph. Notatione 4. Auguſtinus Notat. 2. Beda Notatione tertia. Titus Boſtrenſis Notat. 4.

Auct. Diſcipuli quot fuerint.

Qui putẽt eſſe 70.

Euth. Theoph.

Clem. Gal. 2.

Iren. Doro.

Dam. Conc. Neocæſ.

Qui putẽt eſſe 72.

Tatia. Amm. Clem.

Anac.

Epiph. Aug. Bed. Tit.

Hier.

& alij complures. Hieronymus quidem tantum ſeptuaginta diſcipulos numerat: ſed cum per purgatum, omniq́ue labe emaculatum Lucæ Euangelium, vna cum alijs tribus, ad Damaſum mittit, ex emendatioribus codicibus reſtituit numerum ſeptuaginta duorum Lucæ 10. Porro de egregia à ſe nauata opera, in emendandis codicibus deprauatis quatuor euangeliorum, idem ſcribit ad Damaſum Præfatione in quatuor Euangelia. Amb. quoque diſcipulorum ſeptuaginta ſolum facit mentionem; tamen poſtea in caput 9. epiſt. ad Rom. & in cap. 12. prior. ad Cor. manifeſtæ de ſeptuaginta duobus diſcipulis loquitur. Cæterum, haud mirandum, ſi penes aliquos ſeptuaginta tantum nominatos diſcipulos quis inueniat. Id enim perinde accidit, ac cum citati reperiuntur ſeptuaginta interpretes, quos, abſque vlla dubitatione, conſtat fuiſſe ſeptuaginta duos, ſex ex ſingulis tribubus, ab Eleazaro pontifice ad Ptolomæum Ægypti regem miſſos, qui ſacros codices in græcam linguam verterent; vt Ioſephus lib. duodecimo Antiquitatum cap. 2. tradit; tamen breuitatis cauſa apud nonnullos vſu receptum eſſe teſtatur Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 42. vt cum illos allegant, ſeptuaginta tantum dicant interpretes. Sicut olim apud Romanos, collegium Centumuirum dicebatur, cum tamen reuera eſſent centum, & quinque iudices, qui lites iudicarent. Nam tres eligebantur ex ſingulis tribubus, quæ erant triginta quinque. Si dicamus eo numero alludere Dominum voluiſſe ad ſeptuaginta illos ſeniores, quos Deus præcepit eligi Numerorum vndecimo; conſtat eos fuiſſe ſeptuaginta duos. Quo exemplo perſeuerauit apud Iudæos concilium ſeniorum ſeptuaginta duorum. Quod Senedrin appellabant. Itaque non eſt omittendum in Euangelico textu, duos. Hæc diſputatio viſa mihi eſt neceſſaria, non ſolum ad veram huius textus ſtabiliendam lectionem; ſed etiam ad inueſtigandam rationem numeri, quam, non ſine cauſa, Dominus hic obſeruauit. Cum itaque iam Chriſtus multos ſibi delegiſſet cooperatores, qui ex frequenti ſecum conſuetudine Euangelio prædicando pro temporis exigentia eſſent apti; cumque iam tempus ſuæ paſſionis appeteret, vt non liceret ipſi diu Iudæorum ciuitates inuiſere, & perambulare, auctiorem iam numerum diſcipulorum, quos ante ſe mitteret, delegit; per quos cito Euangelij prædicatio in omnes Iudææ, & vicinarum regionum ciuitates perueniret. Et quemadmodum in principio ſui regni, & prædicationis, duodecim elegit veluti duodecim principes, & Patres duodecim tribuum Iſrael: ita regno ſuo increſcēte ſeptuaginta duos delegit alios, veluti ſeptuaginta duos populi Iſraelitici Senatores; quorum opera vteretur, ad imitationem Moſis, regni ſui ſpeciem, & Maieſtatem hac ratione declarans. Porro ſicut duplex hic ordo diſcipulorum ſuas habet in veteri teſtamento præcedentes figuras: ita ipſe forma erat, & exemplar quoddam duplicis ordinis in Eccleſia Chriſti inſtituendi; nimirum ordinis Epiſcoporum, & minorum ſacerdotum: quemadmodum id ab initio ſemper Eccleſiaſtici Patres intellexerunt. Vnde Clemens in epiſtola ad fratrem Domini, Petrum refert dixiſſe, Dominum docuiſſe Epiſcopos vicem Apoſtolorum gerere; eundemq́ue Petrum inſinuaſſe reliquorum diſcipulorum vicem tenere Presbyteros debere. Proinde hinc licet colligere argumentum, ad probandum diſtinctionem ordinis Epiſcopalis, ab ordine minorum ſacerdotum; contra eos, qui omnes ſacerdotes eſſe volunt æquales. Septuaginta duos enim hos diſcipulos non fuiſſe æquales duodecim Apoſtolis, ex eo patet, quod poſt duodecim Apoſtolos ordinati à Domino non peruenerunt ad eorum nomen; ſed permanſit ipſis duodecim nomen Apoſtoli proprium. Et rurſum quod ex horum procul dubio numero, ab Apoſtolis Mathias ſit pro Iuda in Apoſtolorum collegium aſſcitus: prouectus nimirum ex ordine inferiori ad ſuperiorem.

Amb.

Cur tantum 70. nominentur

Ioſeph.

Aug.

Huius numeri figura. Num. 11.

Ratio electionis 72.

Duo diſcipulorum ordines figurantur, & figura

Clem.

Epiſcoporum ab aliis ſacerdotibus diſcrimen.

Not. 3. ver. 2. ſ.

Ambr. lib. 7. in Luc: Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos. Ad ſeptuaginta diſcipulos dicit hoc, quos deſignauit, & miſit binos ante faciem ſuam. Qua ratione binos miſit? Quia bina miſſa ſunt animalia in arcam, hoc eſt, cùm mare fæmina, immunda per numerum, ſed mundata Eccleſiæ ſacramento. Quod completum eſt oraculo; quod ſanctus Petrus accepit, dicente ſibi Spiritu ſancto: Quod Deus mundauit, tu ne commune dixeris. Et aduertit dictum eſſe de gentilibus, qui corporeæ magis generationis ſucceſſionem, quam ſpiritalis gratiæ, ſequebantur. Hos mundauit Dominus, & paſſionis ſuæ fecit hæredes. Mittens ergo diſcipulos in meſſem ſuam, quæ licet verbo Dei inſita, tamen culturæ laborem, & ſolicitum munus operarij requirebat, ne aues cæli ſparſa ſemina diſſiparent, ait: Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos. Contraria ſunt iſta ſibi animalia, vt alia ab alijs deuorentur Sed bonus paſtor lupos gregi ſuo timere non nouit; ideoque iſti diſcipuli non in prædam, ſed ad gratiam diriguntur. Solicitudo enim paſtoris boni efficit, vt lupi in agnos audere nihil poſſint. Mittit ergo agnos inter lupos, vt compleretur illud: Tunc lupi, & agni ſimul paſcentur. Et quoniam proxime de vulpe nobis non ingratus tractatus enaſit, ſi iudicium veſtrum fidele in figura minuſculi animantis expertus ſum, præſumo quod profunda myſteria quæ luporum ſpecie velantur, ſtudiorum veſtrorum poſſim aperire ſuffragio. In ſpecie vulpium hæreticos ſignificari ſupra expreſſimus, qui promittunt nomine quod Chriſtum ſequantur, ſed ſtudio fraudis abiurant. Hos non ſuſcipit Dominus, ſed à ſuo nido arcet, & prohibet. Lupi quid ſignificare videantur, debemus aduertere. Beſtiæ nempe ſunt quæ inſidiantur ouilibus, circa paſtorales verſantur caſas, habitacula domorum intrare non audent, ſomnum canum, abſentiam,

Ambr.

70 diſcipuli.

Cur binos miſit. Gen. 6. 7.

Act. 10.

Iſa. 11.

Hæretici per vulpes deſignantur.

Lupi conditiones.

tiam, aut deſidiam paſtoris explorant, ouium guttur inuadunt, vt cito, ſtrangulent; feri, rapaces, ijdemque natura corporis rigidiores, vt ſe facile non poſſint inflectere, impetu quodam ſuo feruntur, & ideo ſæpe luduntur. Tũ præterea ſi quem priores hominem viderint. Vocem eius quadam naturæ vi feruntur eripere: Si autem homo prius eos viderit, exagitari memorantur. Et ideo cauendum mihi eſt, ne ſi in hodierno tractatu ſpiritalium myſteriorum gratia non potuerit refulgere, lupi me prius vidiſſe credantur, & ſolenne vocis extorſiſſe ſuffragium. Nonne lupis iſtis hæretici comparandi ſunt, qui inſidiantur ouilibus Chriſti, fremunt circa caulas, nocturno magis tempore, quam diurno? Semper enim perfidis nox eſt, qui lucem Chriſti, ſæuæ nebulis interpretationis obducere, &, quantum in ipſis eſt, fuſcare conantur. Verſantur ergo circa caulas, ſtabula tamen Chriſti intrare non audent. Et ideo non ſanantur: quia in ſtabulum ſuum non vult eos Chriſtus inducere, in quo curatus eſt ille, qui de Hieruſalem deſcendens incidit in latrones: quem vulneribus alligatis, infuſo oleo, & vino, imponens in iumentum ſuum Samaritanus ille duxit in ſtabulum, & ſanandum ſtabulario dereliquit. Non accipiunt ergo medicinam, qui medicum non requirunt. Si enim requirerent non derogarent. Explorant paſtoris abſentiam, & ideo paſtores Eccleſiarum vel necate, vel in exilium agere contendunt: quia præſentibus paſtoribus oues Chriſti incurſate non poſſunt. Spoliare ergo gregem Domini, & diripere conantur, qui corporea quadam mentis intentione duri, ac rigidi, nequaquam ſolent à ſuo errore deflectere. Et ideo Apoſtolus ait: Hæreticum hominem poſt vnam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt. Hos ſcripturæ verus interpres Chriſti illudit: vt inanes ſuos in vanum effundant impetus, & nocere non poſſint. Qui ſi quem verſuta diſputationis ſuæ circunſcriptione præuenerint, faciunt obmuteſcere. Mutus eſt enim qui verbum Dei non eadem, qua eſt gloria, confitetur. Caue ergo ne tibi vocem tollat hæreticus, ſi prior eum non ipſe deprehenderis: ſerpit enim, dum latet eius perfidia. Si autem commenta impietatis eius agnoueris, iacturam piæ vocis timere non poteris. Caue igitur verſutæ diſputationis venena; animam petunt, guttur inuadunt, vitalibus vulnus affigunt. Graues ſunt morſus hæreticorum, qui ipſis grauiores, & rapaciores beſtijs, nullum auaritiæ finem, impietatiſque nouerunt. Nec vos moueat quod formam prætendere videntur humanam; etſi foris homo cernitur, intus beſtia fremit. Et ideo eos lupos eſſe non dubium eſt, iuxta Domini Ieſu diuinam ſententiam, qui ait: Attendite vobis à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ouium, intus autem ſunt lupi rapaces, ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Si quis ergo ſpecie mouetur, fructum interroget. Audis aliquem ſacerdotem dici? Rapinas eius non agnoſcis. Veſtitum ouis habet, facta prædonis. Foris ouis, intus lupus eſt: qui modum non habet rapinarum, qui tanquam in nocte ſcythico membra duratus gelu, cruentus ora, circumuolat quærens quem deuoret. Nonne vobis videtur lupus, qui humanæ necis inſaturabili crudelitate fidelium morte populorum, rabiem ſuam deſiderat explere? vlulat iſte, non tractat, qui negat vocis autorem, & ſacrilego ſermone beſtiale murmur interſtrepit, qui non confitetur Dominum Ieſum æternæ præſulem vitę. Audiuimus eius vlulatus, cum in orbem gladius mitteretur. Dentes aſperos, ora tumida præferebat, & putabat, quod vocem omnibus abſtuliſſet, quam ſolus amiſerat. Et ideo vt hos lupos effugere poſſimus, docet Dominus quid ſequamur.

Lupi ſunt hæretici.

Cap. 106.

Tit. 3.

Greg. hom. 17. in Euangelia: Dominus, & Saluator noſter, fratres chariſſimi, aliquando nos, ſermonibus, &c. Lect. 7. 8. & 9. in com. Euang.

Greg. Quomodo nos Deus admoneat.

Ver. 3.

Aug. ſer. 41. de Sanctis: In lectione Euangelij, quæ modo recitata eſt, admonemur quærere quæ ſit meſſis, de qua Dominus ait: Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Quæ ergo erat illa meſſis? Non enim illa meſſis in his gentibus erat, vbi nihil fuerat ſeminatum. Reſtat ergo, vt intelligamus iſtam meſſem fuiſſe in populo Iudæorum. Ad illam meſſem venit Dominus meſſis. Ad illam meſſem miſit meſſores: Ad gentes autem non meſſores, ſed ſeminatores. Intelligamus ergo meſſem factam in populo Iudæorum, ſementes in populis Gentium. Ex illa enim meſſe Apoſtoli electi ſunt, Vbi iam quod meteretur maturum erat, quia ibi prophetæ ſeminauerunt. Delectet inſpicere agriculturam Dei, & oblectari donis eius; & opera in agro eius. Attendite ergo & delectet vos mecum inſpicere agriculturam Dei in meſſes duas, vnam tranſactam, aliam futuram. Tranſactam in populo Iudæorum, futuram in populis Gentium, &c. Seminatum eſt enim ab Apoſtolis, & prophetis, &c.

Aug. Quæ ſit illa meſſis.

Cyril. lib. 12. theſauri cap. 15: Quum multos vndique concurſuros ad fidem Saluator videret, dixit ad diſcipulos: Meſſis quidem multa, operarij autem pauci, rogate igitur Dominum meſſis, vt multos in meſſem ſuam operarios immittat. Nec vllam rem aliam meſſem appellat, quam venientium hominum ab idololatria ad fidem Chriſti, quorum Dominus ipſe Chriſtus eſt. Quomodo igitur non eſt Deus verus? præſertim quum etiam Paulus per pœnitentiam omnes ad Chriſtum vocet, dicens: Rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Quoniam igitur ſolus Deus, qui eſt Dominus omnium, meſſis quoque huiuſmodi, Dominus eſt, ipſe ſolus erat operarios in meſſem miſſurus. Sed hoc ipſe feciſſe Saluator inuenitur. Iuſſit enim Philippo vt ſequeretur ſe. Deus igitur verus eſt, & non creatura.

Cyril. Quid ſit meſſis. quia Chriſtus eſt Dominus meſſis, & eſt Deus.

Ver. 3. 4.

Ver 3. 4.

Greg. Greg. homil. 17. in Euang: Ad meſſem multam operarij pauci ſunt, quod ſine graui mærore loqui non poſſumus; quia etſi ſunt qui bona audiant, deſunt tamen qui dicant: Ecce mundus ſacerdotibus plenus eſt; ſed tamen in meſſe Dei rarus valde inuenitur operator: quia officium quidem ſacerdotale ſuſcipimus; ſed opus officij non implemus. Sed penſate, fratres chariſſimi, penſate quod dicitur: Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuã. Vos pro nobis petite, vt digna vobis operari valeamus, ne ab exhortatione lingua torpeat: ne poſtquam prædicationis locum ſuſcipimus, apud iuſtum iudicem noſtra nos taciturnitas addicat. Sæpe enim pro ſua nequitiã prædicantium lingua reſtringitur. Sæpe vero ex ſubiectorum culpa agitur, vt eis, qui præſunt, prædicationis ſermo ſubtrahatur. Ex ſua quippe nequitia prædicantium lingua reſtringitur. Sicut Pſalmiſta ait: Peccatori autem dixit Deus; quare tu enarras iuſtitias meas? Et rurſum ex vitio ſubiectorum, vox predicantium ſubſtrahitur. Sicut ad Ezechielem Dominus dicit: Linguam tuam adhæreſcere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir obiurgans; quia domus exaſperans eſt. Ac ſi aperte dicat: Idcirco tibi prædicationis ſermo tollitur: quia dum me in ſuis actibus plebs exaſperat, non eſt digna cui exhortatio veritatis fiat. Ex cuius ergo vitio prædicatori ſermo ſubtrahatur, non facile cognoſcitur. Quia vero paſtoris taciturnitas aliquando ſibi, ſemper autem ſubiectis noceat, certiſſimè ſcitur. Sed vtinam ſi ad prædicationis virtutem non ſufficimus, loci noſtri officium in innocentia vitæ teneamus.

Pauci ſunt operarij.

Paucitas operariorum vnde proueniat.

Pſal. 49.

Ezech. 3.

Ver. 5.

Aug. Aug. ſer. 119: de diuerſis: Audiſtis, fratres, cum ſanctum Euangelium legeretur, quemadmodum Dominus noſter Ieſus Chriſtus, diſciplina ſua, martyres ſuos corroborauerit, dicens: Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum. Conſiderate, fratres mei, quid faciat. Si vnus lupus inter multas oues veniat, quantacunque ſint ouium millia, vno lupo in medio turbabuntur: Etſi non omnes laniantur, omnes tamen terrentur. Qualis ergo erat iſta ratio, quale conſilium, qualis poteſtas, nec lupum ad oues admittere, ſed in lupos oues mittere? Mitto, inquit, vos, ſicut oues in medio luporum: non ad limites luporum, ſed in medio luporum, erat ergo luporum agmen, oues paucæ. Cum enim multi lupi occiderunt paucas oues, conuerſi ſunt lupi, & facti ſunt oues. Audiuimus ergo quod monuit, qui coronas promiſit, & agonem præmiſit; & quia exſpectat certantes, adiuuat laborãtes. Cuiuſmodi certamen indixit? Eſtote, inquit, aſtuti, vt ſerpentes; & ſimplices, ſicut columbæ. Hoc qui intellexerit, & tenuerit, ſecurus moritur. Quis autem ſecurus moritur, niſi qui ſe ſic nouerit moriturum, vt mors in illo moriatur, vita coronetur?

Exſpectat, pro ſpectat, Auguſtino peculiare.

Ambr. Ambr. ſerm. 6. in Pſal. 118: Lupi ſunt enim perſecutores; lupi ſunt hæretici omnes: docere neſciunt, vlulare conſuerunt; ſed nemo moueatur, ſi in medium luporum mittitur. Beneficio Chriſti & lupus ipſe mutatus eſt. Beniamin lupus rapax Apoſtolus Paulus factus eſt, non iam inſidiator ouilium Chriſti, ſed defenſor, & cuſtos. Cum hoc lupo verſari libet, per hunc lupum factum eſt, vt ſimus tuti in medio luporum.

Qui ſint lupi.

Greg. Greg. homil. 17. in Euang: Multi autem cum regiminis iura ſuſcipiunt, ad lacerandos ſubditos inardeſcunt. Terrorem poteſtatis exhibent; & quibus prodeſſe debuerant, nocent. Et quia charitatis viſcera non habent, Domini videri appetunt, Patres ſe eſſe nomine recognoſcunt, humilitatis locum in elationem dominationis immutant. Et ſi quando extrinſecus blandiuntur, intrinſecus ſæuiunt. De quibus alias Veritas dicit: Veniunt ad vos in veſtimentis ouium; intrinſecus autẽm ſunt lupi rapaces. Contra quæ omnia conſiderandum nobis eſt, quia ſicut agni inter lupos mittimur, vt ſenſum ſeruantes innocentiæ, morſum malitiæ non habeamus. Qui enim locum prædicationis ſuſcipit, mala inferre non debet, ſed tolerare: vt ex ipſa ſua manſuetudine iram ſæuientium mitiget, & peccatorum vulnera in alijs, ipſe afflictionibus vulneratus, ſanet. Quem etſi quando zelus rectitudinis exigit, vt erga ſubiectos ſæuiat, furor ipſe de amore ſit, non de crudelitate, quatenus & iura diſciplinæ foris exhibeat, & intus paterna pietas diligat, quos foris quaſi inſequendo caſtigat. Quod tunc bene rector exhibet, cum ſeipſum diligere per amorem priuatum neſcit; cum nulla, quæ mundi ſunt, appetit; cum terrenæ cupiditatis oneribus nequaquam mentis colla ſupponit.

Seuientes ſe non debere in ſubiectos.

cap. 7.

Quando, & quomodo ſæuire debeant ſuperiores.

Not 4. verſ. 6.

Hier. HIERON. Amos 2: Apoſtoli nudis pedibus iubentur incedere, ne quid mortis habeant, & pellium, quæ referuntur ad carnes.

Baſ. Baſil. in regul. breuiorib. interrog. 251: Quomodo Dominus nunc portari ſacculum, & peram in itinere vetat; nunc idem dicit; Sed nunc qui habet, tollat; ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium? hoc Dominus ipſe dilucide explicat, cum dicit: Oportet enim hoc etiam impleri in me: & cum iniquis deputatus eſt: confeſtim enim poſt euentum vaticinij de gladio, dicit Petro: Conuerte gladium tuum in locum ſuum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Vt illud nequaquam præceptum ſit; ſed nunc qui habet ſacculum, tollat, vel tollet, ita enim pleraque habent exemplaria. Sed vaticinium Domini, prædicentis Apoſtolos oblitos donorum, & legis Domini, gladio etiam rem gerere auſuros. Quod autem in ſacris litteris imperatiuus loquendi modus frequenter pro vaticinandi modo vſurpatus ſit, manifeſtum eſt multis ex locis: veluti ex eo; fiant filij eius orphani. Et:

Varia lectio.

Imperatiuus aliquando eſt vaticinij & prædictionis.

Pſal. 118. Et Diabolus ſtet à dextris eius; & quæcunque ſunt ſimilia.

Amb. Ambr. lib. 7. in Lucam: Quid ſit ſacculum non eſſe portandum, alibi euidenter expreſſit. Scripſit enim Matthæus, quoniam dixit ad diſ- cap. 68. cipulos Dominus: Nolite poſſidere aurum, neque argentum. Si prohibemur aurum poſſidere; quid eripere, quid auferre conamur? Si quod habes, doceare præcipere, quemadmodum con- Rom. 2. geris, quod poſſidere prohiberis? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mœchandum, mœcharis? Qui execraris idola, ſacrilegium facis? Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blaſphematur. Non ſic Apoſtolus Petrus, qui primus Dominicæ executor ſententiæ fuit, vt oſtenderet non in vacuum Domini effuſa mandata, cum poſceretur à paupere vt ei aliquid pecuniæ largiretur, ait: Argen- Act. 3. tum, atque aurum non habeo. Ille gloriatur quod non habeat argentum, atque aurum; vobis pudori eſt minus adhuc habere, quam cupitis. Eſt ergo & pauperies glorioſa: quia eſt & beata paupertas, de qua ſcriptum eſt: Beati paupe- cap. 47 res ſpiritu. Tamen non tam hoc gloriatur Petrus, quod argentum, & aurum non habeat; quam quod ſeruet Domini mandatum, qui præcepit: Nolite aurum poſſidere. Hoc eſt dicere: Vides me Chriſti eſſe diſcipulum, & aurum à me requiris? aliud nobis multo pretioſius auro donauit, vt in nomine eius operemur. Itaque non habeo quod non dedit; ſed quod dedit habeo. In nomine Domini Ieſu ſurge, & ambula. Sicut ergo qui horrea vult congregandis ædificare frumentis Dominicæ ſententiæ authori- Quid ſacculus. tate reprehenditur, ita qui ſacculum vult auro parare condendo, neuum reprehenſionis incurrit. Non peram, non calceamenta. Vtrum- Pera. Calceamenta. que de corio mortui animantis confici ſolet; nihil autem in nobis Dominus Ieſus mortale vult eſſe. Denique ad Moyſen dicit: Solue cal- Exod. 3. ceamentum pedum tuorum: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. Mortale igitur, atque terrenum calceamentum iubetur ſoluere, cum mitteretur ad populum liberandum. Huius enim miniſter muneris timere nihil debet, nec à ſuſcepto officio mortis periculo retardari. Ipſe enim cum defenſionem fratrum, hoc eſt, Iudæorum voluntarius recepiſſet, calumniæ terrore reuocatus eſt ab incepto, & fugit ex Ægypto. Et ideo cum Dominus affectum eius probaſſet, conditionem autem vidiſſet infirmam, animi eius, mentiſque veſtigium mortalibus vinculis cenſuit exuendum. Quod ſi quem mo- Exod. 12. uet, qua ratione in Ægypto calceati iubentur edere agnum, Apoſtoli autem ſine calceamentis ad prædicandum Euangelium diriguntur; is conſiderare debet, quia in Ægypto poſitus, debet adhuc morſus cauere ſerpentis; Multa enim venena in Ægypto: & qui in typo paſcha celebrat, poteſt vulneri, qui autem miniſter eſt veritatis, contra venena non trepidat. Denique momordit Paulum vipera, in Melita Act. 28. inſula, & videntes pendentem de manu eius viperam incolæ loci illius, putabant eum eſſe moriturum. Sed vbi inoffenſum ſtare viderunt, Deum eſſe dicebant, cui venenum nocere non poterat. Et vt ſcias hoc verum eſſe, ipſe Dominus ait: Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnes virtutes inimici, & nihil vobis nocebunt. cap. 105. ver. 3.

Ver. 6. 7.

Greg. hom. 17. in Euang: Prædicatori tanta debet in Deo eſſe fiducia, vt præſentis vitæ ſumptus quamuis non prouideat, tamen ſibi hos non deeſſe certiſſime ſciat; ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus alijs prouideat æterna. Cui etiam per viam neminem ſalutare conceditur; vt ſub quanta feſtinatione iter prædicationis pergere debeat, oſtendatur. Quæ ſi quis verba etiam per allegoriam velit intelligi, in ſacculo pecunia clauſa eſt: pecunia vero clauſa, eſt ſapientia occulta. Qui igitur ſapientiæ verbum habet, ſed hoc erogare proximo negligit, quaſi pecuniam in ſacculo ligatam tenet. Vnde ſcriptum eſt: Sapientia abſcondita, & theſaurus occultus, quæ vtilitas in vtriſque? Quid vero per peram, niſi onera ſæculi; & quid hoc loco per calceamenta, niſi mortuorum operum exempla ſignantur? Qui ergo officium prædicationis ſuſcipit, dignum non eſt, vt onus ſecularium negotiorum portet: ne dum hoc eius colla deprimit, ad prædicanda cæleſtia non aſſurgat. Nec debet ſtultorum operum exempla conſpicere, ne ſua opera, quaſi ex mortuis pellibus credat munire. Sunt & enim multi, qui prauitatem ſuam, ex alienis prauitatibus tuentur. Quia enim alios talia feciſſe conſiderant, ſe hæc facere licenter putant, hi quid aliud faciunt, niſi pedes ſuos ex mortuorum animalium munire pellibus conantur? Omnis vero qui ſalutat in via, ex occaſione ſalutat itineris, non ex ſtudio optandæ eiuſdem ſalutis. Qui igitur non amore æternæ patriæ, ſed præmiorum ambitu ſalutem audientibus prædicat, quaſi in itinere ſalutat: quia ex occaſione, & non ex intentione, ſalutem audientibus exoptat. Greg. Deo fidendum. Cur ſacculus, pera, & calceamenta neglig-enda. Cur in via nemo ſalutandus. Quid ſacculus. Eccl. 41. Quid pera, & calceamenta. Quid ſit in itinere ſalutare.

Euth. Luc. 10: Nolite portare ſacculum, &c. hoc interdicto iubet, vt de neceſſarijs corporis ſpem in illum habeant, qui ipſos emiſit. Quum autem iubet, ne ſacculum ferant, ab auaritia auocat: dicens, neque peram, dehortatur à recondendo cibo: quum vero addit; neque calceamenta, ad exercitium ipſos erudit. Et neminem per viam ſalutaueritis. Hoc iuſſit non inhumanos eos fieri volens, aut moribus aſperos, quos nemo poſſit compellare; ſed impedimento carentes. Solet enim ſalutatio per viam, vehementiæ ſtudij, vt plurimum, obſtare. Præcipit itaque illis, vt ſoli operi eis commiſſo intendant: & obliuiam prædicationis occaſionem non inſumant in ea, quæ neceſſaria non ſunt, ſed præter intentum ſeſe offerunt. Eliſæus quoque olim omiſſo Giezi famulo ad opus, quod feſtinationem requirebat, præcepit dicens: Si inueneris virum, non benedicas ei; et ſi tibi benedixerit vir, ne reſpondeas illi: iudicans opus eſſe, Eut. Chriſto fidant miniſtri Euangelij. Quis ſacculus. Quid pera Calceamenta. Vt in via nemo ſalutandus. 4 Reg. 4.

eſſe, vt indiſtractus, ac omnino ſine impedimento procederet.

Theoph. Theoph. Luc. 10: Quia ipſos miſſurus erat prædicatores Euangelij, dicit, ne portetis ſacculum, neque hoc, vel illud: ſufficit enim vobis quod curam habeatis verbi. Nam ſi ſacculum portaueritis, manifeſtum quod illius vobis cura eſt, & verbum contemnitis. Vel aliter: Quoniam alendi eſtis ab his, quos docetis. Quid vobis ſacculo opus, vel pera, vel calceamentis? Omnem enim illorum vſum ſuppeditabunt hi, qui à vobis docebuntur. Porro quod nullum per viam ſalutent, hac de cauſa eis iniungit, vt ne occuparentur in hominum ſalutationibus, & curioſitatibus, quibus à prædicatione impedirentur. Veriſimile enim eſt, vt cum quis ſalutauerit quempiam, ab eodem reſalutetur, & de maiori familiaritate interpellertur; vt fieri ſolet in his, qui ſimul vadunt. Simul enim vt amici facti, etiam amplius, & curioſius quiddam ſcrutantur: & ſic paulatim in humana negotia Apoſtoli inciderent, verbumque negligerent. In itinere igitur ſalutare quempiam ea de cauſa prohibet. Ex Patribus ergo licet colligere, inter ſacculum, & peram hoc intereſſe, quod per ſacculum ſignificetur repoſitorium pecuniarum, id eſt, marſupium, ſeu crumena: per peram vero, cibariorum repoſitorium. Et quod hic non tam eſt prohibitio, quam promiſſio, quod nihil eis deerit.

Cur ſacculus non ferendus.

Vt nullus in via ſalutandus.

Sacculus, & pera qui differant.

Auct. Hoc tantum hic proprium habet Lucas, quod iſtis mandatum commemoret, vt neminem per viam ſalutarent, quanquam dubitandum non ſit, iſtud etiam duodecim Apoſtolis dictum fuiſſe. Hoc autem præcepto, non penitus omnem ſalutationem ſuis prohibere voluit. Quomodo enim conueniſſet id, quod humanitatis eſt, & beneuolentiæ, eum prohibere; qui iubet etiam inimicis benedicere, eoſque ſalutare, hoc eſt, ſalutem eis imprecari? Sed hyperbolicus eſt ſermo, quo ſuis ſedulitatem, & celeritatem in iniuncto opere commendauit, innuens omnem vanam confabulationem, quæ ſalutationem conſequi ſolet, in via eſſe fugiendam, omneſque itineris moras, & occaſiones diſtractionis ſpiritus à cogitatione eorum, quæ eis demandata erant, eſſe amputandas. Ergo hic oſtenditur, quod operarius debeat eſſe totus operi ſuo intentus; nullique alteri rei intendere; adeo ſit ſollicitus de rebus ſibi commiſſis oportet. Simile præceptum Helizæus eadem de cauſa dedit Giezi famulo ſuo, cum eum mitteret ad opus, quod feſtinationem exigebat, dicẽs, vt ſcribitur quarti Regum quarto: Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum: etſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi. Vnde Origenes tractatu 7. in Matthæum: Neminem in via ſalutaueritis. Si quis non diſcutiens quid volens Ieſus hoc loco præcepit, quaſi zelans vitam Apoſtolorũ, neminem in via ſalutauerit, is quaſi inhumanus, & ſtultus videbitur omnibus: & ſic docebit odire omnes verba Chriſti, quaſi agreſtes, & inhumanas docentia homines eſſe. Fortitan autem & morietur in odium cunctorum ded[illegible], littera ſe occidente.

Quid hic Lucæ proprium.

Vt nullus in via ſalutandus,

4 Reg. 4

Orig.

Amb. Amb. lib. [illegible], in Lucam: Fortaſſe quibuſdam hoc durum, ac ſuperbum, nec manſueti, & humilis Domini præcepto conuenire videatur, quod ille qui etiam accubitum loco præcipit eſſe cedendum, hoc loco mandet diſcipulis: Neminem ſalutaueritis in via; cum utique communis ſit vſus gratiæ. Sic inferiores ſuperiorum ſibi fauorem conciliare conſueuerunt. Gentiles quoque cum Chriſtianis habent huiuſmodi officiorum commercia; Quomodo Dominus hunc vſum humanitatis abſtulit? Sed conſidera non hoc eſſe ſolum; Neminem ſalutaueritis, ſed non fruſtra additum: In via. Denique & Helizæus cum mitteret ſeruum ſuum vt baculum eius poneret ſupra corpus pueruli defuncti, mandauit ei, ne per viam aliquem ſalutaret. Feſtinato enim iubebat ad eum contendere, vt celebrandæ reſurrectionis compendium efficeret, ne confabulatione alicuius obuij, mandato reflecteretur à munere. Ergo & hic non ſalutationis officium, ac ſedulitas adimitur, ſed obſtaculum impediendæ deuotionis aboletur, vt quando diuina mandantur, paulisper differantur humana. Pulchra eſt ſalutatio, ſed eo pulchrior, quo præceptorum maturior executio diuinorum, quæ per moram ſæpe tardius offenſam. Ideo autem & honeſta prohibentur, ne ſolennis gratia obrepat officij, & impediat miniſterium, cuius mora culpa ſit.

Vt in via [illegible]

4 Reg. 4

Aug. Aug. ſer. 42. de Sanctis: Videamus quomodo nos intelligamus, quod præcepit Dominus eis, quos mittebat Euangelium prædicare, & meſſem paratam videamus: Nolite, inquit, ferre ſacculum, &c. Si quo minus, ad vos reuertetur. Si requieuit, perdidit? Abſit hoc à mente ſanctorum. Ergo nec illud accipiendum eſt carnaliter; ac per hoc forte nec ſacculum, nec calceamenta, nec pera, maximeque illud vbi [illegible] ſimpliciter ſine diſcuſſione accipiemus, ſuperbia videtur impoſita, ne quemquam in via ſalutemus. Attendamus Dominum noſtrum exemplum verum, & adiutorium; probemus quia adiutorium, ſine me nihil poteſtis facere. Probemus quia exemplum, Chriſtus pro nobis paſſus eſt. Petrus dicit: Nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius. Ipſe Dominus noſter loculos habuit in via, & ipſos loculos Iudæ commendauerat. Patiebatur quidem furem; ſed ego a Domino meo diſcere cupiens, dico: Domine, patiebaris furem? Vnde habebas vnde tolleret? me hominem infirmum & miſerum monuiſti nec ſacculum portare, tu portaſti loculos, & erat vbi furem [illegible]. Si non portares, nec ille inueniret quod auferret. Quid reſtat, niſi quod hic dicat mihi: intellige quod audis, noli portare ſacculum. Quid eſt ſacculus? pecunia clauſa, id eſt, occulta ſapientia. Quid eſt, noli portare ſacculum? Nolite fieri ſapientes penes vosmetipſos. Accipite Spiritum ſanctum. Fons in te debet eſſe, non ſacculus, vnde erogatur, non vbi includatur. Hinc eſt, pera, quod ſacculus. Calceamenta quid ſunt? Calceamenta, quibus vtimur, coria mor-

tuorum

tuorum ſunt, nobis tegmina pedum. Per hoc ergo iubemur renunciare mortuis operibus. Hoc in figura Moyſes admonebatur, quando Dominus loquens, ait: Solue calceamẽta de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Quid tam terra ſancta, quam Dei Eccleſia? In illa ergo ſtemus, calceamenta ſoluamus, id eſt, mortuis operibus renunciemus. Nam de his calceamentis, quibus calceati ambulamus, conſolatur me idem ipſe Dominus meus. Si enim ipſe calceatus non eſſet, non de illo Ioannes diceret: Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius. Sit ergo obedientia, non ſurrepat ſuperba duritia. Ego, inquit, Euangelium impleo; quia nudo pede ambulo: Tu potes, ego non poſſum. Quod ſimul accipimus, cuſtodiamus. Quomodo charitate flagremus, inuicem diligamus: Ac ſic fit, vt ego amem fortitudinem tuam, & tu potes infirmitaté meam. Quid autem tibi videtur, qui non vis intelligere, quemadmodum iſta dicta ſint, & cogeris prauiter ipſi Domino calumniari de loculis, & calceamentis? Quid tibi videtur? Itane placet, vt iter agentes occurramus charis noſtris, & eos non ſalutemus maiores, non reſalutemus minores? Iam ne Euangelium imples, quia ſalutaris, & taces? Hic vero non viatori iter agenti, ſed miliario ſimilis eris iter oſtendenti. Ergo ſtoliditatem deponamus, & verba Domini intelligamus, & in via neminem ſalutemus. Non enim ſine cauſa hoc iubemur, aut nollet nos facere, quod iuberet. Quid ergo eſt neminem ſalutaueritis in via? poteſt quidem & ſimpliciter ſic accipi, quia iuſſit nos feſtinanter agere iniuncta. Et hoc ita dixit, neminem per viam ſalutaueritis; tanquam diceret: Omnia prætermittatis, dum quod iniunctum eſt peragatis, ea locutione, qua ſolent dicta exaggerari conſuetudine ſermocinandi. Nec longe pergamus, in eodem ſermone, paulo poſt dicit: Et tu Capernaum, quæ vſque ad cælum exaltata es, vſque ad infernum deprimeris. Quid eſt, vſque ad cælum exaltata es? nunquid ciuitatis illius mœnia nubes tetigerunt, aut ad ſidera peruenerunt? Sed quid eſt, in cælum exaltata es? Nimium tibi felix videris, nimium potens, nimium ſuperba es. Sicut ergo hoc exaggerandi gratia dictum eſt: In cælum exaltaris, ei ciuitati, quæ non vtique exaltabatur in cælum, aut aſcendebat; ſic pro feſtinatione exaggerationis dictum eſt, ita currite, ſic agite quod iniunxi, vt ne minimum quidem vos tetardent iter agẽtes; ſed omnia contemnentes, ad finem propoſitum feſtinare. Sed eſt aliud, quod hic magis recogitem non diſſimile intelligere, quod plus pertinet ad me, & ad omnes diſpenſatores, ſed & ad vos auditores. Qui ſalutat, ſalutem dicit. Nam & antiqui in epiſtolis ſuis ſic ſcribebant, ille illi ſalutem. Salutatio à ſalute nomen accepit. Quid ergo eſt, neminem in via ſalutaueritis? Qui ſalutant in via, per occaſionem ſalutant. Video vos cito intellexiſſe, nec tamen debeo iam finire. Non enim omnes cito intellexiſtis, vidi in voce intelligentes plures, video ſilentio requirentes; ſed quia de via loquimur, tanquam in via ambulemus. Veloces tardos exſpectare, & pariter ambulate. Quid ergo dixi, qui in via ſalutat, per occaſionem ſalutat? Non ad eum ibat, quem ſalutat. Aliud agebat, aliud occurrit, aliud petebat, aliud tranſuerſo quod ageret inuenit. Quid eſt ergo per occaſionem ſalutare? Per occaſionem ſalutem annunciare. Quid eſt autem alind ſalutem annunciare, quam Euangelium prædicare? Si ergo prædicas, hoc age per dilectionem, non per occaſionem. Sunt ergo homines, qui ſua quærentes, non aliud prædicant Euangelium; de quibus Apoſtolus gemens dicit: Omnes enim ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Et hi ſalutabant, hoc eſt, ſalutem annunciabant, Euangelium prædicabant; ſed aliud quærebant, & ideo per occaſionem ſalutabant. Et quid eſt hoc? Si talis fueris quiſquis es facis, imo non talis quiſquis facis, ſed forte aliquis talis qui facis. Si talis fueris non facis, ſed fit de te. Nam & tales admiſit Apoſtolus, non tamen vt tales eſſent præcepit. Et ipſi agunt aliquid, & perficitur ex ipſis, aliud quærunt, vt verbum annunciant. Quid quærat annunciator ne cures, quod annunciat tenere velis. Quid vero attendit, non ad te pertineat. Salutem audi ab ore ipſius; ſalutem tene ab ore ipſius. Noli iudex eſſe cordis ipſius. Si vides eum alia requirentem, quid ad te? audi ſalutem. Quæ dicunt facite. Securum te fecit. Quid? Quæ dicunt facite. Mala faciunt, quæ facere nolite. Bona faciunt, non in via ſalutant, non per occaſionem Euangelium annunciant. Imitatores eorum eſtote, ſicut & ipſi Chriſti. Bonus tibi prædicat, carpe vuam de vite. Malus tibi prædicat, carpe vuam pendentem in ſepe. Botrus implicite in palmite inter ſpinas creuit, & de ſpinis non germinauit. Plane quando tale aliquid vides, & eſuris, ſollicite carpe, ne cum ad vuam manum mittis, lacereris à ſpinis. Hoc eſt, quod dico, ſic audi quod bonum eſt, ne malos mores imiteris. Prædicet ex occaſione, ſalutet in via, illi nocebit, quod non audiuit præceptum Chriſti: Neminem in via ſalutaueritis, tibi non nocebit. Qui ſiue à tranſeunte, ſiue à veniente ſalutem audis, ſalutem tenes. Apoſtolum audi ſicut promiſeram admittentem iſta. Quid enim? Dum omni modo, ſiue occaſione, ſiue veritate Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Scio enim ipſum mihi proficere in ſalutem per veſtram obſeruationem. Tales igitur Apoſtoli Chriſti, prædicatores Euangelij, non ſalutantes in via, hoc eſt, non aliud quærentes, vel agentes; ſed germana charitate Euangelium annunciantes.

Exod. 3.
Vt in via nemo ſalutandus. Maiores ſalutandi. Minores reſalutandi.
Hyperbole.
cap. 104. ver. 4. Vt Capernaum exaltata ſit vſque ad cælum.
Verus ſenſus.
Hyperbole.
Phil. 2.
Phil. 1.
Matt. 23.
1 Cor. 4.
Phil. 1.

Not. 5. ver. 8. 9.

Aug. Avg. ſerm. 42. de Sanctis: Veniant ad domum, & dicant: Pax huic domui. Non ore ſolum dicunt, quo pleni ſunt fundunt, prædicant pacem, & habent pacem. Non ſunt tales, de quibus dictum eſt: Pax, pax, & non eſt pax. Quid

eſt pax, pax, & non eſt pax? prædicantes non habent, laudant, & amant, dicunt & non faciunt. Sed tamen tu accipe pacem, ſiue occaſione, ſiue veritate Chriſtus annuncietur. Sic Aug. per pacem intelligitur reconciliatio. Eorum legatio erat pax. Mittebantur enim vt homines reconciliarent. Qui ergo plenus eſt pace, & ſalutat: Pax huic domui, ſi eſt illic filius pacis, requieſcet ſuper eum pax illius. Si quo minus (forte enim non eſt illic filius pacis) nihil perdidit, qui ſalutauit: Ad vos, inquit, reuertetur. Reuertetur ad te, quæ non diſceſſit à te. Hoc enim dicere voluit, tibi prodeſt, quod annunciaſti; nihil profuit qui non ſuſcepit: non quia ille inanis remanſit, ideo tu perdidiſti mercedem: redditur tibi pro voluntate tua, redditur tibi pro charitate, quam impendiſti; reddet tibi qui te ſecurum velit voce Angelica: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.

Quid ſit ad vos reuertetur.

cap. 9. Aug.

Et lib. de correptione, & gratia, cap. 15: Obſecramus ergo pro Chriſto, reconciliari Deo. Quid eſt enim ei reconciliari, niſi pacem ad illum habere, propter quam pacem etiam ipſe Dominus Ieſus Chriſtus dixit diſcipulis: In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui, & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra: ſin autem, ad vos reuertetur? Cum hanc euangelizant pacem; de quibus prædictum eſt, quam ſpecioſi pedes eorum, qui annunciant pacem, qui annunciant bona: nobis quidem tunc incipit eſſe quiſque filius pacis, cum obedierit, & crediderit huic Euangelio, & ex fide iuſtificatus pacem ad Deum habere cœperit:, ſecundum autem prædeſtinationem Dei iam filius pacis erat. Neque enim dictum eſt, ſuper quem requieuerit pax veſtra, fiet filius pacis; ſed, vbi fuerit, inquit, filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra. Iam ergo & antequam illi annunciaretur hæc pax, filius pacis ibi erat, ſicut eum nouerat, atque præſcierat, non Euangeliſta, ſed Dominus. Ad nos ergo, qui neſcimus quiſnam ſit filius pacis, aut non ſit, pertinet nullum exceptum facere, nullumque diſcernere, ſed velle omnes ſaluos fieri, quibus prædicamus hanc pacem. Neque enim metuendum eſt, ne perdamus eam, ſi ille, cui prædicamus, non eſt filius pacis ignorantibus nobis: ad nos enim reuertetur, id eſt, nobis proderit hæc prædicatio, non & illi, ſi autem ſuper eum pax prædicata requieuerit, & nobis, & illi.

2 Cor. 5. Pax eſt reconciliatio.

Eſa. 52.

Quis filius pacis.

Quid ſit, ad vos reuertetur.

Greg. Gregor. hom. 17. in Euang: Pax, quæ ab ore prædicatoris offertur, aut requieſcit in domo, ſi in ea filius pacis fuerit, aut ad eundem prædicatorem reuertitur: quia aut erit quiſque prædeſtinatus ad vitam, & cæleſte verbum ſequitur, quod audit: aut ſi nullus audire voluerit, ipſe prædicator ſine fructu non erit: quia ad eum pax reuertitur: quoniam ei à Domino pro labore ſui operis merces recompenſatur.

Quis ſit filius pacis

Quid ſit, ad vos reuertetur.

Aug. Filius ergo pacis dicitur, qui ad pacem eſt deſtinatus. Pax veſtra, id eſt, quam prædicatis, Ad vos reuertetur, id eſt, vos inde fructum percipietis. Nam Euangelij prædicator mercedem æque magnam accipiet, ſiue multum fructum ſuo labore fecerit, ſiue nihil. Nam Deus mercedem retribuit, non ſecundum fructum, quem ſermo fecerit: quia ille fructus non eſt ex nobis; ſed ex Deo. Reddet autem nobis mercedem ſecundum laborem noſtrum: quia ex nobis eſt.

Quis filius pacis.

Not 6. verſ. 10.

Gregor. homil. 17. in Euang. Ecce autem qui peram, & ſacculum portare prohibuit, ſumptus, & alimenta ex eadem prædicatione concedit, nam ſubditur: In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Si pax noſtra recipitur, dignum eſt vt in eadem domo maneamus, edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt, vt ab eis terrena ſtipendia conſequamur, quibus præmia patriæ cæleſtis offerimus. Vnde etiam Paulus hæc ipſa pro minimo ſuſcipiens dicit: Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi veſtra carnalia metamus? Et notandum quod ſubditur: Dignus eſt operarius mercede ſua. Quia iam de mercede operis, ſicut ipſa alimenta ſuſtentationis, vt hic merces de labore prædicationis inchoetur, quæ illic de veritatis viſione perficitur. Qua in re conſiderandum eſt, quod vni noſtro operi duæ mercedes debentur: vna in via, altera in patria: vna quæ nos in labore ſuſtentat, alia quæ nos in reſurrectione remunerat. Merces itaque quæ in præſenti accipitur, hoc in nobis debet agere, vt ad ſequentem mercedem robuſtius tendatur. Verus ergo quiſque prædicator non ideo prædicare debet, vt in hoc tempore mercedem recipiat; ſed ideo mercedem recipere, vt prædicare ſubſiſtat. Quiſquis namque ideo prædicat, vt hic vel laudis, vel muneris mercedem recipiat, æterna procul dubio mercede ſe priuat. Quiſquis vero vel ea quæ dicit, ideo placere hominibus appetit, vt dum placet quod dicitur, per eadem dicta non ipſe, ſed Dominus ametur: vel ideo terrena ſtipendia in prædicatione conſequitur, ne à prædicationis voce per indigentiam laſſetur, huic procul dubio ad recipiendam mercedem nihil obſtat in patria, quia ſumptus ſumpſit in via. Sed quid nos, quod tamen ſine dolore dicere non poſſumus, quod nos, ô paſtores, agimus, qui & mercedem conſequimur, & tamen operarij nequaquam ſumus? Fructus quippe ſanctæ Eccleſiæ in ſtipendio quotidiano percipimus, ſed tamen pro æterna Eccleſia minime in prædicatione laboramus. Penſemus cuius damnationis ſit, ſine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblationibus fidelium viuimus, ſed nunquid pro animabus fidelium laboramus? Illa in ſtipendium noſtrum ſumimus, quæ pro redimendis peccatis ſuis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem, vel orationis ſtudio, vel prædicatione,

1 Cor. 9.

nis, vt dignum eſt inſudemus. Vix pro culpa ſua quempiam aperta voce reprehendimus. Et adhuc quod eſt grauius, aliquando ſi perſona in hoc mundo potens ſit, eius fortaſſe errata laudibus demulcemus, ne [illegible] per iracundiam, vires ſubtrahat quod impendebat. Sed debemus ſine ceſſatione meminiſſe quod de quibuſdam in Oſee ſcriptum eſt: Peccata populi mei comedent. Cur autem peccata populi comedere dicuntur, niſi quia peccata delinquentium fouent, ne temporalia ſtipendia amittant? ſed & nos qui ex oblationibus fidelium viuimus, quas illi pro peccatis ſuis obtulerunt, ſi comedimus & tacemus, & conſequenter procul dubio peccata manducamus. Penſemus ergo, cuius ſit apud Deum criminis peccatorum pretium manducare, & nihil contra peccata prædicando agere. Audiamus quid beati Iob voce dicitur: Si aduerſum me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci eius deflent, ſi fructus eius comedi abſque pecunia. Terra etenim contra poſſeſſorem ſuum clamat, quando contra paſtorem ſuum iuſte Eccleſia murmurat. Cuius etiam ſulci deflent, ſi corda audientium, quæ à præcedentibus ſunt patribus prædicationis voce & vomere inquiſitionis exarata, vident aliquid quod lugeant de vita paſtoris. Cuius videlicet terræ fructus poſſeſſor bonus ſine pecunia non manducat, quia diſcretus paſtor prærogat talentum verbi, ne ad damnationem ſuam de Eccleſiæ ſtipendiis ſumat alimenti. Tunc enim de terra noſtra cum pecunia fructus comedimus, quando ſumentes Eccleſiaſtica ſubſidia, in prædicatione laboramus. Præcones namque venturi iudicij ſumus.

Oſeæ 4.

Iob 31. Terra quando contra ſuum paſtorem clamet.

Ver. 13.

Hieron. Amos 2: Saluator diſcipulis præcepit, vt ſi forte, quoniam adhuc verſabantur in terra, mortale quid eorum in operibus adhæſiſſet, excuterent puluerem de pedibus ſuis.

Hier. Quid ſit puluerem de pedibus excutere.

CAP. 104. IESVS *quibuſdam ciuitatibus exprobrat.*

Matt. 11.	*Mar.*	*Luc. 10.*	*Ioan.*
1 c.56.) TVnc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius: quia non egiſſent pœnitentiam.			
2 Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.		2 VÆ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere ſedentes pœniterent.	
3 Veruntamen dico vobis, Tyro, & Sydoni remiſſius erit in die iudicij, quam vobis.		3 Veruntamen Tyro, & Sydoni remiſſius erit in iudicio, quam vobis.	
4 Et tu Capharnaum, nunquid vſque in cœlum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes.		4 Et tu Capharnaum vſque ad cœlum exaltata, vſque ad infernum demergeris.	
5 Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent vſque in hanc diem.			
6 Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die iudicij, quam tibi.			
		De plurib. Martyr.	
		7 ✠ Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.	

Not. 1.

Summa. ADVERSVS Capharnaum, & Corozaim ciuitates Galilææ, apud quas egregia eſſet operatus miracula, immenſa mala Chriſtus ventura prædicit. Porro veriſimile eſt Matthæum

Diſpoſitionis ratio. Ioannis legationi hanc exprobrationem addidiſſe, quod tunc in mentem ei venerit, occaſione miſſionis, & aliorum, quæ cap. 56. narrata ſunt; & quandam habent exprobrationem. Libenter enim congerit Matthæus, quæ ad doctrinam pertinent aliquo modo vicina, etiam diuerſis locis, ac temporibus dicta. Hæc autem contigerunt poſt miſſionem ſeptuaginta duorum diſcipulorum, niſi bis dicta ſint. Quod ſi eſt, ſemel tamen poſuiſſe ſufficit. Hanc itaque exprobrationem, & confeſſionem, cum Lucæ narratione poſt miſſionem ſeptuaginta duorum coniunximus: Quia plane cum ea conſen-

cap. 16. tit. Eam tamen etiam cum legatione Ioannis ad Chriſtum aliqui ponunt: quia bis factam eſſe putant; quamuis non ſit hoc certo aſſerendum.

Aug. Aug. lib. 2. de conſenſu Euang. cap. 32. ſic habet: Sequitur Matthæus, & dicit: Tunc cæpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſſent pænitentiam, & cætera, vſque ad illud, vbi ait: Terræ Sodomorum remiſſius erit in die iudicij,

Matth. & Luc. idem habet. quam tibi. Etiam hoc commemorat Lucas, continuato cuidam ſermoni Domini, etiam hæc ex ipſius ore coniungens, vnde magis vide-

Lucas, non Matth. hoc ſuo loco narrat. tur ipſe hoc ordine illa commemorare, quo à Domino dicta ſunt. Matthæus autem ſuæ recordationis ordinem tenuiſſe: aut ſi illud, quod idem Matthæus ait. Tunc cæpit exprobrare ciuitatibus: ſic accipiendum putatur, vt punctum ipſum temporis voluiſſe credatur exprimere in

Quomodo tunc, ver. 1. accipitur. eo, quod dictum eſt, tunc: non autem ipſum tempus aliquanto latius, quo hæc multa gerebantur, & dicebantur: Quiſquis hoc credit, cre-

Idem ſæpe dictum à Domino. dat etiam hoc eſſe bis dictum. Cum enim & apud vnum Euangeliſtam inueniantur quædam, quæ bis dixerit Dominus: Sicut & apud eũdem Lucam, de non tollenda pera in via, & ſimiliter cæteris, duobus locis dictum à Domino inuenitur: Quid mirum ſi & aliquid aliud bis dictum ſingillatim à ſingulis dicitur eodem ordine, quo dictum eſt? Et ideo diuerſus ordo apparet in ſingulis, quia & tunc, quando ille, & tũc, quan-

Chryſoſt. do iſte commemorat dictum eſt. Vide Chryſoſt. hom. 38. in Matt. & hom. 28. oper. imperf.

Ver. 2.

Amb. Ambroſ. ſerm. 3. in Pſalm. 118: Caue ergo ne Chriſto opprobrio ſis. Nolo mihi quicunque male dicat, & quaſi peccatorem deſpiciat. Quam graue, ſi Chriſtus dignum opprobrio ducat? Væ tibi, inquit, Corozaim, & Berſaida, quæ condemnantur, quia non egerunt pænitentiam delictorum ſuorum. Nos ergo agamus, vt à nobis auferatur opprobrium. Quis autem eſt, qui non eſt opprobrio dignus. Qui exquiſiuit Domini teſtimonia. Multi quidem ſunt, qui volunt inferre opprobrium ſeruis tuis, ſed ipſi ſunt magis probroſi: quia pro commenda- pati opprobrium, glorioſum eſt. Vide Ambr. lib. 7. in Luc. Amb.

Aug. enchir. cap. 95: Tunc non latebit, quod nunc latet, cum de duobus paruulis vnus eſſet aſſumendus per Dei miſericordiam, alius per iudicium relinquendus: in quo is, qui aſſumeretur agnoſceret quid ſibi per iudicium deberetur, niſi miſericordia ſubueniret; cur ille potius quam iſte fuerit aſſumptus, cum cauſa vna eſſet ambobus: cur apud quoſdam non factæ ſint virtutes, quæ ſi factæ fuiſſent, egiſſent illi homines pænitentiam, & factæ ſint apud eos qui non erant credituri. Apertiſſime namque Dominus dicit: Væ tibi Corozaim, & væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pænitentiam egiſſent. Nec vtique Deus iniuſtè noluit ſaluos fieri, cum poſſent ſalui eſſe, ſi vellent. Tunc in clariſſima luce ſapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet antequam manifeſta cognitione videatur, quam certa, & immutabilis, & efficaciſſima ſit voluntas Dei, quam multa poſſit, & non velit, nihil autem velit, quod non poſſit: quamq; ſit verũ, quod in Pſalmo canitur: Deus Pſal. 113. autem noſter in cælo ſurſum in cælo, & in terra, omnia quæcunq; voluit fecit. Quod vtiq; non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit. Et quod eſt indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit. Non ergo fit aliquid niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo. Et lib. 2. de bono perſeuerantiæ cap. 14: Cur er- Aug. go prædicationi, præceptioni, exhortationi, correptioniq;, quæ omnia frequentat ſcriptura diuina, exiſtimamus inutilem definitionem prædeſtinationis, quam commendat eadem ſcriptura diuina? An quiſquam dicere audebit, Deum non præſciſſe, quibus eſſet daturus vt crederent? Aut quos daturus eſſet filio ſuo vt ex eis non perderet quenquam? Quæ vtiq; ſi præſciuit, profecto Quid prædeſtinatio. beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare, præſciuit: hæc prædeſtinatio Sanctorum, nihil aliud eſt, quam præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorũ Dei, quibus certiſſime liberantur, quicunq; liberantur. Cæteri autem vbi, niſi in maſſa perditionis, iuſto diuino iudicio relinquuntur? Ibi Tyrij relicti ſunt, & Sydonij, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent. Sed quoniam vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent eſt negatum. Ex quo apparet, habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant. Et tamen ſi Dei altiore iudicio à perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta diuina, vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent vtiq; talia, vel viderent. In eadem perditionis maſſa relicti ſunt etiã Iudæi, qui non potuerunt credere factis in conſpectu ſuo tam magnis, clariſq; virtutibus. Cur enim non poterant credere, non tacuit Euange-

lium

Ioan. 12. Eſa. 53. lium dicens: cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis,non crediderũt in eum,vt ſermo Eſaiæ Prophetę impleretur,quem dixit:Domine,quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et ideo non poterãt credere, Eſa. 6. quia iterũ dixit Eſaias,excæcauit oculos eorum, & indurauit cor illorum, ne videant oculis,nec intelligant corde,& conuertantur, & ſanem illos.Non erant ergo ſic excæcati oculi,nec ſic induratum cor Tyriorum & Sydoniorum, quoniam crediſdiſſent, ſi qualia viderunt iſti ſigna, vidiſſent; ſed nec illis profuit quod poterãt credere, quia prædeſtinati non erant ab eo, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & inueſtigabiles viæ, nec iſtis obfuiſſet quod non poterant credere,ſi ita prædeſtinati eſſent, vt eos cæcos Deus illuminaret,& induratis cor lapideum vellet auferre. Verum quod dixit Dominus de Tyrijs & Sydonijs,aliquo alio modo poteſt fortaſſis intelligi:Neminem tamen venire ad Chriſtum,niſi cui fuerit datũ,& eis dari qui in illo electi ſunt ante conſtitutionem mundi, procul dubio cõfitetur, à quo non ſurdis auribus cordis eloquium diuinum auribus carnis auditur: & tamen hæc prædeſtinatio quę ſatis apertè etiam verbis Euangelicis explicatur,non prohibuit Dominũ,& propter incipiendum dicere,quod paulo ante commemoraui; Creditis in Deum,& in me credite: Ioan. 14. & propter perſeuerãdum oportere ſemper orare,& non deficere. Audiunt enim hæc & faciũt, quibus datum eſt, non autem faciunt ſiue audiant,ſiue non audiant, quibus non datum eſt.

Not. 2. ver. 3.

Chryſoſt. Cur bonos Deus hic puniat. CHRYSOST. hom.in Pſal.95:Propterea Deus occultis, & inuiſibilibus modis variè flagellat pios delinquẽtes,quo videlicet nos puros exhibeat magno illi tribunali:vt quum hic corripuerit,illic imputet præmium.Denuo reſumite ſer- 1 Cor. 11. monem Apoſtolicę intelligentiæ,ſi nos ipſos iudicaremus,nequaquam iudicaremur. Cum autem iudicamur, à Domino corripimur,ne cum mundo cõdemnemur.Huic dicto concordat & beatus Dauid:Beatus,inquit,homo, quemcunque corripueris Domine, & de lege tua docueris eum,vt mitiges ei à diebus malis.Qui enim hic correptus fuerit,in requie erit,ac minus experietur diuinum iudicium. Ne mireris, ſi primum hic caſtigatum liberat in futuro ſæculo. Reperis enim in diuina ſcriptura certiſſimum argumentum Sodomitarum, ac nihilo deterius habitatorum Gomorrhæ. Nihil illis magis impium, & tamen quoniam hic pænas dederunt, mitius illos in iudicio tractandos promittit Dominus.Et tu Capernaum, quæ vſque ad cælum elata es,vſq; ad infernum detraheris:Quoniam ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, manſiſſent ad hunc vſque diem: verumtamen tolerabilius erit terræ Sodomorum, Iudicium pœnæ temporales minuunt. & terræ Gomorrhæ in die iudicij, quam vobis. Proinde ſi Sodomitis tolerabilius iudicium reddit,quod in hac vita puniti ſunt:cogita quomodo pij qui hic caſtigantur,futurum effugiunt iudicium. Quod iudicium nobis omnibus cõtingat effugere, & cum fiducia ſiſti ad tribunal Chriſti.

Aug.l.4.de baptiſmo contra Donatiſtas c.19: Aug. Nec dubitandum eſt quidem, ipſas pænas,quibus cruciabuntur,qui regnum Dei non poſſidebunt,pro diuerſitate criminum eſſe diuerſas: & alias alijs acriores, vt in ipſo igne æterno, pro diſparibus ponderibus peccatorum ſint diſparia tormenta pænarum. Neq; enim fruſtra ipſe Dominus dicit: Tolerabilius erit Sodomis,quã vobis in die iudicij. Diuerſæ ſunt pœnæ damnatorum. Sed tamen ad non poſſidendum regnum Dei, tantundem valet ex vitijs illis, de quibus Apoſtolus: Neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri,neque molles,neque maſculorum concubitores, neq; fures,neque auari,neque ebrioſi,neque maledici,neq; rapaces,regnum Dei poſſidebunt,quod elegeris mitius: quantum vel plura, vel vnum, quod perſpexeris grauius. Et infra: Licet ex illo igne,ſicut dixi,diuerſa poſſunt diſtribui pro criminum diuerſitate ſupplicia. Et lib.5.contra Iulianum cap. 8: Aug. Ego autem non dico paruulos, ſine Chriſti baptiſmate morientes, tanta pæna eſſe plectendos, vt eis non naſci potius expediret: In igne æterno pro diſparibus ponderibus peccatorum,diſpatia erũt tormenta pænarum. cum hoc Dominus,non de quibuſlibet peccatoribus, ſed de ſceleſtiſſimis & impijſſimis dixerit. Si enim, quod de Sodomis ait,& vtique non de ſolis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die iudicij punietur,quis dubitauerit paruulos non baptizatos, qui non ſolum habent originale peccatum, nec vllis proprijs aggrauantur,in damnatione omnium leuiſſima futuros? Paruuli nõ baptizati in leuiſſima damnatione futuri ſunt. Quæ qualis & quanta erit,quamuis definire non poſſim, non tamen audeo dicere quod eis vt nullibi eſſent, quam vt ibi eſſent, potius expediret.

Not. 3. verſ. 4.

QVOMODO intelligi debeat,Caphatnaum vſque ad cælum exaltatam,docet Aug.cap.103. citatus. Vt Capharnaũm vſq. ad cælum ſit exaltata

Ver. 7.

Aug. Aug.ſer.26.de Sanctis: Quotieſcunque martyrum memorias celebramus,prætermiſſis omnibus ſæculi actibus ſine vlla dilatione concurrere debemus ad domum Dei,reddere illis honorificentiam,qui nobis ſalutem effuſione ſanguinis ſui pepererũt,qui tam ſacratam hoſtiam pro noſtra propitiatione Domino ſe obtulerũt, Deus in Sanctis honoratur. præſertim cum dicat ad Sanctos ſuos omnipotens Deus: qui vos honorat,me honorat, & qui vos ſpernit,me ſpernit. Quiſquis ergo honorat martyres, honorat & Chriſtum: & qui ſpernit Sanctos,ſpernit Chriſtum Dominum noſtrum.

Bed. Bed. epiſt. 77. ad Hugonem: Qui vos audit, &c. quaſi dicat,iudicium meum inter obedientes,& contemnentes non de mea ſecreta traditione, ſed de veſtra publica prædicatione pendebit. De hoc verſu 7. vide Aug.ſer.24.de verb. Dom. Aug.

Cap. 105. *Diſcipulis ſeptuaginta duobus reuerſis, actiſq; Deo Patri gratiis, illos prius monitos* Christvs *fœlices prædicat.*

Matt. 11.

In feſto S. Mathiæ, & S. Franciſci.

6 IN illo tempore, ✠ reſpondens Ieſus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ.
7 Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus: & reuelaſti ea paruulis.
8 Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.
9 Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.
10 Et nemo nouit filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi filius: & cui voluerit filius reuelare.
11 Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos.
12 Tollite iugum meum ſuper vos: & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris.
13 Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.] ✠
(In illo tempore, abijt. c. 44.

Mar.

Luc. 10.

1 REuerſi ſunt autem ſeptuaginta duo, cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubijciuntur nobis, in nomine tuo.
2 Et ait illis: Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.
3 Ecce, dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.
4 Verùmtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubijciuntur.
5 Gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. ✠
6 In ipſa hora, exultauit Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ.
7 Quod abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus: & reuelaſti ea paruulis.
8 Etiam Pater, quoniam ſic placuit ante te.
9 Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.
10 Et nemo ſcit quis ſit filius, niſi Pater: & quis ſit Pater, niſi filius: & cui voluerit filius reuelare.

Dom. 12. poſt Pentec.

14 Et conuerſus ad diſcipulos ſuos, dixit: ✠ Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.
15 Dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt.

Ioan.

Not. 1.

Diſpoſitionis ratio. Christi confeſſionem, ſicut etiam exprobrationem, ex Matthæo, quidam arbitrati ſunt ponendam immediate poſt Domini de Ioanne teſtimonium, quod habetur cap. 56. putant enim tam confeſſionem, quam exprobrationem bis factam eſſe, tamen quia dubium nō eſt, quin exprobratio, & confeſſio poſt miſſionem ſeptuaginta duorum diſcipulorum contigerint, huc illa rectè ſunt tranſlata.

Aug. lib. 2. de conſenſ Euang. cap. 33: Sequitur Matthæus: In illo tempore reſpondens, & cætera, vſque ad illud, vbi ait: Et onus meum leue. Huius loci & Lucas meminit; ſed ex parte. Non dicit enim ipſe: Venite ad me omnes, qui laboratis: & alia, quæ ſequuntur. Semel autem hoc dictum à Domino, ſed Lucam non tantùm Aug. vet. 11.

tum quod dictum eſt commemoraſſe, credibile eſt. Matthæus enim dicit: In illo tempore, reſpondens Ieſus, dixit: Poſteaquam exprobrauit ciuitatibus: Lucas autem poſt illam exprobrationem ciuitatum interponit quædam, non tamen multa: atque hoc ita ſubiungit: In ipſa hora exultauit in Spiritu ſancto, & dixit: Vnde etiam ſi Matthæus non in illo tempore diceret, ſed in ipſa hora, tam pauca interponit Lucas in medio, vt etiam eadem hora dictum non abſurde videatur. Vide Chryſoſt. hom. 39. in Matt. & homil. 28. oper. imperf.

Ver. 6. — *Chryſoſt.*

Not. 2. ver. 2.

Amb. — *Satan fulguri ſimilis. Amiſit lumen quod habebat.*

AMBROS. lib. de fuga ſæculi cap. 7: Videbã Satanam, ſicut fulgur, cadentem de cælo. Non fulgur, inquit, ſed, ſicut fulgur; quia ſuum lumen amiſit; quod habebat, antequam tibi tuum lumen vellet auferre. Verum forte dicas, quia & de Saluatore legimus; quia ſicut fulgur coruſcans de ſub cælo; ita erit & aduentus filij hominis. Bene & hic ſicut fulgur; quia & hic ſupra fulgur. Denique fulgur de ſub cælo, lumen autem verum ſupra cælum. Ergo Satanas ſicut fulgur, quia amiſit quod habuit, tu autem recepiſti quod amiſeras.

Hier. Hiero. lib. 2. aduerſ. Iouinianum: Si altiſſima illa ſublimitas cecidit, quis cadere non poſſit? Si in cælo ruinæ, quanto magis in terra? Et tamen cum ceciderit Lucifer, imo poſt caſum coluber antiquus, &c. *Hier.* Et in cap. 1. Michææ: Deſcenderunt mala à Domino ſuper portas Hieruſalem. Marcionitæ, ac Manichæi vtuntur hoc ſcripto: eo quòd legis Deus, malorum ſit conditor. Sic dicamus mala à Domino deſcendiſſe, quomodo & Saluator loquitur in Euangelio: Videbam Satanam quaſi fulgur de cælo cadentem Quomodo enim ibi cecidit de cælo Lucifer, qui mane oriebatur, & contritus eſt ſuper terram, qui mittebatur ad gentes: ſic & hæc mala, quæ à Domino ceciderunt, & venerunt ad portas Hieruſalem, antequam caderent non erant mala, ſed quia à Domino corruerunt, idcirco facta ſunt mala.

Baſ. — *Aer eſt cælum.*

Baſil. Hom. 9: Quod Deus non eſt autor malorum: Scire oportet, quod ſcriptura cælum aerem ſolet appellare, vt eſt illud: volatilia cæli. Et alibi: Aſcendunt vſque ad cælos, hoc eſt, in aeris ſublimitatem longe tolluntur. Ideo Dominus Satanam vidit vt fulgur de cælo cadentem, hoc eſt, ex proprio principatu ad ima ruentem, vt plane ab ijs, qui in Chriſto ſperant conculcaretur. Dedit enim diſcipulis ſuis virtutem, ſerpentes ac ſcorpiones conculcandi, & contra omnem inimici potentiam. Quoniam itaque ipſius impia tyrannis expulſa eſt, & locus hic terreſtris ob ſalubrem eius paſſionem purgatus eſt, qui omnia quæ in cælo ſunt & in terris pacauit: deinceps nobis regnum cælorum nunciatur, Ioanne dicente: Appropinquauit enim regnum cælorum.

Elias. 70 diſcipuli.

Elias Cret. in orationem quartam Nazian: Reuerſis illis ſeptuaginta (quos ſcilicet Dominus poſt Apoſtolos conſtituit, ac binos ante ſe præmiſit) cum lætitia, & dicentibus: Domine, etiam dæmonia per nomen tuum nobis ſubijciuntur: exceptis, ipſe, verbis eorum, reſpondit: Spectabam fulguris inſtar lapſum de cælo Satanam. Quod quidem dixit, vt reuocaret eis in memoriam Satanæ lapſum, qui propter elationem ſuperbiæ acciderat, eiuſque mentione coerceret ipſorum animos, neue propterea ſe magnifice efferrent, hortaretur, quod eis dæmonia ſubijcerentur.

Chryſoſt. Satan e[illegible] fuit bon[illegible]

Chryſoſt. hom. 10. de pænitentia: Conſidera vero vtriuſque vim, diabolus ante hæc bonus erat, pigritans vero, & deſperans cecidit, tantaque obrutus malitia eſt, vt in poſterum non reſurgeret. Quod enim bonus erat, audi quid dicit: Vidi Satanam veluti fulgur cadentem de cælo. Fulguris enim ſimilitudo, & claritatem priſtinæ conuerſationis oſtendit, & naturæ acumen.

Not. 3. ver. 5.

Baſil. BASIL. hom. in Pſal. 28: Omnia venenum eiaculantia iniquis, & aduerſis virtutibus, in ſacro eloquio, comparantur, dicente Domino: Dedi vobis poteſtatem conculcandi ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici.

Elias. Elias Cretenſ. in orationem quartam Nazian: Dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones. Quo loco ſerpentes fortaſſe peccata ea dicuntur, quæ perſpicue grauia, atque atrocia ſunt; ſcorpiones autem, ea vitia, quæ quanquam hominum opinione parua videantur, mortis tamen aculeo animam conuulnerant, atque enecant.

Chryſoſt. Chryſoſt. Hom. 6. in Epiſt. ad Philippenſes: Quando rapacitatem diaboli ſcriptura demonſtrare vult, dicit: Sicut Leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Quando vero quam ſit venenoſus, & letalis, & pernicioſus, ſerpentem vocat, & ſcorpionem. Calcabitis, inquit; ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem aduerſarij. *Chryſoſt.* Et hom. 17. in Gene: Licet autem volenti poſt hoc conſiderare ſcriptorum tenorem, & cognoſcere, quam ſi de ſenſibili ſerpente hæc dicta ſunt, multo magis accipienda ſunt hæc de ſpirituali ſerpente. Etenim & illum pedibus noſtris ſubiecit humiliatum, & nos incumbere illius capiti fecit. An non hoc ſignificat dicens; calcabitis ſuper ſerpentes, & ſcorpiones? Deinde enim ne putemus de ſenſibilibus ſerpentibus eſſe dictum, ſubdit: Et ſuper omnem virtutem inimici.

Ver. 4.

Greg. Gregor. hom. 19. in Ezechielem: Diſcamus igitur abundare: vt cuncta quæ ab eo accepimus, cum indigentibus partiamur, vt mentem abundantia non eleuet, ne fortaſſe gaudeat: quia hoc adeſt ſibi quod deeſt alteri, & non iam communi bono, ſed proprio lætetur: à priuato gaudio veritas ad commune diſcipulos reuocat,

cat, cum eos de prædicatione redeuntes, & de ſubiectione dæmonum lætantes admonet, dicens: Nolite gaudere ſuper hoc, ſed potius gaudete & exultate, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo, non enim omnes electi dæmonia eijciunt, ſed tamen electorum omnium nomina cælo tenentur aſcripta. Admonentur ergo diſcipuli priuatam lætitiam deponere, de communi autem, & perpetua felicitate gaudere. Quiſquis itaque in eo gaudet, quod alter non habet: ex ipſa ſua abundantia deterior factus, gaudium

Greg. priuatum habet. Et lib. 9. epiſt. 58: Neceſſe eſt vt de eodem dono cæleſti, & timendo gaudeas & gaudendo pertimeſcas: gaudeas videlicet: quia Angelorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimeſcas vero, ne inter ſigna quæ fiunt, infirmus animus in ſui præſumptione ſe eleuet: & vnde foras in honore attollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Meminiſſe etenim debemus quod diſcipuli cum gaudio à prædicatione redeuntes dum cæleſti magiſtro dicerēt: Domine in nomine tuo dæmonia nobis ſubiecta fuerunt; protinus audierunt; nolite gaudere ſuper hoc, ſed potius gaudetè quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. In priuata enim & temporali lætitia mentem poſuerunt, qui de miraculis gaudebant, ſed de priuata ad communem, de temporali ad æternam lætitiam reuocantur, quibus dicitur: in hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo. Non enim omnes electi miracula faciunt, ſed tamen nomina omnium in cælo tenentur adſcripta. Veritatis etenim diſcipulis eſſe gaudium non debet, niſi de eo bono quod commune cum omnibus habent, & in quo finem lætitiæ non habent.

Amb. 72. diſci. puli, Amb. in cap. 12. 1. ad Cor: Illis ſeptuaginta duobus diſcipulis gaudentibus, quod dæmonia illis ſubdita fuerant, dicit Saluator: Nolite in hoc gaudere quod dæmonia vobis ſubiecta ſūt, ſed in hoc gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo. Quare, niſi quia nomini Dei ſubiecta ſunt, non hominis merito.

Not. 4. ver. 5.

Amb. AMBR. in cap. 9. ad Romanos: Præſcius itaque Deus malæ illos voluntatis futuros, non illos habuit in numero bonorum, quamuis dicat

72. diſci. puli. Saluator illis ſeptuaginta duobus diſcipulis, quos elegerat ſecunda claſſe, qui ab illo poſtea

Diſcipulorum, & Apoſtolorum diſcrimen. receſſerunt: nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo; ſed hoc propter iuſtitiam, quia hoc eſt iuſtum, vt vnicuique pro merito reſpondeatur: quia enim boni erant, electi ſunt ad miniſterium, & erant ſcripta nomina illorum in cælo propter iuſtitiam, ſicut dixi: ſecundum præſcientiam vero in numero erant malorum. De iuſtitia enim

Exod. 32. Deus iudicat, non de præſciētia. Vnde & Moyſi dicit: Si quis peccauerit ante me, delebo eum de libro meo vitæ, vt ſecundum iuſtitiam iudicis tunc videatur deleri, cum peccat, iuxta præſcientiam vero nunquam in libro vitæ fuiſſe.

1 Ioan. 2 Hinc & Apoſt. Ioannes de huiuſmodi ait: Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis. Si enim fuiſſent ex nobis permanſiſſent vtique nobiſcum. Non eſt perſonarum acceptio in præſcientia Dei. Præſcientia enim Dei eſt, qua definitum habet qualis vniuſcuiuſque futura voluntas erit, in qua manſurus eſt, per quam aut damnetur, aut coronetur. Denique quos ſcit in bono manſuros frequenter ante ſunt mali: & quos malos ſcit permanſuros, aliquotiens prius ſunt boni. Vnde ceſſat querela, quia Deus acceptor perſonarum non eſt. Nam & Saul, & Iudas Scariot ante fuerunt boni, dicente ſcriptura de Saul: Erat vir bonus, & non erat illo melior in filijs Iſrael. Et de Scariot dicit Petrus Apoſt. qui ſortitus eſt ſortem miniſterij huius, id eſt, Apoſtolatus. Quomodo igitur miniſterium ſalutare ſortiretur niſi eſſet bonus? In ſorte enim Dei iudicium fuit dignum illum fuiſſe tempore illo quo electus eſt: ſicut & illi ſeptuaginta duo, quos ſupra memoraui.

Ver. 6.

Aug. ſer. 10. de verbis Domini: Audiuimus in Euang. Dominum exhilaratum ſpiritu, dixiſſe Deo Patri: Confiteor tibi Domine, Pater cæli, & terræ, &c. Et ſerm. 8. de verb. Dom. Et ſer. 48. de temp: Huc vſque interim verba Domini, ſi dignè, ſi diligenter, ſi, quod primum eſt, piè conſideremus, inueniemus, primitus non ſemper cum in ſcripturis legimus confeſſionem debere nos intelligere vocem peccatoris. Maxime autem hoc dicendum fuit & hinc admonenda charitas veſtra, quia mox vt hoc verbum ſonuit vox lectoris, ſecutus eſt etiam ſonus tunſionis pectoris veſtri, audito ſcilicet quod Dominus ait: Confiteor tibi Pater. Dominum ergo attende confitentem: Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ. Confiteor tibi, laudo te, laudo te, non accuſo me. Audi ergo Dominum confitentem. Confiteor tibi Domine, Pater cæli, & terræ. Quid confiteor? in quo te laudo? hæc enim confeſſio vt dixi, laudem habet, quia abſcondiſti hæc à prudētibus, & ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis. Quid eſt hoc fratres? à contrario ſenſu intellige. Abſcondiſti hæc, inquit, à ſapientibus & prudentibus, & non dixit, reuelaſti ea ſtultis & imprudentibus; ſed ait, abſcondiſti quidem à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Sapientibus & prudentibus irridendis, arrogantibus falſo grandibus, verè autem tumentibus, oppoſuit, non ſapientes, non prudentes, ſed paruulos. Qui ſunt paruuli? humiles. Ergo abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus. Nomine ſapientium & prudentium, ſuperbus intelligi poteſt; ipſe expoſuit cum ait, reuelaſti ea paruulis. Ergo abſcondiſti non paruulis. Quid eſt non paruulis? non humilibus. Quid eſt non humilibus, niſi ſuperbis? o via Domini, aut non erat, aut latebat vt reuelaretur nobis. Vnde Dominus exultauit, niſi quia reuelatum eſt paruulis? debemus eſſe paruuli; nā ſi voluerimus eſſe magni, quaſi ſapientes & prudentes, non nobis illud reuelatur. Qui ſunt magni? ſapientes & prudentes.

Right margin notes: 1 Reg. 9. — Act. 1. — Aug. — Aug. — Confeſſio eſt & laudis & peccatoris. — 1 Cor. 1.

dentes. Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Habes remedium à contrario. Si dicendo te eſſe ſapientem ſtultus factus es. Dic te ſtultum & ſapiens eris. Sed dic. Dic, ſed intus dic; quia ſic eſt ut dicis. Si dicis, noli coram hominibus dicere, & coram Deo non dicere. Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, lumen ſe putantibus, & tenebræ erant. Et pro eo quod tenebræ erant, & lumen ſe putabant, nec illuminari potuerunt. Illi autem qui tenebræ erant, & tenebras ſe eſſe confitebantur, paruuli erant, & non magni, humiles erant, & non ſuperbi. Et in Pſal. 99: Quæ peccata confitebatur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quando ait: Confiteor tibi pater? Illum laudans confitebatur, non ſe accuſans. Idem habet in Pſal. 94.

Aug. Et lib. quæſtionum veteris, & noui teſtamenti, cap. [illegible]: Igitur ſi dictorum ſententiam aſpiciamus, videbimus ea, quæ ad exhortationem credentium à Domino dicta ſunt, eorum qui propterea quod mundanam ſapientiam ſpernunt, paruuli videntur ſapientibus mundi, qui nullo re[illegible] ſapientes voluerunt dici. Id[illegible] indignum viſum eſt Deo his oſtendere [illegible] humilibus [illegible] qui nihil de ſe præſumentes diuinæ ſe voluntati inclinant, æquitate [illegible] tenenda ſunt. Hi enim prudentes Deo [illegible] ſalutis ſuæ memor, qui ſcientiæ ſummam ponit Dei legem, quam vtique videt non verborum ſtrepitu falli, ſed rerum [illegible].

Amb. Amb. epiſt. [illegible] lib. [illegible]: Eo loci vbi dixit Dominus Ieſus: Confiteor tibi Domine Pater cœli & terræ: dicimus ideo dictum, vt nos intelligamus patrem filij eſſe, & Dominum creaturæ. Quanquam in Pſalmo eundem & Dominum dixerit patrem filius: Viderunt me, & mouerunt capita ſua: adiuua me Domine Deus meus. Etenim ſecundum formam ſerui locutus Dominum vocauit, quem patrem [illegible]: æqualis in Dei forma, ſeruum ſecundum carnis ſubſtantiam ſe prædicans. Seruitus enim carnis, dominatus autem diuinitatis eſt. Pſal. 108.

Aug. Auguſt. lib. Quæſt. e Matthæo cap. 9: Notandum confeſſionem poni in laudem Dei. Non enim peccata Dominus confitebatur, quæ nulla habebat, præſertim quia cum exultantem hoc dixiſſe alius Euangeliſta commemorat: quanquam & verba ipſa quæ dicit, non habeant dubitationem, quod in laudem Dei dicantur. Ergo confeſſionem vocat ſcriptura generaliter, quidquid manifeſte, ſicut ſentitur, enunciatur. Nam & illud quod ait: Si quis me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: vel ſicut alibi eſt Coram Angelis Dei. non vtique peccata confitetur, qui Chriſtum confitetur. Quod ſi propterea putant aliqui confeſſionem vocari, quia pro crimine obijciebatur Chriſti nomen tempore perſecutionis, [illegible] Chriſtum, coram Patre, vel coram Angelis eius homines, qui ſe confeſſi ſunt [illegible] eſt etiam in Eccleſiaſtico ita poſitum, & hæc dicetis in confeſſione, opera Domini, vniuerſa quoniam bona val-

De confeſſione laudationis. Hoc ſuo Euangeliſtæ ponunt

Quid ſit confeſſio in genere.

Matt. 10.

Luc. 12.

Eccl. 39.

de. Quo in loco indubitanter Dei laudes exaggerantur. Hæc dicta ſunt propter imperitiam ſtultorum, qui cum legente lectore audiunt hoc verbum, pectora ſtatim tundunt non attendentes, quo loco dicatur: quaſi non poſſit niſi peccatorum eſſe confeſſio.

Vor. 5. ver. 7.

Greg. G r e g. cap. 4 lib. 4 expoſit. in primum librum Regum. Diuini verbi cognitio ſuperbis abſconditur, humilibus reuelatur. Vnde & in Euangelio Patri loquitur, dicens. Confiteor tibi Pater, Rex cæli, & terræ: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Sapientes quidem ſuperbos, & alta de ſe ſentientes, paruulos vero dixit humiles. Quorum certe alia ſcriptura meminit, dicens: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam. Reſiſtit namque ſuperbis, ne æterna bona intelligant, ſed paruulis gratiam dat, vt eadem bona æterna ipſo reuelante cognoſcant. Electi ergo quia ad ſpiritualem ſententiam per humilitatem veniunt, ad audiendos prædicatores, quaſi per portam vadunt. Electus etiam prædicator quia ſpiritualia humiliter dicit, Samuel Sauli in eadem porta occurrit. Quaſi enim ambo in porta ſunt, quando ea, quæ electus prædicator loquitur ab electo alio humiliter audiuntur. Vide Amb. lib. 7. in Luc.

Matt. 11.

Qui ſapientes.

Qui paruuli.

1 Pet. 5.

Amb.

Ver. 9. 10.

Aug. Aug. homil. 34: Si deſideras omnia, mecum habebis; ſi deſideras Patrem, per me habebis, & in me habebis. Nemo cognoſcit Patrem niſi filius. Noli deſperare. Veni ad filium. Audi quod ſequitur: Et cui voluerit filius reuelare.

Aug. Et cap. [illegible] lib. 1. Quæſt. Euang. & ſermone 48. de tempore: Cum diceret Dominus Ieſus: Nemo nouit filium niſi Pater: non dixit: Et cui voluerit Pater reuelare. quemadmodum cum diceret: Nemo nouit Patrem, niſi filius: addidit; Et cui voluerit filius reuelare. Quod non ita intelligendum eſt, quaſi filius a nullo poſſit cognoſci, niſi à patre ſolo. Pater autem non ſolum a filio, ſed etiam ab eis, quibus reuelauerit filius. Sic enim potius dictum eſt, vt intelligamus & Patrem, & ipſum filium per filium reuelari: quia ipſe eſt mentis noſtræ lumen, vt quod poſtea intulit: Et cui voluerit filius reuelare: non tantum Patrem, ſed etiam filium accipias. Ad totum enim quod dixit, illatum eſt: verbo enim ſuo ipſe pater declaratur. Verbum autem non ſolum id, quod per verbum declaratur; ſed etiam ſeipſum declarat. Vel certe autem, quia ſicut filius Patrem quibus vult reuelat, ipſum audi dicentem, ipſum Dominum Ieſum; cum laudaret Petrum, quod eum filium Dei eſſe confeſſus ſit: Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cælis. Matt. 16.

Aug. Et lib. 7. de Trinitate cap. 3: Ideoque ait. Nemo nouit filium, niſi Pater; & nemo nouit Patrem niſi filius; & cui voluerit filius reuelare: quia per filium reuelat Pater, id eſt, per

verbum

verbum ſuum. Si enim hoc [illegible] quod nunc [illegible], temporale, & tranſitorium, & ſenſum [illegible], & illud, de quo loquitur, Quanto magis verbum Dei, per quod facta ſunt omnia? Vide Amb. lib. 7. in Luc.

A mb.

Chryſoſt.

Chryſoſt. hom. 5. de incomprehenſibili Dei natura: Reuelat autem non quantum cognoſcit, ſed quantum nos poſſumus. Nam ſi Paulus ita fecit, multo magis Chriſtum ita facere decebat. Ille quippe ad ſuos diſcipulos ſcribens, ſic ait: Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto: lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis.

Aug. ſ. ver. 1.

Aug.

A v g. ſerm. 48. de tempore: Mirum quibuſdam videtur, fratres chariſſimi, cum audiunt Dominum dicentem: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. & conſiderant eos qui iugum ipſum intrepida ceruice ſubierunt, & illam ſarcinam manſuetiſſimis humeris acceperunt, tantis agitari & exerceri difficultatibus huius ſæculi, vt non à laboribus ad quietem, ſed à quiete ad laborem vocati videantur, cum Apoſtolus dicat: Omnes qui volunt pie viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patiuntur. Ait aliquis, quomodo iugum eius ſuaue eſt, & ſarcina leuis, quando aliud illud iugum, & ſarcinam portare [illegible] aliud quam pie viuere in Chriſto? Et quomodo dicitur: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: & non potius dicitur: Venite qui vacatis vt laboretis? Nam & vacantes inuenit quos conduxit in vineam, vt ferrent æſtum diei, & ſub illo iugo leni & ſarcina leui audiamus Apoſtolum dicentem: In omnibus commendantes noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, &c. Et alio loco in eadem epiſtola, à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, & cætera pericula quæ enumerari quidem poſſunt, ſed tolerari niſi Spiritu ſancto iuuante non poſſunt. Omnia ergo illa quæ commemorauit aſpera & grauia, frequenter abundantius ſuſtinebat, ſed profecto aderat ei Spiritus ſanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renouaret de die in diem, & guſtata requie ſpirituali in affluentia deliciarum Dei, in ſpe futuræ beatitudinis omnia præſentia deliniret aſpera, & grauia omnia releuaret. Ecce quam ſuaue iugum Chriſti portabat, & quam leuem ſarcinam, & omnia illa, quæ ſuperius enumerata, dura & horrenda omnis auditor horreſcit, leuem tribulationem diceret, intuens interioribus & fidelibus oculis, quanto precio temporalium emenda ſit futura vita [illegible] nos [illegible] illa [illegible] [illegible] omnes [illegible] [illegible] vlcerum [illegible] in ſingula & [illegible] atque [illegible] inquietus [illegible] quietem [illegible] peſtabiliter & [illegible] quam horribili & tremenda [illegible] cæli & maris [illegible] ſunt [illegible], [illegible] tam maioribus quam quibus [illegible] ſunt periculis & tempeſtatibus [illegible] Quæ illis, quæ frigora, quæ pericula ab equis, à foſſis, à præcipitijs, à fluminibus, à feris perferunt venatores? Quem laborem eſuriendi, & ſitiendi, quantas viliſſimi, & [illegible] cibi, & potus anguſtias vt beſtiam capiant? Et interdum nec ipſius beſtiæ carnes, propter quam hæc tanta ſuſtinent epulis neceſſariæ [illegible] quamuis & ſi aper, ceruuſque capiatur, magis ſuaue ſit venantis animo, quia captus eſt, quam comedentis palato, quia coctus eſt. Quantis cruciatibus propemodum quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas ſubditur? Quantis etiam ſcholis, vigiliarum, & abſtinentiæ moleſtijs exercentur, non propter diſcendam ſapientiam, ſed propter opes honoreſque vanitatis, vt numeros & literas, & diſertas fallacias eloquij diſcant; ſed in omnibus quibus ista non amant, eadem grauia patiuntur: qui vero amant, eadem quidem, ſed non grauia pati videntur. Omnia enim ſæua & immania, prorſus facilia & prope nulla efficit amor. Quanto ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miſeriam quantum potuit cupiditas fecit? Quam facile toleratur quælibet aduerſitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, & æterna requies comparetur? Non immerito ille vas electionis cum ingenti lætitia dicit, Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ecce vnde iugum illud leue eſt, & ſarcina leuis: & ſi anguſta eſt paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Pſalmiſta: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Sed quæ dura ſunt laborantibus, eadem ipſis mitteſcunt amantibus: propterea quod ita diuinæ pietatis diſpenſatione actum eſt, vt interiori homini qui renouatur de die in diem, non adhuc ſub lege poſito, ſed iam ſub gratia exonerato ſarcinis innumerabilium obſeruationum, quod erat vere graue iugum, ſed duræ ceruici congruenter impoſitum, facilitate ſimplicis fidei, & bonæ ſpei, & ſanctæ charitatis, quicquid [illegible] exteriori homini [illegible] ille princeps qui miſſus eſt foras, [illegible] ſtudio [illegible] fieret. Nihil enim tam facile eſt bonæ voluntati quam ipſa ſibi, & hæc ſufficit Deo. Quantumlibet ergo [illegible], veriſſime Angeli nato in carne Domino clamauerunt

a Tim. 3.

2 Cor 6.

2 Cor. 11.

2 Cor 4.

Rom. 8.

Pſal. 16.

uerunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quia qui natus erat, ſuaue iugum eius eſt & ſarcina leuis, ſicut 1 Cor. 10. dicit Apoſtolus, fidelis Deus qui non ſinit tentari nos ſuper id quod poſſumus ferre, ſed facit cum tentatione etiam exitum, vt poſſimus ſuſtinere. Eadem habet ſerm. 9. de verbis Dom.

Aug. Laborandi neceſſitas. Et ſer. 10. de verbis Dom: Quare enim omnes laboramus, niſi quia ſumus mortales, &c. vt habetur lect. 7. 8. & 9. die 24. Febr.

Aug. Et ſerm. 12. de verbis Apoſtoli: Audiamus, & veniamus. Quid eſt veniamus? Credendo proficiamus, gratias agendo accipiamus, perſeuerando perueniamus. Veniamus ad eum, qui dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis. Et tu laboras, & ego laboro, illum audiamus, ad illum veniamus, inter nos quare litigamus? Ambo audiamus, quia ambo laboramus: quare inter nos litigamus? an vt medicum vocantem non audiamus? O infælix infirmitas, ad ſe vocat medicus, & litibus occupatur ægrotus. Vide quid dicat vocando: Venite ad me omnes, qui laboratis, vbi laboratis, niſi ſub ſarcinis peccatorum, niſi ſub iugo malæ dominæ iniquitatis? Venite ergo ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam. Ego qui feci reficiam: ego, inquit, vos reficiam, quia ſine me nihil poteſtis facere. Quomodo vos reficiam? Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me. Quid diſcimus à te? Nouimus te Domine in principio verbum, verbum Deum, verbum apud Deum, omnia per te facta nouimus quæ vidimus, & quæ non vidimus. Quid diſcimus à te? Non enim alium mundum diſcipuli tanquam diſcipuli artificis, & fabricatoris condituri ſimus: vnum mundum condidiſti, cælum & terram feciſti, vtrumque ſuis creaturis ornamentiſque illuſtraſti. Quid à te diſcimus? Diſcite à me, inquit, cum eſſem in principio apud Deum creaui vos? Hoc nolo diſcatis à me, ſed factus ſum quod feci, ne perirent quæ feci. Vnde ſum factus quod feci? Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum. Hoc diſcite à me? Humiliauit enim ſemetipſum, inquit. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Non enim, inquit, hoc vos doceo, quaſi in forma Dei aliquando fuiſſetis, non rapinam arbitrantes, eſſe vos æquales Deo. Illi vni proprium erat, ille rapina Phil. 2. non erat cui natura erat. In Patris æqualitate natus eſt de Patre, quid tamen fecit propter te? ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo: Ecce propter te Deus factus eſt homo, & non te vis agnoſcere cum ſis homo. Ecce propter te Deus factus eſt homo ſine peccato, & non vis te agnoſcere cum peccato, vt venias ad illum qui ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum ſuper vos. Tuliſti hoc iugum: Tuliſti? ſentis te habere ſeſſorem? tuliſti hoc iugum? Dicis, tuli. Sentis te habere ſeſſorem: ſentis te habere rectorem? ſentio, inquis, illi ergo dic, greſſus meos dirige ſecundum verbum tuum. Regit te ſub iugo ſuo, & ſub ſarcina Pſal. 118. ſua. Vt enim ſarcina eius ſit tibi leuis, & iugum eius ſuaue, ille tibi amorem inſpirauit. Amanti ſuaue eſt, non amanti durum eſt. Amanti ſuaue eſt, Dominus dedit ſuauitatem. An forte quia vel vidiſti, audiens, venite ad me; hoc ipſum tibi arrogare intendis, quia veniſti? ecce, inquis, veni ad illum arbitrio meo, voluntate mea. Quia veni, reficit me: quia veni, iugum ſuum imponit mihi ſuaue, quia dat amorem. ſarcinam ſuam leuem imponit mihi amanti & diligenti. Hæc omnia fecit in me, ſed quia veni ad eum. Ergo hoc ſapis quia veniſti, tu tibi hoc præſtitiſti? quid enim habes, quod non accepiſti? quo- 1 Cor. 4. modo veniſti? credendo veniſti, ſed nondum perueniſti. Adhuc in via ſumus, venimus, ſed nondum peruenimus. Seruite Domino in ti- Pſal. 2. more, & exultate ei cum tremore, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta. Time ne cum tibi arrogas, quia inuenta eſt à te via iuſta, ipſa arrogantia pereas de via iuſta. Ego, inquis, veni, arbitrio meo veni, voluntate mea veni. Quid turgeſcis? Quid tumeſcis? vis noſſe quia & hoc præſtitum eſt tibi? ipſum audi vocantem, nemo venit ad me, niſi Pater qui me Ioan. 6. miſit, traxerit eum. Aug. Et homil. 34: Sarcina vobis tumor veſter eſt: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me. Clamat magiſter Angelorum, clamat verbum Dei, quo rationales omnes mentes ſine defectu paſcuntur. Cibus reficiens, & integer permanēs clamat, & dicit: Diſcite à me. Exaudiat populus dicentem: Diſcite à me. Reſpondeat, quid diſcimus à te? à magno enim artifice neſcio quid audituri ſumus, cum dicit: Diſcite à me. Quis eſt qui dicit, diſcite à me? qui formauit terram, qui diuiſit mare & aridam, qui creauit volatilia, qui creauit animalia terrena, qui creauit omnia natantia, qui poſuit in cælo ſidera, qui diſtinxit diem & noctem, qui firmauit ipſum firmamentum, qui lucem à tenebris ſeparauit, ipſe dicit: Diſcite à me. Nunquid forte hoc nobis dicturus eſt, vt iſta cum illo faciamus? qui hoc poteſt, ſolus Deus facit. Noli, inquit, timere, non te onero. Hoc à me diſce, quod propter te factus ſum. Diſcite à me inquit, non formare creaturam, quæ per me facta eſt, nec illa quidem dico diſcatis, quia quibuſdam donaui, quibus volui, non omnibus. ſuſcitare mortuos, illuminare cæcos, aperire aures ſurdorum, nec iſta pro magno velitis diſcere à me. Gauiſi diſcipuli, & exultantes redierunt, dicentes: Ecce in nomine tuo, & dæmonia nobis ſubiecta ſunt. Ait illis Ieſus: Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia vobis ſubiecta ſunt, gaudete potius, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo, quibus voluit, donauit expellere dæmonia, donauit quibus voluit mortuos ſuſcitare, facta ſunt & hæc miracula ante incarnationem Domini, ſuſcitati 4 Reg. 2. 4. & 5. ſunt mortui, mundati ſunt leproſi legimus hæc: Et quis fecit tunc niſi ille qui poſtea homo Chriſtus poſt Dauid, ſed Deus Chriſtus ante Abraham?

Abraham, ipſe donauit hæc omnia. Ipſe per homines fecit, nec tamen omnibus hæc dedit? nunquid quibus hæc non dedit, deſperare debent, dicere ſe non peruenire ad eum, quia hæc dona accipere non meruerũt? in corpore membra ſunt, aliud poteſt illud membrum, aliud illud, compegit corpus Deus, non tribuit auri vt videat, nec oculo vt audiat, nec fronti vt olfaciat, nec manui vt guſtet: non dedit hæc, ſed omnibus membris ſanitatem dedit, compagem dedit, vnitatem dedit, ſpiritu omnia pariter viuificauit & vniuit, ſic ergo dedit cuidam mortuos ſuſcitare, alij dedit diſputare: omnibus tamen quid dedit? Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Quoniam audiuimus dicẽtem, mitis ſum, & humilis corde. Fratres mei, tota medicina noſtra eſt, diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde; quid prodeſt ſi miracula facit, & ſit ſuperbus, non ſit mitis, & non humilis corde? nonne in illo numero deputabitur eorum, qui venturi ſunt in finem & dicturi: Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? ſed quid audient? non noui vos. Recedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Quid ergo prodeſt vt diſcamus, quoniam mitis ſum & humilis corde? charitatem inſerit, & germaniſſimam charitatem, ſine confuſione, ſine inflatione, ſine elatione, ſine fallacia: hoc inſerit qui dicit, diſcite me, quia mitis ſum, & humilis corde. Quando poteſt ſinceriſſimã habere charitatem ſuperbus & inflatus? neceſſe eſt vt inuideat. An forte qui inuidet amat, & nos erramus? abſit vt quiſque ſic erret vt inuidum dicat habere charitatem. Ergo quid dicit Apoſtolus? *(1 Cor. 13.)* charitas non æmulatur. Quare non æmulatur? non inflatur: cauſam ſtatim ſubiecit, vnde abſtulerit æmulationem charitati, quia non inflatur, nõ æmulatur. Primò quidem illud dixit: Charitas non æmulatur, ſed tu quaſi quæreres, quare non æmulatur, addidit, non inflatur. Si ergo ideo æmulatur, quia inflatur: ſi non inflatur, non æmulatur. Si charitas non inflatur, & ideo non æmulatur, charitatem inſerit, qui ait: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, iam quilibet habeat quod vult, iactet ſe vnde vult. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum vt æramentum ſonans aut cymbalum tinniens.

Greg. Greg. lib. 4. Moralium cap. 39: In hac itaque luce impij à tumultu ceſſant: dum peruerſorum mentes veritate cognita, laborioſa mundi deſideria fugiunt & tranquillitati intimi amoris acquieſcunt. An non ad ceſſationem vocat lux ipſa quæ ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue? quid enim graue mentis noſtræ ceruicibus imponit qui vitari omne deſiderium quod perturbat præcipit? Quid graue ſubiectis iubet, qui declinare laborioſa mundi huius itinera admonet? atteſtante autem Paulo Apoſtolo: *(Rom. 5.)* Chriſtus pro impijs mortuus eſt, ſed idcirco dignata eſt pro impijs lux ipſa occumbere: ne impij in tenebrarum ſuarum tumultu remanerent. Contempletur ergo vir ſanctus, quod lux per incarnationis ſuæ myſterium ex graui labore impios eripit: dum ab eorum cordibus deſideria prauitatis tergit: contempletur quod conuerſi quique quietem quam percipere in æternitate deſiderant hic iam per tranquillitatem mentis deguſtant.

Greg. Et lib. 20. Moralium cap. 16: Quid eſt enim Dominum mitem ſe in magiſterio, atque humilem dicere: niſi relictis exercendæ elationis difficultatibus, plana quædam bene viuendi itinera demonſtrare? ſed quia prauorum mentes plus per aſpera elationis, quam per blanda humilitatis ac manſuetudinis delectantur; eſſe ſub ſentibus delicias deputant. Dura enim pro amore ſæculi quaſi quædam mollia ac delectabilia ferre parati ſunt, dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur. Ceſſationem Dominus à mundi laboribus imperat: ſanctæ quietis dulcedinem perſuadet: & tamen veſana iniquorum mens plus ſe aſſequi aſpera carnaliter, quam tenere blanda ſpiritualiter gaudet, plus acerbitate fatigationis quam quietis dulcedine paſcitur. Quod aperte in ſemetipſo nobis Iſraeliticus populus oſtendit: *(Exod. 16.)* qui dum refectionem mannæ deſuper perciperet. Ab Ægypto ollas carnium, pepones, porros cepaſque concupiuit. Quid enim ſignatur in manna, niſi eſca gratiæ, ſuaue ſapiens, ad refectionem interioris vitæ bene vacantibus deſuper data? Et quid per ollas carnium, niſi carnalia opera vitæ, in tribulationum laboribus quaſi ignibus excoquenda? Quid per pepones, niſi terræ dulcedines? Quid per porros ac cepas exprimitur: quæ plerumque qui comedunt lacrymas emittunt, niſi difficultas vitæ præſentis, quæ à dilectoribus ſuis, & non ſine luctu, agitur, & tamen cum lacrymis amatur? Manna igitur deſerentes, cum peponibus, ac carnibus porros, cepaſque quæſierunt: quia videlicet peruerſæ mentes dulcia per gratiam quietis dona deſpiciunt; & pro carnalibus voluptatibus laborioſa huius vitæ itinera etiam lacrymis plena concupiſcunt: contemnunt habere vbi ſpiritaliter gaudeant; deſideranter appetunt, vbi & carnaliter gemant.

Greg. Et ſub finem lib. 5. expoſitionis in lib. primum Regum: In Euangelio Dominus dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Tunc qui laborat, vocatur: quando bene agenti deſiderium æternitatis infunditur. Et ad vocantem ſe accedunt, quando ad contemplatiuæ vitæ quietem veniũt, in qua nimirum laborantes, reficiuntur: quia amoris gaudia de diuina contemplatione abundanter ſumunt. Ipſi quidem accedentes reficit, qui puris mentibus ſeipſum oſtendit. In cuius reuelatione quia contemplationis gaudia multa inueniunt, quaſi omnimoda delectationis dulcedine non ab alio, ſed ab ipſa, ſaturantur.

Quid ſit laborantem vocari, & venire.

Bald-

Baſ. Baſ. de abdicatione rerum. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Dei illa ſunt verba, Quæ ſi re vitę (Duplex refectio promittitur.) prius, in qua nunc ſumus, ſiue conſequentis, refectionem ſignificant; illud certe planum eſt, ea hortari nos vt qua quidem depoſita ſuperuacanearum diuitiarum ſarcina, eaq́ue in egentes diſtributa, qua vero, vt innumerabili penè, quæ ex ſtudio opes congerendi, cumulatim accreuit, peccatorum multitudine, per largitionem, & confeſſionem reiecta, crucem geſtaturi, ad monachorum vitam accedamus.

Elias. Elias cretenſis in orat. 4. Naz: Quo autem modo fatigatorū requies ſit, audiamus ex ipſo Domino, quum ait: Adeſte omnes, qui feſſi, & (Qui ſint feſſi, & grauati.) grauati eſtis, Ego vos quiete recreabo. Vocat autem feſſos, & grauatos, vel omnes illos, qui in curis vitæ huius, & peccatis hærent, quos ſe per quietem recreaturum polliceetur, liberatos ab omnibus hiſce malis, per fidem in ipſum: vel per feſſos intelligit Iudæos, qui iugum legis geſtare non poſſent: per grauatos, ſimulacrorum cultores, qui per diabolum, quaſi quibuſdam oneribus, premuntur, & peccatorum multitudine grauantur.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 5. de incomprehenſibili Dei natura: Etſi totum diem in cōmunicandis cum eo tuis calamitatibus conſumpſeris, ita te magis, magiſque diliget, & tuis precibus liberalius annuet. Et quidem hoc ipſe Dominus explicans, ita dicebat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Vocat, obſequamur: inuitat, accedamus: ſi peccatis innumerabilibus detinemur, curſum ob eam rem maiorem in modum eo agimus. Tales enim homines ad ſe vocat: Non veni, inquit, iuſtos vocare; ſed peccatores ad pænitentiam: homines oneratos, oppreſſos, feſſos, fatigatos pondere peccatorum. Deus enim dicitur conſolationis, Deus miſericordiarum: Quoniam hoc eius officium eſt perpetuum, vt homines dolentes, mærentes, afflictos conſoletur, atque hortetur, etiamſi peccata commiſerint innumerabilia; modo nosipſos ei dedamus, modo accedamus, nec negligamus: re ipſa experti ſciemus eorum, quæ propoſui veritatem omnium. Nihil penitus nos dolore afficere poterit, ſi orationem intentam, exquiſitamque habeamus: quidquid enim acciderit, facile per eius orationis facultatem repellemus. Nec mirum ſi caſus humanos tollere vires poſſint orationis, quando & ipſam peccatorum naturam extinguunt, & compendio ex- (Chryſoſt.) cidunt, ac delent. Et homil. 1. de verb. Iſaię. Vidi Dominum &c: Quid hac voce poſſit eſſe deſiderabilius? Quid hac inuitatione iucundius? Ad epulum te vocat, qui in Eccleſiam te vocat Dominus. Ad releuationem pro laboribus adhortatur, ad releuationem à moleſtijs transfert, pondus peccatorum aleuans, delicijs animi moleſtiam, gaudio mærorem ſanat. O miram eius curam! ô vocationem cęleſtem! Feſtinemus itaque dilecti, vt eandem alacritatem in longum tempus porrectam exhibeamus, & cum conueniente modeſtia, conſiderationeque decente hunc conſumemus. Et (Chryſoſt.) homil. 6. in poſteriorem ad Corinth: Non dixit, puniam vos: ſed, reficiam vos. Nam in (Effectus Baptiſmi.) baptiſmate ſepeliuntur peccata, delentur priora, viuificatur homo; velut in tabula, ita in corde illius deſcribitur omnis gratia. Proinde cogita quanta ſit ſpiritus dignitas, cum illius tabulæ ſint meliores prioribus, cum ipſa etiam reſurrectione maius quid iā exhibeatur. Nam hæc mortificatio vnde liberat, priore grauior eſt, tantoque grauior, quanto melior eſt anima corpore. Tum hæc mors per illam inducta eſt, vita per gratiam, quam ſpiritus dat. Quod ſi hanc vitam donare poteſt ſpiritus, multo magis illam, hac inferiorem. Nam illā prophetæ contulerunt, hanc vero non item. Nullus enim poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus. tāmetſi ne illam quidem abſque ſpiritus præſidio, contulerunt prophetę.

Nu. 7. verſ. 12.

Chryſoſt. Chrysost. Hom. 9. in gene: Conteramus igitur pectus noſtrum, humiliemus (obſecro) mentem, & maxime nunc, cum hoc ieiunij tēpus multa nobis præbet ſubſidia. Nam ſi ita affecti fuerimus, poterimus & magna ſobrietate preces facere, & confitentes peccata multūm gratiarum ſuperne obtinere. Et vt ſciatis tales animas Deo placere, audi ipſum dicentem, Ad quem reſpiciam, niſi ad humilem, & quietum, & trementem ſermones meos? Idcirco & Chriſtus dicit; Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Nā qui vere ſeipſum humiliat, nunquam poterit ita commoueri, & proximo ſuccenſere, quia anima eius in ſui conſideratione occupata eſt, & humiliata. Ani- (Requies.) ma autem, quæ ſic ſe habet, quid eſſe poſſit beatius? Quicumque talis eſt, is in portu continuo ſedet, ab omni tempeſtate liber, & oblectatur in cogitationum tranquillitate. Et ideo Chriſtus dicebat, & inuenietis requiem animabus veſtris. Itaque ſicut qui affectiones illas ſopit, multa requie fruitur: Ita deſes, & ſupinus, & qui nequit ſeipſum, vt dicet, moderari, perpetuo perturbationibus, & affectionibus obnoxius eſt: domi bellū habet, nemine perſequente turbatur, & grauem ſuſtinet tempeſtatem. Et propterea fluctibus ſe eleuantibus, & exorientibus malorum ſpirituum procellis, ſæpe naui ob imperitiam gubernatoris demerſa, ſimul ipſe ſubmergitur. Et Homil. 34: (Chryſoſt.) Neque enim vnquam eis, qui nobis iniuriam faciunt, aduerſemur, etiamſi prius multum in illos contulerimus beneficiorum. Hæc enim optima eſt philoſophia. Neque contumelia affecti feroces ſimus, etiamſi contemptiores, & magis inopes nobis ſint, qui nobiſcum contendunt: ſed manſuetudine, & lenitate furorem comprimamus. Nihil enim illa potentius, nihil illa fortius. Illa animam noſtram in perpetua tranquillitate, & quaſi in portu conſtituit,

& omnis recreationis, ac quietis occaſio nobis eſt. Eapropter & Chriſtus diuina illa docens, dicebat: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: inuenietisque requiem animabus veſtris. Nihil enim animam ita in tranquillitate, & quiete eſſe facit, vt manſuetudo, & modeſtia. Hæc omni diademate ſe poſſidenti eſt vtilior. Hæc omni claritudine & gloria conducibilior. Quid enim beatius, quam inteſtino liberari bello? Nam quamuis plurima pace, & cura externa fruamur, ſi intra nos cogitationũ ſuſcitantur tempeſtas, tumultus, & ſeditio, nihil externa pax nobis proderit. Sicut & neque miſerabilius eſt aliud ciuitate, quæ licet præſidijs, & muris bene ſit munita, intus tamen ciues fouet proditores. Hoc igitur obſecro, vt ante omnia nobis ſit curæ, quomodo animam à turbulentia vindicemus, & in tranquillum ſtatum educamus, & ab omni liberemus amaritudine, quo & ipſi multa fruamur quiete, & ijs, qui familiaritatem nobiſcum habent, ſimus blandi. Hoc enim certiſſimum ſignũ, quo internoſcitur vir ratione præditus, ſi manſuetus fuerit, ſi lenis, ſi mitis, ſi modeſtus, & quietus: ſi non quaſi ſeruus ducatur, & trahatur aut ab ira, aut ab alijs affectionibus: ſed ratione vincat internos illos incompoſitos motus, nobilemque ſuam generoſitatem ſeruet, ne in brutorum ferociam negligentia degeneret.

Quid maxime nos quietos reddat.

Hieron. Hiero. epiſt. ad Celantiam de inſtitutione matris famil.: Diſcite à me, quia &c. Si periculoſum eſt imitari illos, de quibus dubitas an imitandi ſint: hunc certe imitari tutiſſimum eſt, atque eius veſtigia ſequi, qui dixit: Ego ſum via, veritas & vita. Nunquam enim errat, qui ſequitur veritatem. Vnde & Apoſtolus Ioannes ait: qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Et beatus Petrus ait: Chriſtus pro nobis paſſus eſt, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.

Verſ. 13.

Chryſoſt. Chryſoſt. l. 1. de compunctione cordis: Reuera ipſe pronunciauit de præceptis ſuis, quod nihil in eis laborioſum ſit, & nihil oneroſum, dicens: Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Et nos è contra grauia efficimus, quæ ille leuia conſtituit: & quæ ille ſuauia poſuit, nos facimus amara peccando. Quod ſi laborioſum aliquid eſſet in præceptis, decenter & merito virtutem labor comitaretur: præmia enim propoſita ſunt poſt laborem. Nunc vero infœlix anima ne hanc quidem reuerentiam diuinis legibus dabit, vt ſileat & quieſcat, ne ad præuaricationem laborando perueniat, quantus ſit illa in quibus paululum laboris eſt adhibendum, in his dumtaxat, in quibus Paulus dicit: Nam quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum immenſum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Vides ergo etiam quicquid in præſenti eſt, leue eſſe, etiam ſi tribulatio ſit. Quomodo leue? Quia immenſum pondus futuræ gloriæ leuem facit præſentis temporis tribulationem, etiamſi ſenſibus noſtris grauius videtur. Denique & ipſe cauſas in conſequentibus exponit, vt omne id duci leue debeat, quicquid paſſio præſentis tẽporis intulerit. Ait enim: Non reſpicientibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt. Greg etiam notat. 55. cap. 52. docet quomodo Chriſti iugum ſuaue ſit ac leue cum viæ Domini dicantur eſſe duræ.

Hiero. Hiero. l. 2. aduerſ. Pelag: Tolle ergo ſententiam, & rade de libro tuo, facilia Dei eſſe mandata. Quod ſi illud Ioannis Apoſtoli oppoſueris; mandata eius non ſunt grauia: & de Euangelio: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue: facile reuinceris: leuia enim certum eſt dixiſſe Euangelij mandata ad comparationem ſuperſtitionis Iudaicæ, in qua varia ceremoniarum genera quærebantur, quæ iuxta litteram, & Apoſtoli Petri ſententiam, nullus potuit explere. *1. Ioan. 5.* *Act. 15.*

Not. 8. verſ. 14. 15.

Ber. Ber. ſer. 6. in Aſcenſ. Domini: Beati oculi, qui videbãt Dominum maieſtatis in carne præſentem, auctorem vniuerſitatis inter homines conuerſantem, virtutibus coruſcantem, infirmos curantem, mare calcantem, mortuos ſuſcitantem, dæmonijs imperantem, & poteſtatem ſimilem hominibus conferentem, mitem, & humilem corde, benignum, affabilem, miſericordiæ viſceribus affluentem, agnum Dei peccatum non habentem, & omnium peccata portantem; beatæ aures, quæ verba vitæ, ab ipſius incarnati verbi ore percipere merebantur, quibus enarrabat vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, & nota faciebat quæcumque audiſſet à patre, vt fluenta doctrinæ cæleſtis ab ipſius veritatis puriſſimo fonte haurirent, vniuerſis poſtmodum gentibus propinanda, imo eructanda potarent. Vide Bed. lect. 7. & 8. dom. 12. poſt Pent. *Cap. 16.* *Bed.*

Greg. Greg. lib. 4. mor cap. 37: Si namque, qui poſt acceptam legem in hoc mundo nati ſunt, authori ſuo eiuſdem legis ſunt admonitione concepti. Sed tamen concepit minime lucem viderunt: quia ad aduentum incarnationis dominicæ, quamuis hanc fideliter crederent, peruenire nequiuerunt. Incarnatus quippe Dominus dicit: Ego ſum lux mundi: Atque ipſa lux ait: Multi prophetæ, & iuſti deſiderauerunt videre, quæ videtis, & non viderunt. Concepti igitur non viderunt lucem quia ad ipſum venturi mediatoris, apertis Prophetarum vocibus exciti, nequaquam potuerunt cernere eius incarnationem. In his itaque conceptus interior formam fidei edidit: ſed hanc vſque ad apertam viſionem diuinæ præſentiæ non perduxit: quia prius hos à mundo mors interueniens rapuit, quam manifeſta veritas mundum illuſtrauit. Et lib. 7. cap. 3: Beati Iob vita atteſtante cognoſcimus, vt expectaſſe redemptorem *Greg.*

totis aduentum, multos etiam gentiles credamus. Et naſcente Domino, Simeone in ſpiritu in templum veniente, didicimus, quãto deſiderio ex plebe Iſraëlitica ſancti viri incarnationis eius myſterium videre cupierunt. Vnde & per eundem redemptorem diſcipulis dicitur: Dico vobis, quod multi iuſti, & Prophetę deſiderauerunt videre, quæ videtis; & nõ viderunt.

Greg. Et lib. 9. cap. 20: Ante redemptoris igitur aduentum, pœnam ſuam electi omnes habuerunt: quia æſtuante deſiderio, incarnationis eius myſterium videre cupierunt: ipſo atteſtante, qui ait; Multi, dico vobis, iuſti, & prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis; & non viderunt. Pœnæ itaque innocentium, ſunt deſideria iuſtorum.

Iren. *Quid Prophetæ non viderint.* Irenæus lib. 4. cap. 24: Quoniam autem non ſolum prophetæ, & iuſti multi præſcientes per ſpiritum aduẽtum eius, orauerunt in illud tempus venire, in quo facie ad faciem viderent Dominum ſuum, & ſermones audirent eius, Dominus fecit manifeſtum, dicẽs diſcipulis. Multi Prophetę iuſti cupierunt videre quæ videtis; & non viderunt: & audire quæ auditis; & non audierunt. Quemadmodum igitur concupierunt & audire, & videre, niſi præſciſſent futurum eius aduentum? Quomodo autem pręſcire potuerunt, niſi ab ipſo præſcientiam ante accepiſſent? Quomodo autem ſcripturæ teſtificantur de eo, niſi ab vno, & eodem Deo omnia ſemper per verbum reuelata & oſtenſa fuiſſent credentibus? aliquando quidem colloquente eo cum ſuo plaſmate, cum aliquando autem dante legem, aliquando vero exprobrante, aliquando vero exhortante, ac deinceps liberante ſeruum ſuum, & adoptante in filium, & apto tempore incorruptibilem hęreditatem pręſtante ad perfectionem hominis.

Chryſoſt. homil. 7. in Ioannem: Obiecerit quiſpiam: Quo igitur pacto ipſe dicebat: multi prophetæ cupierunt videre, quæ videtis; & nõ viderunt: & audire, quæ auditis; & non audierunt? Nunquid non fuerunt eius cognitionis participes? fuerunt ſane. Quod hac eadem particula, ex qua nonnulli ea cognitione priuatos fuiſſe Prophetas arbitrati ſunt, manifeſtum facere conabimur: Multi, inquit, cupierunt videre, quæ vos videtis; Nouerunt ergo ipſum ad nos venturum, & quæ fecit, facturum. Niſi enim nouiſſent, nullo pacto videndi flagraſſent deſiderio. Nemo enim quod ignorat capere poteſt. Nouerũt igitur ipſum Dei filium ad humanum genus deſcenſurum. Sed quænam ſunt, quæ neque viderunt, neque audierunt? Ea quę nunc vos & videtis, & auditis: ſiquidem & vocem eius illi audierunt, & ipſum viderunt, non tamen in carne, neque cum hominibus cõuerſantem, neque ipſis familiariter libereque loquentem. Quod ſignificauit, cum non ſimpliciter dixit; cupierunt videre me; ſed, quæ vos videtis: neque audire me; ſed, quæ vos auditis. Itaque licet non ipſius aduentum in carne conſpicati ſint, viderunt tamen ipſum futurum, quem cupiebant, & in quem credebant. Et hom. 21. in prior. ad Corinth: nouiſſime autem omnium, tanquam abortiuo, viſus eſt mihi: quę non parua erat prærogatiua. Quamobrem Chriſtus id magnum oſtendit, his verbis: quia multi Prophetę iuſti cupierunt videre, quæ vos videtis, inquit, & non viderunt, & iterum: Venient dies cum voletis vnam harum dierum videre.

Chryſoſt. — *Prophetæ Chriſtum viderunt.* — *Quid Prophetæ non viderint, & audierint.* — *Chryſoſt.* — *Prærogatiua diſcipulorum.*

CAPVT 106. *Quæ ſit ratio conſequendi vitam; & parabola de Samaritano vulneratum curante.*

Mat.	*Mar.*	*Lucæ 10.*	*Ioan.*
		1 ET Ecce, quidam legiſperitus ſurrexit, tentans illum, & dicens; magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?	
		2 At ille dixit ad eum; in lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?	
		3 Ille Reſpondens dixit; diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum.	
		4 Dixitque illi; recte reſpondiſti: hoc fac, & viues.	
		5 Ille autem volens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum; Et quis eſt meus proximus?	
		6 Suſcipiens autem Ieſus, dixit; homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho; & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum: & plagis impoſitis abierunt, ſemiuiuo relicto.	
		7 Accidit autem, vt ſacerdos quidam deſcenderet eadem via: & viſo illo pręteriuit.	
		8 Similiter & leuita, cum eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſijt.	

Mat. | *Mar.* | *Luca 10.* | *Ioan.*

9 Samaritanus autem quidam, iter faciens, venit ſecus eum:
& videns eum, miſericordia motus eſt.
10 Et Appropians, alligauit vulnera eius, infundens oleum,
& viuum.
11 Et imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabu-
lum, & curam eius egit.
12 Et altera die prot li it duos denarios, & dedit ſtabulario,
& ait; curam illius habe: Et quodcumque ſupererogaueris,
ego cùm rediero, reddam tibi
13 Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui
incidit in latrones?
14 At ille dixit; qui fecit miſericordiam in illum.
15 Et ait illi IESVS: Vade, & tu fac ſimiliter. ✠

Not. 1.

[Summa capitis.]

INTERPELLATVS Dominus à Legiſperito, de ſalute conſequenda, cum eum docuiſſet, quid agere deberet; Parabolam de eo, qui incidit in latrones, & de Samaritano, ſubiunxit.

[Diſpoſitionis ratio.]

Nulla hic à Luca ſignificatur huius hiſtoriæ cum præcedentibus continuatio: non enim dicit; & Ecce tunc: ſed tantũ; & Ecce. Tranſit enim ad alia commemoranda, quæ memoriæ tum occurrebant.

[Vbi, & quando illud contigerit eſt incertum.]

Quæ quo tempore, quóue loco ſint geſta, ſicut & alia multa, quæ poſtea narrantur, ſciri non poteſt: Sicut neceſſe non eſt cognoſcere. Proinde quo ordine Lucas ea poſuit, & nos proſecuti ſumus. Cæterum hanc hiſtoriam non tum contigiſſe, quando ſuperiora dicebantur, ſatis ex Luca patet. Nam tunc ſeorſum Dominus diſcipulis loquebatur. Græca enim habent; conuerſus ad diſcipulos ſuos ſeorſum dixit; Beati oculi, &c. Hæc vero hiſtoria contigit populo præſente, &, vt veriſimile eſt, in Synagoga, vbi multis Doctoribus ſedentibus, & Domino cum eis diſputante, ille ſurrexit. Vide Amb. lib. 7. in Luc.

[Amb.]

Verſ. 1.

[Iſtud à Chriſto bis quæſitum eſt.]

HÆC eadem quæſtio bis Chriſto à diuerſis propoſita fuit. Primo quidem hic à Scriba, qui tentator erat: Deinde vero cap. 133: Vbi diues adoleſcens, idem interrogat; idque animo diſcendi, non tentandi. Vnde Baſilius hom. 7. in diuites auaros: De adoleſcente, qui Dominum interrogauit, quid nam faciendo vitam haberet æternam. Quæ dicta ſunt hodierno matutino, & eorum pro[illegible]s ſolers atque induſtrius auditor cum meminit quę diſcuſſa tunc ſunt & expenſa & quidem primum, quod non idem eſt cum Legiſperito, de quo apud Lucam ſcribitur. Hic enim tentator erat, ſimulatorias, & ironiæ plenas proponens interrogationes. Iſte vero ſalubriter quidem interrogans, non ſinit ſe perſuaderi. Non enim triſtis abijſſet propter reſponſa Domini, ſi deſpiciendo interrogaſſet. Quamobrem eius animus varius, mixtusque nobis indicatur, cum ex ſermone partim laudabilis, partim miſer, ac deſperans oſtendatur. Etenim noſce verum magiſtrũ, & Phariſæorum iactantiam, ac Legiſperitorum arrogantiam ac Scribarum turbam non fuiſſe imitatum: ſed ex ſolo, & vero præceptore hoc intelligere voluiſſe, laude dignum cenſeo. &c. Hunc autem Legiſperitum, ab eo diuerſum eſſe, de quo cap. 154: Docet Auguſt.

[Baſil.] [Cap. 133.] [Diuerſi diuerſis temporibus hoc petunt à Chriſto.] [Duo Legiſperiti diuerſi.] [Aug.]

[Euth.]

Euth. Luc. 10: Quid faciendo vitam æternam poſſidebo, quam populis annuncias? Alius autem erat hic Legiſperitus ab eo, de quo à Matthæo, & Marco facta eſt mentio. Vide Bed. lect. 9. dom. 12. poſt Pent.

[Duo Legiſperiti.] [Bed.]

Not. 2. ver. 5.

[Titus.] [Legiſperiti error.] [Se iuſtificare quid ſit.]

TITVS Boſtrorum Epiſcop. cap. 10. Lucæ: Iureconſultus hic à Domino laudatus, in ſuperbiam, & arrogantiam prorumpit: ponit namque ſe nullum habere proximum, hoc eſt, nullum exſtare, qui ſecundum exactam iuſtitiæ rationem cum illo conferri queat. Hoc enim inſinuat Euangeliſta, dum ait: Ille autem volens ſeipſum iuſtificare, dixit ad Ieſum: Et quis eſt meus proximus? Hic Legiſperitus, ſcribit Peluſiota, ſolum iuſtum iuſto proximum iudicat. Eum autem ille tantum iuſtum cenſebat, qui ad virtutum faſtigium peruenerat. Neque enim hominum inter ſe cognationem, aut excellentiam ex natura, aut naturę ſimilitudine ſpectandam putabat, ſed ex dignitate, & actione. Seipſum proinde iuſtificare, hoc eſt, iuſtum demonſtrare, quantosque in virtutibus, aut iuris ſapientia progreſſus haberet, oſtentare volens, aiebat: & quis eſt meus proximus? Quaſi dicat: Oſtende mihi aliquem tantũ, quantus ſum ego?

[Peluſ.]

[Euth.] [Legiſperiti error.] [Proximus quis ſit.] [Se iuſtificare quid ſit.] [Parabolæ ſcopus.]

Euthymius in cap. 10. Luc: Conatu ſuo fruſtratus, effudit quem apud ſe occultabat tumorem. Putabat enim ſe cunctis eſſe præſtantiorem: Nam lex proximum nominauit eum, qui alterius egeret auxilio: Ipſe vero illum dici opinabatur, qui virtute æqualis eſſet: Ideo etiam volens ſeipſum iuſtificare, ſiue alijs præponere, interrogat: Quis mihi eſt æqualis? Deinde Chriſtus per parabolam demonſtrat illum eſſe proximum, qui alterius indiget auxilio.

[Theoph.] [Legiſperiti error.] [Se iuſtificare quid ſit.]

Theophyl. Luc. 10: Laudatus à ſaluatore Legiſperitus, prodidit inſolentiam animi. Dixit enim; Et quis eſt meus proximus? Exiſtimabat enim ſe iuſtum eſſe, nullumque habere ſibi ſimilem, & proximũ virtute putans ſolum iuſtum iuſto proximum eſſe. Proinde volens iuſtificare ſeipſum, & extolli ſuper omnes homines inſoleſcens, inquit: Et quis eſt meus proximus?

Not. 3.

Nu. 3. verſ. 6. & ſeq.

Aug. Hic homo deſcendēs, quis ſit. Ieruſalem quæ. Hiericho.

AVG. quæſt. Euang. lib. 2. cap. 19: Homo quidam deſcēdebat ab Ieruſalem in Ierico; Ipſe Adam intelligitur in genere humano. Ieruſalē, ciuitas pacis illa eſt cæleſtis, à cuius beatitudine lapſus eſt. Hiericho luna interpretatur, & ſignificat mortalitatem noſtram propter hoc quod naſcitur, creſcit, ſeneſcit.

Latrones qui ſint. Spoliauerunt. Plagæ. Semiuiuus.

Et incidit in latrones, diabolum, & angelos eius, qui eum ſpoliauerūt immortalitate; & plagis impoſitis, peccata ſuadendo, reliquerunt ſemiuiuum: Quia ex parte, qua poteſt intelligere, & cognoſcere Deum, viuus eſt homo: Et parte, qua peccatis contabeſcit, & perimitur, mortuus eſt; & ideo ſemiuiuus dicitur.

Sacerdos. Leuita.

Sacerdos autem, & Leuita, qui eo viſo prætererunt, ſacerdotium, & miniſterium veteris teſtamenti ſignificant, quę non poterāt prodeſſe ad ſalutem.

Samaritanus interpretatur cuſtos. Allegauit. Oleum. Vinum. Iumentū. Stabulū.

Samaritanus cuſtos interpretatur; & ideo ipſe Dominus ſignificatur hoc nomine. Alligatio vulnerum, eſt cohibitio peccatorum. Oleum cōſolatio ſpei bonæ, propter indulgentiam datam ad recōciliationem pacis. Vinum, exhortatio ad operandum feruentiſſimo ſpiritu. Iumentum eius eſt caro, in qua ad nos venire dignatus eſt. Imponi iumento eſt in ipſam incarnationem Chriſti credere. Stabulum eſt Eccleſia, vbi reficiuntur viatores, de peregrinatione redeuntes in æternam patriam.

Altera dies. Duo denarij.

Altera dies eſt poſt reſurrectionem Domini. Duo denarij ſunt duo præcepta charitatis, quā per ſpiritum ſanctum acceperunt Apoſtoli ad euangelizādum cæteris: vel promiſſio vitæ pręſentis & futuræ. Secundum enim duas promiſſiones dictū eſt, Accipiet in hoc ſæculo centies tantum, & in ſęculo futuro vitam æternā conſequetur.

Stabularius. Supererogare. 1. Cor. 7. 2. Theſſ. 3.

Stabularius ergo eſt Apoſtolus. Quod ſupererogat, aut illud eſt cōſilium quod ait, De virginibus autē præceptū Domini non habeo, cōſilium autem do. Aut quod etiam manibus ſuis operatus eſt, ne infirmorum aliquem in nouitate euāgelij grauaret, cum ei liceret paſci ex euangelio.

Aug.

Et lib. 3. Hypognoſticon contra Pelag: Audi adhuc calcatius, vt ad propoſitum ſuperioris diſputationis reuertamur,

Homo qualis factus ſit peccato.

quia homo vulneratus libero arbitrio per Adæ peccatum ſine gratia Dei, id eſt, per ſe ſolum ſanare ſe non poteſt, nec ſponte ad paradyſum reuerti, ſanctorum numero ſociandus; nec eum gratiā meritis vllis accipere; ſed totum ſua miſericordia Deum peragere. Homo quidam, ait Dominus in Euangelio, deſcendebat ab Ieruſalem in Hiericho, & incidit in latrones, &c.

Homo quidam. Ieruſalem.

Homo iſte quidam, ipſe eſt genus humanum: Deſcendens ab Ieruſalem in Iericho, id eſt, de Paradyſo in hunc mundum. Ieruſalem enim Hebraicè dicitur, Latinè autem viſio pacis interpretatur. Rectè ergo in viſione pacis Paradyſum dicimus. Ante enim quam peccaret homo, in viſione pacis erat, hoc eſt, in Paradyſo, vbi quidquid videbat, pax erat, & lętitia.

Deſcendebat. Hiericho.

Inde deſcendens, id eſt, humiliatus, & miſer factus per peccatum, in Iericho, in mundum videlicet. Hiericho enim, in qua mundus ponitur, luna interpretatur: quia ſicut luna oritur, & occidit; ita & mundus: cū in eo orta occidunt, & iterum oriuntur.

Latrones qui ſint.

Incidit in latrones, id eſt, in diabolum, & angelos eius: Per inobedientiam enim, vt ſæpe dictum eſt, primi hominis, diabolus humanū genus deſpoliauit, & vulnerauit, morum ſcilicet ornamētis, & bono poſſibilitatis liberi arbitrij perdito. (Spoliauit.) In illo enim peccante plagam fecit, in nos vero plagas: cum per vnum illius peccatum, quod naſcētes trahimus, ſuperaddimus multa peccata. Quid eſt autem, relicto eo ſemiuiuo abierunt? Rectè dictus eſt ſemiuiuus. (Semiuiuus.) Habebat enim vitalem motum, id eſt, liberum arbitriū vulneratum; quod ei ſolum ad æternā vitam, quam perdiderat, redire non ſufficiebat. Ideo & ſemiuiuus dicitur. Iacebat ergo humanum genus vulneratum in mundo. (Infirmitas hominis peccatoris.) Sed cur iacebat, dicite, ſi per ſe ſurgere poterat, vel ſanari, nullius indigens adiutorio? Sed iacebat vulneratus, quia vires ei propriæ ad ſurgēdum quoad ſanandum ſe, medicum, id eſt, Deum requirere non ſufficiebant. Deſcendens ſacerdos eadem via, eum videret illum, præteriuit. (Sacerdos.) Similiter & Leuita, cum videret eū, pertranſijt. (Leuita.) In his duobus, id eſt, ſacerdote, & leuita, duo tēpora intelliguntur; legis ſcilicet, & Prophetarum. In Sacerdote, lex; per quā ſacerdotium, & ſacrificia inſtituta ſunt. In Leuita, vaticinium Prophetarum; quorum tēporibus, omne humanum genus ſanari non potuit: Quia regnauit mors ab Adam, vſque ad Moyſem, etiam in eos, qui non (Rom. 5.) peccauerunt, in ſimilitudine præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri, id eſt, etiam in omnibus ſanctis, & in paruulis, qui pręuaricati non ſunt, ſicut Adam. Et Sacerdote ergo, & Leuita prætereuntibus; iter faciēs Samaritanus, venit (Samaritanus.) ſecus eum. Samaritanus iſte ipſe eſt ſaluator Chriſtus: quia Samaritanus cuſtos interpretatur; cui rectè dicimus: Cuſtodi me Domine, vt (Pſal. 16.) pupillā oculi, ſub vmbra alarum tuarum protege me. Quid eſt autem venit ſecus eum? (Samaritanus interpretatur cuſtos.) Id eſt, venit in ſimilitudine carnis peccati, non vt ille, qui iacebat in carne peccati, ſed ſecus eū, quia (Secus eū.) in ſimilitudine. Et videns eū, miſericordia motus eſt: (Miſericordia.) Videns eum, quid? Iacentem. Nunquid ſurgentem, & currentem? Et ideo miſericordia motus eſt: quia in eo, quo curari dignus eſſet, meritum nullum inuenit. Et appropians alligauit vulnera eius. (Alligauit.) Quid eſt alligauit vulnera eius? Sicut ſcriptum eſt: Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: De peccato ſcilicet, (2. Cor. 5.) damnauit peccatum in carne. Infundēs oleum, & vinū hoc eſt, chriſma ſanctum, & ſanguinem (Oleum & vinum.) ſuum. Et impoſuit illum in iumentum ſuum; (Iumentū.) in adiutoriū videlicet gratię incarnationis ſuæ; quia ſicut ſcriptum eſt; hic peccata noſtra portauit, & pro nobis doluit. (Eſai. 53.) Et duxit in ſtabulum, (Stabulū.) ſcilicet, donans ei fidem ad credendum in ſe. Duxit in Eccleſiam ſuam, quæ omnibus ambulantibus in via fidei, tanquam ſtabulum patet ad ſuccedendum: Et altera die, (Altera dies.) quaſi tempore alio poſt reſurrectionē vtique & aſcenſionem ſuā; protulit duos denarios. Duo videlicet, vetus, & (Duo denarij.) nouum teſtamenta; in quibus vnum numiſma Dei Regis eſt. Et dedit ſtabulario, Paulo Apo- (Stabularius.) ſtolo, qui eſt vas electionis, cui ſollicitudo eſt omnium Eccleſiarum: & ait, Curam eius habe, id eſt, quæ ad fidem meam pertinent, quo modo eū oporteat ad plenam ſanitatē peruenire doce

Super-erogare. illum. Et quodcumque ſupererogaueris, dum rediero reddam tibi Si quid ergo ſuper Euangelium meũ, tanquam miſericordiam meã cõſecutus vt eſſes fidelis, ad eius vtilitatem, ſapueris, dum rediero iudicaturus mundũ, & vnicuique redditurus ſecundũ opera ſua, reddã tibi. Quid eſt autem, quod ſuper legem, & Euangeliũ plus Paulus erogauit? Illud quod, puto, ipſe ait ad

1. Cor. 7. Corinthios; de virginibus autem pręceptũ Domini non habeo, cõſiliũ autem do, tanquã miſe-

Ibidem. ricordiã cõſecutus à Domino vt ſim fidelis. Vel illud etiã, vbi de coniugibus ait; nam cęteris ego dico nõ Dominus, &c. Iſta interim iam à maioribus Eccleſiæ Catholicæ tractatoribus dicta, vel expoſita ſunt. Sed tunc à nobis limes fidei ſanæ defenditur, quãdo termini, quos poſuerũt

Vt liber. arbit. curetur. ſancti Patres, nõ transferuntur à nobis; imo obſeruantur, & defenſantur. Ecce quemadmodũ curatur hominis arbitriũ vulneratũ. A die ergo aduentus ſui Dominus, quo venit ſanare vulneratũ iacentem, vſq; ad diẽ reditus ſui, quo iudicaturus eſt mũdũ, ſtabulario curã habere iubet ſibi traditi ſauciati, ſignificans quod à die, quo

Nota. datur homini à Deo per motum miſericordiæ eius, nõ per meritũ, quod in vulnerato nõ inuenitur, vt ſanetur, vſq; ad diẽ aſſumptionis eius; niſi ſub cura gratię fuerit, ad perfectũ peruenire non poſſit. ſicut ſtabularius eius Paulus docet,

Philip. 1. ſcribens ad Philippenſes; Confidẽs hoc ipſum, quia qui capit in vobis opus bonũ, perficiet vſque in diẽ Chriſti Ieſu. Item Petrus Apoſtolus

1. Pet. 5. in epiſtola ſua prima, Deus autem omnis gratiæ, inquit, qui vocauit nos in æternã gloriã ſuam in Chriſto Ieſu, modicum paſſos ipſe perficiet, cõfirmabit, ſolidabitque, ipſi gloria, & imperiũ in ſæcula ſæculorum. Amen. Et ſer. 37. de

Aug. verbis Domini: Totum genus humanũ eſt ho-

Totum genus humanum in latrones incidit. mo ille, qui iacebat in via, ſemiuiuus à latronibus relictus, quẽ cõtempſit tranſiens Sacerdos, & Leuites; & acceſſit ad eum curandum, eique opitulandũ trãſiens Samaritanus. Vt autẽ nar-

Qua occaſione dicta ſit hæc parabola. raret hoc, vnde cauſa deſcẽdit; Quendã quęrentẽ quæ ſunt optima præcepta, & ſumma in lege, admonuit, hæc duo eſſe: Diliges Dominũ Deũ tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: &, diliges proximũ tuũ ſicut teipſum, ille autem; & quis eſt meus proximus? Et narrauit Dominus. Homo quidã deſcẽdit ab

Qui in latrones inciderat Iſraelita. Ieruſalem in Iericho. Oſtendit illum quodammodo Iſraelitam. Et incidit in latrones: quem cũ expoliaſſent, & plagas ei graues irrogaſſent, dimiſerunt eũ ſemiuiuum in via. Trãſijt Sacerdos; vtique genere proximus; præterijt iacentem. Tranſijt Leuites; & hic genere proximus; iacẽtem etiam ipſe cõtempſit. Tranſijt Samaritanus, genere longinquus, miſericordia proxi-

Chriſtus eſt Samaritanus. mus fecit quod noſtis. In quo Samaritano ſe voluit intelligi Dominus noſter IESVS-CHRISTVS.

Samaritanus interpretatur cuſtos. Samaritanus enim cuſtos interpretatur. Et poſt nonnulla: Ergo Dominus in proximo eſt: quia Dominus nobis factus eſt in proximo. Quid tã

Dominus quomodo ſit prope, & longe. longinquum quid tam remotum, quam Deũ ab hominibus; immortalem à mortalibus, iuſtũ à peccatoribus? Non loco longè, ſed diſſimilitudine. Nam ſolemus etiã ita loqui, cũ de duobus

Simile. hominibus dicimus, Quãdo diuerſi ſunt mores; iſte lõge eſt ab illo; etiam ſi iuxta ſteterint, etiã ſi vicinius inhabitẽt, etiam ſi vna catena colligentur, longe eſt pius ab impio, longe eſt innocens à reo, longe eſt iuſtus ab iniuſto. Si hoc de duobus hominibus dicitur; quid de Deo, & hominibus? Cum ergo longe eſſet à nobis immorta- Quomodo Samaritanus venit ſecus eum.
lis, & iuſtus, tanquã à mortalibus, & peccatoribus; deſcẽdit ad nos, vt fieret nobis proximus ille longinquus. Et quid fecit cũ haberet ipſe duo bona, & nos duo mala? Ille duo bona, iuſtitiam, & immortalitatem; nos duo mala, iniquitatẽ, & mortalitatem. Si vtrumq; malũ noſtrũ ſuſcepiſſet, Pater noſter factus eſſet, & liberatore nobiſcũ opus haberet. Quid ergo fecit, vt eſſet proximus nobis? Proximus, non hoc, quod nos; ſed prope nos. Duo attende, iuſtus eſt, immortalis eſt. In duobus tuis malis, vna eſt culpa, altera eſt pæna. Culpa eſt quod iniuſtus es; pæna eſt, quia mortalis es. Ille vt eſſet proximus ſuſcepit pænã tuam; non ſuſcepit culpã tuam. Etſi ſuſcepit, delendam ſuſcepit, nõ faciẽdam; Iuſtus & immortalis, longe ab iniuſtis, & mortalibus. Peccator mortalis, longe eras à iuſto immortali. Non eſt factus ille peccator, quod tu; ſed factus eſt mortalis, quod tu. Manens iuſtus, factus eſt mortalis. Suſcipiẽdo pænam, & Philip. 4.
non ſuſcipiendo culpam, & culpam deleuit, & pænam. Dominus ergo in proximo eſt, nihil ſolliciti fueritis. Et ſi ſuper omnes cælos aſcendit corpore, nõ receſſit majeſtate. Vbique præſens eſt, qui fecit omnia. Et ſer. 2. de verbis

Apoſtoli Beati omnes, qui confidunt in eum: Aug.
non in ſe; ſed in eum. Gratia ſalui facti ſumus, nõ ex nobis: Sed Dei donum eſt. Forte dicatis; quid ſibi vult, quod hoc ſæpe dicit, iterum hoc, Pſal. 2.
& tertio hoc, & prope nunquam loquitur, niſi quãdo dicit. Vtinam nõ ſine cauſa dicam. Sunt Epheſ. 2.
enim homines ingrati, gratię, multũ tribuentes inopi, ſauciæque naturæ. Verũ eſt, magnas ar- Infirmitas liberi arbitrij.
bitrij liberi vires homo, cum conderetur, accepit; ſed peccando amiſit. In mortem lapſus eſt, Peccato liberi arbitrij vires perditæ.
infirmus factus eſt, à latronibus ſemiuiuus in via relictus eſt, in iumentum ſuum leuauit eum tranſiẽs Samaritanus, qui interpretatur cuſtos, Samaritanus, id eſt, cuſtos.
ad ſtabulũ adhuc perducitur. Quid extollitur? Adhuc curatur. Sed ſufficit, inquit, mihi, quod in baptiſmo accepi remiſſionem omniũ peccatorum. Nũquid quia deleta eſt iniquitas, finita eſt infirmitas? Accepi, inquit, remiſſionem omnium peccatorũ, prorſus verum eſt, deleta ſunt Effectus Baptiſmi.
cũcta peccata in Sacramẽto Baptiſmatis, cuncta prorſus, dicta, facta, cogitata, cũcta deleta ſunt. Sed hoc eſt quod infuſum eſt in via oleum, & vinum. Retinetis, ſemiuiuus in via ille à latro- Oleum, & vinum.
nibus ſauciatus, quomodo ſit conſolatus accipiens oleum, & vinũ vulneribus ſuis. Iam vtiq; errori eius indultũ fuit, & tamẽ ſanatur languor eius in ſtabulo. Stabulum ſi agnoſcitis, Eccleſia Stabulum eſt Eccleſia.
eſt. Stabulum modo: quia viuendo tranſimus. Domus erit vnde nunquã migrabimus, cum ad Eccleſia quando ſit ſtabulum, & quando domus.
regnum cælorum ſani peruenerimus. Interim in ſtabulo libẽter curemur, nõ adhuc languidi de ſanitate gloriemur, ne nihil aliud ſuperbiendo faciamus, niſi vt nunquam curando ſanemur. Et in Pſal. 136: Sed qui nos captiuos Aug.
duxerunt? Qui homines? Quæ gens? Quis Rex?

Si redi-

Latrones qui ſint.

Si redimimur, captiui eramus: quis nos redemit? Chriſtus. A quo nos redemit? A diabolo? diabolus ergo, & angeli eius captiuos nos duxerunt: nec ducerent, niſi conſentientes. Nos ducti ſumus captiui: captiuatores noſtri dixi qui ſint. Ipſi ſunt etiam latrones vulnerātes illū viatorem, qui deſcēdit ab Hieruſalem in Hiericho. quem ſauciatum ſemiuiuum reliquerūt.

Baſil.

Dæmonis in Deum, & hominē odium.

Baſil. homil. 21: Oſor eſt hominis dæmon: quoniam & aduerſus Deū rebellis eſt. Primum odio habuit, deinde & repugnauit omnipotēti, contempſit Dominū, alienatus eſt à Deo: Vbi vidit hominem ad ipſius imaginem factū, cum non poſſet in auctorem ipſum, quem ante omnes lædere cupit, in eius imaginem, ſuam exercuit malignitatem.

Simile.

Veluti ſi quis homo, quādo regem inimicum attingere nō valet, eius ſimulachrum cæderet.

Simile.

Pardalis hominis inimica.

Vidi ergo iam, partim audiui, res certa eſt, inter animalia hominibus inimiciſſima, pardalim quandoque in ſtadijs hominis oculos præ ira inuadentem. Qui feræ deludere furorem quærūt, hominis imaginem ei ex charta oſtendunt; illa ſtatim furibunda eam concerpit, atque dilacerat: hoc argumento ſatis oſtendens, quāta ſit eius aduerſus hominem inimicitia. Sic item diabolus, in Dei imagine, quo ſit erga Deū odio, oſtendit, quādo Deum ipſum attingere nequit. Sic & è contra nos bellum ipſius ſatis oſtendit, Dei eſſe illum aduerſarium, & ante omnia Deum petere. Ille miſerum hominem ex vrbe Hieruſalem, in hiericūnta deiecit: hoc eſt, altis locis ad ima:

Deſcendere ab Hieruſalem in Hiericho. De ſitu Hieruſalē, & Ierico.

Eſt enim Hieruſalem in colle ſita, hiericus autem in ora maris. Si quis veſtrûm locum vidit, ſcire poteſt rei veritatem, quemadmodū hiericus in curuis paleſtinæ locis recumbat: Hieruſalem vero in monte longe diffuſa, ſupra reliqua loca eius regionis attollatur. Itaque homo è ſublimi ad inferiora deſcendit, vt in latrones incideret; è Hieroſolymis tanquam ſecuro loco exijt, vt incideret in latrones ſolitudinem occupantes, qui eum & ceciderunt, & ſpoliauerunt. Prius plaga, deinde nuditas narratur.

Vulnera præcedūt, nuditatē animæ. Spoliari quid ſit. Vulnus quid ſit. Latrones qui ſint.

Nam animæ plaga, peccatū. Nuditas vero animæ, immortalis amictus eſt ereptio. Peccatum namque, gratiam per Baptiſmi regenerationem nobis datam abolet. Fornicatio plaga eſt, adulterium alia plaga, alia inuidia, libido alia plaga, auaritia item alia: quodlibet horum plaga eſt à latronibus, hoc eſt, dæmonibus, noſtris ad culpam miniſtris, nobis inflicta. Poſt plagas vero ſpoliatus eſt. Si autem corporea fuiſſet veſtis, prius ſpoliaſſent, deinde plagas addidiſſent, vt veſtis ſeruaretur. Nunc autem plagæ præcedunt: vt plane diſcas, quemadmodum culpa, gratiæ priuationem, atque amiſſionem præcedit, quæ nobis per humanitatem Domini noſtri IESV CHRISTI data eſt.

Cypr.

Cypr. epiſt. 52. cap. 5: Iacet ecce ſaucius frater, ab aduerſario in acie vulneratus. Inde diabolus conatur occidere, quē vulnerauit: Hinc Chriſtus hortatur ne in totum pereat, quem redemit. Cui de duobus aſſiſtimus? In cuius partibus ſtamus? Vtrumne diabolo fauemus vt perimat, & ſemianimem fratrem iacentē, ſicut in Euangelio Sacerdos, & Leuites, prçterimus? An vero vt ſacerdotes Dei, & Chriſti, quod Chriſtus & docuit, & fecit imitantes, vulneratum de aduerſarij faucibus rapimus, vt curatum Deo iudici reſeruemus?

Cypr.

Et epiſt. 67: Quid enim ſi in mari portus aliquis munitionibus ſuis ruptis, infeſtus, & periculoſus eſſe nauibus cæperit, nónne nauigántes ad alios proximos portus naues ſuas dirigunt, vbi ſit tutus, & ſalutaris introitus, & ſtatio ſecura? Aut ſi in via ſtabulum aliquod obſideri, & teneri à latronibus cæperit, vt quiſquis ingreſſus fuerit, inſidiantium illic infeſtatione capiatur, nónne commeantes, hac opinione comperta, ſtabula alia in itinere appetunt tutiora, vbi ſunt fida hoſpitia; & receptacula commeantibus tuta? Quod nunc eſſe apud nos debet, vt fratres noſtros, qui vitatis Marciani ſcopulis petunt Eccleſiæ portus ſalutares, ſuſcipiamus ad nos prompta, & benigna humanitate, & ſtabulum commeantibus præbeamus tale, quale eſt in Euangelio, quo à latronibus ſauciati, & vulnerati ſuſcipi, & foueri, & tutari ab ſtabulario poſſint. Quæ eſt enim maior, aut melior cura præpoſitorum, quàm diligenti ſollicitudine, & medela ſalubri fouendis, & conſeruandis ouibus prouidere? Cum Dominus loquatur, & dicat: Quod infirmatum eſt, non confortaſtis. &c.

Cypr.

Et lib. ad Nouatianum cap. 1: Cogitanti mihi, &c. Quid nam agere deberem de miſerandis fratribus, qui vulnerati, &c. Ecce ex aduerſo obortus eſt alius hoſtis, & ipſius paternæ pietatis aduerſarius hæreticus Nouatianus; qui non tantùm vt in Euangelio ſanctificatum eſt, ſicut Sacerdos, vel Leuites iacentem vulneratum præteriret, ſed ingenioſa, ac noua crudelitate ſauciatum potius occideret adimendo ſpem ſalutis, denegando miſericordiam patris, reſpuendo pænitentiam fratris.

Ber. Homo quatuor virtutibus ab initio fuit amictus. Primo fuit ſpoliatus. Geneſ. 3.

Ber. ſer. 1. in annunciatione Beatæ Mariæ: Habet hominem ab initio ſuæ creationis amictum fuiſſe quatuor virtutibus, iuſtitia, miſericordia, veritate, & pace: à latronibus ante omnia legitur deſpoliatus. Quia Domino veniente nudum ſe eſſe conqueritur. Nec poterat reueſtiri, vel ablata ſibi recipere veſtimenta, niſi Chriſtus amitteret ſua. Sicut enim viuificari in anima, niſi interueniente corporali morte Chriſti, non potuit; ita nec reueſtiri, ſine eius deſpoliatione.

Cur partes quatuor veſtimētorum Chriſti factæ ſint.

Tunica inconſutilis quid ſignificet.

Et vide, ſi non propter has quatuor partes veſtimenti, quod amiſerat primus, & vetus homo, in totidem quoque diuiſa ſunt ſecundi, & noui hominis veſtimenta. An forte quæris & tunicam inconſutilem, quę non diuiditur ſed ſorte prouenit? Ego diuinam arbitror eſſe imaginem. &c. Sed quia ſpoliatum virtutibus quatuor hominem diximus. &c. Perdidit homo iuſtitiam, &c. Perdidit & miſericordiā, &c. Priuatus eſt & Adam veritate, &c. Pacem quoque protinus amiſerunt, &c. Et Iſid. Iſpa. l. Allegoriarū: Homo qui deſcēdebat ab Hieruſalem in Hiericho, & incidit in latrones, ipſe Adam figuratur in genere ſuo, qui dum deſcendit de Paradyſo

Qq q 4 cæleſti

cæleſti in mundum, incidit in angelos tenebrarum. Samaritanus deſcendens, qui vulnera eius curauit, Chriſtus eſt cuſtos noſter, qui de cælo deſcendit, & genus humanum à vulneribus peccatorum curauit. Stabularius, Apoſtoli ſunt, vel ſucceſſores eorum, qui infirmitatem noſtram prædicatione Euangelica recreant.

Chryſoſt. Chryſoſt. ſer. de Anathemate: Cum vbique perfectiora ſint præcepta, quę à Chriſto, quam quæ à lege data, etiam maior charitas à nobis expoſcitur. Lex dicit: diliges proximum tuum, ſicut teipſum: hic autem & moriēdum eſt pro proximo. Audi & Chriſtum quid dicat: homo quidā deſcēdebat ab Hieruſalem in Hiericho, & in latrones incidit, &c. Et impoſito eo ſuper iumentum ſuum, duxit in diuerſorium, &c. Ille autem dixit. Qui fecit miſericordiam, &c. Papè, quàm mira? Non Sacerdotem, nō Leuitam dixit proximum: ſed illum, qui iuxta Iudæorum decreta eiectus erat: qui Samaritanus erat, qui alienigena; qui in multis blaſphemabat, & illū ipſum vocat proximum: quia apud eum inuēta eſt miſericordia. Hæc verba filij Dei ſunt. Hæc & opera eius ſunt quæ in carne adueniens demonſtrauit. Nam mortuus eſt non ſolùm pro amicis, & ſuis, ſed & pro inimicis, pro tyrannis, pro maleficis, pro oſoribus, pro crucifigētibus, atque pro his ipſis, quos tales fore ante conditionem mundi ſciebat, eoſque præſcius formauit, vincente præſcientiam bonitate & pro eis ſanguinem fudit, mortemque ſubiit. Panis, inquit, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. Paulus item per epiſtolā ſic dicit; ſi enim, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortem filij eius. Et iterum: In epiſtol. ad Hebræos dicit ipſum pro vniuerſis guſtaſſe mortem. Cùm igitur & hæc ab ipſo geſta ſunt, & horum typos exprimit Eccleſia quotidie pro omnibus preces faciens, quomodo tu audes talia loqui? Quin dic, quid eſt iſtuc ipſum dicere anathema? Vide quid dicis: cognoſce quid loqueris. Noſti verbi vim? &c. Vide eundem homil. 3. in Lucam.

Debemus eſſe miſericordes.

Ioan. 6.

Rom. 5.

Elias. Sacerdos, & Leuites ſunt lex & Prophetę. Elias Cret. ad orat. 4. Naz: Sacerdos, & Leuites ſunt, conſideratione quadam, Moſes, & Aaron, ambo rectè in hac parabola ſignificati. Nam cum hi accepiſſent hominē, id eſt, vniuerſum genus humanum, à pietate virtuteque nudum, atque etiā à rebus contrarijs vulneratum; aſpexerūt quidem illud, nō tamen curandum ſuſtulerunt. Verum Samaritanus ille, bonum theſaurum adferens, inuentum curauit: Qui quidem eſt ſeruator ille noſter.

Pauli. Pauli epiſt. 4. ad Sulpitium: Spoliatos nos Zaboli latrocinio, & vulneratos in via, prætererat frater in Leuita, frater in Sacerdote, quos lex nec ſacrificijs redemerat, nec Prophetis. Sed non præteriuit ille Samarites: qui propter nos huius etiam nominis ſuſcepit iniuriam. Vide Orige. to. 26. in Ioan. & hom. 34. in Luc. Euth. Theoph. & Titum Luc. 10.

Not. 4. verſ. 10.

Greg. GREG. lib. 20. Moral. cap. 5: Hoc quod ait: cum ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mærentium conſolator: ſciendum nobis eſt, quod valde lectorem ædificare etiam iuxta hiſtoriam poteſt, ſi perpendat quomodo bonis rectoribus mixta ſit, & regendi authoritas, & benignitas cōſolandi. Ait enim: cumque ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, ecce authoritas regiminis. Eram tamen mærētium cōſolator, ecce miniſterium pietatis. Et cap. 6: Diſciplina enim vel miſericordia multū deſtituitur: ſi vna ſine altera teneatur. Sed circa ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet, & iuſte conſolans miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina. Hinc eſt quod ſemiuiui illius vulneribus qui à Samaritano in ſtabulum ductus eſt, & vinū adhibetur, & oleum: vt per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueantur, quatenus vnuſquiſque qui ſanandis vulneribus præeſt: in vino morſum diſtrictionis adhibeat: in oleo mollitiem pietatis: per vinum mundentur putrida, per oleum ſananda foueantur. Miſcēda eſt ergo lenitas cum ſeueritate, faciēdumque quoddam ex vtraque temperamentum: vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur. Hoc nimirū illa tabernaculi arca ſignificat; in qua cum tabulis virga ſimul, ac manna eſt: quia cum ſcripturæ ſacræ ſcientia eſt in boni rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. Hinc etiā Dauid ait: virga tua, & baculus tuus, ipſa me cōſolata ſunt. Virga enim percutimur, & baculo ſuſtentamur. Si ergo eſt diſtrictio virgæ, quæ feriat, ſit & cōſolatio baculi quæ ſuſtentet. Sit itaque amor ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans, ſit zelus, ſed non immoderatè ſæuiens: ſit pietas, ſed non pluſquam expediat parcens. Intueri libet, in Moyſi pectore miſericordiam cum ſeueritate ſociatam. Videamus amantē piè, & diſtrictè ſæuientem. Certe cum Iſraëliticus populus ante Dei oculos penè inueniabilē cōtraxiſſet offenſam, ita vt eius rector audiret: Deſcende, peccauit populus tuus: Ac ſi ei diuina vox diceret. Qui in tali peccato lapſus eſt, iam meus nō eſt: atque ſubiungeret: Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos: & deleam eos: faciamque te in gētem magnam: ille ſemel, & iterū pro populo cui præerat, obicem ſe ad impetum Dei iraſcentis opponēs ait: Aut dimitte eis hāc noxam, aut ſi nō facis, dele me de libro tuo quē ſcripſiſti. Penſemus ergo quibus viſceribus eundē populū amauit: pro cuius vita de libro vitæ deleri ſe petijt. Sed tamē iſte qui tanto eius populi amore cōſtringitur: contra eius culpas penſemus quāto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim vt petitione prima, ne delerentur culpę veniā obtinuit, ad eundem populum veniens ait: ponat vir gladium ſuum ſuper femur ſuum, ite & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum; & occidat vnuſquiſque fratrē amicum & proximū ſuum. Cecideruntq; in die illo quaſi viginti tria millia hominum. Ecce qui vitā omniū etiam cum ſua morte petijt: paucorum vitam gladio extinxit. Intus arſit ignibus amoris: foris accēſus eſt zelo ſeueritatis. Tanta fuit pietas, vt ſe pro illis coram Domino morti offerre nō dubitaret: tanta ſeueritas, vt eos quos diuinitus feriri innuerat, ipſe iudicij gladio feriret. Sic amauit eos quibus præfuit, vt pro eis nec ſibi parceret: & tamen

Greg.

Oleum & vinum.

In arca teſtamenti ſunt tria.

Pſal. 22.

Exemplū in Moyſe.

& tamen delinquentes ſic perſecutus eſt quos amauit, vt etiam Domino parcente proſterneret: Vtrobique legatus fortis, vtrobique mediator admirabilis, cauſam populi apud Deum precibus, cauſam Dei apud populum gladijs allegauit. Intus amans diuinę iræ ſupplicando obſtitit: foris ſæuiens culpam feriendo conſumpſit. Succurrit citius omnibus oſtenſa morte paucorum. Et idcirco omnipotens Deus fidelem famulum ſuum citius exaudiuit agentem pro populo: Quia vidit quid ſuper populum acturus eſſet ipſe pro Deo. In regimine ergo populi vtrimque Moyſes miſcuit: vt nec diſciplina deeſſet miſericordię, nec miſericordia diſciplinæ. Vnde hic quoque iuxta vtramque virtutē dicitur. Cumque ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mærentium conſolator. Sedere quippe circumſtante exercitu, vigor eſt, & diſciplina regiminis: mærentium vero corda cōſolari, miniſterium pietatis. Et curæ Paſto. par. 2. cap. 6: Vnde neceſſe eſt vt cum peccati vulnus in ſubditis corrigendo reſtringitur, magna ſe ſolicitudine etiam diſtrictor ipſe moderetur, quatenus ſic iura diſciplinæ contra delinquentes exerceat, vt pietatis viſcera non amittat. Curandum quippe eſt vt rectorem ſubditis, & matrem pietas, & patrem exhibeat diſciplina. Atque inter hæc ſollicita circumſpectione prouidendū, ne aut diſtrictio rigida, aut pietas ſit remiſſa. Nam ſicut in libris moralibus iam diximus, diſciplina vel miſericordia multum deſtituitur, ſi vna ſine altera teneatur. Sed erga ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet & iuſtè cōſolans miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina. Hinc namque eſt, quod docente veritate, per Samaritani ſtudiū ſemiuiuus in ſtabulū ducitur, & vinum atque oleum eius vulneribus adhibetur, vt per vinum ſcilicet mordeantur vulnera, per oleum, foueantur. Neceſſe quippe eſt vt quiſquis ſanandis vulneribus præeſt, in vino, morſum doloris adhibeat, in oleo molliriem pietatis, quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foueantur ſananda. Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeueritate, faciendum quoddam temperamentum ex vtroque, vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur. Quod iuxta Pauli vocem bene illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cum tabulis virga ſimul, & manna eſt, quia cum ſcripturæ ſacræ ſcientia in boni rectoris pectore ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. Hinc Dauid ait: Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Virga enim percutimur, baculo ſuſtentamur. Si ergo eſt diſtrictio virgæ quæ feriat, ſit & conſolatio baculi quæ ſuſteneat. Sit itaque amor, ſed non emolliens: Sit rigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderate ſæuiens: ſit pietas, ſed non pluſquam expediat parcens: vt dum ſe in arce regiminis iuſtitia clementiaque permiſceant, is qui præeſt, corda ſubditorum & terrendo demulceat, & tamen terroris reuerentiam demulcendo conſtringat. Et lib. 1. epiſt. 24: Sic autem ſeruanda eſt virtus humilitatis, vt non ſoluantur iura regiminis: ne dum prælatus quiſque plus ſe, quàm decet deijcit, ſubditorum vitam reſtringere ſub diſciplinę vinculo non poſſit: & ſic ſeruāda eſt diſciplinę ſeueritas, ne dum pluſquam neceſſe eſt zelus accenditur, manſuetudo funditus amittatur. Sæpe namque vitia virtutes ſe eſſe mentiuntur, vt tenacia parſimonia, effuſio largitas, crudelitas zelus iuſtitiæ, remiſſio pietas velit videri. Diſciplina ergo vel miſericordia multum deſtituitur, ſi vna ſine alterā teneatur. Sed magna diſcretionis arte ſeruanda eſt & iuſtè conſulens miſericordia, & piè ſeriens diſciplina. Hinc namque eſt quod docente veritate per Samaritani ſtudiū ſemiuiuus in ſtabulum ducitur: & vinum atque oleum vulneribus eius adhibetur, vt per vinum ſcilicet mordeantur vulnera, & per oleum foueantur. Neceſſe quippe eſt, vt is qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis quatenus per vinum mordeantur putrida, per oleum ſananda foueantur. Sit ergo amor, ſed non emolliens. Sit vigor ſed non exaſperans. Quod bene illa tabernaculi arca ſignificat in qua cum tabulis virga ſimul & manna eſt, quia cum ſcripturæ ſacræ ſcientia in boni rectoris pectore ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. &c.

Iob 29. · Greg. · Pſal. 22. · Greg.

Ber. ſer. 16. in cant: Veniebat vngere contritiones noſtras, ac lenire dolores. Ideoque venit vnctus, &c. Sciebat ſe ad infirmos deſcendere, exhibuitque qualem oportuit. Et quoniam multæ erant infirmitates, multa quoque prouidus medicus medicamina curauit afferre, &c. Vides quot phialas plenas odoramentis cæleſtis medicus præparauit ad ſananda vulnera illius miſeri qui incidit in latrones? &c. Ex his infudit oleum meis vulneribus, infudit & vinum; ſed minus quam olei, &c. Et l. 4. de conſid: En plaga, tibi incumbit cura hæc, diſſimulare non licet. Rides me forſitan, fore incurabilem perſuaſus. Noli diffidere; curam exigeris, non curationem, addidi; curam illius habe; & non; cura. vel ſana illum. Verum dixit quidam: non eſt in medico, ſemper releuetur vt æger. At melius propono de tuis tibi; Paulus loquitur; plus omnibus laboraui. Non ait: plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificaui; verbum inſolens religioſiſſime vitans, &c.

Ber. · Minus infudit vini, quā olei. · Ber. · Curam habe. Rectoris officium. · Eccleſ. 37. · 1. Cor. 15.

Not. 5. verſ. 11. 12.

Fvlg. epiſt. 7. cap. 8: Samaritanus noſter nunquam vulneratum ad ſtabulum miſericorditer impoſitum iumento perduceret, ſi aliquod in eo vulnus inſanabile iudicaret. Nunquam duobus denarijs datis, redditurū ſe, quicquid ſupererogaret, ſtabulario ſpopondiſſet; ſi ſupererogationem illam non plenæ ſanitati prænoſceret profuturam. Vt quid enim ſtabularius aliquid ſupererogat, ſi eſt in ſaucio vulnus, quod curari non valeat? Sicut ergo medico

Fulg.

medico noſtro nulla eſt incurabilis plaga: ita nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore, cæleſtis poteſt deficere medicina.

Chryſoſt. oratione 5. aduerſus Iudæos: Imitare Samaritanum illum qui in Euangelio tantam erga vulneratum præſtitit ſolicitudinem. (*Chryſoſt.*) Etenim illic prætereijt Leuita, prætereijt Phariſæus, ac neuter deflexit ad iacentem, ſed inclementer crudeliterque relicto ſeminece abierunt. (*Magna eſt cura lapſorum habenda.*) Samaritanus autem quiſpiam, qui nulla ex parte illi coniunctus erat, non prætercurrit, ſed accurrens miſertus eſt, inſtillauit oleum & vinum, impoſuit aſino, duxit ad diuerſorium, pecuniam partim dedit præſentem, partim pollicitus eſt pro eius, qui nihil ad ipſum pertinebat curatione, nec dixit apud ſeſe: Quæ mihi cura eſt iſtius? Samaritanus ſum, nihil mihi cum illo, procul abſumus à ciuitate, & ille ne ingredi quidem poteſt. Quid autem ſi ferre non poſſit viæ longitudinem mortuum afferam? capiendus ob cædem obnoxius ero homicidio. His ſane de cauſis multi ſæpe prætereuntes ac videntes homines vulneratos, prætereunt, non quod grauentur tollere, pecunijsque parcant, ſed metuentes ne & ipſi pertrahantur in iudicium tanquam cædis rei: verum humanus ille, ac mitis nihil horum metuit, ſed his omnibus contemptis impoſuit eum aſino, & in diuerſorium perduxit, neque quicquam harum rerum ſpectabat, non periculum, non pecuniarum impendium, non aliud prætetea quicquam. Quod ſi Samaritanus adeo humanus, mitisque fuit erga hominem ignotum, quam habituri ſumus nos veniam, ſi proprios fratres neglexerimus in malis grauioribus? Nam & iſti, qui nunc ieiunauerunt, inciderunt in prædones Iudæos: Imo verius omnibus prædonibus ſæuiores, quique grauioribus malis afficiunt eos, qui in ipſos incidunt. Neque enim veſtes illorum lacerarunt, neque corpori inflixerunt vulnera, quemadmodum illi tunc fecerant: ſed animam ſanciarunt, multiſque vulneribus illis inflictis ſic abierunt illos relinquentes in fouea peccati iacentes. Ne igitur diſſimulemus talem tragædiam, calamitatemque, neque prætereamus inclementer tam miſerabile ſpectaculum. Quinetiam ſi alij hoc fecerint, tu ne feceris. Ne dixeris apud temetipſum, homo ſum mundanus, vxorem, & liberos habeo; iſta Sacerdotum ſunt; iſta Monachorum. Neque enim Samaritanus ille hæc dicebat; vbi nunc Sacerdotes? Vbi nunc Phariſæi? Vbi Iudæorum Doctores? ſed perinde quaſi venatum quempiam maximum nactus eſſet, ita lucrum arripuit. Et tu igitur cum videris aliquem egentem curatione, vel corporis, vel animæ: ne dicito apud teipſum, quare ille, & ille eum non curauerunt? Sed à morbo libera. Ne petas ab illis cauſas negligentiæ. Si inueneris aurum iacens, nō dicis apud teipſum, quare ille, aut ille hoc non ſuſtulerunt? Sed feſtinas ante alios rapere. Itidem & de fratribus collapſis cogita, putatoque te theſaurum repetiſſe, nimirum occaſionem illis medendi. Etenim ſi inſtillaueris illi velut oleum ſermonis doctrinam, ſi obligaueris humanitate temperantiaque vulneratum, ſi ſanaueris, ille te faciet ditiorem quouis theſauro. Qui enim eduxerit, pretioſum ex indignitate, tanquam os meum erit, inquit ille. Quid huic poterit (*Hier. 15.*) æquiparari? Quod neque ieiunium, neque humi peractæ cubationes, neque peruigilia, neque aliud quippiam poteſt efficere, efficit fratris procurata ſalus. Cogita quam multa tuum os frequenter peccauerit, quam multa verba obſcæna protulerit, quam multa conuicia, quam multa maledicta euomuerit, & omnino ſuſpicies collapſi curam. Nam hoc vno benefacto omnem illam delere maculam poteris. Et quid dico delere? facies vt ſit os tuum, ſicut os Dei. Quid huic honori poſſit æquiparari? non enim ego iſta polliceor, ipſe Deus hoc dixit. Si vnum quempiam eduxeris, inquit, vt os meum erit os tuum, purum, ſanctumque. Ne igitur negligamus fratres, neque prętereuntes dicamus, quam multi ſunt qui ieiunant, quam multi intercepti ſunt, ſed curam habeamus illorum, etiamſi multi ſint qui ieiunarunt, tu ne traducas, néue in fabulam vertas Eccleſiæ calamitatem; ſed medere potius. Et ſi quis dixerit, multi ieiunarunt; obtura illi os, ne fama diuulgetur, eique dicito: Ego quidē non noui, deceptus es homo, mentiriſque dicens illos eſſe multos. Ac delatori quidem impone ſilentium; Cęterum eos, qui intercepti ſunt ne neglexeris: vt vtrimque multa ſecuritas contingat Eccleſiæ, tum ex eo quod fama non ſit euulgata, tum inde quod eos ipſos interceptos ad ſacrum gregem reduxeris.

Not. 6. verſ. 15.

CHRYSOST. hom. 10: In Epiſtolam ad Hæbræos ſiue igitur ſecularem videas in perturbatione aliqua, porrigamus manum: (*Chryſoſt.*) nec in eos tantū, qui montibus ſedent, efficiamur ſtudioſi: Sancti quidem ſunt illi & vita & fide, ſancti autem & iſti fide, multi autem & vita. Nec ſi viderimus Monachum in cuſtodia, tūc intremus; ſi vero ſæcularem, non iuremus, ſanctus eſt & iſte, & frater. Quid ergo, inquis, ſi aut ſit immundus aliquis, aut pollutus? Audi Chriſtum dicentem: Nolite iudicare, ne iudicemini. Tu (*Matth. 7.*) propter Deum fac. Et quid dico? Etiamſi Paganum videamus in fluctuatione, oportet benefacere: & ſimpliciter omnem in perturbatione cōſtitutum, multo amplius autem fidelem, ſæcularem iuuare debemus. Audi Paulum dicentem: (*Galat. 6.*) Facite bonum ad omnes, maxime autē ad domeſticos fidei. Sed neſcio vnde hoc introductum eſt, & vnde iſta conſuetudo obtinuit: Qui enim Monachos tantum quærit, & illis ſolum benefacere vult, etiam ipſos ſcrutatur, dicens: niſi ſit dignus, niſi ſit iuſtus, niſi fecerit ſigna, non porrigo manum, maximā partem eleemoſynæ amputauit, & hoc ipſum tēpore procedēte iterum amputaturus eſt. Atque demū eleemoſyna eſt, quę in peccatores fit, quę in ſontes. Eleemoſyna enim eſt, non eorum qui iam perfecti ſunt, ſed

ſed qui deliquerunt miſereri, & vt diſcas aduerte parabolam, deſcendit quis, inquit, de Hieroſolymis in Hiericho, & incidit in latrones qui &c. Et intuere liberalitatem magnam. Ergo tibi dabo, inquit, quidquid erogaueris. Quis ergo eſt proximus huius? Qui fecit miſericordiam, inquit. Vade ergo, inquit, & tu & fac ſimiliter. Et intuere qualem dixit parabolam. Non dixit quia Iudæus in Samaritam fecit, Sed quia Samarita liberalitatem illam totam exhibuit. Audientes igitur his omnibus, non ſolum ſi lei domeſticorum curam ita geramus, vt cæteros negligamus. Si igitur, inquit, & tu videas quemquã male pati, nihil iam in eo curioſe ſcruteris: dignus eſt enim quem adiuues, hoc ipſo quod male affligitur. Si enim videas aſinum præfocari, erigis ipſum, & non ſcrutaris cuius ſit: Multo magis hominem non oportet ſcrutari cuius ſit. Dei quippe eſt, ſiue paganus ſit, ſiue Iudæus, ſed adiutorio indiget. Si quidem diſcutere, & iudicare iuſſus eſſes, bene iſta diceres: Nunc autem calamitas illius non te permittit hæc diſcutere. Si enim nec de factis nos ſcrutari oportet, neque aliorum cauſas inquirere: Multo amplius eos qui male patiuntur. Alioqui quid? Vidiſti abundantem ac celebrem? Tum dicas eum eſſe malũ, ac vilem. Si vero male patientem videris, noli dicere, quia malignus eſt. Cum enim placet hominibus quilquam, bene hoc dicimus: cum vero in calamitate eſt, & adiutorio indiget, non oportet dicere quia malus eſt. Crudelitatis hoc quippe eſt, & inclementiæ, & ſuperbiæ. Quid Iudæis iniquius fuit, dic mihi? Et tamen vltus eſt eos Deus, & iuſte & valde iuſte, & tamen condolentes eis, ſuſcepit: eos vero qui aduerſum eos inſurrexerunt vltus eſt. Nihil patiebantur, in-

Amos 6. quit in contritione Ioſeph. Et iterum inquit:

Pro. 24. Redime occidendos. Ne parcas pecunijs. Non dixit ſcrutare, & cognoſce quis eſt, licet plerumque mali ſint qui ad necem ducuntur, hoc quippe eſt maximæ miſericordiæ. Qui enim amico benefacit. Non propter Deum omnino facit: qui autem ignoto, iſte purè propter Deum facit.

Aug. Aug. lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 30:

An proximi nomine intelligantur etiam Angeli.

Oritur autem hoc loco de angelis nonnulla quæſtio. Illo enim fruentes, etiam ipſi beati ſunt, quo & nos frui deſideramus. Et quanto in hac vita fruimur, vel per ſpeculum, vel in ænigmate, tanto noſtram peregrinationem & tolerabilius ſuſtinemus, & ardentius finire cupimus. Sed vtrum ad illa duo præcepta etiam dilectio pertineat angelorum, non irrationabiliter quæri poteſt. Nam quod nullum hominum exceperit, qui præcepit vt proximum diligamus, & ipſe in Euãgelio Dominus oſtendit, & Paulus Apoſtolus. Namq́ue illi, cui duo præcepta protulerat, atque in eis pendere totam legem propheraſq́ue dixerat, cum interrogaret eum dicẽs, Et quis eſt meus proximus? Hominem quendam propoſuit deſcendentem ab Hieruſalem in Hiericho incidiſſe in latrones, & ab eis grauiter vulneratum, ſaucium & ſemiuiuum eſſe derelictum. Cui proximum eſſe non docuit, niſi qui erga illum recreandũ, atque curandum miſericors extitit, ita vt hoc qui interrogauerat, interrogatus ipſe fateretur. Cui Dominus ait, vade, & tu fac ſimiliter. Vt videlicet eum eſſe proximum intelligamus, cui vel exhibendum eſt officium miſericordiæ ſi indiget, vel exhibendum eſſet ſi indigeret. Ex quo eſt iam conſequens, vt etiam ille, à quo nobis hoc viciſſim exhibendum eſt, proximus ſit noſter. Proximi enim nomen ad aliquid eſt, nec quiſquam eſſe proximus niſi proximo poteſt. Nullum autem exceptum eſſe cui miſericordiæ denegetur officium, quis non videat? Quando vſque ad inimicos etiam porrectum eſt, eodem Domino dicente, Diligite inimicos veſtros, benefacite eis, qui oderunt vos. Ita quoque Apoſtolus Paulus docet cum dicit; Nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc ſermone recapitulatur, diliges proximum tuum tanquam teipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Quiſquis ergo arbitratur non de omni homine Apoſtolum præcepiſſe, cogetur fateri (quod abſurdiſſimum & ſceleratiſſimum eſt) viſum fuiſſe Apoſtolo non eſſe peccatum, ſi quis aut nõ Chriſtiani, aut inimici adulterauerit vxorẽ, aut eum occiderit, aut eius rem cupierit. Quod ſi dementis eſt dicere, manifeſtum eſt omnem hominem proximum eſſe deputandum, quia erga neminem operandum eſt malum. Iam vero ſi vel cui præbendum eſt, vel à quo nobis præbendum eſt officium miſericordiæ, rectè proximus dicitur. Manifeſtum eſt hoc præcepto quo iubemur diligere proximum, etiam ſanctos Angelos contineri, à quibus nobis tanta miſericordiæ officia impenduntur, quanta multis diuinarum ſcripturarũ locis animaduertere facile eſt. Ex quo & ipſe Deus, & Dominus noſter proximum ſe noſtrum dici voluit. Nam & ſeipſum ſignificat Dominus IESVS CHRISTVS opitulatum eſſe ſemiuiuo iacenti in via, afflicto, & relicto à latronibus. Et Propheta in oratione ait; ſicut proximum, ſicut fratrem noſtrum, ita complacebam: Sed quoniam excellentior, ac ſupra naturam noſtram eſt diuina ſubſtantia, præceptũ quo diligamus Deum, a proximi dilectione diſtinctum eſt. Ille enim nobis præbet miſericordiam, propter ſuam bonitatem; nos autem nobis inuicem, propter illius: id eſt, ille noſtri miſeretur, vt ſe perfruamur, nos vero inuicem noſtri miſeremur, vt illo perfruamur.

Omnes homines proximi ſunt.

Quis ſit proximus.

Rom. 13.

Quis ſit proximus.

Proximi nomine etiam intelligũtur Angeli.

Chriſtus etiam eſt proximus.

Pſal. 34.

Cur diligendi præcepta diſtinguantur.

CAP.

CAP. 107. *Hoſpitio Ieſus à Martha excipitur.*

Mat.	*Mar.*	*Lucæ 10.*	*Ioan.*
		In feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, & in feſto Sanctæ Marthæ.	
		1 FACTVM eſt autem dum irent, & ipſe ✠ intrauit in quoddam caſtellum:	
		2 Et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum ſuam.	
		3 Et huic erat ſoror nomine Maria: quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius.	
		4 Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium.	
		5 Quæ ſtetit, & ait; Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?	
		6 Dic ergo illi, vt me adiuuet.	
		7 Et Reſpondens, dixit illi Dominus; Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima.	
		8 Porro vnum eſt neceſſarium.	
		9 Maria optimam partem elegit:	
		10 Quæ non auferetur ab ea. ✠ }	

Not. 1.

Diſpoſitionis ratio — ISTVD forte caput, cum præcedenti, videri poſſet alicui commodius poni ante feſtum ſcænopægiæ: quia nõ eſt improbabile iſta eunte Domino ad ſcænopægię feſtum contigiſſe: ſed quia id certũ non eſt, nec eſt quod vrgeat, Lucæ narratio interrumpenda non fuit.

Verſ. 1.

Ber. — Bern. ſer. 5. de Aſſumpt. B. Mariæ: Quod Dominus, ac Saluator noſter, ſemel, & in vno loco viſibiliter tunc temporis dignatus eſt operari: hoc etiam nunc vbique terrarum in cordibus electorum operatur quotidie inuiſibiliter. Quod eſt autem hoc caſtellum, niſi cor humanum, quod prinſquam Dominus ad illud veniat, cupiditatis foſſa vallatur, muroque obſtinationis clauditur, atque in interiori latitudine ſua Babylonica turre erigitur? Tria certe in omni oppido ſunt maxime neceſſaria: victualia, quibus ſuſtententur: munitio, qua protegantur: arma, quibus hoſtibus reſiſtant. Sic ergo & huius caſtelli incolæ victum habent voluptatem corporis, & ſeculi vanitatem, quibus paſcuntur. Habent & qua teguntur, proprij cordis duritiam vt verbi Dei ſagittis potentibus, vix, aut nunquam penetrari valeant. Accincti ſunt armis, carnalis ſcilicet ſapientiæ argumentis, quibus contra hoſtes repugnant. Vnde ſcriptum eſt: Filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt. At vero Chriſto viſitante, & intrante, caſtellum hoc euertitur, & pro eo nouum aliud pulchrũ, ac ſpirituale conſtruitur. Impleturque quod dicitur: Si qua in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt: & ecce facta ſunt omnia noua. Sublata quippe cupiditate, expanditur ingens ſinus deſiderij: vt ad eius aduentum multo magis aubelet mens ad cæleſtia, quam prius terrenis incubuerat. Iam ponitur murus continentiæ, antemurale patientiæ. Surgit autem hoc opus à fundamento fidei, & creſcit per dilectionem proximi vſque ad charitatem Dei, quæ eſt in ſuperiori tabulato, & in propugnaculis eiuſdem muri: quia nimirum tunc perfecta eſt virtus continentiæ, quando in vnitate fidei cum proximis communiter viuentes, non ſupplicij metu, vel humanæ laudis appetitu: ſed ſolo diuini amoris obtentu à peccatis nos continemus. Vel certe ideo charitas Dei, qua ſcilicet nos diligit, ſuper murum eſſe videtur, vt pro continentia ſuo pugnare ſignificetur: & quia continentia crebris, validiſque tentatoris ictibus reſiſtere non poſſit, niſi eius gratia protegatur: idcirco enim antemurale patientiæ ponitur, ne ad impugnandam continentiam facilis diabolo pateat acceſſus. Qui ergo protegente patientia continenter viunt, ipſi bene cum Apoſtolo proteſtantur, & dicunt: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia? &c. pro ver. 1. & 2. vide eundem Ber. lect. 7. & 8. die 22. Auguſti.

Caſtellum eſt cor hominis.

Caſtello quę ſint neceſſaria.

Luc. 16.

2. Cor. 5.

Not. 2. ver. 2. 3.

Ber. — BER. ſer. 3. de Aſſumpt. B. Mariæ: Quid eſt fratres, quod e duabus ſororibus, altera tantum Dominum legitur excepiſſe, & ea ipſa quę videtur inferior? Sed prior ratio Marthæ videtur, & ſalutis initium ſibi magis electio, quam contemplatio noſcitur vendicare. Quod ſi latream hã, cogites domũ, facile eſt intelligere quemadmodũ in ea Dominum Martha magis excipiat, quam Maria. Quod enim ait Apoſtolus: glorificate, & portate Deum in corpore veſtro: Marthæ dicitur, non Mariæ. Hæc inferior corporis 1. Cor. 6.

corporis vtitur inſtrumento, cum illi potius ſit impedimento. Denique corpus, inquit, quod
Sap. 9. corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Nunquid & operantem? Martha igitur in domum ſuam excepit Saluatorem in terris: Maria potius cogitat, quemadmodum ſuſcipiatur ab eo, in domo non manu facta, æterna in cælis. Forte tamen & ipſa Dominum ſuſcepiſſe videtur, ſed in Spiritu: Dominus enim Spiritus eſt. Huic, inquit, haud dubium quin Marthæ. Vides quod vtraque ſuſcepit verbum, hæc in carne, il-
Bern. la in voce? Et ſer. 5: Duæ ſorores Martha, & Maria, id eſt, operario & intellectus, excipiunt Ieſum. Excipiunt dixerim; an excipiuntur? Sed ſiue hoc, ſiue illud dicatur, vtrumque prodeſt illis, non Ieſu. Et Ieſus quidem, cum ad illas venit, duo confert eis, congruentia ſingulis: virtutem, & ſapientiam, &c.

Not 3. verſ. 4.

Bern. Bern. ſerm. 3. de Aſſumpt. B. Mariæ: Sed conſideremus, fratres, quemadmodum in hac domo noſtra, tria hæc diſtribuerit ordinatio charitatis, Marthæ adminiſtrationem, Mariæ contemplationem, Lazaro pœnitentiam. Habet hæc ſimul, quæcunque perfecta eſt anima: magis tamen videntur ad ſingulos ſingula pertinere, vt alij vacent ſanctæ contemplationi, alij dediti ſint fraternæ adminiſtrationi, alij in amaritudine animæ ſuæ recogitent annos ſuos, tanquam vulnerati dormientes in ſepulchris. Sic plane, ſic opus eſt, vt Maria piè, & ſublimiter ſentiat de Deo ſuo: Martha benignè, & miſericorditer de proximo: Lazarus miſerè, & humiliter de ſeipſo. Gradum ſuum quiſ-
Ezech. 14. que conſideret. Si inuenti fuerint in ciuitate hac Noe, Daniel, Iob, ipſi iuſtitia ſua liberabuntur, ait Dominus: ſed filium, aut filiam non liberabunt. Nemini nos blandimur, vtinam nec veſtrûm quiſpiam ſe ſeducat. Quibus enim nulla credita eſt diſpenſatio, adminiſtratio nulla commiſſa; his omnino ſedendum erit, aut ſecus pedes Ieſu cum Maria, aut certe cum Lazaro intra ſepta ſepulchri. Quidni ergo multum turbetur Martha, quæ ſollicita eſt pro multis? Tibi ergo, cui neceſſitas hæc non incumbit, è duobus vnum eſt neceſſarium, aut non turbari penitus; ſed delectari magis in Domino: aut ſi id necdum potes, turbari non erga plurima; ſed, vt de ſe Propheta loquitur, ad teipſum. Iterum dico, ne quis de ignorantia habeat excuſationem: Oportet te, frater, ad quem de fabricanda, ſeu regenda inter vndas diluuij arca nihil ſpectat, aut virum eſſe deſideriorum, vt Daniel erat; aut cum beato Iob virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Alioquin vereor ne tepidum te, & nauſeam
Apoc 3. prouocantem euomat ex ore ſuo, qui te inuenire cupit, aut ſui conſideratione calidum,
Calidus aut frigidus. charitatis igne flagrantem; aut tuiipſius cognitione frigidum, & aqua compunctionis, ignita diaboli iacula reſtinguentem. Sed & ipſam quoque Martham admonitam eſſe neceſſe eſt, id maxime quæri inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Erit autem fidelis, ſi neque quæ ſua ſunt quærat; ſed quæ Ieſu Chriſti, vt ſit intentio pura: nec ſuam faciat, ſed Domini voluntatem, vt ſit actio ordinata. Sunt enim quorum non ſimplex eſt oculus, & recipiunt mercedem ſuam. Sunt qui feruntur proprijs motibus animorum; & contaminata ſunt vniuerſa quæ offerunt: quippe cum voluntates eorum inueniantur in eis.
Et ſerm. 5: Hic ſanè conſiderandum eſt tria eſſe, quæ impediunt contemplationem. Equidem animæ noſtræ oculus, &c. Bern.

Not. 4. ver. 5. 6.

Bern. ſerm. 3. de Aſſumpt. B. Mariæ: Putas in domo, in qua Chriſtus ſuſcipitur, vox murmurationis audietur? felix domus, & beata ſemper congregatio eſt, vbi de Maria Martha conqueritur. Nam Mariæ Martham æmulari, prorſus indignum, prorſus illicitum eſt. Alioqui vbi legitur Mariam cauſantem; quia ſoror mea reliquit me ſolam vacare? abſit, abſit, vt qui Deo vacat, ad tumultuoſam aſpiret fratrum officialium vitam. Martha ſemper inſufficiens ſibi, & minus idonea videatur; alijſque magis id operis, quod adminiſtrat, optet imponi. Vnum adhuc dico, ſi tamen id de Martha licet ſuſpicari: nonne enim quaſi ocioſam reputaſſe videtur, quam ſibi dari petijt adiutricem? Sed carnalis eſt, & omnino non percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſi quis forte vacantem animam, ſua de vacatione redarguit. Audiat igitur optimam eſſe hanc partem, quæ maneat in æternum. Nunquid non rudis quodammodo videtur anima, quæ diuinæ contemplationis penitus expers, illam intrauit regionem, vbi hoc vnum omnium opus, vnum ſtudium, eadem vita? Et ſer. 2. de Aſſumpt. Bern.
B. Mariæ: Non ſola inueniatur in nobis exercitatio corporalis ad modicum valens: ſed inueniatur vtilis ad omnia pietas, & exercitium ſpirituale. Sorores ſunt, & debent eſſe contubernales. Occupatur hæc circa frequens miniſterium: illa Dominicis eſt intenta ſermonibus. Ad Martham ſpectat ornatus; ſed impletio ad Mariam. Vacat enim Domino: vt non ſit domus vacans.

Not. 5.

Aug. lib. 2. Quæſt. Euang. cap. 20: Quod Martha excepit illum in domum ſuam, ſignifi- Aug.
cat Eccleſiam, quæ nunc eſt, excipientem Do- ver. 2.
minum in cor ſuum. Maria ſoror eius quæ ſedebat ad pedes Domini, & audiebat verbum eius; ver. 3.
ſignificat eandem Eccleſiam, ſed in futuro ſæculo; vbi ceſſans ab opere, miniſterioque indigentiæ, ſola ſapientia perfruetur. Martha ergo occupata eſt circa multum miniſterium, quia nunc talibus operibus exercetur Eccleſia. Quod autem quæritur quod ſe ſoror eius non adiu-

 uet,

uet, occaſio datur ſententiæ Domini, qua oſtendit iſtam Eccleſiam ſollicitam eſſe, & turbari circa plurima, cum ſit vnum neceſſarium, ad quod per miniſterij huius merita peruenitur. Mariam vero dicit optimam partem elegiſſe, quæ non auferetur ab ea: & ideo intelligitur optima, quia & per hanc ad illam tenditur, & non auferetur, illa verò pars miniſterij, quamuis ſit bona, tamen auferetur, quando indigentia, cui miniſtratur tranſierit.

ver. 7. 8 — *Cur pars Mariæ ſit optima.*

Aug. Et ſerm. 26. de verbis Dom. poſt ea, quæ habentur in Breuiar. lect. 7. 8. & 9. die 29. Iulij. Veniamus ad cauſam quam de vnitate propoſui. Martha Dominum paſcere diſponens, & præparans, circa frequens miniſterium occupabatur; Maria ſoror eius paſci à Domino magis elegit. Deſeruit quodammodo ſororem ſuam circa multum miniſterium laborantem, & ſedit ipſa ad pedes Domini; & vacans audiebat verbum eius. Auris fideliſſima audierat: Vacate, & videte, quoniam ego ſum Dominus. Illa turbabatur, iſta epulabatur. Illa multa diſponebat, iſta vnum aſpiciebat. Vtrumq; officium bonum; ſed tamen quod ſit melius, quid nos dicamus, habemus quem interrogemus, patienter audiamus. Quid ſit melius, iam cum Euangelium legeretur audiuimus, & bene commemorantem audiamus. Interpellat Martha hoſpitem, ad iudicem deponit poſtulationem piarum querelarum, quod eam ſoror deſeruerit, & ſic laborantem in miniſterio adiuuare neglexerit. Non reſpondente illa, ſed tamen præſente, iudicat Dominus. Maria cauſam ſuam tanquam otioſa iudici maluit committere, nec in reſpondendo voluit laborare. Si enim pararet reſpondendi ſermonem, remitteret audiendi intentionem. Reſpondit ergo Dominus, qui in verbo non laborabat, quia verbum erat. Quid ergo dixit? Martha, Martha Repetitio nominis eſt indicium dilectionis, aut forte mouendæ intentionis, vt audiret attentius. Bis vocata eſt: Martha, Martha. Audiuit; circa multa es occupata, vnum autem opus eſt, id eſt, vnum neceſſarium eſt. Non vnum, quaſi ſingulare opus, ſed opus eſt, expedit, neceſſarium eſt. Quod vnum elegerat Maria? vnum cogitate, fratres mei, & videte in ipſa multitudine, ſi delectat, niſi vnum. Ecce, Deo propitio, quam multi eſtis. Quis vos ferret, niſi vnum ſaperetis? vnde in multis iſta quies? da vnum, & populus eſt. Tolle vnum, & turba eſt. Quid eſt enim turba, niſi multitudo turbata? Sed audite Apoſtolum: Obſecro autem vos, fratres, multitudini dicebat, ſed omnes in vnum facere volebat: Obſecro autem vos, fratres, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia. Et alio loco: Vnanimis, vnum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Et Dominus ad Patrem de ſuis; vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Et in Actibus Apoſt. Multitudinis autem credẽtium erat anima vna, & cor vnum. Ergo magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in vnum: quia

Sororum differentię — *Pſal. 45.* — *Vtrumque bonum.* — *Ob a ca tiones Ma tha nomé repetitur.* — *Laus vnitatis.* — *1 Cor 1.* — *Phil. 2* — *Ioan. 17.* — *Act. 4* — *Pſal. 33.*

vnum eſt neceſſarium, vnum illud ſupernum, vnum vbi Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſũt vnum, videte nobis commendari vnitatem. Certè Trinitas eſt Deus noſter, Pater non eſt Filius, Filius non eſt Pater, Spiritus ſanctus nec Pater, nec eſt Filius, ſed amborum Spiritus, & tamen iſta tria non tres dij, non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens, ipſa Trinitas vnus Deus; quia vnum neceſſarium eſt. Ad hoc vnum non nos perducit, niſi multi habeamus cor vnũ. Bona ſunt miniſteria circa pauperes, & maxime circa ſanctos Dei ſeruitia debita, obſequia religioſa. Redduntur enim, non dantur dicente Apoſtolo: Si nos vobis ſpiritalia ſeminauimus, magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus? Bona ſunt, exhortamur ad hæc, & in verbo Domini ædificamus vos; nolite pigri eſſe ad ſuſcipiendos ſanctos, aliquando neſcientes, ſuſcipiendo quos neſciunt, Angelos ſuſceperunt. Bona ſunt hæc; melius eſt tamen quod elegit Maria. Illud enim habet ex neceſſitate occupationem, illud ex charitate ſuauitatem. Vult homo occurrere quando miniſtrat, & aliquando non poteſt. Quæritur quod deeſt, paratur quod adeſt, diſtenditur animus. Nam ſi Martha illa ſufficeret, adiutorium ſororis nunquam poſceret. Multa ſunt, diuerſa ſunt, quia carnalia ſunt, quia temporalia ſunt: & ſi bona ſunt, tranſitoria ſunt. Maria autem quid? ait Dominus, Maria autem meliorem partem elegit, non tu malam, ſed illa meliorem. Audi vnde meliorem, quia non auferetur ab ea. A te auferetur aliquando onus neceſſitatis, æterna eſt dulcedo veritatis. Non auferetur ab ea, quod elegit. Non auferetur, ſed tamen augetur. In hac vita augetur, in alia vita perficietur, numquam auferetur. Cæterum tu Martha, pace tua dixerim, in bono miniſterio benedicta pro iſto labore tuo mercedem quæris quietem: modo occupata es circa multum miniſterium, paſcere vis mortalia corpora, licet ſanctorum: Nunquid cum veneris ad illam Patriam, inuenies peregrinum, quem ſuſcipias hoſpitio? inuenies eſurientem, cui panem frangas? ſitientem, cui potum porrigas? ægrum, quem viſites? litigantem, quem concordes? mortuum, quem ſepelias? Omnia iſta ibi non erunt: ſed quid tibi erit? Quod Maria elegit. Ibi paſcimur, non paſcimus. Ideo hoc erit plenum, atque perfectum, quod hic elegit Maria. De iſta menſa opulenta, de verbo Domini micas colligebat. Nam vultis noſſe quid ibi erit? Dominus ipſe dicit de ſeruis ſuis: Amen dico vobis, quia faciet eos recumbere, & tranſibit, & miniſtrabit illis. Recumbere quid eſt, niſi vacare? Recumbere quid eſt, niſi requieſcere? Quid eſt, tranſibit, & miniſtrabit illis? Prius tranſibit, & ſic miniſtrat. Sed vbi? In illo conuiuio ſuperno, de quo dicit: Amen dico vobis, multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, in regno cælorum. Ibi Dominus paſcit, ſed prius hinc tranſit. His adde ſer. 27. de verbis Dom. qui habetur in tertij nocturni lectionibus die 15. 16. 18. 19. & 21. Auguſti.

1 Cor. 9. — *Vtrumque bonum, melius alterum.* — *Aug.*

Nor. 6.

Not. 6.

Baſ.

B A s. conſtit. Monaſticarum cap. 1: Tu quandocumque vel factum Saluatoris audieris memorari, vel dictum, ea noli ito negligenter, & tanquam aliud agens audire, quin itu ſe potius, vt mente tecum ipſe cogitando, rimandoque ad eorum profundum perueniàs, eorumque quæ ibi opertè tradantur, particeps fieri contende. Etenim Martha quidem hoſpitio Dominum ſuſcipit: ad eius vero pedes aſſidet Maria. Laudandum ſane in vtraq; ſorore ſtudium. Cæterum tu res diſtinguito. Nam Martha ipſa in miniſterio occupata, ea parabat, quæ hoſpitis corpori futura erant neceſſaria, contra Maria: cum ad pedes illius aſſideret, audiendis, quæ ab eo dicebantur, vacabat. Sic altera Domini partem illam, quæ tangi aſpectu poterat, quæ occulta certè non poterat, conſulebat. Vere enim qui aderat, is & homo erat, & Deus, idem Dominus ambarum mulierum ſtudium approbabat. At Martha cum labore nimio defatigaretur, Dominum rogabat, vt ad ſe in ſuſcepto munere adiuuandam, ſororem vellet adhortari. Dic enim illi tu, inquit, vt ſurgens ſimul mecum miniſtret. Cui Dominus: Martha, Martha, ſollicita es, &c. Neque enim ea fuit cauſa, quamobrem huc veniremus, vt in toris ſupini recumberemus; neque vt ventrem expleremus; ſed ob eam rem hic ſumus, vt paſcamus vos verbo veritatis, & myſteriorum cõtemplatione. Ita Dominus neque illam à ſuſcepto miniſterio eſt dehortatus, & huic laudem tribuit, quod quæ diceret, attentius auſcultaret. Age dum igitur per duas mulieres duo mihi vitæ genera introduci animaduertito. Vnum quidem inferioris notæ, nempe quod in craſſioribus ſe obeundis vitæ huius muneribus occuparit: quanquam ipſum quoque mirifice commodum eſt. Alterum nobilius, & cum ſpiritu magis cõiunctum, nimirum, quod ſeſe ad arcanas res contemplandas altius extulerit. Hæc tu, qui audis, ſpiritui conuenienter interpretare, & vtrumuis magis placuerit, deligito. Et ſi miniſtrare vis, in nomine Chriſti miniſtrato. Ipſe enim dixit, quatenus feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Nam ſiue hoſpites recipis, ſiue mendicos reficis, ſiue dolentium miſericordia commoueris, ſiue neceſſitate aliqua calamitateque oppreſſos auxiliari manu ſubleuas, ſiue aduerſa valetudine laborantibus inſeruis, omnia iſthæc officia perinde Chriſtus habet, ac ſi in ipſum proprie conferentur. Quod ſi mauis Mariam imitari, quæ ſpreto corporis obſequio, altius ad rerum diuinarum contemplationem aſcendit, legitime, & vt par eſt, vere negotium tractato, corporis curam abijcito, agricolationem deſerito, apparatus etiam epularum, & obſoniorum aſpernator, & ad Domini pedes aſſideto, & quæ ille dicat, auſcultato, vt arcanorum diuinitatis particeps efficiare. Siquidem officijs ijs, quæ corpori impenduntur, potior eſt dogmatum Chriſti contemplatio.

Vtraque pars eſt bona.

Reficiebat: altera parte illi.

Vtraque pars à Domino probatur.

ver. 6.

Vtraque pars eſt bona.

Duas vitas Martha, & Maria figurant.

Matt. 25.

Not. 7.

Greg.

G R E G. lib. 6. Moral. cap. 28: Quia enim contemplatiua vita minor quidem tempore, ſed merito maior eſt, quam actiua, ſacri Euangelij verbis oſtenditur, in quo duæ mulieres diuerſa egiſſe referuntur. Maria quippe Redemptoris noſtri verba audiens, ad pedes illius reſidebat, Martha autem corporalibus miniſterijs inſiſtebat. Cumque contra Mariæ otium Martha quæreretur, audiuit: Martha, Martha, ſollicita es, &c. Quid enim per Mariam, quæ verba Domini reſidens audiebat, niſi contemplatiua vita exprimitur? Quid per Martham exterioribus obſequijs occupatam, niſi actiua vita deſignatur? Sed Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ vero etiam laudatur, quia magna ſunt actiuæ vitæ merita, ſed contemplatiuæ potiora. Vnde nec auferri vnquam Mariæ pars dicitur: quia actiuæ vitæ opera cum corpore tranſeunt, contemplatiuæ autem gaudia melius ex fine conualeſcunt. Quod bene, ac breuiter Ezechiel propheta exprimit, cum volantia animalia contemplatus ait. Et ſimilitudo manus hominis ſubtus pennas eorum erat. Quid enim per pennas animalium, niſi contemplationes poſſimus ſentire ſanctorum, quibus ad ſumma tranſuolant, & terrena deſerentes, ſeſe in cæleſtibus librant? Quid per manus, niſi operationes accipimus? Quia cum in proximi amore ſe dilatant, bona quæ præualent, etiam corporaliter adminiſtrant. Sed manus eorum ſub pennis ſunt, quia actionis ſuæ opera, virtute contemplationis vincuntur. Agit etiam de hac vtraque vita, nimirum actiua, & contemplatiua cap. 25. 26. 27 Et hom. 3. in Ezech. ante medium: & hom. 5. in Ezech. ſtatim à medio. Et hom. 14. in Ezechielem: Bene has vtraſque vitas duæ illæ mulieres ſignauerunt; Martha videlicet, & Maria: Quarum vna ſatagebat circa frequens miniſterium, alia verò ſedebat ad pedes Dei, & audiebat verba de ore eius. Cumque contrà ſororem Martha quereretur, quod ſe adiuuare negligeret, reſpondit Dominus dicens. Martha, occuparis & ſatagis erga multa; porro vnum eſt neceſſarium: Maria autem optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ecce, pars Marthæ non reprehenditur, ſed Mariæ laudatur. Neque enim bonam partem elegiſſe Mariam dicit, ſed optimam, vt etiam pars Marthæ iudicaretur bona. Quare autem pars Mariæ ſit optima, ſubinfertur cum dicitur: Quæ non auferetur ab ea. Actiua etenim vita cum corpore deficit. Quis enim in æterna patria panem eſurienti porriget, vbi nemo eſurit: potum tribuat ſitienti vbi nemo ſitit? Quis mortuum ſepeliat, vbi nemo moritur? Cum præſenti ergo ſeculo vita aufertur actiua; contemplatiua autem hic incipitur, vt in cæleſti patria perficiatur: quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat: cum ipſum, quem amat, viderit, in amore ipſius amplius igneſcit. Contemplatiua ergo vita minime aufertur: quia ſubtracta præſentis

Duas vitas Martha, & Maria figurant.

Vtraque pars eſt bona.

Quomodo pars Mariæ non auferetur.

Greg. Martha, & Maria duas vitas figurant.

Pars vtraque bona.

Cur ait, optimam, non bonã.

Mariæ pars cur ſit optima.

Non auferetur ab ea.

ſæculi luce perficitur. Has vtraſque, ſicut & ante nos dictum eſt, duæ beati Iacob mulieres ſignauerunt, Lia videlicet, & Rachel, &c.

Greg. Et cap. 4. lib. 5. expoſitionis in primum lib. Regum: Vita contemplatiua per Mariam Marthæ ſororem, quæ ad pedes Domini ſedebat, & verbum eius audiebat, deſcribitur. Dum ſedet Maria, perfectos in contemplatione ſignat. Etſi ſedens ad pedes Domini, quæ vult, ab eo audit, & diſcit; tamen prius diſcere debet, quomodo ſedere poſſit. Actiua vita, quæ frequens circa miniſterium ſatagit, rara eſt in ſecreto contemplationis. Nam quæ æterna ſibi præparare non ſedendo, & audiendo, ſed ſatagendo, & miniſtrando propoſuit, non damnum, ſed diſpendium putat, ſi ſibi vacans, & ſua petens, & non quæ aliorum, à ſolita obſequiorum oblatione requieſcat. Plus igitur operando laborat, minus obſecrat. Vnde & Martha, quæ circa frequens miniſterium ſatagebat, ſtetit, & locuta eſt. Quæ enim ſtetit, ei nimirum ſedere non licuit: quia ſi ad audiendum ſederet, imparatum fortaſſe miniſterium, & inſufficiens impendiſſet. Et notandum: quia tranſiendo Dominum Martha vidit, non tamen trãſiendo, ſed ſtando loquitur. Nam Euangeliſta caute expreſſit, dicens: Quæ ſtetit, & ait. Quo profecto exemplo inſtruimur, vt qui fratribus miniſteria exhibemus, ſi per moram ſedere ad Redemptoris pedes nõ poſſumus, per aliquantulam morulam Redemptori aſſiſtere debeamus. Sed bene ei aſſiſtimus, ſi tranſiendo, & ſeruiendo videamus: Quid eſt autem trãſiendo Dominum cernere, niſi in omni noſtro bono opere, ad ipſum cordis dirigere intentionem? Tranſimus enim, quando huc, illuc diſcurrẽdo in membris ſuis Domino miniſtramus. Sed tranſiendo Dominum cernimus, ſi per omne quod agimus, præſentem nobis ipſum cui placere cupimus, contemplamus. Quo in loco notandum eſt quia confidenter Martha loquitur, dicens: Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? quod certè perfectis quibuſdam operarijs ſanctæ Eccleſiæ conuenit, qui omnipotenti Deo preces tanto fiducialius offerunt, quanto laborioſius ei in membris ſuis ſe miniſtraſſe meminerunt. Sed quia in ipſis etiam, qui actiuæ vitæ deſeruiunt, nimietas ſollicitudinis cohibenda eſt, Martha reprehenditur, quæ tam ſollicita aſſeritur, vt erga plurima turbetur. Actionis quidem feruor tunc recte diſponitur, cum ſic inſiſtimus operi, vt tranquillo corde eum, cui opera noſtra conſecrare nitimur, videamus. Quid eſt ergo nimietas ſollicitudinis, niſi confuſio ſupernæ intentionis? quia dum ſe erga plurima diuidit, diuiſa iam ad ſupernorum intuitum non aſſurgit, illud enim æternum, & ſimplex bonum æternæ viſionis, anima quia vix vnita comprehendit, ſe nimirũ ad id diuiſa non erigit. Dicit ergo operum noſtrorum diſpoſitor, & receptor, vnum eſt neceſſarium, ne ſe mens ad multa diuidat, vt per tranquillitatem vnita, ad ſummi boni intuitum potenter ſurgat.

Not. 8.

A v g. ſerm. 15. de verbis Apoſtoli: Meminiſtis, fratres mei, Euangelicæ illius lectionis, vbi duæ ſorores Dominum ſuſceperunt, Martha, & Maria, certe recolitis. Martha in multo miniſterio conuerſabatur, & occupata erat circa curam Domini, quippe Dominum hoſpitio receperat, & diſcipulos eius. Satagebat omni cura religioſiſſima, ne ſancti apud eam vllam paterentur iniuriam. Cùm ergo eſſet occupata circa multum miniſterium, Maria ſoror eius, ſedebat ad pedes Domini, & verbum eius audiebat. Illa in labore ſtomachabunda, quod illam videret ſedentem, & de ſuis laboribus nihil curantem, interpellauit Dominum. Placet, inquit, tibi Domine, quod ſoror mea deſeruit me, & ecce tantum in miniſterio laboro? Et Dominus: Martha, Martha, &c. Tu bonam; ſed iſta meliorem. Tu bonam; bonum eſt enim conuerſari in obſequio Sanctorum; ſed iſta meliorem. Denique, quod tu elegiſti tranſit. Miniſtras eſurientibus, miniſtras ſitientibus, miniſtras lectulos dormituris, præbes domum habitare volentibus, omnia iſta tranſeunt. Erit tempus, vbi nemo eſuriat, nemo ſitiat, nemo dormiat. Ergo cura tua auferetur à te. Maria meliorem elegit partem, quæ non auferetur ab ea. Contemplari elegit, verbo viuere elegit. Qualis erit vita, de verbo, ſine verbo? Modo iſta viuebat de verbo, ſed ſonante verbo. Erit vita de verbo, nullo ſonante verbo. Ipſum verbum vita eſt. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Ipſa erit vna, vt contempletur delectationem Domini. Hoc in ſæculi huius nocte non poſſumus. Mane adſtabo tibi, & contemplabor. Ergo ego, inquit, me non arbitror apprehẽdiſſe. Et lib. 1. de Trinitate cap. 10: Gaudium quod nunquam auferetur à nobis, ſignat in eo Dominus quod ait: Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis, cuius gaudij ſimilitudinem præſignabat Maria ſedens ad pedes Domini, & intenta in verbum eius, quieta ſcilicet ab omni actione, & intenta in veritatem ſecundum quendam modum, cuius capax eſt iſta vita, quo tamen præfiguraret illud, quod futurum eſt in æternum. Martha quippe ſorore ſua in neceſſitatis actione conuerſante, quamuis bona, & vtili, tamen cum requies ſucceſſerit, tranſitura, ipſa requieſcebat in verbo Domini: & ideo Dominus conquerenti Marthæ quod eam ſoror non adiuuaret, reſpondit: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Non malam partem dixit, quod agebat Martha; ſed iſtam optimam, quæ non auferetur. Illa enim quæ in miniſterio indigentiæ eſt, cum indigentia ipſa tranſierit, aufertur. Boni quippe operis tranſituri merces eſt, requies permanſura. In illa igitur contemplatione Deus erit omnia in omnibus: quia nihil ab illo aliud requiretur, ſed ſolo ipſo illuſtrari, perfruique ſufficiet. Ideoque illa

Aug.
Martha ſtomachabunda.
Quæ multa.
Quod vnũ non auferetur.
1 Ioan. 3.
Pſal. 5.
Aug.
Ioan. 16.
Quod non auferetur.
1 Cor. 15.
Rom. 8.

ille in quo ſpiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus: Vnam, inquit, petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, per omnes dies vitæ meæ, vt contempler delectationem Domini. Et lib. de bono coniug. cap. 8: Sicut ergo bonum erat, quod Martha faciebat, occupata multum circa miniſterium ſanctorum; ſed melius quod Maria ſoror eius, ſedens ad pedes Domini, & audiens verbum Domini, cum eum ambæ hoſpitio recepiſſent: Ita bonum Suſannæ in coniugali caſtitate laudamus; ſed tamen ei bonum viduæ Annæ; ac multo magis Mariæ virginis, anteponimus.

Pſal. 26. — Aug. — Vnũ opus bonum alio melius eſt.

Not. 9. verſ. 9.

Innoc. — Duarum partium differẽtiæ. — Vtramque partem vnus habere poteſt. — Exod. 24.

INNOCENTIVS Pap. tert. ad Epiſc. Arelatenſem in Decretalibus titul. de renunciatione cap. 10: niſi cum pridem: Nec putes quod ideo Martha malam partem elegerit, quæ circa plurima ſatagebat: quia Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: quoniam licet illa ſit magis ſecura; iſta tamen eſt magis fructifera: & licet illa ſit magis ſuauis; hæc tamen magis vtilis: cum in fæcunditate ſobolis lippitudo Liæ, Rachelis pulchritudini ſit prælata: quamuis ſimul in vnum & contemplatiuus eſſe valeas, & actiuus, legislatoris exemplo, qui nunc aſcendebat in montem, vt ibi gloriam Domini cum maiori cerneret libertate: nunc vero deſcendebat in caſtra, vt cum vtilitate maiori neceſſitatibus populi prouideret. Quapropter facilius indulgetur vt aſcendat monachus ad præſulatum, quàm præſul ad monachatum deſcendat. Et infrà. Monemus itaque vt laborem paſtoralis regiminis non recuſes; ne fortaſſis ad pedes ſuos cum Maria ſperneret te accipere, qui ſibi apud te diuertens ſpreuiſſes cum Martha ſollicita miniſtrare.

Bern. — Pſal. 26 — Eccl. 42. — Ioan. 12. — Matt. 20

Bern. ſerm. 3. de Aſſumptione beatæ Mariæ: Hoc vnum illud neceſſarium eſt, hæc vna, quam propheta tam ſedule requirebat: Vnam, inquit, petij à Domino, hanc requiram. Quid tamen ſibi vult, fratres, quod optimam partem Maria dicitur elegiſſe? vbi iam erit, quod aduerſus eam proferre ſolemus, ſi quando forte adminiſtrantis Marthæ turbationem, inæqualitatem dijudicare voluerit: melior eſt iniquitas viri, quam benefaciens mulier? vbi erit & illud: Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus? Et illud: Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter? Poſtremo, quæ conſolatio eſt laboranti, quaſi in eius ſuggillationem, partem ſororis attollere? Vnum ergo arbitror è duobus, vt aut de electione Maria laudetur, quod pars ipſa, quantum in nobis eſt, ſit omnibus eligenda: aut certe vt neutrum dicatur defuiſſe, nec in partem quamlibet præcipitaſſe ſententiam; ſed ad obedientiam præceptoris in vtrumlibet ſit parata. Quis enim ſicut Dauid fidelis ingrediens, egrediens, & pergens ad imperium regis? Denique paratum, inquit, cor meum, paratum cor meum; non ſemel tantum, ſed & ſecundo, & vacare tibi, & proximis miniſtrare. Hæc plane pars optima, quæ non auferetur. Hæc mens optima, quæ non mutabitur, quòcunque vocaueris eam. Bonum, inquit, acquirit gradum, qui bene miniſtrauerit: forte meliorem, qui bene vacauerit Deo: optimum autem, qui perfectus eſt in vtroque. Vide prærogatiuam Mariæ, quem in omni cauſa habeat aduocatum. Indignatur ſiquidem Phariſæus, conqueritur ſoror, etiam diſcipuli murmurant: vbique Maria tacet, & pro ea loquitur Chriſtus.

1 Reg. 22. — Pſal 56. — 1 Tim. 3.

Amb. — Audiens, miniſtranti præfertur. — 1 Cor. 4. — In quo ſermone ſit regnũ Dei, & in quo non. — 1 Cor. 2. — Amb.

Amb. ſerm. 11: in Pſalm. 118: Cum Martha feſtinaret circa miniſterium, Maria autem verbum Domini audiret: ea, quæ audiebat, ei, quæ miniſtrabat meruit anteferri. Ita verbum cognoſcere, maius opus eſſe, quam miniſtrare, diuinæ authoritate ſententiæ definitur. Sed fortaſſe dicat aliquis, dictum eſſe ab Apoſtolo: Quia non in ſermone regnum eſt Dei; ſed in virtute. Scriptum non nego; ſed in quo ſermone, cognoſce. Nempe quem efflatus effuderit, qui audientibus ſermo prodeſſe non poſſit, qui ſine oſtenſione ſit ſpiritus, atque virtutis; hunc ſermonem Paulus non dignatur cognoſcere. Vult enim magis virtutem ſermonis agnoſcere. Denique nolebat talem ſuum eſſe Apoſtolus ſermonem, qui in infirmitate veniebat vt alios ſaluos faceret, & fortiores in timore, & tremore: vt timentes nihil metuerent, niſi Dominum Ieſum; trementes pacem eius, tranquillitatemque ſeruarent: Audi ergo qualem Apoſtolus ſermonem habebat. Et ſermo, inquit, meus, & prædicatio mea, non in perſuaſione ſapientiæ verborum; ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis. Quia fides non in forenſi ſermone ſapientiæ, ſed in oſtenſione ſpiritus, ſed Dei virtute firmatur. Ergo in ſermone ſanctorum virtus eſt; in ſermone autem forenſi iſto, ac philoſophico, vanitas mundi. Eundem vide Amb. lib. 1. in Lucam ad proœmium Lucæ not. 2. cap. 1. & lib. 7. in Luc.

Hier. — Actiuæ vitæ cõtemplatiua præfertur.

Hiero. epiſt. ad Euſtoch. de cuſtodia virginitatis: Lege Euangelium, & vide quomodo Maria ad pedes Domini ſedens, Marthæ ſtudio præferatur. Et certe ſedulo hoſpitalitatis officio, Domino, atque diſcipulis eius, conuiuium præparabat. Eſto & tu Maria. Cibis præfero doctrinam. Sorores tuæ curſitent, & quærant quomodo Chriſtum hoſpitem ſuſcipiant. Tu ſemel ſeculi onere proiecto, ſede ad pedes Domini, &c.

Bern. — Cur hic nõ fiat mẽtio Lazari.

Ber. ſer. 2. de Aſſumptione Beatæ Mariæ habet cur in hac Euangelica lectione non fiat mẽtio Lazari, vt videre eſt lect. 8. die 22. Aug.

Cap. 108. Modum, & vim orandi Iesvs diſcipulis tradit.

Matt.	Mar.	Luc. 11.	Ioan.
		1 [ET factum eſt, cùm eſſet in quodam loco orans, vt ceſſauit, dixit vnus ex diſcipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, ſicut docuit & Ioannes diſcipulos ſuos. 2 Et ait illis: Cùm oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. 3 Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. 4 Et dimitte nobis peccata noſtra, ſi quidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis 5 Et ne nos inducas in tentationem. *In Litaniis.* 6 Et ait ad illos: ✠ Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: 7 Amice, commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum. 8 Et ille de intus reſpondens, dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili: non poſſum ſurgere, & dare tibi. 9 Et ſi ille perſeuerauerit pulſans: dico vobis, etſi non dabit illi ſurgens, eo quod amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios. 10 Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis. 11 Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur. 12 Quis autem ex vobis patrem petit panem: nunquid lapidem dabit illi? aut piſcem: nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? aut ſi petierit ouum: nunquid porriget illi ſcorpionem? 13 Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris: quantò magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? ✠ (Et erat eijciens dæmonium. c. 58.)	

Not. 1.

Summa. Dubium. Lucas, & Matthæus conleniũt

Discipvlvm rogantem docet orare Ieſus: ac vim orationis oſtendit. Quod hic porro à Luca Dominus hanc precandi formulam tradidiſſe dicatur, ad inſtantiam vnius diſcipuli; non eſt contrarium ei, quod cap. 50. alius Euangeliſta commemorat; eam ſcilicet à Chriſto nullo rogante traditam, in prolixo illo ſermone, quem in monte habuit. Primo, quia Matthæus hanc Dominicam orationem prolixo illi ſermoni opportuno loco inſeruit, etiamſi alio tempore, & loco eſſet à Chriſto propoſita; quemadmodum & alia multa ſermoni eidem adſcripſit, quæ à Saluatore alio tempore, & loco dicta fuerant. Voluit quippe Mattheus in Euangelij ſui principio fere totius Euangelicæ doctrinæ ſummã concludere. Secundo, quoniam probabile eſt Dominum bis hanc orandi formam tradidiſſe: Semel quidem ex ſeipſo, ad multitudinem docendum cum Apoſtolis: alias vero pro diſcipulis, illorum vno rogante, qui prolixo illi ſermoni non interfuerat; nec Dominum id docentem audierat. Vnde ſic Euth. Luc. 11: Diſcipulus hic erat ex ſeptuaginta. Nam duodecim docuerat ſexto cap. Euangelij iuxta Matthæum. Quum videret enim præceptorem nouum vitæ inſtitutum & exercere, & admonere, nouam quoque orationem quæſiuit vitæ ſtudio conuenientem. At ille, quam ipſos duodecim docuerat, hanc etiam nunc exponit. Quod ſi dictiones quædam hic permutantur, eandem tamen & iſtæ ſeruant ſignificationem, & in ſimilem conueniunt interpretationem. Euth.

Aug. tract. 7. in Ioan: Qui habent cauſam, & volunt ſupplicare Imperatori, quærunt aliquem ſcholaſticum Iuriſperitum, à quo ſibi preces componantur: ne forte ſi aliter petierint, quam oportet, non ſolum non impetrent quod petunt, ſed & pænam pro beneficio conſequantur. Cum ergo quærerent ſupplicare Apoſtoli, & non inuenirent quomodo adirent Imperatorem Aug.

rem Deum, dixerunt Chriſto: Domine doce nos orare. Hoc eſt, Iuriſperite noſter, aſſeſſor Dei, imo conſeſſor, compone nobis preces. Et docuit Dominus de libro iuris cæleſtis, docuit quomodo orarent. Et in ipſo quod docuit, poſuit quandam conditionem; Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si non ſecundum legem petieris, reus eris.

Not. 2. ver. 2. & ſequent.

Aug. Cur verba orantibus neceſſaria ſint. Orationis Dominicæ expoſitio.

AVG. epiſt. 121. ad Probam cap. 11: Nobis ergo verba neceſſaria ſunt, quibus commoueamur, & inſpiciamus quid petamus; non quibus Dominum ſeu docendum, ſeu flectendum eſſe credamus. Cum ergo dicimus: Sanctificetur nomen tuum, nos, ipſos admonemus deſiderare, vt nomen eius, quod ſemper Sanctum eſt, etiam apud homines ſanctum habeatur; hoc eſt, non contemnatur, quod non Deo; ſed hominibus prodeſt. Et in eo quod dicimus: Adueniat regnum tuum, quod ſeu velimus, ſeu nolimus, vtique veniet, deſiderium noſtrum ad illud regnum excitemus; vt nobis veniat, atque nos in eo regnare mereamur. Cum dicimus; Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra; nobis ab illo precamur ipſam obedientiam, vt ſic in nobis fiat voluntas eius, quemadmodum fit in cæleſtibus ab Angelis eius. Cum dicimus; Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; per id quod dicitur, hodie, ſignificatur hoc tempore, vbi vel illam ſufficientiam petimus, à parte quæ excellit, id eſt, nomine panis, totam ſignificantes; vel ſacramentum fidelium, quod in hoc tempore neceſſarium eſt, non tamen ad huius temporis, ſed ad illam æternam felicitatem aſſequendam. Cum dicimus: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris; nos admonemus, & quid petamus, & quid faciamus vt accipere mereamur. Cum dicimus; ne nos inferas in tentationem; nos admonemus hoc petere, ne deſerti eius adiutorio, alicui tentationi, vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti. Cum dicimus: Libera nos à malo; nos admonemus cogitare, nondum nos eſſe in eo bono, vbi nullum patiemur malum. Et hoc quidem vltimum, quod in Dominica oratione poſitum eſt, tam late, tamque euidenter, & manifeſte patet, vt homo Chriſtianus in qualibet tribulatione conſtitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem. His enim verbis res ipſas memoriæ noſtræ commendari oportebat. Et cap. 12: Nam quamlibet alia verba dicamus, quæ affectus orantis, vel præcedendo format vt clareat, vel conſequendo attendit, vt creſcat, nihil aliud dicimus quam quod in iſta oratione Dominica poſitum eſt, ſi recte, & congruenter oramus. Quiſquis autem id dicit, quod ad iſtam Euangelicam precem pertinere non poſſit, etiamſi non illicite orat, carnaliter orat. Quod neſcio quemadmodum non dicatur illicite, quandoquidem ſpiritu renatos non niſi ſpiritaliter decet orare. Qui enim dicit, verbi gratia: Clarificare in omnibus gentibus, ſicut clarificatus es in nobis, & prophetæ tui fideles inueniantur: quid aliud dicit, quam ſanctificetur nomen tuum? Qui dicit: Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus, quid aliud dicit, quam veniat regnum tuum? Qui dicit: Itinerá mea dirige ſecundùm verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas: quid aliud dicit, quam fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra? Qui dicit: Paupertatem, & diuitias ne dederis mihi: quid aliud dicit, quam Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie? qui dicit: Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius; aut, Domine ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala: quid aliud dicit, quàm dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris? Qui dicit: Aufer à me concupiſcentias ventris, & deſiderium concubitus non apprehendat me: quid aliud dicit, quam ne nos inferas in tentationem? Qui dicit: Erue me de inimicis meis, Deus, & ab inſurgentibus ſuper me, libera me: quid aliud dicit, quam libera nos à malo? Et ſi per omnia precationum Sanctarum verba diſcurras, quantum exiſtimo, nihil inuenies, quod non iſta Dominica contineat, & concludat oratio. Vnde liberum eſt alijs, atque alijs verbis, eadem tamen in orando dicere, ſed non debet eſſe liberum alia dicere. Hæc & pro nobis, & pro noſtris, & pro alienis, atque pro ipſis inimicis ſine fluctu dubitationis oranda ſunt: Quamuis alius pro iſto, alius pro illo, ſicut ſe habent propinquitates, vel longinquitates neceſſitudinum, in corde orantis oriatur, aut extollat affectus. Qui autem dicit in oratione, verbi gratia: Domine multiplica diuitias meas; aut da mihi tantas, quantas illi, vel illi dediſti; aut honores meos auge; aut fac me in hoc ſæculo præpotentem atque clarentem, vel ſi quid huiuſmodi eſt, & hæc dicit eorùm habens concupiſcentiam, non id attendens, vt ex his ſecundum Deum proſit hominibus, puto eum non inuenire in oratione Dominica, quo poſſit hæc vota coaptare. Quamobrem pudeat ſaltem petere, quæ non pudet cupere; aut ſi & hoc pudet, ſed cupiditas vincit, quanto melius hoc petitur, vt etiam ab iſto cupiditatis malo liberet, cui dicimus; libera nos à malo?

Eccl. 36. Pſal. 79. Pſal. 118. Prou. 30. Pſal. 131. Pſal. 7. Eccl. 23. Pſal. 58.

Hodie quid ſit. Quid nomine panis intelligatur.

Aug. Omnis petitio ad orationem Dominicam referetur.

Bed. Vt orationis Dominicæ Lucas ponat 5. & Matthæus 7. petitiones.

Bed. Luc. 11: Apud Euangeliſtam Matthæum ſeptem petitiones continere Dominica videtur oratio. Quarum in tribus æterna poſcuntur, in reliquis quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna conſequenda, ſunt neceſſaria. Nam quod dicimus, ſanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra: quod non abſurde quidam intellexerunt in ſpiritu & corpore, omnino ſine fine retinenda ſunt, & hic inchoata, quantumque proficimus, augentur in nobis: perfecta vero (quod in alia vita ſperandum eſt) ſemper poſſidebuntur. Quod vero dicimus, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis

te nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo: quis non videat ad præſentis vitæ indigentiam pertinere? In illa itaque vita æterna, vbi nos ſemper ſperamus futuros, & nominis Dei ſanctificatio, & regnum eius, & voluntas eius, in noſtro ſpiritu, & corpore perfectè, atque immortaliter permanebunt. Panis vero quotidianus ideo dictus eſt, quia hic eſt neceſſarius quantus animæ carnique tribuendus eſt, ſiue ſpiritaliter, ſiue corporaliter, ſiue vtroque intelligatur modo, hic eſt etiam quam poſcimus remiſſio, vbi eſt omnis commiſſio peccatorum. Hic tentationes, quæ nos ad peccandum vel alliciunt, vel impellunt. Hic denique malum, vnde cupimus liberari. Illic autem nihil iſtorum eſt. Euangeliſta vero Lucas in oratione Dominica petitiones non ſeptem, ſed quinque complexus eſt. Nec ab iſto vtique diſcrepauit: ſed quomodo iſta ſeptem ſint intelligenda, ipſa ſua breuitate commonuit. Nomen quippe Dei ſanctificatur in ſpiritu, Dei autem regnum in carnis reſurrectione venturum eſt. Oſtendens ergo Lucas tertiam petitionem duarum ſuperiorum eſſe quodammodo repetitionem, magis eam prætermittendo fecit intelligi. Deinde tres alias adiungit, de pane quotidiano, de remiſſione peccatorum, de tentatione vitanda. At vero quod ille in vltimo poſuit, Sed libera nos à malo: iſte non poſuit, vt intelligeremus ad illud ſuperius quod de tentatione dictum eſt, pertinere. Ideo quippe ait, ſed libera; non ait & libera: tanquam vnam petitionem eſſe demonſtrans, non hoc, ſed hoc, vt ſciat vnuſquiſque in eo ſe liberari à malo, quod non infertur in tentationem. Hæc Bed. ſyllabatim ex Aug. enchir. cap. 115. & 116. *Aug.*

Not. 3. ver. 6. & ſeq.

Aug. AVG. lib. 2. quæſt. Euang. cap. 21: Amicus, ad quem venitur media nocte vt accommodet tres panes, vtique ad ſimilitudinem ponitur, ſecundum quam quis Deum rogat, in media tribulatione conſtitutus, vt ei tribuat intelligentiam Trinitatis, qua præſentis vitæ conſoletur labores, ſed comparatio eſt à minore: Si enim amicus homo ſurgit de lecto, & dat, non amicitia, ſed tædio compulſus; quanto magis Deus dat, qui ſine tædio largiſſime donat quod petitur; ſed ad hoc ſe peti vult, vt capaces donorum eius fiant qui petunt. In tribus autem panibus etiam illud ſignificatur, vnius eſſe ſubſtantiæ Trinitatem. Amicus autem, quem dicit ille, qui petit, veniſſe de via, & non ſe habere quod ponat ante illum; intelligitur hominis appetitus, qui debet obtemperare rationi. Seruiebat autem conſuetudini temporali, quam viam vocat propter omnia per tempus tranſeuntia. Conuerſo autem homine ad Deum, etiam ille appetitus à conſuetudine reuocatur, ſed ſi non conſolatur interius gaudium de doctrina ſpiritali, qua creatoris Trinitas prædicatur, magnæ anguſtiæ ſunt in homine, quem premit ærumna mortalis, cum ab ijs, quæ foris delectant, præcipitur abſtinentia; & intus non eſt refectio de lætitia doctrinæ ſalutaris. Et iſta anguſtia eſt media nox, qua cogitur vehementer inſtare petendo vt accipiat tres panes. Quod autem ei dicitur deintus, iam oſtium clauſum eſſe, pueros quoque eius cum eo in cubili eſſe: ſignificat tempus famis verbi, cum intelligentia clauditur, & illi, qui Euangelicam ſapientiam tanquam panem erogantes, per orbem terræ prædicauerunt, pueri patrisfamilias iam ſunt in ſecreta quiete cum Domino: & tamen orando efficitur vt accipiat deſiderans intellectum ab ipſo Deo, etiam ſi homo deſit, per quem ſapientia prædicetur. Et ſer. 29. de verbis Domini: Audiuimus enim in Euangelio hortantem nos, eum petere inſtanter, & pulſare vſque ad ſimilitudinem improbitatis. Propoſuit enim nobis exempli gratia; ſi quis veſtrum haberet amicum, à quo nocte peteret tres panes, cum illi amicus de via veniſſet, & quod ei apponeret non haberet. Si autem ille reſpondeat iam ſe requieſcere, & ſeruos ſuos ſecum, nec debere illius precibus inquietari, pulſando ille inſtet & perſeueret, nec pudore territus abſcedat, ſed neceſſitate coactus immineat, ſurrecturum illum, & ſi non propter amicitiam, certe propter illius improbitatem, & daturum ei quantos voluerit. Quantos autem voluerit? Nihil plus ille voluit quam tres. In hac ergo ſimilitudine adiunxit hortationem Dominus, & omnino ſtimulauit nos quærere, petere, pulſare, donec accipiamus quod petimus, quod quærimus, quod pulſamus, vſus exemplo à contrario, ſicut de illo iudice, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur, & tamen cum eum quædam vidua interpellaret quotidie, tædio victus dedit, quod non beneficio potuit, inuitus. Dominus autem noſter Ieſus Chriſtus inter nos petitor, cum patre dator, non vtique nos tantum hortaretur vt peteremus, niſi dare vellet. Erubeſcat humana pigritia, plus vult ille dare, quam nos accipere. Plus vult ille miſereri, quam nos à miſeria liberari, & vtique ſi non liberati fuerimus, nos miſeri remanebimus. Nam ille quod nos hortatur, propter nos hortatur. Euigilemus, & hortanti credamus, promittenti obſequamur vt ad dantem gaudeamus. Fortaſſis enim & nobis aliquando venit amicus de via, & non inuenimus, quod ei apponeremus, & neceſſitatem paſſi ſumus, & accepimus & nobis; & illi. Fieri enim non poteſt, niſi vt aliquis paſſus fuerit amicum aliquid interrogantem quod reſpondere non poſſit, & tunc ſe inuenit non habere, quando coactus eſt dare. Venit amicus tibi de via, id eſt, de vita huius ſæculi, in qua omnes velut peregrini tranſeunt, nec vllus quaſi poſſeſſor manet, ſed omni homini dicitur; Reſpectus tranſi, age iter, da venturo locum. Aut forte de via mala, hoc eſt, de vita mala fatigatus neſcio quis amicus tuus, non inueniens veritatem, qua audita, & percepta beatus fiat, ſed laſſatus in omni cupiditate, & egeſtate ſæculi, venit ad te tanquam ad Chriſtianum, & dicit:

Marginalia: Comparatio à minore. — Cur Deus velit rogari. — Tres panes ſignificant vnius ſubſtantiæ eſſe Trinitatē. — Quis ſit amicus veniens. — Via quid ſit. — Media nox — Aug. — Parabolæ ſcopus. — De via. — Eccl. 29.

dicit: Redde mihi rationem, fac me Chriſtianum. Et interrogat forte quod tu per ſimplicitatem fidei neſciebas. Et non eſt vnde reficias eſurientem, & te admonitus inuenis indigentem, & cum vis docere aliquem, cogeris diſcere. Et dum erubeſcis, eum, qui te interrogauit, quod quærebat non in te inueniens, compelleris quærere vt merearis inuenire. Et vbi quæras? Vbi niſi in Dominicis libris? fortaſſis quod ille interrogauit, in libro poſitum eſt, ſed obſcurum eſt. Forte dixit hoc Apoſt. in epiſt. ſua ſic dixit, vt legere poſſis, intelligere non poſſis; tranſire non permitteris. Viget enim interrogator,

Eſſe in nubil.

ipſum Paulum aut Petrum, aut aliquem Prophetam interrogare non ſineris. Iam enim requieſcit familia iſta cum Domino ſuo, & ſæculi huius ignorantia valida eſt: hoc eſt, nox media, & vrget amicus eſuriens.

Nox media.

Tibi forte ſufficiebat ſimplex fides, illi non ſufficit. Nunquid deſerendus eſt? Nunquid de domo proijciendus eſt? Ergo ad ipſum Dominum, ad ipſum, cum familia requieſcit, pulſa, orãdo pete, inſta. Non quomodo amicus ille in ſimilitudine poſitus, tædio victus ſurgit, & dabit, dare vult, tu pulſans nondum accepiſti, pulſa, dare vult. Et quod dare vult differt, vt amplius deſideres dilatum, ne vileſcat cito datum.

Dare cur Deus differt.

Cum autem perueneris da tres panes, hoc eſt, ad cibum & intelligentiam Trinitatis, habes & vnde viuas, & vnde paſcas. Ne peregrinum venientem de via reformides, ſed excipiendo ciuem domeſticum facies, nec timeas, ne finias. Non panis ille finietur, ſed indigentiam tuam finiet. Panis eſt, & panis eſt, & panis eſt, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus.

Tres panes.

Æternus Pater, coæternus Filius, coæternus Spiritus ſanctus. Incommutabilis Pater, incommutabilis Filius, incommutabilis Spiritus ſanctus. Creator & Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Paſtor, & vitæ dator Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Cibus, & panis æternus & Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Diſce, & doce; viue, & paſce. Deus, qui tibi dat, nihil melius, quam ſe tibi dat. Auare, quid aliud quærebas? Aut ſi aliud petas, quid tibi ſufficit, cui Deus non ſufficit? Sed opus eſt vt habeas charitatem, habeas fidem, habeas ſpem, vt poſſit tibi dulce eſſe quod datur. Et hæc ipſa tria ſunt, fides, ſpes, charitas. Et hæc ipſa dona Dei ſunt. Nam fidem ab ipſo accepimus; ſicut Deus, inquit, vnicuique partitus eſt menſuram fidei. Et ſpem ab ipſo accepimus, cum dicitur: In quo ſpem dediſti mihi. Et charitatem, ab ipſo accepimus, de qua dicitur: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Fidem, ſpē, & charitatem eſſe à Deo. Rom. 12. Pſal. 118. Rom. 5.

Sed hæc omnia itidem aliquantulum diuerſa, ſed omnia Dei dona. Manent enim tria hæc, fides, ſpes, charitas: maior autem horum eſt charitas.

1 Cor. 13.

In illis panibus non eſt dictum; aliquis panis maior alijs, ſed ſimpliciter, petire, & dat tres panes.

Aug.

Et ſerm. 171. de tempore: Suauis Dominus, & mitis, fratres chariſſimi, habet ianuam pietatis, nec repellit inde pulſantes, ſed culpat potius negligentes. Neque enim aliquid petitur quod non habeat, vt cum non dederit erubeſcat. Diues eſt, & pius, affluens, & benignus; dat, & non improperat: imo tunc theſauri domus eius triſtitiam patiuntur, quando deſunt delectabilia faſtidia petitionum. Ipſe Dominus dicit: Vſque modo nihil petiſtis. Petite, & accipietis, pulſate, & aperietur vobis.

Ioan. 16.

Opponit ergo parabolam cuiuſdam hominis, cui hoſpes improuiſus aduenit, & hoſpes hoſpitem excepit: paſſus eſt verecundiam, abijt continuo ad domum diuitis magnam, non ſine Sacramento tres petit panes, quia vnus hoſpes erat gratia pietatis, ſed ſubſtantia Trinitatis.

Parabola. Cur tres panes.

Nonne vnus hoſpes erat in tribus, qui venit ad Patrem Abraham? hoſpes, & amicus, pranſor, & manſor, & omnia illi in Trinitate ſunt exhibita humanitatis obſequia, quia Trinitatis gloria refulget.

Gen. 18.

Trinium attulit vitulum Pater, tres menſuras ſimilaginis conſperſit futura mater, paritura filium, pro quo pater mactaret agnum, & ipſa corpus Chriſti in Trinitate iam fecerat ſacramentum. Ita & iſte amicus veniente hoſpite pergit ad domum diuitis, & trium panum allegat neceſſitatem: pulſat, & nullus reſpondet de ianitoribus: quia omnes tenuerat ſomnus. Non Angeli, non Archangeli, non prophetæ, non miniſtri. Et ille pulſat, quãuis nemo reſpondeat. Quandoque Paterfamilias ad importunitatem pulſantis reſpondet, ille de interioribus ſacris, de throno quietis; quid pulſas ſine tempore, qui piger fuiſti cum tempore?

Deus cur reſpondet.

Dies fuit, & in lumine non ambulaſti: nox ſuperuenit, & pulſare cæpiſti. Excuſat tempus, quod improbus quærit affectus. Iam pueri quieſcunt, & non eſt dignum vt propter te iniuriam patiantur. Antequam venires diutius vigilauerunt, modo pro tempore quieuerunt, non eſt qui poſſit tibi dare reſponſum. Et ille, Domine à te peto, ad te pulſo, imo te pulſo, tu es ianua, tu ſurge, da mihi miſericordiam, qui non es dedignatus de luto limi formare viſcera mea.

Ioan. 10. Gen. 2.

Miniſterio non indiges, quia omnia potes. Sed ſi pueri tui dormiunt, tu non dormis, qui cuſtodis Iſrael. Gratis peto, ſub gratia mendico, non ſub lege præſumo. Sed ſi lex & prophetæ vſque ad Ioannem, ſed tua gratia non habet finem.

Pſal. 120. Matt. 11.

Quò deuenerunt pueri tui, prophetæ tui, & ego noui. Sed tu Domine qui es initium & finis, primus & nouiſſimus, noli ad me tædiare nouiſſima hora noctis petentem, qui nocte media captiuam duxiſti captiuitatem.

Apoc. 1.

Quid faciet Paterfamilias tanti perſeuerantoris voce conſtrictus? Non excitat prophetam, non immittit Angelum, non Archangelum, ipſe ſurget, & dabit illi quantum deſiderat. Bene pertinax ille petitor & nocturnus mendicator ad hoſpitem proprium repedauit, diues factus refecit, nec hoſpes ab hoſpite irrefectus diſceſſit. Quis eſt iſte hoſpes, rogo vos, fratres, qui nocte venit, & imparatum hoſpitem inuenit, imo ideo nocte venit hoſpes in perpetua & deficiente paupertate? In nocte venit hoſpes, gratia in ſumma ignorantia, in magna egentia, immittit triſtitiam, quando dicit nocturnus petitor, in tribula-

tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine. Et iterum: Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus, quoniam proximus eſt. Ideo hoſpes ſuperuenit improuiſus ſubito, cum quiſpiam tædio efficitur preſſurarum. Superuenit illi orandi deſiderium, flendi arripiens votum. Illa hora hoſpes venit gratia, vt compungat conſcientiam, ne in ſua moriatur egentia, ſed eat & petat ad diuitem, non ſuis meritis, ſed meritis hoſpitis venientis, & accipiat tres panes, vt in Patre & Filio & ſancto Spiritu poſſit & ipſe paſcere cæteros indigentes. Quidquid boni cogitauerit homo ſubito corde percuſſus, ſciat quia hoſpes ille venit de cælo, & bene venit qui nocte venit. In tribulatione ſubuenit, non ingerens tædium, ſed affectum. Et quia Dominus Chriſtus ad diſcipulos ſuos clauſis oſtijs in tribulatione venit, non ſperatus, ſed optatus ſalutauit in pace, & hoſpes hoſpites ſuos reficit in pace. Nonne & ille hoſpes qui dicit: Ecce ſto, & pulſo: ſi quis aperuerit mihi, intrabo, & cænabo cum illo, ego & Pater meus? Quam bona domus, vbi Pater & Filius ingreditur, hoſpes amicus qui & Spiritus ſanctus. Ipſe ibi exhibet in domo pauperis, in hoſpitio puritatis diuerſa pulmentaria, propter cænam Dominicam. Quæ ſunt iſta pulmentaria? Gaudium, longanimitas, continentia, fides, caſtitas. Tantummodo non pigeat hoſpitem ſuſcipere Dominum, ipſe ſecum portat dulcedines deliciarum, vt paſcat ibi lætantes exercitus Angelorum. Cum illo hoſpite pax eſt & iucunditas, qui venit ad hoſpitem ſuum non torquere, ſed paſcere, non expoliare, ſed veſtire, non percutere, ſed ſanare. Ipſum hoſpitem ſemper apertis cordis noſtri ianuis ſuſcipiamus, & nunquam nobis dominetur tyrannus inimicus, & in omnibus Chriſto donante eius mandata ſeruemus. Et epiſt. 121. ad Probam de orando Deum cap. 8: Ille quoque, cui amicus de via venerat, nec quod ei apponeret habebat, ab amico ſibi tres panes cupiens commodari, quibus fortaſſe ipſa Trinitas vnius ſubſtantiæ figurata eſt, iam cum ſeruis ſuis dormientem petitor inſtantiſſimus & moleſtiſſimus excitauit, vt daret ei quantos volebat, magis & ipſe vitando tædium quam beneuolentiam cogitando: vt hinc intelligeremus, ſi dare cogitur qui cum dormiat, à petente excitatur inuitus, quanto det benignius, qui nec dormire nouit, & dormientes nos excitat vt petamus. Hinc eſt & illud: Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, &c.

Pſal. 117. Pſal. 33. Ioan. 20. Apoc. 3. Aug. Quid tres panes.

Hier. Apud Hieronymum homil. de hac Euangelica lectione: Sanctus Euangeliſta docet nos neceſſitatem inopiæ tolerantes, ſubſidij cauſa amicum debere requirere, & id quod deeſt ad refectionem alterius, oportere ab altero mutuari. In tantum autem ad poſtulandum peruicacem eſſe voluit petitorem, vt nec nocturnis horis pulſare amici ianuam deſinat, nec excitare eum dubitet quieſcentem, ita etiam vt tædium inferens impudentia mereatur, quod amicitia non meretur, & communicationem panis extorqueat importunitas, quam non impetrat humanitas. Ait enim: Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, &c. Videtur ergo ſecundum literam aliquid perſuadere, vt media nocte quieſcenti amico & clauſo cubiculo dormienti moleſti eſſe minime dubitemus. Sed ſi ad ſpiritalem nos intelligentiam reuocemus, inuenimus non dure Dominum, ſed vtiliter præcepiſſe. Nam vtique poſtquam diſcipulos orationem Dominicam docuit, hanc ſubiecit parabolam, vt intelligeremus importunos nos amicos eſſe debere, non extorquendo aliquid, ſed potius promerendo, id eſt, Chriſtum non carnali manu percutiendo, ſed ſpiritali oratione pulſando. Ipſe enim ſi recte diuimus, amicus noſter eſt. Nam quis amicior nobis eſt, quam ille qui pretio ſui ſanguinis nos redemit? Ipſe, inquam, amicior omnibus eſt, qui cum ſit Dominus, amicus eſſe dignatur, dicens ad Apoſtolos: Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. Huius ergo amici oſtium inceſſabiliter pulſare debemus, & horis eum inquietare nocturnis & vſque adeo moleſti eſſe, vt importuni etiam iudicemur. Sed non huius importunitatis vereamur offenſam, quia hæc apud Dominum importunitas opportuna eſt. Acceptior enim eſt illi impudens deprecatio quam ſecura præſumptio: hoc eſt, plus meretur qui ſollicitus orat inſtanter, quam qui confidens [illegible] negligenter. Ait enim & ille: Si perſeuerauerit pulſans. Perſeuerans igitur meretur accipere, quod alibi euidentius dicit: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Non multum ergo iuuat frequenter orare, cui contigerit aliquando ceſſare. Semper igitur & ſine intermiſſione petendum eſt & pulſandum: nec deprecatio antecedens nihil proſit, ſi non ad finem eadem quo cœpit tenore peruenerit. Dico, inquit, vobis, & ſi non dabit illi ſurgens, eo quod amicus eius ſit, propter improbitatem eius ſurget & dabit. Magna perſeuerantia eſt, quæ quamuis importuna eſt, quamquam moleſta ſit Deo, tamen plus amica eſt, quam amicus. Ecce enim quod amico negatur, perſeuerantia promeretur. Illi recuſat de [illegible], hæc de contentione comparatur. Illi non ſurgitur familiariter pulſanti, hæc pertinaciter inueſtigatur orando. Pulſemus igitur oſtium Domini, non ſolum per fidem, ſed etiam perſeuerantia, vt aperiatur nobis, & media nocte pulſemus, ne grauis nos ad vigilandum peccatorum ſomnus [illegible], quoniam ſcriptum eſt: Beati ſerui, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes. Hoc autem oſtium aperiri ſibi Apoſtolus expoſcit, non ſolum ſuis, ſed etiam proprijs orationibus ſubſidia ſe iuuari, dicens: Vt aperiatur nobis oſtium ad loquendum myſterium Chriſti, ſcilicet aperto oſtio illos ſacramenti panes accipere deſiderans, de quibus eſurientis Gentilis populi ad [illegible] Dominum medius [illegible]. Et nos ergo pulſemus hoc oſtium, & pulſantes inſtanter oremus, vt ex ipſo ſapientiæ & ſcientiæ pe-

pera

nem accipere mereamur. Nam niſi ſubſtantiam exinde ſumpſerimus, fraternitatis illius deſiderium proprio ſermone reficere non valemus. Vel homo iſte quilibet Chriſtianus intelligitur, qui fidem Trinitatis tantummodo intelligit, & quod neceſſarium eſt, niſi alter eum doceat, ignorat. Amicus vero eius, vt diximus, Chriſtus eſt. Quod dicit: Vadit ad illum media nocte, in nouiſſimo tempore, & dicit illi: Commoda mihi tres panes, ac ſi dicat anima illa ad Chriſtum: Commoda mihi fidem Trinitatis, & fac me intelligere quemadmodum operari me oportet. Amicus meus venit de via, ac ſi dicat: Senſus meus ambulauit per diuerſas regiones, & rediens ad me vacuus eſt; non habeo alimenta ſpiritalia quæ ante illum ponam, niſi tu me doceas fidem Trinitatis, ſpem, charitatem, & omne quod ei tribuam, nec vnde eum doceam habeo. Ad quem ille reſpondens deintus dicat: Noli mihi moleſtus eſſe & cætera. Diſtulit quidem deſiderium, ſed non abſtulit, vt plus nos quæramus, & inuentus ſtrictius teneatur. Quod vero dicit: Pueri mei mecum ſunt, ac ſi dicat Dominus Chriſtus omnipotẽs: Sancti mei quos volui iam mecum ſunt. Non poſſum ſurgere & dare tibi. Ideo negat petitionem, vt probet cuiuſlibet perſeuerantiam. Et quod dicit: Si non dabit illi ſurgens eo quod amicus eius eſt, propter improbitatem tamen eius ſurget & dabit illi quotquot habet neceſſarios: ſic & Dominus Ieſus amicus & frater noſter, Chriſtianorum omni importunè fideliterque petenti pro iugi petitione quicquid in nomine eius petierit, ſine difficultate tribuet. Sicut & ſequitur: Ego vobis dico: Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis, id eſt, petite Patrem, quærite Filium, pulſate Spiritum ſanctum, vel petite cogitationibus, quærite verbis, pulſate operibus. Siue petite fide, quærite opere, & pulſate ſcientia, & ecce omnia aperientur vobis. Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Ac ſi dicat: Qui petit à Domino charitatem & dilectionem, non illi dat duritiam cordis; aut piſcem, nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Per piſcem, fides intelligitur, per ſerpentem infidelitas: ac ſi dicat: Si petis à Domino fidem, non tribuit tibi infidelitatem. Aut ſi petit ouum, nunquid porriget illi ſcorpionem? Ac ſi dicat: Si habes in Deum ſpem veram, ſiue cogitationem ſanctam in corde tuo cogitaueris, non contrarietatem, nec inſidiarum calumniam à Domino pertimeſcas. Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona dare filijs veſtris, quanto magis pater veſter de cælo dabit vobis ſpiritum bonum timentibus ſe? Ac ſi diceret: Si homines carnales inter bonum & malum diſcernitis, & non vultis vt quiſque veſtrûm de manu veſtra malum pro bono recipiat: quanto magis Deus qui cuncta condidit, homini, quem ad imaginem ſuam fecit, fideliter ſibi petenti tribuet bona.

Iſidor. Iſidor. Hiſpal. lib. Allegor: Homo qui media nocte poſtulabat ab amico tres panes, ſimilitudinem exprimit cuiuſque, qui in media tribulatione Dominum poſtulat, vt det ei ſcientiam Trinitatis.

Cyril. Alexandrinus lib. 5. in Leuit: Triplicis namque in ſcripturis diuinis intelligentiæ inueniri ſæpe diximus modum: hiſtoricum, moralem & myſticum. Vnde & corpus ineſſe ei, & animam & ſpiritum intelleximus, cuius intelligentiæ triplicem formam, ſacrificiorum triplex hic modus appellatus oſtendit. Sed & alibi inuenimus, id eſt, in his ipſis quæ de ſacrificijs memorantur, dici caniſtrum ſanctum perfectionis, in quo tres panes haberi mandantur. Vides conſonare ſibi ſacramentorum omnium formas? caniſtrum perfectionis, in quo tres panes poni iubentur, quid aliud debemus accipere, niſi ſcripturas diuinas, cibos auditoribus tripliciter apponentes? vis tibi & de Euangelijs ſimilis myſterij proferamus exempla? Recolamus Domini voces vbi dicit, quia media nocte venit quidam ad amicum ſuum, pulſans oſtium eius, & ait: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus mihi ſuperuenit de via, & non habeo quod apponam ei. In quibus vt breuiter perſtringamus, nox eſt hoc tempus vitæ: & tres panes ſunt, vnus qui in clibano, alius qui in ſartagine, tertius qui in craticula coquitur. Cyr.

Bern. ſerm. in Rogationibus, de tribus panibus: Quid eſt quod amicum vnum perhibet aduenisse, nec tamen contentus eſt quærere panem vnum? Putaſne tam voracem æſtimabat amicum, vt non poſſet vni ſufficere panis vnus? Nam vni quidem tres apponere panes inconſequens omnino videtur. Puta ergo cum vxore, & mancipio hominem aduenisse, vt ſuum cuiq; panem apponere velit amicus. Ergo quidem amicum venientem ad me, non alium intelligo quam meipſum. Nemo quippe charior mihi, nemo germanior eſt. Ad me ergo de via venit amicus, cum tranſitoria deſerens ad cor redeo, ſicut ſcriptum eſt: Redite præuaricatores ad cor. Deinde tunc vere ſibi quiſque amicus eſt, cum de via redit quoniam qui diligit iniquitatem odit animam ſuam. A die itaque conuerſionis meæ, de via ad me venit amicus. Venit de regione longinqua, vbi paſcere porcos, & ipſorum ſiliquas inſatiabiliter eſurire ſolebat. Venit fame laborans, confectus media, attenuatus ieiunio. Venit neceſſe habens inuenire amicum, ſed heu me, pauperem elegit hoſpitem, & vacuum ingreditur habitaculum. Quid faciam huic amico miſero, & miſerabili? Omnino enim non habeo quod ponam ante illum. Fateor amicus eſt, ſed ego mendicus. Quid veniſti ad me amice in neceſſitate tanta? Nam ſum mendicus, & non eſt in domo mea panis. Feſtina, inquit, diſcurre, ſuſcita amicum tuum illum magnum, quo maiorem dilectionem nemo habet, ſed neque ſubſtantiam ampliorem: Quære, pete, pulſa, quia omnis qui quærit inuenit, & qui petit accipit, & pulſanti aperietur. Clama, & dic, amice, commoda mihi tres panes. Qui ſunt iſti panes fratres?

Bern. — Cur tres panes vni amico petat. — Quis ſit amicus de via. — Iſa. 46. — Tres panes qui ſint.

tres? vtinam mereamur accipere eos. Forte enim & ipſos nemo ſcit, niſi qui accepit. Credo tamen petendos nobis eſſe tres panes, veritatis, charitatis, fortitudinis. His tribus egere me fateor veniente ad me amico de via, veniente autem (vt dixi) cum vxore, & mancipio. Deficit quippe ratio mea, (ipſe eſt enim vir) præ ignorantia veritatis. Languet & voluntas præ inedia affectionis, infirmatur caro præ inopia fortitudinis. Nam & ratio minus intelligit quæ agenda ſunt, & voluntas minus diligit intellecta, & ad hæc etiam corpus quod corrumpitur aggrauat animam, vt non quæcunque volumus, illa faciamus. Aruit cor meum etiam & corpus meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Neque enim paterer hunc defectum, ſi iugiter exercitata eſſet ratio in inquiſitione veritatis, voluntas in deſiderio charitatis, caro in operatione virtutis. Commoda ergo mihi amice tres panes, vt intelligam, vt diligam, vt faciam voluntatem tuam. Sic enim viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei, dicente ſcriptura. Quoniam vita in voluntate eius.

Pſal 29.

Bern. Amicus de via quis. Tres panes qui ſint.

Et ſerm. 17. in Paruis: Veniens ad nos de via noſter amicus, id eſt, quilibet conuerſus proximus: tribus panibus reficiendus eſt. Primus panis eſt continentia, qua reſtringitur corpus ne deinceps per mortiferas voluptates defluat. Secundus eſt humilitas, qua inſtruitur anima ne de ipſa ſua continentia ſuperbiat. Tertius eſt feruor charitatis, quo accenditur ſpiritus, vt vtrumque, id eſt, corpus & animam in caſtitate & humilitate perſeueranter cuſtodiat. His tribus virtutibus, id eſt, caſtitatis, humilitatis, charitatis, tanquam tribus panibus reficitur homo Dei, & roboratur, vt ſecundum Apoſtolum in die Aduentus Domini ſit integer ſpiritus, anima & corpus. Spiritum autem voco gratiam quæ (iuxta Apoſtolum eundem) adiuuat infirmitatem noſtram ne deficiamus, donec ſuo tempore metamus bonum, quod ſeminauimus. Vocatur primus panis carnalis, vel corporalis, ſecundus rationalis, tertius ſpiritualis. Hi panes quotiens deſunt, à Deo requirendi ſunt. Merito autem tres quætuntur, quia tres reficiendi veniunt: anima quaſi vir, caro quaſi coniux, ſpiritus velut vtriuſque vernaculus. Et notandum quod non ait, da: ſed, commoda mihi tres panes, quaſi redditurus: quia ſacerdos peccatori conuertenti debet quidem gratiam diuinitus impetrare, fructum vero eiuſdem gratiæ non ſibi debet, ſed Deo referre. Vide Amb. lib. 7. in Luc, lect. 1. 2. 3. in rogati.

Tres reficiendi.

Cur ait, commoda, non, da.

Amb.

Not. 4. ver. 12.

Aug. 1 Cor. 13. Piſcis cur fidem ſignificet.

AVG. epiſt. 121. cap. 8: Cum ergo ſecundum tria illa, quæ commendat Apoſtolus, fides ſignificetur in piſce, vel propter aquam baptiſmi, vel quod in huius ſæculi fluctibus integra eſt, cui contrarius eſt ille ſerpens, qui vt non crederetur Deo, venenoſa fraude perſuaſit: Spes in ouo, quia vita pulli nondum eſt, ſed futura eſt,

Cur ſpes ouo ſignificetur.

nec iam videtur, ſed adhuc ſperatur: Spes enim quæ videtur, non eſt ſpes: cui contrarius eſt ſcorpius, quoniam qui ſperat æternam vitam, quæ retro ſunt obliuiſcitur, & in anteriora ſe extendit: cui noxium eſt retro reſpicere, ſcorpius autem ex ea parte cauendus eſt, qua venenatam & aculeatam caudam retrorſum habet. Charitas in pane, maior enim horum charitas, & in cibis vtique vincit cætera panis vtilitas: cui contrarius eſt lapis, quoniam dura corda reſpuunt charitatem. Siue aliud aliquid congruentius iſta ſignificent, tamen qui nouit bona data dare filijs ſuis, petere nos, & quærere, & pulſare compellit. Quod quare faciat, qui nouit quid nobis neceſſarium ſit, priuſquam petamus ab eo, mouere animum poteſt, niſi intelligamus quod Dominus & Deus noſter, non voluntatem noſtram ſibi velit innoteſcere, quam non poteſt ignorare; ſed exerceri in orationibus deſiderium noſtrum, quo poſſimus capere, quod præparat dare. Illud enim valde magnum eſt, ſed nos ad accipiendum parui, & anguſti ſumus. Ideo nobis dicitur: Dilatamini, ne ſitis iugum ducentes cum infidelibus. Tanto quippe illud quod valde magnum eſt, quod nec oculus vidit, quia non eſt color, nec auris audiuit, quia non eſt ſonus: nec in cor hominis aſcendit, quia cor hominis illuc debet aſcendere, ſumemus capacius, quanto id & fidelius credimus, & ſperamus firmius, & deſideramus ardentius.

Charitas pane cur ſignificetur.

Cur Deus rogari velit.

Et lib. 2. Quæſt. Euang. cap. 22: De pane, piſce & ouo, quibus contraria poſuit lapidem, ſerpentem, & ſcorpionem: intelligitur panis charitas, propter maiorem appetitum, & tam neceſſarium, vt ſine illa cætera nihil ſint: ſicut ſine pane menſa eſt inops. Cui contraria eſt cordis duritia, quam lapidi comparauit. Piſcis autem intelligitur fides inuiſibilium, vel propter aquam baptiſmi, vel quia de inuiſibilibus locis capitur. Quod etiam fides huius mundi fluctibus circumlatrata non frangitur, recte piſci comparatur, cui contrarium poſuit ſerpentem propter venena fallaciæ, quæ etiam primo homini male ſuadendo præſeminauit; In ouo intelligitur ſpes: ouum enim nondum eſt fœtus perfectus, ſed fouendo ſperatur, cui contrarium poſuit ſcorpionem, cuius aculeus venenatus retro timendus eſt: ſicut ſpei contrarium eſt retro reſpicere, cum ſpes futurorum in ea, quæ ante ſunt, ſe extendat. Et ſerm. 29. de verb. Domini: Ecce alia tria. Quis eſt veſtrûm, à quo petit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei? &c. Tria ergo rurſus iſta conſideremus, ne forte ibi ſint illa tria, fides, ſpes, charitas, maior autem horum eſt charitas. Pone ergo tria, panem, piſcem, ouum. Maior horum panis. Ideo panem bene intelligimus in his tribus charitatem. Propterea pani lapidem oppoſuit, quia duritia contraria eſt charitati. Piſcem, fidem intelligamus. Dixit quidam ſanctus & nos dicere delectat, piſcis bonus pia eſt fides. Viuit inter fluctus, nec frangitur, aut ſoluitur fluctibus. Viuit inter tentationes tempeſtateſque

Aug.

Cur panis ſit charitas.

Duritia cordis eſt lapis.

Cur fides ſit piſcis.

Serpens.

Cur ſpes ſit ouum.

Scorpio.

Aug.

Panis eſt charitas.

Lapis eſt duritia.

Piſcis eſt fides.

ſtateſque huius ſęculi pia fides. Sæuit mun-
dus, & integra eſt. Tantum contrarium fidei
ſerpentem illum obſerua. In fide enim deſpon-
ſata eſt illa, cui dicitur in canticis canticorum;
Cant. 4. Veni de libano ſponſa mea, veniens & pertran-
ſiens ab initio fidei, ideo & deſponſata, quia &
deſponſatis initiũ fides eſt. Propterea deſpon-
2. Cor. 11. ſatę huic dicit Apoſtolus, deſponſaui vos vni
viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. Et ti-
meo ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam aſtutia ſua,
ſic & veſtri ſenſus corrumpātur à caſtitate quę
eſt in Chriſto, id eſt, quæ eſt in fide Chriſti.
Epheſ. 3. Habitare enim, inquit, Chriſtum per fidem in
cordibus veſtris. Diabolus ergo non corrum-
pat fidem, ne deuoret piſcem. Reſtat ſpes, quæ,
quantum mihi videtur, ouo comparatur. Spes
Ouum ſpes. enim nondum peruenit ad rem, & ouum eſt ali-
quid, ſed nondũ eſt pullus. Quadrupedes ergo
pariunt filios, aues autem ſpem filiorum. Spes
ergo ad hoc nos hortatur, vt præſentia cõtem-
namus, futura exſpectemus: & ea quæ retro
ſunt obliuiſcentes cum Apoſtolo in anteriora
Phil. 3. extendamur. Sic enim dicit, vnum autem quæ
retro oblitus, in ea quæ ante ſunt extentus, ſe-
cundum intẽtionem ſequor ad palmam ſuper-
nę vocationis Dei in Chriſto IESV. Nihil ergo
tam inimicum ſpei, quam retro reſpicere, id eſt,
in eis rebus, quæ præterlabuntur & tranſeunt,
ſpem ponere, ſed in his quæ nondum datę ſunt,
ſed dandæ quandocunque nũquam tranſibunt,
non ſperare. Quando autem ſcatet tentationi-
bus mundus velut pluuia Sodomæ ſulphurea,
Gen. 19. metuendum eſt exemplum vxoris Loth. Retro
enim reſpexit, & vbi reſpexit, ibi remanſit. In
ſalem conuerſa eſt, vt prudẽtes condiret exem-
plo. Apoſtolus Paulus de hac ſpe ita loquitur.
Rom. 8. Spe enim ſalui facti ſumus: ſpes autem quæ vi-
detur, non eſt ſpes. Quod enim videt quis, quid
ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus
per patientiam exſpectamus: quod enim videt
quis quid ſperat? Ouum eſt. Eſt ouum & non-
dum pullus eſt, & teſtudine tectum eſt, non vi-
detur quia operitur, cum patiẽtia exſpectetur,
ferueſcat vt viueſcat, intende extendere in an-
Phil. 3. teriora, obliuiſcere prætẽta. Quæ enim viden-
2. Cor. 4. tur temporalia ſunt. Non reſpicientes inquit
quæ videtur, ſed quæ non videntur. Quæ enim
videntur, temporalia ſunt: Quæ autem non vi-
dentur, æterna. In illa ergo quæ non videntur,
extẽde ſpem, exſpecta, ſuſtine, noli retro reſpi-
cere. Ouo tuo ſcorpium time. Vide quia de
cauda percutit, quam retro habet. Non ergo
Scorpius perimat ouum tuũ, mundus iſte ſpem
tuam, vt ita dicam, veneno ouo contrario, quo
cõtrario? Quanta tibi loquitur mundus, quãta
poſt dorſum ſtrepit vt retro deſpicias? id eſt, vt
in rebus præſentibus nec præſentibus, (non
enim dicenda ſunt præſentia nunquam ſtantia)
ſpem tuã ponas, & ab eo quod promiſit Chri-
ſtus & nondum dedit, ſed quia fidelis eſt dabit,
auertas animum tuum, & velis requieſcere in
mundo pereunte. Ideo enim Deus felicitatibus
terrenis amaritudines miſcet, vt alia quęratur
felicitas, cuius dulcedo non eſt fallax? Et de ipſis
amaritudinibus conatur mũdus auertere ab eo
quod intendis interiora, & retro conuertere.
De ipſis amaritudinibus, de ipſis tribulationi-
bus murmuras & dicis, ecce pereunt omnia
Chriſtianis tẽporibus. Quid ſtrepis? Non hoc
promiſit mihi Deus, quod iſta nõ peribunt, non
hoc mihi promiſit Chriſtus. Æterna promiſit
æternus, ſi credidero, ex mortali fiam æternus.
Quid ſtrepis? O munde immũde, quid ſtrepis?
Quid auertere conaris? Tenere vis periens;
quid faceres ſi maneres? Quem non deciperes
dulcis, ſi amarus alimenta mentiris? Ego ſi ha-
beo ſpem, ſi teneo ſpem, ouum meum non eſt
à Scorpione percuſſum. Benedicam Dominũ Pſal. 33.
in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.
Et poſt nonnulla: Nos ouum noſtrum ſub alis
illius gallinę ponamus, euangelicæ gallinæ, quæ
clamat, Hieruſalem, Hieruſalem, illi falſæ & Matth. 23.
perditę, quoties volui colligere filios tuos, tan-
quam gallina pullos ſuos, & noluiſti? Non no-
bis dicatur, quoties volui & noluiſti. Illa enim
gallina diuina Sapientia eſt, ſed aſſumpſit car-
nem vt pullis congrueret. Videte gallinam
hiſpidam plumis, dimiſſis alis, voce fracta, &
quaſſa, & laſſa, & languida congruere paruulis
ſuis. Ouum ergo noſtrum, id eſt, ſpem noſtram
ſub alis illius gallinæ ponamus. Animaduerti-
ſtis forte, quomodo gallina concitat Scorpio-
nem. Vtinam ergo & iſtos blaſphemantes, in
terra reptantes, de cauernis prodeuntes, &
male pungentes, illa gallina concidat & deuo-
ret, in corpus ſuum traijciat, & in bonum vertat.

Verſ. 13.

PRO intelligentia huius clauſulæ, vide no-
tationes cap. 52. Lucas de Dęmoniaco ſubijcit,
forte quia huius occaſione multa dicta ſunt ad
doctrinam pertinentia, quæ in his capitibus
maxime proſequitur.

CAP. 109. *Parabola de lucerna.*

Mat.	*Mar.*	*Luc. 11.*	*Ioan.*
		In feſto S. Martini.	
		1 (c. 58.) ✠ NEmo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio; ſed ſupra candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant.	
		2 Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus.	

Mat.	Mar.	Luc. 11.	Ioan.
		3 Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. 4 Si autem nequam fuerit, etiā corpus tuū tenebroſum erit. 5 Vide ergo ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint. 6 Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum; erit lucidum totum: & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te. ✠	

Not. 1.

Diſpoſitionis ratio.

QVÆ Lucas de lucerna hic dicit, habentur ſparſim apud Matthæum in ſermone illo Domini prolixo in monte habito. Proinde, quia Lucas poſtponit fermè doctrinam, vt Matthæus eam præponit, hæc præſtat eò loci relinquere, quò à Luca narrantur; præſertim cum ſubijciat; & cum loqueretur, rogauit illum quidam Phariſæus, vt pranderet apud ſe vt cap. ſequenti habetur. Quod illi loco vbi de Niniuitis, reginaque auſtri agitur conuenire non videtur: ſcio tamen quoſdam ibi ea ponere, quæ de lucerna hic enarrantur à Luca: ſed eos, ob dictas rationes, non putaui modo ſequendos.

Aug. Diſpoſitionis ratio. Hæc bis eſſe dicta.

Aug. lib. 2. de conſenſ. Euangeliſtarum cap. 34: Lucas productiorem hunc Domini ſermonem indicat, & in eo quædam commemorat, qualia Matthæus in ſermone illo qui eſt habitus in monte, quæ bis dicta intelligimus: & ibi ſcilicet, & hic.

Not. 2. verſ. 1.

Vide cap. 48. ver. 6.

Amb.

AMB. l. 7. in Lucam: Quia in ſuperioribus, Eccleſiā Synagogæ prætulit, &c. vt lect. 7. & 8. die 11. Nou. deinde ſubdit: Denique lucerna illa, quam matutinis, veſpertiniſque temporibus, ritu veteri Iudæorum, princeps ſacerdotum ſolebat accendere, velut ſub modio ſita legis, euanuit: & ciuitas illa Hieruſalem quæ in terris eſt, quæ occidit Prophetas, quaſi in conualle fletus poſita, deliteſcit: illa autem Hieruſalem, quę in cælo eſt, in qua militat fides noſtra, in illo altiſſimo omnium locata monte, hoc eſt, in Chriſto Eccleſia, non poteſt tenebris, & ruinis huius mundi, abſcondi; ſed fulgens candore ſolis æterni, luce nos gratiæ ſpiritualis illuminat.

Bed. Lucerna.

Bed. Luc. 11: De ſeipſo Dominus hęc loquitur, oſtendens & ſi ſupra dixerit nullum generationi nequam niſi ſignum Ionæ dandum, nequaquam tamen lucis ſuæ claritatem fidelibus occultandam. Ipſe quippe lucernam accendit, qui teſtam humanæ naturæ, flamma ſuæ diuinitatis impleuit. Quam profecto lucernam nec credentibus abſcondere, nec modio ſupponere, hoc eſt, ſub menſura legis includere, vel intra vnius Iudææ gentis terminos voluit cohibere. Sed ſupra candelabrum, inquit, vt qui ingrediuntur, lumen videāt. Candelabrum Eccleſiam dicit, cui lucernam ſuperpoſuit, quia noſtris in frontibus fidem ſuæ incarnationi adfixit, vt qui Eccleſiam fideliter ingredi voluerint, lumen veritatis palam queant intueri. Qua ſententia Iudæorum quoque proceres condemnat, qui ſigna quærentes exterius, apertam lucis ianuam noluerunt intrare credendo.

Verſ. 1.

Candelabrum eſt Eccleſia.

Elias. Lucerna eſt Epiſcopus. Candelabrum eſt ſolium.

Elias Cretenſis ad orationem 8. Nazianz. Accendit autem lucernam Deus nimirum Pontificem, indita ei doctrinæ luce: atque ita collocat eum in candelabro, id eſt, ſolio, lucifero, vt doctrinæ, atque actionum à caligine remotarum radios, quaſi fulgur quoddam, in Eccleſiam vibret: quo populi cernentes viui ſplendoris radios, ad eos ſeſe dirigant, ac patrem omnis lucis celebrent. Quod ſi quis lucem; quam habet, per animi quandam contractionem, vel tempore perſequutionis vmbra inuoluerit: is vero tanquam ſub modio lucernam tegens, condemnabitur, ni forte certo id conſilio ſapienterque faciat.

Aug.

Aug. ſer. 17. ex illis, quos Pariſienſes ediderunt: Quando bona opera, etiam quæ propter Deum fiunt, hominibus oſtenduntur, quum ea faciunt boni & religioſi, non laudes humanæ appetuntur, ſed imitanda proponuntur. Duplex eſt enim miſericordia quæ fit in bono opere, corporalis eſt & ſpiritalis. Eſurientibus, ſitientibus, nudis, peregrinis, corporali miſericordia ſubuenitur. Eadem tamen iſta cum oſtenduntur, & ad imitationem cæteros prouocant, etiam ſpiritus menteſque paſcuntur. Alius paſcitur opere bono, alius exemplo bono, ambo enim eſuriunt. Ille vult accipere vnde alatur, iſtę vult videre quod imitetur, monet nos de hac veritate etiam ſancti Euangelij lectio, Chriſtianis enim dicitur in Deum credentibus, bene operantibus, ſpem vitæ æternæ pro bonis operibus expectantibus; vos eſtis lux mundi & vniuerſæ vbique Eccleſiæ diffuſæ, dicitur; non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem conſtituta, erit, inquit, in nouiſſimis temporibus manifeſtus mons domus Domini, paratus in cacumine montium. Ipſe eſt mons, qui ex paruo lapide creuit, & totum orbem creſcendo impleuit. In illo ædificatur Eccleſia, quę abſcondi non poteſt: neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt: bene occurrit lectio, quando candelabra dedicantur; vt ſit qui operatur, lucerna poſita in candelabro, lucerna eſt enim homo, qui bene operatur. Quod autem candelabrum? Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce

Mat. 5.

Mat. 5.

Eſa. 2.

Dan. 2.

Galat. 6. cruce Domini mei Iesv Christi. Qui ergo ſecundum Chriſtum facit, & propter Chriſtum facit, vt non glorietur, niſi in Chriſto, candelabrum eſt. Luceat omnibus, videant quod imitentur, non ſint pigri, non auari, profit quod vident. Non ſint oculis videntes, &
Dubium. cordibus cæci: ſed ne forte occurrat alicui, quod Dominus bona opera velut iubet abſcondi, vbi dicit; Cauete facere iuſtitiam ve-
Mat. 6. ſtram coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem nō habebitis apud patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Debet quæſtio iſta diſſolui, vt nouerimus quemadmodum Domino obtemperemus, ne obtemperare illi non poſſimus cum eum contra iubere audimus: hac dicit, luceant opera veſtra coram hominibus, vt videant bona facta veſtra. Hac dicit, cauete facere iuſtitiam veſtram coram hominibus, vt videamini ab eis. Vultis noſſe quam ſit iſta quęſtio diſſoluenda? Et niſi diſſoluatur, moleſtè erit ſi remaneat inſoluta. Quidam homines faciunt bene, & timent videri, & omni ſtudio, quantum poſſunt, cooperiunt bona opera ſua. Captant quando neminem videant, tunc aliquid porrigunt, timentes ne offendant in illud
Mat. 6. præceptum, vbi dictū eſt, Cauete facere iuſtitiam veſtram corā hominibus, vt videamini ab
Reſp. eis. Non autē Deus iuſſit bona opera abſcondi, ſed in bonis operibus laudem humanam non cogitare. Denique cum dixit: cauete facere, iuſtitiam veſtram coram hominibus: vbi finiuit? Vt videamini ab eis? Vt ideo faciant vt videantur ab hominibus; hunc fructum boni operis quærant, hunc ferant, nihil aliud exſpectent, nihil ſuperioris & cæleſtis commodi cōcupiſcant. Si ideo ſolum faciat vt laudetur, hoc prohibuit Deus, cauete facere. Quomodo? vt videamini ab eis. Cauete hunc facere fructū,
Lucæ 8. & 11. id eſt, viſionem hominum. Iubet autem videri opera noſtra, & dicit. Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Et, ſic luceant opera veſtra coram hominibus, vt videant, inquit, bona facta veſtra. Et non ibi remanſit, ſed; glorificent, ſubiūxit, Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Aliud eſt in bono opere quærere laudem Dei. Quādo quęris laudem Dei æternam gloriam acquiſiſti. Sic ergo faciamus, vt non videamur ab hominibus: hoc eſt, ſic faciamus, vt viſionem hominum pro mercede non quæramus, ſed ſic faciamus, vt videntibus & imitantibus gloriam Dei cognoſcamus. Quod ſi nos tales non faceret, nihil eſſemus.

Not. 3. verſ. 2.

De ſequentibus verſ. vide cap, 51.

Amb. Amb. in Pſal, 43: Sed vide de quo oculo
Oculus. dicat: non de exteriore, ſed de interiore. Si oculus, inquit, tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Interior vtique eſt oculus, qui totum hominis corpus illuminat. Interior eſt etiam oculus, qui adfert toti corpori cæcitatem: Quia ſcriptum eſt: Si autem nequam fuerit oculus tuus, totum corpus tuum tenebroſum erit. Vides in vno homine vnde tenebrę naſcantur, vnde lumen oriatur? Ipſe ergo tibi es caligo, vel lumen. Caligo, iniquitatis eſt; tenebræ, peccatorum: lumen innocentiæ. Ipſe tibi ergo es vel iniuriæ auctor, vel gratiæ. Operatio diuina nihil errat. Lumen in teipſo eſt, quia innocens infantia tua eſt. Pura mens hominis ante adoleſcentię lubricum, & iuuentutis errorem. Tu tibi ergo tenebras feciſti eſſe quod lumē eſt. Denique idem oculus, hoc eſt, ſenſus hominis, tenebroſus eſt in peccatore, ſplēdidus in innocente. Denique præcipit ne opera tantummodo, ſed & cogitationes, & ipſas etiam cordis intētiones mundare, & caſtigare meminerint. Corpus quippe dicit Corpus.
opera, quæ palam cunctis apparent; oculū vero Oculus.
ipſam mentis intentionem operatur, & de cuius merito eadem opera, lucis, an tenebrarum ſint opera, diſcernuntur, ſicut ipſe conſequenter expoſuit. Si, inquit, pura, rectaque inten- Verſ. 3.
tione, quæ potes, agere bona ſtudueris, lucis profecto ſunt opera quæ facis, etiamſi coram hominibus imperfectionis aliquid habere videantur. Quoniam diligentibus Deum, omnia Rom. 8.
cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Si autem peruerſa Verſ. 4.
eſt intentio, quæ præcedit, prauum eſt omne opus, quod ſequitur, quamuis rectum eſſe videatur.

Not. 4. verſ. 5. 6.

Bed. Beda Luc. 11: Vide ergo, ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint. Hoc eſt, ne ipſa cordis intentio, quæ lumen eſt animæ, vitiorum caligine fuſcetur, ſedula diſcretione perpende;
Prou. 4. iuxta quod alibi præcipitur; omni cuſtodia ſerua tuum cor, quoniam ex ipſo vita procedit. Totum corpus noſtrum, omnia noſtra opera Totum corpus.
dicit, quia & Apoſtolus membra noſtra nuncupat quædam opera, quæ improbat, & mortificanda præcipit, dicēs; mortificate ergo membra veſtra, quę ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & cætera talia. Si igitur ipſe bonum bona intentione patraueris, non habens in tua conſcientia aliquam par- Col. 3.
tem tenebroſæ cogitationis, etiam ſi contigerit aliquem proximorū tua bona actione noceri, verbi gratia, aut de pecunia, quam à te indigēs, & petens acceperat, facere, vel pati aliquid mali, aut de verbo exhortationis, quo errantem corrigere volebas forte pernicioſius errare, tu tamen pro tuo ſimplici, & lucido corde, & hic, & in futuro, lucis gratia donaberis. Hæc contra hypocriſim Phariſæorū ſubdole ſigna quęrentium ſpecialiter dicta, nos iuxta ſenſum moralem generaliter inſtituant.

Aug. Lumen. Avg. lib. 2. quæſtionum Euang cap. 15: Lumen dicit bonam intentionem mentis, qua operamur, tenebras autem ipſa opera appellat; ſiue quia ignoratur ab alijs, quo animo illa fa- Tenebræ cur opera dicantur.
ciamus; ſiue quia eorum exitum etiam ipſi neſcimus;

neſcimus; id eſt, quomodo exeant, atque proueniant eis, quibus nos ea bono animo impendimus. Plerumque enim beneficijs noſtris male vtendo corrumpuntur, quibus nos ea miſericorditer beneuola intentione præſtamus.

Euth. Euthym. Luc. 11: Obſerua ne mens, animæ tuæ feneſtra, affectionibus obtenebretur.

CAPVT 110. IESVS *ad prandium vocatus, reprehendit præpoſteram religionem Phariſæorum: eiſq;, ac Legiſperitis grauiter comminatur.*

Mat. | *Mar.* | *Luc. 11.* | *Ioan.*

1 ET cùm loqueretur, rogauit illum quidam Phariſæus,
vt pranderet apud ſe: & ingreſſus recubuit.
2 Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, quare
non baptizatus eſſet ante prandium.
3 Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Phariſæi, quod de-
foris eſt calicis, & catini mundatis, quod autem intus eſt
veſtrum, plenum eſt rapina, & iniquitate.
4 Stulti, nónne qui fecit quod deforis eſt, etiam id quod
deintus eſt fecit?
5 Veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce
omnia munda ſunt vobis.
6 Sed væ vobis Phariſæis, quia decimatis mentam, & rutam,
& omne olus: & præteritis iudicium, & charitatem Dei.
7 Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.
8 Væ vobis Phariſæis, quia diligitis primas cathedras in
ſynagogis, & ſalutationes in foro.
9 Væ vobis, quia eſtis vt monumenta, quæ non apparent:
& homines ambulantes ſupra neſciunt.
10 Reſpondens autem quidam ex Legiſperitis, ait illi: Ma-
giſter, hæc dicens, etiam contumeliam nobis facis.
11 At ille ait: Et vobis Legiſperitis væ: quia oneratis homi-
nes oneribus, quę portare non poſſunt, & ipſi vno digito
veſtro non tangitis ſarcinas.

De pluribus Martyribus.

12 ✠ Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum:
patres autem veſtri occiderunt illos.
13 Profectò teſtificamini quòd conſentitis operibus patrum
veſtrorum: quoniam ipſi quidem eos occiderunt: vos au-
tem ædificatis eorum ſepulchra.
14 Propterea & ſapientia Dei dixit: Mittam ad illos Pro-
phetas, & Apoſtolos, & ex illis occident, & perſequentur.
15 Vt inquiratur ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus
eſt à conſtitutione mundi, à generatione iſta, à ſanguine
Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ, qui perijt inter altare,
& ædem.
16 Ita, dico vobis, requiretur ab hac generatione. ✠
17 Væ vobis Legiſperitis: quia tuliſtis clauem ſcientię.
18 Ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis.
19 Cùm autem hæc ad illos diceret, cœperunt Phariſæi, &
Legiſperiti grauiter inſiſtere, & os eius opprimere de mul-
tis, inſidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius,
vt accuſarent eum.]

Not. 1.

ADVERSVS Phariſaicam iuſtitiam, ab ea diſcipulos auertens Chriſtus, multa diſſerit. Aug. Aug. lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. cap. 39: Terminato autem iſto ſermone, in aliud pergit Lucas, in quo vtrum ordinem rerum geſtarum ſeruauerit, incertum eſt. Ita enim connectit; & cum loqueretur, rogauit eum quidam Phariſæus vt pranderet apud ſe. Non autem ait; Cum hæc loqueretur: Sed, cum loqueretur. Nam ſi dixiſſet; cũ hæc loqueretur. Neceſſario cogeret intelligere hoc ordine, non tantum à ſe fuiſſe narrata, verum & à Domino geſta.

Verſ. 1.

Verſ. 1.

Tit. Tit. Luc. 11: Cum Phariſæi malitia ſimul, & inuidia flagrarent, hominesque auari, & faſtu pleni eſſent; cur Chriſtus Deus, & Dominus noſter, ab vno ex eorum grege, ad prandium vocatus, non recuſauit; ſed in domum illius ingreſſus, vna cum cæteris accumbit? Non ideo hoc fecit; quod illorum peruerſitatem ignoraret; norat enim ille omnia; verum cum eum docere, & erudire in animo haberet, voluit rem hanc in ſpiritalis inſtitutionis materiam, & cauſam conuertere.

Cur Dominus apud Phariſæum prandeat.

Theoph. Theoph. Luc. 11: Sciebat quidem Phariſæorum liuorem Dominus, & nihilominus comedit cum eis propter iſtuc ipſum, quod mali erāt, & correctione opus habebant. Nam propter hoc comedit cum eis, vt occaſionem apprehendat, & eorum mores emendet.

Euth. Euthym. Luc. 11: Hoc autem faciebat, oſtendens ſe præſtantiorem eſſe cæteris Phariſæis, & ab illorum inuidia liberum. Chriſtus vero paret, cupiens menſa vti ad conuiuatoris admonitionem.

Verſ. 2.

Tit. Titvs Luc. 11: Phariſæus hic, quòd Dominus, antequam menſæ accumberet, nō lauaret, offenſus eſt. Sed admodum inſulsè: faciebant hoc autē Phariſæi ſuo more, (ſiquidem Moyſes hunc ritū nuſquam præceperat) rati omnes animi corporiſque ſordes per eiuſmodi baptiſmata ſeſe deponere, ſed ſtolidè. Nam etſi ablutio, quæ per ſolam aquam fit, vitiis, & ſalutaris ſitijs, qui corporis inquinamenta contraxerūt; attamen impuritatem, quę cordi vel menti cohæret, expiare nequaquam valet.

Not. 2. *verſ.* 3.

Aug. Avg. lib. 2. quæſt. euang. cap. 16: Nunc vos Phariſæi quòd de foris eſt calicis & catini mundatis. Hinc & deinceps quod dicit in Phariſæos & legiſdoctores, hoc eſt quod ſuperius dixit, offirmauerat faciem in Hieruſalem, vt eis apertè vera diceret vitia, & peccata eorum.

Aug. Et lib. 2. de conſ. cap. 75: Hinc iam cætera in eoſdem Phariſæos, & Scribas, & legiſdoctores

Cap. 156. talia dicit, qualia Matthæus hoc loco, quem nunc conſiderandum ſuſcepimus. Quanquam ergo ita iſta Matthæus commemorat, vt quamuis domum illius Phariſæi non nominet, non tamen locum exprimat, vbi dicta ſint, quo repugnet aliquid illi domui: tamen quia iam venerat Dominus in Hieruſalem à Galilæa, & poſt eius aduentum ita ſuperiora vſque ad hunc ſermonem contexuntur, vt probabiliter accipiantur in Hieruſalem geſta; Lucas autem illud narrat, cum adhuc Dominus iter ageret in Hieruſalem; videntur mihi ſimiles duo eſſe ſermones, quorum ille alterum, alterum iſte narrauit.

Aug. Et ſerm. 30. de verbis Domini: Audiſtis ſanctum Euangelium, quomodo Dominus Iesvs in eo quod Phariſæi dicebat, ſuos vtique diſcipulos commonebat ne in corporis mundatione putarent eſſe iuſtitiam. Omni die enim Phariſæi antequam pranderent abluebant ſe aqua, quaſi quotidiana lauatio poſſit cordis eſſe mundatio. Denique quales tales eſſent oſtendit. Ille dicebat qui videbat, non enim tantum facies eorum, ſed etiam interiora cernebat. Denique vt hoc ſciatis, ille Phariſæus cui reſpondit Chriſtus, apud ſeipſum cogitauit, voce non ſonuit, & illę tamen audiuit. Apud ſe enim reprehendit Dominum Chriſtum, quia ſic venit ad conuiuium eius non lotus. Ille cogitabat, hic audiebat, ideo reſpondebat. Quid ergo reſpondit? Nunc vos Phariſæi quod foris eſt paropſidis lauatis, intus autem pleni eſtis dolo & rapina. O venire ad prandium, quomodo pepercit homini à quo fuerat inuitatus? Magis obiurgando pepercit, vt correcto in iudicio parceret. Deinde quid oſtendit nobis? Quia & baptiſmū quod ſemel adhibetur, per fidē mundat. Fides autem intus eſt, non foris. Vnde dicitur & legitur in Actibus Apoſtolorum, fide mundans corda eorum. Et Apoſtolus Petrus in epiſtola ſua ita loquitur, ſic, inquit, & nobis dedit ſimilitudinem de arca Noë quomodo octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Et adiunxit, ſic & vos ſimili forma baptiſma ſaluos faciet, non carnis depoſitio ſordium, ſed cōſcientiæ bonæ interrogatio inter Deum: hanc conſcientiæ bonę interrogationem Phariſæi contemnebant, & quod erat foris lauabant, intus inquinatiſſimi permanebant. Et multis interiectis: Crede in Chriſtum, & mundabuntur quæ intus ſunt, & quæ foris ſunt munda erunt. Act. 15. 1. Pet. 3.

Not. 3. *verſ.* 5.

Esse ſimplex genus expiandarum impuritatum ſi eleemoſyna in fratrem beneficus exiſtas, oſtendit.

Aug. Enchirid. cap. 72: Ad omnia quæ vtili miſericordia fiunt, valet quod Dominus ait, Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Non ſolum autem qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ægro vel incluſo viſitationem, captiuo redemptionem, debili ſubiectionem, cæco deductionem, triſti conſolationem, non ſano medelam, errāti viam, deliberanti conſilium, & quod cuique neceſſarium eſt indigenti: verum etiam & qui dat veniam peccanti eleemoſynā dat: & qui emendat verbere in quem poteſtas datur, vel coërcet aliqua diſciplina, & tamen peccatū eius, quo ab illo læſus eſt, aut offenſus, dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur, non ſolum in eo quod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemoſynam dat: quia miſericordiam præſtat. Multa enim bona præſtantur inuitis, quando eorum conſulitur vtilitati, non voluntati: Aug. Eleemoſynarum genera.

quia ipſi ſibi inueniuntur eſſe inimici, amici vero eorum potius illi quos inimicos putant, & reddunt errando mala pro bonis, cum reddere mala Chriſtianus non debeat pro malis.

Matth. 16. Multa itaque ſunt genera eleemoſynarum, quę cum facimus, adiuuamur vt dimittantur nobis noſtra peccata.

Aug. Perſeuerantes in peccato eleemoſyna non liberat.

Et cap. 75: Sanè qui ſceleratiſſimè viuunt, nec curant talem vitam moresque corrigere, & inter ipſa facinora, & flagitia ſua eleemoſynas frequentare non ceſſant, fruſtra ſibi ideo blandiuntur, quoniam Dominus ait, Date eleemoſynam, & ecce omnia mūda ſunt vobis. Hoc enim quam latè pateat, non intelligunt. Sed vt intelligant, attendant quibus dixerit. Nempe In Euangelio ſic ſcriptum eſt, cum loqueretur, rogauit illū quidam Phariſæus vt pranderet apud ſe: & ingreſſus recubuit. Phariſæus autem cæpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium? Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Phariſæi quod de foris eſt calicis & catini mundatis, quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina & iniquitate. Stulti, nónne qui fecit id quod foris eſt, etiam id quod intus eſt fecit? Videte vt etiam id quod intus eſt mundum fiat. Veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynā, & ecce omnia munda ſunt vobis, itáne hoc intellecturi ſumus, vt Phariſæis non habentibus fidem Chriſti, etiam ſi non in eum crediderint, nec renati fuerint ex aqua & Spiritu ſancto, munda ſint omnia, tantum ſi eleemoſynas dederint, ſicut iſti eas dandas putant: cum ſint immūdi omnes quos non mundat fides Chriſti, de qua ſcriptum eſt, Mundans fide corda eorū: & dicat Apoſtolus, immundis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed polluta ſunt eorum & mens & conſcientia. Quomodo ergo Phariſæis omnia munda eſſent ſi eleemoſynas darent, & fideles non eſſent? Aut quomodo fideles eſſent ſi in Chriſtum credere atque in eius renaſci gratia noluiſſent? Et tamen verum eſt quod audierant, Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.

Baptizatus pro lotus.

Act. 15.

Tit. 1.

Aug. Ordo eleemoſynæ.

Et cap. 76: Qui autem vult eleemoſynā ordinatè dare, à ſeipſo debet incipere, & eam ſibi primum dare. Eſt enim eleemoſyna opus miſericordiæ, veriſſimeque dictum eſt; Miſerere animæ tuæ placēs Deo. Propter hoc renaſcimur, vt Deo placeamus, cui merito diſplicet quod naſcendo contraximus. Hæc eſt prima eleemoſyna, quam nobis dedimus, quoniam nos ipſos miſeros per miſerantis Dei miſericordiam requiſiuimus, iuſtum iudicium eius confitentes, quo miſeri effecti ſumus, de quo dicit Apoſtolus iudicium quidem ex vno in condemnationem. Et magnæ charitati eius gratias agentes; de qua idem ipſe dicit gratiæ prædicator; commēdat autem ſuam dilectionem Deus in nobis, quoniā cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt vt & nos veraciter de noſtra miſeria iudicantes, & Dei charitatem, quam donauit ipſe, diligentes, piè, rectéq; viuamus. Quod iudicium & charitatem Dei cum Phariſæi præterirent, decimabant tamen propter eleemoſynas, quas faciebant, etiam quæque minutiſſima fructuum ſuorum: & ideo non dabant eleemoſynas à ſeipſis incipientes, ſecumque prius miſericordiam facientes, ſicut iſti eas dandas putant. Propter quem dilectionis ordinem dictum eſt, Diliges proximum tuū ſicut teipſum. Cum ergo increpaſſet eos, quod forinſecus ſe lauabant; Intus autem rapina, & iniquitate pleni eſſent; admonens quandā eleemoſynam, quam ſibi homo primitus debet dare, & interiora mundare; veruntamen, inquit, quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Deinde vt oſtenderet quid admonuiſſet, & quid ipſi facere non curarent, ne illum putarent eleemoſynas eorum ignorare. Sed væ vobis, inquit, Phariſæis, tanquam diceret, Ego quidem commonui vos ad eleemoſynam dandam per quam vobis omnia munda ſint, ſed væ vobis qui decimatis mentam & rutam & omne olus (has enim noui eleemoſynas veſtras, ne de illis me vos nunc admonuiſſe arbitremini) & præteritis iudicium & charitatem Dei, qua eleemoſyna poſſetis ab omni inquinamento interiori mundari, vt vobiſ munda eſſent corpora quæ lauatis, hoc eſt enim omnia & interiora ſcilicet & exteriora ſicut alibi legitur, mundate quæ intus ſunt, & quæ foris ſunt munda erunt. Sed ne iſtas eleemoſynas quæ fiunt de fructibus terrę reſpuiſſe videretur: hęc, inquit, oportuit facere, id eſt, iudicium & charitatem Dei; & illa non omittere, id eſt, eleemoſynas fructuum terrenorum.

Eccl. 30.

Vt eleemoſyna mundētur omnia.

Rom. 5.

Matth. 23.

Matth. 22.

Matth. 23.

Baſil.

Baſil. in reg. breuio. interrog. 271: Cum Dominus dicat, veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis: nunquid peccata omnia, quæ quis commiſit, mundentur per eleemoſynam: propoſitam queſtionem ſeries ipſa eorum, quæ præcedunt dilucide explicat. Nam cū antea dixiſſet; quod de foris eſt calicis, & catini, mūdatis: Quod autem intus eſt veſtrûm, plenum eſt rapina, & iniquitate. Poſt hoc ſubiecit, veruntamē quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Omnia, hæc videlicet, quæ per rapinam, & defraudationem peccata committimus, & iniquè agimus. Hoc autem ita eſſe apertè declarauit Zacheus, quum dixit; Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui reddo quadruplum: vt videlicet intelligatur, peccata omnia, quæ eiuſmodi ſunt, vt retexi poſſint, ac pluribus contrarijs rectè factis penſari, hoc modo ab homine emundari: atque hoc modo, dico, non vt qui ipſe ad emundationem per ſe ſatis idoneus ſit, ſed qui egeat in primis miſericordia Dei, & ſanguine Chriſti: In quo redemptionem habemus reliquorū etiam omnium, facientes in ſingulis fructus dignos pænitētię.

Eleemoſyna quæ peccata mundentur

Cap. 242.

Not. 4. ver. 5.

Aug.

Avg. ſer. 30. de verbis Domi: Laudata eſt eleemoſyna; facite, & probate. Sed pauliſper attendite quod Phariſæis dictum eſt. Phariſæi

iſti Iudæi erant, quaſi egregij Iudeorum. Nobiliores enim atque doctiores tunc Phariſæi vocabantur. Baptiſmo Chriſti ablui non erāt, in Chriſtum filium Dei vnigenitum qui inter illos ambulabat, & ab eis non agnoſcebatur, nondū reddiderant. Quomodo eis dicit, Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis? Si audirent illum Phariſæi, & darent eleemoſynas, iam ſecundum verbum eius munda illis eſſent omnia, quid opus erat vt crederent in eo? Si autem mundari non poſſent, niſi credentes in eum qui fide mundat cor, quid eſt, date eleemoſynas, & ecce omnia munda ſunt vobis. Attendamus, & forte ipſe exponit. Cum hæc dixiſſet, ſine dubio cogitauerunt illi qui dabant eleemoſynas. Et quomodo dabant? Omnia ſua decimabant, de omnibus fructibus ſuis decimam partem detrahebant, & ipſam dabant. Non facile hoc facit aliquis Chriſtianus: Ecce quod faciebant Iudæi, non triticum ſuum, ſed oleum & vinum, neque hoc ſolum, ſed etiam & res contemptibiles propter præceptum Dei, cymimum, rutam, mentham, & anethum totum decimabant, id eſt decimam partem detrahebant, & eleemoſynas dabant. Credo ergo quia reuocauerunt ad ſe, & putauerunt Dominum Chriſtum inaniter loqui, quaſi eis qui non facerent eleemoſynas, cum ipſi ſcirent opera ſua, quod & minutiſſima, & contemptibilia fructuum ſuorum decimabant, & eleemoſynas dabant, irriſerunt illum apud ſe talia dicentem, quaſi hominibus qui eleemoſynas non facerent. Hoc Dominus ſciens continuo ſubiunxit. Veruntamen væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui decimatis mentham. cymimum, & rutam, & omne olus. Vt ſciatis noui eleemoſynas veſtras. Certe iſtæ ſunt eleemoſynę veſtræ, iſtæ ſunt decimæ; etiam minuta quæque & contemptibilia fructuum veſtrorum decimatis, & relinquitis grauiora legis, iudicium & charitatem. Attendite, reliquiſtis iudiciū & charitatem, & decimatis olera. Non eſt hoc facere eleemoſynam. Et hæc, inquit, oportet facere, & illa non omittere. Quę facere? Iudicium & charitatem, iuſtitiam & miſericordiam, & illa non omittere. Facite illa, ſed iſta præponite. Si hæc ita ſunt, quid eſt quod illis dixit, facite eleemoſynas, & ecce omnia munda ſunt vobis? Quid eſt, facite eleemoſynam? Facite miſericordiam. Quid eſt, facite miſericordiam? Si intelligis, à te incipe. Quomodo enim es miſericors alteri, ſi crudelis ſis tibi? Date eleemoſynam, & omnia mūda ſunt vobis; facite veram eleemoſynam. Quid eſt eleemoſyna? Miſericordia, audi ſcripturam. Miſerere animæ tuæ placens Deo, fac eleemoſynam, Miſerere animæ tuæ placens Deo. Mendicat a te anima tua, redi ad conſcientiam tuam. Quicumque malè viuis, quicumque infideliter viuis, redi ad conſcientiam, & ibi inuenis mendicantem animam tuam, inuenis egentem, inuenis pauperem, inuenis ærumnoſam, inuenis forte nec egentem, ſed egeſtate obmuteſcentem. Nam ſi mendicat, eſurit iuſtitiam. Quando inueneris animam tuam talem, intus in corde tuo ſunt illa. Fac prius eleemoſynam, de illa panem. Quem panem? Si Phariſæus interrogaret, diceret illi Dominus, fac eleemoſynam cum anima tua. Hoc enim illi dixit, ſed ille nō intellexit, quando illis enarrauit eleemoſynas quas faciebant, & putabant latere Chriſtum, & ait illis; noui quid facitis, decimatis mentham, & anethum, cymimum & rutam. Sed ego alias eleemoſynas loquor; contemnitis iudicium & charitatem. In iudicio & charitate fac eleemoſynam cum anima tua. Quid eſt iudicium? Reſpice, & inueni; diſplice tibi, pronuncia in te. Et quid eſt charitas? Dilige Dominum in toto corde tuo, & tota anima tua. & tota mente tua, dilige proximum tanquam teipſum, & feciſti miſericordiam prius cum anima tua, in conſcientia tua. Hanc autem eleemoſynam ſi prætermittis, de quantouis dona, quantumuis retrahe de fructibus tuis, non decimas, ſed dimidias: nouem partem da: & vnam tibi dimitte: nihil facis, quando tecum non facis, & tecum pauper es. Anima tua veſcatur, ne fame pereat. Da illi panem; quem panem, inquit? Ipſe tecum loquitur. Tu ſi audires; & intelligeres, & crederes Dominum, ipſe tibi diceret, ego ſum panis viuus, qui deſcendi de cælo. Nónne iſtum panem primum dares animæ tuæ, & faceres cum illa eleemoſynam? Si ergo credis, facere debes, vt prius paſcas animam tuam.

Not. 5. verſ. 17.

AMBROS. ſer. 8: Hæc autem clauis Chriſtus eſt Dominus, quoad credulitatem fidei pectorum arcana reſerantur. Ambr. Clauis.

Aug. l. 2. quęſt Euang. cap. 23: De eo quod dicit Dominus Scribis, vel Doctoribus Iudæorum; tuliſtis clauem ſcientiæ, & ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis: accipiendum quod in ſcriptura de humanitate Chriſti dicitur, quam nec ipſi intelligere, nec ab alijs intelligi volebant. Et l. 2. contra aduerſ. legis, & Prophetarum cap. 5: Neque me noſtis, neque patrem meum; ſed nec verbum Dei habetis in vobis manens. Quod vtique contrarium non eſt ei, quod dixit: Tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis. In ſemetipſis enim verbum Dei non habebant; ſed in litteris, quas legebant. Nam ſi haberēt in ſemetipſis, & ipſi intrarent, & alios intrare permitterent. Non intrare autem, eſt non intelligere. Ecce quare nec ipſum nouerant, nec eius patrem: quia non intelligebant quod legebant, non quia Deum, & Chriſtum non prædicauerant, quos legebant. Hoc eſt ergo intrare, non eſſe contentum ſuperficie litteræ, ſed ad interiora intelligentiæ peruenire. Aug. Quid ſit non intrare. Aug. Quid ſit non intrare.

CAPVT 111. *Fermentum Phariſæorum cauendum: mortem corporis non timendam: quanta ſit merces confeſſionis, & negationis pœna.*

Mat. | *Mar.* | *Lucæ 12.* | *Ioan.*

1 [MVLTIS autem turbis circumſtantibus, ita vt ſe in-
uicem conculcarent, cœpit dicere ad diſcipulos ſuos.

De pluribus Martyrib.

2 ✠ Attendite à fermento Phariſæorũ, quod eſt hypocriſis.
3 Nihil autem opertum eſt, quod non reueletur: neque
abſconditum, quod non ſciatur.
4 Quoniam quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur: &
quod in aurẽ locuti eſtis in cubiculis, prędicabitur in tectis.
5 Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his,
qui occidunt corpus: & poſt hæc non habent amplius quid
faciant.
6 Oſtendam autem vobis, quem timeatis: timete eum,
qui poſtquam occiderit habet poteſtatem mittere in gehen-
nam: ita dico vobis, hunc timete.
7 Nónne quinque paſſeres veneunt dipondio, & vnus ex
illis non eſt in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis
veſtri omnes numerati ſunt.
8 Nolite ergo timere: multis paſſeribus pluris eſtis vos.
9 Dico autem vobis, omnis quicumque confeſſus fuerit me
coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum, co-
ram Angelis Dei.
10 Qui autem negauerit me coram hominibus: negabitur
coram Angelis Dei. ✠
11 Et omnis, qui dicit verbum in filium hominis, remittetur
illi: ei autem, qui in Spiritum ſanctum blaſphemauerit,
non remittetur.
12 Cùm autem inducent vos in ſynagogas, & ad magiſtra-
tus, & poteſtates, nolite ſolliciti eſſe, qualiter, aut quid re-
ſpondeatis, aut quid dicatis.
13 Spiritus enim ſanctus docebit vos in ipſa hora, quid
oporteat vos dicere.

Not. 1. verſ. 2.

BEDA Luc. 12: Ad hoc fermentum pertinent omnia, quæ recumbens apud Phariſæum ſuperius diſputauerat. De quo & Apoſtolus, &c vt lect. 7. die 26. Iunij. (1. Cor. 5.)

(Theoph.) Theoph. Luc. 12: Fermentum autem vocat hypocriſim, & ſimulationem, quod acerba ſit, & plena veteris malitiæ; & transformet, corrumpatque ſecum hominum mentes, quibus admixta fuerit. Nihil enim ſic mores alterat, vt hypocriſis. (Fermentũ quid ſit. Hypocriſis fugienda.)

(Euth.) Euthym Luc. 12: Quia etiam nunc per hypocriſim interrogabant, apparenter quidem diſcere quærentes, occultè vero inſidiantes, diſcipulos ſuos omnino munit, vt caueant ſibi ab hypocriſi illorum; ne imprudenter in eam incidant. De fermento Phariſæorum, vide caput 79.

Verſ. 3.

(Bed.) BEDA Luc. 12: Et quomodo in præſenti ſæculo, multorum diu latet hypocriſis? Ergo de futuro tempore intelligendum, quando iudicabit Deus occulta hominum. Nam ſicut vnus amicorum Beati Iob veriſſimè dixit, laus impiorum breuis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur. In fine, inquit, perdetur, qui in principio florere videbatur. Eſt ergo ſenſus, &c. vt lect. 7. die 26. Iun. (Reuelanda omnia in futuro.) (Iob 20.)

(Euth.) Euthym. Luc. 12: Etiam hæc de hypocriſi dixit eorum, docens quod arguetur in die vniuerſalis iudicij. Et quia tũc omnia cognoſcentur, & opera, & ſermones, ac cogitatus, ſuperflua nunc eſt, & inutilis hypocriſis. De hoc verſu, & ſequentibus, vide cap. 68. Vnde Euth. Luc. 12: Varijs opportunitatibus, ac temporibus Apoſtolos de eiſdem Chriſtus frequenter admonebat: volens hæc animabus eorum infigi tenacius. (Euth. Cur eadẽ Chriſtus ſæpe dixerit.)

Not. 2. verſ. 4.

(Bed.) BEDA Luc. 12: Quod ſequitur. Quoniam quæ in tenebris, &c. vt lect. 8. die 26. Iun. Sanè quod

Paleſtinæ forma tectorum. quod ait; Prædicabitur in tectis: Iuxta morem prouinciæ Paleſtinæ loquitur, vbi ſolent in tectis reſidere. Non enim tecta noſtro more culminibus ſublimata ſed plano ſchemate faciunt æqualia. Vnde lex præcepit, vt qui nouam domum ædificaret, murum tecti poneret in gyro, ne funderetur ibi ſanguis innoxius, labente aliquo, & in præceps ruente. Et in templi conſtructione legimus; texit quoque domum laquearibus cedrinis, & ędificauit tabulatum ſuper omnem domum, quinque cubitis altitudinis. Ergo prædicabitur in tectis, id eſt cunctis audientibus palàm dicetur. (Deut. 22. — 3. Reg. 6.)

Euth. Euthym. Luc. 12: Factus quidem eſt ad diſcipulos ſermo, verum & hic potius de illis dictus eſt, quod quæcunque apud ſeſe cogitarent, vel etiam inter ſe mutuò clàm communicarent: omnia tunc à Deo publicabuntur, qui cuncta cognouit. Lumen enim & tecta, publicationem nominauit. Quoniam, id eſt, propterea, quia nihil occultum erit.

Verſ. 5.

Bed. Beda Luc. 12: Si perſecutores Sanctorum, &c. vt lect. 8. & 9. die 26. Iun.

Theoph. Theoph. Luc. 12: Poſtquam Dominus hypocriſim Phariſæorum accuſauit, & diſcipulos ſuos ab illa deterruit, & interim Phariſæos iterum perſtrinxit per hoc, quod dixit; Quod dixiſtis in tenebris, audietur in lumine: nunc ad amicos ſuos perfectiora loquitur. Vbi enim ſpinas execuit, iam & bonum ſemen ſeminat. Dico autem vobis amicis meis. Ea enim, quæ prius dixerat, non ad ipſos, ſed ad Phariſæos dicta fuerant. Vobis igitur dico amicis meis. Non enim omnibus ſermo ille congruit; ſed his, qui ex toto corde diligunt, & dicere poſſunt: Quis nos ſeparabit à dilectione Chriſti? Talibus enim admonitio illa conuenit. (Rom. 8.)

Euth. Euthym. Luc. 12: O immenſitatem humilitatis, ac dilectionis! Amicos vocat ſeruos, ſciens quod ſe ament ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente.

Not. 3. verſ. 5. 6.

Bern. Amor amore, timorque timore pellitur. Bern. ſerm. 13. in Pſalm. 90: Sic nimirum ſolet amorem amor expungere; ſolet timor timore depelli: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, ait Dominus; animæ autem non habent quid faciant. Et confeſtim; oſtendam autem, ait; vobis quem timeatis. Timete autem eum, qui poteſtatem habet corpus, & animam mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete; Ac ſi manifeſtius dicat, hunc timete, ne illos timeatis. Repleat vos ſpiritus timoris Domini, & timor alienus locum non habebit in vobis. Et ego vobis dico: Non autem ego, ſed veritas: non ego, ſed Dominus: Nolite iraſci eis, qui tranſitoria vobis auferunt, qui conuitia inferunt, qui ingerunt forte ſupplicia, & poſt hoc faciunt nihil. Oſtendam autem vobis cui debeatis iraſci. Iraſcimini ei, quæ ſola vobis nocere poteſt, ſola facere, vt omnia illa non proſint. Vultis ſcire quænam illa ſit? Iniquitas propria. Ita dico vobis, huic iraſcimini: Nulla enim nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. Qui perfectè huic iraſcitur, cæteris nō mouetur, magis & amplectitur ea. Ego (inquit) in flagella paratus ſum. (Cui debeamus iraſci. — Pſal. 35.)

Aug. Aug. de gratia, & libero arbitrio cap. 18: Et ad Timotheum dicit; non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & charitatis, & continentiæ. In quo ſane Apoſtoli teſtimonio cauere debemus, ne nos arbitremur nō accepiſſe ſpiritum timoris Dei; quod ſine dubio magnum eſt Dei donum: de quo dicit Propheta Eſaias, requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientię & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & ſpiritus timoris Domini: nō quo timore Petrus Chriſtū negauit: ſed illius timoris ſpiritū accepimus, de quo dicit ipſe Dominus Chriſtus, eū timete qui habet poteſtatem & animam & corpus perdere in gehennam: Ita dico vobis hunc timete. Hoc autem dixit, ne illo timore negaremus eum, quo turbatus eſt Petrus. Hunc enim auferri voluit à nobis, cum priùs dixit; Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & poſtea non habent quid faciant. Huius timoris non accepimus ſpiritum; ſed Virtutis, & Charitatis, & Continentiæ. (2. Tim. 1. — Quis timor Dei donū ſit. — Eſaiæ 11. — Petrus quo timore ſit turbatus.)

Not. 4. ver. 7. 8.

Bed. Beda Luc. 12: Si minutiſſima, &c. vt lect. 9. die 26. Iun. poſt quæ ſubdit: Diſpondius, quo quinque paſſeres veneunt, id eſt, venduntur, genus eſt ponderis leuiſſimi, ex duobus aſſibus compoſiti. Quærit fortaſſe aliquis, quomodo dicat Apoſtolus: Nūquid de bobus cura eſt Deo? Cum vtique bos paſſere pretioſior exiſtat. Sed aliud cura, aliud vero eſt ſcientia. Denique numerus capillorum, de quo cōſequenter ait: Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Non in actu computationis, ſed in facultate cognitionis accipitur. Non enim ſollicitam Deus curæ numerantis intendit excubiā, ſed cui cognita ſunt omnia, quaſi numerata ſunt omnia. Bene tamen numerata dicuntur; quia quæ volumus ſeruare, numeramus. Vbi immenſam Dei erga homines oſtendit prouidentiam, & ineffabilem ſignat affectum, quod nil noſtrū Deum lateat, & parua etiam, otioſaque dicta eius ſcientiam nō fugiant. Derident intelligentiam Eccleſiaſticam in hoc loco, qui carnis reſurrectionem negant, quaſi nos ipſam terrenam materiem, quæ diſcedente anima fit cadauer, ita reſurrectione reparandā dicamus, vt ea quæ dilabuntur, & in alias, atque alias aliarum rerū ſpecies, formaſque vertuntur, quamuis ad corpus redeant vnde dilapſa ſunt, ad eaſdem quoque corporis partes, vbi fuerunt, redire neceſſe ſit. Alioquin ſi capillis capitis redit, quod tam crebra tonſura detraxit; ſi vnguibus, quod toties dempſit exſectio, immoderata, & indecens cogitātibus, & ideo reſurrectionem carnis nō credētibus, occurrit informitas. (Diſpōdius quid ſit. — 1. Cor. 9. Deus beſtias ſcit, non curat. — Vt omnes capilli numerati ſint. — Myſteriū reſurrectionis corporũ.)

Sed

Simile de ſtatua refuſa.

Sed quemadmodum ſi ſtatua cuiuſlibet ſolubilis metalli, aut igne liqueſceret, aut contereretur in puluerem, aut cōfunderetur in maſſam, & eam vellet artifex rurſus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil intereſſet ad eius integritatem, quę particula materiæ, cui mēbro ſtatuæ redderetur; dum tamen totum, ex quo conſtituta fuerat, reſumeret: Ita Deus mirabiliter, atque ineffabiliter artifex, de toto, quo caro noſtra conſtiterat, eam mirabili, & ineffabili celeritate reſtituet, nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, vtrū capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues, an quidquid eorum perierat mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur, curante artificis prouidentia, ne quid indecens fiat. Non, plures eſtis, legendum, quod ad comparationem numeri pertinet, ſed pluris eſtis, hoc eſt, maioris apud Deum meriti, dignitatis, & æſtimationis, quam innumera paſſerum, vel corpora, vel genera, computamini.

Legēdum pluris, non plures.

Euth.

Euth. Luc. 12: Apud Matthæū duos pafuulos aſſe, ſiue aſſario venire dixit: Hic autem quinque paſſeres paruis aſſibus duobus. Et veriſimile eſt tunc aliter venijſſe, nūc vero aliter.

Amb.

Ambroſ. prolo. in lib. 2. de Spiritu ſancto ad Gratianum: In Euangelio Dominus noſter viſibiles capitis & intelligibiles capillos quoſdam eſſe ſignificans, ait: Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt, ſpiritalium videlicet: ſignificans facta virtutum. Neque enim de capillis noſtris cura eſt Deo. Quanquam & illud non abſurdum ſit æſtimare, quia pro maieſtate diuina eum latere nihil poſſit. Sed quid mihi prodeſt, ſi Deus ipſe omnes meos nouit capillos? Illud mihi redundat & proficit, ſi bonorum operum peruigil teſtis remunerationem gloriæ donet æternæ. Denique & ipſe Sampſon non corporales ſed intelligibiles hos capillos eſſe declarans, ait: Si tonſus fuero, diſcedet à me virtus mea. Idem habet Hiero. Amos 8.

Verſ. 9.

Bed.

BEDA. Luc. 12: Reſpicit ad ſuperiora, vbi dictum eſt, operta quælibet, & abſcondita eſſe reuelanda, concludens hanc reuelationem non in vili quolibet conciliabulo; ſed in conſpectu ſupernę ciuitatis, æternique Regis, ac iudicis agendam.

Euth.

Euthym. Luc. 12: Apud Matthęum dixit; coram patre meo, qui eſt in cælis: hic autem; coram Angelis Dei; Eſt autem indifferens. Nam Patri eius, & ipſi, ſanctoque ſpiritui, tempore iudicij, aſſiſtent ſimul & Angeli.

CAP. 112. *Auaritiam, & ſollicitudinem eorum, quæ ad corpus pertinent, fugiendam.*

Mat.	*Mar.*	*Lucæ 12.*	*Ioan.*
		1 AIT autem ei quidam de turba: Magiſter, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.	
		2 At ille dixit illi: Homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos?	
		3 Dixitque ad illos: Videte, & cauete ab omni auaritia.	
		4 Quia non in abundantia cuiuſquam, vita eius eſt, ex his, quæ poſſidet.	
		5 Dixit autem ſimilitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra ſe, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos?	
		6 Et dixit: Hoc faciam; deſtruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea.	
		7 Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.	
		8 Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quę autem paraſti, cuius erunt?	
		9 Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.	
		10 Dixitque ad diſcipulos ſuos: Ideo dico vobis, nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis: neque corpori quid induamini.	
		11 Anima plus eſt quàm eſca: & corpus plus quàm veſtimentum.	
		12 Conſiderate coruos, quia non ſeminant, neque metunt: quibus non eſt cellarium, neque horreum: & Deus paſcit illos.	
		13 Quantò magis vos pluris eſtis illis?	
		14 Quis autem veſtrûm cogitando poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?	

Si ergo

Mat.	Mar.	Luca 12.	Ioan.

15 Si ergo neque quod minimum eſt, poteſtis; quid de cæteri; ſolliciti eſtis?
19 Conſiderate lilia, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent.
17 Dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur, ſicut vnum ex iſtis.
18 Si autem fœnum, quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit; quantò magis vos puſillę fidei?
19 Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in ſublime tolli: hæc enim omnia gentes mundi quærunt.
20 Pater autem veſter ſcit, quoniam his indigetis.
21 Veruntamen, quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.

De Confeſſ. non Pontif.

22 ✠ Nolite timere, puſillus grex: quia complacuit Patri veſtro, dare vobis regnum.
23 Vendite, quæ poſſidetis: & date eleemoſynam.
24 Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.
25 Vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit. ✠

Not. 1.

Summa. Rogatvs ab altero fratrum Chriſtus, vt communem inter eos diuideret hæreditatem, recuſat: & diuitiarum ſolicitudinem abijciendam docens, à terrenorum ſolicitudine abducit; ſimilitudine diuitis horrea ſua laxiora facere, & maximam vim, & copiam rerum in multos annos recondere meditantis: qui cum ita ob fructuum abundantiam de receptaculis ſolicitus eſſet, eadem nocte omnibus relictis hinc emigrare coactus eſt.

Verſ. 1. 2. 3.

Aug. Avg. ſer. 196. de tempo: Qui Deum timetis, non dubito quin verbum eius cum timore audiatis, & cum hilaritate faciatis, vt quod promiſit modo ſperetis, pòſt accipiatis. Dominum modo audiuimus præcipientem nobis, Chriſtum Ieſum filium Dei. Prçcipit nobis veritas, quæ non fallitur, audiamus, timeamus, caueamus. Quid ergo præcipit? Dico inquit, vobis, abſtinete ab omni auaritia. Quid eſt ab omni? Quare addidit, ab omni? Poteſt enim & ſic dicere, cauete ab auaritia. Pertinuit ad eum vt adderet ab omni, diceret, cauete ab omni auaritia. Quare hoc dixerit, velut occaſio ipſa vnde natus eſt ſermo, apparet in ſancto Euangelio. Interpellauit enim eum quidam contra fratrem ſuum qui totum patrimonium abſtulerat, & fratri ſuo partem ſuam non reddebat. Quam bonam ergo cauſam habuerit interpellator iſte, aduertitis. Non enim rapere quærebat aliena, ſed ſua à parentibus ſibi derelicta quærebat, & ipſa Domino interpellato, & iudicante poſcebat. Habebat inimicum fratrem, ſed iuſtum iudicem inuenerat contra inimicum fratrem. Deberet ergo perdere in tam bona cauſa iſtam occaſionem? Aut quis diceret fratri eius; redde partem ſuam fratri tuo, ſi Chriſtus non diceret? Ille iudex hoc dicturus erat, quem forte frater ditior & raptor præmio corrumpebat? Miſer ergo & paternis opibus deſtitutus, tali, ac tanto iudice iumento accedit, interpellat, rogat, cauſam ſuã breuiſſimè exponit. Vt quid enim opus erat cauſam protelare, quando ei loquebatur, qui cor poterat videre? Domine, inquit, dic fratri meo vt diuidat mecũ hæreditatem. Nõ ei dixit Dominus, veniat frater tuus: ſed nec miſit vt adeſſet, aut cum adfuiſſet, interpellatori dixit, proba quod dicebas, Petebat dimidiam hæreditatem. Petebat in terra dimidiam, in cælo Dominus offerebat totam. Plus Dominus dabat quam ille poſtulabat. Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. Cauſa iuſta, cauſa breuis. Sed audiamus & iudicantem & docentem: homo ait. Homo: Qui enim pro magno habes iſtam hæreditatem, quid es niſi homo? Volebat illum facere aliquid plus quam eſt homo. Quid plus illum volebat facere, cui volebat auaritiam tollere? Quid cum plus volebat facere? Dico vobis; ego dixi, dij eſtis, & Pſal. 81.
filij excelſi omnes: Ecce quid cũ volebat facere. Inter deos numerare, qui auaritiam non habent. Homo, quis me cõſtituit diuiſorẽ inter vos? Et Paulus Apoſtolus ſeruus ipſius quãdo 1.Cor. 1.
dicebat; obſecro vos fratres vt idipſum dicatis omnes, & non ſunt in vobis ſchiſmata: nolebat eſſe diuiſor. Denique doluit eos, qui ad ipſius nomẽ currebãt, & Chriſtũ diuidebãt. Vnuſquiſque veſtrum dicit: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Chriſti. Diuiſus eſt Chriſtus? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Videte ergo quam

mali

mali ſunt homines qui volunt eſſe diuiſi. Qui noluit eſſe diuiſor; quis me, inquit, conſtituit diuiſorem inter vos? Petis beneficium, audi conſilium. Ego dico vobis, cauete ab omni cupiditate. Forte, inquit, tu auarum, & cupidum diceres, ſi quæreret aliena. Ego autem dico; cupidè & auarè non appetas nec tua: hoc eſt ab omni. Cauete, inquit, ab omni auaritia. Magnum pondus. Si forte hoc pondus infirmis imponitur, rogetur vt qui imponit, vires dare dignetur. Non enim leuiter habendum eſt fratres mei, quando Dominus noſter, Redemptor noſter, Saluator noſter, qui mortuus eſt pro nobis, qui ſanguinem ſuum precium dedit vt redimeret nos, aduocatus, & iudex noſter, non eſt leue quando dicit, cauete. Nouit ille quantum mali ſit, nos non nouimus. Illi credamus. Cauete inquit. Quid? Vnde? Ab omni auaritia. Meum ſeruo, non alienum tollo. Cauete ab omni auaritia. Non ſolum auarus eſt qui rapit aliena, ſed ille auarus eſt, qui cupidè ſeruat ſua. Sed ſi ſic culpatur qui cupidè conſeruat ſua, quomodo iudicaturus eſt te, cum non ſolum ſeruas tua, ſed etiam quæris aliena? Da mihi hominem, qui cum timore audiuit, cauete ab omni cupiditate: & non mihi dicat; ego homo pauper ſum, plebeius, mediocris, gregalis: quando me ſpero ante iudicem futurum, non timeo iſtam tentationem, cuius periculum ante oculos poſuiſti. Ecce dico & pauperi, quod timere debeat: vocat te diues, & potens, vt pro illo dicas falſum teſtimonium: quid facturus es? Modo dic mihi, habes bonum peculium, laboraſti, acquiſiſti, ſeruaſti. Exigit ille; dic pro me falſum teſtimonium, & tantum, & tantum dono tibi. Tu qui non quæris aliena, dic, abſit à me, non quæro, quod mihi noluit Deus dare, non accipio, recede à me. Non inquit, vis accipere quod do? Quod habes tollo. Ecce modo te proba, modo te interroga. Quid me attendis? Intus attende, intus vide, intus examina, & conſtitue te ante te, & in equuleo præcepti Dei extende te, & timore torque te, & noli te palpare. Reſponde tibi, ecce ſi hoc quiſquam minetur, quid facies? Credo tibi, quia quod cum tanto labore acquiſiſti, minimè perdere vis. Minatur tibi niſi pro me falſum teſtimonium dixeris, tollo illud: Sed ſi pro me falſum teſtimonium dixeris, do illud. Cauete ab omni auaritia. O ſerue meus, dicit tibi Deus; quem redemi, & liberum feci, quem de ſeruo fratrem adoptaui, quem in corpore membrum poſui: Audi me, tollat quod acquiſiſti, me tibi non tollit. Ne pereas, ſeruas tua. Non tibi dixi. Cauete ab omni cupiditate? Ecce turbaris, ecce fluctuas. Cor tuum quaſi nauis tempeſtatibus quatitur. Dormit Chriſtus: excita dormientem, & non patieris tempeſtatem ſæuientem. Ipſum excita qui nihil hic habere voluit, & totum habens, qui vſque ad crucem pro te peruenit, cuius nudi atque pendentis oſſa ab inſultantibus numerata ſunt, & caue ab omni auaritia: parum eſt auaritia pecuniæ, caue ab auaritia vitæ. Horrenda auaritia, metuenda auaritia. Aliquando homo contemnit quod habet: & dicit, non dico falſum teſtimonium. Non dico, dicis mihi. Tollo quod habes? Tolle quod habeo, non tollis quod intus habeo. Non enim pauper remanſerat qui dicebat, Dominus dedit, Dominus abſtulit. Sicut Domino placuit ita factum eſt: Ergo ſit nomen Domini benedictum: Nudus exij de vtero matris meæ, nudus reuertar in terram. Nudus foris, intus veſtitus. Nudus foris à pannis, & putribilibus pannis, intus veſtitus. Vnde? Sacerdotes tui induantur iuſtitia. Sed quid ſi dicat, cum contempſeris ea quę poſſides, quid ſi dicat, occido te? Reſponde illi ſi Chriſtum audiſti. Occidis me? Melius tu carnem meam, quam ego per linguam falſam, animam meam. Quid facturus es mihi? Occiſurus es carnem? Exuet anima libera, in fine ſæculi, & ipſam, quam contempſit carnem receptura. Quid ergo mihi facturus es? Si autem falſum teſtimonium dixero pro te, lingua mea occido me, & non in carne occido me. Os enim quod mentitur occidit animam. Forte hoc non dicis. Vnde non dicis? Viuere vis, vis viuere, cum Deus hic limitem viuendi conſtituit? Certe caue ab omni auaritia. Huc vſque Deus voluit vt viuas, quouſque iſte ad te acceſſerit. Forte occiſurus eſt te, vt Martyrem faciat. Noli habere cupiditatem viuendi, & non habes æternitatem moriendi. Videtis quia vbique auaritia illa, cum plus volumus quam opus eſt, facit nos peccare. Caueamus ab omni auaritia, ſi volumus frui æterna ſapientia. Similia habet hom. 48.

Iob 1.

Pſal. 131.

Sap. 1.

Aug.

Not. 2. ver. 2.

Tit.

TIT. Boſtren. Luc. 12: Cur Dominus, dicente quodam: Magiſter dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, excepit, dicens: Homo quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos? Quia prætermiſſis vtilibus, & ad animæ ſalutem facientibus, quæ cũ vel imprimis inquirere oportebat, de terrenis momentaneiſque anxius, Chriſtum iſtiuſce modi rerum ſequeſtrum depoſcebat. Ob hoc ergo tanquam importunum, neque quicquam, vt ea, quæ ſcire debebat, diſceret, ſollicitum, placido vultu illum à ſe dimiſit.

Euth.

Euthym. Luc. 12: Manſuetè illum, tanquam de minimis verba facientem, reiecit: quum enim auarus eſſet, ac pecuniæ deſiderio flagraret: quod animæ neceſſarium erat, eiuſque ſaluti vtile, petere omiſit: corporale autem requiſiuit, maiorem habẽs curam corporis, quam animæ. Reprehendit ergo petitionem illius Chriſtus, reſpondens, quod non pecuniarum, aut poſſeſſionum diuiſor, ſed regni cæleſtis tanquam hæreditatis dator, aduenisset.

Bed.
Cur homo vocetur.

Beda Luc. 12: Merito refutatur hic frater, qui magiſtro ſupernæ pacis vnitatiſque gaudia commendanti, terrenæ diuiſionis vult ingerere moleſtiam, merito hominis vocabulo notatur.

1 Cor. 3 notatur. Cum enim ſit inter vos, inquit, zelus, & contentio, nonne carnales eſtis? nonne homines eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Negatque ſe Dominus hominum eſſe diuiſorem, ad quos & ſecum, & cum Angelis pacificandos venerat. Non enim eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis. Et multitudinis credentium erat cor & anima vna, nec quiſquā eorum quæ poſſidebant aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Solus autem fraternitatis diuiſor, & auctor diſſenſionis eſt ille, de quo ſupra dicitur: Et qui non colligit mecum, diſpergit. Et de membris illius: Omne regnū in ſeipſum diuiſum deſolatur, & domus ſupra domum cadit. Act. 4

Bern. 1 Cor. 6. Bern. lib. 1. de conſideratione: Audi tamen Apoſtolum quid de huiuſmodi ſentiat. Sic non eſt inter vos ſapiens, ait ille, qui iudicet inter fratrem & fratrem. Et infert: Ad ignominiam vobis dico, contemptibiliores qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum. Itaque ſecundum Apoſtolum, indignè tibi vſurpas tu Apoſtolicus officium vile, gradum contemptibilium. Vnde & dicebat Epiſcopus, Epiſcopum inſtruens: Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus. Ego autē parco tibi. Non enim fortia loquor, ſed poſſibilia. Putaſne hæc tempora ſuſtinerent, ſi hominibus litigantibus pro terrena hæreditate, & flagitantibus abs te iudicium, voce Domini tui reſpōderes: O, homines, quis me conſtituit iudicem ſuper vos? In quale tui iudicium mox venires? Quid dicit homo ruſticanus, & imperitus, ignorās primatum ſuum, inhonorans ſummam, & præ excelſam ſedem, derogans Apoſtolicæ dignitati? Et tamen non monſtrabunt puto, qui hoc dicent, vbi aliquando quiſpiam Apoſtolorum iudex ſederit hominum, aut diuiſor terminorum; aut diſtributor terrarum. Stetiſſe denique legi Apoſtolos iudicandos, ſediſſe iudicantes non lego. Erit illud, non fuit. Itane imminutor eſt dignitatis ſeruus, ſi non vult eſſe maior Domino ſuo: aut diſcipulus, ſi non vult eſſe maior eo, qui ſe miſit: aut filius, ſi non tranſgreditur terminos, quos poſuerunt patres ſui? Quis me conſtituit iudicem, ait ille Dominus, & Magiſter: & erit iniuria ſeruo, diſcipuloque, niſi iudicet vniuerſos? Mihi tamen non videtur bonus æſtimator rerum, qui indignum putat Apoſtolis, ſeu Apoſtolicis viris non iudicare de talibus, quibus datum eſt iudicium in maiora. Quidni contemnant iudicare de terrenis poſſeſſiunculis hominum, qui in cæleſtibus, & Angelos iudicabunt: Ergo in criminibus, nō in poſſeſſionibus poteſtas veſtra: quoniam propter illa, & non propter has, accepiſtis claues regni cælorum, præuaricatores vtique incluſuri, non poſſeſſores. Vt ſciatis, ait, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, &c. Quænam tibi maior videtur, & dignitas, & poteſtas, dimittendi peccata, an prædia diuidendi? Sed non eſt comparatio. Habent hæc infima, & terrena iudices ſuos, Reges, & Principes terræ. Quid fines alios inuaditis? Quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis? non quia indigni vos; ſed quia indignū vobis talibus inſiſtere, quippe potioribus occupatis. Denique vbi neceſſitas exigit, audi quid cenſeat, non ego, ſed Apoſtolus: Si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? Sed aliud eſt incidenter excurrere in iſta, cauſa quidem vrgente: aliud vltro incumbere iſtis tanquam magnis digniſque tali, & talium intentione rebus. Itaque hæc & innumera talia dicerem, ſi fortia dicerem, ſi recta, ſi ſincera. Nunc autem quoniam dies mali ſunt, ſufficit interim admonitum eſſe, non totum te, nec ſemper dare actioni, ſed conſiderationi aliquid tui & cordis, & temporis ſequeſtrare. Hoc autem dico neceſſitatem intuens, non æquitatem: quanquam non ſit præter æquum neceſſitati cedere. 1 Tim. 2. Act. 5. Matth. 9 1 Cor. 6. Epheſ. 5.

Eccleſiaſticas, & Eccleſiaſticorum cauſas ad Eccleſiaſtica Epiſcoporum tribunalia eſſe referendas habes in Concilio 2. Carthaginenſi cap. 7. Immo ſecularia quoque negotia, ad Epiſcoporum cognitionem fuiſſe quondam à fidelibus relata conſtat ex Aug. epiſt. 147. & concione 24. in Pſal. 118. Aug. Conc. Carth. Aug.

Not. 3. ver. 3.

Tit. Tit. Luc. 12: Cum autem hominem, propter repulſam, puſillanimem effectum animaduertiſſet, innata grauitate vſus, cum illi ipſi, tum cæteris omnibus quoque, qui vel tunc audiebant, vel in poſterum audituri erant, ſuaſit, ne fluxis iſtiſcaducisque rebus nimium ſeſe dederent; neque propter eiuſmodi res concertationem aliquam cum fratribus inirent, etiamſi qui plus iuſto obtinere aliquando contenderent. Verum dicti illius: Volenti tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, memores, iniuriæ vltro cæderent, eaque, quæ ad animæ ſalutem vtilia, vel neceſſaria haberentur, ſtudioſè inueſtigarent; ſubdit porro: Videte, & cauete ab omni auaritia. Per hæc inſatiabilem illam habendi ſitim; non ſecus atque quoddam diabolicum planeque inexhauſtum barathrum deuitandum admonet. Quin ſapiens Paulus quoque non alio, quam idololatriæ nomine auaritiam deſignat: quaſi eos tantum hoc morbo laborare conueniat, qui Deum non norunt. Vel ideo certe hac nota auaritiam explicat, quod æque fere profanum, & execrabile ſit, ſeruire pecunijs, atque lignis, vel lapidibus. Epheſ. 5. Cur auaritia dicatur idololatria

Bed. Bed. Luc. 12: Hic ex occaſione huius ſtulti petitoris, aduerſus auaritiæ peſtem, qua plerique mortalium ſatis ſuperque laborant, & turbas, & diſcipulos præceptis pariter, & exemplis munire ſatagit. Et notandum quod non ait, cauete ab auaritia, ſed adiunxit, ab omni: quia nonnulla ſimpliciter hominibus geri videntur, ſed internus arbiter, qua intentione fiant, quia cernit, iudicat. Quis enim cum fratre hæreditatem diuidi, adultos in agro proprio fructus in horrea recondi, pro crimine deputaret? Sed ipſe eſt teſtis, & iudex. Cur ait, ab omni.

Ver. 4.

Tit. Tit. Luc. 12: Quomodo hominis vita in eo, quod ex ſubſtantia, quam poſſidet, ipſi redundat, non eſt poſita? quia vitæ menſura non extenditur cum opibus: ita nimirum, vt vita tamdiu perſtet, quamdiu opes durant. Quemadmodum Dominus noſter Ieſus Chriſtus, per ſimilitudinem admodum appoſitam, quam hoc loco ſubiungit, clarè, euidenterque demonſtrat.

Euth. Euth. Luc. 12: Non quia homo quiſpiam diuitijs abundat, vita eius abundat ex tali abundantia eius. Admonet itaque ab auaritia fugiendum, quia non ſecundum hanc accedit vitæ menſura.

Not. 4. verſ. 5.

Eut. EVTH. Luc. 12: Parabolam profert, oſtendentem quod auaritia ſolicitudinem quidem adfert ac mœrorem: vitam vero addere non poteſt. Itaque auarum eſſe non ſolum inutile eſt, verum etiam nociuum.

Bed. Bed. Luc. 12: Non in eo reprehenditur iſte diues, quod terram coluerit, natoſue ex ea fructus in horrea collegerit; ſed quod omnem vitæ ſuæ fiduciam in ipſa abundantia rerum poſuerit, fructuſque quos vberiores ſolito terra protulit, ſuos fructus, & ſua bona computans, non pauperibus erogare, iuxta imperium Domini dicentis: Quod ſupereſt date eleemoſynam, ſed factis receptaculis maioribus, ſuæ in futurum luxuriæ reſeruare ſtuduerit.

Iren. Lucas ſolus hoc habet. Iren. lib. 3. cap. 14. Hanc parabolam inter ea ponit, quæ per Lucam ſolum cognouimus.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. in Pſal. 142: In me turbatum eſt cor meum. Alius: Et circumagebatur in me anima mea. Oſtendit rurſus ſummam afflictionem per animi perturbationem. Quid eſt autem, in me? Ne alijs quidem poteram enunciare, & conſolationem ab eis accipere. Tales ſunt animi improborum. Nunquam non conturbatur, non ſolum dum ſunt præſentia, ſed etiam dum expectantur mala. Nunquam eſt eis vlla tranquillitas, nulla animi ſecuritas, ſed perturbantur magis, quam vllum pelagus: non nox, non dies eis concedit vt ſedetur tempeſtas; ſed vndequaque vexantur, & ſi nullus ſit, qui eis moleſtiã exhibeat, bellum inteſtinum, & quod ſecum cohabitat, habentes: nec ijs quæ iam acceperunt, fruuntur: eorum, quæ nondum aduenerunt, ſolicitudine lacerati, laniati: de omnium negotijs ſoliciti, de bonis omnium curioſè ſcrutantes: animo agitantes quomodo hunc quidem perſuadebunt, illum vero terrebunt, alium blandis verbis allicient, alium vero cogent, alium autem obſeruabunt: calumnias, emptiones, venditiones teſtamenta, fideiuſſiones, vſuras, ſortes, & horum malorum quiſquilias & fæces apud ſe verſantes: & quando eis omnia affluunt, tunc maxime perturbantur. Vide diuitem illum, qui tunc maxime turbatur, quando eius ager fuit fertiliſſimus, dubitatque & eſt animi perplexus, & dicit, quid faciam? diruam horrea mea, & ædificabo maiora. Pauperi autem nihil tale accidit.

Greg. Gregor. lib. 15. Moral. cap. 11: Cum ſatiatus fuerit, arctabitur. Prius quippe anhelat per auaritiam concupita congregare, & cum quaſi in quodam ventre auaritiæ multa congeſſerit, ſatiatus arctatur: quia dum anxiatur qualiter acquiſita cuſtodiat, ipſa eum ſua ſatietas anguſtat. Diuitis enim cuiuſdam vberes fructus ager attulerat, ſed quia vbi eos tantos reponeret non habebat, dixit: Quid faciam? quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: Hæc faciam; deſtruam horrea mea, & maiora ædificabo. Qui ergo ex abundantia coanguſtatus dicebat: Quid faciam? quaſi multo cibo preſſus æſtuabat. Penſemus quot votis appetijt, vt vberes fructus ager illius afferret. Ecce autem vota completa ſunt, quia fructus vberes ager attulerat. Sed quia ad recondendum loca non ſufficiunt, multiplicatus diues quid faciat ignorat. O anguſtia ex ſatietate nata! De vbertate agri, anguſtatur animus auari. Dicens namque quid faciam, profecto indicat, quia votorum ſuorum affectibus preſſus, ſub quodam rerum faſce laborabat. Bene ergo dicitur: Cum ſatiatus fuerit, arctabitur, quia mens auari quæ prius ex abundantia requiem quæſierat, poſt ad cuſtodiam grauius laborabat.

Iſidor. Iſidor. Hiſpal. lib. 5. Allegor: Diues, cuius vberes fructus ager attulit, ſignificat hominem luxurijs deditum, & abundantem peccatis, quem immoderatè plus amplius peccare deſiderantem, arguit Dominus dicens: Stulte, hac nocte auferunt animam tuam abs te, quæ paraſti, cuius erunt?

Baſ. Tentatio duplex. Baſil. hom. 6: Duplex eſt tentationum genus. Nam vel corda hominum, tanquam aurum in fornace, per patientiam afflictis rebus aduerſiſque probantur, quæ ipſorum coarguant ac declarent probitatem: Aut certè ipſa vitæ proſperitas ſæpenumero multis tentationis & experimenti loco eſt. Æque enim durum videtur, in rerum difficultate minime deijci, & infractum ſeruare animum, ac in fælicitate non extolli ad irrogandam contumeliam. Et quidem prioris exemplum magnus Iob inuictus athleta, præ ſe tulit: qui omnem diaboli violentiam, veluti torrentis impetum inconcuſſo corde, firmoque propoſito quum excepiſſet tanto maior tentationibus apparuit, quanto duriora illi vixque eluctabilia ab hoſte viſa ſunt obiecta illi certamina. Earum vero tentationum exempla quæ ex lætiore rerum ſucceſſu contingunt, tum alia multa ſunt, tum huius nobis nunc lecti diuitis: qui opes quidem ingentes habuit, in ijſque maxime ſpem collocauerat, Dei benignitate ipſum abuſque initio tolerante, nec ob ingratitudinem morum condemnante, ſed continuo prioribus diuitijs alias addente, ſi quo modo per copiæ ſatietatem animum eius ad liberalitatem ac mores manſuetiores aliquando prouocaret. Hominis, inquit, diuitis vberes fructus ager attulit,

tulit, & cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam? Deſtruam horrea mea, & maiora ædificabo. Cur igitur abundauit ager hominis, nihil boni ex copia facturi? vt maior Dei longanimitas appareret? Quando vſque ad tales quoque eius bonitas extenderetur: qui pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos; & Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Talis vero bonitas Dei maius colligit ſupplicium his qui peruerſè agunt. Huius itaque diuitis terræ per manus auaras cultæ, Deus imbres tribuit; ac Solem, qui ſemina ad maturitatem ſui caloris fotu proueheret, & multiplicaret fruges per fertilitatem. Et talia ſunt, quæ Deus largitur, terræ videlicet confert aptitudinem, aeris temperiem, ſeminum copiam, auxiliarem boum operam, & ſi qua ſunt alia, quibus agricultura fœlicius promouetur. Hominis huius vero qualia ſunt? Mores amarulenti, in omne hominum genus odium, nulla in proximum liberalis collatio. Hæc miſer benefactori rependit. Non communis meminit naturæ, nec quæ ſupererant, putauit egentibus diſtribui oportere. Nec vllam inibat rationem illius præcepti, ne deſieris benefacere inopi. Itemque eleemoſynæ ac fides ne te deſerant. Item: Frange eſurienti panem tuum. Denique Prophetæ, omneſque Doctores clamantes non ſunt auditi. Sed horrea multitudine fructuum grauata dirumpebantur: cor autem eius parcum ac tenax minime exaturatum eſt. Semper enim antiquis noua ſuper addens, & annus prouentibus copiam augens, in hanc inextricabilem incidit mentis inopiam ac perplexitatem, cum nec vetera quidem propter auaritiam ſineret in vſus inopum cedere: nec item recentibus propter copiam locus eſſet: Idcirco vana & inefficacia eius conſilia, curæque perplexæ fuerunt. Quid faciam, inquit? Quis non miſereatur ſic miſere curis obſeſſi? Ipſa fertilitate miſer erat ac timidulus.. Miſerabilis præſentibus & paratis bonis, miſerabilior ob ea quæ adhuc expectabat. Non enim prouentus annui fruitionem ei terra ferebat, ſed fletus & ſuſpiria: non fructuum copiam, ſed curas & dolores, & graues anxietates ſibi colligebat. Peræque enim ac egeſtate preſſi, miſer affligitur, & eiulat. An non talis modi edit vocem, cuiuſmodi ſolet qui anguſtia preſſus mendicat? Quid faciam? alimenta vnde? vnde indumenta? hæc ſecum ſubmurmurat ac loquitur diues: cor per hæc mœrore conficit & affligitat, dum eſtur anxia ſollicitudine. Cæteros enim quod aſſolet lætitia perfundere, id macerat ac liquefacit auarum. Ex his enim omnibus, quibus domi pleniſſime affluit, nihil decerpit gaudij: quin ipſæ potius vndique affluentes diuitiæ, & quarum diffuſionem non capiunt promptuaria, punctim eius exſtimulant animum ac lancinant, ne ad externos forte vel tranſcurſim aſpiciens, in egenos cogatur nonnihil conferre ſubſidij. Hæc iſtius animæ miſera affectio mihi plane videtur nihilo diſſimilis voraci gulæ helluonum, qui ingluuie diſrum-pi malunt, quam vt vel tantillum ex reliquijs in inopes conferant. Agnoſce, ô homo, eum qui dedit. Fac memineris tu ipſius, tu quis, quid item diſpenſes, à quo acceperis, qua item gratia tam multis ſis prælatus. Dei optimi miniſter es, tuorum diſpenſator conſeruorum. Ne puta omnia ventri tuo præparari: quæ in manibus habes vt aliena exiſtima: paruo te exhilarabunt tempore, deinde diffluentia præteribunt, quorum ratio abs te acriter exigetur. Tu autem omnia ſimul portis, & repagulis retines intercluſa, iiſque ſignaculis obſignatis, & colligatis aduigilas anxius. Ex teipſo captas conſilium? Plane imprudenti vteris conſiliario. Quid faciam? Parata tibi reſponſio fuerat: Eſurientium animas explebo, aperiam horrea, & omnes vocabo indigos: imitabor Ioſeph præconio exhibitæ hominibus benignitatis celebrem: vocem emittam magnificam: Quicunque panibus egetis, venite ad me ſinguli participes futuri quod ſatis fuerit, gratiæ à Deo mihi collatæ quaſi proſilientis è communibus fontium ſcatebris.. At non tu talis. Vnde enim tu qui rerum commoditatem vſumque inuides hominibus, improboque tecum inito conſilio ſolicitus es, non quo pacto cuique ea quæ neceſſaria ad vitam ſunt, diſpertiaris; ſed quonam modo omnibus ad te rettactis, omnes eorum priues vtilitate. Præſto erant, qui animam illius, è corpore exigerent, & ille cum anima de eſcis loquebatur. Eadem illa nocte auferenda erat illi anima, & ille multorum annorum delitias ſibi ipſi imaginabatur. Permiſſum illi eſt, quiduis conſultandi, animique ſui ſententiam exprimendi vt competentem ſuo propoſito ſententiam acciperet. Caue ne idem tibi quoque vſu veniat; hoc namque ideo ſcriptum eſt, vt ſimile quod vitemus. Imitare, ô homo, vel terram: vt illa, fructus proferto, vt ne illa conſpiciaris eſſe deterior, quæ inanimis eſt. Sane illa non in ſuum vſum aut commodum, ſed in tuum miniſtrare contendit. Diuitiæ ſi affluunt (inquit Pſal.) nolite cor apponere. Tu autem præter neceſſitatem affluentes retines, & exitus obſtruis. Deinde ſic coactæ ac occluſæ, & quaſi ſtagnantes, quid tibi faciunt? Rumpunt repagula violenter retentæ, redundantia deſtruunt horrea, promptuaria ſolo adæquant, ac ſi hoſtis alicunde irruperit. Sed maiora, inquis, ædificabit: incertum, an deſtructa velut per manus ſucceſſori dabit. Nam ipſe velocius migrabit hinc abreptus, quam illa iuxta auaritiæ ipſius cogitationem erigantur. Sed hic quidem diues, finem congruum ac parem conſilijs malis eſt aſſecutus. Vos contra, optem à me vt perſuadeamini, nẽpe vt portis omnibus patefactis promptuariorum diuitijs latiſſime patentem tranſitum exhibeatis quaſi latifundo fluuio frugiferam terram per mille exiguos elices riuoſque, clam ingredienti. Itidem & ipſi per multas vias opibus ad pauperum domos aditum date. Nam & putei continuo exhauſti, & copioſiore & pulchriore admodum fluunt aqua,

dimiſſi vero & quieti, facile putent: ſic & opes conditæ quieſcenteſue inutiles; motæ autem & tranſlatæ publicum commodum & fructum pariunt, quarum gratia, ô quanta tibi laus, ex ijs qui beneficium acceperunt, prouenier? quam tu caue contempſeris. Quanta vero à iuſto iudice merces? cui tu diffidere nolis. Exemplum itaque accuſati diuitis tibi vbique occurrat: qui quidem præſentia cuſtodiens, & de futurorum ſpe anxiè ſollicitus, & incertus, num eſſet victurus craſtino, hodie peccando diem anteuertit craſtinum. Nondum ad hunc inops aduenit ſupplicaturus, & iam antea ſuam declarat feritatem. Nondum collegit fructus, & iam auaritiæ iudicium, & condemnationem accepit. Terra quidem in ferendis ei fructibus officioſa fuit, profundam in aruis ſegetem oſtentabat, racemos in palmitibus plurimos tulit. Is vero illi pariter præbens oleam fructibus prægnantem ac turgidam ex genere nucum omni illi promittens omnimodam alimoniam, quum is interim nulli commodus aut beneuolus eſſet, & ſine fructu. Nondum habebat fructus, & illos iam egenus inuidebat. Quanquam quot ſunt periculis obnoxiæ fruges antequam domum comportentur? Nam & grando ſæpe eliſit atque comminuit, & æſtus ingens è medijs eripuit manibus, & aqua intempeſtiua è nebulis fluens infrugi reddidit & inutiles fructus. Quin tu ad Dominum preces effundis, vt munus hoc tibi impertitum perfectum reddat? Imo tu te anteuertis indignum efficere eorum ſuſceptione, quæ tibi præminiſtrata ſunt. Clam loqueris tecum. At tua verba in cælo examinantur. Quapropter & inde tibi reſpondetur. Quæ autem dicit? Anima, inquit, habes repoſita tibi multa bona: comede, bibe, gaude. O verba ſtultiſſima! O dementiam ſingularem! Nam ſi porcinam habuiſſes animam, quid aliud ipſi enunciare potuiſſes? Itane pecunioſus tu, ita bonorum animæ ignarus, eam vt exceptes carnalibus epulis: & quæcunque alui ſeceſſus recipit, animæ deſtrues. Siquidem illa virtutem habet, ſi plena eſt bonis operibus, ſi Dei gratiam ſibi conciliauit ac familiariter aſciuit, tum ſanè multa bona habet, tum lætari poterit bona lætitia. Iam quando terrena ſapis, & Deum habes ventrem, totus quoque caro effectus, vitioſis affectibus obſequeris, audite dignam appellationem, quam tibi nullus hominum, ſed ipſe Dominus indidit: Stulte, hac nocte animam tuam abs te repetent: quæ autem præparaſti cuius erunt? Superat æternam pœnam irriſio iſta ſtultitiæ. Qui namque paulo poſt abripiendus è vita, & ad ſupplicium abducendus quale iuit tacitus conſilium? Deſtruam horrea, & maiora faciam. Iſti ergo ſane dicerem, bene facis. Nam iniquitatis horrea proculdubio digna ſunt, quæ diruantur. Euerte miſer tuis ipſe manibus quod male ædificaſti. Solue horrea, vnde nullus vnquam ſolamen vllum conſecutus eſt. A fundamentis excidito auaritiæ cuſtodem, dirue tectum, euerte muros, oſtende ſoli frumentum quod cariem ſitumq; contraxit. Educ diutius illigatas haſce diuitias: produc in publicum triumphum tenebris obſita domicilia mammonæ. Deſtruam horrea mea, & maiora faciam. Vbi vero & iſta frumento adimpleueris, quid quæſo amplius cogitabis? an rurſus deſtrues, & rurſus ædificabis? Quid ſtultius quam laboribus nunquam finiendis ſe conficere, ac ſummo cum ſtudio ædificare, nec minore cura eadem demoliri? habes ſi vis, apothecas, ventres pauperum, theſauriza tibi theſauros in cælo. Quæ illic recunduntur, ea neutiquam depaſcuntur tineæ, nulla depopulatur caries, aut erodit, nulli ſuppilant prædones, &c. Eadem habet Amb. ſerm. 81. & lib. de Naboth cap. 6. 7. & 8. Amb.

Not. 5. verſ. 7.

Bed. Beda Luc. 12: Simile quid, in Eccleſiaſtico legitur: Eſt qui locupletatur parcè agendo, & eſt pars mercedis illius in eo quod dicit: Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis ſolus; & neſcit quod tempus prætereat, & relinquat omnia alijs.

Ver. 6.

Greg. Gregor. lib. 25. Moralium cap. 1: Subito morientur, & in media nocte curuabuntur populi, & pertranſibunt. Quamlibet ſero de hac vita tollantur iniqui, ſubito & repente tolluntur: quia finem ſuum cogitando præuidere neſciunt. Subitum eſt homini quod antè cogitare non potuit. Subito diues ille ſtultus raptus eſt, qui horrea quæ præparabat deſeruit, & inferni locum quem non præuidebat inuenit. Ad aliud exercebat animam per cogitationem, ſed ad aliud emiſit per ſententiam. Aliud dum viueret contemplatus eſt, aliud dum moreretur expertus. Reliquit enim diu tractata temporalia, & inopinata inuenit æterna. Vnde ei propter hanc ignorantiam cæcitatis ſuæ, bene per diuinam ſententiam dicitur: Hac nocte repetunt animam tuam à te. In nocte quippe ablata eſt, quæ in obſcuritate eſt cordis amiſſa. In nocte ablata eſt, quæ conſiderationis lucem habere noluit, vt quod poterat pati præuideret. Vnde bene diſcipulis futura cogitantibus, Paulus Apoſtolus dicit: Vos autem, fratres, non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij Dei: non ſumus noctis, neque tenebrarum. Dies enim exitus tanquam fur in nocte ita comprehendit, quando ſtultorum animas futura non præuidentes eijcit. Vnde hic quoque aptè ſubiungitur. Et in media nocte curuabuntur populi, & pertranſibunt. In media enim nocte curuati pertranſeunt, qui obſcuritate ſuæ negligentiæ humilitati rapiuntur. Tunc curuabuntur per ſententiam iudicis, qui nunc curuati negligunt per humilitatem cordis. Electi autem ne inuiti curuentur in morte, ſponte curuantur in humilitate. 1 Theſ. 5.

Orig.

Orige. Orig. homil. 27. in Numeros: Non dixit in hac die, ſed in hac nocte. In nocte enim perimitur & hic, ſicut primogenita Ægyptiorum, (Cur ait, nocte.) tanquam qui dilexerit mundum, & tenebras eius, & particeps fuerit rectorum mundi huius tenebrarum harum. Tenebræ autem & nox mundus iſte appellatur pro ijs qui in ignorantia viuunt, nec lumen recipiunt veritatis.

Iren. Iren. lib. 3. cap. 14. habet ſolum Lucam iſtud ſcribere, & legit: hac nocte expoſtulabunt animam tuam. Cypr. Cypr. vero in orat. Domin. habet: hac nocte expoſtulatur anima tua. Tert. Et Tertul. lib. 4. aduer. Marc. repoſcent.

Aug. Aug. hom. 7: Quis modo mihi audet dicere Chriſtianus, bonum eſſe rapere res alienas; quandoquidem non audet dicere, bonum eſſe tenaciter ſeruare res ſuas? Nunquid enim diues ille cui ſucceſſerat regio, & non inueniebat quo reponeret fructus ſuos, & ſe conſilium inueniſſe gaudebat, deſtruendi veteres apothecas, & conſtruendi nouas ampliores vt impleret eas, & diceret animæ ſuæ, habes multa bona in multum tempus, iocundare, lætare, ſatiare. Nunquid ergo iſte diues aliena quærebat? fructus ſuos colligere diſponebat, vbi poneret cogitabat, nulli violentiam facere, non de cuiuſquam vicini agris, non limite perturbando, non ſpoliando paupere, non circumueniendo ſimplici, ſed tantummodo vbi proprios fructus reconderet, cogitabat. Audite quid audierit, qui tenaciter ſeruabat ſua; & hinc intelligite quid exſpectent qui rapiunt aliena. Cum ergo prudentiſſimum ſe conſilium inueniſſe arbitraretur de apothecis veteribus anguſtioribus deijciendis, & amplioribus nouis ædificandis, & omnibus ſuis fructibus colligendis & recondendis, non alienis concupiſcendis atque rapiendis, ait illi Deus, ſtulte, vbi tibi ſapiens videris, ibi ſtultus es. Stulte, inquit, hac nocte repetitur à te anima tua, hæc quæ paraſti, cuius erunt? Si ſeruaueris, tua non erunt, ſi erogaueris, tua erunt. Quid, inquit, reponis quod relicturus es? Præcedant ergo magis quo ſecuturus es. Ecce increpatus eſt ſtultus male recondens. Si ſtultus eſt, qui recondet ſua, vos inuenite ei nomen, qui rapit aliena. Si ſordidus eſt reconditor ſuarum, vlceroſus eſt raptor alienarum. Sed non qualis ille vlceroſus, qui iacebat ante ianuam diuitis, & canes lingebant eius vulnera. Ille enim vlceroſus erat in corpore, non raptor in corde. Fortaſſis aliquis reſpondeat, & dicat; non valde magna pœna erat illi homini, cui dixit Deus; ſtulte. Non ſic dicit Deus, ſtulte, quo modo dicit homo. Tale in quenquam Dei verbum iudicium eſt. Nunquid enim ſtultis Deus daturus eſt regnum cælorum? Probant hoc illæ quinque virgines ſtultę, quæ extra ianuam leguntur excluſæ: quibus autem non eſt daturus regnum cælorum, quid eis reſtat, niſi pœna gehennarum?

Aug. Vide eundem de hac re hom. 47.

Not. 6. ver. 9.

Tit. TIT. Luc. 12: Vere itaque dictum eſt, hominis vitam in eo, quod ex facultatibus, quas poſſidet, ipſi redundat, poſitam non eſſe, hoc eſt, non ob id quempiam diutius hic viuere, quòd multas habeat opes. Quamobrem, quod ſtatim hic ſubditur, metuentes, nempe illud: Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues, nunquam quod diuites aliquando fieri velimus, in animum inducamus. Profecto ter felix fortunatuſque eſt ille, opeque citra vllam controuerſiam præclara nititur, qui ſecundum Deum diues eſt: ſicut è diuerſo vere miſer, & infelix haberi poteſt, qui in alteram partem abductus eſt. Imo vero omnis eiuſmodi amens & ſtultus eſt; quemadmodum regius quoque pſaltes, minime obſcurè alicubi id profitetur. Veruntamen, ait, fruſtra conturbatur homo; theſaurizat, & ignorat, cui congregabit ea. (Pſal 38)

Eut. Euth. Luc. 12: Sic eſt qui ſibi recondit, nec apud Deum diteſcit. Qui theſauro fidit, & in Deum non habet fiduciam, qui ſibi in futurum temporalia reponit, & ſecundum Deum non diteſcit: diuitiæ vero ſecundum Deum, ſunt acquiſitio virtutum. A verſu 10. vſque ad 21. habentur omnia cap. 51.

Ver. 11.

Aug. Aug. lib. 2. Quæſt. Euang. cap. 24: Quod Dominus dicit diſcipulis, anima pluris eſt quam eſca, & corpus quam veſtimentum, ſic accipiendum vtrique, ſi hoc tibi dedit quod plus eſt; quanto magis dabit quod minus eſt?

Ver 15. 19.

Aug. Minimum. Aug. lib. 2. Quæſt. Euang. cap. 28: Quod Dominus dicit, ſi enim quod minimum eſt, non poteſtis, cum de augenda corporis ſtatura diceret: minimũ enim eſt hoc, ſed Deo corpora operanti. Aug. Et cap. 29: Cum diceret diſcipulis non debere haberi ſollicitudinem de cibis, ait: Et nolite in ſublime extolli: Primo enim hæc ad neceſſitatem implendam homo quærit: cum autem hæc abundauerint, incipit & ſuperbire de talibus. Tale eſt hoc, ac ſi ſe vulneratus quis iactet, quia habeat multa emplaſtra in domo; cum hoc illi bonum eſſet vt vulnera non haberet, & ne vno quidem indigeret emplaſtro.

Not. 7. ver. 21.

Chryſoſt. CHRYSOST. hom. in Pſal. 5: Accedamus ergo, & aperiamus ſcripturas, & ijs, quæ ſcripta ſunt, incumbamus, & videamus quibuſnam de cauſis hæc nobis relicta ſit hæreditas; & quæ ſit natura hæreditatis. (Qua conditione Deus hæreditatem nobis reliquit) Non enim reliquit nobis hæreditatem purè, & abſolutè, ſed ſub quadam conditione. Quænam autem ea eſt? Qui me diligit, inquit, præcepta mea ſeruabit. (Ioan. 1. Matt. 10.) Et rurſus: Qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, & plura alia, quæ in teſtamento ſcripta ſunt. Diſcamus etiam tempus, quo eam ſumus accepturi.

Quando ſimus hæreditatem accepturi.

pturi. Non eſt enim præſens, ſed futura; vel potius & præſens,& futura. Quærite enim regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis, tunc enim perfecta & integra dabitur hæreditas. Quoniam enim præſens vita eſt incerta, & inſtabilis, & ſumus adhuc imperfectiores: quod externi faciunt legiſlatores,vt ijs qui ad plenam,ac perfectam ætatem peruenerint, paterna bona tradant, hoc etiam facit Deus. Poſtquam in virum perfectum, & menſuram ætatis occurrerimus, & ad vitam ab omni interitu alienam tranſierimus,tunc illam nobis tradit hęreditatem.Interea autem teſtatus eſt, & ſcripturas nobis reliquit, & dixit quænam facientes aſſequemur hæreditatem, vt ab ea non excidamus, neque exhæredes efficiamur.

Bern.

Bernard.tract.de diligendo Deo: Sponte daturum ſe pollicetur neceſſaria, ſuperflua reſtringenti, & proximum diligenti. Hoc quippe eſt primum quærere regnum Dei, & aduerſus peccati implorare tyrannidem; pudicitiæ potius, ac ſobrietatis ſubire iugum, quam regnare peccatum in tuo mortali corpore patiaris. Porro autem & hoc iuſtitiæ eſt, cum quo tibi eſt natura communis, naturæ quoque cum eo munus non habere diuiſum. Vt tamen perfecta iuſtitia ſit diligere proximum, Deum in cauſa habere neceſſe eſt. Alioquin proximum purè diligere quomodo poteſt, qui in Deo non diligit? Porro in Deo diligere non poteſt, qui Deum non diligit. Oportet ergo Deum diligi prius, vt in Deo diligi poſſit & proximus.

Quid ſit primum quærere Dei regnū. Quid iuſtitia regni Dei. Proximus vt pure diligatur.

Not. 8. ver. 22.

Theoph. Quis, & cur dicatur puſillus grex.

THEOPH. Luc. 12: Dominus nominat diſcipulos, & doctrinam ſuam ſuſcipientes, puſillum gregem: vti quod parui & pauci ſint in mundo,qui ſponte paupertatem illam obeant, vel quod ſi ad Angelos conferantur, numero incomparabiliter inferiores ſint, quia multo plures ſunt Angeli. Et manifeſtum eſt hoc ex parabola,quam dixit Dominus, quod gaudeat paſtor plus ſuper vna oue inuenta, quæ perierat,quam ſuper nonaginta nouem,quæ non errauerunt. Quo loco monſtratur, quod ſicut vnum ſe habet ad nonaginta nouem, ita humana natura ad Angelicam. Ne timeas igitur, dicit, ô puſille grex, hoc eſt, ne ſis incredulus, gerit enim tui curam, ac prouidentiam Deus, etiamſi tu ſollicitus non ſis. Quare? Quia bonum viſum eſt, & placet Patri, vt det vobis regnum.Qui igitur vobis regnum dat,multo magis terrena concedet. Ne igitur diffidas,quod ſi diuitiarum ſollicitudinem abieceris,non ſis habiturus aliquem,qui tibi prouideat.

Tit.

Tit. Luc. 12: Nolite timere puſillus grex,hoc eſt, noli diffidere, aut ſpem abijcere. Vocat autem Sanctos gregem puſillum; nam qui in voluntaria paupertate, facultatumque, quas obtinebant abdicatione,ætatem tranſigunt,ij parui plerumque in mundo fiunt.Aut ideo certe gregem puſillum appellat, quia totum genus humanum, ne dum ſoli ſancti, cum immenſa illa Angelorum multitudine collatum, perexiguus grex eſt. Eſt enim illorum multitudo incredibilis, hominum numerum infinitis pene partibus excedens. Cum enim in parabola de centum ouibus, maius gaudium in cælo eſſe aſſeritur, ſupra vna oue, quæ errauerat, reperta, quam ſupra nonaginta nouem, quæ non errauerant, vniuerſum hominum cætum, qui in terris verſatur,ita ad innumeras illas cæleſtium ſpirituum cohortes,ſeſe habere indicatur,ſicut ſe habet vnum ad centum. Quia complacuit patri,dare vobis regnum.Quaſi dicat:Eſto,grex veſter adeo puſillus ſit;nihilominus benignitas Dei, quæ omnem rationem ſuperat, illi ipſi quoque cęleſtium ſpirituum, qui tanto interuallo excedunt, ſortem, hoc eſt, cæleſtis regni hæreditatem impartiri dignatur. Cum ille ergo tanta, tamque illuſtria largiatur, quomodo fieri poteſt, vt è rebus ad caducam hanc vitam neceſſarijs, nobis, quantum ſat eſt, proſpicere omittat,maxime vero ſi illud facere non detrectauerimus, quod mox conſequitur, videlicet: Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam?

Euth.

Euth. Luc. 12: Poſtquam à corporali ſollicitudine abduxit, iubet non timere indigentiam corporalis neceſſitatis: Puſillum gregem vocans congregationem fidelium, collatam ad magnitudinem Angelicæ multitudinis. In parabola ſiquidem, Angelos, nonaginta nouem, oues appellauit, fideles vero, vnam; vel etiam ad magnitudinem multitudinis infidelium. Aut propter voluntariam deiectionem huiuſmodi gregis. Deinde cauſam etiam addit,cur timere non oporteat. Quia complacitum eſt Patri veſtro dare vobis regnum. Quod ſi adeo magnam, ac præcellentem fruitionem tribuit, dabit vtique & neceſſaria, vitęque ſufficientia.

Beda.

Beda Luc. 12: Puſillum gregem electorum, vel ob comparationem maioris numeri reproborum; vel potius ob humilitatis deuotionem nominat. Quia videlicet Eccleſiam ſuam quantalibet numeroſitate iam dilatatam, tamen vſque ad finem mundi humilitate vult creſcere, & ad promiſſum regnum humilitate peruenire. Ideoque eius labores blande conſolatus, quam regnum Dei tantum quærere præcipit, eidem regnum à Patre dandum complacita benignitate promittit.

Not. 9. verſ. 23.

Baſ. Vt ſine poſſeſſiones vendendæ.

BASIL. in reg. breuior.interrog. 92: Cum Dominus iubeat vendi quæ poſſideantur, qua mente hoc fieri conuenit? nunquid tanquam ea, quæ poſſideamus, lædant ſuapte natura? an ob diſtractionem, quæ ex illis ad animum peruenire ſolita ſit? Ad hoc primo illud dici poteſt, quod eorum vnumquodque, quæ poſſidentur, ſi ipſum per ſe,ac ſua vi eſſet malum,neque à Deo etiam prorſus fuiſſet creatum: Omnis enim,inquit,creatura Dei,bona,& nihil reijciendum. Tum illud etiam, quod mandatum Domini non docuit abijcienda eſſe tanquam mala,

Per ſe non ſunt malæ poſſeſſiones.

fugien-

fugiendaue ea, quæ poſſidemus; ſed diſtribuenda. Et damnatur aliquis, non quod habuerit omnino; ſed quod peruerſe de ipſis ſenſerit, vel quod non recte vſus fuerit. Si quidem recta ſanaque de illis animi affectio, & ex mandato diſtributio, ad res multas nobis, eaſque maxime neceſſarias, prodeſt: videlicet modo ad emendationem peccatorum noſtrorum: Quapropter ſcriptum eſt, veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis, modo autem ad hæreditatem regni cæleſtis, & acquiſitionem theſauri non deficientis: ſicut dictum eſt alio in loco; Nolite timere puſillus grex, quia placuit patri veſtro cæleſti dare vobis regnum. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis. Et interrog. 93: Qui ſemel omnium rerum poſſeſſione ſe ſpoliauerit, profeſſuſque fuerit nihil ſe quod iuris ipſius proprium ſit, habere, qua mente hic vti debet de rebus ad viuendum neceſſarijs, veluti veſtitu, victuque? Ea nimirum, vt meminerit, ſecundum quod ſcriptum eſt: Deum eſſe, qui dat eſcam omni carni. Veruntamen ei maiorem in modum adhibita animaduerſione curandum eſt, vt tanquam Dei operarius dignus ſit cibo ſuo: qui quidem cibus ipſe etiam non ſit poſitus in ipſius poteſtate, ſed ab eo, cui de communi omnium conſenſu eius ſubminiſtrandi datum negotium ſit. Subminiſtretur, ratione habita temporis, modique, ſicut ſcriptum eſt: Diuidebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.

Bonorum diſtributio ad quæ ſit vtilis.

Cap. 110.

Vt profeſſi rebus ad vitam neceſſariis vti poſſint

Act. 4.

Cap. 113. *Vt ſit Dominus fideli ſeruo expectandus.*

Matt. *Mar.* *Luc. 12.* *Ioan.*

De Confeſſ. non Pontif.

1 ✠ Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.
2 Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs: vt cùm venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiant ei.
3 Beati ſerui illi, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes.
4 Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.
5 Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit: beati ſunt ſerui illi.
6 Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam.
7 Et vos eſtote parati: quia qua hora non putatis filius hominis veniet. ✠
8 Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?
9 Dixit autem Dominus: Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam, vt det illis in tempore, tritici menſuram?
10 Beatus ille ſeruus, quem, cùm venerit Dominus, inuenerit ita facientem.
11 Verè dico vobis, quoniam ſupra omnia, quæ poſſidet, conſtituet illum.
12 Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo: Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere ſeruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari.
13 Veniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora, qua neſcit: & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.
14 Ille autem ſeruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundum voluntatem eius: vapulabit multis.
15 Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis: vapulabit paucis.
16 Omni autem, cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.
17 Ignem veni mittere in terram: & quid volo, niſi vt accendatur?

Mar.	*Matt.*	*Luc. 12.*	*Ioan.*
		18 Baptiſmo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur?	
		19 Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis; ſed ſeparationem.	
		20 Erunt enim ex hoc, quinque in domo vna diuiſi; tres in duos; & duo in tres diuidentur.	
		21 Pater in filium, & filius in patrem ſuum: mater in filiam, & filia in matrem: ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam.	
		22 Dicebat autem & ad turbas: Cùm videritis nubem Orientem ab occaſu, ſtatim dicitis: Nimbus venit, & ita fit: & cùm Auſtrum flantem, dicitis: Quia æſtus erit: & fit.	
		23 Hypocritæ, faciem cœli, & terræ noſtis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?	
		24 Quid autem & à vobis ipſis non iudicatis, quod iuſtum eſt?	
		25 Cùm autem vadis cum aduerſario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo: ne fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.	
		26 Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouiſſimum minutum reddas.]	

Not. 1.

Summa. Fidelis ſeruus. Cur omnes ad nouiſſimum diem parati ſemper eſſe debeāt

FIDELIS ſerui officium erga venturum Dominum ſubijcit, docens ob ſui aduentus incertitudinem, ſemper eſſe debere ſuos ad ipſum excipiendum paratos.

Ver. 1.

Fulg. Hic locus vt ſit intelligēdus.

Fulg. ſer. 1: Si iſtum Domini ſermonem ſecundum literam velimus accipere, nihil in eo commodi ſpiritalis poſſumus inuenire. Quid enim proficit ad animæ ſalutem, ſi aliquis corporaliter aut lumbos præcingat, aut lucernam accendat? alia ergo in præcinctis lumbis, & lucernis ardentibus quærenda eſt intelligentia ſpiritalis: quæ ſcilicet diuino ſit præcepto condigna, quæ noſtræ ſaluti congrua reperiatur, & commoda. Neque enim fruſtra quodam loco ipſe Dominus ait: Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt. In lumbis itaque concupiſcentia carnalis oſtenditur: in lucernis vero fides, & charitas chriſtiana monſtratur. Iubens igitur Dominus lumbos noſtros præcingi, concupiſcentias carnis ſine dubio præcipit refrenari. Imperans autem vt lucernas ardentes habeamus, hoc vtique iubet, vt & lumine veræ fidei ſplendeamus, & ſanctæ charitatis operibus ferueamus. Iubens vt ſint lumbi noſtri præcincti, mandat vt mala deſideria, atque opera fugiamus. Iubens vt ſint lucernæ noſtræ ardentes, monet vt bona diligamus, atque faciamus. Iſta, quæ de Euangelio propoſuimus, cum propheticis ſermonibus conferamus. Vtrumque enim teſtamentum Deus inſtituit, vnus Dominus dedit. Et ſi ſunt vtriuſque teſtamenti diuerſa pro temporibus ſacramenta; concordat tamen in vtroque ſalutis humanæ ſententia, qua præcipitur, vt non peccemus: & iubetur, vt bonis operibus inſiſtamus. Præcipit itaque Dominus per beatum Dauid dicens: Declina à malo; & fac bonum. Per Eſaiam quoque omnes his admonet verbis: Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite peruersè agere: diſcite bene facere. Hoc ergo nunc Dominus per ſeipſum præcipit, quod nobis per ſanctos etiam Patriarchas, Prophetaſque mandauit. Quid eſt enim; ſint lumbi veſtri præcincti, niſi, declinate à malo? Quid eſt, ſint lucernæ ardentes, niſi facite bonum? Quid eſt, ſint lumbi veſtri præcincti, niſi, quieſcite agere peruersè? Quid eſt, ſint lucernæ ardentes, niſi, diſcite bene facere? Præcinguntur enim fidelium lumbi, dum cōcupiſcentia mala comprimitur, dum iniqua cogitatio cohibetur, dum libidini reſiſtit animus, dum laſciuiæ denegatur effectus, dum calcatur luxuria, dum auaritia contemnitur, & rapina, dum proximi læſio deuitatur, dum ſuperbia vincitur, dum inuidia ſuperatur. Ardent vero lucernæ fidelium, dum rectæ fidei regulam ſeruant, dum in ſinu matris Eccleſiæ longanimiter perſeuerant, dum terrena contemnunt, & cœleſtia concupiſcunt, dum ſolliciti pacem cuſtodiunt, dum ſe inuicem purè diligunt, dum mutuo ſe honore præueniunt, dum manſuetudine cordis, & humilitate proficiunt, dum miſericordiæ opera libentèr, atque hilariter faciunt, dumque in operibus, non hominibus, ſed Deo placere contendunt. Omnis ergo chriſtianus præcinctos habeat lumbos, vt fugiat libidinem: ardentem habeat lucernam, vt oppreſſo velamine iuſtitiæ, duntaxat defenſionis auxilium impendat. Præcinctos habeat lumbos, vt habenti non auferat cibum: ardentem habeat lucernam, vt eſurienti tribuat alimentum. Præcinctos habeat lumbos, vt non ſpoliet veſtitum; ardentem habeat lucernam, vt veſtiat nudum. Præcinctos habeat lumbos, vt domum nullius inuadat: ardentem habeat lucernam, vt peregrinos Chriſti libenter excipiat. Præcinctos habeat

Ioan. 6. Lumbi & lucernæ quid ſint. Lumbos præcingere. Lucernæ ardentes. Euangeliū enim propheticis concordat. Pſal. 33. Eſa. 1.

Isidor. habeat lumbos, vt fugiat elationem: ardentem habeat lucernam, vt ſeruet humilitatem. Præcinctos habeat lũbos, vt expellat à ſe inuidiam, & liuorem: ardentem habeat lucernam, vt puram cunctis exhibeat charitatem. Præcinctos habeat lumbos, vt non exhibeat membra ſua arma iniquitatis peccato: ardentem habeat lucernam, vt exhibeat membra ſua arma iuſtitiæ Deo.

Iſidor. Iſidor. Peluſ. ep. 9. lib. 1: Nocturnæ rerum ſpecies, vt ſcripſiſti, non modo diurnorum congreſſuum, & colloquiorum reliquiæ, ac velut extremi ſoni ſunt: verum etiam ſocordis, & ignauæ conſuetudinis fœtus. Nam cum temulentiæ veterno mens correpta eſt, perturbationum animi propugnaculum exiſtit. Cum autem ſobria eſt, atque excubias agit, ac Dominum præcincta operitur, nec à ventre ſuperatur, nec à perturbationibus, quæ hinc manant. Neque enim aliud quicquam eſt præcingi, quam lumborum vim, tanquam vinculis quibuſdam conſtrictam, tenere. Et ep. 341. lib. 1: Cautè ſcilicet Euangelica hæc dogmata accipe, quibus iſtud imperatur: ſint lumbi veſtri præcincti; & lucernæ ardentes in manibus veſtris; quæ nimirum hoc volunt, vt cupiditates, & appetitiones noſtræ vinciantur; ac mentes ad excubandum excitentur.

Luc. 1. Quid ſit præcingi.

Iſidor.

Greg. Quid ſit lumbos accingere.

Gregor. lib. 28. Moralium cap. 7: Lumbos vero accingere, eſt vel in opere luxuriam, vel in cogitatione laudis appetitum refrenare. Delectatio namque carnis in lumbis eſt. Vnde & ſanctis prędicatoribus dicitur: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes. Per lumbos enim luxuria; per lucernas autem bonorum operum claritas deſignatur. Iubentur ergo lumbos accingere, & lucernas tenere: ac ſi aperte audiant: Prius in vobiſmetipſis luxuriam reſtringite, & tunc de vobis alijs bonorum operum exempla monſtrate. Sed cum Beatum Iob, tanta præditum caſtitate nouerimus, cur ei poſt tot flagella dicitur: Accinge ſicut vir lumbos tuos, id eſt, ſicut fortis reſtringe luxuriam, niſi quia alia eſt luxuria carnis, qua caſtitatem corrumpimus; alia vero luxuria cordis eſt, qua de caſtitate gloriamur? Dicitur ergo ei: Accinge ſicut vir lumbos tuos, vt qui prius luxuriam corruptionis vicerat, nunc luxuriam reſtringat elationis, ne de patientia, vel caſtitate ſuperbiens, tanto peius intus ante Dei oculos luxurioſus exiſteret, quanto magis ante oculos hominum, & patiens, & caſtus appareret. Vnde bene per Moyſen dicitur: Circumcidite præputia cordis veſtri, id eſt, poſtquam luxuriam à carne extinguitis, etiam ſuperflua cogitationum reſecate. Et hom. 13. in Euang: Sancti Euangelij, &c. vt lect. 7. & 8. in com. Conf. non Pontif.

Lumbi quid.

Lucernæ quid.

Luxuria duplex.

Deut. 10. Cordis circumciſio quid ſit.

Greg.

Amb.

Amb. ſerm. 14. in Pſalm. 118: Multas habes lucernas, accende omnes; quia dictum eſt tibi: ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes. Quia multæ ſunt tenebræ, multæ ſunt lucernæ neceſſariæ, vt meritorum noſtrorum in tantis tenebris lumen eluceat. Iſtas lucernas lex ſignificauit ſemper lucere debere in tabernaculo teſtimonij; non illas, quas Iudæi accendunt quotidie. Illæ ſub vmbra lucent, & extinguuntur quotidie: quia quod faciunt, non vident: quod legunt, neſciunt; accipientes ſecundum literam, quod præcipitur ſecundum ſpiritum. Tabernaculum enim teſtimonij corpus hoc noſtrum eſt, in quo Chriſtus aduenit, per amplius & perfectius tabernaculum ſicut ſcriptum eſt, vt per ſanguinem ſuum intraret in ſancta, & conſcientiam noſtram ab omni opere mortuorum & labe mundaret, quo in corporibus noſtris quæ ſuorum teſtimonio & qualitate factorum, cogitationum noſtrarum abſcondita & occulta teſtantur: lucernarum modo luceat noſtrarum lux clara virtutum. Iſtæ ſunt lucernæ ardentes, quæ die ac nocte in templo Dei lucent. Si templum Dei in corpore tuo ſeruas, ſi membra tua membra ſunt Chriſti, lucent virtutes tuæ, quas nullus exſtinguit, niſi eas tuum crimen exſtinxerit, hoc lumine caſtæ mentes, & piæ deuotionis ſolennitatis noſtræ feſta reſplendeant. Luceat ergo ſemper lucerna tua. Arguit Chriſtus etiam eos qui vtuntur lucerna, ſi non ſemper vtantur, dicens: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes: Non ad horam exultemus in lumine. Ad horam exultat, qui audit verbum in Eccleſia, & gaudet, egreſſus autem obliuiſcitur quod audiuit, & negligit. Iſte eſt qui ſine lucerna in domo ſua ambulat: ideoque in tenebris ambulat, quia opera tenebrarum facit, in commeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitijs, in contentionibus & æmulationibus, indutus veſtimenta diaboli non Chriſtum, hæc fiunt quando verbi lucerna non lucet. Nunquam ergo negligamus verbum Domini, ex quo nobis omnium origo virtutum eſt, vniuerſorumque operum quidam proceſſus. Si membra corporis noſtri ſine luce operari recte non queunt: nam pedes vacillant ſine lumine, & manus errant: quanto magis ad verbi lumen dirigenda ſunt animæ noſtræ veſtigia, atque mentis inceſſus? ſunt & manus animæ quæ bene tangunt, vt tetigit Thomas Dominicæ reſurrectionis indicia: ſi verbi præſentis nobis lumen luceat. Hæc lucerna accenſa ſit in omni verbo, in omni opere. Ad hanc lucernam greſſus noſter forenſis internuſque moueatur.

Cur multis lucernis opus.

Exod. 27.

Heb. 9.

Lucerna ſemper vtendum.

Rom. 13.

Ioan. 20.

Hier.

Hieron. in cap. 16. Ezechiel: Hieruſalem non ſolum veſtitur diſcoloribus, & calciatur hyacinthinis; ſed & byſſo accingitur, de qua tenuiſſima in veſte pōtificis fila texuntur. Et vxor in Prouerbijs, quæ viro ſuo duas texuit chlamydes, & præſentis ſæculi, & futuri ſibi de byſſo, & purpura feciſſe dicitur veſtimenta: Hac byſſo accinguntur renes, quoties pinguia libidinis incentiua tenuanda ſunt: nihilque in eis craſſi humoris relinquitur: & implemus præceptum Apoſtoli dicentis: State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate: quaſi alijs verbis diceret, byſſo. Et Dominus ad Apoſtolos loquitur: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernę ardentes in manibus veſtris. Niſi enim aſtrinxerimus fluentia lumborum reumata, lucernas in manibus habere

Prou. 31.

Renes, lumbi.

Ephe. 6.

Iob 38. habere non poſſumus. Vnde & ad Iob loquitur Deus: Accinge ſicut vir lumbos tuos. Et cōmeſſuri agnum, calceati pedes, tenentes baculum, ſtantes in Euangelij veritate: & ad Chriſti ſanguinem præparati, lumbos accinctos habere dicuntur. Qua zona mortificante lumbos, 4 Reg 1. Helias quoque, & Ioannes Baptiſta accinguntur, de quibus & pænitens flebiliter ingemiſcit, dicens: Quoniam lumbi mei, impleti ſunt illuſionibus.

Baſ. Lumbi sūt genitalia. Baſ. in cap. 15. Iſa: In pleriſque ſcripturæ locis lumbus ſumitur pro genitalibus membris. Nam in lumbis patris ſui adhuc erat, minime Leui, Abrahæ: quo tempore occurrit ei Melchiſedech. Et: Sint lumbi veſtri præcincti. Hiſce enim verbis intelligimus innui, quia appetentiæ ſubſeruientes generationi ſupprimendæ ſunt. Lumbos præcingere quid ſit.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 15. operis imperfecti: Primum mandat: Nolite timere puſillus grex, & cætera. Deinde ait: Sint lumbi veſtri præcincti, &c. Oſtendens quia nemo poteſt habere lumbos præcinctos, ad exeundum de hoc mundo; nec lucernas ardentes; nec expectare Dominum ſuum; niſi qui vendunt, quod habent; & dant eleemoſynas; & faciunt ſibi ſacculos, qui non veteraſcunt; & theſaurum non deficientem in cælo. Qui habeant lumbos præcinctos, &c.

Not. 2. ver. 1.2.

Aug. Lumbi præcincti. Lucernæ ardentes. AVG. lib. 2. Quæſtionum Euangel. cap. 25: Quod Dominus dicit: Sint lumbi veſtri præcincti, propter continentiam ab amore rerum ſecularium: lucernæ ardentes, hoc ipſum vt vero in fine, & recta intentione faciatis.

Aug. Quid ſit lūbos cingere & ardentes lucernas tenere ver. 2. Expectare Dominū. Et lib. de continentia cap. 7: Quid eſt lumbos accingere? libidines coercere, quod eſt continentiæ. Lucernas vero ardentes habere, eſt bonis operibus lucere, atque feruere, quod eſt iuſtitiæ. Neque hic tacuit quo fine iſta faciamus, addendo atque dicendo: Et vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando veniat à nuptijs. Cum enim venerit, nos remunerabit, qui continuimus nos ab his quæ cupiditas, & ea, quæ imperauit charitas fecimus; vt in eius perfecta & ſempiterna pace, ſine vlla mali contentione, & cum ſumma boni delectatione, regnemus. Et ſerm. 39. de verbis Domini: Lumbos noſtros accinctos eſſe voluit, & lucernas ardentes. Quid eſt lumbos accinctos? Declina à malo. Quid eſt lucernas ardentes habere? Hoc eſt, Et fac bonum. Quid eſt quod adiunxit, & ait: Et vos ſimiles eſtote hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs, niſi quod in illo Pſalmo ſequitur: Inquire pacē, & perſequere eam? Hæc tria, hoc eſt, abſtinentia à malo, & operatio boni, & ſpes præmij æterni, commemorata ſunt in Actibus Apoſtolorum, vbi ſcriptum eſt: Quia docebat eos Paulus de continentia, de iuſtitia, & ſpe vitæ æternæ; ad continentiam pertinet: Sint lumbi veſtri accincti. Ad iuſtitiam pertinet; Et lucernæ ardentes. Ad exſpectationem Domini pertinet: Quæ eſt ſpes vitæ æternæ. Ergo declina à malo, hæc eſt continentia, hi ſunt lumbi accincti. Et fac bonū, hęc eſt iuſtitia, hæ ſunt lucernæ ardentes. Quære pacem & ſequere eam: hæc eſt exſpectatio futuri ſæculi. Ergo ſimiles eſtote hominibus exſpectantibus Dominum ſuum quando veniat à nuptijs. Habentes autem iſta præcepta & promiſſa, quid quærimus in terra dies bonos, vbi eos inuenire non poſſumus?

Aug. Lumbi præcincti. Lucernæ ardentes. Expectare Dominū. Tria hic promittuntur. Act. 24.

Not. 3. ver. 2.

GREG. hom. 13. in Euang: Sed etſi vtrumque agitur, reſtat, vt quiſquis ille eſt, ſpe ad ſupernam patriam tendat, & nequaquam ſe à vitijs pro mundi huius honeſtate contineat. Qui etſi quædam bona aliquando pro honeſtate inchoat, in eius tamen intentione non debet permanere, nec per bona opera præſentis mundi gloriam quærere; ſed totam ſpem in redemptoris ſui aduentum conſtituat. Vnde & protinus ſubditur: Et vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs. Ad nuptias quippe Dominus abijt, quia reſurgens à mortuis, aſcendens in cælum, ſupernam ſibi Angelorum multitudinem nouus homo copulauit. Qui tunc reuertitur, cum nobis iam per iudicium manifeſtatur. Bene autem de ſeruis exſpectantibus ſubditur: Vt cum venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiant ei. Venit quippe Dominus, &c. lect. 9. in com. Conf. non Pontif.

Greg. Quando ad nuptias Dominus abiit. Quando reuertatur.

Ver. 3.

Greg. hom. 13. in Euangelia: Vigilat, qui ad aſpectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat, qui ſeruat operando quod credit. Vigilat, quia ſe torporis, & negligentiæ tenebras repellit. Hinc etenim Paulus dicit: Euigilate iuſti, & nolite peccare. Hinc rurſus ait: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. 1 Cor. 15. Rom. 13.

Greg. Quis vigilet.

Ver. 4.

Greg. homil. 13. in Euangelia: Sed veniens Dominus quid ſeruis vigilantibus exhibeat, audiamus: Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet eos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Præcinget ſe, id eſt, ad retributionem præparabit. Et faciet illos diſcumbere, id eſt, æterna quiete refoueri. Diſcumbere quippe noſtrum in regno quieſcere eſt. Vnde rurſum Dominus dicit: Venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob. Tranſiens autem Dominus miniſtrat, quia lucis ſuæ illuſtratione nos ſatiat. Tranſire vero dictum eſt, cum de iudicio ad regnum redit. Vel certe Dominus nobis poſt iudicium tranſit, quia ab humanitatis forma, in diuinitatis ſuæ contemplationem nos eleuat. Et tranſire eius eſt, in claritatis ſuæ ſpeculationem nos ducere, cum eum, quem in humanitate in iudicio cernimus, etiam in diuinitate poſt iudicium videmus. Ad iudicium quippe veniens, in forma ſerui omnibus apparet, Ioan. 19.

Greg. Quid vigilantibus ſeruis Dominus exhibeat. Se præcingere quid ſit. Diſcūbere quid ſit. Matth. 8. Vt Dominus tranſiens miniſtret.

quia

quia ſcriptum eſt: Videbunt in quem transfixerunt. Sed cum reprobi in ſupplicium corruunt, iuſti ad claritatis eius gloriam pertrahuntur, ſicut ſcriptum eſt: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. *Iſa. 26.*

Ver. 5.

Greg. Greg. homil. 13. in Euang: Sed quid ſi ſerui in prima vigilia negligentes exiſtunt? Prima quippe vigilia, primæuæ ætatis cuſtodia eſt. Sed neque ſic deſperandum eſt, & à bono opere ceſſandum. Nam longanimitatis ſuæ patientiam inſinuans Dominus ſubdit: Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi. *Vigilia 1. 2. 3.* Prima quippe vigilia, primæuum tempus eſt, id eſt, pueritia. Secunda adoleſcentia, vel iuuentus, quæ auctoritate ſacri eloquij vnum ſunt, dicente Salomone: Lætare iuuenis in adoleſcentia tua. *Eccl. 11.* Tertia autem ſenectus accipitur. Qui ergo vigilare in prima vigilia noluit, cuſtodiat vel ſecundam, vt qui conuerti à prauitatibus ſuis in pueritia neglexit, ad vias vitæ ſaltem in tempore iuuentutis euigilet. Et qui euigilare in ſecunda vigilia noluit, tertiæ vigiliæ remedia non amittat, vt qui in iuuentute ad vias vitæ non euigilat, ſaltem in ſenectute reſipiſcat. Penſate, fratres chariſſimi, quia concluſit Dei pietas duritiam noſtram. Non eſt iam quid homo excuſationis inueniat. Deus deſpicitur, & exſpectat: contemni ſe videt, & reuocat. Iniuriam de contemptu ſuo ſuſcipit, & tamen quandoque reuertentibus etiam præmia promittit. Sed nemo hanc eius longanimitatem negligat: quia tanto diſtrictiorem iuſtitiam in iudicio exigit, quanto longiorem patientiam ante iudicium prærogauit. Hinc etenim Paulus dicit: Ignoras quoniam benignitas Dei ad pænitentiam te adducit? *Rom. 2.* tu autem ſecundum duritiam tuã, & cor impænitens, theſaurizas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. Hinc Pſalmiſta ait: Deus iudex iuſtus, fortis, & longanimis. *Pſal. 7.* Dicturus quippe longanimem, præmiſit iuſtum, vt quem vides peccata delinquentiũ diu patienter ferre, ſcias hunc etiam quandoque diſtrictè iudicare. Hinc per quendam ſapiẽtem dicitur: Altiſſimus enim eſt patiens redditor. *Eccl. 5.* Patiens enim redditor dicitur, quia peccata hominum & patitur, & reddit. Nam quos diu, vt conuertantur, tolerat, non conuerſos durius damnat.

Not. 4. ver. 6.

Greg. GREG. hom. 13. in Euang: Ad excutiendam vero mentis noſtræ deſidiam, etiam exteriora damna per ſimilitudinem ad medium deducuntur, vt per hæc animus, ad ſui cuſtodiam ſuſcitetur. Nam dicitur: hoc autem ſcitote, quia ſi ſciret Paterfamilias qua horà fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ex qua præmiſſa ſimilitudine etiam exhortatio ſubinfertur, cum dicitur: Et vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Neſciente enim Patrefamilias fur domum perfodit, quia dum à ſui cuſtodià ſpiritus dormit, improuiſa mors veniens, carnis noſtræ habitaculum irrumpit, & eum, quem Dominum domus inuenerit dormientem, necat: quia cum ventura damna ſpiritus minime præuidet, hunc mors ad ſupplicium neſcientem rapit. Furi autem reſiſteret, ſi vigilaret: quia aduentum iudicis, qui occultè animam rapit, præcauens, ei pænitendo occurreret, ne impænitens periret. Horam vero vltimam Dominus noſter idcirco voluit nobis eſſe incognitam, vt ſemper poſſit eſſe ſuſpecta: *Hora mortis cur ſit incerta.* vt dum illam præuidere non poſſumus, ad illam ſine intermiſſione præparemur: Proinde, fratres mei, in conditione mortalitatis veſtræ mentis oculos figite, venienti vos iudici per fletus quotidie, & lamenta præparate. Et cum certa mors maneat omnes, nolite de temporalis vitæ prouidentia incerta cogitare, terrenarum rerum vos curà non aggrauet, quantiſlibet enim auri & argenti molibus circundetur, quibuſlibet pretioſis veſtibus induatur caro, quid eſt aliud, quam caro? nolite ergo attendere, quid habeatis, ſed quid eſtis. Vultis ergo audire quid eſtis? Propheta indicat dicens: Verè fænum eſt populus. *Eſa. 40.* Si enim fænum populus non eſt, vbi ſunt illi, qui ea, quæ hodie colimus, nobiſcum tranſacto anno Beati Felicis natalia celebrauerunt? O quanta, & qualia de præſentis vitæ prouiſione cogitabant, ſed ſurrepente mortis articulo, repente in his, quæ prouidere nolebant, inuenti ſunt. Et cuncta ſimul temporalia, quæ congregata quaſi ſtabiliter tenere videbantur, amiſerunt. Si ergo tranſacta multitudo generis humani, quæ per natiuitatem viruit in carne, poſt mortem aruit in puluere, velut fænum fuit: quia igitur momentis ſuis horæ fugiunt, agite, fratres chariſſimi, vt in boni operis mercede teneantur. Audite quid ſapiens Salomon dicat: *Eccl. 9.* Quodcunque poteſt manus tua facere, inſtanter operare; quia nec opus, nec ſcientia, nec ratio, nec ſapientia erunt apud inferos, quò tu properas? quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & poſt mortem operari non poſſumus, ſupereſt, vt ante mortem tempora indulta rapiamus: ſic enim mors ipſa cum venerit, vincetur: ſi priuſquam veniat, ſemper timeatur.

Not. 5. verſ. 9.

Greg. GREGOR. paſtoralis curæ parte 3. cap. 5: Sciendum vero eſt prædicatori, vt auditoris ſui animum vltra vires non trahat, ne vt ita dicam, dum plus, quam valet tenditur, mentis chorda rumpatur. Alta etenim quæque debent multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri. Hinc namque per ſemetipſam Veritas dicit: Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram? per menſuram quippe tritici exprimitur modus verbi, *Quid ſit menſura tritici.* ne cùm anguſto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur.

Hinc

1 Cor. 3. Hinc Paulus ait: Non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam. Hinc Moyſes à ſecreto Dei exiens, Exod. 34. coruſcantem coram populo faciem velat, quia nimirum turbis claritatis intimæ arcana non indicat. Hinc per eum diuina voce præcipitur, vt is qui ciſternam foderit, ſi operire neglexerit, corruente in ea boue, vel aſino, precium reddat. Quia ad alta ſcientiæ fluenta perueniens, cùm hæc apud bruta audientium corda non contegit, pœnæ reus addicitur, ſi per verba eius in ſcandalum, ſiue munda, ſiue immunda mens capiatur. Hinc ad beatum Iob Iob 38. dicitur: Quis dedit gallo intelligentiam? Prædicator etenim ſanctus dum caliginoſo hoc clamat in tempore: quaſi gallus cantat in nocte, Rom. 13. dum dicit: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Et rurſum: Euigilate iuſti, & nolite peccare. Gallus autem profundioribus horis noctis altos edere cantus ſolet. Cum vero matutinum iam tempus in proximo eſt, minutas ac tenues voces format: quia nimirum, qui recte prædicat, obſcuris adhuc cordibus aperta clamat, nihil de occultis myſterijs indicat, vt tunc ſubtiliora quæque de cæleſtibus audiant, cùm luci veritatis appropinquant.

Fulg. Quis ſit Dominus Ioan. 13. Fulgent. ſerm. 1: Quis eſt iſte Dominus? Chriſtus ſine dubio, qui ſuis diſcipulis ait: Vos vocatis me Magiſter, & Domine; & bene dicitis: ſum etenim. Quæ ſit familia Domini. Quæ eſt etiam huius Domini familia? nimirum illa eſt, quam ipſe Dominus, de manu inimici redemit, & ſuo dominio mancipauit. Hæc familia eſt ſancta Catholica Eccleſia, quæ per orbem terræ copioſa fertilitate diffunditur, & redemptam ſe precioſo ſui Matt. 20 Domini ſanguine gloriatur. Filius enim hominis, ſicut ipſe ait, non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem Ioan. 10 pro multis. Ipſe eſt etiam paſtor bonus, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis. Grex ergo boni paſtoris, ipſa eſt familia Redemptoris. Quis ſit diſpenſator. Diſpenſator vero quis ſit, quem oportet eſſe fidelem, pariter & prudentem, Paulus nobis oſtendit Apoſtolus, qui de ſe, ſuiſque socijs 1 Cor 4. loquens, ait: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Non ſoli Apoſtoli ſunt diſpēſatores. Ne quis autem veſtrûm, ſolos Apoſtolos diſpenſatores factos exiſtimet, neglectoque militiæ ſpiritalis officio, ſeruus piger infideliter, imprudenterque dormiret; ipſe beatus Apoſtolus, Epiſcopos quoque diſ- Tit 1. penſatores eſſe oſtendens, ait: Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem. Serui autem patrisfamilias ſumus, diſpenſatores Domini ſumus, menſuram tritici, quam vobis erogemus, accepimus. Quæ ſit menſura tritici. Rom. 12. Quæ vero ſit iſta menſura tritici, ſi quæramus, ipſam quoque nobis beatus Paulus Apoſtolus oſtendit, dicens: Vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Quam ergo menſuram tritici Chriſtus nuncupat, ipſam menſuram fidei Paulus appellat: vt agnoſcamus, non aliud eſſe ſpiritale triticum, quam Chriſtianę fidei venerabile Sacramentum. Huius tritici menſuram vobis in nomine Domini damus, quoties illuminati dono gratiæ ſpiritalis, ſecundum regulam veræ fidei diſputamus. Et eandem tritici menſuram per Dominicos diſpenſatores accipitis, cum quotidie per Dei famulos verbum veritatis auditis. De ipſa nunc ergo tritici menſura loquamur: ex ipſa, ſicut Deus diuidit, vniuerſi paſcamur: inde alimenta bonæ vitæ ſumamus, vt ad æternæ vitæ præmia peruenire poſſimus, in illum credentes, in illum ſperantes, illum præ omnibus, & in omnibus diligentes, qui ſeipſum nobis & alimentum præſtat, ne deficiamus in via: & præmium ſeruat, vt gaudeamus in patria. Chriſtus eſt enim alimentum noſtrum: Chriſtus erit præmium noſtrum. Chriſtus noſtrum eſt alimentum. Chriſtus eſt cibus, & conſolatio currentium viatorum. Ipſe eſt ſatietas, & exultatio quieſcentium beatorum. Ad ipſam itaque tritici menſuram pertinet, quod Dominus ait: Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam; facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt.

Aug. Menſura tritici quid ſit. Aug. lib. 2. Quæſt. Euang. cap. 26: Menſuram dicit, propter modum capacitatis quorunque audientium.

Not. 6. ver. 10.

Chryſoſt. Chrysost. homil. 37. in Gene: Veræ enim diuitiæ ſunt, & inexhauſtæ facultates, deſiderare tantum, quantum vſui ſatis, & ea, quæ ad vſum pertinent, recte diſpenſare. Neque enim ille, qui hoc facit, inopiam timere poterit, neque calumniam ſuſtinet, neque turbationem ſentit; ſed & extra calumniam erit, & liberabitur ab inſidiantibus, &, vt ſummatim dicam, in perpetua tranquillitate erit, & quiete, ac otio fouetur: &, quod maius eſt omnibus, caputque bonorum, Deum habebit propitium, & ſuperna fruetur gratia, vtpote fidelis factus diſpenſator pecuniarum Domini. Beatus enim, dicit, ſeruus ille, quem cum venerit Dominus, inuenerit ſic facientem, & ſic diſpenſantem conſeruis, & non arcis, & vectibus includentem, & vermibus eſcam fieri permittentem: ſed inopum miſeriam ſubleuantem, bonumque, & fidelem diſpenſatorem factum eorum, quæ à Domino ſuppeditantur, vt & pulchræ huius diſpenſationis magnam mercedem aſſequi, & promiſſa bona obtinere mereatur.

Ver. 4.

Chryſoſt. Supplicij differentia. Chryſoſt. hom. in Pſal. 6: Viderit etiam quiſpiam ſupplicij differentiam ex magnæ intelligentia, & ex ſimplicitate, vt quando dicit: Seruus, qui nouit voluntatem Domini ſui, & non fecit, vapulabit multis. Qui autem non nouit, nec fecit, vapulabit paucis. Multa etiam alia inuenerit quiſpiam, quæ faciunt differentiam punitionis, & differentiam miſericordiæ, & benignitatis. Conſidera autem id etiam in eo, qui primus homo factus eſt. Peccauit Eua, peccauit Gen. 3. etiam Adam. Vnum autē erat peccatum. Ambo enim

enim de fructu comederunt. Ambo autem non eaſdem pœnas dederunt. Occidit Cain, & occidit Lamech, & hic quidem miſericordiam eſt aſſequutus, ille vero punitus eſt. Collegit quiſpiam ligna Sabbato, & nullam veniam eſt aſſecutus. Dauid occidit, & adulterium commiſit: & ſalutem eſt conſecutus. In his ergo quærendis immoremur; multo eſt enim melius hæc inquirere, quam nugas, & conuentus, qui fiunt in foris, attendere. Non ſolum enim hæc inueniſſe, ſed etiam quærere, magnum eſt lucrum, etſi non inuenerimus.

Gen. 4. Num. 15. 2. Reg. 11.

Baſil. in reg. breuior. interrog. 267: Illud, multis; & illud; vapulabit paucis: Non finem, ſed diuerſitatem ſupplicij declarat. Si enim Deus iudex iuſtus eſt, non bonis ſolum, ſed etiam improbis, reddens vnicuique iuxta opera ſua: fieri poteſt, vt alius quidem dignus ſit igne inextinguibili, atque hoc ipſo vel lenius, vel acrius vrente: alius vero verme nunquam morituro, atque hoc ipſo nihilominus vel mitius quemque excruciante, vel ſeuerius, pro meritis videlicet vniuſcuiuſque: itemque alius gehenna, habente prorſus ipſa etiam varia tormentorum genera: ſimiliterque alius exterioribus tenebris: quo in loco alius in fletu eſt ſolum, alius præter fletum, in ſtridore etiam dentium; propter cruciatuum videlicet acerbitatem. Quin & hæ quoque tenebræ, quæ vocantur exteriores, alias etiam prorſus eſſe interiores ſignificant. Et illud quod dictum eſt in prouerbijs, in profundum inferni: declarat quoſdam eſſe quidem apud inferos, non tamen in profundo, qui leuioribus ſcilicet pœnis afficiantur. Porro hoc ita eſſe etiam nunc poſſumus per ſimilitudinem adumbratè in morbis corporis intelligere. Siquidem eſt alius, qui præter febrem alias etiam aliorum morborum acceſſiones habet: alius item, qui ex ſola tantummodo febri laborat: & hic ipſe diuerſo modo atque alius. Similiterque reperietur alius, qui febri quidem ipſe non laborabit, dolore tamen membri alicuius vehementer cruciabitur: & hic ipſe item alio aut acrius, aut remiſſius. Vſurpatum eſt autem etiam hoc à Domino, multis & paucis, ex vſu quotidianæ loquendi conſuetudinis, quemadmodum alia etiam huiuſmodi nonnulla. Quandoquidem ſcimus plerumque huiuſcemodi formam loquendi etiam in his ſolitam eſſe vſurpari, qui ex vno aliquo morbo laborant. Veluti cum dicimus in aliquo, qui tantummodo febricitat, aut ex oculo dolet, admirantes; hic quot ſuſtinuit dolores, aut quot pertulit cruciatus? Quàobrem hoc, multis, aut paucis vapulare (item dico) nequaquam temporis longinquitatem, complerionemque, ſed pœnæ diuerſitatem, ſignificat.

Baſ. Vapulabit. Pœnæ diuerſitas.

Not. 7. verſ. 17.

Chryſ. CHRYS. homil. 6. in Matthæum: Tantus ſiquidem illos torpor obſederat, eique coniuncta par inuidia: quod vtrumque vitium procul à nobis debemus arcere. Oportet enim eum, qui aduerſus iſta depugnat, ipſo igne potiorem in ſe feruorem mentis accendere. Vnde etiam Dominus ait: Ignem veni mittere in terram: & quid volo, niſi vt accendatur? Propterea & ſanctus Spiritus in ſpecie ignis apparuit. Verum nos cinere frigidiores, & mortuis inſenſibiliores facti ſumus.

Greg. homil. 2. in Ezechiel: Ignis nomine, cum per ſignificationem dicitur, aliquãdo Spiritus ſanctus, aliquando autem mentis malitia deſignatur. De bono enim igne ſcriptum eſt: Ignem veni mittere in terram: Et quid volo, niſi vt accendatur? Ignis quippe in terram mittitur, cum per ardorem ſancti Spiritus afflata terrena mens, à carnalibus ſuis deſiderijs concrematur, de malo autem igne dicitur: Et nunc ignis aduerſarios conſumit: quia cor peſſimum ex ſua malitia tabeſcit. Sicut autem ignis amoris mentem erigit, ita ignis malitiæ inuoluit: quia & Spiritus ſanctus cor, quod replet, eleuat; & ardor malitiæ ad inferiora ſemper incuruat. Et homil. 30. in Euangel. incorporeus, ineffabilis, atque inuiſibilis ignis eſt Deus, atteſtante Paulo: Deus noſter ignis conſumens eſt. Deus quippe ignis dicitur: quia per hunc peccatorum rubigo conſumitur. De hoc igne veritas dicit: Ignem veni mittere in terram; & quid volo niſi vt ardeat? Terra enim vocata ſunt corda terrena, quæ dum ſemper infimas in ſe cogitationes congerunt, à malignis ſpiritibus conculcantur. Sed ignem Dominus in terram mittit, cum afflatu ſancti Spiritus corda carnalium incendit. Et terra ardet, cum cor carnale in ſuis prauis voluptatibus frigidum, relinquit concupiſcentias præſentis ſæculi, & incenditur ad amorem Dei. Idem habet Ieronymus ad cap. 2. Iočlis.

Greg. Ignis quid ſit. Ignem in terrã mittere quid ſit. Heb. 10. Greg. Heb. 12. Cur Deus dicatur ignis. Luc. 12. Quid ſit ignem in terram mittere. Hiero.

Pauli ep. 2. ad Sulpit. Seuer: Ergo inchoaturus agriculturam in nobis ſuam, dicit; ignem veni mittere in terram; quo videlicet, cor noſtrum peccatis obſitum, quaſi agrum ſpinis horridum purget, vrens nos in vitijs, & in ſenſibus luminans: veterumque in nobis actuum ſtirpes, ſalutari face, pius cultor inſequitur; vt reſiduam meſſis vetuſtæ ſtipulam ſermo ignitus accendat, & animam noſtram quaſi campum nouæ ſationi præparet, quæ lætam virtutum ſegetem, eradicatis, impreſſo diuini verbi vomere, ſpinis, libera effundat; dignaſque cæleſtibus horreis fruges, perempta graminum noxiorum ſtirpe, multiplicet.

Pauli. Luc. 12.

Et epiſt. 9. ad Seuerum: Facit vtraque vnum: ſiue quia duo ſumus in corde vno: ſiue quia vtramque ſubſtantiam animæ & corporis vnum facimus, conflante nos Chriſto per ignem ſpiritus ſui, de quo ait: Ignem veni mittere in terram; & quid vult bonus Dominus, niſi vt accendatur in nobis, & illuminet tenebras noſtras, & peccata conſumat? Quia Dominus Deus noſter, ignis conſumens eſt. Tribuat hic mihi Dominus, vt & in me, pro me, fiat ignis conſumens. Ardeat hoc igne cor meum

Paul.

in lumen æternum mihi, ne eodem ardeat anima mea in pœnam perennem.

Paul. Et epiſt. 16. ad Delphinum: Tuis filijs ſit cor ardens, non cupiditatum & illecebrarum ſæcularium iniquis ignibus; ſed illo igne, quem venit accendere in nobis Dominus: de quo ait: Ignem veni mittere in terram, & quid volo ſi iam incenſus eſt? Non ergo auaritia, non concupiſcentia oculorum, & noxius temporalium rerum amor in nobis ardeat igne peſtifero, qui ignis alienus eſt Deo.

Aug. Auguſt. lib. 22 contra Fauſtum cap. 93: Hoc ergo vitulo ſignificatum eſt omne corpus, id eſt, omnis ſocietas Gentilium idolatriæ deditorum; hanc ſacrilegam ſocietatem Dominus Chriſtus illo igne comburit, de quo in Euangelio dicit, ignem veni mittere in terram: vt quoniam non eſt, qui ſe abſcondat à calore eius, dum in eum credunt gentes, igne virtutis eius diabolica in eis forma ſoluatur. Totum deinde corpus illud comminuitur: id eſt, ab illa malæ conſpirationis conflatione diſcuſſum, verbo veritatis humiliatur: & comminutum in aquam mittitur, vt eos Iſraëlitæ, id eſt, Euangelij prædicatores ex Baptiſmo in ſua membra, hoc eſt, in corpus Dominicum transferant. Quorum Iſraelitarum Petro de ipſis (Act. 10.) gentibus dictum eſt; Macta, & manduca. Si macta & manduca; quare non etiam, concide, & bibe? Ita ille vitulus per ignem zeli, & aciem verbi, & aquam baptiſmi, ab eis potius, quos abſorbere conabatur, abſorptus eſt.

Not. 8. verſ. 20.

Iſid. Isidor. lib. Allegoriar: Quinque illi in domo vna, id eſt, pater, mater, filius, filia, nurus, ex quibus duo in tres, & tres in duos diuiduntur, ſignificant humanum genus, fide, & religione inuicem ſeparatum, partim in diſceſſione ſchiſmatis, quod duo ſignificant: partim in numero, quod tria demonſtrant. Diuiſus eſt enim filius aduerſus patrem ſuum; id eſt, populus ex gentibus veniens, aduerſus diabolum, cum quo antea fuerat ſociatus. Diuiſa eſt & filia aduerſus matrem ſuam, id eſt, plebs ex Iudæis credens aduerſus impiam ſynagogam; Diuiſa eſt & nurus, aduerſus ſocrum ſuã; Eccleſia videlicet ex gentibus, aduerſus matrem ſponſi ſui ſynagogam, de qua ſecundum carnem Chriſtus fuerat procreatus. Qui homines ſeparantur, ſibi inuicem renunciantes: alij terrenam, alij cæleſtem gloriam adpetentes.

Verſ. 22.

Aug. Avg. lib. 2. Quæſt. Euang. cap. 27: Quod Dominus dicit; Cum videritis nubem orientem ab occaſu: carnem ſuam à morte reſurgentem ſignificat. Ex illo enim omnibus terris imber Euangelicæ prædicationis infuſus eſt. Auſtrum flantem ante æſtus, tribulationes leuiores ante iudicium.

Verſ. 23.

Avg. ſerm. 1. de verbis Domini: Euangelium audiuimus, & in eo Dominum eos arguentem, qui faciem cæli norunt probare, & tempus fidei regni cælorum appropinquantis neſciunt inuenire. Iudæis autem hoc dicebat, ſed etiam ad nos ſermo peruenit. Dominus autem ipſe Iesvs-Christvs Euangelij ſui prædicationem ita cæpit: Agite pœnitentiam: appropinquabit enim regnum cælorum. Similiter & Ioannes Baptiſta præcurſor ipſius, ita cępit; agite pænitentiam: appropinquabit enim regnum cælorum. Et modo corripit eos Dominus, qui nolunt agere pænitentiã, appropinquante regno cælorum. Regnum cælorum, ſicut ipſe ait, non veniet cum obſeruatione. Et iterum ipſe ait; Regum cælorum intra vos eſt. Prudenter ergo accipiat vnuſquiſque monita præceptoris, vt non perdat tempus miſericordiæ Saluatoris, quæ modo impenditur, quamdiu generi humano parcitur. Aug.

Not. 9. verſ. 25. 26.

Basil. in cap. 3. Eſaiæ: Porro quis iſte ſit exactor, doceri poſſumus per Euangelicam admonitionem, dicente Domino. Quando enim vadis cum aduerſario tuo ad principem, in via da operam, vt libereris ab eo, ne forte pertrahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori; & exactor mittat te in carcerem. In his verbis recogites velim, & intelligito, quis ille ſit aduerſarius, quæ item via: ad hæc, quis princeps aduerſario noſtro præfectus. Via (Via quæ ſit.) etenim noſtra eſt hæc vita: aduerſarius autem, vis quædam ſine potentia nobis obluctans, & (Aduerſarius.) concomitans per huius vitę curriculum, ſe eo comparans omni molitione, & ex inſidijs, vt nos abducat à via ad Deum nos recta deducente. Princeps verò is, qui mundi huius cognominatur princeps, de quo Dominus dixit: (Princeps.) Nunc venit princeps mundi huius, & in me non inueniet quidquam. Sane in Domino (Cur nihil in Domino Satan inuenerit.) quidem nihil inuenit, quod is nullum admiſit peccatum, neque dolus inuentus eſt in ore eius, qui & tentatus eſt, per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato. Is igitur quando in nobis multa inuenerit, (quippe qui noſipſos multis obſtrinximus peccatorum vinculis) ſic ad ſe ſtrictim attractos tradet iudici. Iudex autem (cui iudicium omne dedit Pater) quum (Iudex.) nos deprehenderit ob non pauca crimina coargutos ab inimico, & peccatorum vindice, tradet tortori exigendis pœnis præſtituto, qui nos (Exactor.) mittat in carcerem: hoc eſt, in locum luendis (Carcer.) ſupplicijs attributum, in maniſſimis flagris, à nobis repoſcens, & vltionem exigens eorum omnium, quæ iniquè geſſimus, ad minimas vſque minutias, idque cum contemptu. Quocirca conſulit & Dominus, tantiſper dum in via ſumus, demus operam cum aduerſario, vt ab eius iugo eximamur. Hoc eſt, ea operemur

quibus

quibus promereamur ab inimico emancipari, nec eo inducamur, vt expectemus extremam illam horam, qua nobis imminens ille princeps exquiret, & perſcrutabitur nos, qui ſi multa deprehendit nos in hac vita admiſiſſe, quæ ſua ipſius ſint, tradet nos iudici, coarguens nos, nec vllam admittens negationem, ſuggerens etiam memoriæ locum, in quo tale admiſimus peccatū, etiamſi vt peccaremus, cooperatus eſt, quod quidem malum ipſi conſuetudine & habitu quocum deliquimus. Itaque tantiſper, dum penes nos ſitum eſt operari, pro vitili adnitamur, vt accepti, & expenſi ratio inter nos cōueniat cum aduerſario, noſque ab eo liberemur.

Diabolus ſuggerēdo cooperatur.

Greg. Malos Deus varijs modis viſitat.

Gregor. homil. 39. in Euangel: Prauam quamque animam omnipotens Deus multis modis viſitare conſueuit. Nam aſſiduè hanc viſitat præcepto: aliquando autem flagello, aliquando vero miraculo: vt ea vera, quæ neſciebat, audiat: & tamen adhuc ſuperbiens, atque contemnens, aut dolore compuncta redeat; aut beneficijs deuicta, malum quod fecit, erubeſcat. Sed quia viſitationis ſuæ tempus minimè cognoſcit, illis in extremo vitæ inimicis traditur; cum quibus in æterno iudicio damnationis perpetuæ ſocietate colligatur, ſicut ſcriptum eſt: Cum vadis cum aduerſario tuo ad principem, in via da operam, liberari ab illo: ne forte trahat te ad iudicem, & Iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Aduerſarius noſter quippe in via, eſt ſermo Dei, contrarius noſtris carnalibus deſiderijs in præſenti vita. A quo ipſe liberatur, qui præceptis eius humiliter ſubditur. Alioqui aduerſarius iudici, & Iudex tradet exactori, quia ex ſermone Domini contempto reus peccator tenebitur in examine iudicis; quem Iudex exactori tradet: quia hunc maligno ſpiritui ad vltionem tradi permittet: vt compulſam animam ipſe ad pænam de corpore exigat, quæ ei ad culpam ſponte conſenſit. Exactor mittit in carcerem: quia per malignum ſpiritū in inferno recluditur, quouſque dies iudicij veniat, ex quo iam in inferni ignibus ſimul & ipſe crucietur.

Aduerſarius. Via. Liberari. Iudex. Exactor. Carcer.

Aug.

Auguſt. Serm. 1. de verbis Domini: Videamus quis eſt ille aduerſarius, de quo nos terruit, dicens; ſi vadis cum aduerſario tuo ad principem, da operam in via liberari ab illo, ne forte tradat te principi, & princeps miniſtro, & mittaris in carcerem; vnde ne exies donec ſoluas nouiſſimum quadrantem. Quis eſt iſte aduerſarius, niſi diabolus? Iam liberati ſumus ab illo. Quale precium pro nobis datum eſt, vt ab illo redimeremur? De quo dicit Apoſt; de ipſa redemptione noſtra; Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij claritatis ſuæ. Redempti ſumus, diabolo renunciauimus; Quomodo dabimus operam liberari ab illo, ne nos iterum captiuos faciat peccatores? Sed non eſt ipſe aduerſarius, de quo nos Dominus commonet. Alio enim loco alius Euangeliſta ſic illud poſuit, vt ſi vtraque verba iungamus, & vtraque verba ſibi Euangeliorum duorum comparemus, aduerſarium iſtum cito intelligamus. Ecce enim hic quid dixit? Cum vadis ad principem cum aduerſario tuo, da operam in via liberari ab eo. Alius autem Euangeliſta hoc ipſum ſic poſuit; eſtò conſentiens aduerſario tuo citò cum es cum illo in via. Cætera ſimilia ſunt: Ne forte aduerſarius tradat te iudici, Iudex miniſtro, miniſter in carcerem. Ambo Euangeliſtæ ſimiliter hoc explicauerunt: vnus dixit; da operam in via liberari ab illo. Alter dicit; conſenti illi. Non enim poteris liberari ab illo, niſi ei conſenſeris. Vis liberari ab illo? Conſenti illi. Nunquid diabolus eſt cui debet conſentire Chriſtianus? Quæramus ergo iſtum aduerſarium, cui debemus conſentire, ne tradat nos iudici, & Iudex miniſtro. Quæramus illum, & conſentiamus illi. Si peccas, aduerſarius tuus ſermo Dei eſt: Verbi cauſa, forſitan delectat te inebriari; dicit tibi; noli. Delectat te ſpectare, & nugari, ille dicit tibi; noli. Delectat te adulterari; dicit tibi ſermo Dei; noli. In quibuſcumque peccatis volueris facere voluntatem tuam, dicit tibi; noli. Aduerſarius eſt voluntatis tuæ, donec fiat auctor ſalutis tuæ. O quam bonus aduerſarius, quam vtilis aduerſarius, non quærit noſtram voluntatem, ſed vtilitatem. Aduerſarius eſt nobis, quamdiu ſumus & ipſi nobis. Quamdiu tu tibi inimicus es, inimicum habes ſermonem Dei. Eſto tibi amicus, & concordas cum illo. Non homicidium feceris; audi, & concordaſti. Non furtum facias: audi, & concordaſti. Non falſum teſtimonium dicas; audi, & concordaſti. Non concupiſces vxorem proximi tui: audi, & concordaſti. Non concupiſces res proximi tui: audi, & concordaſti. In his omnibus cum tuo iſto aduerſario concordaſti, dic mihi quid perdidiſti? Non ſolum nihil perdidiſti; ſed & teipſum, qui perieras, inueniſti. Via, vita iſta eſt. Si concordauerimus cum illo, ſi conſenſerimus illi, finita eſt via, non timebimus iudicem, miniſtrum, carcerem. Quando finitur via, non omnibus vna hora finitur. Vnuſquiſque habet horam, quando finiat viam. Via, vita iſta dicta eſt: finiſti iſtam vitam, finiſti viam. Ambulamus, & ipſum viuere accedere eſt. Niſi forte putatis quia tempus accedit, & nos ſtamus. Non poteſt fieri. Quomodò accedit tempus, accedimus & nos. Et non anni nobis accedunt, ſed magis decedunt. Valde errant homines, quando dicunt; puer iſte adhuc minus ſapit, accedunt illi anni, & prudens erit. Attende quid dixiſti. Accedunt, dixiſti: ego oſtendo quia decedunt, cum tu dicis, accedunt; & audi quam facile probo; putemus nos ſciſſe annos ipſius ex quo natus eſt: Verbi gratia, vt bene illi optemus, octoginta annos victurus eſt, peruenturus eſt ad ſenectutem. Scribe octoginta annos; vixit vnū annum. Quot habes in ſumma? Quot tenes? Octoginta. Deduc vnum. Vixit decem, Septuaginta reſtiterunt. Vixit viginti

Aduerſarius eſt diabolus.

Coloſſ. 1.

De alio aduerſario hic agitur. Lucas, & Matt. hic conueniūt.

Ca. ... ver. ...

Liberari ab aduerſario eſt conſentire.

Dei ſermo eſt aduerſarius.

Matt. 19.

Via eſt hæc vita.

Anni decedunt, non accedunt.

Sexaginta reſtiterunt. Certe accedebant. Quid hoc eſt? Veniunt vt abeant. Anni noſtri veniunt, inquam vt eant. Non enim veniunt vt ſtent nobiſcum; ſed cum tranſeunt per nos, terunt nos, & minus, minuſque valere nos faciunt. Talis eſt via, in qua venimus. Quid facturi ſumus, cum aduerſario illo, id eſt. cum ſermone Dei? Concorda cum illo: Neſcis enim quando via finiatur. Cum via finita fuerit, iudex reſtat, & miniſter, & carcer, vt ſi ſeruaueris aduerſario tuo bonam voluntatem, & cum eo conſenſeris, pro iudice inuenias patrem; pro miniſtro ſeruo, Angelum tollentem in ſinu Abrahæ; pro carcere, Paradyſum. Quam cito in via cuncta mutaſti; quia tuo aduerſario conſenſiſti.

Cap. 114. *Agendam eſſe pœnitentiam.*

Mat.	*Mar.*	*Luca 13.*	*Ioan.*
		1 [ADerant autem quidam ipſo in tempore, nunciantes illi de Galilæis; quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificijs eorum. 2 Et reſpondens dixit illis: Putatis quod hi Galilæi, præ omnibus Galilæis, peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? 3 Non, dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. 4 Sicut illi decem, & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipſi debitores fuerint, præter omnes homines habitantes in Ieruſalem? 5 Non, dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis. *Sabb. qua'. temp. Septemb.* 6 ✠ Dicebat autem & hanc ſimilitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua: & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. 7 Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac: & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? 8 At ille reſpondens dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora. & ſi quidem fecerit fructum: ſin autem, in futurum ſuccides eam.	

Not. 1.

Agenda nobis eſt pænitentia: nam alioqui exſcindendi ſumus, inſtar arboris infructuoſæ, quæ ob ſterilitatem, poſt longam fructuum exſpectationem, amputatur.

Verſ. 1.

Bed. Beda Luc. 13: Hi Galilæi, qui ab impio Præſide ſunt inter ſua ſacrificia necati, ſuorum quidem ſcelerum pænas, impia, ſcelerataque morte, ſoluunt. Quibus tamen non ipſa mors; nam & bonos quoque ſic potuiſſe mori, beatorum Martyrum gloria declarat; ſed vita improba, pro qua in ſecundam mortem mitterentur, obfuit. Verum ad correctionem viuentium, vt peſtilente flagellato ſtultus ſapientior fieret: vel certe ad exemplum corrigi nolentium, ideoque peſſimè periturorum, tali ſunt morte multati.

Euthym Luc. 13: Hi Galilæi quum partes tuerentur Iudæ Galilæi, accuſati ſunt tanquam qui à Cæſare defeciſſent, & Galilæam ſeditione aduerſus ipſum repleuiſſent. Quum ergo quodam tempore congregati eſſent, ac ſacrificarent, audiuit hoc Pilatus, & ira feruens, mittit in eos milites: Ipſiſque iugulatis, ſanguinem illorum miſcuit ſacrificijs ipſorum. Quę itaque ad rem geſtam ſpectant, ita ſe habent. Aderant ergo, quidam Iudæi nuntiantes Chriſto de illis, ſcire cupientes, vtrum tanquam peccatores, vltra omnes ſuæ regionis Galilæos, hæc paſſi eſſent: Ita enim ipſi exiſtimabant. Euth. Hi Galilæi Iudæ ſectatores erant.

Tit. Luc. 13: Credibile fit Galilæos, quorum cruorem Pilatus ſacrificijs admiſcuit, ex eorum numero extitiſſe, qui erroneam Iudæ Galilæi, cuius beatus Lucas in Apoſtolorum actis mētionem facit, opinionem ſectabantur. Cæterum Iudæ huius dogma, (ſi vera ſunt, quę Ioſephus, circa Iudaicarum antiquitatū finem. Tit. Hi Galilæi Iudæ ſectatores erant. Act. 5. Iudæ errores. Ioſeph.

ca de

ea de re exponit) eiuſmodi erat, vt aliquam pietatis ſpeciem præ ſe ferre videretur. Docebat enim nullū omnino neque honoris, neque beneuolentiæ, neque vllius alterius rei cauſa, Dominum, aut regem appellare fas eſſe: Imo vero eiuſmodi nomina, ne ore quidem efferre licere. Vnde fiebat, vt multi ex ea ſecta, dura ſæpe verbera, grauiſſimasque fuſtigationes, ea ſola de cauſa, ſubire compellerentur, quod Cæſarem, Dominum vocare nollent. Iidem illi nulla omnino ſacrificia Deo offerri volebāt, preter ea, quæ in Moyſi lege decreta extabant; ea propter omnia illa ſacra, & ſacrificia, quæ ſeniores populi pro Imperatoris, populique Romani ſalute, & incolumitate inſtituerant, apertè inhibebant. Veriſimile fit ergo, Cæſarem ob hoc indignatum, Pilato iniunxiſſe, vt iuxta ſacrificia, quæ ſecundum Moyſi legem offerre videbantur, illos trucidari, eorumque qui offerebant, cruorem, vna cum illis ipſis ſacrificijs, quæ offerebant, miſceri curaret. Quia ergo ſupplicium hoc, conſeruandæ religionis cauſa irrogatum cenſebatur; adfuerunt qui Chriſto ſaluatori noſtro illud denunciarent; cognoſcere ex illo volentes, quidnam ille de eo facto ſentiret; plerique enim è populo cæſos, iuſtè propter peccata ſua è medio ſublatos, iudicabant; vt qui ſeditionem in populo concitaſſent, principesque, & magiſtratus in ſubditorum odium coarmaſſent, & irritaſſent. Dominus autem ponit quidem peccaſſe; addit nihilominus, non ideo hæc tam dira illos perpeſſos; quaſi cæteris omnibus, qui ſimilia perpeſſi non fuerant, ſceleratiores extiterint.

Not. 2. verſ. 1. 2. 3. 4. 5.

Chryſ. CHRYS. conc. 3. de Lazaro ex Luca: Non igitur Deus iam in cauſa eſt, ſed illorum ſocordia, qui noluerunt tam multis remedijs ad propriam abuti ſalutem: atque vti cognoſcas quod hac de cauſa fecerit, miſcuit olim ſanguinem Galilæorum Pilatus cum ſacrificijs, & accedentes hoc ipſum renunciauerunt IESV, atque ille dicit; Quid, putatis quod illi Galilæi ſoli peccatores fuerunt? Non, dico vobis; niſi pænitentiam egeritis, & vos eadem patiemini. Rurſum alij octodecim obruti ſunt ruina cuiuſdam turris; de his quoque eadem dicit. Nam quod ait; quid, putatis quod illi peccatores erant ſoli? Non erant, dico vobis: declarat quod & viuentes ijſdem erant obnoxij. Quod autem ait; niſi pænitentiam egeritis, & vos eadem patiemini: declarat quod & illos permiſit hac de cauſa illa pati, vt viuentes, ex his, quæ cæteris acciderent terrore concepto, reſipiſcerent. Quid igitur? Vt ego, inquis, fiam melior, ille punitur? Non propter hoc, ſed propter ſuum ipſius peccatum punitur. Cæterum illorum interitus attentis ex abundanti fit occaſio ſalutis, dum metu ex his, quæ alijs acciderunt, concepto, redduntur probiores. Itidem & Domini faciunt, vno ſæpe famulo flagellato, multos metu reddunt emendatiores. Quum igitur videris aliquos vel in naufragium incidiſſe, vel ædium ruina oppreſſos eſſe, vel incendio perijſſe, vel à fluuijs abreptos eſſe, aut alio quopiam modo violento vitam finijſſe: Deinde alios, qui eadem cum illis, & grauiora peccarunt, nihil tale paſſos, ne conturberis, dicens: Cur tandem qui eadem peccant, non eadem paſſi ſunt? Verum illud reputa, quod Deus illum quidem paſſus eſt è medio tolli, præfocarique, mitiorem ei præparans in futuro ſæculo cruciatum, aut etiam in totum eum liberans: Hunc vero nihil tale paſſus eſt ſuſtinere, vt alterius ſupplicio caſtigatior factus, modeſtior redderetur; quod ſi perſeuerauerit in ijſdem, crudeliſſimam ſibi ipſi ex ſua ſocordia coaceruat vltionem, nec Deus fuerit cauſa intolerabilis ſupplicij.

Galilæorū ſanguinem cum ſacrificijs Pilatus miſcuit.

18. caſu turris necati.

Iſid. Hiſp. lib. Allego: Galilæi octodecim; ſuper quos cecidit turris in Siloa, & occidit eos, interitum plebis Iudæorum inſinuat. Decem, & octo apud Græcos ex Iota & Thita, litteris exprimuntur, quibus figuris nomen IESV ſcribitur, in quem illi credere nolentes pariter à Romanis cum ſua vrbe proſtrati ſunt. *Iſido. Cur octodecim.*

Not. 3. verſ. 6. 7. 8.

GREG. Paſtoralis curæ parte 3. cap. 22: Qui nec aliena appetunt, nec ſua largiuntur. Admonendi ſunt quoque, vt ſollicitè attendant quod ficulnea, quæ fructum non habuit, contra hanc diſtrictus agricola queritur, quod etiam terram occupauit. Terram quippe ficulnea ſine fructu occupat: quando mens tenacium hoc, quod prodeſſe multis poterat, inutiliter ſeruat; terram ficulnea ſine fructu occupat: quando locum, quem exercere alius per ſolem boni operis valuit: ſtultus per deſidiæ vmbram premit. *Greg.* *Quando ficulnea terram ſine fructu occupet.*

Iſid. Hiſp. lib. Allego: Homo, qui arborem fici in vinea ſua plantauit, Chriſtus eſt, qui Synagogam in Iudaico populo condidit, quā cum Dominus quaſi inutilem iuſſiſſet abſcindi, fit illi à colonis Apoſtolis foſſa humilitatis, adhibetur & ſtercus, id eſt, confeſſio peccatorum, ſicque in nouiſſimo credendo commutabitur in melius, & dabit fructus iuſtitiæ copioſos. *Iſid.*

Amb. l. 1. de Iacob cap 1: Quis enim tantus, vt corporales motus poſſit auferre, niſi ſolus ille qui potuit de infructuoſa ficulnea dicere, hoc eſt, malitia Iudæorū: Ecce anni tres ſunt ex quo veni quærens fructū in ficulnea hac, & non inuenio: ſuccido ergo illam? Cui reſpōdit ſeruus: Remitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam, & mittam cophinum ſtercoris: & ſi quidem fructum fecerit: ſin autem, in futurum ſuccides illam. Merito ad Dominum retulit, quia excidendæ tēporalis prolapſionis poteſtatem ſibi ipſe vindicare non poterat; ſed Domino reſeruabat. Et lib. 2. in Lucam: Faciat fructum qui poteſt gratiæ, qui debet pænitentiæ. Adeſt Dominus qui fructum requirat, fæcundos viuificet, ſteriles reprehē dat. *Amb.* *Amb.*

Anni tres ſunt ex quo venit, & fructum in Iudæis inuenire non potuit: vtinam inueniat in nobis. Iuſſus eſt ſuccidi infructuoſos, ne terram occupent. Sed qui adhuc non habet fructum, conetur vt afferat in futurum. Bonus ille cultor agri interueniet pro nobis infæcundis, pro nobis infructuoſis, vt detur ſpatium, patientia deferatur, ne forte & nos aliquem fructum ferre Deo poſſimus.

Hiero. Hiero. in cap. 3. Hab: Omnis Iſraël ſaluabitur. Hæc eſt ficus ad quā tertio venit Paterfamilias, & quaſi non facientem fructus vult ſubuertere: pro qua agricola, cui cōmiſſa fuerat, deprecatur vt det ei ſpacium, & dicit: Domine dimitte eam & iſtum adhuc annū donec fodiam circa eam, & mittam ſtercus: & ſi quidem fecerit fructum; ſin autem, tunc ſuccides eam. Agricola iſte vel Gabriel eſt, vel Michael cui commiſſus eſt populus Iudæorum qui Dominum deprecatur in Paſſione, & dicit: Domine da ei ſpatium pænitētiæ: & noli eos ſubuertere, & ſi quidem fecerunt fructum: ſin autem tunc ſubuertes eos. Si fecerint, inquit fructū: non dixit quid ſuſtinerent, neque dixit, ſi fecerint fructum, permanebunt vt erant: ſed ſi fecerint fructum, ſuſpenſa ſententia eſt, vt ſubaudiatur: transferes eos in Eccleſiam gentium: & in alteram vineam tranſplantabis. Venit Dominus tertio, & non inuenit in eis fructum. Dedit primum legem per Moyſen: ſecundo locutus eſt per Prophetas: tertio ipſe deſcendit. Et poſt Paſſionem datis ad pænitentiam quadraginta quatuor annis: quia non fecerūt fructum: quatuor ſubuerſi ſunt. Quod tamen noſtræ intelligentiæ derelinquitur. In parabola enim non ſcribitur, quid poſtea fecerit Paterfamilias: ſed quid tantum agricola deprecatus ſit: ex qua animaduertimus eos qui de hac ficu fecerint fructus ad populum gētium eſſe tranſlatos: ad quem aſcendit & Propheta, dicens: Requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum peregrinationis meæ; Eos autem qui non fecerunt fructus, & permanſerunt in duritia ſua, eſſe ſubuerſos. Hoc ipſum ſignificat & Ioannis vox in Euangelio: Ecce ſecuris ad radices arborū poſita eſt: Omnis arbor quæ non fecerit fructum, excidetur & in ignem mittetur. Diximus de ficu, monſtrantes eam eſſe populum Iudæorum.

Chryſ. Chryſoſt. homil. 12. in Marcum: In Euangelio ſecundum Lucam legimus: homo erat, inquit, quidā, qui in vinea ſua plantauit ficum. Cumque, inquit, veniſſet, & requiſiſſet fructus in ea, dicit ad agricolam, ecce iam tertio venio huc, & fructum quæro, & non inuenio. Dimitte me, & ſuccidā eam. Dimitte me. Quando dixit ad Moſem. Dimitte me, & interficiam Exod. 32. populū iſtum. Nemo te tenet, & dicis, dimitte me? Quando tu dicis, dimitte me: prouocas agricolā vt te teneat. Dimitte me, & ſuccidam illam. Ecce, inquit, tertio venio, & fructū non inuenio. Veni primùm in lege cum Moyſe, veni ſecundò in Prophetis, nouiſſimè ipſe per me venio, & fructum non inuenio. Ficus iſta non eſt plantata inter ſpinas, non eſt plantata foris, ſed in vinea domus Iſraël. Rem nouam Eſai 5. video. Spinæ gentium vuas adferunt, & ficus ficos non adfert? Ecce, inquit, venio tertiò, & fructum non inuenio; dimitte me & ſuccidam illam. Prouocatus agricola intellexit quod poſſit tenere Dominum, ſi rogaret. Rogat, & quid dicit? Dimitte Domine adhuc & iſtum annum: & circumfodiam illam, & mittam ſtercus, & ſi quidem fecerit fructum. Quid? nihil dicit. Si non fecerit, tunc, inquit, venies & ſuccides eam. Agricola deprecatur, facit Dominus quod voluerat. Rem dico nouam. Ignoſcit Dominus rogatus: quod feciſſet, etiā ſi rogatus non fuiſſet. Dimitte, inquit, adhuc vnum annum. Statim enim vt paſſus eſt Saluator, non eſt ſubuerſa Iudæa. Quadraginta enim & duo anni dati ſunt ad pænitentiam. Iſte eſt vnus annus, hoc eſt breue tempus, id eſt, datus ei locus pænitentiæ. Agricola circumfodit, miſit ſtercus. Qui ſunt iſti agricolæ? Apoſtoli, qui circumfodiunt, & miſerunt ſtercus. Ficus autem fructus non attulit. Sed videte quid dicat ipſe agricola: Et ſi quidem fecerit fructū; nihil intulit. Neque enim dixit, aut dimittes eam, aut nō dimittes aut habebis in vinea tua, aut deferes illam. Nihil tale dixit Et ſi quidem fecerit fructus; neſcio quid ſit futurum: tuo arbitrio derelinquo. Non enim dixit, permanebit in vinea ficus iſta. Et ſi fecerit fructum: non permanet in Iudæa Iſraël, ſed transfertur in Eccleſiam gentium. Si vero non fecerit fructum. Succiſam ficum oculis noſtris aſpicimus: Ruinas iſtas lapidum quas cernimus, radices ſunt ficus ſucciſæ.

Baſ. Baſil. in cap. 5. Iſa: Sane hoc dicebat, agricolam quidem excitans, vt eam diligentius excoleret: Sterilem vero animam promouens, ad proferendos fructus ſe dignos.

Aug. Aug. lib. 4. de Tri. cap. 4: Iuxta quippe eſt, in eodem Euangelij loco, arbor quoque illa ficulnea, cuius miſeram ſterilitatem etiā tertius annus arguebat. Sed ita pro illa interceſſum eſt, vt dimitteretur illo anno, vt ſi fructum ferret, bene: ſin aliter, excideretur. Nam & tres anni, ad eandem tripartitam diſtributionem pertinent: & menſes trium annorum, quadratum ſenarium faciunt, quod eſt ſexies ſeni. Annus etiam vnus ſi duodecim menſes integri conſiderentur, quos triceni dies complent (talem quippe menſem veteres obſeruauerunt, quem circuitus lunaris oſtendit) ſenario numero pollet. Et ſer. 31. de ver. Dom: De Aug. arbore ficulnea, quæ triennium habebat, & fructum non afferebat, quod Dominus donauerit, audite. Arbor ficulnea genus humanum eſt. Triennium autem tria ſunt tēpora, vnum ante legem, alterum ſub lege, tertium ſub gratia. Non eſt autem importunum, vt arbor ficulnea intelligatur genus humanum. Primus enim homo, quando peccauit, folijs ficulneis pudenda velauit. Hæc velauit, vnde nati ſumus, membra. Quæ enim ante peccatum fuerant glorianda, poſt peccatum pudenda ſunt facta.

Ficulnea ſignificat homines. Tres anni quid ſignificent.

Pudenda cur Adam velauit. Gen. 3.

facta. Denique antea nudi erant, & non confundebantur: Non enim erat vnde erubeſcerent; quando peccatum non præceſſerat, non poterant de ſui creatoris operibus erubeſcere, qui operibus ſui creatoris bonis, nullū adhuc malum opus ſuum miſcuerant. Nondum enim manducauerant de ligno ſcientię boni, & mali; vnde manducare prohibiti erant. Poſtea ergo quam manducauerunt & peccauerunt, natum eſt de illis genus humanum, id eſt, homo de homine, obnoxius de debitore, mortalis de mortali, peccator de peccatore. Hos ergo appellat in hac arbore, qui per omne tempus fructum dare noluerunt, & propter hoc imminebat ſecuris radicibus arboris infructuoſæ. Intercedit colonus, differtur ſupplicium, vt adhibeatur auxilium. Qui autem intercedit colonus, id eſt, omnis ſanctus, qui intra Eccleſiā orat pro eis, qui ſunt extra Eccleſiam. Et quid orat? Domine, dimitte illam, & hoc anno, id eſt, tempore iſto ſub gratia, parce peccatoribus, parce infidelibus, parce ſterilibus, parce infructuoſis. Circumfodio eam, & adhibeo cophinum ſtercoris. Si fecerit fructum, bene: ſin autem minus, venies, & amputabis eam. Venies, quādo? In iudicio venies, quando venturus es iudicare viuos, & mortuos. Interim modo parcitur. Quid eſt autem foſſa, quid eſt circumfodere, niſi humilitatem, pænitentiam, & patientiam docere? Foſſa enim humilis eſt terra. Cophinum ſtercoris in bono intellige, ſordes ſunt, ſed fructum dant. Sordes cultoris, dolor eſt peccatoris. Qui agunt pænitentiam, in ſordibus agūt, ſi tamen intelligant, & veraciter agunt. Huic ergo arbori dicitur: agite pęnitentiam, appropinquabit enim regnum cælorum. Et ſer. 1,1. de tempo: Merito etiam Dominus dicit in Euangelio, de quadam arbore infructuoſa, iam ecce triennium eſt, quod venio ad eam, & fructum in ea non inuenio: pręcidam illā, ne mihi agrum impediat. Intercedit colonus; intercedit iam ſecuri imminente infructuoſis radicibus, & penè feriente: intercedit colonus, quomodo interceſſit Deo Moyſes: intercedit colonus, & dicit; Domine, dimitte illam & hoc anno: Circumfodio ei, & adhibeo cophinum ſtercoris: ſi fecerit fructum, bene: ſi quo minus, præcides eam. Arbor iſta genus eſt humanum. Viſitauit iſtam arborem Dominus tempore Patriarcharum, quaſi primo anno; viſitauit eam tempore legis, & Prophetarum; quaſi ſecundo anno. Ecce in Euāgelio tertius annus illuxit. Iam quaſi præcidi debuit, ſed interpellat miſericors miſericordem. Qui enim ſe volebat exhibere miſericordem, ipſe ſibi oppoſuit interceſſorem. Dimittatur, inquit, hoc anno, circumfodiatur ei foſſa: lignum eſt humilitatis, adhibeatur cophinus ſtercoris, ſi forte det fructum: imo quia dat fructum, ex parte non dat fructum, veniet Dominus eius, & diuidet eam. Quid eſt diuidet? Quia ſunt boni, & ſunt mali. Modo autem in vno cætu, tanquam in vno corpore, ſunt conſtituti. Ergo fratres mei; vt dixi, ſtercoris locus opportunius dat fructum, importunius autem locum facit immundum. Neſcio quis triſtis eſt; inueni neſcio quem triſtem: ſtercus video, locum quæro; dic amice vnde triſtis es? Perdidi, inquit, pecuniam. Locus immundus, fructus nullus. Audiat Apoſtolum, triſtitia mundi mortem operatur. Non ſolum fructus nullus, ſed magna pernicies. Sic & de cæteris rebus ad gaudia ſæcularia pertinentibus, quas res longum eſt enumerare. Video alium triſtantem, gementem, flentem: multum ſtercoris video, & ibi locum quæro. Et cum viderem triſtem, flentē, inſpexi & orantem. Orans neſcio quid mihi bonæ ſignificationis ingeſſit. Sed adhuc locum quęro. Quid enim ſi iſte orans, gemens, magno fletu mortem roget inimicis ſuis? Etiam ſic iam plorat, iam rogat, iam orat, locus immundus, fructus nullus. Plus eſt quod inuenimus in ſcripturis: rogat vt moriatur inimicus ipſius, incidit in maledictionem Iudæ; oratio eius fiat in peccatum. Inſpexi alium rurſus gementem, flentem, orantem, ſtercus agnoſco, locū quæro. Intendi autem orationi eius, & audio dicentem; ego dixi, Miſerere mei, ſana animā meam: quia peccaui tibi: Demit peccatum: agnoſco agrum, expecto fructum: Deo gratias. Bono loco eſt ſtercus, non ibi vacat: fructum parturit.

Iſido. Peluſ. lib. 1. ep. 312: Euangelica ficulnea, humana natura eſt; Paterfamilias, Deus, ac Pater; agricola, Dei filius: Qui eam ob cauſam ad nos ſe contulit, vt vineam noſtram, à Patrefamilias, vt infrugiferam, ac ſterilem, excindi iuſſam, excoleret, & repurgaret. Sine autem eam, inquit, etiam hoc anno: Si per legem, & Prophetas nihilo meliores facti ſunt, nec pænitentiæ fructus ediderunt, mea quoque doctrina, meiſque cruciatibus irrigentur. Ac ſi quidem obedientiæ fructum extulerint, bene res habebit. Sin minus, in futurum ſuccides eam, eos videlicet in alio æuo, quod finem nunquam habiturum eſt, à iuſtorum parte amputans. Vide Greg. hom. 31. in Euang. lect. 1. 2. & 3. Sab. quat. temp. Sept.

Margin notes (left): Quis ſit colonus. — Quid circumfodere. — Stercora. — Aug. — Ficulnea ſignificat homines. — Quid tres anni ſignificent.

Margin notes (right): Quid circumfodere. — Stercus. — 2. Cor. 7. — Pſal. 108. — Pſal. 40. — Iſid. Ficulnea. Dominus. Cultor. — Hoc anno. — Stercora. — Succidere. — Greg.

Cap. 115. *Mulier contracta ſanatur.*

Mat.	*Mar.*	*Lucæ 13.*	*Ioan.*
		1 ERAT autem docens in ſynagoga eorum Sabbathis: & ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem, & octo: Et erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere.	

Mat.	*Mar.*	*Luc. 13.*	*Ioan.*
		2 Quam cùm videret IESVS, vocauit eam ad ſe, & ait illi; mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua.	
		3 Et impoſuit illi manus: & confeſtim erecta eſt: & glorificabat Deum.	
		4 Reſpondens autem archiſynagogus, indignans, quia Sabbatho curaſſet IESVS, dicebat turbę; ſex dies ſunt in quibus oportet operari: In his ergo venite, & curamini: & non in die Sabbati.	
		5 Reſpondens autem ad illum Dominus, dixit; hypocritæ vnuſquiſque veſtrum Sabbato non ſoluit bouem ſuum, aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare?	
		6 Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce, decem, & octo annis, non oportuit ſolui à vinculo iſto, die Sabbati?	
		7 Et cum hæc diceret, erubeſcebant omnes aduerſarij eius: & omnis populus gaudebat in vniuerſis, quę glorioſè fiebant ab eo. ✠. (Dicebat ergo, &c. cap. 63.	

Not. 1.

Summa. SANATVR mulier contracta, Sabbato: & Archiſynagogi ſuperſtitio redarguitur. Legem non ſoluis, ait Chriſtus, ſi Sabbato bouem, aut aſinum ligatum, vinculis expedias, & aquatum ducas: multo minus, quia filiam Abrahæ qui:, à poteſtate immundi ſpiritus, exemerit.

Verſ. 1.

Aug. AVG. lib. 4. de Trini. cap. 4: Intelligitur illa mulier in typo Eccleſiæ à Domino ſanata, & erecta, quam curuauerat infirmitas, alligãte Satana. De talibus enim occultis hoſtibus plangit illa vox Pſalmi: Curuauerunt animam meam. (Pſal. 56.) Hæc autem mulier, decem, & octo annos habebat in infirmitate; quod eſt terſeni. Menſes autem annorum decem, & octo inueniuntur in numero ſolidi quadrati ſenarij, quod eſt ſexies ſeni, & hoc ſexies.

Aug. Et ſer 31. de verbis Domini: Quid illa mulier decem, & octo annos habens in infirmitate? Sex diebus Deus perfecit opera ſua. Ter ſeni, decem & octo faciunt. Quod ergo ſignificauit triennium in arbore, hoc decem & octo anni in illa muliere. Curua erat, & ſurſum aſpicere non poterat: quia, ſurſum cor, ſine cauſa audiebat. Sed erexit eam Dominus. Eſt ergo ſpes, ſed filijs.

Amb. Ambroſ. lib. 5. Hexameron cap. 12: Nihil enim magis mentem onerat, quam iſtius mundi ſollicitudo, & cupiditas, vel pecuniæ, vel potentiæ. Quod tibi demonſtratur in Euangelio. cum legis, quia illa mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis, inclinata erat, vt ſurſum reſpicere non poſſet. Curuata enim erat anima eius, quæ inclinabatur ad terrena compendia, & cæleſtem gratiam non videbat. Reſpexit eam IESVS, & vocauit, & ſtatim mulier onera terrena depoſuit. Vide Gregor. (Greg.) homil. 31. in Euang. lect. 1. & 2. Sabb. quat. temp. Sept.

Not. 2. ver. 5.

Aug. AVG. lib. 2. quæſtionum Euangel. cap. 29: Illam mulierem, quam decem, & octo annis alligatam dixerat, & ab eadem alligatione ſoluebat, comparabat iumento, quod ſoluitur, vt ad aquam ducatur. Et paucis interiectis: Illam vero ita morbo incuruatam, vt ſe erigere non poſſet, animæ aſſimilauit terrenis opinionibus, vel operibus debilitatę, vel oppreſſæ, ita vt diuina cogitare non valeat. Vide Bed. (Bed.) not. 7. cap. 117.

Verſ. 6.

Amb. AMB. ſerm. 8. in Pſal. 118: Vinculis enim peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur, ſicut ipſe legiſti. (Vincula ſunt peccata.) Ligat nos vinculis carnis illecebra. (Prou. 5.) Vinculum noſtrum auaritia eſt, vinculum noſtrum ebrietas eſt, vinculum noſtrum concupiſcentia eſt, vinculum noſtrum ſuperbia eſt. Sunt & diaboli vincula. Denique ſcriptum eſt: Hanc autem filiam Abrahæ, quam ligauit Satanas decem, & octo annis. Ligat nos etiam diabolus criminum nexu; ligat nos vinculo fornicationis, vinculo adulterij, vinculo perfidiæ, qua Chriſtus negatur: vinculo inuidiæ, qua frequenter etiam frater appetitur: vinculo crudelitatis, qua nonnunquam ſocius, & conformis occiditur. Hæc ſunt vincula, quibus ligatus vnuſquiſque inclinatur, vt animam ſuam leuare non poſſit: nec obtutus ad cælum mentis erigere, niſi ei dicat Dominus; Dimiſſus es ab infirmitate tua: & munere eum ſuæ benedictionis erexerit. Hæc ſunt ſceleratorum vincula, quæ durè peccatores ligant.

Hiero. Hieron. in Pſalm. 102: Multas infirmitates habet anima noſtra. Quot peccata tot infirmitates. (Peccata ſunt infirmitates.) Denique & illa mulier in Euangelio, quæ decem, & octo annis habebat ſpiritum infirmitatis: & caput ſurſum erigere non poterat: videte quid dicat: Quando aliquis habet

habet ſpiritum infirmitatis contractus eſt: deorſum conſpicit, terram intuetur, cælum videre non poteſt. Et in Pſalm. 145: Filia Abraham decem, & octo annos incuruata fuerat, & vincta; ſoluitur, & in cælum reſpicit. Videte quid ibi dicitur in Euangelio: Ecce, inquit, quædam erat mulier, quæ ſpiritum infirmitatis habebat decem, & octo annis, & non poterat, inquit, eleuare ceruicem. Quoniam ſpiritum infirmitatis habebat, ceruicem ſurſum leuare non poterat. Dominus ſoluit compeditos. Ipſi ſunt compedes, quæ & opera: ſiquidem eadem peccata, quę & ceruices noſtras excipiunt, & ligant pedes. Quicumque compeditus eſt, currere non poteſt. Quicumque compeditus eſt, in ſtadio Chriſti currere non poteſt.

Hiero.

Compedes ſunt peccata.

Capvt 116. *Viam regni cælorum anguſtam eſſe.*

Mat. | *Mar.* | *Luc. 13.* | *Ioan.*

1 (c. 63.) ET ibat per ciuitates, & caſtella, docens, & iter faciens in Ieruſalem.

2 Ait autem illi quidam: Domine, ſi pauci ſunt, qui ſaluantur?

3 Ipſe autem dixit ad illos: Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.

4 Cùm autem intrauerit Pater-familias, & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare, & pulſare oſtium, dicentes: Domine, aperi nobis: & reſpondens dicet vobis: Neſcio vos vnde ſitis.

5 Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus: & in plateis noſtris docuiſti.

6 Et dicet vobis: Neſcio vos vnde ſitis. Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis.

7 Ibi erit fletus, & ſtridor dentium: cùm videritis Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei: vos autem expelli foras.

8 Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro: & accumbent in regno Dei.

9 Et ecce ſunt nouiſſimi, qui erunt primi: & ſunt primi, qui erunt nouiſſimi.

10 In ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere.

11 Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras: & tertia die conſummor.

12 Veruntamen oportet me hodie, & cras, & ſequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Ieruſalem.

13 Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te.

14 Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti?

15 Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.

16 Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cùm dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini.]

Not. 1.

Summa.

Docet Chriſtus anguſtam eſſe viam regni cælorum; ac proptereà ſedulo contendendum. Deinde monitus à Phariſæis vt ab Herode ſibi caueret; Reſpondit, quod vehemẽter eos momordit, nimirum ſibi non alibi, quam Hieroſolymis eſſe moriendum.

Verſ. 2.

Aug.

Avg. Serm. 32. de verbis Domini: Certè pauci ſunt qui ſaluantur. Recolitis quæſtionem ex Euangelio nobis modo propoſitam? Domine, dictum eſt, ſi pauci ſunt, qui ſaluantur? Dominus ad hoc quid? Non ait; non pauci, ſed multi ſunt qui ſaluantur. Non hoc dixit. Sed quid dixit? Cùm audiſſet; ſi pauci ſunt qui

ſunt qui ſaluantur: Contendite inquit, intrare per anguſtam portam. Quando audis ergo, pauci ſunt qui ſaluantur, confirmauit Dominus quod audiuit, & inquiens; per anguſtam portam pauci intrant: alio loco ipſe hoc ait; arcta via eſt & anguſta quæ ducit ad vitam; & pauci ſunt qui ingrediuntur per illam: lata autem, & ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad interitum, & multi ſunt qui ambulant per eam. Quid gaudemus ad multitudines? Audite me pauci; ſcio quia multi auditis, & pauci obauditis. Aream video & grana quæro. Et vix videntur grana quando area trituratur, ſed venturum eſt vt ventiletur. Pauci ergo qui ſaluantur in comparatione multorum periturorum. Nam ipſi pauci magnam maſſam facturi ſunt, cùm venerit ventilator ferens ventilabrum in manu ſua, & mundabit aream ſuam, frumenta recondet in horreo, paleam autem comburet igni inextinguibili. Non ſubſannet palea granum, hoc verum loquitur, neminem fallit. Eſtote ergo inter multos multi, ſed in comparatione quorundam multorum pauci: Tanta maſſa proceſſura eſt de hac area, vt impleat horreum cæli. Non enim contrarius ſibi eſſet Dominus IESVS, qui dixit; pauci ſunt qui intrant per anguſtam portam, multi per latam viam pereunt: Contrarius ſibi eſſet qui alio
Matt. 8. loco dixit; Multi ab Oriente & Occidente venient. Multi certè & pauci, & pauci & multi. Alij ergo pauci, alij multi? Non. Sed ipſi pauci qui multi, pauci in comparatione multorum perditorum, multi in ſocietate Angelo-
Apoc. 7. rum. Audite chariſſimi, Apocalypſis hoc ſcriptum habet, poſt hæc vidi ex omni lingua & gente & tribu venientes cum ſtolis albis & palmis, multitudinem quam nemo dinumerare poteſt. Hæc eſt maſſa Sanctorum. Quanto clariore voce dictura eſt area ventilata, à turba impiorum & malorum falſorumque Chriſtianorum ſegregata, ad ignes æternos ſeparatis his qui premunt, non tangunt.

Not. 2. ver. 3.

Bed. Anguſta porta. BEDA Luc. 13. cap: Per anguſtam portam aula ſalutis intratur, quia per labores neceſſe eſt, & ieiunia, ſeculi fallentis illecebra vincatur. Et bene dixit; contendite intrare: quia niſi mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur, per quam anima ſemper ad ima
Quærētes intrare nō poſſunt. reuocatur. Quærunt intrare ſalutis amore prouocati, & non poterunt itineris aſperitate deterriti. Quærunt hoc ambitione præmiorum, à quo mox laborum timore refugiunt. Non quia iugum Domini aſperum, aut onus eſt graue; ſed quia nolunt diſcere ab eo, quoniam mitis eſt, & humilis corde, vt inueniant requiem animabus ſuis: eoque fit anguſta por-
Baſil. ta, qua intratur ad vitam. Et Baſil. Moral. cap. 5: Ex hoc loco, & alijs oſtendit, quod confeſtim, vbi de hac vita migrauerimus, omnis nobis benefaciendi facultas præciſa eſt: Quodque hoc ipſum, quod hic viuimus temporis, nobis pro bonitate ſua Deus ad ea facienda præfiniuerit, per quæ eius gratiam ineamus.

Verſ. 4.

BEDA Luc. 13: Paterfamilias, videlicet Bed. Paterfamilias. Chriſtus, qui vbique totus eſt ex diuinitate, intus quidem eſt eis quos in cæleſti Patria præſens ſua viſione lætificat, ſed quaſi foris eſt adhuc eis quos in hac peregrinatione certantes occultus conſolator adiuuat. Iuxta quod ipſe promiſit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Intrabit autem & claudet oſtium, quando totum corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, Reſurrectionis gloria clarificatum ad ſuæ contemplationis gaudium perducens, reprobis locum pœnitentiæ tollet, quem nunc cunctis piè pulſantibus aperit. Nam foris ſtantes oſtium pulſare eſt, à beatorum ſorte ſecretos miſericordiam quam neglexerant à Deo fruſtra flagitare. Et reſpondens dicet vobis: Neſcio vos vnde ſitis. Quomodo neſcit vnde ſint, cum Pſalmus dicat, Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Et alibi ſcriptum ſit: Ipſe nouit decipientem & eum qui decipitur? Niſi quia ſcire Dei aliquando cognoſcere dicitur, aliquando adprobare. Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum; qui autem ignorat ignorabitur. Et ſcit ergo reprobos quos cognoſcendo iudicat; neque enim iudicaret quos minimè cognoſceret; & tamen quodammodo neſcit eos vnde Neſcire Domini quale ſit. ſint, apud quos fidei, & dilectionis ſuæ characterem non adprobat.

Verſ. 5.

BASIL. in Reg. Breuior. interrog. 282: Qui ſunt illi, qui dicunt; Manducauimus co- Baſ. ram te, & bibimus: & reſponſum ferunt; neſcio vos? Fortaſſe illi, quos in perſona ſua deſcripſit Apoſtolus, cum dixit; ſi linguis hominum loquar, & Angelorum, &c. Et ſi habue- 1. Cor. 13. ro omnem ſcientiam, & omnem fidem: & ſi diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum; & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt: quam quidem doctrinam acceperat idem Apoſtolus à Domino, qui de quibuſdam dixerat; faciunt enim vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt Matt. 6. mercedem ſuam. Quidquid enim non charitatis erga Deum, ſed humanæ laudis cauſa fit, cuiuſcumque generis illud factum ſit, id non laudem pietatis meretur: ſed iudicium incurrit, aut ſtudij hominibus alijs placendi, aut ſibi aut æmulationis, aut inuidentiæ, aut alterius cuiuſpiam huiuſmodi criminis. Quamobrem quidquid huiuſmodi eſt, hoc Quid ſit opus iniquitatis. Dominus iniquitatis opus appellat: Ita enim ijs reſpondet, qui dixerant illud; Manducauimus coram te, & bibimus: Diſcedite à me

à me operarij iniquitatis. Qui enim non ritè operarij iniquitatis appellantur, qui Dei donis ad mercaturam voluptatum ſuarum abutantur? Cuiuſmodi erant illi, de quibus eſt apud Apoſtolum; non enim ſumus ſicut multi, adulterantes verbum Dei. Et alio loco; exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem, & pleraque huiuſmodi. A quibus omnibus liberum fuiſſe eundem Apoſtolum, ex verbis ipſius illis intelligimus: Non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis; neque in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt; nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs.

2. Cor. 2. 1. Tim. 2. 1. Theſſ. 2.

Bed. Beda Luc. 13: Vel ſimpliciter intelligendum quod fidei myſteria ſperuentes Iudæi, eo ſe Domino notos arbitrentur, ſi ſolum victimas ad templum deferant, coram Domino epulentur, Prophetarum lectioni auſcultent, neſcientes illud Apoſtoli; non eſt regnum Dei eſca, & potus; ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto; & alibi. Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, id eſt, in circumciſione carnali. Vel myſticè ſentiendum, manducare eos & bibere coram Domino qui verbi pabulum digna auiditate ſuſcipiunt. Vnde & ipſi qui hæc dicunt, velut exponendo ſubiungunt, & in plateis noſtris docuiſti. Scriptura enim ſacra aliquando nobis cibus eſt, aliquando potus. In locis obſcurioribus cibus eſt, quia quaſi exponendo frangitur, & mandendo glutitur. Potus vero eſt in locis apertioribus, quia ita ſorbetur ſicut inuenitur. Et occulta ergo mandata ſacri eloquij, & aperta ſe intellexiſſe teſtantur, qui reprobanti ſe iudici quia manducauerint coram illo, & biberint conqueruntur.

Aug. Auguſtinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 55: Quid eſt autem dementius, quàm Sacramentis Domini communicare, & verbis Domini non communicare? Hi vtique dicturi ſunt, in nomine tuo manducauimus, & bibimus: & audituri; Non noui vos: qui corpus eius, & ſanguinem in Sacramento manducant, & bibunt, & membra eius totò orbe diffuſa in Euangelio non agnoſcunt; & ideo cum eis in iudicio non computantur.

Not. 3. ver. 6.

Amb. AMBROS. in Pſal. primum: Nouit Dominus viam iuſtorum; vias eorum vtique nouit, quorum dirigit greſſus; ſunt enim greſſus hominum, qui à Domino diriguntur. Diriguntur à Domino & viæ viri. Has nouit Dominus vias, quæ ſunt rectæ: quæ ad illam viam tendunt dicentis: Ego ſum via, veritas, & vita; hæc bona eſt via. Tortuoſa autem eſt via ſæculi. Non dignatur illam viam noſſe. Illos agnoſcit, qui ſunt ipſius, qui operantur opera eius. Qui autem operantur iniquitatem, his dicit Dominus: Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis: non noui vos. Non per ignorantiam, ſed per id, quod indigni ſint ſcientia Dei, neſciuntur.

Ioan. 14. 2. Tim. 2.

Dominus quomodo aliquos neſcit. Bed. Beda Luc. 13: Non, inquit, legalium feſtiuitatum epulatio iuuat, quem fidei pietas non commendat; non ſcientia ſcripturarum Deo notum facit, quem operum iniquitas obtutibus eius oſtendit indignum.

Hiero. Hieron. in cap. 19. Hierem: Quæ Dominus nec cogitauit, nec locutus eſt, nec aſcenderunt in cor eius. Non quod Deus futura neſcierit; ſed quod indigna ſua notitia; ignorare ſe dicat, iuxta illud Euangelicum: Diſcedite à me operarij iniquitatis, neſcio vos. Nouit enim Dominus eos, qui ſui ſunt. Et: Qui ignorat ignorabitur. Et in cap. 4. epiſt. ad Galatas: Quod autem ait: Nunc vero cognoſcentes Deum, magis autem cogniti ab eo: Illud oſtendit, quod poſt idolorum cultum, Deum intellexerint Galatæ: vel potius ipſi cognitione eius digni ſint iudicati. Non quod Deus creator omnium aliquid ignoret, ſed quod eos, tantum ſcire dicatur, qui errorem pietate mutauerint. Cognoſcit Dominus qui ſunt eius. Et Saluator in Euangelio: Ego ſum, ait, Paſtor bonus, & cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ. E contra ad impios: Neſcio vos, recedite à me operarij iniquitatis. Et ad ſtultas virgines: Neſcio vos quæ eſtis. Et apud eundem epiſt. de his, quæ Deo in Scriptur. Sacris attribuuntur, cuius initium eſt: Omnipotens Deus; ſub finem: Neſcire Dei, eſt reprobare, ſicut in Euangelio dicitur: Neſcio vnde ſitis; Recedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

Q. . Dominus neſciat. 2. Tim. 2. 1. Cor. 14. Hiero. Quos ſciat Dominus. 2. Tim. 2. Ioan. 10. Matt. 25. Hiero. Reprobi neſciũtur.

Not. 4. ver. 7. 9.

Bed. BEDA Luc. 13: Fletus de ardore, ſtridor dentium ſolet excitari de frigore. Vbi duplex oſtenditur gehenna. Id eſt, nimij frigoris, & intolerabilis eſſe feruoris. Cui Beati Iob ſententia conſentit, dicentis; Ad calorem nimium tranſibunt ab aquis niuium. Vel certe ſtridor dentium prodit indignantis affectum, eo quod ſerò vnumquemque pæniteat, ſerò ingemiſcat, ſerò iraſcatur ſibi, qui tam peruicaci improbitate deliquerit. Et ecce ſunt nouiſſimi qui erunt &c. Principalis quidem huiuſce ſententiæ ſenſus ex ſuperioribus patet, quia populi gentium diu ſine fide viuentes eſſent ad fidem vocandi, & Iudæi caput fidei, & iuſtitiæ per tot ſæcula tenentes futuri eſſent in caudam: poteſt autem & ita intelligi, quia nonnulli ad ſæculum deſpecti, magnam in futuro ſint gloriam habituri, & alij apud homines glorioſi à diſtricto ſint iudice damnandi. Poteſt & ita, quia multi ſerò ad Dei ſeruitium venientes, magnis vitæ meritis excellãt, alij vero à prima ætate ſpiritali ſtudio feruentes, ad extremum otio torpente laſſeſcant.

Fletus. Stridor dentium. Duplex gehenna. Iob. Stridor dentium. Quomodò primi, nouiſſimi. 1. Senſ. 2. Senſ. 3. Senſ.

Not. 5. verſ. 10.

Euth. EVTH. Luc. 13: Audiuo quod eijciendi eſſent foras,

Cur metu Herodis velint eũ abire.

foras, quodq́ue futuri eſſent poſtremi, accenſi ſunt ira: & ſimulata beneuolentia ſuadent illi vt exeat, ac ſecedat: hoc quidem prætextu ne ab Herode occidatur: In veritate autem, ne præſens, ac miracula edens, glorificetur, & attrahat turbam.

Verſ. 11.

Aug.

AVG. lib. 6. contra Iolianum cap. 8: Dominus in Euangelio, ecce, inquit, eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras, & tertio die conſummor. Poſt multum tempus, quod hoc dictum eſt, paſſus eſt Dominus. Mentiri non potuit. Intelligitur ergo ſic; expulſio dæmoniorum, remiſſio peccatorum eſt, eo vtique quo diabolus peccatorum Pater atque origo ſit, per id quod efficitur id, quod efficit. Et vtique expulſio dæmoniorum eſt remiſſio peccatorum, tanquam reſoluta cauſa, per quam hominis animam poſſidebat. Perfectio ſanitatum, dum de die in diem proficit Eccleſia, & corruptionis, cuius reatus ablatus eſt, Paſſio quotidiana renouatione minuitur. Tertia conſummatur, dum reſurrectionem in ſeipſo initiandam monſtrauit Eccleſiæ, qua ad incorruptionis conſummationem, ſummamq́ue perueniat ſanitatem. Se vero conſummari dixit. Et initium, & finis ipſe; ipſe caput, & plenitudo corporis; in membris ſuis ipſe perficitur. Nam recole, quid reſponderit liberator ipſe, atque ſaluator his, qui ei dixerant vt exiret de Hieroſolymis. Ecce, inquit, eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras, & tertia die conſummor. Lege Euangelium, & vide poſt quantum paſſus fuerit, & reſurrexerit. Ergo mentitus eſt? Abſit: Sed ſignificauit aliquid, quod iſta inter nos quæſtione verſatur. Expulſio quippe eſt dæmoniorum remiſſio peccatorum: perfectio ſanitatum, quæ fit proficiendo poſt baptiſmum. Tertia conſummatio eſt, quam ſuæ quoque carnis immortalitate monſtrauit, incorruptibilium beatitudo gaudiorum.

Expulſio dæmonum quid ſit. Sanitatũ perfectio quid ſit. Tertio die cõſummari quid ſit. Vbi hæc dicta ſint. Expulſio dæmonũ. Perficere ſanitates. Conſummatio.

Bed. Herodes cur vulpes dicatur. Vulpis qualitates.

Beda Luc. 13: Propter dolos, & inſidias Herodem vulpem appellat, quod plenum fraudis eſt animal, & in fouea ſemper latere deſiderans, odore etiam tetro putens, & nunquam rectis itineribus, ſed tortuoſis anfractibus currens. Quæ cuncta hæreticis, quorum Herodes typum tenet, congruunt, qui Chriſtum occidere, id eſt, humilitatem fidei Chriſtianæ credentibus eripere, moliuntur. Ecce eijcio dæmonia. &c. Myſticè hæc à Domino, & figuratè dicta intelliguntur; neque enim eo die paſſus eſt, qui eſt ab hoc die tertius, cum continuo dicat: Veruntamen oportet me hodie, &c. Ergo, quod ait; eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras, & tertia conſummor, referatur ad corpus eius, quod eſt Eccleſia. Expelluntur enim dæmonia, cum relictis paternis ſuperſtitionibus credunt in eum gentes: & perficiuntur ſanitates, cum ſecundum eius præcepta viuitur, poſteaquam fuerit diabolo, & huic ſæculo renunciatum, vſque in finem reſurrectionis. Qua tanquam tertia conſummabitur, hoc eſt, ad plenitudinem angelicam, per corporis etiam immortalitatem perficietur Eccleſia.

Eiectio dæmonũ. Perficere ſanitates. Tertio cõſummari.

Amb. Vulpis qualitas. Herodes cur dicatur vulpes.

Ambroſ. ſerm. 2. in Pſalm. 118: Ceruorum curſus directior, vulpeculæ flexuoſus. Ideo de Herode dicitur: Ite dicite vulpi illi: quia deflexerat à via recta, nec iter ſuum in iuuentute correxerat: dignus Hieremię threno, quo deflentur peccatores, qui iugum verbi in iuuentute ſuſcipere recuſarunt, ideo captiui ducti ſunt, ideo deplorantur tanquam mortui, quia vitæ neſcierunt ſemitas.

Hiero. Herodes cur vulpes dicatur. Vulpis qualitas.

Ieronymus in cap. 2 Ezechiel: Vnuſquiſque pro moribus ſuis ſortitur vocabulum. Scribis, & Phariſæis dicitur: Generatio viperarum. Et de Herode, qui verſipellis erat: Ite, & dicite vulpi huic. Et pſeudoprophetæ in hoc eodem Propheta vulpibus comparantur: & nunc corde indomabili, ſcorpiones eſſe dicuntur.

Euth. Hodie, & cras quid ſit. Tertio die cõſummari quid ſit.

Euthym. Luc. 13: Hodie vero, & cras, etſi enumeratorum dierum ſignificatiua apparent, attamen temporis ſignificant breuitatem. Solemus enim, quando modicum tempus indicare volumus, hodie & cras dicere. Similiter etiam quod dicit; tertio die conſummor, iudicat ſe non multò poſt moriturum. Hęc autem dixit, vt iram, ac inuidiam eorum mitigaret.

Theoph. Hodie, & cras quid ſit. Tertio die cõſummari quid ſit. Vbi hæc dicta ſint.

Theoph. Luc. 13: Vide autem, oro, quomodo malitiæ eorum reſpondeat. Quia enim illi propter ſanitates inuidebant, incutiebant ei metum ex Herode. Idcirco ipſe id, quod ſciebat illis potiſſimum dolere, dicit: Ecce enim ego, inquit, ſanitates perficio, & dæmonia eijcio. Nam (ſicut prædictum eſt) propterea inſectabantur eum, vt ne miraculis oſtenſis multos ad credendum ſibi alliceret. Hodie vero, & cras, plures dies ſignificat: quemadmodum & nos familiari ſermone conſueuimus dicere; Hodie, & cras fiet hoc: non omnino intra tam breue temporis interuallum rem circumſcribentes, ſed ſtatim fieri ſignificantes. Ita etiam Chriſtus dicens: Sanitates perficio hodie, & cras, & tertio die conſummor: non omnino ſignificare voluit, quod tertio die neceſſario ſit conſummandus; ſed breui mortem ſuam futuram declarat. Veruntamen oportet me hodie, & cras, hoc eſt, aliquo tempore, manere hoc loco, & operari miracula, & ſequenti in Ieruſalem proficiſci. Illic enim elegi mortem: quia & illi dicebant ei, egredere, quia Herodes te occiſurus eſt. In Galilæa autem hæc dicebant, cui præerat Herodes: monſtrabatq́ue eis, etiamſi plurimum vellet, non poſſe ab illo ſe interimi: non enim in Galilæa, ſed Ieruſalem præfinitum erat Chriſtum eſſe paſſurum. Et vt tibi Euangelij dictum maniſeſtius exponam, cum legeris, hodie, & cras, punctum facito, & tunc dic, proximo die proficiſci: quomodo numerantes ſæpe dicere conſueuimus; ego Dominico ſecũdo, & tertio die egredior: non quod egreſſurus ſum Dominico & ſecundo,

& ſecundo, ſed ſolùm duos illos dies enumeramus, vt manifeſtemus diem tertium. Ita ſane & Dominus hoc loco prius numerans inquit, Oportet me hodie, & cras, deinde tertio die proficiſci in Hieruſalem. Illic enim finis meus. Sicut autem ſupra diximus, non quod tribus diebus vitam ſuam circumſcribat, ſed pluribus quidem diebus, veruntamen non valde longo tempore ſe manſurum ſignificat: quaſi hæc dicat ad eos, qui ſibi inuidebant: Quid meam meditamini mortem? Ecce paulo poſt ipſa inſtabit.

Tit. Chriſtus voluntarie moritur.

Titus Luc. 13: Tertia die conſummor. Per hoc indicat, quo mundus per ipſum ſeruetur; ſponte ſe crucis tormenta ſubire.

Not. 6. verſ. 12.

Eut.

EVTH. Luc. 13: Oportet me hodie, & cras, ſiue modico tẽpore, operari quæ dixi: & perendie ambulare, id eſt, inſequenti die tranſire à vita præſenti, ſiue poſtmodum occidi à vobis, qui Hieroſolymis principatum tenetis. Quia fieri non poteſt, vt pereat propheta alibi, quàm Hieroſolymis, ironicè hoc dixit, obiurgãs Hieruſalem tanquam prophetarum homicidam. Eſt autem eiuſmodi ſententia ſermonis: quum me dicat prophetam, vtique occidet: Impoſſibile enim eſt, ſiue inſuetum, vt propheta alibi occidatur, quàm in ea.

Tit. Oportet.

Titus Luc. 13: Τὸ; oportet, non denotat hic ineuitabilem aliquam neceſſitatem, quæ Chriſtum vi quadam ad hoc, vel illud impulerit. Cõſtat namque in libera voluntatis illius poteſtate ſitum fuiſſe, liberè, inoffenſeque, quocumque libitum fuiſſet, concedere; totamque Iudæam, nullius prorſus inſultu, aut inſidijs impeditum, dum per pretioſam tandem crucem vitæ finem facere voluit, peragraſſe.

Hodie, cras & ſequenti die.

Hodie, & cras, & ſequenti die, hæc non vnius, aut alterius diei tantum; ſed plurium dierum ſpatium ſignificant. Non capit prophetam perire, extra Hieruſalem. Hac oratione Dominus Hieroſolymam, multarum cædium, & ſanguinum ſanctorum ream pronunciat, ſubindicatque ſeipſum quoq; prophetarum omnium Dominum, haud alibi, quam iſtic, mortem perpeſſurum.

Non capit.

Quod autem dicit, non capit, vel non contingit, &c. nemo ita accipiat, quaſi Iudæi vi aliqua fatali adacti ſint in ſanctos ſæuire; dictum eſt autem propter certam veritatis cognitionem; quatenus nimirum Chriſtus Dominus ſanguinariam illorum voluntatem exploratè compertam habebat.

Theoph. Non capit.

Theoph. Luc. 13: Cum verò audis, quod fieri non poſſit, extra Hieruſalem perire prophetam, ne putes Iudæos vi quadam, ac neceſſitate ad hoc faciendum compelli, ſed ſcias ſponte ſua homicidium iſtud patrare, & conſentaneè ad ſanguinariam illorum voluntatem iſtud dici: vt ſi quis videns crudeliſſimum maximeque ſanguinarium latronem vias obſidere, diceret, fieri non poteſt, viam hanc, in qua latro prætereuntibus inſidiatur, à ſanguine puram eſſe. Omnino enim hoc loco, quod conſentaneum eſt ad opera latronum, dicit. Sic igitur & in Hieroſolyma, quam occupauerunt latrones, Phariſæi, & Scribæ, fieri non poteſt, in alio loco, quam in illo, in quo ſunt latrones, perire Prophetarum Dominum, aſſueti enim effundere ſeruorum ſanguinem, etiam Dominum ipſum occident.

Not. 7. ver. 13.

EADEM habentur in fine cap. 156.

Bed. Hieruſal. quid ſit.

Beda Luc. 13: Hieruſalem non ſaxa, & ædificia ciuitatis; ſed habitatores vocat, quam patris plangit affectu, ſicut & in alio loco legimus, quod videns etiam fleuerit.

Theoph. Cur nomẽ duplicat.

Theoph. Luc. 13: Duplicatione nominis oſtendit amorem, quem erga illos habet Dominus. Quemadmodum enim amator quis ab amica contemptus, ita reuocat adulteram ſynagogam.

Ver. 14.

Bed.

Bed. Luc. 13: In eo autem quod dicit, quoties volui congregare filios tuos, omnes retro prophetas à ſe miſſos eſſe teſtatur. Auis quoque ſimilitudinem congregantis ſub pennis nidum ſuum, in cantico Deuteronomij legimus: ſicut aquila protegere nidum ſuum, & ſuper pullos ſuos deſiderabit, expandens alas ſuas, ſuſcepit eos, & tulit ſuper pinnas ſuas. Et pulchrè qui Herodem de ſua nece tractantem vulpem vocarat, ſeipſum aui comparat. Fraudulenta enim vulpes, ſemper inſidias auibus tendere non ceſſat.

Cur ſe Chriſtus aui comparet. Herodes cur dicatur vulpes. 1. qualitas vulpis.

Theop.

Theoph. Luc. 13: Oſtendit item ſuam miſericordiam, quod ſæpenumero voluerit congregare illos, & illorum ſignificat arrogantiam, dicendo, quia noluiſtis.

Euth. Nidus quid ſit.

Euth. Luc. 13: Nidum autem vocat pullorum multitudinem.

Ver. 15.

Hier. Domus quid.

Hieron. Eſaiæ 31: Domus enim, id eſt, templum meum dimiſſum eſt, dicente me ad Apoſtolos: Surgite, abeamus hinc; Et ad incredulos: Relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Adyta templi, & ſecreta myſteria, palpabiles tenebræ poſſederunt, & facta ſunt nequaquam cellaria vaſorum Domini, ſed ſpeluncæ vſque in ſempiternum.

Hier.

Et Abac. 3: Cui ſenſui poteſt illud aptari, quo egreſſus ſit pater cum filio de templo, & de ceremonijs Iudæorum, dicens: Relinquetur vobis domus veſtra deſerta; & venerit ad ſalutem gentium, vt ſaluaret credentes per Ieſum Chriſtum filium ſuum.

Hier.

Et Matth. 12: Vacabat enim templum Iudæorum, & Chriſtum hoſpitem non habebat dicentem: Surgite, eamus hinc. Et in alio loco: Dimittetur vobis domus veſtra deſerta.

Bed. Nidus. Domus.

Bed. Luc. 13: Ipſam ciuitatem, quam nidum ſuum vocauerat, nunc domum Iudæorum appellat. Quæ non immerito Domini auxilio nu-

data, ſuæ ditioni relinquitur, quia non ſolum auis illius omnipotentis, quam Matthæus gallinam nuncupat, alis protegi deſpexit, ſed & eandem auem ſe protegere volentem vulpibus deuorandam, id eſt, Herodi, & Pilato crucifigendum tradidit Chriſtum. Nec mora; vulpium earundem, hoc eſt, regum terræ, & ipſa rapinæ donatur. Occiſo enim Domino venerunt Romani, & quaſi nidum vacuum diripientes tulerunt eorum locum, gentem, & regnum.

Theoph. Quid ſit domus. Cur ait, veſtra.

Theoph. Luc. 13: In tantum enim odio habui malitiam veſtram, vt neque templum domum meam eſſe dicam, ſed domum veſtram. Nam quamdiu vitam veſtram bene gerebatis, & templum meum erat: quia autem illud contaminaſtis, & negotiationis domum, & ſpeluncam latronum feciſtis, varijſque negotiationibus, & auaris veſtris ſtudijs viciſſim ſeruitis (negotiatio enim latrocinium eſt, ſupplantans fratres, & rapiens quæ illorum: id quod & latrones faciunt: inuadunt enim viatores, vt illorum bona rapiant.) Et quoniam ſpeluncam latronum templum feciſtis per negotiationum ſpeciem, quas in ipſo orationis loco faciebatis; non vltra mea erit domus; ſed veſtra. Non ſolum autem templum intelligas domum, ſed omnem generationem Iudæorum. Solet enim ſcriptura & genus domum appellare; vt: Domus Leui benedicite Dominum. Et hoc loco poteſt intelligi, domus veſtra relinquitur, hoc eſt, genus veſtrum relinquitur à me: ſicut per prophetam alibi dicit: Dereliqui domum veſtram, hæreditatem meam reliqui. Domum enim illic dicit Iſraelitas, oſtendit autem quod & ante hoc ipſe eos conſeruarit, & ab inimicis liberarit.

Pſal. 134.

Not. 8. ver. 16.

Theoph. De vltimo aduentu hic agitur.

Theoph. Luc. 13: Dicens, non me videbitis donec dicatis; Benedictus qui venit: ſecundum ſignificat aduentum. Inuoluntarij enim tunc confitebuntur & Saluatorem, & Dominum: quando ipſis nulla inde vtilitas eueniet. Quid igitur? Non viderunt illum à quo tempore hæc dixit? vtique. Dicens enim, non me videbitis ex illo tempore: non horam, quæ tunc erat, ſignificat; ſed tempus quod poſt crucem: ſicut ſi dixiſſet; à tempore, quo me crucifixeritis, non vltra me videbitis donec redeam.

Verus ſenſus.

Bed.

Beda Luc. 13: Hæc quidem turbæ dixerunt Domino veniente ad Hieruſalem; ſed quia Lucas non dicit quò hinc abſceſſerit Dominus, vt non veniret, niſi eo tempore, quo iam illud diceretur (perſeuerat quippe in itinere ſuo, donec veniat Hieruſalem) cogit profectò hoc myſticè intelligi; hoc eſt, de illo eius aduentu, quo in claritate venturus eſt: Maxime cum Matthæus hæc Dominum poſt decantatas ei à turba laudes dixiſſe teſtetur. Aliter quod dicit, hoc eſt, niſi pænitentiam egeritis, & confeſſi fueritis ipſum eſſe me, de quo prophetę cecinerunt, filium omnipotentis patris, meam faciem non videbitis. Habent Iudæi datum ſibi tempus pænitentiæ, confiteantur benedictum, qui venit in nomine Domini, & Chriſti ora conſpicient.

De quo hic aduentu agatur.

Aug.

Aug. lib. 2. de conſenſ. cap. 75: Sane conſiderandum eſt, quomodo hic dictum ſit, non me videbitis amodo donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini: cum ſecundum Matthæum iam hoc dixerint. Lucas enim dicit, hoc eſſe reſponſum à Domino illis, quo eum monuerant, vt inde iret, quoniam vellet eum Herodes occidere. Ibi etiam aduerſus ipſam Hieruſalem, ea prorſus verba ab illo eſſe dicta commemorat, quæ hic Matthæus. Sic enim narratur ſecundum Lucam; in ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorum, dicentes illi; exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere, &c. narrationi quidem huic Lucæ non videtur aduerſari, quod turbæ dixerunt Domino venienti ad Hieruſalem: Benedictus qui venit in nomine Domini; ſecundum quippe Lucæ ordinem nondum illuc venerat, & nondum dictum erat. Sed quia non dicit, quò inde tunc abſceſſerit, vt non veniret, niſi eo tempore, quo iam illud diceretur, perſeuerat quippe in itinere ſuo, donec veniat Hieruſalem atque illud quod ait: Ecce ego eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras, & tertio die conſummor: myſticè ab illo, & figuratè dicta intelliguntur (neque enim eo die paſſus eſt, qui eſt ab hoc die tertius: cum continuo dicat; oportet me hodie, & cras, & ſequenti ambulare) cogit profectò etiam illud myſticè intelligi quod ait: Non videbitis me, donec veniat cum dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini: de illo ſuo aduentu quo in claritate venturus eſt, hoc ſignificans: vt illud quod ait: Eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras, & tertio die conſummor: referatur ad corpus eius, quod eſt Eccleſia. Expelluntur enim dæmonia cum relictis paternis ſuperſtitionibus credunt in eum gentes. Et perficiuntur ſanitates, cum ſecundum eius præcepta viuitur poſteaquam fuerit diabolo, & huic ſæculo renunciatum; vſque in finem reſurrectionis, qua tanquam tertia conſummabitur: hoc eſt, ad plenitudinem Angelicam per corporis etiam immortalitatem perficietur Eccleſia, quapropter ordo iſte Matthæi nequaquam putandus eſt in aliquid aliud eſſe digreſſus. Sed Lucas magis intelligendus eſt vel præoccupaſſe, quæ geſta ſunt in Hieruſalem, & recordando interpoſuiſſe, antequam eius narratio Dominum perduceret Hieruſalem, aut eidem ciuitati iam propinquantem talia reſpondiſſe monentibus vt caueret Herodem, qualia Matthæus eum dicit etiam turbis locutum, cum iam perueniſſet in Hieruſalem, atque illa omnia peracta eſſent, quæ ſupra narrata ſunt.

cap. 116. ver. 24. Quando dictũ ſit à Domino.

De vltimo aduentu hoc intelligi.

Eiectio dæmonum.

Perficere ſanitates.

Tertia die conſummatio.

Quando hoc dictũ ſit à Domino.

Vbi hæc dicta ſint à Domino.

CAP. 117.

CAP. 117. *Sabbato curatur Hydropicus.*

Matt. | *Mar.* | *Luc. 14.* | *Ioan.*

Dom. 16. poſt Pentec.

1 [ET factum eſt, + cùm intraret Ieſus in domum cuiuſ-
dam principis Phariſæorum, ſabbato manducare pa-
nem, & ipſi obſeruabant eum.
2 Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.
3 Et reſpondens Ieſus, dixit ad Legiſperitos, & Phariſæos,
dicens: Si licet ſabbato curare? At illi tacuerunt.
4 Ipſe verò apprehenſum ſanauit eum, ac dimiſit.
5 Et reſpondens, ad illos dixit: Cuius veſtrum aſinus, aut
bos in puteum cadet: & non continuò extrahet illum die
ſabbati? Et non poterant ad hæc reſpondere illi.

Not. 1.

Summa. PERGIT Lucas commemorare Phariſæorum contra Dominum technas; & quomodo peruerſa eorum iudicia, & mores à Domino ſint notati, & reprehenſi; & ijdem accommodatis exemplis, ad meliorem vitam peragendam ſint inſtituti. Nam hoc fere multis capitibus agit. Inuitatus ergo die ſabbathi, apud quendam inter Phariſæos magnum, diſcubuit: Vbi ſanauit hydropicum forte ſtudio ante ſe collocatum: taciteque Phariſæorum reprehenſioni ratione efficaci ſatisfaciens, ea opera nihil præiudicij allatum eſſe diei feſto clarè docuit.

Ver. 1.

Hier. Panis eſt omnis cibus. Hieron. in cap. 18. Ezechielis: Dicit in pane omnem cibum contineri. Hier. Obſeruatio eſt multiplex. Et in cap. 3. epiſt. ad Philipp: Dupliciter dicitur obſeruare, vel ad imitandum, vt hic: vel ad cauendum, ſicut ad Rom. 16. Romanos 16. ait Apoſt: Obſeruate eos, qui diſſenſiones, & offendicula faciunt.

Ver. 2.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 6. ad Antiochenos: Sicut ſplene, & intercute laborantes, cum larga fruuntur menſa, & frigida potione, & delicatis ferculis, Hydropiſis natura. & ſaporibus; tunc præcipuè omnium ſunt miſerrimi, delitijs morbum augentes; ſi vero ſiti, & fame ſecundum medicorum leges crucian- Simile. tur, aliquam ſalutis ſpem habent; ſic & in iniquitate viuentes, ſi puniantur quidem, bonam ſpem habent; ſi vero cum iniquitate, licentia, & delitijs fruantur, & hydrope laborantibus ſimul & crapulantibus ſunt multo miſeriores; & tanto magis, quanto corpore melior eſt anima. Si aliquos igitur in ijſdem eſſe peccatis videris, & hos quidem fame continua, & innumeris malis laborantes: hos vero potantes, gaudentes, & crapulantes; eos, qui grauia patiuntur, minus miſeros puta. Etenim delectationis flamma ærumnis interciditur, & apud futurum iudicium, & terribile tribunal illud non parum patrocinij capientes migrant, qui multa diſſoluerunt peccata ex his, quæ hic grauia paſſi ſunt.

Aug. Hydropiſis morbus eſt incurabilis. Auguſt. lib. 9. de Geneſi ad litteram cap. 10: Quid aliud, non dicam nati, ſed omnino concepti, niſi ægritudinem quandam inchoamus, qua ſumus, ſine dubio, morituri? neque enim tam neceſſe eſt eum ipſo morbo mori, qui hydropicus, vel diſentericus, vel elephantioſus factus fuerit, quam eum, qui hoc corpus habere cœperit, in quo omnes homines natura ſunt filij iræ: quia hoc non fecit, niſi pœna peccati.

Bed. Hydropis natura. Beda Luc. 14: Hydropis morbus, ab aquoſo humore vocabulum trahit. Græcè enim *hydoz*, aqua vocatur. Eſt autem humor ſubcutaneus, de vitio veſicæ natus, cum inflatione, turgente, & anhelitu fœtido. Propriumque eſt Hydropici proprium. hydropici, quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius ſitire. Et ideo rectè Sitire. comparatur ei, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans adgrauat. Comparatur diui- Grauari. Auarus hydropico eſt ſimilis. ti auaro, qui quanto eſt copioſior diuitijs, quibus non bene vtitur, tanto ardentius talia concupiſcit. Quod dicitur reſpondiſſe Ieſus, ad Ver. 3. Quomodo reſpondet quem nullus interrogat. hoc reſpicit, quod præmiſſum eſt: Et ipſi obſeruabant eum, Dominus enim nouit cogitationes hominum. Sed merito interrogati tacent, qui contra ſe dictum, quidquid dixerint Pſal. 93. vident. Nam ſi licet ſabbato curare, quare Cur taceſt. Saluatorem, an curet, obſeruant? ſi non licet, quare ipſi ſabbato pecora curant?

Not. 2. ver. 4. 5.

Amb. AMB. lib. 7. in Lucam: Ideo primo ab hinc loco curatur hydropicus, in quo fluxus carnis exuberans animæ grauabat officia, ſpiritus extinguebat ardorem.

Greg. Greg. lib. 14. Moral. cap. 5. ſuper illud Iob 18: Exardeſcet contra eum ſitis.) In eius quippe

animo contra eum ſitis exardeſcit: quia quo agere peruerſa conſueuit, eo ad ebibenda mala vehementer accenditur. Impio quippe ſitire, eſt huius mundi bona concupiſcere. Vnde & Redemptor noſter ante Phariſæi domum hydropicum curat. Et cum cōtra auaritiam diſputaret, ſcriptum eſt: audiebant autem hæc omnia Phariſæi qui erant auari, & deridebant illum. Quid eſt ergo quod ante Phariſęi domum hydropicus curatur, niſi quod per alterius ęgritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis? hydropicus quippe quo amplius biberit, amplius ſitit: & omnis auarus ex potu ſitim multiplicat: quia cum ea, quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. Qui enim adipiſcendo plus appetit, huic ſitis ex potu creſcit.

Sitire quid ſit.

Cur hydropicus ante Phariſæos curetur.

cap. 125 ver. 20.

Hydropico ſimilis auarus.

Bed.

Cur hydropicus ante Phariſæos curetur.

Beda Luc. 14: Prouida diſpenſatione Dominus ante Legiſperitos, & Phariſæos hydropicum curat, & mox contra auaritiam diſputat, vt videlicet per huius ægritudinem corporis, in illis exprimeretur ægritudo cordis. Denique poſt multa diſputationis eius hortamenta ſubiunctum eſt: Audiebant autem omnia hæc Phariſęi, qui erant auari, & deridebant illum. Hydropicus quippe, quo amplius biberit, amplius ſitit. Et omnis auarus, ſitim multiplicat: qui cum ea quæ appetit adeptus fuerit, ad appetenda alia, amplius anhelat. Hic obſeruatores ſui Phariſæos conuincit, vt eoſdem etiam auaritiæ condemnet. Si vos, inquit, in ſabbato aſinum, aut bouem, aut aliud quodlibet animal in puteū decidens eripere feſtinatis, non animali, ſed veſtræ auaritiæ conſulentes; quanto magis ego hominem, qui multo melior eſt pecore, debeo liberare? Congruenterque hydropicum, animali,

ver. 5.

quod cecidit in puteum, comparauit: humore enim laborabat: Sicut illam mulierem quam decem, & octo annis alligatam dixerat, & ab eadem alligatione ſoluebat, comparauit iumento, quod ſoluitur, vt ad aquam ducatur. Et bene vtroque loco bouem poſuit, & aſinum: quia ſiue ſapientes quoſque & hebetes, ſiue, vt ſupra dictum eſt, vtrumque populum eos ſignificare ſentiamus, eum videlicet, cuius ceruicem iugū legis attriuit, atque eum, quem quilibet ſeductor reperit quaſi brutum animal, & nulla ratione renitens, quo voluit errore ſubtraxit. Omnes Saluator adueniens, Satanæ vinculis adſtrictos, omnes in imo concupiſcentiæ puteo demerſos inuenit. Non eſt enim diſtinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis, per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Cur hydropicus animali in puteum cadēti comparetur.

Cur bos, & aſinus ponantur.

Aug. Quæſt. Euang. lib. 2. cap. 29: Congruenter hydropicum animali, quod cecidit in puteū comparauit; humore enim laborabat. Hydropicum recte comparamus diuiti auaro; ſicut enim ille quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius ſitit; ſic iſte, quanto eſt copioſior diuitijs, quibus non bene vtitur, tanto ardentius talia concupiſcit.

Aug. Cur hydropicus in puteum cadenti animali cōparetur.

Auarus hydropico ſimilis ſit.

Ex hoc loco manifeſtum eſt, in quæſtionibus Theologicis reijcienda non eſſe argumenta ex naturali ratione petita, vt faciunt quidā Theologiam ſcholaſticam irridentes. Nam ſæpe vſus eſt Dominus argumentationibus ex naturali ratione ductis, tanquam neceſſarijs, ad hominibus viam ſalutis perſuadendum: vt videre licet Matt. 22. Mar. 12. Luc. 11. Ioan. 10. & alibi. Sic & in Epiſtolis ſuis Apoſtoli frequenter.

Chriſtus, & Apoſtoli philoſophantur.

Cap. 118. *Quo loco in nuptiis accumbendum: pauperes ad menſam inuitandos.*

Matt.	*Mar.*	*Luc 14.*	*Ioan.*
		1 Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos. 2 Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco: ne fortè honoratior te ſit inuitatus ab illo. 3 Et veniens is, qui te, & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere. 4 Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouiſſimo loco. 5 Vt cùm venerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, aſcende ſuperiùs. 6 Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus. 7 Quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. ✠ 8 Dicebat autem & ei, qui ſe inuitauerat: Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites. 9 Ne fortè te & ipſi reinuitent: & fiat tibi retributio. 10 Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris. 11 Quia non habent retribuere tibi. 12 Retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.	

Not. 1.

Summa. EODEM conuiuio docuit inuitatos, quam humilitatem in deligendo menſæ loco ſeruare debeant; & inuitantem, quos maxime inuitare conueniat.

Ver. 1.

Amb. Humilitas. Amb. lib. 7. in Luc: Docetur humilitas, dum in illo conuiuio nuptiali, &c. lect. 7. & 8. Dom. 16. poſt Pent.

Baſ. Baſ. hom. 22: Iſta, & ſimilia contra animi ſuperbiam perpetuo nobis ipſis occinamus, nos ipſos deturbantes vt à Domino exaltemur, imitantes Dominum qui ad extremam vſque humilitatem è cælo deſcendit, & rurſus ex humilitate ad competentem ſublimitatem exaltatus eſt. Vniuerſam namque Domini diſpenſationem ad humilitatem nos inſtruere deprehendimus. Cum infans eſſet, mox in ſpelunca, nec lecto, ſed præſepi imponitur. Deinde in domicilio fabri & matris paupercula enutritur, ſubditus matri & illius ſponſo. Docetur, audiens quorum non egebat, interrogans vero, & interrogando admirabilem declarat ſapientiam. Subditur Ioanni, & baptiſmum ſuſcipit à ſeruo Dominus. Nemini aduerſariorum reſiſtit, neque inenarrabilem ſuam poteſtatem in quenquam vibrat, ſed quaſi potentioribus cedit, & poteſtati temporariæ potentiam quam illa habebat permittit. Principibus ſacerdotum in forma rei ſiſtitur, ad præſidem ducitur, & iudicium illius ſuſtinet. Et cum poſſet calumniatores ſuos arguere, ſilentio tolerat illorum calumnias. Conſpuitur à ſeruis ac viliſſimis pueris. Morti traditur, eique hominum iudicio turpiſſimæ. Ita hominem omnia ab ipſa natiuitate ad mortem vſque exercuerunt. Poſt tantam vero animi humilitatem tandem & gloriam ſuam exerit, vna ſecum glorificans quotquot cum ipſo ignominiam tulere, quorum primi ſunt beati diſcipuli, qui pauperes ac nudi orbem percurrerunt, non in ſapientia ſermonis, non ſequacium multitudine ſuffulti, ſed ſoli, & piſcatores, & deſolati, terram ac mare peragrantes, flagris cæſi, lapidati, perſecutione iactati, tandem occiſi. Iſta ſunt nobis paternæ ac diuinæ inſtitutiones. Ad horum nos imitationem conferamus; vt ex humilitate nobis ſempiterna naſcatur gloria, quæ perfectum eſt ac verum Chriſti donum. Quonam igitur pacto ad ſalutarem hanc animi humilitatem pernicioſa ſuperbiæ elatione relicta deſcendemus? Si perpetuo ſtudium modeſtiæ exerceamus, nec quidquam contemnamus tanquam à quo nihil ſumus læſi. Vitæ namque ſtudijs & exercitijs aſſimilatur anima, & qualia facit talis etiam formatur, & iiſdem configuratur. Sit tibi & ornatus, & indumentum, & inceſſus & cathedra, & certa ac tranquilla alimonia, & lectus paratus, & domus, & vaſa domeſtica, quorum omnium vſus ſit ad frugalitatem, & ſermo, & cantus, & proximi conuictus, & hæc ad mediocritatem magis, quam ad feſtum. Vide ne in ſermone arrogantiam vſurpes ſophiſticam, neque in cantu ad voluptatem accommodatæ voces ſuperiores habeant, neque dictionem oſtentes ſuperbam ac grauem. Sed in omnibus ſplendori ac magnificentiæ detrahas, comis erga amicum, manſuetus erga domeſticum, patiens erga temerarios, humanus erga humiles, patronus afflictis, inuiſens in dolore conſtitutos, in ſumma neminem contemnens, ſuauis in appellatione, alacer in reſponſione, dexter, & expoſitus vniuerſis, neque tua ipſius celebrans encomia, neque alios qui hoc faciunt ſubornans, neque inhoneſtam de proximo famam admittēs, & virtutes tuas ac prærogatiuas quantum fieri poteſt obtegens, peccatorum vero gratia teipſum accuſans, nec exſpectans vt ab alijs reprehendare, vt idem facias quod iuſtus, qui in principio ſermonis ſeipſum accuſat, & ſis qualis erat Iob, quem non puduit vrbis tumultuationem propriam contra ſe deprædicare ruinam. Ne ſis increpando moleſtus, ac ſeuerus, neque ſtatim, aut cum animi commotione quenquam reprehendas. (Reſipit enim hoc contumaciam quandam) neque propter modica delicta condemnes aliquem, quaſi rigidus ac prædurus iuris exactor, ſed eos qui deliquerunt complectare, & ſpiritualiter inſtruas. Quemadmodum admonet Apoſtolus, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Et tantum ſtudij impendas ne apud homines glorioſus habeare, quantum impendunt alij vt glorificentur, ſi quidem Chriſti memor fueris, qui mercedē apud Deum amittit, dicit, ſi ſponte apud homines cupias illuſtris haberi, & bonum ad hoc facias, vt conſpicuus ſis hominibus. Abſtulerūt, enim, inquit, mercedem ſuam. Itaque nolis tibi ipſi nocere, apud homines conſpicuus eſſe cupiens. Quandoquidem Deus, magnus ille, ſpectator eſt, illi placere geſtias, nam ſplendidè remunerat. At prælatus es alijs, & concomitantur te homines ac glorificant? Par eſto ſubiectis, non tanquam Dominum exercens aduerſus cleros, vt, Apoſtolus, inquit, neque ſecularibus te principibus conformes. Qui namque primus eſſe cupit, omnium hominum ſeruum eſſe iubet Chriſtus. Vt ſummatim dicam, ita perſequutor animi humilitatem, vt decet humilitatis amatorem. Ama illam, & glorificabit te. Hoc pacto ritè ad veram gloriam pertinges, quæ eſt coram Angelis, quæ eſt apud Deum, agnoſcet te Chriſtus tanquam diſcipulum ſuum coram Angelis, & glorificabit te, ſi humilitatis ipſius fueris imitator, qui dixit: Diſcite à me, quoniam mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.

Not. 2. ver. 2.

Prouerb. 25: Nolite oſtentare coram Rege, & in loco magnatum, id eſt, in quo debent eſſe magnates, ne ſteteris. Præſtat enim vt tibi dicatur, aſcende huc, quam te loco deijci coram principe, quem aſpexerant oculi tui. Prou. 25.

Ver. 4. 5.

Bern. Bern. ſerm. 37. in Cant: Nunc de ignorantijs vide. Etenim ſicut initium ſapientiæ timor Domini, ſic initium omnis peccati ſuperbia, & quomodo perfectionem ſibi ſapientiæ vendicat amor Dei, ita deſperatio ſibi omnem malitiæ conſummationem. Et quemadmodum ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia Dei itidem amor: ſic è contrario de ignorantia tui ſuperbia, ac de Dei ignorantia venit deſperatio. Sic autem ſuperbiam parit tibi ignorantia tui, cum meliorem, quam ſis, decepta & deceptrix tua cogitatio te eſſe mentitur. Hoc quippe eſt ſuperbia, hoc initium omnis peccati, cum maior es in tuis oculis, quam apud Deum, quam in veritate. Et ideo qui primus peccauit hoc grande peccatum (diabolum loquor) de ipſo dictum eſt, quia in veritate non ſtetit, ſed mendax eſt ab initio: quoniam quod in ſua fuit cogitatione, nõ fuit in veritate. Quid ſi in eo diſcordaret à veritate, vt minorem ſe inferioremque putaret quam veritas haberet? Excuſaret eum ſua proculdubio ignorantia, & minime reputaretur ſuperbus, nec tam inueniretur iniquitas eius ad odium, quam humilitas fortaſſis ad gratiam. Si enim in quonam ſtatu vnumquemque noſtrum habeat Deus, liquido cognoſceremus: nec ſupra ſane, nec infra ſecedere deberemus, veritati in omnibus acquieſ-
1 Reg. 21 centes. Nunc autem quia conſilium hoc poſuit tenebras latibulum ſuum, & ſermo abſconditus
Eccl, 9. eſt à nobis ita vt nemo ſciat ſi dignus ſit amore vel odio, iuſtius tutiuſque profecto, iuxta ipſius veritatis conſilium, nouiſſimum nobis locum eligimus, de quo poſtmodum cum honore ſuperius educamur, quam præſumimus altiorem vnde cedere mox oporteat cum rubore. Non eſt ergo periculum quantumcumq; te humilies, quantumcumq; reputes minorem quam ſis, hoc eſt, quam te veritas habeat. Eſt autem grande malum, horrendumque periculum, ſi vel modice plus vero te extollas, ſi vel vni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem fortè parem tibi veritas iudicat, aut etiam ſuperiorem. Quemadmodum enim ſi per oſtium tranſeas, cuius ſuperliminare (vt ad intelligentiam loquar) nimium baſſum ſit, non nocet quantumcumq; te inclinaueris, nocet autem ſi vel tranſuerſi digiti ſpatio plus quam oſtij patitur menſura, erexeris, ita vt impingas, & capite quaſſato collidaris: ſic in anima non eſt plane timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiumque pauenda vel minima temere præſumpta erectio. Quamobrem noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid ſcis enim, ô homo, ſi vnus ille quem forte omnium viliſſimum atque miſerrimum reputas, cuius vitam ſceleratiſſimam ac ſingulariter fœdiſſimam horres, & propterea illum putas ſpernendum non modo præ te, qui forte iam ſobriè, & iuſtè, & piè viuere te confidis, ſed etiam præ cæteris omnibus ſceleratis tanquam omnium ſceleratiſſimum: Quid ſcis, inquam, ſi melior & te & illis mutatione dexteræ excelſi in ſe quidem futurus ſit, in Deo vero iam ſit? Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipſum ſaltem inter nouiſſimos eligere locum nos voluit; ſed recumbe, inquit, in nouiſſimo loco: vt ſolus videlicet omnium nouiſſimus ſedeas, teque nemini non dico præponas, ſed nec comparare præſumas. En quantum malum venit de ignorantia noſtri. Vtique peccatum diaboli, & initium omnis peccati ſuperbia.

Tho. Baſ. Tho. in cate. Luc. 14. ex Baſ: Occupare locum vltimum in conuiuijs, iuxta mandatum Dominicum, conueniens eſt; ſed rurſus in hunc contentioſè irruere, reprobum; tanquam interemptorium ordinis, & cauſatiuum tumultus; & de eo mota contentio æquipatabit vos litigantibus de primatu. Quapropter ſicut hic Dominus dicit, expedit conuiuium facienti committere accubitus ordinem; ſic & in patientia nos mutuo ſuſtinebimus honeſtè, & ſecundum ordinem omnia proſequentes, non ad apparentiam plurium: nec videbimur humilitatem pertractare per vehementem contradictionem; magis autem per humilitatem patientiam obtinebimus. Maius eſt enim ex repugnantia ſuperbiæ iudicium, quam ex primo accubitu, quando eum cum imperio obtinemus.

Not. 3. verſ. 7.

Leo, LEO Papa primus ſer. 7. de Quadrageſima cap. 1: Omnis vallis implebitur, & omnis collis & mons humiliabitur: & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Vallis itaque man- Eſa. 40. ſuetudinem humilium, mons & collis elationem indicat ſuperborum. Sed quia, ſicut Veritas dicit, qui ſe humiliat, exaltabitur; & qui ſe exaltat, humiliabitur: merito & vallibus adimpletio, & montibus eſt annunciata depreſſio, vt & plana nihil offenſionis, & directa nihil habeant prauitatis.

Aug. De humilitate. Aug. lib. de geſtis cum Emerito: Qui ſe humiliat, exaltabitur. Quid enim dubitemus Redemptori noſtro ſacrificium iſtius humilitatis offerre? an vero ille de cælis in humana membra deſcendit, vt membra eius eſſemus, & nos ne ipſa eius membra crudeli diuiſione lanientur, de cathedris deſcendere formidamus.

Chryſoſt. Chryſoſt. homil. 25. in Epiſt. ad Hebræos: Cum conſtituerimus mentem noſtram perfectam, & oſtenderimus quoniam contemnimus res terrenas, tunc nobis etiam terrena donantur; ante autem nequaquam, ne accipiendo qui iam colligati eramus, terrenis rebus amplius alligemur. Solue teipſum ſeruitute, & tunc accipe; ne ſicut ſeruus accipias, ſed ſicut Dominus. Contemne diuitias, & eris locuples; contemne gloriam, & eris glorioſus; contemne ſupplicia inimicorum, & tunc ea obtinebis; contemne remiſſionem, & quietem, & tunc eam accipies, vt cum eam acceperis, non ligatus accipias, neque ſicut ſeruus, ſed ſicut liber. Sicut etiam infantulis, pueris fieri cernimus. Infantulus quippe cum aliquid puerile deſiderat, cum

Accipiunt terrena qui ea deſpiciunt.

Simile.

cum omni feſtinatione abſcondimus, vt puta, ſphæram, & quæcunque talia, ne impediatur à neceſſarijs: cum autem ea contempſerit, & non iam eorum deſiderio detinetur, ſine ſollicitudine ei damus, ſcientes quoniam nulla læſio de cætero ei continget, illa cupiditate ceſſante, quæ eum à neceſſarijs poterat auocare. Sic etiam Deus, cum videret nos iam non concupiſcere ea quæ terrena ſunt, tunc iam ipſa nobis ad vtendum largitur, tunc enim ſicut liberi, & viri ea poſſidebimus, non ſicut pueri. Quod ſi contempſeris gloriam tunc eam accepturus ſis, audi Chriſtum dicentem: Qui vult in vobis primus eſſe, erit veſter nouiſſimus. Et iterum: Qui ſe humiliauerit, exaltabitur. Quid dicis? Si me humiliauero tunc ſublimis efficior? Ita eſt, inquit, talis eſt enim mea virtus; per contraria quæ contraria ſunt præſto. Valde diues ſum & induſtrius, non verearis, meæ quippe voluntati obſequitur rerum natura; non ego obſequor naturæ. Ego cuncta operor, non ego ab illis regor.

Not. 4. verſ. 8.

POLYCAR. in fragmentis reſponſionum: Præcepit, non amicos, ſed infirmos quoſque vocandos ad prandium. Quod ſi claudus, aut quilibet eorum, ſit amicus, ſine dubio talis pro amicitia minime eſt rogandus: vnde ipſa quaſi videntur ſe impugnare mandata. Nam ſi non amici; ſed claudi, & cæci, ſunt imitandi; ipſoſque quoque amicos eſſe contingat, nequaquam rogare debemus: Sed amicos, arbitror, intelligere hoc loco debemus illos, quos pro mundi huius terrena conſideratione diligimus: non pro diuinæ contemplationis intuitu. Hi ſunt igitur amici relinquendi. Denique, ideo debilium exempla propoſuit, quos pro nullius poſſumus appetere neceſſitate negotij; niſi tantum pro fructu retributionis æternæ. Polycar.

CAP. 119. *De magna cœna: ad quam venire, qui erant inuitati, renuunt; ſed alij accedunt.*

Matt.	*Mar.*		*Luc. 14.*	*Ioan.*
		1	HÆc cùm audiſſet quidam de ſimul diſcumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in regno Dei.	
			Dom. 2. poſt Pentec.	
		2	At ipſe dixit ei: ✠ Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.	
		3	Et miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent: quia iam parata ſunt omnia.	
		4	Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excuſatum.	
		5	Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excuſatum.	
		6	Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire.	
		7	Et reuerſus ſeruus, nunciauit hæc Domino ſuo.	
		8	Tunc iratus paterfamilias, dixit ſeruo ſuo: Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.	
		9	Et ait ſeruus: Domine, factum eſt vt imperaſti: & adhuc locus eſt.	
		10	Et ait Dominus ſeruo: Exi in vias, & ſepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea.	
		11	Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam. ✠	

Not. 1.

HANC parabolam, ab alia, de inuitatis ad nuptias, diſtinguit Aug. lib. 2. de conſ. cap. 71: Nonnullam tamen inter eas dicit eſſe ſimilitudinem. Aug.

Ver. 2.

Auguſt. ſerm. 33. de Verbis Domini: In Euangelio, ad cænam vocati ſumus; imo alij vocati, nos non vocati, ſed ducti: Non ſolum ducti ſed etiam coacti. Sic enim audiuimus; quia homo quidam fecit cænam magnam. Quis eſt iſte homo, niſi mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus? Aug. Quis ſit homo quidam. 1 Timi. 2.

Greg. hom. 36. in Euang: Hoc diſtare, fratres chariſſimi, inter delitias corporis, &c. lect. 7. 8. & 9. Dom. 2. poſt Pent. Sed ſuperna nos pietas, nec deſerentes ſe deſerit. Contemptas enim illas delitias ad memoriæ noſtræ oculos reuocat, eaſque nobis proponit: in promiſſione torporem Greg. Corporis, & cordis delitiæ quæ differant. Huius parabolæ ſcopus.

porem excutit, atque vt faſtidium noſtrum repellere debeamus, inuitat. Ait,namque: Homo quidam fecit cænam magnam, & vocauit multos. Quis iſte homo eſt, niſi ille,de quo per Prophetam dicitur: Et homo eſt, & quis cognouit eum? Qui fecit cænam magnam: quia ſatietatem nobis dulcedinis internæ præparauit. Qui vocauit multos, ſed pauci veniunt: quia nonnunquam ipſi,qui ei per fidem ſubiecti ſunt, æterno eius conuiuio, male viuendo, contradicunt. Et hom. 38. in Euang: Per cænam intelligit vitam æternam: Et ait hanc differre à nuptijs,de quibus cap. 151: Non reijcit tamen oppoſitum ſentientes.

Quis ſit, homo quidam
Quid cæna magna ſit.
Cur pauci ad hanc cœnam veniant.
Greg.
Cæna magna quid ſit.
Cæna differt a nuptiis.

Not. 2. ver. 3.

Greg.
Hora cænæ mundi finis eſt.
Iam eſſe mundi finem
1 Cor. 10
Cur nos excuſare à cæna non debeamus.

Gʀᴇɢ. hom.36. in Euang: Quid hora cænæ, niſi finis eſt mundi? In quo nimirum nos ſumus, ſicut iamdudum Paulus teſtatur,dicens: Nos ſumus, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Si ergo iam hora cæna eſt cum vocamur, tanto minus nos debemus excuſare à conuiuio Dei, quanto propinquaſſe iam cernimus finem ſæculi.Quo enim penſamus,quia nihil eſt quod reſtat,eo debemus pertimeſcere,ne tempus gratiæ, quod præſto eſt, pereat. Idcirco autem hoc conuiuium Dei non prandium, ſed cæna vocatur:quia poſt prandium cæna reſtat;poſt cænam vero conuiuium nullum reſtat. Et quia ęternum Dei conuiuium nobis in extremo pręparabitur, rectum fuit,vt hoc non prandium,ſed cæna vocaretur. Sed quis per hunc ſeruum, qui à patre familias ad inuitandum mittitur, niſi prædicatorum ordo deſignatur? De quo videlicet ordine,quamuis adhuc indigni exiſtimus, quamuis peccatorum noſtrorum ponderibus grauamur, & nos tamen in iſtis diebus ſumus: & cum de ædificatione veſtra aliquid vobis loquor, hoc eſt,quod ago. Seruus enim ſum ſummi patrisfamilias. Cum vos admoneo ad contemptum ſæculi,inuitare vos venio ad cænam Dei.Nemo me,propter me hoc in loco deſpiciat.Etſi ad inuitandum nequaquam dignus appareo, ſed tamen magnæ ſunt deliciæ, quas promitto. Sæpe, fratres mei, ſolet euenire quod dico: vt perſona potens famulum habeat deſpectum, cumque per eum ſuis forte, vel extraneis aliquod reſponſum mandat, non deſpicitur perſona loquentis ſerui,quia ſeruatur in corde reuerentia mittentis Domini. Nec penſant qui audiunt per quem,ſed quid vel à quo audiant. Ita ergo fratres, ita vos agite: & ſi nos forſitan digne deſpicitis, in mente tamen veſtra vocantis Domini reuerentiam ſeruate. Conuiuæ fieri ſummi patrisfamilias libenter obedite. Corda veſtra diſcutite, atque ex eis mortale faſtidium pellite. Ad repellendum namque faſtidium veſtrum iam parata ſunt omnia. Sed ſi adhuc carnales eſtis, fortaſſe epulas carnales inquiritis. Ecce ipſæ carnales epulæ in ſpiritale vobis alimentum conuerſæ ſunt. Ad abſtergendum namque mentis veſtræ faſtidium, in cæna Dei ille vobis ſingularis agnus eſt occiſus.

Cur cæna vocatur, non prandium.
Poſt cænã non reſtat conuiuiũ.
Seruus iſte miſſus quis ſit.

Aug. ſerm. 33. de Verb. Domini: Miſit, vt venirent inuitati, quia hora iam erat, vt venirent. Qui ſunt inuitati, niſi per præmiſſos vocati prophetas?quia olim ex quo mittuntur prophetæ,& inuitant ad cænam Chriſti. Mittuntur ergo ad populum Iſrael. Sæpe miſſi ſunt, ſæpe vocauerunt vt ad horam cænæ venirent. Illi autem inuitantes acceperunt, cænam repudiauerunt. Quid eſt inuitantes acceperunt, cænam repudiauerunt? Prophetas legerunt, & Chriſtum occiderunt. Sed quando occiderunt, tunc nobis cænam neſcientes præparauerunt. Parata iam cæna, immolato Chriſto, poſt reſurrectionem Chriſti, commendata, quam ſciunt fideles, cæna Domini, eiuſque manibus, & ore firmata, miſſi ſunt Apoſtoli, ad quos miſſi ante fuerant Prophetæ.

Aug.
Inuitati qui ſint.
Iudæi cænam nobis præparauerunt.
Seruus miſſus quis ſit.

Not. 3. ver. 4.

Gʀᴇɢᴏʀ. hom.36. in Euang: Offert Deus quod rogari debuerat, non rogatus dare vult, quod vix ſperari poterat, quia dignaretur largiri poſtulatus: & tamen contemnitur. Contemptoribus vero paratas delitias refectionis æternæ denunciat, & tamen ſimul omnes excuſant. Ponamus ante oculos mentis minima, vt poſſimus digne penſare maiora. Si quiſpiam potens ad inuitandum quemlibet pauperem mitteret; quid, fratres rogo, quid pauper ille faceret, niſi de eadem ſua inuitatione gauderet: Reſponſum humile redderet, veſtem mutaret, ire quantocyùs feſtinaret, ne prior ſe ad potentis conuiuium alter occurreret? homo ergo diues inuitat, & pauper occurrere feſtinat. Ad Dei inuitamur conuiuium, exexcuſamus. Sed ecce inter hæc æſtimare poſſum, quid ſibi corda veſtra reſpondeant. Occultis enim fortaſſe ſibimet cogitationibus dicunt: Excuſare nolumus. Ad illud enim ſupernæ refectionis conuiuium, & vocari & peruenire gratulamur: loquentes vobis talia mentes veſtræ verum dicunt, ſi non plus terrena quam cæleſtia diligunt, ſi non amplius rebus corporalibus quam ſpiritalibus occupantur. Vnde hic quoque ipſa excuſantium cauſa ſubiungitur, cum protinus ſubinfertur. Primus dixit: Villam emi: & neceſſe habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excuſatum. Quid per villam, niſi terrena ſubſtantia deſignatur? Exijt ergo videre villam, qui ſola exteriora cogitat propter ſubſtantiam.

Greg.
A cæna qui ſe nõ excuſent.
Villa.
Videre villam.

Aug. ſerm. 33.de Verb. Domini: Excuſauerunt, qui venire noluerunt, quomodo? tres fuerunt excuſationes, vnus dixit, villam emi, &c. Putamus non iſtæ ſunt excuſationes, quæ impediunt omnes homines, qui ad iſtam cænam venire detrectant? Quæramus eas, diſcutiamus, inueniamus, ſed vt caueamus. In villa empta dominatio notatur, ergo ſuperbia caſtigatur: Habere enim villam, tenere, poſſidere, homines ſibi in illa ſubdere, & dominari delectat, vitium malum, vitium primum. Primus enim homo dominari voluit, qui Dominum habere noluit. Quid eſt dominati, niſi propria pote-

Aug.
Excuſationes iſtæ ſunt communes.
Villa.
Dominari quid ſit.

ſtate

ſtare gaudere? Eſt maior poteſtas; illi ſubdamur, vt tuti eſſe valeamus. Villam emi, habe me excuſatum. Inuenta ſuperbia, venire noluit.

Amb.
Tres à regno cælorum excluduntur.

Ambr. lib. 7. in Luc: Quod neque ille, qui ſtudijs intentus inferioribus, poſſeſſiones ſibi terrenas coemit, regnum cæli poſſit adipiſci, cum Dominus dicat: Vende omnia tua, & ſequere me. Nec ille, qui emit boues: cum Heliſæus occiderit, & diuiſerit populo, quos habebat. Et ille, qui duxit vxorem, cogitet quæ mundi ſunt, non quæ Dei. Non quo coniugium reprehendatur, ſed quia ad maiorem honorem

Coniugiū non damnatur.
1 Cor. 7.

vocetur integritas: quoniam mulier innupta, & vidua cogitat quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu. Nam quæ nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro, ſed vt in gratiam, vt ſupra cum viduis, ita nunc etiam cum coniugibus, reuertamur: non abfugimus opinionem, quam ſequuntur plerique, vt tria genera hominum à conſortio magnæ illius cænæ æſtimemus excludi, Gentilium, Iudæorum, hæreticorum.

Tres excluduntur a vita æterna.
Villa.

Et ideo Apoſtolus auaritiam dicit eſſe fugiendam: ne impediti more gentili, iniquitate, malitia, impudicitia, auaritia ad regnum Chriſti peruenire nequeamus. Omnis enim immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.

Ephes. 5.
Iuga boū.
Pſal. 2.

Iudæi autem corporali miniſterio iuga ſibi legis imponunt, & ideo ſecundum prophetam: Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum. Chriſtum enim recepimus, qui ceruicibus noſtris pietatis ſuæ iugum mite ſuſpendit.

Quinque.
Vxor.

Quinque iuga ſunt, verborum decem, vel quinque libri veteris legis, de quibus in Euangelio videtur Samaritanæ dicere. Quinque enim viros habuiſti. At vero hæreſis velut Eua fœmineo rigore fidei tentat affectum, & lubrica facilitate prolabens lenocinia falſi decoris affectat, intemeratam negligens pulchritudinem veritatis.

Omnes ſe excuſant.

Ideo igitur excuſant, quia nemini intercluditur regnum, niſi ei quem ſuæ profeſſio vocis excluſerit. Dominus autem clementer omnes inuitat, ſed nos aut deſidia noſtra, aut error auertit.

Deus omnes inuitat.
Villa.
Iuga.
Vxor.

Ergo & ille, qui villam emit, alienus à regno eſt. Ementes enim atque vendentes, Noe, vt legiſti, tempore, diluuia abſorbuerunt. Et ille, qui potius iugum legis quam gratiæ munus elegit; & ille qui propter ducendam excuſat vxorem. Scriptum eſt enim: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem & vxorem non poteſt meus eſſe diſcipulus. Etenim ſi propter te Dominus ſuæ renunciauit matri, dicens: Quæ eſt mater mea, aut qui fratres mei? Cur tu Domino tuos cupias anteferre?

Nec ignoranda natura, nec ei ſeruiendū.

Sed neque ignorare naturam, neque ſeruire naturæ Dominus iubet, ſed illa indulgere naturæ vt venereris authorem, nec ab eo, parentum amore deſciſcas.

Vocantur gentes.
Cur mali cum bonis inhærent.
Eſa. 65.

Itaque poſt diuitum reſupina faſtidia contulit ſe ad gentes, iubet bonos & malos introire, vt bonos augeat, malorum affectum in meliora commutet, vt impleretur illud quod hodie lectum eſt: tunc lupi & agni ſimul paſcentur. Inuitat pauperes, debiles, cæcos: quo oſtenditur nobis vel quod nullum debilitas corporis excludat à regno, rariuſque delinquat cui deſit illecebra peccandi: vel quod infirmitas peccatorum per miſericordiam Domini remittatur, vt non ex operibus, ſed ex fide redemptus à crimine, ſi gloriatur, in Domino glorietur.

Cur vocentur cæci, pauperes, debiles.
1 Cor. 1.
Cur ad exitus viarum.
Cur ad plateas.
Cur ad vias & ſepes.

Mittit itaque ad exitus viarum: prudentia enim in exitu canitur: Mittit ad plateas, quia miſit ad peccatores, vt de latioribus vijs ad anguſtam viam venirent, quæ ducit ad vitam. Mittit ad vias, & circa ſepes quod hi videlicet apti ſint regno cælorum, qui nullis præſentium cupiditatibus occupati ad futura feſtinent, in quodam bonæ voluntatis tramite conſtituti, & qui modo ſepis, quæ ab incultis culta ſecernat, & incurſus arceat beſtiarum, nouerint bona malaque diſtinguere, & aduerſus tentamenta nequitiæ ſpiritalis fidei munimen obtendere. Denique vt Dominus oſtenderet vineam ſuam munitam fuiſſe, & ſepem, inquit, circumdedi, & circumfodi eam. Et Apoſtolus dicit medium parietem ſepis eſſe ſublatum qui continuationem munitionis irruperat. Fides igitur & oratio quæritur, & quæritur in plateis, hoc eſt, in meatibus interioris affectus, quia ſcriptum eſt: In plateis tuis diffundantur aquæ tuæ.

Prou. 5.

Not. 4. verſ. 5.

Greg.
Quinque iuga boū.
Cur iuga dicuntur.

Greg. hom. 36. in Euang: Quid in quinque iugis boum, niſi quinque corporis ſenſus accipimus? qui recte quoque iuga vocari ſunt: quia in vtroque ſexu geminantur. Qui, videlicet, corporales ſenſus, quia interna comprehendere neſciunt, ſed ſola exteriora cognoſcunt: & deſerentes intima, ea, quæ extra ſunt tangunt: recte per eos curioſitas deſignatur.

Curioſitas.

Quæ dum alienam quærit vitam diſcutere, ſemper ſua intima neſciens, ſtudet exteriora cogitare. Graue namque curioſitatis eſt vitium, quæ dum cuiuſlibet mentem ad inueſtigandam vitam proximi exterius ducit, ſemper ei ſua intima abſcondit, vt aliena ſciens, ſe neſciat, & curioſè animus quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus ſui. Propter hoc namque & de eiſdem quinque iugis boum dicitur: eo probare illa: rogo te, habe me excuſatum. Ipſa enim excuſantis verba à virij ſui ſignificatione non diſcrepant, dum dicit: eo probare illa; quia videlicet aliquando pertinere probatio ad curioſitatem ſolet.

Duo primi vt ſint hu[illegible], & ſuperbi.

Sed notandum eſt, quod & is, qui propter villam; & is, qui propter probanda iuga boum, à cæna ſui inuitatoris excuſat, humilitatis verba permiſcet, dicens: Rogo te, habe me excuſatum. Dum enim dicit, rogo te; & tamen venire contemnit, humilitas ſonat in voce, ſuperbia in actione. Et ecce, hæc dijudicat prauus quiſque cum audit: nec tamen ea, quæ dijudicat, agere deſiſtit. Nam dum cuilibet perversè agenti dicimus; conuertere, Deum ſequere, mundum relinque: vbi hunc niſi ad Dominicam cænam vocamus? Sed cum reſpondet; ora pro me, quia peccator ſum; hoc facere non poſſum:

ſum; quid aliud agit, niſi & rogat, & excuſat? Dicens namque; peccator ſum, humilitatem inſinuat: ſubiungens autem; conuerti non poſſum, ſuperbiam demonſtrat. Rogando ergo excuſat, qui & humilitatem perducit in voce, & ſuperbiam exercet in actione.

Aug. Quinque iuga boū. Aug. ſer 33. de verbis Dom: Alius dixit, quinque iuga boum emi: nonne ſufficeret boues emi? Aliquid proculdubio eſt, quod nos ad quærendum, & intelligendum obſcuritate ſui prouocat. Et quia clauſum eſt, vt pulſemus hortatur. Quinque iuga boum, ſenſus huius carnis quinque numerantur. Senſus carnis huius, quod omnibus notum eſt, & qui forte non aduertunt, commoniti, ſine dubio, recognoſcunt. Senſus ergo carnis huius quinque inueniuntur, in oculis viſus eſt, auditus in auribus, odoratus in naribus, guſtus in faucibus, tactus in omnibus membris. Alba, & nigra, & quoquo modo colorata, lucida, & obſcura ſentimus videndo. Rauca, & canora, audiendo ſentimus: ſuaue olentia, & graue olentia, odorando ſentimus. Dulcia, & amara, guſtando ſentimus. Dura, & mollia; leuia, & aſpera; calida, & frigida; & grauia, & leuia, tangendo ſentimus. Quinque ſunt, & iuga ſunt; ſed quia iuga ſunt, in tribus prioribus ſenſibus facilius apparet. Duo ſunt oculi, duæ ſunt aures, geminæ nares. Ecce tria iuga in faucibus, id eſt, ſenſus guſtandi. Geminatio quædam inuenitur: quia nihil guſtando ſapit, niſi lingua, & palato tangatur. Voluptas carnis, quæ ad tactum pertinet, in occultis geminatur. Eſt enim & forinſecus, & intrinſecus.

Cur boum. Ergo & ipſa gemina eſt. Quare boum dicuntur iuga? quia per ſenſus iſtos carnis terrena requiruntur. Boues enim terram verſant. Sunt autem homines remoti à fide, terrenis dediti, carnalibus occupati, nolunt credere aliquid, niſi ad quod ſui corporis ſenſu quinque partito perueniunt. In eis quinque ſenſibus totius voluntatis ſibi regulas ponunt, non, inquit, credo ego, niſi quod video. Ecce quod noui, ecce quod ſcio. Album eſt, nigrum eſt, rotundum eſt, quadratum eſt, ſic, vel ſic coloratum eſt, noui, ſentio, teneo, natura ipſa me docet. Non cogor credere, quod mihi non potes oſtendere. Vox eſt, ſentio, quia vox eſt. Bene cantat, male cantat, ſuauis eſt, rauca eſt, noui, ſcio, peruenit ad me. Bene olet, male olet ſcio, ſentio. Hoc dulce eſt, hoc amarum, hoc ſalſum, hoc inſulſum: Quid mihi plus dicas neſcio. Tangendo noui quod durum eſt: quid molle ſit, quid lene ſit, quid aſperum ſit, quid caleat, quid frigeat: quid mihi plus monſtraturus es? Tali impedimento

Thomæ incredulitas. cap 191 190. tenebatur Apoſtolus noſter Thomas, qui de Domino Chriſto, id eſt, de Chriſti reſurrectione, nec ſolis oculis credere voluit, niſi miſero, inquit, digitos meos in clauorum, & vulnerum loca, & niſi manum meam in latus eius miſero, non credam. Et Dominus, qui poſſit ſine

Cicatrices Dominus cur ſeruauerit. vllo ſigno vulneris reſurgere ſeruauit cicatrices, quæ à dubitante tangerentur, & cordis vulnera ſanarentur: Et tamen vocaturus ad cænam, contra excuſationem quinque iugorum boum; Beati, inquit, qui non vident, & credunt. Nos, fratres mei, ad cænam vocati, ab iſtis quinque iugis non ſimus impediti. Non enim carnis faciem Domini videre in hoc tempore concupiuimus, aut vocem ex ore carnis illius procedentem auribus admittere deſiderauimus, nullum in illo temporalem odorem quæſiuimus. Perfudit enim eum quædam mulier pretioſiſſimo vnguento, & domus illa odore impleta eſt; ſed nos ibi non fuimus, & nos olfecimus, & credimus. Cænam manibus ſuis conſecratam diſcipulis dedit; ſed nos in illo conuiuio non diſcubuimus, & tamen ipſam cænam fide quotidie manducamus. Nec magnum putetis in illa cæna, quam ſuis manibus dedit, ſine fide interfuiſſe; melior extitit fides poſtea, quam tunc perfidia. Non ibi fuit Paulus, qui credidit, ibi fuit Iudas, qui tradidit, quam multi & modo in ipſa cæna, quamuis illam tunc menſam non viderint, nec panem, quem Dominus geſtauit in manibus oculis ſuis non aſpexerint vel faucibus guſtauerint, tamen quia ipſa nunc præparatur, quam multi etiam nunc in ipſa cæna iudicium ſibi manducant & bibunt. Vnde autem tanquam occaſio nata eſt Domino, vt de iſta cæna loqueretur? dixerat vnus de diſcumbentibus; in conuiuio enim erat, quo fuerat inuitatus; beati qui manducant in regno Dei panem: quaſi in longinqua iſte ſuſpirabat, & ipſe panis ante illum diſcumbebat. Quis eſt panis de regno Dei, niſi qui dicit; Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi? Nolite parare fauces, ſed cor. Inde commendata eſt iſta cæna, ecce credimus in Chriſtum, cum fide accipimus. In accipiendo nouimus, quid cogitemus, modicum accipimus, & in corde ſaginamur; non ergo quod videtur, ſed quod creditur paſcit. Non ergo etiam ſenſum illum externum quæſiuimus, nec diximus; crediderint qui Dominum ipſum reſurgentem (ſi verum eſt quod dicitur) viderunt oculis, manibus palpauerunt, nos non tangimus, quare credimus? Si talia cogitaremus, quinque illis iugis boum ad cænam impediremur. Vt noueritis, fratres, iſtorum quinque ſenſuum non delectationem, quæ permulcet, & ingerit voluptatem, ſed curioſitatem quandam notatam fuiſſe: non ait, quinque iuga boum emi, eo paſcere illa: ſed, eo probare illa. Qui vult probare, per iuga boum non vult dubitare. Quomodo ſanctus Thomas per iuga noluit dubitare. Videam, tangam, digitos mittam: Ecce, inquit, digitos tuos mitte per latus meum, & noli eſſe incredulus. Occiſus ſum propter te; per locum, quem vis tangere, ſanguinem fudi: vt redimerem te; & adhuc dubitas de me, niſi tetigeris me? Ecce & hoc præſto, ecce & hoc exhibeo, tange, & crede; inueni locum vulneris, ſana vulnus dubitationis.

Qua occaſione Dominus de cæna ſit locutus. ver. 15.

Quinque iuga boū ad curioſitatem refert, non ad delectationem.

Ioan 20.

Aug. Et lib. de quarta feria, ſeu cultura agri Dominici, cap. 1: Tempus eſt operemur, laboremus, quinque illa iuga boum, quæ ille inuitatus in Euangelio, dum ad cænam venire nollet, probare ſe velle dixit, & propterea, à cæna ſe excuſauit; quoniam ſibi ea, non agriculturæ Dominicæ,

Quinque iuga boum in quem ſint vſum comparanda.

nicæ, comparauit: nos ea ipſa quinque iuga in
agro Dominico iungamus, terram duriſſimam
ſulcis ſpiritualibus exaremus. Semen verbi Dei
proijcientes; quaſcunque ſpinas malarum cupi-
ditatum inuenerimus, euellamus, eradicemus,
diuino igne ſuccendamus, vt in tali opere labo-
rantes, Domino Deo noſtro fiducialiter dica-
mus: Domine Paterfamilias, quoniam te ad-
iuuante fecimus opus, quod iuſſiſti, redde mer-
cedem, quam promiſiſti. Quæ ſunt illa quinque
Quinque iuga boum quid ſint. iuga boum? Quinque ſenſus corporis ſunt, viſus
in oculis, auditus in auribus, olfactus in nari-
Cur dicuntur iuga. bus, guſtus in faucibus, tactus in manibus. Et
iſta iuga ſunt. Duo ſunt oculi, duæ aures, gemi-
næ nares, duæ manus, & in ipſo guſtu geminum
quiddam inuenitur, quando ſapor ipſe fauci-
bus, atque palato iudicante diſcernitur. Iſta er-
go quinque iuga terram verſant, quando ſuis
officijs deſeruientes, animum carnemque pa-
rant; aut vberes fructus, ſi ros cæleſtis infude-
rit; aut aridas ſpinas, ſi ſicca terra remanſerit;
& eorum opus in poſterum ſubſequetur.
Aug. Et in Pſal. 8: Dicit nomine boum in ſcriptura
Boues quid ſignificent. intelligi animas ſanctas, vel innocentiæ fru-
ctum dantes; vel etiam operantes, vt terra fru-
ctificet, id eſt, vt terreni homines, ad ſpirita-
Aug. lem vbertatem regenerentur. Et tract. 10. in
Boues qui ſint. Ioan: Boues intelliguntur, qui nobis ſcripturas
ſanctas diſpenſauerunt, Apoſtoli, Prophetæ, &c.
Bern. Bern. in Declamationibus: Qui relinquere
Se relinquere quid ſit. vniuerſa diſponis, te quoque inter relinquen-
da numerare memento, &c. Pone illa quin-
Quinque iuga boū. que, non hominum plane iuga, ſed boum, quæ
tibi inſipienter emiſti: alioqui ſequi ſponſum,
& venire ad nuptias ſpirituales, quinaria hac
preſſus, & oppreſſus corporis ſenſualitate, non
poteris; ſed & ſi veneris, & pulſaueris, minime
aperietur tibi; ſed reſpondebitur deintus, quod
1 Cor. 9. non ſit de bobus, &c. an vero comparatum iu-
mentis eſſe quis dubitet hominem, qui ſibi iu-
ga emerit iumentorum, niſi quod eo ipſis quo-
Homo ſtolidior beſtijs in quibus. que iumentis conuincitur ſtolidior, & beſtia-
lior beſtijs comparatur, quod iuga neceſſitatis
1 ſtultitia. earum, propria ipſe ſubeat voluntate? quod e-
nim illis natura eſt, huic culpa: Dum tanquam
vnum ex his, quæ ratione carent, ſine ratione
degens & ipſe, ſub corporeis ſimiliter ſenſibus
incuruatur. Sed quid cum iuga ſubiſſe cauſa-
2 ſtultitia. Emi. mur? arguamus magis emiſſe. Illud enim ſtoli-
ditatis miſerandæ, iſtud extremæ dementiæ eſt.
Dignus eſt operarius mercede ſua. Nam vt mer-
cedem pro opere tribuat, inauditum. Denique
loquitur ſuper hoc verbo Dominus per Pro-
phetam, ſub typo mulieris fornicariæ, ſcelera
Ezech. 16. arguens Iſraelis: Omnibus, inquit, meretrici-
bus dantur mercedes, &c. Plane & in eo, qui iu-
ga emit, contrarium fieri manifeſtum eſt. Quid
enim iuga emit, & iuga boum, cui iugum ſua-
ue gratis offertur? nam iugum Chriſti, iugum
hominis eſt, ſiquidem & Chriſtus homo. Nec
modo gratis tribuitur, ſed & copioſa his, qui tu-
lerint illud, remuneratio eſt, vt à nemine non
dico emi, ſed gratis ſuſtineri queat. Quid ergo,
miſer, pro iugo boum diſtrahis animam tuam,
qui iugum Chriſti ſuſcipiens, emere poteras re-
gnum Dei, mercari vitam, lucrifacere Chriſtum?
nam ſine iugo interim eſſe non potes, homo, Iob 5.
nimirum, qui natus es ad laborem. Sed graue
iugum ſuper omnes filios Adam, vtique qui ſe- Eccl. 40.
quuntur eum. Nam ſuper eos, qui Chriſtum
ſequuntur: leue eſt, & ſuaue. Poſtremo, vt cæ- Matt. 11. ſtultitia 3.
tera ſileam, cum ſine iugo eſſe non poſſint, qua-
le hoc ipſum eſt eligere potius quinque, quam
vnum? Quis enim poteſt ſeruire quinque Do-
minis, nedum quinque tyrannis, quinque præ-
donibus? ſi quidem oculus meus deprædatur
animam meam. An non ſæpe aliud gula exigit,
ad aliud pruritus aurium vocat? Sic & odora-
tus, & tactus diuerſa imperant: interdum forſi-
tan & aduerſa, dum vterque communem ſibi
geſtit præcipere ſeruum, & trahit ſua quemque
voluptas. Vides excuſationem hominis, qui
propterea Chriſtum non ſequitur, propterea ſe
excuſat à nuptijs, quod iuga boum emerit
quinque. Quid ſi eorum laborem, & dolorem
conſideres, ſi numeres iuga, qui varijs ſeruiunt
vitijs morum, magis quam corporum ſenſibus?
Erit profecto inuenire iam homines, qui mul- 4. ſtultitia
to magis in labore hominum non ſunt, ſed
longe amplius aliena ab homine flagella ſuſti-
neant. Erit inuenire ementes, non modo quin- 5. ſtultitia.
que; ſed pluſquam quinquaginta quinque, non
plane iumentorum iuga, ſed dæmonum. Con-
tendunt ambitio & elatio cordis, &c.
Et ſerm. 50. in paruis: Boues ſunt qui in opere Bern.
Dei ſtrenue exercentur: qui ſeminant in lacry- Boues qui ſint.
mis, ſed in gaudio metent. Iſti ſane quæcum-
que ſunt mundi huius arbitrantur vt ſtercora.
Piger vero, cuius ſabbata videntes hoſtes deri-
dent, dehoneſtatur ab hoſtibus in ocio ſuo; ſi-
cut boues ſtrenui in laboribus ſuis honeſtan-
tur à Deo. Quem enim maligni ſpiritus pigrum
vident ad ſpiritualia exercitia, in cogitationi-
bus eius ingerunt importunè terrena, velut de
ſtercoribus boum maſſas coagulantes, & pi-
grum, ſicut dignus eſt, lapidantes. Et ſer. Bern.
de vita & quinque ſenſibus animæ, quinque
partitam dilectionem quinque ſenſibus pul-
chrè adaptat. Et in ſentent: Vocationes Bern.
tres ſunt; diuina, ſicut in Paulo: humana, in Vocationes tres.
quinque millibus conuerſis ad vocem Apoſto-
lorum, neceſſaria in primo Eremita Paulo.

Not. 5. ver. 0.

Greg. hom. 36. in Euang: Quid per vxo- Greg. Vxor.
rem, niſi voluptas carnis accipitur? Nam quam-
uis bonum ſit coniugium, atque ad propagan- Bonum eſt coniugiū.
dam ſobolem prouidentia diuina conſtitutum,
nonnulli tamen non per hoc fæcunditatem
prolis, ſed deſideria expetunt voluptatis, & id- Res mala per bonam ſignificatur.
circo per rem iuſtam ſignificari poteſt non in-
congrue res iniuſta. Ad cænam ergo nos æter-
ni conuiuij ſummus paterfamilias inuitat, ſed Triplices à regno excluduntur.
dum alius auaritiæ, alius curioſitati, alius volu-
ptati carnis eſt deditus, nimirum reprobi ſimul
omnes excuſant. Dū hunc terrena cura occupat,
illū alieni actus ſagax cogitatio deuaſtat alterius
etiā mentē voluptas carnalis inquinat, faſtidio-
ſus quiſq; ad æternæ vitæ epulas non feſtinat.

Chryſoſt.

Chryſoſt. Cur à Chriſto Iudæi receſſerint — Chryſoſt. hom. 33. operis imperf. ad illa verba: Vade, vende omnia tua.) Ex quibus cauſis ponuntur Iudæi non veniſſe ad Chriſtum, ex ipſis cauſis carnalibus, & terrenis intelligitur populus à Chriſto receſſiſſe.

Aug. Vxor. — Aug. ſer. 33. de ver. Dom: Tertius dixit, vxorem duxi. Iſta voluptas carnis, quæ multos impedit, vtinam foris, & non intus; ſunt homines qui dicunt, non eſt homini bene, niſi cui aſſunt carnis deliciæ; ipſi ſunt quos notat Apoſtolus, dicẽtes: (1 Cor. 15) Mãducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Quis inde huc ſurrexit? quid nobis, quod ibi agitur, dixit? hoc nobiſcum tollimus, quod in hoc tempore bene eſt nobis. Qui hoc dicit, vxorem duxit, carnem amplexatur, carnis voluptatibus iocundatur, à cæna excuſatur, obſeruet ne fame interiore moriatur: Attẽdite ſanctum Ioannem (1 Ioan. 2.) Apoſtolum, & Euangeliſtam: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Qui ad cænam Domini venitis, nolite diligere mundũ, nec ea, quæ in mundo ſunt: non dixit, nolite habere: ſed, nolite diligere. Habuiſti, poſſediſti, dilexiſti. Amor rerũ terrenarũ, viſcum eſt ſpiritualium pennarum. Ecce cõcupiſti, hæſiſti: (Pſal. 54.) Quis dabit tibi pennas vt columbæ? Quando volabis, vbi verè requieſcas, quãdo hic vbi malè hæſiſti, peruersè requieſcere voluiſti? Nolite diligere mundum, tuba diuina eſt. Continuo huius tubę verbis, orbi terrarũ & vniuerſo dicitur mundo: Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt. Quiſquis dilexerit mũdum: non eſt charitas Patris in illo. Quoniã omnia, quæ in mundo ſunt, concupiſcentia carnis ſunt, & concupiſcẽtia oculorum, & ambitio ſeculi. Ab vno cæpit quo Euangelium terminauit. Inde ille cæpit, vbi Euangelium terminum poſuit. Concupiſcentia carnis, vxorem duxi. Concupiſcẽtia oculorum, quinque iuga boum emi. Ambitio ſeculi, villã emi. Ideo autem à parte ſeculi per ſolos oculos (Viſus eſt præcipuus ſenſuum.) cõmẽmorati ſunt iſti ſenſus, quia oculorum eſt in quinque ſenſibus principatus. Propterea cum propriè ad oculos pertineat viſus, ipſum videre per omnes quinque ſenſus ſolemus appellare. Quomodo? Primo quod ad ipſos oculos pertinet dicis, vide quã candidum eſt, intẽde, & vide quam candidũ eſt, hoc ad oculos pertinet. Audi, & vide quam canorum eſt. Nunquid conuerſim potes dicere: Audi, & vide quam candidum eſt? Hoc quod dicitur, vide, per omnes ſenſus currit. Cæterorum autem ſenſuum proprietates nõ per ſe recurrant. Intẽde, & vide quam canorum eſt: Odora, & vide quam ſuaue eſt. Guſta, & vide quam dulce eſt. Tange, & vide quam molle eſt, vtique quoniam ſunt ſenſus, ſic potius diceremus: Audi, & ſenti quã canorum eſt. Odora, & ſenti quam ſuaue eſt. Guſta, & ſenti quam dulce eſt. Tange, & ſenti quam calidum eſt. Palpa, & ſenti quam leue eſt. Palpa, & ſenti quam molle eſt. Nihil horum. Nam ipſe Dominus poſt reſurrectionem, cum apparuit diſcipulis ſuis, cumque cernẽtes adhuc titubarent in fide, putãtes ſe ſpiritũ videre: Quid, inquit, dubitatis, & quare cogitationes aſcendunt in cor veſtrum? Videte manus meas, & pedes meos. Et parũ eſt videre; tangite, & palpate, inquit, intendite, & videte, palpate, & videte, in ſolis oculis videte, in omnibus ſenſibus videte. Quia interiorẽ ſenſum fidei quęrebat, exterioribus corporis ſenſibus adiacebat. Nos nihil ab iſtis exterioribus sẽſibus in Domino carpſimus, auditu audiuimus, corde credidimus, & ipſum auditum non ab illius ore, ſed ab ore prædicatorum eius, ab ore illorũ, qui iam cænabant, & nos ructando inuitabant. Tollamus ergo de medio excuſationes vanas, & malas; & veniamus ad cænam, qua intrinſecus ſaginemur. Non nos impediat extollentia ſuperbię, nos non extollat, vel non nos terreat curioſitas illicita, & auertat à Deo. Non nos impediat voluptas carnis à voluptate cordis. Veniamus, & ſaginemur.

Not. 6. verſ. 8.

(Greg.) Greg. hom. 36. in Euan: Ecce qui terrenę ſubſtãtiæ plus iuſto incũbit, venire ad Dominicam cænam recuſat: qui labori curioſitatis inſudat, præparata vitæ alimenta faſtidit: qui carnalibus deſiderijs inſeruit, ſpiritalis conuiuij epulas reſpuit. Quia ergo venire ſuperbi renuunt, pauperes eliguntur. Cur hoc: Quia iuxta Pauli vocem: Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. (1 Cor. 1.) Sed notandum nobis eſt, quomodo deſcribantur, qui ad cænam vocantur, & veniunt, pauperes, & debiles dicuntur, qui iudicio ſuo apud ſemetipſos infirmi ſunt. (Qui ſint pauperes, ac debiles.) Nam pauperes, & quaſi fortes sũt, qui & poſiti in paupertate ſuperbiũt. Cæci vero ſunt, qui nullum ingenij lumen habent. (Qui cæci.) Claudi quoq; ſunt, qui rectos greſſus in operatione non habent. (Qui claudi.) Sed dum morum vitia in mẽbrorum debilitate ſignãtur; Profecto liquet, quia ſicut illi peccatores fuerunt, qui vocati venire noluerunt: ita hi quoq; peccatores ſunt, qui inuitantur, & veniunt. (Peccatorũ diſcrimen.) Sed peccatores ſuperbi reſpuuntur, vt peccatores humiles eligãtur. (Ad cænam qui peccatores veniant.) Hos itaq; elegit Deus, quos deſpicit mũdus: quia plerumq; ipſa deſpectio hominẽ reuocat ad ſemetipſum. Is enim qui patrem reliquit, & partem ſubſtantiæ quam perceperat prodigè expendit, (Hominem deſpectio reuocat. cap 120) poſtquã eſurire cæpit, in ſe reuerſus dixit: Quãti mercenarij in domo patris mei, abundant panibus? longe quippe à ſe diſceſſerat, quãdo peccabat. Et ſi nõ eſuriſſet in ſemetipſum minime redijſſet: quia poſtquam terrenis rebus indiguit, tunc cogitare cæpit quid de ſpiritalibus amiſit. Pauperes ergo, & debiles, cæci, & claudi vocantur, & veniũt: quia infirmi quique, atque in hoc mundo deſpecti plerumque tanto celerius vocẽ Dei audiunt, quãto in hoc mundo non habent vbi delectẽtur. Quod bene Amalechitarũ puer ille Ægyptius deſignat, qui Amalechitis prædãtibus, atque currẽtibus, æger remanſit in via: & (1 Reg. 30.) fame, ſitique aruit. Quẽ cum Dauid inuenit, ei cibum, potumq; præbuit, qui ilico conualeſcens dux Dauid factus eſt. Conuiuantes Amalechitas reperit, & eos, qui ſe debilẽ reliquerãt, cum magna fortitudine proſtrauit. Amalechita quippe populus lãbens vocatur. Et quid per lambẽtem populum, niſi mentes ſæcularium deſignantur? Quæ terrena cũcta ambiẽdo quaſi lãbunt, dum ſolis temporalibus delectantur. Quaſi enim populus

pulus lambens, prædam facit, dum terrena di-
ligẽtes, lucra de alienis damnis exaggerant. Sed
puer Ægyptius æger in via relinquitur: quia
peccator quiſque dum infirmari ab huius mũdi
ſtatu cœperit, mox ſecularibus mentibus in deſ-
pectum venit. Quẽ tamen Dauid inuenit, eique
cibum, & potum præbet: quia manu fortis Do-
minus abiecti mundi non deſpicit, & plerumq;
eos, qui ſequi mundum minime valentes, quaſi
in via remanent, ad amoris ſui gratiam conuer-
tit, eiſque verbi ſui cibum, potumq́; porrigit: &
quaſi duces ſibi in via eligit, dum ſuos etiã præ-
dicatores facit. Dum enim Chriſtum peccatorũ
cordibus inſerunt, quaſi Dauid ſuper hoſtes du-
cunt. Qui conuinãtes Amalechitas velut Dauid
gladio feriunt, quia ſuperbos quoſque, qui ſe in
mundo deſpexerant, Domini virtute proſter-
nũt. Puer ergo Ægyptius, qui in via remanſerat,
Amalechitas interfecit; quia plerumq; ipſi men-
tes ſeculariũ prædicando ſuperant, qui prius cũ
ſecularibus in hoc mũdo currere non valebant.
Greg. Et cap. 4. lib. 5. expoſ. 1. lib. Reg: Pugna autem
peruenit vſque Bethauen. Bethauen dicitur
Bethauen quid, domus inutilis. Hanc quippe inutilem domum
Dominus in parabolis oſtendens, regem ſeruo
in nuptijs præcipientem introducit, dicens: Exi
cito in plateas, & in vicos ciuitatis, & pauperes,
ac debiles, cæcos, ac claudos introduc huc. Pau-
Qui pauperes, peres quidem ſunt, qui verbi Dei theſauros in
corde ſuo minime recondũt. Debiles vero ſunt,
Qui debiles. qui laborare ſatis pro æterna vita non poſſunt.
Qui cæci. Cæci vero idiotæ, ac ſimplices deſignantur: quia
dum cæleſtia nequaquam vident, lumine men-
Qui claudi. tis carent. Claudi vero ſunt, qui greſſum boni
operis perdiderunt. Sed pugna peruenit vſq; Be-
Vt pugna in Bethauen vſque perueniat. thauen; quia ſæpe inutiles perſonæ, dum ſermo-
nis Dei verbo capiũtur, in eius redactæ ſeruitiũ,
vtiles fiunt. Pugnatur quidem cum cæcis, vt vi-
deant: cum claudis, vt ſubſiſtant: cum pauperi-
bus, vt morum theſauros accipiant: cum debili-
bus, vt ad robur boni operis cõualeſcant. Vſque
ergo Bethauen pugna perducitur, quando illi
ſanctorũ prædicatione capiuntur, qui vtilitatẽ
alicui neceſſariam habere nullam videbantur.

Aug. Aug. ſer. 33. de verbis Dom: Et qui venerunt,
niſi mendici, debiles, claudi, & cæci? Illi autem
non venerunt diuites, ſani, quaſi bene ambulã-
tes, & acutè cernentes, multum de ſe præſumẽ-
tes, & ideo deſperatiores, quanto ſuperbiores.
Veniant mendici, quia ille inuitat, qui propter
2 Cor. 8. nos pauper factus eſt, cum diues eſſet, vt illius
paupertate mèdici ditaremur. Veniant debiles,
quia non eſt opus ſanis medico, ſed male habẽ-
tibus. Veniant claudi, qui ei dicant, compone
Pſal. 16. greſſus meos in ſemitis tuis. Veniãt cæci, qui di-
Pſal. 12. cant, illumina oculos meos ne vnquam obdor-
miam in morte. Tales venerunt ad horam. Illis
prius inuitatis, ſua excuſatione reprobatis, ve-
nerunt ad horã, intrauerunt de plateis, & vicis
Aug. ciuitatis. Et lib. 2. quæſt. Euang. cap. 30:
Quod de ciuitate adducit inuitatos ad cœnam:
de ipſa gente Iudæorum, qui crediderunt, ſigni-
ficat debiles peccatis, non habentes ſuperbiam
quaſi iuſtitiæ, quæ mẽdax primates eorum à gra-
tia prohibebat. Quod autem de ſepibus, & vijs ver. 10.
alios adduci iuſſit, cum adhuc locus eſſet: gentes
ſignificat, propter diuerſas vias ſectarum, & ſpi-
nas peccatorum.

Amb. Ambroſ. lib. 1. de pænitẽtia cap. 6: Ergo, Do-
mine Ieſu, ad Eccleſiã tuam totus adueni, quo-
niã Nouatianus excuſat. Nouatianus dicit: Iuga
boum emi: qui iugum Chriſti ſuaue nõ ſuſcipit,
& onus graue collo imponit ſuo, quod portare
nõ queat. Nouatianus ſeruos tuos, à quibus in-
uitabatur, tenuit, & contumelia affectos occi-
dit, quos iterati baptiſmatis labe inquinauit.
Mitte ergo ad exitus viarum, & collige bonos, &
malos, & debiles, & cæcos, & claudos introduc
in Eccleſiam tuam. Iube impleatur domus tua,
introduc omnes ad cænam tuam: quia quem tu
vocaueris, dignũ facies ſi ſequatur. Ille ſane reij-
citur, qui non habuerit veſtem nuptialem, hoc
eſt, amictũ charitatis, velamen gratiæ. Mitte, in-
quã, ad vniuerſos, nõ excuſat Eccleſia tua à cæna
tua. Excuſat Nouatianus. Non dicit familia tua:
Sana ſum, medicũ non requiro, ſed dicit: Sana
me Domine, & ſanabor: ſalua me, & ſaluabor.

Not. 7. ver. 9.

Greg. GREG. hom. 36. in Euang: Multi tales ad cœ-
nam Dominicã ex Iudæa collecti ſunt, ſed mul-
titudo, quæ ex Iſraelitico populo credidit, locũ
ſuperni conuiuij non impleuit. Intrauit iam fre-
quentia Iudæorũ, ſed adhuc locus vacat in re-
gno, vbi ſuſcipi debeat numeroſitas gentium.

Ver. 10.

Aug. Aug. ſer. 33. de verb. Dom: Quos inueneris vt
dignentur noli expectare, coge intrare. Magnã
cœnam, magnam domum paraui, non ibi patior
locum vacare. Venerunt de plateis, & de vicis De plateis & vicis, qui veniant: qui de ſepibus,
gentes, veniant de ſepibus hæretici, hic inueniũt
pacẽ. Nam qui conſtruunt ſepes, diuiſiones quæ-
runt. Trahantur à ſepibus, euellantur à ſpinis. In
ſepibus hæſerunt, cogi nolunt. Voluntate, in-
quit, noſtra intremus. Non hoc Dominus impe-
rauit? coge, inquit, intrare. Foris inueniatur ne-
ceſſitas, naſcitur intus voluntas. Et ep. 50. Aug.
Bonifac. comiti: Quia ergo non poſſunt malum
eſſe oſtendere quo coguntur, nec ad bonum ſe
cogi oportere contendunt; ſed à Chriſto coactũ
oſtendimus Paulum. Imitatur itaq; Eccleſia in
iſtis cogendis Dominum ſuum, quæ prius vt ne-
minem cogeret expectauit, vt de fide regũ atq;
gentium prædicatio prophetica compleretur.
Etiam hinc enim non abſurdè intelligitur illa
Apoſtolicã ſententia, vbi Paulus dicit: Parati vl- 2 Cor. 10.
ciſci omnem inobedientiam veſtram cum com-
pleta fuerit, prior obedientia veſtra. Vnde & ip-
ſe Dominus ad magnam cænam ſuam, prius ad-
duci iubet cõuiuas, poſtea cogi. Nã cum ei ſerui
reſpondiſſent: Domine factũ eſt quod iuſſiſti, &
adhuc eſt locus: exite, inquit, in vias & ſepes, &
quoſcunque inueneritis cogite intrare. In illis
ergo qui leniter primo adducti ſunt, completa
eſt prior obedientia: in iſtis autẽ qui coguntur,
inobedientia coercetur, nam quid eſt, cogite in-
trate, cum primo dictum eſſet, adducite, & reſ-

ponſum eſſet: factũ eſt quod iuſſiſti,& adhuc eſt locus? Si miraculorum terroribus cogendos voluiſſet intelligi, magis ad eos qui prius vocati ſunt diuina miracula multa facta ſunt, maximè ad eos,de quibus dictum eſt,Iudęi ſigna petunt. In ipſis quoque gentilibus talia temporibus Apoſtolorum miracula Euangelium commendauerunt,vt ſi talibus cogi iuberentur, priores vt dixi, potius conuiuæ coacti eſſe merito crederentur. Quapropter ſi poteſtate quam per religionem ac fidem regum tempore, quo debuit diuino munere accepit Eccleſia,ij qui inueniũtur in vijs,& in ſepibus,primũ hęreſibus & ſchiſmatibus coguntur intrare, non quia coguntur reprehendant,ſed quo cogantur attẽdant. Conuiuium Domini vnitas eſt corporis Chriſti,non ſolum in ſacramento altaris; ſed etiã in vinculo pacis. De ipſis ſane poſſumus veriſſime dicere quod neminem cogant ad bonum. Quoſcunq; enim cogunt,non cogũt,niſi ad malum. Veruntamen antequam iſtæ leges,quibus ad conuiuiũ ſanctum coguntur intrare,in africam mitterentur, nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego eram,quamuis Donatiſtarum rabies vſquequaque ſæuiret,non eſſe petendum ab Imperatoribus,vt ipſam hæreſim iuberent omnino nõ

Aug.

eſſe,&c. Et epiſt.204. Donato: Attendis,& ſæpe repetis,ſicut audio,quod in Euãgelio ſcriptum eſt,receſſiſſe à Domino ſeptuaginta diſcipulos,& arbitrio ſuæ malæ,atque impiæ diſceſſionis fuiſſe permiſſos, cæteriſq; duodecim, qui remanſerant, fuiſſe reſponſum: nunquid & vos vultis ire? Et non attendis,quia tũc primum Eccleſia nouello germine pullulabat, nondumq; in ea fuerat completa illa prophetia: & adora-

Pſal. 71.

bunt eum omnes reges terræ,omnes gentes ſeruient illi. Quod vtique quanto magis impletur, tanto maiore vtitur Eccleſia poteſtate, vt non ſolum inuitet,ſed etiam cogat ad bonum. Hoc tunc Dominus ſignificare volebat,qui quamuis haberet magnam poteſtatem, prius tamen elegit cõmendare humilitatem. Hoc & in illa conuiuij ſimilitudine ſatis euidenter oſtendit, vbi miſit ad inuitatos,& venire noluerũt,& ait ſeruo: Exi in plateas & vicos ciuitatis,& pauperes, & debiles,& cæcos,& claudos introduc huc. Et ait ſeruus Domino: Factum eſt,vt imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſeruo: Exi in vias & ſepes,& cõpelle intrare vt impleatur domus mea. Vide nũc quemadmodum de his,qui prius venerũt,dictum eſt: Introduc eos, non dictum eſt,compelle. Ita ſignificata ſunt Eccleſiæ primordia adhuc creſcẽtis,vt eſſent vires etiam compellendi. Proinde quia oportebat,eius iam viribus & magnitudine roborata, etiam compelli homines ad conuiuium ſalutis æternæ: poſteaquam dictum eſt,factum eſt quod iuſſiſti, & adhuc locus eſt. Exi, inquit, in vias & ſepes,& compelle intrare. Quapropter ſi ambularetis quieti extra hoc conuiuium ſanctæ vnitatis Eccleſiæ, tanquam in vijs vos inueniremus: nunc vero quia per multa mala, & ſæua, quæ in noſtros cõmittitis, tãquam ſpinis & aſperitate pleni eſtis, vos tanquam in ſepibus inuenimus, &

Cur initio Eccleſiæ minus coercendi poteſtas in vſu fuerit.

Eſſe in Eccleſia poteſtatem cogendi ad vnitatem.

intrare compellimus. Qui compellitur,quo nõ vult cogitur,ſed cum intrauerit, iam volens paſcitur. Cohibe itaque tam iniquũ & implicatum animum,vt in vera Eccleſia Chriſti inuenias ſalutare conuiuium. Et contra ſecundã Gau-

Aug.

dentij epiſtolam lib.2.cap.17: Quod autem vobis videtur,inuitos ad veritatem non eſſe cogẽdos,erratis neſciẽtes ſcripturas,neque virtutem Dei,qui eos volentes facit, dum cogũtur inuiti. Nunquid enim pœnitentiam Niniuitæ inuiti egerunt, quia hoc rege ſuo compellente fecerũt? Iam enim propheta,Dei iram vniuerſæ ciuitati, eam triduo perambulans, prænũciauerat. Quid igitur opus erat regis imperio,vt humiliter ſupplicaretur Deo,qui non intuetur ora,ſed corda, niſi quia erant in eis quidam,qui nec curarent, nec crederent prædicta diuina,niſi territi potẽſtate terrena? Iſta igitur iuſſione regię poteſtatis, contra quam volũtarius fit veſter occaſus,multis ad ſalutem,quæ eſt in Chriſto, præſtatur occaſio; qui etſi violenter adducuntur ad cœnam tanti Patrisfamilias, & compellũtur intrare, intus tamen inueniunt, vnde ſe lætentur intraſſe. Vtrumque enim futurũ Dominus ipſe prædixit, & vtrumq; compleuit. Nam reprobatis quibuſdã, qui vtique intelliguntur Iudæi, quia ipſi per prophetas antea fuerant inuitati, & ad horã excuſare maluerunt; ait Dominus ſeruo ſuo: Exi in plateas, & vicos ciuitatis; & pauperes, ac debiles,& cæcos,& claudos,introduc huc. Et ait ſeruus Domino: Factum eſt vt imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſeruo: Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Intelligimus vias,hæreſes; ſchiſmata,ſepes. Viæ quippe hoc loco ſignificãt diuerſas opiniones: ſepes autẽ peruerſas opiniones. Quid ergo miramini, ſi,nõ corporalis cibi, ſed ſpiritalis fame moritur,quiſquis ad iſtã cœnã,nec libẽter introductus,nec violẽter impulſus ingreditur.

Ioã 3.

Niniuitæ compulſi ſunt ad pœnitentiam.

Qui adducantur,& qui compellantur.

Qui adducantur de vijs, & qui de ſepibus.

Greg.hom.36.in Euang: Cum de vicis,& plateis ad cœnam quoſdam Dominus inuitat: illum videlicet populum deſignat, qui tenere legem ſub vrbana conuerſatione nouerat. Cum vero conuiuas ſuos colligi ex vijs,& ſepibus præcipit, nimirũ agreſtem populum colligere,id eſt, gentilem quærit,de cuius ſignificatione per Pſalmiſtam dicitur: Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum ante faciem Domini,quoniam venit. Ligna enim ſyluæ,gentes vocatæ ſunt, quia in infidelitate ſua tortæ & infructuoſæ ſemper fuerunt. Qui ergo ex illo agreſti vſu conuerſi ſunt, ad cœnam Dominicam, quaſi ex ſepibus venerunt. Notandum vero eſt quod in hac inuitatione tertia non dicitur,inuita,ſed compelle intrare. Alij enim vocantur, & venire contemnunt. Alij vocãtur,& veniunt; alij autem nequaquam dicitur,quia vocantur; ſed compelluntur vt intrent: Vocantur,& venire contemnunt, qui donum quidem intellectus accipiunt,ſed eundem intellectum operibus non ſequuntur. Vocantur & veniunt,qui acceptã intellectus gratiam operando perficiunt. Quidam vero ſic vocantur,vt etiã compellantur. Nam ſunt nõnulli, qui bona facienda intelligunt, ſed hæc facere deſiſtunt. Vident

Greg.

De plateis, & vicis qui veniant, qui de vijs & ſepibus.

Pſal. 95.

Inuitatio tertia.

Qui vocẽtur & venire contemnant.

Qui vocẽtur & veniant.

Qui ſic vocantur vt compellãtur.

Vidēt quæ agere debeant, ſed hæc ex deſiderio non ſequuntur. His plærumque, vt ſuperius diximus, contingit, vt eos in carnalibus deſiderijs ſuis mūdi huius aduerſitas feriat: apprehendere temporalem gloriam conentur, & nequeant: & dum per alta pelagi quaſi ad grandiores curas huius ſeculi nauigare proponūt, ſemper aduerſis flatibus ad deiectionis ſuæ littora repellūtur. Cumq; ſe frangi in deſiderijs ſuis, aduerſante mundo, conſpiciunt, quid de ſe auctori ſuo debeant, commonentur, ita vt ad eum erubeſcentes redeant, qui eum ſuperbientes, pro mundi amore, deſerebant. Sæpe namque nonnulli ad temporalem gloriam proficere volentes, aut lōga ægritudine tabeſcunt, aut afflicti iniurijs cōcidunt, aut percuſſi grauibus dānis affliguntur, & in mundi dolore vident, quia nihil confidere de eius voluptate debuerunt, ſeque ipſos in ſuis deſiderijs reprehendentes, ad Deum corda cōuertunt. De his quippe Dominus per prophetā dicit: Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas nō inueniet: & ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos: quæret, & non inueniet eos; & dicet: Vadā, & reuertar ad virum meum priorem; quia bene mihi erat tunc magis, quam nunc. Vir vniuſcuiuſque fidelis animæ Deus eſt; quia hæc videlicet ei eſt coniuncta per fidem. Sed illa, quæ coniuncta Deo fuerat anima, amatores ſuos ſequitur, quando mens, quæ iam per fidem credidit, adhuc ſe immundis ſpiritibus in operatione ſubſternit, mundi gloriam quærit, carnali delectatione paſcitur, exquiſitis voluptatibus nutritur. Sed plerumque omnipotens Deus talem animam miſericorditer reſpicit, & eius voluptatibus amaritudines permiſcet. Vnde dicit: Ecce ego ſepiam vias tuas ſpinis. Viæ etenim noſtræ ſpinis ſeptæ ſunt, quando in hoc quod male cupimus, dolorum punctiones inuenimus. Et ſepiam eas maceria, & ſemitas ſuas non inueniet. Viæ noſtræ maceria ſepiuntur, cùm deſiderijs noſtris duræ in hoc mundo obiectiones reſiſtunt. Et ſemitas noſtras inuenire non poſſumus, quia hoc, quod male quærimus, adipiſci prohibemur. Et ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos: quæret, & non inueniet eos: quia malignos ſpiritus, quibus ſe in ſuis deſiderijs anima ſubdidit, ad deſideriorum ſuorum effectum minimè comprehendit. Sed ex hac ſalubri aduerſitate quanta vtilitas naſcatur, adiungit cum ſubditur, & dicit: Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis, quam nunc. Poſtquam ergo vias ſuas ſpinis ſeptas inuenit, poſtquam amatores ſuos apprehendere non valet, ad amorem viri prioris redit: quia plerumque poſtquam in hoc mundo non poſſumus obtinere quæ volumus, poſtquam in terrenis deſiderijs de impoſſibilitate laſſamur, tunc ad mentem Deum reducimus, tunc placere incipit, quod diſplicebat, & is cuius nobis amara fuerant præcepta, repentè dulceſcit in memoria, & peccatrix anima, quæ adultera conata eſt eſſe, nec tamen aperto opere potuit, decernit eſſe fidelis coniunx. Qui ergo huius mundi aduerſitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt: atque à præſentis vitæ deſiderijs corriguntur, quid iſti, fratres mei, niſi compelluntur, vt intrent?

Gloriam temporalē multi conantur apprehēdere, & nequeūt

Oſee 2.

Animæ bonæ vir eſt Deus.

Qui compelluntur intrare.

Bern. lib. ſent. cap. 5: Quatuor ſunt genera hominum regnum cælorum poſſidentium. Alij violenter rapiunt, alij mercantur, alij furantur, alij ad illud compelluntur, rapiunt qui dereliquerunt omnia, & ſequuntur Chriſtum, de quibus dicitur: Beati pauperes ſpiritu, &c. Sunt alij inferioris gradus, à quibus metuntur carnalia, dum eis ſpiritalia ſeminantur, his loquitur Dominus: Facite vobis amicos, &c. tales dicuntur mercatores: quia dant in præſenti pauperibus temporalia, quæ poſſident; vt in futuro recipiāt ab eis æterna, quæ non niſi per eos habere merentur. Neceſſe eſt enim omnes, qui in futuro iudicio examinandi ſunt, vel eſſe iudicis amicos, vel apud iudicem interceſſores habere amicos. Habent ergo primum beatitudinis locum, qui intercedunt, habent hi, pro quibus intercedunt, ſecundum. Sunt alij, qui nonnulla bona occultè faciunt, pro quibus merentur regnum cælorum; ſed tamen furati illud dicuntur: quia laudem humanam vitantes, ſolo diuino teſtimonio contenti ſunt. Horum figuram tenuit mulier quæ fluxum ſanguinis patiens cogitauit: ſi te tetigero, &c. Alij ſunt, qui compelluntur: v. g. vt pauperes neceſſarij, quos ſcilicet hic ignis paupertatis Deo diſpenſante purgat, ne in futuro ignis iudicij puniat. De quibus ſcriptum eſt: Compelle intrare, vt impleatur domus mea. Compelluntur multi varijs neceſſitatibus & oppreſſionibus afflicti: qui mira Dei prouidentia, dum temporalem pœnam, ſi non libenter, tamen patienter ſuſtinent, vitam conſequuntur æternam.

Bern. Quatuor hominum genera ſaluantur. 1. qui rapiunt 2. qui mercantur. 3. qui furantur. 4. qui compelluntur. Qui compelluntur intrare.

Not. 8. verſ. 11.

Greg. hom. 36. in Euang: Sed valde eſt tremenda ſententia, quæ protinus ſub infertur; intenta hanc cordis aure percipite fratres, & Domini mei: in quantum peccatores, fratres mei: in quantum iuſti, Domini mei. Intenta hanc aure percipite, vt tanto eam minus ſentiatis in examine, quanto nunc auditis formidoloſius in prædicatione. Ait enim: Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cænam meam. Ecce vocat per ſe, vocat per Angelos, vocat per patres, vocat per prophetas, vocat per Apoſtolos, vocat per paſtores, vocat etiam per nos, vocat plerumque per miracula, vocat plerumque per flagella, vocat aliquando per huius mundi proſpera, vocat aliquando per aduerſa. Nemo contemnat, ne dum vocatus excuſat, cum voluerit intrare non valeat. Audite quid ſapientia per Salomonem dicat: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane conſurgent, & non inuenient me. Hinc eſt quod fatuæ virgines tardè venientes clamant, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. Sed iam tunc aditum quærentibus dicitur: Amen, amen dico vobis: neſcio vos. Quid inter hæc,

Greg. Multipliciter nos Deus vocat. Prou. 1. Matt. 25.

hæc, fratres chariſſimi, niſi relinquere omnia debemus, curas mundi poſtponere, ſolis deſiderijs æternis inhiare? Sed hæc paucis data ſunt. Admonere vos volo, vt relinquatis omnia, ſed non præſumo. Si ergo cuncta mundi relinquere non poteſtis, ſic tenete quæ huius mundi ſunt, vt tamen per ea non teneamini in mundo: vt terrena res poſſideatur, non poſſideat: vt ſub mentis veſtræ ſit dominio quod habetis: ne mens veſtra dum terrenarum rerum amore vincitur, à rebus ſuis ipſa magis poſſideatur. Sit ergo res temporalis in vſu, æterna in deſiderio: ſit res temporalis in itinere, deſideretur æterna in peruentione. Quaſi ex latere reſpiciatur quidquid in hoc mundo agitur. Ante nos autem tendant mentis oculi, dum tota intentione illa conſpiciunt, ad quæ peruenimus. Extirpentur funditus vitia, non ſolum ab actu operis, ſed etiam à cogitatione cordis euulſa. Non nos voluptas carnis, non ſolicitudo curioſitatis, non æſtus ambitionis à Dominica cœna præpediat, ſed ipſa quoque quæ honeſta in mundo agimus, quaſi ex quodam mentis latere tangamus, vt terrena quælibet ſic noſtro corpori ſeruiant, quatenus cordi minime obſiſtant. Non ergo, fratres, audemus vobis dicere, vt omnia relinquatis: ſed tamen ſi vultis, omnia etiam retinendo relinquitis, ſi ſic temporalia geritis, vt tamen tota mente ad æterna tendatis. Hinc etenim Paulus Apoſtolus dicit: Tempus breue eſt: reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non poſſidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Vxorem namque habet, ſed quaſi non habens, qui ſic ſcit debita carnis exſoluere: vt tamen per ea mundo tota mente non cogatur inhærere. Nam cum idem rurſum egregius prædicator dicat: Qui habet vxorem, cogitat quæ ſunt huius mundi, quomodo placeat vxori, ille vxorem habet quaſi non habens, qui ſic ſtudet placere coniugi, vt tamen non diſpliceat conditori. Flet quoque, ſed tanquam non fleat, qui ſic temporalibus damnis affligitur, vt tamen de æternis lucris ſemper animum conſoletur. Gaudet vero, ſed tanquam non gaudeat, qui ſic de temporalibus bonis hilareſcit, vt tamen ſemper tormenta perpetua conſideret: & in hoc quod mentem gaudio ſubleuat, hanc continuo pondere prouidi timoris premat. Emit autem ſed quaſi non poſſidens, qui & ad vſum terrena præparat, & tamen cauta cogitatione præuidet, quod hæc citius relinquat. Mundo quoque vtitur, ſed quaſi non vtatur, qui & neceſſaria cuncta exterius ad vitæ ſuæ miniſterium redigit, & tamen hæc eadem non ſinit ſuæ menti dominari: vt ſubiecta foris ſeruiant, & nunquam intentionem animi ad alta tendentis frangant. Quicunque ergo tales ſunt, eis profecto terrena omnia non ad deſiderium, ſed ad vſum aſſunt: qui rebus quidem neceſſarijs vtuntur, ſed nihil habere cum peccato cupiunt. De ipſis quoque rebus habitis quotidie mercedes acquirunt: & plus gaudent bono opere, quam bona poſſeſſione. Ac ne aliquibus iſta difficilia eſſe videantur: rem de perſona refero, quam multi veſtrûm mecum nouerunt. Quam videlicet rem ipſe ante triennium in Centumcellenſi vrbe à perſonis fidelibus didici. Nuper namque in eadem ciuitate Theophanius comes fuit, &c. Quos enim tales in mundo neceſſitas ligat, vt ex omni parte exui à mundo non poſſint: ſic debent ea quæ mundi ſunt tenere, vt tamen eis neſciant ex mentis fractione ſuccumbere. Hoc ergo cogitate, & cum relinquere cuncta quæ mundi ſunt non poteſtis: exteriora bene exterius agite, ſed ardenter interius ad æterna feſtinate. Nihil ſit quod deſiderium veſtræ mentis retardet: Nullius vos rei in hoc mundo delectatio implicet. Si bonum diligitur: mens in bonis melioribus, id eſt, in cæleſtibus, delectetur. Si malum metuitur: mala animo æterna proponantur: vt dum illic eſſe conſpicit, & amplius quod diligat, & amplius quod pertimeſcat, hic omnino non hæreat.

Terrena vt haberi poſſint.

Vt omnia relinquere poſſimus etiam retinendo.

1 Cor. 7.

Theophanij commendatio.

Aug. de fide & operibus. cap. 17: Non ſunt iſti qui dicunt adulterium non eſſe, quod Chriſtus dixit eſſe adulterium: vel credunt adulteros Chriſti membra eſſe poſſe; & qui ſanæ doctrinæ aduerſantur inter eos deputandi, qui ad conuiuium nuptiarum venerunt; ſed inter eos qui venire noluerunt.

Aug. Qui à cœna excludantur.

FINIS TOMI PRIMI.

618184

1007

C 41.